image
not
available

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 Q
13h

I. V
L
IV
2
h
6

Digitized by Google

Digitized by Google

TOMVS QVARTVS ET IDEM ULTIMUS

omnium operum Reverendi Patris, Viri Dei, Doct. Mart. Luth. quæ ab anno XXXVIII. usque ad annum XLVIII. edita sunt. Quorum Catalogum folio sequenti invenies.

IENÆ

Apud Tobiam Steinman.

ANNO
M. DC. XI.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

14-17-Q-13

Digitized by Google

Digitized by Google

1. Johan. 3.

Chariſſimi, nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint. Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur Spiritus Dei, Omnis Spiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis Spiritus, qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.

Philip. 3.

Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Veruntamen exiſtimo omnia detrimenta eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, ut & inveniar in illo non habens meam juſticiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt juſticia, ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionis illius &c.

Ibidem.

Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum &c.

Johan. 5.

Amen Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam.

Johan. 6.

Hæc eſt autem voluntas Patris mei qui miſit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

Matthæi 10.

Omnis ergo, qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.

Luca 9.

Nam qui me erubuerit & ſermones meos, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris & ſanctorum Angelorum.

Pſal. 115.

Credidi propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis.

Ibidem.

Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, Quia in æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi, Quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.

2. Timoth. 4.

Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſticiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa juſtus Iudex, Non ſolum autem mihi, ſed & his, qui diligunt adventum ejus.

Matthæi 7.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos.

Luca 21.

Vigilate itaq; omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.

CATA-

Digitized by Google

CATALOGVS OMNIUM OPERUM ET SCRIPTORVM VIRI DEI D. M. L. QVÆ IN HOC QVARTO TOMO CONTINENTUR.

ANNVS CHRISTI M. D. XXXVIII.

* Hanc historiam omisimus cum ejus adjecimus.

Commentarius in Epistolam Pauli ad Galatas, cum duabus præfationibus, altera longa, altera brevi, & argumento. fol. 1. 3. 6.

Confessio Fidei exhibita Imperatori Carolo in Comitiis Augustæ, cum præfatione ad ipsum Cæsarem. fol. 161.

Apologia confessionis cum præfatione Phil. Melanth. fol. 171.

Enarratio D. M. L. in Cantica canticorum, cum præfatione ejusdem. fol. 228.

Annotationes D. M. L. in aliquot capita Matthæi, cum præfatione. fol. 245.

Enarratio D. M. L. in Psalmum L. I. Miserere mei Deus, cum præfatione ejusdem. fol. 310.

Præfatio D. M. L. in Epistolam S. Hieronymi ad Evagrium de potestate Papæ. fol. 342.

ANNUS CHRISTI M. D. XL.

Enarratio D. M. L. in Psalmos graduum, cum præfatione. fol. 342.

Numero	Folio
1	344
2	350
3	355
4	362
5	365
6	369
7	372
8	377
9	390
10	398
11	403
12	410
13	413
14	425
15	426
120	
121	
122	
123	
124	
125	
126	
127	
128	
129	
130	
131	
132	
133	
134	

ANNUS CHRISTI M. D. XLI.

Enarratio Psalmi XC. per D. M. L. cum præfatiuncula. fol. 427. 428.

ANNUS CHRISTI M. D. XLII.

Digitized by Google

Commentarius D. M. L. in Micham Prophetam, cum præfatione ejuſdem. fol. 441.
Principales loci & Sententiæ concionum Prophetæ Michæ. fol. 482.

Cur & quomodo Chriſtianum Concilium debeat eſſe liberum.
D. M. L. Item, de conjuratione Papiſtarum. 483

ANNUS CHRISTI M. D. XLIII.

Duæ Epiſtolæ D. M. L. ad M. Simonem Vuolferinum de controverſia ſuper reliquiis Sacramenti Altaris. fol. 487.

ANNUS CHRISTI M. D. XLV.

Enarratio D. M. L. in Hoſeam Prophetam, cum præfatione in eundem. fol. 488. b.
Principales loci & præcipuæ ſententiæ concionum Hoſeæ Prophetæ. fol. 555.
Additio D. M. L. in locum Hoſeæ, capite 13. Ero mors tua ô mors. fol. 556. b.
Supputatio annorum Mundi D. M. L. cum præfatione ejuſdem. fol. 560.

ANNUS CHRISTI M. D. XLVI.

Enarratio D. M. L. in Pſalmum II. cum præfatione. fol. 619.
Præfatio D. M. L. in Declamatione illuſtrium Principum juniorum Saxoniæ. fol. 644.

ANNUS CHRISTI M. D. XLVII.

Commentarius D. M. L. in Ioëlem Prophetam. fol. 644. b.
Inſigniores ſententiæ ex concionibus Ioëlis. fol. 685.

Typographus

Digitized by Google

Typographus Lectori S.

Cùm hic Tomus Quartus, amice Lector, commodè antehac, ob molis vastitatem, ligari vix potuerit; operæprecium duximus, eundem tibi contractiorem offerre, simulq; Veteris & Novæ formæ convenientiam (ne videlicet numeralis foliorum mutatio cuiquam existat ullius causa molestiæ,) in sequenti tabella exhibere. Quod nostrum studium, pro tuo candore, boni consulas. Vale.

V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.
1	1	66	56	132	111	197 b	166	262 b	223	331	278	398 b	333	463 b	388
2 b	2	67 b	57	133	112	199	167	263 b	224	332 b	279	399 b	334	465	389
3 b	3	68 b	58	134	113	200	168	265	225	334	280	400 b	335	466	390
4 b	4	70	59	135 b	114	201	169	266	226	335	281	402	336	467 b	391
6	5	71	60	136 b	115	202 b	170	267	227	336	282	403	337	468 b	392
7	6	72 b	61	137 b	116	203 b	171	268 b	228	337 b	283	404	338	470	393
8	7	73 b	62	139	117	204 b	172	270	229	338 b	284	405 b	339	471	394
9	8	74 b	63	140	118	206	173	271	230	340	285	406 b	340	472 b	395
10	9	76	64	141	119	207	174	272 b	231	341	286	407 b	341	473 b	396
11 b	10	77	65	142 b	120	208	175	274	232	342 b	287	409	342	475	397
12 b	11	78	66	143 b	121	209 b	176	275	233	343 b	288	410 b	343	476	398
13 b	12	79 b	67	145	122	210 b	177	276	234	345	289	411 b	344	477 b	399
15	13	80 b	68	146	123	212	178	277 b	235	346	290	413	345	478 b	400
16	14	82	69	147	124	213	179	279	236	347	291	414	346	480	401
17	15	83	70	148 b	125	214	182	280	237	348 b	292	415	347	481	402
18 b	16	84	71	149 b	126	215	183	281 b	238	350	293	416 b	348	482 b	403
19 b	17	85 b	72	150 b	127	216 b	184	283	239	351	294	417 b	349	483 b	404
21	18	86 b	73	152	528	217 b	185	284	240	352	295	419	350	485	405
22	19	88	74	153	129	219	186	285	241	353 b	296	420	351	486	406
23	20	89	75	154	130	220	187	286 b	242	354 b	297	421	352	487 b	407
24	21	90	76	155 b	131	221	188	288	243	356	298	422 b	353	488 b	408
25 b	22	91	77	156 b	132	222 b	189	289	244	357	299	423 b	354	490	409
27	23	92 b	78	158	133	223 b	190	290 b	245	358	300	425 b	355	491	410
28	24	93 b	79	159	134	224 b	191	291 b	246	359 b	301	426	356	492 b	411
29	25	95	80	160	135	226	192	293	247	360 b	302	427	357	493 b	412
30 b	26	96	81	161 b	136	227	193	294	248	362	303	428 b	358	495	413
31 b	27	97	82	163	137	228	194	295 b	249	363	304	429 b	359	496	414
33	28	98 b	83	164	138	229 b	195	297	250	364	305	430 b	360	497 b	415
34	29	99 b	84	165	139	230 b	196	298	251	365 b	306	432	361	498 b	416
35 b	30	101	85	166 b	140	231	197	299	252	366 b	307	433	362	500	417
36 b	31	102	86	167 b	141	233	198	300 b	253	368	308	434	363	501	418
38	32	103	87	168 b	142	234	199	301 b	254	369	309	435 b	364	502 b	419
39	33	104 b	88	170	143	235	200	303	255	370	310	436 b	565	503 b	420
40	34	105 b	89	171	144	236 b	201	304	256	371 b	311	438	366	505	421
41	35	107	90	172	145	237 b	202	305 b	257	373	312	439	367	506	422
42 b	36	108 b	91	173 b	146	239	203	306 b	258	374 b	313	440	368	507 b	423
43 b	37	109	92	174 b	147	240	204	308	259	376	314	441 b	369	508 b	424
45	38	110 b	93	176	148	241	205	309	260	377	315	442 b	370	509 b	425
46	39	111 b	94	177	149	242 b	206	310 b	261	378 b	316	444	371	511	426
47	40	113	95	178	150	243 b	207	311 b	262	379 b	317	445	372	512	427
48 b	41	114	96	179 b	151	244 b	208	313	263	380 b	318	446	373	513 b	428
49 b	42	115	97	180 b	152	246	209	314	264	382	319	447 b	374	514 b	429
51	43	116	98	182	153	247	210	315 b	265	383 b	320	448 b	375	516	430
52	44	117 b	99	183	154	248	211	316 b	266	384	321	449 b	376	517	431
53 b	45	118 b	100	184	155	249 b	212	318	267	385 b	322	451	377	518	432
54 b	46	120	101	185 b	156	250 b	213	319	268	386 b	323	452	378	519 b	433
55 b	47	121	102	186 b	157	252	214	320	269	388	324	453	379	520 b	434
57	48	122	103	188	158	253	215	321 b	270	389	325	454 b	380	522	435
58	49	123 b	104	189	159	254	216	322 b	271	390	326	455 b	381	523	436
59	50	124 b	105	190	160	255 b	217	324	272	391	327	456 b	382	524	437
60 b	51	126	106	191 b	161	256 b	218	325	273	392 b	328	458	383	525 b	438
61 b	52	127	107	193	162	257 b	219	326 b	274	393 b	329	459	384	526 b	439
63	53	128	108	194	163	259	220	327 b	275	395	330	460	385	528	440
64	54	129 b	109	195	164	260	221	329	276	396	331	461	386	529	441
65	55	130 b	110	196 b	165	261	222	330	277	397	332	462 b	387	530 b	442

Digitized by Google

V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.	V.	N.
331 b	443	370	494	607 b	505	645	536	682	567	713	598	746	629	795 b	660		
333	444	371	473	608 b	506	646 b	537	683	568	714	599	747 b	630	776 b	661		
334	445	372 b	476	610	507	647 b	538	684	569	715	600	748 b	631	778	662		
335 b	446	373 b	477	611	508	649	539	685	570	716	601	749 b	632	779	663		
336 b	447	374 b	478	612 b	509	650	540	686	571	717	602	751	633	780	664		
338	448	376	479	613 b	510	651 b	541	687	572	718	603	752	634	781	665		
339	449	377	480	614 b	511	652 b	542	688	573	719	604	753	635	782 b	666		
340 b	450	378 b	481	616	512	653 b	543	689	574	720	605	754 b	636	783 b	667		
341 b	451	379 b	482	617	513	655	544	690	575	721	606	755 b	637	784 b	668		
343	452	380 b	483	618 b	514	656	545	691	576	722	607	756 b	638	786	669		
344	453	382 b	484	619 b	515	657 b	546	692	577	723	608	758	639	787	670		
345 b	454	383	485	620 b	516	659	547	693	578	724	609	759	640	788	671		
346 b	455	384 b	486	622	517	660	548	694	579	725	610	760	641	789 b	672		
348	456	385 b	487	623	518	661	549	695	580	726	611	761	642	790 b	673		
349	457	387	488	624 b	519	662 b	550	696	581	727	612	762 b	643	791 b	674		
350 b	458	388	489	625 b	520	663 b	551	697	582	728	613	763 b	644	793	675		
351 b	459	389 b	490	626 b	521	665	552	698	583	729	614	765	645	794	676		
353	460	390 b	491	628	522	666	553	699	584	730	615	765 b	646	795	677		
354	461	392	492	629	523	667 b	554	700	585	731	616	766 b	647	796	678		
355 b	462	393	493	630 b	524	668 b	555	701	586	732	617	767	648	797 b	679		
356 b	463	394	494	631 b	525	670	556	702	587	733 b	618	767 b	649	799	680		
358	464	395 b	495	632 b	526	671	557	703	588	734 b	619	768	650	800	681		
359	465	396 b	496	634	527	672 b	558	704	589	736	620	768 b	651	801	682		
360 b	466	398	497	635	528	673 b	595	705	590	737	621	769	652	802	683		
361 b	467	399	498	636 b	529	674 b	560	706	591	738 b	622	769 b	653	803	684		
362 b	468	600 b	499	637 b	530	676	561	707	592	739 b	623	770 b	654	804 b	685		
364	469	601 b	500	639	531	677	562	708	593	740 b	624	771	655	805	686		
365	470	602 b	501	640	532	678	563	709	594	741 b	625	771 b	656				
366 b	471	604	502	641 b	533	679	564	710	595	743	626	772	657				
367 b	472	605	503	642 b	534	680	565	711	596	744	627	773 b	658				
368 b	473	606 b	504	644	535	681	566	712	597	745	628	774 b	659				

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI
M. D. XXXVIII.

IN EPISTOLAM S. PAVLI AD GALATAS COMMENTARIUS
EX PRÆLECTIONE D. M. L. FIDELITER collectus, ac denuo recognitus, caſtigatus &c.

Anno M. D. XXXV.

PRÆFATIO D. MARTINI LVTHERI IN EPIST. PAVLI AD GALATAS.

Quod hunc pulcherrimum Commentariũ Doct. M. L. in Epiſt. ad Galatas, alibi quam ſuo loco & ordine (in annum enim 35. referendum erat) collocatum vides, Lector pie, ne ſi id caſu nec negligentia, ſed prudentia exemplaris, unde de annorum numero conſtitui potuiſſet, penuria, partim ipſius cõmentarii magnitudine factum eſt, qui ſi ſuum locum debuiſſet tenere, juſta & haſtenus nobis obſervata Tomorum menſurã in immensũ excedenda fuiſſet. Boni igitur conſulas, alieno loco eum tibi exhiberi.

VIx ipſe credo, tam verboſum fuiſſe me, cum enarrarem publicè hanc Sancti Pauli ad Galatas Epiſtolam, quàm hic me libellus exhibet. Et tamen ſentio meas cogitationes eſſe omnes, quas in hoc ſcripto, per fratres tanta diligentia, ſignatas reperio, ut fateri cogar, vel omnia, vel etiam plura fortaſſe, in iſta publica tractatione à me eſſe dicta. Nam in corde meo iſte unus regnat articulus, ſcilicet, fides Chriſti. Ex quo, per quem, & in quem, omnes meæ diu noctuq́; fluunt & refluunt Theologicæ cogitationes. Nec tamen comprehendiſſe me experior de tantæ altitudinis, latitudinis, profunditatis ſapientiâ, niſi infirmas & pauperes quasdam primitias, & veluti fragmenta.

Unde & pudet in tantum Apoſtolum & organum electum Dei, meas tam egenas & frigidas commendationes edi. Niſi quod ipſum pudorem depudere cogit & impudenter audacem eſſe, infinita & horribilis prophanatio & abominatio, quæ in Eccleſia Dei ſemper ſævijt, & ſævire hodie non ceſſat, adverſus unicam hanc & ſolidam petram, quam nos juſtificationis locum dicimus. Hoc eſt, quomodo, non per nos ipſos (haud dubiè neq́; per noſtra opera, quæ minus ſunt quàm nos ipſi) ſed per alienum auxilium, per Filium unigenitum Dei, Ieſum Chriſtum, ſimus à peccato, morte, Diabolo redempti & vita æterna donati.

Vexavit hanc Petram Satan in Paradiſo, quando primis parentibus perſuaſit, ut propria ſapientia & virtute Deo ſimiles fierent, relicta Fide in Deum, qui vitam dederat & duraturam promiſerat. Mox propter eandem, ille Mendax & Homicida, ſui ſimilis ſemper futurus, impulit fratrem in fratricidium, nulla cauſa, niſi quod frater pius Fide præſtantiorem hoſtiam obtuliſſet, & ipſe impius opera ſua ſine fide offerens DEO non placuiſſet. Secuta eſt poſtea contra eandem fidem perpetua perſecutio Satanæ, per filios Cain intolerabilis, donec diluvio cogeretur Deus ſemel orbem purgare, & fidei & juſticiæ præconem Noe defendere. Tamen Satan nihilominus ſuum ſemen in Ham tertio filio Noe retinuit. Sed quis referat omnia? Totus mundus poſt hæc contra hanc Fidem inſanivit, infinitis repertis idolis & religionibus, quibus unusquisq́; (ut Paulus ait) ſuam viam inceſſit, ſperans ſeſe operibus ſuis, alij Deum, alij Deam, alij Deos, alij Deas placare, hoc eſt, ſine alieno auxilio Chriſti, ſuo proprio opere, ſeſe redimere à malis & peccatis. Ut hæc omnia ſatis teſtantur etiam omnium Gentium facta & ſcripta.

Sed nihiliſti ſunt, ad populum illum Dei Iſraël ſeu Synagogam, qui præ cæteris donati fuerunt, non ſolum certa Promiſſione Patrum, deinde Lege divinitus per Angelos

...adita, ſed etiam ſemper præſentibus Prophetarum dictis, miraculis, exemplis certiſ-cari. Et tamen inter eos ſic profecit Satan, id eſt, Iuſticia propria furor, ut poſt omnes Prophetas, ipſum etiam Filium Dei, ſibi promiſſum Meſſiam, occiderent, eadem ſcilicet cauſa quod docerent, gratia Dei, non juſticia noſtra, homines Deo placere. Et eſt hæc ſumma Propoſitio Diaboli & mundi ab initio, Nos non volumus malefacere videri, ſed quæcunq; facimus, hoc Debet Deus probare, & omnes eius Prophetæ conſentire, Quod ſi non fecerint, moriantur. Pereat Habel, vivat Cain. Hæc eſto lex noſtra. Et ſit ita.

In Eccleſia verò gentium res acta eſt & agitur ſeria, ut Synagoga furor meritò ludus fuiſſe videatur. Nam illi Chriſtum ſuum (ut Paulus ait) non cognoverunt, Ideo Dominum gloriæ crucifixerunt. Sed gentium Eccleſia accepit & confitetur Chriſtum eſſe Filium Dei, factum juſticiam noſtram, & ea palam cantat, & legit & docet. Et hac ſtante Confeſſione, occidunt tamen illi ipſi, qui volunt eſſe Eccleſia, perſequuntur, ſeviunt in eos, qui nihil aliud credunt, docent, faciunt, quam quod Chriſtus ſit hoc ipſum, quod ipſi-met ore & facto ſimulato fateri coguntur, Nam ſub nomine Chriſti hodie regnant. Quod regnum, ſi ſine Chriſti nomine poſſent tenere, talem foris eam oſtentarent, qualem in corde habent. Habent autem eum longe inferiorem quam Iudæi, Qui eum ſaltem putant eſſe, Thola, hoc eſt, Latronem in crucem merito actum. Noſtri vero pro fabula, tanquam aliquod fictum numen apud Gentes, Sicuti videre eſt Romæ in Curia Papæ, ac prope in tota Italia.

Quia igitur Chriſtus eſt ludibrium apud ſuos Chriſtianos (Sic enim volunt appellari) Et Cain occidit Habel ſine fine, & abominatio Satanæ nunc maxime regnat, Opus eſt, hunc articulum quam diligentiſſime tractare, & Satanæ opponere, ſive ſimus infantes ſive eloquentes, ſive docti, ſive indocti. Oportet enim hanc petram clamari, ſi omnis homo taceret, ab ipſis petris ſeu lapidibus.

Quare & ego meum officium libenter præſto, & hunc Commentarium verboſiſſimum emitti permitto, ad excitandos fratres in Chriſto adverſus Satanæ machinas & malitiam, qui his noviſſimis & extremis momentis in tantam rabiem verſus eſt, contra hanc ſanam Chriſti cognitionem, denuo reſuſcitatam, ut ſicut hactenus homines Damonibus obſeſſi, & furioſi viſi ſunt, nunc ipſi Damones videantur ab alijs pejoribus Damonibus obſeſſi, & ſupra Damonum furorem furere. Magno ſcilicet argumento, quod hoſtis ille veritatis & vitæ ſentit ſibi imminere de proximo diem illum, horribilem ſuæ quidem perditionis, amabilem vero noſtræ redemptionis, qui finis erit tyrannidis eius. Non enim fruſtra ſic concuſſis omnibus ſuis membris & viribus conturbatur, veluti fur vel adulter aurora ſurgente, & eum prodente deprehenſus.

Quis enim unquam audivit (ut Papæ abominationes ſileam) tanta ſimul monſtra prorupiſſe, quanta his diebus videmus, vel in ſolis Anabaptiſtis? in quibus vere Satan, tanquam extremum halitum regni ſui efflaturus, horribilibus motibus ſuos ubiq; exagitat, & quaſi vellet per eos ſubito, non ſolum ſeditionibus orbem ſubvertere, ſed etiam per innumeras ſectas totum Chriſtum cum Eccleſia devorare. Non ſic ſævit & furit in alias hominum vitas vel opiniones, puta adulteros, fures, homicidas, periuros, impios, ſacrilegos, incredulos. Imo his pace data in atrio ſuo ſuaviter palpat, & omnia indulget. Sicut olim in exordio Eccleſiæ, omnes totius orbis idololatrias & religiones, intactas & quietas eſſe non ſolum paſſus eſt, ſed etiam magnifice fovit, Unius vero Chriſti Eccleſiam & religionem, undiq; vexavit. Poſtea cunctis hæreticis pacem permittens, ſolam Catholicam doctrinam turbavit. Ita & hodie nullum eſt ei negocium, præter hoc unum & ſuum ſemper proprium, noſtrum Chriſtum (qui eſt juſticia noſtra ſine operibus noſtris) perſequi, Sicut de eo ſcriptum eſt, Tu inſidiaberis calcaneo eius.

Sed non tam contra iſtos, quam propter noſtros, prodeunt iſta noſtra cogitationes in hanc S. Pauli Epiſtolam, Qui mihi in Domino vel gratias agent pro mea diligentia, vel ignoſcent meæ impotentiæ & temeritati. Impijs vero valde nollem iſta probari, ſed tantum per ea cum ſuo Deo irritari, cum ſint (meo magno ſudore) illis tantum tradita, quibus ipſe Paulus eam Epiſtolam ſcripſit, ſcilicet perturbatis, afflictis, vexatis & tenta-

tentatis (Hi enim ſoli ea intelligunt) in Fide miſeris Galatis. Qui tales non ſunt, audiant Papiſtas, Monachos, Anabaptiſtas, & alios multos infinitæ ſapientiæ & religionis propriæ magiſtros, noſtraq; fortiter contemnant, neq; intelligere curent.

Conſpirant namq; Papiſtæ & Anabaptiſtæ hodie in unam hanc ſententiam concorditer contra Eccleſiam Dei (etiamſi diſſimulent verbo) Quod opus divinum pendeat ex dignitate perſonæ. Sic enim docent Anabaptiſtæ, Baptiſma nihil eſt, niſi perſona ſit credens. Ex hoc principio (ut dicitur) neceſſe eſt ſequi, Omnia opera Dei nihil eſſe, ſi homo non ſit bonus. Baptiſma autem eſt opus Dei, Sed homo malus facit, ut non ſit opus Dei.

Ex hoc ultra ſequitur, Conjugium, Magiſtratus, Servitus, ſunt opera Dei, ſed quia homines ſunt mali, Ergo non ſunt opera Dei. Solem, Lunam, terram, aquas, aërem, & omnia homini ſubdita, habent impÿ, Sed quia impÿ, non pÿ, Ergo Sol non eſt Sol, Luna, terra, aqua, aër, non ſunt quod ſunt. Ipſi Anabaptiſtæ habuerunt corpora & animas, ante ſuam rebaptiſationem, Sed quia non fuerunt pÿ, ergo non habuerunt vera corpora & animas. Item parentes eorum non fuerunt veri conjuges (ut fatentur) quia non fuerunt rebaptiſati, ergo ipſi Anabaptiſtæ omnes ſunt Spurÿ, & omnes eorum parentes fuerunt adulteri & ſcortatores. Nihilominus tamen ipſi hæreditant ſuorum parentum bona, cum ſeſe fateantur eſſe Spurios & exhæredes. Quis hic non videt in Anabaptiſtis eſſe non obſeſſos homines, ſed Dæmones ipſos à peioribus Dæmonibus obſeſſos?

Sic & Papiſtæ non ceſſant urgere uſq; hodie opera & perſonæ dignitatem, contra Gratiam, & fratres ſuos Anabaptiſtas (ſaltem verbo) fortiter juvare. Caudis enim ſunt conjunctæ iſtæ vulpes, ſed capitibus diverſæ. Fingunt enim ſeſe foris magnos hoſtes illorum, cum tamen intus verè idem ſentiant, doceant ac defendant contra unicum illum Salvatorem Chriſtum, qui ſolus eſt juſticia noſtra. Hæreat igitur, qui poteſt in hoc uno articulo. Cæteros qui naufragia faciunt, ſinamus ferri, quo mare & venti volunt, donec ad navem redeant, vel ad littus enatent. Summa & finis querelæ eſt, nullam ſperare quietem, aut finem querelæ, donec Chriſtus & Belial non conveniunt. Generatio præterit, generatio advenit, Si cadit una hæreſis, mox ſurgit alia, Quia diabolus non dormit neq; dormitat. Ego (quanquam nihil ſum) qui in miniſterio Chriſti fui jam vigenti annis, verè poſſum teſtari, me plus quàm viginti ſectis eſſe petitum, quarum aliquæ penitus corruerunt, aliquæ adhuc velut inſectorum membra palpitant.

Sed indies novas ſuſcitat Satan, Deus ille factioſorum hominum, & proxime hanc, quam minime omnium prævidiſſem aut ſperaſſem, ſcilicet eorum, qui docent Decalogum tollendum ex Eccleſia, nec homines per Legem terrendos, ſed per Chriſti gratiam ſuaviter monendos eſſe, ut impleatur illud Prophetæ Michææ, Verum non arguatur vir, Non ſtillabis ſuper nos. Ac ſi neſciamus, aut unquam docuerimus, afflictos & contritos ſpiritu eſſe per Chriſtum erigendos. Duros vero Pharaones, quibus fruſtra prædicatur gratia Dei, per Legem eſſe terrendos. Cum & ipſimet cogantur fingere Revelationes ſuas ſuper malos & incredulos. Quaſi Lex aliud ſit aut eſſe poſſit, quam revelatio iræ. Tanta eſt cæcitas & ſuperbia iſtorum αὐτοναρκιτῶν hominum.

Oportet igitur miniſtros verbi certos eſſe, ſi fideles & prudentes haberi volent in illo die Chriſti, S. Pauli vocem non eſſe futiliter dictam, aut de re nihili prophetatam, Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Sciat, inquam, miniſter Chriſti, donec purè Chriſtum docebit, non defuturos homines perverſos, qui Eccleſiam perturbare ſtudeant, etiam ex noſtris. Atq; hac conſolatione ſeſe obfirmet, Eſſe nullam pacem inter Chriſtum & Belial, ſeu inter ſemen Serpentis & Mulieris, Imo gaudeat ſeſe pati ſectas & ſeditioſos iſtos ſpiritus, perpetuo ſibi ſuccedentes, Quia gloria noſtra hæc eſt teſtimonium Conſcientiæ noſtræ, Quod invenimur ſtantes & pugnantes ex parte Seminis mulieris, contra ſemen Serpentis, Mordeat ille ſanè calcaneum noſtrum, nec ceſſet mordere, Nos viciſſim non ceſſabimus conterere caput ejus per Chriſtum Principem Contritorem ejuſdem, benedictum in ſecula, Amen.

QUINQUAGINTA PRÆCONIA ET VIRTVTES IVSTICIÆ PROPRIÆ EX OPERIBUS quæſitæ, Autore Apoſtolo Paulo ad Galatas.

1. Transferre à vocatione Gratiæ. Cap. 1.
2. Aliud Evangelium amplecti.
3. Perturbare fideles mentes.
4. Evangelium Chriſti invertere.
5. Anathema eſſe.
6. Humana παθῶν.
7. Hominibus placere.
8. Non eſſe Chriſti ſervum.
9. Ex hominibus eſſe, non ex revelatione.
10. Iuſticiam legis excellentiſſimam nihil eſſe.
11. Vaſtare Eccleſiam DEI.
12. Ex impoſſibili (operibus) juſtificari. Cap. 2.
13. Iuſtos in Chriſto, peccatores conſtituere.
14. Chriſtum Peccati miniſtrum facere.
15. Reædificare peccatum deſtructum.
16. Prævaricatorem fieri.
17. Abjicere gratiam Dei.
18. Chriſtum fruſtra mortuum judicare.
19. Inſenſatos Galatas fieri. Cap. 3.
20. Faſcinari.
21. Veritatem non audire.
22. Chriſtum crucifigere.
23. Spiritum operibus acceptum referre.
24. Spiritu deſerto, carne conſummari.
25. Sub maledicto eſſe.
26. Teſtamento Dei ſuperordinare & illud abjicere.
27. Peccata abundare facere.
28. Sub peccato concludi.
29. Elementis egenis ſervire. Cap. 4.
30. Evangelium fruſtra peccatum eſſe.
31. Fruſtra paſſos & operatos eſſe omnia.
32. Fieri ſervum & ancillæ filium.
33. Expelli cum ancillæ filio ab hæreditate.
34. Chriſtum non prodeſſe.
35. Debitores eſſe totius legis faciendæ. Cap. 5.
36. Evacuari à Chriſto.
37. Excidere à gratia.
38. Curſu bono virtutis impediri.
39. Perſvaſionem non eſſe ex Deo.
40. Fermentum corruptionis habere.
41. Iudicium ei fieri, qui id doceat.
42. Invicem mordere & conſumi.
43. Inter carnis opera cenſeri.
44. Putare ſe aliquid eſſe cum nihil ſit. Cap. 6.
45. Gloriari in alijs quàm in Deo.
46. Carnaliter placere carnalibus.
47. Odiſſe crucis perſecutionem.

48. Non

Digitized by Google

48. Non ſervare ipſam legem.
49. Gloriari de magiſtro carnalium.
50. Nihil prodeſſe, nec quicquam valere omnia.

ALIA ET BREVIS PRÆFATIO
D. M. L. cur denuo hanc Pauli Epiſtolam enarrandam ſuſceperit.

SUſcepimus denuo enarrare in nomine Domini Epiſtolam Pauli ad Galatas, non quia nova aut incognita tradere volumus, cum gratiâ Dei, totus Paulus nunc vobis notus ac vulgatus ſit: Sed quia, ut ſæpe moneo, periculum hoc maximum & proximum eſt, ut Diabolus, ablata pura Fidei doctrina, rurſus invehat doctrinas operum ac traditionum humanarum. Valde prodeſt igitur, ut hæc Fidei doctrina in publico & aſſiduo uſu legendi & audiendi conſervetur. Et quantumvis cognoſcatur & perdiſcatur, tamen Diabolus adverſarius noſter, ſemper obambulans & quærens nos devorare, non eſt mortuus. Item caro noſtra adhuc vivit, Denique omnes undiq; tentationibus nos urgent & premunt. Quare hæc doctrina nunquam ſatis tractari & inculcari poteſt. Ea jacente & pereunte, jacet & perit ſimul tota cognitio veritatis, Ea verò florente, florent omnia bona, religio, verus cultus, gloria Dei, certa cognitio omnium ſtatuum & rerum. Ne igitur nihil faciamus, ibi rurſus incipiemus, ubi deſieramus, juxta illud, Homo cum conſummaverit incipiet.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ
S. Pauli ad Galatas.

PRimum omnium dicendum eſt de argumento, hoc eſt, de qua re agat Paulus in hac Epiſtola. Eſt autem hoc argumentum. Paulus vult ſtabilire doctrinam illam Fidei, gratiæ, remiſſionis peccatorum, ſeu juſticiæ Chriſtianæ, ut habeamus perfectam cognitionem & differentiam inter juſtitiam Chriſtianam, & omnes alias juſticias. Eſt enim multiplex juſticia, Quædam eſt Politica, quam Cæſar, Principes mundi, Philoſophi & Iureconſulti tractant. Alia eſt Ceremonialis, quam docent traditiones humanæ, ut traditiones Papæ & ſimiles. Eam ſine periculo tradunt Patresfamilias & Pædagogi, quia non tribuunt ei vim ad ſatisfaciendum pro peccatis, ad placandum Deum, & promerendam gratiam, Sed tradunt ceremonias neceſſarias tantùm ad diſciplinam morum, & certas obſervationes. Præter has eſt alia quædam juſticia Legalis ſeu Decalogi, quam Moſes docet. Hanc & nos docemus poſt doctrinam fidei.

Summa hujus Epiſtolæ de juſticia Chriſtiana.

Juſticia multiplex.
Politica.
Ceremonialis.

Legalis.

Vltra & ſupra has omnes, eſt fidei ſeu Chriſtiana juſticia, quæ diligentiſſimè diſcernenda eſt ab illis ſuperioribus. Sunt enim ſuperiores huic prorſus contrariæ, Tum quod fluunt ex legibus Cæſarum, traditionibus Papæ & præcepris Dei, tum quod verſantur in noſtris operibus & à nobis fieri poſſunt, ſive ex puris naturalibus (ut Sophiſtæ loquuntur) ſive etiam ex dono Dei (Sunt enim & hæ juſticiæ operum dona Dei, ut alia bona quæ habemus.) Iſta autem excellentiſſima juſticia, nempe fidei, quam Deus per Chriſtum nobis abſq; operibus imputat, nec eſt Politica, nec Ceremonialis, nec legis Divinæ juſticia, nec verſatur in noſtris operibus, Sed eſt planè diverſa, hoc eſt, merè paſſiva juſticia (ſicut illæ ſuperiores activæ.) Ibi enim nihil operamur aut reddimus Deo, ſed tantum recipimus, & patimur alium operantem in nobis, ſcilicet Deum. Ideo libet illam fidei, ſeu Chriſtianam juſticiam, appellare paſſivam juſtitiam. Hæcq; eſt juſticia in myſterio abſcondita, quam mundus non intel-

Chriſtiana ſeu fidei.

Chriſtiana juſtitia merè paſſiva.

ligit, Imo Christiani non satis eam tenent, & difficulter in tentationibus apprehendunt. Ideo semper est inculcanda & assiduo usu exercenda. Et qui eam in afflictionibus & terroribus conscientiæ non tenet aut apprehendit, non potest consistere. Nulla enim alia tam est firma ac certa consolatio Conscientiarum, quàm illa passiva justicia.

Infirmitas humana.

Sed ejusmodi est humana imbecillitas & miseria, quod in pavoribus Conscientiæ & in periculo Mortis, nihil aliud spectamus, quàm nostra opera, nostram dignitatem & Legem, Quæ cum ostendit nobis peccatum nostrum, statim in mentem venit male transacta vita. Ibi tum magno animi dolore ingemiscit peccator, cogitans secum, Ah quam perdite vixi, Vtinam liceret diutius vivere, tum velim emendare vitam meam &c. Nec potest ratio humana (Ita hoc malum est nobis insitum, illamq; infelicem ἕξιν comparavimus) ex hoc spectro justiciæ activæ seu propriæ evolvere, & attollere sese ad conspectum justiciæ passivæ seu Christianæ, sed simpliciter hæret in activa. Atq; istas cogitationes, abutens naturæ infirmitate, auget & urget Satan. Tum aliter fieri non potest, quin magis trepidet, confundatur, & perterrefiat conscientia. Impossibile enim est, ut mens humana ex sese concipiat consolationem, & spectet solam Gratiam, in sensu ac terrore peccati, aut ut constanter rejiciat disputationem operum, &c. Hoc enim situm est extra vires, cogitationes ac captum hominum, adeoq; etiam extra legem Dei. Ea quidem est summum omnium, quæ sunt in mundo. Tamen tantum abest, ut conscientiam conterritam possit pacatam reddere, ut etiam plus contristet ac in desperationem adigat. Per Legem enim peccatum fit excellenter peccatum, Rom. 7. *Rom. 7.*

Remedium extra mortem æternam.

Quare nullum remedium habet afflicta Conscientia, contra desperationem & mortem æternam, nisi apprehendat promissionem gratiæ oblatæ in Christo, hoc est, hanc fidei passivam seu Christianam justiciam, qua apprehensa potest conscientia acquiescere, & cum fiducia dicere, Ego non quæro justiciam activam, deberem quidem habere & facere eam, Et esto sane, quod eam haberem & facerem, tamen in eam non possum confidere, neq; eam opponere judicio Dei. Itaq; rejicio me extra omnem activam & meam & Divinæ legis justiciam, & simpliciter illam passivam amplector, quæ est justicia gratiæ, misericordiæ, remissionis peccatorum, In summa, Christi & Spiritus sancti, quam non facimus, sed patimur, non habemus, sed accipimus, donante eam nobis Deo Patre per Iesum Christum.

Passiva justitia nostra.

Terræ similitudo.

Sicut ipsa terra pluviam non gignit, nec ullo suo opere, cultu aut viribus acquirere potest, sed tantum cœlesti dono desuper recipit: Ita sine nostro opere & merito, donatur nobis divinitus ista cœlestis justicia. Quantum igitur arida terra ex se efficere potest, ad comparandam sibi largam & felicissimam pluviam, Tantum etiam nos homines nostris viribus & operibus efficere possumus, ad comparandam nobis illam divinam, cœlestem & æternam justiciam, nisi per gratuitam imputationem, & per inenarrabile donum Dei, illam consequamur. Summa igitur ars & sapientia Christianorum est, nescire Legem, ignorare opera, & totam justiciam activam, præsertim cum Conscientia luctatur cum judicio Dei, Sicut extra populum Dei summa sapientia est, nosse, inspicere & urgere legem, opera & activam justiciam.

Christianorum scientia.

Christiani liberi à lege, sunt sub gratia.

Mira autem res est & Mundo inaudita, docere Christianos, ut discant ignorare Legem, utq; sic vivant coram Deo, quasi penitus nulla Lex sit. Nisi enim ignoraveris Legem, & in corde tuo certo statueris nullam esse legem & iram Dei, sed meram Gratiam & misericordiam propter Christum, non potes salvus fieri. Per legem enim cognitio peccati &c. E contra in mundo sic urgeri Lex & opera debent, quasi prorsus nulla sit promissio aut Gratia. Et hoc propter præfractos, superbos & induratos, quibus nihil aliud ob oculos ponen-

Lex apud quos urgenda.

dum

dum eſt, quàm Lex, ut terreantur & humilientur. Eſt enim data Lex, ut tales perterrefaciat & occidat, urq; veterem hominem exerceat. Vtrumq; verbum
1. Tim. 1. Gratiæ & iræ recte ſecari debet, juxta Apoſtolum 2. Timoth. 2.

Hic igitur prudens & fidelis Oeconomus Dei requiritur, qui ſic Legem moderetur, ut intra ſuos limites maneat. Qui docet homines per Legem juſtificari coram Deo, is excedit limites Legis, & confundit has duas juſticias, activam & paſſivam, eſtque malus dialecticus, quia non recte dividit. Econtra, qui Legem & opera veteri homini, Promiſſionem autem & Gratiam novo proponit, recte dividit. Caro enim ſeu vetus homo, Lex & opera conjungenda ſunt, Sic etiam ſpiritus ſeu novus homo, Promiſſio & gratia. Quare cum video hominem ſatis contritum, premi Lege, terreri peccato & ſitire conſolationem, ibi tempus eſt, ut removeam illi ex oculis Legem & juſticiam activam, & proponam per Evangelium paſſivam, quæ excluſo Moſe cum ſua Lege exhibet promiſſionem de Chriſto, qui propter afflictos & peccatores venerit. Ibi tum homo erigitur & ſpem concipit, nec amplius eſt ſub Lege, ſed ſub gratia, ut ait Apoſtolus, Iam non eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia, Quomodo non ſub Lege? Secundum novum hominem, ad quem Lex nihil pertinet, Habet enim ſuos limites uſq; ad Chriſtum, ut Paulus infra dicit, Lex uſq; ad Chriſtum. Quo veniente ceſſat Moſes cum Lege, Circumciſione, ſacrificijs, ſabbato, ceſſant & omnes Prophetæ.

Iuſticia activa & paſſiva diſcernenda, & hæc terrùm, illa ſecum prædicanda.

Hæc eſt noſtra Theologia, qua docemus diſerte diſtinguere has duas juſticias, activam & paſſivam, ne confundantur mores & Fides, opera & gratia, politia & religio. Eſt autem utraq; neceſſaria, ſed quælibet intra ſuos fines contineri debet. Iuſticia Chriſtiana pertinet ad novum hominem, Iuſticia vero legis ad veterem. Qui natus eſt ex carne & ſangvine, huic tanquam aſino debet imponi ſarcina, qua prematur, Neq; debet frui libertate ſpiritus vel Gratiæ, niſi novum hominem induerit, per fidem in Chriſtum (quod plene non fit in hac vita) tunc fruatur regno & dono ineffabilis gratiæ. Hæc ideo dico, ne quis putet nos bona opera rejicere aut prohibere, ut papiſtæ nos falſo accuſant, non intelligentes, neq; quid ipſi loquantur, neq; quid nos doceamus. Nihil noverunt, niſi ſolam juſticiam Legis, Et tamen volunt judicare de doctrina, quæ poſita eſt longe ſupra & ultra Legem, de qua impoſſibile eſt hominem carnalem poſſe judicare, Ideo neceſſe eſt eos offendi, quia altius videre non poſſunt, quam in Legem, Quidquid igitur eſt ſupra Legem, eſt eis maximum ſcandalum.

Theologia vera. Diſcernere activam à paſſiva juſticia.

Occupatio de bonis operibus.

Nos vero quaſi duos mundos conſtituimus, unum cœleſtem, alterum terrenum, In illos collocamus has duas juſticias diſiunctas & inter ſe maxime diſtantes. Iuſticia legis eſt terrena, de terrenis agit, Per hanc facimus bona opera. Sed ſicut terra non profert fructus, niſi prius irrigata & fœcundata è cœlo (Terra enim non poteſt judicare, renovare, & regere cœlum, Sed è contra cœlum judicat, renovat, regit & fœcundat terram, ut faciat quod Dominus juſſit) Ita per juſticiam Legis, multa faciendo nihil facimus, & implendo Legem non implemus, niſi prius ſine noſtro opere & merito juſtificati ſimus per juſticiam Chriſtianam, quæ prorſus nihil pertinet ad juſticiam Legis ſeu ad juſticiam terrenam & activam. Iſta autem eſt juſticia cœleſtis & paſſiva, quam non habemus, ſed è cœlo accipimus, non facimus, ſed fide apprehendimus, Per quam aſcendimus ſupra omnes leges & opera. Sicut igitur portavimus, ut Paulus ait, imaginem terreni Adam, Ita portemus & imaginem cœleſtis, qui eſt novus homo in novo mundo, ubi nulla eſt Lex, peccatum, conſcientia, mors, ſed liberrima lætitia, juſticia, gratia, pax, vita, ſalus & gloria.

Iuſticia legis terrena & activa.

Iuſticia fidei cœleſtis & paſſiva.

Nihil ergo facimus nos, nihil operamur ad hanc juſticiam conſequendam? Reſpondeo, Nihil. Quia hæc juſticia eſt prorſus nihil facere, nihil audire,

Nihil hâc juſticiam conſequi.

Digitized by Google

mur, non operandum.

nihil ſcire de Lege aut de operibus, ſed hoc ſolum ſcire & credere, quod Chriſtus tranſierit ad Patrem, & jam non videtur, Quod ſedeat, in cœlis ad dexteram Patris, non Iudex, ſed factus nobis à Deo Sapientia, juſticia, ſanctificatio & redemptio. In ſumma. Quod ſit noſter Pontifex, intercedens pro nobis, & regnans ſuper nos & in nobis, per gratiam, Ibi nullum peccatum cernitur, nullus terror, nullus remorſus conſcientiæ ſentitur. In hanc juſticiam cœleſtem non poteſt cadere peccatum, nam ibi nulla eſt Lex, Vbi autem nulla eſt lex, ibi nec prævaricatio. Cum ergo hic peccatum non habeat locum, certe nulla eſt Conſcientia, nullus pauor, nulla triſtitia. Hinc ait Iohannes, Qui natus eſt ex Deo, non poteſt peccare. Si autem adeſt Conſcientiæ pauor, ſignum eſt juſtitiam hanc oblatam, Gratiam amiſſam eſſe è conſpectu, & Chriſtum obſcuratum non videri. Sed ubi verè videtur Chriſtus, ibi neceſſe eſt gaudium plenum & perfectum in Domino adeſſe, & pacem Conſcientiæ, quæ certo ſic ſtatuit, Licet ſim peccator legalis, in juſticia legali, tamen ideo non deſpero, ideo non morior. Quia Chriſtus vivit, qui eſt juſticia & vita mea æterna & cœleſtis. In illa juſticia & vita nullum habeo peccatum, Conſcientiam & mortem. Sum quidem peccator ſecundum præſentem vitam & eius juſticiam, ut filius Adæ, ubi accuſat me Lex, regnat Mors, & tandem devorabit me, Sed ſupra hanc vitam, habeo aliam juſticiam, aliam vitam, quæ eſt Chriſtus, filius Dei, qui neſcit Peccatum & mortem, ſed eſt juſticia & vita æterna, Propter quem etiam hoc corpus meum mortuum & in cinerem redactum reſuſcitabitur & liberabitur à ſervitute Legis & peccati, ſimulq; cum Spiritu ſanctificabitur.

Effectus hulus juſticiæ.

Iohan. 3.

Ita utrumq; manet dum hic vivimus, Caro accuſatur, exercetur tentationibus, contriſtatur, & conteritur juſticia activa legis. Sed ſpiritus regnat, lætatur & ſalvatur paſſiva juſticia, Quia ſcit ſe habere Dominum, ſedentem in cœlis ad dexteram Patris, qui abolevit Legem, peccatum, mortem, & omnia mala conculcavit, captiva duxit, & triumphavit de eis in ſemetipſo, Coloſſ. 2. Agit itaq; Paulus in hac Epiſtola, ut nos diligenter inſtituat, confortet, & retineat in cognitione perfecta huius excellentiſſimæ & Chriſtianæ juſticiæ. Siquidem amiſſo articulo Iuſtificationis, amiſſa eſt ſimul tota doctrina Chriſtiana. Et quotquot ſunt in mundo, qui eam non tenent, ſunt vel Iudæi, vel Turcæ, vel Papiſtæ, vel Hæretici, Quia inter has tuas juſticias, activam Legis, & paſſivam Chriſti, non eſt medium. Qui ergo aberraverit à juſticia Chriſtiana, hunc oportet in activam relabi, hoc eſt, oportet eum amiſſo Chriſto, ruere in fiduciam operum.

Inſtitutum Pauli in hac Epiſtola.

Coloſſ. 2.

Amiſſo articulo juſtificationis amiſſa eſt tota doctrina Chriſtiana.

Hærentes in juſticia Legis juſticiam fidei nec intelligunt, nec docere poſſunt.

Hoc videmus hodie in fanaticis ſpiritibus, Sectarum autoribus, qui nihil docent, nec recte poſſunt docere de hac juſticia Gratiæ. Verba quidem ex ore & ſcriptis noſtris hauſerunt, ideo verba tantum loquuntur & ſcribunt. Rem verò ipſam tradere, urgere & acuere non poſſunt, Quia non intelligunt, nec intelligere poſſunt, quia tantum hærent in juſticia Legis. Sunt igitur & manent exactores operum, non potentes aſcendere ultra illam activam juſtitiam. Itaq; manent ijdem, qui fuerunt ſub Papa, niſi quod nova nomina & opera nova faciunt, res tamen manet eadem. Vt Turcæ faciunt alia opera, quàm Papiſtæ, Papiſtæ faciunt alia opera, quàm Iudæi &c, Sed ut maxime alii faciant aliis ſpecioſiora, majora, difficiliora opera, tamen eadem eſt ſubſtantia, qualitas tantum eſt alia, Hoc eſt, ſpecie & nomine tantum variant opera, revera tamen opera ſunt, Et qui ea faciunt, non Chriſtiani, ſed operarij ſunt & manent, ſive vocentur Iudæi, Mahometiſtæ, Papiſtæ, Anabaptiſtæ &c.

Fidei ſeu Chriſtiana juſticia ſublata, ſunt homines inſipi-

Ideo nos ſic ſemper repetimus, urgemus & inculcamus hunc locum de Fide ſeu Chriſtiana juſticia, ut in aſſiduo uſu ſervetur, & diſerte diſcernatur ab activa juſticia Legis. Alioqui non poterimus ſervare veram Theologiam (Ex illa

illa enim & in illa ſola doctrina ſit & conſiſtit Eccleſia) ſed ſimus ſtatim Iuriſtæ, Ceremoniarij, Legiſtæ, Papiſtæ, Chriſtus obſcuratur, & nemo poteſt in Eccleſia recte doceri & erigi. Itaque ſi volumus eſſe prædicatores & doctores aliorum, oportet nos habere maximam curam harum rerum, & probe tenere hanc diſtinctionem juſtitiæ Legis & Chriſti. Eſt quidem dictu facilis, ſed experientia & uſu eſt omnium difficillima, etiamſi diligentiſſime eam acuas & exerceas, Quia in hora mortis, vel alijs agonibus conſcientiæ, propius concurrunt hæ duæ juſticiæ, quam tu optes aut velis.

ceremoniarij. &c.

Diſtinguere juſticiam Legis à juſticia Evangelij, uſu difficillimum eſt.

Admoneo igitur vos, præſertim qui futuri eſtis Magiſtri conſcientiarum, & unumquenq; ſeorſim, ut exerceatis vos, ſtudendo, legendo, meditando & orando, ut in tentatione poſſitis conſcientias & veſtras & aliorum erudire & conſolari, & reducere à Lege ad Gratiam, ab Activa juſticia ad Paſſivam, In ſumma, à Moſe ad Chriſtum. Solet enim Diabolus in afflictione & pugna conſcientiæ per Legem terrere nos, & opponere Conſcientiam peccati, vitam noſtram peſſime tranſactam, iram & judicium Dei, infernum, & æternam mortem, ut ſic nos in deſperationem adigat, nos ſibi ſubjiciat, & à Chriſto abſtrahat. Solet deniq; opponere locos ex Evangelio, quibus Chriſtus ipſe exigit à nobis opera, & comminatur manifeſtis verbis interitum ijs, qui ea non fecerunt. Si hic ignoraverimus diſcernere inter has duas juſticias, ſi hic fide non apprehenderimus Chriſtum, ſedentem ad dexteram Dei, qui eſt vita & juſticia noſtra, qui etiam interpellat pro nobis miſeris peccatoribus apud Patrem, tum ſumus ſub Lege, non ſub Gratia, & Chriſtus non amplius Salvator, ſed Legislator eſt. Ibi nulla ſalus poteſt eſſe reliqua, ſed certa deſperatio & mors æterna ſequetur.

Admonitio ad hanc doctrinam fideliter diſcendam.

Diſcamus igitur diligentiſſime hanc artem diſtingvendi inter has duas juſticias, ut ſciamus quatenus legi parere debeamus. Diximus autem ſupra, quod Lex in Chriſtiano non debeat excedere limites ſuos, ſed tantùm habere dominium in carnem, quæ & ei ſubjecta ſit, & ſub ea maneat, Hoc ubi fit, conſiſtit Lex intra limites ſuos. Si vero vult occupare Conſcientiam, & hic dominari, vide ut tum ſis bonus Dialecticus, recte dividas, & Legi non plus tribuas, quam ei tribuendum eſt, Sed dicas, Lex tu vis aſcendere in regnum Conſcientiæ, & ibi dominari, & eam arguere peccati, & gaudium cordis tollere, quod habeo ex Fide in Chriſtum, & me in deſperationem adigere, ut deſperem & peream. Hoc præter officium tuum facis, Conſiſte intra limites tuos, & exerce dominium in carnem. Conſcientiam autem ne attingas mihi. Sum enim baptiſatus, & per Evangelium vocatus, ad communionem juſticiæ & vitæ æternæ, ad regnum Chriſti, in quo acquieſcit conſcientia mea, ubi nulla Lex eſt, ſed mera remiſſio peccatorum, pax, quies, lætitia, ſalus & vita æterna. Iſta ne interturbes mihi, Non enim feram te tyrannum durum & crudelem exactorem in conſcientia mea regnare. Siquidem ea eſt ſedes & templum Chriſti filij Dei, qui eſt Rex juſticiæ & pacis, ac dulciſſimus Salvator & mediator meus, is conſervabit conſcientiam lætam, & pacatam in ſana & pura doctrina Evangelij, & cognitione iſtius paſſivæ juſticiæ.

Quantum Legi tribuat in Chriſtianos.

Conſcientia fidei ſedes & templum Chriſti.

Hanc cum intus habeo, deſcendo de cœlo, tanquam pluvia fœcundans terram, Hoc eſt, prodeo foras in aliud Regnum, & facio bona opera, quæcunque mihi occurrunt. Si ſum miniſter Verbi, prædico, conſolor puſillanimes, adminiſtro Sacramenta. Si paterfamilias, rego domum, familiam, educo liberos ad pietatem & honeſtatem. Si Magiſtratus, officium divinitus mihi mandatum facio. Si ſervus, fideliter rem domini curo. Summa, Quicunq; certo novit Chriſtum eſſe juſticiam ſuam, Is non ſolum ex animo & cum gaudio bene operatur in vocatione ſua, Sed ſubjicit ſe quoq; per charitatem Magiſtratibus, etiam impijs legibus eorum, & omnibus præſentis vitæ, ſi res ita poſtulet,

Fructus fidei.

oneribus

oneribus atq; periculis. Quia ſcit Deum hoc velle, & ei placere hanc obedientiam.

Hactenus de argumento Epiſtolæ, quod ſumit Paulus tractandum occaſione accepta à falſis doctoribus, qui iſtam juſticiam Fidei obſcuraverant Galatis, contra quos commendat ſuam autoritatem & officium.

CAPVT I.

Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neq; per hominem, Sed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis.

Occaſio ſcribendæ Epiſtolæ ad Galatas.

Diabolus odit Evangelii, & incitat impios contra illud.

NVnc argumento tradito, & oſtenſa ſumma huius Epiſtolæ ad Galatas, præmittemus, antequam ad rem ipſam veniamus, quæ occaſio fuerit Paulo ſcribendæ huius Epiſtolæ. Ipſe plantaverat puram doctrinam Evangelii & juſticiam fidei apud Galatas, Sed ſtatim poſt diſceſſum ſuum, ſubintraverunt falſi Doctores, qui omnia, quæ plantaverat, & bene docuerat, ſubverterunt. Nam Diabolus non poteſt non vehementer iſtam Doctrinam impugnare vi & dolis, neq; quieſcit, donec eam opprimat, aut per Tyrannos, aut certe per fanaticos ſpiritus depravet, ac tandem pro ea, ſub ſpecie tamen pietatis, impiam hominibus ſecuris & ſtertentibus obtrudat. Et propter hanc unicam cauſam, quod doctrinam Evangelii pure tradimus, habemus hodie Diabolum infenſum, qui contra nos ſævitiam Mundi & hæreticorum acerbiſſimum odium excitat.

Evangelij doctrina.

Eſt autem Evangelium talis doctrina, quæ quiddam ſublimius docet, quàm eſt mundi ſapientia, juſticia, religio &c. nempe remiſſionem peccatorum gratuitam per Chriſtum &c. Relinquit quidem illa in ſuo gradu eſſe quod ſunt, & ut bonas Dei creaturas commendat. Sed mundus anteponit has creaturas Creatori, deniq; per eas vult abolere Peccata, liberari à morte, & mereri vitam æternam. Hoc damnat Evangelium. Contra, Mundus non poteſt ferre optima ſua damnari, Ideo impingit hanc notam Evangelio, quod ſit ſeditioſa & erronea doctrina, quæ ſubvertat Reſpub. regiones, principatus, regna & imperia, ideoq; peccet contra Deum & Cæſarem, abroget leges, depravet bonos mores, & concedat cuivis licentiam faciendi impunè quæ velit. Igitur juſtiſſimo zelo & in ſpeciem ſummo obſequio Dei perſequitur mundus hanc doctrinam, eiusq; Doctores & ſectatores abominatur, tanquam peſtem, qua nocentior non poſſit eſſe in terris.

Quid mundus de Evangelio ſentiat.

Effectus Evangelij.

Deinde per Evangelii doctrinam conculcatur quoq; Diabolus, deſtruitur eius Regnum, eripitur ei Lex, peccatum & mors (quibus ceu potentiſſimis & invictiſſimis Tyrannis, univerſum genus humanum ſuo imperio ſubjugavit) Deniq; transferuntur ſui captivi è Regno tenebrarum & ſervitutis, in Regnum lucis & libertatis. Num hoc ferret Diabolus? Num hic pater mendacii non uteretur omnibus viribus & artibus ad obſcurandam, depravandam & penitus extirpandam hanc ſalutis & vitæ æternæ doctrinam? Certe Paulus conqueritur in hac, & omnibus aliis Epiſtolis ſuis Satanam hoc egregie feciſſe, per ſuos Apoſtolos, ſe adhuc vivente.

Hæretici plus nocere Evangelio, quam Tyranni.

Idem & nos hodie conquerimur & deploramus, Quod Satan plus nocuerit noſtro Evangelio, per ſuos miniſtros, ſpiritus illos phanaticos, quam per omnes Reges, Principes & Epiſcopos, qui illud vi perſecuti ſunt, & adhuc perſequuntur. Et niſi tam ſedulo & diligenter hic VVittembergæ vigilaſſemus, & laboraſſemus in plantanda & docenda hac fidei doctrina, tam diu non manſiſſemus concordes, ſed jamdudum inter nos quoq; exortæ fuiſſent ſectæ.

Quia

Quia vero conſtanter manemus in hac doctrina, & perpetuo urgetur à nobis, conſervat nos in ſumma unitate & pace. Alij, qui vel eam negligunt, vel, ut ipſi putant, aliquid ſublimius docere volunt, ruunt in varios ac pernicioſos errores & ſectas, quarum nullus eſt finis, & pereunt. Voluimus hic obiter indicare, Evangelium eſſe talem doctrinam, quæ damnet omnem juſticiam, & ſolam Chriſti prædicet, & ijs, qui eam amplectuntur, afferat pacem Conſcientiæ & omnia bona, & tamen mundum eam acerbiſſime odiſſe & perſequi &c.

Dixi, Paulo eam occaſionem fuiſſe ſcribendæ hujus Epiſtolæ, quod falſi doctores citò poſt ejus diſceſſum deſtruxerint apud Galatas, quæ ipſe multo labore & longo tempore ædificaverat. Fuerunt autem falſi Doctores ſeu Pſeudoapoſtoli viri magnæ autoritatis, ex circumciſione & phariſaiſmo, qui jactaverunt apud populum, ſe eſſe de ſancta & electa gente Iudæorum, ſe eſſe Iſraëlitas, ex ſemine Abrahæ, ſe habere promiſſiones, Patres &c. Deniq; ſe eſſe miniſtros Chriſti, & diſcipulos Apoſtolorum, cum quibus converſati fuiſſent, & ſigna eorum vidiſſent. Forte & ipſi ſigna fecerant. Nam Chriſtus Matth. 7. teſtatur, impios quoq; ſigna facere. Deinde extenuaverunt etiam, quibus artibus potuerunt, autoritatem Pauli, dicentes, Cur Paulum tantopere extollitis & reveremini? Certe noviſſimus omnium converſus eſt ad Chriſtum. Nos ſumus diſcipuli & familiares Apoſtolorum, Vidimus Chriſtum ædentem miracula, & eum prædicantem audivimus, Paulus recentior eſt & minor nobis, Nec poſſibile eſt, quod Deus ſinat errare nos, qui ſumus de ſancto populo, miniſtri Chriſti, & accepimus Spiritum ſanctum. Deinde plures ſumus, Paulus ſolus eſt, qui nec cum Apoſtolis converſatus eſt, nec Chriſtum vidit, imo diu perſecutus eſt Eccleſiam Chriſti. Num propter unum Paulum Deus relinqueret tot Eccleſias errare?

Autorit. Pſeudoapoſtolorum.

Quæ arte Pſeudoapoſt. extenuaverint autoritatem Pauli.

Vbi viri tanta autoritate præditi in urbem aut regionem aliquam veniunt, ſtatim in admiratione ſunt, & illa ſpecie pietatis, non ſolum ſimplicibus, ſed etiam doctis & aliquantum in fide firmatis imponunt, Præſertim cum jactant, ut illi, originem Patriarcharum. Item, ſe eſſe miniſtros Chriſti & Apoſtolorum diſcipulos &c. Sic hodie Papa, cum nullam ſcripturam habeat, qua ſe defendere poſſit, hoc unico & perpetuo Argumento contra nos utitur, Eccleſia, Eccleſia. Putas, quod Deus tam iratus ſit, ut propter paucos hæreticos Lutheranos totam Eccleſiam ſuam rejiciat? Putas quod tot ſeculis relinquat Eccleſiam ſuam errare? Hoc maxime urget, quod Eccleſia everti non poſſit. Vt autem hodie plures moventur iſto argumento, Ita tempore Pauli mira prædicatione laudum ſuarum occupaverunt Pſeudoapoſtoli animos Galatarum, ut apud eos Paulus amitteret autoritatem, & ejus doctrina ſuſpecta redderetur.

Pſeudoapoſt. autoritas multùm imponit.

Argumentum Papiſtarum contra nos.

Contra hanc vanam jactantiam & gloriam Pſeudoapoſtolorum, Paulus ſuam autoritatem Apoſtolicam conſtanter & magna παῤῥησία opponit, & admodum magnifice commendat ſuam vocationem, defenditq; ſuum miniſterium, Et, quod nuſquam alias facit, nemini vult cedere, ne Apoſtolis quidem, multo minus ipſorum diſcipulis. Et ad frangendum illorum faſtum phariſaicum, & duram frontem, recitat hiſtoriam in Antiochia factam, ubi ipſi Petro obſtiterat. Præterea nihil moratus ingens ſcandalum, clarè dicit in textu, quod auſus ſit accuſare & objurgare ipſum Petrum, Principem Apoſtolorum, qui Chriſtum viderat, & cum eo familiariſſime converſatus fuerat. Apoſtolus ſum, inquit, & talis, qui non curat, quid alij ſint, & ita, ut etiam ipſam columnam aliorum Apoſtolorum non ſim veritus objurgare.

Quanta conſtantia Paulus defendat ſuam vocationem & autoritatem contra Pſeudoapoſt.

Et in ſumma, in prioribus duobus Cap. fere nihil aliud agit, quam quod commendet ſuam vocationem, miniſterium & ſuum Evangelium, quod non ſit humanum, neq; illud ab homine acceperit, ſed per revelationem Ieſu Chriſti.

Summa priorum duorum Cap.

Item,

Digitized by Google

Item, si ipse aut etiam Angelus è cœlo aliud Evangelium prædicet, præter id, quod prædicaverit, Anathema sit.

CERTITUDO VOCATIONIS.

Sed quid agit Paulus hac sua jactantia? Respondeo. Iste locus communis ad hoc valet, ut unusquisq; minister verbi Dei, certus sit de sua vocatione, ut coram Deo & hominibus cum fiducia gloriari possit, se prædicare Evangelium, ut is, qui vocatus & missus sit. Quemadmodum Legatus Regis in hoc gloriatur & superbit, quòd non ut privata persona venit, sed ut Legatus Regis. Et propter hanc dignitatem, quod est Legatus Regis, defertur ei honos, ut præcedat & superiorem locum obtineat, quod ei non contingeret, si ut privata persona adesset. Quare certus sit prædicator Evangelij, se habere vocationem divinam. Et expedit, ut hanc suam vocationem, exemplo Pauli, magnificet & glorificet coram populo, ut apud auditores sibi autoritatem vendicet, quemadmodum Legatus regius glorificat suam legationem. Quod non est vanè gloriari, sed necessaria gloriatio, Quia non de se, sed de Rege, qui eum misit, gloriatur, cuius autoritatem cupit esse colendam ac sacrosanctam, Et cum aliquid nomine Regis vult fieri à subditis, non dicit, Nos rogamus, Sed, Nos mandamus, Nos volumus hoc fieri &c. Pro privata autem persona dicit, Rogamus &c. Rom. 11.

Legatus Regis.

Sic etiam, quando Paulus magnificè extollit suam Vocationem, non arroganter extollit sese, ut pleriq; putant, Sed necessariâ ac sancta superbiâ glorificat suum ministerium. Vt ad Rom. 11. Quam diu sum gentium Apostolus, inquit, ministerium meum glorificabo, hoc est, volo ut recipiant me homines, non ut Paulum Tharsensem, sed ut Paulum Legatum seu Apostolum Iesu Christi. Hocq; necessario facit, ad conciliandam sibi autoritatem, ut auditores hoc audientes, attenti, benevoli ac dociles reddantur. Audiunt enim non simplicem Paulum, sed in Paulo ipsum Christum, & Deum Patrem legantem, Cuius autoritatem & majestatem, ut homines sanctè venerari, ita cum summa reverentia suscipere & audire eius quoque Legatos debent, adferentes verbum ipsius. Rom. 11.

Gloriatio Pauli de vocatione sancta & necessaria fuit.

Est ergo insignis iste locus cum Paulus sic superbit & gloriatur de sua vocatione, ut cæteros omnes contemnat. Si quis humano more omnes præ se alios ita contemneret & sibi omnia arrogaret, insigniter ineptiret, & præterea etiam graviter peccaret. Sed hic est necessaria ista gloriatio, pertinens non ad gloriam Pauli, seu nostram, sed Dei, cui per eam offertur Sacrificium laudis & gratitudinis. Per hanc enim gloriationem innotescit nomen seu gratia & misericordia Dei mundo. Sic ergo orditur Epistolam ad Galatas.

Paulus Apostolus, non ab hominibus &c.

INITIO statim perstringit falsos illos Doctores, qui jactabant se discipulos Apostolorum, & ab ipsis missos esse, Paulum verò contemnebant, ut qui neq; discipulus Apostolorum, neq; ab ullo missus fuisset ad prædicandum Evangelium, sed aliunde venisset, & suo consilio seipsum intrusisset ad hoc ministerium. Contra hos defendit suam vocationem Paulus, dicens: Mea vocatio vestris prædicatoribus contemptibilis videtur, Sed quicunq; tandem sunt, qui ad vos venerunt, vel ab hominibus, vel per hominem missi sunt. Hoc est, vel à seipsis non vocati, aut per alios vocati, venerunt. Mea autem vocatio, neq; ab hominib. neq; per hominẽ est, Sed est supra omnem vocationem, quæ potest fieri post Apostolos, Est enim per Iesum Christum & Deum Patrem &c.

Defendit suam vocationẽ Paulus contra Pseudoapostolos.

Ab hominibus intelligo, qui seipsos vocant & ingerunt, nec Deo nec homine vocante aut mittente, sed ex seipsis currunt & loquuntur. Vt hodie

Ab hominibus.

phana-

Digitized by Google

phanatici Spiritus, qui vel per angulos reptant, & quærunt loca, ubi venena ſua effundant, publicas Eccleſias non intrant. Vel huc veniunt, ubi Euangelium prius plantatum eſt, Hos ego voco ab hominibus. Per hominem autem, qui habent divinam vocationem, ſed per hominem. Eſt itaq; divina vocatio duplex. Altera mediata, Altera immediata. Deus vocat nos hodie omnes ad miniſterium verbi, vocatione mediatâ, hoc eſt, vocatione quæ fit per medium, id eſt, per hominem. Apoſtoli verò immediatè vocati ſunt, ab ipſo Chriſto, Sicut Prophetæ in veteri Teſtamento ab ipſo Deo. Apoſtoli poſtea vocaverunt ſuos diſcipulos, ut Paulus Timotheum, Titum &c. Qui deinde Epiſcopos, ut Tit. 1. Epiſcopi ſuos ſucceſſores vocaverunt, Ea vocatio duravit uſque ad noſtra tempora, & durabit uſq; ad finem mundi, Eſtq; mediata, quia per hominem fit, & tamen divina eſt.

Per hominem. Vocatio duplex. Vocatio immediata.

Tit. 1.

Mediata.

Sic quando Princeps aut Magiſtratus, vel ego aliquem vocamus, Is vocationem habet per hominem. Et hæc eſt generalis poſt Apoſtolos vocatio in orbe terrarum, Neq; eſt mutanda, ſed magnifacienda, propter fanaticos homines, qui eam contemnunt, & jactant aliam meliorem, qua à Spiritu ſe impelli dicunt ad docendum. Sed mentiuntur impoſtores, Impelluntur quidem à Spiritu non bono, ſed maligno. Mihi non licet ire extra hanc ſortem meam, in aliam Civitatem, ubi non ſum vocatus Verbi miniſter, & ibi prædicare, quatenus ſum prædicator (Quatenus ſum doctor, poſſem in toto Papatu prædicare, modò me tolerarent) etiamſi audiam falſa doceri, ſeduci & damnari animas, & ego eas eripere poſſem ex errore & damnatione, mea ſana doctrina. Sed rem Deo committere debeo, qui ſuo tempore inveniet occaſionem legitimè vocandi miniſtros, & dandi Verbum. Ipſe enim eſt Dominus meſſis, qui & operarios in meſſem ſuam mittet, noſtrum eſt orare, Matth. 9.

Generalis nunc vocatio.

Rite vocatus ſines doceat, in alienam vocationem non irrumpat.

Matth. 9.

Quare non eſt irruendum in alienam meſſem, ut Diabolus incitare ſolet ſuos miniſtros, ut non vocati currant, & prætexant zelum hunc ardentiſsimum, Dolere ſibi, quòd homines tam miſerè ſeducantur, ſe veritatem velle docere, & ſeductos è Diaboli laqueis eripere. Imo ſi aliquis etiam pio zelo & bonâ intentione velit ſana doctrina liberare ſeductos ex errore, tamen exemplum malum oritur, per quod datur occaſio impiis Doctoribus intrudendi ſeſe, per quos Satan poſtea occupat cathedram, & maximè nocet.

Qua aſtutia Satana miniſtri ingerant ſe ad docendum &c.

Cum autem Princeps ſeu alius Magiſtratus me vocat, tum certo & cum fiducia gloriari poſſum contra Diabolum, & hoſtes Euangelii, quod mandante Deo, per vocem hominis, vocatus ſim. Eſt enim ibi mandatum Dei, per os Principis, quod me certum reddit, vocationem meam eſſe veram & divinam. Sumus igitur & nos divina autoritate vocati, non quidem immediate à Chriſto, ut Apoſtoli, ſed per hominem.

Vocatio noſtra divina.

Valde autem neceſſarius eſt hic locus, de certitudine Vocationis, contra peſtilentes & Satanicos iſtos ſpiritus, qui præter modum ſpiritum & cœleſtem vocationem jactant, & hoc fuco multos decipiunt, & tamen impudentiſſimè mentiuntur. Ideò expedit nos certos eſſe de vocatione, ut unusquisq; poſſit gloriari cum Iohanne Baptiſta, Factum eſt verbum Domini ſuper me. Quod igitur doceo Verbum, baptiſo, adminiſtro Sacramenta, juſſus ac vocatus facio, Quia vox Dei facta eſt ſuper me, non in angulo, ut fanatici jactant, ſed per os hominis, qui eſt in functione legitima. Si verò unus atque alter civis me rogarent, ut prædicarem, non debeo ſequi privatam vocationem. Quia per hoc aperitur feneſtra miniſtris Satanæ, qui hoc exemplo poſtea nocent, quemadmodum ſupra diximus. Cum verò me rogant, qui gerunt publica officia, ibi parere debeo.

Phanatici non credendum, qui jactant ſpiritum & cœleſtem vocationem.

Cum ergo dicit Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neq; per hominem, percutit & reprimit his verbis Pſeudoapoſtolos, q. d. Vt maximè glorientur, quid poſſunt illæ viperæ amplius gloriari, quàm quod venerint, Vel ab hominibus, hoc eſt, à ſeipſis, nemine vocante, Vel per hominem, hoc eſt, ab aliis miſſi. Nihil horum ego curo, nec vos iſta curare debetis, Ego verò neq; ab hominibus, neq; per

Non ab hominibus. Per hominem.

Vocatio Apoſtolorum.

hominem, ſed immediate, hoc eſt, per Ieſum Chriſtum vocatus & miſſus ſum, meaq; vocatio per omnia ſimilis eſt vocationi Apoſtolorum, Et quidem ſum Apoſtolus. Hunc ergo locum de vocatione Apoſtolorum, Paulus diligenter tractat. Et alibi ſeparat ordinem Apoſtolorum ab aliis, ut 1. Cor. 12. Eph. 4. cum dicit, Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Prophetas &c. Primo loco ponens Apoſtolos, Vt propriè ſint Apoſtoli, qui immediatè miſſi ſunt ab ipſo Deo, ſine media perſona. Sic Matthias ſimpliciter à Deo vocatus eſt. Non enim audebant reliqui Apoſtoli, cum ſtatuerent duos, hunc vel alium eligere, ſed mittebant ſortem & orabant, ut Deus oſtenderet, Vtrum ipſe elegiſſet. Oportebat enim eum divinitus vocari, cũ erat futurus Apoſtolus. Sic Paulus gentium Apoſtolus vocatus eſt. Hinc etiam dicuntur Apoſtoli Sancti, Sunt enim certi de ſua vocatione & doctrina, & fideles in ſuo miniſterio perſtiterunt, Et nemo ex eis factus eſt reprobus, niſi ſolus Iudas, Quia vocatio ſancta eſt.

Apoſtoli qui &c.

1. Cor. 12. Epheſ. 4

Vocatio Matthiæ.

Apoſtoli Sancti.

Hic primus eſt Pauli impetus in Pſeudoapoſtolos, qui currebant, nemine eos mittente. Eſt igitur non contemnenda vocatio, Neque enim ſatis eſt habere Verbum & puram doctrinam, oportet etiam, ut vocatio certa ſit. Sine qua, qui ingreditur, ad mactandum & perdendum venit. Nunquam enim fortunat Deus laborem eorum, qui non ſunt vocati. Et quanquam quædam ſalutaria afferant, tamen nihil ædificant. Sic hodie phanatici ſpiritus noſtri habent verba de Fide in ore, tamen nullum fructum faciunt, Sed hoc præcipuè agunt, ut hominibus perſuadeant ſuas erroneas opiniones &c. Varii & maximi agones ſubinde decertandi ſunt iis, qui certam ac ſanctam vocationem habent. Item, quorum doctrina eſt ſyncera & ſana, ut maneant in ſuo ſalutari officio, contra indeſinentes & infinitas inſidias Diaboli, & furorem mundi. Quid ibi faceret ille, cujus vocatio incerta & doctrina impura eſt.

Non vocati mactant & perdunt &c.

Noſtra igitur conſolatio, qui ſumus in miniſterio Verbi, hæc eſt, Quod habeamus officium ſanctum & cœleſte, Ad quod ritè vocati, gloriamur contra omnes portas inferni. Econtra horrendum eſt, cum conſcientia dicit, Hoc ſine vocatione feciſti, Ibi tantus error concutere animum ſolet, ut non vocatus optaret ſe nunquam audiſſe Verbum, quod docet, Quia inobedientia facit omnia opera mala, quantumvis bona, Ita ut etiam maxima opera & labores, fiant maxima peccata.

Quod periculum incurrant non vocati.

Vides itaque quàm bona & quàm neceſſaria ſit hæc jactantia & gloriatio miniſterii noſtri. Olim cum eſſem novus Theologus & Doctor, videbatur mihi Paulus ineptire, quod in omnibus Epiſtolis toties gloriaretur de ſua vocatione. Non intelligebam ipſius conſilium. Ignorabam enim tantam rem eſſe miniſterium Verbi, Nihil ſciebam de doctrina Fidei & conſcientia vera. Quia nihil certi docebatur, neque in ſcholis, neque in templis, ſed omnia plena erant ſophiſticis perplexitatibus, & nugis Canoniſtarum & Sententiariorum. Ideò nemo potuit intelligere dignitatem & vim iſtius ſanctæ & ſpiritualis jactantiæ de Vocatione. Quæ primum valet ad gloriam Dei, Deinde ad honorem miniſterii noſtri, Item, ad noſtram & populi ſalutem, Non enim ambimus periſtam jactantiam aliquid eſſe in mundo, non quærimus gloriam apud homines, non pecuniam, non voluptates, non favorem mundi &c. Sed quia ſumus in vocatione divina & opere Dei, & populus maximè opus habet certitudine noſtræ vocationis, ut ſciat noſtrum verbum eſſe Dei verbum, ideò ſuperbè eam jactamus. Quare non eſt vana, ſed ſanctiſſima ſuperbia contra Diabolum & mundum, & vera humilitas coram Deo.

Cur Paulus ubique ſuam vocationem extollat.

Vilitas gloriationis de vocatione.

Et per Deum Patrem, qui ſuſcitavit Eum à mortuis.

Summa Epiſtolæ ad Galatas.

PAULUS tam vehementer ardet, ut non poſſit exſpectare, donec ad ipſam cauſam veniat, Sed ſtatim in ipſa ſubſcriptione erumpit, & dicit, quæ in corde habet. Vult autem in hac Epiſtola de juſticia fidei agere, & eam defendere, & Legem ac juſticiam operum evertere. His cogitationibus plenus eſt, ex hac mera & inexhauſta

exhausta abundantia excellentissimæ sapientiæ & cognitionis Christi in corde, os ejus loquitur. Hæc flamma, hoc ingens cordis incendium latere nequit, nec sinit eum tacere, Ideo non satis fuit dicere, se Apostolum, missum per Iesum Christum, sed addit etiam, per Deum Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis.

Videtur autem ista additio, Et per Deum Patrem &c. non necessaria, Sed, ut dixi, Paulus ex abundantia cordis loquitur, ardet & gestit illi animus statim in ipsa Epigrapha promere impervestigabiles divitias Christi, & prædicare illam Dei justiciam, quæ dicitur Resurrectio mortuorum. Christus vivus & resuscitatus ex mortuis loquitur ex eo, & impellit eum, Ideo non sine causa addit, se quoque Apostolum esse, per Deum Patrem, qui suscitavit Iesum Christum à mortuis. q. d. Mihi negotium est cum Satana, & cum viperis illis, organis Satanæ, qui mihi subvertunt justiciam Christi, suscitati per Deum Patrem ex mortuis, per quam solam justificamur, per quam etiam ad æternam vitam ex mortuis resuscitabimur in illo die. Subvertentes autem sic justiciam Christi, resistunt Patri & Filio, & eorum operi. *Et per Deum Patrem.*

Sic in prima statim voce, erumpit ei tota causa, de qua in hac Epistola agit. Agit autem, ut dixi, de resurrectione Christi, qui propter nostram justiciam resurrexit, Rom. 4. Et per hoc Legem, peccatum, mortem & omnia mala vicit. Christi igitur victoria, est victoria Legis, peccati, carnis nostræ, mundi, diaboli, mortis, inferni, & omnium malorum, Et hanc victoriam suam nobis donavit. Licet igitur hi Tyranni & hostes nostri accusent & terreant nos, tamen in desperationem adigere & condemnare nos non possunt. Christus enim resuscitatus, per Deum Patrem ex mortuis, est justicia & victoria nostra. Deo igitur gratia, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen. *Victoria Christi nostra est.*

Rom. 4.

Considera autem quàm disertè loquatur Paulus. Non dicit, Per Deum, qui creavit cœlum & terram, Qui est Dominus Angelorum, Qui jussit Abraham egredi è terra sua, Qui misit Mosen ad Pharaonem, Qui eduxit Israel ex Aegypto, Vt Pseudoapostoli faciebant, jactantes Deum patrum suorum, creantem, conservantem & operantem omnia, facientem mirabilia in illo populo. Sed aliud erat Paulo in corde, nempe justicia Christi, quam docebat & defendebat, ut Christi Apostolus. Ideo loquitur verba, quæ faciunt ad hanc suam causam, dicens, Ego sum Apostolus, neq; ab hominibus neq; per hominem, Sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis. Vides itaq;, quanto ardore & Spiritu accensus feratur in hac causa, quam vult plantare & tueri contra totum regnum inferorum, contra omnes potentes & sapientes totius mundi, contra Diabolum & ejus Apostolos. *Paulus disertè loquitur.*

Et qui mecum sunt omnes fratres.

Et hoc facit ad retundendos istos falsos Doctores. Omnia enim argumenta ejus eò tendunt, ut suum ministerium commendet & magnifaciat, Econtra illorum suspectum reddat. q. d. Quamvis satis abundè sit, quòd divinâ vocatione Apostolus missus sim per Iesum Christum, & Deum Patrem &c. Tamen ne solus sim, addo ex abundanti, omnes Fratres, qui non sunt Apostoli, sed comilitones, Illi scribunt hanc Epistolam mecum, & testantur doctrinam meam esse veram & divinam. Quare certi sumus, quòd Christus præsens est, docet & loquitur in medio nostri, & in nostra Ecclesia. Ipsi si aliquid sunt, tantùm ab hominibus vel per hominem missi sunt. Ego autem à Deo Patre & Christo, qui est vita & resurrectio nostra, missus sum. Alii fratres mei missi sunt divinitus per hominem, scilicet per me. Ne ergo dicant, me solum superbire contra tam multos, habeo mecum Fratres unanimes, testes fideles, qui idem mecum sentiunt, scribunt & docent. Hactenus subscriptio, sequitur suprascriptio. *Cur addatur omnes Fratres.*

Ecclesiis Galatiæ.

Paulus passim prædicaverat in Galatia, quam si non totam convertit ad

by Google

Phanatici spiritus ad quæ loca se recipiunt.

Christum, tamen in ea habuit multas Ecclesias, in quas omnes irrepserant Pseudoapostoli, Diaboli ministri. Sic hodie quoque phanatici spiritus non ad ea loca veniunt, ubi adversarii Euangelii dominium habent, sed ubi Christiani & boni homines sunt, qui amant Euangelium. Ad tales se recipiunt etiam in principatibus Tyrannorum, qui Euangelium persequuntur, Illic occultè, penetrantes domos & eas subvertentes, venenum suum effundunt. Cur non potiùs eunt in civitates, regiones & principatus Papistarum, & illic in conspectu impiorum Principum, Episcoporum & Doctorum in Vniversitatibus, confitentur & defendunt suam doctrinam? ut nos, Dei gratia, fecimus. Nolunt subire pericula delicati martyres, sed eò veniunt, ubi paratus est jam Euangelio locus, ubi sine periculo in summa pace & quiete agere possunt. Sic Pseudoapostoli non venerunt suo periculo Ierusalem ad Caipham, aut Romam ad Cæsarem, aut ad alia loca, ubi priùs nemo prædicaverat, ut Paulus & alii Apostoli fecerant, Sed in Galatiam, quæ Pauli labore & periculo jam erat lucrifacta & parata Christo, in Asiam, Corinthum &c. ubi erant boni viri & Christiani, qui neminem persequebantur, sed omnia patiebantur. Ibi poterant, inimici crucis Christi, in summa securitate, sine omni persecutione agere.

Fortuna piorum doctorum.

Disce autem hoc loco, hanc esse fortunam piorum prædicatorum, quod ultra hoc, quod patiuntur persecutionem ab impio & ingrato mundo, & cum magno labore & periculo plantant Ecclesias, cogantur etiam ferre, ut quod ipsi longo tempore benè docuerint, statim evertatur à phanaticis spiritibus, qui & postea regnant & præferuntur ipsis. Hoc malum plus dolet piis verbi ministris, quàm ulla persecutio à Tyrannis illata. Qui igitur non volet esse contemtus, nec istam indignitatem ferre, non fiat minister Euangelii, Vel si est, commendet alteri ministerium. Nos hodie idem experimur, extremè contemnimur & vexamur, foris à Tyrannis, intus ab illis ipsis, quos per Euangelium in libertatem asseruimus, item à falsis fratribus. Sed ea est nostra consolatio & gloriatio, quod divinitus vocati, habeamus promissionem vitæ æternæ, & expectemus illam retributionem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Nam cum ipse Archipastor Christus apparuerit, percipiemus immarcessibilem glorię coronam, Qui, & hic nos fame non sinet perire.

Consolatio piorum doctorum, laborantium sub cruce.

S. Hieronymus movet hîc magnam quæstionem, Cur Paulus vocet Ecclesias, quæ Ecclesiæ non sint. Quia Paulus, inquit, scribit ad subversos Galatas & translatos à Christo & gratia ad Mosen & legem? Ad hoc respondeo. Paulum vocare Ecclesias Galatiæ per Synecdochen, cujus usus in Scripturis est frequentissimus, Sic scribens ad Corinthios, gratulatur eis gratiam Dei datam in Christo, videlicet, quod in omni verbo & scientia divites facti essent per illum. Et tamen multi ex ipsis seducti per Pseudoapostolos, non credebant resurrectionem mortuorum &c. Sic & nos hodie vocamus Ecclesiam Romanam, sanctam, & omnes Episcopatus, sanctos, etiamsi sint subversi, & Episcopi & ministri eorum impii. Deus enim regnat in medio inimicorum suorum. Item, Antichristus sedet in templo Dei, Et, Satan adest in medio filiorum Dei. Ideò Ecclesia, etiamsi sit in medio nationis pravæ & perversæ, ut Paulus ad Philip. ait, etiamsi sit in medio luporum & latronum, hoc est, Tyrannorum spiritualium, nihilominùs Ecclesia est. Manet in Romana urbe, quanquã Sodoma & Gomorrha pejore, Baptismus, Sacramentum, vox & textus Euangelii, sacra Scriptura, ministeria, nomen Christi, nomen Dei. Qui habent, habent, qui non habent, non sunt excusati, Thesaurus enim est ibi. Ideò Romana Ecclesia est sancta, quia habet nomen sanctum Dei, habet Euangelium, Baptisma &c. Ista si sunt in populo, dicitur sanctus. Sic nostra civitas VVittemberga & nos verè sancti sumus. Quia sumus baptisati, docti & vocati divinitus, & mensæ Domini participes, Divina opera habemus nobiscum, scilicet verbum & Sacramenta, illis sanctificamur.

Non Ecclesiæ sunt, quæ impios doctores habent.

Ecclesia Romana sancta.

Ecclesia est in medio luporum &c.

Ecclesia unde dicitur sancta.

Hæc ideò dicuntur à me, ut diligenter discernamus Christianam sanctitatem

tem ab alijs. Monachi vocaverunt ſuos ordines ſanctos (neq; tamen audebant ſe appellare ſanctos) ſed ſancti non ſunt. Quia, ut ſuprà diximus, Chriſtiana ſanctitas non eſt activa, ſed paſſiva ſanctitas. Quare nemo ſe ſanctum dicat propter ſuum vitæ genus, propter ſua opera, ſi jejunet, oret, caſtiget corpus, eleemoſynas largiatur pauperibus &c. Alioqui Phariſæus apud Lucam eſſet etiam ſanctus. Opera divinitus præcepta bona quidem ſunt, & Deus ſevere exigit ea à nobis, Verum non ſanctificant nos coram Deo, Sed ego, tu, ſancti ſumus, Eccleſia. civitas, populus ſanctus eſt, non ſua ſed aliena ſanctitate. Quia res habet divinas & ſanctas, ſcilicet vocationem miniſterij, Evangelium, Baptiſma &c. per quæ ſanctificatur.

Chriſtiana ſanctitas paſſiva.

Per quid ſancti ſumus.

Licet igitur Galatæ ſubverſi fuerant, tamen manſit apud eos Baptiſmus, verbum, nomen Chriſti &c. Fuerunt etiam aliqui inter eos boni, qui non defecerant à Pauli doctrina, Hi de verbo & Sacramentis pie ſentiebant, & recte illis utebantur. Præterea neq; poterant ea propter ſubverſos pollui. Nam baptiſmus, Evangelium &c. non ideo prophanatur, quia multi polluti & profani ſunt, ac impie de eis ſentiunt, Sed manent ſancta & eadem, ſive ſint apud pios ſive impios, à quibus neq; pollui nec ſanctificari poſſunt. Polluuntur quidem & ſanctificantur coram gentibus, noſtra mala aut bona converſatione, malis aut bonis moribus, ſed non coram Deo. Quare Eccleſia ſancta eſt, etiam ubi phanatici ſpiritus regnant, modo ipſi non negent Verbum & Sacramenta. Nam ſi illa negantur, non poteſt eſſe Eccleſia. Quare ubicunq; Verbum & Sacramenta ſubſtantialiter manent, ibi eſt ſancta Eccleſia, non obſtante quod Antichriſtus ibi regnet, Qui, ut ſcriptura teſtatur, ſedet, non in ſtabulo dæmonum, non in hara porcorum aut in turba infidelium, ſed in nobiliſſimo & ſanctiſſimo loco, videlicet in tẽplo Dei, Ergo oportet templum Dei eſſe regnantibus etiam tyrannis ſpiritualibus, & illud conſervari ſub ipſis. Breviter ergo ad iſtam quæſtionem reſpondemus, Eccleſiam eſſe per totum orbem terrarum, ubicunq; eſt Evangelium & Sacramenta. Iudęi, Turcæ & phanatici ſpiritus, Eccleſia non ſunt, quia impugnant & negant iſta. Sequitur Salutatio.

Verbum & ſacramenta non pollui noſtra impietate.

Antichriſti ſedes.

Eccleſia per orbem diſperſa &c.

Gratia vobis & Pax, à Deo Patre noſtro, & Domino noſtro Ieſu Chriſto.

SPERO vos non ignorare, quid ſit Gratia & Pax, cum hæ voces ſint in Paulo frequentes, & nunc non obſcuræ. Sed quia hanc Epiſtolam tractamus, non quidem pro neceſſitate, aut propter difficultatem ipſius, ſed ut confirmentur conſcientiæ noſtræ contra hæreſes futuras, Non erit moleſtum repetere ea, quæ alias docemus, prædicamus, pingimus, cantamus & ſcribimus, Iacente enim articulo juſtificationis, jacent omnia. Itaq; ſumme neceſſarium eſt, ut eum perpetuo inculcemus & acuamus, quemadmodum Moſes de ſua lege dicit. Nam ſatis vel nimium non poteſt inculcari & urgeri. Imo etiamſi probe diſcamus & teneamus eum, tamen nullus eſt, qui eum perfecte apprehendat aut pleno affectu & corde credat, Adeo lubrica eſt caro noſtra, & repugnat obedientiæ ſpiritus.

Gratia. Pax.

Articulus juſtificationis perpetuo inculcandus.

Eſt autem ſalutatio hæc Apoſtolica nova & inaudita mundo, ante Evangelij prædicationem. Et hæc duo vocabula, Gratia & pax, comprehendunt univerſum Chriſtianiſmum, Gratia remittit peccatum, Pax tranquillam reddit conſcientiam. Duo Diaboli noſtri, qui nos excruciant, ſunt Peccatum & Conſcientia. Sed hæc duo monſtra Chriſtus vicit & conculcavit in hoc ſeculo & futuro. Hoc mundus ignorat, Ideo nihil certi poteſt docere, de vincendo Peccato, conſcientia & morte. Soli Chriſtiani hoc doctrinæ genus habent, eoq; exercentur & armantur ad victoriam contra Peccatum, deſperationem, & mortem æternam. Eſtque doctrinæ genus divinitus datum, nullo Libero arbitrio, nulla humana ratione aut ſapientia repertum.

Apoſtolica ſalutatio nova & inaudita &c.

Gratia.

Pax.

Peccatum.

Conſcientia.

Doctrina Chriſtianorum.

Complectuntur autem, ut dixi, hæ duæ voces, Gratia & Pax totum Chriſtianiſmum, Gratia, remiſſionem peccatorum, Pax, tranquillam & lætam conſcientiam. Porro Pax conſcientiæ nunquam haberi poteſt, niſi Peccatum remiſſum

ſit. Non remittitur autem propter impletionem legis, Quia nemo legi ſatisfacit, Sed lex potiùs oſtendit peccatum, accuſat & perterrefacit Conſcientiam, iram Dei annunciat, & in deſperationem adigit. Multò minùs tollitur peccatum operibus & ſtudiis ab hominibus excogitatis, ut ſunt impii cultus, religiones, vota, peregrinationes. Summa, nullis operibus tollitur, ſed iis potiùs augetur. Quò magis enim juſticiarii laborant & ſudant ad tollendum peccatum, hoc pejus habent. Tollitur autem ſola Gratia, & ſimpliciter nullo alio modo, Ideò Paulus in omnibus ſalutationibus Epiſtolarum ſuarum opponit peccato & malæ conſcientiæ, Gratiam & pacem &c. Hoc diligentiſſimè conſiderandum eſt, Verba facilia ſunt, ſed in tentatione difficilimum eſt, in corde certò ſtatuere, quòd per ſolam Gratiam, excluſis omnibus aliis mediis, quæ ſunt in cœlo & terra, habeamus remiſſionem peccatorum & pacem cum Deo.

Peccatum per ſolam gratiam remittitur.

Mundus iſtam doctrinam non intelligit, ideò non ſolùm non vult neq; poteſt eam ferre, ſed etiam ut hæreticam & impiam condemnat. Iactat liberum arbitrium, lumen rationis, integritatem naturalium & bona opera, per quæ poſſit mereri & acquirere Gratiam & Pacem, hoc eſt, remiſſionem peccatorum & lætam conſcientiam. Sed impoſſibile eſt, quòd Conſcientia reddatur pacata & læta, niſi habeat Pacem per illam Gratiam, id eſt, per remiſſionem peccatorum, promiſſam in Chriſto. Multi quidem anxiè laboraverunt, repertis ad hoc variis ordinibus & exercitiis, ut conſcientiam pacatam redderent. Sed hâc re pluribus ac majoribus malis ſe immerſerunt. Sunt enim iſta omnia tantùm ſtudia, ad augendam dubitationem & deſperationem. Ideò non erit pax oſſibus meis & tuis, niſi audiamus verbum Gratiæ, & conſtanter & fideliter huic innitamur, tum conſcientia certò conſequitur pacem. Diſtinguit autem Apoſtolus diſertè hanc Gratiam & Pacem ab omni alia gratia & pace. Quia imprecatur gratiam & pacem Galatis, non à Cæſare, Regibus, Principibus, Nam hi plerunq; perſequuntur pios, & conſurgunt adverſus Dominum & Chriſtum ejus, Pfal. 2. Nec à mundo, Quia in mundo, inquit Chriſtus, preſſuram habetis, Sed à Deo Patre noſtro &c. hoc eſt, divinam pacem imprecatur eis. Sic Chriſtus, Pacem relinquo vobis, pacem meamdo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.

Mundus ignorat doctrinam pietatis &c.

Sola gratia redditur tranquilla conſcientia.

Qualem pacem imprecetur Paulus Chriſtianis.

Pfal. 2. Iohan. 16. Iohan. 14.

Pax Mundi nihil concedit, niſi pacem bonorum & corporis, ut in carne læti ac quieti vivamus. Sic gratia Mundi ſinit nos frui noſtris bonis, non ejicit ex poſſeſſionibus &c. Sed in afflictione & hora mortis non poteſt juvare gratia & pax mundi, non poteſt ex afflictione, deſperatione aut morte eripere. Quando verò gratia & pax Dei adeſt in corde, tum homo fortis eſt, ut neq; adverſis frangatur, neq; proſperis extollatur, ſed regia incedit via. Accipit enim efficaciam in victoria mortis Chriſti, & fiduciâ ejus, incipit in conſcientia dominari ſupra Peccatum & mortem, quia per eum habet remiſſionem peccatorum certam, quâ acceptâ, acquieſcit conſcientia, & verbo gratiæ erigitur. Sic tunc homo conſolatus & animatus gratiâ Dei, id eſt, remiſſione peccatorum & pace hâc conſcientiæ, poteſt fortiter ferre & ſuperare omnes tribulationes, etiam ipſam mortem. Hæc pax Dei non eſt data Mundo, quia eum non cupit nec intelligit, ſed credentibus, Et nulla alia ratione contingit, quàm per ſolam gratiam Dei.

Pax Mundi.

Gratia mundi.

CANON OBSERVANDVS.

Abſtinendum eſſe à ſpeculatione Maieſtatis.

SED cur Apoſtolus addit, Et à Domino noſtro Ieſu Chriſto? Num non ſatis erat dicere, A Deo Patre noſtro? Cur ergo annectit Ieſum Chriſtum cum Patre? Sæpè audiſtis à nobis, hunc Canonem in ſacris literis diligentiſſimè obſervandum, ut abſtineamus à ſpeculatione Majeſtatis, quæ humano corpori intolerabilis eſt, multò magis menti, Non videbit me homo, dicit Scriptura, & vivet. Papa, Turcæ, Iudæi & omnes juſticiarii hunc Canonem negligunt, ideò removentes ex oculis Chriſtum Mediatorem, de ſolo Deo loquuntur, coram Deo orant, vivunt & agunt omnia,

A Domino noſtro Ieſu Chriſto cur addatur.

Operarius, excluſo Chriſto Mediatore, cum Deo agere &c.

omnia. Vt Monachus cogitat, Hæc opera, quæ facio, placent Deo, iſta vota mea reſpiciet Deus, & propter ea me ſalvabit. Turca, Si ſervavero, quæ in Alcorano præcepta ſunt, acceptabit me Deus, & vitam æternam dabit. Iudæus, Si fecero, quæ Lex præcipit, habebo Deum propicium & ſalvus ero. Sic homines hodie phanatici jactantes Spiritum, illuminationes, viſiones, & neſcio quæ alia portenta, ambulant in mirabilibus ſuper ſe, Hi novi Monachi, novam crucem & opera excogitant, & propter illa, ſe Deo placere ſomniant. In ſumma, Quotquot ignorant articulum juſtificationis, tollunt è medio Chriſtum Propiciatorem, Deum in ſua Majeſtate, judicio rationis apprehendere, & operibus placare volunt. *Ignorantes articulum juſtificationis tollunt Chriſtum.*

Chriſtiana autem & vera Theologia, ut ſæpè moneo, non ingerit Deum in majeſtate, ut Moſes, & aliæ doctrinæ, Non jubet ſcrutari naturam Dei, *Sed agnoſcere voluntatem ejus propoſitam in Chriſto*, quem voluit aſſumere carnem, naſci, mori propter peccata noſtra, & hoc prædicari in omnes gentes. Quia cùm ſciret, mundum Deum in ſapientia non agnoſcere per ſapientiam, placuit ei per ſtultam prædicationem ſalvos facere credentes. Quare nihil eſt periculoſius, cùm agendum eſt in agone contra Legem, peccatum & mortem cum Deo, quàm nos vagari noſtris ſpeculationibus in cœlo, & conſiderare Deum ipſum in ſua incomprehenſibili potentia, ſapientia & Majeſtate, quomodo creaverit & gubernet mundum. Si ſic Deum apprehenderis, & eum volueris, excluſo propitiatore Chriſto, placare, & tuis operibus, jejuniis, cucullo & raſura te interponere, aliter fieri nequit, quin caſum Luciferi facias, & in horribili deſperatione Deum & omnia amittas. Nam Deus in ſua natura, ut eſt immenſurabilis, incomprehenſibilis & infinitus, ita intolerabilis eſt humanæ naturæ. *Voluntas Dei quærenda in Chriſto.* *Luciferi caſus.*

Quare ſi tutus eſſe, & ſine periculo Conſcientiæ & ſalutis eſſe voles, prohibe iſtum ſenſum ſpeculativum, & apprehende Deum, ut Paulus apprehendere docet 1. Corinth. 1. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam. Ipſis autem vocatis Iudæis & Gentibus, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Ibi igitur incipe, ubi Chriſtus ipſe incepit, nempe in utero virginis, in præſepi, in uberibus matris &c. In hoc enim ipſe deſcendit, natus, converſatus inter homines, paſſus, crucifixus, mortuus eſt, ut ſeſe omnibus modis nobis ob oculos proponeret, & oculos cordis noſtri in ſeſe figeret, ut per hoc, aſcenſum in cœlum & ſpeculationem Majeſtatis, prohiberet. 1. Cor. 1. *Vbi quærenda voluntas Dei.*

Itaque cum verſaris in loco Iuſtificationis, & diſputas de inveniendo Deo, qui juſtificat ſeu acceptat peccatores, ubi & quomodo is quærendus ſit, Tum prorſus nullum Deum ſcito, extra iſtum hominem Ieſum Chriſtum, hunc complectere, & toto corde in eo hære, omiſsâ ſpeculatione Majeſtatis, Scrutator enim Majeſtatis opprimitur à gloria, Ego expertus ſcio quid dico. Sed phanatici homines, qui excluſo Mediatore Chriſto, cum Deo agunt, mihi non credunt. Chriſtus ipſe dicit, Iohan. 14. Ego ſum Via, Veritas & Vita, Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Præter hanc igitur viam, Chriſtum, ſimpliciter nullam invenies aliam viam ad Patrem, ſed errorem, Non veritatem, ſed hypocriſin & mendacium, Non vitam, ſed æternam mortem. Quare diligenter memineris, in cauſa juſtificationis, ubi nobis omnibus res eſt cum Lege, peccato, morte, diabolo, & malis omnibus vincendis, nullum Deum cognoſcendum eſſe, præter hunc incarnatum & humanum Deum. Iohan. 14. *Chriſtus via, veritas & vita.*

Aliàs extra hunc locum Iuſtificationis, ſi quandó diſputandum eſt cum Iudæis, Turcis, hæreticis, de ſapientia, potentia &c. Dei, utere tunc omni arte tua, & quantum potes ſis ſubtilis & argutus diſputator, tum enim es in alio argumento. In cauſa autem conſcientiæ, juſticiæ vitæ, (quod ſignificanter dico) contra Legem, peccatum, mortem & diabolũ, Vel, in cauſa de ſatisfactione, de remiſſione peccatorum, de reconciliatione, de ſalute æterna, omninò abducas animum ab omnib. cogitationib. & ſpeculationib. Majeſtatis, & ſimpliciter intuere in iſtum hominem, qui

Conſcientia inſtans cum judicio Dei, ſola fiducia Chriſti erigitur.

ſete nobis Mediatorem proponit, & dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis &c. Hoc ſi feceris, videbis amorem, bonitatem, dulcedinem Dei, videbis ſapientiam, potentiam ac majeſtatem Dei dulcificatam, & tuo captui attemperatam, Omniaq; in iſto jucundo ſpectro invenies, Iuxta illud Pauli ad Col. 2. Omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, ſunt in Chriſto abſconditi, Item, In ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Hoc mundus ignorat, Ideò ſine promiſſione de Chriſto inquirit voluntatem Dei, ſuo maximo periculo. Nemo enim novit Patrem niſi Filius, & cui Filius voluerit revelare. *Coloſ. 2.* *Matth. 11.*

Chriſtiana Theologia incipit a Chriſto jacente in gremio virginis matris &c.

Atq; hoc eſt cur Paulus tam frequenter ſolet conjungere Ieſum Chriſtum cum Deo Patre, Vt ſcilicet nos doceat Chriſtianam religionem, quæ incipit non à ſummo, ut omnes aliæ religiones, ſed ab imo, lubet nos aſcendere per ſcalam Iacob, cui Deus ipſe innititur, cujus pedes tangunt ipſam terram, juxta caput Iacob. Quare cum voles cogitare & agere de ſalute tua, tum omiſſis ſpeculationibus Majeſtatis, omiſſis omnibus cogitationibus operum, traditionum, Philoſophiæ & legis etiam divinæ, accurras ad præſepe & gremium matris, & apprehendas iſtum Infantem & filiolum virginis, ſpectesq; eum naſcentem, lugentem, creſcentem, converſantem inter homines, docentem, morientem, reſurgentem, ſublatum ſupra omnes cœlos, poteſtatem habentem ſupra omnia. Hoc modo poteris excutere, ut nubes Sole diſpelluntur, omnes pavores, omnes deniq; errores vitare. Et hoc ſpectaculum retinet te in via recta, ut quò ipſe Chriſtus abierit, tu ſequaris. Paulus igitur optando gratiam & pacem, non à Patre ſolùm, ſed etiam à Ieſu Chriſto, Primùm hoc docet, ut abſtineamus à ſpeculatione divinitatis. Nemo enim Deum novit, ſed ut Chriſtum audiamus, qui eſt in ſinu Patris, & revelat nobis ipſius voluntatem, Qui & in hoc conſtitutus eſt à Patre Doctor, ut omnes eum audiamus.

CHRISTVS NATVRA DEVS.

Chriſtus Deus.

ALTERUM, quod hîc docet Paulus, eſt confirmatio fidei noſtræ, Quod Chriſtus eſt verus Deus. Et hujuſmodi ſententiæ de divinitate Chriſti, diligenter colligendæ & obſervandæ ſunt, Non ſolùm contra Hæreticos, Arrianos & alios, qui fuerunt aut futuri ſunt, ſed etiam ad confirmandos nosipſos. Quia Satan non omittet, quin omnes articulos fidei in nobis impugnet antequã moriamur, Infenſiſſimus hoſtis eſt Fidei, quia eam novit eſſe victoriam, quæ vincit mundum. *Ideo oportet nos dare operam, ut Fides noſtra certa ſit, diligenti & aſſiduâ tractatione Verbi & invocatione creſcat & confirmetur,* ut Satanæ reſiſtere poſſimus. Quòd autem Chriſtus verus Deus ſit, hinc clarè oſtenditur, Quia Paulus eadem ei æqualiter tribuit, quæ Patri, videlicet, potentiam divinam, quod donet Gratiam, remiſſionem peccatorum, pacem conſcientiæ, vitam, victoriam peccati, mortis, diaboli, inferni. Hoc nullo modo liceret, imo ſacrilegium eſſet, niſi Chriſtus eſſet verus Deus, juxta illud, Gloriam meam alteri non do. Deinde, Nemo dat aliis, quod ipſe non habet, Cùm autem Chriſtus donet gratiam, pacem, Spiritum ſanctum, liberet à poteſtate Diaboli, à peccato & morte, Certum eſt, quod habeat infinitam & divinam potentiam, per omnia æqualem potentiæ Patris.

Fidei hoſtis diabolus.

Æqualis potentia Chriſti & Patris.

Neq; Chriſtus donat Gratiam & pacem, ut Apoſtoli prædicando Euangelium ea afferunt, Sed ut autor & creator donat. Pater creat & dat vitam, gratiam, pacem &c. Hæc eadem creat & largitur Filius. Dare autem Gratiam, pacem, vitam æternam, remittere peccata, juſtificare, vivificare, liberare à morte & Diabolo, non ſunt ullius creaturæ opera, ſed unius & ſolius Majeſtatis, Angeli iſta nec creare nec donare poſſunt. Ideo opera iſta ſolùm pertinent ad gloriam ſummæ Majeſtatis, creatricis omnium. Cùm verò Paulus tribuat Chriſto eandem & æqualem cum Patre potentiam creandi & donandi iſta omnia, Sequitur eum eſſe verè & naturâ Deum. Talia multa ſunt Argumenta in Iohanne, ubi ex operibus, quæ æqualiter tribuuntur Filio cum Patre, probatur & concluditur, quod eadem ſit divinitas Patris & Filii. Itaq; aliam rem aut donum aliud à Patre non habemus quàm à Filio, ſed unum & idem

Quomodo Chriſtus donat gratiam & pacem.

Opera Chriſti creatrix.

Eadem divinitas Patris & Filij.

& idem a Patre & Filio proficiscitur. Alioqui Paulus aliter loquitur, nempe sic, Gratia à Deo Patre, Et pax à Domino Iesu Christo, Sed utrunque connectens, tribuit æqualiter tàm Patri quàm Filio.

Hoc ideò tam diligenter admoneo, quia periculum est, ne in tot errorib. & tanta varietate & confusione sectarum succedant Hæretici, Ariani, Eunomiani, Macedoniani &c. Qui sua subtilitate noceant Ecclesiis. Fuerunt profecto Ariani acuti homines, Concesserunt Christum habere duplicem naturam, vocari Deum, de vero Deo, sed nuncupativè seu nominaliter. Christus est creatura (dixerunt) super Angelos nobilissima & perfectissima, per quam Deus postea creavit cœlum, terram & omnia. Sic & Mahometes de Christo magnificè loquitur. Sed ista nihil sunt nisi speciosæ cogitationes, & verba humanæ rationi jucunda & plausibilia, quibus phanatici spiritus imponunt incautis hominibus. Sed Paulus aliter loquitur de Christo, Vos estis, inquit, radicati & constabiliti in ista cognitione, quod Christus non sit perfectissima creatura, sed verus Deus, Quia ea facit, quæ Deus. Habet opera divina, non creaturæ, sed Creatoris, quia dat gratiam & pacem. Ea autem dare, est peccatum damnare, mortem destruere, Diabolum conculcare. Ista nullus Angelus donare potest. Cum autem Christo hæc tribuantur, necesse est Eum esse natura Deum.

Qui dedit Semetipsum, pro peccatis nostris.

PAULUS fermè singulis verbis tractat Argumentum Epistolæ, Nihil aliud sonat, quàm Christum, Ideo in singulis verbis est ardor spiritus & vita. Attendentem, quam diserte loquatur. Non dicit, Qui recepit à nobis opera nostra, Non, Qui accepit sacrificia legis Mosaicæ, cultus, religiones, missas, vota, peregrinationes &c. Sed tradidit. Quid? Non aurum, non argentum, non pecudes, non agnos paschales, non Angelum, Sed Semetipsum. Pro quo? Non pro corona, non pro Regno, non pro sanctitate aut justicia nostra, Sed pro peccatis nostris. Ita verba sunt mera tonitrua cœlestia, contra omnes justicias, Vt & ista sententia Iohan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ideò singula verba sunt diligentissimè consideranda, non frigidè inspicienda & obiter percurrenda, Quia mirabiliter consolantur & confirmant pavidas mentes.

Quæstio est, Quomodo consequi possimus remissionem peccatorum, aliorum & nostrorum? Respondet Paulus, Virum, qui dicitur Iesus Christus Dei Filius, tradidisse Semetipsum pro eis. Hæc magnifica & consolatoria verba sunt, & promissa veteris Legis, Quod peccata nostra nulla alia ratione tolluntur, nisi per traditum Filium Dei in mortem. Hujusmodi bombardis, bellicis machinis & arietibus, destruendus est Papatus, & subvertendæ omnium gentium omnes religiones, omnes cultus, omnia opera & merita. Si enim peccata nostra possunt tolli per nostra opera, satisfactiones & merita, Quid opus erat pro ipsis tradi Filium Dei? Cum verò pro ipsis traditus sit, Ergo nos non abolebimus ea per opera nostra.

Deinde ostenditur hac sententia quoq; , peccata nostra tam magna, infinita & invicta esse, ut impossibile sit toti mundo pro uno satisfacere. Et certe ipsa precii magnitudo, nempe Christus Filius Dei, qui seipsum tradidit propter peccata nostra, satis declarat, nos non posse satisfacere, neq; dominari peccato. Valde amplificatur vis & potentia peccati per ista verba, Qui dedit Semetipsum pro peccatis nostris. Inspicienda est igitur magnitudo & infinitas (ut ita dicam) precii pro eo impensi, Tum apparebit omninò tantam vim & potentiam esse peccati, ut nullo modo deleri potuerit, Sed quod oportuerit Filium Dei pro eo tradi. Qui hæc benè animadvertat, intelligit Peccati vocabulum, æternam Dei iram, & totum regnum Satanæ, complecti, & rem plus quàm dici potest esse horribilem, Id quod certè satis, facere et perterrefacere nos deberet. Verùm nos parum curamus, imo contemnimus peccatum, ut levem & nihili rem, Remorsu etiam conscientiæ veniente, tamen

tamen cogitat ius peccatum non esse tam magnum, quin aliquo opusculo vel merito possimus illud abolere.

Peccatum hostis Tyrannus, omnes homines captivos tenens.

Testatur igitur ista sententia, Omnes homines captivos & servos esse peccati, & ut Paulus alibi dicit, venundatos sub peccatum. Item, Quod Peccatum sit crudelissimus & potentissimus Tyrannus super omnes homines in toto mundo, qui non possit vinci & expelli ullâ potentiâ omnium creaturarum, sive sint angelicæ sive humanæ, Sed solâ infinitâ & superiore potentiâ Iesu Christi Filii Dei, qui seipsum pro eo tradidit. Deinde ista sententia ingentem quoq; consolationem proponit omnibus conscientiis, magnitudine peccati perterrefactis. Vt maximè enim sit invictus tyrannus Peccatum, tamen quia Christus morte suâ vicit illud, non potest credentibus in eum nocere. Porrò, si hâc Fide instructi adhæserimus toto corde isti homini Iesu Christo, tum aperitur nobis lux, & sano judicio informamur, ut certissimè & liberrimè de omnibus vitæ generibus judicare possimus. Nam cùm audimus, Peccatum Tyrannum esse omnipotentem, & totum mundum illi obnoxium, statim inevitabili consequentia colligimus, Quid ergo faciunt Papistæ, monachi, moniales, sacerdotes, Mahometistæ, Anabaptistæ & omnes operarii, qui suis traditionibus, præparationibus, satisfactionibus &c. volunt eluere & vincere Peccatum? Ibi statim judicamus, istas Sectas omnes impias & pernitiosas esse, quibus non solùm obscuratur gloria Dei & Christi, sed penitus auffertur, & nostra illustratur & stabilitur. *Rom. 7.*

Iudicium pium.

Semper ineſſe Pronominibus Emphaſin.

Perpende autem diligenter singula verba Pauli, & inprimis benè nota & urge hoc pronomen, NOSTRIS. Nam tota vis in hoc consistit, ut aliquis benè applicet Pronomina, quæ in sacris literis frequentissimè occurrunt, quibus etiam semper magna Emphasis & Epitasis inest. Facilè dixeris & credideris, Christum Dei Filium traditum esse pro peccatis Petri, Pauli & aliorum Sanctorum, quos dignos fuisse judicamus hâc Gratiâ. Sed difficilimum est, ut Tu, qui indignum te judicas hâc Gratiâ, ex corde dicas & credas, Christum traditum pro tuis invictis, infinitis & ingentibus peccatis. Ideo in genere & sine Pronomine, facile est magnificis amplificationibus prædicare & extollere beneficium Christi, scilicet, Quòd traditus sit quidem pro peccatis, sed aliorum qui digni fuerunt. Quando autem Pronomen, Nostris, addendum est, ibi resilit infirma natura & ratio, ibi non audet accedere ad Deum, nec polliceri sibi tantum thesaurum gratuitò dandum. Ideo neque cum Deo vult agere, nisi prius sit pura & sine peccatis. Quare si etiam legit, audit, hanc sententiam: Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, aut similes, tamen Pronomen, Nostris, non applicat pro se, sed pro aliis, qui digni & sancti sunt. Ipsa verò tantisper expectare vult, donec digna reddatur suis operibus.

Infirmitas fidei in nobis.

Ratio extenuat peccatum.

Hoc tunc nihil aliud est, nisi quòd humana ratio libenter vellet, quòd Peccati vis non esset major nec potentior, quàm ipsa somniat. Hinc Hypocritæ, ignari Christi, etiamsi sentiant remorsum peccati, tamen cogitant se facilè suis operibus & meritis illud abolituros. Et tacitè sic optant, quòd illa verba, Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, essent verba in humilitate dicta, & peccata non essent seria & vera, sed inania & ficta. In summa, ratio humana vellet libenter Deo offerre & adducere fictum & simulatum peccatorem, qui nihil esset conterritus, qui peccatum non sentiret, Sanum vellet adducere, non indigentem Medico, Et tunc quando non sentiret peccatum, vellet credere, quod Christus traditus esset pro peccatis nostris.

Pictura justiciariorum.

SIC totus mundus affectus est, & præsertim qui in mundo esse volunt alii religiosiores & sanctiores, ut ipsi somniant, scilicet, monachi & omnes justiciarii. Hi ore quidem fatentur se peccatores esse, fatentur item se quotidie peccata committere, sed non tam ingentia & multa, quin suis operibus ea abolere possint. Imo ultra hoc volunt afferre justicias & merita sua, ad tribunal Christi, & pro illis postulare à Iudice retributionem vitæ æternæ. Interim tamen, ut sunt homines Fratres, ne penitus mundi sint, fingunt quædam peccata, ut pro illorum venia possint

magna

magna devotione, cum ipso Publicano, orare, Deus propicius esto mihi peccatori. Illis hæc verba Pauli (pro peccatis nostris) sunt planè inania & nugacia. Ideò neq; ea intelligunt, neq; in tentatione, cum peccatum seriò sentiunt, consolationem ex eis accipere possunt, Sed ibi simpliciter desperare coguntur.

Summa Christianorum sapientia.

Est igitur hæc præcipua scientia ac vera sapientia Christiana, hæc verba Pauli pro seriis & verissimis habere, scilicet, Quod Christus in mortem traditus sit, non propter Iusticiam aut sanctitatem nostram, sed propter Peccata nostra, Quæ vera, grandia, multa, imo infinita & invicta sunt. Itaque ne fingas ea esse parva, quæ tuis operibus aboleri possint. Neque desperes propter ipsorum magnitudinem, cum aliquando in vita vel in morte seriò ea senseris, sed disce hîc ex Paulo credere, Christum non pro fictis aut pictis, sed veris, Non pro parvis, sed maximis, Non pro uno atque altero, sed omnibus, Non pro devictis (Quia nullus homo, nullus etiam Angelus, vel minimum peccatum vincere potest) sed pro invictis peccatis traditum esse. Et nisi inveniaris in numero eorum, qui dicuntur, Nostris, hoc est, qui hanc fidei doctrinam habent, docent, audiunt, discunt, amant, & ei credunt, tum planè de salute tua actum est.

Da igitur operam sedulò, ut non solùm extra tempus tentationis, sed & in periculo & pugna Mortis, cum conscientia perterrefit recordatione præteritorum peccatorum, & Diabolus magno impetu te invadit, & mole, fluctibus ac diluvio peccatorum obruere vult, ut perterrefaciat, à Christo abstrahat, & ad desperationem te adigat, ut inquam, tum possis cum fiducia dicere, Christus Dei Filius traditus est, non pro justis & sanctis, sed pro injustis & peccatoribus. Si justus essem & peccatum non haberem, non indigerem Propiciatore Christo. Cur ergo, ô perversum in modum, sancte Satan, vis me facere Sanctum, & à me exigere justicias, cum nihil habeam præter peccata, & ea vera & gravissima, non ficta aut inania? Qualia sunt peccata contra primam tabulam, videlicet, summa infidelitas, dubitatio, desperatio, contemptus Dei, odium, ignorantia, blasphemia Dei, ingratitudo, abusus nominis Dei, negligentia, fastidium, contemptus verbi Dei &c. Deinde etiam illa carnalia contra secundam, Qualia sunt, Non habere honorem parentibus, non obedire Magistratui, appetere alterius res, uxorem &c. (Quanquam ista levia sint respectu superiorum) Et esto sanè, quod homicidium, adulterium, furtum, & id genus alia peccata contra secundam tabulam facto non commiserim, commisi tamen corde. Quare sum transgressor omnium mandatorum Dei, tantaq; est peccatorum meorum multitudo, ut bubalum corium ea complecti non possit, Imo non est numerus eorum. Peccavi enim supra numerum arenæ maris. Ad hæc Diabolus tam callidus est artifex, ut etiam ex bonis operibus meis & justicia mea possit facere maximum peccatum. Cum igitur peccata mea tam seria, vera, grandia, infinita, horribilia & insuperabilia sint, Et mea justicia coram Deo mihi non prosit, sed plus obsit, Ideò Christus Dei Filius pro ipsis in mortem traditus est, ut ea aboleret, & me & omnes, qui hoc credunt, salvos faceret.

Peccata contra primam tabulam.

Contra secundam.

Satan justicias vertere in peccatum solet.

In hoc ergo ipsa vis Salutis æternæ sita est, ut hæc verba pro seriis ac veris habeantur. Non frustra hoc dico, Nam expertus sum sæpè, & quotidie adhuc experior, quàm difficile sit hoc credere, præsertim in certamine conscientiæ, Quod Christus traditus sit, non pro Sanctis, justis, dignis, amicis, sed pro impiis, peccatorib. indignis & inimicis, qui meriti sunt iram Dei ac æternam mortem. Muniamus igitur cor nostrum his & similibus Scripturæ sententiis, ut Diabolo accusanti, Tu es peccator, ergo damnatus, respondere possimus, *Quia tu me peccatorem dicis, ideò volo esse justus & salvus,* Imo damnaberis. Non, Confugio enim ad Christum, qui semetipsum tradidit pro peccatis meis. Nihil igitur efficies tu Satan, quod proponendo peccati magnitudinem, conaris me perterrefacere, & sic adducere in tristiciam, diffidentiam, desperationem, odium, contemptum & blasphemiam Dei. Imo per hoc, quod me peccatorem dicis, ministras mihi arma contra te, ut tuo proprio gladio te jugulare & conculcare possim, *Quia Christus propter*

Quomodo respondendum sit Diabolo, disputanti nobiscum.

propter peccatores mortuus est. Deinde tuipſe mihi prædicas gloriam Dei. Nam commonefacis me paternæ dilectionis Dei erga me miſerum & perditum peccatorem, qui ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum daret &c. Item, quoties objicis, me eſſe peccatorem, toties revocas mihi in memoriam beneficium Chriſti Redemptoris mei, in cujus humeris, non meis, jacent omnia peccata mea. Nam Dominus poſuit ſuper Eum iniquitatem omnium noſtrum. Item, Propter ſcelus populi ſui percuſſit Eum, Eſaiæ 53. Quare cum objicis me Peccatorem eſſe, non terres, ſed ſupra modum conſolaris me. *Iohan. 3.* *Eſaiæ 53.*

Qui hanc artem probè ſciret, facilè eluderet omnes aſtutias Diaboli, qui recordatione peccati ad deſperationem adigit & enecat hominem, niſi hac arte & ſapientia divina ei occurrat & reſiſtat, qua ſola Peccatum, mors, diabolus vincuntur. Qui verò peccati memoriam non ejicit, ſed retinet & excruciat ſe ſuis cogitationibus, videlicet, Quomodo ſuis viribus velit ſibi conſulere, aut tantiſper expectare, donec conſcientia pacata reddatur, ille incidit in laqueos Satanæ, ſeipſum miſerè affligit, ac tandem mora & aſſiduitate tentationis vincitur. Diabolus enim non ceſſat accuſare conſcientiam. Contra hanc tentationem utendum eſt his verbis Pauli, quibus diſertè ac propriè definit Chriſtum, hoc modo, Chriſtus eſt Filius Dei, ac virginis, traditus & mortuus pro Peccatis noſtris. Hic ſi Diabolus attulerit aliam definitionem Chriſti, dicas, Definitio & definitum ſunt falſa, ideo hanc definitionem non recipio. Non fruſtra hoc dico, Scio, cur tam diligenter urgeam, ut Chriſtum propriè ex verbis Pauli diſcamus definire. Eſt enim revera Chriſtus non exactor, ſed Propiciator peccati totius Mundi. Quare ſi peccator es, ut certè omnes ſemper ſumus, ne ſtatuas Chriſtum in Iride judicem, alioqui paveſies & deſperabis, Sed apprehende veram ejus definitionem, eam videlicet, Quod Chriſtus Dei & virginis Filius, perſona ſit, quæ non terret, non affligit, non condemnat nos Peccatores, non exigit rationem à nobis malè tranſactæ vitæ, ſed quæ ſeipſam tradidit pro peccatis noſtris, Atque unica oblatione abolevit peccata totius Mundi, crucifixit & in ſemetipſo ea extinxit. *Definitio Chriſti vera.*

Hanc definitionem diligenter diſce, & præcipuè hoc Pronomen, NOSTRIS, ita exerce, ut hæ duæ ſyllabæ (Noſtris) creditæ, tuum quoque Peccatum totum hauriant & abſorbeant, hoc eſt, ut certiſſimè noris, Chriſtum non ſolùm quorundam hominum, ſed etiam tua, & totius mundi Peccata abſtuliſſe. Etiamſi omnes homines non hoc credant, tamen traditio facta eſt pro Peccatis totius Mundi. Sint ergo peccata tua, non ſolùm peccata, ſed verè tua, hoc eſt, ut credas Chriſtum non tantùm pro aliorum peccatis traditum, ſed & pro tuis. Hoc mordicus tene, neque ullo modo ab hac dulciſſima definitione Chriſti, quæ angelis etiam in cœlo jucunda eſt, patiaris te avelli. Nempe quod Chriſtus ſecundum ſuam propriam definitionem, non ſit Moſes, non exactor, non carnifex, Sed Propiciator peccatorum, donator gratiæ, juſticiæ, vitæ, qui Seipſum dedit, non pro meritis, ſanctimonia, juſticia, ſancta vita noſtra, ſed pro peccatis noſtris. Interpretatur quidem legem Chriſtus, ſed hoc non eſt proprium & principale ipſius officium. *Quisq; diſtat Pronomen, Noſtris, applicare ſibi.* *Chriſti pictura.*

Hæc quod ad verba attinet, ſcimus & loquimur, ſed in agone, ubi Diabolus obſcurare Chriſtum, & ex corde verbum Gratiæ eripere ſolet, experimur nos iſta nondum rectè ſcire. Qui tum Chriſtum proprie definire poſſet, & eum magnificere, ac inſpicere ut dulciſſimum Salvatorem ac Pontificem, non ut ſeverum Iudicem, is viciſſet omnia mala, & jam eſſet in regno cœlorum. Sed hoc poſſe in agone præſtare, eſt omnium difficilimum. Iſta expertus loquor, Novi ſiquidem aſtutias Diaboli, quod non ſolùm Legem tunc ſoleat inflare, ut nos terreat, Item, quod ex feſtuca multas & magnas trabes, hoc eſt, ex non Peccato, infernum faciat (Eſt enim mirabilis artifex aggravandi peccatum & inflandi conſcientiam, etiam in benefactis) Sed quod ſoleat etiam terrere nos, per ipſam perſonam Mediatoris, in quam transformat ſe, Et citato aliquo ſcripturæ loco, vel Chriſti dicto, ſubitò percellens cor ſic ſeſe nobis oſtendit, ac ſi eſſet verus Chriſtus, ſinitq; nos in hoc ſpectro hærere, *Diabolus variis inſidijs tentat noſtram fidem.*

rere, quod conſcientia juraret eum eſſe Chriſtum, cujus hæc ſententia ſeu dictum
it. Inſuper ea eſt calumniatoris aſtutia, quod tantùm partem Chriſti, non totum
Chriſtum proponat, ſcilicet, Eum eſſe Dei Filium, natum hominem ex virgine.
Deinde ſubito aſſuit aliquid alienum, hoc eſt, opponit dictum aliquod Chriſti, quo
Luc. 13. ipſe peccatores terret. Quale illud eſt Luc. 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſi-
militer peribitis. Sic veram Chriſti definitionem inficiens veneno & vitians, hoc ef-
ficit, ut etiamſi credamus Chriſtum mediatorem eſſe, tamen re vera conſcientia af-
flicta ſentiat & judicet eum tyrannum & judicem. Hoc modo decepti à Satana, fa-
cilè amittimus dulciſſimam imaginem Pontificis & Salvatoris Chriſti, qua amiſſa,
exhorreſcimus eum non minùs quàm ipſum Diabolum.

Quæ ſit inſidiæ Satanæ noſtri infringat.

Atque ea eſt cauſa, cur tàm vehementer urgeam, ut benè & propriè Chri-
ſtum definire diſcatis, ex his verbis Pauli, Qui dedit ſeipſum pro peccatis noſtris.
Si ſeipſum pro peccatis noſtris in mortem dedit, tum profectò non eſt Tyrannus aut
judex, qui condemnabit nos propter peccata, non eſt afflictorum contriſtator, Sed
lapſorum erector, contritorum propiciator & conſolator. Alioqui mentiretur
Paulus cum dicit, Qui ſeipſum tradidit pro peccatis noſtris. Si ſic Chriſtum defi-
nio, rectè definio & verum Chriſtum apprehendo & habeo. Item, omitto ſpecula-
tiones Majeſtatis divinæ, & hæreo in Chriſti humanitate. Atq; ita verè diſco agno-
ſcere voluntatem Dei, Ibi tum nullus terror eſt, ſed mera ſuavitas, lætitia &c. Si-
mulq; aperitur lux, quæ oſtendit cognitionem Dei, mei ipſius, omnium creatura-
rum, & omnis iniquitatis regni Diaboli &c. Nihil novi docemus, ſed vetera, & quæ
ante nos Apoſtoli & omnes pii Doctores docuerunt, inculcamus & ſtabilimus. Et
utinam benè poſſemus inculcare & ſtabilire, ut non ſolùm in ore, ſed in profundo
corde ea bene meditata haberemus, & præcipuè in agone mortis uti poſſemus.

Benè urgenda juſta ſententia, Qui ſeipſum tradidit, &c.

Vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam.

Et iſtis verbis Paulus verè tractat Argumentum hujus Epiſtolæ, vocat
hunc totum Mundum, qui fuit, eſt, & erit, præſens ſeculum, ad differentiam futuri
& æterni ſeculi. Deinde nequam vocat, quia quicquid eſt in hoc ſeculo, eſt mali-
tiæ Diaboli; in toto mundo regnantis, ſubjectum, Hinc mundus Diaboli regnum
eſt. Nam in eo nihil aliud eſt, quàm ignorantia, contemptus, blaſphemia, odium
Dei, Item, inobedientia omnium verborum & operum Dei, In & ſub hoc regno
nos ſumus. Hic iterum vides, quod nemo poſſit per ſua opera aut vires abolere pec-
cata. Quia mundus præſens nequam eſt, & ut Iohannes ait, in maligno poſitus.
Iohan. 5. Quotquot igitur in mundo ſunt, membra captiva Diaboli ſunt, quæ illi ſervire, &
omnia facere coguntur pro ſua voluntate. Quid igitur profuit inſtituere tot ordi-
nes pro abolendis peccatis? tot grandia & moleſtiſſima opera excogitare, ſcilicet
geſtare cilicia, flagris cædere corpus uſque ad effuſionem ſanguinis, in armis pere-
grinari ad S. Iacobum &c. Eſto ſanè quod iſta faciat, nihilominùs manet hæc defini-
tio, Tu es in ſeculo præſenti & nequam, non in Chriſti regno, Si in Chriſti regno
non es, certum eſt quod ad Diaboli regnum, qui eſt nequam mundus, pertineas.
Ergo omnia dona, quæ habes, ſpiritualia & corporalia, Qualia ſunt, ſapientia, juſti-
tia, ſanctitas, eloquentia, potentia, pulchritudo, divitiæ, inſtrumentum & arma,
ſervilia ſunt ipſius tyrannidis infernalis, hisq; omnibus cogeris ſervire Diabolo, re-
gnumq; ejus promovere & augere.

Cur Paulus vocet hoc ſeculum præſens & nequam.

Peccata non tolli operibus &c.

Impios ſervire Diabolo, cum omnibus donis ſuis.

Primùm tuâ ſapientiâ obſcuras ſapientiam & cognitionem Chriſti, & ho-
mines ſeducis impia doctrina, quò minùs ad gratiam & cognitionem Chriſti venire
poſſint. Tuam juſticiam & ſanctitatem laudas & prædicas, Chriſti verò, qua ſo-
la juſtificamur & vivificamur, ut impiam & diabolicam extremè deteſtaris & con-
demnas. Deniq; tua potentia deſtruis regnum Chriſti, abuteris ea pro extirpando
Evangelio, pro perſequendis & occidendis Chriſti miniſtris, & quotquot illos au-
diunt &c. Quare iſta tua ſapientia, ſi extra Chriſtum es, duplex eſt inſipientia, tua
juſticia, duplex peccatum & impietas eſt, quia ignorat ſapientiam & juſticiam

Ignari Chriſti quo magis ſapientes & juſti

Christi. Deinde etiam obscurat, impedit, blasphemat & persequitur ea. Ideo Paulus rectè vocat mundum nequam, *Quia tunc est pessimus, cum est optimus.* In religiosis, sapientibus & doctis &c. mundus est optimus, re verâ tamen dupliciter malus. Prætereo jam crassa illa vitia, contra secundam tabulam, ut sunt inobedientia parentum, magistratuum &c. adulteria, scortationes, avaritia, furta, cædes, invidia, virulentia, quibus mundus prorsus submersus est, Quæ levia tamen sunt, si conferas cum sapientia, justicia &c. impiorum, quibus pugnant contra primam tabulam. Candidus Diabolus, qui impellit homines ad spiritualia peccata, quæ sese venditant pro justicia, longè nocentior est nigro, qui tantum ad carnalia impellit, quæ etiam mundus agnoscit esse peccata.

His ergo verbis, Vt eriperet &c. Paulus ostendit argumentum hujus Epistolæ, Quod scilicet opus sit gratia & Christo, quodque nulla Creatura, neque humana neque angelica, possit hominem eripere ex hoc seculo nequam. Sunt enim mera opera divinæ Majestatis, non humanæ aut angelicæ potestatis, quod Christus abolevit peccatum, & eripuit nos ex Diaboli tyrannide & regno, hoc est, ex nequam mundo, qui obediens servus, & imitator spontaneus est sui Dei, Diaboli. Quicquid homicida ille & mendacii pater facit & loquitur, hoc egregie imitatur & præstat obsequentissimus filius ejus Mundus. Ideo plenus est ignorantia Dei, odio, mendacio, erroribus, blasphemia, contemptu Dei. Deinde crassis peccatis, cædibus, adulteriis, fornicationibus, furtis, rapinis &c. quia sequitur patrem suum Diabolum, qui est mendax & homicida. Et quo homines sunt sapientiores, justiores & sanctiores extra Christum, hoc plus nocent Evangelio. Sic nos quoque religiosi ante lucem Evangelii, dupliciter nequam & impii fuimus in Papatu, sub titulo tamen pietatis & sanctitatis. Sinito autem & hæc verba Pauli seria & vera esse, non fucata aut ficta, scilicet, Quod præsens seculum nequam sit. Nihil te moveat, quod multæ eximiæ virtutes sint in plerisque hominibus, quod tanta in speciem sanctitas sit in Hypocritis &c. Sed attende potiùs quid Paulus dicat, ex cujus verbis hanc sententiam contra mundum liberrimè ac certissimè proferat. Quod mundus, cum omni sapientia, justicia & potentia sua, sit regnum Diaboli, ex quo solus Deus per Filium suum unigenitum nos eripere possit.

Laudemus igitur Deum Patrem & gratias illi agamus, pro hac immensa sua misericordia, quod nos ex Diaboli regno, in quo captivi tenebamur, per Filium suum, cum impossibile erat nostris viribus hoc fieri, liberaverit. Simulq; cum Paulo confiteamur omnia opera & justicias nostras, cum quibus omnibus Diabolo ne pilum quidem curvare potuimus, esse damnum & stercus. Conculcemus item & conspuamus omnem vim liberi arbitrii, omnem sapientiam & justiciam Pharisaicam, omnes ordines, Missas, religiones, cultus, vota, abstinentias, cilicia &c. tanquam fœdissimum menstruatæ pannum, & pestilentissimum Diaboli venenum. Contra illustremus & magnificemus gloriam Christi, qui non ex simplici, sed ex nequam mundo, nos sua morte eripuit. Hoc igitur epitheto, Nequam, indicat Paulus, Regnum Mundi seu Diaboli, esse regnum iniquitatis, Ignorantiæ, erroris, peccati, mortis, blasphemiæ, desperationis & perditionis æternæ. Contrà, per antithesin regnum Christi, esse regnum æquitatis, lucis, Gratiæ, remissionis peccatorum, pacis, consolationis, salutis & vitæ æternæ, In quod translati sumus per Dominum nostrum Iesum Christum, cui sit gloria in secula, Amen.

Candidus Diabolus.

Christus filius suus misit ad nequam eripere potest.

Mundus obsequitur suo primo patri Diabolo.

Præsens seculum est nequam.

Regnum mundi.

Regnum Christi.

Secundum voluntatem Dei & Patris nostri.

PAULUS singula verba sic ordinat & instruit, ut pugnent contra Pseudoapostolos, pro articulo justificationis. Christus inquit, eripuit nos ex hoc pessimo regno Diaboli & mundi, Hocq; fecit volente, favente, jubente Patre. Ergo non sumus erepti volentibus, currentibus nobis, non nostro consilio aut voluntate, sed miserente & favente Deo. Quemadmodum & alibi scriptum est. In hoc apparuit charitas Dei erga nos, non quod nos dilexerimus Deum, sed ipse dilexit nos, & misit Filium suum

Voluntas Patris.

ſuum unigenitum propiciatorem pro peccatis noſtris. Quod ergo erepti ſumus ex nequam mundo, mera gratia eſt, non noſtrum meritum. Ita exuberat Paulus & ardet in amplificanda Gratia, ut ſingula verba acuat & dirigat in Pſeudoapoſtolos.

Eſt & alia cauſa, cur Paulus hîc mentionem faciat de voluntate Patris, quæ etiam paſſim in Evangelio Iohannis indicatur, ubi Chriſtus ſuum officium commendans, revocat nos ad voluntatem Patris, Vt in ſuis verbis & operibus non tàm Se quàm Patrem aſpiciamus. Chriſtus enim venit in mundum & humanam naturam aſſumpſit, ut hoſtia fieret pro peccatis totius Mundi, atque ita Patri nos reconciliaret, ac ſolus ipſe manifeſtaret nobis, hoc factum eſſe bona voluntate Patris, ut ſic defixis oculis in Chriſtum, rectà traheremur & raperemur ad Patrem. Nam ut ſuprà monui, non eſt cogitandum, ſpeculatione Majeſtatis poſſe quicquam ſaluſtare ſciri de Deo, niſi apprehenſo Chriſto, qui voluntate Patris Seipſum tradidit in mortem propter peccata noſtra. Vbi hanc eſſe voluntatem Dei agnoveris per Chriſtum, ceſſat univerſa facies ire, ceſſat pavor, tremor &c. nec apparet alius Deus, niſi miſericors, qui definito conſilio voluit mori Filium ſuum pro nobis, ut per ipſum viveremus. Ea cognitio exhilarat cor, ut certò ſtatuat, Deum non iraſci, ſed ita diligere nos miſeros peccatores, ut daret unigenitum Filium pro nobis. Non fruſtra igitur inculcat Paulus, Chriſtum traditum eſſe pro peccatis noſtris, voluntate Patris. Contra ſpeculationes de Majeſtate, de horrendis judiciis Dei, Quomodo ſciſſicet perdiderit totum mundum diluvio, quomodo deleverit Sodoma &c. periculoſæ ſunt, & ad extremum præcipitant homines, & in deſperationem ac interitum demergunt, ut ſuprà indicavi.

Ingens conſolatio eſt, poſſe Chriſtum voluntate Patris pro nobis traditum.

Dei & Patris noſtri.

NOSTRI, ad utrunq; referendum eſt, Vt ſit ſententia, Dei noſtri & Patris noſtri. Idem eſt ergo Pater Chriſti & noſter. Sic & Iohan. 21. Chriſtus inquit ad Mariam Magdalenam, *Vade, dic fratribus meis, Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Eſt igitur Deus Pater noſter & Deus noſter, ſed per Chriſtum. Eaq; Apoſtolica & verè Paulina phraſis eſt, qui verbis quidem minimè ſpecioſis, ſed valde tamen propriis & ardentibus loquitur.

Iohan. 21.

Communem cum Chriſto habere nos Patrem.

Cui ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

IN more habent Ebræi, quod ſcriptis ſuis interſpergant gratitudines & euchariſtias, Hunc morem Apoſtoli, & ipſi Ebræi, etiam obſervant. Id quod frequenter cernere eſt in Paulo. Nomen enim Domini ſummo honore afficiendum eſt, & nunquam ſine laude, & gratitudine nominandum, Et iſte mos eſt reverentia & cultus quidam. Sic in Politia quando Regum aut Principum nomina appellamus, id honeſto quodam geſtu, reverentia & genu flexione facere ſolemus. Multò magis cum de Deo loquimur, genu cordis flectere, & nomen Dei cum gratitudine & ſumma reverentia nominare debemus.

Miror.

VIDES ibi artificium & ingenium Pauli, quomodo tractet ſuos lapſos Galatas, qui ſeducti erant per Pſeudoapoſtolos. Non invadit eos vehementibus & atrocibus verbis, ſed verè paternis, lapſum ipſorum non modò patienter ferens, ſed etiam fermè excuſans. Deinde quoq; eos materno affectu fovet, & blandiſſimè alloquitur, Sic tamen, ut ſimul etiam arguat, ſed valde electis & prudenter attemperatis verbis ad hanc rem. Econtra vehementer ardet & indignatione plenus eſt contra Pſeudoapoſtolos ſeductores illorum, in quos totam culpam rejicit. Ideoq; ſtatim in principio Epiſtolæ, meris tonitruis & fulminibus contra eos intonat. Si quis, inquiens, vobis evangelizaverit, &c. Anathema ſit. Et infrà Cap. 5. minatur eis judicium, Qui vos conturbat, portabit judicium ſuum, quicunque tandem ſit. Inſuper valde atrocibus verbis maledicit eis: Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant. *Iſta profectò* horribilia fulmina ſunt contra juſticiam carnis ſeu legis.

Apoſtolus lapſos Galat. paternè fovet, Contrà, in perturbatores ipſorum ſeverè invehitur.

Potuiſſet & ipſos Galatas paulo incivilius tractare, & durius in illos invehi, ad hunc modum, Proh turpem defectionem, Pudet me veſtri, Doleo veſtram ingratitudinem, iraſcor. Aut tragicè exclamare, O ſecula, ô mores &c. Sed quia lapſos ſtudet erigere & ex errore paterna cura revocare ad puritatem Evangelii, omittit illa duriora, præſertim in ipſo exordio, & blandiſſimis ac molliſſimis verbis eos alloquitur. Non enim conveniebat, cum ſanaturus eſſet ſaucios, ut adhibito parum commodo medicamine, vulnus recens inflictum, plus exulceraret, & ſic ſaucios magis offenderet, quàm ſanaret. Ideò nullum potuit aptius vocabulum ex mollibus eligere, quàm, miror, quo ſignificat, & dolere ſibi, & diſplicere tamen, quod defeciſſent à ſe.

Apoſtolus blanditur lapſis, ut ſua lenitate eos revocet.

Atque hîc Paulus memor eſt ſui Præcepti, infrà Cap. 6. ubi inquit, Fratres, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis &c. Hoc exemplum & nos imitari debemus, ut erga miſeros & ſeductos diſcipulos, ſic affecti ſimus, ut parentes erga liberos, Vt intelligant zelum noſtrum paternum & affectum maternum erga ſeſe, videantq; nos quærere non ipſorum perniciem, ſed ſalutem. Contra Diabolum autem & ejus miniſtros, ſeductionis & ſectarum autores debemus exemplo Apoſtoli impatientes, ſuperbi, acerbi & implacabiles eſſe, & eorum impoſturas & deceptiones atrocisſimè traducere, deteſtari & damnare. Sic parentes læſo puero morſu canino, ſolum canem inſectari ſolent, Puero verò lachrymanti blandiuntur, & ſuaviſſimis verbis conſolantur. Eſt itaque ſpiritus in Paulo mirus artifex tractandi conſcientias lapſas & afflictas, Contrà, Papa, quia maligno ſpiritu agitatur, tyrannicè perrumpit, mera fulmina ac Anathemata contra miſeros & conterritos tonat. Id quod cernere eſt in Bullis ejus, præcipuè in illa Cœnæ. Nec melius Epiſcopi officium ſuum faciunt, non docent Evangelium, non ſolliciti ſunt pro ſalute animarum, ſed tantùm dominium quærunt. Ideò ſic loquuntur & faciunt, ut illud ſtabiliant & illæſum conſervent. Similiter affecti ſunt omnes Doctores inanis gloriæ cupidi &c.

Exemplum Pauli imitandum.

Quod tàm citò.

VIDES ipſum Paulum conqueri facilimum eſſe lapſum in Fide. Hinc alibi admonet Chriſtianos, Qui ſtat videat ne cadat. Et nos quotidie experimur, quàm ægrè concipiat animus firmam Fidem ac retineat, Item, quanta difficultate paretur Domino plebs perfecta. Decem annis laboratur, antequam Eccleſiola rectè & piè inſtituta paratur, Et ubi parata eſt, irrepit aliquis fanaticus & quidem idiota, qui nihil novit, quàm contumeliosè loqui contra ſynceros Verbi Doctores, Is in uno momento evertit omnia. Quem non vehementer moveat iſta indignitas? Nos Dei gratia, paravimus hic VVittembergæ formam Chriſtianæ Eccleſiæ, Verbum purè apud nos docetur, Sacramenta in vero uſu ſunt, exhortationes fiunt, fiunt item precationes pro omnibus ſtatibus, Summa, omnia proſperè ſuccedunt. Hunc Evangelii feliciſſimum curſum citò impediret aliquis fanaticus homo, ac uno momento everteret, quod nos multis annis magno labore ædificavimus. Sic Paulo, electo orgâno Chriſti, accidit. Paraverat Eccleſias Galatiæ magnis curis & laboribus, has poſt diſceſſum ſuum, Pſeudoapoſtoli brevi tempore ſubverterunt. Id teſtatur hæc præſens ejus Epiſtola & aliæ &c. Tanta eſt infirmitas & miſeria hujus vitæ, adeò in mediis laqueis Satanæ incedimus, ut tàm brevi tempore unus fanaticus hæc deſtruat & funditùs evertat, quæ multi veri miniſtri aliquot annis, noctu & die laborantes, ædificârunt. Hoc experientia ipſa hodie diſcimus magno animi dolore, nec tamen huic malo mederi poſſumus.

Paribus eſſe lapſum in fidem. 1. Cor. 10.

Quid à piis Doctoribus longo tempore paratur, ab uno impio citò deſtruitur.

Cum ergo tàm mollis & tenera res ſit Eccleſia, & tàm facile ſubvertatur, vigilandum eſt alacriter contra phanaticos illos ſpiritus, qui ubi aliquot ſermones audierunt, vel aliquot paginas legerunt in ſacris literis, mox ſe Magiſtros creant omnium diſcentium & docentium cõtra omnium autoritatem. Tales hodie invenias plures

Pictura ſpirituum fanaticorum.

plures etiam inter artifices, homines audaculos, qui nullis tentationibus probati, nunquam didicerunt timere Deum, nunquam habuerunt aliquem guſtum Gratiæ. Hi, quia ſine ſpiritu ſunt, docent quæ ſibi placent, & quæ vulgo plauſibilia ſunt. Ibi tum vulgus imperitum anhelans audire nova ſtatim ſeſe eis adjungit. Quin & multi, qui ſe probe tenere putant doctrinam fidei, quiq; tentationibus ali-quo modo explorati ſunt, ab illis ſeducuntur.

Dormientibus Doctoribus, Eccleſiæ ſubvertuntur.

Cum igitur Paulus hic propria experientia nos doceat, facilè ac citò ſubverti Eccleſias maximo labore paratas, *Vigilandum eſt nobis ſumma cura contra Diabolum obambulantem, ne dormientibus nobis veniat ipſe, & ſeminet Zizania inter triticum.* Periculum à Satana imminet Chriſtiano gregi, ſi etiam Paſtores maximè vigilent & ſeduli ſint. Quia Paulus, ut dixi, ſummo ſtudio ac fide plantaverat in Galatia Eccleſias, & vix pedem (ut ajunt) porta extulerat, tamen mox Pſeudoapoſtoli quoſdam ſubverterunt, quorum caſus poſtea tam ingentes ruinas in Galatarum Eccleſiis traxit. Hoc ſubitum & tantum damnum, ne dubita, morte fuit acerbius huic Apoſtolo. Vigilemus igitur ſedulò, Primum unusquisq; pro ſe, Deinde Doctores non ſolùm pro ſe, ſed pro tota Eccleſia, ne intremus in tentationem.

Transferimini.

Transferimini.

ITERUM non duro, ſed molli verbo utitur, Non dicit, Miror, quod tam citò deficitis, quod tam inobedientes, leves, inconſtantes, ingrati eſtis, Sed quod tam citò transferimini, q. d. Vos eſtis merè paſſivi, non intuliſtis damnum, ſed damnum paſſi eſtis. Vt ergo lapſos revocet, potiùs transferentes quàm translatos accuſat. Verecundè tamen ſimul eos arguit, cum conqueritur translatos eſſe, q. d. Tametſi vos paternè complectar, ſciamq; vos non veſtra, ſed Pſeudoapoſtolorum culpa lapſos eſſe, tamen & vos optarim paulò plus roboris feciſſe in ſana doctrina. Non ſatis apprehendiſtis verbum, non ſatis alte egiſtis radices, Ideò ad levem etiam auram & ventum tam citò transferimini. Hieronymus putat voluiſſe Paulum interpretari Galatas, alluſione ad vocem Ebraicam (Galah translatus eſt) q. d. vos eſtis nomine & re veri Galatæ, id eſt, translati.

Germanos oriundos eſſe ex Galatis.

Quidam putant nos Germanos oriundos eſſe ex Galatis. Neq; vana eſt forſan ea divinatio, Non enim valde diſſimili ingenio ſumus Germani. Et cogor etiam in noſtris aliquid requirere gravitatis & conſtantiæ. In omnibus enim rebus ſub initia prima valde calemus, At ubi deflagravit ille ardor primorum affectuum, mox ſumus remiſſiores, & eadē temeritate, qua res incipimus, eas rurſus abjicimus & poſthabemus, Primùm cum poſt tenebras tantas humanarum traditionum exoriretur lux Euangelii, multi ſtudebant pietati, avidè audiebant conciones, honorem habebant Verbi miniſtris. Nunc cum tam magno incremento verbi non infeliciter ſit repurgata doctrina pietatis, pleriq; ex diſcipulis fiunt contemptores & inimici, qui non ſolùm Verbi ſtudium abjiciunt, & miniſtros ejus negligunt, ſed etiam omnes bonas literas & liberales artes oderunt, fiuntq; planè porci & ventres, Digni certè qui ἀναίσθητοι Galatis conferantur.

Germanorum natura.

Ab eo, qui vocavit vos in gratia Chriſti.

Duplex ſententia hujus loci.

HIC locus nonnihil ambiguitatis habet, Duplex eſt igitur ejus conſtructio, Prior, Ab eo Chriſto, qui vocavit vos in gratia, Poſterior, Ab eo ſcilicet Deo, qui vocavit vos in gratia Chriſti. Ego priorem amplector, Placet enim ut quemadmodum Paulus Chriſtum paulò antè fecit Redemptorem, qui ſua morte liberat nos ex hoc nequam Mundo, item datorem gratiæ & pacis, æqualiter, cum Deo Patre, Ita hic quoq; faciat Vocatorem in gratia. Nam Paulus hoc præcipuè agit, ut Chriſti beneficium nobis inculcet, per quem venimus ad Patrem. Eſt & in his verbis, A Chriſto, qui vocavit vos in gratia, emphaſis & antitheſis, q. d. Ah quàm facilè rapi & transferri vos ſinitis à Chriſto, qui vocavit vos, non ad Legem, opera, peccatum, iram, damnationem, ut Moſes, Sed ad meram Gratiam.

Chriſtus vocat ad gratiam.

Sic & nos hodie cum Paulo conquerimur, valde horribilem eſſe cæcitatem & perverſitatem hominum, quod nemo vult ſuſcipere doctrinam Gratiæ & ſalutis.

Aut ſi qui eam ſuſcipiunt, tamen iterum ab ea cito deficiunt. Cum tamen afferat omnia bona, ſpiritualia & corporalia, nempe remiſſionem peccatorum, veram juſticiam, pacem cordis & vitam æternam. Deinde affert lucem & judicium certum de omnibus doctrinis & vitæ generibus, approbat & confirmat Politiam, Oeconomiam, & omnia vitæ genera, quæ divinitus inſtituta & ordinata ſunt. Extirpat doctrinas erroris, ſeditionis, confuſionis &c. eximit terrorem peccati & mortis, in ſumma, omnes inſidias & opera Diaboli detegit, & Dei beneficia ac amorem erga nos in Chriſto aperit. Quis (malum) hic furor eſt? quod mundus hoc verbum, hoc Evangelium æternæ conſolationis, gratiæ, ſalutis & vitæ æternæ tàm acerbè odit, tàm Satanica rabie blaſphemat & perſequitur.

Mundus odit lucem & tenebras diligit.

Paulus ſuprà præſens ſeculum appellat nequam, hoc eſt, regnum Diaboli, Alioqui agnoſceret beneficium & miſericordiam Dei, Sed quia ſub poteſtate Diaboli eſt, ideò ſecurè & hoſtiliter contemnit & perſequitur iſta, plus diligens tenebras, errores & Diaboli regnum, quam lucem, veritatem & regnum Chriſti. Neq; hoc ex ignorantia & errore, ſed ex Satanæ malitia facit. Quod hinc ſatis apparet,

Quam mercedem rependat mundus Chriſto pro ſuis beneficiis &c.

Quia Chriſtus Dei Filius per hoc, quod Seipſum tradidit in mortem pro peccatis omnium, nihil aliud meretur apud perverſum & perditum Mundum, quàm quod pro inæſtimabili iſto beneficio eum blaſphemet, verbum ejus ſalutiferum perſequatur, & libenter eum adhuc cruci adfigeret, ſi modò poſſet. Ideò Mundus non ſolùm in tenebris agit, ſed etiam eſt ipſa tenebra, ut Iohan. 1. ſcriptum eſt. *Iohan. 1*

Exaggerat enim Paulus iſta verba, A Chriſto, qui vocavit &c. Et occultè eorum antitheſin urget, q.d. Mea prædicatio non fuit de duris legibus Moſi, neq; docui vos debere ſervos eſſe ſub jugo, ſed meram Gratiam & libertatem à Lege, peccato &c. vobis prædicavi, nempe, Quod Chriſtus miſericorditer vos in gratia vocaverit, ut eſſetis liberi ſub Chriſto, non ſervi ſub Moſe, cujus nunc diſcipuli iterum facti eſtis, autoribus veſtris Pſeudoapoſtolis, qui per legem Moſi non ad gratiam vocant, ſed ad iram, odium Dei, Peccatum & mortem. Chriſti autem vocatio gratioſa & ſalutifera eſt, Vocati enim per eum, pro triſti Lege acquirunt lætum Evangelium, transferuntur de ira in gratiam, de peccato in juſticiam, de morte in Vitam. Et vos à tali vivo fonte ſcaturientis & exundantis Gratiæ ac vitæ, rurſus alio vos rapi, & quidem tàm cito, ac facilè patimini? Si autem Moſes lege Dei vocat ad iram Dei & peccatum, quo vocabit Papa ſuis traditionibus? Altera ſententia, quod Pater vocat in gratia Chriſti, eſt etiam bona, Sed prior de Chriſto eſt ſuavior, & accommodatior pro conſolandis afflictis conſcientiis.

Moſes aliam, Chriſtus ad gratiam vocat.

In aliud Evangelium.

Diabolus mirus artifex extenuandi peccatum.

HIC artificia callidiſſima & dolus Diaboli diſcamus cernere. Nullus hæreticus venit ſub titulo erroris & Satanæ, Nec Diabolus ipſe venit ut Diabolus, præſertim candidus ille, Imò ater etiam Diabolus, ad manifeſta flagitia impellens, operculum facit homini, ut peccatum quod commiſſurus eſt, vel committit, extenuet. Homicida non videt in furore tàm grande & horrendum peccatum eſſe homicidium, ut revera eſt, quia habet operculum. Adulteri, fures, avari, ebrioſi &c. habent ſuas blanditias & opercula. Ita Satan etiam ater in omnibus operibus & conſiliis ſuis, prodit perſonatus & fucatus. At in ſpiritualibus, ubi non ater,

Sathanas transformat ſe in angelum lucis.

ſed candidus angelica & divina ſpecie prodit Satan, Ibi callidiſſima diſſimulatione, ibi miris artificiis fallendi vincit ſeipſum, ſuumq; nocentiſſimum venenum venditare ſolet pro doctrina gratiæ, pro verbo Dei, pro Evangelio Chriſti. Hinc Paulus doctrinam Pſeudoapoſtolorum Satanæ miniſtrorum, vocat etiam Evangelium, In aliud, inquiens, Evangelium &c. ſed per ironiam, q. d. Vos Galatæ alios jam habetis Evangeliſtas, habetis aliud Evangelium, Meum apud vos nunc deſpectum eſt, nihil amplius valet.

Evang. Pauli damnatum à Pſeudoapoſtolis.

Ex his facilè intelligi poteſt, quod Pſeudoapoſtoli damnaverint Evangelium Pauli apud Galatas, dicentes, Paulus quidem benè cœpit, ſed non ſatis eſt benè

vel. 15. bene cœpiſſe, adhuc enim ſublimiora reſtant. Sicut Act. Cap. 15. ajunt, Non ſatis eſt credere in Chriſtum, non ſatis eſt baptiſatum eſſe, ſed oportet vos etiam circumcidi. Niſi enim circumcidamini ſecundùm morem Moſi, non poteritis ſalvari. Hoc tantùm eſt dicere, Chriſtus bonus artifex eſt, qui ædificium quidem incipit, ſed non abſolvit, hoc enim Moſen oportet facere. Sic hodie phanatici ſpiritus, Anabaptiſtæ & alii, quando nos manifeſtè damnare non poſſunt, dicunt, Lutherani habent ſpiritum timoris, non audent liberè fateri veritatem & perrumpere. Ipſi quidem jecerunt fundamentum, hoc eſt, fidem in Chriſtum benè docuerunt, ſed principium, medium & finis conjungenda ſunt. Hoc ut efficiant, non eſt illis à Deo datum, ſed nobis. Sic perverſi & Satanici homines glorificant ſuas impias prædicationes, & vocant verbum Dei, & ſic per nomen Dei multis imponunt. Non enim vult Diabolus deformis & ater eſſe in ſuis miniſtris, ſed mundus & candidus. Et ut talis appareat, proponit & ornat omnia verba & opera ſua prætextu veritatis & nomine Dei. Hinc ortum eſt apud Germanos illud tritum Proverbium, **In Gottes Namen hebt ſich alles Unglück an.**

Naturæ hæreticorum depicta.

Germanicum adagium.

Quare diſcamus hoc eſſe proprium artificium Diaboli, Quod ſi non poteſt nocere perſequendo & deſtruendo, facit hoc corrigendo & ædificando. Sic hodie vi & gladio perſequitur nos, ut, nobis deletis, Evangelium non ſolùm obſcuret, ſed prorſus evertat. Sed hactenus nihil effecit, Quia multos occidit, qui conſtanter confeſſi ſunt, hanc noſtram doctrinam eſſe ſanctam & divinam, quorum ſanguine Eccleſia non deleta, ſed rigata eſt. Cum igitur hac via nihil promoverit, ſuſcitat nequam ſpiritus impios Doctores, qui primùm noſtram doctrinam probant, & eam nobiſcum communi conſenſu docent. Poſtea verò dicunt, Hanc eſſe noſtram vocationem, ut traderemus prima rudimenta doctrinæ Chriſtianæ, ſibi autem revelata eſſe divinitus vera myſteria Scripturæ, & in hoc vocatos, ut ea mundo aperirent. Hoc modo impedit Satan Evangelii curſum à dextris & ſiniſtris, A dextris tamen, ut dixi, plus nocet ædificando & corrigendo, quàm à ſiniſtris perſequendo & occidendo. Quare nobis indeſinenter eſt orandum, legendum, hærendum in Chriſto & verbo ipſius, ut aſtutias Diaboli, quibus nos adoritur à dextris & ſiniſtris, vincamus. Non enim eſt nobis lucta adverſus carnem & ſanguinem &c. Epheſ. 6.

Diabolus plus nocet à dextris quam à ſiniſtris.

Quibus modis confer vetus doctrina puræ.

Epheſ. 6.

Quod non eſt aliud (vel, Cum non ſit aliud) niſi quod ſunt aliqui, qui vos perturbant.

ITERUM excuſat Galatas, & acerbiſſimè perſtringit Pſeudoapoſtolos, q. d. vos Galatæ perſuaſi eſtis, Evangelium, quod accepiſtis à me, non eſſe verum & germanum Evangelium, Ideò putatis vos bene facere, quod novum illud, quod Pſeudoapoſtoli prædicant, & melius ſit meo Evangelio, accipitis. Hanc culpam non tam vobis imputo, quàm perturbatorib. illis, qui veſtras conſcientias perturbant & vos de manu mea rapiunt. Hîc iterum vides, quàm ardeat & vehemens ſit Apoſtolus in ſeductores illos; quamq; duriſſimis verbis eos traducat, vocans perturbatores Eccleſiarum & conſcientiarum, qui nihil aliud faciant, quàm quod innumeras conſcientias ſeducant, perturbent & horribilia damna dent in Eccleſiis. Hoc grande malum hodie quoque magno animi dolore videre cogimur, nec tamen illi poſſumus mederi, ut neq; Paulus tunc potuit.

Perturbatores Eccleſiarum.

Is locus teſtatur Pſeudoapoſtolos proculdubio appellâſſe Paulum imperfectum Apoſtolum, item infirmum & erroneum prædicatorem. Ideò ipſe viciſſim appellat hîc eos, perturbatores Eccleſiarum, & everſores Evangelii Chriſti. Ita invicem ſeſe condemnaverunt, Pſeudoapoſtoli Paulum, Paulus viciſſim Pſeudoapoſtolos. Eaq; contentio & condemnatio ſemper exiſtit in Eccleſia, præſertim florente doctrina Evangelii, ſcilicet, quod impii Doctores perſequantur, condemnent & opprimant pios, Econtrà quod pii condemnent impios. Papiſtæ & fanatici ſpiritus extremè nos hodie oderunt, & doctrinam noſtram, ut impiam & erroneam damnant, deinde rebus & vitæ noſtræ inſidiantur. Nos iterum eorum impiam ac

Quomodo Pſeudoapoſtoli traduxerint Paulum.

Impios Doctores odiſſe & perſequi pios.

blaſphemam doctrinam perfecto odio odimus & damnamus. Interim incertus hæret & fluctuat miſer populus, dubius quò inclinet, quos tuto ſequatur. Quia non cuivis datum eſt de rebus tantis Chriſtianè judicare. Verùm eventus indicabit, utri rectè doceant, & alios juſtè condemnent. Nos certè neminem perſequimur, neminem opprimimus aut occidimus. Neque noſtra doctrina perturbat conſcientias, ſed ex infinitis erroribus & laqueis Diaboli eas liberat. Hujus rei habemus multorum bonorum teſtimonia, qui Deo gratias agunt, quod firmam conſolationem conſcientiarum ex noſtra doctrina hauſerunt. Vt ergo culpa tum non erat Pauli, quod perturbarentur Eccleſiæ, ſed Pſeudoapoſtolorum: Ita & hodie non noſtra, ſed Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, & aliorum fanaticorum ſpirituum culpa eſt, quod tot & tantæ turbæ in Eccleſia exiſtunt.

Omnis Doctor operum, eſt perturbator conſcientiarum. Sed id non [illegible] Pſeudoapoſtolis.

Obſerva hic diligenter, Quod omnis Doctor operum & juſticiæ legis ſit perturbator Eccleſiarum & conſcientiarum. Quis autem unquam credidiſſet, quod Papa, Cardinales, Epiſcopi, Monachi, & tota illa Satanæ ſynagoga, præcipue illi ſanctorum ordinum autores (quorum tamen aliquos Deus per miraculum ſalvare potuit) eſſent perturbatores conſcientiarum? Imò etiam deteriores ſunt Pſeudoapoſtolis. Nam hi docuerunt, præter fidem in Chriſtum, opera Legis divinæ neceſſaria eſſe ad ſalutem. Illi verò omiſſa fide, traditiones humanas & opera non divinitus præcepta, ſed à ſeipſis, ſine & contra verbum Dei excogitata, docuerunt. Eaq; non ſolùm æquaverunt verbo Dei, ſed longè ſupra illud extulerunt. Sed quo in ſpeciem ſanctiores ſunt hæretici, hoc magis nocent, Niſi enim Pſeudoapoſtoli inſignibus donis, magna autoritate & ſpecie ſanctitatis præditi fuiſſent, & ſe miniſtros Chriſti, Apoſtolorum diſcipulos, & ſynceros Euangeliſtas prædicâſſent, non tam facile Pauli autoritatem elevare, & Galatas ſeducere, potuiſſent.

Cur Paulus vocet Pſeudoapoſtolos perturbatores Eccleſiarum?

Ideò autem tam acerbe invehitur in eos, vocans perturbatores Eccleſiarum quia præter fidem in Chriſtum, circumciſionem ac legis obſervationem neceſſariam ad ſalutem docebant. Id quod Paulus ipſe infra Cap. 5. teſtatur. Et Luc. Act. Cap. 15. indicat his verbis, Quod quidam deſcendentes de Iudæa docebant Fratres, Niſi circumcidamini ſecundum morem Moſi, non poteſtis ſalvari. Quare magno conatu & pertinacia urſerunt Legem Pſeudoapoſtoli. Quibus ſtatim ſe adjunxerunt pertinaces Iudæi, qui legem ſervari contendebant. Qui poſtea parum firmitatis in fide facilè perſuaſerunt, Paulum non eſſe ſyncerum Doctorem, cum legem negligeret. Videbatur enim ipſis valde indignum, quod lex Dei prorſus tolli, & Iudæi, qui hactenus populus Dei fuerant, & ad quos promiſſiones factæ erant, rejici deberent. Deinde magis indignum videbatur, quod Gentes, impii idololatræ, ſine circumciſione, ſine operibus legis, per ſolam Gratiam & fidem in Chriſtum, ad hanc gloriam & dignitatem pervenire deberent, quod eſſent populus Dei &c. Act. 15.

Iſta acerbiſſimè exaggerârunt Pſeudoapoſtoli, ut invidia onerarent Paulum apud Galatas, Vtq; magis exaſperarent animos eorum adverſus ipſum, dixerunt, Eum contra legem Dei, contra morem totius gentis Iudaicæ, contra exemplum Apoſtolorum, deniq; contra ſuum ipſius exemplum, prædicare gentibus libertatem à Lege, in contemptum & evacuationem legis divinæ & totius regni Iudaici, Ideò eum eſſe vitandum, ut palam blaſphemum in Deum, & ſeditioſum in totam rempublicam Iudaicam. Se verò audiendos, ut qui præter hoc quod docerent rectè Euangelium, eſſent etiam diſcipuli Apoſtolorum, cum quibus Paulus nunquam fuiſſet converſatus. Hac arte traduxerunt Paulum apud Galatas, hocq; effecerunt, ut deficerent ab eo Galatæ. Hic ut veritas Euangelii permaneret apud Galatas, coactus eſt ſe totis viribus opponere Pſeudoapoſtolis, quos certiſſima fiducia damnans, dicit eſſe perturbatores Eccleſiarum, & everſores Euangelii Chriſti, ut ſequitur.

Pſeudoapoſtoli ſua laudant, alios vituperant.

Et volunt pervertere Euangelium Chriſti.

Pſeudoapoſtoli perturbant mul-

Id eſt, ipſi conantur non ſolùm vos perturbare, ſed etiam Euangelium Chriſti

Christi funditùs delere & evertere. Nam ista duo Satan agit. Primùm non est contentus, quod multos perturbat & seducit per suos impios Apostolos, Sed deinde etiam conatur per eos Evangelium penitùs subvertere & tollere, neque quiescit donec hoc effecerit. Tales tamen eversores Evangelii nihil minus audire possunt, quàm se Apostolos Diaboli esse, Imò præ cæteris gloriantur de nomine Christi, & jactans se synceriſſimos Evangelii præcones. Sed quia cum Evangelio legem miscent, non possunt non esse Evangelii eversores. Aut enim Christus stabit, & Lex peribit, Aut Lex stabit, & Christus peribit. Christus enim & Lex nullo modo convenire & simul dominari in conscientia possunt. Vbi dominatur justicia Legis, ibi non potest dominari justicia Gratiæ. Et vicissim, ubi dominatur justicia Gratiæ, ibi non potest dominari justitia Legis. Oportet alteram cedere alteri. Si autem non potes credere, quod Deus propter Christum, quem ad hoc misit in Mundum, ut esset noster Pontifex, velit remittere peccata, Quo modo quæso credes, quod velit remittere illa propter opera Legis, quæ nunquam feciſti, aut tua opera, quæ cogeris fateri talia esse, ut impossibile sit ea opponi judicio Dei? Quare doctrina Gratiæ nullo modo potest stare cum doctrina legis, Oportet simpliciter hanc negari & abrogari, & illam stabiliri.

tor, & Evangelium evertunt.

Impii Doctores pro sanctissimis haberi volunt.

Lex cum Christo non stabit.

Justicia legis & gratiæ contrariæ sunt.

Sed quemadmodum Iudæi abhorrebant à doctrina Fidei & Gratiæ, sic & nos ab ea abhorremus, Ego libenter simul servare velim justiciam illam Gratiæ justificantem, & alteram illam Legis, propter quam Deus me respiceret, Sed illam alteri admiscere, est, ut Paulus hic dicit, Evangelium Christi evertere. Et tamen cum venitur ad contentionem, major pars vincit meliorem. Christus enim cum suis infirmus est, Evangelium item stulta prædicatio est. Econtrà, regnum Mundi & Diabolus princeps ejus fortis est, speciosa deniq; est prudentia & justicia carnis. Sicq; amittitur justicia Gratiæ & fidei, alteraq; Legis ac operum erigitur & defenditur. Sed hoc nostrum solatium est, quod Diabolus cum suis membris efficere non potest, quod vult. Perturbare multos homines potest, sed Evangelium Christi evertere non potest, Veritas periclitari potest, perire non potest, Impugnatur quidem, sed non expugnatur. *Quia VERBUM DOMINI manet in æternum.*

Qui commisceant legem & gratiam justificat, eversores sunt Evangelij.

Apparet autem res levis esse commiscere Evangelium & Legem, fidem & opera, sed plus damni affert, quàm humanus captus assequi potest. Nam non solùm obscurat cognitionem gratiæ, sed Christum cum omnibus suis beneficiis tollit, & totum Evangelium, ut Paulus hîc ait, evertit. Hujus autem tanti mali causa est caro nostra, quæ peccatis immersa, non videt aliam rationem, qua sese explicet ex his, quàm per opera, Ideò vult vivere in justiciis Legis, & niti fiducia operum suorum. Est itaque prorsus ignara doctrinæ fidei & gratiæ, sine qua tamen impossibile est conscientiam reddi pacatam. Apparet quoque ex his verbis Pauli, Et volunt pervertere &c. Pseudoapostolos valde audaces & impudentes fuisse homines, qui toto conatu opposuerunt se Paulo. Ideò ipse suo spiritu & plerophoria fretus, vicissim sese fortissimè opponit eis, ac mirum in modum extollit contra ipsos suum ministerium, dicens:

Quæ incommoda sequantur, cum fides & opera confunduntur.

> *Sed licèt nos, aut Angelus è cœlo, evangeliset vobis, præterquam quod evangelisavimus vobis, Anathema sit.*

Zelus Pauli verbum in Pseudoapostolos.

PAULUS meras flammas loquitur, tamq; vehementer ardet, ut incipiat etiam quasi Angelis maledicere. Etiamsi nos ipsi, inquit, ego & fratres mei, Timotheus, Titus, & quotquot mecum Christum purè docent (non loquor jam de mentium seductoribus) imò si Angelus è cœlo &c. tamen velim potiùs Anathema esse, me, fratres meos, deniq; etiam Angelum è cœlo, quàm quod meum Evangelium inverti debeat, Maximus profectò is ardor est, quod tàm confidenter maledicere audet, non solùm sibi, fratribus suis, sed etiam Angelo è cœlo. Anathema græcè, Ebraicè Herem, latinè est maledictum, execratum, reprobum & simpliciter separatum ab usu, consortio & communione Dei. Sic Hiericho civitas, ait Iosua,

Anathema Herem.

Iosua, sit perpetuum Anathema, ut nunquam reædificetur. Et Levit. ult. scriptum est, Si homo, aut quodcunq; animal, fuerit Anathemati devotum, occidatur & non permittatur vivere. Sic Amalech & quasdam civitates, divina sententia Anathemati destinatas, oportuit prorsus deleri. Est igitur Pauli sententia, Velim potiùs me, alios, imo Angelum e cœlo, maledictum esse, quàm aliud Evangelium prædicari vel à nobis, vel ab aliis, præter id quod prædicavimus. Sic seipsum primùm devovet & maledicit Paulus, Solent enim boni artifices seipsos primùm arguere, ut eò liberius & vehementius postea cæteros arguere possint. Concludit ergo Paulus non esse aliud Evangelium, præter id quod ipse prædicavit. Prædicavit autem Evangelium non à seipso excogitatum, sed quod Deus ab initio promiserat per Prophetas suos, in Scripturis sanctis, Rom. 1. Ideò certissimè pronunciat, se, alios, imo etiam Angelum è cœlo maledictos esse, si diversum ab illo priore doceant. Nam vox Evangelii semel emissa, non revocabitur usque ad diem judicii.

Iosue 6. Levit. ult. 1. Reg. 15.

Evangelium Pauli.

Rom. 1.

Sicut prædiximus, & nunc iterum dico. Si quis vobis evangelisaverit, præter id, quod accepistis, Anathema sit.

IDEM repetit mutatis tantùm personis. Suprà maledixit sibiipsi, fratribus suis, angelo è cœlo. Hic, si qui alii sunt, inquit, præter nos, qui etiam evangelisant vobis, præter id, quod à nobis accepistis, illi quoq; sint maledicti. Itaque simpliciter omnes Doctores, seipsum, fratres suos, Angelum, Deinde quoscunque alios, nempe adversarios Doctores, devovet & maledicit. Vehementissimus is ardor est in Apostolo, quod maledicere audet omnibus Doctoribus in toto orbe terrarum & cœlo, qui invertunt Evangelium suum & diversum docent. Omnes enim cedere debent Evangelio, quod Paulus prædicavit, aut Anathema fieri & damnari. Vtinam hæc horribilis Apostoli sententia terrorem incuderet everssoribus Evangelii Pauli, quorum hodie, proh dolor, mundus plenus est.

Vehementia Pauli in Pseudoapostolos.

Mutatio personarum hoc loco considranda.

Mutatio personarum hîc consideranda est, Aliter enim loquitur Paulus in prima maledictione, quàm in hac secunda. In prima, inquit, Licèt nos, aut Angelus è cœlo evangeliset vobis, præter id, quod evangelisavimus vobis &c. In secunda, præter id, quod accepistis. Hocq; consultò facit, ne Galatæ dicerent, Nos non invertimus Evangelium, quod tu Paule nobis prædicasti, sed te prædicante, illud non rectè intelleximus. Doctores verò te sequentes ostenderunt nobis veram ejus intelligentiam, Hoc, inquit, nullo modo admittam, Nihil debent illi addere vel corrigere, sed quod audistis à me, hoc syncerum est verbum Dei, hoc solum maneat. Nec me alium Evangelii Doctorem, nec vos alios discipulos esse cupio. Ideo si aliquem audieritis, afferentem aliud Evangelium, præter id quod à me audistis, vel gloriantem se meliora traditurum, quàm à me accepistis, is sit unà cum discipulis suis Anathema.

Natura fanaticorum spirituum.

Ea autem est natura ministrorum Satanæ, quod hac mira arte norint irrepere & insinuare se in animos hominum. Fatentur eos, qui ante se docuerunt Evangelium, bene quidem cœpisse, sed hoc non esse satis. Se verò certissima afferre, quæ ita velint tradere, ut auditores magnum fructum inde ferre possint &c. Sic hodie fanatici homines tribuunt nobis hoc laudis, quod rectè inchoaverimus negotium Evangelii, Sed quia eorum blasphemam doctrinam detestamur ac damnamus, appellant nos Adulatores & novos Papistas, duplo deteriores veteribus. Hac arte parant sibi ingressum fures & latrones in ovile Domini, ut furentur, macten & perdant, Nempe quod primùm nostra confirmant, Deinde corrigunt nos, & clarius exponunt, ut ipsi nugantur, quod nos non satis aut minùs rectè intellexerimus. Eodem modo fecerunt sibi Pseudoapostoli aditum ad Galatas. Paulus (dixerunt) jecit quidem fundamentum Christianæ doctrinæ, Sed veram rationem justificationis non tenet, quia defectionem à Lege docet. Hoc igitur quod ipse non potuit recte tradere, accipite à nobis. At Paulus non vult aliud doceri ab ullo, nec aliud audiri & accipi à Galatis, nisi quod ipse prius docuit eos, & ipsi ab eo audierunt

runt & acceperunt. Qui autem, inquit, aliud docent aut accipiunt, Anathema ſunto.

Priora duo cap. ferè nihil aliud continent, quam meras apologias & confutationes. Nam in fine 2. Cap. incipit tandem tractare locum juſtificationis. Admonere tamen nos hæc Pauli ſententia debet, Anathema eſſe quotquot ſentiunt Papam eſſe arbitrum Scripturæ, Item, Eccleſiam habere poteſtatem ſupra ſcripturam. Id quod impie docuerunt Canoniſtæ & Sententionarij, uſi hoc fundamento, Eccleſia tantum approbavit quatuor Evangelia, ergo tantum quatuor ſunt, ſi plura approbaſſet, plura eſſent. Cum autem Eccleſia pro arbitrio ſuo, potuit ſuſcipere & approbare Evangelia, quæ & quot voluit. Ergo Eccleſia eſt ſupra Evangelium. Tenet conſequentia à baculo ad angulum. Ego approbo Scripturam, ergo ſum ſupra eam. Iohannes Baptiſta approbat & confitetur Chriſtum, ac commonſtrat eum digito, ergo eſt ſupra Chriſtum. Eccleſia approbat Chriſtianam doctrinam & fidem, ergo eſt ſupra eam.

Sentire ſolenorum 2. Cap. &

Sentire Papam ſupra ſcripturam eſſe Anathema &c.

Argumentum Papiſtarum, quod Eccleſia ſit ſupra ſcripturam.

Pro confutanda hac ipſorum impia ac blaſphema in Deum doctrina, habes hîc clariſſimum textum & cœleſte fulmen, quod Paulus ſimpliciter ſeipſum, Angelum è cœlo, doctores in terra, & quicquid eſt magiſtrorum, hoc totum rapit & ſubjicit ſacræ ſcripturæ. Hæc Regina debet dominari, huic omnes obedire & ſubjacere debent, Non ejus magiſtri, judices ſeu arbitri, ſed ſimplices teſtes, diſcipuli & confeſſores eſſe debent, ſive ſit Papa, ſive Lutherus, ſive Auguſtinus, ſive Paulus, ſive Angelus è cœlo. Neq; alia doctrina in Eccleſia tradi & audiri debet, quam purum verbum Dei, hoc eſt, ſancta ſcriptura, Vel doctores & auditores cum ſua doctrina Anathema ſunto.

Paulus angelus & homines ſubjicit ſcripturæ.

Nunc enim homines ſuadeo, an Deum?

ISTA dicuntur eodem ardore quo ſuperiora, Q. d. Num ego Paulus, qui publice in Eccleſiis prædicavi, adeo ignotus ſum? Num mei agones acerrimi & tot pugnæ contra Iudæos obſcuræ ſunt? Ex meis concionibus, ex tot & tantis afflictionibus, ſatis opinor, apparet, an hominibus inſerviam an Deo? Omnes namq; vident, quod hac mea prædicatione conciliarim mihi ubiq; perſecutionem, ſumma & atrociſſima odia gentis meæ, & omnium hominum. Satis ergo oſtendo, quod mea prædicatione non quæram favorem ac plauſum hominum, ſed beneficium & gloriam Dei illuſtrare quæram.

Quam mercedem acceperit Paulus pro ſuo labore.

Neq; nos (liceat hoc citra jactantiam dicere) doctrinâ noſtra favorem hominum quærimus. Docemus enim omnes homines natura eſſe impios & filios iræ, Liberum Arbitrium, vires humanas, ſapientiam, juſticiam, omnemq; religionem voluntariam damnamus. Summa, nihil omnino in nobis eſſe dicimus, quod valeat ad promerendam Gratiam ac remiſſionem peccatorum, Sed ſola unica ac mera Dei miſericordia propter Chriſtum eam nobis contingere prædicamus. Sic enim enarrant cœli gloriam Dei & opera ejus, damnatis univerſis hominibus ac operibus eorum. Hoc certe non eſt prædicare in gratiam hominum & mundi. Mundus enim non poteſt gravius aut acerbius irritari, quam cum damnatur Sapientia, juſticia, religio, potentia ejus. Hæc optima & ſumma dona Mundi damnare, profecto non eſt adulari mundo, Sed potius odium & infortunium (ut ajunt) ultro quærere, & in promptu etiam invenire. Nam ſi homines & omnia ipſorum, in ſpeciem optima ſtudia damnamus, fieri aliter non poteſt, quin ſtatim inveniamus eorũ acerbiſſima odia, perſecutiones, excomunicationes, damnationes & cædes.

Si cætera ergo, inquit Paulus, vident, cur & hoc non vident, quod divina doceo, non humana? hoc eſt, quod meâ doctrinâ non quæro hominum favorem, ſed Dei miſericordiam in Chriſto nobis exhibitam illuſtro? Nam ſi favorem hominum quærerem, non damnarem omnia ipſorum opera. Hoc ipſo autem, quod opera hominum damno, hoc eſt, quod ſententiã divinam fero ex verbo Dei (cujus ego miniſter & Apoſtolus ſum) contra omnes homines, quod peccatores, impij, injuſti,

Divina docet.

Digitized by Google

injusti, filii iræ, captivi Satanæ, ac damnati sint, quodq; justificentur non operibus, non circumcisione, sed sola Gratia & fide in Christum, concilio mihi odium implacabile omnium hominum. Nihil enim minùs audire possunt, quàm se esse tales, imò prædicari volunt sapientes, justi, sancti &c. Quare ista res satis testatur me humana non docere.

Ad eundem modum loquitur & Christus Iohan. 7. Non potest vos odisse Mundus, me autem odit, quia testimonium perhibeo de eo, quod opera ejus mala sint. Et Iohan. 3. Hoc est judicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim opera eorum mala. Quod autem divina doceo, inquit Apostolus, vel ex hoc satis intelligi potest, quod solius Dei gratiam, misericordiam, beneficium & gloriam prædico. Deinde qui ea loquitur, ut Christus ait, quæ Dominus ac Magister suus ei mandavit, & non se, sed eum, cujus Apostolus est, glorificat, Is certum & divinum Verbum affert & docet. At ego ea tantùm, quæ mihi divinitùs mandata sunt, doceo, nec meipsum, sed eum qui misit me, glorifico. Præterea concito mihi iram & indignationem Iudæorum & gentium, Igitur doctrina mea est vera, pura, certa & divina, neq; potest esse alia (multò minùs melior) quàm hæc mea. Quare quæcunq; alia, quæ non eodem modo docet, ut mea, Omnes homines esse peccatores, & sola Fide in Christum justificari, necessariò est falsa, incerta, impia, blasphema, maledicta & diabolica, Talesq; sunt omnes, qui eam docent & accipiunt.

Iohan. 7.

Iohan. 3.

Signa quæ testantur Pauli doctrinam veram.

Pseudoapostoli hominibus placere student.

Sic nos cum Paulo securissimè & certissimè pronunciamus, omnem doctrinam esse maledictam, quæ cum nostra diffidet. Nam neq; nos certè quærimus nostra prædicatione plausum hominum, aut favorem Principum, Episcoporum &c. sed solius Dei favorem, Cujus etiam solius Gratiam ac misericordiam prædicamus, conculcatis ac damnatis omnibus nostris. Qui igitur aliud Evangelium, vel contrarium nostro docet, missum à Diabolo & Anathema esse confidenter dicimus.

An quæro hominibus placere?

ID est, Inservio ne hominibus, an Deo? Semper obliquè petit Pseudoapostolos. Hi necessariò, inquit, quærunt hominibus placere, ac illis adulantur, Per hoc enim quærunt, ut ipsi vicissim in carne eorum gloriari possint. Deinde quia odia ac persecutionem hominum nolunt ferre, docent Circumcisionem, ut tantùm persecutionem crucis Christi non sustineant, Infrà Cap. 5. Sic hodiè plures invenias, qui hominibus placere student, Vtq; in pace ac securitate carnis agere possint, suadent humana, hoc est, docent impia, Vel certè contra Conscientiam probant adversariorum Blasphemias ac impia judicia contra verbum Dei, ut saltem Principum & Episcoporum retineant favorem, ac sua non amittant. Nos verò, quia Deo non hominibus placere studemus, concitamus nobis invidiam diabolicam & infernalem, sustinemusq; probra & maledicta Mundi, mortem & omnia mala.

Humana docentes placent hominibus.

Pseudoapostoli hominibus placere student.

Sic Paulus hîc, Non quæro, inquit, placere hominibus, ut ipsi doctrinam meam laudent, ac prædicent me optimum Doctorem, sed soli Deo meam doctrinam placere cupio, atq; per hoc infensos hostiliter reddo mihi homines, Hocq; experior. Rependunt enim mihi mercedem, ignominiam, blasphemiam, carcerem, gladium &c. Contrà, Pseudoapostoli humana docent, hoc est, placentia & plausibilia rationi, hocq; ideò, ut pacem habeant, & populi favorem ac plausum mereantur. Et hi quod quærunt, inveniunt. Laudantur enim & magnifiunt ab omnibus. Sic & Christus Matth. 6. ait, Hypocritas omnia facere, ut glorificentur ab hominibus. Et Iohan. 5. graviter increpat tales, Quo modo inquit potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, nõ quæritis? Quæ hactenus dixit Paulus, exempla fere tantùm sunt, Interim tamen ubiq; vehementer urget suam doctrinam veram & germanam esse, Ideò hortatur Galatas, ne eâ spretâ aliam recipiant.

Merces piorum Doctorum.

Merces impiorum.

Matth. 6. Iohan. 5.

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

HÆC

Digitized by Google

HÆC omnia referenda ſunt ad totum officium & miniſterium Pauli, ut ſit Antitheſis quædam contra priorem converſationem ipſius in Iudaiſmo, q. d. Putatis me adhuc hominibus placere, ut antea feci? Sic infra Cap. 5. Si circumciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? q. d. An non videtis & auditis quotidianos Agones, maximas perſecutiones & afflictiones meas? poſtquam converſus, & ad Apoſtolatum vocatus ſum, nunquam ſuaſi hominibus, nunquam quæſivi eis placere, ſed ſoli Deo, hoc eſt, miniſterio & doctrina mea non quæro gloriam & favorem hominum, ſed Dei. *Mendacia Pſeudoapoſtolorum Paulo &c.*

Paulus iſta dicit, ut oſtendat quàm inſidioſe & callide ſtuduerint Pſeudoapoſtoli invidiam ſibi concitare apud Galatas. Quæſierunt ex concionibus & ſcriptis ejus Antilogias (ut hodie adverſarii ex noſtris libris colligunt) atq; ita convincere eum voluerunt, quod pugnantia docuiſſet, Ideoq; dicebant, fidem Paulo non adhibendam, ſed ſervandam eſſe Circumciſionem & Legem. Id quod ipſe etiam comprobaret ſuo proprio exemplo, Quia ſecundum legem circumcidiſſet Timotheum, cùm viris quatuor purgaſſet ſe in templo Hieroſolymis, caput totondiſſet in Cenchreis &c. Iſta calumniatores finxerunt Paulum neceſſario feciſſe, coactum mandato ac autoritate Apoſtolorum &c. Quæ tamen liberè obſervaverat in obſequium infirmorum, qui nondum intelligebant libertatem Chriſtianam, ne offenderentur. Ad quorum calumnias ita reſpondet, Quomodo hæc vera ſint, quæ pro evertendo meo Evangelio, & rurſum erigenda Lege & circumciſione contra me fingunt Pſeudoapoſtoli, ſatis res ipſa loquitur. Nam ſi prædicarem Legem & circumciſionem, & laudarem vires & ſtudia hominum, non eſſem inviſus hominibus, ſed placerem ipſis.

Notum enim facio vobis, fratres, Evangelium, quod evangeliſatum eſt per me, non eſſe ſecundum hominem. Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, Sed per revelationem Ieſu Chriſti.

HÆC eſt propoſitio præſentis loci, quæ dabit confutationem & Apologiam uſque ad finem 2. Cap. Eſtq; hiſtoria perpetua quædam, quam Paulus hic recitat. In qua concordanda anxie ſeſe torquet & multum laborat Hieronymus. Verum cauſam ipſam non attingit, quia non conſiderat quid Paulus velit, aut quo ſpectet. Sunt autem hiſtoriæ in ſcripturis ſæpe conciſæ & confuſæ, ut conciliari facile non poſſint. Vt ſunt negationes Petri, & hiſtoria paſſionis Chriſti &c. Sic hic Paulus integram hiſtoriam non recitat. Ego non laboro neque multum ſolicitus ſum de ea concordanda, ſed tantum hic conſidero, quod Pauli ſit conſilium, & quo ſpectet. *Hiſtoriæ ſcripturæ ſæpe confuſæ eſſe.*

Eſt autem præſentis loci hæc propoſitio, Evangelium meum non eſt ſecundum hominem, neque illud accepi ab homine, Sed per revelationem Ieſu Chriſti. Iſtam propoſitionem urget, in ea commoratur, & jure jurando eam confirmat, quod Evangelium ſuum non didicerit ab ullo homine, Sed per revelationem Ieſu Chriſti acceperit. Et neceſſario jurat, ut hoc credant Galatæ, deinde ne aurem præbeant Pſeudoapoſtolis, quos mendaces arguit, quia dixerant, Paulum accepiſſe & didiciſſe Evangelium ſuum ab Apoſtolis. Quod autem dicit, Evangelium ſuum non eſſe ſecundum hominem, non hoc vult, quod Evangelium ſuum non ſit humanum, quia hoc per ſe notum eſt, Nam & Pſeudoapoſtoli gloriabantur ſuam doctrinam non eſſe humanam, ſed divinam, Sed hoc vult, quod nullo miniſterio hominum Evangelium didicerit, aut humano medio acceperit (ut nos omnes vel hominum miniſterio diſcimus, vel aliquo alio humano medio accipimus, alii audiendo, alii legendo, ſcribendo, pingendo &c.) Sed quod ſimpliciter illud acceperit per revelationem Ieſu Chriſti. Qui aliter diſtinguere vult, illi ſane per me licebit. *Propoſitio hujus loci.* *Evangelium Pauli non eſt ſecundum hominem.*

Apoſtolus hic obiter oſtendit, Chriſtum non ſolum hominem, ſed ſimul eſſe verum Deum & hominem, cum ait, ſe Evangelium ſuum non accepiſſe per hominem, Accepit autem Evangelium ſuum Paulus in via, cum proficiſceretur Damaſcum, *Chriſtus Deus & homo.*

mascum, ubi Christus ei apparuit, & cum eo locutus est, Locutus est & postea cum eo in templo Hierosolymis, sed in via Evangelium accepit, ut Lucas in Actor. 9. historiam recitat. Surge, inquit ad eum Christus, & ingredere civitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Non jubet eum abire in civitatem, ut Evangelium ab Anania discat, Sed Ananias debebat eum baptisare, manus illi imponere, ministerium verbi committere, ac Ecclesiæ eum commendare, non docere Evangelium, quod per solam, ut hic jactat, revelationem Iesu Christi, jam antea in via, acceperat. Idq; fatetur Ananias ipse his verbis, Salve frater, inquiens, Dominus, qui apparuit tibi in via, misit me, ut visum recipias &c. Ideo doctrinam ab Anania non accepit, Sed jam vocatus, illuminatus & edoctus à Christo in via, mittitur ad Ananiam, ut etiam testimonium habeat ab hominibus, se esse divinitus vocatum ad prædicandum Evangelium Christi.

Vbi Paulus acceperit Evangelium suum.

Act. 9.

Ista recitare cogitur Paulus ad depellendam calumniam Pseudoapostolorum, qui studebant invidia eum gravare apud Galatas, hoc modo, Quod Paulus longe inferior esset reliquis apostolorũ discipulis, qui quod docerent & servarent, accepissent ab Apostolis, quorum etiam conversationem longo tempore vidissent, Hæc eadem ipsum quoque Paulum, etiamsi neget, ab eis accepisse, Cur igitur potiùs inferiori vellent obtemperare, & autoritatem ipsorum Apostolorum, qui non solùm Majores & Doctores essent Galatarum, sed omnium Ecclesiarum totius orbis terrarum, contemnere? Fuit hoc Pseudoapostolorum profecto magnum & firmum argumentum ab autoritate Apostolorum sumptum, quo in momento Galatæ fuerunt subversi, præsertim in ista causa. Ego nunquam credidissem, nisi admonitus istis exemplis Ecclesiarum Galatiæ, Corinthiorum, Asiæ &c. quod hi etiam, qui initio acceperunt Verbum cum gaudio (inter quos multi excellentes homines fuerunt) tam subito everti possent. Bone Deus, quàm facile datur horribile & infinitum damnum unico argumento, quod conscientiam sic percellit, subtrahente Domino Gratiam, ut aliquis totam rem in momento amittat. Facile ergo hoc fuco imposuerunt Pseudoapostoli Galatis, nondum corroboratis, neq; fixas radices habentibus, sed adhuc infirmis in fide.

Argumentum Pseudoapostolorum ab autoritate Apostolorum sumptum.

Lapsus est facillimus.

Deinde causa quoque justificationis lubrica est, non quidem per se, per se enim est firmissima ac certissima, sed quo ad nos. Id quod ego ipse sæpe experior. Novi enim in quibus horis tenebrarum nonnunquam lucter, Novi, quoties ego radios Evangelii & Gratiæ, veluti in quibusdam densis nubibus subito amittam, Novi denique, quam versentur ibi in lubrico etiam exercitati, & qui pedem firmissime figunt. Habemus quidem cognitionem hujus causæ, qui eam docere possumus, hocq; certum signum est, nos tenere eam. Nemo enim alios docere potest, quod ipse ignorat. Signum scientis est, inquit ille, posse docere. Verum cum jam in præsenti agone uti debemus Evangelio, quod verbum est Gratiæ, consolationis & vitæ, ibi Lex, verbum iræ, tristiciæ & mortis prævenit Evangelium, & incipit tumultuari, & non minores terrores excitat in conscientia, quàm terrifica illa & horribilis species in monte Sinai. Sic ut vel unus locus comminationis ex Scriptura omnes obruat & obnubilet consolationes, adeoq; omnia interiora nostra concutiat, ut plane obliviscamur causæ justificationis, Gratiæ, Christi & Evangelii.

Tanta est infirmitas etiam in piis, ut ægre assentiantur promissis Dei, licet certissima sint.

Legis officium.

Ideo quantum ad nos attinet, res valde lubrica est, quia nos lubrici sumus. Deinde dimidium nostri, nempe ipsam rationem, & vires rationis, habemus contrarias nobis. Resistit insuper spiritui caro, quæ non potest certo statuere promissa Dei vera esse, Ideo pugnat & militat contra spiritum, & ut Paulus ait, captivat spiritum, ut tam firmiter credere non possit, ac velit. Quare perpetuo inculcamus, cognitionem Christi & fidem non esse rem aut opus humanum, sed simpliciter donum Dei, Qui ut creat, ita conservat fidem in nobis. Sicut autem per Verbum fidem primum donat, ita deinceps per verbum exercet, auget, confirmat & perficit eam. Itaq; summus Dei cultus & sabbatum sabbatorum est, exercere sese ad pietatem tractare & audire Verbum. Econtra nihil periculosius est, quàm fastidium

Certissima plerum.

Fides donum Dei.

Summus Dei cultus.

Verbi.

Verbi. Qui ergo ſic friget, quod putat ſe apprehendiſſe, & incipit paulatim faſtidire Verbum, ille jam Chriſtum & Evangelium amiſit, & hoc quod putat ſe noſſe, tantum ſpeculative apprehendit, Eſtq; ſimilis viro, ut Iacobus ait, conſideranti faciem in ſpeculo, qui abiens ſtatim obliviſcitur qualis fuerit, Talesq; fiunt tandem fanatici ac nugaces ſpiritus. *Que incommoda ſequantur faſtidium verbi.*

Quare unusquisq; pius toto conatu ſummisq; viribus contendat, & decertet ſerio diſcere & conſervare hanc doctrinam. Et ad hoc utatur humili oratione coram Deo, & aſſiduo ſtudio ac meditatione verbi. Et quanquam vehementiſſimè decertaverimus, adhuc ſatis tamen ſudabimus. Habemus enim non contemnendos, ſed maximos, fortiſſimos & valde aſſiduos hoſtes contra nos, Carnem noſtram, omnia pericula mundi, item Legem, peccatum, mortem, iram ac judicium Dei, & Diabolum ipſum, qui nunquam quieſcit, intus per ignita tela, foris per Pſeudoapoſtolos nos tentare, ut ſi non omnes, tamen plures ex nobis ſubvertat. *Tractatione verbi & oratione conſervatur doctrina Pietatis.* *Hoſtes piorum.*

Valde igitur ſpecioſum & robuſtum hoc argumentum Pſeudoapoſtolorum fuit, quod & hodie plures commovet, ſcilicet, Apoſtoli, ſancti Patres & eorum ſucceſſores, ſic docuerunt, Eccleſia ſic ſentit & credit. Impoſſibile eſt autem quod Chriſtus tot ſeculis Eccleſiam ſuam errare ſinat. Tu certè ſolus non ſapis plus, quàm tot ſancti viri, & tota Eccleſia &c. Hoc modo Diabolus, in angelum lucis transfiguratus, per virulentos quoſdam Hypocritas hodie nos inſidioſe adoritur, qui dicunt, Nihil moramur Papam, Epiſcopos, ſummos Verbi contemptores & perſecutores, deteſtamur etiam Hypocriſin & impoſturam Monachorum &c. Sed ſacro ſanctæ Catholiæ Eccleſiæ autoritatem cupimus illæſam. Ea tot ſeculis ſic ſenſit & docuit, Sic ſenſerunt & docuerunt omnes primitivæ Eccleſiæ Doctores, viri ſanctiſſimi, multo majores, ac doctiores te. Quis tu es, quod auſis ab his omnibus diſſentire, & nobis diverſum dogma obtrudere? Quando Satan hoc urget, & conſpirat cum carne & ratione, perterrefit conſcientia & deſperat, niſi conſtanter ad te redeas, & dicas, Sive S. Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, ſive S. Petrus, Paulus, Iohannes, imo angelus è cœlo, aliter doceat, tamen hoc certo ſcio, quod humana non ſuadeo, ſed divina, hoc eſt, quod Deo omnia tribuo, hominibus nihil. *Argumentum quod hodie nobis opponitur, & multos movet.*

Memini initio meæ cauſæ, D. Staupitium, tunc ſummum virum & Vicarium ordinis Auguſtiniani, ad me dicere, Hoc mihi, inquit, placet, quod hæc doctrina, quam prædicas, gloriam & omnia ſoli Deo tribuit, hominibus nihil. Deo autem (id quod luce clarius eſt) nimium gloriæ, bonitatis &c. attribui non poteſt. Ea vox vehementer tum me conſolabatur & confirmabat. Et verum eſt, doctrinam Evangelii adimere hominibus omnem gloriam, ſapientiam, juſticiam &c. & iſta tribuere ſoli Creatori, qui ex nihilo omnia facit. Multo autem turius eſt tribuere nimium Deo, quàm hominibus. Ibi enim cum fiducia dicere poſſum, Eſto ſane, Eccleſia, Auguſtinus & alii Doctores, item Petrus, Apollo, imo etiam angelus è cœlo diverſum doceant, tamen mea doctrina eſt ejuſmodi, quod ſolius Dei gratiam & gloriam illuſtrat & prædicat, & omnium hominum ſapientiam, juſticiam (in cauſa ſalutis) damnat. Hic peccare non poſſum, quia tribuo Deo & hominibus, quod propriè & vere utrisq; competit. *D. Staupitius.* *Doctrina Evangelij omnia tribuit Deo, hominibus nihil.*

At ais, Eccleſia eſt ſancta, Patres ſunt ſancti. Bene, ſed Eccleſia quamlibet ſancta, tamen cogitur orare, Remitte nobis debita noſtra. Sic Patres quamlibet ſancti tamen per remiſſionem Peccatorum ſalvati ſunt. Ergo neq; mihi, neq; Eccleſiæ, neq; Patribus, neq; Apoſtolis, neq; angelo è cœlo credendum eſt, ſi quid contra verbum Dei docemus, Sed verbum Domini ſtet in æternum. Alioqui hoc argumentum Pſeudoapoſtolorum maximè valuiſſet contra Pauli doctrinam. Quia profecto magna, magna inquam, res fuit, opponere totam Eccleſiam, cum toto choro Apoſtolorum, Galatis, contra Paulum unicum, & cum recentiorem, ac minus autoritatis habentem. Firmiſſimum ergo hoc argumentum fuit, & potenter *Neq; Apoſtolo, neq; angelo credendum, ſi quid doceat contra verbum Dei.*

concluſit, Nemo enim libenter dicit Eccleſiam errare, Et tamen neceſſe eſt dicere, eam errare, ſi extra vel contra verbum Dei aliquid docet.

Petri error. Petrus Apoſtolorum ſummus vivebat & docebat extra verbum Dei, ergo errabat. Neque Paulus hunc errorem (licet in ſpeciem levis videbatur) diſſimulavit, Quia videbat hoc ceſſurum in perniciem toti Eccleſiæ, Sed in faciem illi reſtitit, reprehendens in eo, quod ſecundùm veritatem Evangelii non ambularet. Infra Cap. 2. Igitur neq; Eccleſia, neq; Patres, neq; Apoſtoli, neq; angeli audiendi ſunt, niſi afferant & doceant purum Dei verbum.

Argumentum ſpectans ſum contra Papiſtas. Hoc argumentum & hodie maxime prægravat cauſam noſtram. Nam ſi neque Papæ, neq; Patribus, neq; Luthero &c. credendum eſt, niſi doceant purum Dei verbum, cui tum credendum eſt? Quis interim certas faciet conſcientias, utri purum Dei verbum doceant, nos, an adverſarii noſtri? Nam & ipſi jactant ſe purum Dei verbum habere & docere. Nos Papiſtis non credimus, quia verbum Dei non docent, neque poſſunt docere. Econtra ipſi acerrime nos oderunt, & inſectantur ut peſtilentiſſimos hæreticos ac ſeductores. Quid hic faciendum? Num cuivis fanatico ſpiritui permittendum, ut doceat quæ velit, cum Mundus neque audire, neque ferre noſtram doctrinam poſſit? Vt maxime enim cum Paulo gloriemur, nos purum Chriſti Evangelium docere (cui non ſolùm cedere debeant, Cæſar, Papa & totus mundus, ſed etiam obviis manibus & ſumma gratiarum actione ſuſcipere, exoſculari, & diligenter curare, ut ubique doceretur, Si autem aliquis diverſum doceat, ſive ſit Papa, ſive S. Auguſtinus, ſive Apoſtolus, ſive Angelus è cœlo,, eum eſſe cum ſuo Evangelio Anathema) nihil tamen proficimus, Sed audire cogimur, hanc noſtram gloriationem non ſolùm eſſe ſuperbam, temerariam, vaniſſimam, ſed & blaſphemam ac diabolicam. Si verò demittimus nos & cedimus furori Adverſariorum, tum utrique & Papiſtæ & fanatici ſpiritus ſuperbiunt. Hi aliquid novi, quod mundus antea non audivit, afferre & docere, Illi verò ſuas abominationes rurſum erigere & confirmare volunt. Quisq; igitur videat, ut certiſſimus ſit de ſua vocatione & doctrina, ut cùm Paulo certiſſime ac ſecuriſſime auſit dicere, Etiamſi nos aut Angelus è cœlo &c.

Hactenus de propoſitione hujus loci, quæ eſt, Ego Evangelium meum ab homine non accepi, ſed per revelationem Ieſu Chriſti. Hanc prolixe nunc probabit per multas hiſtorias ac res geſtas.

Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Iudaiſmo, quod ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & vaſtabam eam, Et proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos, in genere meo.

Paulus zelus pro lege Dei. Hic locus non habet aliquam ſingularem doctrinam, Allegat tamen Paulus hic ſuum exemplum, dicens, Ego fortius & conſtantius defendi Phariſaiſmum & Iudaiſmum, quàm vos & falſi Doctores veſtri. Quare, ſi juſticia Legis aliquid eſſet, tunc & ego ab ea non defeciſſem, in qua tamen præſtanda, ante cognitum Chriſtum, ita me exercui, & profeci etiam, ut multos generis mei coætaneos ſuperaverim. Deinde etiam pro defendenda ea uſque adeo zelavi, ut acerrime perſecutus ſim Eccleſiam Dei, ac vaſtaverim eam. Nam multos Sanctorum poteſtate à principibus Sacerdotum accepta, carceribus incluſi, & cum occiderentur, detuli ſententiam, & per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blaſphemare, & amplius inſaniens in eos, perſequebar uſque in exteras civitates. Gal. 1.

Abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.

Quid Paulus vocet traditiones paternas. PATERNAS traditiones hoc loco vocat non phariſaicas aut humanas, ut Hieronymus rectè admonet. Nam hic non agit de phariſaicis traditionibus, ſed de re longè magis ardua. Itaq; ipſam ſanctam legem Moſi vocat traditiones paternas, hoc eſt, à Patribus acceptas & hæreditatas, Pro his, inquit, maxime in Iudaiſmo zelavi. Ad eundem modum loquitur & ad Philip. 3. Secundum Legem, inquit, fui Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundum juſti- Phil. 3.

ciam,

ciam, quæ in lege eſt, converſatus ſine querela, q. d. Palam gloriari poſſem, & inſultare hic univerſæ genti Iudaicæ, & optimis & ſanctiſſimis ex circumciſione, ut ex omnibus unum mihi producerent, ardentiorem aut vehementiorem propugnatorem legis Moſi, quam ego olim fuerim, Inſignis planè præ cęteris eram zelotes paternarum traditionum, hoc eſt, ſtudioſiſſimus juſticiæ legalis. Hoc vos Galatæ movere debebat, ne credderetis iſtis impoſtoribus, qui Legis juſticiam magnifaciunt, ut rem maximi momenti, Cum in hac ipſa juſticia legali, ſi gloriandum eſſet, ego verius excellenter gloriari poſſem.

Sic ſi quiſpiam alius, certè ego, ante lucem Evangelii, piè ſenſi & zelavi pro Papiſticis legibus & Patrum traditionibus easq; magno ſerio, ut ſanctas, & earum obſervationem tanquam neceſſariam ad ſalutem, urſi & defendi: Deinde ego ipſe qua potui diligentia conatus ſum eas præſtare, plus inedia, vigiliis, orationibus, & aliis exercitiis corpus macerans, quam omnes illi, qui hodie tam acerbe oderunt & perſequuntur me, quod eis nunc gloriam juſtificandi detraho. Nam in iis obſervandis tam diligens & ſuperſtitioſus eram, ut plus oneris imponerem corpori, quam ut ſine periculo ſanitatis ferre poterat, purè adoravi Papam, non quærens præbendas, dignitates &c. ſed quicquid feci ex ſimplici corde, bono zelo, & ad gloriam Dei feci &c. Sed quæ mihi erant lucra, ea cum Paulo arbitror nunc eſſe damnum, propter excellentiam cognitionis Chriſti Ieſu Domini mei. Sed adverſarii, ut homines ocioſi & nullis tentationibus probati, non credunt, talia expertos & perpeſſos eſſe me & plerosque alios, qui ſummo ſtudio quærebant pacem cordis, quam tamen in tantis tenebris impoſſibile erat inveniri.

Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, Et vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, Continuo non contuli cum carne & ſanguine, Neq; veni Hieroſolymam ad eos, qui ante me fuerunt Apoſtoli, Sed abii in Arabiam, & iterum reverſus ſum Damaſcum.

Prima Pauli profectio.

Hæc prima eſt Pauli profectio Hieronymus hic ſudat, & dicit Lucam in Actis nihil ſcribere de profectione Pauli in Arabiam. Quaſi neceſſe ſit, ſingularum dierum res geſtas & opera ſcribere, cum hoc impoſſibile ſit. Satis ſit, nos habere particulas & ſummam aliquam hiſtoriarum, ex quibus exempla & inſtructionem habere poſſumus. Teſtatur autem hic Paulus, ſe ſtatim, poſtquam per gratiam Dei, vocatus fuit, ad prædicandum Chriſtum inter gentes, abiiſſe in Arabiam, nemine conſulto, ad opus, ad quod erat vocatus. Hicq; locus teſtatur, A quo edoctus ſit, quibus mediis pervenerit ad cognitionẽ Evangelii & Apoſtolatum. Cum placuit Deo, inquit, q. d. Non per hoc meritus ſum, quod ſine judicio zelabam pro lege Dei, Imo iſte ſtultus & impius zelus excæcabat me, ut, Deo permittente, ruerem in furores ſceleſtiſſimorum criminum, Perſequebar Eccleſiam Dei, hoſtis eram Chriſti, & Evangelium ipſius blaſphemabam, Deniq; autor eram multi innoxii ſanguinis fundendi, hoc meum erat meritum. In mediis iſtis furoribus vocatus ſum ad tantam gratiam. Num propter furores iſtos? Minime. Sed exuberans gratia vocantis & miſerentis Dei ignovit & remiſit mihi iſtas blaſphemias &c, Et pro iſtis horribilibus peccatis meis, quæ tum putabam eſſe ſummam juſticiam, & cultum Deo gratiſſimum, dedit mihi ſuam gratiam, cognitionem veritatis, & vocavit ad Apoſtolatum.

Meritum S. Pauli.

Nos eadem meritis hodie pervenimus ad cognitionem Gratiæ. Ego in monachatu Chriſtum quotidie crucifixi, & falſa mea fiducia, quæ tum perpetuò adhærebat mihi, blaſphemavi. Externe non eram, ſicut cæteri homines, Raptores, injuſti, adulteri, ſed ſervabam caſtitatem, obedientiam & paupertatem, deniq; liber à curis præſentis vitæ, totus eram deditus jejuniis, vigiliis, orationibus, legendis miſſis &c. Interim tamen ſub iſta ſanctitate & fiducia juſticiæ propriæ, alebam perpetuam diffidentiam, dubitationem, pavorem, odium & blaſphemiam Dei, Eratq; juſticia illa mea nihil aliud quàm latrina & ſuaviſſimum regnum Diaboli. Ejuſmodi namque

Quibus meritis pervenimus ad gratiam.

namque Sanctos diligit Satan, ac pro ſuaviſſimis deliciis habet, qui ſua ipſorum corpora & animas perdunt, qui defraudant & privant ſe omnibus benedictionibus donorum Dei. Interim tamen regnat in talibus ſumma Impietas, cæcitas, dubitatio, contemptus Dei, ignorantia Evangelii, profanatio Sacramentorum, blaſphemia & conculcatio Chriſti, & abuſus omnium bonorum Dei. In ſumma, tales ſancti captivi ſervi ſunt Satanæ, ideo coguntur cogitare, loqui & facere, quæ ipſe vult, ut maxime foris videantur cæteros longe ſuperare bonis operibus, auſteritate, & ſanctitate vitæ.

Quos Sanctos Diabolus diligit.

Tales nos ſub papatu fuimus, profectò non minus (ſi non plus) contumelioſi & blaſphemi in Chriſtum, & ejus Evangelium, quam Paulus ipſe, præcipue ego. Tanta erat autoritas Papæ apud me, ut vel in minimo diſſentire ab ipſo putarem crimen æterna damnatione dignum. Eaq; impia opinio faciebat, ut credere Iohannem Hus tam maledictum eſſe hæreticum, ut vel de eo cogitare ſceleratum ducerem, Et pro defendenda autoritate Papæ, ipſe ferrum & ignem ſubminiſtraſſem ad comburendum illum hæreticum, & putaſſem me ſummum obſequium Deo præſtare. Ideo publicani & meretrices ne mali quidem ſunt, ſi conferas eos cum iſtiuſmodi hypocriticis ſanctis. Illi enim peccantes re morſum conſcientiæ habent, nec ſua impia facta juſtificant, Hi vero tantum abeſt, ut ſuas abominationes, Idolatrias & impios cultus agnoſcant eſſe peccata, ut prædicent eſſe juſticiam, & acceptiſſimum Deo ſacrificium, & pro maxima ſanctitate adorent, aliiſq; per ea ſalutem polliceantur, ac eis, tanquam ſalutiferas res, pro pecunia venditent.

Iohannes Hus.

Publicani & meretrices meliores juſticiarii.

Ea eſt ergo præclara juſticia noſtra, hoc ingens meritum noſtrum, quo pervenimus ad cognitionem Gratiæ, nempe quod jam hoſtiliter ac Satanice perſecuti ſumus, blaſphemavimus, conculcavimus & condemnavimus Deum, Chriſtum, Evangelium, Fidem, Sacramenta, omnes pios, verum cultum Dei, Et prorſus contraria docuimus & ſtatuimus. Et quo ſanctiores fuimus, hoc magis excæcati eramus, & purius Diabolum adorabamus, Nemo noſtrum non erat vir ſanguinum, ſi non opere, tamen corde.

Meritum noſtrum.

Cum placuit ei.

Q. d. mera & inæſtimabilis gratia Dei eſt, quod mihi homini tam ſcelerato, blaſphemo, perſecutori & ſacrilego, non tantum parcit, ſed inſuper etiam cognitione ſalutis, ſpiritu, Chriſto Filio ſuo, Apoſtolatu & vita æterna donat. Sic nos ſimilibus peccatis obnoxios, reſpiciens Deus, non ſolum remiſit impietates & blaſphemias noſtras, ex mera miſericordia propter Chriſtum, ſed inſuper etiam maximis beneficiis ac ſpiritualibus donis obruit nos. Verum multi ex nobis, non ſolum ingrati ſunt Deo pro hac inenarrabili gratia, & obliviſcuntur purgationis, ut 2. Pet. 1. dicitur, veterum ſuorum delictorum & donatæ Gratiæ, ſed rurſum aperientes Diabolo feneſtram, incipiunt faſtidire verbum, plerique depravant etiam, ac novorum errorum autores ſunt, Horum noviſſima fiunt pejora prioribus.

Quibus meritis perveniamus ad gratiam.

2. Pet. 1.

Qui ſegregavit me ex utero Matris meæ.

PHRASIS eſt Ebraica, hoc eſt, ſanctificavit, ordinavit, paravit me. Hoc eſt, Iam prædeſtinaverat Deus, cum adhuc in utero matris eſſem, fore, ut tanto furore ſævirem adverſus Eccleſiam, Vtq; deinde mera gratia è medio curſu crudelitatis & blaſphemiæ meæ miſericorditer revocaret me in viam veritatis & ſalutis. Summa, Cum nondum natus eſſem, eram Apoſtolus in oculis Dei, & cum tempus venit, declaratus ſum Apoſtolus etiam coram mundo. Sic Paulus prorſus omnia merita præcidit, & ſoli Deo gloriam, ſibi autem meram confuſionem tribuit, Quaſi ſic velit dicere, Omnia dona, minima & maxima, ſpiritualia & corporalia, quæ mihi donaturus erat Deus, & omnia bona, quæ unquam per omnem vitam facturus eram, ipſe Deus jam prædeſtinaverat, cum adhuc eſſem in utero matris, ubi neque cogitare neq; optare, neq; facere quicquam boni potui, ſed informis embryo fui. Idco ex mera prædeſtinante ac miſerante Dei gratia, hoc donum mihi venit, etiam

Segregare.

nondum

nondum nato. Deinde cum jam natus eram, toleravit me infinitis monſtris malorum & peccatorum onuſtum. Vtq; plus declararet in me ingentiſſimam & infinitam magnitudinem ſuæ miſericordiæ, remiſit mihi ex mera Gratia, maxima & infinita peccata mea. Deinde etiam tanta ubertate gratiæ obruit me, ut non ſolum ipſe agnoſcerem, quæ donata eſſent nobis in Chriſto, ſed & aliis quoq; prædicarem. Iſtiuſmodi ſunt merita omnium hominum, præcipue ſeniorum fatuorum, qui ſeſe in ſtercoribus juſticiæ humanæ præ cæteris exercuerunt. *Merita S. Pauli.*

Vocavit per gratiam.

VIDE diligentiam Apoſtoli. Vocavit, inquit, Quomodo? Num propter phariſaiſmum, inculpatam ac ſanctam vitam, orationes, jejunia, opera mea? Non. Multo minus propter blaſphemias, perſecutiones, violentias meas. Quomodo igitur? Per meram gratiam.

Vt revelaret filium ſuum in me.

HIC audis, cujuſmodi doctrina ſit data & commiſſa Paulo, nempe doctrina Evangelij, quæ eſt revelatio filij Dei. Ea diverſa eſt doctrina à Lege, quæ non revelat filium Dei, ſed oſtendit peccatum, perterrefacit conſcientiam, revelat mortem, iram & judicium Dei, ac infernum, quæ omnia non ſunt filius Dei. Eſt ergo Evangelium doctrina talis, quæ nullam Legem admittit. O qui hic bene diſtingere noſſet, ne in Evangelio legem quæreret, ſed id ab illa tam longe diſcerneret, quàm diſtat cœlum à terra. Differentia illa in ſe facilis, certa & plena eſt, ſed nobis difficilis, imo fere incomprehenſibilis eſt. Facile quidem dixeris, Evangelium nihil aliud eſſe, quàm revelationem filij Dei, quàm cognitionem Ieſu Chriſti, non eſſe revelationem aut cognitionem Legis, Sed in agone conſcientiæ, & in ipſa praxi, hoc certo ſtatuere, eſt difficile etiam exercitatiſſimis. *Doctrina Pauli.* *Evangelium revelat Filium Dei.*

Si autem Evangelium revelatio filij Dei eſt, ut Paulus hic definit, tunc certe non accuſat & perterrefacit conſcientias, non minatur mortem & in deſperationem adducit, ut Lex facit, ſed eſt doctrina de Chriſto, qui certè neq; Lex, neq; opus eſt, ſed noſtra juſticia, ſapientia, ſanctificatio & redemptio 1. Cor. 1. Quanquam hoc meridiana luce clarius ſit, tamen tanta fuit Papiſtarum dementia & cæcitas, ut ex Evangelio Legem charitatis, ex Chriſto Legislatorem fecerint, qui graviora præcepta tulerit, quàm Moſes ipſe. Sed Evangelium docet Chriſtum non veniſſe, ut ferret novam Legem, & traderet præcepta de moribus, ſed ideo veniſſe dicit, ut Hoſtia fieret pro peccatis totius Mundi, quodq; remittantur nobis peccata, & donetur vita æterna, propter ipſum, non propter opera Legis aut noſtram juſticiam, De hoc inæſtimabili thesauro, nobis gratis donato, propriè Evangelium concionatur. Quare doctrinæ genus eſt, quod non diſcitur aut acquiritur ullo ſtudio, diligentia aut ſapientia hominum, aut lege etiam divina, ſed per Deum ipſum, ut Paulus hic ait, revelatur, Primum externo verbo, deinde intus per Spiritum. Eſt itaq; Evangelium, Verbum divinum, quod de cœlo deſcendit, & per Spiritum ſanctum revelatur, qui & ad hoc miſſus eſt. Sic tamen, ut verbum externum præcedat, Nam nec Paulus ipſe habuit revelationem internam, niſi prius audiſſet Verbum externum è cœlo, nempe hoc, Saule, Saule, quid me perſequeris, &c. Primum ergo audivit Verbum externum, deinde ſecutæ ſunt revelationes, cognitio verbi, fides & dona Spiritus. *Definitio Evangelii.* *Sophiſtæ ex Evangelio legem charitatis, ex Chriſto Moſen fecerunt.* *Evangelium non diſcitur humano ſtudio, ſed divinitus revelatur.*

1. Cor. 1.

Vt evangeliſarem illum inter gentes.

PAULUS aptè ordinat ſua verba, Placuit, inquit, Deo, ut revelaret filium ſuum in me. Ad quid? Non tantum ut ipſe crederem in filium Dei, ſed ut etiam revelarem eum inter gentes. Cur non inter Iudæos? Atq; hic vides Paulum propriè eſſe Apoſtolum Gentium, etiamſi inter Iudæos quoq; Chriſtum prædicavit. Breviſſimè hic complectitur Paulus, ut ſæpe ſolet, ſuam Theologiam, quæ eſt, prædicare Chriſtum inter gentes, q.d. Nolo gentes onerare Lege, Quia ſum Apoſtolus *Paulus gentium Apoſtolus.* *Theologia Pauli.*

ſtolus & Evangeliſta gentium, non earum Legifer. Sic dirigit omnia verba in Pſeudoapoſtolos, q. d. Non audiſtis ô Galatæ à me doceri juſtitiam Legis vel operum. Hoc enim pertinet ad Moſen, non ad me Paulum, Apoſtolum gentium. Nam ego ad vos habeo officium & miniſterium Evangelij, ut annunciem vobis eandem revelationem, quam ego habeo. Ergo nullum debetis audire Doctorem, qui Legem docet, Nam inter gentes non Lex, ſed Evangelium, non Moſes, ſed filius Dei, non juſticia operum, ſed fidei, debet prædicari. Hæc propria eſt prædicatio ad gentes pertinens.

Officium Pauli ad gentes.

Prædicatio Gentium.

Continuò non contuli cum carne & ſanguine.

HIERONYMUS perſtringit hoc loco Porphyrium & Iulianum, qui criminantur in Paulo arrogantiam, quod noluerit Evangelium ſuum conferre cum cæteris Apoſtolis. Item quod Paulus vocaverit Apoſtolos carnem & ſanguinem. Sed breviter, Paulus non loquitur hic, cum mentionem facit carnis & ſanguinis, de Apſtolis. Nam ſtatim addit, Neq; vani Hieroſolymam ad eos, qui ante me fuerant Apoſtoli. Sed hoc vult dicere, quod poſt acceptam revelationem Evangelij à Chriſto, cum nullo hominum contulerit illud in Damaſco, multo minus à quopiam petierit, ut ſe Evangelium doceret, Item, quòd neq; abierit Hieroſolymam ad Petrum & alios Apoſtolos, ut ab eis Evangelium diſceret, Sed quod ſtatim in Damaſco, ubi Baptiſma, & manuum impoſitionem ab Anania acceperat (oportuit enim eum habere externum ſignum & teſtimonium ſuæ vocationis) prædicaverit Ieſum eſſe filium Dei. Eadem ſcribit Lucas Actor. 9.

Quid reprehenderit in Paulo Porphyrius, Iulianus, &c.

Act. 9.

Neq; veni Hieroſolymam ad eos, qui ante me fuerant Apoſtoli, ſed aby in Arabiam, & iterum reverſus ſum Damaſcum.

HOC eſt, Neq; viſis, neq; conſultis antea Apoſtolis, abij in Arabiam, ſtatimque ſuſcepi officium prædicandi Evangelium inter gentes, ad quod vocatus fueram, & revelationem divinam acceperam. Fruſtra igitur quærit Hieronymus, quid in Arabia Paulus fecerit? Quid enim aliud faceret, quàm quòd Chriſtum prædicaret? In hoc enim dicit, filium Dei ſibi revelatum eſſe, ut ipſum inter gentes prædicaret. Quare ſtatim à Damaſco, gentili urbe, in Arabiam, ubi etiam Gentes erant, ſe recipit, & illic officium ſuum ſtrenuè facit, non diſcens prius Evangelium ab ullo homine, aut ab Apoſtolis, ſed contentus ſola vocatione cœleſti, & revelatione Chriſti.

Confutatio argumenti Pſeudoapoſtolorum.

Quare totus iſte locus eſt confutatio quædam argumenti Pſeudoapoſtolorum, quo uſi ſunt contra Paulum. Dixerunt enim, eum fuiſſe diſcipulum & auditorem Apoſtolorum, qui ſecundum legem viverent. Deinde Paulum ipſum quoq; vixiſſe ſecundum Legem, Ideo neceſſarium eſſe, ut etiam ipſæ gentes Legem ſervent & circumcidantur. Vt igitur calumniatoribus iſtis os obſtruat, recitat hanc longam hiſtoriam. Ante converſionem, inquit, non didici Evangelium meum ab Apoſtolis, aut ab aliis fratribus credentibus, quia extreme perſecutus ſum, non ſolùm hanc doctrinam, ſed etiam Eccleſiam Dei, quam & vaſtavi. Neq; poſt converſionem, Quia continuo prædicavi, non Moſen cum ſua lege, ſed Chriſtum Damaſci, nemine conſulto, nec viſis Apoſtolis. Sic & nos gloriari poſſumus, Nos à Papa non accepiſſe noſtram doctrinam. Scripturam ſacram & exterua ſymbola habemus quidem ab eo, non autem doctrinam, quæ ſolo dono Dei nobis contigit. Deinde acceſſit ſtudium, lectio & inquiſitio noſtra. Nihil ergo eſt, quod hodie adverſarij argumentantur, Quis crederet veſtræ doctrinæ, Lutherani, cum in publico officio non ſitis? Vos debetis doctrinam à Papa, ab Epiſcopis accipere, qui ordinati, & in legitima functione ſunt, &c.

Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini.

PAULUS

PAULUS fatetur ſe fuiſſe apud Apoſtolos, non autem apud omnes. Indicat tamen, quòd aſcenderit ad eos Hieroſolymam, non juſſus, ſed ſua ſponte. Deinde non gratia diſcendi aliquid ab ipſis, ſed tantum videndi Petrum. Eadem
Act. 9. ſcribit Lucas Actor. 9. Quòd Barnabas duxerit Paulum ad Apoſtolos,& illis narraverit, quomodo in via vidiſſet Dominum, quodq; locutus eſſet cum eo, Item, quomodo in Damaſco liberè egiſſet in nomine Ieſu. Hoc ei teſtimonium perhibet Barnabas. Omnia igitur verba ſic inſtructa ſunt, ut neget ſuum Evangelium ab homine eſſe. Fatetur quidem ſe Petrum vidiſſe, & Iacobum fratrem Domini, ſed præter hos duos neminem alium, nihil autem didiciſſe ab eis,&c.

Concedit itaq; ſe Hieroſolymis fuiſſe apud Apoſtolos. hocq; rectè narraverunt Pſeudoapoſtoli. Concedit inſuper ſe vixiſſe ſecundum morem Iudæorum, Sed hoc feciſſe tantum apud Iudæos. Nam iſtam regulam ſervavit Paulus, Cum fueris Romæ, Romano vivito more. Hocq; teſtatur, 1. Cor. 9. Cum liber eſſem, inquit, ab omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. Factus ſum Iudæis, tanquam Iudæus,&c. Omnibus factus ſum omnia, ut omnes ſalvos facerem. Concedit igitur ſe fuiſſe Hieroſolymis apud Apoſtolos, ſed negat ſe didiciſſe Evangelium ſuum ab ipſis. Item negat, quòd coactus ſit docere Evangelium, ut Apoſtoli præſcripſerunt. Vis ergo eſt in vocabulo, Videre, Vt Petrum viderem, inquit, aſcendi, non ut ab eo diſcerem. Ideo Petrus non eſt factus mihi magiſter, neq; Iacobus. Alios omnino ſe vidiſſe negat.

Paulus factus omnibus omnia. 1. Corinth. 9.

Sed cur Paulus tam multis verbis hoc agit, ut fermè usq; ad tædium inculcet, ſe Evangeliũ ſuum non accepiſſe ab homine, nec ab ipſis Apoſtolis didiciſſe? Ipſe vult Eccleſias Galatiæ, jam per Pſeudoapoſtolos everſas, reddere certas, quòd ſuum Evangelium ſit divinum Verbum. Ideo hoc tam vehementer urget. Et niſi hoc obtinuiſſent, non potuiſſet reprimere Pſeudoapoſtolos. Nam ei oppoſuiſſent, Nos Paulo ſimiles ſumus, quia æquè Apoſtolorum diſcipuli, ac ipſe. Deinde ipſe unus & ſolus eſt, nos plures ſumus, Excellimus igitur eum autoritate & numero.

Cur Paulus gloriatur ſe Evangelium à nemine didiciſſe?

Hic Paulus cogebatur gloriari, affirmare & jurare, ſe Evangelium à nullo homine didiciſſe, nec ab ipſis Apoſtolis accepiſſe. Fuitq; ſumma neceſſitas ſic gloriari, non vana jactantia, ut Porphyrius & Iulianus calumniantur, qui non viderunt, ut neq; Hieronymus, quid Paulus ageret. Periclitabatur hic Pauli miniſterium, periclitabantur omnes Eccleſiæ, quæ ipſo doctore uſæ fuerant. Requirebat igitur neceſſitas miniſterij Pauli, & omnium Eccleſiarum, ut neceſſaria ac ſancta ſuperbia jactaret ſuam vocationem, & revelationem Evangelij ſibi à Chriſto factam, ut certæ redderentur conſcientiæ, Pauli doctrinam eſſe Dei verbum. Res hîc magna & ſeria agebatur, nempe, ut omnes Eccleſiæ conſervarentur in ſana doctrina. In ſumma, agebatur de vita & morte æterna. Ablato enim puro & certo verbo, non exiſtit amplius conſolatio, ſalus, vita,&c. Quare hoc conſilio iſta recitat, ut Eccleſias retineat in vera doctrina, non dimicat pro defendenda gloria ſua, ut Porphyrius calumniatur. Voluit ergo hac Hiſtoria oſtendere, ſe ſimpliciter à nullo accepiſſe Evangelium ſuum. Item, quòd aliquot annos, nempe tres aut quatuor, idem Evangelium prædicaverit, quod Apoſtoli, ex revelatione divina, in Damaſco & Arabia, antequam aliquem ex Apoſtolis vidiſſet.

Cur toties inculcet Paulus à nemine ſe accepiſſe Evangelium ſuum.

Hieronymus hîc ludit in myſterio quindecim dierum. Item dicit Paulum iſtis quindecim diebus à Petro doctum & myſterio Ogdoadis & Hebdoadis inſtructum eſſe. Iſta nihil ad rem faciunt. Nam Paulus claris verbis dicit, ſe veniſſe Hieroſolymam ad videndum Petrum, & manſiſſe apud eum quindecim diebus. Si fuiſſet ei diſcendum Evangelium à Petro, aliquot annis fuiſſet ei ibi manendum, in quindecim diebus non factus fuiſſet tantus Apoſtolus & Doctor gentium, Vt interim taceam, quòd iſtis quindecim diebus, ut Lucas Actor. 9. teſtatur,
Act. 9. cum fiducia locutus ſit in nomine Domini Ieſu, & diſputaverit cum Græcis,&c.

Qua

Quæ autem ſcribo, Ecce coram Deo, quòd non mentior.

QVARE addit juramentum? Quia narrat hiſtoriam, Ideo coëgit eum neceſſitas fidei Eccleſiarum jurare, ne dicerent Pſeudoapoſtoli, Quis novit an verum dicat Paulus? Ibi vides, Paulum, electum organum Chriſti, in tanto contemptu fuiſſe, ut ei neceſſe fuerit, apud ſuos Galatas, quibus Chriſtum prædicaverat, jurare, quod veritatem dicat. Si hoc Apoſtolis accidit, quod habuerint adverſarios tàm potentes, ut auſi ſint eos contemnere & mendacij arguere, Quid mirum, ſi idem hodie accidat nobis, qui non ſumus digni, ut conferamur cum Apoſtolis? Iurat igitur in re, ut apparet, levi, ſe verum dicere, ſcilicet, quod non manſerit apud Petrum diſcendi, ſed tantum videndi eum gratia. At ſi rem diligentius conſideraveris, eſt magna & ſeria res, ut patet ex ſuperioribus. Sic & nos exemplo Pauli juramus, Deus novit, quod non mentiamur, &c.

Paulus jurat.

Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ.

SYRIA & Cilicia provinciæ ſunt vicinæ. Hoc perpetuò hîc agit, ut oſtendat ſe ante & poſt viſos Apoſtolos ſemper fuiſſe doctorem Evangelij, quod ex revelatione Chriſti acceperat, nunquam fuiſſe diſcipulum.

Eram autem ignotus à facie Eccleſiis Iudææ, quæ erant in Chriſto, Tantum autem auditum habebant, quod qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangeliſat Fidem, quam aliquando oppugnabat, Et in me glorificabant Deum.

HOC addit propter hiſtoriæ conſequentiam, quòd prædicaverit in Syria & Cilicia, ubi vidiſſet Petrum, & ſic prædicaverit, quod acquiſierit teſtimonium omnium Eccleſiarum in Iudæa, q. d. Ego provoco ad teſtimonium omnium Eccleſiarum etiam in Iudæa. Non tantum in Damaſco, Arabia, Syria & Cilicia, ſed etiam in Iudæa teſtificantur Eccleſiæ, quod prædicaverim illam Fidem, quam olim perſecutus ſum, & oppugnavi. Et glorificant Deum in me, non quia docuerim circumciſionem & legem Moſi ſervandam, ſed de prædicata fide, & ædificatis Eccleſiis per meum miniſterium Evangelij. Habetis ergo teſtimonium non ſolum Damaſcenorum, Arabum, &c. ſed etiam totius Catholicæ Eccleſiæ in Iudæa, &c.

Eccleſiarum in Iudæa pro Paulo teſtimonium.

CAP II.

Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Hieroſolymam.

PAULUS docebat, gentes Sola Fide juſtificari, ſine operibus legis. Hoc ubi paſſim ſparſerat inter gentes, venit Antiochiam, & nunciavit diſcipulis. Ibi inſurrexerunt contra Paulum, qui conſuetudine legis imbuti erant, indignantes, quòd gentibus libertatem à lege prædicaret, Ortaq; eſt acerrima contentio, quæ ſubinde novos motus excitavit. Paulus & Barnabas ſtabant fortiter, & teſtificabantur, dicentes, Vbicunq; nos inter gentes prædicavimus, venit Spiritus ſanctus & cecidit ſuper eos, qui audiebant Verbum, hocq; contigit per omnes Eccleſias gentium. Prædicavimus autem non circumciſionem, neq; exegimus obſervationem Legis, ſed tantum fidem in Chriſtum prædicavimus. Et ad hanc fidei in Chriſtum prædicationem, dedit Deus Spiritum ſanctum auditoribus. Ergo Spiritus ſanctus approbat Fidem gentium ſine Lege & circumciſione. Niſi enim placuiſſet ei illa Evangelij prædicatio, & fides gentium in Chriſtum, non deſcendiſſet viſibili ſigno ſuper incircumciſos, qui verbum audierunt. Cum itaq; per ſolum auditum fidei ceciderit ſuper ipſos, certiſſimum eſt, quòd hoc ſigno approbarit Spiritus ſanctus fidem gentium. Id enim nunquam antea

Prædicatio Pauli.

Contentio eorum, qui ex Iudæis converſi erant, contra Paulum.

Narratio Pauli, & Barnabæ de rebus geſtis inter gentes.

antea compertum eſt accidiſſe ad prædicationem Legis. Hoc erat Pauli & Barnabæ argumentum.

Ibi Iudæi & multi ex Phariſæis, qui crediderant, & tamen pro gloria Legis defendenda adhuc vehementer zelabant & dimicabant, magno impetu oppoſuerunt ſeſe Paulo, affirmanti, Quòd gentes ſola Fide ſine operibus Legis juſtificarentur, & contendebant, Oportere Legem ſervari, & gentes circumcidi, aliàs non poſſe ſalvari gentes. Neq; mirum erat. Nam vel ſolum nomen Legis Dei, ſacroſanctum eſt & tremendum. Ethnicus, qui de Lege Dei nihil unquam novit, tamen ſi audit, Hæc doctrina Lex Dei eſt, profecto movetur. Quomodo igitur illi non afficerentur, & pro Lege Dei non vehementer pugnarent, qui in ea à teneris educati ſunt, eamq; imis oſſibus ac medullis imbiberunt? Videmus hodie, quanta pertinacia pro ſuis traditionibus & doctrinis dæmoniorum defendendis digladientur Papiſtæ. Multo minus fuit mirum, Iudæos tanto ſtudio ac zelo pro Lege ſua, quam divinitus acceperant, dimicaſſe. Tanta vis eſt conſuetudinis, quæ naturam per ſeſe inclinatam ad Legem, ita confirmat, ut accedente conſuetudine, longo tempore & uſu confirmata, fiat duplex natura. Ideo impoſſibile fuit Iudæis ad Chriſtum converſis, ſtatim deſerere Legem. Suſceperant quidem fidem in Chriſtum, Nihilominus tamen putabant ſimul & Legem eſſe ſervandam. Et hanc illorum infirmitatem tolerabat interim Deus, donec doctrina Evangelij à Lege purè diſcerneretur. Sic toleravit infirmitatem Iſrael tempore Ahab, quo claudicabat populus in duas partes. Quin & noſtram infirmitatem ſub Papatu tulit, Eſt enim patiens & multum miſericors. Sed hac bonitate Dei non debemus abuti, nec in infirmitate & errore perſeverare, cum per lucem Evangelij veritas revelatur.

Quid Paulo reſponderint in actione illa, qui pro lege ſtabant.

Converſi ex Iudæis egrè deſuerunt legem.

Conſuetudo altera natura.

Deus perpetuo infirmitatem ſuorum tolerat.

Porrò qui contenderunt contra Paulum, Gentes eſſe circumcidendas, habuerunt pro ſe Legem patriam, item exemplum Apoſtolorum, deniq; & ipſius Pauli exemplum, qui circumciderat Timotheum. Ideo ſi Paulus dicebat, Se hoc feciſſe, non neceſſitate, ſed libertate & charitate Chriſtiana, ne infirmi in Fide offenderentur, Quis voluit hoc intelligere aut credere? Hîc ſimpliciter ei reſpondit totum vulgus, Cum manifeſtum ſit te circumcidiſſe Timotheum, quidquid tandem dixeris, tamen feciſti. Nam iſta res longè eſt ſupra captum humanum ſita. Deinde non valet apologia, quando aliquis amiſit plauſum populi, & in tam odioſum caſum incidit. Cum igitur videret Paulus illam contentionem, & illos clamores quotidie creſcere, Et præterea admonitus eſſet revelatione divina, aſcendit Hieroſolymam poſt quatuordecim annos (præter illos, quibus in Damaſco & in Arabia prædicaverat) collaturus Evangelium ſuum cum Apoſtolis, ſua tamen, ſed populi cauſa.

Quid pro ſe habuerint Paulo reſiſtentes.

Ea autem contentio, ſuper quæſtione, de Lege ſervanda, orta, poſtea diu exercuit Paulum, & magnum ei negocium fecit. Non puto autem illam eſſe, quam Lucas Actor. 15. deſcribit, quæ ſtatim ſub initia Evangelij incidiſſe apparet, ſed hiſtoria quam hic narrat Paulus, videtur longè poſt facta, cum jam ferè octodecim annis Evangelium prædicaverat.

Cum Barnaba, aſſumpto & Tito.

Duos teſtes adjungit ſibi, Barnabam & Titum. Barnabas fuerat ſocius Pauli in prædicanda inter gentes libertate à Lege. Deinde erat quoq; teſtis omnium, quæ fecerat Paulus, Viderat Spiritum ſanctum datum gentibus incircumciſis, & à lege Moſi liberis, ad ſolam prædicationem fidei in Chriſtum, Iſq; ſolus ſtetit cum Paulo in hac propoſitione, Non eſſe neceſſarium gentibus Legem imponi, ſed ſufficere, quod credant in Chriſtum. Quare propria experientia, unà cum Paulo teſtificabatur contra Iudæos pro lege zelantes, Per ſolam fidem in Chriſtum, absq; lege & circumciſione, gentes fieri filios Dei & ſalvari. Titus non ſolum erat Chriſtianus, ſed & Archiepiſcopus, cui Paulus commiſerat curam ordinandarum Eccleſiarum in Creta, Tit. 1. Hic gentilis fuerat, &c.

Paulus adhibet ſibi teſtes Barnabam & Titum.

Barnabas.

Titus.

Aſcendi

Ascendi autem secundum revelationem.

NISI enim admonitus fuisset Paulus per revelationem, non ascendisset. Sed quia Deus singulari revelatione, eum monebat, & ascendere jubebat, ascendit, Hocq; ideo, ut eos, qui ex circumcisione crediderant, & contendebant, Legem esse servandam, reprimeret, aut saltem mitigaret, ut veritas Evangelij magis hinc inclarescceret & corroboraretur.

Et contuli cum illis Evangelium.

AUDIS ergo, quod post octodecim annos tandem venerit Hierosolymam, & disputaverit cum Apostolis de suo Evangelio.

Quod prædico inter gentes.

NAM inter Iudæos ad tempus tolerabat Legem & circumcisionem, ut reliqui Apostoli. Omnibus, inquit, factus sum omnia, 1. Corinth. 9. Salvâ tamen doctrinâ Evangelij sui, Cui simpliciter cedere voluit Legem, Circumcisionem, Apostolos, Angelum è Cœlo. Sic enim loquitur ad Iudæos, Actor. cap. 13. *Per hunc Christum vobis remissio peccatorum annunciatur* (& significanter subjicit) *ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Mosi justificari.* Ideo Evangelij doctrinam vbiq; urget, nusquam patitur eam periclitari. Non tamen subitò perrupit, sed rationem habuit infirmorum. Et ne offenderentur infirmi, haud dubiè dixit in hunc modum Iudæis, Si vobis placet ille inutilis Legis Mosaicæ cultus, quia ad justiciam non valet, non adimo, Retinete, modò ut Gentes, quæ istum cultum non habent, eo non onerentur, &c.

Paulus Evangelium suum ut judæis, ut vetus ei cedere omnia.

1. Cor. 9

1. Cor. 9

Fatetur ergo Paulus se contulisse Evangelium cum Apostolis, Sed nihil, inquit, dederunt aut docuerunt nos, Imò nos, pro defendenda libertate Evangelij, in conspectu Apostolorum, acerrimè repugnavimus iis, qui exigebant & urgebant gentes onerandas Lege, ac eos vicimus. Ideo mentiuntur Pseudoapostoli vestri, cum dicunt, nos circumcidisse Timotheum, nos totondisse caput in Cenchreis, nosq; Hierosolymam ascendisse jussu Apostolorum. Imo contra gloriamur, quòd ascendentes Hierosolymam, ex revelatione Dei, non jussu Apostolorum, ibiq; conferentes cum illis Evangelium, planè contrarium effecerimus, hoc est, obtinuimus, ut nos Apostoli probarent, non illos, qui adversabantur nobis.

Quæstio agitata in collatione Evangelij.

Fuit autem agitata in hac Evangelij collatione ista quæstio: Vtrum homines possint sine Lege justificari? Aut, Vtrum necessaria sit ad justificationem observatio legis? Ibi Paulus dixit. Ego gentibus, secundum Evangelium meum quod divinitus accepi, prædicavi fidem in Christum, non Legem, & ad hanc fidei prædicationem acceperunt Spiritum sanctum. Atq; hujus rei habeo testem Barnabam. Quare concludo, Gentes non esse onerandas lege, nec circumcidendas. Iudæis tamen hoc non prohibeo, Qui si volunt legem servare & circumcidi, permitto, modò hoc libera conscientia faciant. Sicq; docui & vixi inter Iudæos, factus Iudæis Iudæus, &c. Salvo tamen semper Evangelio meo.

Seorsim autem cum iis, qui videbantur aliquid esse.

HOC est, non secum contuli cum fratribus, sed cum iis, qui erant præcipui.

Ne forte in vanum currerem, aut cucurrissem.

Cur dicat Paulus, ne in vanū currerem, &c.

NON quòd Paulus dubitaverit se in vanum currere aut cucurrisse, quia jam octodecim annis prædicaverat, Et statim sequitur in textu, quòd in sua constantia permanserit, & vicerit. Sed quia multi putabant, eum frustra tot annis prædicasse, quòd gentes à lege liberaret. Deinde opinio ista indies magis magisq; invalescebat, quod lex necessaria esset ad justificationem. Idcò ex revelatione ascendens, sic mederi voluit huic malo, ut ex collatione ista manifestum fieret omnibus,

bus, ſuum Evangelium non diſſidere à doctrina reliquorum Apoſtolorum, Vt ſic adverſariis os obturaret, qui alioqui dixiſſent, eum fruſtra currere aut cucurriſſe. Conſiderabis autem hic obiter virtutem propriæ juſticiæ ſeu legis eſſe, quòd qui eam docent, fruſtra currunt & vivunt. *Eam juſtitia legis.*

Neq; Titus, qui mecum erat, cum eſſet gentilis, coactus eſt circumcidi.

HOC vocabulum, Coactus eſt, ſatis indicat, cujuſmodi fuerit collatio & concluſio, nempe iſta, Circumciſio non imponatur gentibus, permittatur tamen ad tempus Iudæis, non quidem ut neceſſaria ad juſticiam, ſed propter reverentiam Patrum. Deinde etiam propter charitatem, ne infirmi offendantur, donec in fide confirmentur. Valdè incivile enim fuiſſet, Legem & cultum patrium ſtatim deſerere, qui tanta gloria divinitus iſti populo traditus fuerat. *Quid decretum ſit in illa collatione.*

Paulus ergo non rejecit Circumciſionem, ut rem damnatam, nec verbo nec facto Iudæos ab ea coëgit. Dicit enim 1. Corinth. 7. Si circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium. Sed circumciſionem rejecit, ut rem non neceſſariam ad juſticiam, cum neq; Patres per eam juſtificati eſſent, ſed tantum fuiſſet eis ſignaculum juſticiæ, Rom. 4. per quod teſtificati eſſent & exercuiſſent ſuam fidem. Credentes tamen Iudæi, qui adhuc infirmi erant & pro lege zelabant, cum audirent circumciſionem non neceſſariam ad juſticiam, non potuerunt hoc aliter intelligere, quam eam eſſe omnino inutilem ac damnatam. Et hanc infirmorum opinionem augebant Pſeudoapoſtoli, ut exacerbatis, hac indignitate, ut apparebat, animis vulgi, Pauli doctrina omnino ſuſpecta redderetur. Sic & nos hodie jejunium & alias pias exercitationes non rejicimus, ut res damnatas, ſed docemus per illa exercitia nos non conſequi remiſſionem peccatorum, &c. Hoc ubi audit vulgus, ſtatim judicat nos damnare bona opera. Et vulgi hanc opinionem augent Papiſtæ pro concionibus & in ſcriptis ſuis, Sed mentiuntur & injuriam nobis faciunt. Nam nemo multis retrò ſeculis melius ac magis piè de operibus docuit, quàm nos hodie, &c. *Quomodo Paulus rejecerit circumciſionem.*

Cor. 7.

Itaq; circumciſio non ita à Paulo damnata fuit, quòd peccatum ſit eam ſuſcipere vel ſervare. Hoc enim maximè offendiſſet Iudæos, Sed in concilio & collatione iſta definitum fuit, eam non eſſe neceſſariam ad juſtificationem, ideoq; non imponendam gentibus. Sic medium & Epiikia inventa eſt, Vt Iudæi Legem & circumciſionem ad tempus ſervarent, propter reverentiam Patrum, & charitatem erga infirmos in fide, Per eam tamen juſtificari non quærerent, Neq; gentibus imponerent, quia eſſet eis novitas quædam, deinde etiam onus importabile, Actor. 15. Actor. 15. In ſumma, quòd nemo deberet cogi ad circumciſionem, nec quiſquam vi à circumciſione retrahi. *Quid definitum ſit in illa collatione Evangelij.*

Actor. 15.

Extat acris contentio Hieronymi & Auguſtini ſuper illo loco Pauli. Vox, Coactus eſt, facit ad defenſionem Auguſtini. Hieronymus rem non intellexit. Non enim hic diſputatur, quid Petrus vel Paulus fecerit circumcidendo, vel non circumcidendo, ut Hieronymus putat, Hincq; miratur, quare Paulus in Petro reprehendere auſus ſit, quod ipſe fecerit, Quia, inquit, Paulus circumcidit Timotheum, Et cum Gentibus gentiliter, & cum Iudæis Iudaicè vixit, &c. Non putat rem ſeriem hîc geri. Ideo concludit, neutrum peccaſſe, Sed fingit utrumq; officioſo mendacio ſimulaſſe. Verum iſtæ diſputationes hic omnes & fuerunt & ſunt feriæ, & de maximis rebus, Ideo nihil fecerunt per ſimulationem. Iſta autem fuit quæſtio principalis, Vtrum lex ſit neceſſaria ad juſtificationem, nec ne? De hoc præcipuo themate, in quo ſita eſt totius Chriſtianæ doctrinæ ſumma, contendunt hic Paulus & Petrus. Paulus gravior vir erat, quam ut propter leviculam rem, Petrum, in conſpectu totius Eccleſiæ Antiochenæ, ſic libere invaderet & corriperet. Invadit ergo eum propter præcipuum locum doctrinæ Chriſtianæ. Nam abſentibus Iudæis Petrus edebat cum gentibus: venientibus, ſubducebat ſeſe, &c. Ibi Paulus reprehendit eum, quod ſua ſimulatione coëgerit gentes judaiſare. Tota vis ſita eſt in voce, Cogis, hoc Hieronymus non vidit. *Contentio Hieronymi & Auguſtini.* *Cur Paulus reprehenderit Petrum?*

d by Google

Paulus ergo neminem, qui voluit circumcidi, coëgit, ut incircumcisus maneret, modo ut sciret, Circumcisionem non esse necessariam ad justificationē, Istam coactionem voluit tollere Paulus. Permisit igitur Iudæis ut legem servarent, libera conscientia, Quia tam Iudæos quam gentiles semper docuit debere liberos esse in conscientia à Lege & circumcisione, Quemadmodum omnes Patriarchæ & sancti in veteri Testamento liberi in conscientia fuissent, & fide, non Lege aut circumcisione justificati fuissent. Et quidem potuisset permittere Paulus, ut circumcideretur Titus, tamen, quia videbat se cogi ad hoc, nolebat. Nam si obtinuissent hoc, qui urgebant circumcisionem, statim inde collegissent, eam esse necessariam ad justificationē, atq; ita ex permissione ista regnassent. Sic nos relinquimus cuiq; liberum, induere vel exuere cucullum, ingredi vel deserere monasterium, carnibus aut holeribus vesci, modo ista libere & citra offensionem conscientiæ, aut certe in obsequium fratris, aut exemplum charitatis, non fidei, faciat, Sciatq; hæc omnia nihil valere ad satisfaciendū pro peccatis, & ad promerendam gratiam, &c.

Cur Paulus non passus sit Titum circumcidi?

Sed ut tum Pseudoapostoli observationem Legis & circumcisionem non relinquebant liberam, sed necessariam faciebant ad salutem: Ita hodie adversarij fortissime contendunt, humanas traditiones non posse omitti sine periculo salutis. Atq; ita ex exemplo charitatis, Fidei exemplum faciunt, cum tamen unicum tantum Fidei exemplum sit, scilicet, credere in Iesum Christum. Et hoc ut solum est necessarium ad salutem, ita quoq; ad omnes homines pertinet. Sed adversarij citius Diabolum decies adorarent pro Deo, quam ut hoc permitterent, Ideo indies fiunt magis indurati, & suas impietates & blasphemias contra Deum ad integrum restituere, & vi eas defendere, & ne latum quidem digitum nobis cedere, volunt. Pergamus igitur & nos intrepidi in nomine Domini exercituum, illustrare gloriam Christi, & pugnare contra Antichristi regnum, verbo & oratione, ut nomen solius Dei sanctificetur, ipsius Regnum veniat, & voluntas fiat. Id quod ut fiat propediem, ex animo suspiramus, Amen, Amen.

Adversarij indurati vi suas impietates defendunt.

Fuit ergo iste Pauli triumphus valde glorioſus, Quod Titus gentilis in medio omnium Apostolorum & credentium constitutus, ubi tam acriter de ista quæstione decertatum est, tamen non coactus fuit circumcidi. Hunc Paulus triumphum reportavit, & dicit, quod per istam collationem definitum sit, omnibus Apostolis consentientibus, & tota Ecclesia approbante, ne Titus circumcideretur. Robusta est & firma argumentatio ac magni momenti contra Pseudoapostolos. Et Paulus novit premere & potenter urgere hostes hoc argumento, Neq; Titus coactus est, &c. q.d. Quid contra me mendaciter Pseudoapostoli dicunt, quod circumcisionem coactus sim servare, mandantibus hoc ipsum Apostolis? Cum habeam testimonium omnium credentium in Ierusalem, deinde, etiam ipsorum Apostolorum, quod me autore contrarium sit definitum. Ibiq; non solum victoriam reportavi, ut Titus maneret incircumcisus, sed eam obtinui etiam consentientibus & approbantibus Apostolis. Mentiuntur igitur Pseudoapostoli vestri, quod nomine Apostolorum me apud vos traducunt, & per hoc vobis imponunt. Quia non contra me, sed pro me stantes habui Apostolos, & omnes fideles, Hocq; probo isto exemplo Titi.

Pauli triumphus contra Pseudoapostolos.

Non tamen Paulus, ut jam sæpe dixi, circumcisionem, ut rem inutilem, damnavit, neq; quemquam ad eam coëgit. Quia neq; peccatum neq; justicia est, circumcisum aut incircumcisum esse, Vt neq; peccatum nec justicia est, edere & bibere. Sive enim comederis, sive non comederis, nihilo es aut melior aut deterior, 1. Cor. 8. Si vero quis veniret, & adderet, vel peccatum vel justiciam, & diceret, Si comederis, peccas, Si abstinueris, justus es, vel è contra, stultus & impius esset. Ideo impietas est, velle tractare Ceremonias cum peccato vel justicia, ut Papa facit, qui in formula excommunicationum minatur, omnes incursuros periculum animarum suarum, qui non obediunt legibus Romani pontificis. Ideo omnes leges suas ad salutem facit necessarias. Diabolus ergo loquitur in Papa & talibus suis

Papa traditionibus suis servatu collocat justiciam, & vitam.

ſuis decretis. Si enim ſalus conſiſtit in ſervatis legibus Papæ, Quorſum opus habemus Chriſto Iuſtificatore & Salvatore?

Propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierant, ut explorarent libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, ut nos in ſervitutem redigerent, Quibus nec ad horam ceſſimus per ſubjectionem, Vt veritas Evangelij permaneret apud vos.

HIC cauſam indicat Paulus, cur aſcenderit Hieroſolymam, contulerit Evangelium ſuum cum Apoſtolis & noluerit circumcidere Titum. Non ut certior redderetur & confirmaretur in Evangelio per Apoſtolos, nam nihil dubitabat de eo, Sed ut veritas Evangelij permaneret apud Galatas & omnes Eccleſias gentium. Ideo vides non fuiſſe jocum aut levem rem hoc Pauli negocium. Cum autem dicit, Veritas Evangelij, indicat duplex eſſe Evangelium, verum & falſum. Evangelium per ſe quidem unum, ſimplex, verum & purum eſt, ſed maliciâ miniſtrorum Satanæ depravatur & ſubvertitur. Ideo cum ait, veritas Evangelij, vult contrarium quoq; intelligi. q. d. Pſeudoapoſtoli prædicant etiam Fidem & Evangelium, ſed utrumq; falſum eſt. Ideoq; me illis tam vehementer oppoſui, & hac mea pertinacia, quod illis cedere nolui, hoc obtinui, ut veritas Evangelij apud vos permaneret. Sic Papa & fanatici ſpiritus hodie jactant, ſe docere Evangelium & fidem in Chriſtum, Docent quidem ea, ſed eodem fructu, quo olim Pſeudoapoſtoli, quos Paulus vocat ſupra Cap. 1. perturbatores Eccleſiarum, everſores Evangelij Chriſti, &c. Contra, ſe dicit veritatem Evangelij, hoc eſt, purum & verum Evangelium docere. q.d. Quæ Pſeudoapoſtoli tradunt, ut maxime dicant certiſſimam veritatem, mera mendacia ſunt, Qui igitur eos audiunt, vanitatem & mendacium pro Evangelio ab eis accipiunt. Sic omnes Hæretici prætexunt nomen Dei, Chriſti, Eccleſiæ, &c. Item promittunt ſe non mendacia & errores, ſed certiſſimam veritatem, & puriſſimum Evangelium velle docere.

Evangelium Pſeudoapoſt.

Evangelium Papæ & hæreticorum.

Veritas Evangelij.

Eſt autem veritas Evangelij, quòd juſticia noſtra eſt ex ſola Fide, ſine operibus legis. Falſitas ſeu depravatio Evangelij eſt, quòd fide juſtificemur, ſed non ſine operibus legis. Hac conditione annexa Pſeudoapoſtoli prædicaverunt Evangelium. Hoc idem fecerunt Sophiſtæ & Papiſtæ noſtri, Quòd ſcilicet in Chriſtum ſit credendum, fidemq; eſſe fundamentum ſalutis, ſed eam non juſtificare, niſi formata ſit charitate. Hæc non eſt veritas, ſed fucus & ſimulatio Evangelij. Verum autem Evangelium eſt, quòd opera aut charitas non ſint ornatus ſeu perfectio fidei; Sed quod fides per ſe eſt donum Dei, & opus divinum in corde, quod ideo juſtificat, quia apprehendit ipſum Chriſtum ſalvatorem. Ratio humana objectum habet legem, hoc feci, hoc non feci. Fides autẽ, quando in proprio ſuo officio eſt, nullum prorſus aliud objectum habet, quàm Ieſum Chriſtum filium Dei, traditum pro peccatis totius mundi. Non reſpicit charitatem, non dicit, Quid feci? quid peccavi? quid merui? Sed, quid fecit Chriſtus? quid ille meruit? Ibi veritas Evangelij dicit, Redemit te à peccato, Diabolo, morte æterna. Agnoſcit igitur Fides, ſe in iſta perſona, Ieſu Chriſto, habere remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Qui hoc objecto excidit, non habet veram Fidem, ſed fucum & opinionem, & vertit oculos à promiſſione ad Legem, quæ perterrefacit, & in deſperationem adigit.

Falſitas Evangelij.

Doctrina Papiſtarum de fide

Objectum rationis.

Objectum fidei.

Quare, quæ Sophiſtæ docuerunt de fide juſtificante, ſi ſit charitate formata, mera verborum portenta ſunt. Ea enim fides, quæ apprehendit Chriſtum filium Dei, & eo ornatur, non quæ includit charitatem, juſtificat. Nam fidem, ſi certa & firma eſſe debet, nihil apprehendere oportet, quàm ſolum Chriſtum, neq; alia re in lucta & terroribus conſcientiæ niti poteſt, quàm iſto unione. Quare qui Chriſtum fide apprehendit, quantumvis lege perterrefiat, & mole peccatorum gravetur, tamen gloriari poteſt ſe juſtum eſſe. Quomodo aut per quid? per gemmam Chriſtum, quem Fide poſsidet. Hoc adverſarij non intelligunt, ideo abjiciunt gemmam

Fides formata charitate.

Fides vera.

Chriſtum, & in locum ejus reponunt charitatem, quam dicunt gemmam eſſe. Cum autem ignorent, quid fides ſit, impoſſibile eſt eos habere fidem, multo minus poſſunt eam docere alios, Quod autem habent, ſomnium, opinio & ratio naturalis, non fides, eſt.

Hæc ideo dico, ut intelligatis Paulum emphatice dicere, veritatem Evangelij, per vituperationem contrarij. Perſtringit enim his verbis Pſeudoapoſtolos, quòd falſum Evangelium docuerint. Nam urgebant circumciſionem & legis obſervationem tanquam neceſſariam ad ſalutem. Deinde miris artibus & dolis ſtruebant inſidias Paulo. Obſervabant enim, an Titum circumcidere vellet. Deinde an auderet ſe illis opponere præſentibus Apoſtolis. Ideo vehementibus verbis perſtringit eos, Volebant, inquit, libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, explorare, ut nos in ſervitutem redigerent. Quare ſummo ſtudio armaverunt ſe, & omnia bene inſtructa habuerunt contra Paulum Pſeudoapoſtoli, ut quoquo tandem modo poſſent, eum traducerent, & opprimerent coram Eccleſia. Et ad hoc abuti inſuper voluerunt autoritate Apoſtolorum, in quorum conſpectu accuſaverunt eum, dicentes, Paulus introducit Titum incircumciſum in cœtum omnium credentium, negat & damnat Legem præſentibus vobis Apoſtolis. Si iſta hîc audet tentare, Quid non auderet inter gentes, vobis abſentibus?

Inſidiæ à Pſeudoapoſt. Paulo structæ.

Cum igitur videret his dolis ſe peti, reſtitit Pſeudoapoſtolis fortiſſimè, Libertatem noſtram, inquiens, quam habemus in Chriſto Ieſu, non paſſi ſumus periclitari, ut maximè inſidiarentur, & urgerent nos falſi fratres, Sed eos, etiam ipſis Apoſtolis judicibus, vicimus, Et ne ad horam quidem cedere eis voluimus (Dixerunt enim procul dubio, ad tempus ſaltem Paule illam libertatem intermitte) videbamus enim urgere eos Legem, ut rem ad ſalutem neceſſariam. Si vero allegaſſent obſequium fraternitatis, ceſſiſſet Paulus, Sed aliud quærebant, nempe, ut Paulum, & omnes adhærentes ſuæ doctrinæ in ſervitutem redigerent. Ideo ne ad momentum quidem eis cedere voluit.

Quatenus ſervari poſſint traditiones Papæ.

Sic nos offerimus Papiſtis, quæ offerenda ſunt, & plura quàm debemus, Solum excipimus libertatem Conſcientiæ, quam habemus in Chriſto Ieſu. Nolumus enim cogi, aut conſcientias noſtras alligari ad ullum opus, ut hoc vel aliud facientes, juſti, omittentes vero, damnati ſimus. Libenter unà cum eis utemur iiſdem cibis, ſervabimus item ferias & jejunia ipſorum, modo nos iſta omnia voluntate libera ſervare permittant, & iſtas minaces voces, quibus hactenus conterruerunt & ſubjecerunt ſibi totum orbem, omittant. Mandamus, aggravamus, reaggravamus, excommunicamus, &c. Sed ut hanc nobis libertatem permittant, non poſſumus obtinere, ſicut nec tum Paulus potuit. Ideo idem facimus, quod ipſe. Nam cum illam libertatem obtinere non poſſet, nec Pſeudoapoſtolis vel ad horam ſaltem cedere voluit.

Fulmina Papæ.

Primo eſt pertinacem eſſe contra ſuſſicientes, pro conſervanda libertate Chriſtiana.

Sicut igitur adverſarij hoc ſalvum nobis relinquere nolunt, quod ſola Fides in Chriſtum juſtificet: Ita nec nos voluimus, nec etiam poſſumus, in hoc cedere ipſis, quod fides formata charitate juſtificet. Hîc volumus & debemus eſſe rebelles & pertinaces, alioqui amitteremus veritatem Evangelij, amitteremus noſtram libertatem, quam non in Cæſare, Regibus, Principibus, non in Papa, mundo, carne, ſanguine, ratione, &c. Sed in Chriſto Ieſu, habemus, Amitteremus fidem in Chriſtum, quæ ut ſupra dixi, nihil aliud apprehendit quam Chriſtũ gemmam. Hanc fidem, qua renati, juſtificati & Chriſto inſerti ſumus, ſi nobis ſalvam reliquerint adverſarij, offerimus nos omnia facturos, modo cũ ea fide non pugnent. Quia vero hoc impetrare ab eis non poſſumus, viciſſim ne tantillum quidem eis cedere volumus. De re enim ſeria & magna hic agitur, nempe de morte filij Dei, qui voluntate & juſſu Patris caro factus, crucifixus & mortuus eſt, pro peccatis totius Mundi. Si Fides hic cedit, illa mors, reſurrectio, &c. filij Dei inanis eſt. Item fabula eſt Chriſtum eſſe Salvatorem mundi. Deniq; Deus ipſe mendax invenitur, quia quod promiſit, nõ ſervavit. Pia igitur & ſancta eſt hac in re noſtra pertinacia.

Fide ſalva, omnia ſalva ſunt, &c.

Pertinacia pia quam ſancta.

nacia. Hoc enim quærimus per eam, ut conſervemus libertatem noſtram, quam in Chriſto Ieſu habemus, utq; veritatem Evangelij retineamus, qua amiſſa, amiſimus Deum, Chriſtum, omnes promiſſiones, fidem, juſticiam & vitam æternam.

Legis doctrina.

At dicat aliquis, Lex divina & ſancta eſt. Habeat ea ſane ſuam gloriam, Sed nulla Lex quantumvis divina & ſancta debet me docere, quod per eam juſtificer & vivam. Concedo quidem ut me doceat, quod debeam diligere Deum & proximum, item vivere in caſtitate, patientia, &c. Non autem debet mihi oſtendere, quomodo à peccatis, diabolo, morte, inferis, liberari debeam, Hic conſulendum & audiendum eſt Evangelium, quod docet, non quid ego facere debeam, hoc enim eſt proprie legis officium, ſed quid Ieſus Chriſtus Dei filius pro me fecerit, ſcilicet, Quod pro me paſſus & mortuus ſit, ut me à peccato & morte liberaret, hoc jubet me Evangelium accipere & credere. Eaq; eſt & dicitur Evangelij veritas. Atq; is principalis eſt doctrinæ Chriſtianæ articulus, in quo cognitio totius pietatis conſiſtit. Ideo maxime refert, eum bene ſcire & perpetuò inculcare. Nam ut tenerrimus eſt, ita facilime læditur. Hoc bene expertus eſt Paulus, Hoc quoq; experiuntur omnes pij.

Evangelij doctrina.

Summa, Paulus Titum circumcidere noluit, ob nullam aliam cauſam, quàm, ut ait, Quod ſubintroierant quidã falſi fratres, exploraturi libertatem, &c. qui volebant cogere Paulum, ut eum circumcideret. Hanc coactionem & neceſſitatem animadvertens Paulus, ne ad horam quidem cedere voluit, ſed ſumma vi eis reſtitit. Ideoq; dicit, Neq; Titus, qui mecum erat, cum gentilis eſſet, coactus eſt circumcidi, &c. Si jure charitatis, vel obſequio fraternitatis hoc poſtulaſſent ab eo, non recuſaſſet. Sed quia volebant & urgebant hoc fieri malo exemplo, in ſervitutem conſcientiarum, & deſtructionem totius Evangelij, fortiſſime ſe illis oppoſuit, perrupit, & obtinuit, ne Titus circumcideretur.

Res quidem apparet valde levicula, circumciſum vel non circumciſum eſſe, Sed accedente fiducia ac timore propter ſervatam aut omiſſam circumciſionem, negatur Deus, Chriſtus, gratia, & omnia promiſſa Dei. Alioqui ſi circumciſio ſine illo additamento ſervaretur, nihil periculi eſſet. Sic ſi Papa exigeret à nobis traditiones ſuas, ut nudas ceremonias, non gravaremur eas obſervare. Qualis enim eſſet labor geſtare cucullum? raſo vertice incedere? cum alioqui ceremoniis utamur. Addere autem hoc grande malum, quod in iſta levicula, imo nihili re conſiſtat, aut vita & ſalus, aut mors & damnatio æterna, hoc Satanicum eſt & blaſphemum, Quicunq; hic non reclamat, Anathema eſto. Edam, bibam, geſtabo cucullum, faciam quæcunq; præſcripſerit Papa, modo ſinat iſta omnia libera eſſe. Sed cum iſta exigere volet tanquam neceſſaria ad ſalutem, ad ea conſcientias aſtringere, & in iſtis cultum Deo gratum inſtituere, ibi omnino repugnandum eſt. Nihil noceret ſculpere lignum, lapidem, ſtatuam, Sed cultum inſtituere, & ligno, lapidi aut ſtatuæ divinitatem tribuere, hoc eſt idolum pro Deo colere.

Papa traditiones non ſervandæ, quia reluctatur in eis juſticiam & peccatum, &c.

Igitur diligenter conſiderandum eſt, de qua re Paulus agat, ne cum Hieronymo ineptiamus, qui putavit eſſe quæſtionem & diſputationem de ipſis rebus. In hoc erravit. Non enim eſt diſputatio, An lignum ſit lignum, an lapis ſit lapis, Sed de additamento, hoc eſt, de uſu rerum, Vtrum hoc lignum ſit Deus? ſeu, utrum huic lapidi inſit divinitas? Hic reſpondemus, Lignum eſſe lignum, &c. Sic circumciſio nihil eſt, præputium nihil eſt, dicit Paulus, Sed ponere juſticiam, reverentiam, fiduciam ſalutis, timorem mortis in iſtis, hoc eſt ceremoniis tradere divinitatem. Ideo in minimo non eſt cedendum adverſariis, ut neq; Paulus Pſeudoapoſtolis ceſſit, Quia ad juſticiam neq; circumciſio, neq; præputium, neq; raſura, neq; cucullus pertinet, ſed ſola & mera Gratia. Hæc eſt Evangelij veritas.

Paulus diſputat de uſu rerum, &c.

Ab iis autem, qui videbantur eſſe aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea refert.

ECLIPTICA eſt oratio: Deeſt enim, Ego nihil accepi. Condonandum

Digitized by Google

eſt autem Spiritui ſancto in Paulo loquenti, ſi peccet aliquando in grammaticam. Ipſe magno ardore loquitur. Qui vero ardet, non poteſt adeò exactè in dicendo obſervare regulas grammaticas, & præcepta rhetorica. Eſt autem confutatio iſta valde vehemens & ſuperba. Non enim tribuit ipſis veris Apoſtolis magnificum titulum, ſed quaſi extenuatione quadam dicit, Qui videbantur eſſe aliquid, hoc eſt, qui erant in autoritate, Quorum nutu & renutu omnia pendebant. Revera tamen magna erat Apoſtolorum autoritas apud omnes Eccleſias, Neq; Paulus detrahit aliquid honori ipſorum. Sed ſic contemptim reſpondet Pſeudoapoſtolis, qui contra Paulum ubiq; Eccleſiis opponebant autoritatem & magnitudinem Apoſtolorum & diſcipulorum ſuorum, ut per hoc extenuarent autoritatem Pauli, & totam miniſterium ejus ſuſpectum redderent. Hoc nullo modo erat ferendum Paulo, Ideo ut permaneret veritas Evangelij & libertas conſcientiarum in Chriſto, apud Galatas & omnes Eccleſias gentium, ſuperbiſſime reſpondet Pſeudoapoſtolis, Se nihil curare, quam magni ſint Apoſtoli, aut quales aliquando fuerint, Deinde etiam parum ſua referre, opponi ſibi ab eis autoritatem Apoſtolici nominis. Apoſtolos certe aliquid eſſe, ac eorum autoritatem colendam, Non tamen ideo concedendum, ut propter ullius quantumvis magni, ſive Apoſtoli, ſive Angeli è cœlo nomen ſeu titulum, Evangelium & miniſterium ſuum periclitari debeat.

Cur Paulus Apoſtolis non tribuat magnificum titulum?

Argumentum Pſeudoapoſtolorum contra Paulum.

Et hoc argumentum fuit unum de firmiſſimis, quod Pſeudoapoſtoli vehementer urſerunt, ad hunc modum. Apoſtoli tribus annis cum Chriſto familiariſſime vixerunt, omnes ejus ſermones & Miracula audierunt & viderunt, Quin & ipſi prædicaverunt & miracula fecerunt, Chriſto adhuc agente in terris, quem Paulus nunquam vidit in carne, ac longe poſt glorificationem ejus tandem converſus eſt. Vtris nunc credendum cenſerent, An uni Paulo & eidem diſcipulo tantum, & quidem poſteriori? An ſummis ac maximis Apoſtolis, qui longe ante Paulum ab ipſo Chriſto miſſi & confirmati fuiſſent? Ad hoc reſpondet Paulus, Quid tum poſtea? Argumentum hoc nihil concludit, Sint ſane Apoſtoli magni, ſint Angeli de cœlo, nihil mea refert. Nos agimus nunc non de magnitudine Apoſtolorum, ſed de verbo Dei & veritate Evangelij, Illud permagni refert illæſum conſervari, Hoc debet etiam prævalere. Ideo non curamus, quam magnus fuerit Petrus & alij Apoſtoli, quot & quanta fecerint miracula. Hoc agimus, ut veritas Evangelij apud vos permaneat. Et ſolutio illa apparet ſatis infirma, quod dedita opera, autoritatem Apoſtolorum ſibi oppoſitam per Pſeudoapoſtolos ſic contemnit, & hoc ipſorum robuſtiſſimum argumentum non aliter ſolvit, quam ſic, Nihil mea refert. Addit tamen rationem confutationis.

Verbum autem tenendum omnibus perſonis & titulis.

Deus enim perſonam hominis non accipit.

Deus non reſpicit perſonam.

HUNC locum allegat ex Moſe, qui non ſemel eo uſus eſt, Non accipias in judicio perſonam divitis & pauperis, &c. Eſtq; Gnome ſeu ſententia Theologica, Deus non accipit perſonam, Illoq; dicto obſtruit falſis Doctoribus os. q. d. Vos opponitis mihi illos, qui videntur eſſe aliquid, &c. Sed Deus horum nihil curat, Non reſpicit Apoſtolatum, Epiſcopatum, Principatum, non reſpicit honores, autoritatem, &c. Et in ſignum hujus rei permiſit unum de principibus Apoſtolis, Iudam ſcilicet, ruere & damnari, Similiter unum ex ſummis Regibus, & eum primum, ſcilicet Saul. Iſmaelem & Eſau, utrumq; Primogenitum reprobavit. Sic per totam ſcripturam invenies, Deum plerunq; optimos & ſanctiſſimos in ſpeciē viros rejeciſſe, Et Deus aliquando crudelis apparet in talibus exemplis. Sed fuit & eſt ſumma neceſſitas faciendi & ſcribendi iſta horribilia exempla. Nam naturaliter hoc vitium nobis inſitum eſt, quod perſonas admiramur, & plus reſpicimus quam Verbum. Contra, Deus vult nos intentos eſſe & firmiter niti Verbo, Vult, ut nucleum, non teſtam eligamus, ut plus curemus Patremfamilias quam domum. In Petro & Paulo non vult nos admirari & adorare Apoſtolatum,

Iudas. Saul. Iſmael. Eſau.

Homo reſpicit perſonam.

Sed

Sed Chriſtum in eis loquentem, & ipſum verbum Dei, quod nobis afferunt & prædicant.

Animalis homo non poteſt iſta diſcernere, ſolus ſpiritualis diſcernit Perſonam à verbo, larvam divinam ab ipſo Deo. Eſt autem larva Dei tota creatura. Inſuper non agit Deus nobiſcum in hac vita facie ad faciem, ſed velatus & larva indutus, hoc eſt, ut Paulus ait, videmus eum nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ideo non poſſumus carere larvis, Sed prudentia requiritur, quæ Deum à larva diſcernat, hanc mundus non habet. Avarus audiens, hominem non ſolo pane vivere, ſed omni verbo, quod per os Dei egreditur, vorat quidem panem, ſed in pane Deum non videt, quia larvam tantum reſpicit. Sic cum auro & aliis creaturis facit, tantiſper confidit, donec eas habet: deficientibus illis, deſperat. Ideo non Creatorem, ſed creaturas, non Deum, ſed ventrem colit & adorat. Hæc ideo à me dicuntur, ne quis putet penitus reprobari & contemni à Paulo perſonas & larvas. Non enim dicit, nullam debere perſonam eſſe, ſed nullam perſonarum acceptionem apud Deum eſſe. Oportet eſſe perſonas & larvas, & Deus eas dedit, ſuntq; ejus bonæ creaturæ, Sed nos non debemus eas revereri & adorare. In uſu rerum, non in rebus ipſis vis ſita eſt, ut ſupra etiam dixi. Vitium non eſt in Circumciſione, aut præputio (quia circumciſio nihil eſt, præputium nihil eſt) ſed in uſu. Colere & adorare circumciſionem, & velle ſtatuere juſticiam in ea, in præputio peccatum, is damnatus uſus eſt, qui debet tolli, quo ſublato, circumciſio & præputium, res bonæ ſunt.

Tota creatura eſt larva Dei.

Velamen Dei.

Homo larvis Dei, non Deo confidit.

Larvæ bonæ Dei creaturæ ſunt, ſed abuſus in eas impius eſt.

Sic Magiſtratus, Imperator, rex, princeps, conſul, Doctor, concionator, præceptor, diſcipulus, pater, mater, liberi, herus, ſervus &c. ſunt perſonæ ſeu larvæ, quas Deus pro ſuis creaturis agnoſci & religioſe coli vult, quas etiam oportet in hac vita eſſe. Sed non vult, ut tribuamus eis divinitatem, hoc eſt, ut timeamus & revereamur eas, ipſis fidamus & ſui obliviſcamur. Vtq; Deus eò facilius retraheret nos ab admiratione Perſonarum, relinquit in eis peccata & lapſus, & eos quidem magnos & turpes, qui nos admonerent, ut inter perſonam & Deum ipſum diſcerneremus. David optimus Rex, ne videretur perſona, in qua confidendum eſſet, cecidit in horribilia Peccata, adulterium, homicidium &c. Petrus Apoſtolus negavit Chriſtum. Hæc & ſimilia exempla, quibus plena eſt Scriptura, admonere nos debent, ne hæreamus in Perſona, neve habita perſona, putemus nos habere omnia (Vt fit in Papatu, ubi judicantur omnia ſecundùm externam larvam, Ideo totus eſt mera Proſopolepſia) Deus dedit omnes creaturas ad utilitatem & uſum, non ad cultum & religionem. Vtere ergo pane, vino, veſte, poſſeſſionibus, auro &c. ſed in his non confidas neq; glorieris in illis. In ſolo enim Deo gloriandum ac confidendum eſt. Is ſolus amandus, metuendus, colendus eſt.

Deus finit quidem Sanctos in grandia peccata labi, ne hæreamus in perſona eorum.

Vocat autem hic Paulus perſonam hominis, Apoſtolatum ſeu officium Apoſtolorum, qui certe fecerant multa mirabilia, docuerant & converterant multos ad fidem, fuerant familiares Chriſto. Summa, perſona complectitur totam externam converſationem Apoſtolorum, quæ ſancta, & autoritatem ipſorum, quæ magna fuit. Tamen iſta, inquit, Deus non curat, Non quòd omnino non curet, ſed quantumvis ſint magna & glorioſa, in loco juſtificationis non curat. Oportet enim hanc diſtinctionem diligenter ſervari, quòd longe aliter loquamur de rebus in Theologia, quàm in Politia. In Politia vult Deus honorem haberi, ut dixi, iſtis perſonis, tanquam ſuis larvis & inſtrumentis, per quæ regit & conſervat mundum. Sed quando pervenitur ad religionem, conſcientiam, timorem, fiduciam, cultum, nemo metuat ullam perſonam, nemo confidat in ea, nemo conſolationem expectet ab ab, nemo ſperet ſe corporaliter aut ſpiritualiter per eam hoerari poſſe. Hinc eſt quod Deus perſonam non vult reſpici in judicio. Iudicium enim eſt res divina. Quare neque metuere neque amare debeo Iudicem, ſed meus timor & fiducia pendere debet in Deo, qui eſt verus judex. Debeo quidem Politicum judicem, ut larvam Dei revereri & honore afficere propter Deum, Sed conſcientia mea non debet fidere & niti ejus juſticia & probitate, nec terreri ipſius injuſticia &

Paulus perſonam hominis appellat officium Apoſtolatum.

Perſona in judicio non reſpicienda.

tyrannide, ut aliquid contra Deum agam, hoc eſt, offendam mentiendo, falſum teſtimonium dicendo, veritatem abnegando, Alioqui libenter honorem habebo Iudici.

Papa negato Deo, ſolus adorari vult.

ITA Papam venerari, & perſonam ejus colere velim, ſi relinqueret mihi Conſcientiam liberam, & me non cogeret contra Deum peccare. Verum ipſe vult timeri & coli, cum offenſione divinæ Majeſtatis. Hic ſi alterum eſt amittendum, amittatur Perſona, & retineatur Deus. Dominium Papæ libenter ferremus, *Sed quia abutitur eo contra nos, & cogere vult, ut ſe ſolum, negato & blaſphemato Deo, Dominum agnoſcamus, & conſcientias noſtras ligare & urgere vult contra timorem & fiduciam Dei, Ideo cogimur mandato divino reſiſtere Papæ, Quia ſcriptum eſt, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Ideo ſine offenſione conſcientiæ, quod nos maxime ſolatur, autoritatem Papæ contemnimus. Cupiebant & Muntzerus & alii homines furioſi Papam extinctum, Sed hoc armis non verbo volebant efficere, Ideo reſtiterunt illi propter perſonam, non propter Deum. Nos libenter faveremus Behemotæ & ſquamis ejus omnes perſonas & dignitates, quas habent, modo nobis Chriſtum relinquerent, Sed quia hoc ab ipſis impetrare non poſſumus, contemnimus Perſonatum ipſorum, & cum fiducia dicimus cum Paulo, Deus perſonam hominis non reſpicit.

Quando accipienda ſit perſona, quando non &c.

Eſt itaque Emphaſis in vocabulo, DEUS, In cauſa enim religionis & verbi Dei, nullo modo accipienda eſt perſona, Sed quando eſt quæſtio extra religionem, extra Deum, ibi oportet eſſe Proſopolepſian, & homo debet reſpicere perſonam, ne fiat confuſio, neve reverentia & ordo tollatur. Nam in hoc circulo vult Deus ſervari ordinem, reverentiam & differentiam perſonarum, Alioqui filius, diſcipulus, ſubditus, ſervus, diceret, Ego æque ſum Chriſtianus, atque Pater, præceptor, princeps, herus &c. meus, Cur igitur ei honorem haberem? Coram Deo igitur ceſſat omnis perſonatus, ibi neque Græcus neque Iudæus, ſed omnes unum ſunt in Chriſto, non item coram mundo &c. Sic ſolvit Paulus Pſeudoapoſtolorum argumentum de autoritate Apoſtolorum, dicens, Intempeſtivum eſſe nec in hoc loco valere, ideo ad propoſitum non pertinere, Quia hic de re longe magis ardua, quàm de perſonarum reſpectu agatur, nempe de re divina, de Deo, de verbo Dei, Num ſcilicet illud ſit præferendum Apoſtolatui, aut econtra? Ibi reſpondet Paulus, Vt veritas Evangelii permaneat, ut verbum Dei & juſticia fidei illæſa & pura conſervetur, pereat Apoſtolatus, pereat Angelus è cœlo, pereat Paulus cum Petro.

Mihi enim qui videbantur aliquid, nihil contulerunt.

QUAERID. Non ita contuli aut veni in colloquium cum Apoſtolis, ut me docerent. Quid enim me docerent? cum ſatis abunde omnia docuerat me Chriſtus per revelationem ſuam, Deinde cum jam octodecim annis prædicaveram Evangelium inter Gentes, & tot miracula per me Chriſtus ediderat, quibus meam prædicationem confirmavit. Ideo fuit tantum collatio non diſputatio, in qua non aliquid didici, non recantavi, aut defendi me, ſed ſimpliciter narravi res meas geſtas, nempe, Quod gentibus ſolam Fidem in Chriſtum, ſine lege prædicavi, Et quod ad hanc prædicationem fidei, cecidit Spiritus ſanctus ſuper Gentes, quæ ſtatim locutæ ſunt variis linguis. Quo audito, teſtati ſunt Apoſtoli me rectè docuiſſe. Ideo injuria me afficiunt Pſeudoapoſtoli, qui iſta invertunt &c.

Quid Paulus egerit in iſta collatione.

Superbia Pauli neceſſaria.

Neque iſta ſuperbia Pauli, qua dicit alios Apoſtolos nihil contuliſſe ſibi, eſt vitioſa, ſed ultra modum neceſſaria, Nam ſi hic ceſſiſſet, periiſſet veritas Evangelii. Multo minus debemus nos cedere adverſariis noſtris, qui jactant autoritatem idoli ſui Papæ, contra nos, cum Paulus hic noluerit cedere Pſeudoapoſtolis, qui contra ſe verorum Apoſtolorum autoritatem jactabant. Scio, in piis debere eſſe humilitatem, Sed contra Papam volo & debeo ſancta ſuperbia ſuperbire, nempe ſic, Papa nolo tibi ſubjici, nolo te magiſtro uti, quia certus ſum, doctrinam meam eſſe veram & divinam. Sed Papa hanc non vult audire, imo cogere me vult, ut ſuis legibus & decretis

Superbia noſtra contra Papam.

decretis paream, & niſi paruero, excommunicat & damnat me, ut Hæreticum & Eccleſiæ deſertorem. Ideo ſuperbia noſtra contra Papam maxime eſt neceſſaria, & niſi ſic ſuperbiremus & contemneremus in Spiritu ſancto ipſum cum ſua doctrina, & Diabolum mendacii patrem in eo loquentem, Nullo modo retinere poſſemus articulum juſticiæ fidei. Quare non contemnimus autoritatem Papæ, ideo, ut dominemur ipſi, neque hoc agimus, ut extollamus nos ſupra ſummas majeſtates, cum palam ſit, nos docere, omnem hominem debere humiliari, ſubjici, ſervire poteſtati, Sed hoc quærimus, ut maneat gloria Dei, & juſticia fidei illæſa conſervetur, ut ſimus nos ſalvi & ipſi.

Our ſuperbia-mus contra Papam.

Si igitur Papa nobis conceſſerit, quod ſolus Deus ex mera gratia per Chriſtum juſtificet peccatores, non ſolùm volumus eum in manibus portare, ſed etiam ei oſculari pedes. Quia verò hoc impetrare non poſſumus, viciſſim ſuperbimus in Deo ultra omnem modum, neque omnibus angelis in cœlo, neque Petro aut Paulo, neque centum Cæſaribus, neque mille Papis, neque toti mundo, latum digitum ceſſuri. Longe abſit hic omnis humilitas, Quia volunt nobis rapere gloriam noſtram, ipſum Deum, qui nos creavit & omnia dedit, Ipſum Chriſtum, qui nos ſuo ſanguine redemit. Hæc rei ſumma eſto, Sinemus nobis eripi bona, nomen, vitam & omnia quæ habemus, Evangelium, fidem, Chriſtum &c. non patiemur nobis auferri, & maledicta ſit humilitas, quæ hic ſe demiſerit, Hic quilibet ſit ſuperbus & pertinaciſſimus, niſi velit Chriſtum negare. Quare Deo dante, mea frons durior erit fronte omnium, Hic durus & eſſe & haberi volo, hîc gero titulum, Cedo nulli, Et ex animo gaudeo hîc rebellis & pertinax dici. Hîc palam fateor me eſſe, & futurum durum, & ne pilo quidem cedam. Charitas cedit, quæ omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, Contra, fides non cedit, Imò nihil omnino tolerare poteſt, Iuxta hoc vulgare dictum, Non patitur ludum, fama, fides, oculus. Quare Chriſtianus, quod ad fidem attinet, ſuperbiſſimus & pertinaciſſimus ſit, nihil plane patiatur, nulli, ne pilo quidem cedat, Fide enim homo fit Deus, 2. Pet. 1. Deus autem nihil patitur, nulli cedit, eſt enim immutabilis, Sic Fides eſt immutabilis, Igitur nihil pati, nulli cedere debet. Per charitatem autem Chriſtianus cedat & toleret omnia, tunc enim eſt merus homo.

Cedo nulli.

Charitas omnia ſert, fides ſervo nihil patitur.

Pet. 1.

Sed contra, cum vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Evangelium Præputii, ſicut & Petro Circumciſionis (Qui enim efficax fuit cum Petro ad Apoſtolatum circumciſionis, efficax fuit & mecum in Gentes.)

HÆC eſt fortiſſima confutatio contra falſos Apoſtolos. Vendicat & arrogat hic ſibi Paulus eandem autoritatem, quam Pſeudoapoſtoli jactaverunt de veris Apoſtolis. Et utitur inverſione rhetorica. Pſeudoapoſtoli, inquit, allegant autoritatem magnorum illorum Apoſtolorum pro ſe, contra me, At ego allego eam pro me contra ipſos. Nam Apoſtoli pro me ſunt. Ideo, mei Galatæ, ne credatis iſtis, qui autoritatem Apoſtolorum contra me jactant. Quia cum vidiſſent concreditum eſſe mihi Evangelium præputii, & agnoviſſent mihi gratiam datam, dederunt mihi & Barnabæ dextras ſocietatis, approbantes miniſterium meum, & gratias agentes de dono meo. Sic egregie retorquet argumentum in adverſarios. Et in his verbis merus ardor eſt & flamma, & plus hic cordis eſt, quàm linguæ. Ideo etiam accidit, ut Paulus oblitus Grammaticæ, perturbaverit conſtructionem. Cum autem ait, Qui videbantur columnæ eſſe, non fuit fucus, ſed revera habebantur pro columnis. Nam Apoſtoli per totam Eccleſiam culti & honorati erant, Et penes ipſos erat autoritas probandi & publicandi doctrinam veritatis, & damnandi contrariam.

Apoſtolica-rum.

Is mirabilis textus eſt, quod Paulus dicit ſibi concreditum Evangelium præputii, Petro circumciſionis, Cum tamen Paulus fere ubiq; Iudæis in Synagogis, & Petrus etiam gentibus prædicaverit. Vtriusq; rei extant teſtimonia & exemplа in Actis. Petrus convertit Centurionem cum familia, qui erat gentilis, Deinde ſcripſit

Petro concreditum Evangelium circumciſionis, Paulo præputij.

Act. 10.

ſcripſit ad gentes, ut teſtatur prior ejus Epiſtola, Paulus prædicans Chriſtum inter gentes, ſimul tamen ingreditur Synagogas Iudæorum, & ibi docet Evangelium. Et in Marco & Matthęo mandat Chriſtus omnibus Apoſtolis. Euntes, inquit, in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Et Paulus Col. 1. ait, Evangelium prædicatum in omnem creaturam, quæ eſt ſub cœlo. Quare ergo vocat ſe tantum Apoſtolum gentium, & Petrum ac cæteros circumciſionis.

Petrum Iudæorum, Paulus gentium Apoſtolum.

Non eſt difficilis hæc quæſtio. Paulus huc ſpectat, quòd alii Apoſtoli principaliter in Iudæa & Ieruſalem manſerint, donec Deo vocante, aliò ſe contulerunt. Pro tempore ergo ita tunc habebat res, quod ſtante adhuc Politia Iudaica erant in Iudæa, Imminente verò vaſtatione, diſperſi ſunt per totum orbem. Paulus autem, ut in Actis ſcribitur Cap. 13. ſingulari vocatione ſelectus eſt, in Apoſtolum gentium, & miſſus extra Iudæam, peragravit regiones gentium. Cæterum Iudæi tunc diſperſi ferè per totum orbem, paſſim habitabant in urbibus & locis gentilium. Itaque Paulus illuc veniens, ſolitus fuit, ut in Actis legitur, ingredi Synagogas Iudæorum, atque illa occaſione primum afferebat eis, ut filiis regni, hoc lætum nuntium, promiſſiones Patribus factas, jam impletas per Chriſtum &c. Cum hoc audire nollent, ibat ad gentes, ut Lucas teſtatur Act. 13. ubi inducit Paulum cum fiducia ſic loquentem contra Iudæos, pro lege zelantes, & contradicentes his, quæ ab ipſo dicebantur. Vobis, inquit, oportebat primùm loqui verbum Dei, Sed quia repellitis illud, & indignos vos judicatis vita æterna, ecce convertimur ad gentes. Et Act. ult. Notum ſit vobis, quod gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient. Quare præcipue ad gentes miſſus eſt. Quia verò debitor omnium erat, & omnibus omnia fiebat, data occaſione intravit Synagogas Iudæorum, ubi non ſolùm Iudæi, ſed etiam gentes audierunt eum concionantem Evangelium de Chriſto. Aliàs publicè prædicavit gentibus in foro, in domibus, ad flumina. Fuit igitur præcipue gentium Apoſtolus, ut Petrus Iudæorum, ſic tamen, ut & ipſe gentibus annuntiaverit Chriſtum, oblata opportunitate &c.

Paulus prædicavit etiam Iudæis.

Præputium, Circumciſio.

Appellat autem præputium Gentes, circumciſionem Iudæos, per Synecdochen, tropum in ſacris literis uſitatiſſimum, cum videlicet totum parte comprehenditur. Eſt igitur Evangelium præputii, quod mittendum erat ad gentes, Hoc ait ſibi concreditum, ut Petro circumciſionis, Quia ut Petrus in Iudæos, ita ipſe in gentes ſparſit Evangelium Chriſti. Hic obiter admonendum eſt, Ebræos conſtructionem genitivi variè accipere, jam active, jam paſſive. Id quod ſæpe obſcurare ſolet ſententiam. Exempla paſſim obvia ſunt in Paulo & tota Scriptura. Vt hæc oratio, gloria Dei, nonnihil eſt obſcura, quia active & paſſive exponi poteſt. Gloria Dei active, qua Deus in ſe gloriatur, Paſſive, qua nos in Deo gloriamur. Sic fides Chriſti &c. Nos plerunq; tales ſententias paſſive exponimus, ut Chriſti fides eſt, qua Chriſtus creditur. Sic Evangelium Dei active vocatur, quod ſolus Deus dat & mittit in mundum. Evangelium præputii & circumciſionis paſſive, quod ad gentes & Iudæos miſſum, & ab ipſis receptum eſt.

Conſtructio genitivi apud Ebræos varia.

Evangelium præputij &c.

Paulus non habuit Apoſtolos Doctores &c.

Hoc perpetuò urget, Iacobum, Petrum & Iohannem, qui videbantur columnæ, nihil docuiſſe ſe, neq; eos, ut Majores & ordinatores, commiſiſſe ſibi officium Evangelii. Nulla enim eſt ibi autoritas docentis, mandantis, aut mittentis. Ideo etiam neq; agnoſcit eos præceptores & ordinatores. Sed ubi ipſimet, inquit, videbant mihi creditum, id eſt, fideliter commiſſum, Evangelium, non à Petro, Quia ut neque ab homine accepi aut didici Evangelium, Ita neque ab homine accepi mandatum prædicandi illud, Sed utrunque & cognitionem Evangelii & mandatum prædicandi illud inter gentes, accepi immediate à Chriſto, per omnia ut Petro divinitus traditum Evangelium & miniſterium demandatum erat prædicandi illud inter Iudæos.

Æqualis Apoſtolorum vocatio &c.

Hic locus clare teſtatur omnes Apoſtolos habuiſſe æqualem vocationem & mandatum, ac idem Evangelium. Petrus non prædicavit aliud Evangelium, quàm alii, Nec ipſe aliis demandavit officium, ſed omnino inter eos fuit æqualitas. Omnes enim

enim divinitus docti ac vocati fuerunt, hoc eſt, utrunque & vocatio & mandatum omnium Apoſtolorum fuit ſimpliciter immediate à Deo. Nullus ergo Apoſtolus major eſt alio, nec eſt aliqua perſonæ prærogativa. Quare impudens mendacium eſt, quod Papa jactat Petrum fuiſſe principem Apoſtolorum, ac per hoc ipſum confirmat primatum ſuum &c. *Aequalitas Apoſtolorum.*

Qui efficax fuit cum Petro &c.

CONFVTATIO eſt alterius cujuſdam argumenti Pſeudoapoſtolorum. Quid jactant Pſeudoapoſtoli, inquit, Evangelium Petri fuiſſe efficax? multos per ipſum converſos, feciſſe eum miracula multa & magna, ſuſcitaſſe mortuos, umbra ſua ſanaſſe infirmos. Concedo iſta omnia. Sed ea efficacia Petrus è cœlo fuit indutus, Deus virtutem dedit voci ipſius, ut multi crederent, ut multa per ipſam miracula fierent. Eandem virtutem ego quoque habui, non acceptam à Petro, ſed idem Deus & ſpiritus, qui in Petro efficax, & in me efficax, fuit. Eandem habui gratiam, multos docui, & multa miracula feci, Mea quoque umbra infirmos ſanavi. Hocq; teſtatur Luc. in Actis Cap. 19. his verbis: Virtutes non vulgares faciebat Deus per manum Pauli, Ita ut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis morbi, & ſpiritus mali egrediebantur. Plura lege Cap. 13. 16. 20. 28. in Actis. *Evangelium Petri efficax.* *Evangelium Pauli efficax.*

Summa in nulla re vult Paulus aliis Apoſtolis minor haberi, & de hoc pie & ſancte ſuperbit. Fruſtra igitur Iulianus & Porphyrius calumniantur, Paulum inſolescere contra caput Apoſtolorum. Paulus hic ambitioſus & ſuperbus fuit contra Petram neceſſitate, eaq; divina, Zelus enim pro gloria Dei coëgit eum ſic ſuperbire. Hoc calumniatores iſti non videntes, putaverunt hanc ejus ſuperbiam eſſe carnalem, qualis hodie eſt in Papa & ſuis Epiſcopis, Verum non agebatur hic Pauli negotium, ſed fidei. Per fidem autem oportet nos eſſe invictos, inflexibiles & pertinaciſſimos, & ſi poſſemus, duriores Adamante. Per charitatem verò molliores & flexibiliores omni arundine & folio, & ad omnia obſequentes. Non igitur fuit dimicatio hîc de gloria Pauli, ſed de gloria Dei, de verbo Dei, de vero cultu, religione & juſticia fidei, ut iſta illæſa manerent. *Superbia Pauli non eſt carnalis.*

Et cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus & Cæphas & Iohannes, qui videbantur columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi verò in circumciſionem.

(ſcilicet prædicarent Evangelium)

HOC eſt, cum audiſſent me accepiſſe divinitus vocationem & mandatum prædicandi Evangelium inter gentes, Deum tot feciſſe per me miracula, Deinde tantum numerum gentium perveniſſe ad cognitionem Chriſti per meum miniſterium, gentesq; accepiſſe Spiritum ſanctum ſine Lege & circumciſione, per ſolum auditum fidei, glorificaverunt Deum pro gratia, quæ mihi data eſt. Gratiam appellat omnia quæ à Deo acceperat, Quod ex perſecutore & vaſtatore Eccleſiæ, factus eſt Apoſtolus, à Chriſto edoctus, ſpiritualibus donis auctus &c. Illaq; narratione indicat, Petrum ſibi teſtimonium dediſſe quod verus ſit Apoſtolus, non à ſe aut ab aliis Apoſtolis doctus & miſſus, ſed à ſolo Deo, Atque ita miniſterium & autoritatem Pauli ac dona ſpiritus in eo, non ſolum, ut res divinas humiliter agnovit, ſed etiam approbavit & confirmavit, non tamen ut ſuperior & autor, ſed ut frater ac teſtis. Hoc idem fecerunt Iacobus & Iohannes. Ideo pro me, non contra me ſtant hi, qui columnæ inter Apoſtolos ſunt. *Quid Paulus vocet gratiam hoc loco.* *Petrus approbat miniſterium Pauli.*

Dextras ſocietatis.

ID eſt, communionis, vel dextras ſocias, hoc eſt, dixerunt, Nos unanimi conſenſu, Paule, prædicamus tecum Evangelium. Sumus igitur in doctrina ſocii, & habemus in ea communionem, hoc eſt, habemus eandem doctrinam, quia idem Evangelium, eundem baptiſmum, eundem Chriſtum & fidem tecum prædicamus. *Idem Evangelium Pauli & aliorum Apoſtolorum.*

Quare

Digitized by Google

Quare nihil poſſumus te docere, aut injungere tibi, cum per omnia inter nos cõveniat. Non enim diverſa, meliora aut ſublimiora docemus, quam tu, ſed idem donum in te videmus, quod nos habemus, Niſi quod tibi Evangelium præputii, nobis circumciſionis, commiſſum eſt. Sed concludimus hîc, quod præputium & circumciſio non debeant impedire noſtram communionem, cum idem ſit Evangelium, quod utriq; prædicamus.

Idem eſſe Evangelium omnium.

Admonet hic locus, Idem Evangelium eſſe Gentium, Iudæorum, monachorum, Laicorum, juvenum, ſenum, virorum, mulierum &c. Non reſpicit perſonas, ſed commune eſt Verbum & Doctrina omnium hominum, Quicunque eam audit & credit, ſalvatur, non obſtante, quod incircumciſus aut circumciſus ſit. Paulus hactenus probavit, non ſolùm divino teſtimonio, ſed etiam humano, Apoſtolorum ſcilicet, ſe recte & pie docuiſſe Evangelium. Quare omnia, quæ Pſeudoapoſtoli pro extenuanda autoritate ejus dixerunt, oſtendit eſſe conficta, & teſtimonium Apoſtolorum pro ſe ſtare, non pro Pſeudoapoſtolis. Quia verò ſolus iſta narrat, ideo jurat, & Deum teſtem invocat, quòd quæ dixerit, vera ſint.

Tantum ut pauperum memores eſſemus, Quod etiam ſtudui facere.

Epiſcopus debet etiam ſolicitus eſſe pro pauperibus.

POST prædicationem Evangelii, reliqua cura boni Paſtoris eſt, ut ſit memor pauperum. Nam ubi Eccleſia eſt, ibi neceſſe eſt pauperes eſſe, qui & plerunq; ſoli ſunt veri diſcipuli Evangelii, ut Chriſtus ait, Pauperes evangeliſantur. Mundus enim & Diabolus perſequuntur Eccleſiam, & redigunt multos ad paupertatem, qui poſtea deſeruntur, & negliguntur. Deinde non ſolùm in hoc peccat Mundus, ſed etiam non eſt ſolicitus pro conſervando Evangelio, vera pietate & cultu Dei. Nemo pro miniſtris Eccleſiæ alendis, & ſcholis erigendis vult quicquam conferre, conſulere &c. Pro ſuperſtitione & falſis cultibus erigendis & conſervandis, nemo non libenter utraq; manu dabat. Tot erecta ſunt monaſteria, tot Eccleſiæ Cathedrales, tot Epiſcopatus in Papatu, ubi ipſa impietas regnat, tot reditus ordinati pro eorum ſuſtentatione. Iam civitas gravatur unum atque alterum miniſtrum Evangelii alere, quæ prius, regnante impietate, aliquot monaſteria, & infinitos Sacerdotes Miſſarios aluit ſine gravamine. Vt interim nihil dicam de Terminariis, Stationariis &c. In ſumma, vera religio ſemper eget, Et Chriſtus conqueritur ſe eſurire, ſitire, hoſpitem, nudum, infirmum eſſe &c. Econtra impietas floret, & abundat omnibus bonis. Ideo verus Epiſcopus etiam curam pauperum habere debet. Id quod Paulus fatetur hic ſe feciſſe.

Mundus pro conſervanda pietate nihil confert, econtra &c.

Cum autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.

Calumnia Iuliani & aliorum contra Paulum &c.

PAULUS pergit confutando, & dicit, Quod non ſolùm habeat teſtimonium Petri & aliorum Apoſtolorum Hieroſolymis pro ſe, ſed quod etiam reſtiterit Petro, præſente Eccleſia Antiochena Narrat hic rem non geſtam in angulo, ſed in facie Eccleſiæ. Et illa ſatis mirabilis hiſtoria, multis dedit occaſionem calumniandi, ut Porphyrio, Celſo, Iuliano & aliis, qui accuſant Paulum ſuperbiæ, quòd invaſerit ſummum Apoſtolorum, & hoc in facie Eccleſiæ, Per quod exceſſerit metas Chriſtianæ modeſtiæ & humilitatis. Non mirum autem eſt, talia cogitare & loqui eos, qui ſcopum Paulinæ diſputationis non vident.

Majeſtas articuli juſtificationis.

Paulus hîc non agit, ut & ſuprà monui, de lana caprina, nec de pane lucrando, ſed de præcipuo articulo Chriſtianæ doctrinæ. Qui intelligit, quanta ſit ejus utilitas & majeſtas, illi cætera omnia vileſcunt, & nihili fiunt. Quid enim eſt Petrus, Paulus? quid angelus è cœlo? quid univerſa creatura ad articulum juſtificationis? Eo enim cognito in clariſſima luce; ignorato, in denſiſſima caligine verſamur &c. Quare ſi iſtum videris labefactari aut periclitari, non verebere vel Petro vel angelo è cœlo reſiſtere, nam ſatis magnificè non poteſt extolli. Contrà, Porphyrius & alii ſpectant magnitudinem dignitatis Petri, mirantur ejus perſonam, & oblivíſcuntur majeſtatis hujus Articuli. Paulus contrarium facit, non invehitur acriter in Pe-

in Petrum, ſed ſatis reverenter tractat eum. Quia verò videt periclitari majeſtatem articuli de juſtificatione propter dignitatem Petri, nullam habet rationem dignitatis ejus, ut eum ſalvum conſervet & defendat. Sic & nos facimus, quia ſcriptum eſt, Qui diligit patrem, matrem, animam ſuam &c. plus quàm me, non eſt me dignus.

Ideo quod attinet ad defendendam Evangelii veritatem, non erubeſcimus accuſari ab Hypocritis ſuperbi & obſtinati, qui ſoliſapere, neminem audire, nemini cedere velimus. Hîc ſumme neceſſarium eſt inflexibilem & obſtinatum eſſe, Quia cauſa propter quam peccamus in hominem, hoc eſt, propter quam conculcamus majeſtatem Perſonæ vel Mundi, tanta eſt, ut iſta peccata, quæ mundus judicat maxima, fiant & ſint ſummæ virtutes coram Deo. Bene facimus, quòd parentes colimus, quòd honorem habemus Magiſtratui, quòd reveremur Petrum & alios verbi miniſtros, Sed jam non verſamur in cauſa Petri, parentum, Cæſaris, Mundi, aut ullius creaturæ, ſed Dei. Hîc rectè facio, quòd non cedo parentibus, Cæſari aut etiam Angelo è cœlo, &c. Ratio, confer tu Deum cum creatura. Quid univerſa creatura ad Deum? una gutta ad mare. Quare ergo ſic admirarer Petrum, qui eſt guttula, ut relinquerem Deum, qui eſt mare? Cedat igitur gutta mari, cedat Petrus Deo.

Expedit eſſe pertinacem in cauſa Dei.

Hæc ideo dico, ut diligenter conſideretis rem, de qua agit Paulus. Agit autem de verbo Dei, quod nemo ſatis digne extollere poteſt. Auguſtinus melius judicat de iſto negotio Pauli, quàm Hieronymus, qui tantum reſpicit dignitatem & autoritatem Petri, & inde ſic colligit, Petrus fuit ſummus Apoſtolus, ergo non debuit reprehendi à Paulo, vel ſi reprehendit, fecit fuco quodam. Sic Paulo tribuit ſimulationem, quod ideo finxerint Petrum reprehenſibilem, ut ſuum Apoſtolatum promoveret, & Gentes ſuas defenderet. Contrà, Petrum per omnia excuſans, veritatem illi tribuit, Quæ eſt valde incommoda inverſio Textus, qui diſertè exprimit, Petrum fuiſſe reprehenſibilem, ac aberraſſe à veritate. Item, quòd alii Iudæi cum eo ſimulaverint, ita ut etiam Barnabas ab eis adductus ſit in illam ſimulationem. Hæc clara verba non videt Hieronymus, tantùm in hoc hæret, Petrus fuit Apoſtolus, Ergo irreprehenſibilis, & non potuit peccare. Huic ſententiæ rectè reclamat Auguſtinus, Non eſt ferenda, inquit, ſimulatio in Paulo, quia juramento confirmat ſe veritatem dicere.

Sententia Auguſtini & Hieronymi ſuper hoc loco Pauli.

Quare injuriam faciunt Paulo Hieronymus & Eraſmus, qui particulam, ſecundùm faciem, exponunt in ſpeciem, id eſt, non ex animo, ſed ſecundùm fucum. Quòd ſcilicet Paulus non ex corde, ſed ex ſimulatione officioſa reſtiterit Petro, ne gentes offenderentur, ſi omninò tacuiſſet, Sed ſecundùm faciem, ſignificat coram. In os enim reſtitit Petro, non in angulo, ſed Petro præſente, & tota Eccleſia aſtante. Et ſignificanter ponit hanc particulam, ſecundùm faciem, contra virulentas viperas, Satanæ Apoſtolos, qui abſentibus detrahunt, quibus præſentibus ne quidem audent hiſcere, ut Pſeudoapoſtoli faciebant, quos etiam hîc oblique perſtringit, qui præſenti detrahere non audebant, abſenti detrahebant. Sic non detraxi, inquit, Petro, ſed libere & aperte reſtiti ei non ex ſimulatione, ambitione, aliquo humano affectu aut morbo animi, ſed quia erat reprehenſibilis, &c.

Secundùm faciem.

Chriſtianus aperte reprehendit vitium in fratre, econtra &c.

Hic ſinito alios diſputare, An Apoſtolus poſſit peccare? Nos non debemus extenuare peccatum Petri. Prophetæ etiam quandoque errant & falluntur. Natan ex ſuo ſpiritu dixit ad Davidem, quod deberet ædificare domum Domini. Illa Prophetia mox eſt correcta per revelationem divinam, quod non David, qui fuiſſet vir bellator & multum ſanguinis effudiſſet, ſed filius ſuus Salomon deberet ædificare domum Domini. Sic & Apoſtoli erraverunt, ſomniabant Chriſti regnum futurum corporale Act. 1. Num in tempore hoc &c. Et Petrus etſi à Chriſto audierat, Ite in mundum univerſum &c. tamen non iviſſet ad Cornelium, niſi fuiſſet admonitus viſione, &c. In hac verò cauſa non ſolùm erravit, ſed inſignem lapſum & grande peccatum commiſit. Et niſi Paulus ei reſtitiſſet, omnes, qui ex gentibus crediderant, coacti fuiſſent recipere circumciſionem & ſervare Legem, & Iudæi

Prophetæ erarunt.

Act. 1.

Petrus peccavit.

credentes confirmati fuiſſent in ſua opinione, quod iſtorum obſervatio neceſſaria eſſet ad ſalutem. Atque hoc modo iterum recepiſſent Legem pro Evangelio, Moſen pro Chriſto. Et ad hoc maximum peccatum & ineffabile damnum Petrus ſua ſimulatione dediſſet occaſionem. Ideo non debemus tribuere Sanctis tantam perfectionem, quaſi peccare non poſſint.

Diſſenſio orta inter Paulum & Barnabam.

Teſtatur Lucas in Actis Cap. 15. inter Paulum & Barnabam, qui unà ſegregati ad miniſterium Evangelii inter gentes, jam multas regiones peragraverant, & illis Evangelium annuntiaverant, tam acrem diſſenſionem ortam eſſe, ut alter ab altero diſceſſerit. Hic aut Paulus, aut Barnabas exceſſit. Et oportet fuiſſe vehementem diſcordiam, cum iſtos conjunctiſſimos ſocios divulſerit, ut textus in Actis teſtatur. Hujuſmodi exempla ſcribuntur nobis in conſolationem. Eſt enim plenum conſolatione, cum audimus Sanctos, ſpiritum Dei habentes, etiam peccare. Hanc conſolationem nobis eripere volunt, qui negant Sanctos poſſe peccare. Samſon, David & alii multi celebres viri, Spiritu ſancto pleni, lapſi ſunt in grandia peccata. Hiob & Ieremias maledicunt diei nativitatis ſuæ, Elia & Iona, pertæſi vitæ, mortem ſibi precantur. Tales errores & peccata Sanctorum proponit Scriptura in conſolationem afflictorum & deſperabundorum, & in terrorem ſuperborum. Nemo unquam tam graviter lapſus eſt, qui non poſſit reſurgere. Econtra, nemo tam firmiter fixit pedem, qui non poſſit labi. Si Petrus lapſus eſt, & ego labi poſſum, Si reſurrexit, poſſum & ego reſurgere.

Sanctorum lapſus.

Eandem ſpiritum Gratia & precium habemus & nos, quem habuerunt Apoſtoli &c.

Et talia exempla omnino magnifacere debent puſillanimes & trepidæ conſcientiæ, ut eo melius diſcant intelligere, quid orent, cum dicunt, Remitte nobis debita noſtra, &, Credo remiſſionem peccatorum. Eadem & communis fuit nobiſcum fides & oratio Apoſtolorum & omnium Sanctorum, nullam prærogativam habuerunt præ nobis, Eadem habemus bona, quæ ipſi, eundem Chriſtum, Baptiſma, verbum, remiſſionem peccatorum, quibus omnibus & ipſi indiguerunt, & æquè per ea ſanctificati & ſalvati ſunt, ac nos. Hoc dico contra monſtroſa præconia & laudes, quibus ſtulti Sophiſtæ & Monachi ornaverunt Sanctos. Item dixerunt Eccleſiam ſic ſanctam eſſe, ut omnino ſine peccato ſit. Eſt quidem Eccleſia ſancta, ut fides noſtra confiteatur, Credo Eccleſiam ſanctam &c. & tamen peccatum habet. Hinc credit remiſſionem peccatorum, & orat, Remitte nobis debita noſtra, Quare non dicitur formaliter ſancta, ut paries albus ab albedine inhærente. Inhærens illa ſanctitas non eſt ſatis, ſed Chriſtus eſt perfecta & tota ſanctitas ipſius, ubi illa inhærens non eſt ſatis, ſatis eſt Chriſtus.

Eccleſia ſancta & peccatrix.

Priusquam enim quidam venirent à Iacobo, cum gentibus edebat.

Petrus cum gentibus gentiliter vixit.

GENTES converſæ ad fidem, edebant cibos in Lege prohibitos, Eoſdem & Petrus cum gentibus converſis agens, unà cum illis edebat, & vinum prohibitum bibebat, & ſciebat in hoc ſe recte facere, ideoque cum fiducia tranſgrediebatur Legem cum Gentibus. Sic Paulus fatetur ſe feciſſe, cum ait, 1. Cor. 9. ſe Iudæis factum tanquam Iudæum, his qui ſine Lege erant, ac ſi ſine lege eſſet &c. hoc eſt, cum gentibus edit & bibit gentiliter, & nullam omnino legem ſervavit. Cum Iudæis ſecundùm Legem, abſtinuit ab omnibus, quæ in lege prohibita erant, Omnibus enim inſervire & placere ſtudebat, ut omnes lucrifaceret. Quare Petrus in hoc non peccavit, ſed bene fecit, ſciebatq; hoc ſibi licere. Iſtaq; ſua tranſgreſſione oſtendebat, & Legem non eſſe neceſſariam ad juſticiam, & gentes liberabat ab obſervatione legis. Nam ſi licuit Petro Legem in uno violare, licuit in omnibus violare. Neque Paulus propter hanc violationem Legis Petrum reprehendit, ſed propter ſimulationem, ut ſequitur. 1. Cor. 9.

Cum autem veniſſent, ſubducebat & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant.

Peccatum Petri.

IBI vides peccatum Petri, quod Paulus diſertè deſcribit. Non accuſat malitiam aut ignorantiam, ſed ſimulationem & infirmitatem in eo, quod ſcilicet abſtinuerit à cibo

à cibo communi, in Lege prohibito, metuens ne Iudæi, qui à Iacobo venerant, per hoc offenderentur, Atque ita magis habuit rationem ſuorum Iudæorum quàm Gentium, Eaq; re occaſionem præbuit, ut periclitaretur libertas Chriſtiana & veritas Evangelii. Nam per hoc, quòd ſubtraxit & prorſus ſegregavit ſe, abſtinens à cibis in Lege prohibitis, quos antea comederat, ſcrupulum injecit conſcientiis fidelium, ut ſic colligerent ex hoc ipſius facto, Petrus abſtinet à cibis in Lege prohibitis, ergo quicunque edit prohibita in Lege, peccat & tranſgreditur Legem, Qui verò abſtinet, ſervat legem & juſtus eſt, alioqui ipſe non ſubtraheret ſe. Quia verò ſe ſubtrahit & data opera vitat cibos, quos prius edit, certiſſimum ſignum eſt, manducantes contra Legem peccare, abſtinentes verò à cibis in lege prohibitis, ſervare legem & juſtificari.

Quid collegerint credentes ex hoc Petri facto.

Iſte eſt locus qui hîc tractatur, quem Hieronymus non vidit, vidit tantùm factum, non finem facti. Factum in ſe non erat malum, quia edere & bibere, aut econtra, nihil eſt, Sed finis iſte, ſi edis peccas, ſi abſtines juſtus es, malus eſt. Sic circumciſio per ſe res bona eſt, ſed hic finis malus eſt, Niſi circumcidaris ſecundùm legem Moſi, non poteris ſalvari. Item prohibitis in lege veſci non eſt malum, ſed ſubductio & ſegregatio illa Petri eſt mala. Quia hoc inde infertur, Petrus abſtinet à prohibitis in lege, Niſi igitur & tu abſtinueris, non poteris ſalvari. Illud nequaquam erat Paulo diſſimulandum, quia veritas Evangelii ibi periclitabatur, Vt ea igitur ſalva permaneret, reſtitit Petro in faciem.

Aliud eſt factum, aliud finis facti.

Hîc facienda eſt diſtinctio, quia cibi dupliciter vitari poſſunt. Primum in obſequium fratris, ſpectando tantum charitatem, ibi nullum eſt periculum, ſed bonum eſt hoc modo ſervire fratri infirmo, Sic Paulus ipſe fecerat & docuerat 1. Cor. 9. Secundò, ut vitans, juſtus & ſalvus fiat, non vitans peccet & damnetur. Hic maledicta ſit charitas & omnia ejus officia ac obſequia. Hoc modo enim vitare cibos, eſt Chriſtum negare, ſanguinem ejus conculcare, blaſphemare Spiritum ſanctum, Deum, & omnia divina. Ergo ſi alterum amittendum eſt, amittatur & pereat potiùs amicus aut frater homo, quàm Pater Deus, Si enim perierit Pater Deus, frater homo non diu manebit.

Abſtinentia à cibis ſit dupliciter.

1. Cor. 9.

Hoc Hieronymus non videns, neque hunc locum, neque totam Epiſtolam intelligere potuit. Putat ſimulatam eſſe hanc reprehenſionem Pauli, Ideo extenuat & excuſat peccatum Petri, & dicit per ignorantiam commiſſum. Sed peccavit per ſimulationem, Eaq; iterum ſtatuiſſet neceſſitatem Legis, coëgiſſet Gentes & Iudæos à veritate Evangelii diſcedere, dediſſetq; ipſis efficaciſſimam occaſionem deſerendi Chriſtum, negandi gratiam, redeundi ad Iudaiſmum, & portandi omnia onera Legis, niſi Paulus reprehendiſſet eum, ac per hoc revocaſſet ad libertatem in Chriſto, & ad veritatem Evangelii Gentes & Iudæos, qui hoc exemplo Petri offenſi fuerant. Quare ſi quis vellet peccatum Petri exagitare & amplificare, eſſet maximum, & tamen occaſione tantùm & metu, non malitia aut ignorantia commiſſum. Tam facile ingentes ruinas trahit ſecum unius lapſus aut erratum, ſi non corrigatur. Ideo non eſt jocandum cum articulo juſtificationis, Non fruſtra inculcamus & urgemus eum tanta diligentia.

Simulatio Petri.

Peccatum Petri.

Lapſus in doctrina facilis.

Et vehementer mirum eſt, hoc factum eſſe à Petro, tanto Apoſtolo, qui antea in concilio Hieroſolymitano, fere ſolus ſua ſententia obtinuerat, Per Fidem contingere credentibus juſticiam ſine Lege. Ille idem, qui prius autor fuerat veritatis & libertatis Evangelii, nunc iſta mirabili occaſione & caſu, quòd abſtinet à cibis in Lege prohibitis, labitur, & autor fit tanti ſcandali, & peccat contra ſuum proprium decretum. Quare qui ſtat, videat, ne cadat. Nemo credit, quàm periculoſæ ſint traditiones & ceremoniæ, quibus tamen carere non poſſumus. Quid magis neceſſarium eſt in mundo, quàm lex & ejus opera, &c? Et tamen ſemper periculum eſt, ne ex his negatio Chriſti oriatur. Ex lege enim plerumque creſcit fiducia operum, Vbi autem illa eſt, ibi non poteſt eſſe fiducia in Chriſtum. Facile igitur negatur & amittitur Chriſtus, ut videmus in Petro (qui melius novit articulum

Concilium Hieroſolymitanum.

Act. 15.

Ceremoniæ periculoſæ.

Iustificationis quàm nos) quam facili facto & exemplo statim præbuisset occasionem tantæ ruinæ, quod omnes Gentes defeciſſent à prædicatione Pauli, amisissent Evangelium & Christum &c. Hocq; sancta specie. Potuissent enim dicere, Paule hactenus docuisti, oportere nos sola Gratia sine lege justificari, Nunc vides Petrum contrarium facere, Abstinet enim à vetitis in Lege. Et per hoc dat exemplum, quod non possumus salvi fieri, nisi suscipiamus circumcisionem, & Legem observemus. &c.

Et simulabant unà cum illo cæteri Iudæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

Simulatio Petri.

HIC clarè vides, quod Paulus tribuat simulationem Petro, Econtra, Hieronymus tribuit eam Paulo. Si simulavit Petrus, ergo certo sciebat, quid veritas, quid non esset veritas, Qui simulat, non peccat ignorantia, sed sciens fallit alia specie, quàm vera. Et alii, inquit, consentiebant simulationi Petri, ità ut etiam Barnabas, qui Pauli comes fuerat, & longo tempore jam cum illo prædicaverat inter Gentes Fidem in Christum sine Lege, abductus sit in eandem simulationem. Habes igitur peccatum Petri clare hîc descriptum, quòd fuerit simulatio, quæ futura fuisset occasio ruinæ recepti Evangelii, nisi Paulus se opposuisset Petro. Miranda autem res est, quod Deus recentem Ecclesiam & ipsum Evangelium per unicam personam tum conservaverit. Solus Paulus stat, Barnabam enim socium amisit, Petrum contra se habet. Sic quandoque una persona in Concilio plus valere potest, quàm totum Concilium. Id quod Papistæ ipsi scribunt, & pro exemplo allegant Paphnutium, qui toti Concilio Niceno, quod optimum fuit post illud Apostolorum in Hierosolymis, restitit & prævaluit.

Paphnutius.

Lex & Evangelium discernenda.

Hæc eo dicuntur à me, ut summa diligentia Articulum justificationis discamus, utq; purissime discernamus Evangelium à Lege, atque in hac causa nihil prorsus per simulationem faciamus, nemini vel pilo cedamus, si modo veritatem Evangelii, & fidem integram & salvam retinere volumus, quæ ut dixi, facillimè læduntur. Itaque procul hîc absit Ratio, inimica fidei, quæ in tentationibus Peccati & mortis nititur, non justicia fidei, quia eum penitus ignorat, sed propria, aut ad summum, justicia legis. Quam primum autem Lex & ratio conjunguntur, statim virginitas fidei violata est, Nihil fortius adversatur fidei quàm Lex & ratio, Neque illa duo sine magno conatu & labore superari possunt, quæ tamen superanda sunt, si modo salvari velis Ideò, cum conscientia perterrefit Lege & luctatur cum judicio Dei, nec Rationem nec Legem consulas, sed sola Gratia ac verbo consolationis nitaris. Ibi omnino sic te geras, quasi nunquam de lege Dei quicquam audieris, Sed ascendas in tenebras, ubi nec Lex nec ratio lucet, sed solum ænigma fidei, quæ certo statuat, se salvari extra & ultra Legem, in Christo. Ita ultra & supra lucem Legis & rationis, ducit nos Evangelium in tenebras fidei, ubi Lex & ratio nihil habent negotii. Est & lex audienda, sed suo loco & tempore. Moses in monte existens, ubi facie ad faciem cum Deo loquitur, non habet, non condit, non administrat legem, Descendens verò de monte Legislator est & populum Lege gubernat, Sic conscientia libera sit à Lege, corpus autem obediat legi.

Lex & ratio adversantur fidei.

Quid faciendum cum conscientia perterrefit &c.

Ex his satis constat, Paulum reprehendisse Petrum, non propter leviculam rem, sed propter præcipuum articulum doctrinæ Christianæ, cui Petrus per suam simulationem parabat ruinam. Simulabant enim unà cum eo Barnabas & alii Iudæi, qui omnes peccaverunt, non quidem ignorantia & malitia, sed Iudæorum metu, qui offuderat cordi ipsorum nebulas, ut non viderent, se peccare. Profecto autem mira res est, quod tanti viri, Petrus, Barnabas & alii, tam cito & facile labuntur in illo ipso opere, quod noverant recte factum, ac antea docuerant. Ideo recte admonebat D. Staupitius, periculosum esse nostris viribus confidere, etiamsi sancti ac doctissimi simus, etiamsi aliquid bene cognitum & percognitum habeamus. Nam in illo ipso, quod optime scimus, possumus tamen labi & errare, non solùm in gra-

Non confidendum nostris viribus.

Digitized by Google

in grave noſtrum, ſed etiam aliorum damnum. Verſemur igitur ſumma diligentia & humilitate in ſtudio ſacrarum literarum, ac ſerio oremus, ne veritatem Evangelii amittamus.

Sine Deo nihil poſſe nos facere.

Nihil igitur ſumus cum omnibus quantumvis magnis donis, niſi Deus adſit. Is ubi relinquit nos nobis, nihil eſt noſtra ſapientia, ſcientia &c. Niſi ipſe nos aſſiduò ſuſtentet, nihil prodeſt ſumma cognitio & ipſiſſima Theologia. Nam ſub horam tentationis ſubito fieri poteſt, ut aſtu Diaboli eripiantur nobis è conſpectu omnes loci conſolatorii, ac ſolum comminatorii occurrant ac obruant nos. Diſcamus igitur, Deo ſubtrahente manum, facillime poſſe nos labi ac everti. Itaq; nemo ſuperbiat & glorietur de juſticia, ſapientia & donis ſuis, ſed humilietur ac oret cum Apoſtolis, Domine adauge nobis fidem.

Sed cum vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii.

Petrum ignorâſſe ſe errare.

HOC mirabile exemplum eſt de maximis viris & columnis Eccleſiarum. Hîc ſolus Paulus habet apertos oculos, & videt peccatum Petri, Barnabæ & aliorum Iudæorum, qui unà cum Petro ſimulabant. Econtra, ipſi peccatum ſuum non vident, imo putant ſe rectè facere, & per charitatem ſervire infirmis Iudæis. Quare ſumma erat neceſſitas, Paulum hoc ipſorum peccatum non diſſimulare, ſed reprehendere. Accuſat igitur manifeſtè Petrum, Barnabam & alios, quod ad veritatem Evangelii non recte ambulaverint, hoc eſt, quod declinaverint à veritate Evangelii. Magna autem res eſt Petrum accuſari à Paulo, ut eum, qui lapſus ſit & à veritate Evangelii declinaverit, gravius reprehendi non potuiſſet, Et tamen patienter hoc fert, & haud dubie cum magna gratitudine quoque accepit. Suprà autem monui, multos habere Evangelium, ſed non veritatem Evangelii. Sic Paulus hîc dicit, Petrum, Barnabam & alios Iudæos non rectè ambulare ad veritatem Evangelii, hoc eſt, habere quidem Evangelium, non autem rectè in eo ambulare. Vt maximè enim Evangelium prædicabant, tamen ſua ſimulatione, quæ cum veritate Evangelii ſtare non poterat, Legem ſtatuebant, Statuere autem Legem, eſt Evangelium abrogare & evertere.

Diſcrimen Legis & Evangelij diligentiſſimè obſervandum.

Qui igitur bene novit diſcernere Evangelium à lege, gratias agat Deo, & ſciat ſe eſſe Theologum, Ego certe in tentatione nondum novi, ut deberem. Sic autem diſcernenda ſunt, ut Evangelium ponat in cœlo, Legem in terra, ut Evangelii juſticiam appelles cœleſtem & divinam, Legis terrenam & humanam, utq; tam diligenter diſtinguas juſticiam Evangelii à Legis juſticia, quam diligenter diſtinxit Deus cœlum à terra, lucem à tenebris, diem à nocte. Hæc ſit lux & dies, illa tenebræ & nox, Atque utinam adhuc longius eas diſcernere poſſemus. Quare ſi agitur de Fide, ſeu conſcientia, excludatur prorſus Lex, & relinquatur in terra. Si de operibus, accendatur lucerna operum ſeu juſticiæ legis in nocte, Sic luceat Sol ille & immenſa lux Evangelii & gratiæ in die, lucerna autem legis in nocte, Quare conſcientia perterrefacta ſenſu peccati, ſi cogitet, Iam agis in terra, ibi aſinus laboret, ſerviat & portet onus ſibi impoſitum, hoc eſt, corpus ſit cum membris ſuis legi ſubjectum. Cum autem aſcendis in cœlum, relinque aſinum cum ſarcina in terra. Nihil enim conſcientiæ cum Lege, operibus & terrena juſticia. Sic aſinus manet in valle, conſcientia autem aſcendit cum Iſaac in montem, nihil penitus ſciens de Lege & operibus, ſed tantùm ſpectans remiſſionem peccatorum & meram juſticiam in Chriſtum propoſitam & donatam.

Quando lex exigenda &c.

Nihil legis cum conſcientia.

Contra, in Politia obedientia Legis ſeveriſſimè exigatur, Ibi nihil ſciatur de Evangelio, de conſcientia, gratia, remiſſione peccatorum, cœleſti juſticia, de Chriſto, ſed tantùm de Moſe, lege & operibus. Hac diſtinctione diligenter obſervata, neutrum excedit ſuos limites, ſed Lex manebit extra cœlum, hoc eſt, extra cor ſeu conſcientiam, Econtra, libertas Evangelica manebit extra terram, hoc eſt, extra corpus & membra ipſius. Quam primum igitur Lex & peccatum veniunt in cœlum, id eſt, in conſcientiam, protinus hinc ejiciantur. Quia conſcientia perterre-

facta metu iræ & judicii Dei, nihil de Lege & peccato ſcire debet, ſed tantùm de Chriſto. Et viciſſim cum gratia, libertas &c. venit in terram, hoc eſt, in corpus, dicatur, Tu non debes verſari in hara & ſordibus corporalis vitæ, ſed ſurſum pertines in cœlum &c.

Lex in terra, Evangelium in cœlo juſtificat.

Papa ex Evangelio legem fecit.

Iſtam Legis & Evangelii diſtinctionem Petrus ſimulatione ſua confuderat, eaq; perſuaſerat credentibus, quod per Evangelium ſimul & Legem juſtificari deberent. Hoc Paulo non erat ferendum, ideo reprehendit Petrum, non ut eum ignominia aliqua afficeret, ſed ut iſta duo iterum purè diſcerneret, nempe, quod Lex in terra, Evangelium verò in cœlo juſtificet. Papa non ſolùm miſcuit Legem cum Evangelio, ſed meras Leges, & eas tantùm ceremoniales, Ex Evangelio fecit, confudit Politica & Eccleſiaſtica, quæ verè Satanica & infernalis confuſio eſt.

Diſcrimen legis & Evangelij.

Is locus de diſcrimine Legis & Evangelii ſcitu neceſſarius eſt, quia continet ſummam totius Chriſtianæ doctrinæ. Ideo quisque ſtudioſus pietatis diligenter det operam, ut diſcat iſta diſcernere, non tantùm verbis, ſed etiam ipſo affectu & experientia, hoc eſt, in corde & conſcientia. Alioqui quantum ad verba attinet, facilis eſt illorum diſtinctio. Sed in tentatione ſenties Evangelium rarum, Et econtra Legem, aſſiduum eſſe hoſpitem in conſcientia. Nam ratio naturaliter habet cognitionem legis. Quare cum perterrefit conſcientia Peccato, quod Lex oſtendit & auget, dicas, Eſt tempus moriendi, eſt tempus vivendi, eſt tempus legem audiendi, eſt tempus legem contemnendi, eſt tempus Evangelium audiendi, eſt tempus neſciendi Evangelium. Lex jam diſcedat, & Evangelium veniat, quia jam non eſt tempus audiendi legem, ſed Evangelium. At nihil boni feciſti, imo graviter peccaſti. Concedo, Sed remiſſionem peccatorum per Chriſtum habeo, propter quem omnia peccata mihi condonata ſunt. Extra certamen verò conſcientiæ, cum externa officia fieri debent, Hic ſi es miniſter Verbi, magiſtratus, maritus, præceptor, diſcipulus &c. non eſt tempus tum audiendi Evangelium, ſed legem, ibi ſervito vocationi &c.

Tempus Evangelij. Tempus legis.

Dixi Petro coram omnibus, Si tu, cum Iudæus ſis, gentiliter vivis, & non iudaicè, cur Gentes cogis iudaiſare.

Gentiliter vivere.

Id eſt, Tu Iudæus es, qui tenetur Lege Iudaicè vivere, hoc eſt, abſtinere à cibis in lege prohibitis. Et tamen Iudæus, vivis gentiliter, hoc eſt, liberè contra legem facis, tranſgrederis & conculcas eam. Comedis enim (& in hoc rectè facis) communes ſeu immundos cibos, ut alius gentilis, qui à Lege liber eſt. Hoc ipſo autem, quòd abſterritus præſentia fratrum ex Iudaiſmo converſorum, nunc abſtines à prohibitis in lege, & ſervas legem, cogis Gentes judaiſare, ideſt, Legem neceſſario ſervare. Nam hoc tuo exemplo, quod abſtines à prophanis cibis, præbes gentibus occaſionem ſic cogitandi, Petrus jam vitat cibos gentiles, quos antea comedit, Ergo & nos debemus vitare eos, & Iudaico more vivere, alioqui non erimus juſti neque ſalvabimur. Vides ergo, quod Paulus in Petro non reprehendat ignorantiam, Sciebat enim liberum eſſe, veſci cum Gentibus quibuslibet, Sed ſimulationem, qua coëgit Gentes Iudaiſare.

Petrus ſimulatione ſua cogebat gentes judaizare.

Iudaiſare.

Hic iterum admoneo, Iudaiſare per ſe non eſſe malum, quia res indifferens eſt, ſive ſuilla, ſive alia carne veſcaris, Sed ſic Iudaiſare, ut propter conſcientiam abſtineas à certis quibuſdam cibis, hoc negare eſt Chriſtum, & Evangelium evertere. Ideo Paulus cum videret huc tendere Petri factum, reclamat & dicit ad eum, Tu noſti obſervationem Legis non eſſe neceſſariam ad juſticiam, ſed eam nobis per ſolum Chriſtum contingere, Ideoque non ſervas legem, ſed tranſgrederis eam, & veſceris quibuslibet. Nihilominus tamen exemplo tuo cogis gentes deficere à Chriſto ad legem, quia præbes eis occaſionem ſic cogitandi, Fides ſola non juſtificat, ſed ſimul requiruntur lex & opera, hocq; Petrus oſtendit iſto ſuo exemplo. Ideo ad fidem in Chriſtum pariter neceſſaria eſt obſervatio legis, ſi velis juſtificari. Itaq; Petrus hoc ſuo facto non ſolùm offendit puritatem Doctrinæ, ſed etiam veri-

Error Petri.

tatem

tatem fidei & juſticiæ Chriſtianæ. Nam gentes acceperunt ex eo legem eſſe neceſſariam ad juſticiam, Hoc errore ſanctè, Chriſtus eſt ociosus.

Ex his ſatis conſtat, qui ſcopus ſit diſcordiæ & concertationis iſtius Pauli cum Petro. Paulus ſerio agit & vero corde, non ſimulat iſtam correptionem, Sed in Petro, ut textus manifeſtè habet, eſt ſimulatio, quam Paulus in eo reprehendit. Quare in Paulo non eſt ſimulatio, ſed pura & Chriſtianiſſima ſeveritas & ſancta ſuperbia, quæ vitioſa fuiſſet, ſi Petrus leve aliquod peccatum commiſiſſet, & non contra præcipuum articulum Chriſtianæ doctrinæ peccaſſet. Quia vero culpa Petri laborat Evangelij veritas, non vult, nec poteſt patrocinium ejus deſerere Paulus. Vt igitur eam conſervaret integram, non curat Petrum, nihil eſt ei Barnabas & omnes alij.

Serium Petrum negligi, quam divinam Majeſtatem cedere.

Quare injuriam faciunt Paulo Porphyrius & Iulianus, qui calumniantur eum ex mera arrogantia reprehendiſſe Petrum. Quin & ipſa ratio, ſi modò videt ſcopum rei, quam Paulus agit, cogitur fateri, ſatius eſſe, ut Petrus negligatur, quam ut divina Majeſtas cedat, aut fides periclitetur. Iſta enim cauſa hic agitur, Aut Petrus eſt ſevere corripiendus, aut Chriſtus è medio tollendus. Hic potius pereat Petrus, & ad infernum abeat, ſi aliter fieri non poteſt, quam ut Chriſtus amittatur. Huic ſententiæ oportet Porphyrium & omnes aſſentiri, & nemo poteſt non fateri Paulum in hoc caſu, benè & piè feciſſe. Si vero fuiſſet concertatio de re aliqua media (ut planè jocus & res futilis eſt ad iſtam cauſam, diſcordia Pauli & Barnabæ, Actor. 15.) tunc Paulus potuiſſet cedere. Sed in hac maxima cauſa, omnino non fuit ei cedendum. Exemplo igitur Pauli ſuperbiat quilibet Chriſtianus. Charitas omnia ferat, credat, ſperet, Fides contra regnet, imperet, triumphet, nulli cedat, ſed omnia illi ſubjici & cedere debent, plebes, populi, Reges, Iudices terræ. Vt Pſalm. 2. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, &c. Si non, peribitis de via. Ideo plane contrarij ſunt effectus, officia & virtutes charitatis & fidei.

Concertatio Pauli cum Petro, &c.

Effectus fidei & charitatis diverſi.

Act. 15. 2. Cor. 13. Pſal. 2.

Itaq; tota vis ſita eſt in particula, Cogis gentes judaiſare, id eſt, cogis eas deficere à Gratia & fide, ad Legem & opera, & negare Chriſtum, quòd fruſtra paſſus, mortuus, &c. ſit. Hæc vox, Cogis, includit iſta pericula & peccata omnia, quæ Paulus urget & amplificat per totam hanc Epiſtolam, Nam ſtante illa coactione ſeu neceſſitate, neceſſe eſt aboleri fidem, qua abolita & everſa, irritæ ſunt omnes promiſſiones Dei, omnia dona Spiritus ſancti conculcata ſunt, omnesq; homines neceſſe eſt ſimpliciter perire ac damnari. Iſtiuſmodi proprietates multas Paulus per totam hanc Epiſtolam tribuit juſticiæ Legis.

Cogis gentes judaiſare.

Cum igitur tàm periculoſum ſit tractare legem, cumq; tam facilis & grandis ſit ille lapſus, quaſi è ſublimi cœlo in infernum, Diſcat unuſquisq; Chriſtianus diligentiſſimè iſta duo inter ſe diſcernere. Patiatur ſane Legem dominari corpori & membris ipſius, non item conſcientiæ, Ea enim Regina & ſponſa non debet contaminari Lege, ſed illibata conſervari uni & ſoli ſponſo Chriſto, ut Paulus alibi inquit, Deſpondi vos uni viro, &c. Habeat igitur ſuum thalamum non in ima valle, ſed in ſublimi monte, in quo cubet & regnet Chriſtus ſolus, qui non terret, non affligit peccatores, ſed conſolatur eos, remittit peccata ac ſalvat. Quare conſcientia afflicta nihil cogitet, nihil ſciat, nihil opponat iræ ac judicio Dei, quam verbum Chriſti, quod eſt verbum Gratiæ, remiſſionis peccatorum, ſalutis & vitæ æternæ. Sed hoc præſtare ardua & difficillima res eſt. Ratio enim & natura humana non hæret Chriſto firmiter in amplexibus, ſed ſubinde relabitur ad cogitationes de Lege & de peccato, Atq; ita ſemper quærit libera eſſe ſecundum carnem, ſerva autem & captiva ſecundum conſcientiam.

Conſcientia liberata.

Conſcientia afflicta quid habere debeat in confeſſu.

2. Cor. 11.

Paulus in ſumma coram Petro complexus eſt articulum juſtificationis, his verbis, Si tu cum Iudæus ſis, &c. ad eum usq; locum, Propter quod, &c, Vbi iterum ſermonem convertit ad Galatas. Locutus eſt autem iſta verba ad Petrum, non ut doceret, ſed ut confirmaret eum aſtante & hoc audiente tota Eccleſia, Ait ergo ad Petrum:

Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores.

Prærogativa Iudæorum.

HOC eſt, Nos naturaliter ſumus Iudæi, qui naſcimur in juſticiam Legis, in Moſen & circumciſionem, & cum nativitate ipſam Legem afferimus, Non arbitrio, ut Gentes, ſed natura habemus juſticiam legis, Vt ſupra cap. 1. Paulus de ſe dicit, Æmulator exiſtens paternarum traditionum, &c. Quare ſi conferamur cum Gentibus, non ſumus peccatores, ſine lege & operibus, ut Gentes, ſed Iudæi & juſti naſcimur & educamur, Iuſticia noſtra ſtatim orditur ab ipſa nativitate, quia Iudaiſmus eſt nobis agnatus. Deus enim Gen. cap. 17. præcepit Abraham circumcidere omnem maſculum octavo die, &c. Hanc legem de circumciſione, à Patribus acceptam, poſtea Moſes confirmavit. Magnum ergo eſt, quòd natura Iudæi ſumus. Et quanquam iſtam prærogativam habemus, quod naturaliter juſti ſumus, naſcimur in ipſam Legem & opera ejus, neq; ſumus peccatores, ut Gentes, tamen ideo non ſumus juſti coram Deo. *Gen. 17.*

Lex non juſtificat, &c.

Etiamſi igitur mihi des Iudæum optimum, qui juſtus natus eſt, & ab ipſa nativitate perfectiſſime legem ſervavit, tamen ideo coram Deo non eſt juſtus. Circumciſi quidem ſumus, ſed propter Circumciſionem non juſtificamur. Ea enim tantum eſt ſignaculum juſticiæ, Rom. 4. Neq; pueri in fide Abrahæ circumciſi, propter circumciſionem, ſed propter fidem, ſalvati ſunt. Vt maxime igitur ſimus Iudæi nati & ſancti, ac gloriari poſſimus contra Gentes, quòd habeamus juſtificationem legis, cultum, promiſſiones, Patres, quæ profecto ingens gloria eſt, tamen ideo non ſumus juſti coram Deo, nec præcellimus Gentes. *Rom. 4.*

Exequatio Iudæorum & gentium.

De qua re Paulus hic agat

Ex his ſatis conſtat, Paulum non agere hîc de ceremoniis, quòd poſt Chriſtum exhibitum mortiferæ ſint, ut Origenes & Hieronymus putant. Sed de Maxima ac ſeria re agit, ſcilicet, de nativitate Iudæorum, quos negat eſſe juſtos, etiamſi naſcantur ſancti, circumcidantur, ſervent legem, habeant adoptionem, gloriam, Teſtamenta, Patres, cultum, Deum Chriſtum, promiſſiones, in illis vivant, & de illis glorientur. Vt Iohan. 8. ajunt, Semen Abrahæ ſumus. Item, Vnum patrem habemus Deum. Et Rom. 2. Ecce tu Iudæus cognominaris, &c. Itaq; Petrus, Paulus & alij Apoſtoli, erant quidem filij Dei, juſti ſecundum Legem, imo Apoſtoli Chriſti, non tamen ideo erant juſti coram Deo. Quanquam igitur, quaſi uno faſce, complectaris iſta omnia, Legem, opera & juſticiam ejus, circumciſionem, adoptionem, teſtamenta, promiſſiones, apoſtolatum, &c. tamen per illa non contingit juſticia Chriſtiana, quia non ſunt Fides in Chriſtum, quæ ſola, ut ſequitur in textu, juſtificat, non lex, &c. non quod lex ſit mala aut damnata. Non enim ideo damnantur lex, circumciſio, cultus, &c. quia non juſtificant. Sed ideo Paulus detrahit eis juſtificationem, quia Pſeudoapoſtoli contendebant homines per ea ſine Fide, tantum ex opere operato, juſtificari & ſalvari. Hoc Paulo non erat ferendum. Ceſſante enim fide, omnia mortifera ſunt, Lex, circumciſio, adoptio, templum, cultus, promiſſa, imo Deus & Chriſtus ipſe ſine fide nihil proſunt. Rotunde ergo & generaliter loquitur Paulus contra omnia quæ fidei repugnant. Non ſolum ceremonias cavillatur. *Iohan. 8.* *Rom. 2.*

Fides juſtificat, præterea nihil.

Sine fide omnia mortifera.

Scienter autem, quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, &c.

Opus legis, non de parte aut ſpecie aliqua legis, ſed de tota lege & per Antitheſin, contra Gratiam, intelligi debet.

VOCABULUM, Opus Legis, latiſſime patet & valde emphaticum eſt. Hoc moneo propter ſecuros & ocioſos Sophiſtas & monachos, qui hujuſmodi vocabula in Paulo, imo totam ejus diſputationem de juſtificatione obſcurant & depravant ſuis ſtultis & impiis gloſſis, quas ne ipſi quidem intelligunt. Opus ergo legis accipe ſimpliciter per antitheſin, contra gratiam. Quicquid non eſt gratia, Lex eſt, ſive ſit judicialis, ceremonialis, ſive decalogus. Ideo ſi etiam faceres opus Legis ſecundum hoc præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. (ut interim non dicam, nullum hominem feciſſe aut facere poſſe) tamen non juſtificaberis coram Deo, Quia ex operibus legis non juſtificatur homo. Sed de hac re infra copioſius.

Significat

Significat ergo Opus legis Paulo, opus totius legis, ſive ceremonialis, ſive decalogi. Si autem opus decalogi non juſtificat, multo minus Circumciſio, quæ eſt opus ceremonialis legis. Itaq; cum Paulus dicit, ut frequenter ſolet, Ex lege, ſeu ex operibus legis (quæ Paulo idem ſignificant) non juſtificatur homo, ſimpliciter de tota Lege loquitur, opponens per antitheſin juſticiam fidei, juſticiæ totius legis, quæ parari poteſt, ſive virtute divina, ſive humana ex Lege, Propter illam, inquit, homo non pronunciatur juſtus coram Deo. Iuſticiam vero fidei imputat Deus gratis, per miſericordiam, propter Chriſtum. Ideo emphaſi & epitaſi quadam dixit, Ex operibus legis. Non enim dubium eſt, quin Lex ſit ſancta, juſta, bona, Ergo opera legis ſunt etiam ſancta, juſta, bona, Et tamen per ea homo non juſtificatur coram Deo.

Hanc de juſtificatione ſophiſticam legem antiquat apoſtolus, ubi asserit legem, [illegible] tolum non [illegible] ipſo [illegible] ſanctum ver[illegible] audire & ſentire malum, [illegible] eos, qui [illegible] bonum [illegible] (aque unum [illegible] ſemiuiſta contra totum Euangelii & universum portas illuſtrat & ſtrenue defenſa eſt) contra Papam & Spiritu[illegible] negant ſine operibus bonis juſtificari aut ſalvari quemquam, muris ſophiſticum [illegible] paſſillos Chriſti involvemus.

Repudianda eſt igitur opinio Hieronymi & aliorum, qui ſomniant Paulum hic loqui non de operibus Decalogi, ſed legis ceremonialis, Tamen coguntur fateri etiam ceremoniarum legem fuiſſe bonam & ſanctam, Circumciſio enim & aliæ Leges de ritibus templi, &c. fuerunt juſtæ & ſanctæ, æque enim præceptæ & ordinatæ erant à Deo, ac leges morales. Hic dicunt, Sed poſt Chriſtum fuerunt mortiferæ. Hoc ipſi fingunt è capite ſuo, Deinde Paulus non loquitur hic de gentibus, quibus, ſint ceremoniæ mortiferæ, ſed de Iudæis, quibus erant bonæ, quas & Paulus ipſe ſervavit. Ergo eo etiam tempore, quo leges ceremoniarum fuerunt ſanctæ, juſtæ, bonæ, non potuerunt juſtificare.

Loquitur ergo Paulus non de parte Legis, quæ & ipſa bona & ſancta eſt, ſed de univerſa Lege, Quod opus ſecundum totam legem factum, non juſtificet. Neq; appellat peccatum legis, aut opus carnis, ſed opus legis, hoc eſt, opus ſecundum legem factum. Ergo non occidere, non mœchari, &c. ſive fiat ſecundum naturam, ſecundum vires humanas, ſecundum liberum arbitrium, ſive ſecundum donum Dei vel divinam virtutem, tamen non juſtificat.

Poſſunt autem opera legis fieri aut ante juſtificationem, aut poſt juſtificationem. Ante juſtificationem multi boni viri etiam inter gentiles, quales ſunt Xenophon, Ariſtides, Fabius, Cicero, Pomponius Atticus, &c. præſtiterunt Legem & fecerunt egregia opera. Cicero mortem fortiter perpeſſus eſt in cauſa juſta & bona. Pomponius vir fuit verax & conſtans, qui nullum neq; dicebat, neq; ferre poterat mendacium. Conſtantia autem & veritas ſunt optimæ virtutes ac pulcherrima opera Legis. Et tamen per ea non ſunt juſtificati. Poſt juſtificationem faciunt opera Legis, Petrus, Paulus, & omnes Chriſtiani, ſed per ea non juſtificantur. Nihil mihi conſcius ſum, inquit Paulus, ſed per hoc non juſtificatus ſum. Conſtat ergo eum loqui de univerſa Lege, & de operibus totius Legis, non de peccatis contra legem.

Opera ante & poſt juſtificationem facta.
Cicero.
Pomponius Atticus.
Paulus agit de tota lege.

THEOLOGIA SOPHISTICA.

DAmnanda eſt igitur pernicioſa & impia opinio Papiſtarum, qui tribuunt operi operato meritum Gratiæ & remiſſionis peccatorum. Dicunt enim, Opus bonum, ante Gratiam, valere ad impetrandam gratiam de Congruo. Impetrata vero jam gratia, ſequens opus mereri vitam æternam de Condigno. Exempli gratia, Homo exiſtens in peccato mortali, ſine Gratia, ſi bona naturali intentione faciat opus bonum, id eſt, legat vel audiat Miſſam, det eleemoſynam, &c. is meretur gratiam de congruo. Impetrata hoc modo Gratia de congruo, jam facit opus condignum & meritorium vitæ æternæ. In primo quidem Deus non eſt debitor, Sed quia eſt bonus & juſtus, decet eum, ut approbet tale opus, etiam in peccato mortali factum, & reddat pro tali officio gratiam. Poſt gratiam autem jam factus eſt Deus debitor, & jure cogitur dare vitam æternam. Quia jam non ſolum eſt opus liberi arbitrij, factum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam factum in gratia gratificante, hoc eſt, in dilectione.

Meritum congrui & condigni.

Hæc eſt Theologia Regni Antichriſtiani, quam ideo commemoro, ut eo melius

Papistarum doctrina de merito congrui & condigni impia & blasphema.

melius intelligi possit disputatio Pauli. Oppositа enim juxta se posita magis illustria fiunt. Deinde ut palam fiat, quam longe aberraverint à veritate cœci isti & cœcorum duces, & quam ista sua impia & blasphema doctrina, non solum obscuraverint, sed simpliciter sustulerint Evangelium & Christum obruerint. Si enim ego existens in peccato mortali, possum facere aliquod opusculum, quod non solum secundum substantiam sit gratum Deo, sed etiam possit mereri gratiam de congruo, Et ubi habuero gratiam, possum facere opera secundum gratiam, id est, dilectionem, & acquirere de jure vitam æternam, Quid jam opus est mihi gratia Dei, remissione peccatorum, promissione, morte & victoria Christi? Christus plane jam mihi ociosus est. Habeo enim liberum arbitrium & vires faciendi bonum opus, per quod gratiam mereor de congruo, & postea vitam æternam de condigno.

Talia monstrosa portenta & horribiles Blasphemiæ debebant proponi Turcis & Iudæis, non Ecclesiæ Christi. Et ea res satis ostendit Papam cum suis Episcopis, doctoribus, monachis, &c. neq; habuisse ullam cognitionem aut curam rerum sacrarum, neq; solicitos fuisse pro salute deserti & miserabiliter discerpti gregis. Nam si vel per nebulam vidissent, quid Paulus vocet peccatum, quid gratiam, tales abominationes & impias nugas non obtrusissent populo Christiano.

Quid norunt Sophistæ peccatum mortale.

Ipsi peccatum mortale tantum intellexerunt de opere externo, commisso contra Legem, ut est homicidium, adulterium, furtum, &c. Non viderunt peccatum mortale esse, Ignorantiam, odium, contemptum Dei in corde, ingratitudinem, murmurationem contra Deum, aversari voluntatem Dei, carnem nihil posse cogitare, loqui & facere, nisi contra Deum, pro Diabolo. Si istas maximas pestes, in natura hominis hærentes, vidissent, non tam impie nugati fuissent de merito congrui & condigni, &c.

Descriptio peccatoris mortalis

Quare proprie & diserte definiendum est, quid impius seu peccator mortalis sit. Est autem talis sanctus hypocrita & sangvinarius, qualis fuit Paulus cum proficisceretur Damascũ, persecuturus Iesum Nazarenum, aboliturus doctrinam Evangelij, trucidaturus fideles, & prorsus eversurus Ecclesiam Christi. Ea certa erant maxima & horrendissima peccata contra Deum, sed quæ Paulus non potuit cernere. Ita enim excœcatus erat impio zelo Dei, ut sentiret ista nefanda flagitia esse summam justiciam, cultum, & obsequium Deo gratissimum. Tales scilicet sancti, qui defendunt ejusmodi horribilia peccata, esse summam justiciam, mererentur gratiam?

Meritum congrui & condigni esse mera figmenta.

Quare cum Paulo in totum negamus meritum Congrui & Condigni, & certa fiducia pronunciamus, istas speculationes esse mera ludibria Satanæ, nunquam facta aut exemplis ostensa. Nemini enim unquam dedit Deus gratiam & vitam æternam pro merito congrui & condigni. Sunt ergo illæ disputationes Scholasticorum de merito Congrui & Condigni, tantum inania figmenta & speculabilia hominum ociosorũ somnia de rebus nihili. Super quæ tamen universus Papatus fundatus est, & adhuc hodie his nititur. Quisq; enim monachus hanc habet imaginationem, Ego per observationem sanctæ Regulæ, possum mereri gratiam de Congruo, Operibus autem, quæ post acceptam gratiam facio, tantum meritum accumulare possum, ut non tantum mihi sufficiat pro consequenda vita æterna, sed etiam hoc aliis communicare & vendere possim. Sic docuerunt & vixerunt omnes Monachi, Et pro hac manifesta Blasphemia in Christum defendenda, nihil non tentant hodie contra nos Papistæ. Et quo quisq; est sanctior Hypocrita ac justiciarius, hoc deterior est Evangelij Christi hostis.

VERA CHRISTIANISMI RATIO.

1. Pars Christianismi est practicata pœnitentia.

VERA autem Christianismi ratio hæc est, quòd homo primum per Legem agnoscat se esse peccatorem, cui impossibile sit ullum bonum opus facere. Lex enim dicit, Tu es arbor mala, ideo omnia, quæ cogitas, loqueris & facis, pugnant

pugnant contra Deum, Non igitur poteris mereri gratiam operibus tuis. Si vero hoc tentas, facis malum deterius, quia cum mala ſis arbor, non potes facere niſi malos fructus, hoc eſt, peccata. Quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt. Quare velle mereri gratiam præcedentibus operibus, eſt velle Deum placare peccatis. Quod nihil aliud eſt, quam peccatis addere peccata, ridere Deum, & ejus iram provocare. Cum homo ſic eruditur Lege, terretur & humiliatur, vereq; videt magnitudinem peccati ſui, ac ne micam quidem dilectionis Dei invenit, juſtificat Deum in verbo ſuo, & fatetur ſe reum æternæ mortis & damnationis. Eſt igitur prior Chriſtianiſmi pars, prædicatio Pœnitentiæ, & cognitionis ſuiipſius.

Rom. 14.

Præcedentibus operibus velle mereri gratiam, eſt velle Deum placare peccatis.

Altera pars. Si vis ſalvus fieri, Salus non contingit per opera, Sed Deus miſit unigenitum Filium ſuum in Mundum, ut nos per eum vivamus. Is crucifixus, mortuus eſt pro te, & obtulit peccata tua in corpore ſuo. Ibi nulla eſt congruitas aut opus ante gratiam, ſed mera ira, peccatum, pavor, mors. Itaq; Lex oſtendit tantum peccatum, perterrefacit & humiliat, atq; hoc modo præparat ad juſtificationem, & impellit ad Chriſtum. Deus enim revelavit per ſuum verbum, ſe fore propitium Patrem, qui velit ſine noſtro merito, cum nihil mereri poſſimus, nobis donare gratis Remiſſionem peccatorum, juſticiam & vitam æternam propter Chriſtum. Nam Deus eſt, qui ſua dona gratis largitur omnibus, eaq; eſt laus divinitatis ipſius. Sed hanc ſuam divinitatem non poteſt defendere contra juſticiarios, qui gratiam & vitam æternam non volunt gratis accipere ab eo, ſed illa mereri ſuis operibus, Ideo ſimpliciter volunt ei adimere gloriam Divinitatis. Vt ergo hanc retinere poſſit, legem præmittere cogitur, quæ terreat & conterat, quaſi fulmen & tonitru quoddam cœleſte, illas duriſſimas petras.

II. Prædicatio remiſſionis peccatorum.

Officium legis.

Juſticiarii detrahunt Deo gloriam divinitatis.

Hæc, in ſumma, noſtra eſt Theologia de juſticia Chriſtiana, contra abominationes & portenta Sophiſtarum de merito congrui & condigni, ſeu de operibus ante gratiam & poſt gratiam. Ea enim inaniſſima ſomnia homines ſecuri, qui nullis unquam tentationibus & veris pavoribus peccati & mortis exercitati ſunt, è ſuo capite finxerunt, Ideo non intelligunt, quid loquantur, aut, de quibus affirment. Deinde nullum exemplum operis ante Gratiam & poſt gratiam poteſt dari. Sunt igitur nugaciſſimæ fabulæ, quibus Papiſtæ ſeipſos & alios deludunt. Ratio, quia Paulus hic manifeſtiſſime dicit, Hominem non juſtificari ex operibus legis, ſive præcedentibus (de quibus hic loquitur) ſive ſequentibus. Vides ergo, quod Chriſtiana juſticia non eſt inhærens forma, ut Sophiſtæ loquuntur, cum dicunt,

Figmentum Papiſtarum de merito congrui & condigni.

THEOLOGIA SCHOLASTICA.

QUANDO homo facit aliquod bonum opus, illud Deus acceptat, & pro illo opere infundit ei charitatem. Hanc infuſam charitatem dicunt eſſe qualitatem hærentem in corde, eamq; vocant formalem juſticiam (expedit vobis ſcire iſtum modum loquendi) Nihilq; minus audire poſſunt, quàm iſtam qualitatem, informantem cor, ut albedo parietem, non eſſe juſticiam. Non altius poſſunt aſcendere, quam ad illam cogitationem humanæ rationis, Homo eſt juſtus formali ſua juſticia, quæ eſt gratia gratum faciens, id eſt, dilectio. Sic iſti habitui & formæ inhærenti animæ, id eſt, charitati, quæ eſt opus & donum ſecundum legem (quia lex dicit, Diliges Dominum, &c.) tribuunt juſticiam formalem, & dicunt eam eſſe dignam vita æterna. Et eum, qui hanc habet, dicunt formaliter eſſe juſtum, Deinde etiam effectivè, quia jam bona opera facit, quibus debetur vita æterna. Hæc eſt Sophiſtarum opinio, & eorum qui optimi ſunt.

Quid Papiſtæ vocent formalem juſticiam.

Alij non ſunt tam boni, ut Scotus & Occam, qui dixerunt, non opus eſſe pro acquirenda gratia Dei, charitate illa divinitus donata, Sed hominem poſſe ex naturalibus viribus elicere charitatem Dei ſuper omnia. Sic enim Scotus colligit, Si homo poteſt diligere creaturam, Adoleſcens puellam, Avarus pecuniam, quæ ſunt minus bonũ, poteſt etiam diligere Deum, qui eſt majus bonum. Si homo habet

Scotus. Occam.

habet ex naturalibus viribus dilectionem creaturæ, multo magis habet dilectionem Creatoris. Hoc argumento fuerunt omnes Sophiſtæ convicti, Et nemo ex eis hoc potuit ſolvere. Dixerunt tamen, Scriptura nos cogit fateri, Deum ipſum ultra naturalem amorem, quo non eſt contentus, exigere etiam charitatem donatam à ſe. Per hoc accuſant Deum eſſe ſævum tyrannum & crudelem exactorem, qui non ſit contentus, quod ſervo & impleo Legem ſuam, Sed ultra Legem, quam benè implere poſſum, etiam exigat, ut circumſtantia & ornatu ſeu veſtitu quodam impleam. Vt ſi hera non eſſet contenta, quod coca optimè paraſſet cibos, ſed expoſtularet cum ea, quod non paraſſet cibos, induta precioſa veſte, & ornata corona aurea. Qualis hæc eſſet domina, quæ præter hoc, quod coca debet, & etiam egregie præſtat, exigit geſtari ab ea auream coronam, quam habere non poteſt? Sic cujuſmodi eſſet Deus, qui exigeret à nobis legem ſuam, quam alioqui naturalibus viribus ſervamus, tali ornatu impleri, quem tamen habere non poſſumus?

Doctrina Sophiſtarum, &c.

Sed hic diſtinctionem faciunt, ne videantur contraria aſſerere, & dicunt, Legem dupliciter impleri, Primo ſecundum ſubſtantiam facti, Deinde ſecundum intentionem præcipientis. Secundum ſubſtantiam facti, id eſt, quo ad rem ipſam, poſſumus ſimpliciter implere omnia, quæ lex præcipit, Sed non ſecundum intentionem præcipientis, quæ eſt, quod Deus non eſt contentus te feciſſe & impleſſe omnia, quæ in Lege mandata ſunt, quanquam non habeat, quod amplius exigat, Sed ultra hoc exigit, ut in charitate legem facias, non naturali, quam habes, ſed ſupernaturali & divina, quam ipſe dat. Quid hoc aliud eſt, quàm ex Deo facere tyrannum & carnificem, qui hoc exigit à nobis, quod præſtare non poſſumus? Et parum abfuit quin manifeſtè dicerent, non fieri noſtra culpa, quòd damnemur, ſed Dei, quòd iſta circumſtantia exigit Legem ſuam à nobis impleri.

Lex dupliciter impletur, 1. ſecundum ſubſtantiam facti, 2 ſecundum intentionem præcipientis.

Iſta repeto & pluribus inculco ad illuſtrandam illam cauſam, ut videatis quam longè aberraverint à ſententia ſcripturæ, qui dixerunt nos naturalibus viribus Deum ſuper omnia diligere poſſe, vel ſaltem ex opere operato mereri gratiam & vitam æternam. Quia vero Deus non ſit contentus Legem impleri à nobis, ſecundum ſubſtantiam facti, ſed velit eam impleri etiam ſecundum intentionem præcipientis, ideo cogat nos Scriptura ſancta, habere habitum ſupernaturalem, è cœlo infuſum, qui eſt charitas, quam dixerunt eſſe formalem juſticiam, informantem & ornantem fidem, facientemq; ut ea juſtificet. Sic fides eſt corpus, ſiliqua, color, Charitas vero eſt vita, nucleus, forma. Hæc ſunt Scholaſticorum ſomnia.

Fides Chriſtiana.

Formalis juſtitia.

Nos autem loco charitatis iſtius ponimus Fidem. Et quemadmodum ipſi dicunt Fidem μονόχραμμα, & charitatem vivos colores & plenitudinem ipſam, Ita nos econtrà dicimus fidem apprehendere Chriſtum, qui eſt forma, quæ fidem ornat & informat, ut color parietem. Quare fides Chriſtiana non eſt ocioſa qualitas vel vacua ſiliqua in corde, quæ poſſit exiſtere in peccato mortali, donec charitas accedat & eam vivificet, Sed ſi eſt vera Fides, eſt quædam certa fiducia cordis & firmus aſſenſus, quo Chriſtus apprehenditur. Ita ut Chriſtus ſit objectum fidei, imo non objectum, ſed ut ſic dicam, in ipſa fide Chriſtus adeſt. Fides ergo eſt cognitio quædam vel tenebra, quæ nihil videt, Et tamen in iſtis tenebris Chriſtus fide apprehenſus ſedet, Sicut Deus in Sinai & in Templo ſedebat in medio tenebrarum. Eſt ergo formalis noſtra juſticia, non charitas informans fidem, ſed ipſa fides & nebula cordis, hoc eſt, fiducia in rem quam non videmus, hoc eſt, in Chriſtum, qui ut maximè non videatur, tamen præſens eſt.

Iuſtificat ergo fides, quia apprehendit & poſſidet iſtum theſaurum, ſcilicet Chriſtum, præſentem. Sed quo modo præſens ſit, non eſt cogitabile, quia ſunt tenebræ, ut dixi. Vbi ergo vera fiducia cordis eſt, ibi adeſt Chriſtus in ipſa nebula & fide. Eaq; eſt formalis juſticia, propter quam homo juſtificatur, non propter charitatem, ut Sophiſtæ loquuntur. Summa, Sicut Sophiſtæ dicunt charitatem

Reputari nos juſtos propter Chriſtum, &c.

tatem formare & imbuere fidem,Sic nos dicimus,Chriſtum formare & imbuere fidem, vel formam eſſe fidei. Ergo fide apprehenſus & in corde habitans Chriſtus,eſt juſticia Chriſtiana, propter quam Deus nos reputat juſtos & donat vitam æternam. Ibi certe nullum eſt opus Legis,nulla dilectio, Sed longè alia juſticia & novus quidam mundus extra & ſupra Legem, Chriſtus enim vel fides non eſt Lex nec opus legis. De hac re, quam neq; docuerunt neq; intellexerunt Sophiſtæ, infra dicemus copioſius. Iam ſatis ſit breviter monuiſſe, Paulum hic non loqui tantum de ceremoniali,ſed de tota Lege.

Monui ſupra,valdè pernicioſum eſſe errorem, quod Scholaſtici Theologi docuerunt,hominem hac ratione conſequi remiſſionem peccatorum & juſtificationem, Si operibus præcedentibus,quæ appellant merita congrui,mereatur gratiam,quam vocant qualitatem inhærentem voluntati, divinitus donatam ſupra illam dilectionem, quam viribus naturalibus habemus, Hac habita,dicunt hominem eſſe juſtum formaliter & verè Chriſtianum. Illa, inquam, impia & peſtilens perſuaſio eſt, quia non facit niſi Turcam,Iudæum, Anabaptiſtam,fanaticum hominem,&c. Quis enim non poſſet virtute humana,ſine gratia facere opus bonum & hoc modo mereri gratiam?&c. Sic ſomniatores illi fidem fecerunt inanem qualitatem in anima, quæ ſola nihil valeat ſine charitate, charitate vero accedente ſit efficax & juſtificet. *Quod Sophiſtæ vocent gratiam*

Sequentia autem opera dixerunt valere ad promerendam vitam æternam de condigno. Ita quod Deus propter charitatem, quam infudit voluntati hominis,acceptet illud opus ſequens ad vitam æternam. Sic enim loquuntur, Deum acceptare bonum opus ad vitam æternam, malum autem opus deacceptare ad damnationem & pœnam æternam. Audierunt per ſomnium de acceptatione, eam poſtea relationem tribuerunt operibus. Iſta omnia erronea ſunt & blaſphema in Chriſtum. Quanquam non omnes tam benè loquuntur,ſed quidam,ut diximus, docuerunt, nos ex puris naturalibus poſſe Deum ſupra omnia diligere. Hæc prodeſt noſſe,ut magis perſpicua reddatur Paulina diſputatio. *Phraſis Sophiſtarum, Deum acceptare opus, &c.*

VERA CHRISTIANISMI RATIO.

Pſalm.14. Pſalm.51. COntra illas nugas & inaniſſima ſomnia, ut & ſupra admonuimus, ſic nos docemus fidem & veram Chriſtianiſmi rationem, Vt homo primum erudiatur lege ad cognitionem ſui. ut diſcat orare cum Propheta, Omnes peccaverunt & egent gloria Dei. Item,Non eſt juſtus,ne unus quidem, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum, Omnes declinaverunt,&c. Item,Tibi ſoli peccavi,&c. Sic contrario modo abſterremus homines à merito congrui & condigni. Humiliato autem homine per legem & redacto in ſui cognitionem, tum verè conſtitutus eſt pœnitens (Vera enim pœnitentia incipit à timore & judicio Dei) videtq; ſe tam magnum peccatorem,ut ſuis viribus,ſtudiis & operibus non poſſit à peccatis liberari. Tum demum recte intelligit,quid Paulus velit, cum dicit, Hominem eſſe ſervum & captivum peccati, item, Deum omnia concluſiſſe ſub peccatum, Totum mundum reum eſſe coram Deo,&c. Ibi videt meram mathæologian eſſe Sophiſtarum Theologiam de merito congrui & condigni,& ruere totũ Papatum. 1. *Pars Chriſtianiſmi, eſt prædicatio pœnitentiæ.* *Pœnitentia.*

Hic tum oritur hujuſmodi ſuſpirium, Quis tum poteſt opem ferre? Nam ſic Lege homo exterritus, deſperat prorſus de viribus ſuis,circumſpectat & ſuſpirat auxilium Mediatoris & Salvatoris. Ibi tum tempeſtive venit ſalutare verbum Evangelij,& dicit,Confide fili,remittuntur tibi peccata. Crede in Ieſum Chriſtum pro peccatis tuis crucifixum,&c. Si ſentis peccata,noli ea in te aſpicere, ſed *Eſa. 53.* memineris ea translata eſſe in Chriſtum, cujus livores te ſanaverunt,&c. Eſa. 53. *1. Petr.2.* 1.Petr.2. Hoc initium eſt ſalutis, hoc modo liberamur à Peccato, juſtificamur & donatur nobis vita æterna,non propter noſtra merita & opera,ſed propter fidem, qua Chriſtum apprehendimus. Quare nos quoq; facimus qualitatem & formalem juſticiam in corde,non charitatem,ut Sophiſtæ,ſed fidem. Sic tamen,ut cor 2. *Prædicatio Evangelij.* *Formalis juſticia.*

nihil aliud ſpectet & apprehendat quam Chriſtum Salvatorem. Ibi autem neceſſe eſt, ut ſcias, quid ſit Chriſtus definitivè. Hoc ignorantes Sophiſtæ, fecerunt eum judicem & tortorem, & excogitaverunt illud ſtultiſſimum commentum de merito congrui & condigni.

Chriſtus non Legislator &c.

Chriſtus autem definitive non eſt Legislator, ſed propiciator & Salvator. Hoc fides apprehendit, & ſine dubio credit, eum opera & merita congrui & condigni feciſſe ſuperabundanter. Potuiſſet enim per unicam guttulam ſangvinis ſatisfacere pro peccatis Mundi, Iam autem copioſe ſatisfecit. Ebr. 9. Per proprium ſanguinem intravit ſemel in ſancta, &c. Et Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiam Dei, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propiciatorium, per fidem in ſangvine ipſius, &c. Ideo magna res eſt fide apprehendere Chriſtum, portantem peccata mundi, Eaq; fides ſola reputatur ad juſticiam, Rom. 3. & 4. *Ebr. 9.* *Rom. 3.* *Rom. 3. 4.*

Chriſtus. Fides. Imputatio.

Hic obſervandum eſt, iſta tria, Fidem, Chriſtum, Acceptationem ſeu reputationem, conjungenda eſſe. Fides apprehendit Chriſtum, & habet eum præſentem, incluſumq; tenet, ut annulus gemmam. Et qui fuerit inventus hac fiducia apprehenſi Chriſti in corde, illum reputat Deus juſtum. Hæc ratio eſt & meritum, quo pervenimus ad remiſſionem peccatorum & juſticiam. Quia credis, inquit Deus, in me, & fides tua apprehendit Chriſtum, quem tibi donavi, ut eſſet Mediator & Pontifex tuus, ideo ſis juſtus. Itaq; Deus acceptat ſeu reputat nos juſtos, ſolum propter fidem in Chriſtum, &c. Et valdè neceſſaria eſt acceptatio ſeu reputatio, Primum, quia nondum ſumus perfectè juſti, ſed in hac vita hæret adhuc Peccatum in carne, Hoc reliquum in carne peccatum purgat in nobis Deus. Deinde relinquimur etiã quandoq; à Spiritu ſancto, & labimur in peccata, ut Petrus, David, & alij Sancti. Habemus tamen ſemper regreſſum ad iſtum articulum, quod peccata noſtra tecta ſint, quodq; Deus ea non velit nobis imputare, Pſalm. 32. & Rom. 4. Non quòd peccatum non adſit (ut Sophiſtæ docuerunt, Tam diu bene operandum eſſe, donec nobis conſcij ſimus nullius peccati) Imò peccatum adeſt vere, & pij illud ſentiunt, Sed abſconditum eſt & non imputatur nobis à Deo propter Chriſtum, Quem quia fide apprehendimus, oportet omnia peccata non eſſe peccata. Vbi vero Chriſtus & fides non eſt, Ibi nulla eſt remiſſio peccatorum, nulla abſconſio, ſed mera imputatio & damnatio peccatorum. Sic Deus vult glorificari filium, & ipſe glorificari in nobis per eum.

Necessaria reputatio.

Credentibus in Chriſtum non imputari peccata.

Pſalm. 32. *Rom. 4.*

Doctrina bonorum operum poſt fidem tradenda.

Poſtquam fidem in Chriſtum ſic docuimus, docemus etiam de bonis operibus. Quia apprehendiſti Fide Chriſtum, per quem juſtus es, incipe nunc bene operari, dilige Deum & proximum, Invoca, gratias age, prædica, lauda, confitere Deum, Benefac & ſervi proximo, fac officium tuum. Hæc vere ſunt bona opera, quæ fluunt ex iſta Fide & hilaritate cordis concepta, quod gratis habemus remiſſionem peccatorum per Chriſtum. Quidquid poſtea crucis & paſſionum ferendum venit, toleratur ſuaviter. Nam jugum, quod Chriſtus imponit, ſuave, & onus ipſius leve eſt. Remiſſo enim Peccato & conſcientia liberata ab onere & morſu peccati, Chriſtianus omnia facile ferre poteſt. Quia intus omnia ſunt ſuavia & dulcia, ideo omnia volens facit & patitur. Quando autem homo in propria juſticia incedit, quicquid facit & patitur, grave & moleſtum ei eſt, quia invitus facit.

Crux.

Chriſtianus.

Definimus ergo hunc eſſe Chriſtianum, non qui non habet aut non ſentit peccatum, Sed cui illud à Deo propter fidem in Chriſtum non imputatur. Iſta doctrina affert firmam conſolationem conſcientiis in veris pavoribus, Ideoq; non fruſtra tam ſæpe & tanta diligentia inculcamus remiſſionem peccatorum, & imputationem juſticiæ propter Chriſtum. Item, quod Chriſtiano nihil prorſus negocij debeat eſſe, præſertim in tentatione, cum Lege & peccato. Quatenus eſt Chriſtianus, eſt ſupra Legem & peccatum. Habet enim in corde præſentem, & incluſum, ut annulus gemmam, Chriſtum, legis Dominum. Itaq; cum Lex eum accuſat, peccatum perterrefacit, &c. intuetur in Chriſtum, quo Fide apprehenſo,

Chriſtiano nihil cum lege.

henſo, habet ſecum victorem Legis, peccati, mortis & diaboli, qui illis omnibus imperat, ne nocere poſſint.

Quare Chriſtianus propriè definitus, eſt liber ab omnibus legibus, & nulli prorſus nec intus nec foris ſubjectus. Sed ſignificanter dico, in quantum Chriſtianus (non in quantum maſculus aut fœmina) hoc eſt, in quantum habet Conſcientiam imbutam, ornatam & ditatam illa Fide, illo magno & incomprehenſibili theſauro, vel, ut Paulus ait, inenarrabili dono, quod non poteſt ſatis magnifieri & laudari, Quia facit filios & hæredes Dei. Hinc Chriſtianus etiam major eſt toto mundo, Quia hoc parvum, ut videtur, donum habet in corde, Sed parvitas hujus doni & precij, quod in fide tenet, major eſt cœlo & terra, quia Chriſtus major eſt, qui hoc donum eſt. *Chriſtianus eſt liber à lege.*

Stante & ſalva iſta doctrina, pacificante Conſcientias, Chriſtiani conſtituuntur judices omnium doctrinarum, & domini ſunt ſuper omnes leges totius mundi, certiſſimè judicare poſſunt, Turcam cum ſuo Alcorano eſſe damnatum. Quia non incedit recta via, hoc eſt, non agnoſcit ſe peccatorem miſerum & damnatum, nec fide Chriſtum apprehendit, propter quem credat ſibi remitti peccata. Sic cum fiducia pronunciant ſententiam contra Papam, eum eſſe damnatum cum toto regno ſuo. Quia ſic incedit cum omnibus Monachis & Scholis ſuis, quod per meritum congrui perveniamus ad gratiam, poſtea per meritum condigni recipiamur in cœlum. Ibi Chriſtianus dicit, Illa non eſt vera ratio juſtificandi, non ſic itur ad aſtra, Non poſſum per præcedentia opera mereri gratiam de congruo, neq; per ſequentia merita vitam æternam conſequi de condigno, Sed credenti in Chriſtum remittitur Peccatum, imputatur juſticia. Illa fiducia facit eum Dei filium & hæredem, qui habet in ſpe promiſſam vitam æternam. Itaq; per fidem Chriſti donantur nobis omnia, gratia, pax, remiſſio peccatorum, ſalus & vita æterna, non per meritum congrui & condigni. *Chriſtiani judices omnium doctrinarum, &c.* *Doctrina Papæ impia, &c.*

Quare doctrina illa Sententiariorum de merito congrui & condigni, omnes cultus, Miſſæ & fundationes innumeræ regni Papiſtici, ſunt abominandæ blaſphemiæ Dei, ſacrilegia & abnegationes Chriſti. Vt Petrus prædixit, 2. Petri 2. his verbis, Erunt, inquit, inter vos magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & Dominum, qui eos mercatus eſt, negabunt, &c. q.d. Dominus redemit & mercatus eſt nos ſuo ſanguine, ut nos juſtificaret & ſalvaret, hæc via eſt juſticiæ & ſalutis. Sed futuri ſunt mendaces Doctores, qui negantes Dominum blaſphemabunt viam veritatis, juſticiæ & ſalutis, invenient novas vias falſitatis, & perditionis. Et multi ſequentur eorum perditionem, &c. Iſto toto cap. Petrus egregie depinxit papatum, qui neglecto Evangelio & fide Chriſti, docuit opera & traditiones humanas, ut ſunt de merito congrui & condigni, de diſcrimine dierum, ciborum, perſonarum, de votis, de invocatione Sanctorum, de peregrinationibus, de purgatorio, &c. Has fanaticas opiniones de traditionibus & operibus ita imbiberunt Papiſtæ, ut impoſſibile ſit eos intelligere vel ſyllabam de Evangelio, fide & Chriſto. 2. Pet. 2. *Papatus.*

Hocq; res ipſa ſatis oſtendit. Nam illud jus ſibi uſurpant, quod ſolius Chriſti eſt. Ipſe ſolus liberat à peccatis, donat juſticiam & vitam æternam, Iſta meritis congrui & condigni, excluſo Chriſto, impetrare nos poſſe impudenter & impie mentiuntur. Hoc Petrus & alij Apoſtoli vocant inſtituere ſectas perditionis, negare Chriſtum, conculcare ſanguinem ejus, blaſphemare Spiritum ſanctum & gratiam Dei. Itaq; nemo ſatis videt, quam horribilis ſit idolatria papiſtica. Quam inenarrabile eſt donum, quod nobis per Chriſtum offertur, tam abominabiles ſunt prophanationes illæ papiſticæ. Ideò non ſunt leviter æſtimandæ, aut oblivioni tradendæ, ſed diligenter conſiderandæ. Id quod ad hoc etiam valet, ut gratia Dei & beneficium Chriſti per contrarium amplificetur. Quo plus agnoſco prophanationem Miſſæ papiſticæ, hoc magis abhorreo & deteſtor eam, & amplector verum Miſſæ uſum, quem Papa ſuſtulit & vertit ſimpliciter in mercem, quæ *Idolatria Papiſtica, &c.* *Verum Miſſæ uſus per Papam ſublatus, &c.*

coëmpta alteri prosit. Quia dicit, quod sacerdos missarius apostata, negans Christum & blasphemans Spiritum sanctum, stans in altari, faciat opus non solum pro se, sed pro aliis etiam, vivis & mortuis, & pro tota Ecclesia, & non alia ratione, nisi ex opere operato, &c.

Itaq; vel in hoc apparet, patientiam Dei esse inæstimabilem, quod jamdudum non perdiderit totum Papatum, & igni ac sulphure, ut Sodomam & Gomorrham, non everterit. At belli homines jam volunt hanc suam impietatem & turpitudinem operire & ornare, Hoc non est dissimulandum. Summa igitur diligentia illustrare debemus Articulum justificationis, ut is, velut clarissimus sol, è tenebris & caligine hypocrisis suæ eos protrahat in lucem, & revelet turpitudinem pudenda ipsorum. Ideo libenter acuimus & urgemus justiciam Fidei, ut adversarij confundantur, utq; articulus iste constabiliatur & certus fiat in cordibus nostris. Hocq; summè necessarium est, Amisso enim hoc Sole, relabimur in priores tenebras. Valde autem horrendum est, Papam hoc potuisse efficere in Ecclesia, quod Christus negatus, conculcatus, consputus & blasphematus sit, & hoc per Evangelium & Sacramenta, quæ ita obscuravit & in tam detestabilem abusum vertit, ut sibi, contra Christum, servierint pro statuendis & corroborandis suis diabolicis abominationibus, O tenebras & infinitam iram Dei.

Abusus horribilis Evangelij & Sacramentorum in Papatu.

Et nos in Christum Iesum credidimus, (Ad quid?) ut justificemur, &c.

HAEC vera est ratio Christianismi, scilicet, Fide in Christum, non operibus Legis, nos justificari. Hic nihil te moveat impia glossa Sophistarum, qui dicunt, fidem tum demum justificare, si accesserit charitas & bona opera. Ista pestilenti glossa, hanc & similes sententias in Paulo, quibus disertè tribuit justificationem Fidei, obscuraverunt & depravârunt Sophistæ. Cum autem homo audit, quod debeat quidem credere in Christum, fidem tamen non justificare, nisi accesserit illa forma, scilicet charitas, tum statim à fide deficit, & cogitat, Si fides sine charitate non justificat, ergo fides est ociosa & inutilis, & charitas sola justificat. Quia nisi fides sit formata & ornata charitate, nihil est.

Impium esse Sophistarum glossam, fidem charitate formatam justificare.

Et pro hac sua pernitiosa & pestilente glossa comprobanda, allegant adversarij locum 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar & angelorum, &c. Charitatem autem non habuero, nihil sum. Hic locus est murus ipsorum aheneus. Sed homines sine mente sunt, ideo nihil intelligunt nec vident in Paulo. Eaq; falsa interpretatione non solum fecerunt injuriam verbis Pauli, sed etiam negaverunt Christum, & omnia ejus beneficia obruerunt. Ideo vitanda est, ut venenum infernale, Concludendumq; cum Paulo, Sola fide, non fide formata charitate, nos justificari. Quare non isti formæ gratificanti tribuenda est vis justificandi, sed Fidei, quæ apprehendit & possidet in corde ipsum Christum Salvatorem. Hæc fides sine & ante charitatem justificat.

1. Cor. 13.

Fides justificat sine lege, &c.

Concedimus, docendum quoq; esse de bonis operibus & charitate, Sed suo tempore & loco, quando scilicet quæstio est de operibus extra hunc capitalem articulum. Hic autem status causæ est, Per quid justificemur, & vitam æternam consequamur? Hic respondemus cum Paulo, Sola fide in Christum nos pronunciari justos, non operibus Legis aut charitate. Non quod opera aut charitatem rejiciamus, ut adversarij nos accusant, Sed ex statu præsentis causæ non finemus nos dimoveri, id quod Satan quærit. Cum igitur jam versemur in loco communi de justificatione, rejicimus & damnamus opera. Is enim locus nequaquam admittit disputationem de bonis operibus. Abscindimus igitur in hoc proposito simpliciter omnes leges & omnia opera legis.

Doctrina de bonis operibus non neg. genda, sed à justificatione longe remouenda.

At Lex bona, justa & sancta est. Bene, Sed cum versamur in disputatione de justificatione, non est locus jam dicendi de lege. Sed quæstio est, Quid Christus sit, quid beneficij nobis attulerit? Christus autem non est Lex, non est opus meum aut legis, non est charitas mea aut legis, non est castitas, obedientia aut paupertas

Iam ne Lutherum dicamus, renouatum dogma de operum necessitate, &c. probasse?

pertas mea, ſed Dominus vitæ & mortis, mediator & ſalvator peccatorum, Re-
Iohan 6. demptor eorum qui ſunt ſub lege. In illo ſumus per fidem,& ipſe in nobis,Ioh.6. Oportet hunc ſponſum eſſe ſolum cum ſponſa in conclavi,amotis omnibus miniſtris & tota familia,Poſtea vero cum aperit oſtium & egreditur, accurrant ſervi & ancillæ,miniſtrent,afferant cibum & potum.Ibi tum incipiant opera & charitas.

Vt igitur rectè definiamus Chriſtum, debemus diligenter diſcernere omnes leges etiam divinas,& omnia opera, à promiſſione Evangelij & fide. Chriſtus autem non eſt Lex, ergo nec exactor legis nec operum, ſed eſt agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hoc ſola Fides apprehendit, non charitas,Quæ quidem fidem ſequi debet,ſed ut gratitudo quædam.Quare victoria peccati & mortis,ſalus & vita æterna non contingunt per Legem, non per opera legis, non per vires liberi arbitrij, aut noſtram voluntatem, ſed per ſolum Ieſum Chriſtum, Ergo ſola fides hoc apprehendens juſtificat. A ſufficienti diviſione & inductione, Victoria peccati & mortis eſt in ſolo Ieſu Chriſto, Ergo non eſt in operibus Legis, nec in voluntate noſtra,&c.Ibi libenter patiemur nos vocari Solarios ab adverſariis,qui de hac Pauli diſputatione nihil intelligunt,&c.

Fides ſola juſtificat, quia ſola apprehendit Chriſti beneficium.

Vt juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.

OMNIA verba cum epitaſi & emphaſi legenda ſunt. Paulus loquitur, ut ſuprà etiam admonui, non tantum de lege ceremoniali, ſed de tota Lege. Nam lex Ceremonialis æque fuit divina, ac moralis, Vt circumciſio, inſtitutio ſacerdotij,cultus & ritus æque erant præcepti divinitus, ac Decalogus. Item lex erat, cum Abraham jubebatur immolare filium Iſaac, Hoc opus Abrahæ placuit Deo, ut alia opera ceremonialia, non tamen juſtificatus eſt illo opere,ſed fide, Quia ſcriptura dicit,Credidit Abraham Deo,& reputatum eſt ei ad juſticiam.

Paulus loquitur de tota lege.

Sed poſt Chriſtum revelatum, ajunt, leges ceremoniales ſunt mortiferæ. Imo lex etiam Decalogi ſine fide in Chriſtum eſt mortifera. Deinde nulla Lex in Conſcientia regnare debet, niſi ſpiritus vitæ, qua liberati ſumus in Chriſto à Lege literæ & mortis, operibus ejus & peccatis. Non quòd Lex mala ſit,ſed quòd juſtificare non poſſit, quia plane contrarium habet effectum. Sublimis & magna res eſt, Deum habere placatum, Igitur longe alio Mediatore ibi opus eſt, quam Moſes aut Lex, quam noſtra voluntas, quam etiam gratia ſit, quam vocant charitatem Dei. Hic prorſus nos nihil facere oportet, ſed tantum recipere theſaurum, qui eſt Chriſtus, in corde per fidem apprehenſus, ut maximè ſentiamus nos eſſe plenos peccatis. Valde igitur emphatica ſunt verba (ut ex fide Chriſti juſtificemur,non ex operibus legis) non inania & ocioſa, ut Sophiſtæ putant, ideo etiam fortiter ea tranſiliunt.

Lex non permittatur regnare in conſcientia, &c.

Hactenus verba ſunt Pauli, quæ ad Petrum locutus eſt, Quibus comprehendit in ſumma præcipuum Chriſtianæ doctrinæ Articulum,qui facit vere Chriſtianos. Iam vertit ſermonem ad Galatas, ad quos ſcribit, & concludit, dicens, Cum res ita ſe habeat, quod per fidem in Chriſtum juſtificemur, Ergo ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.

Hactenus Paulus locutus eſt Petro.

Propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.

NON omnis caro, ebraiſmus eſt peccans in grammaticam. Ea phraſis frequens eſt in ſacris literis,Gen. 4. Vt non interficiat eum omnis, qui invenerit eum,&c. Græci & Latini non ſic loqvuntur, Non omnis,id eſt,nullus, non omnis caro,id eſt,nulla caro,Sed non omnis caro latine ſonat,aliqua caro. Spiritus ſanctus non ſervat illum rigorem grammatices. Caro in Paulo non ſignificat,ut Sophiſtæ ſomniant, craſſa illa peccata, Ea enim apertis nominibus ſolet appellare, adulterium,fornicationem,immundiciam,&c. infra cap. 5. Sed caro idem vocatur Paulo, quod Chriſto, qui ait Iohan.3. Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Significat ergo Caro totam naturam hominis,cum ratione & omnibus viribus ſuis. Illa, inquit, non juſtificatur ex operibus,ne Legis quidem. Non dicit, Caro non

Non omnis caro

Quid Paulus vocet Carnem.

Iohan 3.

juſtificatur ex operibus contra legem, ut ſunt, cædes, ſtuprum, crapula, &c. ſed ex operibus factis ſecundum legem, quæ bona ſunt.

Significat igitur Paulo, Caro, ſummam Iuſticiam, ſapientiam, cultum, religionem, intellectum, voluntatem, quanta poteſt eſſe in homine animali. Si autem Iudæus ex operibus ſecundum legem Dei factis non juſtificatur, multo minus Monachus per ordinem, Sacerdos per miſſam & horas Canonicas, Philoſophus per ſapientiam, Theologus per Theologiam, Turca per Alcoranum, juſtificabitur. Summa, quantumvis ſapientes & juſti ſint homines ſecundum rationem & legem divinam, tamen omnibus ſuis operibus, meritis, miſſis, ſummis juſticiis & cultibus non juſtificantur.

Cæcitas Papiſtarum.

Hoc Papiſtæ non credunt, ſed excœcati & indurati defendunt contra conſcientiam ſuas abominationes, & perſeverant in iſta ſua blaſphemia, jactantes etiamnum ſacrilegas iſtas voces, Qui hoc vel illud opus fecerit, meretur remiſſionem peccatorum, Qui hunc vel alium ordinem ſanctum ſuſceperit, & Regulam ſuam ſervaverit, huic certo promittimus vitam æternam. Dici non poteſt, quam horribilis ſit blaſphemia, hoc tribuere doctrinis Dæmoniorum, ſtatutis & Regulis hominum, impiis traditionibus Papæ & operibus monachorum, quod Paulus Chriſti Apoſtolus detrahit legi divinæ, & ejus operibus. Nam ſi nulla caro ex operibus legis divinæ juſtificatur, multo magis non juſtificabitur ex regula Benedicti, Franciſci, &c. in quibus ne ſyllaba eſt de fide in Chriſtum, ſed tantum hoc urgetur, Qui ſervaverit iſta, habet vitam æternam.

Paulus tollit traditionibus juſtificandi vim, quia Paulus legi Dei detrahit.

Qui ſalvati ſint regnante Papa.

Ideo ſæpe vehementer admiratus ſum, quod tot ſeculis, durantibus ſectis illis perditionis, potuerit tamen Eccleſia permanere in tantis tenebris & erroribus. Fuerunt quidam, quos Deus pure vocavit per textum Evangelij (qui tamen manſit in concione) & baptiſmum, Hi ambulaverunt in ſimplicitate & humilitate cordis, exiſtimantes ſolum monachos & unctos ab Epiſcopis eſſe ſanctos & religioſos, ſe autem prophanos & ſeculares, nequaquam cum ipſis conferendos, Ideoq; nihil invenientes bonorum operum aut meritorum, quæ opponerent iræ & judicio Dei, confugerunt ad paſſionem & mortem Chriſti, & in iſta ſimplicitate ſalvati ſunt.

Horribilis autem & infinita eſt ira Dei, quod tot ſeculis puniverit ingratitudinem & contemptum Evangelij & Chriſti in Papiſtis, tradendo eos in reprobum ſenſum, ut in totum abnegato, quantum ad uſum ejus attinet, & blaſphemato Chriſto, in locum Evangelij receperint abominationes Regularum & traditionum humanarum, quas unicè adoraverunt, & longè prætulerunt verbo Dei, Donec tandem etiam ademptum eſt illis matrimonium, & coacti ſunt ad inceſtum illum cœlibatum. Ibi tum etiam externè polluti ſunt omni genere flagitiorũ, adulteriis, ſcortationibus, imũdiciis, Sodomia, &c. Is fuit fructus impuri cœlibatus. Sic Deus peccato peccatum puniens, tradidit eos intus in reprobum ſenſum, & foris ruere permiſit in tam horribilia ſcelera, & quidem juſtè. Quia blaſphemaverunt unigenitum filium Dei, in quo Pater vult glorificari, quem tradidit in mortem, ut credentes in Filium ſalvi fierent per eum, non per ſuos ordines. Qui me, inquit, 1. Reg. 2. honorificaverit, honorificabo & ego eum, Honorificatur autem Deus in filio, Iohan. 5. Qui igitur crediderit, filium Dei eſſe mediatorem & ſalvatorem noſtrum, is honorificat Patrem, hunc & Deus viciſſim honorificat, id eſt, ornat ſuis donis, remiſſione peccatorum, juſticia, Spiritu ſancto, vita æterna, &c. Qui contra me contemnunt, erunt, inquit, ignobiles, &c.

Traditiones humanæ prælatæ Evangelio.

Deus punit per ſuum peccato.

1. Reg. 2. Iohan. 5.

Concluſio ergo principalis hæc eſt, Propter quod ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro. Tu amplifica eam latius, & percurre omnes ſtatus. Ergo ex ordine monachus, Nonna ex caſtitate, Civis ex probitate, Princeps ex beneficentia, &c. non juſtificabitur. Lex Dei major eſt toto mundo. Comprehendit enim omnes homines, & opera legis longiſſime excellunt opera electicia juſticiariorum, Et tamen Paulus dicit, quod nec Lex nec opera legis juſtificent, Ergo ſola

Dignitas legis.

fides

by Google

fides juſtificat. Stante iſta propoſitione, incipit eam nunc argumentis confirmare, Et primum argumentum eſt, quaſi ex oppoſito conſequentis.

Si autem quærentes iuſtificari in Chriſto, invenimur & ipſi peccatores, Ergo Chriſtus peccati Miniſter eſt.

I. Argumentum Pauli pro defendenda juſtitia fidei.

Hæ ſunt latinæ phraſes, ſed Ebraicæ & Theologicæ. Si hoc verum eſt, inquit, quod in Chriſto juſtificamur, impoſſibile eſt nos eſſe peccatores, aut per Legem juſtificari. Contrà, ſi non eſt verum, ſed oportet nos juſtificari per Legem & opera ejus, tum impoſſibile eſt nos per Chriſtum juſtificari. Alterutrum falſum eſſe oportet, Aut non juſtificamur in Chriſto, aut non in Lege. Sed in Chriſto juſtificamur, Ergo non in lege. Argumentatur igitur hoc modo, Si quærentes &c. Hoc eſt, Si conamur per Fidem in Chriſtum juſtificari, & ſic juſtificati, invenimur adhuc peccatores, indigentes Lege, quæ nos peccatores luſtificet, Si opus eſt, inquam, legis obſervatione ad juſtificationem, ut qui juſti ſunt in Chriſto, non ſint juſti, ſed opus habeant adhuc lege juſtificante, Vel, Si juſtificatus per Chriſtum, debet adhuc per Legem juſtificari, Tunc Chriſtus nihil aliud eſt quam Legislator & miniſter peccati. Ergo juſtificatus & ſanctus in Chriſto, non eſt juſtificatus & ſanctus, ſed opus habet adhuc juſticia & ſanctitate Legis.

Sed certè ſumus juſtificati & juſti in Chriſto, Quia veritas Evangelii docet, quod homo non in lege, ſed in Chriſto juſtificetur. Si autem illi, qui in Chriſto juſtificantur, inveniuntur adhuc peccatores, id eſt, pertinent adhuc ad Legem & ſunt ſub lege, ut Pſeudoapoſtoli docent, ergo nondum juſtificati ſunt. Quia lex accuſat & arguit eos adhuc eſſe Peccatores, & exigit ut opera legis faciant, ut juſtificentur. Ergo juſtificati in Chriſto, non ſunt juſtificati. Et ſic neceſſario ſequitur, Chriſtum non eſſe juſtificatorem, ſed peccati miniſtrum. His verbis graviſſimè accuſat Pſeudoapoſtolos & omnes Iuſticiarios, quod omnia pervertant, quia ex Lege Gratiam, ex Gratia legem, ex Moſe Chriſtum, ex Chriſto Moſen faciunt. Docent enim, quod poſt Chriſtum & omnem juſticiam Chriſti, opus ſit obſervatione legis, ſi juſtificari velis. Sic lex fit Chriſtus, perverſitate intolerabili, Quia legi tribuitur quod propriè Chriſto competit. Si feceris, ajunt, opera legis, juſtificaberis, Si non feceris, non juſtificaberis, ut maximè in Chriſtum credas. Si autem verum eſt, quod Chriſtus non juſtificat, ſed eſt Peccati miniſter, ut neceſſariò ſequitur ex eorum doctrina, Ergo Chriſtus eſt Lex, quia nihil aliud ex eo habemus, cum doceat nos peccatores eſſe, quàm quod ex lege habemus, Et ſic Doctor peccati, Chriſtus mittit nos ad legem, & Moſen juſtificatorem.

Iuſticiarii ex Chriſto Moſen, ex gratia legem, faciunt.

Itaque Papiſtæ, & quotquot juſticiam Chriſti ignorant, aut non rectè tenent, Non poſſunt non facere ex Chriſto Moſen & Legem, & ex Lege Chriſtum. Sic enim docent, Fides in Chriſtum juſtificat quidem, ſed ſimul ſervari oportet etiam præcepta Dei. Quia ſcriptum eſt, Si vis in vitam ingredi, ſerva mandata Dei. Ibi ſtatim Chriſtus negatus & fides abolita eſt. Quia mandatis Dei ſive legi tribuitur, quod eſt ſolius Chriſti. Eſt enim Chriſtus definitivè juſtificator & redemptor à Peccatis. Si hoc legi tribuo, jam lex ipſa meus eſt juſtificator, liberans me à peccatis, quia opera ejus facio. Sicq; lex eſt Chriſtus, & Chriſtus in totum amittit ſuum nomen, officium & gloriam, nihilq; aliud eſt quàm Legis miniſter, arguens, terrens, offerens & mittens peccatorem ad alium, qui poſſit eum juſtificare, Quod verè eſt legis officium.

Si vis vitam ingredi &c. Chriſtus.

Sed proprium Chriſti officium eſt, peccatorem per Legem reum factum & conſtitutum, amplecti & abſolvere à peccatis, ſi Evangelio credit. Chriſtus enim eſt finis Legis ad juſticiam omni credenti, Ipſe eſt agnus Dei, qui portat peccata mundi. Quia verò Papiſtæ & fanatici ſpiritus non tenent doctrinam de juſtificatione, invertunt omnia, ex Chriſto Moſen & ex Moſe Chriſtum facientes. Eſtq; hæc re vera (etſi verbis aliud dicant) principalis eorum propoſitio, Chriſtus eſt Moſes &c. Deinde nos qui tanta diligentia inculcamus & urgemus Fidem, rident, dicen-

Officium Chriſti.

Propoſitio principalis Papiſtarum &c.

Iuſticiarij rident Doctores fidei.

dicentes, Ha, ha, Fides, fides, expecta donec fide pervenias in cœlum. Nitendum eſt ad ſublimiora. Oportet te legem Dei implere, juxta illud, Hoc fac, & vives, Oportet te multa pati, fundere ſanguinem, deſerere domum, uxorem, liberos, imitare exemplum Chriſti. Fides, quam ita vehementer extollitis, ſecuros, ocioſos & ſtertentes reddit homines. Sic fiunt meri Legiſtæ & operarii, à Chriſto ad Moſen deficientes, item à Baptiſmo, fide, promiſſionibus Chriſti revocantes populum ad Legem & opera, & ex Gratia, legem, & ex Lege gratiam facientes.

Diſcrimen legis & gratiæ facillimum quidem eſt, ſed facile tamen confunditur.

Quis unquam autem crederet, quòd tàm facilè iſta poſſent commiſceri? Nemo tam hebeti ingenio eſt, cui non appareat iſta Legis & Gratiæ diſtinctio facilima eſſe, quia ipſa natura rerum & vocabulorum affert iſtam diſtinctionem. Quisque enim intelligit iſtas voces, Lex, Gratia, re & nomine diverſas eſſe. Ideo monſtrum monſtroſiſſimum eſt, ſtante iſta diſtinctione clariſſima, tamen adverſarios labi in iſtam perverſitatem Satanicam, quòd Legem & gratiam confundant, & Chriſtum in Moſen transforment. Ideo ſæpè dico, iſtam doctrinam Fidei eſſe facilimam, iſtamq; diſtinctionem legis & Gratiæ quemlibet facile poſſe intelligere, quantum ad verba attinet. Sed in ipſo uſu, vita, affectu, eſſe omnium difficilimam.

Papa legem & gratiam confundit.

Papa cum ſuis Scholaſticis Doctoribus clarè dicit, Legem & gratiam eſſe diſtincta, Et tamen in ipſo uſu planè contrarium docet. Fides in Chriſtum, inquit, ſive ſit acquiſita per vires, actus & habitus naturales, ſive ſit infuſa per Deum, tamen mortua eſt, niſi ſequatur dilectio. Vbi hîc manet diſtinctio Legis & gratiæ? Nomine quidem iſta inter ſe diſtinguit, re vera tamen Gratiam vocat dilectionem. Sic omnes legis exactores operibus tribuunt juſtificationem. Quicunq; igitur articulum juſtificationis non probè tenent, illi neceſſariò confundunt Legem & Gratiam. Itaque diligenter diſcernere diſcat quilibet pius Legem à Gratia, affectu & uſu, non ut Papa & fanatici Spiritus, verbis tantum. Illi quantum ad verba attinet, fatentur illa duo eſſe diſtincta, re ipſa autem, ut dixi, commiſcent ea, Quia non concedunt fidem ſine operibus juſtificare. Si hoc verum eſt, Chriſtus jam nihil mihi prodeſt, Vt maximè enim veram fidem habeam, tamen juxta hanc ipſorum opinionem, non juſtificor, ſi illa fides mea ſit ſine charitate, Et ut maximè eam habeam, tamen non ſatis diligo. Atq; ita Chriſtus fide apprehenſus non eſt juſtificator, nihil prodeſt Gratia, nec fides vera eſſe ſine charitate (Aut ut Anabaptiſtæ dicunt, ſine cruce, paſſione & effuſione ſanguinis) Si verò adeſt Charitas, opera & crux, fides vera eſt & juſtificat.

Fidei & gratiæ diſtinctio.

Qui legem dicunt neceſſariam eſſe ad juſticiam ſimiles ſunt Pſeudoapoſtolis.

Hac doctrina iterum obſcurant fanatici homines beneficium Chriſti, detrahunt ei honorem juſtificatoris, & conſtituunt eum miniſtrum Peccati. Nihil ergo à nobis didicerunt, quàm verba recitare, rem ipſam non tenent. Videri quidem volunt, ſe quoque Evangelium & fidem Chriſti purè docere, ut nos, Sed quando venitur ad uſum, ſunt doctores Legis, per omnia ſimiles ipſis Pſeudoapoſtolis. Nam quemadmodum illi ultra fidem in Chriſtum, urgebant per omnes Eccleſias Circumciſionem & obſervationem Legis, ſine qua detrahebant Fidei juſtificationem (Niſi circumcidamini, dicebant, ſecundùm Legem Moſi, non poteſtis ſalvi fieri) Ita hodie exactores legis præter juſticiam fidei, requirunt etiam obſervationem mandatorum Dei, Iuxta illud, Hoc fac, & vives. Item, Si vis in vitam ingredi, ſerva mandata. Ideo nemo ex ipſis, quantumvis videantur ſibi ſapere, intelligit diſcrimen Legis & Gratiæ, Ipſo enim uſu & rerum judicio convincuntur.

Status cauſa.

Nos verò hîc diſtinguimus, & dicimus, Nos nunc non diſputare, Num opera bona ſint facienda? Neque nos quærere, Num lex bona, ſancta, juſta ſit? aut, Num ſit ſervanda? Nam is planè alius locus eſt. Sed noſtra diſputatio & quæſtio eſt, de juſtificatione, An lex juſtificet? Hoc adverſarii non audiunt, neque ad hanc quæſtionem reſpondent, neque ibi diſtinguunt, ut nos, ſed tantùm clamant, Bona opera eſſe facienda, Legem eſſe ſervandam. Benè, ſcimus hoc. Sed quia diverſi loci ſunt, non patiemur eos commiſceri, Suo tempore agemus de loco iſto, Quòd Lex & bona opera ſint facienda. Cum autem hîc verſemur in loco juſtificationis, reji-

rejicimus nunc opera, quæ adverſarii mordicus tenentes, adſcribunt eis juſtificationem, Quod Chriſto eſt adimere gloriam, & eam operibus tribuere.

Est itaque ſatis firmum hoc argumentum, quo ſæpe uſus ſum in magnam conſolationem. Si quærentes &c. q. d. Paulus, ſi nos juſtificati in Chriſto, habemur adhuc pro non juſtificatis, ſed pro peccatoribus, qui per Legem adhuc juſtificandi ſunt, Ergo non poſſumus quærere juſtificationem in Chriſto, ſed in Lege. Si autem juſtificatio per Legem fit, non fit per gratiam, A ſufficienti diviſione. Si nunc juſtificatio non fit per Gratiam, ſed per legem, Quid fecit Chriſtus ſua paſſione, prædicatione, victoria peccati & mortis, & Spiritus ſancti miſſione? Aut igitur juſtificamur per Chriſtum, aut peccatores & rei per eum efficimur. Si verò lex juſtificat, tum inevitabiliter ſequitur, nos per Chriſtum peccatores effici, igitur Chriſtus peccati miniſter eſt. Ponatur itaque hæc propoſitio. Omnis credens in Dominum Ieſum Chriſtum, eſt peccator & reus æternæ mortis, & niſi recurrat ad legem, & opera ejus faciat, non ſalvabitur. *Si ex lege venit juſtitia, Chriſtus eſt exinanitus.*

Scriptura, præſertim novi Teſtamenti, ubique inculcat fidem in Chriſtum, & magnificè eam prædicat. Qui, inquit, credit in eum, ſalvatur, non perit, non judicatur, non confunditur, habet vitam æternam. Illi contrà, Qui credit in eum, damnatur, &c. quia habet Fidem ſine operibus, quæ damnat. Sic pervertunt omnia, ex Chriſto ſimpliciter perditorem, ex Moſe ſalvatorem facientes. Nonne autem inæſtimabilis blaſphemia eſt, ſic docere, Faciendo legem & opera, efficieris dignus vita æterna, Credendo autem in Chriſtum, reus eris mortis æternæ? Lex ſervata ſalvat, fides in Chriſtum damnat? *Fides in Chriſtum.* *Doctrina Papistarum.*

Iſtiuſmodi quidem verbis adverſarii non utuntur, re vera tamen ita docent. Quia fides, inquiunt, infuſa (quam propriè vocant fidem in Chriſtum) non liberat à peccatis, ſed fides formata charitate. Ex hoc ſequitur, quòd ſola Fides in Chriſtum, ſine Lege & operibus, non ſalvat. Hoc certè eſt affirmare, quòd Chriſtus relinquat in peccatis & ira Dei, & reos nos faciat mortis æternæ. Econtrà, Si feceris Legem & opera, tum Fides juſtificat, Quia habet opera, ſine quibus alioqui fides nihil prodeſt. Ergo opera juſtificant, non fides, Quia propter quod unumquodq; eſt tale, illud magis tale eſt. Si fides propter opera juſtificat, ergo opera magis juſtificant quàm fides. Profundæ ſunt abominationes blaſphemæ hujus doctrinæ. *Fides infuſa.*

Argumentatur ergo Paulus ab impoſſibili, & ſufficienti diviſione. Si nos juſtificati in Chriſto, adhuc ſumus peccatores, juſtificandi per aliud quàm per Chriſtum, ſcilicet per Legem, Ergo Chriſtus non poteſt nos juſtificare, ſed tantum accuſat & condemnat nos, Ergo gratis mortuus eſt. Et hi & ſimiles loci falſi ſunt, Ecce agnus Dei, &c. Item, Qui credit in Filium, habet vitam æternam, Imo tota Scriptura, quæ teſtatur Chriſtum eſſe juſtificatorem & Salvatorem mundi, falſa eſt. Nam ſi invenimur peccatores, poſtquam in Chriſto ſumus juſtificati, neceſſe eſt ſequi, facientes Legem ſine Chriſto eſſe juſtificatos. Hoc ſi verum eſt, tum ſumus Turcæ, Iudæi, Tartari, retinentes tantùm in ſpeciem verbum & nomen Chriſti, uſu autem & re vera prorſus negantes Chriſtum & verbum ipſius, At Paulus vult fidem eſſe ἐνεργουμένην. Ideo error & impietas eſt aſſerere, fidem infuſam non juſtificare, niſi ornata ſit operibus charitatis. Quod ſi autem hoc adverſarii omnino defendere volunt, Cur in totum Fidem in Chriſtum non abjiciunt? præſertim cum ex ea nihil faciant, quàm inanem qualitatem in anima, quæ ſine charitate nihil profit, Cur non potiùs appellant Scapham ſcapham? hoc eſt, cur non claris verbis dicunt, opera juſtificare, non Fidem. Item, cur in univerſum manifeſtè non negant totum Evangelium & Paulum (ut re vera negant) qui ſoli Fidei, non operibus tribuunt juſtitiam? Nam ſi Fides cum operibus juſtificat, falſa eſt tota diſputatio Pauli, qui diſertè dicit, Hominem non juſtificari operibus legis, ſed fide Ieſu Chriſti. *Pertinaces Papiſtæ.*

Ergo Chriſtus peccati Miniſter eſt.

Iterum phraſis eſt Ebraica, qua utitur Paulus etiam 2. Corinth. 3. Illic magni-

Miniſterium Moſi.

magnifice & clariſſime tractat de duobus his miniſteriis, ſcilicet Literæ Spiritus, Legis gratiæ, ſeu mortis & vitæ, Et ait, Moſen miniſtrum legis, habere miniſterium legis, quod vocat Peccati, iræ, mortis & damnationis miniſterium. Solet enim Paulus valde ignominioſas appellationes tribuere Legi Dei, & ſolus inter Apoſtolos utitur hac phraſi, alii non ita loquuntur. Valde autem prodeſt ſtudioſos ſacrarum literarum hanc Pauli phraſin tenere.

Miniſter peccati.

Eſt autem Miniſter peccati nihil aliud, quàm Legislator ſeu exactor legis, qui docet bona opera & charitatem, qui docet crucem & paſſiones ferendas, Exemplum Chriſti & ſanctorum imitandum. Quicunque iſta profitetur & urget, eſt miniſter Legis, peccati, iræ & mortis. Quia ſua doctrina nihil aliud facit, quàm quòd terret & perturbat conſcientias, & concludit eas ſub peccatum. Nam impoſſibile eſt humanam naturam implere Legem, Imo in juſtificatis, qui habent Spiritum ſanctum, repugnat Lex membrorum legi mentis &c. Quid non faceret in impiis, qui Spiritum ſanctum non habent? Quare docens per Legem contingere juſticiam, ipſemet non intelligit quid loquatur, aut quid affirmet, multo minus ſervat legem, Sed ſeipſum & alios ludit & gravat onere importabili, præſcribit & exigit impoſſibilia, & ad extremum ſe & diſcipulos ſuos adducit in deſperationem.

Injuſtificatis non eſſe perfectam obedientiam legis.

Officium & uſus legis. Sub lege eſſe. Perfectam legis obedientiam nemo præſtat.

Eſt iſtaq; proprius Legis uſus & finis, homines quietos & ſecuros facere reos, ut ſint obnoxii Peccato, iræ & morti, ut ſint conterriti, deſperabundi, pallentes & paventes ad ſibilum folii volantis. Et quatenus tales ſunt, ſunt ſub lege. Lex enim requirit perfectam obedientiam erga Deum, & damnat eos, qui hanc non præſtant. Conſtat autem, quod nemo hanc perfectam obedientiam legis præſtet aut præſtare poſſit, quam tamen Deus ſevere requirit. Ergo lex non juſtificat, ſed condemnat, Iuxta illud, Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, &c. Itaq; docens legem, eſt miniſter peccati.

Miniſterium legis, eſſe peccati miniſterium.

Quare Paulus recte vocat miniſterium legis 2. Cor. 3. Peccati miniſterium. Nam lex oſtendit Peccatum, quod ſine lege mortuum eſt. Peccati verò cognitio (non illa ſpeculativa hypocritarum, ſed vera, in qua cernitur ira Dei contra Peccatum, & vere ſentitur guſtus mortis) perterrefacit corda, adigit ad deſperationem & occidit, Rom. 7. Itaque Doctores illi Legis & operum, quos Scriptura appellare ſolet exactores & tyrannos (Perinde enim ut illi exactores in Ægypto opprimebant filios Iſraël corporali ſervitute, Ita hi doctrinâ de lege & operibus redigunt in ſpiritualem & miſerrimam ſervitutem animas, & ad extremum in deſperationem adigunt & perdunt) neque ſeipſos agnoſcunt, neque vim legis ſentiunt, Neque poſſibile eſt, eos conſequi pacem conſcientiæ in veris pavoribus & agone mortis, etiamſi ſervaverint Legem, dilexerint, multa bona opera fecerint, & mala perpeſſi ſint. Quia lex ſemper terret & accuſat, dicens, Tu nunquam feciſti omnia, quæ in lege mandata ſunt, Maledictus autem, qui non fecerit &c. Ideo manent iſti pavores & ſubinde augentur, Et niſi tales legis doctores erigantur fide & juſticia Chriſti, coguntur deſperare.

2. Cor. 3.

Doctores legis vocat Scriptura exactores & tyrannos.

Docentes legem redigunt animas in ſervitutem &c.

Rom. 7.

Exemplum de Eremita quodam.

Hujus rei extat inſigne exemplum in Vitis Patrum de Eremita quodam, Is brevi antequam moreretur, ſtabat triſtis & immotus tres dies, fixis in cœlum oculis. Interrogatus, cur hoc faceret? ajebat, Se timere mortem. Cum diſcipuli eum conſolarentur, Non eſſe, cur mortẽ timeat, cum ſanctiſſime vixerit, Reſpondit, Sancte quidem vixi, & ſervavi mandata Dei, Sed longe alia ſunt judicia Dei, quàm hominum. Ille cum cerneret mortem præſentem, quanquam inculpate vixiſſet & ſervaſſet legem Dei, non tamen potuit eſſe tranquillo animo, Quia in mentem ei venit Deum longe aliter judicare quàm homines. Atque ita amiſit fiduciam in omnia bona opera & merita ſua. Et niſi promiſſione Chriſti erectus eſt, deſperavit. Itaque lex nihil aliud poteſt efficere, quàm nos nudos & reos conſtituere, ibi tum nullum eſt conſilium aut auxilium, ſed omnia deplorata ſunt. Hîc vita & martyria omnium Sanctorum nos juvare non poſſunt.

Hoc

Hoc etiam pulchrè adumbratum eſt in hiſtoria latæ Legis, Exod. 19. 20. Moſes eduxit populum è caſtris in occurſum Dei, ut audiret Deum loquentem ex caligine nubis. Ibi perterritus, ac pavore concuſſus populus, qui paulò antè promiſerat ſe omnia facturum, quæ Deus mandaret, retroceſſit, & procul ſtans dicebat ad Moſen, Quis poteſt videre ignem, & tonitrua & clangorem buccinæ audire? Tu nobis loquere, & audiemus, Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Officium ergo Legis proprium eſt, nos ducere ex tabernaculis noſtris, id eſt, ex pace & fiducia noſtri, & conſtituere nos in conſpectum Dei & revelare nobis iram ejus. Ibi tum conſcientia ſentit ſe Legi non ſatisfeciſſe, nec ſatisfacere, nec perferre poſſe iram Dei, quam Lex revelat, Cum nos ita in conſpectum Dei producit, hoc eſt, cum perterrefacit, accuſat & peccatum oſtendit, Ibi impoſſibile eſt nos tunc poſſe conſiſtere, Ideo exterriti fugimus, & clamamus cum Iſraële, Moriemur, moriemur, Dominus non loquatur, Tu nobis loquere &c.

Hiſtoria promulgata legis. Exod. 19. 20.

Officium legis.

Qui igitur docet fidem in Chriſtum non juſtificare, niſi lex ſimul ſervetur, Ille facit Chriſtum peccati Miniſtrum, hoc eſt, doctorem Legis, qui idem doceat quod Moſes. Ergo Chriſtus non eſt Salvator, nec largitor Gratiæ, ſed crudelis tyrannus, qui exigit impoſſibilia, ut Moſes, quæ nemo facere poteſt. Sic omnes juſticiarii exiſtimant, Chriſtum eſſe novum quendam Legislatorem, & judicant Evangelium nihil aliud eſſe, quàm librum, qui contineat novas leges de operibus, ut Turcæ de ſuo Alcorano ſomniant. Sed ſatis legum eſt in Moſe. Ideo Evangelium eſt prædicatio de Chriſto, quod remittat Peccata, donet gratiam, juſtificet & ſalvet peccatores. Quòd autem præcepta in Evangelio reperiuntur, iſta non ſunt Evangelium, ſed expoſitiones legis & appendices Evangelii.

Chriſtus miniſter peccati.

Evangelium.

Præcepta in Evangelio.

Porro ſi lex eſt miniſterium peccati, ergo eſt etiam miniſterium iræ & mortis. Quia lex, ut revelat peccatum, ita perterrefacit hominem, oſtendit iram Dei, & incutit terrorem mortis. Statim enim conſcientia ſic infert, Non ſervaſti præcepta, ergo Deus eſt offenſus & iraſcitur tibi, Eſtq; hæc conſequentia inſeparabilis, Peccavi, ergo moriar. Ita per conſequens miniſterium peccati, eſt miniſterium iræ Dei & mortis. Revelato enim peccato, ſtatim ſequitur ira, mors & damnatio. Nam ſic infert conſcientia, Tu peccaſti, ergo Deus iraſcitur tibi, Si iraſcitur, ergo occidet & condemnabit te in æternum. Atq; hinc fit, quòd multi, non ferentes iram ac judicium Dei, quæ lex aperit, ſeipſos occidunt, præcipitant ac demergunt, &c.

Lex eſt miniſterium peccati, iræ, mortis &c.

Conſcientia ſic colligit, peccaſti, ergo reus es mortis.

Abſit.

Quaſtd. Chriſtus non eſt Peccati Miniſter, ſed donator Juſticiæ & vitæ æternæ. Quare Paulus longiſſime Chriſtum à Moſe ſeparat. Maneat ergo Moſes in terra, ſit doctor literæ, exactor Legis & crucifigat peccatores. At credentes, ait Paulus, habent alium doctorem in conſcientia, non Moſen, ſed Chriſtum, qui legem abrogavit, peccatum, iram, & mortem vicit & ſuſtulit. Is jubet nos laborantes & omnibus malis oppreſſos ad ſe venire, Ideo confugientibus nobis ad eum, evaneſcit Moſes cum ſua Lege, ut nuſquam conſpici poſſit ejus ſepulchrum, utq; peccatum & mors amplius non poſſint nocere nobis. Nam Chriſtus Doctor noſter, Dominus eſt Legis, peccati & mortis, à quibus credens in eum, liber eſt. Eſt ergo proprium Chriſti officium, liberare à peccatis & morte, Id quod Paulus perpetuò docet & inculcat.

Pictura Chriſti.

Itaque per legem damnamur & occidimur, per Chriſtum verò juſtificamur & vivificamur, Lex perterrefacit & repellit nos à Deo, Chriſtus autem reconciliat nos Deo, facitq; ut habeamus acceſſum ad eum. Eſt enim agnus Dei, tollens peccata Mundi, ergo credens in Chriſtum, habet eum, qui ſuſtulit peccatum mundi. Si peccatum mundi ſublatum eſt, Ergo & mihi, qui in eum credo, ſublatū eſt. Si peccatum ſublatum eſt, Ergo & ira, mors & damnatio ſublata ſunt. Et in locum peccati Juſticia, iræ reconciliatio & gratia, mortis vita, damnationis ſalus æterna ſucceſſit. Iſtam diſtinctionem diſcamus non tantùm verbis, ſed uſu, vita & ipſis

Lex. Chriſtus.

Chriſtus ſublatis omnibus malis, attulit omnia bona.

Digitized by Google

vivis affectibus, practicare. Nam ubi Christus est, ibi oportet esse tranquillam & lætam conscientiam. Est enim Christus nostra Reconciliatio, justicia, pax, vita, salus, In summa, quicquid misera & afflicta conscientia quærit, hoc in Christo abunde invenit. Paulus amplificat jam illud argumentum, & persuadet.

Si enim, quæ destruxi, ea iterum ædifico, prævaricatorem meipsum constituo.

Quid destruxerit Paulus.

QUASI d. Non sic prædicavi, ut quod semel destruxi, denuo ædificem. Nam si hoc facerem, non solùm frustra laborarem, sed meipsum prævaricatorem constituerem, & more Pseudoapostolorum omnia perverterem, hoc est, ex Gratia & Christo iterum Legem & Mosen, & vicissim ex Lege & Mose Gratiam & Christum facerem. Destruxi autem per ministerium Evangelii, peccatum, tristiciam, iram & mortem. Sic enim docui, Conscientia tua, ô homo, est obnoxia Legi, peccato & morti, à quibus nulla ope humana aut angelica liberari pores, Iam verò Evangelium venit, & annuntiat tibi remissionem peccatorum per Christum, qui legem abrogavit, peccatum & mortem destruxit, In hunc crede, tum liber eris à maledicto Legis, à tyrannide peccati & mortis, eris justus & habebis vitam æternam.

Sic per prædicationem Evangelii destruxi Legem, ne amplius dominetur in conscientia. Nam cum novus hospes Christus in novam domum venit, ut solus in ea habitet, oportet veterem colonum Mosen cedere, & aliò migrare. Vbi autem Christus novus hospes est, ibi Lex, peccatum, ira, mors, non habent locum, sed adest mera gratia, justicia, lætitia, vita, mera filialis fiducia erga placatum, faventem & propitium Patrem propter Christum. Num ergo expulso Christo & destructo ipsius regno, quod per Evangelium plantavi, iterum ædificarem Legem, & erigerem regnum Mosi? Quod fieret, si, ut Pseudoapostoli solent, docerem circumcisionem & observationem Legis necessariam ad salutem. Atque hoc modo restituerem in locum justiciæ & vitæ, peccatum & mortem, Lex enim tantùm ostendit peccatum, efficit iram & occidit.

Moses cedit Christo, Lex Evangelio.

Papista destructores regni Christi.

Lex

Quid quæso Papistæ aliud sunt, cum optimi sunt, quàm vastatores Regni Christi, & extructores regni diaboli, peccati, iræ Dei & mortis æternæ? Destruunt autem Ecclesiam, quæ est ædificatio Dei, non lege Mosi, ut Pseudoapostoli, sed humanis traditionibus & doctrinis dæmoniorum. Sic fanatici spiritus, qui hodie sunt, & nos sequentur, destruunt & destruent ea, quæ nos ædificavimus, & denuò ædificant & ædificabunt quæ nos destruximus. Nos verò, gratia Dei, articulum justificationis tenentes, certò scimus, nos sola Fide in Christum justificari. Ideo non confundimus Legem & Gratiam, fidem & opera, sed ea longissime separamus. Eamq; distinctionem legis & gratiæ unusquisq; studiosus pietatis diligenter observet, sinatq; eam valere, non in literis & syllabis, sed in usu rerum. ut cum audit, Bona opera esse facienda, Christi exemplum esse imitandum, possit rectè judicare, & dicere, Bene, Libenter ista faciam. Quid amplius? Tunc salvus eris. Non, Concedo omnia bona esse facienda, mala ferenda, sanguinem esse fundendum, si res ita postulet, propter Christum, Sed per hæc non justificor nec salutem consequor.

Distinctio legis & Evangelij diligenter observanda.

Bona opera ab Articulo justificationis excludenda. Quomodo monachi fontes ultimo supplicio afficiendos consolati sint.

NON sunt ergo trahenda bona opera in articulum justificationis, ut monachi fecerunt. Qui non solùm opera bona dixerunt esse meritoria vitæ æternæ, Sed etiam pœnas & supplicia, quæ flagitiosis propter malefacta sua infliguntur. Sic enim consolati sunt eos, cum jam ultimo supplicio afficiendi essent, Patere volens istam ignominiosam mortem, Hoc si feceris, mereberis remissionem peccatorum & vitam æternam. Valde horribilis res est, miserum furem, homicidam aut latronem in summa illa anxietate sua sic seduci, ut in ipso articulo Mortis, cum jam suspendendus aut plectendus est capite, omisso Evangelio de Christo, qui tum solus potest consolari & salvare, jubeatur sperare veniam & remissionem peccatorum, si volens patiatur ignominiosam mortem, quæ ipsi propter scelera sua indigitur. Hoc vere est afflictissimo addere extremam perditionem, & falsa opinione & fiducia mortis propriæ monstrare ei ad iter infernum.

Hac

Hac re ſatis oſtendunt hypocritæ Monachi, ſe ne literam quidem docuiſſe aut intellexiſſe de Gratia, Evangelio aut Chriſto, tantùm in ſpeciem retinuerunt nomen Evangelii & Chriſti, ut eo facilius imponerent cordibus ſimplicium, Re vera tamen in totum abnegato & conculcato Chriſto, plus tribuerunt humanis traditionibus, quàm Evangelio Chriſti. Id quod teſtantur tot cultus, tot genera ordinum, tot ceremoniæ, tot opera, quæ omnia inſtituta ſunt hac opinione, quod valerent ad promerendam gratiam, &c. In confeſſione nullam fecerunt fidei aut meriti Chriſti mentionem, ſed tantùm inculcaverunt ſatisfactiones humanas & merita, Vt cernere eſt in hac forma abſolutionis, ut cæteras taceam, qua quidem Monachi inter ſe uſi ſunt, & hi, qui volebant haberi religioſiores cæteris. Quam libet adſcribere, ut & poſteritas intelligat infinitam & ineffabilem fuiſſe abominationem Papiſtici regni.

Monachi hypocritæ.

Confeſſio, quam Papa exigit.

Forma abſolutionis monaſticæ. Parcat tibi Deus, frater.

MERITUM paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Beatæ Mariæ ſemper virginis, & omnium Sanctorum, Meritum ordinis, gravamen religionis, humilitas confeſſionis, contritio cordis, Bona opera, quæ feciſti & facies pro amore Domini noſtri Ieſu Chriſti, cedant tibi in remiſsionem peccatorum tuorum, in augmentum meriti & gratiæ, & in præmium vitæ æternæ, Amen.

Hic audis quidem meritum Chriſti, ſed ſi diligentius verba expenderis, intelliges Chriſtum plane ocioſum eſſe, & ei detrahi gloriam & nomen Iuſtificatoris & Salvatoris, & tribui monaſticis operibus. Num hoc non eſt nomen Dei in vanum ſumere? Num hoc non eſt Chriſtum verbis fateri, vim autem ejus abnegare & blaſphemare? Ego in eodem luto hæſitavi, Putabam Chriſtum eſſe judicem (etſi ore fatebar eum paſſum & mortuum pro redemptione generis humani) placandum obſervatione Regulæ meæ. Ideo cum orabam aut celebrabam miſſam, ſolitus eram ſemper adjicere in fine, Domine Ieſu ad te venio, & oro, ut gravamina ordinis mei ſint compenſatio pro peccatis meis. Nunc verò gratias ago Patri miſericordiarum, qui me è tenebris vocavit ad lucem Evangelii, & donavit me uberrima cognitione Chriſti Ieſu Domini mei, propter quem, unà cum Paulo, omnia duco eſſe damna, putoq́; eſſe σκύβαλα, ut Chriſtum lucrifaciam, utq́; inveniar in illo, non habens meam juſticiam ex regula Auguſtini, ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti, &c. Cui ſit laus & gloria, unà cum Patre & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorum, Amen.

Concludimus ergo cum Paulo, Sola Fide in Chriſtum nos juſtificari, ſine Lege & operibus. Poſtquam verò homo fide juſtificatus eſt, & jam Chriſtum fide poſsidet, & novit eum eſſe juſticiam & vitam ſuam, certe non erit ocioſus, ſed, ut bona arbor, proferet bonos fructus. Quia credens habet Spiritum ſanctum, ubi is eſt, non ſinit hominem eſſe ocioſum, ſed impellit ad omnia exercitia pietatis, ad dilectionem Dei, ad patientiam in afflictionibus, ad invocationem, gratiarum actionem, ad exhibendam charitatem erga omnes. Quare & nos dicimus, fidem ſine operibus nihili eſſe & inanem. Hoc Papiſtæ & fanatici ſic intelligunt, Fidem abſq; operibus non juſtificare, Aut, fidem quantumvis veram, ſi opera non habeat, nihil valere, Hoc falſum eſt. Sed Fides ſine operibus, id eſt, fanatica cogitatio, mera vanitas & ſomnium cordis, falſa eſt, & non juſtificat.

Fides ſine operibus.

Hactenus primum Argumentum tractavimus, quo Paulus contendit, Aut non poſſe nos lege juſtificari, aut neceſſario Chriſtum eſſe miniſtrum peccati. Hoc autem impoſſibile eſt, Ergo nullo modo concedendum eſt, nos Lege juſtificari. Tractavimus autem copioſe hunc locum, ut dignus eſt, quamvis nec ſic poſſit ſatis inculcari & teneri.

Aut non juſtificamur Lege, Aut Chriſtus peccati miniſter.

Ego autem per legem legi mortuus ſum, ut Deo vivam.

Hæ ſunt mirabiles voces, & phraſes inauditæ, quas ratio humana prorſus non intelligit. Et breviter iſta dicuntur, ſed valde emphatice. Videtur autem Paulus

Phraſis Pauli incognita rationi.

[illegible] & ardore Spi[illegible] zelo, per indignationis, q. d.

Quid jactatis Legem, quam nescio vo[illegible] Quid toties ea obtunditis me? Si autem omnino habenda est Lex, habeo [illegible]egem. Appellat ergo quasi per indignationem Spiritus sancti ipsam Gratia[illegible]m, insigniens rem gratiæ novo vocabulo, in contemptum legis, Mosi & [illegible]tolorum, Qui contendebant eam necessariam esse ad justificationem, ar[illegible]. Legi legem opponit. Estq; hæc suavissima phrasis & consolationis plenissima, et[illegible] in scripturis, præcipue in Paulo, opponitur Lex legi, Peccatum peccato, Mors morti, Captivitas captivitati, Diabolus diabolo, Infernus inferno, Altare altari, Agnus agno, Pascha paschati, &c.

Paulus vocat gratiam, legem.

Tropus Theologicus.

Lex contra legem.

Rom. 8. De peccato damnavit peccatum, &c. Psal. 68. & Ephes. 4. Captivam duxit captivitatem. Hoseæ 13. Mors ero mors tua, Inferne ero pestis tua. Sic hic dicit se per legem mortuum legi, q. d. Lex Mosi accusat & damnat me, contra illam legem accusatricem & damnatricem habeo aliam legem, quæ est Gratia & libertas, Ea accusat accusatricem & damnat damnatricem illam legem. Sic mors occidit mortem, hæc autem mors occidens mortem, est ipsa vita, Sed vocatur Mors mortis per exuberantem Spiritus indignationem contra mortem. Sic justicia induit nomen peccati, quia damnat peccatum, hocq; damnans peccatum est vera justicia.

Rom. 8. Psal. 68. Ephes. 4. Hoseæ 13.

Mors contra mortem.

Heresis Pauli.

Et Paulus est hîc Hæreticus omnium hæreticissimus, Estq; hæresis ejus inaudita, quia dicit, Mortuum legi vivere Deo. Pseudoapostoli docebant, Nisi vixeris legi, mortuus es Deo, hoc est, Nisi vixeris secundùm legem, coram Deo es mortuus. Paulus plane contrarium dicit, Nisi fueris mortuus legi, non poteris vivere Deo. Eadem hodie est doctrina adversariorum, quæ tum fuit Pseudoapostolorum, Si vis, inquiunt, Deo vivere, vive legi, vel secundùm legem. Nos contrà, Si vis vivere Deo, oportet te prorsus mortuum esse legi. Hanc doctrinam ratio & sapientia humana non capit, ideò perpetuò contrarium docet, scilicet, Si vis vivere Deo, oportet te legem servare, Quia scriptum est, Hoc fac, & vives, &c. Estq; hoc Principium & una Maxima omnium Theologorum, Vivens secundùm legem, vivit Deo. Paulus plane diversum dicit, scilicet, Nos non posse vivere Deo, nisi Legi simus mortui. Itaque oportet nos assurgere in istam cœlestem altitudinem, ut certo statuamus, nos longe supra Legem, imo prorsus legi mortuos esse. Si autem legi mortui sumus, tum lex nihil juris habet in nos, ut neque in Christum aliquid juris habet, qui nos ab ea redemit, ut per ipsum Deo vivamus. Hæc omnia eò spectant, Per legem nos non justificari, sed sola fide in Christum.

Principium omnium Theologorum.

Nec Paulus hic loquitur de lege ceremoniali, Quia sacrificavit in templo, circumcidit Timotheum, rasit caput in Cenchræis, Ista non feciſſet, si fuisset mortuus Legi ceremoniali, sed loquitur de tota lege. Itaque simpliciter tota Lex, sive sit ceremonialis, sive decalogi, abrogata est Christiano, quia ei mortuus est. Non quod lex pereat, imo manet, vivit & regnat in impiis, Sed pius est Legi mortuus, sicut & peccato, diabolo, morti, inferno, mortuus est, quæ tamen manent, & Mundus ac impii ea habebunt. Ideo cum Sophista intelligit legem abrogari, eamq; ceremonialem, tu intellige Paulum, & quemlibet Christianum universæ Legi abrogari & mori, & tamen legem manere.

Totam legem abrogatam esse.

Exempli gratia, Christus resurgens à morte, est liber à sepulchro, & tamen sepulchrum manet. Petrus est liber à carcere, Paralyticus à lectulo, Iuvenis à feretro, Puella à grabato, & tamen manet carcer, lectulus, feretrum, grabatum. Sic etiam abrogatur Lex, cum abrogor ei, moritur lex, cum morior ei, & tamen manet. Sed quia ego per aliam legem illi morior, moritur & ipsa mihi. Vt sepulchrum Christi, carcer Petri, grabatum puellæ, &c. manent, Et tamen Christus per resurrectionem moritur sepulchro, Petrus per liberationem abrogatur carceri, Puella per vitam liberatur à grabato. Quare ista verba, Mortuus sum legi, valde sunt emphatica. Non enim dicit, liber sum ad tempus à Lege, vel Dominus sum legis, sed simpliciter mortuus sum legi, hoc est, nihil plane commercii est mihi cum lege.

Christus liber à sepulchro &c.

Mortuus sum legi.

Nihil[illegible]q;

Nihilq; fortius dici potuiſſet à Paulo contra juſtificationem Legis, quàm hoc, cum dicit, Mortuus ſum legi, id eſt, legem plane non curo, ergo per eam non juſtificor.

Mori legi.

Eſt autem mori Legi, lege non teneri, ſed liberum eſſe ab ea, & neſcire eam. Ergo qui vult vivere coram Deo, ſtudeat inveniri extra legem, exeatq; cum Chriſto è ſepulchro. Stupebant milites cum Chriſtus reſurrexiſſet è Sepulchro, ſtupebant & hi, qui viderant puellam reſuſcitari. Sic ratio & humana ſapientia ſtupeſcit & ſtultificatur, quando audit, nos non juſtificari, niſi Legi ſimus mortui, quia non poteſt hoc intelligere. Nos verò ſcimus, quod fide apprehendentes ipſum Chriſtum, ſecundùm conſcientiam, intremus novam quandam Legem, quæ devorat veterem illam, quæ nos captivos tenebat. Sicut illud ſepulchrum, in quo jacuit Chriſtus mortuus, reſuſcitato eo, aperitur & videtur vacuum, Chriſtusq; evaneſcit. Sic cum in Chriſtum credo, reſurgo cum illo, & morior meo ſepulchro, id eſt, legi, quæ me captivum tenebat, Eſtq; lex jam vacua, evaſi carcerem & ſepulchrum meum, id eſt, legem, Ideo jam amplius non habet jus accuſandi & retinendi me, quia reſurrexi.

Caro ſubjecta ſit legi, non item conſcientia.

Conſcientiæ diligenter ſunt erudiendæ, ut locum de diſcrimine juſticiæ Legis & Gratiæ bene diſcant. Iuſticia gratiæ, ſeu libertas conſcientiæ ſimpliciter non pertinet ad carnem. Caro enim non debet eſſe libera, ſed manere in ſepulchro, carcere, grabato, debet ſubjici Legi, & exerceri per Ægyptios. Conſcientia verò Chriſtiana debet eſſe Legi mortua, id eſt, libera à lege, & prorſus nihil habere commercii cum ea. Hoc prodeſt noſſe, quia valet ad conſolandas afflictas conſcientias. Ideo cum vides hominem pavefactum & contriſtatum conſcientia peccati, dic, Non recte diſtinguis, frater, Tu ponis legem in conſcientiam, quæ ponenda erat in carnem. Evigila, reſurge & cogita, credendum eſſe in Chriſtum, victorem Legis & peccati, ea Fide tranſcendes Legem, & ibis in gratiam, ubi nulla eſt lex & peccatum, Et ſi lex & peccata ſint, tamen nihil ad te, quia tu legi & peccatis mortuus es.

Hæc dictu ſunt facilia, ſed beatus, qui iſta probe noſſet in certamine conſcientiæ, hoc eſt, qui irruente peccato, & lege accuſante ac terrente poſſet dicere, Quid ad me, quod tu Lex me agis reum, quod convincis multa peccata me commiſiſſe? Imo quotidie adhuc multa committo, Hoc nihil ad me, Iam ſurdus ſum, non audio te, ideo ſurdo narras fabulam, quia ſum tibi mortuus. Si autem omnino mecum vis diſputare de Peccatis, vade ad carnem & membra, ſervos meos, illos erudi, exerce & crucifige. Mihi verò conſcientiæ, dominæ & Reginæ, ne ſis moleſta, quia nihil mihi tecum. Sum enim mortua tibi, & jam vivo Chriſto, ubi ſum in alia lege, ſcilicet Gratiæ, quæ dominatur peccato & legi. Per quid? per fidem in Chriſtum, ut Paulus infra exponit.

Vivere legi eſt mori Deo, & econtra.

Eſt autem mira & inaudita iſta definitio, Quod vivere Legi, ſit mori Deo, & mori Legi, ſit vivere Deo. Hæ duæ propoſitiones ſunt contrariiſſimæ rationi, ideo nullus Sophiſta aut Legiſta eas intelligit. Tu verò diſce eas recte intelligere. Qui vivit legi, hoc eſt, quærit per opera legis juſtificari, peccator eſt & manet, ergo mortuus & damnatus eſt. Lex enim non poteſt juſtificare & ſalvare, ſed accuſat, perterrefacit & occidit eum. Ergo vivere Legi, eſt mori Deo. Et econtra, morì Legi, eſt vivere Deo. Itaque ſi vis vivere Deo, oportet Legi moriaris, ſi autem vives Legi, mortuus eris Deo. Eſt autem vivere Deo, juſtificari per gratiam ſeu fidem propter Chriſtum ſine Lege & operibus.

Vivere Deo.

Quare Chriſtianus, ſi proprie & diſerte definiatur, eſt filius gratiæ & remiſſionis peccatorum, qui nullam prorſus legem habet, ſed eſt ſupra Legem, peccatum, mortem, infernum, Et ut Chriſtus liber eſt à ſepulchro, Petrus à carcere, Sic Chriſtianus eſt liber à Lege. Et qualis reſpectus eſt Chriſti reſuſcitati à ſepulchro, & Petri liberati è carcere, ad ſepulchrum & carcerem, talis reſpectus eſt conſcientiæ juſtificatæ ad legem. Vtq; Chriſtus ſua morte & reſurrectione moritur ſepulchro, ut amplius non habeat jus in eum, nec poſſit tenere eum, ſed lapide & ſigillis &c.

Chriſtianus.

fractis, cuſtodibus perterrefactis, reſurgit & liber diſcedit, Et Petrus ſua liberatione moritur carceri, & abit quò vult, Ita conſcientia per Gratiam liberatur à lege. Sic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu, Caro autem neſcit unde hoc veniat, aut quò vadat, quia non poteſt judicare niſi ſecundùm Legem. Contrà, Spiritus dicit, Accuſet me ſane Lex, terreat me peccatum & mors, non tamen ideo deſpero, Quia Legem contra legem, peccatum contra peccatum, mortem contra mortem habeo.

Peccatum contra peccatum.

Itaque cum remorſum conſcientiæ propter Peccatum ſentio, Serpentem illum æneum, Chriſtum, in cruce aſpicio, Ibi peccatum aliud invenio contra meum peccatum, quod me accuſat & devorat. Peccatum verò aliud, ſcilicet in carne Chriſti, quod tollit peccatum totius Mundi, omnipotens eſt, damnat ac devorat peccatum meum. Ita peccatum meum, ne me accuſet & damnet, damnatum eſt per peccatum, id eſt, per Chriſtum crucifixum, qui factus eſt pro nobis peccatum, ut juſticia Dei per illum fieremus. Sic mortem in carne mea invenio, quæ me affligit & occidit, ſed habeo contrariam mortem, quæ eſt Mors mortis meæ, ea crucifigit & devorat ipſam. Hæc omnia non fiunt per Legem aut opera, ſed per Chriſtum crucifixum, In cujus humeris jacent univerſi generis humani mala, Lex, Peccatum, mors, diabolus, infernus, quæ omnia moriuntur in eo, Sua enim morte occidit ea. Verùm oportet nos hoc Chriſti beneficium firma Fide accipere, Nam ut neque lex, neque ullum opus, ſed ſolus Chriſtus nobis offertur: Ita nihil à nobis requiritur, niſi Fides, quæ apprehendat, & credat, meum peccatum & mortem damnari, & aboleri in peccato & morte Chriſti.

Mors contra mortem.

Sic ſemper certiſſima habemus argumenta, ex quibus neceſſariò concludendum eſt, Solam fidem juſtificare. Quomodo enim Lex & opera cooperarentur ad juſtificationem, cum Paulus contra Legem & opera agat, & clare dicat, Nos debere mortuos eſſe Legi, ſi Deo vivere velimus? Si autem mortui ſumus legi, & ipſa nobis mortua eſt, tunc certe nihil habet commercii nobiſcum. Quomodo ergo cooperaretur ad juſtificationem? Quare neceſſe eſt dicere, Nos ſola Gratia ſeu fide in Chriſtum, ſine lege & operibus juſtos pronuntiari.

Lex non juſtificat, ſed ſola fides.

Sophiſtæ.

Hoc Sophiſtæ cæci non intelligunt, ideo ſomniant, Fidem non juſtificare, niſi faciat opera charitatis. Hoc modo Fides, quæ credit in Chriſtum, fit ociosa & irrita, quia ei detrahitur vis juſtificandi, niſi formata ſit charitate. Tu verò ſepone jam Legem & charitatem in alium locum & tempus, & intende animum ad ſtatum præſentis cauſæ. Is autem ſtatus eſt, Quòd Ieſus Chriſtus Dei Filius moritur in cruce, & portat meum peccatum, legem, mortem, diabolum, infernum, in corpore ſuo, Hi hoſtes & tyranni invicti me premunt & mihi jam negotium faciunt, Ideo ſolicitus ſum, quomodo ab eis liberer, juſtificer & ſalver. Hîc non invenio Legem, opus aut charitatem aliquam, quæ me poſſit ab his liberare, Sed ſolus Chriſtus tollit Legem, occidit Peccatum meum, deſtruit mortem meam, in corpore ſuo, atque hoc modo evacuat Infernum, diabolum judicat, crucifigit & detrudit ad infernum. Summa, omnia, quæ me antea cruciaverunt & oppreſſerunt, illa Chriſtus è medio ſuſtulit, expoliavit, oſtentavit palam & de illis per Seipſum triumphavit, ut jam amplius non poſſint dominari, ſed cogantur ſervire mihi.

Status præſentis cauſæ.

Coloſſ. 2.

Ex his ſatis intelligi poteſt, hîc nihil oportere agi, quàm audire iſta ſic geſtà eſſe, & indubitata Fide apprehendere, eaq; eſt verè formata fides. Poſtea, Chriſto ſic fide apprehenſo, me mortuo Legi, juſtificato à peccato, & liberato à Morte, Diabolo & inferno per Chriſtum, facio bona opera, diligo Deum, ago gratias, exerceo charitatem erga proximum. Sed illa charitas, vel ſequentia opera, nec informant meam Fidem nec ornant, ſed fides mea informat & ornat charitatem. Hæc noſtra eſt Theologia, & paradoxa rationi mirabilia & abſurda, Quod non ſolùm cæcus, ſurdus ſum legi, & liber ab ea, ſed plane ei mortuus.

Fides formata.

Bona opera.

Eſt autem iſta Pauli ſententia, Per legem legi mortuus ſum, pleniſſima conſolatione, Quæ ſi opportuno tempore alicui poſſet incidere, & cum vero intellectu firmiter

Per legem legi mortuus ſum.

firmiter hærere in animo, Is consisteret fortiter adversus omnia pericula Mortis, terrores conscientiæ & peccati, quantumvis irruerent, accusarent, & ad desperationem eum adigere vellent. Certè unusquisque tentatur, si non in vita, tamen in morte. Ibi cum Lex accusat & ostendit peccatum, conscientia statim dictat, Peccasti. Si tunc tenes, quæ Paulus hîc docet, respondes, Verum est, peccavi. Ergo Deus puniet & damnabit te. Non. Imo Lex Dei hoc dicit. Nihil mihi cum hac lege. Quare? quia habeo aliam Legem, quæ cogit hanc obmutescere, libertatem scilicet. Quam libertatem? Christi. Per Christum enim liberatus sum à Lege. Ideo lex, quæ impiis est & manet lex, est mihi libertas, & ligat meam damnatricem legem. Et sic lex quæ me ligabat & captivum tenebat, jam ligatur & captiva tenetur per Gratiam seu libertatem, quæ nunc est mea Lex. A qua accusatrix illa lex audit, Tu non ligabis, neq; captivum tenebis, aut reum facies mihi hunc, Sed ego tenebo te captivam, & ligabo tibi manus, ne noceas ei, quia Christo jam vivit, & tibi mortuus est.

Consolatio contra terrores legis.

Lex ligans per Christum ligata est.

Hoc Legi dentes est excutere, hebetare aculeum & omnia arma ejus, eamq; prorsus enervare. Et tamen impiis & incredulis manet Lex, Et nobis infirmis, quatenus non credimus, manet, Ibi habet adhuc suam aciem & dentes, sed si credidero in Christum, quantumvis peccatum me solicitet ad desperationem, tamen fretus hac libertate, quam in Christo habeo, dico, Fateor me peccasse, Sed peccatum meum, quod est peccatum damnatum, est in Christo, qui est peccatum damnans. Est autem peccatum illud damnans, fortius damnato, Est enim justificans gratia, justicia, vita & salus. Sic cum sentio pavores Mortis, dico, Nihil rei est mihi tecum Mors, quia habeo aliam mortem, mortificantem te meam mortem. Est autem mors mortificans fortior mortificata.

Peccatum damnatum & damnans.

Mors mortificata & mortificans.

Sic fidelis per solam Fidem potest erigere sese, & concipere certam & firmam consolationem, ut non palleſcat à facie Peccati, mortis, diaboli & omnium malorum. Et ut maximè Diabolus omni impetu suo in eum irruat, & obruere velit terroribus totius Mundi, tamen in mediis illis terroribus concipit spem, & dicit, Domine Satan, nihil me movent minæ & terrores tui. Quia unus est qui vocatur Iesus Christus, in quem ego credo, Is legem abrogavit, Peccatum damnavit, mortem abolevit, infernum destruxit, Estq; Satan, tuus Satan. Nam te captivavit & vinxit, ut mihi & omnibus credentib. in ipsum non possis amplius nocere. Hanc fidem diabo-
1. Iohan. 5. lus non potest vincere, sed ipse per eam vincitur. Quia hæc est, ait Iohannes, victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus est Filius Dei,

Satan contra Satanam.

Per nimium igitur zelum & indignationem spiritus, Paulus ipsam Gratiam appellat Legem, cum tamen re vera aliud nihil sit, nisi summa & infinita libertas Gratiæ, quam habemus in Christo Iesu. Deinde etiam tribuit hanc ignominiosam appellationem Legi nobis in consolationem, ut sciamus eam nunc novo nomine baptisatam, quod jam non viva, sed mortua & damnata sit. Et, quod spectaculum valde jucundum est, proponit & producit Legem velut furem, aut latronem aliquem jam damnatum & adjudicatum morti. Pingit enim per Prosopopœiam, Legem captivam teneri, cui jam manus & pedes vincti sint, omnisq; potestas adempta, ita ut amplius non possit exercere tyrannidem suam, hoc est, non possit accusare & condemnare. Et hac jucundissima pictura reddit eam contemptibilem in conscientia, ut credens in Christum jam ausit Legi, sancta quadam superbia, insultare ad hunc modum, Ego sum Peccator, si quid potes contra me, Lex, facito. Tantum abest ut credenti sit lex nunc formidabilis.

Cur Paulus vocet gratiam legem.

Lex vincta & damnata, igitur non potest accusare &c.

Christus cum resurrexit à Morte, quid formidaret sepulchrum? Petrus liberatus ex carcere, quid jam metueret eum? Puellæ moribundæ potuit lectulus esse formidabilis, jam autem resuscitata, cur timeret illum? Sic Christianus, qui vere Christum per fidem possidet, cur formidaret Legem? Sentit quidem terrores legis, illis autem non vincitur, sed fretus libertate, quam habet in Christo, ait, Audio te le-

Libertatem vocat legem &c.

Lex contra legem.

Mors mortis.

te legem quidem murmurantem, te velle accuſare & condemnare me, Sed hoc nihil me movet, Tu mihi es, ut vacuum ſepulchrum Chriſto erat. Video enim te captivam & ligatam manus & pedes, quos ligavit tibi mea Lex. Quæ eſt illa ? Libertas, Quæ vocatur Lex, non quod liget me, ſed quod liget meam legem. Lex decalogi ligabat me, Contra illam nunc habeo aliam legem ſcilicet Gratiæ, quæ non eſt mihi lex, neque ligat, ſed liberat me, Eſt autem lex contra damnatricem Legem, hanc ligat, ut amplius non poſſit me ligare. Sic contra mortem meam ligantem me, habeo aliam mortem, Vitam ſcilicet, quæ vivificat in Chriſto, Et illa me ſolvit & liberat à vinculis mortis meæ, & iiſdem ligat ipſam. Sic mors, quæ me ligabat, jam ligata eſt, quæ me occidebat, jam occiſa eſt, per ipſam mortem, id eſt, ipſiſſimam vitam.

Appellationes Chriſti ſuaviſſimæ.

Sic Chriſtus ſuaviſſimis appellationibus vocatur, mea Lex, peccatum meum, mors mea, contra legem, peccatum, mortem, cum re vera nihil ſit, quàm mera Libertas, juſticia, vita & ſalus æterna. Ideo autem factus eſt Lex legis, peccatum peccati, mors mortis, ut me à maledicto legis &c. redimeret, juſtificaret & vivificaret. Sic utroque modo Chriſtus, dum eſt Lex, eſt Libertas, dum eſt peccatum, eſt juſticia, dum eſt mors, eſt vita. Hoc ipſo enim quod paſſus eſt ſe Legem accuſare, peccatum damnare, mortem devorare, legem abrogavit, peccatum damnavit, mortem deſtruxit, me juſtificavit & ſalvavit. Sic Chriſtus ſimul eſt venenum contra legem, Peccatum & mortem, & remedium pro libertate, juſticia & vita æterna.

Chriſtus venenum contra mortem &c.

Hæc proprie Paulina ſpeculatio & phraſis eſt valde jucunda & conſolatoria. Sic Rom. 7. opponit Legem mentis, legi membrorum. Hoc quia nove & mirabiliter dictum eſt, facilius incurrit in animum, & firmius hæret in memoria. Deinde etiam ſuavius ſonat, cum dicit, Ego per legem legi mortuus ſum, quàm, Ego per libertatem legi mortuus ſum. Facit enim quandam picturam, quaſi Lex contra legem pugnet, q. d. Lex ſi potes me accuſare, perterrefacere & ligare, conſtituam ſuper te aliam legem, hoc eſt, alium tyrannum & tortorem, qui te viciſſim accuſet, liget & opprimat. Tu quidem meus es carnifex, ſed habeo alium carnificem, Chriſtum, qui te excarnificet. Te autem excarnificato, per illum liber ſum. Item, ſi Diabolus me flagellat, habeo fortiorem Diabolum, qui illum viciſſim flagellet, & vincit. Sic Gratia eſt Lex, non mihi, nam me non ligat, ſed legi meæ, hanc ligat, ne amplius me ligare poſſit. Itaque Paulus libenter nos prorſus abſtraheret ab inſpectione legis, peccati, mortis, & omnium malarum rerum, & transferret in Chriſtum, ut ibi ſpectaremus jucundiſſimum duellum, quod ſcilicet lex contra legem pugnet, ut ſit mihi libertas, Peccatum contra peccatum, ut ſit mihi juſticia, Mors contra mortem, ut habeam vitam, Quod Chriſtus ſit Diabolus meus contra Diabolum, ut ſim filius Dei, Quod deſtruat infernum, ut habeam Regnum cœlorum.

Lex mortis opponitur legi membrorum. Rom. 7.

Carnifex contra carnificem.

Duellum jucundiſſimum.

Vt viverem Deo.

Caro ſubjecta ſit legi, non item conſcientiæ.

Hoc eſt, ut coram Deo ſim vivus. Vides ergo non eſſe vitam, niſi fueris ſine Lege, imo niſi prorſus legi mortuus fueris, ſcilicet in conſcientia. Interim tamen donec corpus vivit, ut ſæpe jam admonui, debet Caro exerceri legibus, & vexari exactionibus ac pœnis legum. Internus autem homo nihil debens legi, imo liber ab ea, eſt viva, juſta & ſancta perſona, non per ſe, aut in ſua ſubſtantia, ſed in Chriſto, quia in illum credit, ut ſequitur.

Ego ſum Chriſto concrucifixus.

Hoc addit, quia vult declarare Legem devoratricem legis. Non ſolùm, inquit, per Legem legi mortuus ſum, ut Deo viverem, ſed etiam Chriſto concrucifixus ſum, Chriſtus autem eſt Dominus legis, quia ipſe crucifixus & mortuus eſt legi, Igitur & ego ſum Dominus legis. Nam & ego Legi crucifixus & mortuus ſum, Concrucifixus enim & commortuus ſum Chriſto. Per quid ? Per ipſam Gratiam & fidem. Hac Fide dum crucifigor & morior legi, amittit ipſa omne jus in me,

me, ſicut & in Chriſtum amiſit. Quare ſicut Chriſtus ipſe Legi, peccato, morti, diabolo, crucifixus eſt, ut nullum jus in eum amplius habeant, Ita & ego per fidem, concrucifixus Chriſto in ſpiritu, crucifigor & morior legi, peccato, &c. ut & ipſa nullum jus amplius in me habeant, ſed mihi crucifixa & mortua ſint. Loquitur autem Paulus hic non de concrucifixione imitationis ſeu exempli, Quia imitari exemplum Chriſti, eſt etiam cum eo crucifigi, quæ concrucifixio pertinet ad carnem, De qua 1. Pet. 2. Chriſtus paſſus eſt pro vobis relinquens vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, Sed loquitur hîc de illa ſublimi concrucifixione, qua peccatum, diabolus, mors crucifigitur in Chriſto, non in me. Hic Chriſtus ſolus omnia facit, ſed credens concrucifigor Chriſto per Fidem, ut & mihi illa ſint mortua & crucifixa. *Crucifigi Chriſto.* 1. Pet. 2.

Vivo autem.

DISERTE & proprie loquitur, Non, inquit, de morte & crucifixione mea ſic loquor, quaſi jam non vivam, imo vivo, quia iſta morte & crucifixione, qua morior, vivificor. Hoc eſt, dum Gratia & fide liberor à Lege, peccato & morte, vere vivo. Itaq; illa crucifixio & mors, qua crucifigor & morior Legi, peccato, morti & omnibus malis, eſt mihi reſurrectio & vita. Chriſtus enim crucifigit Diabolum, occidit mortem, peccatum damnat, & ligat Legem, Hoc credens, liberor à lege, &c. Ergo Lex eſt mihi ſurda, ligata, mortua, & crucifixa, Et ego viciſſim ſum illi ſurdus, ligatus, mortuus & crucifixus. Illa ipſa ergo morte & crucifixione, hoc eſt, illa ipſa Gratia ſeu libertate vivo. Obſervanda eſt autem, ut & ſupra monui, Paulina phraſis, qua dicit, nos mori & crucifigi Legi, cum ipſa Lex potius moriatur & crucifigatur nobis. Sed data opera utitur hac phraſi, quod nos crucifixi & mortui ſimus Legi, ut ſermo jucundior ſit. Nam Lex, quæ alias manet, vivit & regnat in toto mundo, quæ accuſat & condemnat omnes homines, crucifigitur & moritur ſolum credentibus in Chriſtum, Ideo ſoli hanc gloriam habent, quod Legi, peccato, &c. crucifixi & mortui ſint. *Quomodo vivit vivatur.* *Plus mortuus & crucifixus eſſe legi.* *Gloria Chriſtianorum.*

Non jam ego.

HOC eſt, non in perſona vel ſubſtantia mea. Ibi oſtendit clarè, quomodo vivat, Et docet, quæ ſit juſticia Chriſtiana, ea ſcilicet, qua Chriſtus in nobis vivit, non quæ eſt in perſona noſtra. Itaq; cum diſputandum eſt de juſticia Chriſtiana, prorſus abjicienda eſt perſona. Nam ſi in perſona hæreo, vel de ea dico, fit ex perſona, velim, nolim, operarius legi ſubjectus. Sed hîc oportet Chriſtum & conſcientiam meam fieri unum corpus, ita ut in conſpectu meo nihil maneat, niſi Chriſtus crucifixus & reſuſcitatus. Si vero in me tantum intueor, excluſo Chriſto, actum eſt de me. Nam tum ſtatim mihi incidit iſta cogitatio, Chriſtus eſt in cœlis, tu in terris, qua ratione nunc venies ad eum? Ego ſancte vivam, & hoc quod Lex requirit, faciam, atq; ita in vitam ingrediar. Ibi in me converſus, & conſiderans, qualis ego ſim vel eſſe debeam, item, quid mihi faciendum ſit, amitto ex oculis Chriſtum, qui ſolus eſt juſticia & vita mea. Hoc amiſſo, non eſt conſilium aut auxilium, ſed neceſſe eſt certam deſperationem & perditionem ſequi. *Juſticia Chriſtiana.*

Et hoc malum communiſſimum eſt, Ea enim eſt miſeria humana, quòd in tentatione aut morte, ſtatim relicto Chriſto, conſideremus vitam & facta noſtra. Hic niſi fide erigamur, nobis pereundum eſt. Itaq; debemus aſſuefacere nos, ut in talibus conſcientiæ certaminibus, relictis nobisipſis, lege & operibus, quæ tantum nos cogunt aſpicere nosipſos, ſimpliciter vertamus oculos in illum ſerpentem æneum, Chriſtum, cruci affixum, In quo hærentes fixo intuitu, certo ſtatuamus eum eſſe juſticiam & vitam noſtram, nihil morantes minas & terrores Legis, peccati, mortis, iræ ac judicij Dei. Nam Chriſtus, in quo intenti & fixi hæremus, in quo ſumus, quiq; vivit in nobis, eſt victor & Dominus legis, peccati, mortis & omnium malorum, in quo nobis propoſita eſt certa conſolatio, & donata victoria. *Serpens æneus.*

Vivo autem, jam non ego, ſed vivit in me Chriſtus.

Iam non ego.

QVOD dicit, Vivo autem, ſonat perſonaliter, quaſi Paulus loquatur de ſua perſona. Ideo mox corrigit, dicens, Iam non ego, hoc eſt, Non ego jam in mea Perſona vivo, ſed Chriſtus in me vivit. Perſona quidem vivit, ſed non in ſe aut pro ſua perſona. Sed quis eſt ille, Ego, de quo dicit, Iam non ego? Is ego eſt, qui legem habet, & operari debet, quiq; eſt Perſona quædam ſegregata à Chriſto. Illum Ego Paulus rejicit, Quia Ego, ut diſtincta perſona à Chriſto, pertinet ad mortem & infernum. Ideo inquit, Iam non ego, ſed Chriſtus in me vivit, Is eſt mea forma, ornans fidem meam, ut color vel lux parietem ornat (Sic craſſe res illa exponenda eſt, Non enim poſſumus ſpiritualiter comprehendere tam proxime & intime Chriſtum hærere & manere in nobis, quam lux vel albedo in pariete hæret) Chriſtus ergo, inquit, ſic inhærens & conglutinatus mihi & manens in me, hanc vitam, quam ago, vivit in me, imo vita, qua ſic vivo, eſt Chriſtus ipſe. Itaq; Chriſtus & ego jam unum in hac parte ſumus.

Opera Chriſti viventis in ſe.

Vivens autem in me Chriſtus abolet Legem, peccatum damnat, mortem mortificat, quia ad præſentiam ipſius illa non poſſunt non evaneſcere. Eſt enim Chriſtus æterna pax, conſolatio, juſticia & vita, His autem cedere oportet terrorem Legis, mœrorem animi, peccatum, infernum, mortem. Sic Chriſtus in me manens & vivens tollit & abſorbet omnia mala, quæ me cruciant & affligunt. Quare hæc inhærentia facit, ut liberer à terroribus Legis & peccati, eximar è cute mea, & transferar in Chriſtum & regnum illius, quod eſt regnum Gratiæ, juſticiæ, pacis, gaudij, vitæ, ſalutis & gloriæ æternæ, In illo autem agens, nihil mali poteſt nocere mihi.

Chriſtus communicat credentibus ſua bona, &c.

Interim foris quidem manet vetus homo, ſubjectus legi, Sed quantum attinet ad juſtificationem, oportet Chriſtum & me eſſe conjunctiſſimos, ut ipſe in me vivat, & ego in illo (Mirabilis eſt hæc loquendi ratio) Quia vero in me vivit, ideo quicquid in me eſt Gratiæ, juſticiæ, vitæ, pacis, ſalutis, eſt ipſius Chriſti, & tamen illud ipſum meum eſt, per conglutinationem & inhæſionem, quæ eſt per fidem, per quam efficimur Chriſtus & ego, quaſi unum corpus in ſpiritu. Quia ergo vivit in me Chriſtus, neceſſe eſt ſimul cum eo adeſſe Gratiam, juſticiam, vitam ac ſalutem æternam, & abeſſe Legem, peccatum, mortem, Imo legem à lege, peccatum à peccato, mortem à morte, diabolum à diabolo crucifigi, devorari & aboleri. Sic Paulus conatur nos prorſus abſtrahere ab inſpectione noſtri, Legis & operum, & in ipſum Chriſtum & fidem Chriſti transplantare, ut nihil plane ſpectemus in ratione juſtificandi, quàm Gratiam, & eam longiſſime ſeparemus à Lege & operibus, quæ procul hîc abeſſe debent.

Pauli phraſis

Paulus ſuam peculiarem phraſin habet, non humanam, ſed divinam & cœleſtem, qua evangeliſtæ & cæteri Apoſtoli (præter unicum Iohannem, qui interdum etiam ſic loqui ſolet) non ſunt uſi. Et niſi Paulus hac forma loquendi prior uſus fuiſſet, ac eam nobis conceptis verbis præſcripſiſſet, nemo etiam ex Sanctis

Vivo, non vivo, &c.

auſus fuiſſet ea uti, eſt enim plane inſolens & inaudita, Vt, Vivo, non vivo, Mortuus ſum, non mortuus ſum, Peccator ſum, non ſum peccator, Legem habeo, non habeo legem. Quæ phraſis ſuaviſſima eſt credentibus in Chriſtum. Quatenus enim ſeipſos intuentur, habent legem & peccatum, quatenus Chriſtum, legi mortui ſunt, peccatũ non habent, &c. Quare ſi in cauſa juſtificationis diſcernis perſonam Chriſti & tuam, es in lege, manes in ea, & in te, non in Chriſto vivis. Quod

Chriſtianus juſtus & peccator

eſt damnari à Lege & mortuum eſſe coram Deo, Quia fidem habes, ut Sophiſtæ nugantur, informatam charitate, Sic exempli cauſa loquor. Nullus enim dari poteſt, qui hac fide ſalvatus ſit. Ideo quæ Sophiſtæ de Fide informata charitate docuerunt, mera ludibria Satanæ ſunt. Sed concedamus, reperiri hominem, qui talem fidem habeat, tamen eam habens non eſt ideo juſtus, quia tantum habet hiſtoricam fidem de Chriſto, quam etiam Diabolus & omnes impij habent.

Quare

Quare fides pure eſt docenda, quod ſcilicet per eam ſic conglutineris Chriſto, ut ex te & ipſo fiat quaſi una perſona, & non poſſit ſegregari, ſed perpetuo adhæreſcat ei, Vt cum fiducia dicere poſſis, Eg. Chriſtus, hoc eſt, Chriſti juſticia, victoria, vita &c. eſt mea. Et viciſſim Chriſtus dicat, Ego ſum ille peccator, hoc eſt, ejus peccata, mors &c. ſunt mea, quia adhæret mihi, & ego illi, Conjuncti enim ſumus per fidem in unam carnem & os, Eph. 5. Membra ſumus corporis Chriſti, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Ita ut hæc fides Chriſtum & me arctius copulet, quam maritus eſt uxori copulatus. Ergo fides illa non eſt ocioſa qualitas, ſed tanta eſt ejus magnitudo, ut obſcuret & prorſus tollat iſta ſtultiſſima ſomnia doctrinæ Sophiſticæ de fictione fidei formatæ & charitatis, de meritis, de dignitate aut qualitate noſtra, &c. Hæc libenter velim copioſius tradere, ſi poſſem.

Fides conjungit nos Chriſto, ut unum cum ipſo ſimus.

Fides non ocioſa, &c.

Indicavimus hactenus hoc fuiſſe primum argumentum Pauli, Quòd aut Chriſtus neceſſario ſit miniſter peccati, Aut lex non juſtificet. Illo argumento abſoluto propoſuit Paulus ſeipſum exemplum, & fecit proſopopœiam quandã, & dixit ſe mortuum illi veteri legi, per quandam novam. Nunc annectit duas Anthypophoras, hoc eſt, occupationes. Prima eſt contra calumniam ſuperborum & ſcandalum infirmorum. Nam quando remiſſio peccatorum gratis prædicatur, mox calumniantur malitioſi hanc prædicationem, Vt Rom 3. Faciamus mala, ut veniant bona. Ejuſmodi enim homines, ubi audiunt nos Lege non juſtificari, ſtatim per calumniam inferunt, Ergo omittamus legem. Item, Si ibi ſuperabundat gratia, ubi abundavit delictum, Ergo abundemus peccatis, ut juſtificemur & gratia ſuperabundet. Hi ſunt maligni & ſuperbi, qui libenter depravant ſcripturas & dicta Spiritus ſancti, ut viventibus adhuc Apoſtolis etiam Paulum depravarunt, in ſuam ipſorum perniciem, ut 2. Pet. 3. dicitur. Deinde etiam infirmi, qui non ſunt malitioſi, ut calumniatores, ſed boni, offenduntur, cum audiunt legem & bona opera non eſſe facienda ad juſtificationem. Illis eſt ſuccurrendum & exponendum, Quomodo opera non juſtificent, Quomodo ſint facienda, quomodo non facienda. Sunt autem facienda, non ut cauſa, ſed ut fructus juſticiæ, Iam juſti facti debemus ea facere non econtra, ut injuſti per ea reddamur juſti. Arbor facit poma, non poma arborem.

Rom. 3.

2. Pet. 3.

Calumniatores.

Infirmi.

Supra dixerat, Ego mortuus ſum, &c. Hoc malevolus facile ſic calumniaretur. Quid ais Paule? mortuus es? Vnde ergo loqueris & ſcribis? Infirmus etiam facile offenderetur, Quis tu? An non video te vivere? res gerentem? Reſpondet, Vivo quidem, Verum jam non ego, ſed Chriſtus vivit in me. Eſt igitur duplex vita, Mea naturalis vel animalis, & aliena, ſcilicet Chriſti in me. Secundum animalem meam vitam mortuus ſum, jamq; vivo alienam vitam. Non vivo jam Paulus, ſed Paulus mortuus eſt. Quis tum vivit? Chriſtianus. Paulus ergo ut in ſe vivens, plane per legem mortuus eſt. Sed ut in Chriſto, vel potius, ut Chriſtus in eo vivens, vivit aliena vita, quia Chriſtus in eo loquitur, operatur, & exercet omnes actiones, Hoc jam non eſt Paulinæ ſed Chriſtianæ vitæ. Ne igitur malitioſe calumnieris, quod dixi, me mortuum eſſe, Nec tu infirme offendaris, ſed recte diſtingue, quia duplex vita eſt, mea & aliena, Mea vita non vivo, alioqui Lex dominaretur mihi, meq; captivum teneret, Ne ergo me teneat, per aliam Legem illi mortuus ſum, Et hæc mors parit mihi alienam vitam, ſcilicet Chriſti, quæ mihi non innata eſt, ſed donata per Chriſtum in fide.

Duplex vita.

Altera Anthypophora, Nam iterum potuiſſet Paulo objici, Quid ais? Non vivis tu propria vita, vel in carne, ſed in Chriſto? Imo carnem tuam video, non Chriſtum. Num igitur vis nos præſtigiis fallere, ne videamus te in carne præſentem, & illa priore vita viventem, quinq; ſenſus habentem, & omnia gerentem, quæ alius homo in vitâ corporali gerit? Reſpondet,

Quod autem nunc vivo in carne, in fide filij Dei vivo.

HOC eſt, In carne quidem vivo, ſed ego hanc vitam, quantulacunque eſt,

Vita noſtra Chriſtus.

est,quæ in me agitur, non habeo pro vita. Non enim est vere vita,sed tantum larva vitæ,sub qua vivit alius, nempe Christus, qui est vere vita mea, quam non vides,sed tantum audis, Ventum audis sonare,sed nescis unde veniat,aut quo vadat,Iohan.3. Sic vides me quidem loquentem, edentem, operantem, dormientem,&c. & tamen vitam meam non vides. Quia hoc vitæ tempus, quod ego vivo, in carne quidem vivo,sed non vivo ex carne vel secundum carnem,sed in fide, ex fide & secundum fidem. Non ergo negat se vivere in carne,quia facit omnia opera animalis hominis. Deinde utitur etiam rebus carnalibus,victu,vestitu,&c. quod certe est in carne vivere. Sed,ait, hanc non esse suam vitam, nec secundum hæc se vivere, Se quidem uti rebus carnalibus, sed non illis vivere, ut Mundus ex carne & secundum carnem vivit, quia extra hanc carnalem vitam nec novit nec sperat aliam vitam.

Plus in carne vivit, sed non ex carne, &c.

Vivere in fide filij Dei.

Ergo quantulacunq; est,inquit,ista vita, quam in carne vivo, in fido filij Dei vivo, Nam hoc verbum, quod corporaliter loquor, est verbum non carnis, sed Spiritus sancti & Christi. Iste visus,qui ingreditur vel egreditur ex oculis,non venit ex carne, hoc est, caro mea non regit eum,sed Spiritus sanctus. Ita auditus non ex carne, licet in carne sit, sed in & ex Spiritu sancto est. Christianus non loquitur nisi casta,sobria,sancta ac divina,quæ pertinent ad Christum, ad gloriam Dei, & ad salutem proximi. Ista non veniunt ex carne, neq; fiunt secundum carnem, & tamen sunt in carne. Non enim possum docere, orare,gratias agere,scribere, nisi istis instrumentis carnis,quæ requiruntur ad talia opera perficienda, Et tamen ea non veniunt ex carne, neq; in ea nascuntur, sed donantur & revelantur è cœlo divinitus. Sic aspicio oculis mulierculam,sed casto visu,non cupiens eam. Illa visio non venit ex carne, quanquam sit in carne, quia oculi sunt instrumentum carnale illius visionis, sed castitas illa visionis è cœlo venit.

Differentia inter pium & impium.

Vivere in fide filij Dei.

Sic Christianus utitur mundo & omnibus creaturis, ut nulla differentia sit inter ipsum & impium. Idem victus,vestitus,eadem auditio,visio, loquela, iidem omnes alij gestus,habitus & schemata (ut Paulus etiam de Christo, inventus habitu, inquit, ut homo) Nihilominus tamen est maxima differentia. Quia vivo quidem in carne, & tamen non jam ego vivo ex me, sed quod vivo in carne, hoc in fide Filij Dei vivo. Hoc quod jam audis me loqui, ex alio fonte proficiscitur, quam quod antea audisti me loqui. Ante conversionem Paulus loquebatur eadem quidem voce & lingua, Sed vox & lingua erat tunc blasphema, Ideo nihil poterat nisi blasphemias & abominationes contra Christum & Ecclesiam ejus loqui. Postea eo converso eadem erat caro,eadem lingua & vox,quæ antea erat, & plane nihil mutabatur,Sed vox & lingua jam tum non blasphemias,sed spiritualia verba sonabat, scilicet, gratiarum actionem & laudem Dei, quæ ex Fide & Spiritu sancto veniebant. Sic ergo vivo in carne,sed non ex & secundum carnem, sed in fide filij Dei.

Ex his intelligi potest, unde veniat illi aliena & spiritualis vita, quam animalis homo non percipit. Nescit enim qualis hæc sit vita, Ventum quidem audit sonantem, Sed unde veniat, aut quo vadat, nescit. Audit vocem spiritualis hominis,agnoscit faciem,mores & gestus ejus, Sed unde illa verba, non sacrilega & blasphema, ut antea,sed sancta & divina, Vnde illi motus & actiones veniant, non videt. Quia illa vita est in corde per fidem, ubi extincta carne, regnat Christus cum suo Spiritu sancto, qui jam videt, audit, loquitur, operatur, patitur, & simpliciter omnia agit in ipso, etiamsi caro reluctetur. Breviter, ista vita non est carnis,licet sit in carne,sed Christi filij Dei,quem fide possidet Christianus.

Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Vera ratio justificationis.

Hic descriptam habes veram rationem justificationis, & exemplum certitudinis fidei. Qui hæc verba, Vivo in fide filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, certa & constanti fide cum Paulo dicere posset, is vere beatus

tis erit. Et his ipsis verbis Paulus in totum abrogat & tollit justiciam legis & operum, ut postea dicemus. Sunt autem diligenter expendenda hæc verba, filius Dei dilexit me,& tradidit semetipsum pro me. Ergo ego non dilexi filium Dei, nec tradidi me pro ipso, Vt Sophistæ fingunt, Se diligere filium Dei, & sese tradere pro ipso. Docent enim hominem ex puris naturalibus posse facere meritum congrui, posse diligere Deum & Christum supra omnia. Hi præveniunt dilectionem Dei & Christi, quia faciunt quod in se est, fiunt Monachi,& non solum præcepta Dei, sed & consilia & opera supererogationis servant, & laicis superflua merita vendunt, atq; ita,ut somniant,tradunt sese pro Christo,Et per hoc se & alios salvant. Illi simpliciter Pauli verba, Qui dilexit me,&c. invertunt, & sic legunt,Nos dileximus Christum,& tradidimus nosipsos pro eo. Hoc modo impij homines, frustra inflati sensu carnis suæ, dum somniant & nugantur se facere, quod in se est, se Diligere Deum, sese tradere pro Christo, abolent Evangelium, tollunt,negant,blasphemant,conspuunt & conculcant Christum, Verbis quidem fatentur eum esse justificatorem & Salvatorem, re vera tamen vim justificandi & salvandi illi detrahunt,ac eam tribuunt suis electiciis cultibus.Hoc vivere est non in fide filij Dei, sed in propriis justiciis & operibus.

Facere quod in se est.

Justiciarij invertunt hæc Pauli verba.

FACERE QVOD IN SE EST.

QVare ista non est vera ratio justificandi, ut tu incipias facere quod in te est (hac enim phrasi utuntur Sophistæ & doctores Scholastici) Si homo,inquiunt,facit quod in se est,tunc Deus infallibiliter dat ei gratiam. Eaq; propositio est apud ipsos articulus fidei. Et ut clare ostenderent se ne apiculum quidem de doctrina Pauli & Evangelij intelligere,sic loquuntur,Hoc dictum,Facere quod in se est,non acerbe urgendum esse,Sed satis esse ut accipiatur de medio physico, non mathematico indivisibili,quod impossibile sit dari. Hoc est,satis esse,ut homo ea faciat,quæ arbitrio boni viri possint probari, tunc certò secuturam gratiam, non quidem merito congrui per se, sed infallibilitate Dei, qui tam bonus est & justus, ut non possit non dare gratiam pro bono,&c. Atq; hinc natus est ille versiculus, Vbi facit quod in se est viri,non vult Deus ulla requiri.Est quidem bona sententia,sed in loco dicta,scilicet de politicis,œconomicis & naturalibus. Vt si ego existens in regno rationis,rego familiam,ædifico domum,gero magistratum,& facio quantum possum, vel quod in me est,ibi sum excusatus. Hoc regnum habet suos terminos, ad quod etiam proprie pertinent ista dicta,Facere quod in se est, vel facere quantum possum. Contra Sophistæ ea trahunt in Regnum Spirituale, in quo homo nihil aliud potest,quam peccare,Est enim venundatus sub peccatum. In externis illis autem, hoc est, in politicis & œconomicis rebus,homo non est servus, sed dominus illarum corporalium rerum. Ideo impie fecerunt Sophistæ, quòd dicta ista politica & œconomica traxerunt in Ecclesiam. Regnum enim rationis humanæ longissime separandum est à spirituali Regno.

Medium physicum, mathematicum.

Vbi facit quod in se est viri, &c.

Politia longissime differens ab Ecclesia.

NATVRALIA INTEGRA.

DEinde etiam tradiderunt, Naturam quidem vitiatam esse, sed naturalia adhuc esse integra,Eaq; tribuerunt etiam Dæmonibus. Hoc stante, sic ratiocinati sunt, Si naturalia sunt integra, Ergo & intellectus purus & voluntas bona & integra est, & sic per consequens omnia perfecta sunt. Ista expedit vobis scire, ut puritas doctrinæ fidei conservetur. Cum igitur dicunt Sophistæ,naturalia esse integra, Concedo hoc. Si autem inferunt, Ergo homo potest implere legem, Deum diligere,&c. Hic nego consequentiam, & distinguo naturalia contra spiritualia,Et dico spiritualia non esse integra,sed corrupta,imo per peccatum prorsus extincta esse in homine & diabolo, ita ut nihil ibi sit, quam intellectus depravatus,& voluntas inimica & adversaria Dei,quæ nihil cogitat,quam ea, quæ contra Deum sunt, Quare naturalia quidem integra sunt, sed quæ naturalia? Quod homo in impietate mersus,& servus diaboli,habet voluntatẽ,rationem, liberum

Naturalia quatenus integra.

arbitrium

arbitrium & poteſtatem ædificandi domum, gerendi magiſtratum, gubernandi navem, & faciendi alia officia, quæ homini ſunt ſubjecta, Gen. 1. Ea non ſunt adempta homini, Non eſt ſublata generatio, politia, œconomia, ſed confirmata eſt his dictis. Sophiſtæ autem traxerunt ea ad ſpiritualia, Et forte acceperunt à Patribus, & cum male intelligerent, detorſerunt ad ſpiritualia, atq; ita commiſcuerunt politica cum Eccleſiaſticis. Noſtrum eſt igitur iſta repurgare, & hæc ſcandala ex Eccleſia tollere. Concedimus ergo iſta dicta vera eſſe, ſed in loco, ſcilicet, in regno corporali. Si vero traxeris in regnum ſpirituale coram Deo, negamus ea per totum. Hic enim prorſus ſumus in peccatis ſubmerſi, Quicquid eſt in voluntate noſtra, eſt malum, quicquid eſt in intellectu noſtro, eſt error. Ideo homo in rebus divinis nihil habet, quam tenebras, errores, malitias & perverſitates voluntatis & intellectus, Quomodo igitur bene operaretur, diligeret Deum?

Sophiſtæ ſententias de politia detorſerunt ad Eccleſiam.

Gen 1

Quare Paulus non nos, ſed Chriſtum incepiſſe hic dicit, Ipſe, ipſe, inquit, dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, q. d. Non invenit in me bonam voluntatem, & intellectum rectum, ſed Chriſtus miſertus eſt mei, vidit me impium, errantem, averſum à Deo, & ſemper longius recedentem ab eo, & pugnantem contra Deum, captum, rectum & vectum à Diabolo. Sic ex miſericordia prævenient meam Rationem, voluntatem, intellectum, dilexit me, & ſic dilexit, ut Semetipſum traderet pro me, ut ſic à lege, peccato, diabolo, morte liberarer. Porro iſta vocabula, Filius Dei, Dilexit me, & Tradidit Semetipſum pro me, ſunt mera tonitrua & ignes cœleſtes, contra juſticiam legis & doctrinã operum. Tam grande malum, tantus error, tenebræ, ignorantia fuit in mea voluntate & intellectu, ut tam inæſtimabili precio oportuerit me liberari. Quid ergo gloriamur, de dictamine rationis, de noſtris naturalibus integris, de ratione deprecante ad optima, de faciendo, quod in ſe eſt? Quid offero Deo irato, qui, ut Moſes ait, ignis conſumens eſt, iſtas meas ſtipulas, imo horrenda peccata, & volo cum eo contendere, ut pro his mihi donet gratiam & vitam æternam, Cum hic audiam tantum eſſe malorum in natura mea, ut non ſuffecerit Mundus & totà creatura ad placandum Deum, Sed quòd oportuerit ipſum Filium Dei pro his tradi?

Christus prior dilexit, non nos.

Gloriatio de naturalibus integris, &c. vana.

Conſidera autem diligentius hoc precium, & inſpice iſtum captivum & traditum pro me, Filium Dei ſcilicet, & videbis eum infinities majorem & præſtantiorem tota creatura. Quid facies, Cum audis Paulum dicere, tam inæſtimabile precium pro peccatis tuis eſſe traditum? Num afferes cucullum, raſuram, caſtitatem, obedientiam, paupertatem tuam? Quid iſta omnia? Imo quid lex Moſi & opera Legis? Quid omnia omnium opera & paſſiones Martyrum? Quid omnis obedientia ſanctorum angelorum, ad Filium Dei traditum, & indigniſſime traditum, nempe in mortem Crucis, ut ipſius ſanguis precioſiſſimus totus effuſus ſit, & quidem pro peccatis tuis? Si inſpiceres hoc precium, deberes maledicere, conſpurcare, conſpuere, execrari, & ad infernum relegare omnes cucullos, raſuras, omnia vota, opera, merita congrui & condigni. Ideo intolerabilis & horribilis blaſphemia eſt, fingere aliquod opus, per quod præſumas Deum placare, Cum videas eum non placari poſſe, niſi hoc immenſo & infinito precio, ſcilicet morte & ſanguine Filij ſui, cujus una gutta precioſior eſt tota creatura.

Quid lex Moſi &c. ad filium Dei traditum pro nobis?

Dignitas precij pro noſtris peccatis traditi.

PRO ME.

QVis eſt ille ME? Ego ſcilicet peccator perditus & damnatus, ſic dilectus à filio Dei, ut ſeipſum traderet pro me. Si ergo operibus vel meritis de congruo & condigno potuiſſem diligere filium Dei, & venire ad eum, quid opus fuiſſet eum tradi pro me? Ex hoc apparet, quam frigide tractaverint Papiſtæ, imo prorſus neglexerint ſacras literas & doctrinam fidei. Nam ſi tantum verba iſta inſpexiſſent, quod filium Dei oportuerit tradi pro me, Impoſſibile fuiſſet, ullum ordinem aut ſectam oriri. Quia fides ſtatim reſpondiſſet, Cur hoc genus vitæ, hunc ordinem, hoc opus, eligis? Num ut per iſta placetur Deus, & tu juſtificeris?

Ignavia Papiſtarum.

Non

Non audis,ſcelus,filium Dei traditum & fudiſſe pro te ſuum ſanguinem? Sic facilime fides in Chriſtum potuiſſet reſiſtere omn Sectis.

Ideo ſæpe dico,nullam eſſe vim aut rem in reſiſtendi Sectis,quam iſtum unicum articulum juſticiæ Chriſtianæ,Hac amiſſo,impoſſibile eſt, nos poſſe reſiſtere ullis erroribus aut Sectis. Id hodie videmus in Fanaticis ſpiritibus, Anabaptiſtis & Sacramentariis,qui ab hoc articulo relapſi,non ceſſabunt labi, errare & ſeducere usq; in infinitum, Et procul dubio ſuſcitabunt innumerabiles ſectas, & nova opera excogitabunt. Sed quid iſta omnia, ſi in ſpeciem etiam optima & ſanctiſſima videantur, ad mortem & ſanguinem filij Dei, qui tradidit ſeipſum pro me? Conſidera quæſo quis, qualis & quantus ſit iſte filius Dei? Quid cœlum & terra ad illum? Demergantur potius ad infernum cum ſuis juſticiis, operibus & meritis omnes Papiſtæ & ſectarum autores, etiamſi totus mundus illis adhæreat, quam ut veritas Evangelij obſcuretur, & gloria Chriſti pereat. Quid eſt ergo, quod jactantur opera & merita? Si ego perditus & damnatus peccator potuiſſem alio quodam precio redimi, Quid opus fuiſſet pro me tradi filium Dei? Sed quia nullum erat in cœlis nec terris præter Chriſtum filium Dei, ideo ſumma fuit neceſſitas eum pro me tradi, Deinde hoc fecit ſumma charitate, quia Paulus inquit, qui dilexit me.

Sectis quomodo poſſimus reſiſtere.

Majeſtas Chriſti filij Dei.

Quare hæ voces,Qui dilexit me,&c. pleniſſimæ fidei ſunt.Et qui hoc breve pronomen (Me) illa fide dicere & applicare ſibi poſſet,qua Paulus, is etiam futurus eſſet optimus diſputator,una cum Paulo,contra legem. Non enim tradidit ovem,bovem,aurum,argentum pro me,ſed quicquid erat totus Deus,hoc eſt, ſeipſum tradidit pro me. Pro me,inquam, qui eram miſerrimus & perditiſſimus peccator. Per illam igitur traditionem filij Dei in mortem reſpiro, & eam applico mihi,Iſtaq; applicatio eſt vera vis fidei. Sic non dicit operarius, Chriſtus dilexit me,&c. Iſta verba, quæ ſunt puriſſima prædicatio Gratiæ & juſticiæ Chriſtianæ, opponit Paulus juſticiæ Legis, q. d. Sit lex ſane doctrina divina, habeat ſuam gloriam, Sed ea non dilexit me,nec tradidit ſeipſam pro me, Imo accuſat,perterrefacit & in deſperationem adigit me. Nunc autem alium habeo, qui liberavit me à terroribus Legis, à peccato & morte, ac tranſtulit me in libertatem, juſticiam Dei,& vitam æternam,qui vocatur filius Dei,diligens me, & tradens ſeipſum pro me, Cui ſit gloria in ſecula ſeculorum,Amen.

Tradidit ſeipſum pro me.

Lex non diligit peccatores,ſed accuſat,&c.

Fides ergo,ut dixi,apprehendit & involvit Chriſtum filium Dei,pro nobis traditum, ut Paulus hic docet, Quo apprehenſo per fidem, habemus juſticiam & vitam. Chriſtus enim eſt filius Dei, qui ex mera charitate tradidit ſeipſum pro nobis redimendis. Et his verbis Paulus pulcherrime deſcribit ſacerdotium & officia Chriſti, quæ ſunt placare Deum, intercedere & orare pro peccatoribus, offerre ſeipſum hoſtiam pro peccatis eorum,redimere,docere & conſolari eos,&c. Quare Chriſtum recte definias, non ut Sophiſtæ & juſticiarij, qui faciunt eum novum Legislatorem, qui abrogata veteri tulerit novam. Illis Chriſtus eſt exactor & tyrannus.Sed definias eum quemadmodum hic Paulus,quod ſit filius Dei, qui non ex merito ſeu aliqua juſticia noſtra, ſed ex mera miſericordia & dilectione,tradiderit & obtulerit ſemetipſum Deo ſacrificium, pro nobis miſeris peccatoribus,ut nos ſanctificaret in æternum.

Officia Chriſti.

Itaq; Chriſtus non eſt Moſes,non exactor aut legislator, ſed largitor gratiæ,Salvator & miſerator,& in ſumma, nihil niſi mera & infinita miſericordia donata & donans. Sic recte pinxeris Chriſtum,Si aliter ſines tibi depingi eum,mox everteris in hora tentationis. Vt autem iſta eſt ſumma ars Chriſtianorum,ſic poſſe Chriſtum definire,Ita eſt etiam omnium difficilima. Nam mihi,qui tamen diligenter verſatus & exercitatus ſum in hoc ſtudio,valde difficile eſt in tanta etiam luce Evangelij,hoc modo quo Paulus hic ſolet,Chriſtum definire. Adeo iſta doctrina & peſtilens opinio de Chriſto legislatore intravit, ut oleum, in oſſa mea. Vos Iuniores multo felíciores hac in parte eſtis,nobis ſenibus. Non enim imbuti

Definitio Chriſti vera.

Summa ars Chriſtianorum.

Odit & Christum legislatorem.

ctis pestilentibus illis opinionibus, quibus à puero sic imbutus eram, ut contra ritus pulserim audito tantum nomine Christi. Quia pertinax eram, cum esse judicem. Ideo duplex mihi lux, &, ut hoc malum corrigam. Primum, ut detestam illam veterem inolitam opinionem de Christo legislatore & judice, utq; damnem & repellam eam, quia semper redit & me retrahit. Deinde ut novam opinionem, hoc est, veram fiduciam erga Christum concipiam, quod sit justificator & Salvator. Vos multo minore negotio poteritis Christum, si modo vultis, pure agnoscere. Quare si aliqua tristicia vel tribulatio affligit cor, ea non est imputanda Christo, etiamsi sub nomine Christi veniat, sed Diabolo, is venire solet sub nomine Christi, Transformat enim se in Angelum lucis.

Discamus igitur diligenter discernere, non verbo tantum, sed opere & vita, Christum à legislatore, Ut veniente Diabolo sub larva Christi, & fatigante nos sub nomine ejus, sciamus, cum non esse Christum, sed vere Diabolum, Christus enim est lætitia & suavitas cordis pavidi & contribulati, autore Paulo, qui eum hic suavissimo titulo ornat, scilicet diligentem Me, & tradentem seipsum pro me. Est ergo Christus amator eorum, qui sunt in angustia, peccato & morte, Et talis amator, qui trádat seipsum pro nobis, fiat Pontifex noster, hoc est, qui interponat se Mediatorem inter Deum & nos miseros peccatores. Quid quæso jucundius aut lætius dici posset? Si ista vera sunt, ut vera esse oportet, vel totum Evangelium inanis fabula est, tum certe non legis justicia, multo minus propria justicia justificamur.

Ille. & me.

Lege igitur cum magna emphasi has voces, Me, pro Me, & assuefacias te, ut illud, Me, possis certa fide concipere & applicare tibi, Neq; dubites, quin etiam sis ex numero eorum, qui dicuntur (Me) Item, quod Christus non tantum dilexerit Petrum & Paulum, & seipsum pro eis tradiderit, Sed quòd illa gratia in isto Me comprehensa æque ad nos pertineat & veniat, ac ad illos. Sicut enim negare non possumus, Nos omnes esse peccatores, & cogimur dicere, Adam peccato suo perdidisse nos, fecisse nos hostes Dei, obnoxios iræ & judicio Dei, & reos æternæ mortis (Hoc enim sentiunt & fatentur territa corda, & plus æquo) Ita negare non possumus, quin Christus pro peccatis nostris mortuus sit, ut justificaremur. Non enim mortuus est, ut justos faceret justos, sed ut peccatores faceret justos, amicos & filios Dei, & hæredes omnium bonorum cœlestium. Cum igitur me peccatorem sentio & fateor, propter transgressionem Adæ, Cur non dicerem me justum propter justiciam Christi, præsertim cum audiam eum dilexisse me, & tradidisse seipsum pro me? Paulus hoc firmissime credidit, Ideo etiam cum tanta plerophoria loquitur, Quam & nobis saltem aliqua ex parte concedat ille idem, qui dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis, Amen.

Sicut per Adã omnes rei constituimur, ita per Christum omnes justificamur.

Non abjicio gratiam Dei.

Abjicere gratiam Dei, est peccatum facere.

PARATI nunc viam ad secundum Argumentum hujus Epistolæ. Considerabis autem hic diligenter, Quòd velle justificari ex operibus Legis, sit abjicere gratiam Dei. Quid quæso magis impium, aut quod horribilius peccatum esse potest, quam abjicere gratiam Dei? & non velle justificari fide in Christum? Satis certe superq; satis est, nos esse impios & transgressores omnium mandatorum Dei. Nunc insuper etiam hoc peccatum peccatorum addimus, quod gratiam & remissionem peccatorum per Christum nobis oblatam tam secure repudiamus. Illa blasphemia, crede mihi, major & horribilior est, quam quod ullus eam possit eloqui. Paulus & alij Apostoli nullum peccatum tam vehementer exaggerarunt & invectati sunt, ut contemptum Gratiæ & negationem Christi, Et tamen facilime committitur. Hinc Paulus præcipue tam severe invehitur in Antichristum, quod gratiam tollit, & negat beneficium Christi, Pontificis nostri, qui seipsum dedit hostiam pro peccatis nostris. Hoc modo autem Christum negare, est cum prorsus conspuere & conculcare, ac sese in locum ejus constituere, & dicere,

Antichristus est, qui fide negat Christum.

Ego

Digitized by Google

Ego te juſtificabo & ſalvabo. Per quid? Per miſſas, peregrinationes, indulgentias, obſervationem Regulæ,&c. Itaq; Antichriſtus ſimpliciter ſeſe extulit contra & ſupra Deum, ſeq; conſtituit in locum Chriſti, Gratiam abjecit & Fidem negavit. Sic enim docuit, Fides nihil prodeſt, niſi habeat opera. Et hac falſa perſuaſione Chriſti beneficium prorſus obſcuravit & obruit, & in locum gratiæ, Chriſti & regni ipſius, doctrinam de operibus & regnum ceremoniarum inſtituit, & meris nugis illud confirmavit. Atque ita totum mundum à Chriſto, qui tamen ſolus debebat in conſcientia agere & regere, rapuit, & vi ad infernum detruſit.

Abjicere gratiam Dei.

Ex his ſatis intelligi poteſt, quid ſit abjicere gratiam Dei, nempe, Juſtificari velle ex Lege. Quis autem unquam hoc audivit, quod faciendo Legem, abjiciamus gratiam? Ergo peccamus faciendo legem? Non. Sed tunc gratiam abjicimus, cum legem hac opinione facimus, ut per eam juſtificemur. Lex bona, ſancta & utilis eſt, ſed non juſtificat. Qui igitur Legem fecerit hoc nomine, quod per eam juſtificari velit, abjicit gratiam, negat Chriſtum & ſacrificium ejus, non vult per hoc inæſtimabile precium ſalvari, Sed vult per juſticiam legis ſatisfacere pro peccatis, aut per ſuam juſticiam mereri gratiam. Is certe blaſphemat & abjicit gratiam Dei. Horrendum autem dictu eſt, quod homo tam perverſe malus eſſe poſſit, ut etiam miſericordiam & Gratiam Dei abjiciat, Et tamen totus mundus hoc facit, etiamſi non velit videri hoc facere, ſed dicat, ſe ſummo honore afficere Deum. Sequitur nunc ſecundum argumentum.

Tanta eſt perverſitas noſtra, ut etiam gratiam Dei abjiciamus.

Si enim per legem eſt juſticia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.

2. Argumentum. Paulus loquitur de tota lege.

HIC iterum admoneo, Paulum non loqui de lege ceremoniali, ut perpetuo Sophiſtæ nugantur. Et hujuſce erroris autores primi extiterunt Origines & Hieronymus, in hac parte nocentiſſimi doctores. Quos ſecuti poſtea ſunt omnes Scholaſtici, Et illorum errorem approbat & confirmat hodie Eraſmus. Abſtinendum eſt piis ſimpliciter à nugis illorum, qui Paulum ſic ſtultis ſuis gloſſis depravant. Loquuntur enim de re, quam nunquam noverunt aut experti ſunt. Quaſi vero ceremoniæ etiam non fuerint bonæ & ſanctæ, Certe ordinatio Sacerdotij, circumciſio, ſacrificia, cultus, religio, & ſimilia ſancta opera omnia fuerunt ceremoniæ, Ideo de tota Lege loquitur.

Depravatores Pauli.

Pauli verba diligenter expendenda.

Sunt autem hæc Pauli verba diligenter expendenda ad hunc modum, Eſt ne verum, nec ne, quòd Chriſtus mortuus eſt? Item, Eſt ne gratis mortuus? Ibi certe reſpondere cogimur, niſi manifeſte ſimus inſani, Quod mortuus ſit, Item, quòd non gratis, non pro ſe, ſed pro nobis mortuus ſit. Si igitur gratis non eſt mortuus, ergo ex Lege non eſt juſticia. Quare accipe nunc utranq; Legem, ceremonialem & moralem ſeu Decalogum, & finge, quòd per meritum congrui eo profeceris, quod datus ſit tibi ſpiritus, quòd habeas charitatem (Quamvis hoc monſtrum ſit, & nuſquam in rerum natura inveniatur) Sed finge, inquam, quòd faciendo quod in te eſt, acquiras gratiã, ſis juſtus, habeas ſpiritum, Vnde? ex merito congrui? Ergo non opus habes Chriſto, Sed tibi ocioſus & gratis mortuus eſt.

Si meritum congrui eſt aliquid, Chriſtus fruſtra mortuus eſt.

Deinde accipe etiam ipſum Decalogum, qui præcipit ſummum cultum, ſcilicet timorem, fidem & dilectionem Dei, item dilectionem proximi, & da aliquem, qui ſit ex lege Decalogi juſtificatus, Nihilominus manet verum, quod Chriſtus gratis mortuus ſit. Nam juſtificatus ex lege Decalogi, habet in ſe vim acquirendi juſticiam, Quia non ponendo obicem, & faciendo quod in ſe eſt, meretur infallibiliter Gratiam, & infunditur ei Spiritus ſanctus, ut Deum & proximum diligere poſſit. Hoc ſtante, neceſſario ſequitur, Chriſtum gratis eſſe mortuum. Quid enim homo opus habet Chriſto, qui amet eum, & tradat ſeipſum pro eo, cum ſine Chriſto, per meritum congrui, poſſit conſequi Gratiam, Et deinde bene operari, & vitam æternam de condigno mereri, aut certe faciendo Legem juſtificari? Tollatur igitur Chriſtus cum omnibus beneficiis ſuis, quia omnino

Aut lex non juſtificat, aut Chriſtus fruſtra mortuus eſt.

ocioſus eſt. At cur Chriſtus naſcitur, crucifigitur, moritur? Cur ſit Pontifex meus diligens & tradens inæſtimabilem hoſtiam, Seipſum, pro me? Cur iſta omnia facit? Simpliciter fruſtra, ſi ratio juſtificationis, quam Sophiſtæ tradunt, vera eſt. Quia in lege autrin me juſticiam invenio, extra gratiam & Chriſtum.

Non toleranda blaſphemia docentium per aliud, quam per Chriſtum contingere ſalutem.

Eſt ne illa blaſphemia toleranda & diſſimulanda? Quod divina Majeſtas proprio Filio non parcens, ſed tradens eum pro nobis omnibus, iſta ſerio non agat, ſed tantum ludat? Priuſquam hoc admitterem, velim potius, non ſolum omnium Papiſtarum & juſticiariorum, ſed omnium etiam Sanctorum & angelorum ſanctitatem, cum ipſo Diabolo, in profundum inferni detruſam & in æternum damnatam eſſe. Ego plane nihil videre volo, præ illo Chriſto, Is tantus mihi Theſaurus eſſe debet, ut reliqua omnia præ ipſo mihi ſordeant. Is deniq; tanta Lux mihi eſſe debet, ut eo apprehenſo Fide, neſciam, an ſit Lex, peccatum, ulla juſticia aut injuſticia in mundo. Quid enim omnia, quæ in cœlo & terra, ſunt ad filium Dei, Ieſum Chriſtum Dominum meum, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me?

Abjicere gratiam, peccatum vulgatiſſimum, &c.

Quare abjicere gratiam Dei, maximum peccatum & vulgatiſſimum eſt, quod omnes juſticiarij committunt. Quia dum quærunt, aut per meritum congrui, aut pre opera & afflictiones ſuas, aut per Legem, juſtificari, abjiciunt, ut diximus, gratiam Dei & Chriſtum. Et harum abominationum omnium autor fuit Papa. Is enim, obſcurato, imo prorſus obruto Chriſti Evangelio, replevit & oneravit mundum ſuis impiis traditionibus. Id quod inter cætera teſtantur etiam indulgentiæ & Bullæ ipſius, in quibus non credentes, ſed contritos, confeſſos & manus adjutrices porrigentes, &c. abſolvit. Quare ſatis teſtatus eſt, Chriſtum ſimpliciter gratis mortuum, & gratiam inanem & irritam eſſe. Ideo abominationes & blaſphemiæ regni Papiſtici ſunt inæſtimabiles. Et tamen Sophiſtæ cœci & indurati, etiamnum in tanta luce veritatis, perſeverant in impiis & vaniſſimis illis ſuis opinionibus, dicentes, Naturalia eſſe integra, & homines poſſe ſuis benefactis & meritis parare ſe ad Gratiam. Tantumq; abeſt, ut agnoſcant impietatem & errorem ſuum, ut eum etiam contra conſcientiam defendant.

Papa autor omnium abominationum in Eccleſia.

Indulgentiæ Papæ.

Aut Lex non juſtificat, aut Chriſtus fruſtra mortuus eſt.

Nos vero cum Paulo conſtanter affirmamus (nolumus enim abjicere gratiam Dei) Aut Chriſtum gratis mortuum eſſe, Aut legem non juſtificare. Sed Chriſtus non eſt gratis mortuus, Ergo lex non juſtificat. Chriſtus Dei filius ex mera gratia & miſericordia nos juſtificavit, Ergo lex non potuit hoc præſtare. Si enim potuiſſet, ſtulte egiſſet Chriſtus, quod Seipſum tradidiſſet pro peccatis noſtris, ut per hoc juſtificaremur. Concludimus igitur, Neq; merito congrui aut condigni, neq; cruce aut afflictionibus, neq; ipſa lege, ſed ſola Fide in Chriſtum, nos juſtificari.

Collatio Legis & Chriſti.

Si autem Chriſto ſalus mea tanti conſtat, ut mori cogatur pro peccatis meis, tum palàm eſt, mea opera & juſticiam etiam Legis præ hoc tali tantoq; precio viliſſima & plane nihili eſſe. Quia certe non emam vili nummulo, quod conſtitit multis millibus auri talentis. Eſt autem Lex, ut longe inferiora ſilentio præteream, cum omnibus ſuis operibus & juſticiis, terunciolus quidam ad Chriſtum, cujus morte & reſurrectione mea mors victa, & juſticia & vita æterna mihi parata eſt. Num igitur hoc incomparabili precio contempto & abjecto, quærerem per Legem aut per opera congrui & condigni (per iſtas ſordes & ſtercora, ut Paulus vocat, præſertim ſi ea cum Chriſto conferas) juſticiam, quam Paulus teſtatur hic Chriſtum mihi gratis & ex mera charitate donaſſe, & hoc tanti ei conſtitiſſe, ut coactus ſit ſeſe tradere pro me? Id quod, ut dixi, totus mundus facit, & præcipue qui optimi & ſanctiſſimi in mundo haberi volunt. Atq; per hoc ſatis teſtantur, ut maxime ore aliud fateantur, Chriſtum gratis eſſe mortuum, Quod eſt extreme blaſphemare Chriſtum, ei in faciem conſpuere, filium Dei conculcare, ſanguinem Teſtamenti prophanare, &c.

Mundi perverſitas.

Juſtitia civilis habet ſua præmia.

Et Paulus, cum hîc mentionem facit de juſticia (quod diligenter conſi-

derandum

derandum eſt) verſatur in loco ſpirituali, non politico aut œconomico, hoc eſt, non agit de juſticia civili, quam Deus approbat & requirit præſtari, huicq; proponit ſua præmia, quam & ratio aliquo modo præſtare poteſt, Sed de juſticia coram Deo hic agit, qua à Lege, peccato, morte & omnibus malis liberamur, & participes Gratiæ, juſticiæ & vitæ efficimur, ac deniq; domini cœli, terræ & omnium creaturarum conſtituimur. Illam juſticiam neq; lex humana, neq; divina præſtare poteſt. *Juſticia coram Deo.*

Eſt quidem addita lex ſupra rationem, ut illuminaret & adjuvaret hominem, eiq; oſtenderet, quid facere, quid omittere debeat, Nihilominus tamen homo cum univerſis ſuis viribus & ratione, accedente etiam hac maxima luce & beneficio divino, ſcilicet Lege, non poteſt juſtificari. Si autem optimum, quod mundus habet in terris (ſcilicet Lex, quæ ceu Sol quidam, lumini terreno ſeu faci humanæ, infirmæ tamen (rationi) additus eſt, ut eam illuminet & dirigat) non poteſt juſtificare, quid quæſo faceret ratio ſine Lege? Quid? Nihil aliud, quam quod Papa fecit cum Scholis & tota ſita Synagoga, Monachis, &c. qui traditionibus humanis etiam lucem primi præcepti obſcurarunt, Ideo omnes, quotquot ſunt, ne unam quidem literam legis recte intelligere poſſunt, ſed incedunt in meris tenebris rationis. Atq; is multo perniciosior eſt error, quam is, qui ex doctrina de operibus legis natus eſt. *Si lex non juſtificat, multo minus Ratio.*

Quare fortiſſima ſunt verba, cum dicit, Si per Legem eſt juſticia, &c. Tacet de humanis viribus, ratione, ſapientia quamlibet magna (quo enim ea eſt major, hoc facilius & citius imponit homini) Sed ſimpliciter dicit, Si per legem, &c. Igitur *ratio* humana adjuta Lege etiam divina non poteſt parare juſticiam, Sed à juſticia rapit, & Chriſtum abjicit. Nam ſi poſſet parare juſticiam, Chriſtus fruſtra mortuus eſſet. Oppone ergo mortem Chriſti ſimpliciter omnibus legibus, & nihil ſcias cum Paulo, quam Ieſum Chriſtum, & eum crucifixum, ut præ eo nihil luceat, Ibi tum eris doctus, juſtus, ſanctus, & accipies Spiritum ſanctum, qui conſervabit te in puritate verbi & fidei, Ablato vero Chriſto ex oculis, omnia fruſtranea ſunt. *Si per legem eſt juſticia, &c.*

Videmus hic iterum Encomium juſticiæ legalis ſeu propriæ, quòd ſcilicet ſit, autore Paulo, contemptus & abjectio Gratiæ divinæ, evacuatio & fruſtratio mortis Chriſti. Paulus non eſt magnus Rhetor, Vide tamen, quanta adminiſtret argumenta ad rhetoricandum. Vbi quæſo illa grandiloquentia eſt, quæ conſequi poſſit iſta verba, Abjicere Gratiam, & gratiam Dei, Item Chriſtum gratis mortuum eſſe? Tam magna hæc indignitas eſt, ut ad eam explicandam eloquentia totius mundi non ſatis ſit. Parum eſt dicere, Gratis aliquem mori, Sed Chriſtum gratis mori, eſt prorſus eum tollere. Qui vult rhetoricari, habet copioſiſſimam materiam exaggerandi & amplificandi, quam horribilis ſit blaſphemia, doctrina de juſticia legis & operum. Quid unquam enim poteſt audiri horribilius aut magis blaſphemum, quàm me efficere mortem Chriſti fruſtraneam, ſi Legem ſervare volo, ut per eam juſtificer? At mortem Chriſti fruſtraneam efficere, eſt fruſtranea efficere reſurrectionem, victoriam, gloriam, Regnum ejus, cœlum, terram, ipſum Deum, majeſtatem Dei, & in ſumma, omnia. Num hæc exigua res eſt? Si diceres, regnum Regis Galliarum, aut imperium Romanum fruſtra conſtitutum eſſe, exiſtimareris prorſus inſanire, Verum nulla omnino eſt comparatio ad hoc, cum dicis, Chriſtum fruſtra mortuum eſſe. *Chriſtum fruſtra mori.*

Iſta tonitrua & fulmina cœleſtia in Paulo contra juſticiam Legis & propriam, deberent nos merito abſterrere ab ea, Ibi ſemel fulmine proſtratum & damnatum eſt, quicquid eſt monaſteriorum, religionum & juſticiarum in cultibus, aut legalibus aut electiciis. Quis autem ſua vota, raſuram, cucullum, traditiones humanas, item legem Moſi non conſpuat, ſi audiat propter iſta ſe abjicere gratiam Dei, & inanem facere mortem Chriſti? Iſta cum audit mundus, non credit eſſe vera, quia non putat tantam malitiam poſſe cadere in cor humanum, quod gra-

itized by Google

Gratiam Dei abiicunt.

tiam Dei abjicere,& mortem Chriſti pro re nihili ducere debeat, Et tamen hoc peccatum horribile communiſſimum eſt. Nam quicunq; extra fidem in Chriſtum, ſive per opera,ſatisfactiones aut afflictiones, ſive per legem Dei,quærit juſticiam, is gratiam Dei abjicit,& mortẽ Chriſti contemnit,ut maxime ore diverſum dicat.

CAP. III.

O Inſenſati Galatæ.

PAVLUS ſolicitudine Apoſtolica, zelo & affectu ſpiritualiſſimo ardet, & inter diſputandum ac confutandum inſerit exhortationes & objurgationes,Iuxta ſuam regulam 2.Timoth. 4. Prædica verbum,inſta opportune,importune,argue,obſecra,increpa. Ea res imponit incauto lectori,ut putet,Paulum plane nullam ſervare methodum aut ordinem in docendo. More quidem Rhetorum non ſervat, in ſpiritu tamen pulcherrimum ordinem ſervat. Poſtquam ergo diſputavit, & duobus robuſtiſſimis argumentis confirmavit, Iuſticiam Chriſtianam non eſſe ex Lege, ſed ex fide in Chriſtum, ſimulq; Pſeudoapoſtolorum doctrinam confutavit, In media illa actione vertit jam ſermonem ad Galatas, & eos increpat, O inſenſati ſeu amentes Galatæ, q. d. Heu quo prolapſi eſtis, ô miſeri Galatæ? Ego diligentiſſime vos docui veritatem Evangelij, Quam & vos magno ſtudio & diligentia accepiſtis à me, Quî igitur fit,quod tam cito ab ea defeceritis? Quis faſcinavit vos?

Ordo Pauli in docendo.

O inſenſati Galatæ.

Valde duriter,ut apparet,Galatas increpat,dum amentes,faſcinatos & veritati inobedientes appellat. An hoc autem ex zelo aut miſericordia fecerit,non pugno, utrumq; verum eſſe poteſt. Carnalis homo hoc contumeliam potius, quam piam objurgationem interpretatur. Ergo Paulus dedit malum exemplum, & contumelioſus fuit in Eccleſias Galatiæ, quod eas appellat ſtultas, faſcinatas,&c? Non. Quia ex Chriſtiano zelo licet Apoſtolo, paſtori aut doctori acriter increpare populum, cui præeſt. Taleſq; objurgationes paternæ & ſanctæ ſunt. Sic parentes ex paterno & materno affectu, filium fatuum aut nebulonem, filiam meretriculam, appellare ſolent, non laturi hoc, ſi alius faceret. Præceptor quandoq; acriter objurgat diſcipulum, vocat aſinum, virgis cædit, hocq; æquo animo fert, non ita laturus, ſi æqualis aut condiſcipulus aliquis ſuus idem faceret. Item,Magiſtratus increpat,iraſcitur & punit. Eaq; diſciplina non ſolum bona, ſed etiam valde neceſſaria eſt, ſine qua nullæ res, ſive pacis ſive belli,rite geri poſſunt. Quare niſi magiſtratus Eccleſiaſticus, politicus aut œconomicus, iraſcatur & objurget,cum res poſtulat, ignavus & inutilis eſt, & nunquam recte officium ſuum adminiſtrabit.

Nunquid peccat Apoſtolus quod tam acriter objurgat Galatas?

Objurgatio parentum erga liberos, &c.

Ira neceſſaria virtus.

Itaq; objurgatio & ira tam neceſſaria eſt in omni genere vitæ, quam ulla alia virtus. Moderata tamen eſſe debet,& proficiſci non ex invidia,ſed ex paterno affectu & Chriſtiano zelo, Hoc eſt,non debet eſſe iracundia puerilis aut muliebris,quæ vindictam expetat, ſed vitium tantum cupiat emendare. Vt pater non caſtigat filium,ut animum expleat libidine vindictæ,ſed ut filius per hanc caſtigationem emendetur. Atq; hæ ſunt bonæ iræ,& vocantur in Scripturis zeli. Hoc modo enim caſtigando fratrem vel ſubditum, non quæro ejus perniciem, ſed commodum. Quare fieri poteſt, quòd Paulus hîc aut ex mero zelo increpet Galatas,non ut perdat,ſed ut hoc modo revocet in viam,& ſervet. Aut ex miſericordia & affectu compatiendi, quaſi per modum querulantis, cui doleat tam miſere ſeductos eſſe Galatas,q.d. Miſeret me tam infelicis veſtræ ſortis,&c. Ad eum modum & nos increpamus miſeros, non quod inſultemus ipſis aut exprobremus eis miſeriam illorum, Sed quod compatiamur illis, & libenter vellemus eis conſultum.

Iuſta ira vocatur Zelus in ſcripturis.

tum. Hoc dico, ne quis calumnietur, Paulum contra præceptum Evangelicum conviciatum esse Ecclesiis Dei.

Simili modo Christus conviciatur Pharisæis, cum vocat eos serpentes, genimina viperarum, filios Diaboli, &c. Sed ista sunt convitia Spiritus sancti, sunt paterna, materna & fidelis amici convicia, ut dicitur etiam in Proverb. Meliora sunt vulnera amici, quam oscula inimici. Sic fit ut idem convicium, si procedat ex ore patris, sit optimum beneficium, Si ex ore æqualis vel inimici, sit summa contumelia. Duo cum idem faciunt, in altero laudatur, in altero vituperatur. Christus vel Paulus conviciatur maxima virtute & laude, Philosophus vel privatus aliquis summo vitio & contumelia. Idem ergo opus & verbum in ore Pauli est beneficium, in ore alterius est maleficium. Est autem emphasis in vocabulo, Galatæ, Non enim, fratres, ut aliàs solet, sed nomine gentilicio appellat. Videtur autem istius nationis fuisse proprium & gentile vitium, quod ἀνόητοι fuerunt, ut Cretenses mendaces, q. d. Quod dicimini & vocamini, hoc vere estis & permanetis, nempe, ἀνόητοι Galatæ, Hocq; nunc probatis in ipso negotio Evangelij, ubi tamen plurimum debebatis sapere, sed perstat ista natura vestra. Simili modo & nos nationes distinguimus penes vitia. Quælibet natio habet sua peculiaria vitia, Germani sunt rerum novarum cupidi, Itali arrogantes, &c. Per modum ergo correptionis Paulus admonet Galatas suæ naturæ.

Convicia Spiritus sancti.

Prov. 27.

Gentile vitium Galatarum.

Quælibet natio habet sua vitia.

Cæterum admonemur hic, In Ecclesiis & Christianis remanere adhuc secundum carnem vitia naturalia. Gratia non sic mutat pios, ut statim per omnia reddat novos & perfectos, sed relinquuntur adhuc in piis reliquiæ veteris vitij naturalis. Vt iracundus natura, si convertitur ad Christum, etiamsi mitigetur per gratiam, & Spiritus sanctus imbuat cor ipsius, ut fiat clementior, tamen ipsum vitium in carne non plane extinguitur. Sic duri homines, si convertantur ad fidem, tamen istam duriciem in totum non exuunt, sed manent in ipsis reliquiæ istius duritiei. Hinc scriptura sacra & Evangelia, quæ sunt ejusdem veritatis, tractantur à diversis ingeniis diverso modo. Alius est mitior & mollior in docendo, alius durior. Sic in diversa instrumenta transfunditur Spiritus, qui non semel extinguit naturæ vitia, sed per totam vitam purgat illud peccatum inhærens, non solum in Galatis, sed in omnibus omnium nationum hominibus.

Remanent in piis reliquiæ vitiorum naturalium.

Quanquam igitur illuminati & credentes jam erant Galatæ, ac Spiritum sanctum ex prædicatione fidei acceperant, tamen reliquum in eis hoc vitium, & insipientiæ fomes ille mansit, qui facile concepit flammam falsæ doctrinæ. Ideo nemo sibi confidat, ut existimet se post acceptam Gratiam prorsus purgatum esse à veteribus vitiis. Multa quidem purgantur, præcipue autem ipsum caput serpentis, hoc est, incredulitas & ignorantia Dei, præciditur & conteritur, sed squamosum corpus & reliquiæ Peccati manent in nobis. Ideo nemo præsumat accepta jam Fide, se in totum statim transmutari posse in novum hominem, Imo retinebit aliquid priorum vitiorum, etiam in Christianismo. Nondum enim mortui sumus, sed vivimus adhuc in carne, quæ quia nondum est pura, concupiscit adversus spiritum, Galat. 5. & Roman. 7. Ego carnalis sum, inquit, venditus sub peccatum. Et, Video aliam Legem in membris meis, &c. Quare naturalia vitia ante fidem, manent & post fidem acceptam, nisi quòd jam servire coguntur Spiritui, qui eis dominatur, ne regnent, non tamen sine lucta. Solus Christus hanc gloriam & titulum gerit, quod per omnia sit purus, 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit, neq; inventus est dolus in ore ejus.

Gratis pectatum purgat pios à veteribus vitiis.

Gal. 5.

Rom. 7.

Christi titulus.

1. Pet. 2.

Quis vos fascinavit non obedire veritati?

IBI aliud habes præconium istius insignis justiciæ legalis & propriæ, quod videlicet faciat nos contemnere veritatem, quod fascinet nos, ut non obediamus, sed rebelles simus, veritati.

Præconium justiciæ legis.

by Google

DE FASCINO CORPORALI ET SPIRITVALI.

PAulus appellando Galatas inſenſatos & faſcinatos, comparat pueris, quibus maxime nocet faſcinum, q. d. Vobis perinde accidit ac pueris, quos veneficæ, lamiæ & ſtriges ſuis faſcinis, ludibrio Satanæ, libenter & facile incantare ſolent. Infra cap. 5. recenſet inter opera carnis veneficium, quod eſt ſpecies faſcini. Per quod ſatis teſtatur, faſcinum eſſe aliquid, & poſſe fieri. Deinde negari non poteſt, quin Diabolus vivat, imo regnet in toto mundo. Sunt igitur faſcinum & veneficia opera Diaboli, quibus non ſolum nocet hominibus, ſed permittente Deo, quandoq; eos etiam occidit. Inſuper nos omnes corporibus & rebus ſubjecti Diabolo, & hoſpites ſumus in Mundo, cujus ipſe princeps & Deus eſt. Ideo panis quem edimus, potus quem bibimus, veſtes quibus utimur, imo aër & totum, quo vivimus in carne, ſub ipſius imperio eſt. Poteſt igitur per ſuas veneficas nocere pueris, vel anguſtia cordis, vel excæcare, vel furari, vel in totum auferre puerum, ſeq; in locum ablati pueri in cunas collocare. Ego audivi quendam puerum fuiſſe in Saxonia, qui ſuxit quinq; mulieres, & tamen non potuit expleri. Et hujuſmodi exempla ſunt multa.

Faſcinatio opus Diaboli.

Faſcinum quid.

Diaboli poteſtas.

Eſt autem faſcinum nihil aliud quam machinatio & illuſio diaboli, qui poteſt, ut fertur, membrum, quod in puero aut ſene præſtigiis ſuis vitiavit, rurſus ſanare. Sed ſic fere ſanat, quod oculum aut aliud membrum læſum reſtituat, Non quod læſum fuerit, ſed quod ita ludificatur ſenſus, tum eorum, quos faſcinavit, tum aliorum, qui vident faſcinatos, ut non judicent eſſe illuſionem, ſed jurent eſſe veram læſionem. Quia vero ſuo tempore læſionem removet, apparet tantum fuiſſe illuſionem, non veram læſionem, Quia vera læſio non poteſt recuperari aut reſtitui. Habes hujus inſigne exemplum in Vitis Patrum, præter metamorphoſes illas Poëtarum. Ad S. Macarium, habitantem in deſerto, venerunt parentes cujuſdam virginis, quam amiſerant, ſic tamen, quod putarent eam in vaccam eſſe converſam, Quia non poterant aliam quam vaccæ formam videre. Adducentes igitur filiam ad S. Macarium, rogabant orationem ab ipſo ad Deum fieri pro ea, ut reſtitueretur ei humana forma. Hoc audiens Macarius, inquit, Virginem video, non vaccam. Habebat oculos ſpirituales, ideo Satan non poterat eum ſuis præſtigiis fallere, ut parentes & filiam, quorum oculis ſic illuſerat ſpiritus nequã, quòd juraſſent vere hoc geri, quod ipſis faſcinatis ob oculos verſabatur. Orante autem S. Macario pro virgine, non ut humanam ſpeciem, quam nunquam amiſerat, reciperet, ſed ut Deus hanc illuſionem Diaboli ab ea auferret, aperti ſunt oculi parentum & filiæ, cognoveruntq; hoc totum, quod ipſis videbatur ſerio geri, merum ludibrium Satanæ fuiſſe.

S. Macarius.

De puella, quã parentes in vaccam converſam putabant.

Tanta eſt aſtutia & potentia Satanæ ludificandi ſenſus. Et quid mirum? cum per vitrum fiat mutatio ſenſus & coloris. Facilime igitur ludit præſtigiis ſuis hominem, ut exiſtimet ſe videre aliquid, quod tamen non videt, audire vocem, tonitru, fiſtulam vel tubam, quam tamen non audit. Sic milites Iulij Cæſaris putabant ſe audire quendam arundine & tuba canere, &c. Ejus rei meminit Suetonius in vita Cæſaris. Quidam, inquit, eximia magnitudine & forma, in proximo ſedens, repente apparuit arundine canens. Ad quem audiendum, cum præter paſtores, plurimi ex ſtationibus milites atq; aliquot æneatores concurriſſent, rapta à quodam tuba, proſiluit ad flumen, & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus, pertendit ad alteram ripam, &c. Poteſt igitur Satan egregie perſtringere omnes ſenſus, ut jures te videre, audire, tangere aliquid, quod tamen non vides, &c.

Suetonius in Cæſare.

Satan faſcinat homines ſpiritualiter.

Non ſolum autem hoc craſſo modo, ſed etiam ſubtiliore, eoq; magis periculoſo, dementat homines, & ibi præcipuè eſt optimus artifex. Atq; hinc Paulus faſcinum ſenſuum applicat ad faſcinum ſpiritus. Illo autem ſpirituali faſcino non ſenſus, ſed mentes hominum ſerpens ille antiquus capit & fallit falſis & impiis opinionibus, quas hoc modo capti pro veris & piis apprehendunt. Quod autem

autem hoc præstare possit, satis ostendit hodie in fanaticis hominibus, Anabaptistis, & spiritibus in Sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemis. Horum mentes suo ludibrio ita fascinavit, ut mendacia, errores, & horribiles tenebras pro certissima veritate & clarissima luce amplectantur. Nec ab his suis somniis patiuntur se ullis monitis aut Scripturis abduci, Quia persuasissimi sunt se solos sapere & pie sentire de rebus sacris, alios omnes cœcutire. Perinde igitur faciunt atque parentes virginis, qui capti Satanæ præstigiis, adeo persuasi erant, ut jurassent, filiam suam non hominem, sed bovem esse, Nihilq; minus credere poterant, quàm hoc esse præstigium & illusionem Diaboli. Habebant enim pro se testimonium omnium sensuum, Oculi videbant formam bovis, aures audiebant vocem bovis, &c. Contra communem autem sensum putabant non esse pugnandum.

Fascinati per Satanam mendacium pro veritate amplectuntur & defendunt.

Sed pugnandum esse in fascino corporali contra sensum communem ostendit hoc exemplum Macarij, Multo magis idem faciendum est in fascino spirituali, Vbi Diabolus, quod foris cum speciebus & coloribus in sensu, hoc intus cum opinionibus verisimilibus & objectis doctrinæ facit, quibus, ut dixi, sic dementat corda hominum, ut jurent sua vanissima & impiissima somnia esse certissimam veritatem. Hoc modo fascinavit nostro tempore Muntzerum, Cinglium & alios, per quos alios innumerabiles fascinavit. Deinde tanta est istius fascinatoris nocendi cupido, ut non solum illis spiritibus securis & superbis imponat præstigiis suis, sed conatur eos etiam, qui pie & recte de verbo Dei & Christiana religione sentiunt, suis ludibriis dementare. Meipsum sæpenumero tã fortiter invadit, & adeo tristibus cogitationibus obruit, ut prorsus mihi Christũ obscuret ac pene auferat. Summa, Nemo nostrum est, qui non sæpius falsis opinionibus fascinetur, hoc est, qui non timeat, fidat aut lætetur, ubi non erat timendum, fidendum, lætandum, Qui quandoq; non aliter sentiat de Deo, de Christo, de fide, de vocatione sua, de statu Christiano, &c. quam sentire debeat.

Fascinum spirituale, seu cordis.

Satan etiam pios conatur fascinare, &c.

Discamus igitur illusiones & astutias istius fascinatoris agnoscere, ne securos & stertentes inveniens, suis præstigiis nos fallat. Non potest quidem nostro ministerio nocere suo fascino, tamen apud nos est in spiritu, die noctuq; obambulat, & quærit quomodo unumquemq; seorsim devoret, Et nisi nos sobrios & armis spiritualibus, hoc est, verbo Dei & fide instructos, invenerit, devorat nos. Quare subinde novam pugnam nobis movet Satan, Et quidem prodest nobis valde, quod suis insidiis ita invadit & exercet nos, Hoc modo enim confirmat doctrinam, & fidem auget in nobis. Sæpe quidem dejecti sumus, & adhuc dejicimur in isto conflictu, at non perimus. Christus enim semper triumphavit & triumphat per nos. Quare firmam spem concipimus, & in posterum nos victores evasuros per Christum contra Diabolum. Eaq; spes parit nobis firmam consolationem, ut in omnibus tentationibus nos sic erigamus, Ecce antea quoq; tentavit & illusionibus suis solicitavit nos Satan ad incredulitatem, contemptum Dei, desperationem, &c. & tamen nihil effecit, ideo neq; in posterum aliquid efficiet, Major est in nobis, quam qui in mundo est, Christus fortior est, qui illum fortem in nobis vicit, vincit & vincet. Vincit tamen aliquando nos in carne Diabolus, ut vel sic fortioris potentiam contra fortem illum experiamur, dicamusq; cum Paulo, Dum infirmus sum, fortis sum.

Pet. 5.

Militia tentationum Satanæ.

Itaq; nemo putet solos Galatas fascinatos fuisse à Satana, sed quisq; cogitet se potuisse & adhuc posse fascinari ab eo. Nemo nostrum tam robustus est, qui possit ei resistere, præsertim si conetur hoc facere propriis viribus. Hiob homo simplex & rectus erat, timens Deum, nec erat similis ei in terra, Sed quid potuit contra Diabolum, subtrahente Deo manum? Nonne horribiliter vir iste sanctus ruit? Ideo Fascinator ille non tantum potens fuit in Galatis, sed semper hoc agit, ut, si non omnibus hominibus, tamen multis, imponat falsis persuasionibus, quia mendax est, & ejus rei pater. Et certe hac sua arte dementat hodie, ut dixi,

Satan perpetuo fascinat homines. Hiob.

Pestifera hæreticorum.

dixi, fanaticos ſpiritus, in his regnat, ac tam inflexibiles & duros facit, ut nulla incus tam dura eſſe poſſit. Doceri ſe non patiuntur, nullam rationem audiunt, ſcripturam non admittunt, Sed tantum ſoliciti ſunt, quomodo fictis & ementitis è capite ſuo gloſſis, adductos contra ſe ſcripturæ locos eludant, ac ſomnia ſua in Scripturam invecta defendant. Quod manifeſtum ſignum eſt, eos eſſe captos faſcino Diaboli.

Quis vos faſcinavit?

Pſeudoapoſt. faſcinatores.

HIC excuſat Galatas, & transfert culpam in Pſeudoapoſtolos, q. d. Video vos non ultro aut malitia lapſos eſſe, Sed Diabolus miſit inter vos, filios meos, faſcinatores Pſeudoapoſtolos, illi doctrina de Lege ita faſcinant vos, ut jam aliter ſentiatis de Chriſto, quam antea, cum audiretis à me prædicari Evangelium. Verum nos laboramus adhortando & ſcribendo ad vos, ut faſcinum, quod nectunt Pſeudoapoſtoli, ſolvamus, utq; capti inter vos hoc faſcino, per nos expediantur. Sic & nos verbo Dei oportet hodie laborare contra Anabaptiſtarum & Sacramentariorum fanaticas opiniones, ut illis captos liberemus, eosq; ad puram doctrinam fidei revocemus ac in ea retineamus. Nec labor iſte noſter inanis eſt, Multos enim, quos illi faſcinaverunt, revocavimus ac liberavimus à faſcino illo ſuo, à quo viribus ſuis nunquam potuiſſent evolui, niſi admoniti per nos & revocati per verbum Dei fuiſſent.

Faſcinati ſpiritu quomodo liberentur, &c.

Nam ut impoſſibile eſt, quod homo ſeſe expediat ex Faſcino ſenſuum (Non poterant parentes aliam figuram quam bovis videre in filia ante precationem Macarij) ita impoſſibile eſt, quod faſcinati in ſpiritu ſe viribus ſuis evolvere poſſint, niſi explicentur ab iis, quorum mentes iſto faſcino non ſunt captæ. Tanta enim eſt efficacia illuſionis Satanæ in illis, qui ita deluſi ſunt, ut jactent & jurent ſe certiſſimam veritatem habere, tantum abeſt, ut fateantur ſe errare. Et ut maxime obruamus & convincamus quoſdam, præſertim ſectarum autores, ſcripturis, Tamen nihil efficimus, quia ſtatim in promptu habent ſuas gloſſas, quibus ſcripturas eludunt. Itaq; monitis noſtris non emendantur, ſed plus indureſcunt. Nunquam autem credidiſſem niſi hodie experientia hoc diſcerem, tantam eſſe potentiam diaboli, quòd poſſet facere mendacium tam veriſimile. Deinde quod horribilius eſt, cum perturbatas conſcientias nimia triſticia enecare vult, quod tam proprie & perfecte ſe norit transformare in figuram Chriſti, ut impoſſibile ſit tentato hoc animadvertere. Hinc multi ignorantes hoc, adiguntur in deſperationem, ac ſibiipſis mortem conſciſcunt. Ita enim dementati ſunt à Diabolo, ut perſuaſi ſint certiſſimam veritatem eſſe, ſe non à diabolo, ſed ab ipſo Chriſto tentari & accuſari.

Potentia diaboli.

Exemplum D. Kraus.

Idem Anno Domini 1527. accidit illi miſero Doctori Hallenſi Kraus, qui dicebat, Ego negavi Chriſtum, Ideo jam ſtat coram Patre, & accuſat me. Illam cogitationem, præſtigiis diaboli captus, tam fortiter conceperat, ut nulla adhortatione aut conſolatione, nullis divinis Promiſſionibus pateretur eam ſibi excuti, atq; ita deſperavit, & ſeipſum miſerrime occidit. Hoc merum mendacium & diaboli faſcinum, ac deniq; fanatica definitio alieni Chriſti fuit, quam Scriptura prorſus ignorat. Ea enim Chriſtum non judicem, tentatorem & accuſatorem, ſed propiciatorem, interpellatorem, conſolatorem, ſalvatorem & thronum Gratiæ, depingit. Sed ille à Diabolo faſcinatus non poterat hoc tum videre, ideoq; contra Scripturam definiebat, hanc eſſe certiſſimam veritatem, Chriſtus accuſat te apud Patrem, non ſtat pro te, ſed contra te, ergo damnatus es. Atq; illa tentatio non eſt humana, ſed diabolica, quam faſcinator ille in cor tentati imprimit potentiſſime. Apud nos, qui contrarium ſenſum habemus, eſt turpe & manifeſtum mendacium, ac præſtigium Satanæ, Apud illos vero, qui hoc modo faſcinati ſunt, eſt certiſſima veritas, ita ut nulla ſit certior.

Chriſti pictura in ſcriptura.

Diabolica tentatio.

Vigilandi ſpir.

Cum igitur Diabolus, mille artifex nocendi, tam apertum & pudendum mendacium

haec doctrina in animo nostro cordi possit, ut millies pares esse certi sicut veritatem, non credendum, sed cedendum in timore & humilitate, in [illegible] Christus Dominus, ne finat nos induci in tentationem. Securi homines quidam [illegible] audito Evangelio, mox se putant decimas spiritus habere, tantaque de [illegible] impingunt, quia non timent Deum, non agunt ei gratias, sed existimant fidem [illegible] egregie tenere ac defendere posse puras doctrinam, sed etiam constanter in quantumvis ardua pugna adversus Diabolum. Tales sunt i-lonea instrumenta, quae Diabolus fascinet & in desperationem adigat.

Tu contra ne dicas, Ego perfectus sum, non possum labi, Sed humiliare & time, ne hodie stans, eras cadas. Ego Doctor Theologiae sum, & jam aliquot annis Christum praedicavi, & contra Diabolum in suis Pseudodoctoribus pugnavi, sed experitus sum, quid ista res mihi negotij fecerit. Non possum Satanam ita repellere, ut libenter vellem, Non possum deniq; Christum sic apprehendere, ut eum mihi Scriptura proponit, Sed subinde suggerit mihi Diabolus falsum Christum. Deo gratia autem, qui nos conservat in Verbo, fide & oratione, quod sciamus in humilitate & timore ambulandum esse coram Deo, neq; praesumendum de sapientia, justicia, doctrina & fortitudine nostra, sed de virtute Christi, qui cum nos infirmi sumus, potens est, & per nos infirmes semper vincit & triumphat, cui sit gloria in secula. Amen.

Fit itaq; fascinum nihil aliud, quam dementatio Diaboli, inferentis in cor hominem falsam contra Christum, Et fascinatus est, qui tali opinione captus est. Itaq; qui hanc persuasionem habent, quod ex operibus Legis aut traditionibus humanarum justificentur, fascinati sunt. Ea enim persuasio directe contraria est fidei & Christo. Vtitur autem Paulus tam odioso vocabulo (fascinum) in detestatum & invidiam Pseudoapostolorum, qui doctrinam Legis & operum ejus vehementer urgebant, q. d. Quae (malum) haec frantica fascinatio est? Nam ut lumine corporali sensus, ita spirituali mentes corrumpuntur.

Non obedire veritati?

PRIMO Galatae audierant & obedierant veritati. Ideo cum dicit, Quis vos fascinavit? Significat eos per Pseudoapostolos fascinatos, nunc à veritate, cui prius obedierant, defecisse, ac eam deseruisse. Hoc autem longe durius sonat, quod dicit eos non credere veritati. Significat enim his verbis eos fascinatos esse, & se velle ab eis auferre fascinum, & tamen ipsos nolle hoc beneficium agnoscere nec recipere. Certum est enim, quod non omnes revocavit ab errore Pseudoapostolorum ad veritatem, sed in multis manfit illud fascinum, Ideo vehementibus verbis utitur, Quis vos fascinavit, &c. q. d. Vos dementati estis, & ita fascinum cepit vos, ut veritati non possitis obedire, q. d. metuo quod de multis ex vobis factum sit, qui nunquam redibunt ad veritatem, &c.

Hic aliud audis praeconium justitiae legis seu propriae, quod ea homines ita fascinet, ut veritati non possint obedire. Apostoli & primitivae Ecclesiae Patres hujus rei saepe fecerunt mentionem. 1. Iohan. 5. est peccatum ad mortem, pro quo non est rogandum, Item Ebr. 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati & gustaverunt donum coeleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, &c. Haec verba primo aspectu sonant, quasi aliquis Novatus ea dixisset. Sed Apostoli coacti sunt sic loqui propter haereticos (Neq; tamen per hoc negarunt lapsis regressum per poenitentiam ad communionem fidelium, ut Novatiani) Et nos hodie sic oportet loqui propter autores & magistros errorum & sectarum, quod tales scilicet nunquam reverturtur ad veritatem. Revertuntur quidem aliqui, sed qui leviori fascino capti sunt, Non idem duces & autores fascini. Illos enim oportet hunc titulum retinere, quem Paulus hic eis tribuit, videlicet, quod non audiant neq; sustineant veritatem, Sed potius soliciti sunt, quomodo

quomodo veritati reſiſtant, item quomodo argumenta ac Scripturas contra ſeſe allatas eludant. Capti enim ſunt & perſuaſi, ſe habere certiſſimam veritatem,& puriſſimam Scripturæ intelligentiam. Qui in hac perſuaſione eſt,non audit,multo minus aliis cedit. Sic ego omnino nihil audio contrarium meæ doctrinæ.Sum enim certus & perſuaſus per ſpiritum Chriſti, meam doctrinam de Chriſtiana juſticia veram ac certam eſſe.

Quibus ob oculos Chriſtus Ieſus præſcriptus eſt.

VALDE durum erat, quod dixerat eos ita faſcinatos, ut veritati non obedirent,longe durius eſt quod addit,Chriſtum Ieſum illis ob oculos ſic depictum, ut eum manu contrectare potuiſſent,& tamen eos adhuc non obedire veritati,Ita convincit eos experientia propria, q. d. Vos ſic faſcinati, decepti & capti eſtis opinionibus erroneis Pſeudoapoſtolorum,ut veritati non obediatis.Neq; prodeſt, quod ſumma diligentia & labore Chriſtum Ieſum delineaverim & depinxerim vobis ob oculos veſtros quòd ſit in vobis crucifixus.Illis verbis autem reſpicit ad ſuperiora argumenta,quibus dixerat;quod Chriſtus ſit peccati miniſter,iis qui ex lege juſtificari volunt,quod tales abjiciant gratiam Dei,quodq; Chriſtus illis gratis mortuus ſit. Quæ argumenta coram urſit vehementius & declaravit copioſius, tanquam ſi pictor aliquis ob oculos pingeret Chriſtum Ieſum crucifixum. Ea jam abſens revocat illis in memoriam,cum dicit,Quibus ob oculos &c.q.d. Nullus pictor tam proprie Chriſtum coloribus depingere poteſt, ac ego eum vobis mea prædicatione depinxi, & tamen adhuc perſtatis in faſcino.

Qui ſit in vobis crucifixus.

Mirecibus verbis utitur Apo.

QVID pinxi ergo? Ipſi Chriſtum. Quomodo? Quod ſit crucifixus in vobis. Hic certe utitur duriſſimis verbis. Supra dixit, Quærentes juſticiam ex Lege, abjicere gratiam Dei, Item,Illis Chriſtum gratis mortuum eſſe. Hic vero addit, quod tales etiam crucifigant Chriſtum, qui antea vixit & regnavit in ipſis, q. d. Iam non ſolum abjeciſtis gratiam Dei, non ſolum Chriſtus fruſtra vobis mortuus eſt, ſed turpiſſime in vobis crucifixus eſt. Ad eum modum loquitur & Epiſtola ad Ebræ. cap. 6. Denuo crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes,&c. *Ebræ 6.*

Deberet profecto aliquis perterrefieri audito tantum nomine Monachi, raſuræ, cuculli, regulæ (Quantumvis Papiſtæ adorent has abominationes & jactent eſſe ſummam religionem & ſanctitatem, Vt & nos ante revelatum Evangelium non poteramus de his aliter judicare. Eramus enim educati in traditionibus humanis, quæ obſcurabant Chriſtum, & prorſus eum nobis ocioſum reddebant) cum audit Paulum hic dicere, eos etiam, qui ex Lege divina juſtificari quærunt,non ſolum eſſe abnegatores & homicidas, ſed etiam ſceleratiſſimos crucifixores Chriſti. Si crucifixores Chriſti ſunt, qui per Legis juſticiam & opera juſtificari quærunt, Quid quæſo ſunt illi, qui per ſordes humanæ juſticiæ & doctrinas Dæmoniorum quærunt ſalutem & vitam æternam? *Crucifixores Chriſti.*

Papiſta crucifixores filij Dei.

Sed quis unquam credidiſſet aut intellexiſſet tam horribile & abominandum eſſe flagitium,fieri religioſum (Sic enim ipſi loquuntur) hoc eſt,fieri ſacerdotem miſſarium,monachum aut monacham? Certe nemo. Imo ipſi docuerunt, monachatum eſſe novum Baptiſmum. Quid autem poteſt dici horribilius, quam regnum Papiſtarum eſſe regnum conſputantium & denuo crucifigentium filium Dei Chriſtum? Chriſtum enim, qui ſemel eſt crucifixus & reſurrexit, in ſemetipſis,in Eccleſia ſeu cordibus fidelium, denuo crucifigunt, probris, conviciis, & contumeliis conſpuunt, falſis opinionibus confodiunt,ut in eis miſerrime moriatur. Et in locum ejus pulcherrimum faſcinum erigunt, quo homines dementantur, ut Chriſtum non agnoſcant Iuſtificatorem, propiciatorem & Salvatorem, Sed peccati miniſtrum, accuſatorem,judicem,& perditorem, qui ſit placandus noſtris operibus & meritis.

Atq;

Atque ex iſta opinione orta eſt poſtea impiiſſima & peſtilentiſſima in toto Papatu doctrina, Si vis Deo ſervire, mereri remiſſionem peccatorum, vitam æternam, & alios juvare, ut ſalutem conſequantur, ingredere monaſterium, vove obedientiam, caſtitatem, paupertatem, &c. Hac falſa perſvaſione ſanctitatis capti & inflati Monachi, ſomniabant ſe ſolos eſſe in ſtatu & vita perfectionis, cæteros Chriſtianos communem vitam agere, hoc eſt, non ſervare opera indebita, caſtitatem, paupertatem, obedientiam, &c. ſed tantum baptiſatos eſſe, ac ſervare decem præcepta, Se autem præter hoc quod commune haberent cum cæteris Chriſtianis, etiam ſervare opera Supererogationis & conſilia Chriſti, &c. Ideo ſperabant ſe habituros meritum & locum in cœlis, inter præcipuos Sanctos, longe ſupra reliquum vulgus Chriſtianorum.

Doctrina Papiſtarum.

Monachi jactaverunt ſe in ſtatu perfectionis eſſe.

Hæc profecto fuit prodigioſa illuſio Diaboli, qua dementaverat fere omnes homines. Et quo quiſq; ſanctior videri volebat, hoc magis captus erat illo faſcino, hoc eſt, illa peſtilenti perſvaſione juſticiæ propriæ. Hinc nullo modo poteramus agnoſcere Chriſtum eſſe mediatorem & Salvatorem, ſed ſimpliciter ſentiebamus, eſſe ſeverum judicem, qui placandus eſſet noſtris operibus, quod erat Chriſtum extreme blaſphemare, & ut Paulus ſupra dixit, gratiam Dei abjicere, Chriſtum gratis mori, eumq; non ſolum per nos occidi, ſed turpiſſime denuo crucifigi. Atq; hoc eſt proprie quod Chriſtus ex Daniele dicit, Abominationem ſtare in loco ſancto. Quare omnis Monachus, aut quicunque tandem juſticiarius, quærens remiſſionem peccatorum & juſticiam per opera aut afflictiones ſuas, eſt Chriſti viventis & regnantis recrucifixor, Non quidem in perſona Chriſti propria, ſed in ſuo & alieno corde. Et quicunque hoc nomine monaſteria ingrediuntur, ut obſervatione Regulæ juſtificentur, ingrediuntur ſpeluncas Latronum recrucifigentium Chriſtum.

Illuſio diaboli.

In Papatu ita faſcinati eramus, ut impoſſibile erat agnoſcere Chriſtum.

Vtitur ergo hîc Paulus graviſſimis & atrociſſimis verbis, ut Galatas abſterreat & revocet à doctrina Pſeudoapoſtolorum, q. d. Conſiderate, quid feceritis, Vos denuo crucifixiſtis Chriſtum, hocque tam clare vobis oſtendo & pingo ob oculos, ut videre & contrectare poſſitis, quia per Legem vultis juſtificari. Si autem per Legem eſt juſticia, igitur Chriſtus eſt peccati miniſter, & fruſtra mortuus eſt. Si hoc verum eſt, tunc certiſſime ſequitur, eum in vobis eſſe denuo crucifixum. Et hanc particulam (In vobis) non fruſtra addit, quia Chriſtus in ſua perſona amplius non crucifigitur aut moritur, Rom. 6, Sed in nobis, cum videlicet abjecta pura doctrina, Gratia, fide, remiſſione peccatorum gratuita, quærimus per opera electicia, aut etiam in Lege præcepta, juſtificari, Ibi tum Chriſtus in nobis eſt crucifixus. Ea autem falſa & impia perſvaſio, velle ex Lege aut operibus juſtificari, nihil aliud eſt, ut ſupra pluribus dixi, quàm illuſio & faſcinatio Diaboli, qua homines ita dementantur, ut plane beneficium Chriſti non agnoſcant, nihilque faciant tota vita ſua, quam quod Dominum, qui eos mercatus eſt ſuo Sangvine, & in cujus nomine baptiſati ſunt, non ſolum negent, ſed etiam denuo in ſemetipſis crucifigant. Quicunque igitur ſerio afficitur pietate, fugiat quàm ociſſime ex iſta Babylone, & exhorreſcat vel tantum audito nomine Papatus. Nam tanta eſt ejus impietas & abominatio, ut nemo eam verbis conſequi poſſit, neq; cernitur niſi oculis ſpiritualibus.

In nobis.

Rom. 6.

Juſticiam quærere ex lege.

Papatus abominatio.

Hæc duo argumenta diligentiſſime urget & inculcat Paulus Galatis. Primum, quod ſi capti & faſcinati ſint à Diabolo, ut veritatem etiam ob oculos clariſſime depictam, non audiant. Deinde quod Chriſtum in ſeipſis recrucifigant, Hæc verba ſimplicia apparent, & abſque omni grandiloquentia dicta, ſed tanta ſunt, ut ſuperent omnem humanam eloquentiam. Ideo ſolo Spiritu comprehendi poteſt, quantum malum ſit, per juſticiam Legis aut propriam velle juſtificari, nempe, ut Paulus hic dicit, faſcinari à Diabolo, inobedientem veritati, & recrucifixorem Chriſti fieri. Nonne pulchra iſta præconia ſunt juſticiæ legalis ſeu propriæ?

Præconia juſticiæ legis.

by Google

Ardet ergo Apostolus maximo zelo, & atrocibus verbis infectatur & damnat opinionem & fiduciam justiciæ, etiam ex observatione legis Dei conceptam, hancq; notam inurit illi, quòd recrucifigat filium Dei, &c. Cum igitur res tam periculosa sit, non potest satis criminari & damnari, quia Luciferi casus, irrecuperabile damnum, ex ea infertur. Hinc tam atrocibus verbis utitur contra eam, ut nec legi Dei parcat, in quam tam acerbe invehitur, ut videatur eam quasi velle rejicere & damnare. Hocque facit summa necessitate coactus, alioqui non potuisset resistere Pseudoapostolis, nec contra ipsos justiciam fidei defendere. Quamvis igitur Lex sit sancta, justa & bona, tamen oportet eam induere quasi personam Hypocritæ, volentis per opera justificari. Iam urget eos argumento ab experientia, quod negare non poterant, & dicit,

Lucifer casus.

Hoc solum à vobis volo discere, Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu Fidei?

ISTA verba loquitur ex indignante animo, Si nihil aliud, inquit, contra vos haberem, arriperem ipsam experientiam, q. d. Agite nunc, respondete mihi discipulo vestro (tam subito enim facti estis docti, ut mei jam sitis præceptores & doctores) Accepistis ne Spiritum ex operibus Legis, an ex prædicatione Evangelii? Hoc argumento ita eos convincit, ut nihil contradicere possint. Quia evidens & manifesta experientia pugnabat contra ipsos, quod non ex operibus Legis, sed ex prædicatione Evangelii spiritum accepissent.

Argumentum ab experientia, &c.

Hic iterum admoneo, Paulum non loqui tantum de ceremoniali, sed de tota lege. Argumentatur enim à sufficienti divisione. Si de lege ceremoniali tantum loqueretur, non esset sufficiens divisio. Est itaq; dilemma ex duobus membris, quorum alterum necessario verum, alterum falsum esse oportet, nempe, Aut ex Lege, aut ex auditu fidei, accepistis Spiritum. Si ex lege, non ex auditu fidei, Si ex auditu fidei, non ex lege. Ibi nullum potest esse medium. Quicquid enim non est Spiritus sanctus vel auditus Fidei, hoc plane est Lex. Versamur jam in causa justificationis, Ad justificationem autem non sunt aliæ, quam istæ duæ viæ, vel verbum Evangelii, vel legis. Quare lex accipitur hîc universaliter, ut plane diversa & distincta ab Evangelio, Non tantum autem lex ceremoniarum distincta est ab Evangelio, sed etiam decalogus. Ergo de universa lege Paulus hîc agit.

Paulus de tota lege agit, &c.

Ad justificationem duæ esse viæ, lex.

Argumentatur ergo à sufficienti distinctione hoc modo, Dicite mihi, inquit, Num accepistis Spiritum sanctum per Legem, aut per Evangelii prædicationem? Respondere hîc. Non potestis dicere per Legem, Quia donec sub Lege fuistis, & fecistis ejus opera, nunquam Spiritum sanctum accepistis. Docuistis quidem & audistis legem Mosi singulis Sabbatis, sed nunquam compertum aut visum est, ulli aut doctori aut discipulo datum esse Spiritum sanctum ex doctrina legis. Deinde non solum docuistis & audistis Legem, sed magno studio & labore etiam conati estis eam operibus exprimere, ubi maxime oportuit vos accipere Spiritum sanctum, si per Legem daretur, cum non tantum fueritis doctores & discipuli, sed etiam factores Legis, & tamen non potestis ostendere hoc unquam factum esse. At quam primum auditus [illegible] seu Evangelium ad vos venit, statim, antequam ullum opus aut fructum E[illegible]ng[illegible]ecistis, solo auditu fidei accepistis Spiritum sanctum. Nam testante Luc[illegible]ctis, sonante tantum Petri & Pauli sermone, cecidit Spiritus sanctus super eos, [illegible] audierunt verbum, per quem & acceperunt varia dona, ut loquerentur novis l[illegible]s, &c.

Spiritus accipitur per auditum fidei, non per legem.

Act. 10.

Quare manife[illegible]h, solo auditu Fidei vobis datum esse Spiritum sanctum, antequam bene opera[illegible]emini, aut ullum fructum Evangelii faceretis. Contra Lex ne facta quidem, unquam attulit Spiritum sanctum, multo minus tantum audita. Ideo non solum auditus Legis, sed etiam studium & zelus, quo conati estis exprimere legem factis, inanis est. Vt maxime igitur aliquis omnia tentet, hoc est, etiamsi habeat zelum Dei, magno conatu studeat per Legem salvus fieri,

Lex non affert Spiritum sanctum.

& exer-

& exerceat ſe die noctuq; in juſticia Legis, tamen fruſtra laborat & fatigat ſeipſum. Ignorantes enim juſticiam Dei, & quærentes propriam conſtituere, ut alibi dicit Paulus, juſticiæ Dei non ſunt ſubjecti. Item, Iſraël, qui ſectabatur Legem juſticiæ ad Legem juſticiæ non pervenit, &c. Loquitur autem Paulus hic de manifeſtatione Spiritus in primitiva Eccleſia. Deſcendebat enim Spiritus ſanctus manifeſta quadam ſpecie ſuper credentes, Eaq; re certò teſtabatur ſe adeſſe ſermoni Apoſtolorum, Item teſtabatur eos qui audiebant verbum Fidei ab Apoſtolis, reputari juſtos apud Deum, alioqui non deſcendiſſet ſuper eos.

Rom. 10.

Manifeſtatio Spiritus, &c.

ARGVMENTVM LIBRI ACTOR. APOST.

EST igitur hoc argumentum fortiſſimum diligenter conſiderandum, quod urgetur per totum librum Actorum, qui ſcriptus eſt ad hoc argumentum confirmandum. Totus namq; ille liber nihil aliud agit, quam quòd docet ex lege non dari Spiritum ſanctum, ſed ex auditu Evangelij. Prædicante enim Petro, mox cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, qui audiebant Verbum. Et uno die tria millia hominum, qui audiebant ſermonem Petri, crediderunt, & acceperunt donum Spiritus ſancti, Actor. 2. Sic Cornelius non per eleemoſynas, quas dabat, accepit Spiritum ſanctum, ſed, os aperiente & adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui cum Cornelio audiebant verbum, Act. 10. Hæc ſunt manifeſta argumenta, experientiæ, & opera divina, quæ fallere non poſſunt.

Act. 2. Act. 10.

Cornelius.

Et de Paulo ſcribit Lucas Actorum 15. cum prædicaſſet una cum Barnaba inter gentes Evangelium, & rediiſſet Hieroſolymam, quod obverterit cornua, & oppoſuerit ſe Phariſæis & Apoſtolorum diſcipulis, qui urgebant circumciſionem & obſervationem Legis, tanquam neceſſariam ad ſalutem, Quos ita compeſcuiſſe ait Lucas narratione rerum ſuarum & Barnabæ inter Gentes geſtarum, ut tota Eccleſia obſtupuerit ad narrationem iſtam, præſertim cum audiret Deum tot & tam magna ſigna & prodigia inter Gentes per eos feciſſe. Et cum vehementer admirarentur hi, qui pro lege zelabant, quomodo fieri poſſet, quod Gentes incircumciſæ, non ſervantes legem, neq; opera ejus, nec habentes juſticiam legis, tamen venirent ad iſtam Gratiam, ut juſtificarentur & acciperent Spiritum ſanctum, quemadmodum Iudæi circumciſi, &c? Hic Paulus & Barnabas nihil allegabant, quam manifeſtam experientiam, Ea illi convicti nihil potuerant contradicere. Hoc modo Paulus Sergius proconſul, & omnes civitates, regiones, regna, quibus Apoſtoli prædicaverunt, ſine Lege & operibus, ſolo auditu fidei crediderunt.

Act. 15.

Pauli Sergius proconſul.

In toto igitur libro Actorum in ſumma nihil aliud agitur, quam oportere tàm Iudæos quàm Gentes, tàm juſtos quam peccatores, ſola Fide in Chriſtum Ieſum juſtificari, ſine Lege & operibus. Id quod indicant, tum conciones Apoſtolorum, Petri, Pauli, Stephani, Philippi & aliorum, tum etiam exempla Gentium & Iudæorum. Nam ſicut Gentibus, quæ ſine Lege vivebant, Deus per Evangelium Spiritum ſanctum dedit, Ita & Iudæis, non per Legem, non per cultum & ſacrificia in lege præcepta, Sed per ſolam Fidei prædicationem dedit Spiritum ſanctum. Si autem Lex potuiſſet juſtificare, & juſticia Legis fuiſſet neceſſaria ad ſalutem, tum certe Spiritus ſanctus non fuiſſet datus Gentibus, quæ non ſervaverant legem, Sed ipſa manifeſta experientia teſtabatur illis dari Spiritum ſine lege, Hocq; videbant Apoſtoli, Petrus, Paulus, Barnabas & alii. Ergo non lex, ſed ſola fides in Chriſtum, quam Evangelium prædicat, juſtificat.

Sola fide in Chriſtum juſtificari Iudæos & Gentes.

Iſta diligenter obſervanda ſunt propter adverſarios, qui non obſervant, quid in Actis Apoſtolorum agatur. Ego olim etiam legi iſtum librum, ſed nihil prorſus in eo intelligebam. Itaq; cum audis vel legis in Actis, aut ubicunq; tandem in Scripturis, vocabulum Gentium, ſcias non naturaliter, ſed Theologice illud ſumi debere, pro iis hominibus, qui non ſunt ſub Lege, ſicut Iudæi (ut ſupra Cap. 2. Nos natura Iudæi, &c.) ſed ſine lege. Quare Fide juſtificari Gentes nihil aliud eſt,

Vocabulū Gentium.

Fide juſtificare Gentes.

quam homines, qui Legem & opera ejus non faciunt, qui non circumciduntur, non ſacrificant, &c. juſtificari & accipere Spiritum ſanctum. Per quid? Non per legem & opera ejus, quia Legem non habent, Sed gratis, nihil plane accedente, quam ſolo auditu Evangelii. Sic Cornelius & amici ipſius, quos ad ſe vocaverat, nihil faciunt, nec ſpectant opera præcedentia, & tamen quotquot adſunt, accipiunt Spiritum ſanctum. Solus Petrus loquitur, ipſi ſedentes nihil agunt, non cogitant de Lege, multo minus eam faciunt, non ſacrificant, non ſunt ſolliciti de ſuſcipienda circumciſione, ſed tantum intenti ſunt in os Petri, Is ſua prædicatione attulit illis in cor Spiritum ſanctum etiam viſibiliter. Loquebantur enim lingvis, & magnificabant Deum.

Cornelius.

Sed poſſet aliquis hoc cavillari. Quis novit, an fuerit Spiritus ſanctus? Cavilletur ſane, certe Spiritus ſanctus ſic perhibens teſtimonium non mentitur, ſed per hoc indicat ſe habere Gentes pro juſtis, & nulla alia re juſtificans eas, quam per ſolam vocem Evangelii, vel auditum Fidei in Chriſtum. Et in Actis cernere eſt, quam vehementer ex illa re inaudita admirati ſint Iudæi. Fideles enim ex circumciſione, qui cum Petro venerant Cæſaream, videntes in domo Cornelii donum Spiritus ſancti etiam in Gentes effuſum, obſtupeſcebant. Item qui erant Hieroſolymis, expoſtulabant cum Petro, quod ad viros præputium habentes intraſſet, & cum illis manducaſſet. Cum vero audiſſent à Petro rem ordine, ut geſta erat cum Cornelio, narrari, mirabantur, & glorificabant Deum, dicentes, Ergo & Gentibus Deus dedit ſalutem. *Act. 11.*

Ea igitur vox & fama, Deum dare ſalutem etiam Gentibus, primum non ſolum intolerabilis, ſed maximum quoq; Scandalum fuit etiam credentibus Iudæis, quod facile non potuerunt vincere. Habebant enim hanc prærogativam præ cunctis Gentibus, quod erant populus Dei, Eorum erat adoptio, gloria, cultus, &c. Rom. 9. Deinde magno labore exercebant ſeſe in juſticia legis, laborabant tota die, portabant pondus diei & æſtum. Inſuper habebant quoq; promiſſiones de ſervata Lege. Ideo non potuerunt non murmurare contra Gentes, & dicere, Ecce Gentes ſubito veniunt, ſine æſtu & pondere, & habent eandem juſticiam & Spiritum ſanctum ſine labore, quem nos per laborem, diei æſtum & pondus non potuimus conſequi. Laboraverunt quidem, ſed tantum una hora, & hoc labore plus recreati quam defatigati ſunt. Quare igitur Deus vexavit nos Lege, ſi nihil ad juſticiam profuit? Nobis jugo Legis diu gravatis jam præiert Gentes. Nos enim qui ſumus populus Dei, vexati ſumus tota die. Illi vero, qui non ſunt populus Dei, neque Legem habent, neq, unquam boni quicquam fecerunt, redduntur nobis pares. *Rom. 9.*

Murmuratio Iudæorum contra gentes.

Matth.

Atque hinc coactum eſt ſumma neceſſitate concilium hoc Apoſtolorum Hieroſolymis, ut animi Iudæorum ſedarentur, qui quanquam in Chriſtum credebant, tamen pertinaciſſime hærebat hæc opinio in cordibus ipſorum, legem Moſi ſervandam eſſe. Ibi Petrus ſua experientia illis ſeſe opponit, dicens, Si eandem gratiam dedit Gentibus Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum, Ego quis eram, qui prohibere poſſem Deum? Item, Deus, qui novit corda, teſtimonium perhibuit Gentibus, dans eis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, Et nihil diſcrevit inter nos & illos, Fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neq; nos neq; patres noſtri portare potuimus, &c. His verbis Petrus ſemel evertit totam Legem, q. d. Nos non volumus ſervare Legem, quia non poſſumus, Sed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſalvari, quemadmodum & illi. Sic Petrus, totus in iſto argumento hic verſatur, Deum eandem gratiam dediſſe Gentibus, quam Iudæis, q. d. Ego cum prædicarem Cornelio, propria experientia didici, ſine Lege donari Spiritum ſanctum Gentibus, ſolo auditu Fidei, Ideo nullo modo gravandæ ſunt lege. Deinde cum conſtet neq; nos neq; patres noſtros poſſe præſtare Legem, oportet & vos abjicere opinionem, quòd per Legem contingat juſticia & ſalus. Hocq; paulatim fecerunt Iudæi, qui crediderunt, Impii vero hac prædicatione plus offenſi, tandem prorſus indurati ſunt.

Concilium Apoſtolorum.

Auditu fidei dari Spiritum ſanctum.

Act. 15.

Commen-

COMMENDATIO LIBRI ACTOR. APOST.

SIc in Actis invenies gloſſam, experientiam & conciones Apoſtolorum, Deinde etiam exempla pro iſto argumento, contra hanc pertinaciſſimam opinionem juſticiæ legalis. Ac propter hanc cauſam plus diligere & diligentius legere hunc librum debemus, quod firmiſſima teſtimonia continet, quæ certo conſolari & erigere nos poſſunt, contra Papiſtas, Iudæos noſtros, quorum abominationes & larvas impugnamus & damnamus doctrina noſtra, ut Chriſti beneficia & gloriam illuſtremus. Hi quanquam nihil firmi habent, quod nobis opponant (Iudæi enim poterant opponere Apoſtolis, quod divinitus accepiſſent Legem & totum cultum) tamen non minori pertinacia conantur defendere ſuas impias traditiones & abominationes, quàm Iudæi ſuam legem à Deo traditam, hoc maxime urgentes, Quòd in loco Epiſcoporum ſedeant, Quod poteſtatem habeant regendi Eccleſias. Hoc ideo faciunt, ut nos in ſervitutem redigant, utq; nobis hoc extorqueant, Nos non ſola fide, ſed fide informata charitate juſtificari. At nos opponimus illis librum Actorum, ut illum legant, & res geſtas in eo conſiderent, Tum invenient hanc eſſe ſummam & argumentum hujus libri, Nos ſola fide in Chriſtum ſine operibus juſtificari, Solo auditu Fidei Spiritum ſanctum dari ad vocem Evangelij, non ad vocem vel opus Legis.

Quare ita docemus, Etiamſi, ô homo, jejunes, eleemoſynam des, honore afficias parentes, obedias magiſtratui, ſubditus ſis hero, &c. tamen per hæc non juſtificaris. Iſta vox Legis, Honora parentes, vel alia, audita aut facta, non juſtificat. Quid tum? Audire vocem Sponſi, audire ſermonem Fidei, is ſermo auditus juſtificat. Quare? Quia affert Spiritum ſanctum, qui juſtificat. Ex his ſatis intelligi poteſt, quod ſit diſcrimen inter Legem & Evangelium. Lex nunquam affert Spiritum ſanctum, Ergo nec juſtificat, Quia ſolum docet, quid nos facere debeamus. Evangelium vero affert Spiritum ſanctum, quia docet quid accipere debeamus. Ideo Lex & Evangelium duæ prorſus contrariæ doctrinæ ſunt. Statuere ergo juſticiam in Lege, eſt ſimpliciter luctari contra Evangelium. Nam Moſes cum ſua lege eſt exactor, poſtulans, ut nos operemur & demus, in ſumma, exigit à nobis. Contrà Evangelium non exigit, ſed donat gratis, & jubet nos porrectis manibus oblata accipere. Differunt autem per contrarium exigere & donare, accipere & offerre, nec ſimul poſſunt exiſtere. Nam quod datur, accipio, quod vero dono, non accipio, ſed alteri offero. Itaq; ſi Evangelium eſt donum, & offert donum, ergo nihil exigit. Contrà Lex nihil donat, ſed à nobis exigit, & quidem impoſſibilia, &c.

Argumentum libri Act. Ap.

Diſcrimen Legis & Evangelij.

Exigere. Donare.

DE CORNELIO ACT. 10.

HIc adverſarij opponunt exemplum Cornelij (de quo & Magiſter Sententiarum & Eraſmus in Diatribe diſputant) Cornelius, inquiunt, fuit, teſte Luca, vir bonus, juſtus, timens Deum, faciens eleemoſynas multas populo, & deprecans Deum ſemper, Ergo merebatur de congruo remiſſionem peccatorum & Spiritus ſancti miſſionem. Reſpondeo, Cornelius fuit gentilis, id quod adverſarij negare non poſſunt. Nam verba, quæ Petrus in Actis Cap. 10. allegat, hoc clare teſtantur, Vos ſcitis, inquit, non eſſe fas viro Iudæo intrare ad gentilem. Fuit ergo gentilis, non circumciſus, non obſervans legem, imo ne quidem de ea cogitans, quia nihil ad eum pertinebat, Et tamen juſtificatur & accipit Spiritum ſanctum. Et hoc argumentum, ut dixi, urgetur per totum librum Act. ſcilicet, Quod Lex nihil cooperatur ad juſticiam.

Cornelius gentilis fide juſtificatur.

Satis ſit igitur pro articulo Iuſtificationis defendendo, quod Cornelius fuit gentilis, non circumciſus, non ſervans legem. Ergo non Lege, ſed per auditum Fidei juſtificatus eſt. Ergo Deus juſtificat ſine lege, & per conſequens, lex nihil facit ad juſticiam. Alioqui Deus dediſſet Spiritum ſanctum tantum Iudæis, qui legem habebant & faciebant, Non Gentibus, quæ eam non habebant, multo minus faciebant,

Lex non cooperatur ad juſticiam.

ciebant. Sed contrarium eſt factum, donatus eſt Spiritus ſanctus his, qui Legem non habebant. Ergo manifeſta experientia teſtatur, Spiritum ſanctum dari non facientibus Legem. Igitur juſticia non eſt ex lege. Hoc modo ſolvitur objectio adverſariorum, non intelligentium veram rationem juſtificationis.

Patres in veteri teſtamento ſancti, &c.

Hic rurſus objiciunt adverſarii & dicunt, Eſto ſane, quod Cornelius fuerit gentilis, & per Legem non acceperit Spiritum ſanctum, Tamen cum textus clare dicat, eum fuiſſe juſtum, timentem Dei, facientem eleemoſynas, &c. veriſimile eſt, quod per hæc meruerit, ut poſtea acciperet Spiritum ſanctum. Reſpondeo, Cornelius fuit juſtus & ſanctus in veteri Teſtamento, propter fidem in venturum Chriſtum, ſicut omnes Patres, Prophetæ, pii Reges, juſti fuerunt, accepto clam Spiritu ſancto, propter fidem venturi Chriſti. Sophiſtæ autem non diſtinguunt inter Fidem in venturum Chriſtum, & in Chriſtum jam exhibitum. Quare ſi etiam mortuus fuiſſet Cornelius ante revelatum Chriſtum, non damnatus fuiſſet, Quia fidem Patrum habebat, qui ſola Fide futuri Chriſti ſalvati ſunt, Actor. 15. Manſit ergo gentilis, incircumciſus, ſine Lege, coluit tamen eundem Deum, quem Patres, fide in venturum Meſſiam. Sed quia jam venerat Meſſias, neceſſe erat, ei ſignificari per Apoſtolum Petrum, quod non eſſet expectandus, ſed jam veniſſet. Act. 15.

Fides in revelandum & jam revelatum Chriſtum.

Et is articulus de fide in revelandum adhuc & jam revelatum Chriſtum (ut hoc etiam obiter admoneam) ſcitu perneceſſarius eſt. Nam revelato nunc Chriſto, non poſſumus ſalvari fide in venturum Chriſtum, Sed cogimur credere eum jam veniſſe, impleſſe omnia, legem abrogaſſe. Ideo oportuit quoq; Cornelium imbui nova fide, quòd Chriſtus jam veniſſet, quæ antea erat, eum adhuc venturum. Sic fides cedit fidei, Ex fide in fidem, Rom. 1. Rom. 1.

Errant igitur Sophiſtæ, cum dicunt, pro ſtatuendo opere congrui, Cornelium operibus naturalibus rationis & moralibus conſecutum eſſe gratiam & miſſionem Spiritus ſancti. Nam juſtum & timentem Dei, &c. eſſe, affectus ſunt non hominis gentilis aut naturalis, ſed ſpiritualis, qui jam Fidem habet. Niſi enim crederet in Deum, timeret Deum, non ſperaret ſe oratione aliquid ab eo impetraturum. Ideo primum commendatur Cornelius à Luca de juſticia, timore Dei, Tum demum de operibus & eleemoſynis commendatur. Hoc adverſarii non conſiderant, ſed tantum hanc particulam arripiunt & mordicus tenent, quod largitus ſit eleemoſynas pauperibus, Ea enim res videtur ipſis facere pro ſtatuendo merito congrui. Oportet autem primum perſonam ſeu arborem commendari, deinde opera & fructus. Cornelius arbor bona eſt, quia juſtus, timens Dei, Ergo facit bonos fructus, largitur eleemoſynas, invocat Deum. Et hi fructus placent Deo propter fidem. Quare Angelus commendat Cornelium de Fide venturi Chriſti, & tranſfert eum ex fide venturi, in fidem Chriſti jam exhibiti, cum dicit, Accerſe Simonem, hic dicet tibi, &c. Sicut ergo Cornelius ſine lege fuit ante revelatum Chriſtum, ita poſt revelatum Chriſtum nec legem, circumciſionem &c. ſuſcepit, Et ſicut antea non ſervavit legem, ſic nec poſtea. Stat ergo argumentum fortiſſime, Cornelius ſine Lege juſtificatus eſt, Igitur Lex non juſtificat.

Conſiderenda primum perſona, deinde opus.

NAAMAN SYRVS.

SImiliter Naaman Syrus procul dubio bonus & pius vir fuit, ac veram opinionem de Deo habuit. Et quanquam gentilis erat, nec pertinebat ad regnum Moſi, quod tum florebat, tamen mundatur ejus caro, revelatur ei Deus Iſraël, accipit Spiritum ſanctum. Sic enim ait, Vere ſcio, quod non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantum in Iſraël. Nihil plane facit, non ſervat legem, non circumciditur, ſed orat tantum terræ ſibi dari, quantum duo muli portare poſſunt. Deinde cernitur fidem in ipſo non fuiſſe ocioſam. Sic enim loquitur ad Prophetam Heliſeum. Non faciet ſervus tuus victimam aut holocauſtum diis alienis, niſi Domino. Verum in hac re propicius ſit Dominus mihi ſervo tuo, cum adoravero in templo Rimon, ingrediente domino meo Rege in templum Rimmon, ut ibi adoret & innitatur 4. Reg. 5.

tatur ſuper manum meam. Cui Propheta, Abi in pace. Sic ille juſtificatur. Hoc audiens Iudæus rumpitur ira, & dicit, Num gentilis juſtificaretur non ſervata Lege, & nobis circumciſis conferretur?

GENTES IVSTIFICATÆ SINE LEGE STANTE ADHVC POLITIA MOSI.

ITaque Deus multò ante, ſtante & florente adhuc regno Moſi, indicavit ſe ſine Lege homines juſtificare, Vt certe juſtificavit multos Reges in Ægypto, in Babylone, Item Hiob, & alios orientales populos. Deniq; Ninive maxima civitas juſtificatur & accipit à Deo promiſſionem ſalutis, quod non ſit perdenda. Per quid? Non quia audiebat & faciebat legem, Sed quia credebat verbo Dei, quod Propheta Ionas prædicabat. Sic enim ſonant verba Prophetæ, Et crediderunt Ninivitæ Deo, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis, Id eſt, egerunt pœnitentiam. Adverſarii fortiter tranſiliunt hoc, Crediderunt, & tamen tota vis in eo ſita eſt. Non legis in Iona. Et Ninivitæ acceperunt Legem Moſi, circumciſi ſunt, ſacrificaverunt, opera legis fecerunt, Sed credentes egerunt pœnitentiam in ſacco & cinere.

Iſta ante Chriſtum exhibitum geſta ſunt, cum adhuc regnaret fides in venturum Chriſtum. Si igitur tum Gentes juſtificatæ abſq; lege acceperunt clam Spiritum ſanctum, ſtante adhuc Legis politia, Cur nunc Lex exigeretur ad juſticiam, quæ exhibito jam Chriſto abrogata eſt? Eſt ergo firmiſſimum hoc argumentum, ab experientia Galatarum ſumptum, Num accepiſtis, &c? Coguntur enim fateri, ſe nihil audiſſe de Spiritu ſancto ante prædicationem Pauli, eo autem Evangelium prædicante ſe ſpiritum accepiſſe.

Idem & nos hodie cogimur fateri, convicti teſtimonio propriæ conſcientiæ, ſcilicet Spiritum non dari per Legem, ſed per auditum Fidei. Nam multi antea in Papatu, ſummo labore ac ſtudio conabantur legem, ſtatuta ſeu decreta Patrum & traditiones Papæ, ſervare, & quidam magnis & frequentibus exercitiis vigiliarum, jejuniorum, orationum, &c. ſic defatigabant & perdebant corpora ſua, ut poſtea ad nullam rem gerendam idonei eſſent. Et hac tamen re nihil aliud efficiebant, quam quod ſeipſos miſere cruciabant, Nunquam huc pervenire poterant, quòd tranquillam conſcientiam & pacem in Chriſto haberent, ſed perpetuò dubitabant de voluntate Dei erga ſe. Nunc autem cum Evangelium docet, Quod lex & opera non juſtificent, ſed fides in Chriſtum, ſequitur cognitio & intelligentia certiſſima, conſcientia lætiſſima, & veriſſimum judicium de omnibus vitæ generibus & rebus. Iam credens certo ſtatuere poteſt, Papatum cum univerſis ſuis ordinibus & traditionibus eſſe impium, quod antea non potuit. Tanta enim cæcitas regnabat in mundo, ut judicaremus opera, quæ homines excogitaverunt, non ſolum ſine ſed etiam contra mandatum Dei, longe præſtare operibus, quæ facit, jubente Deo, magiſtratus, paterfamilias, præceptor, filius, ſervus, &c.

Debueramus profecto ex verbo Dei cognoſcere, Papiſtarum ordines, quos ſolos nominabant ſanctos, eſſe impios, cum nullum prorſus mandatum Dei aut teſtimonium in ſacris literis extet de eis. Contra alia vitæ genera, quæ habent verbum & mandatum Dei, eſſe ſancta & divinitus inſtituta. Sed tam horribilibus tenebris immerſi tum eramus, ut plane de nulla re recte potuerimus judicare. Iam vero coruſcante Evangelii luce, omnia vitæ genera in mundo ſub certo & infallibili judicio noſtro ſunt. Pronuntiamus ex verbo Dei certam ſententiam, vitæ genus ſervorum, quod coram mundo eſt viliſſimum, longe acceptius eſſe Deo, quam omnes ordines Monachorum. Quia ſervorum ſtatum approbat, commendat & ornat Deus ſuo verbo, non item monachorum. Ideo hoc argumentum ab experientia ductum, & apud nos maxime valere debet. Nam etiamſi alii alia opera & ea multa & gravia faciebant in Papatu, Tamen nunquam potuerunt eſſe certi de voluntate Dei erga ſe, Sed ſemper dubitaverunt, nunquam potuerunt pervenire ad cognitionem Dei, ſui, vocationis ſuæ, nunquam ſenſerunt teſti-

Certitudo eredentium.

monium ſpiritus in cordibus ſuis, Iam vero lucente veritate Evangelij, ex ſolo auditu Fidei, de iſtis omnibus certiſſime erudiuntur.

Per quid detur Spiritus ſanctus.

Hæc non fruſtra tam copioſe dico, quia valde exiliter ſonat, quòd ad ſolum auditum fidei Spiritus ſanctus detur nobis, quodq; prorſus nihil aliud à nobis exigatur, quam quod ab omnibus actionibus noſtris deſiſtamus, & tantum audiamus Evangelium. Humanum cor non intelligit neq; credit, tantum precium, ſcilicet Spiritum ſanctum, ſolo auditu fidei dari, Sed ſic colligit. Magna res eſt remiſſio peccatorum, liberatio à peccato & morte, donatio Spiritus ſancti, juſticia & vita æterna, Ideo oportet te aliquid magni præſtare, ut iſta inæſtimabilia dona conſequaris. Hanc opinionem approbat & exaggerat in corde Diabolus. Itaq; cum audit ratio, Tu nihil potes facere pro conſequenda remiſſione peccatorum, ſed tantum debes audire verbum Dei, ſtatim reclamat & dicit, Ah tu nimis exilem & contemptam facis remiſſionem peccatorum, &c. Sic magnitudo doni facit, ut illud non accipiamus, Et quia gratis offertur tantus theſaurus, ideo contemnitur.

Diſputatio humanæ rationis.

Quibus detur regnum cœlorum.

Sed oportet nos omnino hoc diſcere, quòd gratis, ad ſolum auditum fidei detur remiſſio peccatorum, Chriſtus, Spiritus ſanctus, non obſtantibus etiam maximis peccatis & demeritis noſtris. Neq; videndum eſt, quanta res donetur, & quam nos indigni ſimus, alioqui magnitudo & rei & indignitatis noſtræ abſterrebit nos. Sed cogitandum eſt, quod Deo placeat hoc inenarrabile donum, gratis & indignis nobis dare, Vt Chriſtus ait, Luc. 12. Noli timere, puſille grex, Placuit enim Patri veſtro dare, (dare, inquit) regnum. Quibus? vobis indignis, qui eſtis puſillus grex. Si ergo parvus ſum, & res magna, imo maxima eſt quæ donatur, oportet me cogitare, etiam magnum & ſolum magnum eſſe eum qui dat. Si ille offert & vult dare, non conſidero meum peccatum & indignitatem, ſed paternam voluntatem ejus erga me, qui dat, & magnitudinem doni cum gaudio accipio, & lætus ac gratus ſum prò dono inenarrabili, gratis, per auditum Fidei, & indigno, dato. Luc. 12.

Quid adverſarij nobis opponunt.

Hic ſtulta ratio iterum offenditur, & reprehendit nos, dicens, Quòd docetis homines prorſus nihil debere facere, pro tàm immenſo dono conſequendo, quàm audire Verbum, hoc videtur vergere in maximum contemptum Gratiæ, & homines ſecuros, langvidos & ſtertentes reddere, ut remittant manus, & prorſus nihil boni operentur, Ideo non expedit hoc prædicare, neq; eſt verum, ſed homines urgendi ſunt, ut laborent, ſudent & exerceant ſe ad juſticiam, & tum conſequentur hoc donum. Hoc idem objecerunt olim Pelagiani Chriſtianis, Sed audi quid Paulus hîc dicat, Non ex laboribus & ſudoribus, non ex operibus Legis, ſed ex auditu fidei accepiſtis Spiritum ſanctum. Audi denique ipſum Chriſtum, quid reſpondeat Marthæ, vehementer ſollicitæ & ægre ferenti, quod ſoror Maria, aſſidens ad pedes Ieſu, ac audiens ſermonem illius, relinqueret ſe ſolam miniſtrare, Martha, inquit, ſolicita es, & turbaris erga plurima, unum eſt neceſſarium, Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Chriſtianus ergo fit, non operando, ſed audiendo. Quare qui ſeſe exercere vult ad juſticiam, Primum exerceat ſe audiendo Evangelio, hoc audito & concepto, lætus agat gratias Deo, & tum ſe exerceat bonis operibus, quæ ſunt in Lege præcepta, Ita ut Lex & opera ſequantur auditum Fidei. Tum poterit ſecure ambulare in luce, quæ eſt Chriſtus, & certo eligere & facere opera non hypocritica, ſed vere bona, quæ ſciat Deo placere & ab eo præcepta eſſe, & contemnere omnes larvas electitiorum operum. Luc. 10.

Chriſtianus fit audiendo, &c.

Credere res ardua.

Adverſarij exiſtimant, Fidem omnino rem levem & nihili eſſe per quam Spiritus concipitur, Sed quam difficilis & ardua res ſit, experior ego, & omnes qui mecum ferio amplectuntur eam. Statim dicitur, Solo auditu fidei accipi Spiritum, ſed non tam facile auditur, capitur, creditur, & retinetur, ac dicitur. Quare ſi audis à me, Chriſtum agnum Dei, immolatum eſſe pro peccatis tuis, vide, ut hoc vere etiam audias. Paulus ſignificanter vocavit auditum fidei (non verbum fidei, quanquam parum intereſt) hoc eſt, tale verbum, quod tu audiens credas, Vt verbum non ſolum ſit vox mea, ſed audiatur à te, & penetret in cor & à te credatur,

Auditus fidei.

tunc

tunc vere eſt auditus fidei, per quem accipis Spiritum ſanctum, Eo accepto, poſtea mortificabis carnem tuam.

Pii experiuntur, quam libenter vellent plena Fide verbum auditum tenere, & evellere opinionem Legis & juſticiæ propriæ, Sed ſentiunt luctam in carne reſiſtentem omni vi ſpiritui. Nam ratio & caro ſimpliciter volunt cooperari. Hoc oportet circumcidi & ſervare Legem, non poteſt nobis penitus eximi, ſed manet in cordibus omnium piorum. Ideo perpetua eſt piis lucta cum auditu Fidei & operibus legis, quia conſcientia ſemper remurmurat & cogitat, Nimis facilem hanc viam eſſe, quod ex ſolo auditu Verbi promittitur juſticia, Spiritus ſanctus & ſalus æterna. Sed tenta ſerio & experire, quam facile ſit audire verbum Fidei, Magnus quidem eſt qui dat, deinde magna dat volens & ſimpliciter, ac nemini exprobrat, Sed tua capacitas difficilis & fides infirma eſt, faciens tibi luctam, ut oblatum donum non poſſis accipere. Sed remurmuret ſane conſcientia, & recurrat ſubinde (hoc oportet) tamen tu tantiſper perdura & conſiſte, donec illud oportet vincas, Sic creſcente fide, paulatim decreſcit illa opinio juſticiæ Legis, Sed hoc ſine magno certamine fieri non poteſt.

Lucta carnis contra ſpiritum in piis.

Audire verbum fidei facile, ſed capere difficile.

Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini.

ABSOLUTO hoc argumento, ſcilicet quod ſpiritus non detur per opera Legis, ſed per auditum Fidei, Incipit jam exhortari & deterrere à duplici periculo ſeu damno, Primum eſt, Sic amentes eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini. Alterum ſequitur, Tanta paſſi eſtis fruſtra, &c. Et iſta ſunt rhetorica, ſcilicet detertere à periculis & damnis, Et rurſum perſvadere, ab utili, honeſto & facili. Dicit ergo, Spiritu cœpiſtis, hoc eſt, veſtra religio erat pulcherrime incepta & inſtituta, ut & infra dicit, Currebatis bene, &c. Quid ſit? Iam vultis carne conſummari, imo carne jam conſummamini.

Spiritu incepere.

Paulus hic opponit Spiritum & carnem. Non appellat carnem, ut ſupra quoque monui, libidinem, paſſiones beluinas, ſeu appetitum ſenſitivum. Quia hoc loco non diſputat de libidine aut de aliis concupiſcentiis carnis, Sed de remiſſione Peccatorum, de juſtificanda conſcientia, de paranda juſticia coram Deo, de liberatione à Lege, peccato, morte, Et tamen hic dicit, quod deſerto ſpiritu jam conſummentur carne. Itaq; Caro eſt ipſa juſticia, ſapientia carnis, ac cogitatio rationis, quæ per Legem conatur juſtificari. Quicquid ergo optimum ac præſtantiſſimum eſt in homine, Paulus vocat Carnem, hoc eſt, ſummam ſapientiam rationis & ipſam juſticiam legis.

Carne conſummari.

Caro quid in Paulo ſignificet.

Et conſiderandus eſt iſte locus propter calumniatores Papiſtas, qui eum detorquent contra nos, dicentes, Nos ſub Papatu ſpiritu cœpiſſe, Iam vero ductis uxoribus carne conſummari, Quaſi vero ſpiritualis vita ſit cœlibatus, aut non habere uxorem, Et interim nihil impediat ſpiritualem vitam, ſi quis uno ſcorto non contentus habeat plura. Homines ſine mente ſunt, qui non intelligunt, quid ſpiritus vel caro ſit. Spiritus eſt, quicquid in nobis geritur per Spiritum. Caro, quicquid in nobis geritur ſecundum carnem extra ſpiritum. Quare omnia officia Chriſtianorum, ut diligere uxorem, alere liberos, regere familiam, honore afficere parentes, obedire magiſtratui, &c. quæ ipſis ſecularia & carnalia ſunt, ſunt fructus Spiritus. Non diſtinguunt homines cæci res, quæ bonæ creaturæ Dei ſunt, à vitiis.

Spiritus, Caro, Fructus Spiritus.

Conſiderandum eſt & hoc, quod Paulus dicit, Galatas cœpiſſe ſpiritu, Ibi addere debebat active, nunc Carne conſummatis, hoc non facit, ſed paſſive dicit, carne conſummamini. Adeo juſticia Legis, quam Paulus hic Carnem vocat, non juſtificat, ut hi, qui poſt acceptum Spiritum per Fidei auditum, ad eam deficiunt, ea conſummentur, hoc eſt, finiantur & prorſus perdantur. Itaq; qui docent Legem eſſe faciendam hoc fine, ut homines per eam juſtificentur, hi dum volunt conſulere conſcientiis, maxime eis nocent, dum eas juſtificare volunt, damnant. Semper autem

Effectus juſticiæ legalis.

Pseudoapostolorum doctrina.

autem oblique petit Paulus Pseudoapostolos. Hi enim urgebant legem, dicentes, Fides in Christum sola non tollit Peccatum, non placat iram Dei, non justificat, Itaq; si illa beneficia consequi vultis, non debetis tantum credere in Christum, sed simul etiam Legem servare, circumcidi, ferias agere, sacrificare, &c. Hoc facientes, liberi eritis à peccato, ira Dei, &c. Imo hoc ipso, ait Paulus, statuitis injusticiam, provocatis iram Dei, Peccatum peccato additis, à Gratia exciditis, & eam abjicitis, Spiritum extinguitis, & unà cum discipulis vestris carne consummamini. Hoc primum periculum est, à quo deterret Galatas, ne scilicet, si per Legem justificari quærant, Spiritum amittant, & optima principia pessimo fine perdant.

Tanta passi estis frustra?

2. Periculum à quo deterret Paulus.

ALTERUM periculum seu damnum est, Tanta passi estis frustra? q. d. Non solum considerate, quam pulchre cœperitis, & quam miserabiliter bona initia, & cursum optimè inceptum, amiseritis, Item quod non solum defeceritis à primitiis & fructibus Spiritus, relapsi in ministerium Peccati & mortis, & in tristem ac miseram servitutem Legis, Sed etiam hoc considerate, Quod multa passi estis propter Evangelium & Christum, scilicet, Rapinam bonorum, blasphemias & contumelias, pericula corporis & vitæ, &c. Omnia apud vos erant in pulcherrimo cursu & successu, Recte docebatis, sancte vivebatis, & constanter pro nomine Christi mala patiebamini, Iam vero periit tam Doctrina, quam Fides, tam actio quam passio, tam spiritus quàm fructus ipsius in vobis.

Quæ incommoda sequantur ex justicia legis seu propria.

Ex his satis constat, quid incommodi afferat justicia Legis seu propria, nempe quod fidentes ea, semel amittant incomprehensibilia bona, &c. Porro res valde miseranda est, tam cito & facile aliquem amittere tantam gloriam & fiduciam conscientiæ erga Deum, &c. Item, tam multas & graves passiones ac pericula rerum, uxoris, liberorum, corporis & vitæ perferre. Et tamen illa omnia ociosè & frustra perferre. Et ex his duobus locis posset aliquis Encomium justiciæ Legis, seu propriæ scribere, & in immensum amplificare, si per partes declarare vellet, quid Spiritus sit, quo cœperunt, Deinde quæ, quantæ & quot passiones fuerint, quas propter Christum pertulerunt. Sed ista nulla possunt explicari rhetorica. Quia res maximæ sunt, de quibus hic agit Paulus, videlicet gloria Dei, victoria mundi, carnis & Diaboli, justicia & vita æterna. Et econtra Peccatum, desperatio, mors æterna & infernus. Et tamen in momento amittimus illa inæstimabilia dona, & hæc horribilia & nunquam desitura mala acquirimus, hocq; autoribus falsis magistris, cum nos transferunt ab Evangelii veritate in erroneam doctrinam. Idq; faciunt non solum facile, sed etiam magno prætextu pietatis.

Si tamen frustra.

Officium Apostoli.

CORRECTIO est, qua mitigat superiorem objurgationem paulo duriorem, hocq; facit ut Apostolus, ne nimium perterrefaciat Galatas. Objurgat quidem, sed sic, ut tamen semper oleum juxta infundat, ne eos ad desperationem adigat.

Carne consummari.

Dicit ergo, Si tamen frustra, q. d. Non omnino abjeci spem de vobis. Si vero sic velletis, deserto Spiritu, carne consummari, hoc est, justiciam Legis sequi, ut cœpistis, Tum scitote omnem vestram gloriam & fiduciam in Deo inanem, & omnes passiones vestras frustraneas esse. Oportet autem me paulo durius vobiscum loqui, causam vehementius exaggerare & vos acerbius objurgare, præsertim cum magnitudo rei hoc postulet, ne putetis nihil aut parum referre, si rejecta Pauli doctrina, audiatis & suscipiatis aliam. Non tamen præcido vobis omnem spem, si modo resipiscatis. Quia immundi, infirmi & hulcerosi pueri non sunt abjiciendi, sed curandi & fovendi diligentius quàm validi. Sic Paulus, ut expertus medicus, fere totam culpam transfert in Pseudoapostolos, hujus pestiferi morbi autores. Contrà, Galatas satis molliter tractat, ut hac lenitate eos sanet. Debemus ergo & nos exemplo Pauli, ita arguere infirmos, ita curare & tollere morbum ipsorum, ut interim eos etiam consolemur, ne si durius à nobis tractentur, desperent.

Exemplo Pauli tractandi peccatores.

Qui

Qui igitur subministrat vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis, Ex operibus Legis, an ex auditu fidei?

ARGUMENTUM hoc ab experientia Galatarum sumptum, adeo delectat Apostolum, ut postquam increpavit & deterruit eos à duplici incommodo, idem nunc repetat, & quidem cum augmento, dicens, Qui subministrat, &c. Hoc est, Non solum accepistis Spiritum ex auditu fidei, sed omnia, quæ cognovistis & operati estis, ex auditu fidei habetis, q. d. Non satis fuit Deum semel dedisse vobis Spiritum, Sed idem Deus semper suppeditavit & auxit dona Spiritus, ut semel eo accepto, semper cresceret & efficax esset in vobis Spiritus. Ex his satis constat, Galatas feciſſe miracula vel saltem præstitisse virtutes, hoc est, fructus Fidei, quos veri discipuli Evangelii præstare solent. Quia alibi dicit Apostolus, Regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute. Virtus autem est, non solum posse loqui de Regno Dei, sed etiam re ipsa ostendere, quod Deus sit efficax per Spiritum suum in nobis. Sic supra Cap. 2. de se dicit, Qui efficax fuit in Petro, inter Iudæos, Is & in me efficax fuit inter Gentes.

Argumentum ab experientia repetit Paulus.

Regnum Dei non est in sermone, sed virtute. 1. Cor. 4.

Cum igitur Concionator sic prædicat, ut Verbum non frustretur suis fructibus, sed efficax sit in auditoribus, hoc est, cum sequitur Fides, spes, charitas, patientia, &c. Ibi Deus subministrat Spiritum, & operatur virtutes in auditoribus. Simili modo Paulus hîc dicit, Deum subministrasse Spiritum Galatis, & operatum fuisse virtutes in eis, q. d. Deus non solum effecit per prædicationem meam ut crederetis, sed ut etiam sancte viveretis, multos fructus fidei faceretis & mala pateremini. Item eadem virtute Spiritus facti estis ex Avaris, adulteris, iracundis, impatientibus, hostibus, &c. Largi, casti, mites, patientes, amantes proximorum. Hinc Cap. 4. testimonium ipsis præbet, quod exceperint se tanquam angelum Dei, imo tanquam Iesum Christum, quodque tam vehementer dilexerunt, ut parati fuerint oculos eruere, &c.

Deus efficax per prædicationem verbi.

Amare autem proximum, tam ardenter, ut paratus sis impendere Pecuniam, rem, oculos, vitam & omnia pro ipsius salute, Deinde patienter tolerare omnia adversa, &c. certè virtutes sunt Spiritus. Et istas virtutes accepistis & habuistis, inquit, antequam isti Pseudodoctores ad vos venerunt. Accepistis autem non ex Lege, sed ex Deo, ita subministrante & quotidie augente Spiritum, ut Evangelium inter vos felicissime cucurrerit, docendo, credendo, operando & tolerando. Cum ista sciatis, testimonio propriæ conscientiæ convicti, quî fit, quod easdem virtutes jam non præstatis, quas antea? Hoc est, quod non recte doceris, pie creditis, juste vivitis, bene operamini, patienter toleratis mala? Quis deniq; ita corrupit vos, ut erga me tam amanter non sitis affecti, ut antea? Iam non susciperetis Paulum, ut Angelum Dei, ut Christum Iesum, non erueretis oculos vestros, & daretis mihi. Quî fit, inquam, quod tanto ardore amplius pro me non æmulemini, sed præferatis nunc mihi Pseudoapostolos, qui vos tam misere seducunt?

Virtutes Spiritus sancti.

Sic hodie nobis accidit, Initio prædicationis Evangelii, valde multi erant, quibus nostra doctrina arridebat, ac de nobis candide & reverenter sentiebant, sequebantur prædicationem Evangelii virtutes & fructus Fidei. Quid fit? Subito exoriuntur fanatici Spiritus, qui brevi subvertunt, quod nos longo tempore & multo sudore struxeramus, tamq; infensos nobis reddunt animos eorum etiam, qui antea nos vehementer amabant, & doctrinam nostram cum gratiarum actione recipiebant, ut apud illos nihil jam sit magis exosum, quam nomen nostrum. Sed hujus mali Diabolus est autor, qui contrarias virtutes operatur in suis membris, quæ pugnant cum virtutibus Spiritus sancti. Debebat ergo, inquit Apostolus, experientia vestra, ò Galatæ, vos docere, Illas tantas virtutes non ex operibus Legis veniſſe. Nam ut eas ante auditum fidei non habuistis, Ita neq; nunc, regnantibus inter vos Pseudoapostolis, eas habetis.

A piis doctoribus ædificata per fanaticos celerrime subvertuntur.

Item & nos hodie possumus dicere ad eos, qui jactant se Evangelicos, &

ex ty-

ex tyrannide Papæ liberatos eſſe, Num viciſtis tyrannidem Papæ, & libertatem in Chriſto adepti eſtis, per fanaticos ſpiritus, aut per nos, qui prædicavimus Fidem in Chriſtum? Hic ſi veritatem fateri volunt, coguntur dicere, Certe per prædicationem Fidei. Et verum eſt, Initio prædicationis noſtræ, currebat doctrina de Fide feliciſſime, corruebant Indulgentiæ, purgatorium, vota, miſſa, & ſimiles abominationes, quæ trahebant ſecum ruinam totius Papatus. Nemo poterat nos juſte condemnare. Doctrina enim erat pura, erigens & conſolans multas conſcientias, quæ diu oppreſſæ fuerant humanis traditionibus ſub Papatu, qui fuit veriſſima tyrannis & carnificina conſcientiarum. Itaque multi agebant Deo gratias, quod per Evangelium, quod gratia Dei tum primi prædicabamus, ex his laqueis & carnificina conſcientiarum erepti eſſent. Coorris autem Spiritibus, qui negatione corporalis præſentiæ Chriſti in cœna, profanatione Baptiſmi, deſtructione imaginum & abrogatione omnium ceremoniarum, ſemel evertere Papatum, atq; ita famam noſtram obſcurare volebant, Mox male audire cœpit doctrina noſtra. Vulgo enim jactabatur, profeſſores ipſius diſſentire inter ſe. Ea res valde multos offendit & à veritate avertit, fecitq; Papiſtis ſpem, nos propediem interituros cum doctrina, quæ ſibiipſi non conſtaret, Secq; brevi iterum recuperaturos vires, ac ad priſtinam autoritatem & dignitatem hac occaſione perventuros.

Succeſſus Evangelij per fanaticos graviter labefactatus.

Ideo quemadmodum Pſeudoapoſtoli contenderunt & vehementer urſerunt Galatas, jam Fide in Chriſtum juſtificatos, debere circumcidi & legem Moſi ſervare, ſi à Peccatis & ira Dei liberari & Spiritum conſequi vellent, Et tamen hac ipſa re eos plus onerabant Peccatis, Quia per legem non auferuntur peccata, neq; Spiritus per eam datur, Sed iram tantum efficit, & terrores incutit. Ita hodie homines fanatici, qui voluerunt conſulere ſaluti catholicæ Eccleſiæ, & ſemel evertere ac prorſus ſepelire Papatum, per abrogationem Ceremoniarum, deſtructionem imaginum, & impugnationem Sacramentorum, iiſdem illis rebus non conſuluerunt, ſed plus nocuerunt Eccleſiæ, non everterunt ſed plus ſtabilierunt Papatum.

Articulo Juſtificationis evertitur Papatus.

Si vero communi conſenſu, ut cœperant, nobiſcum docuiſſent, & diligenter urſiſſent Articulum juſtificationis, Quòd neq; Legis, neq; propria juſticia, ſed ſola Fide in Chriſtum juſtificamur, Profecto is unicus articulus paulatim, ut cœperat, evertiſſet Papatum cum ſuis Fraternitatibus, Indulgentiis, ordinibus, reliquiis, cultibus, invocatione Sanctorum, purgatorio, miſſis, vigiliis, votis, & id genus aliis infinitis abominationibus. Sed illi, omiſſa prædicatione fidei & juſticiæ Chriſtianæ, rem aliter tentaverunt, magno & ſanæ doctrinæ & Eccleſiarum incommodo. Ideo tale quiddam illis accidit, quod Germanico proverbio dici ſolet: **Für dem Hamen fiſchen.** Abegerunt enim piſces, quos jam rete concluſurum erat, dum eos manibus ſuis prehendere voluerunt.

Für dem Hamen fiſchen.

Quare Papatus hodie labefactatur & ruit non per illos tumultus ſectariorum, ſed per prædicationem Articuli de juſtificatione, qui non ſolum debilitavit regnum Antichriſti, ſed etiam nos hactenus contra ipſius vim ſuſtentavit & defendit. Et niſi hoc præſidium habuiſſemus, jamdudum periiſſent ſectarii, & nos una cum ipſis. Et tamen adeo non agnoſcunt hoc beneficium, ut pro eo, ut Pſalmus ait, quod deberent nos diligere, detrahant nobis, & infenſiſſimis animis inſectentur nos. Articulus autem juſtificationis, qui eſt unicum præſidium noſtrum, non ſolum contra omnes vires & dolos hominum, ſed etiam contra portas inferorum, Is eſt, Sola fide in Chriſtum, ſine operibus nos pronuntiari juſtos & ſalvari. Si ea vera ratio eſt juſtificandi, ut certe eſt, aut totam ſcripturam ſolvi neceſſe eſt. Tum ſtatim ſequitur, neque Monachatu, neque votis, neque miſſis, aut ullis operibus nos juſtos pronunciari. Ibi ſine abrogatione ullius externæ rei, ſine tumultu, ſine aliqua vi humana, ſine ulla impugnatione Sacramentorum, ſolo Spiritu, præcipitatur Papatus. Neque à nobis paratur hæc victoria, ſed per Chriſtum, cujus beneficium prædicamus & illuſtramus.

Pſal.

Vis Articuli juſtificationis.

Et hoc quod jam dico, res ipſa etiam teſtatur. Nam eo tempore, quo primum

Sollariorū pra-

mum incipiebat inclinari & ruere Papatus, nihil planè faciebant Sectarij, Neq; enim poterant, sed tacebant. Contra, nos nihil docebamus & urgebamus, præter Articulum Iustificationis, qui tum solus imminuebat Papæ autoritatem, & regnum ipsius devastabat. Quum autem Sectarij viderent inclinari & ruere Papatum, ac pisces congregari ad rete, volebant semel eversо ac prorsus deleto Papatu, præripere nobis gloriam, & pisces ad rete congregatos omnes pariter manibus suis prehendere. Sed luserunt operam, Nam non prehenderunt, sed tantum abegerunt eos. Sicut igitur Pseudoapostoli paraverunt Galatis justiciam per suam doctrinam de Lege observanda, ita Sectarij per suos tumultus Papatum everterunt. Imagines & alij abusus in Ecclesia per sese corruissent, si diligenter & pure Articulum justificationis docuissent. Sed κενοδοξία agitabantur, Libenter enim audissent prædicari de se, quod ipsi evertissent Papatum, Ideo neglecto justificationis Articulo, excitarunt illos tumultus, quibus nos fere oppressierunt, & Papistas in suis abominationibus confirmarunt. Talem successum habet conatus noster, cum gloriam propriam, non Dei, quærimus.

posteà everti di Papatus ratio.

Tales tumultus & externas larvas nec Papa nec diabolus metuit, Sed doctrina fidei, quæ prædicat solum Christum esse victorem Peccati, mortis, diaboli, est ei formidabilis. Ea enim destruit regnum ipsius, eaq; , ut dixi, nos hodie sustentat, & defendit contra omnes portas Inferorum. Et nisi inniteremur huic ancoræ, cogeremur simpliciter rursus adorare Papam, Neq; esset ulla ratio aut medium resistendi ei. Si enim me adjungerem Sectariis, conscientia mea esset incerta. Quia ipsi nullo jure se opponunt Papæ, cum suam, non Dei gloriam quærant. Itaq; nisi aliis armis essem instructus, quam ipsi, non auderem invadere Papatum, multo minus præsumere, quod eum vellem devastare.

Doctrina fidei.

At ajunt, Papa Antichristus est. Bene, Sed ipse rursus opponit, se habere ministerium docendi, penes se esse potestatem administrandi Sacramenta, ligandi & solvendi, eamq; potestatem se hæreditario jure possidere, ut traditam per manus ab Apostolis. Ideo externis istis tumultibus non deturbatur è sede sua, sed prædicatione Fidei, hoc modo. Papa, Ego volo tibi osculari pedes, teq; agnoscere summum Pontificem, si adoraveris Christum meum, & permiseris, quod per ipsius mortem & resurrectionem habeamus remissionem peccatorum & vitam æternam, Non per observationem tuarum traditionum. Si hic cesseris, non adimam tibi coronam & potentiam tuam, Si non, constanter clamo, te esse Antichristum, & affirmo, omnes tuos cultus & religiones non solum esse abnegationem, sed etiam summam blasphemiam Dei & idolatriam. Hoc Sectarij non faciunt, sed tantum externa vi conantur ei auferre coronam & potentiam, Ideo conatus illorum est inanis. Hoc ante omnia agendum est, ut prodantur Papæ impietates & abominationes, quibus sub specie sanctitatis & religionis toti mundo imposuit, &c. Si hoc fecero, videbo quid postea retineat, Abstuli enim nucleum, & relinquo ei putamina. Contra, ipsi putamina ei auferunt, & nucleum relinquunt.

Papatus destruitur prædicatione fidei.

Summa, Sicut ex operibus Legis, virtutes non sunt factæ, Ita ex illis operibus externis, quæ Sectarij urgent, nihil fit in Ecclesia quàm tumultus, major confusio & impedimentum Spiritus. Et hoc experientia testatur. Nam ipsi Papam non prostraverunt eversione imaginum & impugnatione Sacramentorum, sed superbiorem reddiderunt. Spiritu autem dejectus est, & adhuc hodie dejicitur, hoc est, prædicatione fidei, quæ testificatur Christum traditum pro peccatis nostris. Ibi necesse est ruere justiciam & servitutem legum Papæ.

Interim tamen sæpè obtuli, & adhuc offero, me libenter velle traditiones Papæ ferre, modo relinquat ipsas esse liberas, & ad eas non astringat conscientias, ut ipsis servatis, credant sese justificari, non servatis, damnari. Sed hoc non facit. Nam si ad traditiones suas non astringeret conscientias, quæ esset ipsius potestas? Itaq; hoc maximè agit, ut obstrictas & captivas suis legibus retineat conscientias. Hinc illa voces, Non potes salvari, nisi obedias Romanæ sedi. Hinc illa ful-

Papa quomodo exigat servari traditiones suas.

mina ac tonitrua in Bullis, Qui auſu temerario contraire præſumpſerit, ille noverit ſe incurſurum indignationem omnipotentis Dei,&c. Ibi ſimpliciter privat omnes ſalute,qui non obediunt ſuis legibus. Contrà promittit ſervantibus eas æternam vitam. Ita urget nos in rete juſticiæ operum, quaſi nemo poſſit juſtificari & ſalvari, niſi obſervatis legibus ſuis. In ſumma, ne verbo quidem Fidei mentionem facit,ſed ſua tantum docet. Si vero concederet hoc, quòd omnes leges ipſius nihil facerent ad juſticiam coram Deo, tum viciſſim concederem illi multa, Sed tunc per ſe rueret ipſius regnum. Nam ſi amitteret poteſtatem ſalvandi & damnandi, Nihil amplius eſſet Papa, quàm merum idolum. In ſumma,Iuſticia cordis ignorat omnes leges non ſolum Papæ, ſed & Moſi. Quia non ex operibus Legis, ſed ex auditu fidei contingit vera juſticia, quam ſequuntur Spiritus virtutes & fructus.

Quemadmodum Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſticiam.

HACTENUS Paulus argumentatus eſt ab experientia. Et hoc argumentum ab experientia ſumptum vehementer urget, Vos, inquit,credidiſtis, & credentes feciſtis miracula, & multas egregias virtutes præſtitiſtis, ac inſuper mala paſſi eſtis, quæ omnia ſunt effectus & operationes, non Legis, ſed Spiritus ſancti. Hoc fateri cogebantur Galatæ, Quia ea quæ ob oculos verſabantur & ſenſui ſubjecta erant, non poterant negare. Ideò potentiſſimum ac clariſſimum eſt argumentum, ab experientia ſeu effectibus ductum in ipſis Galatis.

Iam addit exemplum Abrahæ, & recitat teſtimonia Scripturæ. Primum eſt ex cap.15.Gen.Credidit Abraham Deo,&c. Hunc locum valdè hic urget,ut & Gen. 15
Vnde juſtificatus ſit Abraham. Rom. 4. Si Abraham,inquit, juſtificatus eſt ex operibus Legis, habet juſticiam & Rom. 4
gloriam, non apud Deum, ſed apud homines, Quia apud Deum habet peccatum & iram. Apud Deum autem non ideo juſtificatus eſt, quia operabatur, ſed quia credidit. Dicit enim Scriptura, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſticiam. Hunc locum,ut dignus eſt,Paulus ibidem magnificè explicat & amplificat, Abraham, inquit, non infirmatus eſt Fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cum fere centum eſſet annorum, nec emortuam vulvam Saræ, nec hæſitavit diffidentia ad promiſſionem Dei, ſed confortatus eſt Fide,dans gloriam Rom. 4
Deo, pleniſſimè ſciens, quòd,quæcunq; promiſit Deus,potens eſt & facere, Ideo reputatum eſt illi ad juſticiam. Scriptum eſt autem non ſolum propter ipſum, quod reputatum eſt illi,ſed & propter nos,&c.

Paulus his verbis, Credidit Abraham, ſummum cultum, ſummum obſe-
Virtus fidei inſinuata. quium,ſummam obedientiam & ſacrificium facit ex Fide in Deum. Qui rhetor eſt, exaggeret hunc locum,& videbit,quòd Fides ſit res omnipotens,quodq; virtus ejus ſit inæſtimabilis & infinita. Tribuit enim Deo gloriam,qua nihil majus ei
Tribuere Deo gloriam. tribui poteſt. Tribuere autem Deo Gloriam,eſt credere ei,eſt reputare eum eſſe veracem,ſapientem,juſtum,miſericordem,omnipotentem, In ſumma agnoſcere
Fides tribuit Deo gloriam. eum autorem & largitorem omnis boni. Hoc ratio non facit, ſed Fides, Ea conſummat divinitatem,& ut ita dicam,creatrix eſt divinitatis,non in ſubſtantia Dei, ſed in nobis. Nam ſine Fide amittit Deus in nobis ſuam Gloriam,ſapientiam, juſticiam,veritatem,miſericordiam,&c. In ſumma, nihil majeſtatis & divinitatis relinquitur Deo, ubi fides non eſt. Neq; poſtulat Deus ab homine aliquid amplius, quàm ut tribuat ei ſuam gloriam & divinitatem, hoc eſt, ut eum habeat, non pro idolo, ſed pro Deo, qui reſpiciat, exaudiat, miſereatur,juvet,&c. Hoc obtento, habet ſuam divinitatem integram & illæſam, hoc eſt, quicquid cor fidele ei tribuere poteſt,habet. Ideoq; illam gloriam poſſe tribuere Deo, eſt ſapientia ſapientiarum, juſticia juſticiarum, religio religionum, & ſacrificium ſacrificiorum. Ex his intelligi poteſt,quanta juſticia ſit fides, & per Antitheſin, quantum peccatum incredulitas.

Quicunq;

Quicunq; igitur credit verbo Dei, ut Abraham, juſtus eſt coram Deo, Quia fidem habet, quæ tribuit Deo gloriam, hoc eſt, reddit Deo, quod ei debetur (quo modo & jura definiunt juſtum) Nam fides ita dicit, Ego Credo tibi Deo loquenti. Quid loquitur Deus? Impoſſibilia, mendacia, ſtulta, infirma, abſurda, abominanda, hæretica & diabolica, ſi rationem conſulas. Quid enim magis ridiculum, ſtultum & impoſſibile, quàm cum Deus ait ad Abraham, quòd acceptaturus ſit ex ſterili & jam emortua carne Saræ filium.

Juſtus coram Deo.

Quid Deus loquatur.

Sic ſemper Deus, cum objicit articulos Fidei, ſimpliciter impoſſibilia & abſurda, ſi judicium rationis ſequi voles, objicit. Certè ridiculum & abſurdum videtur rationi, in Cœna nobis exhiberi corpus & ſanguinem Chriſti, Baptiſmum eſſe lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus ſancti, Mortuos reſurgere in extremo die, Chriſtum filium Dei concipi, geſtari in alvo virginis, nasci, pati mortem indigniſſimam crucis, reſuſcitari, ſedere nunc ad dextram Patris, & habere poteſtatem in cœlo & terra. Hinc Paulus Evangelium de Chriſto crucifixo vocat verbum Crucis & ſtulticiam prædicationis, quam Iudæi ſcandaloſam, Gentes ſtultam doctrinam judicent, &c. Itaq; ratio non intelligit, audire verbum Dei & credere ſummum cultum eſſe, ſed ea quæ ipſa eligit & facit, bona, ut vocant, intentione & propria devotione, ſentit Deo placere. Ideo cum Deus loquitur, judicat Verbum ejus eſſe hæreſin & Diaboli verbum, Apparet enim ei eſſe abſurdum, &c.

Judicium rationis de articulis fidei.

Evangelium verbum crucis.

Summum cultus.

Contrà Fides rationem mactat & occidit illam beſtiam, quam totus mundus & omnes creaturæ occidere non poſſunt. Sic Abraham eam occidit Fide in verbum Dei, quo promittebatur ei ſemen ex ſterili & jam effœta Sara. Huic verbo non ſtatim quidem aſſentiebatur ratio in Abraham, ſed certè pugnabat in ipſo contra Fidem judicans ridiculum, abſurdum & impoſſibile, quòd Sara, quæ jam non ſolum nonagenaria, ſed etiam natura ſterilis erat, paritura eſſet filium. Iſtam luctam profecto habuit fides cum ratione in Abraham, Sed fides in eo vicit, mactavit & ſacrificavit rationem, acerrimum & peſtilentiſſimum hoſtem Dei. Sic omnes pij, ingredientes cum Abraham tenebras Fidei, mortificant rationem, dicentes, Tu ratio ſtulta es, non ſapis quæ Dei ſunt, itaq; ne obſtrepas mihi, ſed tace, non judica, ſed audi verbum Dei, & crede. Ita pij fide mactant beſtiam majorem mundo, atq; per hoc Deo gratiſſimum ſacrificium & cultum exhibent.

Fides mactat rationem.

Luctа fidei cum ratione in Abraham.

Et ad hoc piorum ſacrificium & cultum, omnes omnium gentium Religiones, omnia omnium monachorum & juſticiariorum opera collata, prorſus nihil ſunt. Per hoc enim ſacrificium primum mactant, ut dixi, rationem, hoſtem Dei omnium maximum & invictiſſimum. Quia ratio contemnit Deum, negat ejus Sapientiam, juſticiam, virtutem, veritatem, miſericordiam, majeſtatem & divinitatem. Deinde per idem ſacrificium tribuunt Deo gloriam, hoc eſt, credunt eum eſſe juſtum, bonum, fidelem, veracem, &c. credunt eum omnia poſſe, omnia verba ejus eſſe ſancta, vera, viva, efficacia, &c. Quod eſt Deo acceptiſſimum obſequium. Ideo nulla major, melior aut gratior religio cultusvé Deo exhiberi poteſt in mundo, quàm Fides.

Sacrificium Chriſtianorum.

Ratio hoſtis Dei.

Commendatio fidei.

Contrà, Operarij carentes Fide, multa quidem faciunt, jejunant, orant, ſibiipſis crucem imponunt. Quia verò his rebus exiſtimant ſe placare iram Dei, & gratiam mereri, non tribuunt Deo gloriam, hoc eſt, non judicant eum eſſe Miſericordem, veracem, ſervantem promiſſa, &c. ſed iratum judicem, placandum operibus. Atq; hoc modo contemnunt Deum, arguunt eum mendacij in omnibus ſuis promiſſis, negant Chriſtum & omnia beneficia ejus, In ſumma, deturbant Deum è ſede ſua, & ſeſe in locum ipſius collocant. Neglecto enim & contempto verbo Dei, & eligunt cultus & opera à Deo non præcepta. His Deum delectari ſomniant, & ſe pro illis mercedem recepturos ab eo ſperant. Itaq; rationem, atrociſſimum Dei hoſtem, non mactant, ſed vivificant, auferuntq; Deo majeſtatem & divinitatem, & eam operibus ſuis tribuunt. Quare ſola Fides tribuit Deo gloriam,

Incredduli non tribuunt Deo gloriam.

Ratio hoſtis Dei atrociſſimus.

Digitized by Google

riam, ut teſtatur Paulus Rom. 4. de Abraham, Abraham, inquit, Fide confortatus, dedit gloriam Deo, certiſſimè ſciens, quòd quæcunq; promiſit Deus, potens eſt & facere, Ideò reputatum eſt illi ad juſticiam. Rom. 4.

IVSTICIA CHRISTIANA CONSTAT FIDE CORDIS ET IMPVTATIONE DEI.

HAnc particulam, Et reputatum eſt illi ad juſticiam, ex Gen. 15. non fruſtra addit. Iuſticia enim Chriſtiana duabus rebus conſtat, ſcilicet, Fide cordis, & imputatione Dei. Fides eſt quidem juſticia formalis, & tamen non eſt ſatis. Quia poſt fidem hærent adhuc reliquiæ peccati in carne. Sacrificium illud Fidei cœpit in Abraham, ſed in morte tandem conſummatur. Ideoq; neceſſe eſt accedere alteram partem juſticiæ, quæ eam perficit, ſcilicet imputationem divinam. Fides non dat Deo formaliter ſatis, quia eſt imperfecta, imò vix ſcintilla Fidei eſt in nobis, quæ incipit Deo tribuere divinitatem. Primitias Spiritus accepimus, nondum decimas. Deinde ratio tota non occiditur in hac vita, quod hinc apparet, Quia in nobis reliqua eſt adhuc Concupiſcentia, ira, impatientia & alij fructus carnis ac infidelitatis. Item perfectiores etiam Sancti, non habent plenum & perpetuum gaudium in Deo, ſed variè affecti ſunt, jam triſtes, jam læti, Vt de Prophetis & Apoſtolis ſcriptura teſtatur, Sed talia errata non imputantur eis propter Fidem in Chriſtum, alioqui nemo ſalvus fieret. Concludimus ergo ex his verbis, Et imputatum eſt illi ad juſticiam, Iuſticiam quidem incipere per fidem, ac per eam nos habere primitias Spiritus, Sed quia Gen. 15.

Fides.

Reliquiæ peccati in pijs.

Imputatio.

Fides infirma eſt, eam non perfici ſine imputatione Dei. Quare Fides juſticiam incipit, imputatio perficit usq; ad diem Chriſti.

Sophiſtarum ea citas de imputatione.

Diſputant & Sophiſtæ de imputatione, cum de acceptatione operis loquuntur, ſed extra & contra Scripturam, quia eam trahunt tantum ad opera. Non conſiderant immundiciem & internas peſtes cordis, incredulitatem, dubitationem, contemptum & odium Dei, quæ capitales beſtiæ, fontes & cauſæ ſunt omnium malorum. Sola externa & craſſa illa vitia & injuſticias, quæ rivuli ſunt, procedentes ex illis fontibus, conſiderant. Hinc tribuunt acceptationem operibus, quòd videlicet Deus acceptet opera, non quidem ex debito, ſed ex congruo. Contrà nos excluſis omnibus operibus, rem gerimus cum capitibus hujus beſtiæ,

Ratio humana fons omnium malorum.

quæ vocatur Ratio, quæ eſt fons fontium omnium malorum. Quia ratio non timet, non diligit Deum, non confidit Deo, ſed ſecurè contemnit eum, neq; minis neq; promiſſionibus ejus movetur, non delectatur ipſius verbis & factis, ſed contra Deum murmurat, iraſcitur ei, judicat & odit Deum, In ſumma, inimica eſt Dei, Rom. 8. non tribuens ei gloriam. Hac peſte (Ratione) occiſa, nihil eſſent externa & craſſa peccata. Rom. 1.

Rationem occidendam eſſe fide

Quare primum omnium hoc agendum eſt, ut per fidem occidamus Incredulitatem, contemptum, odium Dei, murmurationem contra judicium, iram, omnia verba & facta Dei, Tum occidimus rationem. Neq; enim alia re poteſt occidi, quàm per Fidem, quæ credens Deo, tribuit illi gloriam, non obſtante, quòd loquatur, quæ rationi ſtulta, abſurda & impoſſibilia videntur, neq; obſtante quòd ſe depingat Deus aliter, quàm ratio vel judicare vel capere poſſit, nempè ſic, Non propter obſervationem Legis, opera, aut merita tua, ſed propter Fidem in Ieſum Chriſtum filium unigenitum meum, natum, paſſum, crucifixum & mortuum pro peccatis tuis, acceptabo & pronunciabo te juſtum, Et quod reliquum in te eſt peccati, non imputabo tibi. Niſi igitur ratio mactetur, & univerſæ religiones & cultus ſub cœlo ab hominibus excogitati ad parandam juſticiam coram Deo damnentur, juſticia Fidei non habet locum. Hoc audiens Ratio, ſtatim offenditur, inſanit, & oſtendit inimiciciam ſuam adverſus Deum, dicens, Ergo bona opera nihil ſunt? Ergo fruſtrà laboravi & portavi pondus diei & æſtum? Hinc ille tumultus gentium, populorum, regum & principum, adverſus Dominum & Chriſtum Pſal.

ſtum ejus. Mundus non vult neq; poteſt ferre, Sapientiam, juſticiam, religiones & cultus ſuos argui & damnari, Papa cum ſuis non vult videri erraſſe, multò minus patitur ſe damnari,&c.

Diſcant igitur ſtudioſi Sacrarum literarum ex hoc dicto, Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad juſticiam, Chriſtianam juſticiam propriè ac diſertè ſic definire, Quòd ſit fiducia in filium Dei, ſeu fiducia cordis per Chriſtum in Deum. Deinde addant hanc particulam tanquam differentiam, Quæ fiducia imputatur ad juſticiam propter Chriſtum. Nam (ut dixi) iſta duo, perficiunt juſticiam Chriſtianam,ſcilicet Fides in corde, quæ eſt donum divinitus datum,& formaliter credit in Chriſtum. Deinde, quòd Deus reputat iſtam imperfectam Fidem,ad juſticiam perfectam propter Chriſtum, in quem cœpi credere. Propter hanc Fidem in Chriſtum, non videt Deus dubitationem de voluntate ejus erga me,diffidentiam, triſtitiam Spiritus,& alia peccata, quæ adhuc habeo. Donec enim vivo in carne,verè peccatum eſt in me.Quia verò ſub umbra alarum Chriſti,velut pullus ſub alis gallinæ, protegor, & ſecurus ago ſub latiſſimo cœlo remiſſionis peccatorum,quod ſupra me obductum eſt, tegit & condonat Deus reliquum peccati in me,hoc eſt, propter Fidem, qua cœpi apprehendere Chriſtum,reputat juſticiam imperfectam pro juſticia perfecta, & peccatum pro non peccato,quod tamen verè peccatum eſt. *Definitio Chriſtiana fidei.*

Sic vivimus ſub velamine carnis Chriſti, qui eſt columna noſtra nubis per diem,& ignis per noctem,ne Deus videat peccatum noſtrum. Et quanquam nos illud videamus,& propter illud terrores conſcientiæ ſentiamus,tamen recurrentes ad Chriſtum mediatorem & propiciatorem noſtrum, per quem conſummati ſumus,ſervamur. In eo enim,ut ſunt omnia,ita per eundem habemus omnia, qui & omnia in nobis ſupplet. Hoc nobis credentibus, connivet Deus ad reliquias Peccati,in carne noſtra adhuc hærentes, & vult eſſe tectas, quaſi nullæ eſſent. Quia,inquit,credis in filium meum,etiamſi habes peccata,tamen debent eſſe remiſſa,donec ab ipſis penitus abſolvaris per mortem.

Locum hunc de juſticia Chriſtiana, quem Sophiſtæ non intelligunt, nec intelligere poſſunt,Chriſtiani ſumma diligentia diſcant intelligere. Non autem cogitent ſe ſemel hunc poſſe perdiſcere. Quare operam dent, ut Paulum ſæpè & ſumma diligentia legant,relegant, & prima cum poſtremis, imò Paulum totum cum ſeipſo conferant,tum invenient rem ſic ſe habere, quod iſtis duobus conſtet juſticia Chriſtiana, Fide,quæ gloriam tribuit Deo, & imputatione Dei. Fides enim, ut dixi, infirma eſt, ideo oportet imputationem Dei accedere, quòd Deus nolit reliquum peccati imputare,nolit illud punire,aut propter illud nos damnare,ſed tegere & ignoſcere,tanquam nihil eſſet. Non propter nos, noſtram dignitatem vel opera,ſed propter ipſum Chriſtum, in quem credimus. *Adhortatio ad hanc doctrinam cognoſcendam.* *Chriſtiana juſticia duobus conſtat.*

Sic homo Chriſtianus, ſimul juſtus & peccator, amicus & hoſtis Dei eſt. Hæc contraria nulli Sophiſtæ admittunt, Quia veram rationem juſtificandi non tenent. Hinc eſt quòd coëgerunt homines tàm diu benè operari, donec nullum planè peccatum ſentirent. Et hac re dederunt multis occaſionem,qui cum conarentur totis viribus hoc efficere,ut toti eſſent juſti formaliter,nec tamen poſſent conſequi, ut verterentur in inſaniam. Et innumerabiles ex illis ipſis etiam, qui hujus impij dogmatis autores fuerunt,in articulo mortis adacti ſunt in deſperationem. Id quod & mihi accidiſſet, niſi Chriſtus clementer me reſpexiſſet, & ex iſto errore liberaſſet. *Chriſtianus ſimul juſtus eſt & peccator.* *Sophiſtarum doctrina.*

Nos contrà hoc modo docemus, & conſolamur afflictum peccatorem, Impoſſibile eſt frater, te ſic fieri juſtum in hac vita,ut nullum planè peccatum ſentias, utq; corpus tuum ſit lucidum ſine maculis velut ſol, Sed habes adhuc rugas & maculas, & tamen ſanctus es. At ais, Qui poſſum eſſe ſanctus, cum habeam & ſentiam peccatum? Quòd ſentis & agnoſcis peccatum, bonum eſt, gratias age Deo, ne deſpera. Eſt gradus ad ſanitatem, cum ægrotus agnoſcit & fatetur morbum *Quomodo conſolandi ſint ſentientes peccata.*

bum ſuum. Sed quomodo liberabor à peccato? Accurre ad Chriſtum medicum, qui ſanat contritos corde, & ſalvat peccatores. Ne ſequaris judicium rationis, quæ dictat eum iraſci peccatoribus. Sed mactata ratione crede in eum. Si credis, es juſtus, quia tribuis ei gloriam, quòd ſit Omnipotens, miſericors, verax, &c. juſtificas & laudas Deum, Summa, tribuis ei divinitatem & omnia. Quod reliquum in te peccati eſt, non imputatur, ſed condonatur tibi propter Chriſtum in quem credis, qui eſt perfectè juſtus formaliter, cujus juſticia eſt tua, peccatum tuum eſt ſuum. *Pſal 14*

Chriſtiani ſacerdotes.

Ex his videmus unumquenq; Chriſtianum eſſe verum ſacerdotem. Quia primum offert & mactat ſuam rationem & ſenſum carnis. Deinde tribuit Deo gloriam, quòd ſit juſtus, verax, patiens, miſerator & miſericors. Hocq; eſt juge illud ſacrificium veſpertinum & matutinum in novo teſtamento. Veſpertinum, mortificare rationem, Matutinum, glorificare Deum. Sic Chriſtianus quotidiè & perpetuò verſatur in illo duplici ſacrificio & uſu ejus. Et nemo ſatis prædicare poteſt precium & dignitatem ſacrificij Chriſtiani. Eſt itaq; ut diximus, Chriſtiana juſticia imputatio divina, pro juſticia vel ad juſticiam, propter Fidem in Chriſtum, vel propter Chriſtum. Hanc miram & incognitam rationi definitionem, cum audiunt Sophiſtæ, rident, quia imaginantur juſticiam eſſe qualitatem, primò infuſam, deinde in membra diffuſam. Non poſſunt exuere cogitationes rationis, quæ dictat judicium rectum & voluntatem rectam eſſe juſticiam. Ideo donum illud inenarrabile excellit omnem rationem, quòd Deus reputet & agnoſcat, ſine ullis operibus illum juſtum, qui ſolum Fide apprehendit Filium ſuum, miſſum in mundum, natum, paſſum, crucifixum, &c. pro nobis.

Juge ſacrificium novi Teſtamenti.

Chriſtiana juſtitia.

Quid Sophiſtæ de juſtitia.

Res, quantum ad verba attinet, facilis eſt, ſcilicet juſticiam non eſſe formaliter in nobis, ut Ariſtoteles diſputat, ſed extra nos, in ſola Gratia & reputatione divina. Et nihil formæ ſeu juſticiæ in nobis eſſe, præter illam imbecillem Fidem, ſeu primitias fidei, quòd cepimus apprehendere Chriſtum, interim tamen verè peccatum in nobis manere, Res tamen non eſt ludicra, ſed ſeria & maxima. Quia Chriſtus, qui nobis datur, & quem fide apprehendimus, non fecit aliquid exile pro nobis, neq; luſit, ſed ut ſuprà dixit Paulus, Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Factus eſt pro nobis maledictum, &c. Non eſt autem ſpeculatio inanis, tradi Chriſtum pro peccatis meis, & fieri maledictum pro me, ut eripiar ex morte æterna. Itaq; apprehendere illum filium, & corde in illum credere (quod donum Dei eſt) facit, quòd Deus reputet illam Fidem, licet imperfectam, pro juſticia perfecta. Et hic in alio prorſus mundo extra rationem ſumus, ubi non diſputatur, quid nos facere debeamus, quo genere operum gratiam & remiſſionem peccatorum mereamur. Sed hîc ſumus in divina Theologia, ubi audimus hoc Evangeliũ, quòd Chriſtus pro nobis mortuus ſit, quodq; hoc credentes, reputemur juſti, manentibus nihilominus in nobis peccatis, & quidẽ grandibus.

Juſticiam noſtram in ſola Gratia ſitam Orcutes fatuæ.

Fide in Chriſtum reputari nos juſtos.

Sic & Chriſtus in Iohanne definit juſticiam Fidei, Ipſe Pater, inquit, amat vos. Quare amat? Non quia fuiſtis Phariſæi, in juſticia Legis irreprehenſibiles, circunciſi, benè operantes, jejunantes, &c. Sed quia ego vos elegi de mundo, nihilq; feciſtis, niſi quòd me amaſtis & credidiſtis, quòd à Patre exivi. Placuit vobis hoc objectum (ego) miſſum à Patre in mundum, Et quia hoc objectum apprehendiſtis, ideo amat vos Pater, & placetis ei. Et tamen alibi vocat eos malos, & jubet petere remiſſionem Peccatorum. Iſta ex diametro pugnant, Chriſtianum eſſe juſtum & amari à Deo, & tamen ſimul eſſe peccatorem. Deus enim non poteſt negare ſuam naturam, hoc eſt, non poteſt non odiſſe peccatum & peccatores, hocq; neceſſariò facit, Nam alioqui injuſtus eſſet & amaret peccatum. Quomodo igitur ſimul vera ſunt iſta duo contradictoria, Habeo peccatum, & ſum digniſſimus ira & odio divino, & Pater amat me? Hic nihil omninò intercedit, niſi ſolus mediator Chriſtus. Pater, inquit, non ideo amat vos, quia digni eſtis amore, ſed quia amaſtis me, & credidiſtis, quòd ab eo exivi. Sic Chriſtianus manet in pura humilitate,

Juſticia fidei ex cap. 16. Iohan.

Peccatorem & juſtũ eſſe, quomodo ea contradictio vera.

humilitate ſentiens re vera Peccatum, & propter hoc agnoſcens ſe dignum ira, judicio Dei & morte æterna, ut humilietur in hac vita. Manet tamen ſimul & impura & ſancta ſuperbia, qua ſeſe vertit ad Chriſtum, & per eum ſeſe erigit contra hunc ſenſum iræ & judicij divini, & credit, non ſolum non imputari ſibi reliquias peccati, ſed etiam ſe amari à Patre, non propter ſe, ſed amatum Chriſtum.

Ex his nunc conſtat, quo modo Fides ſine operibus juſtificet, & quo modo tamen neceſſaria ſit imputatio juſticiæ. Peccata in nobis manent, quæ Deus maximè odit, Ideo propter illa oportet nos habere imputationem juſticiæ, quæ nobis contingit propter Chriſtum, qui nobis datus, & à nobis Fide apprehenſus eſt. Interim ergo donec vivimus, portamur & fovemur in gremio miſericordiæ & tolerantiæ divinæ, donec aboleatur corpus peccati, & reſuſcitemur novi in die illa. Tunc erunt cœli novi & terra nova, in quibus juſticia habitabit. Sub hoc interim cœlo peccatum & impij habitant, & pij peccatum habent, Hinc eſt quod Paulus Rom. 7. conqueritur de peccato, quod in ſanctis reliquum eſt. Et tamen cap. 8. dicit, Nihil damnationis iis eſſe, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Quis concilium illa ſummè pugnantia? Quòd peccatum in nobis non ſit peccans, quòd damnabilis non ſit damnandus, quod rejectus non ſit rejiciendus, quòd dignus ira & morte æterna non ſit daturus pœnas? Vnicus mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus, ut Paulus ait, Nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu.

Imputatio juſticiæ.

Pugnantia in Chriſto conciliantur.

Rom. 7.

cap. 8.

Cognoſcitis ergo, quòd qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ.

Ista eſt generalis ſententia & præcipua diſputatio apud Paulum contra Iudæos, quod credentes ſint filij Abrahæ, non nati ex ejus carne & ſanguine. Hanc diſputationem valdè urget hic, & ad Roman. 4. & 9. Hæc enim erat Iudæorum ſumma fiducio & gloriatio, Nos ſemen & filij ſumus Abrahæ, Is circumciſus fuit & ſervavit legem, Igitur ſi volumus eſſe germani filij Abrahæ, oportet nos imitari patrem, &c. Fuit ſanè inſignis gloria & magna dignitas, eſſe ſemen Abrahæ, Nemo enim negare poteſt, quod Deus locutus ſit ſemini Abrahæ, & de ſemine Abrahæ. Sed hæc prærogativa nihil profuit infidelibus Iudæis. Vnde & Paulus contra iſtud argumentum hîc maximè luctatur, & detrahit Iudæis hanc ſummam fiduciam, Id quod ipſe inprimis, ut electum organum Chriſti, facere potuit. Nam ſi nobis diſputandum eſſet ab initio cum Iudæis ſine Paulo, parum fortè contra eos efficeremus.

Diſputatio Pauli contra Iudæos, de filiis Abrahæ.

Rom. 4. 9.

Gloriatio Iudæorum.

Sic ergo pugnat contra fiduciam illam Iudæorum ſuperbè gloriantium, Nos ſumus ſemen Abrahæ. Benè Abraham eſt circumciſus & ſervavit Legem, nos idem facimus. Concedo, Quid tum? Num ideo vultis eſſe juſti & ſalvi? Minimè. Quin accedamus ad ipſum patriarcham Abraham, & videamus qua ratione juſtificatus & ſalvatus ſit. Non certè propter egregias virtutes & ſancta opera ſua, Non quia deſeruit Patriam, cognationem & domum patris ſui, Non quia circumciſionem accepit & Legem ſervavit, Non quòd jubente Deo immolaturus erat filium Iſaac, in quo habebat promiſſionem poſteritatis, Sed quia credidit Deo. Ergo nulla prorſus alia re juſtificatus eſt, niſi Fide. Itaq; ſi vos Lege juſtificari vultis, multò magis oportuit Abraham patrem veſtrum lege juſtificari. Sed non potuit neq; juſtificari, neq; accipere remiſſionem peccatorum & Spiritum ſanctum, niſi fide. Cum hoc verum ſit teſtimonio Scripturæ, quid pugnatis pro lege & circumciſione, Et contenditis per ea contingere vobis juſticiam & ſalutem, Cum ipſe Abraham pater, fons & caput veſtrum, de quo gloriamini, ſine illis, ſola Fide juſtificatus ac ſalvatus ſit? Quid poteſt afferri contra hoc argumentum?

Qua ratione Abraham juſtificatus ſit.

Concludit ergo Paulus hac ſententia, Qui ex fide ſunt, hi filij Abrahæ ſunt, Generationem ſanguinis vel ſemen carnale, non facere filios Abrahæ coram Deo, q. d. De iſto Abraham, qui eſt ſervus Dei, quem Deus elegit, & Fide juſtificatus eſt, non habetur ullus filius coram Deo, ex generatione carnali, Sed oportet ei dari filios coram Deo tales, qualis ipſe fuit pater. Ipſe verò eſt pater Fidei,

Generationem ſanguinis non facere filios Abrahæ.

cœpitq; juſtificari & gratus eſſe Deo, Non quia generare potuit, Non quia habuit circumciſionem & Legem, Sed quia Deo credidit. Ergo qui vult eſſe filius credentis Abrahæ, oportet ut & ipſe credat, alioqui non eſt filius electi, accepti & juſtificati Abrahæ, Sed tantum generantis, qui nihil aliud eſt, quàm homo in peccatis conceptus, natus & conſtitutus, ſine remiſſione peccatorum, ſine fide, ſine Spiritu ſancto, ut alius homo, Ergo damnatus. Tales ſunt & filij carnaliter ex eo nati, nihil referentes ex patre, niſi Carnem & ſanguinem, peccatum & mortem. Ergo & ipſi ſunt damnati. Igitur iſta gloriatio, Nos ſemen Abrahæ ſumus, inanis & inutilis eſt.

Abraham credens & genuans.

Carnales filij Abrahæ quales.

Hoc argumentum illuſtrat Paulus, Rom. 9. duobus exemplis Scripturæ. Primum eſt de Iſmaele & Iſaac, quorum uterq; erat ſemen & naturalis filius Abrahæ, & tamen Iſmael (qui æquè natus erat ex Abraham ut Iſaac, imo fuiſſet primogenitus, ſic carnalis generatio aliquam prærogativam haberet, & faceret filios Abrahæ) excluditur, & Scriptura dicit, In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Secundum, de Eſau & Iacob, qui cum adhuc in utero materno eſſent, nihilq; boni aut mali feciſſent, dictum eſt, Major ſerviet minori, Iacob dilexi, Eſau odio habui. Ergo manifeſtum eſt, quòd qui ex fide ſunt, hi ſint filij Abrahæ. Rom. 9.

1. *Exemplum de Iſmael & Iſaac.*

2. *De Eſau & Iacob.*

Sed objiciat aliquis, ut Iudæi, & hodie quidam ſcioli, Fidei vocabulum in Ebræo ſignificare veritatem, Ergo male urgeri à nobis. Deinde locum ex cap. 15. Gen. loqui de re corporali, ſcilicet de promiſſione poſteritatis. Ideo malè eum detorqueri à Paulo ad fidem in Chriſtum, Sed ſimpliciter intelligendum eſſe de Fide Abrahæ, qua credebat ſe juxta promiſſionem Dei habiturum ſemen. Atq; hinc oſtendere volunt allegationes & probationes Pauli nihil concludere. Simili modo cavillari etiam poſſunt locum, quem Paulus infra ex Habacuc citat, qui loquitur de Fide totius viſionis implendæ, non de fide tantum in Chriſtum, de qua Paulus eum allegat. Similiter quoq; totum 11. cap. ad Ebræ. de fide & exemplis fidei. Tales vanè glorioſi ſpiritus, in his rebus laudem & perſuaſionem ſapientiæ ac doctrinæ venantur, ubi maximè non deberent. Sed breviter reſpondeamus propter ſimplices ad eorum cavillationes. Gen. 15. Ebr. 11.

Fidei vocabulum in Ebræo veritatem ſignificare.

Ad primam ſic reſpondeo. Fidem nihil aliud eſſe, quàm veritatem cordis, hoc eſt, rectam cogitationem cordis de Deo. Rectè autem de Deo cogitat & ſentit ſola Fides, non ratio. Tum autem homo recte de Deo cogitat, quando credit ipſius verbo. Cum autem extra verbum, Deum ex ratione ſua metiri, & ei credere vult, Non habet veritatem de Deo, ideo neq; rectè de eo cogitare neq; judicare poteſt, Vt monachus cum imaginatur ſuum cucullum, raſuram & vota placere Deo, illaq; acceptare eum, & pro his donare ſibi Gratiam & vitam æternam, non habet veram, ſed mendacem & impiam cogitationem de Deo. Igitur veritas eſt ipſa fides, quæ rectè de Deo judicat, ſcilicet, quòd Deus noſtra opera & juſtitias non reſpiciat, cum ſimus immundi, Sed quòd velit noſtri miſereri, nos reſpicere, acceptare, juſtificare & ſalvare, ſi credamus in Filium, quem miſit, ut eſſet propitiatio pro Peccatis totius mundi. Illa vera eſt cogitatio de Deo, & planè nihil aliud quàm ipſa fides. Mea ratione non poſſum apprehendere, neq; certo ſtatuere, me in gratiam recipi propter Chriſtum, ſed audio hoc annunciari per Evangelium, & fide apprehendo.

Fides.

Fides recta ſenſa de Deo.

Veritas & fides idem ſignificant

Ad alteram cavillationem reſpondeo. Paulum rectè citare locum ex cap. 15. Gen. de fide in Chriſtum. Nam in omni fide debet ineſſe fiducia miſericordiæ erga Deum. Illa autem complectitur Fidem Remiſſionis peccatorum propter Chriſtum. Nam impoſſibile eſt conſcientiam expectare aliquid à Deo, niſi primum ſtatuat ſibi Deum propicium eſſe propter Chriſtum. Ideo omnes promiſſiones referendæ ſunt ad primam illam de Chriſto, Gen. 3. Semen mulieris conteret, &c. Ita etiam Prophetæ intellexerunt & expoſuerunt. Hinc fides Patrum in veteri Teſtamento, & noſtra jam in novo eadem eſt, licet alia atq; alia externa objecta accedant. Id quod Petr. Act. 15. teſtatur, cum ait, Neq; nos, neq; Gen. 15. Act. 15.

Paulum recte citare locum ex cap. 15. ad ſuum negocium.

Omnes promiſſiones referendæ ad illam primam Gen. 3.

Patres

Patres noſtri,&c. Sed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſalvari,
1. Cor. 10. quemadmodum & ipſi. Et Paulus 1. Corinth. 10. Patres noſtri omnes biberunt de ſpirituali, conſequente eos petra, Petra autem erat Chriſtus. Et Chriſtus
Ioan. 8. ipſe Iohan. 8. de Abraham, cum ait, Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt. Hærebat tamen fides Patrum in Chriſto venturo, ut noſtra hæret jam in exhibito. Abraham ſuo tempore juſtificatus eſt Fide futuri Chriſti. Si hodie viveret, juſtificaretur Fide jam exhibiti & præſentis. Sicut ſupra dixi de Cornelio, qui credebat primum in venturum Chriſtum, Admonitus verò à Petro, credebat eum jam veniſſe,&c. Itaq; diverſa tempora non mutant fidem, Spiritum ſanctum, dona. Eadem enim ſemper voluntas & cogitatio fuit, eſt, & erit de Chriſto, in præteritis Patribus, præſentibus & futuris filiis. Sic & nos æquè habemus futurum Chriſtum, & credimus in eum, ac Patres veteris teſtamenti. Expectamus enim eum in extremo die venturum cum gloria, ad judicandum vivos & mortuos, quem jam credimus veniſſe ad ſalutem noſtram. Ideò neminem offendit iſta allegatio Pauli, niſi inſulſos cavillatores illos.

Fides Patrum & noſtra eadē.

Nobis tamen nullo modo licet ad futurum Chriſtum redire, niſi quatenus in extremo die expectamus eum redemptorem, qui nos liberaturus ſit ab omnibus malis. Nam hoc facientes, crederemus Chriſtum nondum revelatum, ſed adhuc revelandum eſſe. Atq; ita negaremus Chriſtum & omnia ejus beneficia, negaremus Spiritum ſanctum, & mendacem faceremus Deum, & ipſo facto teſtaremur, eum nondum præſtitiſſe quod pollicitus eſt, ut Iudæi faciunt.

Rectè ergo, ut dixi, Paulus locum ex Gen. qui de fide Abrahæ loquitur, de fide Chriſti citat. Quia omnes præteritæ promiſſiones incluſæ fuerunt in Chriſtum venturum. Ideo utriq; cum Abraham & alij Patres, tum nos Fide in Chriſtum juſtificamur, Illi fide in futurum, nos in præſentem. Diſputamus enim nunc de natura & ratione juſtificationis, quæ utrobiq; eadem eſt, ſive Chriſtus venerit, ſive venturus ſit. Satis ergo eſt Paulum oſtendere, quòd Lex non juſtificet, ſed ſola Fides, ſive illa ſit in venturum ſive in præſentem Chriſtum. Eſt & hodie Chriſtus aliis præſens, aliis futurus. Credentibus præſens eſt, ſeu venit, Incredulis nondum venit, neq; eis prodeſt. Hi ſi audiunt Evangelium & credunt, fit ipſis præſens, juſtificat & ſalvat eos.

Paulum recte citare locum ex Gen. 15. de fide in Chriſtum.

Chriſtus aliis venit, aliis non.

Cognoſcitis ergo, quòd qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abraham.

QVASI d. Excluſis omnibus, ratione, Lege, operibus, generatione Patrum, cognoſcitis ex hoc exemplo Abrahæ, & claro Scripturæ teſtimonio, eos eſſe filios Abrahæ, qui ex Fide ſunt, ſive ſint Iudæi, ſive Gentes. Non enim per Legem, ſed per juſticiam Fidei facta eſt promiſſio Abrahæ, ut eſſet hæres mundi, hoc eſt, ut in ſemine ipſius benedicerentur cunctæ cognationes terræ, utq; appellaretur pater Gentium. Et ne hanc vocem, Gentium, Iudæi falſo interpretarenteur de ſe ſolis, Scriptura hoc cavit, non ſimpliciter dicens, patrem Gentium, ſed multarum Gentium conſtitui te. Ergo Abraham non ſolum eſt pater Iudæorum, ſed & Gentium.

Qui ſint filij Abraha.

Abraham pater Iudæorum & Gentium.

Ex his manifeſtum eſt, Abrahæ filios non eſſe carnis filios, cum non ſit pater Gentium ſecundum carnem, Sed filios Fidei, ut Paulus Roman. 4. declarat, Patrem multarum Gentium conſtitui te coram Deo, cui credidiſti. Itaq; Paulus facit duos Abraham, generantem & credentem. Abraham habet filios, & eſt pater multarum Gentium. Vbi? Coram Deo, ubi credit, Non coram mundo, ubi generat. Ibi enim eſt filius Adæ, peccator, vel ſi multum, Operator juſticiæ legis, vivens ſecundum rationem, id eſt, humano more, ſed hoc nihil ad credentem. Involvit igitur hoc exemplum Abrahæ ſimul ipſam Scripturam ſanctam, quæ dicit, nos Fide reputari juſtos. Ideò hoc argumentum duplici nomine firmiſſimum eſt, cum propter Exemplum Abrahæ, tum etiam propter autoritatem Scripturæ.

Abrahæ filios, non eſſe carnales, ſed fidei.

Abraham generans & credens.

Prævidit

Prævidit autem Scriptura, quòd ex fide justificet Gentes Deus.

Gloriatio Iudeorum.

ISTA ad ſuperius argumentum pertinent, q. d. Vos Iudæi immodicè gloriamini de Lege, & ſupra modum miris laudibus vehitis Moſen, quòd Deus ei locutus ſit in rubo, &c. Vt certè Iudæi magno ſupercilio contra nos jactant, &, quod non ſemel audivi, dicunt, Vos Chriſtiani habetis Apoſtolos, Papam, Epiſcopos, &c. Nos Iudæi Patriarchas, Prophetas, imò ipſum Deum habemus, qui nobis locutus eſt in rubo, in Sinai, ubi Legem nobis dedit, in templo, &c. Hanc gloriam & tam præclarum teſtimonium proferte pro vobis contra nos, &c. Ad hoc reſpondet Paulus Gentium Apoſtolus, Iſta veſtra jactantia & gloriatio nihil valet, Quia ſcriptura eam prævenit, & prævidit longo tempore ante legem, Quòd Gentes non ſint juſtificandæ Lege, ſed Benedictione ſeminis Abrahæ, quæ ei promiſſa eſt quadringentis & triginta annis (ut infrà dicit Paulus) antequam lex daretur, Et eam benedictionis promiſſionem Abrahæ factam, Lex lata tot annis poſt, non potuit infirmare & antiquare, ſed manſit firma & manebit perpetuò. Quid ad hoc dicere poſſunt Iudæi?

Argumentum ex certo tempore.

Hoc argumentum ex certo tempore ſumptum, firmiſſimum eſt. Promiſſio benedictionis eſt data Abrahæ quadringentis & triginta annis, antequam populus Iſrael Legem accepit. Nam dictum eſt Abrahæ, Qui credidiſti Deo & dediſti ei gloriam, ideo eris pater multarum gentium. Ibi Abraham promiſſione Dei conſtituitur pater multarum Gentium, & donatur ei hæreditas mundi in filios, antequam lex fuit. Quid ergo jactatis, ô Galatæ, vos remiſſionem peccatorum conſequi, filios fieri, & hæreditatem accipere per Legem, quæ longo intervallo ſecuta eſt Promiſſionem, nempe quadringentis & triginta annis?

In Baptiſmo eſt promiſſio ſalutis, Qui crediderit, &c. Hìc ſi aliquis (ut hodie fanatici Spiritus) negaret infanti cum primum baptiſatur, donari juſticiam & ſalutem, eluſa ad hunc modum Promiſſione, Quòd ea tum valeret, cum homo ad uſum rationis perveniſſet, & jam bene operari poſſet, & bene operando hoc conſequi, quod in promiſſione proponitur, Item, Baptiſmum non eſſe ſignum voluntatis Dei erga nos, ſed tantum notam, quæ diſcernit fideles ab infidelibus, &c. Is planè detraheret Baptiſmo ſalutem, & eam tribueret operibus.

Error Pſeudoapoſtolorum.

Sic per omnia Pſeudoapoſtoli & diſcipuli ipſorum faciebant. Legem & ejus gloriam immodicè prædicabant, Promiſſionem autem Abrahæ factam quadringentis triginta annis ante Legem præteribant & contemnebant, Non volentes cognoſcere, Abraham, de quo tamen, ut de patre totius gentis gloriabantur, adhuc incircumciſum, & tot ſeculis ante legem viventem, nulla alia re, quàm ſola fide, juſtificatum eſſe, ut ſcriptura Geneſ. 15. cap. clariſſimè teſtatur, Credidit Abraham Deo, &c. Poſtea jam eo propter Fidem reputato juſto, mentionem facit circumciſionis cap. 17. cum ait. Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, &c. Hoc ergo argumento Paulus convincit Pſeudoapoſtolos fortiſſimè, & oſtendit clariſſimè, Abraham juſtificatum eſſe Fide ſine & ante circumciſionem, & quadringentis & triginta annis ante Legem. Hoc idem argumentum tractat ad Roman. 4. ſcilicet juſticiam reputatam eſſe Abrahæ ante circumciſionem, eumque adhuc præputiatum, fuiſſe juſtum, ergo multò magis ante legem.

Gen. 15. Gen. 17. Rom. 4.

Abraham juſtificatus eſt ante circumciſionem, & 430. annis ante legē.

Scriptura ergo, inquit Paulus, bene prævidit & præoccupavit iſtas veſtras glorias, & jactantias juſticiæ Legis & operum. Quando? Ante circumciſionem & legem. Quia quadringentis & triginta annis lex lata eſt poſt promiſſionem, ubi Abraham non ſolum ſine & ante legem juſtificatus, ſed etiam mortuus & ſepultus fuit. Et juſticia ejus ſine lege, non ſolum usq; ad legem floruit, ſed etiam usq; ad finem mundi florebit. Si igitur pater totius gentis Iudaicæ, ſine Lege & ante Legem juſtificatus eſt, multo magis filij eadem ratione, qua pater, juſtificantur. Ergo ex Fide, non Lege, eſt juſticia.

Prænunciavit

Prænuncia vit Abrahæ, Benedicentur in te omnes Gentes.

ISTAS præclaras & magnificas ſententias, Credidit Abraham,&c. Conſtitui te patrem,&c.& ſimiles,quæ Fidem maximè commendant,& promiſſiones ſpiritualium rerum continent, Iudæi non ſolum obiter percurrunt, ſed etiam cavillantur & depravant ſuis ſtultis & impiis gloſſis. Sunt enim excæcati & indurati, ideo non vident in his locis agi de fide erga Deum & de juſticia coram Deo. Eadem perverſitate eludunt & hunc inſignem de Benedictione ſpirituali locum, Benedicentur in te omnes Gentes. Quia dicunt benedicere idem eſſe, quod laudare, benè precari & glorioſum eſſe coram mundo,&c. Hoc modo benedictum pronunciant Iudæum, qui de ſemine Abrahæ natus eſt, benedictum proſelytum,qui colit Deum Iudæorum,& ſe eis adjungit. Putant ergo Benedictionem nihil aliud eſſe, quàm laudem & gloriam in hoc mundo, quòd aliquis poſſit gloriari, ſe de ſtirpe & familia Abrahæ ortum eſſe. Sed hoc eſt depravare, non enarrare ſententias ſcripturæ.Paulus definit & conſtituit nobis in conſpectum per iſta verba, Credidit Abraham Deo, credentem, juſtum, habentem promiſſionem & ſpiritualem Abraham, qui non ſit in errore & veteri carne, qui non ſit natus ex Adam,ſed ex Spiritu ſancto. Et de hoc Abraham renovato per fidem & renato per Spiritum ſanctum loquitur Scriptura, & annunciat eum fore patrem multarum gentium. Item,dandas ei in hæreditatem omnes gentes, cum dicit, Benedicentur in te omnes gentes.

Iudæos depravare ſententias ſcripturæ.

Hoc vehementer urget Paulus ex Scriptura,quæ ait Gen. 15. Credidit,&c. Scriptura igitur Abrahæ non tribuit juſticiam,niſi credenti,& loquitur de tali Abraham,qualis eſt coram Deo. Itaq; talibus ſententiis ſcripturæ depingitur novus Abraham, ſeparatus à conjugio,lecto & generatione carnali, & conſtituitur qualis eſt coram Deo, ſcilicet credens, qui per Fidem juſtificatur, cuiq; credenti promittit Deus,Eris pater multarum gentium,&c. Item,Benedicentur in te omnes gentes. Hoc vocat Paulus ſcripturam prævenire & conculcare omnes glorias & jactantias Iudæorum de Lege. Quia hæreditas gentium data eſt Abrahæ, non per Legem & circumciſionem,ſed longè ante illa, per ſolam Fidei juſticiam.

Novus Abraham.

Ideo gloriatio Iudæorum inanis eſt,quòd inde benedicti volunt dici,quòd ſemen & filij Abrahæ ſunt. Eſt quidem inſignis prærogativa & gloria coram mundo,ſemen Abrahæ eſſe,Rom.9. ſed non item coram Deo. Quare Iudæi hunc locum de Benedictione impiè depravant, cum de carnali benedictione tantum exponunt, & vim faciunt ſcripturæ, quæ manifeſtiſſimè loquitur de Benedictione ſpirituali coram Deo, neq; aliter intelligi poteſt & debet. Eſt igitur hæc ſententia, Benedicentur in te. In quo te? In te Abraham credente,Vel,in fide tua, Vel,in illo Chriſto (ſemine tuo) futuro, in quem credis, Benedicentur, inquam, omnes gentes,hoc eſt,Omnes gentes erunt filij tui benedicti, quemadmodum tu benedictus es,Sicut ſcriptum eſt,Sic erit ſemen tuum.

Gloria eſt, ſemen Abrahæ eſſe.

Benedicentur in te.

Ex hoc ſequitur,Benedictionem & fidem Abrahæ eandem eſſe,quæ noſtra eſt, Chriſtum Abrahæ eundem eſſe, qui noſter eſt, Chriſtum æquè pro peccatis Abrahæ mortuum eſſe, ac pro noſtris, Iohan. 8. Abraham vidit diem meum, & gavisus eſt. Omnia ergo ſunt eadem. Ideo nequaquam concedendum eſt Iudæis, ut extenuent & depravent vocabulum Benedictionis. Ipſi per velum ſcripturam inſpiciunt,Ideo non conſiderant, quid aut de qua re in promiſſionibus, factis Patribus,agatur,id quod nobis maximè obſervandum eſt, Tuncq; videbimus Deum cum Patriarcha Abraham loqui non de Lege, aut de agendis, ſed de credendis, hoc eſt,Deum loqui cum eo de promiſſionibus,quæ Fide apprehenduntur.Quid facit Abraham? Credit illis promiſſionibus. Quid facit Deus Abrahæ credenti? Fidem imputat illi ad juſticiam, & addit inſuper plures promiſſiones, Ego ſum protector tuus,Benedicentur in te,&c. Eris pater multarum gentium. Sic erit ſemen tuum. Hæc argumenta ſunt invicta, quæ nemo poteſt cavillari, ſi diligenter & ſerio Scripturæ loci conſiderentur.

Abrahæ fides & noſtra eadē.

Diligenter obſervandum quid proponatur nobis in promiſſionibus.

Igitur

Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

Abraham operans & credens.

EMPHASIS & tota vis est in particula, Cum fideli Abraham. Manifestè enim distinguit Abraham ab Abraham, ex una & eadem persona faciens duas, Rom. 4. q. d. Alius est Abraham operans, alius credens. Cum operante nihil nobis est negotij. Nam si ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Glorientur sanè Iudæi de generante illo Abraham, qui est operator, circumcisus, & servat Legem: Nos gloriamur de Abraham fideli, de quo scriptura pronuntiat, quod per fidem suam reportarit Benedictionem justiciæ, non solum pro se, sed in omnes qui credunt, quemadmodum ipse. Sicq; mundus promittitur Abrahæ credenti, Ergo totus mundus benedicitur, hoc est, accipit imputationem justiciæ, si crediderit ut Abraham.

Benedici omnes gentes.

Quare benedictio nihil aliud est, quam promissio Evangelij. Et benedici omnes Gentes, est omnes gentes benedictionem audire, Vel benedictionem spiritualem, hoc est, divinam promissionem prædicari & dispergi per Evangelium in omnes gentes. Et ex hoc loco Prophetæ hauserunt multas prophetias intellectu spirituali, ut Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Psal. 19. In omnem terram exivit sonus eorum, &c. Summa, omnes Prophetiæ de regno Christi, & de divulgando Evangelio in orbem terrarum, ex hoc loco, Benedicentur in te, &c. manarunt. Quare benedici gentes, est eis donari justiciam, & reputari eas justas, Non per legem, sed per auditum fidei. Quia Abraham nulla alia ratione justificatus est, quam audito verbo Promissionis, benedictionis & gratiæ. Sicut igitur imputatio justiciæ contigit Abrahæ per auditum fidei, Ita & omnibus gentibus contigit, & adhuc contingit. Ejusdem enim Dei sermo primum in Abraham, postea in omnes gentes prolatus est.

Prophetæ diligenter expenderunt promissiones Patribus factas.

Psal. 2. Psal. 19.

Ex his videmus, benedicere nihil aliud esse, quam ut dixi, prædicare & docere verbum Evangelij, confiteri Christum, & cognitionem ipsius propagare in omnes gentes. Et hoc sacerdotale officium est & juge sacrificium Ecclesiæ in novo Testamento, quæ benedictionem illam distribuit prædicando, administrando sacramenta, absolvendo, consolando, & tractando verbum Gratiæ, quod Abraham habuit, quodq; erat ejus benedictio, cui cum crederet, benedictionem accepit. Sic & nos eidem credentes, benedicimur. Ea autem benedictio est gloria non corâ mundo, sed Deo. Audimus enim peccata nobis esse remissa, nosq; acceptos Deo, Deum esse patrem nostrum, nos ejus filios, quibus non velit irasci, sed liberare à peccato, morte & omnibus malis, & donare justiciam, vitam & salutem æternam. De illa Benedictione, ut dixi, passim Prophetæ concionantur, qui non tam frigide inspexerunt promissiones Patribus factas, ut impij Iudæi, & hodie Sophistæ & homines fanatici, sed summa diligentia eas legerunt & expenderunt, & quæcunq; de Christo ac ejus regno vaticinati sunt, ex illis hauserunt. Sic prophetia Hos. 13. De morte redimam eos, Ero mors tua ô mors, &c. & similes aliorum Prophetarum, omnes manarunt ex promissionibus istis, in quibus Deus promisit Patribus contritionem capitis serpentis, & Benedictionem omnium Gentium.

Sacerdotale officium Ecclesiæ Christi.

Benedictionem esse spiritualem non corporalé, vt Iudæi somniant.

Diligentia Prophetarum.

Hos. 13.

Benedictio fide accipitur.

Porro si gentes sunt benedictæ, hoc est, si coram Deo reputantur justæ, tum sequitur eas liberas à Peccato & morte, & participes esse justiciæ, salutis & vitæ æternæ, non propter opera, sed propter fidem in Christum. Ideo ut dixi, locus Gen. cap. 12. Benedicentur in te, &c. non loquitur de Benedictione oris, sed de tali benedictione, quæ pertinet ad reputandam justiciam, quæ valet coram Deo, & redimit à Maledictione peccati, & ab omnibus, quæ peccatum comitantur. Ea autem benedictio tantum per Fidem accipitur, quia textus manifeste dicit, Credidit Abraham, &c. Ideo est mera spiritualis Benedictio, & sola meretur dici benedictio, quæ etiamsi à mundo, ut certe fit, maledicitur, tamen valet coram Deo. Locus igitur iste potens est, quod qui ex Fide sunt, percipiant hanc benedictionis promissionem, factam Abrahæ credenti. Atq; ita præoccupat Paulus

Gen. 12.

argumentum

argumentum Iudæorum, quo jactant Abraham generantem, operantem & coram hominibus juſtum, non credentem.

Quemadmodum autem Iudæi gloriantur tantum de Abraham operante, ita, Papa ſolum proponit Chriſtum operantem ſeu exemplum Chriſti. Qui, inquit, vult pie vivere, illum oportet ambulare, ſicut Chriſtus ambulavit, Iuxta illud ipſius dictum Iohan. 13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci, ita & vos faciatis. Non negamus Chriſti exemplum eſſe piis imitandum, & bene operandum, ſed per hoc non fiunt coram Deo juſti. Neq; Paulus hic inſtituit diſputationem, quid nos facere debeamus, ſed qua ratione juſtificemur. Ibi ſolus Chriſtus proponendus eſt, moriens pro peccatis, & reſurgens pro juſticia noſtra, & fide apprehendendus eſt, ut Donum, non ut exemplum. Hoc ratio non intelligit, ideo ut Iudæi imitantur Abraham operantem, non credentem, Ita Papiſtæ & omnes juſticiarij intuentur & apprehendunt Chriſtum non juſtificantem, ſed operantem, Eaq; re tantum longius recedunt à Chriſto, à juſticia & ſalute. Vt autem Iudæos, qui ſalvati ſunt, oportuit imitari Abraham credentem, Ita nos ſi à peccatis liberari & ſalvari volumus, Fide apprehendere oportet Chriſtum juſtificantem & ſalvantem, quem & ipſe Abraham apprehendit, ac per eum benedictus eſt.

Iohan. 13.

Papa proponit Chriſtum ut exemplum, non ut donum.

In cauſa juſtificationis beneficium, non exemplum Chriſti conſiderandum eſt.

Fuit quidem inſignis gloria, quod Abraham jubente Deo circunciſionem accepit, quod excellentibus virtutibus erat præditus, quod in omnibus obediebat Deo, Vt magna laus & felicitas eſt, imitari exemplum Chriſti operantis, diligere proximum, benefacere male merentibus, orare pro inimicis, patienter ferre ingratitudinem eorum, qui bonum malo rependunt. Sed hoc nihil ad juſticiam coram Deo. Abrahæ non profuerunt ſua egregia benefacta, ut coram Deo juſtus pronuntiaretur, Ita nec imitatio exempli Chriſti nos coram Deo juſtos facit. Ad hoc enim ut juſti ſimus coram Deo, longe majus precium requiritur, quàm eſt aut juſticia humana, aut legis. Hic Chriſtum habere nos oportet, qui benedicat & ſalvet nos, ut Abraham eum habuit benedictorem & ſalvatorem. Quo modo? Non per opera, ſed per Fidem. Ideo ut longe aliud eſt Abraham credens, quam operans, Ita longe aliud eſt Chriſtus benedicens & redimens, quam operans, aut, ut ita dicam, exemplaris. Agit autem hic Paulus de Chriſto redimente, & Abraham credente, non de Chriſto exemplo & Abraham operante. Ideo ſignificanter & magna emphaſi addit, Qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abraham.

Bonum eſt exempla Chriſti imitari, ſed per hoc non contingit juſticia.

Tantum ſeparandus eſt igitur Abraham fidelis ab operante, quantum diſtat cœlum à terra. Fidelis plane eſt divinus homo, filius Dei, hæres orbis terrarum, & victor mundi, peccati, mortis, diaboli, &c. Ideo ſatis laudari non poteſt. Illum fidelem Abraham non ſinamus abſtruſum in ſepulchro, ut Iudæis eſt, ſed ſummis laudibus extollamus & prædicemus eum, & nomine ipſius cœlum & terram repleamus, ut præ hoc fideli Abraham nihil prorſus videamus de Abraham operante. Loquentes enim de Abraham fideli, ſumus in cœlo, Poſtea vero facientes ea, quæ Abraham operans fecit, quæ fuerunt humana & terrena, non divina & cœleſtia (niſi quatenus ei donata erant divinitus) converſamur inter homines in terra. Credens igitur Abraham implet cœlum & terram. Sic unusquisq; Chriſtianus implet cœlum & terram fide ſua, ut præter eam nihil videre debeat.

Abraham fidelis diſcernendus ab operante

Ex vocabulo, Benedicentur, colligit nunc Paulus aliud argumentum à contrario. Eſt enim Scriptura plena antitheſibus, Et ingenioſi hominis eſt cernere Antitheſes in ſcripturis, ac per eas interpretari ejus ſententias. Vt hîc benedictionis vocabulum mox affert contrarium, ſcilicet maledictionem. Cum enim ait Scriptura, Omnes gentes benedici in Fide, vel fideli Abraham, neceſſario ſequitur, omnes tam Iudæos quam gentes, extra fidem vel credentem Abraham maledictos eſſe. Siquidem Abrahæ data eſt promiſſio benedictionis omnium gentium, Ergo benedictio nuſquam expectanda eſt, quam in promiſſione Abrahæ, jam invulgata per Evangelium in orbem terrarum, Igitur quicquid extra illam eſt, maledictum eſt, Hocq; Paulus clariſſime docet, cum ait.

Omnes gentes fide benedicuntur, Ergo omnes ſine fide maledicta ſunt.

Quicunq; enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt.

Lex subjicit omnes maledictioni quotquot sine fide sunt.

HIC vides Maledictionem diluvium quoddam esse, absorbens quicquid est extra Abraham, hoc est, extra fidem & promissionem benedictionis Abrahæ. Si autem lex ipsa per Mosen divino mandato tradita, eos maledictioni obnoxios facit, qui sub ea sunt, multo magis hoc facient leges seu traditiones humana ratione inventæ. Qui igitur volet evadere maledictionem, apprehendat promissionem benedictionis, seu Fidem Abrahæ, aut sub maledicto manebit. Ex hoc igitur loco, Benedicentur in te, &c. sequitur, omnes gentes ante, sub & post Abraham maledictas & in æternum maledictioni obnoxias manere, nisi in fide Abrahæ benedicantur, cui data est promissio benedictionis per semen suum in totum mundum invulganda.

Justicia fidei & politica.

Ista valde prodest nosse, quia valent ad consolandas conscientias. Deinde ut discamus longissime separare justiciam Fidei à justicia carnis seu civili. Paulus enim hic versatur in loco theologico & spirituali coram Deo, non politico, ne aliquis ineptus cavilletur, eum maledicere ac damnare leges politicas, & eos qui magistratum gerunt. Laborat hic Hieronymus, nihil dicens, quod ad rem facit.

Civiles leges & ordinationes res bonæ sunt.

Et Sophistæ hic magis muti quam pisces sunt. Ideo lectores admonendi sunt, hic non agi de civilibus legibus, moribus & rebus politicis, quæ ordinationes Dei sunt, & res bonæ, quas alibi Scriptura approbat & commendat, Sed de justicia spirituali, qua coram Deo justificamur, & dicimur filij Dei in regno cœlorum. In summa nihil hîc agitur de ista corporali vita, sed de æterna, ubi non est speranda Benedictio vel quærenda justicia per legem, traditiones humanas, aut quicquid in hac vita nominari potest, præter promissionem benedictionis Abrahæ. Maneant leges & ordinationes civiles in suo ordine & loco, ferat sane œconomus & Magistratus leges optimas ac pulcherrimas, illæ tamen non liberant à maledictione coram Deo. Regnum Babylonis divinitus constitutum & traditum Regibus, habebat optimas leges, & omnibus gentibus mandatum erat, ut illis obedirent, Veruntamen illa obedientia legum non liberabat à maledictione Legis divinæ. Sic nos obedimus legibus imperialibus, sed per hoc non sumus justi coram Deo, Versamur enim hic in alio loco.

Justicia fidei & politica facile confunduntur.

Non frustra urgeo & inculco tam diligenter hanc distinctionem. Valde enim prodest eam tenere, quanquam pauci eam observent & teneant. Deinde facilis est commixtio justiciæ cœlestis & politicæ. In Iusticia politica sunt spectandæ leges & opera, sed in spirituali, divina & cœlesti prorsus ex oculis removendæ sunt omnes leges & opera, & sola promissio & Benedictio Abrahæ inspicienda est, quæ proponit Christum benedictorem, largitorem Gratiæ & salvatorem. Ita ut spiritualis justicia sine lege & operibus pure intueatur Gratiam & benedictionem per Christum exhibitam, ut erat Abrahæ promissa, & ab eo credita.

Benedictio per fidem, non per legem accipitur.

Ex hoc facile apparet, hoc argumentum esse fortissimum. Nam si per solum Christum speranda & accipienda est Benedictio, Necessario sequitur à contrario, quod per legem non accipiatur. Quia benedictio tradita est ante & sine lege credenti Abrahæ. Ea autem fide, qua ipse credidit in futurum Christum, benedictorem, eadem nos credimus in præsentem, Sicq; fide justificamur, ut Abraham fide justificatus est. Ergo qui sub Lege sunt, non benedicuntur, sed manent obnoxij maledictioni.

Adversarios calumniari nostra verba.

Hoc Papa & Episcopi credere & ferre non possunt, nec volunt, nec nos tacere convenit. Oportet enim nos veritatem fateri & dicere, Papatum esse maledictum, Cæsaris leges & jura esse maledicta. Quia juxta Paulum, Quicquid est extra promissionem & fidem Abrahæ, maledictum est. Hoc audientes adversarij, statim invertunt & calumniantur verba nostra, quasi doceamus magistratum non afficiendum honore, sed concitemus seditionem contra Cæsarem, damnemus omnes leges, dissolvamus & dissipemus respublicas, &c. Sed insigni injuria nos afficiunt, distinguimus enim inter benedictionem corporalem & spiritualem,

lem,& dicimus,Cæſarem benedictum,benedictione corporali. Quia habere Regnum,leges,ordinationes civiles, habere uxorem,liberos, domum,agros, benedictio eſt,Iſta enim omnia ſunt bonæ creaturæ divinitus datæ, Sed iſta corporali benedictione,quæ temporalis eſt & finem habet, non liberamur ab æterna maledictione. Ideo non damnamus leges, neque ſeditioſi ſumus contra Cæſarem, ſed docemus ei parendum, eum timendum, venerandum & adorandum eſſe, ſed civiliter. Vbi vero theologice loquimur de Benedictione,ibi conſtanter dicimus cum Paulo, Omnia, quæ extra promiſſionem & fidem Abrahæ ſunt, maledicta eſſe, manereq; ſub maledicto cœleſti & æterno.Ibi enim vita poſt hanc præſentem, & alia benedictio poſt corporalem expectanda eſt.

Benedictio corporalis non liberat à peccato, &c.

In ſumma, Nos dicimus omnes res corporales eſſe bonas Dei creaturas. Ideo habere uxorem, liberos, facultates, habere leges, politicas ordinationes & ceremonias, ſunt benedictiones divinæ, in ſuo loco, hoc eſt, ſunt benedictiones temporales,pertinentes ad hanc vitam. Sed has confundunt & commiſcent omnium ætatum juſticiarij, Iudæi, Papiſtæ,ſectarij,&c. Quia non diſtinguunt inter benedictiones corporales & ſpirituales. Ideo dicunt, Nos Legem habemus, ea eſt bona, ſancta & juſta,ergo per eam juſtificamur. Quis negat Legem eſſe bonam,&c ? Sed eſt etiam Lex maledictionis, peccati, iræ & mortis. Ideo diſtingue hic benedictionem corporalem à ſpirituali, & dic Deum habere duplicem benedictionem,Corporalem pro hac vita,& Spiritualem pro æterna vita. Itaq; habere opes,liberos,&c. dicimus eſſe benedictionem, ſed in ſuo gradu, hoc eſt, pro præſenti vita. Pro æterna autem vita,non ſatis eſt nos habere corporales benedictiones, illis enim maxime abundant etiam impij, Non ſatis eſt nos habere juſticiam civilem & legalem, quia & hac maxime impij florent. Iſta dona ſua diſpergit Deus in orbem gratuito in malos & bonos,ſicut ſolem oriri finit ſuper malos & bonos, & pluviam mittit ſuper juſtos & injuſtos, Eſt enim dives in omnes. Et
Rom.8. parum eſt ipſi totam rerum creaturam ſubjicere pedibus impiorum,Rom.8. Vanitati creatura ſubjecta eſt non volens. Itaq; qui tantum habent benedictiones illas corporales,non ideo ſunt filij Dei, benedicti coram Deo ſpiritualiter, ut Abraham,ſed ſub maledicto ſunt,ut Paulus ait,Quicunq; ſub operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt.

Res corporales eſſe bonas Dei creaturas.

Lex peccati, ira, mortis, &c.

Benedictio corporalis diſcernenda à ſpirituali.

Deus diſpergit dona ſua in bonos & malos.

Paulus univerſali propoſitione dicere potuiſſet,Quicquid extra Fidem eſt, ſub maledicto eſt. Hoc non facit,ſed accipit hoc,quod extra fidem eſt optimum, maximum ac pulcherrimum inter benedictiones corporales mundi, ſcilicet legem Dei. Ea quidem,inquit,ſancta & divinitus tradita eſt,nihil tamen aliud efficit, quam quod ſubjicit omnes homines maledicto, & retinet ſub maledicto. Si autem Lex divina maledicto homines ſubjicit, multo magis inferiores leges & benedictiones hoc faciunt. Et ut recte & clare intelligi poſſit, quid Paulus vocet ſub maledicto eſſe,probat & declarat hoc teſtimonio Scripturæ,dicens:

Effectus legis divinæ.

> *Scriptum eſt enim, Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.*

Deut.27. HOC teſtimonio ex Cap. 27. Deuter. adducto, Paulus probare vult, omnes qui ſub Lege, aut operibus legis ſunt, maledictos eſſe, ſeu ſub Maledicto,hoc eſt, ſub peccato, ira Dei, æterna morte & omnibus malis, eſſe. Loquitur enim, ut ſupra dixi, non de corporali ſeu politica, ſed de ſpirituali & æterna maledictione, quam neceſſe eſt æternæ mortis & inferni maledictionem eſſe. Eſtq; hæc mirabilis probatio,quia Paulus affirmativam ſententiam,ſcilicet, Quicunq; ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt,probat per hanc negativam, quam ex Moſe mutuatus eſt,Maledictus omnis,qui non permanſerit in omnibus,&c. Sunt ergo hæ duæ ſententiæ Pauli & Moſi omnino diſſidentes. Pauli, Quicunq; fecerint opera legis, maledicti ſunt. Moſi, Quicunque non fecerint opera legis, maledicti ſunt. Quomodo igitur conciliari poſſunt ? aut, quod plus eſt, altera per al-

Paulus affirmativam ſententiam probat per negativam.

teram probari? Qualis, quæso, esset probatio, si hanc sententiam, Si servaveris mandata Dei, intrabis in vitam, velim per illam probare, Si non servaveris mandata Dei, intrabis in vitam? Nonne contrarium per contrarium probarem? Bella profecto probatio, & tamen hæc Pauli probatio plane similis est. Hunc locum nemo intelligit, nisi probe teneat Articulum justificationis. Hieronymus satis quidem sudat, sed inexplicatum relinquit.

Paulus absq; dubio hunc locum copiosius tractavit apud Galatas, alioqui cum hîc obiter & breviter tantum attingat eum, non intellexissent Galatæ, quid Paulus sibi vellet. Sed quia prius audierant illum explicari ab eo, jam admoniti, statim revocatur eis in memoriam. Non sunt autem hæ duæ sententiæ pugnantes, sed prorsus consentientes. Ad eundem enim modum & nos docemus, Non auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur, Roman. 2. Et econtra, Qui ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt. Articulus enim justificationis dicit, Quicquid est extra Fidem Abrahæ, maledictum est, Et tamen justificatio legis debet in nobis impleri, Rom. 8. Ista homini ignoranti doctrinam fidei, maxime inter se pugnare videntur, & non aliter sonare quam illa prorsus absurda sententia, Si legem impleveris, non impleveris, Si non impleveris, impleveris.

Sententiæ in scripturis videntur aliquando pugnare.

Rom. 2.

Rom. 8.

Quare primum omnium videndum est, in quo loco Paulus versetur, quid agat, & quomodo inspiciat Mosen. Versatur autem, ut jam sæpe dixi, in loco spirituali, extra politiam & omnes leges, & aliis oculis inspicit Mosen, quam hypocritæ & Pseudoapostoli, exponitq; Legem spiritualiter. Quare tota vis sita est in vocabulo faciendi. Facere autem legem, non est tantum externè, sed recte & perfecte facere. Sunt itaq; duplices Legis factores, Alij, qui sunt ex operibus legis, contra quos agit & pugnat Paulus in tota hac epistola, Alij qui sunt ex Fide, de quibus paulo post dicemus. Ex Lege autem, seu operibus legis esse, & ex Fide esse, sunt prorsus contraria, ut diabolus & Deus, peccatum & justicia, mors & vita, contraria sunt. Ex lege enim sunt, qui per legem justificari volunt, ex fide sunt, qui sola misericordia propter Christum se justificari confidunt. Qui ex Fide dicit esse justiciam, maledicit & damnat justiciam operum. Contrà, qui ex lege dicit esse justiciam, maledicit & damnat justiciam fidei. Sunt igitur præcise contraria.

Facere legem.

Duplices legis factores.

Ex lege esse.

Ex fide esse.

Qui hoc considerat, facile intelligit, quod facere Legem, sit non tantum externe in speciem, ut hypocritæ somniant, sed in spiritu, hoc est, revera & perfecte præstare ea, quæ in lege præcipiuntur. Sed ubi inveniemus illum, qui legem sic facit? Detur, & laudabimus eum. Ibi statim respondent adversarij, Factores legis justificabuntur. Bene. Sed definiamus primum, qui sint isti factores. Ipsi factorem legis appellant eum, qui operatur legem, & sic ex præcedentibus operibus justificatur. Hoc non est facere legem apud Paulum, Quia, ut dixi, contraria sunt, ex operibus Legis esse, & ex Fide esse. Itaq; velle justificari ex operibus legis, est negare justiciam fidei, Quare hoc ipso justiciarij, cum Legem faciunt, negant justiciam fidei, & peccant in primum, secundum & tertium præceptum, & in totam legem. Quia Deus præcipit se coli Fide & timore sui. Ipsi è diverso sine fide & contra fidem faciunt ex operibus justiciam. Hoc ergo ipso quod faciunt Legem, maxime faciunt contra legem, & gravissime & atrocissime peccant, negant enim Dei justiciam, misericordiam & promissiones, negant Christum cum omnibus beneficiis suis, & statuunt in corde, non legis justiciam, quam non intelligunt, multo minus faciunt, Sed merum figmentum & idolum legis, Ideo necesse est eos faciendo legem, non solum non facere, sed etiam peccare, & negare divinam majestatem in omnibus promissis suis. Ad hoc certè lex non est data.

Facere legem.

Factor legis secundum Papistas.

Justiciariorum error & impietas.

Quare non intelligentes Legem, abutuntur ea, &, ut Paulus ait Rom. 10. Ignorantes justiciæ Dei, & suam quærentes statuere, justiciæ Dei non sunt subjecti. Cæci enim sunt, non intelligentes, quid de fide & promissionibus sentiendum sit, ideo prorsus sine omni judicio irruunt in scripturam, apprehendentes unam tantum

Rom. 10.

tantum ipsius partem,scilicet Legem, hanc putant se operibus implere. Sed hoc merum est somnium,fascinatio & illusio cordis, justiciaq; illa legis, quam putant se præstare, re vera nihil aliud est, quam idolatria & blasphemia Dei, Ideo necesse est eos manere sub maledicto.

Ergo Legem,hoc modo,ut ipsi somniant,impossibile est nos facere,multo minus per eam justificari. Hoc primum testatur Lex ipsa, quæ omnino contrarium effectum habet. Auget enim peccatum, operatur iram,accusat,perterrefacit & condemnat,quomodo igitur justificaret? Deinde etiam promissio idem ostendit, Quia dictum est Abrahæ, In te benedicentur omnes gentes, Itaq; nusquam est Benedictio, nisi in promissione Abrahæ, extra quam si es, sub maledicto es & manes. Si sub maledicto es,non imples Legem, quia es sub Peccato, diabolo & morte æterna,quæ omnia certo sequuntur maledictionem. Summa,si per legem veniret justicia,frustra promitteret Deus,frustraq; profunderet suam Benedictionem. Ideo cum Deus sciret nos Legem non posse facere, prævidit hoc longe ante legem, & Abrahæ promisit Benedictionem, dicens, Benedicentur in te,&c. Atq; ita testatus est,Omnes gentes non per Legem, sed per promissionem Abrahæ, benedicendas fore. Qui igitur contempta promissione apprehendunt Legem,ut per eam justificentur,maledicti sunt. *Effectus legis.*

Quare facere,est primum credere, & sic per fidem præstare legem, Oportet nos primum accipere Spiritum sanctum,quo illuminati & renovati incipimus facere legem, hoc est, diligere Deum & proximum. Spiritus sanctus autem non per Legem accipitur (Nam qui sub lege sunt, ait Paulus,sub maledicto sunt) sed per auditum fidei,hoc est,per Promissionem.Oportet nos simpliciter cum Abraham & fide ipsius in promissionem benedici. Ideo primum omnium audienda est promissio,quæ Christum proponit, eumq; credentibus offert,quo fide apprehenso, donatur Spiritus sanctus propter ipsum. Ibi tum diligitur Deus & proximus, bona opera fiunt,fertur Crux. Hoc vere est Legem facere, alioqui lex perpetuò manet infecta. Quare si proprie ac diserte definias quid sit facere legem,nihil aliud est, quam credere in Iesum Christum, & accepto per fidem in Christum Spiritu sancto operari ea,quæ sunt in lege. Neq; aliter Lex à nobis fieri potest. Quia scriptura dicit,Extra promissionem non esse benedictionem,etiam in lege.Igitur impossibile est fieri Legem absq; promissione, Oportet adesse benedictionem, quæ prædicatio est de Christo,qui Abrahæ promissus est, quòd per ipsum mundus benedicendus sit, alioqui nunquam faciemus legem. *Facere Legem.* *Quomodo Lex fiat.* *Legem facere.*

Itaq; neminem in toto mundo dabis, cui hic titulus, Factor legis, conveniat extra promissionem Evangelij. Ideo,Factor legis,est terminus fictus, quem nemo intelligit, nisi sit extra & supra Legem in benedictione & fide Abrahæ. Ita ut verus factor legis is sit,qui accepto Spiritu sancto per fidem Christi,incipit diligere Deum,& benefacere proximo. Vt facere includat simul fidem, quæ facit arborem, qua facta fiunt fructus. Oportet primum esse arborem, postea fructus. Poma enim non faciunt arborem, sed arbor poma facit. Sic Fides primum personam facit, quæ postea facit opera. Itaq; facere legem absq; fide, est facere poma sine arbore ex ligno & luto, quod non est facere poma, sed mera phantasmata. Contrà, posita arbore, hoc est, persona seu factore, qui fit per fidem in Christum, sequuntur opera. Oportet enim factorem esse ante facta, non facta ante factorem. Quare non Factor dicitur ab operibus factis, sed faciendis.Quia Christiani non fiunt justi, operando justa, sed jam fide in Christum justificati, operantur justa. Illud alterum politicum est, scilicet ex factis fieri factorem, ubi sæpe citharisando, ut ait Aristoteles, fit aliquis citharœdus. In theologia autem factores non fiunt ex operibus, sed ex personis per Fidem jam factis fiunt operatores. De talibus loquitur Paulus Rom. 2. cum ait, Factores legis justificantur, id est, justi reputantur. *Factor legis.* *In theologia factor fit per fidem ante facta.* *Pij non fiunt justi operando justa, &c.* *Rom. 2.*

Quin & ipsi Sophistæ coguntur fateri, & ita etiam docent, Opus morale externe *Doctrina Sophistarum.*

externe factum, si non fiat syncero corde, bona voluntate & recto dictamine rationis, esse simulatum. Atq; hinc natum est apud Germanos adagium, Die Kappe deckt manchen Schalck. Impius enim & pessimus nebulo potest eadem opera simulare, quæ pius ex fide facit. Iudas eadem opera faciebat, quæ alij Apostoli. Quid deest operibus Iudæ, cum eadem faciat quæ cæteri Apostoli? Ibi respondet Sophista ex morali sua philosophia, Quanquam eadem opera faciat quæ alij, tamen quia persona est reproba, dictamen rationis perversum, opera ejus sunt hypocritica, non vera, ut aliorum Apostolum, ut maxime in speciem similia videantur. Itaq; coguntur illi ipsi fateri in politicis & externis, opera non justificare, nisi involvant simul rectum cor, opinionem & voluntatem. Quantò magis coguntur hoc concedere in Theologia, ubi ante omnia oportet adesse noticiam Dei & fidem, quæ cor purificet. Incedunt igitur in operibus & justicia Legis, ut Iudas in operibus Apostolorum, non intelligentes quæ loquuntur aut de quibus affirmant. Et quanquam Paulus passim dicat claris verbis, Legem non justificare, sed iram operari, ostendere peccatum, revelare iram & judicium Dei, & comminari mortem æternam, Tamen ista legentes non vident, multo minus intelligunt. Ideo non sunt digni ut vocentur hypocritæ, sed larvæ & spectra sunt, planeq; fascinati, cum somniant se operibus legis esse justos. Itaque, ut dixi, factor Legis, ut ipsi definiunt, est terminus fictus & monstrum, nusquam existens in rerum natura.

Iudas eadem operatur, quæ alij Apostoli.

In politicis opus non judicatur bonum, nisi fiat ex bona voluntate, multo magis in theologia.

Effectus legis.

Quare Paulus cum hunc locum, Quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, probat per hoc dictum Mosi, Maledictus omnis, &c. non probat contrarium per contrarium, ut primo aspectu apparet, sed rectissime & optime probat. Moses enim idem sentit & statuit quod Paulus, cum ait, Maledictus omnis, qui non fecerit, &c. Nemo autem facit. Igitur quicunq; sunt ex operibus Legis, non faciunt legem. Si non faciunt, sub maledicto sunt. Cum vero duplices sint factores legis, ut dixi, veri & hypocritici, separandi sunt veri ab hypocriticis. Veri sunt, qui per fidem bona arbor sunt ante fructum, & factores ante opera, De his loquitur & Moses, & nisi sint tales, sub maledicto sunt. Omnes autem hypocritæ non sunt ejusmodi, quia habent opinionem, quod velint per opera parare justiciam, & reddere per ea personam justam. Sic enim cogitant, Nos peccatores & injusti volumus fieri justi, Quo modo? Ex operibus. Itaq; perinde faciunt ac stultus aliquis architectus, qui ex tecto fundamentum, ex fructibus arborem conatur facere. Nam cum per opera justificari quærunt, factorem ex operibus facere volunt, quod præcise contra Mosen est, qui talem factorem æque subjicit maledictioni, ac ipse Paulus.

Paulus nil probat contrarium per contrarium.

Factores legis veri.

Ideo conantes facere legem, non solum eam non faciunt, sed etiam negant, ut dixi, primum præceptum, divinas promissiones, benedictionem Abrahæ promissam, negant fidem, & seipsos suis operibus conantur benedicere, hoc est, justificare, liberare à peccato & morte, diabolum vincere, & vi cœlum rapere. Quod est simpliciter negare Deum, & sese in locum Dei constituere. Nam ista omnia sunt solius divinæ majestatis opera, non creaturæ neq; angelicæ neq; humanæ.

Hypocritarum error & impietas.

Hinc Paulus facile prædicere potuit ex primo præcepto, abominationes futuras, in Ecclesiam per Antichristum invehendas. Qui enim præter cultum primi præcepti, qui est timor, fides & dilectio Dei, alium cultum ad salutem necessarium docent, sunt Antichristi, & constituunt se in locum Dei. Tales venturos prædixit etiam Christus Matth. 24. cum ait, Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus. Sic & nos hodie, ut facile, ita certo dicere possumus, Quicunq; extra fidem quærit justiciam per opera, negat Deum, & seipsum facit Deum, quia sic cogitat, Si hoc opus fecero, justus ero, ero victor peccati, mortis, Diaboli, iræ Dei & inferni, & consequar vitam æternam. Quod, quæso, quid aliud est, quam arrogare sibi hoc opus, quod soli Deo competit, & ostendere sese esse Deum? Ideo facile est nobis prophetare, & certissime judicare de omnibus, qui

Cultus primi præcepti.

Matth. 24

Pij omnia judicant.

qui extra fidem ſunt, quod non ſolum ſint Idolatræ, ſed idola, quæ Deum negant, & ſeſe in locum Dei conſtituunt. Ex eodem fundamento & Petrus prophetavit, cum ait, Inter vos erunt mendaces magiſtri, qui Dominum, qui eos mercatus eſt, negabunt, &c. 2. Pet.

Et in veteri Teſtamento omnes prophetiæ contra Idolatras ex primo præcepto fluxerunt. Omnes enim impij Reges & Prophetæ, cum infideli populo nihil aliud egerunt, quam quod Papa & omnes hypocritæ ſemper faciunt, Poſthabito primo præcepto & cultu à Deo inſtituto, ac contempta promiſſione de ſemine Abrahæ, benedictore futuro omnium gentium, inſtituerunt ſine & contra verbum Dei impium cultum, & dixerunt, Hoc cultu obſervato, laudabimus & ſerviemus Deo, qui eduxit nos de terra Ægypti. Sic Hieroboam fecit duos aureos vitulos, & dixit, Ecce Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Hoc dicebat de vero Deo, qui Iſrael redemerat, Et tamen ipſe cum toto populo erant idolatræ, Quia contra primum præceptum Deum colebant. Reſpiciebant enim in opus tantum, quo facto, putabant ſe juſtos coram Deo, Quod erat negare illum ipſum Deum, quem ore prædicabant, quod eduxiſſet eos de terra Ægypti. De talibus idolatris Paulus ait, Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.

Idolatria Iudæorum.

Aurei vituli Hieroboam.

Quare omnes hypocritæ & idolatræ ea opera facere conantur, quæ proprie ad divinitatem pertinent, & uni ſoliq; Chriſto competunt. Ore quidem non dicunt, Ego ſum Deus, Ego ſum Chriſtus, re vera tamen interim divinitatem & officium Chriſti ſibi arrogant. Ideo re vera dicunt, Ego ſum Chriſtus, Ego ſum ſalvator, non ſolum meus, ſed & aliorum. Hoc Monachi non ſolum docuerunt, ſed etiam perſuaſerunt toti mundo, nempe quod non ſolum ſeipſos juſtificare poſſint ſua illa hypocritica ſanctitate, ſed etiam alios, quibus eam communicarent, Cum tamen juſtificare peccatorem, ſit ſolius Chriſti proprium officium. Sic Papa ſpargendo ſuam divinitatem in orbem terrarum, negavit & oppreſſit penitus officium & divinitatem Chriſti.

Hypocritæ hoc conantur facere, quod ſoli Chriſto competit.

Monachorum doctrina.

Iſta expedit habere bene inculcata & meditata. Quia valent ad judicandam univerſam Chriſtianam doctrinam & vitam humanam, Valent ad confirmandas conſcientias, ad intelligendas omnes prophetias & ſcripturas, & ad recte judicandas omnes res. Qui enim iſta probe tenet, certò ſtatuere poteſt, Papam eſſe Antichriſtum, quia longe diverſum cultum docet, quàm prima tabula proponit, Certo intelligere poteſt, quid ſit negare Deum, negare Chriſtum, quid Chriſtus velit, cum ait, Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus, Quid ſit adverſari Deo, & extolli ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, Quid ſit Antichriſtum ſedere in templo Dei, & oſtendere ſeſe quaſi ſit Deus, Quid ſit abominationem ſtare in loco ſancto, &c.

Vſus doctrinæ pietatis.

Papa Antichriſtus.

Iſta autem mala omnia hinc oriuntur, quod maledicta hypocriſis non vult Benedictione divina juſtificari, nec formari à Deo creatore, non vult eſſe materia mere paſſiva, ſed active ea operari, quæ ipſa patiendo debebat Deum ſinere operari, & ab eo accipere. Itaq; facit ſeipſam creatricem & juſtificatricem per opera ſua, aſpernans Benedictionem promiſſam, & datam Abrahæ & filiis ejus credentibus. Sic quilibet hypocrita ſimul eſt materia & operator (quanquam hoc ſit contra Philoſophiam, quia idem non poteſt agere in ſeipſum) Materia, quia peccator, Operator, quia induit cucullum, aut eligit quoddam aliud opus, per quod ſperat mereri gratiam, & ſalvare ſeipſum & alios, Ergo ſimul eſt creatura & creator. Quare nemo poteſt verbis conſequi, quam horribilis & execranda res ſit, quærere juſticiam extra benedictionem in Lege & operibus. Eſt enim abominatio ſtans in loco ſancto, quæ negat Deum & conſtituit creaturam in locum creatoris.

Hypocriſis quanta peſſit.

Omnis juſtitiarium eſt materia & artifex.

Quærere juſticiam per legem.

Sunt igitur factores legis, non hypocritæ externe facientes legem, ſed credentes, qui accepto Spiritu ſancto eam implent, hoc eſt, diligunt Deum & proximum, &c. Vt factor legis ſit, non qui ex operibus fiat factor, ſed qui ex perſona per

Vera legis factores.

fidem jam facta, fiat operator. Nam in Theologia juſti facti, juſta faciunt, non item in philoſophia, ubi facientes juſta juſti fiunt. Itaq; Fide juſtificati facimus bona opera, per quæ, ut 2. Pet. 1. dicitur, vocatio & electio noſtra confirmatur, & de die in diem certior fit. Sed quia tantum primitias ſpiritus, nondum decimas habemus, & reliquiæ peccati in nobis manent, Legem perfecte non facimus. Sed hoc credentibus nobis in Chriſtum, qui Abrahæ promiſſus eſt, & nos benedixit, non imputatur. Fovemur enim & alimur propter Chriſtum interim in gremio tolerantiæ divinæ. Sumus ille vulneratus, qui incidit in latrones, cujus vulnera Samaritanus obligavit, infundens oleum & vinum. Quem deinde imponens in jumentum ſuum, duxit in diverſorium, curamq; illius egit, Abiens autem commendavit eum hoſpiti, dicens, Curam illius habe. Itaq; fovemur interim tanquam in hoſpitali, donec adjiciat Dominus ſecundò manum, ut Eſaias ait, ut liberet nos.

Pij perfecte legem non faciunt.

2. Pet. 1.

Luc. 10.

Quare Moyſi ſententia, Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, &c. non pugnat cum Paulo, qui maledictos pronuntiat eos, qui ex operibus Legis ſunt. Moſes enim requirit factorem, qui perfecte Legem faciat. Sed ubi accipiemus illum? Nuſquam. Moſes ipſe fatetur ſe non eſſe talem, quia Exod. 34. ait nullum eſſe innocentem apud Deum. Et David, Ne intres in judicium cum ſervo tuo, &c. Et Paulus Roman. 7. Non facio quod volo, &c. Quare Moſes una cum Paulo neceſſario nos cogit ad Chriſtum, per quem ſimus factores legis, & nullius transgreſſionis rei. Quo modo? Primum per remiſſionem peccatorum, & imputationem juſticiæ propter fidem in Chriſtum, Deinde per donum & Spiritum ſanctum, qui parit novam vitam, novos motus, &c. in nobis, ut etiam Legem formaliter faciamus. Quòd autem non fit, ignoſcitur propter Chriſtum. Deinde quicquid peccati reliquum eſt, non imputatur. Sic Moſes conſentit cum Paulo, & idem vult, cum dicit, Maledictus omnis, &c. Quia negat eos facere legem, cum velint ex operibus ſeipſos juſtificare, & concludit cum Paulo, eos ſub maledicto eſſe. Itaq; requirit Moſes factores veros, qui ex fide ſunt, ut Paulus eos damnat, qui non ſunt veri factores, hoc eſt, qui non ſunt ex fide. Nihil ergo impedit, quòd Moſes negative, Paulus affirmative locutus eſt, modo recte definias, quid ſit facere. Sic utraq; ſententia vera eſt, ſcilicet, Maledictos eſſe omnes, qui non permanſerint in omnibus, & maledictos eſſe, qui ex operibus legis ſunt.

Qualem factorem legis requirat Moſes.

Exod. 34.

Pſal. 143.

Per Chriſtum fieri nos factores legis.

Rom. 7.

RESPONSIO AD ARGVMENTA QVÆ ADVERSARII OPPONVNT CONTRA DOCTRINAM ET IVSTICIAM FIDEI.

Lex de Lege & operibus.

CVm hic locus præbeat occaſionem, dicendum eſt de argumentis, quæ opponunt adverſarij contra doctrinam fidei, quæ eſt, Quod ſola fide juſtificemur. Multa occurrunt in ſacris literis novi & veteris Teſtamenti loca, de operibus & præmiis, quibus adverſarij nituntur, & iiſdem putant ſe egregie poſſe evertere doctrinam fidei, quam nos docemus & tuemur. Ideo inſtructos nos eſſe oportet, ut non ſolum docere noſtros, ſed etiam reſpondere adverſariorum objectionibus poſſimus. Sophiſtæ & quotquot Articulum juſtificationis non tenent, nullam juſticiam intelligunt, quàm politicam & legalem, quæ etiam aliquo modo gentibus notæ ſunt. Ideo ex morali philoſophia & lege rapiunt vocabula, facere, operari, & ſimilia, & transferunt in Theologiam, In quo non ſolum peſſime, ſed & impiiſſime agunt. Diligenter diſcerni debent Philoſophia & Theologia. Sophiſtæ ipſi fatentur & docent, In natura eſſe, præcedere operari, quia arbor naturaliter prior eſt fructu. Item in Philoſophia concedunt, opus moraliter non eſſe bonum, niſi adſit prius recta ratio & bona voluntas. Statuunt igitur rectam rationem & bonam voluntatem ante opus, hoc eſt, juſtificant perſonam moraliter ante opus. Contrà, in Theologia, ubi maxime debebat fieri (adeo ſtupidi ſunt aſini) invertunt hoc perverſiſſime, ſtatuentes opus ante rectam rationem, &c.

Juſticia legalis eſt etiam gentibus nota.

Facere natura-

Quare aliud eſt facere in natura, aliud in Philoſophia, aliud in Theologia.

In natu-

In natura primum oportet esse arborem, deinde fructum. In morali Philosophia facere prærequirit bonam voluntatem & rectam rationem operandi, ibiq; consistunt Philosophi. Hinc Theologi dicunt moralem Philosophiam non habere in objecto & causa finali Deum. Quia Aristoteles, Sadducæus, aut homo civiliter bonus, vocat hoc rectam rationem & bonam voluntatem, si quærat communem utilitatem rei publicæ, tranquillitatem & honestatem. Altius non assurgit Philosophus aut legislator, Non cogitat per rectam rationem, &c. consequi remissionem Peccatorum & vitam æternam, ut Sophista aut Monachus. Ideo gentilis Philosophus longe melior est tali hypocrita, Manet enim intra limites suos, habens tantum rationem honestatis & tranquillitatis publicæ, non miscens humanis divina. Contrà, Sophista imaginatur Deum spectare suam bonam intentionem & opera, Ideoque miscet divinis humana, polluit nomen Dei, eamq; imaginationem haurit ex Philosophia morali, nisi quod ea pejus abutitur, quàm homo gentilis, &c.

le, morale & theologicum.

Philosophia moralis, &c.

Collatio gentilis Philosophi & Monachi, &c.

Itaq; oportet nos altius ascendere in Theologia, quàm in natura & Philosophia, cum vocabulo faciendi, ut plane novam fiat. Nam ut ex naturalibus raptum in moralia aliud fit, Ita multo magis ex Philosophia & Lege translatum in Theologiam, aliud fit, ut prorsus hic novam significationem habeat, & requirat etiam rectam rationem & bonam voluntatem non moraliter, sed Theologice; quæ est, quòd per verbum Evangelij cognosco & credo Deum misisse Filium suum in mundum, ut redimeret nos à peccato & morte. Ibi facere est res nova, incognita rationi, Philosophis, legistis & omnibus hominibus. Est enim sapientia in mysterio abscondita, &c. Prærequirit igitur opus necessario ipsam fidem in Theologia. Cum igitur opponunt adversarij sententias scripturæ de Lege & operibus, & urgent vocabula operandi & faciendi, sic respondebis, Ea esse vocabula theologica, non naturalia aut moralia. Quæ si naturalia vel moralia sint, accipi in suo usu, Si vero theologica, includere rectam rationem & bonam voluntatem, incomprehensibilem rationi humanæ. Quare facere in Theologia intelligatur semper de Fideli facere, Vt fidele facere sit alius circulus, ac novum quasi regnum, à facere morali. Itaq; cum nos Theologi loquimur de facere, necesse est nos loqui de Fideli facere, quia in Theologia nullam rectam rationem & bonam voluntatem habemus, præter Fidem.

Facere theologicum.

Quomodo respondendum sit adversariis urgentibus vocabula faciendi & operandi, &c.

Facere in Theologia.

Ista regula pulchre observatur Ebr. 11. Illic numerantur multa & varia Sanctorum opera ex sacra Scriptura. Vt de Davide, qui occidit leonem & ursum, occ. 17. cidit Goliath. Ibi insultus asinus Sophista tantum faciem operis, ut bos novam portam, inspicit. Sed sic inspiciendum est hoc opus, ut primum consideres, qualis fuerit persona David, antequam hoc opus faceret, nempe talis, cujus cor confitebat in Dominum Deum Israel, ut textus clare habet, Dominus, qui eripuit me de manu leonis & ursi, ipse liberabit me de manu Philistæi hujus. Deinde, Tu venis ad me cum gladio, hasta & clypeo, Ego autem ad te venio in nomine Domini Zebaoth, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie. Et dabit te Dominus in manum meam, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, &c. Quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus, &c. Vides ergo eum justum & acceptum Deo, in fide fortem & constantem fuisse antequam hoc opus faceret. Itaq; facere Davidis non est naturale aut morale, sed fidele.

Regula observanda de locis operum.

Opus Davidis fidele.

Sic eadem Epistola dicit de Abel, quæ fide meliorem hostiam obtulit Deo, quàm Cain. Si Sophistæ incidunt in istum locum, ut in Gen. legitur (ubi simpliciter describitur, quod uterq; Cain & Abel obtulerunt munera, & quod Dominus respexit ad Abel & ad munera ejus) statim arripiunt hæc verba. Obtulerunt munera, Dominus respexit ad munera Abel, & clamant, Ibi auditis & videtis Deum respexisse munera, Ergo opera justificant. Sic immundi porci putant justiciam esse rem moralem, tantum inspicientes larvam operis, non cor facientis opus, Cum tamen in ipsa Philosophia cogantur spectare non nudum opus, sed bonam

Hostia Abelis & Cain, Gen. 4.

Non spectanda larva operis, sed cor operantis.

bonam voluntatem operatoris. Hic autem hærent tantum in vocabulis, obtulerunt munera, Dominus reſpexit ad munera, non videntes quòd textus in Geneſ. manifeſtè dicat, Dominum reſpexiſſe primum ad perſonam Abelis, quæ placuit propter fidem, deinde ad munera ejus. Itaq; loquimur in Theologia de operibus, ſacrificiis, oblationibus & muneribus fidelibus, hoc eſt, quæ oblata & facta ſunt in fide, ut Epiſtola ad Ebræ. exponit, Fide, inquiens, Abel meliorem hoſtiam obtulit, Fide Enoch translatus eſt, fide obedivit Abraham, &c. Habes itaq; canonem ex c. 11. ad Ebr. quomodo ſimpliciter reſpondendum ſit ad argumenta, quæ objiciuntur ab adverſariis de Lege & operibus, ſcilicet, Hoc opus ille vel alius fecit in fide, Et ſic ſolvis ipſorum omnia argumenta.

De quibus operibus loquatur ſcriptura.

Canon.

Ebr. 11.

Ex his manifeſtum eſt in Theologia opus nihil valere ſine fide, ſed oportere præcedere fidem antequam opereris. Impoſſibile enim eſt ſine fide placere Deo, Sed accedentem ad Deum oportet credere. Hinc dicit ille ad Ebr. hoſtiam Abelis fuiſſe meliorem, quia credebat, Ideò opus ſeu ſacrificium Abelis fidele fuit. Contrà in Cain, quia impius & hypocrita erat, nulla fides Gratiæ, ſed mera præſumptio juſticiæ propriæ fuit, ideò opus ejus, quo ſtudebat placere Deo, hypocriticum & infidele fuit. Quare coguntur adverſarij ipſi concedere, in omnibus operibus Sanctorum præſupponi fidem, propter quam opera placent. Ergo in Theologia eſt novum facere, diverſum à morali.

Opus nihil valere ſine fide.

Sacrificium Abelis fidele, Cain infidele.

Ebr. 11.

Deinde hoc modo etiam diſtinguere ſolemus fidem, quod fides aliquando accipiatur extra opus, aliquando cum opere. Vt enim artifex variè de ſua materia, & hortulanus de arbore vel nuda, vel geſtante fructum, loquitur, Ita & Spiritus ſanctus in ſcriptura variè de fide loquitur, jam de fide (ut ſic dicam) abſtracta vel abſoluta, jam de fide concreta, compoſita ſeu incarnata. Fides abſoluta ſeu abſtracta eſt, quando ſcriptura abſolutè loquitur de juſtificatione, ſeu de juſtificatis, ut cernere eſt in Epiſtola ad Rom. & ad Galat. Quando vero ſcriptura loquitur de præmiis & operibus, tunc de fide compoſita, concreta ſeu incarnata loquitur. Hujus fidei exempla aliquot recenſebimus, ut, Fides per dilectionem efficax, Hoc fac & vives. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata Dei. Qui fecerit hæc, vivet in eis. Declina à malo, & fac bonum, &c. In iſtis & ſimilibus locis (quales ſunt innumeri in ſacris literis) ubi fit mentio de faciendo, ſcriptura ſemper loquitur de fideli facere. Vt cum dicit, Fac hoc, & vives, hoc vult, Cogita primũ, ut ſis fidelis, habeas rectam rationẽ & bonam voluntatem, i.e. fidem in Chriſtum, ea habita, opereris.

Scriptura loquiturquando; de fide ſine operibus, quando; de fide cum operibus.

Luc. 19. Matth. 19. Galat. 3. Levit. 18. Pſal. 34.

Hoc fac & vives.

Quid igitur mirum, ſi illi Fidei incarnatæ, hoc eſt, operanti, qualis fuit Abelis, vel operibus fidelibus, promittuntur merita ac præmia? Quidni ita variè loqueretur ſcriptura de fide, cum etiam de Chriſto Deo & homine variè loquatur, ſcilicet jam de tota perſona, jam de duabus naturis ipſius ſeorſim, aut divina aut humana. Si de naturis ſeorſim loquitur, de Chriſto abſolutè loquitur. Si verò de divina, unita humanæ in una perſona loquitur, de Chriſto compoſito & incarnato loquitur. Extat regula apud ſcholaſticos uſitata, de communicatione idiomatum, cum proprietates divinitati Chriſti convenientes, tribuuntur humanitati ipſius, Id quod paſſim cernere eſt in ſcripturis. Luc. 2. vocat angelus infantem, ex Maria virgine natum, Salvatorem hominum, & communem Dominum angelorum & hominum. Et cap. 1. Filium Dei. Hinc veriſſimè dicere poſſum, Ille infans, qui in præſepio & virginis gremio jacet, creavit cœlum & terram, eſt Dominus angelorum. Hîc loquor quidem de homine, ſed homo in iſta propoſitione eſt planè novum vocabulum, &, ut Sophiſtæ ipſi fatentur, ſupponit pro divinitate, id eſt, Iſte Deus, qui factus eſt homo, creavit omnia. Creatio quidem tribuitur ſoli Divinitati, quia humanitas non creat, Et tamen rectè dicitur, Homo creavit, quia divinitas, quæ ſola creat eſt incarnata cum humanitate, Ideoq; humanitas participat iiſdem proprietatibus cum divinitate. Quare rectè & piè dicitur, Iſte homo Ieſus eduxit Iſrael de Ægypto, percuſſit Pharaonem, & fecit omnia mirabilia ab initio Mundi, &c.

Scriptura jam de altera, jam de duabus Chriſti naturis loquitur, &c.

Regula de communicatione idiomatum.

Luc. 1.

Homo Chriſtus omnia creavit.

Igitur

Igitur cum ſcriptura dicit,Si vis in vitam ingredi, ſerva mandata Dei, Hoc fac & vives,&c. Primum videndum eſt, de cujuſmodi ſervare & facere loquatur. Nam in his & ſimilibus locis,ut dixi, loquitur de Fide concreta, non abſtracta, compoſita,non nuda aut ſimplici. Eſtq; iſta hujus loci,Fac hoc & vives,ſententia, Tu vives propter hoc facere fidele,Vel hoc facere dabit tibi vitam propter ſolam fidem. Hoc modo juſtificatio ſoli fidei tribuitur, ut creatio Divinitati,Et tamen, ut verè dicitur,Ieſus Mariæ filius creavit omnia. Ita tribuitur etiam juſtificatio fidei incarnatæ ſeu fideli facere,Ideo nullo modo ſentiendum eſt cum Sophiſtis & hypocritis,quòd opera abſolutè & ſimpliciter juſtificent,quodq; moralibus operibus promittantur merita & præmia, ſed fidelibus.

Si vis in vitam ingredi, &c.

Permittamus igitur Spiritum ſanctum loqui in ſcripturis, vel de fide abſtracta, nuda, ſimplici, vel de concreta, compoſita, incarnata, Omnia ſunt fidei, quæ operibus tribuuntur. Non enim moraliter, ſed theologicè & fideliter ſunt opera inſpicienda. Fides in Theologia perpetuò ſit divinitas operum,& ſic perfuſa per opera, ut Divinitas per humanitatem in Chriſto. Qui in ferro ignito attingit ignem,ferrum attingit. Ita qui tetigit cutem Chriſti, vere Deum tetigit. Eſt igitur Fides fac totum (ut ita loquar) in operibus. Abraham dicitur fidelis, quia fides diffuſa eſt in totum Abraham, ut inſpiciens eum operantem, nihil videam Abrahæ carnalis vel operantis,ſed tantum credentis.

Fides ſimplex & compoſita.

Iſta ideo tam diligenter inculco, ut clare tradam fidei doctrinam, Deinde ut ad objecta adverſariorum, qui commiſcent Philoſophiam & Theologiam, & ex moralibus operibus theologica faciunt, recte & facile reſpondere poſſimus. Theologicum opus eſt fidele opus,Sic homo Theologicus eſt fidelis, Item ratio recta,voluntas bona theologice eſt fidelis ratio & voluntas,ita ut Fides in univerſum ſit divinitas,in opere,perſona & membris,ut unica cauſa juſtificationis, quæ poſtea etiam tribuitur materiæ propter formam, hoc eſt, operi propter fidem. Potentia æterna & infinita traditur Chriſto homini, non propter humanitatem, ſed divinitatem.Sola enim Divinitas creavit omnia, humanitate nihil cooperante. Ita neq; peccatum & mortem humanitas vicit,ſed hamus,qui latebat ſub vermiculo,in quem Diabolus impegit,vicit & devoravit Diabolum, qui volebat devorare vermiculum. Itaq; ſola humanitas hîc nihil effeciſſet, ſed Divinitas humanitati conjuncta ſola fecit,& humanitas propter divinitatem. Sic hîc ſola fides juſtificat & facit omnia,& tamen operibus idem tribuitur,ſed propter fidem.

Sophiſtæ ex operibus theologicis faciunt moralia, & contra.

Sunt igitur iſta vocabula,facere, operari, tripliciter accipienda,Subſtantialiter ſeu naturaliter,moraliter & theologicè(Sophiſtæ finxerunt quædam opera neutralia, quæ dixerunt nec bona nec mala) In ſubſtantiis ſeu naturis & moralibus,ut dixi,accipiuntur iſta vocabula,in ſuo uſu & naturali ſignificatione.In Theologia verò fiunt planè nova vocabula,acquiruntq; novam ſignificationem.Quare ad morale facere pertinent omnes Hypocritæ,qui volunt ex Lege juſtificari,& falſas opiniones de Deo habent, contra quos Paulus hîc diſputat. Habent enim facere, quod fluit ex recta ratione & bona voluntate morali ſeu humana. Ideò opera eorum ſunt planè moralia ſeu potius rationalia. Contrà,piorum ſunt theologica,quæ fidem includunt.

Verbalium facere tripliciter accipitur, &c. Opera neutralia.

Quare cum legis in ſcripturis de Patribus, Prophetis, Regibus,quòd operati ſint juſticiam,ſuſcitaverint mortuos,vicerint regna,&c. memineris talia & ſimilia dicta ſecundum novam & theologicam grammaticam exponenda eſſe, ut Epiſtola ad Ebr.exponit,nempe hoc modo,Fide operati ſunt juſticiam,fide ſuſcitaverunt mortuos,fide vicerunt Reges & regna, Ita ut Fides incorporet & informet facere. Et hoc adverſarij, ſi ſani ſunt, negare non poſſunt,nec habent quod contradicant aut opponant. Clamare quidem poſſunt,Scripturam ſæpe loqui de faciendo & operando, Nos perpetuò reſpondemus, eam loqui de facere fideli. Oportet enim primum rationem illuſtratam eſſe fide,antequam operetur,habita autem vera opinione & noticia Dei,tanquam recta ratione, incarnatur & incorporatur

Ebr.11.

Loca de operibus exponenda ſecundum grammaticam novam, legenda.

poratur ei opus,ut quicquid fidei tribuitur,poſtea etiam operibus tribuatur, ſed propter ſolam fidem.

Differimen obſervandum inter facere morale & theologicum.

Valdè igitur prodeſt, ut Theologiæ ſtudioſi benè diſtinguere diſcant inter Facere verum & hypocriticum, morale & theologicum. Hoc enim facientes facile explicare poterunt omnes locos, qui juſticiam operum ſtatuere videntur. Eſt autem verum Facere,ut dixi, fidele ſeu theologicum, quod is non habet, qui ex operibus quærit juſticiam. Ideo maledictus eſt omnis Legis operator, & moralis Sanctus. Quia incedit contra Deum in præſumptione juſticiæ propriæ, dum per voluntatem & rationem humanam vult juſtificari,& ſic faciendo legem, non facit. Hocq; vocat Paulus eſſe ſub operibus Legis,hoc eſt,hypocritas facere Legem,& tamen faciendo non facere. Quia intelligunt facere juxta grammaticam moralem,quæ in Theologia non valet.Operantur quidem multa,ſed ex præſumptione propria ſine recta ratione & bona voluntate Theologica, hoc eſt, ſine cognitione Dei & fide,ut Phariſæus Lucæ 18. & Paulus ante converſionem. Ideò cæci ſunt & errant,ac manent ſub maledicto. *Luc 18.*

Quare iterum moneo,ſententias, quas adverſarij opponunt ex ſcripturis de operibus & mercede, ſemper theologicè exponendas eſſe per definitionem, Vt ſi objiciatur dictum illud Danielis 4. Redime peccata tua eleemoſynis,Statim conſulenda eſt grammatica, non moralis, ſed theologica. Illa oſtendet, hoc redimere, non eſſe morale, ſed fidele,hoc eſt, includere fidem. Nam opus in ſacris literis prærequirit etiam bonam voluntatem & rectam rationem, non Moralem, ſed theologicam, quæ fides eſt. Hoc modo facile poteris obturare os Sophiſtis. Nam ipſimet coguntur concedere,quia ita docent ex Ariſtotele, omne opus bonum procedere ex electione. Si hoc verum eſt in Philoſophia, multo magis in Theologia oportet eſſe ante opus bonam voluntatem & rectam rationem per fidem. Hocq; volunt omnia verba imperativa, Item,omnia verba, quæ Legem docent,ut Epiſtola ad Ebræ. cap. 11. clarè exponit,Fide Abel obtulit,&c. *Dan 4.* *Ebre 11.*

Reſponſio ad argumenta adverſariorum.

Et eſto, quòd iſta ſolutio ſit inſufficiens, quanquam certiſſima ſit, tamen iſtud argumentum argumentorum, & principale ſpectrum Chriſtianorum ſit, contra omnes tentationes & objectiones, non tantum adverſariorum, ſed etiam ipſius Diaboli, ut apprehendant caput, ſcilicet Chriſtum. Deinde, eſto etiam, quòd Sophiſtæ ſint argutiores me,& ita obruant & illaqueent me argumentis pro operibus contra fidem,ut prorſus me explicare non poſſim(quamvis hoc illis impoſſibile ſit) tamen potius honorem habere & credere velim uni Chriſto, quàm permoveri omnibus locis,quos contra fidei doctrinam pro juſticia operum ſtatuenda producere poſſent.

Quare ſimpliciter eis ita reſpondendum eſt,Hìc Chriſtus eſt,illic Scripturæ teſtimonia de Lege & operibus. Chriſtus autem Dominus eſt Scripturæ & omnium operum, Idem eſt Dominus cœli, terræ, ſabbati, templi, juſticiæ, vitæ, iræ,peccati,mortis & ſimpliciter omnium, Et hunc prædicat Paulus ipſius Apoſtolus peccatum & maledictum factum pro me. Audio igitur quod nulla alia ratione potuerim liberari à peccato,morte & maledictione mea,quàm per mortem & ſanguinem ipſius. Ideò certiſſimè & ſecuriſſimè concludo, quòd Chriſtum ipſum in corpore ſuo oportuerit vincere Peccatum, mortem & maledictionem meam,non opera Legis aut mea. Cogitur autem ratio naturaliter aſſentiri, & dicere, quòd Chriſtus non ſit opus Legis aut meum, quòd Sanguis & mors ſua non ſit circumciſio,obſervatio rituum legalium, multò minus cucullus, vertex raſus, jejunium, votum, Quòd ſua victoria, quam mihi donavit, non ſit Carthuſianus. Quare ſi ipſe eſt precium redemptionis meæ, ſi ipſe factus eſt peccatum & maledictum, ut me juſtificaret & benediceret, nihil moror Scripturæ locos, ſi etiam ſexcentos producas pro juſticia operum, contra fidei juſticiam, & clamites ſcripturam pugnare. Ego autorem & Dominum ſcripturæ habeo,à cujus parte volo potius ſtare,quam tibi credere. Quanquam impoſſibile ſit ſcripturam pugnare,

Scripturam non pugnare.

niſi

niſi apud inſenſatos & induratos hypocritas. Apud pios autem & intelligentes, dat teſtimonium pro Domino ſuo. Vide igitur quomodo tu ſcripturam concilies, quam pugnare dicis, Ego cum autore Scripturæ maneo.

Reſponſio ſimplex ad locos de operibus.

Ideo ſi quis non ſatis inſtructus eſt, ut tales locos Scripturæ de operibus conciliare aut ſolvere poſſit, & cogitur tamen audire inſtantiam adverſariorum, qui vehementer hujuſmodi locos urgent, Ille reſpondeat ſic ſimpliciter, Tu urges ſervum, hoc eſt, Scripturam, & eam non totam, neq; potiorem ejus partem, ſed tantum aliquot locos de operibus, hunc ſervum relinquo tibi, Ego urgeo Dominum, qui rex eſt Scripturæ, qui factus eſt mihi meritum & precium juſticiæ & ſalutis. Illum teneo, & in eo hæreo, & relinquo tibi opera, quæ tamen nunquam feciſti. Hanc ſolutionem neq; Diabolus, neq; ullus juſticiarius tibi eripere aut evertere poteſt. Deinde tutus es etiam coram Deo. Cor enim manet fixum in objecto, quod vocatur Chriſtus, qui crucifixus & maledictus eſt, non pro ſe, ſed pro nobis, ſicut textus ſo-
Gal. 3. nat, Factus pro nobis maledictum. Hunc locum urge, & oppone omnibus ſententiis de Lege & operibus, & dic, Audis ne hoc Satan? Tum cedere eum oportet, quia novit Chriſtum eſſe Dominum ſuum.

Quod autem per Legem nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, Quia juſtus ex fide vivit.

Habac. 2. ALIUD argumentum, ſumptum ex teſtimonio Prophetæ Habacuc. Eſtq; autoritas graviſſima & clara, quam Paulus opponit omnibus ſententiis de legibus & operibus, q. ſic d. Quid opus eſt longa diſputatione, hic produco clariſſimum teſtimonium Prophetæ, quod nemo poteſt cavillari, Iuſtus ex fide vivit. Si ex fide, ergo non ex Lege, Quia Lex non eſt ex fide. Et Paulus fidei vocabulum excluſivè & per contrarium accipit. Sophiſtæ, ut parati ſunt ad eludendum ſcripturas, hunc locum ſic cavillantur. Iuſtus vivit ex fide, ſcilicet, efficaci, operante vel formata charitate, Si verò eſt fides informis, non juſtificat. Hanc gloſſam ipſi finxerunt, eaq; vim faciunt Prophetæ verbis. Si fidem formatam vocarent veram & theologicam, vel, ut Paulus, ἐνεργουμένην, quam Deus fidem vocat, nihil me offenderet hæc ipſorum gloſſa. Tunc enim fides non diſtingueretur contra charitatem, ſed contra vanam opinionem fidei, quo modo & nos diſtinguimus inter fidem fictam & veram. Ficta eſt, quæ audit de Deo, Chriſto & omnibus myſteriis incarnationis & redemptionis, & apprehendit illas res auditas, & pulcherrimè de eis novit loqui, & tamen mera opinio & inanis auditus manet, qui tantum relinquit bombum in corde de Evangelio, de quo multa garrit, re vera tamen fides non eſt, quia non renovat nec immutat cor, non generat novum hominem, ſed relinquit eum in priori ſua opinione & converſatione, Eſtque hæc fides valdè pernicioſa, quam ſatius eſſet non habere. Et Philoſophus moralis melior eſt tali Hypocrita, qui hanc fidem habet.

Quomodo Sophiſtæ hunc locum, Iuſtus ex fide vivit, depravent.

Fides vera & ficta.

Itaq; ſi formatam fidem diſtinguerent contra falſam ſeu fictam fidem, nihil me offenderet iſta illorum diſtinctio. Sed ipſi loquuntur de fide formata charitate, faciuntq; duplicem fidem, Informem & formatam. Hanc peſtilentiſſimam & ſatanicam gloſſam non poſſum non vehementer deteſtari. Quamvis, inquiunt, adſit Fides infuſa, quæ donum Spiritus ſancti eſt, & acquiſita, quam nos ipſi parimus nobis multis actionibus credendi, tamen utraq; eſt informis, & formatur charitate. Sic fides ſine charitate, ut ipſi ſomniant, eſt quaſi pictura & res ſpecioſa in tenebris, quæ tum primum cernitur, cum lex, id eſt, charitas acceſſerit. Atq; hoc modo charitas eſt forma fidei, & fides pura materia charitatis. Hoc præferre eſt charitatem fidei, & tribuere juſticiam non fidei, ſed charitati. Quia propter quod unum quodque eſt tale, & ipſum magis. Itaque cum non tribuunt juſticiam fidei niſi propter charitatem, fidei nihil omninò tribuunt.

Fides informis & formata, infuſa & acquiſita, &c.

Doctrina Sophiſtarum.

Deinde dicunt everſores Evangelii Chriſti, Fidem etiam infuſam, quæ non accipitur audiendo, aut ulla alia operatione acquiritur, ſed quam Spiritus ſan-

Fidem infuſam ſtare in peccato mortali.

 ctus

ctus creat in homine, ſtare in peccato mortali, eaq; peſſimos homines poſſe habere. Ideò ſi ſola ſit, ocioſam & inutilem eſſe, etiamſi mirabilia faciat. Ita fidei ſuum officium prorſus auferunt, & tribuunt charitati, ut fides prorſus nihil valeat, niſi acceſſerit forma, id eſt, charitas. Ergo juxta hoc peſtilens figmentum Sophiſtarum, fides illa miſera virtus, erit quoddam informe chaos, nullius operis, efficaciæ & vitæ, ſed tantum paſſiva materia. Iſta omnia blaſphema in Deum & Satanica ſunt, quæ prorſus obſcurant & evertunt fidei doctrinam, à Chriſto mediatore, & à fide apprehendente ipſum, retrahunt. Nam ſi charitas eſt forma fidei, ut ipſi nugantur, ſtatim cogor ſentire, ipſam charitatem eſſe principalem & maximam partem Chriſtianæ religionis, Et ſic amitto Chriſtum, ſangvinem, vulnera & omnia beneficia ejus, & inhæreo charitati, & diligo ac venio in facere morale, ut Papa, gentilis Philoſophus, aut Turca.

Quæ inconmoda ſequuntur ex doctrina Sophiſtarum.

At ſanctus Spiritus, qui dat omnibus os & lingvam, novit etiam loqui. Benè potuiſſet dicere, ut Sophiſtæ impie nugantur, Iuſtus ex fide formata vivit. Sed conſulto omiſit hoc, & ſimpliciter dixit, Iuſtus ex fide vivit. Abeant igitur Sophiſtæ in malam crucem cum ſua impia & peſtilente gloſſa. Nos volumus retinere & extollere hanc Fidem, quam Deus fidem vocavit, id eſt, veram & certam fidem, quæ non dubitat de Deo, nec de divinis promiſſionibus, nec de remiſſione peccatorum per Chriſtum, ut tuti & ſecuri manere poſſimus in objecto, Chriſto, & retinere in oculis paſſionem & ſangvinem Mediatoris, & omnia ipſius beneficia. Sola autem Fides, quæ Chriſtum apprehendit, eſt unicum medium, ut illa è conſpectu nobis non finamus auferri. Ideo repudiata hac peſtilenti gloſſa, locus iſte de ſola fide accipiendus eſt, hocque Paulus ipſe oſtendit, cum contra fidem formatam ſic diſputat.

Sophiſtarum fides formata. Vera fides coram Deo.

Lex autem non eſt ex fide.

Iuſtificàt ch charitate, ergo ex Lege, Si ex Lege, ergo non ex fide. Sed &c.

SOPHISTÆ dicunt, Iuſtus vivit, ſi fides ſit formata. Paulus econtra, Lex non eſt ex fide. Quid autem eſt Lex? An non eſt etiam charitatis præceptum? Imò lex nihil aliud præcipit, quàm charitatem, ut textus ipſe habet, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item, Faciens miſericordiam in multa millia, his qui diligunt me. Item, In his duobus mandatis tota Lex & prophetæ pendent. Si ergo Lex præcipiens charitatem, pugnat cum Fide, Ergo nec charitas eſt ex Fide. Sic Paulus clare confutat confictam à Sophiſtis gloſſam de fide formata, loquiturq; de fide ſola, ſeponens legem. Sepoſita autem lege, ſeponitur etiam charitas & omnia, quæ legis ſunt, & ſola fides relinquitur, quæ juſtificat & vivificat, Ex clariſſimo igitur teſtimonio Prophetæ argumentatur Paulus, quòd ſimpliciter nemini contingat Iuſtificatio & vita coram Deo, niſi credenti, qui juſticiam & vitam conſequitur, ſine lege & dilectione ex fide. Ratio, quia Lex non eſt ex fide, hoc eſt, Lex non eſt fides, vel aliquid fidei, quia non credit, nec opera legis ſunt fides, Ergo fides eſt diverſum quiddam à lege, ut promiſſio eſt diverſum quiddam à lege. Nam promiſſio non operando, ſed credendo apprehenditur.

Iuſticia & vita ſine lege & charitate contingit credentibus.

Sicut ergo in Philoſophia prima diviſione, ſubſtantia & accidens diſtincta ſunt, Ita in Theologia Promiſſio & Lex, & per conſequens fides & opera tam longè inter ſe diſtincta ſunt, quàm cœlum & terra inter ſe diſtant. Impoſſibile eſt ergo fidem eſſe ex lege. Siquidem fides ſolum hæret in promiſſione, ſolum accipit & cognoſcit Deum & verſatur in recipiendo à Deo bona. Contrà Lex & opera verſantur in faciendo & dando Deo. Vt Abel offerens, dat Deo, ſed idem credens recipit à Deo. Concludit ergo Paulus fortiſſimè ex loco Habacuc, Iuſtum ex fide ſcilicet ſola vivere. Quia lex nihil pertinet ad fidem. Nam Lex non eſt promiſſio, fides autem adhæret & nititur promiſſione. Ergo ut Lex & promiſſio diſtinguuntur, ita & opera & fides. Hinc gloſſa Sophiſtarum impia & falſa eſt, quæ Legem conjungit cum fide, imò extinguit fidem, & legem ponit in locum fidei.

Promiſſio & lex, fides & opera diſtinguuntur.

Lex. Fides.

Opera theologica

Loquitur autem Paulus perpetuò de iis, qui moraliter Legem facere volunt

tized by Google

lunt non theologicè. Quicquid autem de bonis operibus theologicis dicitur, ſimpliciter ſoli fidei tribuitur. *ea ſoliùs ſunt fidei.*

Sed qui fecerit ea homo, vivet in eis.

ISTAM particulam intelligo eſſe ironiam. Non tamen repugno quin poſſit etiam moraliter exponi, Quod Legem facientes moraliter, hoc eſt, ſine fide, vivant in ea, id eſt, non puniantur, ſed habeant corporalia præmia per eam. Sed accipio iſtum locum in genere, ut hoc dictum Chriſti, Hoc fac, & vives, ut ſit quædam ironia ſeu irriſio. Ja thue es nur. Vult autem Paulus hìc oſtendere, quid ſit exactè & proprie juſticia Legis & Evangelii. Iuſticia Legis, eſt facere legem, juxta illud, Qui fecerit ea homo, &c. Iuſticia fidei eſt credere, juxta illud, Iuſtus ex fide vivit. Ideò Lex exigit, ut Deo aliquid præſtemus. Fides autem non exigit à nobis opera, aut ut præſtemus aliquid Deo, ſed ut credentes Dei promiſſioni, recipiamus ab ipſo. Itaq; legis officium eſt, in ſummo ſuo gradu, operari, Fidei promiſſionibus aſſentiri. Quia fides eſt promiſſionis fides, opus eſt Legis opus. Remoratur ergo Paulus in vocabulo facere, utq; clare oſtendat, quæ ſit juſticia legis, quæ fidei, opponit inter ſeſe promiſſionẽ & legem, fidem & opera. Ex lege dicit nihil ſequi, niſi facere, Fidem autem eſſe omninò contrariam rem, nempe quæ promiſſioni aſſentiatur. *Legem facientes moraliter. Iuſticia legis. Iuſticia fidei. Legis & fidei officium.*

Oportet itaq; iſta quatuor diſtincta eſſe perfectiſſimè. Nam ſicut lex, ita promiſſio habet ſuum proprium officium. Ad legem pertinet facere, ad promiſſionem credere, Quàm latè ergo lex & promiſſio, tàm latè Facere & Credere diſtincta ſunt, etiamſi Facere theologicè intelligas. Nam Paulus hìc in alio loco verſatur, Vrget diſtinctionẽ inter Facere & Credere, ut ſeparet charitatem à fide, & declaret ſolam Fidem ſic juſtificare, quòd lex ſive fiat moraliter, ſive theologicè, ſive non fiat, prorſus nihil cooperetur ad juſtificationem. Quia lex pertinet ad Facere, Fides autem non eſt hujus generis, ſed omninò diverſum quiddam, quod requiritur antequam lex fiat, quo præexiſtente, tunc fiat pulchra incarnatio. *Diſcrimen inter facere & credere.*

Quare fides perpetuò juſtificat & vivificat, & tamen non manet ſola, id eſt, ocioſa. Non quod non ſola in ſuo gradu & officio maneat, quia perpetuò ſola juſtificat, Sed incarnatur, & fit homo, hoc eſt, non eſt, & manet ocioſa, vel ſine charitate. Sic Chriſtus ſecundum Divinitatem eſt ſubſtantia vel natura divina & æterna ſine principio, Humanitas verò eſt natura in tempore creata. Hæ duæ naturæ in Chriſto ſunt inconfuſæ & impermixtæ, & utriuſq; proprium eſt diſtinctè intelligendum. Humanitatis eſt incepiſſe in tempore, Divinitatis eſt eſſe æternum ſine principio. Et tamen conveniunt hæc duo, & incorporatur divinitas ſine principio in humanitatem cum principio. Vt ergo diſtinguere cogor inter humanitatem & divinitatem, & dicere, Humanitas non eſt divinitas, & tamen homo eſt Deus. Ita hic diſtinguo, Fides non eſt Lex, & tamen fides operatur. Conveniunt igitur Fides & opera in compoſito, & tamen utrumq; habet & ſervat ſuam naturam & proprium officium. Habes ergo cur Paulus hunc locum hìc alleget, nempè ut Fidem longiſſimè à charitate diſtinguat. *Fides non eſt ocioſa. Fides non eſt lex, & tamen operatur.*

Pereant itaq; Sophiſtæ cum ſua maledicta gloſſa, & damnetur vox iſta, Fides formata, ac dicamus conſtanter, iſta vocabula, Fides formata, informis, acquiſita, &c. Diaboli eſſe portenta, nata in perniciem doctrinæ & fidei Chriſtianæ, ad blaſphemandum & conculcandum Chriſtum, & ad ſtatuendam juſticiam operum. Dicamus (inquam) ut retinere poſſimus fidem veram & rectam ſine operibus. Debent quidem opera fidem ſequi, ſed Fides non debet eſſe opera, nec opera Fides, ne confundantur, ſed rectiſſimè diſtinguantur utriuſque & legis ſeu operum & fidei fines & regna. *Fides formata, informis, &c.*

Itaq; cum credimus, vivimus ſimpliciter fide in Chriſtum, qui eſt ſine peccato, qui denique eſt noſtrum operculum, propiciatorium & remiſſio peccatorum, Contrà, cum Legem facimus, operamur quidem, ſed juſticiam & vitam non habemus. Legis enim non eſt juſtificare & vivificare, ſed oſtendere peccatum & occi- *Legis officium.*

tized by Google

Fidei officium.

dere. Dicit quidem Lex, Qui fecerit ea homo, vivet in eis. Sed ubi est qui facit Legem, hoc est, qui diligit Deum ex toto corde, &c. & proximum sicut seipsum? Ergo nemo facit Legem, ut maximè aliquis conetur eam facere, sed faciendo eam non facit, manet ergo sub maledicto. Fides verò non facit, sed credit in Christum justificatorem. Itaque homo vivit non propter facere, sed credere. Credens verò facit Legem, quod autem non facit, condonatur per remissionem peccatorum propter Christum, & quod reliquum est peccati, non imputatur ei.

Lex.

O Confert ergo hoc loco & Roman. 10. Paulus justiciam Legis & Fidei, cum ait, Qui fecerit hæc, vivet in eis, q. d. Pulchrum quidem esset, si Legem faceremus. Sed quia nemo eam facit, confugiendum est ad Christum, qui est finis Legis, ad justiciam omni credenti. Is factus est sub Legem, ut nos, qui sub Lege eramus, redimeret. In hunc credentes accipimus Spiritum sanctum, & incipimus Legem facere. Quod verò non facimus, non imputatur propter Fidem in Christum. In futura autem vita non habebimus amplius opus fide, quia non per speculum in ænigmate, ùt nunc, sed facie ad faciem videbimus, hoc est, erit æternæ gloriæ caritas, in qua Deum, sicuti est, conspiciemus. Ibi tum futura est vera & perfecta cognitio & claritas Dei, recta ratio & bona voluntas, non moralis aut theologica, sed cœlestis, divina & æterna. Interim in hac vita spiritu ex fide spem justiciæ expectamus. Contrà, qui remissionem peccatorum per Legem, non per Christum quærunt, nunquam faciunt Legem, sed sub maledicto manent.

Christus finis legis.

Pij faciunt legem.

Rom.

Quos Paulus justos vocat.

Facere legem.

Vocat ergo Paulus eos tantum justos, qui sine Lege per Promissionem, seu per Fidem promissionis justificantur. Ideò facere Legem est ficta res, quæ nihil significat extra Fidem. Quare qui ex operibus Legis sunt, & volunt videri facere Legem, non faciunt, quia Apostolus simpliciter concludit, omnes, qui ex operibus Legis sunt, sub maledicto esse, sub quo non essent si Legem facerent. Verum quidem est, quod homo faciens ea, vivet in eis, id est, erit benedictus, Sed talis nusquam invenitur.

Usus legis duplex.

Cum autem duplex sit usus Legis, politicus & spiritualis, qui vult, sententiam hanc civiliter intelligat, hoc modo, Qui fecerit ea, vivet in eis, hoc est, Si homo obedierit Magistratui externè & in regno politico, pœnas & mortem evadet, Politicus magistratus non habet jus in eum, ut subjiciat pœnis aut occidat, sed permittit eum impunè vivere. Is est politicus Legis usus, valens ad cohercendos rudes. Sed Paulus istum usum hîc non urget, sed tractat hunc locum theologicè, Ideò necessariò inclusa est conditio, q. d. Si homines possent Legem facere, essent beati. Sed ubi sunt? Non sunt ergo factores Legis, nisi prius justificentur ante & absque Lege per Fidem.

Quare Paulus cum maledicit & damnat eos, qui ex operibus Legis sunt, non loquitur de his, qui fide justificati sunt, sed qui sine fide in Christum per opera justificari conantur. Quod ideo admoneo, ne sequamur imaginationem sancti Hieronymi, qui deceptus per Origenem nihil prorsus intellexit in Paulo, sed eum inspexit, ut civilem legistam. Hinc ita colligit, Sancti Patriarchæ, Prophetæ & Reges circumcisi sunt & sacrificaverunt, ergo observaverunt Legem. Impium autem est dicere eos sub maledicto esse & manere, Ergo non omnes, qui ex

Imaginatio S. Hieronymi.

operibus

Digitized by Google

operibus Legis sunt, sub maledicto sunt. Sic sine judicio irruit in Paulum, non taciens discrimen inter factores Legis veros, fide justificatos, & inter operatores, qui sine fide per Legem justificari quærunt.

At Paulus hic plane nihil agit contra justificatos fide & veros factores, quia illi non sunt ex operibus Legis. Sed contra illos, qui non solum non servant Legem, sed etiam contra eam peccant. Quia Lex præcipit ut timeamus, diligamus & fide colamus Deum, Hoc ipsi non faciunt, sed eligunt novos cultus & opera à Deo non præcepta, quibus Deus non placatur, sed plus irritatur, juxta illud, Frustra colunt me mandatis hominum. Injusti ergo, sacrilegi & idolatræ sunt, peccantes gravissimè præ omnibus aliis in primum Præceptum. Deinde habent etiam concupiscentias, iram & alias passiones maximas. In summa, nihil boni est in eis, nisi quod foris in speciem justi, & legem facere videri volunt. *Hypocritarum pictura.*

Sic & nos fide justificati, ut Patriarchæ, prophetæ & omnes sancti, non sumus ex operibus Legis, quantum ad justificationem attinet. Quatenus vero in carne sumus, & reliquias peccati adhuc habemus, sumus sub Lege (non tamen sub maledicto, quia propter Christum, in quem credimus, reliquiæ peccati non imputantur nobis) Caro enim est inimica legi Dei, & concupiscentia in nobis adhuc reliqua, non solum non implet Legem, sed peccat etiam in eam, imò militat contra nos, & captivat nos in servitutem, Rom. 7. Si autem in Sanctis Lex non impletur, sed multa fiunt contra Legem, cum habeant adhuc concupiscentiam, & reliquiæ peccati & multæ feces superstint, quæ impediunt eos, ut perfectè non timeant & diligant Deum, ut non invocent certa fiducia, non satis laudent Deum & venerentur ejus verbum. Quantò magis hoc verum est in homine, fide nondum justificato, & aversо à Deo, qui toto corde negligit, contemnit & odit verbum & opus Dei. Vides ergo Paulum loqui de iis, qui volunt Legem implere & justificari, nondum accepta fide, non de Patribus & Sanctis, ut Hieronymus imaginatur, jam fide justificatis. *Reliquiæ peccatorum sunt in Sanctis &c.*

Rom. 7.

Christus redemit nos à maledicto Legis, factus pro nobis maledictum (Quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno) ut in Gentes, &c.

HIC iterum laborant Hieronymus & Sophistæ, qui eum secuti sunt, & miserrime lacerant hunc locum consolationis plenissimum, & zelo quodam pio, ut putant, hoc anxie agunt, ne hanc contumeliam Christo fieri permittant, ut maledictum seu execratio appelletur. Ad hunc ergo modum eludunt istam sententiam, Paulum hic serio non fuisse locutum. Atq; hinc non minus scelestè quam impiè dixerunt, Scripturam in Paulo pugnare, quæ suis locis non pugnat. Quod ita ostendunt, Sententia (ajunt) Mosi, quam Paulus hic allegat, non loquitur de Christo. Deinde in Mose non est addita universalis particula, omnis, quam Paulus habet. Vicissim omittit Paulus particulam, à Deo, quæ in Mose est. Postremò satis manifestum est, Mosen loqui de nocente seu latrone, qui malefactis suis meruit crucem, ut Scriptura Deut. 21. clarè testatur. Ideò quærunt, quomodo hæc sententia accommodari possit ad Christum, quòd sit maledictus Dei, suspensus in ligno, cum non sit nocens seu latro, sed justus & sanctus? Ista fortassis imperitos movent, qui putant Sophistas non solum subtiliter sed & piè ista dicere, & per hoc honorem Christi defendere, & Christianos religiosè admonere, ne impiè sentiant Christum factum esse maledictum. Ideò videndum est, quod sit Pauli consilium & sententia. *Sententia hæc à Paulo citata ex Deut. à Sophistis male lacerata.*

Deut. 21.

Paulus benè munivit sua verba, & disertè locutus est. Est autem hic iterum facienda distinctio, ut verba Pauli satis indicant. Non enim dicit, Christum maledictum factum pro se, sed pro nobis. Est ergo emphasis in particula, pro nobis. Nam Christus, quod ad suam personam attinet, est innocens, ergo non debebat suspendi in ligno. Quia vero omnis latro secundum Legem suspendi debuit, debuit & Christus ipse secundum legem Mosi suspendi, Quia gessit personam peccatoris & latronis, non unius, sed omnium peccatorum & latronum. Nos enim *Particula, pro nobis, emphatica.* *Christus gessit personam latronis, &c. ergo debuit suspendi.*

ſumus peccatores & latrones, ideòrei mortis & æternæ damnationis. Sed Chriſtus in ſeſe recepit omnia peccata noſtra, & pro illis in cruce mortuus eſt, Ideò oportuit illum fieri latronem, &, ut Eſaias ait Cap. 53. reputari inter latrones. Eſa. 53.

Chriſtus peccator omnium maximus, quia peccata totius mundi tulit.

Et quidem omnes Prophetæ viderunt hoc in Spiritu, quod Chriſtus futurus eſſet omnium maximus Latro, homicida, adulter, fur, ſacrilegus, blaſphemus, &c. quo nullus major unquam in mundo fuerit. Quia exiſtens hoſtia pro peccatis totius Mundi, jam non eſt perſona innocens & ſine peccatis, non eſt natus de virgine Dei filius, Sed Peccator, qui habet & portat peccatum Pauli, qui fuit blaſphemus, perſecutor & violentus, Petri, qui negavit Chriſtum, Davidis, qui fuit adulter, homicida, & blaſphemare fecit gentes nomen Domini, In ſumma, qui habet & portat omnia omnium peccata in corpore ſuo. Non quod ipſe commiſerit ea, ſed quod ea à nobis commiſſa ſuſceperit in corpus ſuum, pro illis ſangvine proprio ſatisfacturus. Itaq; lex illa generalis Moſi comprehendit eum, quamvis pro ſua perſona innocentem, quia invenit eum inter peccatores & latrones. Vt magiſtratus pro ſonte habet & punit, ſi quem inter latrones deprehendit, etiamſi numquam aliquid mali aut morte dignum commiſit. Chriſtus autem non ſolum inventus eſt inter peccatores, ſed etiam ſua ſponte & Patris voluntate, voluit eſſe Socius peccatorum, aſſumpta carne & ſangvine eorum, qui peccatores, latrones & immerſi ſunt omnibus peccatis. Cum ergo Lex eum inter latrones invenit, ut latronem condemnavit & occidit.

Quæ incommoda ſecuta ſint ex doctrina Sophiſtarum.

Hac cognitione Chriſti & conſolatione ſuaviſſima, quod Chriſtus prò nobis factus ſit maledictum, ut nos à maledicto legis redimeret, privant nos Sophiſtæ, cum ſegregant Chriſtum à peccatis & peccatoribus, & eum tantum propoſunt ut exemplum nobis imitandum. Hoc modo reddunt Chriſtum nobis non ſolum inutilem, ſed etiam judicem & tyrannum conſtituunt, qui iraſcatur peccatis, & damnet peccatores. Nos vero debemus involvere Chriſtum, & involutum cognoſcere, ut carne & ſangvine, ira peccatis, maledictione, morte & omnibus malis noſtris.

Sed & dicat aliquis. Valdè abſurdum & contumelioſum eſt, filium Dei appellare peccatorem & maledictum. Reſpondeo, Si vis negare eum eſſe peccatorem & maledictum, Negato etiam paſſum, crucifixum & mortuum. Non enim minus abſurdum eſt dicere, filium Dei (ut fides noſtra confitetur & orat) crucifixum, pœnas peccati & mortis ſuſtinuiſſe, quàm peccatorem aut maledictum dicere. Si verò non eſt abſurdum confiteri & credere Chriſtum crucifixum inter latrones, neq; abſurdum ſit, eum dicere maledictum & peccatorem peccatorum. Certè non ſunt inanes voces in Paulo, Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum. Deus fecit Chriſtum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum, ut efficeremur juſticia Dei in ipſo, 2. Cor. 5. Ad eundem modum vocat eum Iohannes Baptiſta agnum Dei tollentem peccata mundi. Ipſe quidem innocens eſt, Quia eſt immaculatus & incontaminatus Dei agnus, Sed quia portat peccata Mundi, premitur ejus innocentia peccatis & reatu totius mundi. Quæcunq; peccata ego, tu, & nos omnes fecimus, & in futurum faciemus, tàm propria ſunt Chriſti, quàm ſi ea ipſe feciſſet. In ſumma, Oportet peccatum noſtrum fieri Chriſti proprium peccatum, aut in æternum peribimus. Hanc veram cognitionem Chriſti, quam tradiderunt Paulus & Prophetæ clariſſime, obſcurarunt impii Sophiſtæ.

Chriſtum peccatum & maledictum, 2. Corinth. 5.

Chriſtus agnus Dei, &c.

Iniquitates noſtræ in Chriſtum poſitæ.

Eſaias Cap. 53. de Chriſto loquitur, Deus, inquit, poſuit omnium noſtrum iniquitates in ipſum. Non debemus iſta vocabula extenuare, ſed relinquere in propria ſignificatione. Deus enim non jocatur verbis Prophetæ, ſed ſeriò loquitur & ex magna charitate, videlicet, quòd ille agnus Dei Chriſtus, debuit portare iniquitates omnium noſtrum. At quid eſt portare? Reſpondent Sophiſtæ, puniri. Benè. Sed quare Chriſtus punitur? An non ideò, quia peccatum habet & gerit? Quòd autem peccatum habeat Chriſtus, teſtatur etiam Spiritus ſanctus Pſ. 40. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Multiplicatæ Eſa. 53. Pſal. 40.

Chriſtum habere peccatum teſtatur Pſalm.

ſunt

Psal. 40. 69. sunt super capillos capitis mei, Et Psal. 41. Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Et Psal. 69. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. In his Psalmis loquitur Spiritus sanctus in persona Christi, & manifestis verbis testatur eum peccata habere. Sunt tamen hæc testimonia Psalmorum, voces non innocentis, sed patientis Christi, qui personam omnium peccatorum gerendam suscepit, ideoque reus factus est peccatorum totius Mundi.

Paulus vers. accommodat ad Christum sententiã ex Deutero.

Quare Christus non solum crucifixus est & mortuus, sed & per divinam charitatem ei impositum est peccatum. Peccato ei imposito, venit Lex & dicit, Omnis peccator moriatur, Itaq; si vis Christe spondere, reus esse, & pœnam ferre pro peccatoribus, feras etiam peccatum & maledictionem. Recte ergo Paulus generalem Legem adducit ex Mose de Christo, Omnis pendens in ligno est maledictum Dei, Christus pependit in ligno, Ergo Christus est maledictum Dei.

Consolatio summa piorum.

Et hæc consolatio piorum summa est, sic Christum induere & involuere meis, tuis, & totius Mundi peccatis, & inspicere eum portantem omnia peccata nostra. Siquidem hoc modo inspectus facile tollit fanaticas opiniones Sophistarum de justificatione operum. Somniant enim fidem quandam, formatam charitate, per hanc contendunt tolli peccata & justificari homines. Quod plane est Christum exuere & evolvere peccatis, eumque facere innocentem, & nosipsos gravare & obruere peccatis propriis, & ea intueri non in Christo, sed in nobis. Quod verè est tollere & ociosum reddere Christum. Nam si verum est, quòd operibus Legis & charitate abolemus peccata, tum Christus ea non tollit. Si autem ipse est agnus Dei, ad hoc ab æterno præordinatus, ut tolleret peccata mundi, Denique ita involutus sponte peccatis nostris, ut fieret maledictum pro nobis, tum necessariò sequitur, quòd per charitatem non possimus justificari & peccata tollere. Quia Deus non posuit peccata nostra in nos, sed in Christum filium suum, ut pro illis pœnam sustinens, nobis esset pax, & ipsius vulneribus sanaremur, Ideò per nos non possunt tolli. Hocque tota scriptura testatur, & idem nos confitemur, & oramus in Symbolo, cum dicimus, Credo in Iesum Christum Dei filium, passum, crucifixum & mortuum pro nobis.

Fides Sophistarum formata charitate.

Per fidem Christum peccata tolluntur, non per opera aut charitatem.

Ex his constat doctrinam Evangelii omnium jucundissimam & uberrimis consolationibus plenam, non concionari de nostris aut Legis operibus, sed de incomprehensibili & ineffabili Misericordia & charitate Dei erga nos indignos & perditos homines, Quòd scilicet cum videret misericors Pater, nos maledictione Legis opprimi, & ita sub ea teneri, ut nostris viribus nunquam potueramus ex ea liberari, miserit unigenitum filium suum in mundum, ac conjecerit in eum omnia omnium peccata, dicens, Tu sis Petrus ille negator, Paulus ille persecutor, blasphemus & violentus, David ille adulter, Peccator ille, qui comedit pomum in Paradiso, Latro ille in cruce, In summa, tu sis persona, quæ fecerit omnium hominum peccata, cogita ergo ut solvas, & pro eis satisfacias. Ibi Lex venit & dicit, Invenio illum peccatorem, & quidem talem, qui susceperit omnium hominum peccata in se, & nullum præterea peccatum video nisi in illo, ergo moriatur in cruce, Atque ita invadit eum & occidit. Hoc facto, totus Mundus purgatus & expiatus est ab omnibus Peccatis, ergo etiam liberatus à morte & omnibus malis. Sublatis vero peccato & morte per unum illum hominem, Deus nihil aliud videret amplius in toto mundo, præsertim si crederet, quàm meram purgationem & justiciam. Et si quæ peccati reliquiæ remanerent, tamen præ illo solo Christo Deus eas non cerneret.

Doctrina Evangelij de quib. rebus concionetur.

Lex accusat & occidit Christum, &c.

Ita oportet nos magnificare Articulum justiciæ Christianæ, contra justiciam Legis & operum, quanquam nulla vox aut eloquentia sit, quæ dignè possit concipere, multo minus eloqui ejus magnitudinem. Quare argumentum quod Paulus hîc tractat, potentissimum & summum omnium est contra omnes justicias Legis. Continet enim hanc invictam & irrefragabilem antithesin, videlicet,

Articulus justificationis &c.

Antithesis. Si Peccata totius Mundi sunt in illo uno homine Iesu Christo, tum non sunt in Mundo, Si autem non sunt in ipso, sunt adhuc in mundo. Item, Si Christus ipse factus est reus omnium peccatorum, quæ nos omnes commisimus, Ergo nos absoluti sumus ab omnibus peccatis, sed non per nos, nostra opera aut merita, sed per ipsum. Si vero est innocens, & non portat peccata nostra, portamus nos ea, & in eis morienur & damnabimur. Sed Deo gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Mirabile duellum peccati & justicia in Christo, &c. Sed videamus nunc, quo modo in hac Persona duo extremè contraria concurrant. Invadunt eam non solum mea, tua, sed totius Mundi peccata præterita, præsentia & futura, & conantur eam damnare, sicut etiam damnant. Sed quia in eadem illa persona, quæ est summus, maximus & solus peccator, est quoq; æterna & invicta justicia, ideò congrediuntur illa duo, summum, maximum & solum peccatum, & summa, maxima & sola justicia. Hic alterum cedere & vinci necessariò oportet, cum summo impetu concurrant & collidantur. Peccatum ergo totius mundi irruit maximo impetu & furore in justiciam. Quid fit ? Iusticia est æterna, immortalis & invicta. Peccatum est quoq; potentissimus ac crudelissimus tyrannus, dominans ac regnans in toto orbe terrarum, captivans & redigens omnes homines in servitutem sui. In summa, Peccatum est Deus maximus ac potentissimus, qui exhaurit totum genus humanum, omnes doctos, sanctos, potentes, sapientes, indoctos, &c. Is, inquam, incurrit in Christum, & vult eum, ut alios omnes, devorare. Sed non videt eum esse Personam invictæ & æternæ justiciæ. Ideo necesse est in hoc duello vinci & occidi Peccatum, & Iusticiam vincere & vivere. Sic in Christo vincitur, occiditur & sepelitur universum Peccatum, & manet victrix & regnatrix Iusticia in æternum.

Iusticia. Peccatum.

Iusticia victrix peccati.

Congressus mortis cum vita, &c. Vita victa, victrix mortis, &c. Sic Mors, quæ est omnipotens imperatrix totius mundi, necans reges, principes & simpliciter omnes homines, congreditur toto impetu cum Vita, victura & absorptura eam, & certè, quod conatur, efficit. Sed quia Vita erat immortalis, victa, evasit victrix, vincens & occidens mortem, De hoc mirabili duello Ecclesia pulchrè canit, Mors & vita duello conflixêre mirando, Dux vitæ mortuus, regnat vivus. Itaq; per Christum Mors victa & abolita est in toto mundo, ut jam non sit nisi picta mors, quæ amisso aculeo amplius non possit nocere credentibus in Christum, qui factus est Mors mortis, ut Hosea canit, Ero mors tua ó mors. *Hosea 13.*

Maledictionis certamen cum benedictione. Christus victor maledictionis, &c. Sic Maledictioni, quæ est divina ira per totum orbem terrarum, idem certamen est cum Benedictione, hoc est, cum æterna Gratia & misericordia Dei in Christo. Concreditur ergo Maledictio cum Benedictione, & vult damnare & prorsus in nihilum redigere eam, sed non potest. Benedictio enim est divina & æterna, ideò oportet ei maledictionem cedere. Nam si benedictio in Christo posset vinci, vinceretur Deus ipse. Sed hoc est impossibile. Ideò Christus divina Virtus, justicia, benedictio, gratia & vita, vincit & tollit illa monstra, Peccatum, mortem & maledictionem, sine armis & prælio, in suo corpore & semetipso, ut Paulus libenter loqui solet, Expolians, inquiens, principatus ac potestates, & triumphans de illis in semetipso, ut amplius credentibus nocere non possint, &c. *Colos. 2.*

In semetipso.

Credentib. peccatum & mors abolita, &c. Et hæc circumstantia, In semetipso, facit duellum istud mirabilius & illustrius. Ostendit enim tantas res (scilicet, ut Maledictio, peccatum, mors destruantur, & in locum illorum, Benedictio, justicia, vita succedant) debere geri in unica illa persona Christi, atq; ita per eam mutari totam creaturam. Ideò si hanc personam aspexeris, vides peccatum, mortem, iram Dei, inferos, Diabolum & omnia mala victa & mortificata. Quatenus igitur Christus per gratiam suam in cordibus fidelium regnat, nullum Peccatum, mors, maledictio est. Vbi verò Christus non cognoscitur, manent ista. Ideò carent isto beneficio & victoria omnes, qui non credunt. Est enim victoria nostra, ut Iohannes ait, fides.

Articulus divinitatis Christi. Hic est præcipuus locus Christianæ doctrinæ, quem Sophistæ prorsus obscurarunt, & hodie Fanatici spiritus denuò obscurant. Et hic vides, quàm necessa-

rium

rita ſit, credere & confiteri Articulum de divinitate Chriſti. Quem ubi Arrius negavit, neceſſe fuit etiam negare eum articulum Redemptionis. Vincere enim peccatum mundi, mortem, maledictionem & iram Dei in ſemetipſo, non eſt ullius creaturæ, ſed divinæ potentiæ opus. Igitur neceſſe eſt illum, qui in ſeipſo iſta vicit, vera ſit natura Deum eſſe. Oportet enim iſti ſummæ potentiæ (Peccato, morti, maledictioni) quæ per ſeſe regnat in mundo, & in tota creatura, opponi illam potentiam ſuperiorem, quæ nulla poteſt inveniri aut eſſe, niſi divina. Quare abolere Peccatum, deſtruere mortem, auferre maledictionem in ſeipſo, & donare juſticiam, vitam rurſum producere, afferre benedictionem, hoc eſt, in nihilum redigere hæc, & creare illa, ſunt ſolius divinæ potentiæ opera. Quia vero Scriptura tribuit Chriſto iſta omnia, ideo ipſe eſt vita, juſticia & benedictio, quæ naturaliter & ſubſtantialiter Deus eſt. Quare negantes divinitatem Chriſti, amittunt tandem totum Chriſtianiſmum, fiunt prorſus gentiles ac Turcæ. Locus igitur juſtificationis, ut ſæpe moneo, diligenter diſcendus eſt. In eo enim comprehenduntur omnes alii Fidei noſtræ articuli, eoque ſalvo, ſalvi ſunt & reliqui. Quare cum docemus, homines per Chriſtum juſtificari, Chriſtum eſſe victorem Peccati, mortis & æternæ maledictionis, teſtificamur ſimul eum eſſe natura Deum.

ſi negantur, negant etiam redemptionẽ.

Negantes divinitatem Chriſti fiunt gentiles.

Chriſtus naturâ Deus.

Ex his ſatis liquet, quàm horribiliter cæci & impii fuerint Papiſtæ, quòd docuerunt iſtos atrociſſimos & potentiſſimos tyrannos (Peccatum, mortem, maledictionem) qui totum humanum genus exhauriunt, vincendos eſſe, non juſticia Legis divinæ (Quæ etiamſi juſta, bona, ſancta ſit, nihil poteſt quàm maledictioni ſubtrahere) ſed juſticia operum humanorum, ut ſunt jejunia, peregrinationes, roſaria, vota, &c. Quis quæſo unquam inventus eſt, qui hac armatura inſtructus vicerit peccatum, mortem, &c ? Paulus Epheſ. 6. longè aliam deſcribit armaturam, qua utendum ſit contra iſtas immaniſſimas beluas. Hoc ipſo igitur quod cæci & cæcorum duces, nos nudos ſine armatura Dei objecerunt invictis & omnipotentibus iſtis tyrannis, non ſolum devorandos nos illis tradiderunt, ſed etiam fecerunt nos decupio majores & deteriores peccatores ipſis homicidis & meretricibus. Nam ſolius divinæ potentiæ eſt Peccatum deſtruere, Mortem abolere, &c. creare Juſticiam & vitam donare. Hanc divinam virtutem tribuerunt operibus noſtris, dicentes, Si hoc vel illud opus feceris, vinces peccatum, mortem, iram Dei. Atq; ita re vera conſtituerunt nos in locum Dei, ac fecerunt, ut ſic dicam, nos verè & naturaliter Deum. Eaq; re oſtenderunt Papiſtæ, ſeipſos ſub nomine Chriſtiano ſeptuplo majores idolatras fuiſſe, quàm gentiles. Accidit enim illis quod porco, qui lotus revertitur ad volutabrum luti. Et, ut Chriſtus ait, Poſt defectionem à fide, ſpiritus nequam rurſum intrat in domum, è qua expulſus eſt, & aſſumit ſecum alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ibi habitat, Et tum fiunt poſtrema illius hominis pejora prioribus.

Papiſtarum ineſcitia & impietas.

Armatura Chriſtianorum, Epheſ. 6.

Mortem abolere, vitam donare, Dei opus.

Suſcipiamus igitur cum gratiarum actione & certa fiducia hanc doctrinam ſuaviſſimam & conſolationis pleniſſimam, quæ docet, Chriſtum pro nobis factum Maledictum (hoc eſt, peccatorem obnoxium iræ Dei) induere perſonam noſtram, & imponere in humeros ſuos peccata, & dicere, Ego commiſi peccata, quæ omnes homines commiſerunt. Ergo verè factus eſt maledictum ſecundum Legem, non pro ſe, ſed ut Paulus ait, pro nobis. Niſi enim mea, tua & totius mundi peccata in ſeſe recepiſſet, Lex nihil juris in eum habuiſſet, quæ condemnat & ſub maledicto tenet tantum peccatores. Quare neq; Maledictum fieri, neq; mori potuiſſet, cum cauſa maledictionis & mortis ſit peccatum, à quo immunis erat. Sed quia peccata noſtra non coactè, ſed ſua ſponte ſuſceperat, oportuit eum ferre pœnam & iram Dei, non pro ſua perſona, quæ juſta & invicta erat, ideoque non potuit fieri rea, ſed pro perſona noſtra.

Evangelii doctrina quàm.

Chriſtus peccata noſtra ſponte ſuſcepit, ideo oportuit eum fieri maledictum pro ipſis.

Sic feliciter commutans nobiſcum, ſuſcepit noſtram peccatricem, & donavit nobis ſuam innocentem & victricem perſonam. Hac induti & veſtiti, liberamur à Maledictione legis. Quia Chriſtus ipſe volens pro nobis factus eſt maledictum. Ego, inquiens, pro mea perſona humanitatis & divinitatis benedictus ſum, & planè nullius

Chriſti juſticia

noſtra, noſtrum peccatum ſuum.

nullius rei egeo, Sed exinanibo me, aſſumam veſtem & larvam veſtram, hoc eſt, humanam naturam, atque in ea obambulabo, & mortem patiar, ut vos à morte liberem. Atque cum ita geſtaret in noſtra larva Peccatum totius mundi, comprehenſus, paſſus, crucifixus, mortuus, & pro nobis maledictum factus eſt. Quia verò divina & æterna Perſona erat, impoſſibile fuit morte teneri eam, Ide òreſurrexit die tertia à morte, & nunc in æternum vivit, nec amplius invenitur in ea Peccatum, mors & larva noſtra, ſed mera juſticia, vita & benedictio æterna.

Fides ſola victoriam Chriſti apprehendit.

Hanc imaginem oportet nos intueri & firma fide apprehendere. Qui hoc facit, habet hanc innocentiam & victoriam Chriſti, quamlibet magnus ſit peccator. Sed ea non poteſt apprehendi voluntate dilectionis, ſed ratione illuminata fide. Ergo ſola Fide juſtificamur, quia ſola fides apprehendit hanc victoriam Chriſti. Quatenus igitur hoc credis, eatenus habes. Si credis peccatum, mortem & maledictionem abolita eſſe, abolita ſunt. Quia Chriſtus iſta in ſemetipſo vicit & ſuſtulit, & vult credi, quod ſicut in ſua perſona nulla eſt amplius larva peccatoris, nullum veſtigium mortis, Ita neque in noſtra, cum pro nobis omnia fecerit, &c.

Remedium contra terrores peccati, &c.

Quare ſi te angit peccatum, ſi perterrefacit mors, cogita vanum eſſe ſpectrum & Diaboli illuſionem, ut certè eſt. Re vera enim nullum amplius eſt Peccatum, nulla maledictio, nulla mors, nullus Diabolus. Quia Chriſtus hæc omnia vicit & abolevit. Itaque victoria Chriſti eſt certiſſima, neq; defectus eſt in re, cum ſit veriſſima, ſed in incredulitate noſtra. Difficile enim eſt rationi iſta tàm inæſtimabilia bona credere. Deinde accedunt quoq; Diabolus & Fanatici ſpiritus, qui hominum agunt, hic ſuis ignitis telis, illi ſua perverſa & impia doctrina, ut hanc doctrinam nobis obſcurent & aûferant. Et potiſſimum propter hunc articulum quem tàm diligenter urgemus, ſuſtinemus odium & perſecutionem Satanæ & mundi. Sentit enim Satan potentiam & fructum hujus articuli.

Diabolus & hæretici infidiantur pijs.

Quòd autem, Chriſto nunc regnante, nullum re vera amplius Peccatum, mors & maledictio ſit, confitemur quotidiè etiam in Symbolo Apoſtolorum, cum dicimus, Credo Eccleſiam ſanctam. Quod planè nihil aliud eſt, quàm ſi diceremus, Credo nullum peccatum, nullam mortem in Eccleſia eſſe. Quia credentes in Chriſtum non ſunt peccatores, non ſunt rei mortis, ſed ſimpliciter ſancti & juſti, domini peccati & mortis, & in æternum viventes. Verum hoc tantum fides cernit, quia dicimus, Credo Eccleſiam ſanctam. Si autem rationem & oculos tuos conſulueris, diverſum judicabis. Vides enim multa in piis, quæ te offendunt, vides eos quandoq; labi, peccare, infirmos eſſe in fide, iracundia, invidia & aliis malis affectibus laborare. Ergo Eccleſia non eſt ſancta. Nego conſequentiam. Si meam vel proximi perſonam inſpicio, nunquam erit ſancta. Si autem Chriſtum, qui Eccleſiam ſanctificat & purificat, inſpicio, tota ſancta eſt. Hic enim peccata totius mundi ſuſtulit.

Credo Eccleſiam ſanctam.

Infirmitas piorum.

Peccatum, mors, maledictio, &c. juxta Paulum non ſunt in mundo.

Ideò Peccata non ſunt re vera ibi, ubi cernuntur & ſentiuntur. Nam ſecundum theologiam Pauli, nullum Peccatum, nulla mors, nulla maledictio eſt amplius in mundo, Sed in Chriſto, qui eſt agnus Dei, qui abſtulit peccata mundi, Qui factus eſt maledictum, ut nos à maledicto liberaret. Contrà ſecundum Philoſophiam & rationem, Peccatum, mors & maledictio, nuſquam ſunt niſi in mundo, carne ſeu peccatoribus. Non enim aliter poteſt theologus Sophiſta de peccato loqui, quàm gentilis Philoſophus, nempè ſic, Qualitas hæret in ſubſtantia aut ſubjecto, Sicut ergo color in pariete, ita Peccatum in mundo, carne vel conſcientia hæret, Igitur eluendum eſt per contrarios motus, ſcilicet per charitatem, Vera autem Theologia docet, quod nullum Peccatum amplius ſit in mundo. Quia Chriſtus, in quem Pater conjecit peccata totius mundi, Eſa. 53. vicit, delevit & occidit illud in corpore ſuo. Is ſemel mortuus peccato, reſuſcitatus verò ex mortuis, amplius non moritur. Vbicunq; igitur eſt fides in Chriſtum, ibi re vera Peccatum abolitum, mortuum & ſepultum eſt. Vbi verò non eſt fides in Chriſtum, ibi Peccatum manet. Quanquam reliquiæ peccati ſint adhuc in Sanctis, quia perfectè non credunt,

Eſai. 53.

Credentibus peccatum, mors abolita ſunt.

credunt, &c. tamen illæ mortuæ ſunt, quia propter fidem in Chriſtum non imputantur.

Eſt ergo hoc ſummum ac potiſſimum argumentum contra juſticiam operum, quod Paulus hîc urget, Non lex, non opera redimunt à Maledictione æterna, ſed Chriſtus. Obteſtor igitur te Chriſtiane lector per Deum, ut Chriſtum à Lege diſtinguas, & diligenter attendas, quomodo & quid Paulus loquatur. Neceſſariò, inquit, omnes ſub Maledicto ſunt, qui Legem non faciunt, Sed nemo Legem facit, Ergo prima Propoſitio eſt vera, videlicet, Quòd omnes homines ſub maledicto ſunt. Deinde ſubjungit alteram, Chriſtus redemit nos à Maledictione legis, factus pro nobis maledictum, Ergo Lex & opera non redimunt à maledictione, ſed potius ſubjiciunt nos maledictioni, Ergo charitas, quam Sophiſtæ dicunt informare fidem, non ſolum non redimit à maledictione, ſed magis intrudit & involvit in eam.

Chriſtus redimit à maledictione, &c. Lex.

Propoſitiones duæ Pauli.

Sicut autem Chriſtus aliud quiddam eſt quàm Lex, & opera legis, Ita etiam redemptio Chriſti longè aliud eſt, quàm meum meritum ex operibus legis, quia oportuit ipſum Chriſtum redimere nos à maledicto legis. Manent igitur ſub maledicto, quotquot Chriſtum fide non apprehendunt. Neq; tàm ſtolidi ſunt Sophiſtæ, ut dicant Chriſtum noſtrum opus ſeu charitatem eſſe. Chriſtus enim longè aliud quiddam eſt, quàm opus quod nos facimus. Nullus Papiſta, quantumvis inſanus, audebit dicere, Eleemoſynam, quam ipſe largitur egenti, obedientiam quam Monachus præſtat, Chriſtum eſſe. Chriſtus enim eſt Deus & homo conceptus è Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, &c. De hoc autem dicit Paulus, quòd factus ſit pro nobis Maledictum, ut nos à maledicto legis redimeret. Ergo Lex, opera, charitas, vota, &c. non redimunt, ſed magis involvunt & gravant maledictione. Quo plus ergo operati fuerimus, hoc minus Chriſtum agnoſcere & apprehendere poſſumus.

Si Chriſtus redimit à maledictione, ergo non noſtrum opus.

Apprehenditur autem Chriſtus non Lege, non operibus, ſed ratione ſeu intellectu illuminato fide. Et illa apprehenſio Chriſti per fidem propriè eſt ſpeculativa vita (de qua Sophiſtæ multa nugantur, ſed quid dicant, neſciunt) Et illa ſpeculatio, qua Chriſtus apprehenditur, non eſt illa Sophiſtarum & monachorum ſtulta imaginatio in mirabilibus ſupra ſe, ſed eſt theologica, fidelis & divina inſpectio Serpentis ſuſpenſi in palo, hoc eſt, Chriſti pendentis in cruce pro meis, tuis & totius mundi peccatis. Manifeſtum ergo eſt ſolam fidem juſtificare. Fide autem nobis juſtificatis, egredimur in viram activam. Ad hunc modum Sophiſtæ rectè diſcernere potuiſſent vitam contemplativam & activam, ſi hanc Evangelium, illam Legem vocaſſent, hoc eſt, ſi docuiſſent ſpeculativam vitam includi & dirigi debere in verbo Dei, & planè nihil in ea ſpectandum eſſe, quàm verbum Evangelii. Activam verò vitam debere peti ex Lege, quæ non Chriſtum apprehendit, ſed exercet ſeſe operibus charitatis erga proximum.

Speculativa vita.

Activa vita.

Contemplativa & activa vita.

Clarus eſt igitur hic textus, quod omnes homines, etiam Apoſtoli & Prophetæ & Patriarchæ ſub Maledicto manſiſſent, niſi Chriſtus ſeſe oppoſuiſſet Peccato, morti, maledictioni Legis, iræ & judicio Dei, & ea in corpore ſuo ſuperaſſet (Nam iſta immania monſtra nulla humana potentia ſuperari potuerunt) Iam verò Chriſtus non eſt Lex, non eſt opus legis, non eſt actus elicitus, ſed perſona divina & humana, quæ ſuſcepit peccatum, damnationem legis & mortem, non pro ſe, ſed pro nobis, Igitur tota emphaſis eſt in verbo, pro nobis. Non debemus ergo fingere Chriſtum innocentem & privatam perſonam (ut Sophiſtæ & ferè omnes Patres Hieronymus & alii fecerunt) quæ pro ſe tantum ſit ſancta & juſta. Verum quidem eſt, quòd Chriſtus eſt puriſſima perſona, Sed ibi non eſt reſiſtendum, Nondum enim habes Chriſtum, etiamſi noris eum Deum & hominem eſſe, Sed tunc verè habes, cum credis hanc puriſſimam & innocentiſſimam Perſonam tibi donatam à Patre, ut eſſet Pontifex & ſalvator, imò ſervus tuus, qui exuta innocentia & ſanctimonia ſua, & ſuſcepta perſona tua peccatrice, portaret Peccatum, mortem & maledictionem tuam, ac fieret Hoſtia & maledictum pro te, ut ſic à maledicto Legis te liberaret.

Chriſtus.

Pro nobis.

Quomodo Chriſtus vere apprehendatur.

Vides

Chriſtus eſt maledictum & peccatum pro nobis factus. 2. Cor. 5.

Vides igitur, quàm planè Apoſtolico Spiritu Paulus hoc graviſſimum argumentum de Benedictione & maledictione tractaverit, dum ipſum Chriſtum non ſolum Maledicto ſubjicit, ſed eum etiam dicit factum maledictum. Sic 2. Corin. 5. vocat eum Peccatum, cum ait, Eum qui peccatum non noverat, Deus fecit pro nobis Peccatum, &c. Quanquam hæ ſententiæ rectè exponi poſſint hoc modo, Chriſtus factus eſt Maledictum, id eſt, hoſtia pro maledicto, peccatum, id eſt hoſtia pro peccato, &c. Tamen magis placet, ſi ſervetur propria ſignificatio vocum, propter majorem emphaſin. Quia cum peccator venit re vera in noticiam ſui, non ſolum ſentit ſe peccatorem concretivè ſeu adjectivè, ſed etiam abſtractivè ſeu ſubſtantivè, hoc eſt, non ſolum videtur ſibi calamitoſus, ſed ipſa calamitas, non ſolum peccator & maledictus, ſed ipſum peccatum & maledictum. Vt & in latina lingva, cum excellenter volumus aliquem ſignificare ſceleſtum, vocamus eum ſcelus. Eſt enim maxima res, portare Peccatum, iram Dei, maledictionem & mortem. Quare homo iſta ſeriò ſentiens, ut Chriſtus vere ſenſit, pro toto genere humano, ſit planè ipſum Peccatum, Mors, Maledictum, &c.

Germana ſententia horum dictorum Pauli, Chriſtus factus eſt peccatum, maledictum, &c.

Vere ergo Apoſtolico ſpiritu Paulus hunc locum tractat. Quia nullus Sophiſta, Legiſta, Iudæus, fanaticus, aut quiſquam alius ita loquitur. Quis enim auderet allegare hunc locum ex Moſe, Maledictus omnis, qui pendet in ligno, &c. & eum interpretari de Chriſto? Qua ergo ratione Paulus hanc ſententiam, Maledictus omnis, &c. ad Chriſtum accommodavit, eadem & nos non ſolum illud totum Deuter. 27. ſed etiam omnes Maledictiones legis Moſaicæ colligere, & de Chriſto interpretari poſſumus. Nam ſicut Chriſtus ipſe innocens eſt in hac generali Lege, pro ſua perſona, ita etiam in omnibus aliis. Et ſicut ipſe reus eſt in hac generali Lege, cum Maledictum pro nobis factus, ac ſuſpenſus eſt in cruce, ut homo Sceleratus, blaſphemus, parricida, proditor, &c. ita & in omnibus aliis legibus reus eſt. Omnes enim Maledictiones legis in eum congeſtæ & poſitæ ſunt, ideoq; eas portavit & ſuſtinuit in corpore ſuo pro nobis. Non ſolum igitur fuit Maledictus, ſed factus eſt etiam maledictum pro nobis.

Omnes maledictiones legis in Chriſtum transferenda.

Deut. 27.

Argumentum hoc firmiſſimum ex omnibus legibus ſumptum.

Hoc verè eſt interpretari Apoſtolico more Scripturas. Nam homo ſine Spiritu ſancto non poteſt ita loqui, nempè, quod totam Legem comprehendat uno dicto (ſcilicet Chriſtus maledictum factus eſt pro nobis) ac eam totam ſemel congerat in Chriſtum. Et econtrà quod omnes promiſſiones Scripturæ comprehendat, & ſemel in Chriſto impletas dicat. Ideò Apoſtolicum & firmiſſimum eſt hoc argumentum, non ex uno loco legis, ſed ex univerſis legibus ſumptum, quo etiam vehementer nititur Paulus.

Paulus diligenter expendit ſententiam Gen. In Semine tuo benedicentur, &c.

Ex his apparet quanta diligentia Paulus legerit Scripturas, & quàm ſtudioſiſſimè expenderit ſingula verba iſtius loci, In Semine tuo benedicentur omnes Gentes terræ. Primum ex vocabulo Benedictionis ſic colligit, Si Benedictio eſt futura in omnes Gentes, Ergo omnes Gentes ſunt ſub maledicto, etiam Iudæi, qui Legem habent. Et affert teſtimonium ſcripturæ, quo probat Iudæos ſub maledicto eſſe, qui ſub Lege ſunt, Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, &c. Deinde urget particulam, Omnes gentes, ex qua ſic colligit, Benedictionem non ſolum pertinere ad Iudæos, ſed etiam ad omnes Gentes totius orbis terrarum, Cum autem ad omnes Gentes pertineat, impoſſibile ſit eam contingere per Legem Moſi, cum nullæ Gentes eam habuerint, præter Iudæos. Et quanquam hi Legem habuerint, tamen adeò per illam non contigiſſe eis Benedictionem, ut quo plus conati ſint eam facere, hoc magis obnoxii facti ſint maledictioni Legis. Quare oportere aliam Iuſticiam eſſe, quæ longè excellat Legis juſticiam, per quam contingat Benedictio, non ſolum Iudæis, ſed etiam omnibus gentibus in toto mundo.

Omnes gentes.

In ſemine tuo.

Quomodo gentes à maledictione liberentur.

Poſtremo particulam, In ſemine tuo, hoc modo explicat, quod aliquis homo naſci debebat ex ſemine Abrahæ, ſcilicet Chriſtus, per quem ventura erat Benedictio in omnes Gentes. Cum itaq; Chriſtus debuit benedicere omnes Gentes,

quas

quas invenit maledictas, oportuit ipsum aufferre ab eis Maledictionem. Non potuit autem per Legem aufferre, quia per eam magis augetur. Quid ergo fecit? Adjunxit se maledictis, assumens illorum carnem & sangvinem & sic interposuit se Mediatorem inter Deum & homines. Licet, inquiens, caro & sangvis sim, & agam inter maledictos, tamen sum Benedictus ille, per quem sunt benedicendi omnes homines. Atq; ita in una persona conjunxit Deum & hominem, admixtusq; nobis maledictis, factus est propter nos maledictum, & suam Benedictionem abscondit in nostrum Peccatum, mortem & maledictum, quæ eum damnaverunt & occiderunt. Sed quia Dei filius erat, ab illis teneri non potuit, vicit ea, & triumphavit de illis, & quicquid adhæsit carni, quam causa nostra assumpsit, secum tulit. Itaque omnes illi carni adhærentes benedicuntur à Maledicto, hoc est, à peccato & morte liberantur.

Hypocrita offenduntur doctrina Evangelii.

Qui hoc beneficium Christi, de quo Evangelium propriè concionatur, non intelligunt, nec aliam præter Legis justiciam noverunt, hi, cum audiunt Legis opera non esse necessaria ad salutem, sed per hoc contingere salutem hominibus, si tantum audiant & credant, Christum filium Dei assumpsisse carnem, & adjunxisse se maledictis, ut per hoc benediceret omnes gentes, hi, inquam, offenduntur. Nihil enim horum intelligunt, aut certè tantùm carnaliter intelligunt. Sunt enim occupati aliis cogitationibus & fanaticis imaginationibus, Ideò sunt eis mera ænigmata, Imò nobis, qui primitias spiritus habemus, impossibile est ista perfectè intelligere & credere. Quia fortissimè pugnant cum ratione humana.

Christus pro nobis tulit damnationem, quam in æternum debebamus ferre.

In summa, Omnia mala inundatura erant super nos, ut inundabunt super impios in æternum. Sed Christus pro nobis factus omnium Legum, maledictionum, peccatorum & malorum nostrorum reus, venit medius, amplectens nos miseros & perditos peccatores, in sese suscepit & pertulit omnia nostra mala, quæ in æternum oppressura ac discruciatura erant nos, eaque semel ad modicum tempus obruerunt eum, & inundaverunt super caput ipsius, ut Psal. 87. Propheta in persona Christi queritur, cum ait, Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Item, in me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me. Hoc modo liberati ab istis æternis terroribus & cruciatibus per Christum, æterna & ineffabili pace & felicitate, modo hoc credamus, fruemur.

Psal. 87.

Cabala vera. Patres plus lætati de beneficio Christi quam nos.

Hæc sunt illa adoranda mysteria Scripturæ, & vera Cabala, quam etiam Moses aliquot locis subobscurè indicavit, quam Prophetæ & Apostoli cognoverunt, & per manus posteris tradiderunt, de qua futura sancti veteris Testamenti plus lætati sunt, quàm nos de ea jam exhibita, Agnoscimus quidem ingentem thesaurum esse, cognitionem Christi & justiciæ fidei, Sed tàm plenum gaudium spiritus inde non concipimus, quale habuerunt Prophetæ & Apostoli. Hinc tàm copiosè tractaverunt, & tàm sæpè inculcaverunt, præcipuè Paulus, Articulum justificationis. Est enim hoc proprium Apostolorum munus, Christi gloriam & beneficium illustrare, atq; per hoc afflictas conscientias erigere & consolari.

Apostolorum proprium officium.

Vt in Gentes benedictio Abrahæ veniret per Christum Iesum.

Benedictio donata gentibus per Christum.

PAULUS semper in conspectu habet hunc locum, In semine tuo, &c. Quia benedictio Abrahæ promissa, non potuit venire in gentes, nisi per semen Abrahæ Christum. Et quidem hoc modo, Oportuit ipsum fieri maledictum, ut promissio Abrahæ facta. In semine tuo benedicentur omnes gentes, sic impleretur. Nulla igitur alia ratione hoc quod hîc promittitur fieri potuit, nisi Iesus Christus fieret Maledictum, & conjungeret se gentibus maledictis, & sic ab illis auferret maledictum, & è sua benedictione afferret eis justiciam & vitam. Memineris autem, ut etiam supra monui, Benedictionis vocabulum non esse inane, ut Iudæi somniant, qui Benedictionem interpretantur salutationem vocalem vel scriptilem. Sed de Peccato & justicia, de morte & vita coram DEO, Paulus hîc agit. Loquitur ergo

Benedictionis vocabulum.

de rebus inæſtimabilibus & incomprehenſibilibus, cum ait, Vt in Gentes benedictio Abrahæ veniret per Ieſum Chriſtum.

Meritum noſtrum quo conſequamur benedictionem.

Vides præterea, quæ merita congrui & condigni afferamus, ac qua ratione acquiramus iſtam Benedictionem. Iſta eſt præparatio, hoc eſt, meritum congrui & condigni, illa ſunt opera quibus paratur hæc juſticia, quòd Chriſtus Ieſus factus ſit pro nobis Maledictum. Nos enim ſumus ignorantes & inimici Dei, ſumus mortui in peccatis & maledicti, Ergo meritum noſtrum plane nullum eſt. Quid enim mereretur maledictus peccator, ignorans Dei, mortuus in peccatis, obnoxius iræ & judicio Dei? Cum Papa aliquem excommunicavit, quicquid is faciebat, maledictum erat. Quantò magis maledictus coram Deo, ut omnes ſumus; ante cognitum Chriſtum, nihil facit, præter maledicta. Quare illa unica via eſt evadendi Maledictionem, credere & certa fiducia dicere, Tu Chriſte es Peccatum & maledictum meum, ſeu potius, Ego ſum peccatum tuum, maledictum tuum, mors tua, ira Dei tua, infernus tuus, Tu contrà es Iuſticia, benedictio, vita, gratia Dei, cœlum meum. Quia textus clarè dicit, Chriſtus factus eſt pro nobis Maledictum. Itaq; nos ſumus cauſa, quòd factus ſit maledictum, imò nos, ipſius maledictum ſumus.

Via evadendi maledictionem.

Is potentiſſimus locus & conſolationis pleniſſimus, etſi Iudæis excæcatis & induratis non ſatisfacit, tamen nobis, qui ſumus baptizati, & ſuſcepimus iſtam doctrinam, ſatisfacit, & concludit potentiſſimè, quòd per maledictionem, peccatum, mortem Chriſti, Benedicti, hoc eſt, Iuſtificati & vivificati ſimus. Donec peccatum, mors & maledictio in nobis manent, peccatum terret, mors occidit, & maledictio damnat nos, Cum verò iſta in Chriſtum transferuntur, fiunt hæc mala noſtra ipſius propria, & ſua bona noſtra. Diſcamus igitur in omni tentatione, Peccatum, mortem, maledictionem, & omnia mala, quæ premunt nos, à nobis transferre in Chriſtum, & viciſſim juſticiam, vitam & benedictionem ab eo in nos. Nam re vera omnia mala noſtra portat, cum Deus pater omnium noſtrum iniquitates, ut Iſaias ait, conjecerit in eum. Et ipſe libens eas ſuſcepit, Non enim erat reus, Sed ut in hoc faceret patris voluntatem, per quam ſanctificati ſumus in æternum.

Peccata noſtra in Chriſtum conjecta, & juſticia ejus nobis donata. Iſa. 53.

Miſericordia Dei erga peccatores ineffabilis.

Hæc eſt ineffabilis & infinita illa miſericordia Dei, quam Paulus libenter exuberanti & largiſſima quadam copia verborum effundere vellet, Sed illam abyſſum profundiſſimam & zelum ardentiſſimum divinæ charitatis erga nos, non poteſt anguſtia cordis humani comprehendere, multò minus eloqui. Quin etiam ipſa magnitudo Divinæ miſericordiæ, non ſolum difficultatem credendi, ſed & incredulitatem parit. Non ſolum enim audio quod omnipotens Deus conditor omnium ſit bonus & miſericors, Sed quod etiam illa ſumma majeſtas pro me perdito peccatore, filio iræ & mortis æternæ, tàm ſolicita fuerit, ut proprio Filio non pepercerit, ſed tradiderit eum in mortem ignominioſiſſimam, ut pendens in medio latronum, fieret pro me peccatore & maledicto, Peccatum & maledictum, ut benedictus, hoc eſt, juſtus, filius & hæres Dei efficerer. Quis poteſt iſtam bonitatem Dei ſatis prædicare? ne quidem omnes Angeli. Ideo doctrina Evangelii longè de aliis rebus loquitur, quàm politicus, philoſophicus aut Moſaicus liber, nempè de inenarrabilibus ac planè divinis donis, quæ omnem humanum & angelicum captum, & ſimpliciter omnia, ſuperant.

Evangelium de quibus rebus agat.

Vt promiſſionem Spiritus per fidem acciperemus.

Promiſſus ſpiritus.

EBRAISMUS eſt, Promiſſionem Spiritus, id eſt, promiſſum ſpiritum. Eſt autem ſpiritus libertas à Lege, peccato, morte, maldictione, inferno, ira & judicio Dei, &c. Ibi nullum eſt noſtrum meritum congrui aut condigni, ſed gratuita promiſſio, & exhibita donatio per ſemen Abrahæ, ut liberi ſimus ab omnibus malis, & omnia bona conſequamur. Nec aliis meritis illam libertatem & donum Spiritus accipimus, quam per fidem. Ea enim ſola apprehendit promiſſionem, ut Paulus clare hîc dicit, ut promiſſionem Spiritus, non per opera, ſed per fidem acciperemus.

Fidei natura.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſuaviſſima & verè apoſtolica eſt doctrina, quæ annunciat ea impleta & jam exhibita eſſe nobis, quæ multi Prophetæ & Reges deſideraverunt videre & audire,&c. Et tales loci, qualis hîc unus eſt, collecti ſunt ex variis dictis Prophetarum, qui longè ante in Spiritu præviderunt, quòd omnia per hunc virum Chriſtum mutanda, inſtauranda & adminiſtranda eſſent. Hinc Iudæi habentes legem Dei, præter eam tamen expectabant Chriſtum. Nulli Prophetæ aut gubernatores populi Dei novam Legem condiderunt, ſed Elias, Samuel, David, & omnes alii manſerunt ſub lege Moſi, non conſtituerunt novum decalogum, novum regnum & ſacerdotium. Quia nova illa mutatio regni, ſacerdotii, legis & cultus, reſervabatur iſti uni, de quo Moſes longè ante prædixerat, Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, Hunc audies, q. d. Hunc ſolum, & præterea neminem.

Apoſtolica doctrina qualis?

Mutatio omnium rerum reſervata uni Chriſto.

Deut. 18.

Hoc benè intellexerunt Patres. Quia nemo potuit majora & ſublimiora docere, quàm ipſe Moſes, qui ſummas Leges de ſummis & maximis rebus tulerat, ut eſt Decalogus, præſertim primum præceptum, Ego ſum Dominus Deus tuus, Non habebis Deos alienos. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Lex de dilectione Dei etiam angelos comprehendit, Ideò eſt fons omnis ſapientiæ divinæ,&c. Et tamen venire debebat alius Doctor, ſcilicet Chriſtus, qui longè aliquid majus & melius ſummis iſtis legibus allaturus & docturus erat, nempe Gratiam & remiſſionem peccatorum. Eſt ergo iſte textus potentiſſimus, quia hoc breviſſimo verbo, ut promiſſionem Spiritus per fidem acciperemus, Paulus ſemel effudit omnia. Ideò cum non poſſet ultrà progredi, non enim poterat majus aut ſublimius quiddam dicere, abrupit hîc & reſtitit.

Moſaica leges de rebus ſummis ac maximis loquuntur.

Primum præceptum fons omnis ſapientiæ Dei. Chriſti doctrina longe melior Moſi.

Fratres, ſecundum hominem dico, Hominis licet teſtamentum, ſi ſit confirmatum, nemo reſcindit aut ſuperordinat.

POST principale ac potiſſimum argumentum, Paulus ſubjicit aliud, ſumptum à ſimilitudine teſtamenti humani, quod apparet eſſe rhetoricum, & infirmius, quàm quod debebat eo uti Apoſtolus pro confirmanda hac tanta cauſa. Nam in arduis rebus, debemus potius humana divinis confirmare, non divina humanis. Hinc etiam Cicero de Homero ait, Humana transferens ad Deos, divina mallem ad nos. Et certè verum eſt, quòd iſta argumenta omnium infirmiſſima ſunt, cum ab humanis ad divina argumentamur, quemadmodum Scotus ſolet, Homo, inquit, poteſt diligere Deum ſuper omnia, Quia ſeipſum diligit ſuper omnia, ergo multò magis Deum. Quia quo bonum majus, hoc amabilius eſt. Et ex his infert, quod homo ex puris naturalibus ſine negocio poſſit implere ſummum illud mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,&c. Quia, inquit, homo poteſt diligere minimum bonum ſuper omnia, Imò etiam vitam omnium chariſſimam venum proponit propter vilem & modicam pecuniam, Ergo multò magis hoc facere poteſt propter Deum.

Humana divinis confirmanda, non è contra.

Argumentatio Scoti.

Sæpè à me audiſtis, quòd Ordinationes politicæ & œconomicæ ſint divinæ, Quia Deus ipſe ordinavit & approbavit eas, ut ſolem, lunam & alias creaturas. Ideò argumentum ab ordinatione vel creaturis Dei ſumptum valet, modò eo rectè utamur. Sic Prophetæ uſi ſunt frequentiſſimè ſimilitudinibus creaturarum, cum Chriſtum ſolem, Eccleſiam lunam, Doctores ſtellas, appellârunt. Item, aliæ innumeræ ſimilitudines ſunt in Prophetis, de arboribus, ſpinis, floribus & fructibus terræ. Talibus plenum eſt etiam novum Teſtamentum. Ideoque ubi ordinatio divina eſt in creatura, benè poteſt ab ea ſumi argumentum, & transferri ad divina. Sic Chriſtus Matthæi Cap. 7. argumentatur ab humanis ad divina, cum ait, Si vos, cum mali ſitis, noſtis dare bona dona filiis veſtris, quanto magis Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus ſe. Item, Paulus, Obediendum eſt hominibus, ergo multo magis Deo. Et Ierem. Cap. 35. Rechabitæ obedierunt patri ſuo, Quanto magis debebatis vos obedire mihi. Iſta autem divinitus ordinata ſunt, ut

Argumentum à creaturis Dei ſumptum valet.

Uſus ſimilitudinum frequens in ſacris literis, &c.

Argumentatio ab humanis quando valeat.

Matth. 7.

Ierem. 35.

patres dent filiis, ut filii obediant patribus. Ideo tales argumentationes bonæ ſunt, cum ſumuntur ab ordinatione divina. Si autem ab humanis affectibus depravatis ſumuntur, malæ ſunt, & omnino non valent, Qualis eſt argumentatio Scoti, Minus bonum diligo, ergo plus diligo majus. Ibi nego conſequentiam, Quia meum diligere non eſt ordinatio divina, ſed depravatio diabolica. Deberet quidem ſic eſſe, ut diligens me vel aliam creaturam, plus diligerem Deum creatorem, Sed non fit, Quia amor quo diligo meipſum, eſt vitioſus & contra Deum.

Quando non valent.

Amor noſtri vitioſus.

Hæc ideò dico, ne quis cavilletur, Argumentationem ab humanis ad divina non valere. Iam autem non diſputo, utrum hoc rhetoricum aut dialecticum argumentum ſit, Sed hoc tantum dico, ſatis firmum eſſe argumentum, cum ab humanis ad divina argumentamur, modò ab ordinatione Dei illud ſumamus, ut in præſenti negotio. Lex enim civilis, quæ eſt divina ordinatio, habet, quòd teſtamentum hominis non licet infirmari. Vivente quidem teſtatore, nondum ratum eſt, eo autem mortuo, non licet illud mutare. Hoc tamen dicitur non de facto, ſed de jure, hoc eſt, quid fieri debeat, & quid rectè fiat. Quia in jure habetur, quod teſtamentum non ſit mutandum, imò leges præcipiunt ultimam voluntatem religioſiſſimè ſervandam eſſe, Ea enim eſt unum inter ſacra humana.

Teſtamentum hominis non mutatur.

Ultima voluntas, &c.

Ab hac ergo conſvetudine teſtamenti humani Paulus ſic argumentatur. Qui fit, quod hominibus obeditur, Deo non obeditur? Politicæ & civiles ordinationes de teſtamentis & aliis rebus religioſe ſervantur, Ibi nihil mutatur, nihil additur, nihil adimitur, Solum teſtamentum Dei, hoc eſt, promiſſio divina de Benedictione ſpirituali, hoc eſt, de rebus cœleſtibus & æternis, quam totus Mundus non ſolum cum ſumma gratiarum actione obviis manibus accipere, ſed etiam adorare deberet, patitur mutationem & additionem. Hoc perſvaſorium eſt, cum ſic ab exemplis & legibus hominum argumentatur. Hinc dicit, Humano more loquor, id eſt, humanam ſimilitudinem, q. d. In teſtamentis & aliis humanis rebus fit executio, & ſervatur quod lex præcipit. Nam cum homo teſtamentum condit, hæredibus legans ſua bona, & moritur, teſtamentum confirmatur & immutabile redditur morte teſtatoris, ita ut nihil addi aut adimi poſſit, ſecundum omnia jura. Hinc jureconſultis ultima voluntas eſt vice legis, Et homines ſani religioſe eam ſervant. Si tanta fide, inquam, ſervatur teſtamentum hominis, ut nihil addatur aut adimatur, profecto majori fide deberet ſervari teſtamentum Dei, quod Abrahæ & ſemini ejus promiſit & donavit. Nam in Chriſto, cum moreretur confirmatum eſt, & poſt mortem ipſius literæ teſtamenti apertæ ſunt, hoc eſt, Benedictio Abrahæ promiſſa, prædicata eſt in omnes gentes, per totam orbem diſperſas. Ea fuit ultima voluntas teſtatoris Dei, confirmata Chriſti morte.

Teſtamentum Dei mutatur.

Teſtamentum confirmatur morte teſtatoris.

Teſtamentum Dei longè majori fide ſervandum eſt, quam hominis.

Ultima voluntas Dei.

Ideo nemo debet eam mutare, aut addere aliquid, ut doctores Legis & traditionum humanarum faciunt. Dicunt enim, Niſi circumcidaris, legem ſervaveris, multa operteris & patiaris, non potes ſalvus fieri. Hæc non eſt ultima voluntas aut teſtamentum Dei. Non enim dixit ad Abraham, Si hoc aut illud feceris, Benedictionem conſequêris, aut circuncifi & facientes legem conſequentur eam, Sed in Semine tuo, &c. q. d. Ego ex mera miſericordia promitto tibi Chriſtum ex ſemine tuo venturum, qui Benedictionem afferet omnibus gentibus, peccato & morte oppreſſis, hoc eſt, qui ab æterna Maledictione, id eſt, peccato & morte liberabit Gentes, fide accipientes hanc promiſſionem, In Semine tuo, &c. Quare ut olim Pſeudoapoſtoli, ita hodie omnes Papiſtæ & juſticiarii ſunt everſores & deſtructores, non hominis teſtamenti, quia jure prohibentur, ſed Dei, quem, etſi ignis conſumens eſt, tamen non timent. Ea enim eſt natura omnium hypocritarum, ut humana religioſe obſervent, divina ſecuriſſimè contemnant & violent. Sed portabunt horrendum judicium tempore ſuo, illi temerarii contemptores & deſtructores teſtamenti Dei. Eſt igitur hoc ſatis firmum argumentum, ab ordinatione divina ſumptum.

Deſtructores teſtamenti Dei qui? Natura hypocritarum.

Abrahæ

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus. Non dicit, Et ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, Et in ſemine tuo, qui eſt Chriſtus, &c.

HIC NOVO vocabulo promiſſiones Dei Abrahæ dictas de Chriſto benedictore futuro omnium gentium, appellat Teſtamentum. Neque aliud quiddam eſt promiſſio quàm Teſtamentum nondum revelatum, ſed adhuc obſignatum. Teſtamentum autem non eſt lex, ſed donatio. Hæredes enim non leges, exactiones aut gravamen aliquod, ſed hæreditatem ex teſtamento expectant. Primum ergo exponit vocabula, poſtea ſimilitudinem applicat, & vocabulum ſeminis urget. Abrahæ, inquit, non ſunt leges traditæ, ſed Teſtamentum eſt ei conditum & ordinatum, hoc eſt, dictæ ſunt illi promiſſiones de Benedictione ſpirituali, Ergo eſt ei aliquid promiſſum & donatum. Si igitur teſtamentum hominis ſervatur, cur non potius Dei? Cujus allegoria & larva tantum eſt teſtamentum humanum. Item, Si ſigna ſervamus, cur non potius res ſignatas?

Promiſſionem Paulus teſtamentum vocat.

Teſtamentum hominis eſt larva teſtamenti Dei.

Dictæ ſunt autem ei promiſſiones, non in omnibus Iudæis aut multis ſeminibus, ſed in uno ſemine, qui eſt Chriſtus. Hanc Pauli interpretationem Iudæi non recipiunt. Fingunt enim hîc enallagen numeri, dicentes ſingulare accipi pro plurali. Nos Pauli ſententiam amplectimur, qui non fruſtra urget vocabulum ſeminis, & exponit hoc ſemen eſſe Chriſtum & quidem ſpiritu verè Apoſtolico. Negent id ſanè Iudæi. Nos ſatis multa & robuſtiſſima argumenta habemus, quæ Paulus ſupra recitavit, illa negare non poſſunt, quæ & hoc confirmant. Hæc de ſimilitudine & pictura allegorica ordinationis divinæ, id eſt, teſtamenti humani. Iam illam exponit & applicat.

Semen Abrahæ promiſſum Chriſtus.

Hoc autem dico, Teſtamentum antea confirmatum in Chriſtum, Lex, poſt quadringentos & triginta annos, facta, non irritum fecit, ad evacuandam promiſſionem, &c.

HIC IUDÆI opponere poterant, Deus non fuit contentus dare promiſſiones Abrahæ, ſed poſt quadringentos & triginta annos tulit etiam Legem. Ergo Deus diffiſus promiſſionibus ſuis, ut quæ non potuerint juſtificare, addidit melius quiddam, ſcilicet legem, ut ea veniente, tanquam ſucceſſore meliore, non ocioſi, ſed facientes legem, per eam juſtificarentur. Ergo lex, quæ ſecuta eſt promiſſionem, abrogavit eam. Ejuſmodi evaſiones Iudæi quærunt multas. Hanc objectionem diluit Paulus pulchrè ac fortiter. Lex, inquit, quadringentis & triginta annis lata poſt promiſſionem Abrahæ factam, In ſemine tuo, &c. non potuit eandem irritam facere. Ea enim promiſſio eſt Teſtamentum Dei, ab ipſo Deo tot annis ante legem in Chriſtum confirmatum. Quod autem Deus ſemel promiſit & confirmavit, non revocat aut reſcindit, ſed in æternum manet apud eum ratum.

Objectio Iudæorum.

Paulus diluit objectionē hanc Iudæorum.

Cur ergo addita eſt lex? Tradita eſt quidem tot ſeculis poſt, Abrahæ poſteritati, non ut per eam conſequeretur Benedictionem, cum legis officium ſit, Maledictioni ſubjicere, non benedicere, Sed ut aliquis populus eſſet in mundo, qui haberet Verbum & teſtimonium de Chriſto, ex quo etiam Chriſtus ſecundum carnem naſceretur, Vtque ſub lege cuſtoditi & concluſi homines, ſuſpirarent liberationem per ſemen Abrahæ Chriſtum promiſſam, qui ſolus debuit & potuit benedicere, id eſt, à Peccato & morte liberare omnes gentes. Deinde ceremoniæ in lege præceptæ adumbrabant Chriſtum. Quare neque lege neque ceremoniis abolita promiſſio, ſed iiſdem potius ceu ſigillis quibuſdam tantiſper confirmata eſt, donec literæ ipſæ (promiſſio) aperirentur, & per Evangelii prædicationem invulgarentur omnibus gentibus.

Cur addita lex promiſſioni. Officium legis.

Promiſſio per legem confirmatur, ergo non abrogatur.

Sed ſinamus Legem & promiſſionem congredi, & videamus utra ſit fortior, An ſcilicet Promiſſio legem, aut Lex promiſſionem aboleat. Si Lex promiſſionem abolet, tunc ſequitur, quod nos noſtris operibus Deum facimus mendacem, & promiſſionem ejus irritam. Quia ſi Lex juſtificat, liberat à peccato & morte, & per

Quid incommodi ſequatur, ſi Lex promiſſionem abrogat.

conſequens noſtra opera & vires humanæ, facientes legem, Tum promiſſio Abrahæ facta, eſt irrita planeque inutilis, & per conſequens, Deus mendax & vaniloquus eſt. Quid enim aliud eſt, promiſſorem non velle præſtare promiſſa, aut irrita facere, quàm eum eſſe mendacem & vaniloquum ? Sed impoſſibile eſt, quòd lex Deum faciat mendacem, & quòd noſtra opera irritam faciant ejus Promiſſionem, Imo oportet eam ratam & firmam eſſe (Deus enim fruſtra non promittit) etiamſi poſſemus ſervare & implere Legem. Et concedamus ſanè omnes homines tam ſanctos eſſe, quam ſunt Angeli (quod tamen impoſſibile eſt) ut prorſus non indigeant Promiſſione, Tamen maxime ſentiendum eſt, eam eſſe certiſſimam & firmiſſimam, alioqui enim inveniretur Deus vanus aut mendax, qui vel fruſtrà promiſiſſet, aut promiſſa præſtare non vellet, aut non poſſet. Ideo promiſſio ut eſt ante Legem, ita & longiſſimè excellit eam.

Et rectiſſime fecit Deus, quod promiſſionem tam longo tempore ante Legem dedit, idque data opera, ne dici poſſet, quòd juſticia per Legem, non per promiſſionem daretur. Si enim voluiſſet nos Lege juſtificari, dediſſet eam quadringentis & triginta annis ante promiſſionem, aut certè cum promiſſione. Nunc de lege primum omnino tacet, tandem autem poſt quadringentos & triginta annos eam condit. Interim toto illo tempore loquitur de ſuis promiſſionibus. Ergo Benedictio & donatio juſticiæ venit ante legem per promiſſionem. Longe igitur promiſſio antecellit legem. Et ſic Lex non abrogat promiſſionem. Sed fides in promiſſionem, qua ſalvati ſunt credentes etiam ante Chriſtum revelatum, jam prædicata per Evangelium in omnes gentes orbis terrarum, deſtruit Legem, ut amplius non poſſit augere Peccatum, perterrefacere & in deſperationem adigere peccatores, qui fide apprehendunt promiſſionem.

Lex non abrogat promiſſionem, ſed fides apprehendens promiſſionem deſtruit legem, &c.

Et magna emphaſis, ſeu potius ironia ſubeſt, quod numerum quadringentorum & triginta annorum expreſſè ponit, q. d. Si Arithmeticam tenetis, numerate digitis, quantum ſit ſpacium inter Promiſſionem datam & legem. Certè Abraham longo tempore promiſſionem accepit ante legem, ea enim 430. annis pòſt populo Iſraël data eſt. Et hoc argumentum ſatis robuſtum eſt, à certo tempore ſumptum.

Lex ſcripta.

Non loquitur autem hîc de lege in genere, ſed tantum de lege ſcripta, q. d. Deus non potuit reſpicere cultum & opera legis, & facientibus illa donare juſticiam, Quia lex nondum erat, quæ præcipit cultum, exigit opera, & promittit vitam facientibus, Qui fecerit ea homo, inquit, vivet in eis. Et ut maximè promittat talia, tamen ideo non ſequitur, quod promiſſa ejus conſequamur, Quia diſerte dicit, Qui fecerit ea homo, &c. Conſtat autem neminem ea præſtare. Deinde Paulus dicit, Legem non poſſe abrogare Promiſſionem. Ideo promiſſio illa Abrahæ facta 430. annis ante legem, manet rata. Et ut res magis intelligi poſſit, illuſtrabo ſimilitudine. Si aliquis dives non coactus, ſed ex bona voluntate, ignotum quendam, cui plane nihil deberet, adoptaret ſibi, & inſtitueret hæredem omnium bonorum ſuorum. Deinde tranſactis aliquot annis, poſt exhibitum hoc illi beneficium, imponeret ei legem, hoc vel aliud faciendi. Is jam non poſſet dicere, ſe meritum ſuis operibus hoc beneficium, cum tot annis ante, ipſo nihil petente, ex mera gratia hoc gratis accepiſſet. Ita nec Deus reſpicere potuit opera & merita præcedentia juſticiam. Quia promiſſio & donum Spiritus ſancti fuit quadringentis & triginta annis ante legem. Hoc Paulus urget per ironiam.

Gal. 18.

Simile.

Abraham non fuit juſtus lege, quia ea vivente nondum fuit.

Ex his manifeſtum eſt, Abraham per legem non conſecutum eſſe juſticiam coram Deo, Quia lex nondum erat. Si lex nondum fuit, Ergo nec opera nec meritum. Quid tum fuit ? Nihil niſi mera Dei promiſſio. Huic credidit Abraham, & reputatum eſt ei ad juſticiam. Quo igitur modo pater juſticiam conſecutus eſt, eodem & filii ipſius conſequuntur eam. Sic & nos hodie dicimus, Peccata noſtra expiata ſunt morte Chriſti ante ſeſquimille annos, ubi nullus ordo, nullus canon pœnitentiæ, nulla merita congrui & condigni adhuc erant. Igitur non poſſumus ea nunc primum noſtris operibus & meritis expiare. Sic Paulus undique argumenta

Digitized by Google

menta firma à ſimilitudinibus certo tempore & perſonis colligit, quæ nemo ſanus cavillari poteſt. Muniamus igitur conſcientias noſtras hujuſmodi argumentis. Quia mirabiliter prodeſt ea benè meditata habere in tentationibus. A Lege enim & operibus ducunt nos in promiſſionem & fidem, ab ira in gratiam, à Peccatis in juſticiam, à morte in vitam. *Quibus argumentis Paulus utatur.*

Ideo, ut ſæpe inculco, iſta duo, Lex & Promiſſio, diligentiſſime diſcernenda ſunt. Quia tempore, loco, perſona & ſimpliciter omnibus circumſtantiis tam longe diſtant, quam cœlum & terra, principium mundi & finis. Sunt quidem proxima, quia in uno homine vel anima conjuncta, Tamen in affectu & per officia longiſſime ſejuncta eſſe debent. Nempe ut lex dominium habeat in carnem, Promiſſio vero ſuaviter regnet in conſcientia. Cum hoc modo deſignaveris utrique ſuum certum locum, ſecuriſſime ambulas medius in cœlo promiſſionis, & in terra legis, Spiritu in paradiſo gratiæ & pacis, Carne in terra operis & crucis. Neq; tum moleſtiæ, quas caro cogitur ferre, erunt difficiles, propter ſuavitatem promiſſionis, quæ cor mirum in modum exhilarat. Si verò iſta duo confundis, & ponis Legem in conſcientiam, & Promiſſionem libertatis in carnem, fit confuſio, qualis fuit in Papatu, ut néſcias quid Lex, promiſſio, quid peccatum, quid juſticia ſit. *Lex & promiſſio diſcernenda.* *Suus utriq; locus tribuendus legi & promiſſioni.* *Quid incommodi ſequatur ex commixtione legis & promiſſionis.*

Quare ſi recte vis ſecare verbum veritatis, remotiſſime diſcernas, quo ad affectum & totam vitam, promiſſionem à lege. Non fruſtrà tàm diligenter urſit Paulus hoc argumentum. Spiritu enim prævidit in Eccleſia hoc mali futurum, quòd verbum Dei confunderetur, hoc eſt, Promiſſio miſceretur Legi, ſicque prorſus amitteretur promiſſio. Quia cum commiſcetur Legi Promiſſio, mera fit lex. Idcirco aſſvefacias te, ut Legem à promiſſione etiam tempore diſtinguas, ut veniente Lege & accuſante conſcientiam dicas, Domina lex, non in tempore, ſed nimis maturè venis, expecta adhuc quadringentos & triginta annos, hi ſi tranſacti fuerint, venire poteris. Sed tum veniens, nimis tardè venies, Quia quadringentis & triginta annis prævenit te Promiſſio, cui aſſentior, & in ea ſuaviter acquieſco. Ideo nihil mihi tecum, non audio te, Iam enim vivo cum Abraham credente, vel potius jam poſt exhibitum Chriſtum vivo, qui eſt juſticia mea, qui te legem abrogavit & ſuſtulit. Sic Chriſtus ſemper obverſetur cordi tanquam ſummarium quoddam omnium argumentorum pro Fide contra juſticiam carnis, legem, opera & merita. *Promiſſio non miſcenda legi.*

HACTENUS recitavi ferè omnia & quidem potiſſima argumenta, quæ Paulus tractat in hac Epiſtola pro loco juſtificationis confirmando. Inter quæ principale & efficaciſſimum eſt, quod maxime hîc & in Rom. urget, argumentum de Promiſſione, Abrahæ & aliis patribus facta, cujus verba diligentiſſimè expendit, deniq; tractat tempora & perſonas, Item urget vocabulum Seminis, exponens illud eſſe Chriſtum. Tandem etiam per antitheſin declarat quid Lex faciat, quod ſcilicet ſub maledicto concludat. Et ſic fortiſſimis argumentis munit & defendit Articulum de juſticia Chriſtiana. Et econtra argumenta Pſeudoapoſtolorum, quibus uſi ſunt, pro defendenda juſticia legis, invertit & retorquet in ipſos, Hoc eſt, ubi contendunt per legem contingere juſticiam & vitam, oſtendit Paulus eam operari maledictionem & mortem. Vrgetis, inquit, legem neceſſariam eſſe ad ſalutem, Nonne legiſtis quod dicat, Qui fecerit ea, vivet in eis? Quis autem facit? Nemo. Ideo quotquot ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Et alibi, Aculeus mortis peccatum, Virtus vero peccati lex. Sequitur concluſio iſtorum argumentorum. *Argumenta de promiſſione.* *Officium legis.*

Gal. 3.

1. Cor. 15.

Nam ſi ex Lege hæreditas, jam non ex Promiſſione.

SIC Rom. 4. Si qui ex Lege ſunt, hæredes ſunt, abolita eſt Fides, & promiſſio irrita. Neque aliter fieri poteſt, quia iſta diſtinctio clariſſima eſt, quòd Lex diverſiſſimum quiddam eſt à promiſſione, Imò ratio naturalis quamlibet cæca tamen fateri cogitur, quòd aliud ſit promittere, aliud exigere, aliud donare, aliud accipere. Lex exigit à nobis opera noſtra, Promiſſio Seminis offert Dei beneficia ſpiritualia, & æterna, & quidem gratis propter Chriſtum. Ergo ex promiſſione *Diſtinctio legis & promiſſionis.* *Promittere & exigere diverſa.*

Rom. 4.

non Lege conſequimur hæreditatem ſeu benedictionem, Quia promiſſio dicit, In ſemine tuo benedicentur, &c. Ergo habens legem, non habet ſatis, Quia nondum habet Benedictionem, ſine qua cogitur manere ſub maledicto. Igitur Lex non poteſt juſtificare, quia non eſt ei addita benedictio. Deinde, ſi ex Lege eſſet hæreditas, Deus inveniretur mendax, & Promiſſio fieret irrita. Item, ſi Lex poſſet impetrare benedictionem, cur Deus eam promitteret, in Semine tuo, &c? Cur non potius diceret? Fac hoc, & accipies Benedictionem, Vel, Tu potes faciendo legem mereri vitam æternam. Hoc argumentum ex contrariis eſt, Ex promiſſione datur hæreditas, Ergo non ex lege.

Hæreditas detur per promiſſionem, non legem.

Abrahæ autem per promiſſionem donavit Deus.

HOC negari non poteſt, quòd Deus, antequam lex eſſet, donaverit Abrahæ per promiſſionem Benedictionem vel hæreditatem, id eſt, remiſſionem peccatorum, juſticiam, ſalutem, vitam æternam, ut ſimus filii & hæredes Dei & cohæredes Chriſti. Quia Geneſis clarè dicit, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Ibi Benedictio donata eſt, non ſpectata lege & operibus. Prævenit enim Deus donando hæreditatem, antequam Moſes naſceretur, aut ullus de lege cogitaret. Quid igitur jactatis juſticiam per legem contingere, cum data ſit Abrahæ patri veſtro, juſticia, vita, ſalus, ſine & ante legem? Imò ante eos, qui potuerunt facere legem. Quem iſta non movent, cæcus & induratus eſt. Tractavi autem ſuprà diligenter & copioſè argumentum de promiſſione, ideo jam obiter tantum illud percurro.

Benedictio per Chriſtum donata qua ſit.

Genes. 12.

HACTENUS potiſſima hujus Epiſtolæ pars tractata eſt, Iam uſum & officium legis indicabit Paulus, adhibitis ſimilitudinibus de pædagogo, & hærede parvulo, Item allegoria de duobus filiis Abrahæ, Iſaac & Iſmael, &c. Poſtremò præcepta de moribus tradit. In hac poſteriori parte Epiſtolæ Paulus plus rhetoricatur quàm docet.

Summa ſequentis partis hujus Epiſtolæ.

Quid igitur Lex?

CUM docemus hominem ſine Lege & operibus juſtificare, neceſſariò ſequitur illa quæſtio? Si Lex non juſtificat, quare ergo lata eſt? Item, Cur Deus urget & onerat nos lege, ſi non vivificat? Quid opus eſt nos tàm duriter exerceri & vexari ea; Si hi, qui una hora operati ſunt, redduntur pares nobis, qui portavimus pondus diei & æſtum? Veniente Gratia, quam Evangelium prædicat, ſtatim oritur iſta magna murmuratio, ſine qua Evangelium non poteſt prædicari. Iudæi hanc habebant opinionem, quòd ſi legem ſervarent, juſtificarentur. Ideo cum audierunt Evangelium concionari de Chriſto, qui veniſſet in mundum, ut ſalvaret non juſtos, ſed peccatores, quodq; hi præcederent illos in regnum Dei, maximè indignabantur; conquerentes ſe tot ſecula grave jugum Legis, magna moleſtia & labore portaſſe, & ſeſe miſerrimè vexatos & oppreſſos fuiſſe Legis tyrannide, ſine aliquo fructu, imò ſuo maximo incommodo, Gentibus idolatris viciſſim gratiam contingere ſine ullo labore & moleſtia. Sic hodie Papiſtæ noſtri murmurant, dicentes, Quid profuit nos vixiſſe vigenti, triginta, quadraginta annos in monachatu, voviſſe caſtitatem, paupertatem, obedientiam, legiſſe horas canonicas, miſſaſſe, afflixiſſe corpus jejuniis, orationibus, caſtigationibus, &c. Si maritus, uxor, princeps, conſul, præceptor, diſcipulus, ſi mercenarius aut ſervus portans ſaccos, ſi ancilla verrens domum, non ſolum nobis pares, ſed etiam meliores ac digniores ſunt?

Murmuratio Iudæorum contra Pauli doctrinam de fide pro lege ſtatuenda.

Eſt igitur quæſtio iſta difficilis, qua ratio concluſa eſt, quam etiam non poteſt ſolvere, ſed ea maximè offenditur. Intelligit ratio aliquo modo juſticiam legis, quam etiam docet & urget, & imaginatur facientes eam eſſe juſtos, non intelligit officium & finem legis. Itaq; cum audit hanc novam Pauli & incognitam mundo ſententiam, Quòd Lex lata ſit propter tranſgreſſiones, ſic judicat, Paulus tollit legem, quia dicit, quod per eam non juſtificemur, Imo blaſphemus eſt in Deum, qui legem tulit, cum dicit eam propter tranſgreſſiones datam eſſe. Vivamus igitur,

Ratio.

Iudicium rationis de doctrina Evangelij quæ docet legem eſſe additam propter tranſgreſſiones.

igitur, ut Gentes, quæ legem non habent. Imo peccemus & maneamus in peccato, ut Gratia abundet. Item, faciamus mala, ut eveniant bona. Hoc Apoſtolo Paulo accidit, idem & hodie nobis accidit. Vulgus enim, cum ex Evangelio audit, juſtitiam ex mera gratia Dei & ſola fide, ſine lege & operibus contingere, eodem modo colligit, quo tum Iudæi, Si lex non juſtificat, nihil igitur operemur, hocque egregiè præſtat.

Quid igitur faciamus? Vehementer quidem cruciat nos hoc malum, ſed non poſſumus prohibere. Chriſtum prædicantem oportebat audire, quod eſſet blaſphemus & ſeditioſus, hoc eſt, quod ſua doctrina ſeduceret homines, & Cæſari rebelles faceret. Idem Paulo & omnibus Apoſtolis accidit. Quid mirum, ſi ſimili modo nos hodie accuſet mundus? Blaſphemet & perſequatur ſanè nos, Tamen ideo non eſt tacendum, ſed liberè loquendum, ut afflictæ conſcientiæ eripiantur ex Diaboli laqueis. Neque ſpectandum eſt, quòd noſtra doctrina abutatur impium & ſtultum vulgus, quod ſive Legem habeat, ſive non habeat, ſanari non poteſt, Sed potius ſpectandum eſt, quomodo miſeris conſcientiis conſulatur, ne cum multitudine pereant. Si taceremus, nullam prorſus conſolationem haberent conſcientiæ, quæ ita captæ & irretitæ ſunt legibus & traditionibus humanis, ut ſeſe nullo modo explicare poſſint.

Chriſtus jacitatus blaſphemus & ſeditioſus.

Vt ergo Paulus, cum videret alios adverſari doctrinæ ſuæ, alios libertatem carnalem quærere, & deteriores fieri ex ea, ſe hoc modo conſolabatur, quòd eſſet Apoſtolus Ieſu Chriſti, ad prædicandam fidem electorum Dei, & quòd omnia toleraret propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequerentur. Ita & nos hodie omnia facimus propter electos, quos ſcimus juvari noſtra doctrina. Canibus & porcis, quorum alii perſequuntur doctrinam, alii conculcant libertatem noſtram, quam in Chriſto habemus, adeo infenſus ſum, ut propter illos ne unam quidem voculam emittere velim in vita mea. Optarim potius porcos noſtros, cum adverſariis canibus adhuc ſubjectos eſſe tyrannidi Papæ, quàm propter eos ſic blaſphemari nomen Dei ſanctum.

Omnia faciamus propter electos, &c.

Canes. Porci.

Vt maximè igitur non ſolum imperitum vulgus, ſed hi etiam, qui videntur ſibi multum ſapere, hoc modo colligant, Si lex non juſtificat, ergo ocioſa eſt, Non tamen ideo verum eſt. Nam ſicut illa conſequentia non valet, Pecunia non juſtificat, ergo inutilis eſt. Oculi non juſtificant, ergo eruendi ſunt. Manus non juſtificant, ergo amputandæ ſunt, Ita neq; iſta valet, Lex non juſtificat, ergo inutilis eſt. Oportet unicuiq; rei tribuere ſuum proprium officium & uſum. Non ideo deſtruimus aut damnamus Legem, quòd negamus eam juſtificare. Sed aliter reſpondemus ad iſtam quæſtionem, Quid igitur lex? quàm adverſarii, qui perverſa opinione fingunt officium & uſum legis, quem non habet.

Lex non juſtificat, ergo inutilis, mala conſequentia, &c.

Contra hunc abuſum & fictum officium legis diſputamus, & reſpondemus cum Paulo, legem non juſtificare, Sed per hoc non affirmamus legem eſſe ocioſam, ut illi ſtatim inferunt, Si lex non juſtificat, ergo fruſtrà lata eſt. Non, Habet enim ſuum proprium officium & uſum, ſed non eum, quem adverſarii ei affingunt, ſcilicet juſtificandi homines. Imò accuſat, perterrefacit & condemnat eos. Cum Paulo dicimus legem eſſe bonam, ſi quis ea legitimè utatur, id eſt, ſi quis utatur lege, ut lege. Si definio legem propria definitione, & retineo in ſuo officio & uſu, res optima eſt, Si vero transfero eam in alium uſum, & tribuo ei, quod non eſt tribuendum, non ſolum legem, ſed totam theologiam perverto.

Legis proprium officium & uſus.

Lex bona quando?

Agit ergo hic Paulus contra peſtilentes hypocritas, quibus planè intolerabilis eſt hæc Pauli vox, Lex propter tranſgreſſiones addita eſt. Putant enim legis officium eſſe juſtificare. Eaque eſt generalis opinio rationis humanæ in omnibus Sophiſtis & toto mundo, quòd juſticia paretur operibus legis. Illam perniciоſam opinionem nullo modo patitur ſibi eximi ratio, quia non intelligit juſticiam fidei. Hinc Papiſtæ non tàm ſtultè quàm impiè nugantur, Eccleſia habet legem Dei, traditiones patrum, decreta Conciliorum, Si juxta ea vixerit, eſt ſancta.

Omnes homines naturaliter judicant legem juſtificare.

His

Ratio ignara justicia fidei. Opinio justicia legis aut propria pernicioſiſſima, &c.

His nemo perſvadebit, quod illis rebus obſervatis tantum provocent iram Dei, non placent. In ſumma, Omnis juſticiarius imaginatur, ſe ſuis electitiis cultibus & voluntaria religione placaturum iram Dei, &c. Ideo opinio juſticiæ ſentina eſt omnium malorum, & peccatum peccatorum mundi. Nam craſſa peccata & vitia agnoſci, ideoque emendari poſſunt, aut certè prohiberi vindicta Magiſtratus. Illud vero (cujuſque hominis propria opinio de juſticia) non ſolum non vult eſſe peccatum, ſed etiam venditat ſeſe pro ſumma religione & juſticia. Itaque peſtis illa eſt ſummum & maximum imperium Diaboli in toto orbe terrarum, verè caput ſerpentis, & laqueus, quo Diabolus omnes homines capit & captivos tenet, Omnes enim naturaliter ſentiunt Legem juſtificare. Vt igitur Paulus verum officium & uſum legis oſtendat, & falſam opinionem de ea hominibus eximat, reſpondet ad hanc objectionem, Quid igitur lex, ſi non juſtificat? hoc modo, Non propter juſtificationem, ſed,

Propter tranſgreſſiones appoſita eſt.

Vires diſtincta, ita rerum uſus diſtinctus.

VT res, ita uſus rerum diſtincti ſunt, Non ſunt ergo confundendi, alioqui etiam rerum fit confuſio. Mulier non utatur veſte viri, nec vir mulieris. Vir virilia, mulier muliebria opera faciat. Vnuſquiſq; hoc præſtet, quod ſua vocatio & officium requirit. Paſtores & concionatores doceant purè verbum Dei, Magiſtratus gubernent ſubditos, Hi obediant illis, &c. Item quælibet creatura in ſuo ordine & loco ſerviat. Sol luceat die, Luna & Stellæ noctu. Mare det piſces, Terra fruges, Sylvæ feras, ligna, &c. Sic lex non uſurpet ſibi alienum officium & uſum, ſcilicet juſtificationis, ſed relinquat hunc ſoli gratiæ, promiſſioni, fidei. Quod igitur eſt legis officium? Tranſgreſſio, ſeu, ut alibi dicit, Lex ſubintravit, ut abundaret delictum. Bellum profectò officium. Lex, inquit, propter tranſgreſſiones appoſita eſt, id eſt, ultra & poſt promiſſiones addita, donec veniret ſemen Chriſtus, cui promiſſum fuerat.

Qualibet creatura in ſuo ordine ſervit.

Officium legis.

DE DVPLICI LEGIS VSV.

Legis politicus uſus. Omnes leges latæ ad cohercendas tranſgreſſiones.

HIc ſciendum eſt, duplicem eſſe legis uſum. Alter civilis eſt. Nam Deus ordinavit civiles, imò omnes leges ad cohercendas tranſgreſſiones. Ergo omnis Lex lata eſt ad impedienda peccata. Si cohercet peccata, ergo juſtificat? Nihil minus. Quòd enim non occido, non committo adulterium, furtum non facio, quòd ab aliis peccatis abſtineo, non volens aut virtutis amore facio, ſed carcerem, gladium & carnificem metuo. Illa prohibent ne peccem, Vt leonem aut urſum vincula aut catenæ prohibent, ne quæque obvia laniet. Ergo cohertio à peccatis non eſt juſticia, ſed potius ſignificatio injuſticiæ. Vt enim furenti & indomitæ beſtiæ injicitur vinculum, ne ſæviat in quæque ſibi obvia, Ita lex inſanum & furentem hominem cohercet, ne pro libidine peccet. Iſta cohertio ſatis indicat, quod illi, qui ea opus habent (ut omnes quotquot extra Chriſtum ſunt) non ſint juſti, ſed potius impii & furentes, quos neceſſe ſit vinculis & carcere legis domari ne peccent. Ergo lex non juſtificat.

Diaboli potestas. Deus ordinavit magiſtratus, parentes, leges, &c. ut peccata cohercentur.

Primus ergo intellectus & uſus legum eſt, cohercere impios. Diabolus enim regnat in toto orbe terrarum, & impellit homines ad omnis generis flagitia. Ideo Deus ordinavit Magiſtratus, parentes, præceptores, leges, vincula & omnes ordinationes civiles, ut, ſi non poſſint amplius efficere, revinciant ſaltem Diabolo manus, ne pro libidine ſua ita ſæviat in ſuis. Sicut ergo hominibus obſeſſis, in quibus Diabolus potenter regnat, vincula & catenæ injiciuntur, ne quem lædant. Sic toti mundo, qui obſeſſus eſt à diabolo, & præceps fertur in omnia ſcelera, adeſt Magiſtratus ſuis vinculis & catenis, hoc eſt, legibus, cohibens manus & pedes, ne præceps ruat in omnis generis flagitia. Si hoc modo ſe arceri non ſinit, pœna capitis plectitur. Hæc civilis cohertio ſummè neceſſaria eſt, & à Deo inſtituta, cum propter publicam pacem, tum propter omnes res conſervandas, maximè vero, ne

Civilis cohertio legis neceſſaria.

tumul-

Digitized by Google

tumultibus & seditionibus ferocium hominum cursus Evangelii impediatur. Illum civilem usum Paulus hic non tractat. Est quidem valdè necessarius, sed non justificat. Nam ut obsessus non ideo liber & compos mentis est, quod manus & pedes colligati sunt, Ita mundus, ut maximè arceatur lege ab externis flagitiis, non ideo justus est, sed manet impius. Imò ista cohertio indicat mundum esse impium; furentem & impelli à principe suo diabolo, alioqui non opus esset eum legibus coherceri ne peccaret.

Alter Legis usus est theologicus seu spiritualis, qui est ut (Paulus ait) augere transgressiones, hoc est, revelare homini suum peccatum, cæcitatem, miseriam, impietatem, ignorantiam, odium, contemptum Dei, mortem, infernum, judicium & commeritam iram apud Deum. Hunc usum tractat magnificè Rom. 7. Is planè incognitus est hypocritis, sophistis & omnibus hominibus, quotquot incedunt in opinione justiciæ legis seu propriæ. Vt autē compescat & contundat Deus monstrum & bestiam illam furentem (opinionem justiciæ seu religionis) quæ naturaliter inflat & superbire facit homines, ut putent propter eam se placere Deo, oportuit eum mittere aliquem Herculem, qui monstrum istud toto impetu adoriretur, prosterneret & conficeret, hoc est, coactus est ferre in monte Sina legem, tanta pompa & tam horribili specie, ut totus populus pavore concussus sit, Exod. 19. 20.

Theologicus legis usus.
Theologicus legis usus incognitus rationi.
Opinio justiciæ inflat, &c.
Lex lata ad coercendam opinionem justiciæ.

Is usus Legis divinæ, ut est proprius & præcipuus, ita perutilis est & maximè necessarius. Nam si quis non est homicida, adulter, fur, & abstinet externè à peccatis, ut Pharisæus ille, is juraret (quia est obsessus à diabolo) se esse justum, Ideoque concipit opinionem justiciæ, & præsumit de bonis operibus & meritis suis. Hunc Deus nulla alia arte mollire & humiliare potest, ut agnoscat suam miseriam & damnationem, nisi lege. Ea enim est malleus mortis, tonitru inferni & fulmen iræ divinæ, conterens induratos & insensatos hypocritas. Quare proprius & verus legis usus est, fulgure, (ut in monte Sina) tonitru, clangore buccinæ perterrefacere, fulmine prosternere & conterere istam beluam, quæ vocatur Opinio justiciæ. Hinc Deus per Ieremiam dicit, Verbum meum malleus est, conterens petras. Donec enim opinio justiciæ in homine manet, manet incomprehensibilis Superbia, præsumptio, securitas, odium Dei, contemptus Gratiæ & misericordiæ, ignoratio promissionum & Christi. Non intrat in cor neq; sapit prædicatio de gratuita remissione peccatorum propter Christum. Quia ingens rupes & adamantinus murus, scilicet, Opinio justiciæ, qua cor ipsum cinctum est, obstat.

Proprius & præcipuus Legis usus.
Hypocritæ non perterrefiunt & humiliantur, &c.
Opinio justiciæ quam sit pertinacissima.

Vt ergo opinio justiciæ magnum & horribile monstrum, rebellis, pertinax & durissimæ cervicis bestia est, Ita pro conficienda & conterenda ea, habet opus Deus ingenti & forti Malleo, scilicet lege. Quæ tum in proprio officio & usu est, cum sic accusat & ostendit peccatum, Ecce transgressus es omnia mandata Dei, &c. Et ita terrorem incutit conscientiæ, ut verè sentiat Deum offensum & iratum, & se ream æternæ mortis. Ibi cor sentit onus importabile legis, & conteritur usq; ad desperationem, ut præ nimia anxietate mortem expetat, aut sibiipsi conscisce mortem cupiat. Quare lex est malleus, ignis, ventus & commotio illa grandis & fortis, conterens petras & subvertens montes, hoc est, induratos & superbos hypocritas. Hos legis terrores, qui per ista significantur, non ferens Elias, caput pallio operuit, 3. Reg. 19. Cessante tamen tempestate illa, cujus spectator erat, venit sibilus auræ tenuis, in qua Dominus erat. Sed oportebat procellam Ignis, turbinis & terræmotus præcedere, antequam Dominus ipse in susurro lenis auræ sequebatur.

Opinio justiciæ quanta pestis, &c.
Legis proprium officium.
Lex malleus conterens petras.

Hunc legis usum adumbravit terribilis ille aspectus & pompa, qua Deus legem tulit in monte Sina. Summa sanctitas erat in populo Israël, qui egressus fuerat ex Ægypto, Nos (jactitabant) populus DEI sumus, Omnia quæ locutus est, Dominus Deus noster, faciemus. Deinde Moses sanctificabat populum, jubebat lavare vestes, abstinere ab uxoribus, & parare sese in tertium diem, Ibi nemo non erat sanctissimus. Tertio die Moses educit è castris populum ad montem in conspectum Domini, ut audiret vocem ipsius. Quid fit? Vbi filii Israël vident horribilem

Filij Israel non potuerunt ferre vocem Dei loquentis ex igne, &c.

ribilem aſpectum montis fumantis & ardentis, nigras nubes & fulgura diſcurrentia in iſta denſiſſima caligine,& audiunt clangorem buccinæ paulatim creſcere & prolixius protendi,Item ubi audiunt tonitrua & fulmina,Pavefacti retrocedebant,& procul ſtantes dicebant Moſi, Nos omnia libenter faciemus, modò non loquatur nobis Dominus, ne moriamur, devorante nos igni hoc maximo, Tu nos doce, & auſcultabimus. Quid quæſo hîc profuit mundicies, candida veſtis, abſtinentia ab uxoribus, ſanctitas ? Nihil prorſus, Nemo hanc Dei præſentiam in ſua majeſtate & gloria ferre potuit, ſed omnes exterriti & pavore concuſſi ibant retrò, quaſi à Diabolo acti. Deus enim Ignis conſumens eſt, in cujus conſpectu ſimpliciter nulla caro conſiſtere poteſt.

Legis officium proprium.

Hoc ergo officium Lex divina proprie habet, quod tum in monte Sina habuit, cum primum lata eſt, & audiebatur à lotis,juſtis,purificatis & caſtis, & tamen redegit illos ſanctos in agnitionem ſuæ miſeriæ uſq; ad deſperationem & mortem.

Iudai territ ad vocem legis.

Nulla tum mundicies juvabat,ſed tantus erat ſenſus immundiciei, indignitatis,peccati,judicii& iræ Dei, ut fugerent à conſpectu Domini, neq; poſſent ipſius vocem audire. Quid eſt omnis caro, dicebant, ut audiat vocem Domini Dei viventis, & poſſit vivere ? Hodie vidimus,quod loquente Deo cum homine,homo perferre non poſſit.Iam multò aliter loquuntur,quàm paulò antè,cum dicerent,Nos populus Dei ſanctus, quem Dominus ſibi elegit in peculium præ cunctis gentibus orbis terrarum, Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus. Sic tandem accidit omnibus juſticiariis,qui opinione juſticiæ ebrii, arbitrantur extra tentationem ſe maximè diligi à Deo, reſpicere Deum vota, jejunia, precatiunculas & electicia opera ſua, pro quibus ſit illis redditurus ſingularem Coronam in cœlis. Sed veniente ex improviſo Tonitru,fulmine, igne & malleo illo, qui petras conterit, hoc eſt, lege Dei revelante peccatum, iram & judicium Dei oſtendente, planè idem illis accidit, quod ſtantibus Iudæis ad radices montis Sinai.

Idem accidit omnibus hypocritis, quòd Iudæi ad montem Sinai ſtantibus.

Velamen Legis.

Admoneo pietatis amatores, præcipuè qui aliquando aliorum futuri ſunt Doctores, ut diligenter ex Paulo diſcant intelligere verum ac proprium Legis uſum,qui (ut timeo) poſt tempora noſtra iterum obſcurabitur & prorſus obruetur. Nam nobis adhuc viventibus, & ſumma diligentia utriuſq; legis & Evangelii officium & uſum monſtrantibus, tamen perpauci ſunt etiam inter illos, qui pii videri volunt, & nobiſcum profitentur Evangelium,qui iſta rectè teneant. Quid futurum putatis nobis ablatis ? Vt interim nihil dicam de Anabaptiſtis, novis Arrianis, & ſpiritibus blaſphemis in Sacramentum corporis & ſangvinis Chriſti, qui æquè iſta ignorant,ut maximè ore diverſum dicant,ac Papiſtæ. Iamdudum enim à pura doctrina Evangelii ad leges relapſi ſunt. Ideoq; Chriſtum non docent. Iactant & jurant quidem, ſe nihil quàm gloriam Dei, ſalutem fratrum quærere, & verbum Dei pure docere. Sed re vera depravant illud, & detorquent ad alienum ſenſum,ut hoc cogatur illis ſonare, quod ipſi ſomniant. Ideo ſub nomine Chriſti ſua ſomnia, ſub nomine Evangelii tantum leges & ceremonias,docent. Sunt ergo & manent ſemper ſui ſimiles,hoc eſt,monachi,operarii,legis & ceremoniarum doctores,niſi quòd nova nomina & opera excogitant.

Pauci intelligunt proprium legis uſum. Sollertiæ.

Valde prodeſt tenere proprium legis uſum.

Non eſt igitur parvi momenti res, probè tenere, Quid lex,quis uſus, quod officium ejus ſit ? Quia vero iſta ſumma diligentia & fide tradimus, re ipſa teſtamur,quòd Legem & opera, ut adverſarii nos falſò accuſant, non rejicimus, Sed maxime ſtabilimus legem, opera ejus exigimus, dicimuſq; legem bonam & utilem,ſed in ſuo uſu, ſcilicet primò ad cohercendas civiles tranſgreſſiones, Deinde ad revelandas & augendas ſpirituales tranſgreſſiones. Quare lex etiam lux eſt, quæ lucet & oſtendit, non gratiam Dei,non juſticiam & vitam, Sed Peccatum, mortem, iram & judicium Dei. Nam ſicut in monte Sina,tonitru, fulmen, nubes caliginoſa,mons fumigans & ardens, & tota illa terrifica facies, non exhilarabat nec vivificabat filios Iſraël, ſed perterrefaciebat, reddebat ferè exanimes, & oſtendebat, quàm non ferre poſſent, cum omni illa ſua ſanctitate & mundicie, præſentiam Dei loquen-

Lex lucet.

loquentis è nube. Sic lex, quando in ſuo vero uſu eſt, nihil aliud facit, quam quod revelat peccatum, efficit iram, accuſat & perterrefacit homines, ut non procul abſint à deſperatione. Is proprius eſt uſus legis, hic finem habet, nec amplius progredi debet. *Lex in ſuo vero uſu terret, &c.*

Contrà, Evangelium lux eſt, quæ illuminat, vivificat, conſolatur & erigit pavidas mentes. Oſtendit enim Deum eſſe propicium peccatoribus & indignis propter Chriſtum, Si credant ſe per mortem ipſius liberatos à maledictione, id eſt, à peccato & morte æterna, & per ſuam victoriam donatam illis Benedictionem, id eſt, gratiam, remiſſionem peccatorum, juſticiam & vitam æternam. Hoc modo diſcernentes legem ab Evangelio, utriq; tribuimus ſuum proprium uſum & officium. De hoc legis & Evangelij diſcrimine nihil legitur in libris Monachorum, Canoniſtarum, Scholaſticorum, imo ne quidem veterum Patrum. Auguſtinus aliqua ex parte illud diſcrimen tenuit, ac indicavit. Hieronymus & alij ignorarunt. Summa, mirum de illo fuit multis ſeculis ſilentium in omnibus ſcholis & templis, Eaq; res addùxit conſcientias in maximum diſcrimen. Niſi enim diſertè diſcernatur Evangelium à Lege, non poteſt ſalva retineri doctrina Chriſtiana. Contrà, cognita hac diſtinctione, cognoſcitur vera ratio juſtificandi, tumq; facile diſcernere eſt Fidem ab operibus, Chriſtum à Moſe, & omnibus politicis legibus. Omnia enim, extra Chriſtum, ſunt miniſterium mortis, ad vindictam malorum. Reſpondet ergo Paulus ad quæſtionem hoc modo: *Evangelij lux.* *Evangelij officium & uſus proprius.* *Niſi diſerte diſcernatur lex ab Evangelio, non poteſt doctrina fidei ſalva retineri.*

Lex propter tranſgreſſiones appoſita eſt.

Id eſt, ut augeſcerent & magis cognoſcerentur ac viderentur tranſgreſſiones. Et re vera etiam ita fit. Nam cum per Legem revelatur homini Peccatum, mors, ira & judicium Dei, infernus, &c. impoſſibile eſt, ut non fiat impatiens, murmuret, oderit Deum & ejus voluntatem. Non enim poteſt ferre judicium Dei, ſuam mortem & damnationem, & tamen non poteſt effugere. Hic tum neceſſariò incurrit in odium & blaſphemiam contra Deum. Prius extra tentationem magnus ſanctus fuit, coluit & laudavit Deum, genu flexit & gratias egit, ut Luc. 18. Phariſæus Lucæ 18. Iam autem revelato peccato & morte, vellet Deum non eſſe. Itaq; lex ſummum odium Dei affert. Et hoc non ſolum eſt oſtendi & cognoſci Lege peccatum, ſed etiam per oſtenſionem augeri, inflari, incendi & magnificari Rom. 7. peccatum. Hinc Paulus dicit Rom. 7. Peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut fiat excellenter noxium peccatum per præceptum. Illic copioſe tractat iſtum legis effectum. *Tranſgreſſiones augentur per legem.*

Ad iſtam ergo quæſtionem, Si lex non juſtificat, ad quid valet? Paulus reſpondet. Vt maximè, inquit, non juſtificat, tamen maximè utilis & neceſſaria eſt lex. Primum civiliter cohercet carnales & rudes. Deinde oſtendit hominem ſibiipſi, quòd ſit peccator, ergo reus mortis & dignus æterna ira. Ad quid prodeſt iſta humiliatio, contuſio & contritio per iſtum malleum, legem ſcilicet? Ad hoc prodeſt, ut gratiæ pateat ad nos aditus. Sic ergo lex miniſtra & præparatrix eſt ad gratiam. Nam Deus eſt Deus humilium, miſerorum, afflictorum, oppreſſorum, deſperatorum, & eorum, qui prorſus in nihilum redacti ſunt, Ejusq; natura eſt exaltare humiles, cibare eſurientes, illuminare cæcos, miſeros & afflictos conſolari, peccatores juſtificare, mortuos vivificare, deſperatos & damnatos ſalvare, &c. Eſt enim creator omnipotens ex nihilo faciens omnia. Ad hoc autem ſuum naturale & proprium opus non ſinit eum pervenire nocentiſſima peſtis illa, opinio juſticiæ, quæ nō vult eſſe peccatrix, immunda, miſera & damnata, ſed juſta, ſancta, &c. Ideo oportet Deum adhibere Malleum iſtum, Legem ſcilicet, quæ frangat, contundat, conterat, & prorſus ad nihilum redigat hanc beluam cum ſua vana fiducia, ſapientia, juſticia, potentia, &c. ut tandem ſuo malo diſcat ſe perditam & damnatam. Atq; ibi tum, conſcientia ſic Lege conterrita, locum habet doctrina Evangelij & gratiæ, quæ rurſum erigit & conſolatur, dicens, Chriſtum veniſſe *Vſus legis duplex.* *Lex miniſtra ad gratiam.* *Opus proprium Dei.* *Doctrina Evangelij habet locum in his, qui lege perterrefacti ſunt.*

in mundum, non ut quaſſatum calamum conterat, non ut linum fumigans extinguat, ſed ut pauperibus Evangelium annunciet, contritis corde medeatur, captivis prædicet remiſſionem,&c.

Sed hoc opus, hic labor eſt, ut ſic perterrefactus & contuſus Lege, poſſit ſeſe iterum erigere,& dicere, Iam ſatis contritus & conturbatus ſum, ſatis miſerè afflixit me tempus legis. Iam tempus eſt Gratiæ & audiendi Chriſti, ex cujus ore procedunt ſermones gratiæ. Iam tempus eſt videndi, non fumantem & ardentem montem Sina, ſed montem Moria, ubi eſt ſedes, templum & propiciatorium Dei, Chriſtus ſcilicet, qui eſt rex juſticiæ & pacis, Ibi audiam, quid Dominus mihi loquatur, loquitur autem pacem plebi ſuæ. Imò tanta eſt ſtultitia humani cordis, ut non ſolum non apprehendat in iſto certamine conſcientiæ, ubi Lex fecit officium,& verum ſuum uſum exercuit, doctrinam Gratiæ, quæ certiſſimè promittit & offert remiſſionem Peccatorum propter Chriſtum, ſed etiam plus legum quærat, quibus ſibi conſulere velit. Ego, inquit, ſi diutius vixero, emendabo vitam meam, hoc & hoc faciam. Item, ingrediar monaſterium, parciſſimè vivam, contentus pane & aqua, nudis pedibus incedam,&c. Hic niſi omninò contrarium feceris, hoc eſt, niſi ablegaveris Moſen cum lege ſua ad ſecuros & induratos, & apprehenderis in iſtis pavoribus & horroribus Chriſtum paſſum, crucifixum, mortuum pro peccatis tuis, Planè actum eſt de ſalute tua.

Tempus legis, gratia.

Rede in tentatione non confugit ad doctrinã gratiæ, ſed legis.

Sic per accidens Lex cum ſuo officio etiam prodeſt ad juſtificationem, non quidem juſtificans, ſed urgens ad promiſſionem Gratiæ, & faciens eam ſuavem ac deſiderabilem. Quare legem non abrogamus, ſed indicamus verum officium & uſum ipſius, quòd ſcilicet ſit utiliſſima miniſtra, urgens ad Chriſtum. Ideo poſtquam te Lex humiliavit, perterrefecit & prorſus contrivit, ut jam ſis deſperationi proximus, vide ut Lege recte noris uti. Quia officium & uſus ejus eſt, non ſolum oſtendere peccatum ac iram Dei, ſed etiam compellere ad Chriſtum. Hunc uſum Legis ſolus Spiritus ſanctus oſtendit in Evangelio, ubi teſtatur Deum adeſſe contritis corde,&c. Quare ſi contritus es malleo iſto, ne perverſe utaris contritione iſta, ut oneres te pluribus legibus, ſed audi Chriſtum dicentem, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, Ego reficiam vos. Quando Lex ſic te urget, deſperatis omnibus rebus tuis, ad quærendum auxilium & ſolatium apud Chriſtum, tum eſt in vero uſu, & ſervit per Evangelium ad juſtificationem, Isq; eſt optimus ac perfectiſſimus Legis uſus.

Lex non ſolum oſtendit peccatum, ſed etiam compellit ad Chriſtum.

Mat.

Quare Paulus hic novo Capite incipit tractare Legem, & definit quid ſit, hinc occaſione accepta, quod dixerat, Legem non juſtificare. Hoc enim audiens ratio ſtatim infert, Ergo fruſtrà Deus eam tulit. Neceſſe igitur fuit quærere, rectè definire & reſpondere, quid Lex,& quomodo intelligenda ſit, ne latius aut arctius accipiatur, quàm oporteat. Ad juſtificationem, inquit, nulla Lex ſimpliciter eſt neceſſaria. Ideo quando diſputandum eſt de juſticia, vita & ſalute æterna, omninò removenda eſt ex oculis Lex, quaſi nunquam fuerit, aut futura ſit, ſed prorſus nihil ſit. In negocio enim juſtificationis nemo ſatis poteſt è conſpectu Legem removere,& promiſſionem ſolam intueri. Ideò dixi, Legem & promiſſionem affectu longiſſimè eſſe ſeparanda, re ipſa enim ſunt conjunctiſſima.

Perfectiſſimus legis uſus.

Donec veniret Semen, cui promiſſum fuerat.

PAVLVS Legem non facit perpetuam, ſed dicit eam latam & additam Promiſſionibus propter Transgreſſiones, ſcilicet cohercendas civiliter, præcipue autem propter eas revelandas & augendas theologice,& ne hoc quidem perpetuò, ſed tantum ad tempus. Hìc noſſe oportet prædicamentum quando, Quamdiu ſcilicet durare debeat imperium ſeu tyrannis Legis, quæ revelat peccatum, oſtendit nobis quales ſimus,& aperit iram Dei. Qui ſeriò iſta ſentiunt, ſubitò perirent, ſi non acciperent conſolationem, Ideo niſi abbreviarentur dies legis, nemo ſalvus fieret. Oportet igitur præfigi modũ & tempus legi, ultra quod non dominetur.

Quamdiu imperium legis debeat durare.

Digitized by

minetur. Quamdiu ergo dominium legis durare debet? Donec veniat Semen, ſcilicet illud, de quo ſcriptum eſt, In Semine tuo benedicentur omnes gentes. Tantiſper ergo durare debet tyrannis Legis, donec plenitudo temporis, & Semen illud benedictionis veniat. Non ut ipſa lex Semen afferat, aut juſticiam donet, ſed ut civiliter coherceat & concludat tanquam in carcere indomitos, Theologice autem arguat, humiliet & perterrefaciat, & ſic humiliatos & contritos cogat aſpirare ad Semen illud benedictum.

Matth.11. Durationem temporis legis, & ad literam, & ſpiritualiter intelligere licet. Ad literam, Lex usq; ad tempus Gratiæ duravit. Lex & prophetæ (inquit Chriſtus) usq; ad Iohannem prophetaverunt. A tempore Iohannis usq; ad hunc diem, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Hoc tempore Chriſtus baptiſatus eſt, & cœpit prædicare, Vbi etiam ad literam deſiit Lex & totus ille cultus Moſaicus. *Lex ad literam deſiit tempore Chriſti, &c.*

Spiritualiter, Lex non debet diutius dominari in conſcientia, quàm ad præfinitum tempus iſtius ſeminis benedicti. Quando ergo Lex oſtendit mihi peccatum, perterrefecit me, & revelavit iram & judicium Dei, ut incipiam palleſcere, deſperare, &c. Ibi præſcriptum modum, tempus & finem habet Lex, ut deſinat ſuam tyrannidem exercere. Quia tunc ſatis fecit officio ſuo, ſatis oſtendit iram Dei & perterrefecit. Hic dicendum eſt, Deſine lex, ſatis exterruiſti & contriviſti, Omnes fluctus tui ſuper mę tranſierunt, terrores tui conturbaverunt me. *Quamdiu tempus legis durare debeat.*

Pſalm.87. Item, Ne avertas Domine faciem in ira à ſervo tuo, Ne, quæſo, in furore tuo arguas me, &c. Quando iſti pavores & querelæ veniunt, tempus & hora eſt Seminis benedicti. Cedat igitur Lex, quæ quidem addita eſt, propter transgreſſiones revelandas & augendas, ſed tantiſper tantum, donec Semen veniat, Quo præſente, deſinat lex revelare transgreſſiones & perterrefacere, tradatq; regnum alteri, Semini ſcilicet benedicto, hoc eſt, Chriſto, qui habet gratioſa labia, quibus non accuſat, terret, &c. ſed de rebus longè melioribus loquitur, quàm Lex, nempe de Gratia, pace, remiſſione peccatorum, victoria Peccati, mortis, &c. ſua morte & reſurrectione partis & donatis credentibus.

Pſalm.6.

Indicat ergo Paulus his verbis, Donec veniret Semen, cui Benedictio promiſſa eſt, quamdiu Lex durare debeat literaliter & ſpiritualiter. Ad literam deſiit, cum Semen illud benedictum, carne noſtra aſſumpta, venit in mundum, donans Spiritum ſanctum, & ſcribens novam Legem in cordibus, &c. Spiritualis autem duratio Legis non ſemel ceſſat, ſed tenaciſſime hæret in conſcientia. Ideo difficillimum eſt homini, qui theologico uſu legis exercetur, finem legis videre. In illis enim terroribus & ſenſu peccati, non poteſt mens ſpem concipere, quod Deus ſit miſericors, quod velit condonare peccata propter Chriſtum, Sed ſimpliciter judicat Deum iraſci peccatoribus, accuſare & condemnare eos. Hic niſi accedat Fides, quæ iterum erigat, aut juxta illud Chriſti, Vbi duo vel tres, &c. adſit frater, qui conſoletur verbo Dei ſic oppreſſum & contuſum Lege, deſperatio & mors ſequitur. Igitur peſſimum eſt, hominem, præſertim tentatum, ſolum eſſe. Væh ſoli, inquit Eccleſiaſtes, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Quare qui inſtituerunt monachatum ſeu ſolitariam vitam, innumerabilibus dederunt occaſionem deſperandi. Si quis ſegregaret ſe à conſortio hominum cauſa orandi unum atq; alterum diem (ut de Chriſto legimus, quod ſolus quandoq; ſeceſſerit in montem, & noctu perduraverit in oratione) nihil eſſet periculi. Sed quod coëgerunt homines ad ſolitudinem perpetuam, hoc Diaboli fuit inventum. Nam cum homo tentatur & ſolus eſt, non poteſt ſibiipſi conſulere, ne in minima quidem tentatione. *Durata legis literalis & ſpiritualis, &c.* *Terrores legis fide ſopiuntur.* *Eccleſ.4.* *Solitaria vita multis nocuit.*

Ordinata per Angelos, in manu Mediatoris.

DIGRESSIVNCVLA eſt quam Paulus non explicat neq; abſolvit, ſed tantum obiter attingit & tranſit. Mox enim redit ad inſtitutum, ibi ſcilicet, Nun-

quid lex eſt contra promiſſa Dei? Fuit autem hæc occaſio digreſſionis. Incidit ei & iſta differentia Legis & Evangelij, quod Lex addita promiſſionibus, non ſolum differat ab Evangelio tempore, ſed etiam autore ſeu cauſa efficiente. Lex enim per Angelos tradita eſt, Ebr. 2. Evangelium vero per ipſum Dominum. Quare Evangelium excellit Legem. Quia Lex eſt ſervorum vox, Evangelium Domini. Ad extenuandam igitur Legem, & amplificandum Evangelium, dicit Legem fuiſſe doctrinam breviſſimi temporis (quia duravit tantum usq; ad plenitudinem promiſſionis, hoc eſt, usq; ad benedictum illud Semen, quod promiſſionem implevit) Evangelium autem æterni. Idem enim habuerunt omnes credentes ab initio mundi, ac per illud ſalvati ſunt. Lex igitur longe inferior eſt Evangelio, quia ordinata per ſervos Angelos, & brevi tempore duravit. Evangelium per ipſum Dominum, Ebr. 1. Idemq; æternum, quia ante tempora ſecularia promiſſum, Tit. 1.

Lex data per Angelos, Evangelium per Chriſtum, Ebr. 2.

Lex brevi temporis fermo, Evangelium æterni, &c.

Ebr. 1. Tit. 1.

Deinde, Legis ſermo non ſolum per Angelos ſervos diſpoſitus fuit, ſed & per alium ſervum inferiorem Angelis, hominem ſcilicet, hoc eſt (ut hic inquit) per manum mediatoris, id eſt, Moſi. Chriſtus autem non eſt ſervus, ſed ipſe Dominus. Non eſt mediator inter Deum & hominem ſecundum Legem, ut Moſes, ſed eſt melioris Teſtamenti mediator. Lex ergo per Angelos ut ſervos ordinata fuit. Quia in monte Sina audivit Moſes & populus loquentem Deum, hoc eſt, Angelos in perſona Dei loquentes. Hinc Stephanus cap. 7. Actor. inquit, Vos accepiſtis Legem per diſpenſationem Angelorum, hoc eſt, per diſponentes & tradentes Angelos, & non ſervaſtis. Item textus Exod. 3. clare dicit, quod Angelus apparuerit Moſi in flamma ignis, & ei locutus ſit è medio rubi. Vbi latinus textus depravatus eſt. Non enim habet vocabulum Angeli, ſed Domini. Atq; is locus propter inſcitiam Ebrææ linguæ, peperit diſputationem, Num Dominus ipſe Moſi locutus ſit, an Angelus?

Chriſtus non eſt mediator ſecundum legem, ut Moſes.

Exod. 19. 20.

Act. 7.

Exod. 3.

Significat ergo Paulus, Chriſtum longe melioris Teſtamenti mediatorem eſſe, quam Moſen. Et alludit hic ad hiſtoriam in Exodo de promulgatione legis, quæ dicit, Moſen eduxiſſe populum è papilionibus in occurſum Dei, & collocaſſe ad radices montis Sinai. Ibi triſtis & horribilis aſpectus erat, totus mons ardebat, &c. Vbi hoc vidit populus, cœpit tremere, Putabat enim ſe in iſta grandi tempeſtate ſubito periturum. Quia ergo ferre non poterat Legem horribiliter ſonantem de monte Sinai, (Terrifica enim illa vox Legis occidiſſet populum) Ideo dicebat ad Moſen mediatorem, Accede tu, & audi quid loquatur Dominus, Tu vero nobis loquere, &c. Et ipſe, Ego, inquit, ſequeſter & mediator fui inter Deum & vos, &c. Ex his ſatis liquet, Moſen conſtitutum fuiſſe mediatorem inter populum & Legem loquentem.

Exod. 19. 20.

Moſes mediator, &c.

Vult ergo Paulus ex hac hiſtoria tecte ſignificare, quod impoſſibile ſit per Legem contingere juſticiam, q. d. Quomodo Lex poſſet juſtificare, cum totus populus Iſraëliticus, ſanctificatus, &c. item ipſe Moſes mediator inter Deum & populum, ad vocem legis, ut Epiſtola ad Ebræos ait, exterritus ſit ac tremuerit? Hic nihil fuit quam terror & tremor. Cujuſmodi vero eſt hæc juſtitia & ſanctitas, non poſſe ferre, imo non poſſe nec velle audire Legem, ſed fugere & odiſſe eam, & ita odiſſe, ut nihil magis in mundo oderis? Vt hiſtoria clariſſime teſtatur, Populum ipſa hora, qua audiebat Legem, nihil magis exoſum habuiſſe quam Legem, mortemq; potius optaſſe, quam audire Legem. Sic revelato peccato per radios, quos Lex in cor ſpargit, nihil eſt homini odioſius & intolerabilius Lege. Ibi tum mortem potius eligeret, quam quod perferre cogeretur vel breviſſimum tempus iſtos terrores legis, Quod certiſſimum ſignum eſt, Legem non juſtificare. Nam ſi juſtificaret, certe homines amarent eam, delectarentur ea, & voluntate non averſa, ſed converſa amplecterentur. Sed ubi eſt illa voluntas? Nuſquam, Nec in Moſe, nec in toto populo, quia omnes conterriti & tremebundi fugerunt. Quod autem quis fugit, hoc non amat, ſed averſatur, non delectatur eo, ſed maxime exoſum habet.

Lex perterrefacit, ergo non juſtificat.

Ebr. 12.

Nihil intolerabilius homini, quam lex.

Ad vocem legis totus populus Iſrael fugit, ergo non juſtificat.

Quare

Quare iſta fuga indicat infinitum odium cordis humani contra Legem, & per conſequens contra ipſum Deum legis autorem. Et ſi aliud argumentum non eſſet, quod convinceret, juſticiam per legem non contingere, ſatis eſſet hæc unica hiſtoria, quam Paulus indicat breviſſime his verbis, In manu mediatoris, q.d. Non meminiſtis quod patres veſtri uſque adeo non potuerint audire Legem, ut opus habuerint mediatore Moſe? Et eo jam conſtituto, tantum abſuit quod amaverint Legem, ut etiam horribili fuga una cum mediatore (ut Epiſt. ad Ebræ. teſtatur) eam deteſtati ſint, & ſi potuiſſent, per ferreum montem regreſſi fuiſſent in Ægyptum. Sed concluſi erant, ut nulla parte evadere poſſent. Ideo clamant ad Moſen, Loquere tu nobis. Si enim ultra audierimus vocem Domini Dei noſtri, moriemur. Si igitur Legem non poſſunt audire, quo modo quæſo eam facerent?

Officium per legem non contingere teſtatur hiſtoria promulgata legis.

Ebræ. 12.

Quare ſi Legis populus coactus fuit neceſſario habere Mediatorem, Sequitur inevitabili conſequentia, quod Lex eos non juſtificavit. Quid ergo fecit? Hoc quod Paulus dicit, Lex addita eſt ut abundaret delictum. Erat igitur Lex, lux & ſol, ſpargens radios in corda filiorum Iſraël, quibus pavefecit eos, & incuſſit eis tantam iram & metum Dei, ut averſarentur Legem & autorem ipſius, quod graviſſimum peccatum eſt. Tales tu ſcilicet diceres eſſe juſtos? Certe non. Iuſti enim ſunt qui audiunt, & bona voluntate amplectuntur legem, & delectantur ea. Sed hiſtoria promulgatæ legis teſtatur, omnes homines in toto mundo, quamlibet ſanctos (præſertim cum hi, qui mundati & ſanctificati erant, non potuerunt Legem audire) averſari, horrere & fugere Legem, & cupere eam non eſſe. Ergo impoſſibile eſt per eã juſtificari homines, ſed omnino contrarium effectum habet.

Rom. 5.

Licet, ut dixi, Paulus hunc locum obiter tantum attingat, non expendat nec abſolvat, Tamen diligens & attentus lector ſine negotio intelligit eum recte loqui de utroque mediatore, Moſe & Chriſto, & eos inter ſe conferre, ut paulo poſt indicabimus. Si pluribus voluiſſet hanc rem perſequi & urgere, ille unicus locus ſuppeditaſſet ei copioſum argumentum ſcribendi novam Epiſtolam. Hiſtoria autem Exod. 19. 20. de promulgatione legis, ſuppeditaret materiam ſcribendi magnum librum, ſi tantum obiter ſine affectu legeretur, Quanquam videatur valde frigida iis, qui verum legis officium & uſum ignorant, ſi ea cum aliis hiſtoriis ſacris conferatur.

Mediator Moſes & Chriſtus.

Exod. 19. 20.

Ex his manifeſtum eſt, quod totus mundus, ſi aſtitiſſet ad montem Sinai, ut populus Iſraëliticus, exhorruiſſet ac fugiſſet Legem. Ergo totus mundus inimicus eſt Legis, & infenſiſſime odit eam. Lex autem ſancta, juſta ac bona eſt, & rectitudo divinæ voluntatis, Quomodo igitur poteſt eſſe juſtus, qui non ſolum deteſtatur ac fugit Legem, ſed inſuper inimicus Dei eſt, qui eſt autor legis? Neq; caro aliter poteſt facere, ut Paulus teſtatur Rom. 8. Senſus carnis inimicitia eſt adverſus Deum. Legi enim Dei non eſt ſubditus, ac ne poteſt quidem ſubjici. Ideo extrema dementia eſt, ſic odio habere Deum & Legem ipſius, ut ne eam quidem audire poſſis, & tamen affirmare, nos ea juſtificari.

Totus mundus odit legem Dei.

Caro odit legem Dei, ergo non juſtificat.

Itaq; Sophiſtæ cæci ſunt, & plane de hac diſputatione nihil intelligunt. Intuentur tantum externam Legis larvam, putantes ei civilibus moribus ſatisfieri, Eosq; coram Deo juſtos eſſe, qui externe eam faciunt, non conſiderantes verum & ſpiritualem ejus effectum, qui non eſt juſtificare & pacificare conſcientias, ſed augere peccatum, perterrefacere & iram operari. Cum hoc ignorent, concludunt hominem habere bonam voluntatem & rectam rationem ad legem Dei. Sed num hoc verum ſit, conſule populum Legis cum ſuo mediatore, qui audierunt vocem legis in monte Sina. Conſule ipſum Dauidem, qui quoties in Pſalmis conqueritur ſe projectum eſſe à facie Dei, ſe agere in inferno, ſe exterritum magnitudine peccati ſui, ira & judicio Dei, Non opponit ſacrificia, non Legem ipſam, iſtis invictis tyrannis, ſed erigitur ſola gratuita miſericordia Dei. Ergo lex non juſtificat.

Sophiſtæ imaginantur legi ſatisfieri externis operibus. Legis verus uſus.

David quomodo ſe geſſerit in tentatione.

Lex non blandiri rationi, ideo odit eam.

Si meis affectibus inſerviret Lex, hoc eſt, ſi hypocriſin & gloriam meam, Si opinionem & fiduciam juſticiæ propriæ, comprobaret, Si concederet, quod ſine miſericordia Dei & fide in Chriſtum, ſola ſua ipſius ope (ut totus mundus naturaliter de lege judicat) coram Deo juſtificari poſſem, Item ſi diceret Deum flecti & vinci operibus, & obligari facientibus ea mercedem reddere, ut ſic nullo Deo indigens, mihi ipſi Deus eſſe poſſem, qui meis operibus gratiam mereri, & excluſo ſalvatore Chriſto, meipſum meritis meis ſalvare poſſem, Si, inquam, mihi ita inſerviret lex, Tum eſſet jucunda, ſuavis & grata. Adeò egregie poteſt ſibi blandiri ratio. Sed hoc tantiſper tantum duraret, donec perveniret Lex ad proprium uſum & officium ſuum, ibi tum appareret, quod ratio illos legis radios perferre non poſſet. Ibi oporteret Moſen aliquem accedere, & fieri Mediatorem, & tamen ſine aliquo fructu, ut paulo poſt dicam.

Locus Pauli de velata facie Moſi, 2. Cor. 3. explicatus.

Huc pertinet locus 2. Cor. 3. de velata facie Moſi, ubi Paulus ex hiſtoria Exod. 34. indicat, filios Iſraël non ſolum ignoraſſe, ſed etiam non potuiſſe ferre verum & theologicum uſum Legis. Primum, quia non potuerunt intendere in finem Legis, inquit Paulus, propter velamen, quod Moſes poſuerat in facie ſua. Deinde non potuerunt intueri in faciem nudatam Moſi, propter gloriam vultus ipſius. Moſes enim locuturus cum ipſis, operiebat faciem velamine, ſine quo ſermonem ejus ferre non potuerunt, hoc eſt, ne quidem Moſen mediatorem ſuum audire potuerunt, niſi is alium adhuc Mediatorem adhiberet, ſcilicet velamen. Quo modo igitur Dei aut Angeli vocem audirent, cum Moſi hominis, & quidem Mediatoris ipſorum, vocem audire non potuerint, niſi velata facie? Niſi ergo veniat benedictum Semen, erigat & conſoletur eum, qui audivit Legem, tum certo per deſperationem perit in deteſtatione Legis, odio & blaſphemia Dei, & indies prævaricabitur pejus contra Deum, Quia quo profundius hæret & longius durat pavor & confuſio conſcientiæ, quam Lex parit, hoc magis creſcit odium & blaſphemia Dei.

Fides in Chriſtum expellit terrores legis.

Liberi arbitrij vis.

Præterea docet iſta hiſtoria, quæ ſit vis liberi arbitrij, Populus exterritus eſt & tremit, Vbi hic liberum arbitrium, ubi bona voluntas & recta ratio eſt? Quid hic in purificatis & ſanctis liberum arbitrium valet? Nihil habet conſilij, obſcurat rationem, & avertit bonam voluntatem, non acceptat, non ſalutat, non cum gaudio amplectitur venientem Dominum cum tonitru, fulgure & igne in montem Sinai. Non poteſt audire vocem Domini, ſed contrà dicit, Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Videmus ergo quæ ſit vis liberi arbitrij in filiis Iſraël, qui ne ſanctificati quidem volunt nec poſſunt unam ſyllabam aut literam Legis audire. Igitur meræ nugæ ſunt illæ commendationes liberi arbitrij, &c.

Mediator autem unius non eſt.

Mediatoris vox includit duos.

HIC obiter quidem & mira brevitate iſtos duos Mediatores confert, ſic tamen, ut ſatisfaciat attento lectori, qui ſtatim intelligit eum (cum Mediatoris vocabulum generale ſit) in genere loqui de Mediatore, non tantum de Moſe. Mediator, inquit, non eſt unius tantum Mediator, ſed illa vox neceſſario includit duos, nempe offenſum & offendentem, quorum alter indiget interceſſione, alter non. Quare Mediator non eſt unius, ſed duorum, & duorum inter ſe diſcordantium. Sic Moſes generali definitione eſt Mediator, Quia Mediatorem agit inter Legem & populum, qui non poteſt ferre theologicum uſum legis. Oportet igitur novam Legis faciem parari, & vocem ejus mutari, Hoc eſt, oportet theologicam vocem Legis, vel vivam Legem in affectu, induere larvam, & fieri tolerabilem & audibilem per vocem humanam Moſi.

Moſes mediator inter legem & populum.

Lex velata non perterrefacit, &c.

Lex autem ſic larvata non loquitur amplius in ſua majeſtate, ſed per os Moſi. Hoc modo amplius non facit officium ſuum, id eſt, non incutit terrorem conſcientiis. Ideoq; homines tunc eam prorſus non intelligunt, ſed redduntur tantum

tantum per eam ſecuri, ſtertentes & præſumptuoſi hypocritæ. Et tamen alterutrum fieri oportet, ſcilicet quod Lex ſit vel extra uſum ſuum cum Velo, ſed tunc, ut dixi, facit hypocritas, Vel quod ſit in uſu ſuo ſine velo, tunc occidit. Quia cor humanum legem in vero ſuo uſu ſine Velo ferre non poteſt. Oportet igitur te, ſi ſine velo in finem Legis intendis, aut fide apprehendere benedictum Semen (hoc eſt, oportet te ultra finem legis, in Chriſtum, qui eſt plenitudo legis, intueri, qui dicat, Lex ſatis terruit te, Confide fili, remittuntur tibi peccata, de quo paulo poſt plura dicam) aut certe oportet te Moſen habere Mediatorem cum ſuo velo. *Lex ſine velo ipſa occidit.*

Hinc eſt quod Paulus generali ſententia dicit, Mediator unius non eſt. Fieri enim non potuit, ut Moſes eſſet Mediator ſolius Dei, quia Deus non indiget mediatore. Nec eſt ſolius populi Mediator, ſed inter Deum & populum, cui non conveniebat cum Deo, agit mediatorem. Eſt enim officium Mediatoris, placare partem offenſam cum parte offendente. Ejuſmodi tamen, ut dixi, Moſes Mediator eſt, qui legis vocem tantum mutat, & auditu tolerabilem facit, non vim faciendæ legis præſtat. In ſumma, Mediator eſt velaminis, ideo vim legis non dat, niſi in velamine. Quare neceſſe eſt diſcipulos ejus, quatenus eſt Mediator velaminis, manere hypocritas. *Mediatoris officium. Moſes Mediator velaminis. Diſcipuli Moſ.*

Sed quid putas, futurum fuiſſet, ſi Lex data eſſet ſine Moſe, vel ante aut poſt Moſen, & nullus ibi fuiſſet Mediator, nec populus tamen fugere nec Mediatorem habere debuiſſet? Hic aut populus nimio terrore percuſſus ſubito expiraſſet, Aut ſi ſalvus debuiſſet manere, oportuiſſet venire aliquem alium Mediatorem, qui hoc modo intercedere debuiſſet inter Legem & populum, ut manente populo incolumi, Lex etiam in ſua virtute manſiſſet, & populo cum Lege conveniſſet. Accedit quidem Moſes interim, & fit Mediator, facit larvam, & affert Velum, ſed terrorem erga Legem non poteſt conſcientiis eximere. Ideo ablato Moſe & velo ipſius, cum ſentit homo in morte aut certamine conſcientiæ, iram ac judicium Dei propter peccatum, quod Lex revelat & auget, Hic, ut non deſperet, oportet Mediator aliquis veniat, qui dicat, Tu peccator manebis, hoc eſt, non morieris, etiam lege & ira ejus manente. *Alio mediatore opus eſt perterrefacto lege quam Moſe.*

Is Mediator eſt Ieſus Chriſtus, qui non mutat, ut Moſes, vocem Legis, non obſcurat eam velo, neq; ducit me extra conſpectum legis, Sed opponit ſe iræ Legis, & tollit eam, & ſatisfacit legi in ſuo corpore per ſemetipſum. Et poſt per Evangelium dicit ad me, Lex quidem minatur tibi iram Dei & mortem æternam, ſed noli perterrefieri & fugere, imo conſiſte, Ego ſuppleo vices tuas, & pro te legi ſatisfacio. Is longe alius eſt Mediator quam Moſes, qui inter Deum iratum & peccatorem intercedit. Hic Moſi interceſſio nihil prodeſt, Iam enim evanuit, & officium cum ſuo velamine fecit. Ibi vero ſimpliciter peccator deſperatus, aut homo moribundus, & offenſus ac iratus Deus concurrunt. Ideo oportet alius Mediator quam Moſes veniat, qui legi ſatisfaciat, iram ejus tollat, & illum peccatorem perditum & reum æternæ mortis irato Deo reconciliet. *Chriſtus adducit legi velum, ſed eam tollit, Ideo longe alius eſt mediator quam Moſes.*

Hunc Mediatorem obiter attingit Paulus, cum inquit, Mediator unius non eſt. Quia mediatoris nomen proprie ſignificat eum qui Mediatorem agit inter offenſum & offendentem. Nos ſumus offendentes, Deus cum lege ſua eſt offenſus, Et offenſio talis eſt, ut Deus eam non poſſit remittere, nec nos poſſimus pro ea ſatisfacere. Ideo inter Deum, qui per ſe unus eſt, & nos, maximum eſt diſſidium. Præterea non poteſt Deus revocare Legem ſuam, ſed vult ſervari eam. Neq; nos, qui transgreſſi ſumus legem Dei, à conſpectu Dei fugere poſſumus. Ibi ergo interpoſuit Chriſtus ſeſe Mediatorem inter duos diverſiſſimos, & infinita ac æterna ſeparatione disjunctiſſimos, & illos conciliavit, &c. Quo modo? Delevit, ut Paulus alibi inquit, quod adverſus nos erat Chirographum, quod per decreta, id eſt, legem, adverſabatur nobis, & ſuſtulit illud è medio, affixũ cruci, expoliatosq; principatus ac poteſtates oſtentavit palam, triumphans de illis per ſemetipſum. Ideo non eſt unius Mediator, ſed duorum maxime inter ſe diſcordantium. Eſt & *Mediator inter offendentem & offenſum. Chriſtus mediator inter Deum & peccatores, longe diverſiſſimos, &c.*

Homo non potest audire legem, ergo non facit eam.

hic locus potens & efficax ad confutandam juſticiam Legis,& ad erudiendos nos, quod in cauſa Iuſtificationis longiſſime removenda ſit lex. Item ipſa vox,Mediator,ſatis firmum etiam præbet argumentum, quod Lex non juſtificet, alioqui quid opus eſſet mediatore? Cum igitur natura humana non poſſit audire Legem, manifeſtum eſt,quod multo minus poſſit eam facere atq; cum lege convenire,Ergo lex non juſtificat.

Vera doctrina de lege.

Hæc, ut ſæpe & fere ad faſtidium usq; inculco, vera eſt doctrina de lege, quam quiſque Chriſtianus ſumma diligentia conetur diſcere, ut ſciat diſerte ac proprie definire, Quid lex, quis uſus ac modus,quæ vis, quod tempus & finis ejus ſit. Quod ſcilicet omnino contrarium effectum habeat, quàm omnes homines putant, quibus à natura hæc perniciosiſſima opinio de lege inſita eſt, quod ſentiunt eam juſtificare. Ideo timeo quod iſta doctrina, nobis extinctis, iterum obſcurabitur. Oportet enim mundum repleri horribilibus tenebris ac erroribus ante noviſſimum diem. Qui igitur poteſt capere, capiat, quod lex in Chriſtiana theologia & ſua vera deſcriptione non juſtificet, ſed omnino contrarium effectum habeat. Oſtendit enim nos nobis, Deum iratum exhibet, iram aperit, perterrefacit nos & non ſolum revelat, ſed etiam abundare facit peccatum, ut ubi prius peccatum erat parvum, per legem illuminantem fiat magnum, ut homo incipiat odiſſe & fugere legem, & perfecto odio horrere Deum, legis conditorem. Hoc certe non eſt juſtum eſſe per legem, id quod ipſa ratio etiam fateri cogitur, ſed dupliciter peccare in Legem. Primum,non ſolum averſam à Lege habere voluntatem, ut non poſſis eam audire, ſed contra eam facere, Imo deinde etiam ſic odiſſe, ut cuperes eam abolitam una cum Deo, ejus autore, qui eſt ſumme bonus.

Legis officium proprium.

Lex Dei bona & ſancta, & tamen natura humana intolerabilis.

Quæ autem major poteſt eſſe blaſphemia, quod horribilius peccatum, quam odiſſe Deum,averſari & non poſſe audire ejus Legem, quæ tamen ſumme bona ac ſancta eſt? Hiſtoria enim clare teſtatur,quod populus Iſraël optimam legem, ſanctiſſimas & in ſua natura jucundiſſimas voces, (ſcilicet, Ego ſum Dominus Deus tuus,qui eduxit te,&c. Non habebis Deos alienos, Faciens miſericordiam in millia,&c. Honora patrem,&c. ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram,&c.) recuſaverit audire, quodque opus habuerit mediatore. Hanc ſummam,perfectiſſimam ac divinam ſapientiam, & pulcherrimam,optimam ac ſuaviſſimam doctrinam ferre non poſſunt. Non loquatur(inquiunt)nobis Dominus,ne moriamur,Tu loquere,&c. Mira profecto, mira res eſt, non poſſe audire ſummum ac ſuaviſſimum bonum tuum, ſcilicet, quod habeas Deum,& eum miſericordem,qui velit tecum miſericordiam facere in multa millia,&c. Non poſſe audire defenſionem tui,Non occidas,Non mœchaberis,Non furtum facias. His enim verbis Deus vitam, uxorem & res tuas, ceu muro quodam cingit & munit contra omnem vim & inſultum malorum,&c.

Lex continet ſanctiſſimam doctrinam, & tamen homines non poſſunt eam audire.

Lex igitur nihil poteſt, niſi quod ſua luce illuminat conſcientiam ad peccatum,mortem,judicium,odium & iram Dei. Ante Legem ſecurus ſum,non ſentio peccatum, Veniente autem lege, oſtenditur mihi Peccatum, mors, infernus. Hoc certe non eſt juſtificari, ſed reum fieri, conſtitui inimicum Dei,damnari ad mortem & inferos. Eſt ergo præcipuus Legis finis in theologia, quod homines non meliores,ſed deteriores facit,hoc eſt, oſtendit eis peccatum, ut agnitione peccati humilientur, perterrefiant & conterantur, & ſic ad gratiam & benedictum Semen adſpirent.Hæc ſumma eſt argumenti,quod Paulus ex vocabulo Mediatoris per digreſſionem ſumpſit.

Lex deteriores facit homines.

Deus autem unus eſt.

DEVS neminem offendit,Ergo non indiget ullo mediatore. Nos vero Deum offendimus,Ideo opus habemus mediatore, Non Moſe illo, ſed Chriſto, qui meliora pro nobis loquitur,&c. Hactenus digreſſio, jam redit ad inſtitutum.

Num

Num igitur Lex adverſus promiſſa Dei.

SUPRA dixit Paulus Legem non juſtificare, Ergo tollamus eam. Non, Habet enim & ipſa ſuam utilitatem. Quam? Adducit homines in cognitionem ſui, oſtendit & auget peccatum, &c. Hic ſtatim oritur alia quæſtio. Si Lex homines reddit tantum pejores, oſtenſo eis peccato, Ergo pugnat contra promiſſa Dei, videturq; Deus lege tantum irritari & offendi, ut non ſervet neq; præſtet promiſſa? Nos Iudæi contrarium cogitavimus, Nempe nos cuſtodiri & arceri per Legem in externa illa diſciplina, ut Deus ea motus acceleraret exhibitionem promiſſionis, utq; illa diſciplina mereremur promiſſionem. Paulus reſpondet, Non, Imo contra, ſi Legem ſpectes, magis impeditur promiſſio. Ratio enim humana offendit Deum promittentem, dum non vult audire ipſius Legem bonam ac ſanctam. Dicit enim, Non loquatur nobis Dominus, &c. Num igitur Deus illis promiſſa ſua ſervaret, qui Legem & diſciplinam ejus non ſolum non ſuſcipiunt, ſed etiam ex animo oderunt ac fugiunt? Hic ergo, ut dixi, oritur ſtatim illa quæſtio, Ergo Lex videtur impedire promiſſa Dei? Illam quæſtionem etiam obiter Paulus attingit & tranſit, Breviter tamen ad eam reſpondet, dicens:

Iudæorum de lege judicium & omnium hominum.

Ratio non poteſt audire legem Dei bonam, &c.

Abſit.

QUARE hoc? Primum, Quia Deus non promiſit, motus noſtra dignitate, meritis aut bonis operibus, Sed promiſit ex mera ſua inexhauſta & æterna bonitate & miſericordia. Non dicit ad Abraham, Quia tu ſervaſti Legem, Ideo in te benedicentur omnes Gentes, Sed ad eum incircumciſum, non habentem legem, Joſua 24. & idolatram adhuc (ut Joſuæ 24. ſcribitur) dicit, Egredere de terra tua, &c. Ero protector tuus, &c. Item, In Semine tuo, &c. Hæ prorſus abſolutæ ſunt promiſſiones, quas Deus gratuito Abrahæ promittit, ſine ulla conditione & reſpectu operum aut meritorum præcedentium vel ſequentium.

Deus promiſit non motus noſtra dignitate, &c.

Abſolutæ promiſſiones.

Hoc maxime contra Iudæos eſt, qui putant divinas promiſſiones impediri propter peccata ſua. Deus, inquit Paulus, non differt promiſſiones ſuas propter peccata noſtra, nec accelerat propter juſticias & merita noſtra, neutrum ſpectat. Quare etiamſi per Legem pejores reddamur & plus oderimus Deum, tamen propter hoc Deus non movetur ad differendam promiſſionem. Ea enim non nititur noſtra dignitate & juſticia, ſed ſua bonitate & miſericordia. Ideo merum figmentum eſt, cum Iudæi dicunt, Meſſias non venit, Quia peccata noſtra remorantur adventum ipſius. Quaſi vero Deus propter peccata noſtra fiat injuſtus, aut propter noſtrum mendacium mendax. Ipſe ſemper juſtus & verax manet, ſive peccatores ſive juſti ſimus. Ergo ſua veritas ſola eſt cauſa Promiſſionis ſervandæ & præſtandæ.

Promiſſiones Dei non impediuntur noſtris peccatis.

Figmentum Iudæorum.

Deinde quanquam Lex revelet & augeat peccatum, Tamen non eſt contra promiſſa Dei, imo magis pro illis eſt. Ipſa enim in vero & perfecto opere & fine ſuo humiliat & præparat hominem (modo recte utatur lege) ut ſuſpiret & quærat Gratiam. Homo enim, cum oſtenditur & augetur per Legem peccatum, tum primum vere videt impietatem & inimicitiam humani cordis adverſus Legem & Deum legis autorem. Ibi ſerio ſentit, ſe non ſolum non amare, ſed odiſſe & blaſphemare Deum optimum cum ſua ſanctiſſima lege. Hic fateri cogitur, nihil prorſus boni in ſe eſſe, Sicq; contritus ac humiliatus lege, agnoſcit ſe vere miſerum & damnatum eſſe. Lex ergo cum cogit hoc modo agnoſcere malitiam, & ex animo peccatum confiteri, ſuum officium fecit, & tempus ejus completum eſt, Tempusq; gratiæ adeſt, ut veniat benedictum Semen, quod conterritum & contuſum lege iterum erigat ac conſoletur Evangelio.

Lex non eſt contra promiſſa Dei.

Officium & tempus legis.

Hac ergo ratione Lex non eſt contra promiſſa Dei, Quia primum, promiſſio nititur non Lege, ſed veritate Dei. Secundo, Lex in ſuo optimo & maximo uſu humiliat, & humiliando facit gementes, ſuſpirantes & quærentes manum Pſal. 109. mediatoris, cujus gratiam & miſericordiam valde ſuavem facit (ut Pſ. 109.) Suavis eſt miſe-

Lex contrita corda facit ſitire Chriſtum.

Digitized by Google

eſt miſericordia tua) ac donum ejus precioſum & inenarrabile, Atq; ſic nos Chriſti capaces reddit. Dulcia enim non meminit, qui non guſtavit amara. Fames optimus cocus eſt. Vt ergo terra arida pluviam ſitit, Sic lex perturbata corda facit ſitire Chriſtum. His Chriſtus dulciſſime ſapit, iis eſt Gaudium, ſolatium & vita. Ibi tum primum recte cognoſcitur Chriſtus & ejus beneficium. Ille ergo uſus Legis optimus eſt, eatenus ſcilicet ea poſſe uti, quatenus humiliat & facit ſitire Chriſtum. Ipſemet requirit ſitientes animas, quas blandiſſime ad ſe allicit, cum dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Libenter ergo potat & irrigat iſtas aridas terras. Non profundit aquas ſuas in terram impinguatam, incraſſatam & non ſitientem. Bona ſua inęſtimabilia ſunt, Ideo tantum indigentibus largitur ea, Pauperibus evangeliſat, ſitientes potat, Si quis ſitit (inquit Ioh. 7.) veniat ad me, &c. contritos corde ſanat, &c. Hoc eſt, vexatos & tribulatos lege conſolatur ac ſalvat. Igitur Lex non eſt contra promiſſa Dei.

Chriſtus ſua dona quibus largiatur.

Ioham. 7. Pſal. 146.

Si enim data eſſet Lex, quæ poſſet vivificare, vere ex Lege eſſet juſticia, &c.

PAVLVS ſignificat his verbis, nullam ſimpliciter Legem poſſe vivificare, ſed tantum occidere. Ergo mea opera, quæ non ſolum juxta Leges Papæ ſeu traditiones humanas, ſed etiam legem Dei facio, non juſtificant me coram Deo, Sed peccatorem conſtituunt, non placant iram Dei, ſed irritant, Non conſequuntur juſticiam, ſed tollunt eam, Non vivificant, ſed mortificant me. Itaq; cum dicit, Si lex data eſſet, &c. clariſſimis verbis docet, ne Legem quidem Divinam vivificare, ſed plane contrarium effectum habere.

Lex non vivificat, ſed occidit.

Hæc verba Pauli, quanquam ſint ſatis perſpicua, tamen Papiſtis ſunt penitus obſcura & ignota. Nam ſi ea intelligerent, non ita jactarent liberum arbitrium, vires humanas, obſervationem Conſiliorum, opera ſupererogationis, &c. Sed ne videantur palam impij & gentiles, qui verba Apoſtoli Chriſti impudenter negent, hac peſtilentiſſima gloſſa perpetuo eludunt hujuſmodi locos Pauli de lege, oſtendente peccatum & iram operante, hoc eſt, de Decalogo, Paulum loqui de lege ceremoniarum, non de lege morali. Sed Paulus proprie & diſerte loquitur, cum inquit, Si data eſſet lex, &c. nullam prorſus legem excipiens. Ideo gloſſa Sophiſtarum nihil valet. Nam leges ceremoniarum æque à Deo præceptæ, & tam rigide ſervatæ fuerunt ac morum. Circumciſionem non minus religioſe Iudæi obſervarunt, quam Sabbatum. Ideo de tota lege loquitur Apoſtolus.

Clariſſima verba Pauli Papiſtis ſunt obſcura, &c.

Sophiſta Pauli ſententias impie gloſſis depravant.

Cantantur & leguntur iſta Pauli verba in Papatu, in omnibus templis, & tamen contrarium docetur & vivitur. Paulus ſimpliciter dicit, nullam legem eſſe datam ad vivificandum. Contra Sophiſtæ plane contrarium docent, & ſtatuunt, multas & infinitas leges datas eſſe ad vivificandum. Quanquam hoc manifeſtis verbis non dicant, Tamen re vera ita ſentiunt, Hocq; ſatis clare teſtatur Monachatus, Teſtantur infinitæ leges humanæ, traditiones & ceremoniæ, Teſtantur opera & merita congrui & condigni, & innumerabiles alij impij cultus, per ipſos inſtituti, quos ſolos prædicaverunt, oppreſſo Evangelio, certo pollicentes Gratiam, remiſſionem peccatorum & vitam æternam illos conſecuturos eſſe, qui tales cultus obſervarent. Quæ dico, negari non poſſunt. Extant enim adhuc libri eorum certiſſimi hujus rei teſtes.

Paulus docet nullam legem datam ad vivificandum, Papa contrarium docet, &c.

Nos contra cum Paulo ſtatuimus, nullam prorſus legem, ſive ſit humana ſive divina, juſtificare & vivificare. Ideoq; diſcernimus Legem tam longe a juſticia, quam mortem à vita, infernum à cœlo. Et ut hoc ſtatuamus, movet nos ille clarus Pauli locus, Lex non eſt data ad juſtificandum, vivificandum & ſalvandum, ſed ſimpliciter ad damnandum, occidendum & perdendum, contra opinionem omnium hominum, qui naturaliter judicant, legem datam eſſe ad juſticiam, vitam & ſalutem conſequendam. Hoc proprium diſcrimen officiorum Legis & Evangelij conſervat in vero uſu univerſam ſynceram Theologiam. Item, conſtituit credentes ſuper omnia vitæ genera, ſuper omnes omnium hominum leges & dogma-

Iudicium hominum de lege.

Ad quid proſit tenere legis & Evangelij diſcrimen, &c.

& dogmata judices, Deniq; facultatem ſuppeditat probandi omnes ſpiritus. Contra Papiſtæ, qui doctrinam Legis & Evangelij prorſus commiſcuerunt & confuderunt, ideo nihil certi tradere potuerunt nec de fide, nec de operibus, nec de vitæ generibus, nec de diſcretione ſpirituum. Hoc idem accidit hodie fanaticis ſpiritibus, &c.

Poſt iſtas ergo confutationes & argumentationes ſatis prolixe & pulchre docet Paulus, Legem nihil aliud eſſe, ſi verum & optimum ejus uſum perſpexeris, quam Pædagogian quandam ad juſticiam. Humiliat enim homines, & capaces juſticiæ Chriſti reddit, cum ſuum proprium officium facit, id eſt, cum eos reos agit, terret, redigit in cognitionem Peccati, iræ, mortis, inferni. Hoc enim facto, perit opinio juſticiæ & ſanctitatis propriæ, & incipit dulceſcere Chriſtus cum ſuis beneficiis. Quare lex non eſt contra promiſſa Dei, ſed potius pro illis. Non implet quidem promiſſionem, neq; affert juſticiam, tamen ſuo officio & uſu humiliat nos, atq; ita reddit ſitientes & capaces Gratiæ & beneficij Chriſti. Si ergo, inquit, data fuiſſet aliqua Lex, quæ poſſet afferre juſticiam, & propter eam, vitam, cum nemo poſſit conſequi vitam, niſi prius ſit juſtus. Tum vere ex lege eſſet juſticia. Item, ſi eſſet aliquod vitę genus, opus, ordo ſeu religio, quæ poſſet conſequi remiſſionem peccatorum, juſticiam & vitam, Tum vere juſtificarent & vivificarent iſta, ſed hoc eſt impoſſibile. Quia

Legis officium & uſus, &c.

Scriptura concluſit omnia ſub peccatum.

VBI? Primum in ipſis promiſſionibus de Chriſto, ut Gen. 3. Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Et Gen. 22. In ſemine tuo, &c. Vbicunq; igitur eſt promiſſio in ſcripturis de Chriſto, Patribus facta, Ibi promittitur Benedictio, hoc eſt, Iuſticia, ſalus & vita æterna. Ergo per contrarium oſtenditur eis, qui benedicendi ſunt, ſubjectos eſſe Maledictioni, hoc eſt, Peccato & æternæ morti, alioqui quid opus eſſet promittere benedictionem?

Gen. 3. Gen. 22.

Scriptura concludit omnia ſub peccatum. 1. Per promiſſionem.

Deinde ſcriptura præcipue per ipſam Legem concludit homines ſub peccatum & maledictum, ut cujus proprium officium eſt revelare peccatum, operari iram, &c. Id quod per totam Epiſtolam oſtendimus, præcipue tamen ex hac ſententia Pauli, Quotquot ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Item ex ea, quam citavit Paulus ex 27. cap. Deut. Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, &c. Hæc ſententiæ apertis verbis concludunt, & ſubjiciunt peccato, & maledicto, [illegible] manifeſte peccantes contra legem, aut eam exercne non facientes [illegible]tiam, qui ſub lege ſunt, & ſumma vi conantur legem facere, quales fuc[illegible]ei, ut ſupra dixi. Multo magis idem locus concludit ſub peccato omnes M[illegible]chos, eremitas, car[illegible]huſianos cum ſuis ſanctiſſimis, ut ſomniant (Nugantur enim, ſi moriatur aliquis [illegible]o promiſſionis recens facto, ſubito ſub volare eum in cœlum) profeſſionibus & religionibus. Quia hic audis clariſſime, ſcripturam ſimpliciter omnia ſub peccatum concludere. Ergo neq; votum, neq; ſumma religio Carthuſiani eſt juſticia, ſed omnia damnata ſunt. Per quid? Per ſcripturam. Quam? Primum per promiſſionem hanc, Semen mulieris, &c. In te benedicentur, &c. & ſimiles. Deinde per totam Legem, cujus propriiſſimum officium eſt, peccato ſubjicere, &c. Ergo nulli Monachi, nulli Carthuſiani, nulli Celeſtini conterunt caput ſerpentis, ſed manent contriti ſub capite ſerpentis, hoc eſt, ſub poteſtate Diaboli. Quis hoc ſatis edit?

Deut. 27.

Maledictus omnis qui non permanſerit, &c.

2. Per legem.

Officium legis.

Summa, quicquid extra Chriſtum & promiſſionem eſt, nullo excepto, ſive ſit Lex divina ſive humana, ceremonialis ſive moralis, eſt concluſum ſub peccato. Scriptura enim concluſit omnia ſub peccato, Qui autem dicit omnia, nihil excludit. Concludimus igitur cum Paulo, quod politiæ & leges omniũ gentium, quantumvis bonę ac neceſſarię ſint, quod omnes cultus & religiones, ſine fide in Chriſtum, ſint & maneant ſub peccato, morte & damnatione æterna, niſi acceſſerit, ut ſequitur, promiſſio ex fide Chriſti Ieſu. De hac re ſupra dictum eſt copioſius.

Omnia ſimpliciter concluſa ſub peccatum.

Ergo

by Google

Sola fides justificat.

Ergo illa propoſitio,Sola Fides juſtificat, vera eſt, quam adverſarij nullo modo ferre poſſunt. Quia Paulus hic fortiſſime concludit, quod Lex non vivificat, quia in hunc finem non eſt data. Si igitur ipſa non juſtificat & vivificat, Multo minus opera juſtificant. Hoc enim vult Paulus inferre,cum dicit, Legem non vivificare, quod ſcilicet nec opera vivificent. Quia fortius ſonat, Lex non vivificat, quam opera non vivificant. Si ergo Lex ipſa, etiam impleta (quanquam impleri eam ſit impoſſibile) non juſtificat, Multo minus ipſa opera, Ergo ſola Fides ſine operibus juſtificat. Non patitur Paulus iſtam additionem, Fides cum operibus juſtificat, ſed ſimpliciter per negativam procedit Rom. 3. & ſupra cap. 2. Ex operibus Legis,inquit,non juſtificatur omnis caro.Et hoc loco,Non eſt data Lex ad vivificandum.

Si lex non juſtificat, multo minus opera,&c.

Rom. 3. Gala. 2

Vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

SVPRA dixit,Scriptura omnia concluſiſſe ſub peccato,Num in æternum? non,ſed donec daretur promiſſio,&c. Promiſſio autem eſt hæreditas ipſa,ſeu Benedictio Abrahæ promiſſa,hoc eſt,liberatio à Lege, peccato, morte & Diabolo, Et donatio Gratiæ, juſticiæ, ſalutis, & vitæ æternæ. Illa promiſſio, inquit, nullo merito,nulla lege, nullis operibus impetratur, ſed donatur. Quibus? credentibus. In quem? In Ieſum Chriſtum, qui eſt Semen benedictum, quod credentes à maledicto redemit, ut acciperent Benedictionem. Iſta verba non ſunt obſcura, ſed clariſſima. Opera tamen danda eſt,ut ea diligenter obſervemus,& vim & pondus eorum bene expendamus.Si enim omnia concluſa ſunt ſub peccatum,Sequitur omnes gentes eſſe maledictas,& carere gloria Dei, Item,ſub ira Dei,& dominio Satanæ eſſe, Et neminem ab iis liberari ulla alia re poſſe, quàm fide in Chriſtum Ieſum. Fortiſſime igitur pugnat Paulus iſtis verbis contra fanaticas opiniones Sophiſtarum & omnium Iuſticiariorum, de juſticia Legis & operum, cum dicit,Vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

Promiſſio Abrahæ data quæ ſit.

Promiſſio datur credentibus.

Quomodo reſpondendum ſit ad ſententias, quæ loquuntur de operibus & mercede,ſupra ſatis copioſe indicavi, neq; res poſtulat,ut nunc de operibus dicamus. Quia hîc non eſt inſtituta diſputatio de operibus, ſed de juſtificatione, Quòd ea ſcilicet per Legem & opera non contingat, cum omnia ſub peccato & maledicto ſint,Sed per fidem in Chriſtum. Extra cauſam vero juſtificationis nemo poteſt bona opera à Deo præcepta ſatis magnifice co ndare. Quis enim vel unius operis, quod Chriſtianus ex fide & in fide f tatem & fructum ſatis prædicare poteſt? Eſt enim precioſius quam cœ a. Ideo neq; totus mundus in hac vita poteſt dignam mercedem reddere pro uno tali bono opere. Neq; mundus hanc gratiam h et, ut bona opera p orum magnifaciat, multò minus ut ea compenſet. Q non cernit, aut ſi cernit, non bona opera, ſed peſſima malefacta eſſe judicat, & eos qui talia faciunt, tanquam nocentiſſimas generi humano peſtes è mundo exturbat. Sic Chriſtus Salvator mundi, pro ſuis maximis ac inenarrabilibus beneficiis,ignominioſiſſima morte crucis affectus eſt. Item Apoſtoli, verbum Gratiæ & vitæ æternæ mundo afferentes, καθάρματα mundi,& omnium περίψημα facti ſunt. Digna profecto pro tantis beneficiis à mundo merces.

Sententiæ de operibus,&c.

Commendatio bonorum operum extra cauſam juſtificationis.

Chriſtus pro ſuis beneficiis quã mercedem accipiat.

Opera vero extra fidem facta, ut maxime in ſpeciem ſancta videntur, ſub peccato & maledicto ſunt, Quare tantum abeſt, ut ea facientes mereantur Gratiam,juſticiam & vitam æternam,ut potius peccatum peccato addant. Hoc modo operatur Papa, homo peccati & filius perditionis, & omnes eum ſequentes. Sic operantur omnes juſticiarij & hæretici, qui fide exciderunt.

Opera ſine fide.

Antequam autem veniret fides.

PERGIT declarare legis utilitatem & neceſſitatem. Supra dixit eam additam propter tranſgreſſiones, Non quod hoc præcipuum Dei conſilium fuerit, ut legem

Rom 7. ut legem tantum ferret ad mortem & damnationem, ut & Rom. 7. inquit. Num quod bonum eſt, inquiens, factum eſt mihi mors? Abſit. Lex enim eſt verbum monſtrans vitam, & impellens ad eam, Ideo non eſt data tantum ad mortem. Sed is eſt principalis uſus ac finis ejus, ut revelet eam, ut hoc modo appareat, quale & quantum ſit ipſum peccatum. Non tamen ſic revelat mortem, quod ea delectetur aut nihil aliud quærat, quam ut nos occidat, Sed ideo revelat, ut homines perterrefacti & humiliati timeant Deum. Hocq; clare indicat textus ipſe Exod.
Exod 20. 20. Nolite, inquit, timere, Vt enim probaret vos venit Deus, utq; terror ipſius eſſet in vobis, ne peccaretis. Legis ergo officium eſt tantum occidere, ſic tamen ut Deus poſſit vivificare. Quare Lex non eſt data ſimpliciter ad mortem, Sed quia homo ſuperbit & ſomniat ſe ſapere, ſe juſtum & ſanctum eſſe, ideo opus eſt ut lege humilietur, Vt ſic Beſtia iſta, opinio juſticiæ, occidatur, qua non occiſa, non poteſt homo vivere.

Lex.
Vſus legis.
Cur lex revelet peccatum?
Lex nõ eſt ſimpliciter data ad mortem, &c.

Quanquam ergo Lex occidit, tamen Deus utitur iſto effectu Legis, hoc eſt, iſta morte in bonum uſum, ſcilicet ad vitam. Videns enim Deus nulla alia re poſſe coherceri ac conteri peſtem illam vulgatiſſimam orbis terrarum, opinionem juſticiæ, ſeu hypocriſin & fiduciam ſanctitatis, voluit eam lege occidi, Non in perpetuum, ſed ut occiſa ea, homo erigeretur iterum, & ultra Legem audiret hanc vocem, Noli timere, Non ideo dedi Legem, & occidi te per eam, ut in morte illa maneres, ſed ut timeres me, & viveres. Præſumptio enim bonorum operum & juſticiæ, non admittit timorem Dei. Vbi vero timor Dei non eſt, ibi nec ſitis Gratiæ nec vitæ eſſe poteſt. Oportet igitur Deum habere malleum fortem ad conterendas petras, & ignem in medio cœli ardentem, ad ſubvertendos montes, hoc eſt, ad opprimendam iſtam pertinacem & obſtipam beſtiam, præſumptionem, ut iſta contuſione homo in nihilum redactus, deſperet de ſuis viribus, juſticia & operibus, & pavefiat coram Deo, ac ita pavefactus ſitiat miſericordiam & remiſſionem peccatorum.

Deus utitur legis effectu (morte) ad vitam. Opinio juſticiæ & fiducia ſanctitatis, lege occiditur.

Antequam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, cõcluſi in eam fidem, &c.

HOC eſt, antequam veniret tempus Evangelij & Gratiæ, erat hoc legis officium, ut ſub ea concluſi cuſtodiremur, tanquam in carcere. Hæc pulchra & aptiſſima ſimilitudo eſt, oſtendens quid Lex efficiat, quamq; probos reddat homines, Eſt igitur diligenter expendenda. Nullus fur, homicida, latro, &c. captus, amat compedes & tetrum carcerem, in quo vinctus detinetur. Imo, ſi poſſet, deſtrueret & in cinerem redigeret carcerem cum ferreis vinculis. In carcere quidem à malefaciendo abſtinet, non tamen bona voluntate, aut amore juſticiæ, Sed quia hoc carcer ſibi prohibet. Neq; jam concluſus deteſtatur & odit peccatum & furtum ſuum (Imo ex corde dolet ſe non eſſe liberum, & poſſe furari) ſed carcerem odit, ex quo ſi egredi liceret, furaretur ut antea.

Similitudo de carcere, oſtendit quid lex efficiat

LEX CONCLVDIT HOMINES CIVILITER ET THEOLOGICE.

TAlis eſt etiam vis legis & juſticia ex lege, cogens nos externe eſſe bonos, dum minatur pœnam & ſupplicium transgreſſoribus. Ibi obtemperamus quidem legi timore pœnæ, ſed inviti & maxime indignantes. Qualis autem hæc juſticia eſt, ſi coactus formidine pœnæ, malum omittis? Ideo juſticia illa operum veriſſime nihil aliud eſt, quam amare peccatum, odiſſe juſticiam, deteſtari Deum cum lege ſua, & ſummam malitiam adorare. Quam vehementer enim fur amat carcerem, & odit furtum, tam libenter nos paremus legi, & facimus quæ præcipit, & omittimus quæ prohibet.

Juſticia legis qualis.
Juſticia operum quid.

Interim tamen hoc commodi habet Lex, ut maxime corda maneant impia, ut primum externe & civiliter coherceat aliquo modo fures, homicidas & palam improbos. Hi enim niſi hanc fidem exiguam haberent, peccatum puniri in

Vtilitas legis.

Digitized by Google

Vſus legis politicus.

mundo,rota,cruce,gladio,&c. & poſt hanc vitam æterna morte & inferno, Tunc nullus Magiſtratus, nullus Paterfamilias aut Pædagogus, ulla vi, ullis legibus aut vinculis,furorem hominum cohercere poſſent. Comminationibus Legis tamen, quæ terrorem mentibus incutiunt,aliquo modo impij deterrentur, ne præcipites in omnia flagitiorum genera ruant. Interim tamen mallent nullam Legem, nullam pœnam,nullum infernum,deniq; nullum Deum eſſe. Si Deus non haberet infernum, nec malos puniret, amarent & laudarent eum omnes. Quia vero malos punit,& omnes mali ſunt. Ideo quatenus ſub Lege concluduntur, non poſſunt non odiſſe & extremè blaſphèmare Deum.

Lex ſpiritualis carcer.

Deinde Lex concludit homines non tantum civiliter, ſed & theologice, hoc eſt,Lex eſt etiam carcer ſpiritualis & vere infernus. Quia cum revelat peccatum,minatur mortem & æternam iram Dei, Homo non poteſt effugere nec conſolationem invenire. Non eſt enim in poteſtate hominis, hos terribiles terrores, quos Lex efficit,aut aliam cordis triſticiam excutere. Hinc illæ miſerabiles Sanctorum voces & querelæ ſunt paſſim in Pſalmis,In inferno quis confitebitur tibi? &c. Homo enim tunc in carcere concluſus eſt, ex quo non poteſt egredi, nec videt quomodo ex his vinculis ſolvi,hoc eſt,ex his terroribus liberari,poſſit.

Sanctorum querela.

Pſal. 6.

Lex civiliter & ſpiritualiter carcer eſt.

Sic Lex civiliter & theologice carcer eſt. Primum enim politice cohibet & concludit impios,ne pro libidine ſua præcipites ruere poſſint in omnia ſcelera. Deinde ſpiritualiter oſtendit nobis Peccatum, perterrefacit & humiliat nos, ut ſic pavefacti agnoſcamus miſeriam & damnationem noſtri. Atq; is verus & proprius legis uſus eſt,modo non ſit perpetuus. Quia iſta concluſio & cuſtodia ſub lege diutius durare non debet, quam in futuram fidem, quæ ſi venerit,deſinere debet Theologicus ille legis carcer.

Lex & Evangelium affectu conjuncta, &c.

Hic iterum videmus Legem & Evangelium,quæ inter ſe longiſſime diſtincta,& pluſquam contradictoria ſeparata ſunt,affectu conjunctiſſima eſſe. Hoc indicat Paulus cum dicit,Sub lege cuſtodiebamur,concluſi in futuram fidem.Quare non ſatis eſt,nos concluſos eſſe ſub lege, quia ſi nihil aliud ſequeretur, cogeremur deſperare,in peccatis mori,&c. Sed Paulus addit nos concluſos eſſe & coherceri ſub pædagogo (lege) non in æternum,ſed in Chriſtum, qui eſt finis legis. Iſta igitur pavefactio, humiliatio & cuſtodia non durare debet perpetuo, ſed in futuram fidem, hoc eſt, in ſalutem & bonum noſtrum, ut nobis conterritis lege dulceſcat Gratia,remiſſio peccatorum, liberatio à lege, peccato, morte,&c. quæ operibus non accipiuntur,ſed ſola Fide apprehenduntur,&c.

Concluſio ſub lege non debet eſſe æterna, &c.

Qui iſta extreme contraria in tentatione novit conjungere,hoc eſt,qui ubi maxime lege terretur,novit finem Legis,& initium Gratiæ,ſeu futuræ fidei, adeſſe,is recte utitur lege. Hanc artem ignorant omnes impij, hanc ignoravit Cain, cum concluſus carcere Legis,peccatum ſuum ſerio ſentiret. Primum extra carcerem erat,hoc eſt,nihil terroris ſentiebat, etiam jam perpetrata fratris cæde, ſed egregie diſſimulabat,& ipſum Deum hoc ignorare putabat, Nunquid cuſtos fratris mei,inquit,ſum ego? Cum autem audiret, Quid feciſti? Ecce vox ſangvinis fratris tui clamat ad me de terra,&c.Ibi incipit hunc carcerem ſerio ſentire.Quid hic faciebat? Manebat in carcere concluſus,non conjungebat cum lege Evangelium, ſed dicebat, Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear. Solum carcerem inſpexit, non conſiderans ei peccatum ideo revelatum eſſe,ut apud Deum Gratiam quæreret. Deſperavit igitur & negavit ſe Deum habere. Non credidit ſe concluſum in Gratiam & fidem, ſed ſimpliciter in Legem.

Recte utentes lege.

Gen. 4.

Cain in carcere legis concluſus videns, deſperavit.

Cuſtodiri ſub lege, &c.

Sunt autem iſta vocabula,Cuſtodiri & concludi ſub Lege,non ocioſa,ſpeculabilia ſeu Sophiſtica, ſed vera & ſeria. Cuſtodia ſeu carcer ille ſignificat veros & ſpirituales terrores,quibus conſcientia ſic concluditur,ut in latiſſimo orbe terrarum non inveniat locum, ubi tuta eſſe poſſit. Imo durantibus illis pavoribus conſcientia tantam anxietatem ſentit, ut cœlum & terram, ſi etiam decies majora & ampliora eſſent, putet eſſe anguſtiora, quam foramen muris. Ibi tum plane

plane destituitur homo omni sapientia, viribus, justicia, consilio & auxilio. Conscientia enim res est tenerrima, ideo cum sic carcere legis concluditur, nusquam patet ei exitus, Sed apparet ei istam angustiam subinde augeri usque in infinitum. Sentit enim tunc iram Dei, qui infinitus est, cujus manum effugere non potest, ut Psal. 139. ait, Quo ibo à spiritu tuo? &c. *Conscientia.* *Psal 139.*

Sicut ergo conclusio vel carcer civiliter, est ipsa afflictio corporalis, qua concluſus usu corporis sui privatur, Ita theologice carcer est perturbatio & anxietas animi, qua concluſus privatur pace conscientiæ & quiete cordis, Non tamen in æternum, ut ratio judicat, cum istum carcerem sentit, sed in futuram Fidem. Erigendus est igitur & consolandus animus sub lege concluſus, hoc modo, Frater concluſus quidem es, sed scias hoc non agi, ut perpetuo in isto carcere concluſus tenearis, quia scriptum est, Concludi nos in futuram fidem. Affligeris ergo illo carcere non in perniciem tuam, sed ut per Semen benedictionis recreeris, Lege occideris, ut per Christum vivificeris. Quare ne desperes ut Cain, Saul & Iudas, qui concluſi in illo carcere, nihil addiderunt, Sed in illa ipsa concluſione manserunt, ideo coacti sunt desperare. Te aliter geras in istis conscientiæ pavoribus oportet, quam illi, nempe, ut scias benefactum esse, quod sic concluſus & confuſus es, Sed vide ut ista concluſione recte utaris, scilicet in futuram fidem. Deus enim non vult perturbari te, ut maneas in perturbatione, non vult occidere te, ut in morte maneas. Nolo mortem, inquit per Prophetam, peccatoris, &c. sed vult te perturbari ut humilieris, & agnoscas tibi opus esse misericordia Dei & beneficio Christi. *Carcer quid sit civiliter & theologice.* *Concluſus sub lege quomodo erigendus.* *Lex occidit in vitam.* *Recte utendum carcere legis.* *Ezech. 33.*

Quare custodia illa sub lege non debet esse perpetua, sed durare tantum usq; ad fidem. Id quod etiam versiculus suavissimus Psalmi 147. docet, Beneplacitum est Domino super timentes eum, hoc est, qui hac legis custodia coarctantur. Sed mox addit, Et in eis, qui sperant super misericordia ejus. Ista ergo duo contraria conjungenda sunt, quæ re ipsa diversissima sunt. Quid enim magis contrarium, quam metuere & perhorrescere iram Dei, & similiter sperare in misericordia ejus? Alterum infernus, alterum cœlum est, & tamen ea oportet esse in corde conjunctissima. Speculative conjunguntur facillime, sed practice ea conjungere est omnium difficilimum, Id quod propria experientia sæpissime didici. Papistæ & Sectarum autores de hac re prorsus nihil noverunt. Ideo legentes seu audientes ista verba Pauli, sunt illis plane obscura & ignota. Et cum Lex ostendit eis peccatum, accusat & perterrefacit eos, nullum inveniunt neq; consilium neq; auxilium, sed simpliciter desperant, sicut Cain & Saul. *Custodia sub lege non debet esse perpetua, & c. Psalm. 147.* *Timere, sperare, contrarij motus, &c.*

Cum Lex igitur, ut dictum est, tortor & carcer noster sit, certum est, nos eam non diligere, sed vehementer odisse. Ideo, qui dicit se Legem diligere, mentitur, & nescit quid dicat. Insanus & mente captus esset fur aut latro, qui amaret carcerem & compedes. Cum autem lex, ut dixi, nos concludat, certum est nos esse infensissimos hostes ejus. Summa, Tam amamus Legem & justiciam ipsius, quam homicida carcerem. Quomodo igitur Lege justificaremur? *Legem nemo amat, quia est carcer noster.*

Concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat.

Hoc Paulus dicit pro tempore plenitudinis, quo Christus venit. Tu vero accommoda, non solum ad tempus illud, sed etiam ad affectum. Quia quod gestum est historice & temporaliter, quando Christus venit, Legem abrogavit, & libertatem ac vitam æternam in lucem produxit, Hoc privatim fit quotidie spiritualiter in quolibet Christiano, in quo subinde invenitur per vices tempus Legis ac Gratiæ. Habet enim Christianus corpus, in cujus membris, ut Paulus ait, militat peccatum. Peccatum autem intelligo, non tantum factum operis, sed radicem & arborem cum fructibus, ut scriptura loqui solet de peccato. Id non solum hæret adhuc in carne Christiana & baptisata, sed etiam militat & captivat eam, si non ad assensum vel opus, tamen ad magnum impulsum. Nam etiamsi Christianus *Scriptura quomodo definiat peccatum.* *Pietum tentatio.*

Digitized by Google

Chriſtianus non ruat in craſſa illa peccata, homicidium, adulterium, furtum, &c. tamen ideo non liber eſt ab impatientia, murmuratione, odio, blaſphemia, &c. contra Deum, quæ peccata humanæ rationi prorſus ignota ſunt. Iſta eum etiam invitum cogunt deteſtari Legem, cogunt à conſpectu Dei fugere, cogunt odiſſe & blaſphemare Deum. Nam ut fortis eſt in juvenili corpore libido, in viro ſtudium acquirendæ gloriæ & opum, in ſene avaritia, Ita in ſancto viro fortis eſt impatientia, murmuratio, odium & blaſphemia Dei. Hujus rei extant exempla paſſim in Pſalmis, Iob, Ieremia & tota ſcriptura. Ideo & Paulus hanc luctam ſpiritualem deſcribens utitur valde emphaticis ac ſignificantibus verbis, ſcilicet militandi, repugnandi & captivandi.

Cujuſq; etiãm hominis.

Emphaticis vocabulis deſcribit Paulus luctam ſpiritualem.

Eſt igitur in Chriſtiano utrumq; tempus Legis & Gratiæ in affectu. Legis tempus eſt, quando Lex me exercet, divexat, contriſtat & redigit in cognitionem peccati, ac illud auget. Ibi tum Lex eſt in vero ſuo uſu, quem Chriſtianus ſubinde ſentit donec vivit. Sic Paulo data fuit ſudes in carnem, angelus Satanæ, qui eum colaphizaret. Libenter ſenſiſſet ſingulis momentis gaudium conſcientiæ, riſum cordis & guſtum vitæ æternæ. Item libenter caruiſſet omni perturbatione animi, Ideoq; cupiebat auferri à ſe hanc tentationem. Non fit, ſed audit à Domino, Sufficit tibi gratia mea, Nam virtus mea in infirmitate perficitur. Idem certamen experitur quisq; Chriſtianus. Multæ horæ ſunt, in quibus cum Deo rixor, & impatienter ei repugno. Mihi ira & judicium Dei diſplicet. Ipſi viciſſim diſplicet mea impatientia, murmuratio, &c. Hocq; tempus Legis eſt, ſub quo Chriſtianus ſecundum carnem ſemper eſt. Caro enim perpetuo concupiſcit adverſus Spiritum, & ſpiritus adverſus carnem, in uno tamen plus, in alio minus.

Tempus Legis in fide.

2. Cor. 12.

Tempus gratiæ. Pſalm. 41.

Tempus gratiæ eſt, cum cor iterum erigitur promiſſione gratuitæ miſericordiæ Dei, & dicit, Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Nihil præterea vides, quam Legem, peccatum, terrorem, triſticiam, deſperationem, mortem, infernum & diabolum? An non eſt etiam Gratia, remiſſio peccatorum, juſticia, conſolatio, gaudium, pax, vita, cœlum, Chriſtus, Deus? Deſine anima mea perturbare me, Quid Lex, peccatum, & omnia mala ad iſta? Spera in Deo, qui proprio Filio non pepercit, ſed pro peccatis tuis tradidit eum in mortem crucis. Hoc tunc concludi eſt ſub Lege ſecundum carnem non in æternum, ſed in futurum Chriſtum. Itaq; cum lege perterrefactus es, dic, Domina Lex, tu non es ſola, neq; es omnia, ſed præter te eſt aliud quiddam majus ac melius, ſcilicet, Gratia, fides, benedictio, &c. Illa non accuſat me, non terret, non damnat, ſed conſolatur, bene ſperare jubet, & certam victoriam ac ſalutem in Chriſto promittit. Non eſt igitur quod deſperem.

Legis verum uſus, concludere in futurum Chriſtum.

Quis verus ſit Theologus.

Qui iſtam artem bene noſſet, ille merito diceretur Theologus. Fanatici homines hodie, qui perpetuo ſpiritum jactant, & diſcipuli ipſorum, videntur ſibi eam egregie noſſe, Ego vero & mei ſimiles vix tenemus hujus artis prima elementa, Et tamen ſeduli ſumus diſcipuli in ea ſchola, ubi iſta ars diſcitur. Diſcitur quidem, ſed donec caro & peccatum manent, non poteſt ediſci. Sic ergo Chriſtianus diviſus eſt in duo tempora, Quatenus eſt Caro, ſub Lege eſt, quatenus ſpiritus, ſub gratia eſt. In carne perpetuo hæret Concupiſcentia, avaritia, ambitio, ſuperbia, &c. Hæret in ea Ignoratio, contemptus Dei, impatientia, murmuratio, & ira contra Deum, quod conſilia & conatus noſtros impedit, quod impios & contemptores non repente punit, &c. Ejuſmodi peccata hærent in carne Sanctorum. Quare ſi nihil præter carnem ſpectaveris, manebis perpetuo ſub tempore Legis, Sed oportet iſtos dies abbreviari, alioqui nulla caro ſalva fieret, Oportet legi finem præſcribi, quo deſinat. Quare tempus legis non eſt perpetuum, ſed habet finem, qui Chriſtus eſt. Tempus vero gratiæ æternũ eſt. Quia Chriſtus ſemel mortuus, amplius non moritur, &c. Æternus eſt, ergo etiam tempus gratiæ æternũ eſt.

Plus partim ſub lege eſt, partim ſub gratia.

Tempus gratiæ æternum, &c.

Tales ſententias inſignes in Paulo non debemus oſcitanter percurrere, ut Papiſtæ & ſectarum autores ſolent. Continent enim verba vitæ, quæ mirabiliter

conſolantur

conſolantur & confirmant afflictas conſcientias. Et qui eas probe tenent, recte judicare poſſunt, quid fides, quid falſus & verus timor ſit, Item judicare omnes affectus, & omnes ſpiritus diſcernere poſſunt. Timor Dei ſancta ac precioſa res eſt, ſed non debet eſſe æternus. Debet quidem in Chriſtiano ſemper eſſe, quia in eo peccatum ſemper eſt, Sed ſolus eſſe non debet, alioqui timor eſt Cain, Saulis & Iudæ, hoc eſt, ſervilis & deſperationis timor eſt. Debet igitur Chriſtianus fide in verbum Gratiæ vincere timorem, avertere oculos, à tempore legis, & intueri in ipſum Chriſtum ac fidem futuram. Ibi tum dulceſcit timor & miſcetur nectare, ut incipiat non ſolum timere, ſed etiam diligere Deum. Alioqui ſi homo in Legem & peccatum tantum intuetur, excluſa Fide, non poterit excutere timorem, ſed deſperabit tandem. Sic pulchre diſtinguit Paulus tempus Legis & Gratiæ. Diſcamus & nos rectè diſtinguere utriusq; tempus, non verbis, ſed affectu, id quod eſt omnium difficillimum. Quanquam enim re ipſa remotiſſima ſunt illa duo, tamen conjunctiſſima ſunt etiam in eodem corde. Nihil magis conjunctum eſt, quam Timor & fiducia, Lex & Evangelium, Peccatum & gratia, Tam conjuncta enim ſunt, ut alterum ab altero abſorbeatur. Ideo nulla Mathematica conjunctio poteſt dari, quæ eſſet huic ſimilis.

Timor Dei, ſi ſine fide eſt, ſit ſervilis.

Timor quomodo excutiendus.

Timor & fides diſtincta, & tamen conjuncta ſunt.

Paulus ab hoc loco, Quid igitur Lex? incepit diſputare de Lege, item de uſu & abuſu legis, hinc occaſione accepta, Quia aſſeruit juſticiam credentibus contingere ex Gratia & promiſſione, non lege. Ea diſputatio genuit hanc quæſtionem, Quid igitur Lex? Ratio enim audiens, ex Gratia & promiſſione contingere Iuſticiam ſeu benedictionem, ſtatim infert, Ergo Lex nihil prodeſt. Ideo locus de Lege diligenter eſt conſiderandus, Quid & quomodo ſit de lege ſentiendum, ne eam aut omnino rejiciamus more fanaticorũ ſpirituum, qui anno 1525. moventes ſeditionem ruſticorum, dicebant libertatem Evangelicam abſolvere homines ab omnibus legibus, Aut ne vim juſtificandi ei tribuamus. Vtriq; enim in Legem peccant, in dextra, qui per Legem juſtificari, in ſiniſtra, qui prorſus à Lege liberi eſſe, volunt. Ingrediendum eſt igitur regia via, ut neq; Legem plane rejiciamus, neq; plus ei tribuamus, quam oportet.

Epilogus ſuperiorum.

Videndum ne legi derogemus aliquid, neque plus illi tribuamus quam decet

1. Tim. 1. Quæ ſupra toties inculcavi de utroq; Legis uſu, politico & theologico, ſatis indicant, Legem non eſſe poſitam juſtis, ſed ut alibi Paulus docet, injuſtis. Sunt autem Injuſti duplices, juſtificandi, & non juſtificandi. Non juſtificandi cohercentur civili uſu Legis. Ligandi enim ſunt vinculis legum, ut feroces & indomitæ beſtiæ funibus & catenis ligantur. Is uſus nunquam ceſſat, de quo Paulus hic non agit. Iuſtificandi vero exercentur theologico uſu legis ad tempus. Non enim perpetuo durat, ut civilis, ſed reſpicit in futuram fidem, & veniente Chriſto finitur. Ex his ſatis conſtat omnes ſententias, in quibus tractat Paulus ſpiritualem uſum Legis, intelligendas eſſe de juſtificandis, non de juſtificatis. Hi enim, quatenus in Chriſto manent, longe extra & ſupra omnem Legem ſunt. Imponenda eſt igitur Lex juſtificandis, ut ſub ea tantiſper cuſtodiantur, donec juſticia fidei venerit. Non quod per Legem juſticiam illam conſequantur, hoc enim eſſet abuti, non recte uti, Lege, ſed ut pavefacti & humiliati Lege, confugiant ad Chriſtum, qui finis eſt legis, ad juſticiam omni credenti.

Duplices injuſti, juſtificandi & non juſtificandi.

Sententia Pauli in quibus tractat ſpiritualem uſum legis.

Abutuntur ergo lege, Primum omnes juſticiarij & hypocritæ, qui ſomniant homines lege juſtificari. Is enim uſus non exercet & urget in futuram fidem, ſed efficit ſaturos, ſecuros & ſuperbos hypocritas, tumentes & præſumentes de juſticia & operibus legis, & impedit juſticiam fidei. Deinde abutuntur lege, qui Chriſtianos prorſus ab ea abſolvere volunt, ut fanatici ſpiritus tentabant, & illa occaſione ſeditionem ruſticorum movebant. Et hodie multi ex noſtris etiam idem faciunt, qui erepti doctrina Evangelij ex tyrannide Papæ, ſomniant libertatem Chriſtianam, carnalem eſſe licentiam faciendi quidvis. Hi, ut Petrus ait, libertatem ſpiritus, velamen maliciæ habentes, faciunt, ut nomen Dei & Evangelium Chriſti paſſim hodie blaſphemetur, Ideoq; dabunt aliquando dignas iſtius

Abutentes lege.

ſuæ impietatis pœnas. Tertio abutuntur etiam lege, qui terrores ipſius ſentientes, non intelligunt eos tantum durare debere ad Chriſtum. In his abuſus ille eſt cauſa deſperationis, ut in hypocritis eſt cauſa ſuperbiæ & præſumptionis.

Verus legis uſus nullo precio æſtimari poteſt.

Contra, verus uſus legis nullo precio æſtimari poteſt, quando videlicet conſcientia, ſub lege concluſa, non deſperat, ſed prudens per Spiritum ſanctum in mediis terroribus ſic ſtatuit, Concluſa ſum quidem ſub lege, ſed non in æternum, imo iſta concluſio cedet mihi in bonum. Quo modo? Vt ita concluſa ſuſpirem & quæram manum auxiliatoris, &c. Hoc modo Lex eſt quaſi impulſor quidam, qui impellit eſurientes ad Chriſtum, ut eos bonis ſuis impleat. Quare legis proprium officium eſt nos reos facere, humiliare, occidere, ad infernum deducere, & omnia nobis auferre, ſed illo fine, ut juſtificemur, exaltemur, vivificemur, in cœlum evehamur & omnia acquiramus, Non ergo ſimpliciter occidit, ſed ad vitam occidit.

Officium legis proprium.

Itaq; lex Pædagogus noſter fuit in Chriſtum.

Similitudo de Pædagogo.

ITERVM affectu conjungit Legem & Evangelium, quæ re ipſa inter ſe longiſſime ſeparata ſunt, cum inquit, Lex Pædagogus noſter in Chriſtum. Eſt autem & iſta ſimilitudo de pædagogo valde inſignis, ideo diligenter conſideranda eſt. Quanquam Pædagogus ſit utiliſſimus & valde neceſſarius pueris educandis & inſtituendis, tamen da vel unum puerum aut diſcipulum, qui ſuum amet Pædagogum. Iudæi vehementer ſcilicet amabant ſuum Moſen, ac volentes faciebant, quod mandabat? Ea erat dilectio & obedientia ipſorum erga Moſen, quod ſingulis horis, ut hiſtoria teſtatur, eum libenter lapidaſſent. Ideo impoſſibile eſt, quod diſcipulus amet Pædagogum. Quomodo enim amare poſſet, à quo in carcere detinetur, hoc eſt, à quo non permittitur ea facere, quæ libenter vellet? Et ſi quid admittit contra mandatum ipſius, ſtatim objurgatur & caſtigatur ab eo, Inſuper amplecti & oſculari virgam cogitur. Egregia ſcilicet juſticia diſcipuli, quod Pædagogo minaci ac duro obedit, quod virgam oſculatur, Sed facit ne hoc etiam volens & cum gaudio? Abſente Pædagogo frangit virgam, vel eam in ignem conjicit. Et ſi imperium haberet in pædagogum, non pateretur ſe ab eo virgis cædi, ſed ipſum virgis cædi juberet. Et tamen valde neceſſarius eſt puero Pædagogus, ut erudiat & caſtiget eum, alioqui enim ſine hac diſciplina, inſtitutione & bona aſſuefactione periret puer.

Diſcipulus odit Pædagogum.

Odium diſcipuli in Pædagogum.

Cur adhibeatur puero Pædagogus.

Adhibetur ergo puero Pædagogus, ut eum erudiat & cuſtodiat, ac velut in carcere captivum teneat. Ad quid, & quam diu? Num ut perpetuo duret iſtud durum & odioſum Dominium pædagogi, & ſervitus pueri? Minime, Sed ad præfinitum tempus, ut iſta obedientia, carcer & diſciplina cedat puero in bonum, ut ſuo tempore fiat hæres & rex. Non enim eſt patris voluntas, ut filius perpetuo ſubditus ſit Pædagogo, & cædatur virgis ab ipſo, ſed ut ipſius inſtitutione & diſciplina idoneus reddatur ad ſucceſſionem hæreditatis.

Lex Pædagogus in Chriſtum.

Sic Lex nihil aliud eſt, inquit Paulus, quam Pædagogus, non perpetuo, ſed in Chriſtum, ut ſuprà aliis verbis quoq; dixit, Lex propter transgreſſiones addita eſt, donec veniret Semen, &c. item, Scriptura concluſit omnia ſub peccatum, ut Promiſſio, &c. Item, Cuſtodiebamur ſub lege, concluſi in eam fidem, quæ erat revelanda. Quare Lex non eſt ſimpliciter Pædagogus, ſed in Chriſtum. Cujuſmodi enim Pædagogus eſſet, qui tantum vexaret & verberaret puerum, & nihil eum doceret? Quales ſuperius ſeculum Pædagogos habuit, ubi veriſſime ſcholæ carcer & infernus, Ludimagiſtri tyranni & carnifices erant. Perpetuo vapulabant pueri, multo labore & infatigabili diligentia diſcebant, ſed perpauci veniebant ad aliquam frugem. Talis Pædagogus non eſt Lex, Quia non tantum perterrefacit & vexat, ut indoctus & ſtolidus Pædagogus tantum flagellat & nihil docet pueros, Sed verberibus ſuis impellit ad Chriſtum. Quemadmodum bonus Pædagogus verberat, inſtituit & exercet legendo & ſcribendo pueros in hunc finem, ut

Pædagogi ſuperiorum temporum quales.

perveniant

perveniant ad cognitionem bonarum literarum & aliarum honeſtarum rerum, & hoc poſtea cum voluptate faciant, quod prius, cum cogerentur à pædagogo, inviti fecerunt.

Hac pulchra ergo ſimilitudine oſtendit Paulus verum legis uſum, quod videlicet hypocritas non juſtificet, Quia manent extra Chriſtum in præſumptione & ſecuritate. Et è contrà, quod conterritos, ſi hoc modo lege utantur, ut Paulus docet, non relinquat in morte & damnatione, ſed ad Chriſtum urgeat. Qui vero in illis pavoribus perdurant in iſta ſua puſillanimitate, & Chriſtum fide non apprehendunt, ad extremum deſperant. Clariſſime ergo pingit Paulus verũ uſum legis hac allegoria de Pædagogo. Nam ut is objurgat, urget & contriſtat pueros, non hoc conſilio, ut perpetuo duret iſta pædagogia, ſed ut deſinat, ubi pueri probe educati & inſtituti ſunt, utq; poſtea ſine coactione pædagogi alacres & liberi fruantur libertate & bonis paternis. Ita qui perterrefiunt & conteruntur lege, ſciant iſtos terrores & contritiones non fore perpetuas, ſed illis ſeſe parari in futurum Chriſtum & libertatem ſpiritus, &c.

In allegoria de pædagogo oſtenditur verus uſus legis.

Vt ex fide juſtificemur.

LEX non eſt Pædagogus, in alium legislatorem, qui bona opera exigit, ſed in Chriſtum juſtificatorem & ſalvatorem, ut per fidem in ipſum, non per opera juſtificemur. Sed homo cum ſentit vim Legis, hoc non intelligit neq; credit, Ideo dicere ſolet, Perdite vixi, quia transgreſſus ſum omnia mandata Dei, Ideoq; reus ſum æternæ mortis, Si aliquot annos vel ſaltem aliquot menſes adjiceret Deus vitæ meæ, velim emendare vitam meam & deinceps ſancte vivere. Ibi homo ex vero Legis uſu facit abuſum, & amiſſo ex oculis Chriſto, intuetur in alium legislatorem. In his enim terroribus & anguſtiis deprehenſa ratio audet Deo promittere impletionem omnium operum totius Legis. Atq; hinc ortæ ſunt tot Sectæ monachorum, tot cultus inſtituti, tot opera excogitata ad promerendam gratiam & remiſſionem peccatorum. Atq; hi qui iſta excogitaverunt, ſenſerunt Legem eſſe Pædagogum, non in Chriſtum, ſed in novam Legem, ſeu in Chriſtum legislatorem, non abrogatorem legis.

Lex pædagogus in Chriſtum, non in alium legislatorem.

Ex vero legis uſu facere abuſum.

Sed verus Legis uſus eſt, quod ſciam me Lege adduci in cognitionem peccati, & humiliari, ut ad Chriſtum veniam & fide juſtificer. Fides autem non eſt lex neq; opus, ſed certa fiducia, quæ apprehendit Chriſtum, qui eſt finis legis, Rom. 10. Rom. 10. Quo modo? Non quod abroget veterem Legem & novam ferat, aut judex ſit, operibus placandus, ut Papiſtæ docuerunt, Sed finis eſt legis ad juſticiam omni credenti, hoc eſt, Omnis qui credit in eum eſt juſtus, Lex eum non poteſt accuſare, &c. Hæc vis & uſus legis verus eſt. Eſt igitur bona, ſancta, utilis & neceſſaria, modo quis ea legitime utatur. Abutuntur autem lege primum Hypocritæ, qui vim juſtificandi ei tribuunt. Deinde deſperantes, qui ignorant Legem eſſe Pædagogum in Chriſtum, hoc eſt, Legem humiliare, non in perniciem, ſed ſalutem. Deus enim percutit ut ſanet, occidit ut vivificet, &c.

Verus legis uſus.

Abutuntur lege.

Loquitur autem Paulus, ut & ſupra monui, de juſtificandis, non de juſtificatis. Quare cum voles diſputare de lege, materiam legis accipere debes, ſcilicet peccatorem & impium, quem lex non juſtificat, ſed ponit ei ob oculos peccatum, conterit eum & ducit in cognitionem ſui, oſtendit ei infernum, iram & judicium Dei. Hoc proprium legis officium eſt. Deinde ſequitur uſus hujus officij, ut peccator ſciat legẽ non ideo revelare peccata & humiliare, ut deſperet, Sed ut ſua accuſatione & contritione urgeat eum ad Chriſtũ ſalvatorem & conſolatorem, hoc ubi fit, non amplius eſt ſub pædagogo. Et iſte uſus valde neceſſarius eſt, quia cum totus Mundus in peccato poſitus ſit, opus eſt iſto miniſterio legis, ut peccatum revelet, alioqui ſine eo nemo poſſet pervenire ad juſticiã, ut ſupra copioſe diximus.

Proprium officium legis, & hujus officij uſus.

Sed quid facit Lex in his, qui per Chriſtum juſtificati ſunt? Reſpondet Paulus his verbis, quæ velut additio quædam ſunt:

At ubi venit fides, non amplius ſumus ſub Pædagogo.

Fide venente non ſumus ſub pædagogo.

HOC eſt, liberi ſumus à lege, carcere & pædagogo noſtro, quia non amplius perterrefacit & vexat nos, poſtquam fides revelata eſt. Paulus hic loquitur de fide certo tempore per Chriſtum prædicata. Chriſtus enim aſſumpta humana natura ſemel in tempore venit, Legem cum omnibus effectibus ſuis abrogavit, Et ſua morte omnes hoc beneficium ſuum fide apprehendentes, à peccato & æterna morte liberavit. Si igitur Chriſtum & rem quam geſſit, aſpexeris, nulla amplius Lex eſt. Ipſe enim veniens præfinito tempore, veriſſime totam legem ſuſtulit. Sublata vero lege, non cuſtodimur amplius ſub tyrannide ipſius, ſed ſecuri & læti agimus ſub Chriſto, qui nunc Spiritu ſuo ſuaviter in nobis regnat, Vbi autem Dominus, ibi libertas. Quare ſi poſſemus Chriſtum, qui legem abrogavit, & nos peccatores Patri ſua morte reconciliavit, perfecte apprehendere, Nihil prorſus juris in nos haberet pædagogus ille. Sed Lex membrorum rebellans legi mentis obſtat, ut Chriſtum perfecte apprehendere non poſſimus. Defectus igitur non eſt in Chriſto, ſed in nobis, qui nondum exuimus carnem, in qua donec vivimus hæret peccatum. Ideo quod ad nos attinet, partim liberi à lege, partim ſub lege ſumus. Servimus cum Paulo mente legi Dei, carne legi peccati, Rom. 7. 1. Cor. 3. Rom. 7.

Ex hoc ſequitur, quod ſecundum conſcientiam plane liberi ſumus à Lege. Ideo pædagogus ille non debet in ea dominari, hoc eſt, non debet ei eſſe moleſtus ſuis terroribus, minis & captivitate, Et ut maxime hoc tentet, tamen conſcientia nihil movetur illa re. Habet enim in conſpectu Chriſtum crucifixum, qui abſtulit omnia officia legis è conſcientia, Coloſſ. 2. Delens quod adverſabatur nobis per decreta Chirographum, &c. Vt ergo virgo viri, ita conſcientia non ſolum legis ignara, ſed etiam ei prorſus mortua eſſe debet, & viciſſim Lex conſcientiæ. Hoc non fit operibus aut ulla legis juſticia, ſed fide, quæ Chriſtum apprehendit. Secundum effectum tamen hæret adhuc in carne peccatum, quod ſubinde accuſat & perturbat conſcientiam. Quatenus igitur manet caro, eatenus manet etiam Lex Pædagogus, qui ſubinde perterrefacere & contriſtare ſolet conſcientiam, oſtenſione peccati & comminatione mortis. Ipſa tamen ſemper iterum erigitur quotidiano adventu Chriſti, qui, ut ſemel certo tempore venit in Mundum, redempturus nos à duriſſimo imperio pædagogi noſtri, Ita quotidie ſpiritualiter ad nos venit, hoc agens, ut in fide & cognitione ipſius creſcamus, Vt conſcientia de die in diem perfectius ſe Chriſtum apprehendat, Et indies magis magisq; minuatur Lex carnis & peccati, pavor mortis & quicquid malorum Lex ſecum adfert. Quamdiu igitur in carne, quæ ſine peccato non eſt, vivimus, Subinde redit lex, & facit ſuum officium, in uno plus, in alio minus, ut eſt infirma aut forti fide, non tamen ad perniciem, ſed ſalutem. Hoc enim exercitium Legis eſt in Sanctis, quotidiana mortificatio carnis, rationis & virium noſtrarum, & innovatio mentis noſtræ, 2. Cor. 4. Coloſſ. 2. 2. Cor. 4.

Fide in Chriſtum murmur legi, &c.

Officij legis in Sanctis utilitas.

Chriſtus quotidie ad nos venit ſpiritualiter.

Accipimus igitur primitias ſpiritus, fermentum abſconditum eſt in maſſam, ſed tota maſſa nondum fermentata eſt, ſed cœpit fermentari. Si inſpicio fermentum, nihil video niſi merum fermentum, Si corpus maſſæ, nondum eſt merum fermentum. Hoc eſt, ſi Chriſtum inſpicio, totus ſanctus & purus ſum, nihil plane ſciens de lege. Chriſtus enim eſt fermentum meum. Si vero meam carnem inſpicio, ſentio avaritiam, libidinem, iram, ſuperbiam, &c. timorem mortis, triſticiam, pavorem, odium, murmurationem & impatientiam contra Deum. Quatenus iſta adſunt, eatenus abeſt Chriſtus, Aut ſi adeſt, infirme adeſt. Hic opus eſt adhuc pædagogo, qui fortem aſinum, Carnem exerceat & vexet, ut hac pædagogia minuantur peccata, & Chriſto via paretur. Chriſtus enim, ut ſemel ſecundum tempus corporaliter venit, totam Legem abrogavit, peccatum abolevit, mortem & infernum deſtruxit, Ita ſpiritualiter ſine intermiſſione ad nos venit, & iſta perpetuo in nobis extinguit atq; occidit.

Similitudo de fermento.

Pij ſancti ſunt & peccatores.

Chriſti adventus ſpiritualis, &c.

Hæc dico, ut noris reſpondere cum objicitur, Tamen Chriſtus venit in mundum,

mundum, & ſemel abſtulit omnia peccata noſtra, mundans nos ſangvine ſuo. Cur igitur audimus Evangelium, quid opus eſt abſolutione & Sacramentis? Verum eſt, quatenus Chriſtum inſpicis, revera Lex & peccatum abolita ſunt. Sed Chriſtus nondum venit tibi, aut ſi venit, tamen adhuc reliquiæ peccati in te ſunt, nondum fermentatus es totus. Vbi enim eſt concupiſcentia, triſticia ſpiritus, pavor mortis, &c. Ibi adhuc lex & peccatum eſt, Chriſtus nondum vere adeſt, qui veniens expellit timorem & triſticiam, & adfert pacem & ſecuritatem conſcientiæ. Quatenus igitur Chriſtum fide apprehendo, eatenus abrogata eſt mihi lex. Sed Caro mea, mundus & diabolus non permittunt fidem eſſe perfectam. Velim quidem quod parvula lux fidei in corde diffuſa eſſet per totum corpus & omnia membra, Non fit, non ſtatim diffunditur, ſed cœpta eſt diffundi. Interim ea eſt conſolatio noſtra, quod primitias Spiritus habentes incepimus fermentari, fermentabimur autem toti, cum corpus hoc peccati diſſolvetur, & novi cum Chriſto reſurgemus.

Quatenus lex non abrogata ſit, quatenus non, &c.

Conſolatio piorum.

Fibra. 13. Quanquam ergo Chriſtus eſt heri & hodie & idem in ſecula, Et quanquam Evangelium & fidem habuerit Adam & omnes pij ante Chriſtum, Tamen ſemel Chriſtus venit præfinito tempore, ſemel venit & fides, cum Apoſtoli Evangelium per totũ mundum prædicaverunt. Deinde quotidie etiam venit ſpiritualiter Chriſtus, venit & per verbum Evangelij quotidie Fides. Fide autem præſente, cogitur cedere pædagogus cum ſuo triſti & moleſto officio. Tunc autem Chriſtus ſpiritualiter venit, quãdo ſubinde magis magisq; agnoſcimus & intelligimus, 1. Petr. 3. quæ ab ipſo nobis donata ſunt, & creſcimus in gratia & cognitione ipſius, 2. Pet. 3.

At ubi venit fides, &c.

Fide præſente non habet locum lex.

Omnes enim filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

PAVLVS, ut optimus fidei doctor, ſemper in ore habet iſtas voces, Per fidem, in fide, ex fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu, &c. Non dicit, Eſtis filij Dei, quia circumciſi eſtis, audiſtis Legem & feciſtis opera ejus, ut Iudæi ſomniabant, & Pſeudoapoſtoli docebant, Sed per fidem in Chriſtum Ieſum. Lex ergo non facit (multo minus traditiones humanæ) filios Dei, Non poteſt generare in novam naturam ſeu nativitatem, Sed illam veterem nativitatem, qua in regnum Diaboli nati ſumus, ob oculos ponit. Atq; ita præparat ad novam Nativitatem, quæ fit per fidem in Chriſtum Ieſum, non per Legem, ut Paulus clariſſime teſtatur, Omnes filij Dei eſtis per fidem, &c. q. d. Etiamſi per Legem eſtis vexati, humiliati & occiſi, tamen ea non fecit vos juſtos, non fecit vos filios Dei, ſed fides. Quæ? In Chriſtum. Fi- Iohan. 13. des ergo in Chriſtum efficit filios Dei, non lex. Idem Iohan. 1. teſtatur, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt, &c.

Paulus fidei Doctor.

Fides efficit filios Dei.

Rhetoribus committo, ut hunc locum de inenarrabili Gratia & gloria, quam in Chriſto Ieſu habemus, explicent & amplificent, Nempe quod nos miſeri peccatores, natura filij iræ, ad hunc honorem perveniamus, quod credentes in Chriſtum, filij & hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, Domini cœli & terræ, efficiamur, Quanquam nulla lingua, neq; humana, neq; angelica eam gloriam ſatis magnifice prædicare poſſit.

Quicunq; enim baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.

INDVERE Chriſtum dupliciter intelligitur, Legaliter & Evangelice. Rom. 13. Legaliter, Rom. 13. Induamini Dominum Ieſum Chriſtum, hoc eſt, Imitemini exemplum & virtutes Chriſti, facite & patimini ea, quæ ipſe fecit & paſſus eſt. Sic 1. Pet. 2. 1. Pet. 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut ſequeremini veſtigia ejus. Videmus autem in Chriſto ſummam patientiam, lenitatem, charitatem & admirabilem in omnibus rebus moderationem, Hunc ornatum Chriſti induere, id eſt, has ejus virtutes imitari, debemus. Sic alios etiam Sanctos imitari poſſumus.

Induere Chriſtum legaliter.

Inducre vero Chriſtum Evangelice non eſt imitationis, ſed nativitatis & creationis novæ, Quod videlicet ego induor ipſo Chriſto, hoc eſt, ipſius Innocentia,

Induere Chriſtum Evangelice.

ogle

Pellucea tunica Adæ.

tia,ſapientia,potentia,ſalute,vita,ſpiritu,&c. Nos veſtiti ſumus pellicea tunica Adæ, quæ mortalis tunica eſt & veſtis peccati, hoc eſt, omnes ſubjecti ſumus & venundati ſub peccatum, horribilis Cæcitas, ignorantia, contemptus & odium Dei eſt in nobis. Deinde pleni ſumus concupiſcẽtia mala,iñundicia,avaritia,&c. Hunc veſtitum,id eſt, hanc corruptam & peccatricem naturam, propagatione contraximus ab Adam, quam Paulus vocare ſolet veterem hominem. Is exuendus eſt cum actibus ſuis,Eph 4. Colloſ.3. Vt ex Adæ filiis efficiamur filij Dei.Hoc non fit mutatione veſtis, non ullis legibus aut operibus, ſed renaſcentia & renovatione,quæ fit in Baptiſmo,ut Paulus ait, Quicunq; baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis. Item Tit. 3. Secundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus ſancti. Exurgit enim in baptiſatis,præter hoc,quod regenerantur & renovantur per Spiritum ſanctum ad cœleſtem juſticiam & vitam æternam in baptiſmo,etiam nova lux & flamma, oriuntur novi & pij affectus,Timor, fiducia Dei,ſpes,&c. oritur nova voluntas, hoc tum eſt proprie, vere & Evangelice Chriſtum induere.

Quomodo exuatur vetus homo.

Ephes. 4. Coloſſ. 3.

Tit. 3.

In Baptiſmo induimur Chriſtũ.

Itaq; in baptiſmo non datur veſtitus legalis juſticiæ aut noſtrorum operum,ſed Chriſtus ſit indumentum noſtrum. Is autem non eſt lex, non legislator, non opus,ſed divinum & inenarrabile donum,quod donavit nobis Pater,ut eſſet juſtificator vivificator & redemptor noſter. Quare Evangelice Chriſtum induere,non eſt legem & opera, Sed inæſtimabile donum induere,ſcilicet remiſſionem peccatorum, juſticiam, pacem, conſolationem, lætitiam in Spiritu ſancto, ſalutem,vitam & Chriſtum ipſum.

Baptiſmi gloria

Hic locus diligenter obſervandus eſt contra Fanaticos ſpiritus, qui majeſtatem Baptiſmi extenuant, & ſceleſte ac impie de eo loquuntur. Paulus contra magnificis titulis Baptiſmum ornat, appellans lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus ſancti,Tit.3. Et hic dicit, omnes baptiſatos Chriſtum induiſſe, q. d. Non accepiſtis per Baptiſmum teſſeram, per quam aſſcripti eſtis in numerum Chriſtianorum,ut noſtro tempore multi Fanatici homines ſenſerunt, qui ex Baptiſmo tantum teſſeram fecerunt, hoc eſt, breve & inane quoddam ſignum. Sed quotquot,inquit,baptiſati eſtis,Chriſtum induiſtis, id eſt, eſtis extra Legem rapti in novam nativitatem,quæ facta eſt in Baptiſmo. Ideo non eſtis amplius ſub lege,ſed novo indumento,id eſt,juſticia Chriſti veſtiti eſtis. Docet ergo Paulus Baptiſmum non ſignum, ſed indumentum Chriſti, imo ipſum Chriſtum indumentum noſtrum eſſe. Quare baptiſmus potentiſſima ac efficaciſſima res eſt. Vbi vero induti ſumus Chriſtum, indumentum Iuſticiæ & ſalutis noſtræ, tum etiam induemus Chriſtum veſtimentum imitationis. Hæc alias copioſius à me tractata ſunt,ideo breviter nunc percurro.

Tit. 3.

Baptiſmus quid ſit.

Non eſt Iudæus, neq; Græcus, Non eſt ſervus, neq; liber, Non eſt maſculus, neq; fœmina.

HIC multo plures addi poſſunt appellationes perſonarum & officiorum, quæ divinitus ordinata ſunt, ut non eſt magiſtratus neq; ſubditus, non eſt doctor neq; auditor, non eſt Pædagogus neq; diſcipulus, non eſt hera neq; ancilla,&c. Quia in Chriſto Ieſu omnes ſtatus, etiam divinitus ordinati, nihil ſunt. Maſculus,fœmina,ſervus,liber,Iudæus,Gentilis,Rex,ſubditus,&c. ſunt quidem creaturæ Dei bonæ,ſed in Chriſto,hoc eſt,in re ſalutis,cum omni ſapientia,juſticia,religione,potentia ſua, nihil ſunt.

Non eſt Iudæus neq; Græcus, &c.

Quare illis verbis,Non eſt Iudæus,&c. fortiſſime abrogat legem Paulus. Hic enim ubi novus homo in Baptiſmo fit, & Chriſtus induitur, non eſt Iudæus, neq; Græcus,&c. Loquitur autem hic Apoſtolus de Iudæo non phyſice ſecundum ſubſtantiam,Sed Iudæum appellat,qui eſt diſcipulus Moſi,ſubjectus legibus, qui eſt circumciſus & ſervat ſumma diligentia cultum in lege præceptum. Vbi Chriſtus,inquit,induitur,ibi non eſt amplius Iudæus,non eſt circumciſio,non eſt

cultus

Digitiz

cultus Templi,nullæ Leges ſunt quas Iudæi faciunt. Chriſtus enim abſtulit quicquid legũ eſt in Moſe in toto mundo. Ideo conſcientia,in Chriſtum credens,tam certa eſſe debet, legem cum ſuis terroribus & minis eſſe abrogatam, ut plane ignoret,an unquam Moſes, Lex aut Iudæus extiterint, Quia Chriſtus & Moſes nullo modo conveniunt. Moſes cum lege, variis operibus & cultibus venit, Chriſtus vero ſimpliciter ſine Lege, ſine exactione operum, venit, donans Gratiam, juſticiam,&c. Iohan. 1. Lex enim per Moſen data eſt, Gratia & veritas per Chriſtum facta eſt.

Deinde cum ait,Non eſt Græcus,etiam Gentilium ſapientiam & juſticiam rejicit & damnat. Inter Gentiles enim fuerunt magni ac præſtantiſſimi viri, Xenophon,Themiſtocles,Marcus Fabius,Attilius Regulus,Cicero,Pomponius Articus, & multi alij, qui inſignibus ac vere heroicis virtutibus prædiți,reſpublicas optime adminiſtraverunt, & multa præclariſſime geſſerunt pro ſalute reipublicæ,&c. Et tamen hi omnes cum ſua Sapientia, potentia, honeſtiſſimis Factis, eximiis virtutibus,legibus,juſticiis,cultibus ac religionibus (Non enim imaginari debemus Gentiles prorſus fuiſſe contemptores honeſtatis & religionis, ſed omnes Gentes omnium ætatum,per totum terrarum orbem diſperſæ,habuerunt ſuas Leges,cultus & religiones, ſine quibus impoſſibile eſt regi genus humanum) Hi, inquam,iſtis omnibus ornamentis nihil ſunt coram Deo. Quicquid igitur eſt juſticiæ œconomicæ,politicæ & divinæ (qualis erat juſticia Legis) cum ſumma obedientia, executione juris & ſanctitate, nihil prorſus valet coram Deo. Quid tum? Indumentum Chriſti, quem in Baptiſmo induimus.

Sic ſervus, ut maxime diligenter faciat officium ſuum, obediat hero, fideliter ſerviat, Liber præſit & gubernet rem publicam, aut privatam cum laude, Item, quicquid fecerit maſculus ut maſculus, ducendo uxorem, bene adminiſtrando rem ſuam domeſticam, obediendo magiſtratui, gerendo ſe erga quosqi honeſte & decenter, Si matrona vixerit caſta,paruerit marito, diligenter curaverit domum,bene educaverit liberos(quæ certe magnifica ac egregia dona & opera ſunt) Tamen iſta omnia nihil ad juſticiam coram Deo. Summa, Quicquid eſt in toto orbe terrarum Legum,ceremoniarum, cultuum,juſticiarum & operum, etiam ipſorum Iudæorum, qui primi habuerunt Regnum & Sacerdotium,divinitus inſtitutum & ordinatum,cum ſuis legibus,religione & cultu, Tamen iſta omnia non auferunt peccata,non liberant à morte,non ſalvant.

Ideo Pſeudoapoſtoli veſtri, ô Galatæ, ſeducunt vos dum Legem neceſſariam ad ſalutem docent, atq; hoc modo rapiunt vos à maxima gloria veſtræ novæ nativitatis & filiationis, & revocant in veterem nativitatem & miſerrimam Legis ſervitutem, facientes vos ex filiis Dei liberrimis ſervos Legis, dum ſecundum Legem perſonas diſtinguere volunt. Eſt certe diſtinctio perſonarum in lege & coram mundo,& ibi eam oportet eſſe,non item coram Deo,ubi omnes homines æquales ſunt, Omnes peccaverunt, & vacui ſunt gloria Dei, &c. Sileant igitur à facie Dei Iudæi, Gentiles & totus mundus. Habet quidem Deus varias Ordinationes, Leges,genera vitæ, cultus in mundo, Sed iſta nihil faciunt ad promerendam gratiam & ad conſequendam vitam æternam. Quotquot ergo juſtificantur, non propter obſervationem Legis humanæ aut divinæ juſtificantur, ſed propter Chriſtum,qui omnes Leges in univerſum abrogavit. Hunc unicum proponit nobis Evangelium placatorem iræ Dei per ſangvinem proprium & Salvatorem, in quem niſi credatur, non ſalvabitur Iudæus per Legem, non per ordinem Monachus,non per ſapientiam Gentilis,non per politicam aut œconomicam juſticiam magiſtratus,aut herus,non per obedientiam ſervus & ancilla,&c.

Omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Ieſu.

HAEC magnifica & ampliſſima verba ſunt. In mundo & ſecundum carnem eſt ſumma differentia & inæqualitas perſonarum, eaque diligentiſſime ſervanda

ſervanda eſt. Nam ſi mulier Vir, ſi filius Pater, ſi diſcipulus Magiſter, ſi ſervus Dominus, ſi ſubditus Magiſtratus, eſſe vellet, futura eſſet perturbatio & confuſio omnium ſtatuum & rerum. Contra, in Chriſto nulla eſt Lex, nulla eſt diſtinctio perſonarum, non eſt Iudæus, Græcus, &c. ſed omnes, unus, ſunt. Quia unum corpus, unus Spiritus, una ſpes vocationis omnium, unum & idem Evangelium, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, unus Chriſtus Dominus omnium. Eundem Chriſtum, quem habent Petrus, Paulus & omnes Sancti, habemus & nos, ego, tu & omnes credentes, eundem habent omnes infantes baptiſati. Ibi ergo conſcientia nihil ſcit de lege, ſed habet in conſpectu ſolum Chriſtum. Ideo Paulus ſemper addere ſolet, in Chriſto Ieſu, Qui ſi è conſpectu auferatur, actum eſt de ſalute noſtra.

Qualitas ſolius fidei in Chriſto.

Chriſto Ieſu.

Fanatici ſpiritus hodie loquuntur more Sophiſtarum de fide in Chriſtum ſomniantes eam eſſe qualitatem, hærentem in corde, excluſo Chriſto. Is perniciоſus error eſt. Verum ita proponendus eſt Chriſtus, ut præter eum plane nihil videas, nihil tibi eſſe propius & intimius ipſo credas. Non enim ſedet ocioſus in cœlo, ſed præſentiſſimus eſt nobis, operans & vivens in nobis. Supra cap. 2. Vivo jam non ego, ſed vivit in me Chriſtus, &c. Et hic, Chriſtum induiſtis. Quare fides eſt pertinaciſſimus intutus, qui nihil aſpicit præter Chriſtum victorem Peccati & mortis, & largitorem Iuſticiæ, ſalutis & vitæ æternæ. Hinc Paulus in Epiſtolis ſuis fere in ſingulis verſibus proponit & inculcat Ieſum Chriſtum. Proponit autem per verbum, Neq; enim aliter poteſt apprehendi, quam fide in verbum.

Fanaticum de fide commentum.

Fides.

Cur tam crebro Paulus Chriſtū inculcet, &c.

Hoc pulcherrime ſignificatum eſt ſerpente æneo, qui eſt figura Chriſti. Iudæos morſu ignitorum ſerpentum in deſerto percuſſos Moſes nihil jubebat facere, quam immotis oculis aſpicere ſerpentem illum æneum. Qui hoc faciebant, ſolo illo fixo aſpectu ſerpentis ſanabantur. Alij contra, qui non audiebant vocem Moſi, aſpicientes ſua vulnera, non ſerpentem, moriebantur. Sic ſi debeo conſolationem in certamine conſcientiæ vel agone mortis concipere, oportet me plane nihil aliud præter unicum Chriſtum fide apprehendere, & dicere, Ego credo in Ieſum Chriſtum Dei filium, pro me paſſum, crucifixum, mortuum &c. In cujus vulneribus & morte video peccatum meum, & in ejus reſurrectione, victoriam peccati, mortis & diaboli, item juſticiam & vitam æternam. Præter hunc nihil audio nec video. Ea eſt vera fides Chriſti & in Chriſtum, per quam membra ſimus corporis ejus, de carne & oſſibus ejus. Ergo in ipſo vivimus, movemur & ſumus. Ideo vana & impia eſt fanaticorum hominum ſpeculatio de fide, qui ſomniant Chriſtum ſpiritualiter, hoc eſt, ſpeculative in nobis eſſe, realiter vero in cœlis. Oportet Chriſtum & fidem omnino conjungi, oportet ſimpliciter nos in cœlo verſari, & Chriſtum eſſe, vivere & operari in nobis. Vivit autem & operatur in nobis non ſpeculative, ſed realiter, præſentiſſime & efficaciſſime.

Serpens æneus figura Chriſti.

Vera fides in Chriſtum.

Act. 17.

Speculatio de fide quorundam impia.

Chriſtus & fides conjungēda.

Si autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, & ſecundum promiſſionem hæredes.

IDeſt, ſi creditis & baptiſati eſtis in Chriſtum, creditis, inquam, eum eſſe Semen illud Abrahæ promiſſum, quod attulit benedictionem omnibus gentibus, Tunc eſtis filij Abrahæ, non naturales, ſed adoptionis. Nam ſcriptura tribuit ei non ſolum filios carnis, ſed etiam adoptionis & promiſſionis, & prædicit hos hæreditatem accepturos, illos è domo ejiciendos. Sic Paulus brevi verbo transfert totam gloriam Libani, hoc eſt, Iudaici populi, ad deſertum, hoc eſt, ad Gentes. Et continet hic locus uberrimam conſolationem, nempe quod gentes Abrahæ filij, & per conſequens Dei populus ſint. Sunt autem filij Abrahæ non ex carnali generatione, ſed ex promiſſione. Ergo regnum cœlorum, vita & hæreditas æterna pertinet ad gentes. Hocq; longe ante ſignificavit ſcriptura, cum inquit, Patrem multarum gentium conſtitui te. Item, in ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Quia ergo nos Gentes credimus, & fide accipimus benedictionem Abrahæ pro-

Gentes ſemen Abrahæ.

Gentes Abrahæ filij & Dei populus.

hæ promiſſam, & per Chriſtum exhibitam, ideo ſcriptura vocat nos filios & hæredes Abrahæ, non ſecundum carnem, ſed promiſſionem. Sic promiſſio, In ſemine tuo, etiam ad omnes Gentes pertinet, & Chriſtus ſecundum eam eſt noſter.

Iudeis facta promiſſio, non Gentibus. Pſal. 147

Eſt quidem ſolis Iudæis, non nobis gentibus facta promiſſio, Pſal. 147. Annuntiat verbum ſuum Iacob, &c. Non fecit taliter omni nationi, &c. Hoc tamen quod promiſſum eſt, ad nos venit per fidem, qua ſola apprehenditur promiſſio Dei. Licet igitur non nobis, tamen de nobis, promiſſum eſt. Sumus enim in promiſſione, In ſemine tuo, &c. nominati. Nam promiſſio clare oſtendit, Abraham non fore tantum patrem Iudaici populi, ſed multarum Gentium, & hæredem fore non unius regni, ſed totius mundi, Rom. 4. Sic gloria totius regni Chriſti ad nos translata eſt. Quare omnes leges in univerſum abrogatæ ſunt in corde & conſcientia Chriſtiani, foris tamen in carne manent, De quo ſupra copioſe dictum eſt.

Gentes in promiſſione nominatæ ſunt, &c.

Rom. 4.

CAP. IIII.

Dico autem, Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium, Sed ſub tutoribus & actoribus eſt, uſq; ad præfinitum tempus à patre.

Argumenta quibus Paulus munit cauſam ſuam.

VIdes quam Paulus ardeat & æſtuet ad revocandos Galatas, & quam fortiſſimis argumentis cauſam illam tractet, ſumptis ab experientia, ab exemplo Abrahæ, à teſtimoniis ſcripturę, à tempore & ſimilitudinibus, Ita ut videatur ſæpius integram cauſſam renovare. Supra enim quaſi finierat, diſputationem de Iuſtificatione, dum concludebat, Homines ſola Fide juſtificari coram Deo. Quia vero incidit ei adhuc exemplum hoc politicum de hærede parvulo, adducit & illud pro confirmanda cauſa ſua. Sic, omnia tentans, ſancta quadam aſtutia inſidiatur Galatis, ut eos capere poſſit, ſicut alibi dicit, Cum eſſem aſtutus, dolo cepi vos. Nam vulgus ſimilitudinibus & exemplis facilius capitur, quam arduis & ſubtilibus diſputationibus, Libentius videt bene pictam imaginem, quam librum bene ſcriptum. Hinc poſt ſimilitudinem de teſtamento hominis, de carcere & pædagogo, aſſumit & hanc notiſſimam de hærede, ad permovendum eos. Eſt autem ad docendum utile, in promptu habere ſimilitudines & exempla, quibus non ſolum Paulus, ſed & Prophetæ & Chriſtus ipſe frequentiſſime uſi ſunt. Poſtea ad finem Epiſtolæ usq; rhetoricabitur.

Vulgus ſimilitudinibus & exemplis capitur.

Chriſtus, Apoſtoli & Prophetæ uſi ſunt exemplis & ſimilitudinibus.

Videtis, inquit, hoc eſſe in legibus civilibus conſtitutum, quod hæres, quanquam ſit Dominus omnium paternorum bonorum, nihilominus tamen ſervus eſt. Habet quidem certam expectationem hæreditatis, antequam tamen venit tempus emancipationis (ut jureconſulti vocant) tutores & actores tenent eum captum & concluſum, ut pædagogus diſcipulum. Non committunt ei adminiſtrationem bonorum nec dominium, ſed ſervire cogunt, ita ut vivat & nutriatur in bonis propriis ut ſervus. Nihil ergo differt à ſervo, donec tempus carceris & captivitatis durat, hoc eſt, donec ſub actoribus & præfectis eſt. Et ea ſubjectio & captivitas valde ei prodeſt, alioqui per inſipientiam dilapidaret bona, Iſtaq; captivitas non eſt perpetua, ſed finitur certo tempore, quod pater præſcripſit.

Hæres parvulus nihil differt à ſervo.

Ita nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis Mundi hujus ſervi-ebamus.

Tempore legis ſub tutore Moſe fuimus, &c.

SIC nobis parvulis, eramus quidem hæredes, habentes promiſſionem futuræ hæreditatis, donandæ per ſemen Abrahæ, Chriſtum, quo benedicendæ erant omnes gentes. Sed quia plenitudo temporis nondum erat, venit tutor, œconomus

Digitized by

nomus & Pædagogus noſter Moſes, tenens nos concluſos & captivos, ut manu cohercita non poſſemus dominari & hæreditatem poſſidere. Interim tamen ut hæres ſpe libertatis futuræ lætatur, Ita nos lætabat Moſes ſpe promiſſionis revelandæ ſuo tempore, cum ſcilicet veniret Chriſtus, qui adventu ſuo finiturus erat hoc tempus Legis, quod ſtante politia Moſi durabat, & allaturus tempus Gratiæ.

Tempus legis finitur, &c.

Tempus autem Legis dupliciter finitur. Primum, ut dixi, per adventum Chriſti in carnem, tempore à Patre præfinito. Chriſtus enim ſemel in tempore factus eſt Homo, natus è virgine, factus ſub Legem, ut eos qui ſub Lege erant redimeret. Semel per proprium ſanguinem intravit in Sancta, æterna redemptione inventa. Deinde ille idem Chriſtus, qui ſemel in tempore venit, quotidie & ſingulis horis ad nos in Spiritu venit. Semel quidem proprio ſanguine redemit ac ſanctificavit omnes. Sed quia nondum perfectè puri ſumus, hærent enim adhuc reliquiæ peccati in carne noſtra, quæ militat contra ſpiritum, &c. Ideo quotidie venit ſpiritualiter, & indies magis magisq; abſolvit tempus præfinitum à Patre, abrogat & tollit Legem.

Ebræ. 9.

Adventus Chriſti in ſpiritu ad nos.

Patres in veteri Teſtamento æque fide in Chriſtum ſalvati ſunt, ac nos.

Idem Chriſtus omnium.

Sic & Patribus in veteri Teſtamento in Spiritu veniebat, antequam in carne appareret. Habebant illi in ſpiritu Chriſtum, in quem revelandum, ut nos in jam revelatum, credebant, ac æque per eum ſalvati ſunt ut nos, juxta illud, Ieſus Chriſtus heri & hodie, idem eſt & in ſecula. Heri, ante tempus ſui adventus in carnem, Hodie, cum revelatus eſt in tempore. Nunc & in ſecula eſt idem Chriſtus, per quem unum & eundem liberantur à Lege, juſtificantur & ſalvantur omnes credentes præteriti, præſentes & futuri. Ita & nos, inquit, cum eſſemus parvuli, ſub elementis Mundi hujus ſerviebamus, id eſt, Lex dominabatur nobis, premebat nos tanquam ſervos & captivos dura ſervitute. Primum enim rudes & carnales civiliter cohercebat, ne præcipites ruerent in omnis generis flagitia. Nam lex minatur transgreſſoribus ſupplicium, quod niſi metuerent, nihil non mali committerent. Quos ſic cohercet lex, illis dominatur. Deinde ſpiritualiter ſeu Theologicè accuſabat, terrebat, occidebat & condemnabat nos coram Deo, hocq; erat præcipuum Legis imperium in nos. Vt ergo hæres, tutoribus ſubjectus, verberatur, cogitur eorum legibus obedire & imperata diligenter exequi: Ita conſcientiæ ante Chriſtum premuntur dura legis tyrannide, hoc eſt, accuſantur, perterrefiunt & damnantur à lege. At hoc imperium ſeu potius tyrannis ejus non eſt perpetua, ſed durare tantum debet usq; ad tempus Gratiæ. Quare officium quidem legis eſt, arguere & augere peccata, ſed ad juſticiam, occidere, ſed ad vitam. Lex enim Pædagogus eſt ad Chriſtum.

Ebræ. 9.

Servire ſub elementis mundi quid ſit.

Vſus legis politicus.

Vſus legis theologicus.

Tyrannis legis non eſt perpetua.

Sicut ergo tutores duriter tractant hæredem puerum, dominantur & imperant ei tanquam ſervo, cogiturq; ſubjectus eſſe ipſis. Ita Lex accuſat, humiliat & redigit nos in ſervitutem, ut ſimus ſervi Peccati, mortis & iræ Dei, quæ certe miſerrima ac duriſſima ſervitus eſt. Sed ut imperium Tutorum, & hæredis parvuli ſubjectio & ſervitus non eſt perpetua, ſed durat tantum usq; ad tempus à patre præfinitum, quo completo, non indiget tutela œconomorum, nec amplius manet ſubjectus illis, ſed pro arbitrio fruitur hæreditate paterna. Ita Lex dominatur nobis, nosq; cogimur ſervi & captivi eſſe ſub ipſius imperio, at non perpetuo. Addenda eſt enim quoq; particula, quæ ſequitur, Vsq; ad præfinitum tempus à patre. Chriſtus namq; promiſſus venit, & nos qui Legis tyrannide premebamur, redemit.

Quibus Chriſtus veneri, quibus non.

Contrà, ſecuris hypocritis, & contemptoribus palam impiis, deinde deſperatis, qui nihil reſtare putant quam pavores Legis, quos ſentiunt, illis utrisq; adventus Chriſti non prodeſt. Prodeſt tantum vexatis & conterritis lege ad tempus, hoc eſt, illis, qui in ſeriis pavoribus, quos Lex efficit, non deſperant, ſed ad Chriſtum, thronum Gratiæ, qui redemit eos à maledicto Legis, dum pro ipſis factus eſt maledictum, accedunt cum fiducia, illi miſericordiam conſequuntur & gratiam inveniunt, &c. Eſt ergo emphaſis in particula, Serviebamus, q. d. Con-

Servire ſub lege.

ſcientia

ſcientia noſtra ſubjecta erat legi, quæ ut Tyrannus ſuum captivum ſervum, tenens nos concluſos & captivos, flagellabat nos, & totis viribus tyrannidem ſuam in nos exercebat, hoc eſt, reddebat nos paventes, triſtes, pallidos, deſperabundos, minabatur nobis æternam mortem & damnationem. Hæc theologica ſervitus duriſſima eſt, non tamen, ut dixi, perpetua, ſed tantiſper durat, donec ſumus parvuli, hoc eſt, donec Chriſtus abeſt. Eo abſente ſumus ſervi ſub lege concluſi, carentes gratia, fide & omnibus donis Spiritus ſancti. At poſtquam venit Chriſtus, ceſſat ille carcer & ſervitus Legis.

Theologica legis ſervitus duriſſima.

Sub elementis mundi hujus, &c.

QVIDAM putaverunt Paulum hic loqui de elementis corporalibus, igni, aëre, aqua & terra. Sed Paulus ſuam peculiarem phraſin habet, & loquitur hic de ipſa Lege Dei, quam per tapinoſin vocat elementa Mundi hujus, Sonantq; verba ejus vehementer hæretica. Solet & alibi Paulus Legem vehementer extenuare, dum vocat Literam occidentem, miniſterium mortis & damnationis, virtutem peccati. Hasq; odioſiſſimas appellationes, quæ diſerte & proprie vim & uſum Legis oſtendunt, data opera eligit, ut nos admoneat in terroribus Peccati, iræ & judicij Dei, non eſſe nitendum juſticia propria aut legis, cum Lex in optimo uſu ſuo nihil aliud efficere poſſit, quam reas agere conſcientias, augere peccatum, minari mortem & damnationem æternam. Quare hæ extenuationes Legis referendæ ſunt ad certamen conſcientiæ, non ad civilem vitam & ſecura corda.

Elementa mundi.

Paulina Phraſis.

Cur Paulus extenuat legem.

Vocat ergo Elementa mundi, Legem, hoc eſt, externas literas ſeu traditiones, in libro quodam ſcriptas. Nam Lex, etiamſi civiliter coherceat à malo, & urgeat ad bene operandum, Tamen hoc modo ſervata non ideo liberat à peccatis, non juſtificat, non parat viam in cœlum, ſed relinquit in mundo. Non ideo conſequor juſticiam & vitam æternam, quod non occido, non committo adulterium, non furtum facio, &c. Iſtæ externæ virtutes & honeſta converſatio non ſunt regnum Chriſti, neq; juſticia cœleſtis, ſed ſunt juſticia carnis & mundi, quam etiam gentiles habent, non ſolum juſticiarij ut tempore Chriſti Phariſæi, & noſtro Monachi, &c. Illam præſtant alij, ut pœnas Legis vitent, Alij, ut ab hominibus prædicentur conſtantes, juſti, patientes, &c. Ideo potius appellanda erat fucus & hypocriſis, quam juſticia.

Elementa mundi.

Juſticia carnis & mundi, &c.

Deinde Lex etiam in ſummo ſuo uſu & vi, nihil poteſt quam accuſare, terrere, condemnare & occidere. Vbi autem pavor eſt & ſenſus peccati, mortis, iræ & judicij Dei, ibi certe nulla juſticia, nihil cœleſte, nihil divinum eſt, ſed hæc omnia ſunt meræ res Mundi, qui nihil aliud eſt, cum ſit regnum Diaboli, quam quædam colluvies peccati, mortis, inferni & omnium malorum, quæ pavidi & triſtes ſentiunt, ſecuri & contemptores non ſentiunt. Quare lex etiam in vero ſuo uſu, tantum revelat & auget peccatum & incutit terrorem mortis, quæ certe res mundanæ ſunt. Conſtat igitur Legem nihil Vivificum, ſalutiferum, cœleſte aut divinum præſtare, ſed ſolum mundana, Quare Paulus recte eam appellat Elementum mundi.

Mundus.

Quanquam autem Paulus totam Legem appellat Elementa mundi, ut ex his, quæ jam dicta ſunt, intelligi poteſt, Tamen præcipue de legibus ceremoniarum tam contemptim loquitur, quas, ſi multum conducunt, ait conſtituere tantum de rebus quibuſdam externis, ut de Cibo, potu, veſtitu, locis, temporibus, templo, feriis, lotionibus, ſacrificiis, &c. quæ mere mundana ſunt, & à Deo ordinata ad uſum præſentis tantum vitæ, non ut coram Deo juſtificent & ſalvent. Itaq; per particulam, Elementa mundi, totam juſticiam legalem, quæ ſita erat in externis illis ceremoniis, quanquam à Deo ordinatæ & præceptæ erant, ut ad tempus ſervarentur, rejicit & damnat, & contemptiſſimo nomine appellat, Elementa mundi. Sic Cæſareæ leges Elementa mundi ſunt, tractant enim de rebus mundi, pertinentibus ad præſentem vitam, ut de pecunia, poſſeſſionibus, hæreditatibus,

Leges ceremoniarum.

Juſticia legalis tota eſt elementum mundi. Cæſareæ leges.

homicidiis, adulteriis, rapinis,&c. De quibus agit & ſecunda tabula Decalogi.

Leges Papæ. Decretales autem & pontificias leges, quæ prohibent conjugium & cibos, vocat alibi Paulus, doctrinas Dæmoniorum, quæ & ipſæ ſunt Elementa mundi, niſi quod contra verbum Dei & fidem de rebus externis impiiſſime præcipiunt.

Lex Moſi tantum donat mundana. Quare lex Moſi nihil præter mundana præſtat, hoc eſt, oſtendit civiliter & theologice tantum mala, quæ in mundo ſunt. Vrget tamen, ſi eſt in vero uſu, ſuis terroribus conſcientiam, ut ſitiat & quærat promiſſionem Dei, & intueatur in

Spiritum ſancti conſolatione liberamur à terroribus legis. Chriſtum. Sed ad eam rem opus eſt Spiritus ſancti beneficio, qui dicat in corde, Non eſt voluntas Dei, poſtquam Lex fecit officium ſuum in te, ut tantum terreaſis & occidaris, Sed, ubi per Legem agnoveris miſeriam & perditionem tuam, non deſperes, ſed credas in Chriſtum, qui eſt finis Legis ad juſticiam omni credenti. Hic nihil mundani fit, ſed ceſſant hic omnia mundana, omnes Leges, & in- Rom.10.
cipiunt divina. Donec igitur ſub Elementis mundi, hoc eſt, ſub Lege, ſumus, quæ tantum oſtendit & auget peccata, ac iram efficit, non donat juſticiam & pacem conſcientiæ, ſervi ſumus legi ſubjecti, etiamſi habeamus promiſſionem futuræ Benedictionis. Lex quidem dicit, Diliges Dominum Deum tuum, ſed ut hoc faciam, aut ut Chriſtum acquiram, non poteſt præſtare.

Cur Paulus legem extenuet. Non dico iſta eo conſilio, quod Lex contemnenda ſit. Neq; Paulus hoc agit, ſed in magno precio habenda eſt. Quia vero Paulus hic verſatur in loco juſtificationis (Longe autem alia eſt diſputatio de juſtificatione, quam de Lege) neceſſitas poſtulabat, ut de Lege, tanquam de re contemptiſſima, loqueretur. Neq; ſatis viliter & odioſe, cum in hoc argumento verſamur, de ea loqui poſſumus.

In veris paveribus extenuanda lex, & magnifacienda Promiſſio. Ideo conſcientia in vero agone nihil prorſus cogitare & noſſe debet, niſi unicum Chriſtum, ac ſummis viribus adnitatur, ut tum Legem quam longiſſime è conſpectu abjiciat, nihilq; amplectatur, quàm promiſſionem Chriſti. Hoc facile quidem dicitur, ſed in tentatione, cum conſcientia cum Deo agit, hoc poſſe præſtare, omnium difficilimum eſt, nempe ut tum etiam cum Lex te terret, accuſat, peccatum oſtendit, minatur iram Dei ac mortem, ſic affectus ſis, quaſi nunquam fuerit Lex aut ullum peccatum, ſed ſolus Chriſtus, mera Gratia & redemptio. Aut ſi etiam ſentias terrorem Legis, tamen dicas, Lex non audiam te, quia habes impeditam & tardam linguam. Deinde plenitudo temporis jam venit, ideo liber ſum. Non feram igitur amplius imperium tuum,&c. Ibi cernitur quam omnium difficilimum ſit, Legem à Gratia diſcernere, quam plane divinum & cœleſte donum ſit, poſſe hic in ſpem præter ſpem credere, quamq; veriſſima ſit hæc Pauli propoſitio, Sola fide nos juſtificari.

Quæ appellationes tribuat Paulus legi. Ex his ergo diſce, ut in cauſa juſtificationis, contemptiſſime de lege loquaris, exemplo Apoſtoli, qui legem vocat, elementa mundi, mortiferas traditiones, virtutem peccati,&c. Nam ſi permiſeris Legem in conſcientia dominari, cum tibi res eſt cum peccato & morte vincendis coram Deo, revera nihil aliud eſt Lex, quam omnium malorum, hæreſum & blaſphemiarum ſentina. Quia tantum auget peccatum, accuſat, terret, minatur mortem, oſtendit Deum iratum judicem, qui damnat peccatores. Quare hic, ſi prudens es, longiſſime ableges Moſen balbum & blæſum cum ſua Lege, neq; ullo modo te moveant terrores & minæ ipſius. Hic ſimpliciter ſit tibi ſuſpectus, ut hæreticus, excommunicatus, damnatus, deterior Papa & Diabolo, ideo prorſus non audiendus.

Commendatio legis. Cæterum extra locum juſtificationis debemus cum Paulo reverenter ſentire de lege, & eam ſummis laudibus vehere, appellare ſanctam, juſtam, bonam, ſpiritualem, divinam,&c. Debemus extra conſcientiã facere ex ea Deum, in con-

Lex bona eſt & mala. ſcientia vero eſt vere Diabolus. Quia in minima tentatione non poteſt erigere & conſolari conſcientiam, imo plane diverſum facit, terret & contriſtat eam, & à fiducia juſticiæ, vitæ & omnis boni rapit. Hinc Paulus infra Legem vocat, infirma & egena elementa. Quare nullo modo ſinamus eam dominari in conſcientia, præſertim cum tanti conſtiterit Chriſto, ut Legis tyrannidem è conſcientia auferret.

auferret. Ideo enim factus eſt pro nobis Maledictum,ut nos à maledicto Legis redimeret.Diſcat igitur pius,legem & Chriſtum duo contraria eſſe,prorſus incompatibilia,Præſente Chriſto lex nullo modo dominari, ſed cedere debet è conſcientia,&relinquere cubile (quod anguſtius eſt, quã ut duos poſſit capere,Eſa.28.) ſoli Chriſto. Is ſolus dominetur in juſticia,ſecuritate, lætitia & vita, ut conſcientia læta obdormiat in Chriſto ſine ullo ſenſu Legis,peccati & mortis. *Lex & Chriſtus duo incompatibilia.* *Eſaiæ 28.*

Et data opera utitur hac figura ſermonis (Elementa mundi) qua,ut dixi, vehementer elevat autoritatem & gloriam Legis, ut nos excitet. Nam attento lectori Pauli,cum audit Apoſtolum vocare Legem,adminiſtrationem mortis,occidentem literam,&c. ſtatim venit in mentem,Cur tam odioſas,&,ut apparet rationi, blaſphemas appellationes tribuat Legi, quæ divina doctrina eſt è cœlo revelata? Huic ſudanti & quærenti rationem harum appellationum, reſpondet Paulus, Legem utrunq; eſſe,& ſanctam,juſtam, bonam,&c. & adminiſtrationem peccati ac mortis,ſed reſpectu diverſorum. Ante Chriſtum eſt ſancta, Poſt Chriſtum eſt mors. Ideo ubi Chriſtus venit, nihil ſimpliciter ſcire debemus de lege, niſi quatenus imperium habeat in carnem, quam cohercet & premit. Ibi confligatur mutuo Lex & caro (cui imperium legis durum eſt) donec morimur. Paulus inter Apoſtolos ſolus legem Dei appellat, elementa mundi, infirma & egena elementa,virtutem peccati,literam occidentem,&c. Alij Apoſtoli non ita locuti ſunt de lege. Quisq; igitur ſtudioſus Chriſtianæ Theologiæ diligenter obſervet hoc genus ſermonis Pauli. Chriſtus appellat eum electum organon, Ideo etiam dedit ei lectiſſimum os & ſingularem phraſin præ cæteris Apoſtolis, ut ipſe ceu electum organon fideliſſime jaceret fundamenta Articuli de juſtificatione,eumq; clariſſime traderet. *Cur Paulus vocet legem elementa mundi.* *Lex ſancta,juſta,& ſimul adminiſtratio mortis,&c.* *Phraſis Pauli obſervanda.*

At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum,factum (vel natum)ex muliere,factum ſub lege,ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.

HOC eſt, poſtquam tempus Legis fuit impletum, & jam Chriſtus erat revelatus, & liberaverat nos à lege, ac promiſſio promulgata erat in omnes gentes, &c. Obſerva diligenter quo modo hic Paulus Chriſtum definiat, Chriſtus, inquit,eſt filius Dei, ac mulieris, qui propter nos peccatores factus eſt ſub Legem, ut nos,qui ſub lege eramus,redimeret. His verbis utrunq; complexus eſt, & perſonam & officium Chriſti. Perſona conſtituta eſt,ex divina & humana natura. Id clare indicat cum dicit, Miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere. Eſt igitur Chriſtus verus Deus & verus homo. Officium vero ejus his verbis deſcribit, Factus ſub legem,ut eos qui ſub lege erant,&c. *Perſona & officium Chriſti.*

Et Paulus quaſi per contumeliam, ut apparet, virginem, matrem filij Dei, mulierem tantum appellat. Quod ex veteribus etiam Patribus quoſdam male habuit, qui voluerunt potius eum uſum fuiſſe hoc loco appellatione virginis, quam mulieris.Sed Paulus agit in hac Epiſtola de præcipua ac ſumma cauſa,nempe de Evangelio,de fide, de juſticia Chriſtiana. Item qualis perſona Chriſtus ſit, quod ejus ſit officium, quid noſtra cauſa ſuſceperit & fecerit, quæ beneficia nobis miſeris peccatoribus attulerit. Quare magnitudo tam ſtupendæ rei in cauſa fuit, ut rationem virginitatis non haberet. Satis ei erat inæſtimabilem & infinitam miſericordiam Dei prædicare, quod Deus dignatus ſit filium ſuum naſci ex iſto ſexu. Hinc non dignitatis ſexus, ſed ſimpliciter tantum ſexus mentionem fecit. Et per hoc quod ſexum nominat, ſignificat, ipſum Chriſtum factum eſſe verum hominem ex ſexu fœmineo,q.d.Natus eſt non ex maſculo & fœmina,ſed tantum ex fœmineo ſexu. Itaq; cum ſexum fœmineum tantum nominat, idem eſt, cum dicit, factum ex muliere, ac ſi diceret, factum ex virgine. Iohannes Evangeliſta cum deſcribit Verbum, quod in principio erat,&c. eſſe factum carnem, ne uno quidem verbo matris meminit. *Cur Paulus matrem Chriſti appellet mulierem, non virginem.*

Porro hic locus teſtatur quoq; Chriſtum completo tempore Legis eam

Error & blasphemiæ Papistarum & Turcarum.

abrogasse,& per hoc liberasse oppressos ea, non tulisse novam, post & supra veterem illam Mosi. Quare Monachi & Sophistæ non minus pernicioſe errant,& non minori contumelia Christum afficiunt,quod imaginantur eum tulisse novam Legem,ultra Mosi,quam Turcæ,qui jactant suum Mahometen novum & meliorem legislatorem post Christum. Non venit abrogaturus veterem Legem, ut novam conderet,sed,ut Paulus hic ait,missus est à Patre in mundum, ut eos qui sub lege captivi tenebantur,redimeret. Hæc verba Christum vere & proprie depingunt, non tribuunt ei officium novæ Legis condendæ, sed redimendi eos, qui sub lege erant. Et Christus ipse inquit,Iohan.8. Non judico quẽquam. Et alibi,Non veni ut judicem mundum, sed ut mundus per me salvetur, Hoc est, Non veni ut Legem feram, & secundum eam homines judicem, ut Moses & alij Legislatores,sed sublimiore & meliore officio fungor. Lex occidit vos, Ego eam vicissim judico,condemno & occido,& sic vos à tyrannide ejus libero.

Pictura Christi vera.

Iohan. 3.

Christi officium.

Nos adulti,pestifera Papistarum imbuti doctrina,quam imis ossibus ac medullis imbibimus, de Christo concepimus opinionem prorsus diversam ab ea, quam Paulus hic proponit. Vt maxime enim fatebamur ore,Christum nos è servitute & tyrannide Legis redemisse, re vera tamen corde sentiebamus, eum esse legislatorem,Tyrannum ac judicem,magis formidabilem ipso Mose. Et hanc pestiferam opinionem nec hodie,in tanta luce veritatis,possumus prorsus ex animo ejicere,adeo tenaciter inhærent, quibus à teneris assueti sumus. Vos adolescentes,testæ adhuc recentes, hac impia persuasione nondum infecti,minore negotio potestis Christum pure discere, quam nos adulti has blasphemas de eo imaginationes ex animo ejicere. Non tamen ideo penitus effugistis dolos Diaboli. Nam etiamsi hac impia opinione de Christo legislatore nondum sitis imbuti, habetis tamen ipsa materialia, hoc est, carnem, rationem & malitiam naturæ, quæ de Christo non potest aliter judicare,quam eum esse legislatorem. Ideo summo conatu vobis decertandum est,ut ita discatis Christum agnoscere & intueri, quemadmodum Paulus eum hoc loco depingit. Quod si vero præter hanc malitiam naturæ accesserint & impij Doctores, quorum mundus semper plenus est, hi naturæ malitiam adjuvant, ut duplex malum fiat, hoc est, mala institutio auget & confirmat pernicioſum errorem rationis cæcæ,quæ naturaliter judicat Christum legislatorem esse, eumq; errorem tam potenter imprimit animis, ut sine magno labore & conatu non possit aboleri.

Opinio de Christo falsa non facile abjicitur.

Judicium rationis de Christo.

Valde igitur prodest hanc suavissimam & consolatione plenissimam sententiam,& similes,quæ Christum proprie & diserte definiunt,in conspectu habere,ac eas semper intueri,ut in omni vita,in omnibus periculis,in confessione fidei coram Tyrannis, in hora mortis,possimus certa & constanti fiducia dicere, Lex, nullum jus in me habes,ideo frustrà accusas & condemnas me. Credo enim in Iesum Christum Filium Dei,quem Pater misit in mundum,ut nos miseros peccatores oppressos Legis tyrannide, redimeret. Is suam vitam profudit & prodegit largissime pro me. Itaq; sentiens terrores & minas tuas, ô Lex, immergo conscientiam meam in vulnera,sanguinem, mortem,resurrectionem & victoriam Christi,præter hunc nihil plane videre & audire volo.

Sententiæ Christum diserte definientes in conspectu habẽdæ.

Consolatio perturbata conscientia contra terrores legis.

Hæc fides est victoria nostra,qua vincimus terrores Legis, peccati, mortis & omnium malorum,non tamen sine magno certamine. Vere pij, qui gravibus tentationibus quotidie exercentur,hic sudant. Illis sæpenumero in mentem venit, Christum velle expostulare nobiscum, velle rationem exigere à nobis transactæ vitæ, velle accusare & condemnare nos. Non possunt certo constituere,eum missum à Patre, ut nos tyrannide Legis oppressos redimeret. Hoc inde accidit, Sancti nondum penitus deposuerunt Carnem, ea autem repugnat spiritui. Ideo subinde redeunt terrores Legis,pavor mortis,& alia spectra tristia,quæ fidem impediunt, ut tanta certitudine beneficium Christi, qui nos è servitute Legis redemit,non apprehendat, quanta deberet.

Fides victoria nostra.

Certamina piorum.

Sed

Sed qua ratione ſeu modo Chriſtus nos redemit? Iſte fuit modus redemptionis, Factus eſt ſub Legem. Chriſtus veniens, invenit nos omnes captivos ſub Pædogogis & tutoribus, hoc eſt, concluſos & cuſtoditos ſub lege. Quid fecit? Ipſe eſt Dominus legis, ideo Lex non habet jus in eum, non poteſt eum accuſare, quia eſt filius Dei. Cum igitur non eſſet ſub lege, ſua ſponte ſe legi ſubjecit. Ibi Lex exercuit in eum omnem Tyrannidem, quam in nos. Accuſat autem & terret nos, ſubjicit nos Peccato, morti, iræ Dei, ac judicio ſuo condemnat, Et hoc jure facit, quia omnes peccatores & naturaliter filij iræ ſumus. Contrà, Chriſtus peccatum non fecit, neq; inventus eſt dolus in ore ejus, ideò Legi nihil debuit, Et tamen lex in tam innocentem, ſanctum, juſtum & benedictum æquè ſæviit, ac in nos peccatores, maledictos & damnatos, & multo atrocius. Accuſavit enim ut blaſphemum & ſeditioſum, fecit eum reum coram Deo omnium peccatorum totius mundi, deniq; ſic contriſtavit & pavefecit, ut ſudaret ſanguinem, poſtremo ſua ſententia condemnavit ad mortem, & quidem crucis.

Modus redemptionis noſtræ.

Chriſtus legi nihil debebat & tamen eum condemnavit.

Hoc profecto mirabile duellum eſt, ubi lex creatura cum Creatore ſic congreditur, & præter omne jus, omnem tyrannidem ſuam in filio Dei exercet, quam in nobis filiis iræ exercuit. Quia ergo Lex tam horribiliter & impie peccavit in Deum ſuum, vocatur in jus & accuſatur. Ibi Chriſtus ait, Domina Lex, imperatrix & regina potentiſſima ac crudeliſſima totius generis humani, Quid commiſi quod accuſaſti, perterrefeciſti & condemnaſti me innocentem? Hic Lex quæ damnaverat & occiderat prius omnes homines, cum non habeat, quo ſe defendat aut purget, viciſſim ita damnatur & occiditur, ut amittat jus ſuum, non ſolum in Chriſto (in quem injuſte ſæviit & occidit) ſed etiam in omnibus, qui credunt in eum. His enim dicit Chriſtus, Venite ad me omnes, qui laboratis ſub jugo legis. Ego potuiſſem vincere Legem ſummo jure, ſine meo malo, Sum enim Dominus legis, ideoq; nullum jus in me habet, Sed propter vos, qui eratis ſub Lege, aſſumpta carne veſtra, ſubjeci me legi, hoc eſt, per ſuperabundantiam demiſi me in eundem Carcerem, tyrannidem & ſervitutem Legis, ſub qua captivi ſerviebatis vos, paſſus ſum Legem dominari mihi, Domino ſuo, perterrefacere me, ſubjicere me peccato, morti & iræ Dei, &c. quod non debebat. Ideo duplici jure Legem vici, proſtravi, trucidavi. Primum ut filius Dei, Dominus legis. Deinde in perſona veſtra, quod tantundem eſt ac ſi vos ipſi Legem viciſſetis, quia mea victoria eſt veſtra.

Mirabile duellum legis cum Chriſto, &c.

Lex imperat toti generi humano.

Lex damnata & occiſa per Chriſtum.

Matth. 11.

Chriſtus duplici jure legē vicit.

Ad hunc modum Paulus de illo mirabili duello paſſim loquitur. Et ut res jucundior & illuſtrior fiat, Legem pingere ſolet per proſopopœiam, quaſi ſit potentiſſima quædam perſona, quæ Chriſtum condemnaverit & occiderit, Quam ipſe, ſuperata morte, viciſſim vicerit, condemnaverit & occiderit, Eph. 2. Interficiens inimicitiam in ſemetipſo. Et cap. 4. ex Pſal. 68. Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem. Ea proſopopœia uſus eſt etiam ad Rom. Cor. Col: De peccato damnavit peccatum, &c. Hac ergo victoria ſua fugavit Chriſtus è conſcientia noſtra Legem, ut amplius non poſſit nos confundere in cõſpectu Dei, in deſperationem adigere & damnare. Non deſinit quidem oſtendere peccatum, accuſare & perterrefacere, Sed conſcientia apprehendens hoc Apoſtoli verbum, Chriſtus à lege nos redemit, fide erigitur & conſolationem concipit. Deniq; ſancta quadam ſuperbia inſultat Legi, dicens, Nihil moror terrores & minas tuas, quia crucifixiſti filium Dei, & ſumma injuria crucifixiſti. Ideo peccatum quod in eum commiſiſti, eſt irremiſſibile, amiſiſti jus tuum, & nunc in poſterum non ſolum Chriſto victa ac ſtrangulata es, ſed etiam mihi credenti in eum, cui donavit hanc victoriam. Sic lex periit nobis in ſempiternum, modo in Chriſto permaneamus. Deo igitur Gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Lex potentiſſimus hoſtis Chriſtum condemnavit, &c.

Ephes. 4.

Chriſtus ſua victoria liberavit nos à terroribus legis, &c.

Peccatum legis in Chriſtum irremiſſibile.

Iſta quoq; huc pertinent, Quod ſola fide juſtificemur. Quia cum hoc duellum geſtum eſt inter legem & Chriſtum, nulla prorſus opera aut merita noſtra

Fide nos juſtificari.

intervenerunt, ſed ſolus Chriſtus ibi fuit, qui induta perſona noſtra, ſubjecit ſeſe legi, & ſumma innocentia ſuſtinuit omnem ejus tyrannidem. Ideo Lex tanquam latro & ſacrilegus homicida filij Dei, amittit jus, & meretur damnari, ut ubicunq; eſt, vel ſaltem nominatur Chriſtus, procul diſcedere, & fugere hoc nomen, ut Diabolus crucem, cogatur. Quare credentes liberi ſumus à lege per Chriſtum, qui de ea triumphavit per ſemetipſum. Itaq; hic glorioſus triumphus per Chriſtum nobis partus, nullis operibus, ſed ſola fide, apprehenditur, Ergo ſola Fides juſtificat.

Lex ſua ſententia occidit filium Dei.

Hæc itaq; verba, Chriſtus factus eſt ſub Legem, &c. ut valde ſunt ſignificantia, ita diligenter expendenda ſunt. Indicant enim filium Dei ſub lege factum, non tantum unum atq; alterum opus legis feciſſe, hoc eſt, non tantum eſſe circumciſum, in templum præſentatum, Hieroſolymam petiiſſe cum aliis ad ſtata tempora, &c. aut tantum civiliter ſub ea fuiſſe, ſed omnem legis tyrannidem paſſum fuiſſe. Lex enim in ſummo ſuo uſu invaſit Chriſtum, tam horribiliter perterrefecit eum, ut tantum angorem ſenſerit, quantum nullus hominum in terris unquam ſenſit. Hoc ſatis teſtatur ſanguineus ejus ſudor, confortatio ejus per Angelum, & ſeria ipſius precatio in horto, deniq; miſerabilis illa vox in cruce, Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me? Sed iſta pertulit, ut redimeret eos, qui erant ſub lege, hoc eſt, qui erant triſtes, pavidi & deſperabundi, quos peccata gravabant, ut certe nos omnes etiamnum gravant. Nam ſecundum carnem quotidie adhuc contra omnia præcepta Dei peccamus, Sed Paulus bene nos ſperare jubet, cum inquit, Deus miſit Filium ſuum, &c.

Chriſtus factus ſub legem.

Chriſtus omnem legis tyrannidem paſſus.

Sic Chriſtus, perſona divina & humana, natus ex Deo ab æterno, ex virgine in tempore, non venit ad condendam legem, ſed ut terrores ipſius in ſummo gradu ſentiret & vinceret, ac per hoc eam tolleret. Non factus eſt Doctor legis, ſed diſcipulus obediens legi, ut hac ſua obedientia redimeret eos qui ſub lege erant. Hæc prorſus aliena ſunt à doctrina Papiſtarum, qui Chriſtum fecerunt Legislatorem, & quidem Moſe ſeveriorem. Paulus hic omnino contrarium docet, ſcilicet Deum projeciſſe Filium ſuum ſub Legem, hoc eſt, coëgiſſe eum ferre judicium & maledictionem Legis, peccatum, mortem, &c. Moſes enim, miniſter Peccati, iræ & mortis, cepit, ligavit, condemnavit & occidit Chriſtum, hoc ipſe pertulit. Habuit ergo Chriſtus ſe ad Legem paſſive, non active. Non eſt igitur Legislator, aut Iudex ſecundum legem, ſed in eo dum ſe ſubjecit legi, ferens ejus condemnationem, à maledicto ejus nos liberavit.

Chriſtus non venit, ut legem conderet, ſed ut eam abrogaret.

Miniſterium Moſi.

Quod autem Chriſtus in Evangelio præcepta tradit & legem docet, ſeu potius interpretatur, hoc non ad locum de juſtificatione, ſed de bonis operibus pertinet. Deinde etiam non eſt proprium Chriſti officium, propter quod præcipue venit in mundum, docere legem, ſed accidentale. Cujuſmodi erat & hoc, quod ſanabat infirmos, excitabat mortuos, benefaciebat indignis, conſolabatur afflictos, &c. Ea quidem glorioſa ac divina opera & beneficia ſunt, ſed non propria Chriſti. Nam Prophetæ docuerunt etiam Legem, & miracula ediderunt. Chriſtus vero eſt Deus & homo, qui pugnans cum lege, paſſus eſt extremam ipſius ſævitiam ac tyrannidem, Et hoc ipſo quod fecit & ſuſtinuit legem, vicit eam in ſemetipſo, Ac poſtea reſurgens à morte, legem infeſtiſſimum hoſtem noſtrum damnavit & è medio ſuſtulit, ut amplius damnare & occidere credentes non poſſit. Quare Chriſti verum ac proprium officium eſt, luctari cum Lege, peccato & morte totius mundi, & ſic luctari, ut iſta ſuſtineat, & ſuſtinendo in ſemetipſo vincat & aboleat & hoc modo credentes à lege & omnibus malis liberet. Itaq; particularia beneficia Chriſti ſunt, legem docere & miracula edere, propter quæ præcipue non venit. Nam Prophetæ & præcipue Apoſtoli majora miracula fecerunt, quam Chriſtus ipſe, Iohan. 14.

Docere legem non eſſe proprium Chriſti officium.

Proprium Chriſti officium.

Particularia beneficia Chriſti.

Iohan 14.

Cum autem Chriſtus in propria ſua perſona legem vicerit, neceſſario ſequitur eum eſſe natura Deum. Nemo enim, ſive ſit homo, ſive angelus, eſt ſupra legem,

Chriſtus natura Deus.

legem,præter ſolum Deum. At Chriſtus eſt ſupra legem, quia vicit ac jugulavit eam,Igitur eſt Filius Dei ac natura Deus. Si hoc modo Chriſtum apprehenderis, ut hic depingitur à Paulo,non errabis neq; pudefies. Deinde in promptu erit,judicare de omnibus vitæ generibus,,de religione & cultibus totius mundi. Ablata autem, vel ſaltem obſcurata,hac vera Chriſti pictura, certo ſequitur confuſio omnium rerum, Quia animalis homo non poteſt judicare de lege Dei. Hic deficit ars Philoſophorum, Iuriſtarum & omnium hominum, Lex enim dominatur hominis,Ergo judicat hominem,non homo legem. Solus Chriſtianus certum judicium habet de lege. Quo modo? Quod non juſtificet. Cur ergo fit,ſi non juſtificat? Finalis cauſa obedientiæ legis in juſtis, non eſt juſticia coram Deo, quæ ſola fide accipitur, ſed pax mundi,gratificatio erga Deum, & bonum exemplum, quo alios invitant ad credendum Evangelio,&c. Papa ita confudit Ceremonialia,moralia & fidem,ut prorſus inter ea nihil diſcreverit, donec tandem prætulerit ceremonialia moralibus, & moralia fidei.

Vera Chriſti pictura.

Animalis homo non habet certum judicium de lege.

Obedientia legis in juſtis.

Vt adoptionem Filiorum reciperemus.

Id eſt, filiationem divinam Paulus copioſe explicat & ornat hunc locum, Gen.22. In ſemine tuo,&c. Supra appellavit Benedictionem illam Seminis Abrahæ,Iuſticiam,vitam,promiſſionem ſpiritus,redemptionem à lege, teſtamentum, &c. Hic filiationem & hæreditatem vitæ æternæ appellat. Iſta omnia complectitur vocabulum Benedictionis. Nam ſublata per hoc Semen benedictum maledictione,quæ eſt peccatum,mors,&c. ſuccedit in locum ejus Benedictio,hoc eſt, Iuſticia,vita & omnia bona. Vides itaq; Paulum etiam vbertate & copia valuiſſe, ubi voluit.

De Semine.

Gen.22.

Sed quo merito accepimus iſtam Benedictionem, hoc eſt, filiationem & hæreditatem vitæ æternæ? Nullo. Quid enim homines concluſi ſub peccatum, obnoxij maledicto legis & rei æternæ mortis, mererentur? Gratis igitur & indigni, non tamen ſine merito iſta accepimus. Quod eſt illud meritum? Non noſtrum, ſed Ieſu Chriſti filij Dei, qui factus ſub Legem non pro ſe, ſed pro nobis (ut ſupra dixit Paulus,Eum factum eſſe pro nobis maledictum) redemit nos, qui ſub lege eramus. Quare iſtam filiationem accepimus ſola redemptione Ieſu Chriſti filij Dei,qui eſt noſtrum abundantiſſimum & æternum meritum, ſive de congruo ſive de condigno. Simul autem cum iſta gratuita filiatione accepimus quoq; Spiritum ſanctum,quem Deus per Verbum miſit in corda noſtra, clamantem Abba Pater, ut ſequitur.

Meritum, per quod accepimus filiationem Dei.

Meritum noſtrum, &c.

Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra.

Spiritus ſanctus dupliciter mittitur. In primitiva Eccleſia manifeſta ac viſibili ſpecie miſſus eſt,Quo modo deſcendit ad Iordanem ſuper Chriſtum,in ſpecie columbæ, ſuper Apoſtolos & alios credentes in ſpecie ignis. Iſta fuit prima miſſio Spiritus ſancti,neceſſaria in primitiva Eccleſia, quam manifeſtis ſignis fundari oportebat, propter infideles,ut Paulus teſtatur, 1.Corinth.14. Linguæ (inquit) ſigni vice ſunt, non iis qui credunt,ſed incredulis. Poſtea vero ubi Eccleſia fuit congregata, & iſtis ſignis confirmata, non opus erat iſtam viſibilem miſſionem Spiritus ſancti perdurare.

Spiritus ſanctus dupliciter mittitur.

1.Cor.14.

Altera eſt,qua Spiritus ſanctus per Verbum mittitur in corda credentium, ut hic dicitur,Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda,&c. Illa fit ſine viſibili ſpecie, quando videlicet per verbum vocale concipimus ardorem & lucem, qua alij & novi efficimur, qua novum judicium, novi ſenſus & motus in nobis oriuntur. Iſta mutatio & novum judicium non eſt opus humanæ rationis aut virtutis, ſed donum & effectus Spiritus ſancti, qui cum verbo prædicato venit, qui fide purificat corda, & ſpirituales motus in nobis parit. Ideo maxima differentia eſt inter

Miſſio Spiritus ſancti in corda per verbum.

Pij certum judicium habent de omnibus rebus, econtra impij, &c.

est inter nos, & eos, qui vi & dolis Evangelij doctrinam persequuntur. Nos gratia Dei, certo statuere & judicare possumus ex Verbo, de voluntate Dei erga nos, item de omnibus legibus & doctrinis, de vita nostra & aliorum. Contrà Papistæ & fanatici spiritus de nulla re certò judicare possunt. Hi enim depravant & pervertunt, Illi vero persequuntur & blasphemant verbum, Sine verbo autem nihil certi de ulla re judicari potest.

Signa renovationis pij.

Licet autem non appareat coram mundo nos renovatos esse mente, & Spiritum sanctum habere, tamèn ipsum judicium, locutio & confessio nostra satis arguit, Spiritum sanctum cum suis donis esse in nobis. Nam antea prorsus de re nulla recte judicare potuimus. Non sic locuti & confessi sumus, omnia nostra esse peccata & damnata, solum Christum esse meritum nostrum congrui & condigni,

Judicium mundi de pijs.

ut nunc, lucente veritatis sole, facimus. Quare nihil nos moveat, quod Mundus, cujus opera testificamur esse mala, judicet nos esse Hæreticos pestilentissimos, & seditiosos homines, eversores religionis & publicæ pacis, obsessos à Diabolo, qui ex nobis loquatur, & omnes actiones nostras gubernet. Contra hoc perversum

Testimonium conscientiæ, &c

judicium Mundi, satis sit hoc testimonium conscientiæ nostræ, quo certo scimus, divinum esse donum, quod non solum credimus in Iesum Christum, sed palam eum etiam prædicamus & confitemur coram mundo. Vt corde credimus, ita ore loquimur, Iuxta illud Psalmi, Credidi, ideo locutus sum, Ego autem humiliatus sum nimis, &c. *Psal. 115.*

Reliquiæ peccati in sanctis, &c

Exercemus deinde nos ad pietatem, & vitamus peccata, quantum possumus. Si peccamus, non consulto, sed per ignorantiam peccamus, & dolemus. Labi possumus, quia Diabolus insidiatur nobis dies noctesque, Item reliquiæ peccati hærent adhuc in carne nostra. Quantum igitur ad carnem attinet, peccatores sumus, etiam post acceptum Spiritum sanctum. Nec ita magnum est discrimen inter Christianum & hominem civiliter bonum. Nam opera Christiani in

Judicium perversum mundi de operibus piorum.

speciem vilia sunt, Facit officium juxta vocationem suam, gubernat rempublicam, regit domum, colit agrum, consulit, largitur & servit proximo. Ea opera carnalis homo non magnifacit, sed putat esse vulgaria & nihili, quæ laici, imo Gentiles etiam faciant. Mundus enim non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt, ideo

Mundus superstitionem amplectitur pro pietate. Opera piorum in specie levia & exilia.

perverse judicat de operibus piorum. Monstrosam illam hypocritarum superstitionem & eorum electicia opera, non solum admiratur, sed etiam religiose de eis sentit, & ea magnis impensis fovet. Contra piorum opera (in speciem quidem vilia & exilia, tamen vere bona & accepta Deo, cum fiant in fide, lætitia animi, obedientia & gratitudine erga Deum) tantum abest ut agnoscat esse bona, ut etiam vituperet & damnet ea, tanquam summam impietatem & injusticiam. Ideo mundus nihil minus credit, quam nos habere Spiritum sanctum. Tempore tamen tribulationis seu crucis & confessionis fidei (Quod proprium & præcipuum opus est credentium) cum uxor, liberi, res, vita, relinquenda sunt, aut Christus negandus est, palam fit, nos virtute Spiritus sancti confiteri fidem, Christum & verbum ejus.

Signa præsentiæ Spiritus sancti.

Non debemus igitur dubitare Spiritum sanctum habitare in nobis, sed certo statuere & agnoscere nos esse templum, ut Paulus ait, Spiritus sancti. Nam si aliquis sentit amorem erga Verbum, & libenter audit, loquitur, cogitat, dictat & scribit de Christo, is sciat, hoc nō esse opus humanæ voluntatis aut rationis, sed donum Spiritus sancti. Impossibile est enim ista sine Spiritu sancto fieri. Contra, ubi odium & contemptus Verbi est, ibi Diabolus, Deus hujus seculi regnat, excæcat & captiva tenet corda hominum, ne illis fulgeat lux Evangelij, gloriæ Christi. Id quod hodie in vulgo videmus, qui nihil afficitur Verbo, sed securissime contemnit, ac si prorsus nihil ad se pertineret. In quibus vero est aliqua flamma & suspirium erga verbum, illi agnoscant cum gratitudine istum affectum per Spiritum sanctum sibi infusum esse. Cum isto enim affectu non nascimur, neq; ullis legibus erudiri possumus, ut eum acquiramus. Hæc plane & simpliciter mutatio est *1. Cor. 6.*

Satan regnat in contemptu Verbi Evangelij.

dexteræ

dexteræ excelſi. Itaq; cum libenter audimus prædicari de Chriſto filio Dei, qui propter nos factus eſt homo, & ſubjecit ſeſe legi,ut nos redimeret, tum Deus per & cum iſta prædicatione certo mittit Spiritum ſanctum in corda noſtra. Ideo maxime expedit piis ſcire ſe Spiritum ſanctum habere.

Hæc dico pro confutanda Sophiſtarum & Monachorum pernicioſa doctrina,quam docuerunt & ſtatuerunt, videlicet, Neminem certo poſſe ſcire, etiamſi pro virili ſua bene operetur & inculpate vivat, Vtrum in gratia ſit. Et iſta ſententia vulgatiſſima & receptiſſima,fuit Principium & articulus quidam fidei in toto Papatu,quo doctrinam fidei prorſus obruerunt, fidem everterunt,conſcientias perturbarunt,Chriſtum ex Eccleſia ſuſtulerunt,omnia beneficia & dona Spiritus ſancti obſcurarunt & abnegarunt,verum cultum Dei abrogarunt, idolatriam,contemptum & blaſphemiam Dei in cordibus hominum erexerunt.Nam qui de voluntate Dei erga ſe dubitat,& non certo ſtatuit ſe eſſe in gratia,is non poteſt credere ſe habere remiſſionem peccatorum,ſe Deo curæ eſſe,ſe poſſe ſalvari. *Doctrina Sophiſtarum, Neminem ſcire, utrum in gratia ſit.*

Auguſtinus recte & pie dicit,Vnumquenq; fidem ſuam certiſſime videre, ſi eam habet. Hoc ipſi negant, Abſit,ajunt,ut certo ſtatuam, quod ſim in Gratia, quod ſim ſanctus,quod habeam Spiritum ſanctum, etiamſi ſancte vivam & omnia faciam. Hanc impiam opinionem,qua totum regnum Papæ nititur,ut nocentiſſimam peſtem vos juniores fugite & exhorreſcite, quia ea nondum imbuti eſtis. Nos ſenes in ea à puero educati ſumus, eamq; ita imbibimus, ut coaluerit in imis viſceribus cordis noſtri. Ideo non minori labore dediſcimus eam, quam veram fidem diſcimus. Omnino autem nos certo ſtatuere oportet, quod ſimus in Gratia,quod placeamus Deo propter Chriſtum, quod habeamus Spiritum ſanctum. Qui enim Spiritum Chriſti non habet,hic non eſt ejus. Deinde quicquid dubitans cogitat,loquitur & operatur,peccatum eſt. Quia omne quod non fit ex fide, peccatum eſt. *Certo ſtatuendum nos in gratia eſſe.*

Quare ſive ſis Verbi miniſter, ſive gubernes Rempublicam, certo ſtatuere debes, tuum officium placere Deo. Illud autem nunquam ſtatuere poteris, niſi habeas Spiritum ſanctum. At ais, Non dubito officium placere Deo, quia eſt ordinatio divina,Sed de perſona dubito,an illa placeat? Hic conſulenda eſt Theologia,quæ præcipue hoc agit,ut certos nos reddat,quod non ſolum officium perſonæ, ſed etiam Perſona ipſa Deo placeat. Quia perſona baptiſata eſt, credit in Chriſtum, ſanguine ejus ab omnibus peccatis mundata eſt, vivit in ſocietate Eccleſiæ,Item,non ſolum amat puram verbi doctrinam,ſed vehementer etiam gaudet eam propagari,& numerum credentium augeri. Contra, odit Papam & fanaticos ſpiritus cum impia ſua doctrina, Iuxta illud, Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi. *Quomodo certo ſtatuere poſſit non ſolum officium tuum, ſed & perſonam Deo placere.* *Pſal. 118.*

Ideo ſtatuere certo debemus, non ſolum officium noſtrum placere Deo, ſed etiam Perſonam noſtram, Quicquid ea etiam privatim dixerit, geſſerit,cogitaverit,placet Deo. Non quidem propter nos,ſed propter Chriſtum, quem credimus pro nobis factum eſſe ſub Legem. Sumus autem certiſſimi Chriſtum placere Deo, eum ſanctum eſſe,&c. Quatenus igitur placet Chriſtus, & in eo hæremus, eatenus & nos Deo placemus ac ſancti ſumus. Et quanquam hæreat peccatum adhuc in carne, & præterea etiam quotidie adhuc labamur, Tamen Gratia uberior & potentior eſt peccato,Miſericordia & veritas Domini regnat ſuper nos in æternum. Quare Peccatum non poteſt terrere aut dubios nos reddere,de gratia Dei in nobis. Chriſtus enim Gigas potentiſſimus, ſuſtulit Legem, peccatum damnavit, Mortem & omnia mala abolevit,Donec ille eſt in dextera Dei,interpellans pro nobis, non poſſumus de gratia Dei erga nos dubitare. *Gratia potentior & uberior peccato.*

Deinde quoq; miſit Deus Spiritum filij ſui, ut Paulus hic ait, in corda noſtra. Chriſtus autem certiſſimus eſt in Spiritu ſuo,ſe Deo placere,&c. Ideo & nos cum eundem Spiritum Chriſti habeamus, debemus certi eſſe, nos eſſe in gratia, &c. propter eum qui certus eſt. Hoc de teſtimonio interno, quo cor certiſſime *Teſtimonia in-*

ſtatuere

terna & externa nos esse in gratia.

ſtatuere debet,ſe eſſe in gratia,ſe habere Spiritum ſanctum. Externa vero ſigna, ut ſupra dixi,ſunt libenter audire de Chriſto,docere,gratias agere, laudare,confiteri eum, cum diſpendio etiam rerum & vitæ. Deinde ſecundum vocationem pro virili facere officium in Fide, gaudio,&c. non delectari Peccatis, non irrumpere in alienam vocationem,ſed propriæ ſervire,adjuvare fratrem egentem,conſolari triſtes,&c. Iſtis ſignis certi reddimur & confirmamur à poſteriori, nos eſſe in gratia. Imaginantur & impij ſe iſta ſigna habere,ſed nihil minus habent.

Doctrina Papæ

Ex his ſatis conſtat, Papam ſua doctrina tantum perturbare & ad extremum in deſperationem adigere conſcientias. Quia non ſolum docet, ſed etiam

Infirmitas fidei in piis.

præcipit eas ambigere,&c. Ideo in ore eius,ut Pſalmus ait,nihil eſt certi.Et alibi, *Pſalm. 9.* Sub lingua ejus eſt labor & dolor, Videmus autem hic, quanta ſit adhuc infirmitas Fidei in piis. Nam ſi certo poſſemus ſtatuere,nos eſſe in Gratia,nobis Peccata eſſe remiſſa,nos habere Spiritum Chriſti,nos eſſe filios Dei, tum profecto læti ac Deo grati eſſemus pro hoc inenarrabili dono. Quia vero ſentimus contrarios motus,Timorem,dubitationem,triſticiam,&c. Ideo non audemus hoc certo ſtatuere. Imo conſcientia judicat magnam præſumptionem ac ſuperbiam eſſe,hanc gloriam ſibi arrogare. Ideo res iſta tum demum recte intelligitur, cum ad uſum transfertur. Sine experientia enim nunquam diſcitur.

Certitudo fidei.

Quare unusquisq; aſſuefaciat ſe,quod certo ſtatuat,ſe eſſe in gratia,& perſonam ſuam placere cum operibus. Si autem ſentit ſe dubitare, exerceat Fidem & luctetur contra dubitationem,ac nitatur ad certitudinem,ut dicere poſſit,Scio me acceptum eſſe, Spiritum ſanctum habere,Non propter meam dignitatem aut meritum,ſed propter Chriſtum, qui propter nos ſubjecit ſe Legi, & tulit peccata mundi. In hunc ego credo,Si ego peccator ſum & erro,Ipſe juſtus eſt, errare non poteſt. Deinde libenter audio,lego, canto, ſcribo de eo, nihil magis cupio quam Evangelium ipſius innoteſcere mundo, & multos converti.

Teſtimonia præſentiæ Spiritus ſancti.

Hæc certo teſtantur Spiritum ſanctum adeſſe. Talia enim non fiunt humanis viribus in corde, nec ullis exercitiis aut laboribus acquiruntur, ſed per Chriſtum contingunt,qui primũ notitia ſui juſtificat nos, Deinde creat cor mundum, parat novos motus,donat certitudinem illam, qua ſtatuimus nos placere Patri propter ipſum, Donat item certum judicium, quo probamus ea, quæ prius ignorabamus aut prorſus contemnebamus. Debemus igitur quotidie magis magisq; luctari ab incertitudine ad certitudinem, & operam dare, ut iſtam peſtilentiſſimam opinionem (Quod homo dubitare debeat de gratia Dei) quæ totum mundum devoravit,funditus extirpemus. Nam ſi dubitamus nos eſſe in Gratia, nos placere Deo propter Chriſtum,negamus Chriſtum nos redemiſſe,negamus ſimpliciter omnia ejus beneficia. Vos juniores facile puram doctrinam Evangelij capere & illam peſtiferam opinionem vitare poteſtis,Quia ea nondum eſtis infecti.

Dubitans ſi Deo placere negat Chriſtum

Clamantem, Abba Pater.

POTVISSET Paulus dicere,Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra, invocantem Abba Pater, Sed conſulto dicit clamantem, ut indicaret tentationem Chriſtiani,qui adhuc infirmus eſt,& infirmiter credit. Rom. 8. vocat hunc *Rom. 8* clamorem Gemitum inenarrabilem, Similiter & Spiritus adjuvat infirmitates noſtras,inquit, nam quid oremus,ut oportet,neſcimus, Sed ipſe Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus,&c.

Clamor Spiritus.

Eſt autem graviſſima conſolatio, quod Paulus hic dicit, Spiritum Chriſti miſſum à Deo in corda noſtra,clamare, Abba Pater,&c. Item Rom. 8. adjuvare *Rom. 8* infirmitates noſtras,& intercedere pro nobis gemitibus inenarrabilibus,Qui hoc certo crederet,ille in nulla afflictione, quantumvis magna, deficeret. Sed multa hanc fidem impediunt. Primum, quod cor noſtrum natum eſt in peccatis. Deinde, quod hoc malum nobis naturaliter ingenitum eſt, quod de divino favore erga nos dubitamus, non poſſumus certo ſtatuere,nos placere Deo,&c. Præter

hæc

hæc obambulat adverſarius noſter Diabolus, edens terribiles rugitus, & dicit, Tu es peccator, ideo Deus iraſcitur tibi, & damnabit te in æternum. Contra hos maximos & intolerabiles clamores nihil plane habemus, quo nos erigamus & ſuſtentemus, niſi nudum verbum, quod proponit nobis Chriſtum victorem Peccati, mortis & omnium malorum. Sed huic adhærere firmiter in iſto certamine & pavoribus conſcientiæ, hoc opus hic labor eſt. Nulli ſenſui tunc oſtenditur Chriſtus, Non enim videmus eum, non ſentit cor in tentatione ejus præſentiam & auxilium, Imo tunc apparet Chriſtus iraſci nobis & deſerere nos. Deinde ſentit homo in tentatione vim Peccati, infirmitatem carnis, dubitationem, ſentit ignita tela Diaboli, terrores mortis, ſentit iram & judicium Dei. Iſta omnia fortiſſimos ac horribiles clamores edunt contra nos, ut nihil prorſus videatur reliquum, quam deſperatio ac mors æterna.

Impedimenta fidei.

Clamor Diaboli.

At in mediis iſtis terroribus legis, tonitruis peccati, concuſſionibus mortis & rugitibus Diaboli, incipit clamare (ait Paulus) Spiritus ſanctus in corde noſtro, Abba Pater. Et clamor ipſius longiſſime ſuperat & perrumpit clamores fortiſſimos ac horribiles Legis, peccati, mortis, diaboli, &c. penetrat nubes & cœlum, ac pertingit uſque ad aures Dei, &c. Significat ergo Paulus his verbis, infirmitatem adhuc in piis eſſe. Idem docet Rom. 8. cum ait, Spiritus adjuvat infirmitates noſtras. Cum igitur ſenſus contrariorum fortis ſit apud nos, hoc eſt, cum plus ſentiamus Deum iraſci quam favere nobis, &c. Ideo mittitur Spiritus ſanctus in corda noſtra, qui non ſuſpirat, non invocat, ſed fortiſſime clamat, Abba Pater, & intercedit pro nobis ſecundum voluntatem Dei, gemitibus inenarrabilibus. Quo modo?

Spiritus ſancti clamor in corde noſtro.

Rom. 8.

Cur Spiritus ſanctus mittatur in corda noſtra.

In ſeriis pavoribus & certaminibus conſcientiæ, apprehendimus quidem Chriſtum, & credimus eum ſalvatorem noſtrum. Sed lex tum maxime terret & peccatum conturbat nos, Impugnat denique Diabolus nos omnibus machinis ac ignitis telis ſuis, & conatur totis viribus eripere nobis Chriſtum, & omnes conſolationes excutere. Ibi parum abeſt, ne ſuccumbamus & deſperemus. Sumus enim tum arundo illa contrita, & linum fumigans. Interim tamen Spiritus ſanctus adjuvat infirmitates noſtras, & interpellat pro nobis gemitu inenarrabili, datq; teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei. Hoc modo in terroribus erigitur mens, ſuſpirat ad Salvatorem ac Pontificem ſuum Ieſum Chriſtum, vincit infirmitatem carnis, atque iterum conſolationem concipit, & dicit, Abba Pater. Iſtum ergo gemitum, quem nos vix ſentimus, vocat Paulus clamorem & gemitum inenarrabilem, qui replet cœlum & terram. Deinde etiam clamorem & gemitum Spiritus vocat, quia nobis infirmis & tentatis excitat Spiritus hunc clamorem in corde noſtro.

Rom. 8.

Spiritus interpellat pro nobis & adjuvat infirmitates noſtras.

Paulus vocat gemitum cordis noſtri clamorem.

Vt maxime igitur Lex, peccatum, diabolus, magnos & terribiles edant contra nos clamores, qui videntur totum cœlum & terram replere, ac longiſſime vincere gemitum cordis noſtri, tamen non poſſunt nocere nobis. Nam quo plus hi hoſtes noſtri inſtant, accuſant & cruciant nos ſuis clamoribus, hoc magis ingemiſcentes apprehendimus Chriſtum, corde & ore invocamus eum, hæremus in eo, & credimus eum pro nobis factum ſub Legem, ut nos à maledicto legis redimeret, utque peccatum & mortem deſtrueret. Atq; ſic apprehenſo Chriſto fide, clamamus per eum, Abba Pater. Iſq; clamor noſter longe ſuperat clamorem diaboli, &c.

Victus tentationum.

Verum uſque adeo non putamus iſtum gemitum, quem edimus in his terroribus, in hac imbecillitate noſtra, eſſe clamorem, ut ægre deprehendamus eſſe gemitum. Fides enim noſtra, quæ ſic in tentatione ſuſpirat ad Chriſtum, infirmiſſima eſt, quantum ad ſenſum noſtrum attinet, Ideo hunc clamorem non audimus. Verbum ſolum habemus, quo apprehenſo in illa lucta, reſpiramus paululum ac ingemiſcimus, Hunc ſuum noſtrum gemitum aliquo modo ſentimus, clamorem vero non audimus. Ille verò, inquit Paulus, qui ſcrutatur corda, intelligit quid ſpiritus deſideret, &c. Huic cordium ſcrutatori iſte exilis, ut nobis apparet, gemitus eſt fortiſſimus clamor & inenarrabilis gemitus, in cujus comparatione maximi & horribiles rugitus legis, peccati, mortis, diaboli, inferni, prorſus nihil ſunt, nec audiri poſſunt. Non

Clamorem cordis non audimus, gemitum vix ſentimus.

fruſtra ergo Paulus hunc gemitum pii cordis afflicti vocat clamorem, & gemitum inenarrabilem ſpiritus. Replet enim totum cœlum, ac tam fortiter clamat, ut Angeli putent ſe nihil uſquam audire præter iſtum clamorem.

Quomodo affecti ſimus in veris pavoribus.

Contra, apud nos eſt omnino contrarius ſenſus, Non videtur iſte exiguus noſter gemitus ita penetrare nubes, quod ſolus audiatur in cœlo, à Deo & Angelis, imo putamus, præſertim durante tentatione, Diabolum horribiliter contra nos rugire, cœlum mugire, terram tremere, omnia collapſura eſſe, omnes creaturas minari malum, infernum aperiri, ac velle nos deglutire. Hic ſenſus eſt in corde noſtro, has horribiles voces, hanc terrificam faciem nos audimus & videmus, Atque hoc eſt, quod Paulus 2. Corinth. 12. dicit, Potentiam Chriſti in infirmitate noſtra perfici. Eſt enim Chriſtus tum vere omnipotens, tum vere regnat ac triumphat in nobis, quando nos tam infirmi ſumus, ut vix gemitum edere poſſimus. Verum Paulus dicit eum gemitum in auribus Dei eſſe fortiſſimum clamorem, qui totum cœlum ac terram replcat. 2. Cor. 12.

Gemitus cordis clamor eſt.

Vocat & Chriſtus Lucæ 18. in parabola de iniquo ludice, iſtum gemitum cordis pii, clamorem, & talem clamorem, qui indeſinenter die ac nocte clamet ad Deum, cum inquit, Audite quid judex iniquus dicat. Num igitur Deus non faceret vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam haberet ſuper illis? Dico vobis, cito faciet vindictam illorum. Nos hodie in tanta perſecutione & contradictione Papæ, tyrannorum ac fanaticorum ſpirituum, qui impugnant nos à dextris & ſiniſtris, nihil poſſumus, quàm edere tales gemitus, ac iſti fuerunt bombardæ ac inſtrumenta noſtra bellica, quibus diſſipavimus tot annis conſilia adverſariorum, quibus demoliri cœpimus Antichriſti regnum, Illi etiam provocabunt Chriſtum accelerare diem adventus ſui glorioſi, quo abolebit omnem principatum, poteſtatem ac virtutem, ponetque omnes inimicos ſub pedes ſuos, Amen. Luc. 18.

Arma pîorum.

Clamor Moſi ad mare rubrum &c.

Item Exod. 14. loquitur Dominus Moſi ad mare rubrum, dicens, Quid clamas ad me? Certe Moſes non clamabat, ſed tremebat ac pene deſperabat. Erat enim in ſummis anguſtiis. Incredulitas videbatur regnare in eo, non fides. Videbat enim populum Iſraël ita montibus, exercitu Ægyptiorum ac mari concluſum, ut nuſquam poſſet aufugere. Hic Moſes ne mutire quidem audebat, quomodo igitur clamavit? Quare non debemus judicare ſecundum ſenſum cordis noſtri, ſed ſecundum verbum Dei, quod docet Spiritum ſanctum ideo donari afflictis, conterritis, deſperabundis, &c. ut eos erigat ac conſoletur, ne in tentationibus & omnibus malis ſuccumbant, ſed ea vincant, non tamen ſine maximis pavoribus & laboribus. Exod. 14.

Officium Spiritus ſancti.

Papiſtæ ſomniarunt Sanctos ita habuiſſe Spiritum ſanctum, ut nunquam ſenſerint aut habuerint tentationem. Hi ſpeculative tantum, ut & hodie fanatici homines de Spiritu ſancto loquuntur. Sed Paulus dicit virtutem Chriſti in noſtra infirmitate perfici, Item Spiritum ſanctum adjuvare infirmitatem noſtram, & interpellare pro nobis gemitu inenarrabili, &c. Ergo tum maxime habemus opus Spiritus ſancti auxilio & conſolatione, tumque maxime adeſt nobis, cum maxime ſumus impotentes ac deſperationi proximi. Si quis forti ac læto animo mala perfert, in eo jam fecit officium ſuum Spiritus ſanctus, In his autem proprie exercet opus ſuum, qui vehementer conterriti ſunt & appropinquaverunt, ut Pſal. ait, uſque ad portas mortis. Vt de Moſe jam dixi, qui videbat præſentiſſimam mortem in aquis, & quoquò vertebat vultum. Fuit igitur in ſumma anguſtia & deſperatione, proculq; dubio ſenſit in corde fortiſſimum clamorem Diaboli contra ſe dicentis, Iſte totus populus hodie peribit, nuſquam enim poteſt elabi. Hujus maximi mali tu ſolus eris autor, quia eduxiſti eum ex Ægypto. Adhæc acceſſit clamor populi, qui dixit, An non erant ſepulcra in Ægypto? Tu ideo eduxiſti nos, ut hîc moreremur in deſerto. An non melius fuiſſet ſervire Ægyptiis, quàm hic miſere nos mori in deſerto? Ibi Spiritus ſanctus non fuit ſpeculative in Moſe, 2. Cor. 12. Pſal. 106. Exod. 14.

In quibus Spiritus ſanctus officium ſuum faciat, & quo tempore.

Tentatio Moſi ad mare rubrum.

ſed

ſed revera, qui pro ipſo interpellavit gemitu inenarrabili, ut ſuſpiraret ad Deum, & diceret, Domine tuo juſſu eduxi populum, fer igitur opem. Hunc gemitum vocat ſcriptura clamorem.

Iſta copioſius tractavi, ut clare oſtenderem, quod ſit officium Spiritus ſancti, & quando hoc præcipue exerceat. Debemus igitur in tentatione nullo modo judicare de illa re ex ſenſu noſtro, ſeu ex clamore Legis, peccati, diaboli, &c. Si hic ſenſum noſtrum ſequi & iſtis clamoribus credere volumus, judicabimus nos deſtitutos omni auxilio Spiritus ſancti, ac plane projectos à facie Dei. Quin potius meminerimus tunc, quod Paulus dicat, Spiritum adjuvare noſtras infirmitates, &c. Item, clamare Abba Pater, hoc eſt, edere infirmiſſimum quendam ſingultum ac gemitum cordis, ut nobis apparet, qui tamen ſit coram Deo maximus clamor & inenarrabilis gemitus. Quare in omni tentatione ac infirmitate tua, hære ſaltem in Chriſto ac geme, is dat Spiritum ſanctum, qui clamat, Abba Pater. Iſque exiguus gemitus in auribus Dei fortiſſimus eſt clamor, & ita cœlum & terram replet, ut præter eum Deus nihil audiat, præterea compeſcit omnes omnium aliarum rerum clamores.

Gemitus cordis ſunt coram Deo ingentes clamores.

Obſervabis etiam quod Paulus dicit, Spiritum non multis verbis aut longa oratione intercedere pro nobis in tentatione, ſed tantum gemitu, inenarrabili tamen, nec voce fortiter teſtari clamorem cum lacrymis & dicere, Miſerere mei Deus, &c. ſed tantum ipſam clamoris ac gemitus vocem edere, quæ eſt, Ah Pater, quæ quidem breviſſima vox eſt, ſed omnia complectitur. Non os, ſed affectus ibi loquitur ad hunc modum, Etiamſi anguſtiæ ſint mihi undique, & videar deſertus ac prorſus à facie tua projectus, ſum tamen filius, tu Pater, propter Chriſtum, ſum dilectus propter dilectum. Quare vocula, Pater, formaliter dicta in corde, eſt eloquentia, quam Demoſthenes, Cicero, & quique eloquentiſſimi, qui unquam fuerunt in mundo, non poſſunt exprimere. Res ita non verbis, ſed gemitibus exprimitur, qui omnibus verbis omnium Rhetorum non exprimuntur. Sunt enim inenarrabiles.

Ah Pater.

Multis indicavi Chriſtianum hominem oportere certiſſime ſtatuere, ſe eſſe in gratia Dei, & habere clamorem Spiritus ſancti in corde ſuo. Hoc ideo feci, ut omnino diſcamus repudiare peſtilentiſſimam opinionem totius regni Papæ, quod docuit, Hominem incertum debere eſſe de gratia Dei erga ſe. Hac opinione ſtante, Chriſtus plane nihil prodeſt. Nam qui de gratia Dei erga ſe dubitat, illum neceſſe eſt etiam dubitare de promiſſionibus divinis, & per conſequens de voluntate Dei, de Chriſti beneficiis, quod pro nobis natus, paſſus, mortuus eſt, reſurrexit, &c. Nulla autem major blaſphemia in Deum eſt, quam negare ejus promiſſa, negare Deum ipſum, Chriſtum, &c. Ideo extrema fuit, non ſolum dementiâ, ſed etiam impietas, quod Monachi tanto ſtudio allexerunt juventutem utriuſq; ſexus in monaſteria ad religiones & ordines ſanctos, ut vocaverunt, tanquam ad certiſſimum ſtatum ſalutis, Et tamen poſtea ſic allectos juſſerunt dubitare de gratia Dei. Deinde Papa totum genus humanum vocavit ad obedientiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tanquam ad ſanctum ſtatum, in quo certo conſequi poſſent ſalutem, poſtea tamen obedientes ſuis legibus juſſit dubitare. Sic regnum Antichriſti, primum jactat & inflat ſanctitatem Legum, ordinum, regularum, &c. ac certo promittit vitam æternam obſervantibus illa. Deinde ubi diu afflixerunt miſerrimi homines corpora, juxta præſcriptum humanarum traditionum, vigiliis, inedia, &c. hoc lucri inde reportant, quod neſciunt, an iſta eorum obedientia placeat Deo, nec ne. Sic Satan horribiliter luſit in mortibus animarum per Papam. Ideoq; Papatus eſt veriſſima carnificina conſcientiarum & ipſiſſimum Diaboli regnum.

Papa docuit dubitandum de gratia Dei.

Regnum Papæ.

Papatus carnificina conſcientiarum.

Vſi autem ſunt, pro hoc ſuo peſtilenti errore ſtatuendo & confirmando, dicto Salomonis Eccl. 9. Sunt juſti & ſapientes, & eorum opera in manu Dei, Et tamen neſcit homo, utrum amore an odio dignus ſit. Hoc dictum alii de futuro, alii de præſenti odio Dei accipiunt, Sed utrique non intelligunt Salomonem, qui nihil

Eccl. 9.

Scriptura hoc præcipue agit, ut nos certos faciat de misericordia Dei erga nos.

minus dicit hoc loco, quam quod ipſi ſomniant. Deinde tota ſcriptura hoc præcipuè agit, ne dubitemus, ſed certò ſperemus confidamus & credamus, Deum eſſe miſericordem, benignum, patientem, Non mentientem & fallentem, ſed fidelem & veracem, qui ſervet promiſſa, Imo qui nunc præſtiterit quod promiſit, tradendo unigenitum Filium ſuum in mortem, propter peccata noſtra, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ibi certe nullum poteſt eſſe dubium, quin Deus ſit placatus, & ex animo nobis faveat, quin ablatum ſit odium ac ira Dei, cum ſinat pro nobis peccatoribus mori Filium ſuum. Quanquam totum Evangelium hoc ubique proponat & crebro inculcet, nihil tamen profuit. Hoc unicum dictum Salomonis, male intellectum, plus valuit, præſertim apud devotarios & ſeverioris religionis Monachos iſtos, quam omnes promiſſiones & conſolationes totius ſcripturæ, quam Chriſtus ipſe. Abuſi ergo ſunt ſcripturis ad ſuam ipſorum perniciem, & dederunt juſtiſſimas poenas contemptæ ſcripturæ, & neglecti Evangelii.

Vnica ſententia Eccl. non intellecta, plus valuit apud Pap. quam omnes promiſſiones ſcripturæ.

Iſta expedit nos ſcire, Primum, Quia Papiſtæ hodie ornant ſe, quaſi nihil mali unquam commiſerint, Ideo convincendi ſunt ſuis propriis abominationibus, quas innumerabiles ſparſerunt in mundum. Id quod teſtantur ipſorum libri, quorum infiniti de hac re adhuc extant. Deinde ut certi reddamur, nos habere puram ac veram Evangelii doctrinam. De qua certitudine impoſſibile eſt Papatum poſſe gloriari. In quo ſi etiam omnia ſalva eſſent, tamen iſtud monſtrum incertitudinis ſuperat omnia monſtra. Et quanquam palam eſt, inimicos Chriſti incerta docere, quia jubent dubitare conſcientias, tamen adeo Satanica rabie pleni ſunt, ut nos, qui ab ipſis diſſentimus & certa docemus, condemnent & occidant ſecuriſſime tanquam hæreticos, velut certiſſimi de ſua doctrina.

Incertitudo in Papatu, &c.

Vnde ſciamus nos eſſe in gratia, & Spiritum ſanctum habere.

Agamus igitur Deo gratias, quod liberati ſumus ab hoc monſtro incertitudinis, ac jam certo ſtatuere poſſumus Spiritum ſanctum clamare, & inenarrabilem gemitum edere in cordibus noſtris. Hocque fundamentum eſt noſtrum, Evangelium jubet intueri nos, non benefacta & perfectionem noſtram, ſed ipſum Deum promittentem, ipſum Chriſtum mediatorem. Contra Papa jubet reſpicere, non Deum promittentem, non Chriſtum Pontificem, ſed noſtra opera & merita. Ibi neceſſario ſequitur dubitatio & deſperatio, Illic vero certitudo & gaudium Spiritus. Quia in Deo hæreo, qui mentiri non poteſt. Dicit enim, Ecce trado Filium meum in mortem, ut te ſangvine ſuo redimat à peccatis & morte. Ibi non poſſum dubitare, niſi velim prorſus Deum negare. Atq; hæc eſt ratio, cur noſtra Theologia certa ſit, Quia rapit nos è conſpectu noſtro, & ponit nos extra nos, ut non nitamur viribus, conſcientia, ſenſu, perſona, operibus noſtris, ſed eo nitamur, quod eſt extra nos, hoc eſt, promiſſione & veritate Dei, quæ fallere non poteſt. Hoc Papa neſcit, ideo impie nugatur cum ſuis furiis, Neminem ſcire, ne juſtos quidem & ſapientes, utrum digni ſint amore, &c. Imo ſi juſti & ſapientes ſunt, certo ſciunt ſe diligi à Deo, vel juſti & ſapientes non ſunt.

Theologia quã profitemur, certa eſt.

Germana ſententia loci Eccle. 9. Neſcit homo, &c.

Quam gratiam referat mundus bene meritis de ſe.

Porro hoc dictum Salomonis prorſus nihil loquitur de odio vel favore Dei erga homines, ſed politica eſt ſententia, taxans ingratitudinem hominum. Tanta enim eſt perverſitas & ingratitudo mundi, ut bene meritis de ſe ſæpe referat malam gratiam, & quandoque etiam indigniſſime eos tractet. Contrà, improbos evehit & honore afficit. Sic David vir ſanctus & optimus rex, ejectus eſt è regno, Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli occiſi ſunt. Denique omnium gentium hiſtoriæ teſtantur multos viros optime meritos de patria, ejectos eſſe à propriis civibus in exilium, & illic miſere vixiſſe, quoſdam etiam turpiter periiſſe in carcere. Quare Salomon hic non loquitur de conſcientia agente cum Deo, ſeu de favore & judicio Dei, ſed de judiciis & voluntatibus hominum inter ſe, q. d. Multi juſti & ſapientes ſunt, per quos Deus multum boni operatur, & præſtat pacem hominibus, Sed tantum abeſt, ut hoc agnoſcant homines, ut ſæpe talibus peſſimam gratiam pro optimis ſuis benefactis referant. Itaq; ut maxime aliquis omnia bene fecerit, tamen neſcit,

utrum

utrum hac ſua diligentia & fide mereatur odium aut favorem apud homines.

Querela de ſuis fratribus.

Sic nos hodie cum putabamus inventuros nos favorem apud Germanos noſtros,quod illis prædicamus Evangelium pacis, vitæ & ſalutis æternæ, invenimus pro favore acerbiſſimum odium. Multis primum arridebat doctrina noſtra, & avide ſuſcipiebant eam, Hos putabamus fore amicos & fratres, qui nobiſcum unanimi conſenſu plantaturi & propagaturi eſſent ad alios doctrinam hanc. Sed nunc experimur eos eſſe pſeudofratres & infenſiſſimos hoſtes noſtros, qui errores ſerunt, & hoc,quod nos recte & pie docemus, depravant & evertunt, ac peſſima ſcandala in Eccleſiis excitant. Quicunque igitur pie & fideliter facit officium ſuum, in quocunque tandem vitæ ſit genere, & accipit pro beneficiis ſuis ingratitudinem & odium hominum, is propter hoc ſe non ad mortem uſque excruciet, ſed dicat cum Chriſto, Odio habuerunt me gratis. Item, pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, Ego autem orabam.

Pſal. 108.

Quomodo vincenda ſit ingratitudo.

Papa igitur hoc impio dogmate, quo juſſit homines dubitare de favore Dei erga ſe, ſuſtulit Deum & omnes promiſſiones de Eccleſia, obruit beneficia Chriſti & totum Evangelium abolevit. Iſta incommoda neceſſario ſequuntur, quia homines non promittenti Deo, ſed ſuis operibus & meritis nituntur. Hoc ubi fit,impoſſibile eſt hominem certum eſſe de voluntate Dei,imo neceſſe eſt eum ſemper ambigere de ea, ac tandem deſperare. Nuſquam cerni poteſt, quid Deus velit, quid ei placeat, niſi in verbo ipſius. Hoc certos nos reddit,Deum abjeciſſe omnem iram ac odium erga nos, cum tradidit Filium ſuum unigenitum pro peccatis noſtris, &c. Reddunt item nos certos Sacramenta, poteſtas clavium,&c. quæ niſi diligeret nos Deus,non tradidiſſet nobis. Talibus infinitis teſtimoniis de favore ſuo erga nos obruit nos Deus. Quare, exploſa hac peſte incertitudinis, qua tota Eccleſia Papæ infecta eſt,certo ſtatuamus, Deum nobis propicium, nos illi placere & curæ eſſe propter Chriſtum, nos habere Spiritum ſanctum, qui interpellat pro nobis clamore & gemitu inenarrabili.

Voluntas Dei in verbo cernitur.

Eſt autem iſte clamor & gemitus formaliter,ut Deum in tentatione appelles non Tyrannum, non iratum judicem aut tortorem, ſed Patrem. Quanquam is gemitus tam exiguus & occultus ſit, ut vix ſentiri poſſit. Nam in veris pavoribus conſcientia cum judicio Dei luctans,vocare ſolet Deum, non Patrem, ſed iniquum, iratum & crudelem Tyrannum ac judicem,atq; is clamor,quem inſerit cordi Satan, longe ſuperat clamorem Spiritus, & fortiſſime ſentitur. Apparet enim tum, quod Deus deſeruerit nos, ac velit nos detrudere ad inferos. Sic ſæpe in Pſalmis Sancti queruntur, Projectus ſum à facie Dei. Item factus ſum ſicut vas perditum, &c. Is certe non eſt gemitus, qui dicit,Pater, ſed rugitus odii Dei,qui fortiter clamat,ſæve Iudex, crudelis tortor, &c. Hic tempus eſt, ut averſis oculis à Lege,operibus, ſenſu conſcientiæ tuæ, apprehendas fide promiſſionem, hoc eſt, verbum gratiæ & vitæ, quod conſcientiam iterum erigit,ut incipiat gemere & dicere, Vt maxime accuſet me Lex, perterrefaciat peccatum & mors, tamen tu Deus promittis gratiam, juſticiam & vitam æternam per Chriſtum. Sicq; promiſſio gemitum affert, qui clamat, Abba Pater. Non diſplicet, quod quidam exponunt alteram vocem eſſe Græcam, alteram Ebraicam, Et Paulum conſulto utriſq; uti voluiſſe propter duplicem Eccleſiam ex Gentibus & Iudæis congregatam. Quodq; Gentes & Iudæi diverſa quidem lingva Deum appellent Patrem, tamen unus & idem ſit gemitus utrorumque, cum utrique clament, Abba Pater.

Pſal. 30.

Qualem clamorem edant triſtes & pavidi.

Abba Pater.

Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius.

EST Epiphonema & concluſio. q. d. Hoc ſtante, quod per Evangelium accepimus Spiritum, per quem clamamus, Abba pater, Tum certò definitum eſt in cœlo, quod non ſit amplius ſervitus, ſed mera libertas, adoptio & filiatio,Quis parit eam? Iſte gemitus. Quomodo? Pater offert mihi ſua promiſſione gratiam & paternitatem,Reliquum eſt ut ego eam accipiam. Hoc fit,cum iſto gemitu clamo & aſſentior

Quomodo contingat nobis filiatio.

assentior corde filiali isti voci, Pater. Ibi tum conveniunt Pater & Filius, & contrahuntur sponsalia sine omni apparatu & pompa. Hoc est, Nihil prorsus intercedit, nulla lex, nullum opus hic exigitur (Quid enim faceret homo in istis pavoribus & horribilibus tenebris tentationum?) tantum est hic Pater promittens, & vocans me filium per Christum, factum sub legem, &c. & ego accipiens & respondens per istum gemitum, dicens, Pater. Nulla est ergo hic exactio, sed tantum est ille gemitus filii, qui apprehendit fiduciam in tribulatione, & dicit, Tu promittis & vocas me filium propter Christum. Et ego accipio & voco te patrem. Hoc certe est simpliciter sine operibus fieri filios. Ista sine experientia non intelliguntur.

Quid Paulus hoc loco servum vocet.

Paulus hic vocabulum Servi aliter accipit, quam supra capite 3. ubi ait, Non est servus neq; liber, &c. Hic appellat servum legis, qui legi subjectus est, ut paulo ante, Sub elementis mundi serviebamus. Quare servum esse hoc loco secundum Paulum, est esse reum & captivum sub lege, sub ira Dei & morte, aspicere Deum, non ut misericordiam Patrem, sed ut tortorem, hostem, tyrannum. Hoc vere est agere in servitute & captivitate Babylonica, & sævissime torqueri in ea. Lex enim non liberat à peccato & morte, sed peccatum revelat & auget ac iram operatur. Illa servitus, inquit, desiit, non amplius premit & contristat nos, &c. Paulus in concreto dicit, Non jam erit servus. Sententia autem planior erit, si eam in abstracto, efferamus, hoc modo, Non erit servitus in Christo, sed mera filiatio, Nam veniente fide servitus illa cessat, ut supra cap. 3. quoque ait.

Si autem per Christi Spiritum, in cordibus nostris clamantem Abba Pater, filii non amplius servi sumus, tum certo sequitur, nos non solum à portentis Papæ & sacrilegiis traditionum humanarum, sed etiam ab omni imperio & jure legis divi-

Lex non admittenda in conscientiam, &c.

næ liberatos esse. Quare nullo modo debemus permittere legem dominari in conscientia nostra, multo minus Papam cum suis vanis minis & terroribus. Rugit quidem ut leo fortiter (Apoc. 10.) omnes qui legibus suis non obediunt, incursuros indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum, &c. At Paulus contra hos suos rugitus nos hic munit & consolatur, cum ait, Non est servus, sed liber. Hanc

Apoc. 10.

Lex dominium habet in carnem, non conscientiam.

consolationem Fide apprehende, & dic, Lex, tua tyrannis non potest habere locum in throno, ubi Christus Dominus meus sedet, Hic non audio te (Multo minus Antichriste tua monstra audio) Quia liber sum & filius, qui nulli servituti aut legi servili obnoxius esse debet. Non ascendat igitur Moses (multo minus Papa) cum suis legibus in thalamum sponsi, ut ibi cubet, hoc est, ut regnet in conscientia, quam Christus ideo liberavit à Lege, ut prorsus nulli servituti obnoxia sit. Servi cum asino in valle maneant, Isaac solus cum patre Abraham in montem ascendat, Hoc est, dominetur sane Lex in corpus & veterem hominem, is sit sub lege, & patiatur sibi imponi sarcinam, patiatur se exerceri & vexari lege, huic præscribat lex, quid facere, quid perferre, quomodo cum hominibus conversari debeat. Cubile autem, in quo Christus solus quiescere & dormire debet, non contaminet, hoc est, non perturbet conscientiam. Ea enim sola cum Christo sponso suo in regno libertatis & filiationis vivere debet.

Si igitur, inquit, per spiritum Christi clamatis, Abba Pater, tunc certe non estis amplius servi, sed liberi & filii, Ergo sine Lege, sine peccato, sine morte

Filiatio quid afferat.

estis, hoc est, salvi estis, & nihil plane malorum amplius habetis. Quare filiatio affert secum regnum æternum, & totam hæreditatem cœlestem. Quanta autem magnitudo & gloria hujus doni sit, humana mens ne quidem concipere potest in hac vita, multo minus eloqui. Interim in ænigmate cernimus hoc, Habemus istum gemitulum & exiguam fidem, quæ solo auditu & sono vocis promittentis Christi nititur. Ideo quo ad sensum nostrum res ista Centrum, in se autem maxima & infinita Sphæra est. Sic Christianus habet rem in se maximam & infinitam, in suo autem conspectu & sensu minimam & finitissimam. Ideo istam rem meteri debemus non humana ratione & sensu, sed alio circulo, scilicet promissione Dei, Qui, ut infinitus est, ita & promissio ipsius infinita est, ut maxime interim in has angustias, &,

ut ita dicam, in verbum centrale inclusa sit. Videmus igitur jam centrum, olim videbimus etiam circumferentiam. Quare nihil nunc reliquum est, quod accusare, perterrefacere & ligare conscientiam queat. Nulla est enim amplius servitus, sed filiatio, quæ non solum libertatem à Lege, peccato, morte, sed etiam hæreditatem æternæ vitæ nobis affert, ut sequitur.

Quod si filius, & hæres Dei per Christum.

NAM qui filius est, illum & hæredem esse oportet. Hoc ipso enim quod nascitur, meretur esse hæres. Nullum opus, nullum meritum affert ei hæreditatem, sed sola nativitas. Atque ita mere passive, non active contingit ei hæreditas, hoc est, ipsum nasci, non gignere, non laborare, non curare, &c. facit eum hæredem. Nihil enim facit ad hoc ut nascatur, sed tantum patitur. Itaq; passive non active pervenimus ad ista æterna bona, remissionem peccatorum, justiciam, resurrectionis gloriam & ad vitam æternam. Nihil prorsus hic intercedit, sola fides apprehendit oblatam promissionem. Sicut ergo filius in politia & œconomia tantum nascendo fit hæres, Sic hic sola fides efficit filios Dei, natos ex verbo, quod est uterus divinus, in quo concipimur, gestamur, nascimur, educamur, &c. Hac ergo nativitate, hac passione, qua patimur nos fieri & formari novam creaturam per fidem in verbum, simus Christiani, filii & hæredes Dei per Christum. Existentes autem hæredes liberi sumus à Morte, diabolo, &c. & habemus justiciam & vitam æternam.

Natis tantum fit filius hæreditatem.

Verbum uterus Dei est.

Hoc autem superat omnem captum humanæ mentis, quod dicit, Hæredes, non alicujus opulentissimi & potentissimi regis, non Cæsaris, non mundi, sed Dei omnipotentis, Creatoris omnium. Est ergo ista hæreditas nostra, ut alibi quoque ait Paulus, inenarrabilis. Et si quis certa ac constanti fide statuere & magnitudinem rei comprehendere posset, se filium & hæredem esse Dei, Is, quicquid est potentiæ & opum omnium regnorum mundi, duceret esse sordes & stercora, in comparatione hæreditatis suæ cœlestis. Quicquid sublime & gloriosum habet mundus, nausea ei esset, Et quo major est mundi, pompa & gloria, hoc magis eam haberet exosam. In summa, quod mundus maxime admiratur & magnificat, hoc in oculis ipsius esset fœdum & nihili. Quid enim totus mundus cum sua potentia, opibus & gloria ad Deum, cujus hæres & filius est? Deinde anxie cuperet cum Paulo dissolvi, & esse cum Christo, nihilque gratius ei contingere posset, quam præmatura mors, illam amplecteretur ut lætissimam pacem. Sciret enim eam esse finem omnium malorum suorum, & per eam pervenire se ad hæreditatem, &c. Imo homo perfecte hoc credens, non diu superstes maneret, sed statim immodico gaudio absorberetur.

Hæreditas ædentorum.

Sed lex membrorum repugnans legi mentis, non sinit fidem esse perfectam. Habemus igitur opus auxilio & consolatione Spiritus sancti, qui in angustiis interpellet pro nobis gemitu inenarrabili, ut supra dictum est. In carne adhuc hæret peccatum, quod subinde perturbat conscientiam, atque ita impedit fidem, quo minus perfecte possimus cum gaudio intueri & desiderare opes illas æternas, à Deo nobis donatas per Christum. Hoc certamen carnis contra Spiritum sentiens ipse Paulus, exclamat, Infelix ego homo, qui liberabit me ex corpore mortis hujus? Accusat corpus suum, quod tamen diligere debebat, certe pessimo nomine, appellans mortem suam, q. d. Corpus meum plus me affligit & molestat, quam mors ipsa. Interturbabat enim & ipsi hoc gaudium Spiritus, non semper suaves & jucundas habebat cogitationes de hæreditate futura cœlesti, sed subinde etiam sentiebat tristiciam Spiritus, pavores, &c.

Pij opus habent consolatione Spiritus sancti.

Ex his satis liquet, quam ardua res sit fides, quæ non facile & cito discitur & apprehenditur, ut saturi & fastidiosi spiritus somniant, qui semel omnia exhauriunt, quæ continentur in scripturis. Satis testatur infirmitas & lucta carnis cum Spiritu in Sanctis, quam imbecillis adhuc sit fides in ipsis. Perfecta enim fides mox afferret perfectum contemptum & fastidium præsentis vitæ. Si concipere & certo

Fides res ardua.

Fides perfecta.

ſtatuere poſſemus, Deum eſſe patrem noſtrum, ac nos eſſe filios & hæredes ipſius, profecto vileſceret nobis mundus cum omni ſua Gloria, juſticia, ſapientia, potentia cum omnibus regiis coronis, opibus, voluptatibus, &c. Non ſic eſſemus ſoliciti pro victu, non ſic adhæreremus corde corporalibus rebus, ac illis præſentibus confideremus, ablatis abjiceremus animum ac deſperaremus. Sed omnia fierent à nobis ſumma charitate, humilitate, patientia (Iſta hæretici quidem jactant, ſed re vera nihil eſt crudelius, nihil magis ſuperbum & impatiens illis) Nunc contrarium fit à nobis, caro enim adhuc fortis, fides autem imbecillis & ſpiritus infirmus eſt. Ideo recte ait Paulus, nos tantum primitias Spiritus in hac vita habere, illic habituros decimas.

Signa teſtantia fidem noſtram imbecillem eſſe.

Hic primitias tantum ſpiritus habemus.

Per Chriſtum.

PAULUS ſemper in ore habet Chriſtum, non poteſt eum obliviſci. Prævidit enim nihil minus notum fore in mundo, etiam apud eos, qui profeſſuri eſſent ſe eſſe Chriſtianos, quam Chriſtum & ejus Evangelium. Ideo perpetuo inculcat & ob oculos eum nobis ponit. Et quoties loquitur de Gratia, juſticia, promiſſione, filiatione & hæreditate, ſemper addere ſolet, in, vel per Chriſtum, Oblique per hoc etiam petens Legem, q. d. Iſta neque per Legem aut opera ipſius (multo minus per vires noſtras aut opera humanarum traditionum) ſed per ſolum Chriſtum, contingunt nobis.

Paulus perpetuo in ore habet nomen Chriſti

> *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non ſunt dij, ſervie-batis. Nunc autem, cum cognoveritis Deum (Imo cogniti ſitis à Deo) Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?*

HÆC concluſio eſt diſputationis Paulinæ. Deinceps uſq; ad finem Epiſtolæ non multum diſputabit, ſed præcepta de moribus tradet. Objurgat tamen prius Galatas, indigniſſime ferens, hanc divinam & cœleſtem doctrinam tam ſubito & facile ex cordibus illorum potuiſſe excuti, q. d. Vos habetis doctores, qui redigere vos volunt in ſervitutem Legis. Id quod ego non feci, ſed mea doctrina vocavi vos è tenebris & ignorantia Dei, in admirabilem lucem & cognitionem Dei, aſſerui vos è ſervitute, & conſtitui vos in libertatem filiorum Dei, non per hoc, quod prædicavi vobis opera legis & merita hominum, ſed gratiam & juſticiam Dei ac donationem Cœleſtium & æternorum bonorum per Chriſtum. Cum res ita ſe habeat, quare tam facile relicta luce reditis ad tenebras? quare tam facile finitis vos à Gratia ad Legem, à libertate in ſervitutem reduci?

Evangelium quid afferat.

Hic iterum videmus, ut & ſupra monui, facillimum eſſe lapſum in fide, id quod teſtatur exemplum Galatarum, Idem teſtatur hodie exemplum Sacramentariorum, Anabaptiſtarum, &c. Nos aſſiduo ac diligentiſſime inculcamus, urgemus & acuimus prædicando, prælegendo & ſcribendo doctrinam Fidei, diſcernimus puriſſime Evangelium à Lege, & tamen parum efficimus. Culpa eſt Diaboli, qui mirus eſt artifex ſeducendi homines, Nihil minus ferre poteſt, quam veram Gratiæ cognitionem & fidem Chriſti. Ideo ut Chriſtum è conſpectu & corde auferat, proponit alia ſpectra, quibus ſenſim reducit homines à Fide & cognitione Gratiæ ad diſputationem Legis. Hoc ubi effecit, Chriſtus ablatus eſt. Non igitur fruſtra Paulus in ſingulis fere verſibus inculcat Chriſtum, non fruſtra tam pure tradit doctrinam fidei, cui ſoli juſticiam tribuit, & contrà Legi eam derogat, oſtendens eam plane contrarium habere effectum, ſcilicet operandi iram, augendi peccatum, &c. Libenter enim perſvaderet nobis, ne ſineremus Chriſtum nobis eripi ex corde, ne dimitteret ſponſa è complexu ſuo ſponſum, ſed ſemper adhæreret illi, quo præſente nihil eſt periculi, ſed adeſt gemitus, paternitas, filiatio & hæreditas.

Lapſus in fide facilis.

Diaboli ſtudium, reducere homines à fide ad legem.

Sed cur dicit Paulus Galatas reverti ad egena & infirma elementa, id eſt, ad Legem, cum nunquam habuerint legem, Erant enim Gentiles? (Quanquam & Iu-

Cur Paulus dicat Gal. reverti ad infirma elementa.

dæis

dæis iſta ſcribat, ut poſtea dicemus) Aut cur non potius ſic loquitur, Olim, cum Deum ignorabatis, his qui natura Dii non erant, ſerviebatis, Nunc vero cognoſcentes Deum, quare relicto vero Deo, convertimini iterum ad cultum idolorum? Num idem eſt Paulo, deficere à Promiſſione ad legem, à fide ad opera, & ſervire Diis, qui natura dii non ſunt? Reſpondeo. Quicunque Articulo juſtificationis excidit, ignorans Dei eſt & idolatra. Ideo perinde eſt, ſive poſtea redeat ad Legem, ſive ad cultum idolorum, perinde eſt ſive appelletur Monachus, ſive Turca, Iudæus, Anabaptiſta, &c. Sublato enim articulo iſto, nihil amplius reſtat, quam merus Error, hypocriſis, impietas, idolatria, ut maxime in ſpeciem appareat eſſe ſumma veritas, cultus Dei, ſanctitas, &c.

Deus cognoſcitur per Chriſtum.

Ratio hæc eſt, Quia Deus non vult, neq; aliter poteſt cognoſci, niſi per Chriſtum, juxta illud Iohan. 1. Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Is eſt Semen Abrahæ promiſſum, in quod fundavit Deus omnes ſuas promiſſiones. Quare ſolus Chriſtus medium, &, ut ita dicam, ſpeculum eſt, per quod videmus Deum, hoc eſt, cognoſcimus ejus voluntatem. Videmus enim in Chriſto, Deum non eſſe iratum exactorem & judicem, ſed faventem & clementiſſimum Patrem. Quia ut benediceret, id eſt, liberaret nos à Lege, peccato, morte & omnibus malis, & donaret nos Gratia, juſticia & vita æterna, non pepercit proprio ſuo Filio, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, &c. Hæc certa & vera eſt cognitio Dei, & divina perſvaſio, quæ non fallit, ſed depingit ipſiſſimum Deum certa forma, extra quam non eſt Deus.

Iohan. 1.

Vera cognitio Dei.

Qui hac noticia excidit, illum neceſſe eſt hanc imaginationem concipere, Ego inſtituam hunc cultum, ſuſcipiam illum ordinem, hoc vel illud opus eligam, atq; ita ſerviam Deo. Non eſt dubium autem, quin Deus iſta reſpiciet & acceptabit, ac pro eis reddet mihi vitam æternam. Eſt enim miſericors & benignus, donans omnia bona etiam indignis & ingratis, multo magis donabit mihi pro tot & tantis benefactis & meritis gratiam ſuam & vitam æternam. Hæc ſumma eſt Sapientia, juſticia & religio, de qua ratio judicare poteſt, eamque habent communem omnes gentes, Papiſtæ, Iudæi, Mahometiſtæ, hæretici, &c. Altius aſſurgere non poſſunt, quam Phariſæus ille in Evangelio, Non cognoſcunt juſticiam Chriſtianam ſeu fidei. Animalis enim homo non percipit ea, quæ Dei ſunt. Item non eſt intelligens, non eſt requirens, &c. Ideo nulla penitus differentia eſt inter Papiſtam, Iudæum, Turcam, hæreticum, &c. Perſonæ, loca, ritus, religiones, opera, cultus ſunt quidem diverſi, ſed eadem ratio, idem cor, eadem opinio & cogitatio eſt omnium. Idem omnino cogitat Turca quod Carthuſianus, ſcilicet ſi hoc vel illud fecero, habebo Deum propitium, Si non, habebo iratum. Non eſt medium aliquod inter operationem humanam & Chriſti cognitionem, hac obſcurata perinde eſt, ſive ſis Monachus, ſive ethnicus, &c.

Summa ſapientia rationis.

Nulla differentia eſt inter Turcas, Iudæos, Papiſtas, &c.

Quare extrema dementia eſt, quod Papiſtæ & Turcæ inter ſe digladiantur de religione & cultu Dei, quod utriq; contendunt, ſe veram religionem & cultum Dei habere, &c. Nec ipſis Monachis inter ſe convenit, alius alio vult haberi ſanctior, propter externas quaſdam ineptas ceremonias, cum tamen in corde adeo ſimilis ſit opinio omnium, ut ovum non tam ſimile ſit ovo. Quia hæc eſt imaginatio omnium, Si hoc opus fecero, miſerebitur mei Deus, ſi non, iraſcetur. Itaq; omnis homo, qui relabitur à cognitione Chriſti, neceſſario ruit in Idolatriam, quia neceſſe eſt eum de Deo fingere formam, quæ nuſquam eſt. Vt Carthuſianus propter obſervationem Regulæ, Turca propter obſervationem Alcorani, &. confidit ſe placere Deo, & accipere ab eo mercedem laboris ſui.

Imaginatio omnium juſticiariorum ſimilis.

Omnes juſticiarii volunt Deū, qui natura Deus non eſt.

Ejuſmodi Deus, qui hoc modo remittit peccata & juſtificat, nuſquam invenitur, Ideo vana cogitatio & ſomnium eſt, & confictio idoli in corde. Nuſquam enim Deus promiſit, quod velit juſtificare & ſalvare homines, propter religiones, obſervationes, cultus, qui ab hominibus ſunt excogitati & inſtituti, Imo nihil magis abominatur Deus, id quod tota ſcriptura teſtatur, quam talia electitia opera & cultus, propter quos etiam evertit regna atque imperia. Quotquot igitur fi-

Electitia opera & cultus abominatur Deus.

Doctrina veri Dei.

tur fidunt propriis viribus & Iuſticia, ſerviunt Deo, qui tantum opinabiliter, non natura Deus eſt. Nam verus & naturalis Deus ſic loquitur, Nulla juſticia, ſapientia & religio mihi placet, niſi illa unica, qua Pater glorificatur per filium. Qui hunc Filium apprehendit, & me vel Promiſſionem meam in illo per fidem, illi ſum Deus, illi ſum Pater, illum ego accepto, juſtifico & ſalvo. Cæteri omnes manent ſub ira, quia colunt eum, qui natura non eſt Deus.

Quibus malis obnoxii ſint deſtruentes ſanam doctrinam.

Quicunque ab iſta doctrina excidit, ille neceſſario ruit in ignorantiam Dei, non intelligit quæ ſit Chriſtiana juſticia & ſapientia, qui ſint veri cultus Dei, eſt idolatra, manens ſub Lege, peccato, morte & Diaboli imperio, & omnia quæ facit, ſunt perdita ac damnata. Ideo Anabaptiſta cum imaginatur ſe placere Deo, ſi rebaptiſetur, Si deſerat domum, uxorem, liberos, Si mortificet carnem, Si perferat multa incommoda, ac tandem mortem ipſam, In illo jam nec mica cognitionis Chriſti eſt, ſed excluſo Chriſto captus eſt ſuis ſomniis operum, deſertionis rerum ac mortificationis, nihilque jam differt à Turca, Iudæo vel Papiſta in ſpiritu ſeu corde, niſi penes externam larvam, ritum aut opus, quod ipſe ſibi eligit. Sic eandem fiduciam operum habent omnes Monachi, penes veſtitum tamen & alia externa differunt.

Horum ſimiles ſunt hodie plerique alii, qui tamen numerari volunt inter Evangelicos doctores, & quod ad verba attinet, docent homines morte Chriſti à peccatis liberari. Quia vero fidem ita docent, ut plus charitati quam fidei tribuant, Chriſtum ſumma contumelia afficiunt, ac verbum ejus ſceleſte & impie depravant. Siquidem ſomniant Deum reſpicere & acceptare nos propter charitatem, qua jam reconciliati Deum & proximum diligimus. Si hoc verum eſt, tunc nihil plane opus habemus Chriſto. Ejuſmodi ſerviunt non vero Deo, ſed idolo cordis ſui, quod ſibiipſis finxerunt. Nam verus Deus non reſpicit aut acceptat nos propter dilectionem, virtutes aut novitatem noſtram, ſed propter Chriſtum, &c.

At objiciunt, Tamen præcipit ſcriptura, ut Deum diligamus ex toto corde, &c. Bene, ſed ideo non ſequitur, Deus præcipit, ergo nos facimus. Si diligeremus Deum ex toto corde, &c. tum certo juſtificaremur & viveremus propter iſtam obedientiam, Iuxta illud, Qui fecerit hæc, vivet in eis. Sed Evangelium dicit, Tu iſta non facis, ergo per ea non vives. Nam iſta ſententia, Diliges Dominum, &c. requirit perfectam obedientiam, perfectum timorem, fiduciam, dilectionem erga Deum. Iſta neque præſtant, neque præſtare poſſunt homines in hac corrupta natura. Ideo iſta lex, Diliges Dominum, &c. non juſtificat, ſed accuſat & damnat omnes homines, Iuxta illud, Lex iram operatur, &c. Contra Chriſtus eſt conſummatio legis ad juſticiam omni credenti, De hoc ſupra ſatis copioſe, &c. Ad eundem modum Iudæus ſervans legem, hac opinione, quod per iſtam obedientiam Legis velit placere Deo, non colit Deum patrium, ſed idolatra eſt, adorans ſomnium & idolum cordis ſui, quod nuſquam eſt. Nam Deus Patrum ſuorum, quem jactat ſe colere, promiſit Abrahæ ſemen, per quod benedicendæ eſſent omnes gentes. Itaque non per legem, ſed per Evangelium de Chriſto cognoſcitur Deus, & donatur benedictio.

Non per legem ſed Evangelium cognoſcitur Deus & donatur benedictio.

Quanquam Paulus iſta verba, Tum, cum non cognoviſtis Deum, ſervi ebatis, &c. proprie dicat ad Galatas, qui Gentiles erant, Tamen iiſdem verbis perſtringit etiam Iudæos, qui etiamſi externe abjecerant idola, internè tamen plus adorabant ea, quam Gentes. Vt Rom. 2. de eis dicit, Abominaris idola, ſacrilegium admittis. Gentes non erant populus Dei, non habebant Verbum, ideo eorum idolatria erat craſſa. Iudæi autem idolatræ ornabant ſuos impios cultus nomine & verbo Dei (ut omnes juſticiarii ſolent) & iſta pietatis ſpecie multis imponebant. Ideo quo ſanctior & ſpiritualior eſt in ſpeciem idolatria, hoc nocentior eſt. Sed quo modo hæc duo pugnantia, quæ Paulus ponit (Ignorabatis Deum, & colebatis Deum) conciliari poſſunt? Reſpondeo, Omnes homines naturaliter habent illam generalem

Rom.

Gentium idolatria craſſa, contra Iudæorum in ſpeciem ſancta, ideoq; nocentior.

Rom. 1. ralem cognitionem, quod ſit Deus, luxta illud Rom. 1. Quatenus Deus cognoſci poteſt, notus eſt illis, Inviſibilia enim ejus, &c. Deinde ſatis teſtantur etiam cultus & religiones, quæ fuerunt & manſerunt apud omnes Gentes, quod omnes homines habuerunt generalem quandam noticiam Dei. An verò natura, an per traditionem parentum, non jam diſputo.

Sed objiciat hîc iterum aliquis, Si omnes homines noverunt Deum, Quare ergo dicit Paulus, Galatas ante prædicationem Evangelii Deum non cognoviſſe? Reſpondeo, Duplex eſt cognitio Dei, Generalis & propria, Generalem habent omnes homines, ſcilicet, quod Deus ſit, quod creaverit cœlum & terram, quod ſit juſtus, quod puniat impios, &c. Sed quid Deus de nobis cogitet, quid dare & facere velit, ut à peccatis & morte liberemur & ſalvi fiamus (quæ propria & vera eſt cognitio Dei) homines non norunt. Vt fieri poteſt, quod aliquis mihi notus ſit facie, quem tamen vere non novi, quia non intelligo, quæ ſit voluntas ipſius erga me. Quare homines naturaliter noverunt Deum eſſe. Sed quid velit, quid non velit, ignorant. Quia ſcriptum eſt, Non eſt intelligens Deum. Et alibi, Deum nemo vidit, hoc eſt, nemo novit quæ ſit voluntas Dei. Quid autem prodeſt, ſi noris Deum eſſe, & tamen ignores, quæ ſit voluntas ipſius erga te? Hîc alii aliud ſomniant. Iudæi imaginantur hanc eſſe voluntatem Dei, ſi Deum colant, juxtà præſcriptum legis Moſi. Turcæ ſi obſervent Alcoranum, Monachus ſi præſtet ſuam regulam & vota. Sed omnes falluntur & vani fiunt, ut Rom. 1. Paulus ait, in cogitationibus ſuis, Quia ignorant quid Deo placeat, quid diſpliceat. Ideo pro vero ac naturali Deo, ſomnia cordis ſui adorant, quæ natura nihil ſunt.

Cognitio Dei generalis & propria.

Pſal. 13. 52 Iohan. 1. Rom. 1.

Deum nemo vidit.

Diverſæ opiniones hominum de voluntate Dei.

Hoc Paulus ſignificat, cum ait, Cum ignorabatis Deum, id eſt, cum neſciebatis quæ eſſet voluntas Dei, ſerviebatis iis, qui natura Dii non erant, id eſt, ſomniis & cogitationibus cordis veſtri, quibus ſine verbo fingebatis, Deum hoc vel illo opere ſeu ritu colendum eſſe. Nam hinc quod homines naturaliter hanc propoſitionem tenent, Deus eſt, nata eſt omnis idolatria, quæ ſine cognitione divinitatis non veniſſet in mundum. Quia verò homines hanc naturalem cognitionem de Deo habebant, conceperunt extra & contra Verbum vanas & impias de Deo cogitationes, quas amplexi ſunt pro ipſa veritate, atque ita finxerunt Deum aliter, quàm natura eſt. Sic Monachus fingit Deum talem, qui remittat peccata, donet gratiam & vitam æternam propter obſervationem Regulæ ſuæ. Is Deus nuſquam eſt, Ideo non ſervit neque adorat verum Deum, ſed eum, qui natura non eſt Deus, nempe figmentum & idolum cordis ſui, hoc eſt, ſuam falſam & nihili opinionem de Deo, quam ſomniat eſſe certiſſimam veritatem. Nunc autem ipſa ratio fateri cogitur, opinionem humanam non eſſe Deum. Ideo qui ſine verbo Deum colere aut ei ſervire vult, ut Paulus ait, non vero Deo, ſed ei, qui natura Deus non eſt, ſervit.

Vnde orta ſit idolatria.

Opinio Monachi de voluntate Dei.

Colentes Deum ſine verbo.

Parum igitur refert, ſive Elementa hîc appelles legem Moſi, ſive quaslibet traditiones Gentium (quamvis proprie & principaliter de elementis Moſaicis hîc loquatur) Nam qui recidit à Gratia in legem, nihil ſuavius cadit, quàm is qui extra gratiam cadit, in Idolatriam. Extra Chriſtum enim nihil eſt niſi mera Idolatria, idolum & falſum figmentum de Deo, ſive vocetur lex Moſi, ſive lex Papæ, ſive Alcoranus Turcæ, &c. Ideo cum admiratione quadam dicit:

Elementa.

Extra Chriſtum omnes cultus & leges ſunt idolatriæ.

Nunc autem cum cognoviſtis Deum.

QVASI dicat, valde mirum eſt, quod cognoſcentes Deum ex prædicatione fidei, nunc à vera cognitione voluntatis ejus tam ſubito exciditis (Quam tam certo ac firmiter vos tenere putabam, ut nihil minus timuerim, quam quod tam facile everti poſſet) & iterum ſolicitantibus Pſeudoapoſtolis, convertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis. Accepiſtis autem ex prædicatione mea, hanc eſſe voluntatem Dei, quod velit benedicere omnes gentes, non per circumciſionem aut obſervationem legis, ſed per Chriſtum Abrahæ promiſſum,

Voluntas Dei.

missum. Qui in hunc credunt, benedicentur cum fideli Abraham, sunt filii & hæredes Dei. Sic, inquam, cognovistis Deum.

Imo cogniti estis à Deo.

CASTIGATIO rhetorica est, Priorem enim sententiam (Iam cum cognovistis Deum) corrigit, seu potius invertit ad hunc modum, Imo cogniti estis à Deo. Quia metuit, ne ipsi Deum prorsus amiserint, q. d. Proh dolor, res jam huc prolapsa est, quod nunc Deum non recte agnoscitis. Quia reditis à gratia ad legem, Deus tamen vos adhuc cognoscit. Et re vera nostra noticia est magis passiva, quam activa, hoc est, est potius cognosci, quam cognoscere. Nostrum agere est pati operantem in nobis Deum, Is dat verbum, quo per fidem divinitus datam apprehenso, nascimur filii Dei. Est ergo sententia, Cogniti estis à Deo, id est, visitati estis per Verbum, donati estis fide & Spiritu sancto, quo renovati estis, &c. Quare & his verbis, Cogniti estis à Deo, derogat Legi justiciam, ac negat propter dignitatem operum nostrorum contingere nobis noticiam Dei. Nemo enim novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Item, noticia sui justificabit multos, Quia iniquitates eorum ipse portabit. Ideo noticia nostra de Deo est mere passiva.

Cognitio nostri de Deo.

Iohan. 1.

Esa. 53.

Vehementer ergo miratur, quod jam vere Deum cognoscentes per Evangelium, tam cito revertantur, seducti per Pseudoapostolos, ad infirma & egena elementa. Vr& certe mihi mirum videretur, si nostra Ecclesia (quæ, Dei gratia, pulcherrime instituta est in pura & sana doctrina & fide) una atque altera concione à fanatico homine quodam sic subverteretur, ut me amplius Doctorem suum agnoscere non vellet. Id quod aliquando fiet, si non viventibus, tamen sublatis nobis. Tum enim multi, volentes esse Magistri, surgent, qui prætextu pietatis perversa docebunt, & brevi subvertent omnia, quæ nos longo tempore & maximo labore ædificavimus. Non sumus meliores ipsis Apostolis, qui adhuc viventes, non sine dolore viderunt eversionem Ecclesiarum, quas ipsi plantaverant suo ministerio. Non est igitur mirum, si idem malum nos hodie videre cogimur in Ecclesiis, ubi Sectarii regnant, qui & nostro ministerio paratas occupabunt nobis mortuis, & suo veneno inficient & evertent. Manebit tamen Christus regnans usque ad finem mundi, sed mirabiliter, ut sub Papatu.

Apostoli adhuc viventes coacti sunt videre eversionem Ecclesiarum, quas ipsi plantaverant.

Lex elementum infirmum, &c.

Valde autem contumeliose de Lege loquitur Paulus, cum eam vocat Elementa (ut & supra initio cap. 4.) deinde non simpliciter elementa, sed infirma & egena elementa. An non est Blasphemia, quod tam scelestas appellationes tribuat legi Dei? Lex in vero suo usu debet servire & stare pro Promissionibus & gratia, Si cum his pugnat, non est amplius lex Dei sancta, &c. sed doctrina pernicioса & diabolica, urgens tantum ad desperationem, Ideo est repudianda & excommunicanda.

Lex quando infirma & egena, quando potens & efficax.

Quare cum appellat Legem, infirma & egena Elementa, loquitur de lege secundum superbos & præsumptuosos hypocritas, qui per eam volunt justificari, non de lege spiritualiter intellecta, quæ iram operatur. Nam lex, ut sæpe jam diximus, in vero suo usu, accusat & condemnat veterem hominem. Hic non solum est elementum robustum & dives, sed omnipotens & opulentissimum, imo est invincibilis omnipotentia & opulentia, ad quam conscientia collata est infirmissima & pauperrima. Est enim tam tenera res, ut propter levissimum peccatum ita pavefiat & palleſcat, ut desperet, nisi rursus erigatur. Quare lex in proprio suo usu, plus virium & opum habet, quam cœlum & terra comprehendere potest, Ita ut etiam unus apex seu unum jota Legis totum genus humanum occidere possit, Id quod testatur historia promulgatæ legis, Exod. 19. 20. Is verus & theologicus legis usus est, de quo Paulus hic non agit.

Exo. 19. 20.

Agit ergo hic de hypocritis, qui exciderunt Gratia, vel qui nondum pervenerunt ad eam. Hi abutentes lege, quærunt per eam justificari, exercent & fatigant sese operibus ejus dies & noctes, ut Paulus de Iudæis testatur Rom. 10. Testimonium, inquit, illis perhibeo, quod zelum Dei quidem habent, quod dies noctesque laborant,

Rom. 10.

borant, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorant enim juſticiam Dei, &c. Tales confidunt ſeſe per Legem ſic poſſe corroborari & locupletari, ut ſuam potentiam & divitias juſticiæ, quam habent ex Lege, poſſint opponere iræ & judicio Dei, per eam poſſint Deum placare & ſalvari. In hac relatione recte dixeris, Legem eſſe infirma & egena elementa, hoc eſt, quæ nec poſſint juvare, nec habeant conſilium aut opem. *Lex quoad ſit elementum egenum & infirmum.*

Et qui vellet hîc rhetoricari, poſſet hæc verba latiſſime amplificare, active, paſſive & neutraliter. Active, Lex eſt elementum infirmum & egenum, quia reddit homines infirmiores & egentiores. Paſſive, quia ipſa per ſe non habet vim & opes juſticiæ donandæ vel afferendæ. Neutraliter eſt infirmitas & paupertas ipſa, Quomodo igitur homines prius infirmos & pauperes corroboraret & ditaret? Ideo per Legem velle juſtificari, idem eſt, ac ſi quis alioqui infirmus & æger aliud quoddam grandius malum quæreret, per quod promitteret ſe depulſurum infirmitatem & egeſtatem ſuam, cum tamen illi certum afferret exitium. Vt ſi laborans morbo comitiali, adjungat ſibi peſtem, aut ſi leproſus ad leproſum, mendicus ad mendicum veniret, alter opem laturus alteri, & locupleraturus illum. Horum alter, juxta proverbium, Mulgeret hircum, alter ſupponeret cribrum.

Eſtq; hæc pulchra Tapinoſis, qua Paulus hoc ſignificare vult, quod quærentes per legem juſtificari, hoc commodi inde habeant, quod indies magis magisq; infirmiores & egentiores reddantur. Quia ipſi per ſeſe ſunt infirmi & egentes, hoc eſt, ſunt natura filii iræ, rei mortis & damnationis æternæ, & apprehendunt illud, quod mera eſt infirmitas & mendicitas, per quod quærunt corroborari & locupletari. Ideo omnis homo deficiens à promiſſione ad Legem, à fide ad opera, nihil aliud facit, quàm quod ſibi infirmo & egenti imponat jugum importabile, Act. 15. quo geſtando decuplo fit infirmior & egentior, donec tandem deſperet, niſi Chriſtus veniat, & liberet eum. *Quærentes per legem juſtificari, plus peccatis immerguntur.* Act. 15.

Hoc idem teſtatur Evangelium de muliere, quæ duodecim annos laboraverat profluvio ſanguinis, & multa perpeſſa fuerat à compluribus medicis, in quos inſumpſerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec tamen poterat ab illis curari, ſed quo longius curabatur, hoc pejus habebat, &c. Quotquot igitur hoc nomine faciunt opera legis, ut per ea juſtificentur, illi non ſolum non juſti, ſed dupliciter injuſti redduntur, hoc eſt, ut dixi, infirmiores, egentiores & ineptiores ad omne opus bonum redduntur per legem, &c. Hoc ipſe expertus ſum in me & multis aliis. In Papatu multos vidi Monachos, qui ardentiſſimo ſtudio multa & grandia opera faciebant pro acquirenda juſticia & ſalute, & tamen nihil erat illis impatientius, infirmius, miſerius, nihil magis incredulum, pavidum & deſperabundum. Magiſtratus politici, qui verſabantur in maximis & graviſſimis cauſis, non erant tam impatientes & tam muliebriter impotentes, non erant tam ſuperſtitioſi, increduli, pavidi, &c. ut ejuſmodi juſticiarii. *De muliere profluvio ſanguinis laborante.*

Quicunque igitur quærit per Legem juſticiam, nihil aliud facit, niſi quod multiplicatis actibus, comparet ſibi ἔξιν iſtius primi actus, qui eſt, quod Deus iratus & tremendus, operibus ſit placandus, In hoc conceptu incipit operari. Nunquam autem tantum operum poteſt invenire, ut conſcientiam reddat pacatam, ſed ſemper deſiderat plura, Imo in illis ipſis quæ fecit, invenit peccata. Ideo conſcientia ipſius nunquam poteſt reddi certa, ſed neceſſe eſt eum ſemper dubitare, & ſic ſentire, Tu non recte ſacrificaſti, non recte oraſti, omiſiſti aliquid, hoc vel illud peccatum commiſiſti. Ibi cor trepidat & ſemper invenit ſe onuſtum multis plauſtris peccatorum, quæ ſine fine creſcunt, ita ut ſemper longius diſcedat à juſticia, donec tandem acquirat habitum deſperationis. Hinc in agone plerique deſperabundi has miſerabiles voces emiſerunt, Me miſerum, non obſervavi ordinem meum, quo fugiam à conſpectu irati judicis Chriſti? Vtinam fuiſſem ſubulcus, aut homo omnium viliſſimus. *Conſcientia nunquam tranquille redditur operibus.*

Sic Monachus in fine vitæ infirmior, egentior, magis incredulus & pavidus eſt, *Quid proſit*

Monachis fiat religio.

eſt, quam initio cum ſuſciperet ordinem. Ratio, quia ſtuduit ſe roborare per infirmitatem & locupletare per paupertatem. Lex ſeu traditiones humanæ vel Regula ordinis ſui debebant eum ægrum & pauperem ſanare & ditare, ſed infirmior & egentior factus eſt publicanis & meretricibus. Hi enim non habent infelicem illam operum ἴξιν, qua mitantur, ut Monachus, Sed ut maxime ſentiant peccata, tamen dicere poſſunt cum publicano, Deus propitius eſto mihi peccatori. Econtra, Monachus exercitatus in elementis infirmis & egenis, comparavit ſibi hunc habitum, Si obſervaveris regulam, ſalvaberis, &c. Hac falſa perſuaſione ſic dementatus & captus eſt, ut præ ea non ſolum non apprehendere gratiam, ſed ne meminiſſe quidem gratiæ poſſit. Ita nec præterita nec præſentia opera, quantumvis multa & grandia ei ſatis ſunt, ſed ſemper ſpectat & quærit alia atque alia, quibus iram Dei placare & ſeſe juſtificare conatur, donec ad extremum deſperare cogitur. Itaque qui à Fide relabitur & Legem ſectatur, amittit, ut canis Æſopicus, carnem, & umbram arripit.

Quare impoſſibile eſt, homines per Legem ſaluti ſuæ conſulere volentes (ut natura omnes affecti ſunt) quod unquam pacati reddantur, Imo nihil aliud faciunt, quam quod leges legibus accumulant, quibus ſeipſos & alios excruciant, & conſcientias tam miſere affligunt, ut plæræq; nimio mœrore animi ante diem pereant. Vna enim Lex ſemper gignit alias decem, donec uſque in infinitum creſcant. Hoc ſatis teſtantur innumerabiles Summæ (Præſertim illa diabolica, quam inſcripſerunt Angelicam) quæ hujuſmodi leges colligunt & exponunt.

Summa Evangelica.

Patrum dicta.

Summa, qui contendit lege juſtificari, hoc conatur quod nunquam poterit efficere. Huc accommodari poſſunt, Id quod video Patres feciſſe, dicta doctorum & ſapientum virorum, de inani opera. Cujuſmodi ſunt, Saxum volvere, Cribro aquam haurire, &c. Et puto talibus figmentis & parabolis voluiſſe Patres admonere ſuos diſcipulos diſcriminis Legis & Evangelii, Vt ſignificarent eos, qui Gratia exciderunt, exercere & fatigare quidem ſeſe aſſiduo & moleſtiſſimo labore, ſed inanem operam ſumere. Ideo tales rectiſſime dicuntur, Saxum volvere, hoc eſt, inaniter ſudare. Vt Poëtæ de Siſypho fabulantur, qui quoties apud inferos ſaxum ad verticem montis volvit, ſemper iterum recidit. Item, Cribro aquam haurire, hoc eſt, inexhauſto atque inutili labore ſeſe fatigare, ut Poëtæ fingunt puellas Danaides apud inferos vaſis perforatis aquam inferre in dolium pertuſum, &c. Et velim, vos ſtudioſos ſacrarum literarum iſtiuſmodi parabolas locupletare, ut eo melius poſſetis retinere Legis & Evangelii diſcrimen, Quod velle juſtificari ex lege ſit ex vacuo loculo pecuniam numerare, Ex vacuo vaſe & cantharo edere & bibere, Ibi robur & opes quærere, ubi mera eſt infirmitas & paupertas, Aggravare oppreſſum & ſuccumbentem oneri, Centum aureos velle ſolvere, & ne nummum quidem habere, Nudo veſtem exuere, Ægrum & egentem majore infirmitate & inopia opprimere, &c.

Saxum volvere.

Cribro aquam haurire.

Velle juſtificari ex lege, &c.

Quis autem unquam credidiſſet, quod Galatæ, qui doctrinam puram & certam didicerant, tanto Apoſtolo doctore, potuiſſent tam ſubito abduci ab ea, ac penitus per Pſeudoapoſtolos everti? Non fruſtra tam ſæpe inculco, defectionem à veritate Evangelii facilem eſſe. Ratio eſt, quia homines etiam pii non ſatis perpendunt, quàm precioſus, quamq; neceſſarius ſit theſaurus, vera Chriſti cognitio. Ideo tanta cura & diligentia non laborant, ut certo ac firmiter eam aſſequantur & retineant. Deinde major pars eorum, qui audiunt Verbum, non exercentur Cruce, non luctantur cum Peccatis, morte & Diabolo, ſed ſecuri vivunt ſine omni certamine. Tales, quia non ſunt muniti verbo Dei contra aſtutias Diaboli, non exercentur neque probantur tentationibus, ideo nunquam experiuntur uſum & potentiam verbi. Præſentibus quidem piis doctoribus imitantur eorum verba, ac certo perſuaſi ſunt ſe cauſam juſtificationis optime tenere. Ablatis vero ipſis, ac venientibus lupis in veſtitu ovium, idem illis accidit quod Galatis, hoc eſt, ſubito ac facile ſeducuntur, & iterum ad infirma & egena elementa convertuntur.

Non tentati unquam experiuntur uſum & potentiam verbi.

Habet

Habet autem Paulus ſuam peculiarem phraſin, qua cæteri Apoſtoli non uſi ſunt. Nam nemo illorum tales appellationes tribuit Legi, ſcilicet quod ſit infirmum & egenum, hoc eſt, plus quam inutile ad juſticiam, elementum, præter unum Paulum. Nec ego auſim ita Legem appellare, ſed putarem eſſe ſummam blaſphemiam in Deum, niſi Paulus prius hoc feciſſet. Sed de hac re ſupra copioſius; quando lex ſit infirma & egens, quando item ſit robuſtiſſima & opulentiſſima, &c. *Phraſis Pauli-na.*

Si autem lex Dei infirma & inutilis eſt ad juſtificationem, multo magis leges Papæ ſunt infirmæ & inutiles ad juſtificationem. Non quod in univerſum rejiciam & damnem leges ipſius, ſed dico plæraſque utiles eſſe ad externam diſciplinam, ut ordine omnia gerantur in Eccleſia, ne oriantur diſſidia, odia, &c. ut Cæſareæ leges utiles ſunt ad bene gerendas Reſpublicas, &c. Hac autē cōmendatione & uſu legum ſuarum Papa non contentus eſt, ſed requirit, ut ſentiamus, quod per obſervationem earum juſtificemur & ſalutem conſequamur. Hoc negamus, & eadem fiducia & certitudine, qua Paulus contra Legem Dei, proferimus ſententiam contra Decreta, traditiones & leges Papæ, quod non ſolum ſint infirma, egena & inutilia ad juſticiam elementa, ſed execrabilia maledicta & Diabolica, &c. Quia blaſphemant gratiam, evertunt Evangelium, fidem abolent, Chriſtum tollunt, &c. *Si lex divina eſt infirma & egena ad juſticiam, &c. multo magis traditiones Papæ.*

Quatenus igitur Papa exigit eas obſervari, ut neceſſarias ad ſalutem, eſt Antichriſtus & Satanæ vicarius. Et quotquot ei adhærent, & iſtas ſuas abominationes & blaſphemias confirmant, aut hac opinione ſervant, quod per eas velint promereri remiſſionem peccatorum, ſunt ſervi Antichriſti & Diaboli. Docuit autem jam multis ſeculis, & obſervavit eas tanquam neceſſarias ad ſalutem tota Eccleſia Papiſtica. Hinc Papa ſedet in templo Dei, oſtentans ſe eſſe Deum, adverſatur Deo, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, &c. 2. Theſſal. 2. Et conſcientiæ plus timuerunt & reveritæ ſunt leges & ordinationes Papæ, quàm verbum & ordinationes Dei. Atque hinc factus eſt Dominus cœli, terræ & inferni, & geſtavit triplicem coronam. Hinc Cardinales & Epiſcopi, creaturæ ejus, facti ſunt Reges & Principes mundi. Ideoque ſi legibus ſuis non oneraret conſcientias, non diu retineret illam ſuam tremendam poteſtatem, dignitatem, opes, &c. ſed ſtatim rueret totum regnum ipſius. *2. Theſſ. 2.* *Papa triplex corona.*

Locus iſte, quem Paulus tractat, graviſſimus eſt, ideo diligentiſſime conſiderandus. Quod videlicet deficientes à gratia rurſus ad Legem, amittant prorſus totam cognitionem veritatis, peccatum ſuum non cernant, nec Deum, ſeipſos aut diabolum non agnoſcant. Denique vim & uſum Legis, de cujus tamen obſervatione maxime gloriantur, non intelligant. Nam ſine cognitione Gratiæ, hoc eſt, Evangelii de Chriſto, impoſſibile eſt, quod homo definiat, Legem eſſe infirmum & egenum elementum, ad juſticiam inutile, Sed omnino contrarium de lege judicat, Videlicet eam non ſolum neceſſariam eſſe ad ſalutem, ſed etiam confirmare & locupletare infirmos & egentes, hoc eſt, facientes eam, promereri juſticiam & ſalutem æternam. Hac opinione ſtante, negatur promiſſio Dei, tollitur Chriſtus, &c. ſtatuitur Mendacium, impietas, idolatria. Papa autem cum omnibus Epiſcopis, Academiis & tota ſua ſynagoga, docuit leges ſuas ad juſticiam neceſſarias. Ideo fuit doctor infirmorum & egenorum elementorum, quibus reddidit Eccleſiam Chriſti in orbe terrarum infirmiſſimam & pauperrimam, hoc eſt, oneravit & miſerrime afflixit eam ſuis impiis legibus, obſcuraro Chriſto & Evangelio ipſius obruto ac ſepulto. Itaque ſi voles obſervare leges Papæ ſine offenſione conſcientiæ, ſerves illas ſine opinione juſticiæ, Ea namque per ſolum Chriſtum donatur. *Excidere gratia Dei.* *Judicium de lege eorum, qui extra Chriſtum ſunt.* *Papa qualis doctor ſit.*

Quibus denuo ſervire vultis?

Hoc addit, ut oſtendat ſe loqui de ſuperbis & præſumptuoſis hypocritis, qui per legem quærunt juſtificari, ut ſupra ſæpe indicavi. Alias legem appellat ſanctam, bonam, &c. Vt 1. Timoth. 1. Scimus quod lex bona ſit, ſi quis ea legitime utatur, ſcilicet politice ad cohercendos malos, Theologice ad augendas tranſgreſſiones. *Vſus legis.* *1. Tim. 1.*

nes. Qui autem lege utitur ad conſequendam juſticiam coram Deo, neſcit quid loquatur, aut de quo affirmet, facitq; legem bonam, ſibi noxiam & damnabilem. Arguit ergo Galatas, quod denuo ſervire volunt legi, quæ non liberat à peccatis, ſed ea tantum auget. Nam peccator per ſe infirmus & egenus, dum quærit per legem juſtificari, in ea nihil invenit, quam ipſam infirmitatem & egeſtatem. Duo enim ægri & mendici conveniunt, quorum alter alterum tantum plus onerat, non ſanat.

Quatenus ſerviendum legi, &c.

Vt fortes in Chriſto libenter volumus ſervire legi, non tamen infirmæ & egenæ, ſed robuſtæ & di[illegible]ioc eſt, quatenus eſt efficax, habens dominium in corpus, &c. [illegible]enim ſervimus legi tantum corpore & membris, non conſcientia. Sed Papa exi[illegible]at ſerviamus legibus ſuis cum hac opinione, Si feceris, juſtus es, Si non, damnatus. Ibi lex eſt plus quàm infirmum & egenum elementum, &c. Nam durante iſta conſcientiæ ſervitute ſub lege, nihil eſſe poteſt, quàm mera infirmitas & egeſtas. Quare tota emphaſis eſt in vocabulo Serviendi. Agit ergo Paulus hoc loco, ne conſcientia captà ſub lege ſerviat, ſed libera ſit & domina legis. Nam per Chriſtum eſt mortua legi, & è contra lex ipſi. De qua re ſupra cap. 2. copioſius dictum eſt.

Dies obſervatis & menſes, & tempora & annos.

Doctrina Pſeudoapoſtolorum.

HIS verbis clare oſtendit, quid docuerint Pſeudoapoſtoli, videlicet, obſervare dies, menſes, tempora, annos. Omnes fere doctores hunc locum interpretati ſunt de diebus aſtrologicis Chaldæorum, Quod gentes obſervaverint in agendis rebus & expectandis eventibus vitæ & negociorum certos quoſdam dies, menſes, &c. Hoc idem Galatas, autoribus Pſeudoapoſtolis, feciſſe. Et Auguſtinus, quem poſteriores ſecuti ſunt, expoſuit hæc verba Pauli de iſto ritu gentili. Quanquam poſtea etiam interpretetur de diebus, menſibus, &c. Iudæorum. De ea re ſatis perplexa eſt diſputatio in Decretis, &c.

Sed Paulus inſtituit conſcientiam, ideo non de iſto gentili ritu obſervandi dies, &c. quæ res tantum ad corpus pertinet, ſed de lege Dei loquitur, & de obſervatione dierum, menſium, &c. ſecundum legem Moſi, hoc eſt, de diebus, menſibus & temporibus religioſis, quæ Galatæ, inſtructi à Pſeudoapoſtolis, obſervabant ad juſtificationem. In Moſe enim præceptum erat Iudæis, ut religioſe ſervarent diem Sabbati & neomenias, menſes, primum & ſeptimum, tria ſtata tempora ſeu feſta, ſcilicet, Paſchæ, Hebdomadarum & Tabernaculorum, Annum remiſſionis & Iubilæum. Eoſdem ritus & ipſi per Pſeudoapoſtolos coacti, obſervabant tanquam neceſſarios ad juſticiam. Hinc dicit eos amiſſa gratia & libertate Chriſtiana reverti ad ſervitutem infirmorum & egenorum elementorum. Perſuaſi enim fuerant à Pſeudoapoſtolis, iſtas leges neceſſariò ſervandas eſſe, & ſervatas donare juſticiam, neglectas damnare. Contra Paulus nullo modo permittit conſcientias lege Moſaica obligari, ſed ubique eas à lege liberat. Ecce ego Paulus, inquit infra cap. 5. Dico vobis, quod ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Et Coloſſ. 2. Nemo vos judicet in cibo & potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, &c. Sic Chriſtus, Regnum Dei non venit cum obſervatione legis, Multo minus conſcientiæ onerandæ & illaqueandæ ſunt traditionibus humanis.

Dies feſti Iudæorum.

Col. 2.

Obſervatio dierum feſtorum.

Hic dicat aliquis, Si Galatæ peccaverunt obſervando dies & tempora, cur vos idem facientes non peccatis? Reſpondeo, Nos obſervamus diem Dominicum, natalem Domini, Paſcha & ſimiles ferias liberrime, Non oneramus illis ritibus conſcientias, neque docemus ut Pſeudoapoſtoli & Papiſtæ, eos neceſſarios eſſe ad juſticiam, aut quod per illos ſatisfacere poſſimus pro peccatis, ſed ut omnia ordine & ſine tumultu in Eccleſia gerantur, neve externa concordia (In ſpiritu enim habemus aliam concordiam) ſcindatur. Vt olim accidit, Vbi Romanus pontifex Victor excommunicavit omnes Eccleſias Aſiæ, non ob aliam cauſam, quam quod diem Paſchæ celebrarent alſo tempore quàm Eccleſia Romana. Hoc Irenæus reprehendit in Victore, ut certe dignum erat reprehenſione. Extrema enim fuit inſania, propter rem tam leviculam orientis Eccleſias tradere Diabolo. Ideo rara

Victor Romanus Pont. excommunicavit Eccleſias orientis.

fuit

fuit iſta cognitio de obſervatione dierum & temporum etiam in ſummis viris. Hieronymus non tenuit eam, Neque Auguſtinus intellexiſſet, niſi per Pelagianos vexatus & exercitatus fuiſſet. Potiſſimum autem obſervamus hujuſmodi ferias, ut conſervetur miniſterium verbi, ut populus conveniat certis diebus & temporibus ad audiendum Verbum, ut diſcat cognoſcere Deum, ut communione utatur, ut oret publice pro omnibus neceſſitatibus, Item, ut agat gratias Deo pro ſpiritualibus & corporalibus ipſius beneficiis. Et propter hanc cauſam præcipue credo inſtitutam eſſe à Patribus obſervationem diei Dominici, Paſchæ, Pentecoſtes, &c.

Cur ſervanda feria.

Dominici diei obſervatio, &c.

Timeo vobis, Ne fruſtra laboraverim apud vos.

HIS verbis teſtatur ſe valde perturbatum fuiſſe propter lapſum Galatarum, quos libenter increparet durius, Sed timet ne nimis aſpera objurgatione non emendet, ſed plus irritet, & prorſus à ſeſe abalienet. Ideo inter ſcribendum mutat & mitigat verba, & fere in ſe ſolum transfert damnum, dicens, Metuo de vobis, ne fruſtra laboraverim apud vos, hoc eſt, Male me habet, quod tam magna diligentia & fide prædicaverim apud vos Evangelium ſine fructu. Quanquam autem ſumma manſvetudine & vere paterna cura tractat eos, Tamen ſatis duriter eos ſimul objurgat, ſed occulte. Nam cum dicit ſe fruſtra laboraſſe, id eſt, ſine fructu Evangelium prædicaſſe apud eos, occulte indicat, vel eos fuiſſe pertinaciter incredulos, vel recidiſſe à doctrina fidei. Vtriq; autem vel increduli, vel à doctrina fidei relapſi, adhuc peccatores, impii, injuſti & damnati ſunt. Ideo tales etiam fruſtra obediunt legi, fruſtra obſervant dies, menſes, &c. Et in his verbis, Timeo ne fruſtra apud vos laboraverim, occulta quædam excommunicatio continetur. Significat enim Apoſtolus, per ea Galatas à Chriſto alienos & excluſos eſſe, niſi redierint ad ſanam doctrinam. Sententiam tamen manifeſte non fert. Sentiebat enim ſe duriore increpatione nihil effecturum. Ideo mutat calamum, & blandiſſime eos alloquitur, dicens.

Affectus paterni Pauli erga Galatas.

Fruſtra laborare.

Eſtote ſicut ego, Quia & ego ſicut vos.

HIC locus non eſt dialecticus, ſed plenus affectuum, qui tractandi ſunt rhetorice. Paulus docuit hactenus, & inter docendum, nimia rei indignitate motus, vehementer excanduit in Galatas, & objurgavit eos ſatis atrocibus verbis, Vocans ſtultos, faſcinatos, non credentes veritati, crucifixores Chriſti, &c. Nunc abſoluta fere potiore parte Epiſtolæ, incipit ſentire, quod nimis ſevere eos tractaverit. Ideo ſolicitus, ne hac acerbitate ſua plus nocuerit quàm profuerit, indicat hanc duram objurgationem ex paterno & vere Apoſtolico animo profectam eſſe. Et mire rhetoricatur, ac exuberat blandis ac ſuavibus verbis, hoc agens, ut ſi quos (ut procul dubio multos) offendiſſet aſpera ipſius increpatio, hac ſuavitate verborum iterum mitigaret.

Apoſtolus mox blande alloquitur, quos prius ſevere objurgavit.

Simul hîc admonet exemplo ſuo, Paſtores & Epiſcopos paterno & materno animo affectos eſſe debere, non erga rapaces lupos, ſed erga miſeras, ſeductas & errantes oves, ut earum infirmitatem & lapſum patienter ferant, & eas ſumma manſuetudine tractent. Neque enim alio modo poſſunt revocari in viam. Nam duriore increpatione commoventur ad iracundiam, aut certe ad deſperationem, non ad reſipiſcentiam. Et ut hoc quoque obiter admoneam, Ea eſt natura & fructus ſanæ doctrinæ, quod bene docta & cognita conjungit mentes ſumma concordia. Vbi verò homines deſerta pietatis doctrina amplectuntur errores, ſcinditur iſta animorum concordia. Quamprimum igitur videbis fratres ſeu diſcipulos per fanaticos ſpiritus deceptos, ab articulo juſtificationis deficere, ſtatim comperies eos acerbiſſimo odio inſectari pios, quos ante vehementer dilexerunt.

Imago pii Paſtoris.

Fructus ſanæ doctrinæ.

Concordia animorum ſcinditur impia doctrina.

Hoc experimur hodie in Pſeudofratribus noſtris, Sacramentariis & Anabaptiſtis, qui initio cauſæ Evangelicæ libenter nos audiebant, ac avide noſtra legebant, agnoſcebant donum Spiritus ſancti in nobis, ac propter illud reverebantur nos tanquam Dei miniſtros. Quidam ex eis vivebant etiam ad tempus nobiſcum

Deficientes à sana doctrina deteriores sunt quam antea.

familiariter, & modeſtiſſime ſe inter nos gerebant. At ubi à nobis egreſſi, & per fanaticos ſpiritus ſubverſi ſunt, nemo magis infenſus eſt doctrinæ & nomini noſtro, quàm ipſi. Oderunt & Papiſtas, ſed non tam atrociter atque nos. Sæpe vehementer admirari ſoleo, unde tam ſævum & atrox odium in animos eorum, qui nos tam amanter complexi ſunt, tam ſubito cadere poſſit, cum tamen in re ne minima quidem eos offenderimus, aut eis dederimus occaſionem proſequendi nos odio. Imo fateri coguntur hoc unice nos quærere, ut beneficium & gloria Chriſti illuſtretur, ut veritas Evangelii pure doceatur, quam hoc noviſſimo tempore Deus denuo per nos ingrato mundo revelavit, Quæ res ad amorem potius, quam odium noſtri eos provocare debebat. Ideo merito miror, unde iſta ſit mutatio. Sed nulla alia eſt cauſa, quam quod novos magiſtros audierunt. Horum veneno infecti, ita accenſi ſunt, ut tam implacabili odio contra nos laborent & ardeant.

Fortuna Apoſtolorum.

Atque hanc video fortunam eſſe Apoſtolorum & omnium piorum verbi miniſtrorum, quod diſcipuli & auditores eorum, infecti impiis opinionibus fanaticorum, & everſi ab ipſis, ira & odio in ipſos ardeant. Perpauci inter Galatas manſerunt conſtantes in doctrina Pauli. Alii omnes per Pſeudoapoſtolos ſeducti amplius non agnoverunt Paulum pro doctore ſuo, imo illis nihil deinceps magis fuit exoſum, quam nomen & doctrina Pauli. Et vereor quod iſta Epiſtola perpaucos revocaverit ab errore.

Si ſimiles caſus nobiſcum accideret, hoc eſt, ſi nobis abſentibus everteretur Eccleſia noſtra per fanaticos, & nos huc ſcriberemus, non unam atque alteram, ſed multas Epiſtolas, parum aut nihil efficeremus. Non aliter noſtri homines, præter paucos quoſdam firmiores, erga nos ſe gererent, quam hodie erga nos ſe gerunt ſeducti à ſectariis, qui citius adorarent Papam, quam noſtris monitis parerent, aut noſtram doctrinam probarent. Nemo perſuadebit eis, quod amiſſo Chriſto, jam iterum infirmis & egenis elementis, & iis, qui natura dii non ſunt, ſerviant. Nihil minus audire poſſunt, quàm ſuos Doctores, à quibus ſeducti ſunt, eſſe everſores Evangelii Chriſti, & conſcientiarum & Eccleſiarum perturbatores. Lutherani, ajunt, ſoli non ſapiunt, ſoli Chriſtum non prædicant, ſoli Spiritum ſanctum, prophetiæ donum & germanam interpretationem ſcripturæ non habent. Noſtri Doctores nulla in re inferiores ipſis ſunt, imo multis nominibus excellunt eos, quia ſpiritum ſectantes, ſpiritualia docent. Contra, illi nunquam adhuc attigerunt veram theologiam, ſed hærent in litera, ideoque nihil aliud docent, quàm Catechiſmum, fidem, charitatem. &c.

Lapſus in fide facilis.

Quare, ut ſæpe dicere ſoleo, quam lapſus in fide facilis, tam periculoſus eſt, nempe è ſublimi cœlo ad ima tartara. Non eſt humanus, ut cædes, adulterium, &c. ſed Satanicus. Nam qui ita labuntur, non facile poſſunt ſanari, ſed plerumq; obſtinati perdurant in errore. Ideo noviſſima ipſorum pejora fiunt primis. Id quod Chriſtus teſtatur, cum ait, Spiritus immundus ejectus è domo ſua, cum redit, non ſolus ingreditur in eam, ſed aſſumit ſecum alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & habitat ibi, &c. Luc. 11.

Sentiens ergo Paulus, dicente hoc ei Spiritu, ne ex iſta acri objurgatione animi Galatarum, quos appellaverat ex pio zelo inſenſatos, &c. plus exacerbarentur, quam emendarentur, Præſertim cum jam ſciret Pſeudoapoſtolos inter ipſos agere, qui hanc objurgationem ex paterno corde profectam, interpretaturi eſſent in peſſimam partem, & clamaturi, Iam Paulus, quem quidam veſtrum tantopere laudant, ſeipſum prodit, quo ſpiritu agatur. Præſens voluit videri Pater veſter, ſed literæ abſentis teſtantur eum eſſe tyrannum, &c. Ideo pio affectu & ſolicitudine paterna ita perturbatus eſt, ut plane neſciat, quid aut quomodo eis ſcribat. Nam valde periculoſum eſt, te agere cauſam per literas apud abſentes, qui jam cœperunt te odiſſe, quiq; ab aliis perſuaſi ſunt, te non habere bonam cauſam. Ideo vehementer perplexus, paulo poſt dicit, Confundor propter vos, hoc eſt, neſcio quid & quomodo vobiſcum agam, &c.

Eſtote

Eſtote ſicut ego, Quia & ego ſicut vos.

ISTA verba non de doctrina, ſed de affectibus intelligenda ſunt. Non eſt igitur ſententia, Eſtote, ut ego ſum, hoc eſt, ſentite de doctrina, ſicut ego, Sed, ſitis affecti erga me, ut ego erga vos, q. d. Forte nimis acriter objurgavi vos, ſed condonate mihi hanc aſperitatem, æſtimate cor non ex verbis, ſed ex affectu cordis verba. Verba quidem dura & virga aſpera videntur, ſed cor ſuave & paternum eſt. Ideo, mei Galatæ, accipite hanc meam objurgationem eo animo, quo vos objurgavi. Nam res poſtulavit, ut me tam durum erga vos oſtenderem. Eſt & noſtra caſtigatio dura, & ſtylus vehemens, ſed profecto cor non eſt amarum, non invidum, non vindictæ cupidum contra adverſarios, Sed pia turbatio & dolor ſpiritus eſt in nobis. Non ſic odi Papiſtas & alios erroneos ſpiritus, ut imprecer eis malum, & cupiam eos perire, ſed optarem potius eos redire in viam, & unà nobiſcum ſalvari.

Aliàs ut ſuper. orem duram objurgationem.

Pædagogus caſtigat diſcipulum, non in malum, ſed in bonum ipſius. Virga quidem eſt aſpera, ſed diſciplina maxime neceſſaria eſt puero, & animus caſtigantis amicus & ſyncerus. Sic pater caſtigat filium, non ut perdat, ſed ut emendet. Verbera ſunt quidem dura & moleſta filio, ſed animus patris candidus & ſuavis eſt, Et niſi amaret filium, non caſtigaret eum, ſed abigeret à ſe, ac de ſalute ejus deſperaret, ſineretq; perire. Quod ergo caſtigat eum, eſt ſignificatio paterni affectus erga filium, maximeq; conducit filio. Sic & vos, mei Galatæ, de objurgatione mea ſentite, tunc non judicabitis eam aſperam, ſed ſalutarem. Omnis caſtigatio in præſens quidem non videtur jucunda, ſed moleſta. Poſtea vero, &c. Ebræ. 12. Sit ergo in vobis is affectus erga me, qui eſt in me erga vos. Ego amicum cor erga vos habeo, hoc idem requiro à vobis.

Pædagogus.

Pater. Caſtigatio neceſſaria & utilis, &c.

Ebr. 12.

Hoc modo blanditur Galatis, & illam blanditiem valde urget, ut eorum animos jam exaſperatos ſua acri objurgatione, iterum mitiget & ſanet. Non tamen revocat ſuam objurgationem, fatetur quidem fuiſſe duram & aſperam, Sed neceſſitas, inquit, coëgit me, ut vos durius increparem, Sed ſic increpationem meam mitigo, quod ex optimo & ſuaviſſimo corde profecta ſit. Medicus dat infirmo amariſſimam potionem, non quod male velit infirmo, ſed iſto modo vult ei conſulere. Si ergo quid amari datur infirmo, hoc non eſt imputandum medico, ſed medicinæ & morbo. Hoc idem judicare de mea aſpera objurgatione.

Medicus.

Fratres (rogo vos) nihil me læſiſtis.

EST ne hoc rogare Paulo, quod appellat Galatas faſcinatos, inobedientes veritati, crucifixores Chriſti? Ego hoc potius convitium dicerem. Ipſe contra, non convitium, ſed rogationem eſſe dicit, & re vera ita eſt, q. d. Verum eſt, objurgavi vos paulo acerbius, ſed rectè accipite, tum deprehendetis meam increpationem, non eſſe increpationem, ſed rogationem. Sic ſi pater flagellat filium, tantundem eſt, ac ſi diceret ad eum, Fili mi, rogo te, ſis probus, &c. Eſt quidem in ſpeciem caſtigatio, Si autem cor patris ſpectes, eſt blandiſſima rogatio.

Meliora ſunt verbera amici, &c.

Nihil me læſiſtis.

QUASI dicat, Cur deberem vobis iraſci, aut ex malo animi dolore vobis detrahere, cum me non læſeritis? Cur ergo dicis nos ſubverſos, deſertores doctrinæ tuæ, amentes, faſcinatos, &c. Iſta ſatis teſtantur, quod te offenderimus? Imo non me, ſed vosipſos offendiſtis, Ideoque non propter me, ſed propter vos ita angor. Ne igitur putetis increpationem meam, ex irato corde, odio aut aliquo alio vitio profectam eſſe. Teſtor enim Deum, quod nulla prorſus injuria me afficeritis, ſed econtrà, multa beneficia in me contuleritis, ut ſequitur. Sic blandiens Galatis, præparat animos eorum ad ferendas has paternas caſtigationes filiali affectu, Hocq; eſt temperare abſinthium & amaram potionem melle & ſaccaro, ut iterum dulceſcat. Sic parentes blandiuntur liberis, quando eos probe caſtigaverunt,

præbentes eis liba, placentas, pyra, poma, &c. ejuſmodi munuſcula, quibus agnoſcunt liberi, parentes ſibi optime velle, ut maxime aſpera fuerit caſtigatio.

Scitis autem, quod per infirmitatem carnis evangeliſavi vobis prius, & tentationem meam in carne mea non ſpreviſtis neque reſpuiſtis, Sed ſicut Angelum Dei accepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum.

Laudat Galatas quod non ſint offenſi infirmitate ſua.

EXPONIT nunc cujuſmodi beneficia ſibi exhibita ſint apud Galatas. Primum beneficium, inquit, quod inter omnia reputo maximum hoc eſt, Cum primum cœpi prædicare Evangelium inter vos, idq; per infirmitatem carnis & magnas tentationes, nihil offendit vos illa mea crux. Sed tam boni, ſuaves, faventes & amantes mei fuiſtis, ut non ſolum non offenſi fueritis hac infirmitate carnis, tentationibus & periculis, quibus pene obruebar, Sed ſummo amore me proſequeremini, ac velut Angelum Dei, imo velut Chriſtum Ieſum ſuſciperetis.

Commendatio Galatarum.

Hæc certe magna commendatio eſt Galatarum, quod acceperunt Evangelium ab homine tam contempto & afflicto, ut Paulus erat. Prædicavit enim apud illos Evangelium, tumultuantibus & furentibus Iudæis & Gentibus. Nam quicquid erat potens, ſapiens, doctum, religioſum, oderat, perſequebatur, conſpuebat, conculcabat & blaſphemabat Paulum. Iſtis omnib. Galatæ nihil fuerunt offenſi, ſed removentes ex oculis iſta ſpectra infirmitatis, tentationum & periculorum, non ſolum audierunt egentem, deſpectum, miſerum, afflictum Paulum, ſeq; agnoverunt diſcipulos ipſius, ſed inſuper etiam eum tanquam Angelum Dei, imo tanquam Chriſtum Ieſum ſuſceperunt & audierunt. Ea eſt egregia laus & virtus Galatarum, & certe nunquam ullis, ad quos ſcripſit, tantam laudem tribuit, quantam hîc Galatis.

Infirmitas carnis juxta Hieronymi ſententiam.

Hieronymus & alii quidam Patres ex veteribus, exponunt infirmitatem carnis in Paulo, morbum corporis vel tentationem libidinis. Boni iſti Patres vixerunt in ſucceſſu temporali Eccleſiæ, expertes crucis & perſecutionis. Epiſcopi enim jam tum cœperant creſcere & augeri opibus, exiſtimatione & gloria in mundo. Et plerique etiam tyrannidem exercebant in populum, cui præerant, ut teſtatur Eccleſiaſtica hiſtoria. Pauci faciebant ſuum officium, & qui volebant videri facere, omiſſa doctrina Evangelii, ſua decreta proponebant populo. Quando autem deeſt cognitio, exercitium & pura verbi tractatio apud Paſtores & Epiſcopos, non poſſunt non agere ſecuri. Non enim exercentur tentationibus, cruce & perſecutionibus, quæ puram prædicationem verbi certiſſime ſequi ſolent. Ideo impoſſibile fuit ab ipſis Paulum intelligi. Nos vero gratia Dei habemus puram doctrinam, quam & libere profitemur. Ideo cogimur etiam ferre ſæviſſima odia & perſecutiones diaboli & mundi. Et niſi exerceremur vi & dolis per tyrannos & hæreticos, & in corde pavoribus & ignitis Satanæ telis, tam obſcurus & ignotus eſſet nobis Paulus, quàm ſuperioribus ſeculis fuit toti mundo, & adhuc hodie adverſariis noſtris Papiſtis & fanaticis ſpiritibus eſt. Ideo donum prophetiæ & ſtudium noſtrum unà cum tentationibus internis & externis aperiunt nobis ſenſum Pauli & omnium ſcripturarum.

Judicium de Patribus in ſucceſſu temporali Eccleſiæ viventibus.

Crux doctrinæ fidei comes.

Utilitas tentationum.

Infirmitas carnis in Paulo.

Vocat igitur Paulus infirmitatem carnis, non morbum aut libidinem, ſed paſſionem ſeu afflictionem, quam ſuſtinuit in corpore ſuo, ut ſit Antitheſis, contra virtutem ſeu potentiam ſpiritus. Sed ne videamur verbis Pauli injuriam facere, audiamus ipſum. Libenter, inquit, 2. Corinth. 12. gloriabor in infirmitatibus meis, ut habitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in Infirmitatibus, contumeliis, neceſſitatibus, perſecutionibus, anguſtiis pro Chriſto, Cum enim infirmus ſum, robuſtus ſum. Et cap. 11. In laboribus copioſius, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, unâ minus, accepi. Ter virgis cæſus ſum, Semel lapidatus ſum, ter naufragium feci, &c. Iſtas paſſiones, quas ſuſtinuit in corpore, vocat infirmitatem carnis, non adverſam corporis valetudinem, q. d. Cum prædicarem apud vos Evangelium,

2. Cor. 12

2. Cor. 11

ed by Google

gelium, obrutus eram variis afflictionibus & malis, Vndique imminebant mihi insidiæ & pericula à Iudæis, gentibus & falsis fratribus, &c. Vexabar fame & inopia o-
1. Cor. 4. mnium rerum, eram katharma mundi & peripsema omnium. Istius suæ infirmitatis
2. Cor. 4. 6. 11. 12. passim mentionem facit, ut 1. Corinth. 4. 2. Cor. 4. 6. 11. 12. & alibi.

Satis ergo constat Paulum vocare infirmitates carnis, afflictiones, quas secundum carnem passus est, & communes habuit cum aliis Apostolis, Prophetis & omnibus piis, Spiritu tamen potens erat. Habitabat enim in illo Christi virtus, quæ
2. Cor. 12. semper regnabat & triumphabat per eum, Id quod testatur 2. Corinth. 12. his verbis, Cum infirmus sum, robustus sum. Item, Libenter gloriabor in infirmitatibus
2. Cor. 2. meis, ut habitet in me virtus Christi. Et cap. 2. Deo gratia, qui semper triumphat per nos in Christo, q. d. Sævit quidem in nos crudeliter Diabolus, sæviunt in nos infideles Iudæi & gentes, tamen invicti perduramus contra omnes ipsorum insultus, & illis nolentibus volentibus perrumpit & triumphat doctrina nostra. Ista erat potentia & fortitudo spiritus in Paulo, cui opponit hic infirmitatem & servitutem carnis. *Potentia spiritus in Paulo.*

Ista autem infirmitas carnis in piis maxime offendit rationem. Ideo merito tam magnifice laudat Paulus Galatas, quod illa scandalosissima infirmitate & istis vilibus formis crucis, quas viderunt in ipso, non sint offensi, Sed velut Angelum, imo Christum Iesum susceperint. Et Christus ipse munit suos contra has viles formas crucis, in quibus apparuit, cum ait, Beatus qui non fuerit scandalisatus in me. Et certe magna res est, quod credentes in eum, agnoscant Dominum omnium & Salvatorem mundi, quem audiunt fuisse omnium miserrimum, novissimum virorum, opprobrium hominum, abjectionem plebis, In summa, invisum omnibus, denique condemnatum ad mortem crucis, & quidem à suo populo, & præcipue ab his, qui erant optimi, sapientissimi, sanctissimi, &c. Magnum est, inquam, istis grandibus scandalis non moveri, & ea omnia non solum posse contemnere, sed hunc consputum, flagellatum, & crucifixum Christum ignominiosissime, pluris facere, quam omnium divitum opes, omnium potentium fortitudinem, omnium Doctorum sapientiam, omnium Regum coronas, omnium Sanctorum religiones. Ideo merito beati dicuntur à Christo, qui non scandalisantur in ipso. *Ratio offenditur vilibus formis Christi & Sectarum.*

Habuit autem Paulus non tantum externas, de quibus jam diximus, sed etiam internas & spirituales, ut Christus in horto, tentationes. Qualis fuit, de quo
2. Cor. 12. conqueritur 2. Corinth. 12. σκόλοψ in carne, & angelus Satanæ, qui eum colaphis cædebat. Qui istis spiritualibus tentationibus exercetur, illum impossibile est vexari libidine. Hoc ideo obiter admoneo, Quia Papistæ, cum viderent latinam translationem habere, Stimulum carnis, interpretati sunt istum stimulum, motus libidinis. Sed in Græco est σκόλοψ, quod palum seu sudem præacutam significat. Fuit ergo ista spiritualis tentatio. Neque obstat, quod addit vocabulum carnis, cum ait, Datus est mihi palus in carnem. Imo consulto vocat palum in carne. Quia Galatæ & alii, quibus cum conversatus fuit Paulus, sæpe viderunt eum magno mœrore affici, trepidare, pavefieri & ineffabili dolore & mœsticia vexari. *Tentationes spirituales Pauli.* *Stimulus carnis.*

Quare non solum corporales, sed & spirituales habuerunt tentationes. Id
2. Cor. 7. quod & 2. Corinth. 7. his verbis fatetur, Intus pavores, foris pugnæ. Et Luc. in Act.
Act. ult. cap. ult. dicit, Paulum, ubi diu jactatus esset in tempestatibus maris ad tristiciam usque spiritus, recreatum esse ac sumpsisse fiduciam, cum videret fratres venire è Ro-
Philip. 2. ma ei in occursum ad Appii forum & Tres tabernas. Item Philip. 2. fatetur, Deum sui esse misertum, quod Epaphroditum infirmum & vicinum jam morti, sanaverit, ne tristiciam super tristiciam haberet. Ideo præter externas corporis tentationes, passi sunt etiam tristiciam spiritus Apostoli. *Tristicia spiritus in Apostolis.*

Sed cur ait Paulus, quod à Galatis non sit spretus? Certe spreverunt eum, Quia ab Evangelio ejus defecerunt. Paulus seipsum exponit, Cum primum, inquit, prædicarem Evangelium vobis, non feciſtis, ut pleriq; alii populi, qui hac mea infirmitate & tentatione carnis offensi, spreverunt & respuerunt me. Humana enim *Humana ratio facile offenditur.*

ratio

Pij subjecti sunt cruci & afflictionibus, ideo mundus judicat eos rejectos à Deo.

ratio facile offenditur illis vilibus formis crucis, & eos judicat insanos, qui alios volunt consolari, juvare & curare. Item qui jactant magnas opes, justiciam, fortitudinem, victoriam peccati, mortis & omnium malorum, læticiam, salutem & vitam æternam, Et tamen illi ipsi interim egent, infirmi, tristes, despecti sunt, indignissime tractantur & occiduntur, ut nocentissimæ pestes rerum publicarum & religionis, Et non à vulgo, sed ab optimatibus, qui sunt in administratione politica & Ecclesiastica, & hi arbitrantur se per hoc obsequium præstare Deo. Itaque cum aliis promittunt æterna bona, & ipsi tam misere coram mundo pereunt, ridentur, & audire coguntur, Medice cura teipsum. Hinc passim sunt illæ querelæ in Psalmis, Vermis sum & non homo, &c. Ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet, &c. *Psal. 22.*

Laus Galatarum.

Est igitur hæc magnifica commendatio & laus Galatarum, quod illa infirmitate & tentatione Pauli non sint offensi, Sed susceperint eum velut Angelum Dei, imo velut Christum Iesum. Est certe magna & egregia virtus, audire Apostolum, Sed major & vere Christiana virtus est, tam miserum, infirmum & contemptum (qualem se fuisse apud Galatas Paulus hîc testatur) audire, ac eum suscipere velut Angelum è cœlo, ac talem ei honorem habere, ac si Christus Iesus esset, & non offendi tantis & tot ipsius afflictionibus. Quare his verbis maxime prædicat virtutem Galatarum, quam ait æternam fore apud se, & tam gratam esse, ut cupiat eam innotescere omnibus hominibus. Interim tamen, cum eorum beneficia & laudes tam magnifice prædicat, subobscure indicat, quàm vehementer prius se dilexerint ante adventum Pseudoapostolorum, simulq; admonet, ut porro eodem amore & reverentia se Apostolum ipsorum prosequantur, quo antea, &c. Et vel hinc cognosci potest, Pseudoapostolos habuisse in speciem majorem autoritatem apud Galatas, quam ipsum Paulum. Ea enim moti Galatæ longe prætulerunt eos Paulo, quem antea non solum vehementer dilexerant, sed etiam velut Angelum Dei susceperant, &c.

Quæ erat beatitudo vestra?

QVASI d. Quam beati prædicabamini, quam laudati & benedicti tum eratis. Similis est phrasis in Cantico Mariæ, Beatam me dicent, id est, benedicent omnes generationes. Et vehementer emphatica sunt ista verba, Quæ erat beatitudo vestra? Q. d. Non simpliciter benedicti, sed per omnia benedicti & laudatissimi eratis. Hoc modo studet lenire & mitigare amaram potionem, hoc est, asperam objurgationem. Quia timet Galatas illa posse offendi, Præsertim cum sciebat Pseudoapostolos istam calumniaturos & maligne interpretaturos esse. Nam ea est virtus & natura istarum viperarum, quod verba ex pio & candido corde profecta criminentur, versute ac insidiose detorqueant prorsus in contrarium sensum, quam dicta sunt. In hac re miri sunt magistri, superantes omnium rhetorum ingenium & artificium. Aguntur enim à spiritu maligno, qui ita dementat eos, ut Satanica virulentia accensi in pios, eorum verba & scripta non possint non malicioſe interpretari. Perinde igitur faciunt ut araneæ, quæ ex pulcherrimis & optimis floribus venenum sugunt, suo tamen non florum vitio. Itaque vult prævenire suo melle & blanditie, ne Pseudoapostoli habeant locum calumniandi & captiose pervertendi verba sua, hoc modo, Paulus tractat vos inhumaniter, vocans amentes, fascinatos, inobedientes veritati, quod certum est signum eum non quærere salutem vestram, sed habere vos pro damnatis & rejectis à Christo.

Hæretici bona dicta calumniantur.

Testimonium enim perhibeo vobis, quod, si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.

EXTOLLIT Galatas supra omnem modum. Non solum, inquit, summa humanitate & reverentia tractastis me, suscipiendo velut Angelum Dei, &c. Sed si res & necessitas postulasset, eruissetis oculos vestros, & dedissetis mihi, imo etiam vitam vestram impendissetis pro me. Et certe Galatæ impenderunt vitam suam

Galatæ magna

pro

pro eo. Nam ſuſcipientes & fovente's Paulum, quo mundus nihil tunc putabat ſe habere nocentius, nihil magis maledictum & execrabile, derivabant & in ſe, ut ſuſceptores & defenſores Pauli, indignationem & odium omnium Gentium & Iudæorum. Ita hodie nomen Lutheri eſt inviſiſſimum mundo, Qui me laudat, gravius peccat, quàm ullus Idolatra, blaſphemus, perjurus, ſcortator, adulter, homicida, fur, &c. Neceſſe eſt igitur Galatas bene firmatos fuiſſe in doctrina & fide Chriſti, cum tanto ſuo periculo ſuſceperint & foverint Paulum, inviſum orbi terrarum, Alioqui non oneraſſent ſe invidia omnium hominum, &c.

ſuo periculo foverunt Paulum.

Lutheri nomen inviſum, &c.

Nunquid inimicus factus ſum vobis, veritatem loquendo vobis?

Hic rationem indicat, cur ſic blandiatur Galatis. Suſpicatur enim ſe haberi ab ipſis pro inimico, quod tam acriter objurgaverit eos. Quæſo, inquit, ſegregate iſta convitia à doctrina, & invenietis me non hoc egiſſe, ut conviciarer vobis, ſed ut docerem vos veritatem. Fateor quidem Epiſtolam eſſe aſperam, ſed iſta aſperitate hoc ago, ut vos ad veritatem Evangelii, à qua translati eſtis, revocem, atque in ea retineam. Itaque illam aſperitatem & amaram potionem non ad perſonas veſtras, ſed ad ipſum morbum referte, Et judicate me non eſſe hoſtem veſtrum, quod durius increpaverim vos, ſed patrem. Nam niſi vehementer amarem vos, ut filios meos, & ſcirem me vobis fuiſſe chariſſimum, non tam dure vos increparem.

Quid Paulus quæſierit ſuis aſpera objurgationem.

Munus amici eſt, amicum, ſi quid erret, liberius admonere, Neque admonitus, ſi modo ſapit, iraſcitur alteri propter amicam admonitionem & veritatem oſtenſam, ſed habet & agit ei gratias. In mundo quidem vulgatiſſimum eſt, quod veritas odium pariat, & is putetur inimicus, qui veritatem dicit, Hoc non inter amicos, multo minus inter Chriſtianos. Cum igitur ex mera charitate vos objurgaverim, ut vos in veritate retinerem, non debetis mihi iraſci, neque amittere veritatem propter paternam meam objurgationem, neque ſuſpicari me eſſe inimicum veſtrum, &c. Iſta omnia dicuntur à Paulo ad confirmandum illud, Eſtote ſicut ego ſum. Nihil me læſiſtis, &c.

Virtus odium parit.

Æmulantur vos non bene.

PSEUDOAPOSTOLORUM aſſentationem perſtringit. Miris enim artibus & dolis imponere ſolet Satan per miniſtros ſuos ſimplicibus, ut Paulus ait Rom. 16. Rom. 16. per blandos ſermones & magnifica promiſſa. Primum jurant per omnia ſacra, ſe nihil aliud quærere, quàm ut promoveant gloriam Dei. Item ſe urgeri à ſpiritu, cum videant miſerum populum negligi, aut certe non recte doceri verbum ab aliis, ad docendam certiſſimam veritatem, ut electi hoc modo ab errore liberentur, & ad veram lucem & cognitionem veritatis perveniant. Deinde promittunt certam ſalutem iis, qui ſuſcipiunt ipſorum doctrinam, &c. Illo prætextu pietatis & veſtitu ovium, niſi reſiſtant eis vigilantes & fideles paſtores, mire nocent Eccleſiis rapaces lupi.

Natura & ars Pſeudoapoſtolorum.

Vtitur autem hoc loco occupatione Paulus. Nam potuerunt Galatæ dicere. Cur tam acriter inveheris in noſtros Doctores, quod nos ambiunt, Tamen hoc faciunt ex zelo quodam divino & mera charitate, hoc certe non debebat te offendere, &c. Ambiunt quidem vos, inquit, ſed non bene. Sic hodie cogimur audire à Sacramentariis, Nos noſtra pertinacia ſcindere charitatem & concordiam Eccleſiarum, quod improbamus ipſorum doctrinam de Cœna Domini. Satius eſſe, ajunt, quod nos conniveremus modicum (præſertim cum nihil hic ſit periculi) quàm quod excitaremus propter unicum iſtum articulum, & eum non præcipuum, tantas diſcordias & contentiones in Eccleſia, Præſertim cum in nullo alio articulo doctrinæ Chriſtianæ diſſentiant à nobis, præterquam in illo uno de Cœna Domini. Ad hoc reſpondeo, Maledicta ſit charitas & concordia, propter quam conſervandam periclitatur verbum Dei.

Maledicta charitas & concordia propter quam periclitatur verbum Dei.

Sic Pſeudoapoſtoli finxerunt ſe vehementer amare Galatas, & zelotypia qua-

Zelus.

quadam divina erga eos laborare. Eſt autem zelus proprie amor iratus, ſeu pia, ut ita dicam, invidia. 3. Reg. 19. ait Elias, Zelando zelatus ſum Dominum, &c. Hoc modo Maritus uxorem, pater filium, frater fratrem zelat, hoc eſt, vehementer amat, ſic tamen, ut oderit in eo vitia, & ſtudeat emendare. Ejuſmodi zelum ſimulaverunt ſe habere Pſeudoapoſtoli erga Galatas. Paulus concedit quidem eos ardere nimio amore erga Galatas, æmulari & ſolicitos eſſe pro ipſis, Sed non bene. Et hac ſpecie & fuco falluntur ſimplices, quod impoſtores illi prætexunt ardentem charitatem & ſolicitudinem pro aliis. Monet ergo nos hic Paulus, ut diſcrimen faciamus inter bonum & malum zelum. Bonus certe laudandus eſt, non item malus. Ego æque, inquit Paulus, æmulor vos ac illi, Iam judicate uter zelus melior ſit, meus, an ipſorum? Vter ſit bonus & pius, vel malus & carnalis, Ideo non tam facile moveat vos zelus ipſorum, Quia,

3. Reg. 19.

Simplices falluntur ſpecie & fuco haereticorum.

Zelus bonus & malus.

Excludere vos volunt, ut ipſos æmulemini.

Zelus Pſeudoapoſtolorum.

QVASI d. Ardent quidem erga vos nimio zelo & amore, ſed per hoc quærunt, ut viciſſim ipſos æmulemini, me excluſo. Si pius & candidus eſſet ipſorum zelus, tum certe paterentur unà cum ipſis & nos amari à vobis. Sed noſtram doctrinam oderunt, ideo omnibus modis cupiunt eam apud vos extinctam, & ſuam inter vos divulgatam. Et ut hoc commodius efficiant, conantur vos hac æmulatione abalienare à nobis, & infenſos nobis reddere, ut nos unà cum doctrina noſtra odientes, & zelum & ſtudium veſtrum in ipſos vertentes, ſe ſolos ametis, & doctrinam ipſorum ſuſcipiatis. Sic Pſeudoapoſtolos reddit Galatis ſuſpectos, hoc ipſo, quod dicit eos illa optima ſpecie inſidiari & imponere ipſis. Sic Chriſtus monet nos, Cavete, inquiens, à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, &c.

Doctrinam Pauli divinam & ſanctam ſecuta ſunt infinita mala.

Paulus eandem tentationem paſſus eſt, quam nos hodie patimur. Exercuit eum vehementer iſta indignitas, quod vidit doctrinam ſuam optimam ſequi tot Sectas, motus, diſſipationes rerum publicarum, mutationes Regnorum, &c. quæ pariunt infinita mala & ſcandala. A Iudæis accuſatur in Actis eſſe peſtifer homo, qui concitet ſuæ genti ſeditionem in univerſo orbe, quiq; autor ſit ſectæ Nazarenorum. Q. d. Eſt homo ſeditioſus & blaſphemus, qui talia prædicat, quibus non ſolum evertit rempublicam Iudaicam, divinis legibus optime conſtitutam, ſed etiam ipſum Decalogum, religionem, cultum & ſacerdotium noſtrum abrogat & diſſipat. Et ſpargit in mundum Evangelium, ut vocat, ex quo orta ſunt infinita mala, ſeditiones, ſcandala & ſectæ. Idem audire cogitur à Gentibus, quæ clamant in urbe Philippis, eum eſſe conturbatorem ſuæ reipublicæ, & docentem morem, quem ipſis non liceat ſuſcipere, &c.

Act. 24.

Iudæi omnia mala doctrinæ Apoſtolorum imputaverunt.

Tales perturbationes rerum publicarum, & alias calamitates, Famem, bella, diſſenſiones & ſectas, imputaverunt tum Iudæi & Gentes doctrinæ Pauli & aliorum Apoſtolorum, Atque ideo eos perſecuti ſunt ut peſtes publicas pacis & religionis. Non tamen ideo deſeruerunt Apoſtoli officium ſuum, ſed ſtrenue illud facientes, prædicaverunt & confeſſi ſunt Chriſtum. Sciebant enim magis obediendum eſſe Deo, quàm hominibus. Et ſatius eſſe conturbari & collidi totum orbem terrarum, quam Chriſtum non prædicari, aut vel unam animam negligi & perdi. Interim tamen illa ſcandala non potuerunt non afferre Apoſtolis maximos dolores, Nam certe non fuerunt ferrei. Vehementer movit eos, quod ille populus, pro quo optabat Paulus Anathema eſſe à Chriſto, cum omnibus ſuis ornamentis periturus eſſet. Videbant magnos motus & omnium Regnorum mutationes ſecuturas hanc ſuam doctrinam. Et quod illis acerbius morte erat, præſertim Paulo, videbant infinitas Sectas, ſe adhuc præſentibus, oriri. Paulo triſte nuntium fuit, quando audivit Corinthios negare, ut cætera taceam, reſurrectionem mortuorum, Quando audivit perturbari Eccleſias ſuo miniſterio paratas, everti Evangelium per Pſeudoapoſtolos, deficere à ſe totam Aſiam, & magnos quoſdam viros.

Act. 16.

Apoſtoli multorum malorum ſpectatores fuerunt non ſine magno dolore.

1. Cor. 15.

Sed

Sed ſciebat doctrinam ſuam non eſſe cauſam horum ſcandalorum & Sectarum, ideo non abjiciebat animum, non deſerebat vocationem, ſed pergebat, & ſciebat Evangelium, quod prædicabat, eſſe potentiam Dei, ad ſalutem omni credenti, ut maxime videretur Gentibus & Iudæis ſtulta & ſcandaloſa doctrina. Sciebat beatos eſſe, qui illo verbo cruçis non offenderentur, ſive doctores ſive auditores eſſent. Vt & Chriſtus ait, Beatus, qui non fuerit ſcandaliſatus in me. Sciebat econtra damnatos eſſe, qui hanc doctrinam judicabant eſſe ſtultam & hæreticam. Itaque plerophoria ſua fretus, dixit cum Chriſto, contra irritatos & offenſos hac ſua doctrina Iudæos & Gentes, Sinite illos, Cæci ſunt, & duces cæcorum. Idem nos hodie audire cogimur, quod olim Paulus & alij Apoſtoli, Quod Evangelij doctrina, quam profitemur, cauſa ſit multorum malorum, Qualia ſunt, ſeditiones, bella, ſectæ & infinita ſcandala, Imo quicquid nunc eſt turbarum, imputatur nobis.

Conſolatio Pauli.

Quicquid hodie turbarum eſt, mendo imputat Luthero, &c.

Certe hæreſes & impia dogmata non ferimus, ſed prædicamus Evangelium de Chriſto, quod is ſit Pontifex & Redemptor noſter. Deinde coguntur adverſarij, ſi modo veritatem fateri volunt, hoc nobis tribuere, quod nullam occaſionem noſtra doctrina dederimus ad ſeditiones, motus, bella, &c. Sed quod docuerimus Poteſtatem, propter mandatum Dei, religioſe colendam, & honore afficiendam eſſe. Neq; ſcandalorum autores ſumus, ſed quod impij offenduntur, non noſtra, ſed ſua ipſorum culpa fit. Nos mandatum Dei habemus, ut doctrinam Evangelij ſine ullo reſpectu ſcandali doceamus. Ea, quia damnat adverſariorum impiam doctrinam & idolatriam, irritati ipſi ex ſeſe gignunt ſcandala, quæ in Scholis vocaverunt ſcandala accepta, quæ dixerunt non eſſe cavenda, neq; etiam poſſe caveri.

Scandalum acceptum.

Matth. 15. Chriſtus docuit Evangelium, nihil moratus ſcandalum Iudæorum. Sinite, inquit, illos, cæci ſunt, &c. Apoſtoli, quo plus prohibebant Pontifices, ne docerent in nomine Ieſu, hoc magis teſtificabantur, illum Ieſum, quem ipſi crucifixiſſent, eſſe Dominum & Chriſtum, quem quicunq; invocarent, conſequerentur ſa-
Act. 10. lutem, Neq; aliud nomen datum eſſe ſub cœlo hominibus, per quod contingeret ſalus, &c. Eadem fiducia & nos hodie annunciamus Chriſtum, nihil morantes impiorum Papiſtarum & omnium adverſariorum noſtrorum clamores, qui querunter noſtram doctrinam eſſe ſeditioſam & blaſphemam, quia turbet publicum ſtatum rerum, evertat religionem, ferat hæreſes, & in ſumma, cauſa ſit omnium malorum. Prædicante Chriſto & Apoſtolis, eædem voces jactabantur ab impiis Iudæis. Non longe poſt veniebant Romani, & juxta vaticinium ipſorum tollebant locum & gentem. Videant igitur hoſtes Evangelij hodie, ne & ipſi quandoq; his malis obruantur, quorum jam ſibi ſunt prædictores.

Querela adverſariorum contra doctrinam pietatis.

Exaggerant ſcandala illa, quod Monachi & ſacerdotes ducunt uxores, quod ſexta veſcimur carnibus, &c. Cæterum quod ipſi ſua impia doctrina ſeducunt & perdunt quotidie innumeras animas, quod malis exemplis offendunt infirmos, quod blaſphemant & damnant Evangelium gloriæ magni Dei, quod perſequuntur & interficiunt ſanæ doctrinæ ſtudioſos, hoc illis non eſt ſcandalum, ſed obſequium & cultus Deo gratiſſimus. Sinamus igitur illos. Cæci enim ſunt & duces cæcorum. Qui nocet, noceat adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc. Nos vero, quia credimus, loquemur dum ſpiramus, & perſecutiones adverſariorum perferemus, donec Chriſtus Pontifex & Rex noſter veniat è cœlo, id quod ſperamus brevi futurum, qui, ut juſtus judex, reddet ultionem iis, qui non obediunt Evangelio ipſius, Amen.

Papiſta ſua horribilia peccata juſtificant noſtra beneficia damnant.

Iſta ſcandala, quæ impij allegant, nihil movent pios. Norunt enim Diabolum extreme odiſſe doctrinam pietatis, atque ideo deformare eam infinitis ſcandalis, ut ea occaſione funditus eam extirpet. Antea non ita ſæviebat Diabolus,
Act. 15. cum traditiones humanæ in Eccleſia docebantur. Cuſtodiente enim forti illo armato atrium ſuum, in pace erant omnia, quæ poſſidebat, Iam vero ſuperveni-

Satan deformat Euangelium infinitis ſcandalis.

ente fortiore, qui fortem illum vincit, ſeu ligat, & diripit domum ipſius, incipit atrociſſime furere & graſſari. Eaque res certiſſimum indicium eſt, hanc doctrinam, quam profitemur, eſſe divinam, Alioqui dormiret & delitesceret Behemoth ſub umbra in abſcondito calami & luti, Hiob 40. Nunc vero cum circumeat ut leo rugiens, & excitet tot turbas, ſignum eſt, eum ſentire potentiam doctrinæ noſtræ. *Hiob. 40.*

Spiritus zeloſi ſunt omnium malorum autores.

Paulus, cum ait, zelant vos non bene, &c. obiter indicat, qui ſint autores Sectarum, Nempe ſpiritus illi zeloſi, qui omnibus temporibus evertunt veram doctrinam, & pacem publicam turbant. Hi enim ſtulto zelo incitati, ſomniant ſe habere ſingularem quandam ſanctitatem, modeſtiam, patientiam & doctrinam. Ideoq; confidunt ſe poſſe conſulere ſaluti omnium hominum, ſe poſſe ſublimiora & magis ſalutaria docere, meliores cultus & ceremonias ordinare, quam alij Doctores, quos præ ſe contemnunt, eorum autoritatem elevant, ac recte ab illis tradita corrumpunt. Tali ſtulto zelo incitati Pſeudoapoſtoli, non ſolum in Galatia, ſed ubicunq; Paulus & alij Apoſtoli prædicaverant, ſuſcitabant Sectas, quas poſtea ſecuta ſunt infinita ſcandala & maximi motus. Diabolus enim ut Chriſtus ait, mendax & homicida eſt, ideo ſolet per ſuos miniſtros non ſolum perturbare conſcientias falſa doctrina, ſed etiam movere ſeditiones, bella, &c. *Iohan. 8.*

Ejuſmodi zeloſos habet hodie Germania multos, qui ſimulant ſummam Pietatem, modeſtiam, doctrinam, patientiam, &c. & tamen re vera lupi rapaces ſunt, ſua illa hypocriſi nihil aliud agentes, quam ut nobis obſcuratis & penitus excluſis, populus ſe ſolos revereatur, ac doctrinam ipſorum audiat & prædicet. Hi quia ſe ſolos mirantur, contemptis aliis, non poſſunt non ſequi Sectæ, contentiones, diſſidia, ſeditiones, &c. Sed quid faciamus? Non poſſumus hoc prohibere, ut neq; Paulus potuit, Quoſdam tamen lucrifecit, qui hiſce monitis ipſius parucrunt. Sic & noſtris monitis ſpero quoſdam revocari ex erroribus fanaticorum ſpirituum, &c.

Bonum autem eſt æmulari ſemper in bono, & non ſolum cum præſens ſum apud vos.

QVASI d. Laudavi vos fuiſſe zeloſiſſimos pro me, & vehementer me amaſſe, dum apud vos prædicavi Evangelium, per infirmitatem carnis, eodem amore ac zelo debebatis & nunc me abſentem proſequi, quaſi nunquam abiiſſem. Etſi enim corpore abſum, tamen doctrinam meam habetis, quam, cum per eam accepiſtis Spiritum ſanctum, retinere debetis, & cogitare, Paulum ſemper coram adeſſe, dum doctrinam ejus habetis. Non ergo reprehendo, ſed laudo veſtrum zelum, Laudo tamen, ſi eſt zelus Dei ſeu ſpiritus, non carnis. Zelus autem ſpiritus ſemper eſt bonus, quia zelat propter rem bonam, non item zelus carnis. Laudat itaq; zelum Galatarum, ut mitiget animos ipſorum, ut patienter ferant ſuam objurgationem, q. d. Boni conſulite meam objurgationem. Ea enim venit non ex malo aut irato, ſed ex dolente, & pro vobis anxie ſolicito, animo.

Zelus ſpiritus & carnis.

Pii Paſtoris ſolicitudo.

Eſt & hic rhetoricum exemplum, quod pius Paſtor ſolicitus eſſe debeat pro ovibus ſuis, ſeq; in omnia vertere, ut objurgando, blandiendo, rogando, &c. eas retineat in ſana doctrina, & à ſeductoribus abalienet.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.

EST & hæc rhetorica ſententia, qua ſuavibus & blandis verbis mulcet animos Galatarum, quos filiolos appellat τεκνοποιικῶς. Omnia verba inſtructa ſunt, ut moveant affectus, & benevolentiam concilient. Quos iterum parturio, Allegoria eſt. Apoſtoli (ut etiam præceptores, ſuo tamen modo) funguntur vice parentum. Vt enim hi formam corporis, Ita illi formam animi generant. Eſt autem forma Chriſtiani animi, fides ſeu fiducia cordis, quæ apprehendit Chriſtum, huic ſoli adhæret, & nulli præterea rei. Cor hac fiducia præditum, quod propter

Apoſtoli ſunt parentes.

Forma Chriſtiani animi, & per quid paratur.

Chriſtum

Chriſtum ſimus juſti, habet veram formam Chriſti. Ea autem paratur miniſterio
1. Cor. 4. verbi, 1. Corinth. 4. Per Evangelium vos genui, ſcilicet in Spiritu, ut cognoſceretis & credaretis in Chriſtum. Item 2. Cor. 3. Eſtis Epiſtola Chriſti, miniſtrata &
2. Cor. 3. à nobis ſcripta, non atramento, ſed Spiritu Dei vivi. Verbum enim procedit ex ore Apoſtoli ſeu miniſtri, & pertingit ad cor audientis, Ibi Spiritus ſanctus adeſt, & imprimit cordi verbum, ut illi aſſentiatur. Hoc modo omnis Doctor pius eſt pater, qui per miniſterium verbi generat & format veram figuram Chriſtiani animi.

Porro his verbis (quos iterum parturio) oblique etiam perſtringit Pſeudoapoſtolos, q. d. Ego per Evangelium vos recte generavi, Sed venerunt corruptores & depravatores illi, & finxerunt novam faciem in corde veſtro, nõ Chriſti, ſed Moſi, Ita ut fiducia veſtra jam non nitatur Chriſto, ſed operibus Legis. Ea non eſt vera aut Chriſti forma, ſed aliena & prorſus diabolica. Neq; dicit, Ego iterum *Forma Chriſti.* vos parturio, donec mea forma in vobis formetur, ſed donec formetur in vobis Chriſtus. Id eſt, laboro ut iterum accipiatis figuram & ſimilitudinem Chriſti, non Pauli. Quibus verbis iterum perſtringit Pſeudoapoſtolos. Illi enim abolita forma Chriſti in animis credentium, fingebant alienam formam, ſcilicet ſuam. Volunt vos, inquit, cap. 6. circumcidi, ut ipſi in carne veſtra glorientur.

Coloſſ. 3. De hac forma Chriſti loquitur etiam ad Col. 3. Induite novum hominem, qui renovatur ad agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui condidit illum. Vult ergo Paulus reparare formam Chriſti in Galatis, deformatam & depravatam per Pſeudoapoſtolos, quæ eſt, ut idem ſentiant, cogitent & velint, quod Deus, cujus cogitatio & voluntas eſt, quod remiſſionem peccatorum & vitam æternam conſequamur per Ieſum Chriſtum filium ſuum, quem ad hoc miſit in mundum, ut eſſet propiciatio pro peccatis noſtris, imo totius mundi. Vt per hunc filium agnoſcamus eum eſſe placatum & propitium patrem. Qui hoc credunt, ſunt ſimiles Dei, hoc eſt, per omnia de Deo cogitant, ut in corde affectus eſt, habent eandem formam in animo, quam Deus vel Chriſtus. Hoc renovari eſt, juxta Pau- *Similes Dei.*
Epheſ. 4. lum, ſpiritu mentis, & induere novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, Epheſ. 4.

Dicit ergo ſe iterum parturire Galatas, ſic tamen ut forma natorum non ſit Apoſtoli, ut filij non referant imaginem Pauli, Cephæ, &c. ſed alterius patris, ſcilicet Chriſti. Illum volo, inquit, in vobis formare, ut per omnia affecti ſitis, ſicut ipſe Chriſtus affectus eſt. In ſumma, Parturio vos, id eſt, iterum anxie laboro, ut vos revocem ad priorem fidem, quam aſtu Pſeudoapoſtolorum decepti amiſiſtis, & recidiſtis in Legem & opera. Itaq; incumbit mihi jam novus & difficilis labor, ut vos à lege ad Fidem Chriſti reducam, Hoc ipſe vocat parturire, &c.

Vellem autem eſſe apud vos nunc, & mutare vocem meam.

Istae ſunt meræ ſolicitudines Apoſtolicæ. Vulgo dicitur, Epiſtolam eſſe *Epiſtola mortuum nuntium.* mortuum nuntium, quia non plus poteſt dare, quam habet. Et nulla Epiſtola tam accurate ſcripta eſt, in qua non deſideretur aliquid. Variæ enim ſunt circumſtantiæ, & momenta temporum, locorum, perſonarum, morum, & affectuum varia ſunt, quæ nulla Epiſtolâ poteſt exprimere, Ideoq; varie afficit lectorem, jam contriſtat, jam exhilarat, prout lector affectus eſt. Viva autem vox, ſi quid aſperius *Viva vox.* aut intempeſtivius dictum eſt, poteſt illud interpretari, mitigare & corrigere. Itaq; optat Paulus ſe potius præſentem eſſe, ut vocem ſuam moderari & mutare poſſet, prout videret circumſtantias affectuum hoc requirere. Vt ſi videret quoſdam nimium perturbatos, ſic moderaretur ſermonem, ne nimis contriſtaret eos, Si econtra elatos, ſeverius objurgaret, ne nimium ſecuri & tandem contemptores fierent.

Quare inops conſilij eſt, quomodo abſens cum abſentibus per literas agat, q. d. Si Epiſtola eſt paulo aſperior, timeo ne ea quoſdam ex vobis plus offendat,

quam emendet, Si lenior, nihil efficiet apud quoſdam duros & inſenſatos. Quia literæ & ſyllabæ mortuæ hoc tantum dant quod habent, Contrà, viva vox in comparatione ad Epiſtolam regina eſt. Quia poteſt demere & addere, & ſeſe vertere in omnes figuras & qualitates affectuum, temporum, locorum & perſonarum. Summa, velim libenter vos per literas convertere, hoc eſt, à Lege ad fidem Chriſti revocare, ſed metuo me literis mortuis hoc non effecturum. Si autem coram adeſſem, poſſem mutare vocem, duros objurgare, infirmis blandiri, pro occaſione omnium circumſtantiarum.

Quoniam confundor in vobis.

Affectus Apoſtolici.

ID eſt, Adeo perturbato ſum animo, ut neſciam quid & quomodo vobiſcum abſens per literas agam. Veri affectus Apoſtolici hic deſcribuntur, Nihil non facit, objurgat, rogat Galatas, blanditur eis, magnificis verbis fidem illorum commendat, & ſumma diligentia ac fide hanc cauſam agit (quod vere eſt rhetoricari) ut eos revocet ad veritatem Evangelij, & à Pſeudoapoſtolis abalienet. Verba ſunt non frigida, ſed ardentia & ignita, ideo diligenter expendenda.

Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe Legem non audiſtis?

Vſus allegoriarum & parabolarum, &c.

PAVLVS voluit hic Epiſtolam claudere. Optavit enim non plura ſcribere, ſed potius coram adeſſe & loqui cum Galatis. Sed dum anxius eſt animo propter illam, arripit adhuc allegoriam hanc, quæ forte tum ei incidebat. Nam allegoriis & parabolis vulgus vehementer afficitur, Hinc & Chriſtus illis frequenter uſus eſt. Sunt enim velut picturæ quædam, quæ ſimplicibus res quaſi ob oculos pictas oſtendunt, ideoq; valde movent animos, præſertim rudium. Primum igitur ferit aures Galatarũ verbis & ſcriptis, Deinde hac allegoria venuſtiſſima pingit eis ob oculos rem ipſam. Fuit autem Paulus optimus artifex tractandi allegorias. Referre enim eas ſolet ad doctrinam fidei, ad Gratiam & ad Chriſtum, non ad legem & opera, ut Origenes & Hieronymus. Hi quia ſimpliciſſimas ſententias ſcripturæ, in quibus allegoriæ locum non habent, verterunt in allegorias inconcinnas & ineptas, jure reprehenduntur. Itaq; imitatio tractandarum allegoriarum infelix eſt, & plerunq; etiam periculoſa. Nam niſi quis perfectam cognitionem doctrinæ Chriſtianæ habeat, non feliciter tractabit allegorias.

Paulus quomodo allegorias tractet.

Origenes & Hieronymus.

Cur Paulus vocet librum Geneſ. legem.

Sed cur Paulus Geneſin, ex qua allegat hiſtoriam de Iſmaële & Iſaac, vocat Legem, cum ille liber non ſit legalis & præſertim locus, quem citat, nullam Legem, ſed tantum ſimplicem narrationem hiſtoriæ contineat de duobus filiis Abrahæ? Paulus more Iudaico ſolet vocare primum librum Moſi legem, Qui etſi nullum Legem habeat, præter illam de Circumciſione, fidemq; præcipue doceat, ac teſtetur Patriarchas placuiſſe Deo propter fidem, Tamen propter unicam Legem de circumciſione appellaverunt Iudæi Geneſin, una cum aliis libris Moſi, Legem. Idem Paulus & ipſe Iudæus fecit. Et Chriſtus non ſolum libros Moſi appellatione Legis complectitur, ſed etiam Pſalmos, Ioh. 15. Sed ut impleretur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt, Odio habuerunt me gratis. *Ioban. 15.*

Scriptum eſt enim, quod Abraham duos filios habuit, Vnum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla fuit, ſecundum carnem natus eſt. Qui autem de libera, per repromiſſionem.

Duo filij Abrahæ.

QVASI dicat, Vos relicta Gratia, fide & Chriſto, deficitis ad Legem. Sub illa eſſe, & ex ea ſapere vultis, conferam igitur vobiſcum de Lege. Quæſo igitur diligenter eam inſpicite. Invenietis enim Abraham habuiſſe duos filios, Iſmaëlem ex Agar, Iſaac ex Sara. Vterq; fuit verus filius Abrahæ, Iſmaël non minus fuit verus filius Abrahæ, quam Iſaac. Vterque enim ex eodem patre, carne & ſemine nati ſunt. Quæ eſt ergo differentia? Hoc non facit differentiam, inquit Paulus, quod altera mater libera, altera ancilla eſt (quanquam ad allego- *Gen. 16.*

Iſmael carnis, Iſaac promiſſionis filius eſt, &c.

riam

riam faciat) Sed quod Iſmaël, qui ex ancilla natus eſt, ſecundum carnem, id eſt, citra promiſſionem & verbum Dei natus eſt, Iſaac vero non tantum ex libera, ſed etiam ſecundum promiſſionem natus eſt. Quid ita? Tamen Iſaac æque natus eſt ex ſemine Abrahæ, ac Iſmaël. Concedo, uterq; ejuſdem patris fuit filius, & tamen eſt differentia. Tametſi enim Iſaac ex carne natus eſt, tamen promiſſio & nominatio Dei præceſſit. Hanc differentiam nemo præter Paulum obſervaſſet. Collegit autem eam hoc modo ex textu Gen.

Quod Agar concepit & peperit Iſmaëlem, non erat vox aut verbum Dei, quod prædixiſſet hoc futurum, Sed permiſſu Saræ ingreditur Abraham ad Agar ancillam, quam Sara ſterilis, ut Gen. teſtatur, dederat ei uxorem. Audierat enim Sara, quod Abraham, promittente Deo, habiturus eſſet Semen corporis ſui, Ad hoc Semen ſperabat ſe fore matrem. Sed cum jam multos annos anxie expectaſſet poſt promiſſionem, & videbat rem differri, putabat ſe ſpe ſua fruſtratam eſſe. Cedit igitur ſancta mulier honori viri & juri ſuo, ac illud reſignat alij, ſcilicet ancillæ. Non tamen patitur maritum ducere aliam uxorem extra ædes ſuas, ſed ancillam propriam illi in matrimonium collocat, ut ex ea ædificetur. Sic enim habet hiſtoria Gen. 16. Sarai uxor Abraham, non genuerat illi, ſed habens ancillam Ægyptiam, nomine Agar, dixit marito ſuo, Ecce concluſit me Dominus ne parerem. Ingredere ad ancillam meam, ſi forte ex illa ædificer, &c. Magna humilitas eſt, quod ita demiſit ſe, & iſtam tentationem fidei æquo animo tulit. Cogitavit, Deus non eſt mendax, quod pollicitus eſt marito meo, hoc certo illi præſtabit. Sed forte non vult Deus me eſſe matrem hujus ſeminis, Non invidebo Agar hunc honorem, ad quam ingrediatur Dominus meus, forte ex ea potero ædificari.

Sara cedit juri ſuo.

Gen. 16.

Humilitas Sara

Naſcitur ergo Iſmaël ſine verbo, tantum ad petitionem ipſius Saræ. Ibi enim nullum eſt verbum Dei, quod mandaret aut promitteret Abrahæ filium, ſed omnia fiunt caſu. Id quod indicant etiam verba Saræ, Si forte, inquit, ædificer ex ea. Cum ergo nulla vox Dei præcedat ad Abraham, ut præceſſit quando Sara paritura erat Iſaac, ſed tantum vox Saræ præcedat, ſatis oſtenditur, Iſmaelem fuiſſe filium Abrahæ ſecundum carnem tantum ſine verbo, Ideoque fortuito expectatus & natus eſt, ut alius puer. Hoc Paulus obſervavit & expendit diligenter.

Iſmael filius Abrahæ ſecundum carnem

Rom. 9. Ad Rom. 9. idem argumentum urget, quod hic allegoriæ includens repetit, & fortiter concludit, Non omnes filios Abrahæ, eſſe filios Dei. Abraham, inquit, habet duplices filios. Alij naſcuntur quidem ex carne & ſanguine ejus, ſed præcedente verbo ſeu promiſſione Dei, ut Iſaac. Alij ſine promiſſione, ut Iſmaël. Ergo filij carnis, inquit, non ſunt Dei filij, ſed promiſſionis, &c. Ac illo argumento fortiter obſtruit, ut & Chriſtus Matthæi 3. & Iohan. 8. os Iudæis ſuperbis, gloriantibus ſe eſſe ſemen & filios Abrahæ, q. d. Non ſequitur, Sum carnale ſemen Abrahæ, ergo filius Dei. Eſau eſt filius naturalis, ergo hæres. Imo hi, inquit, qui volunt eſſe Abrahæ filij, illos præter carnalem nativitatem oportet etiam eſſe filios Promiſſionis & credere, Et hi qui habent promiſſionem & credunt, veri ſoli ſunt filij Abrahæ, & per conſequens Dei.

Duplices Filij Abrahæ.

Matth. 3. Iohan. 8.

Veri Abrahæ filij.

Iſmaël vero, quia non promittitur à Deo Abrahæ, tantum carnis, non promiſſionis filius eſt, Ideoq; fortuito expectatur & naſcitur, ut alij filij. Nulla enim mater novit num habitura ſit prolem, aut ſi ſentit ſe jam eſſe gravidam, tamen ignorat an futurus ſit maſculus aut fœmella. At Iſaac certo fuit nominatus, Gen. 17. Sara uxor tua, inquit Angelus ad Abraham, pariet tibi filium, vocabisq; nomen ejus Iſaac. Hic filius & mater expreſſe nominantur. Sic pro iſta humilitate Saræ, quod ceſſit juri ſuo, & paſſa eſt contemptum Agar, Gen. 16. rependit ei Deus hunc honorem, ut ipſa ſit mater promiſſi filij, &c.

Gen. 17.

Gen. 16.

Quæ per allegoriam dicuntur.

ALLEGORIAE non pariunt firmas probationes in Theologia, ſed velut *Allegoriæ non*

pictura ornant & illuſtrant rem. Nam ſi juſticiam fidei contra juſticiam operum fortioribus argumentis Paulus non probaſſet, nihil efficeret hac allegoria. Quia vero ſupra hanc ſuam cauſam muniit firmiſſimis argumentis, ſumptis ab experientia, exemplo Abrahæ, item à teſtimoniis ſcripturæ & ſimilitudinibus, Iam in fine diſputationis addit allegoriam ceu ornatum quendam. Eſt enim pulchrum, jam fideliter jacto fundamento & firmiter probata cauſa, aliunde allegoriam aliquam addere. Vt enim pictura eſt ornatus quidam domus jam extructæ, Ita allegoria eſt lux quædam orationis vel cauſæ alicujus jam aliunde probatæ.

Hæc enim ſunt duo Teſtamenta, Vnum quidem à monte Sina, in ſervitutem generans, quæ eſt Agar. Nam in Arabia Sina mons Agar dicitur, &c.

Sina. Agar. Hermon.

ABRAHAM eſt figura Dei, qui habet duos filios, id eſt, duos populos, per Iſmaël ac Iſaac repræſentatos. Hi nati ſunt ei ex Agar & Sara, quæ ſignificant duo Teſtamenta, vetus & novum. Vetus eſt à monte Sina, generans in ſervitutem, quæ eſt Agar. Nam eundem montem, quem Iudæi appellant Sina (Quæ appellationem habere videtur à rubetis & dumis) Arabes ſua lingua vocant Agar. Id quod præter Paulum teſtantur etiam Ptolomæus & Græcorum Scholia. Ad eundem modum & aliis montibus alia atq; alia nomina tribuuntur apud diverſas gentes. Sic mons, quem Moſes appellat Hermon, Sydoniis, Syrion, & Amorrhæis Senir dicitur.

Pulchre autem congruit, quod mons Sina, Arabum lingua, idem nomen habet quod ancilla, & puto illam ſimilitudinem nominis Paulo dediſſe lucem & occaſionem quærendi iſtam allegoriam. Sicut ergo Agar ancilla peperit Abrahæ vere filium, non hæredem tamen, ſed ſervum, Ita Sina allegorica Agar, peperit Deo vere Filium, id eſt, populum carnalem. Item ut Iſmaël verus fuit filius Abrahæ, Ita populus Iſraël verum Deum habuit patrem, cui tulit Legem & tradidit oracula ſua, religionem, cultum, templum, ut habet Pſalmus 147. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, &c. Hoc tamen fuit diſcrimen, Iſmaël natus erat ex ancilla ſecundum carnem, id eſt, ſine Promiſſione, ideoq; non potuit eſſe hæres. Sic Agar myſtica, id eſt, mons Sina, in quo lata Lex & vetus Teſtamentum conditum eſt, generavit Deo, Abrahæ magno, populum, ſed ſine Promiſſione, hoc eſt, carnalem & ſervilem, non hæredem Dei. Quia legi non ſunt additæ promiſſiones de Chriſto benedictore, de liberatione à maledicto Legis, à Peccato & morte, item de donatione gratuita remiſſionis peccatorum, juſticiæ & vitæ æternæ. Sed qui fecerit ea, inquit Lex, vivet in eis.

Pſal. 147.

Populus legis.

Promiſſiones Legis & Evangelij.

Sunt ergo Promiſſiones Legis conditionales, non gratis promittentes vitam, ſed facientibus Legem, Ideoq; relinquunt conſcientias in dubitatione, quia nemo Legem facit. Promiſſiones vero novi Teſtamenti nullam habent annexam conditionem, neq; exigunt quicquam à nobis, neq; pendent ex conditione noſtræ dignitatis, ſed afferunt & donant nobis gratis remiſſionem peccatorum, gratiam, juſticiam & vitam æternam propter Chriſtum. Iſta alibi copioſius à nobis tractata ſunt. Itaq; Lex ſeu vetus Teſtamentum continet tantum promiſſiones conditionales, Nam eis ſemper annexa eſt ejuſmodi conditio, Si audieritis vocem meam, Si ſervaveritis pactum meum, Si ambulaveritis in viis meis, eritis mihi populus, &c. Hoc Iudæi non conſiderantes, apprehenderunt illas conditionales promiſſiones, & fecerunt ex iis abſolutas & puras, quas exiſtimabant Deum nunquam revocare poſſe, ſed oportere ſervare. Hinc cum audirent Prophetas (qui recte diſcernere poterant inter promiſſiones Legis corporales, & ſpirituales de Chriſto & regno ipſius) prædicere vaſtationem civitatis Ieruſalem, templi, regni & ſacerdotij, perſequebantur & occidebant eos, tanquam hæreticos & blaſphemos in Deum. Quia non videbant annexam conditionem, Si cuſtodieritis mandata mea, bene erit vobis, &c.

Promiſſiones Legis conditionales.

Itaq;

Itaque Agar ſerva non generat niſi ſervum, Non eſt igitur hæres Iſmaël, etiamſi naturalis ſit filius Abrahæ, ſed ſervus manet. Quid deeſt? Promiſſio & benedictio Verbi. Sic Lex lata in Sina monte quem Arabes Agar vocant, non generat niſi ſervos, Quia Legi non eſt addita promiſſio de Chriſto. Quare ſi ad Legem & opera relicta promiſſione & fide, defeceritis, ô Galatæ, perpetuo manebitis ſervi, id eſt, nunquam liberi eritis à peccato & morte, ſed ſub maledicto Legis manebitis. Agar enim non gignit Semen Promiſſionis & hæredes, hoc eſt, Lex non juſtificat, non affert filiationem & hæreditatem, ſed potius eam impedit & iram efficit. *Lex generat ſervos.*

Et pertingit uſq; ad Ieruſalem, quæ nunc eſt, & ſervit cum filiis ſuis.

MIRABILIS eſt hæc allegoria. Paulus, ut ſupra ex Sina fecit Agar, ita jam libenter ex Ieruſalem faceret Saram, verum non audet nec poteſt, ſed cogitur cum monte Sina Ieruſalem conjungere, Quia dicit eam pertinere ad Agar, cum mons Agar pertingat usq; ad Ieruſalem. Et certe verum eſt, quod continua montana ſint ab Arabia Petræa usq; ad Cadesbarnea Iudææ. Dicit igitur, Iſta Ieruſalem quæ nunc eſt, id eſt, terrena & temporalis, non eſt Sara, ſed pertinet ad Agar, quia in ea exercetur regnum Agar. Eſt enim in ea lex generans in ſervitutem, eſt in ea Cultus, Templum, regnum, ſacerdotium, & quicquid in Sina ordinatum eſt ex ipſa lege matre, hoc in Ieruſalem geritur, Ideoq; annecto eam cum Sina, & utrasq; complector eodem vocabulo, ſcilicet Sina ſeu Agar. *Ieruſalem terrena, pertinet ad Agar.*

Ad eum modum ego non auſus fuiſſem tractare hanc allegoriam, ſed potius dixiſſem, Ieruſalem eſſe Saram ſeu novum Teſtamentum, præſertim cum in ea inceperit prædicatio Evangelij, Spiritus ſanctus datus, & novi Teſtamenti populus natus ſit, & putaſſem me eruiſſe valde aptam Allegoriam. Ideo non eſt cujusvis artificis ludere Allegoriis. Nam pulchra aliqua ſpecies facile alicui imponit, ut aberret. Vt hic, Nulli noſtrum non videretur valde commodum fuiſſe Sina Agar, & Ieruſalem Saram dici. At Paulus facit quidem Ieruſalem Saram, non autem iſtam corporalem, quam ſimpliciter adjungit ipſi Agar, ſed ſpiritualem & cœleſtem, in qua non lex regnat, nec populus carnalis, ut in Ieruſalem, quæ ſervit cum filiis ſuis, ſed in qua promiſſio regnat, & populus ſpiritualis & liber eſt. *Non eſt cujusvis tractare Allegoriam.* *Sara cœleſtis Ieruſalem.*

Et ut prorſus aboleretur Lex & totum illud regnum in Agar ordinatum, vaſtata eſt permiſſu Dei horribiliter Ieruſalem terrena cum omnibus ſuis ornamentis, templo, cultu, &c. Quanquam autem in ea cœperit novum Teſtamentum, & ex ea egreſſum ſit in totum orbem terrarum, nihilominus tamen pertinet ad Agar, hoc eſt, eſt civitas Legis, cultus & ſacerdotij à Moſe inſtituti. Summa, generata eſt ex Agar ſerva, ideoq; cum filiis ſuis ſervit, hoc eſt, ambulat in operibus Legis, & nunquam pervenit ad libertatem ſpiritus, ſed perpetuo manet ſub Lege, peccato, mala conſcientia, ira & judicio Dei, ſub reatu mortis & inferni. Habet quidem libertatem carnis, habet regnum corporale, habet magiſtratus, opes, poſſeſſiones, &c. ſed nos de libertate ſpiritus loquimur, ubi nos mortui Legi, peccato, morti, liberi vivimus & regnamus in gratia, remiſſione peccatorum, juſticia & vita æterna. Hæc non poteſt præſtare Ieruſalem illa terrena, ideo manet cum Agar. *Ieruſalem terrena ſervit.*

Illa autem, quæ ſurſum eſt, Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum.

TERRENA illa Ieruſalem, inquit, quæ deorſum eſt, habens politiam legalem, eſt Agar, & ſervit cum filiis ſuis, id eſt, non liberatur à Lege, peccato & morte. At Ieruſalem, quæ ſurſum eſt, id eſt, Spiritualis, illa eſt Sara (Paulus tamen non addit vocabulum Saræ nomine proprio, ſed appellative vocat eam liberam) hoc eſt, vera domina & libera, ac mater noſtra, generans non in ſervitutem, ut Agar, ſed in libertatem. Eſt autem illa Ieruſalem cœleſtis, quæ ſurſum eſt, Eccleſia, *Ieruſalem quæ ſurſum eſt.*

cleſia,id eſt,credentes ſparſi per totum orbem, qui idem Evangelium,eandem fidem in Chriſtum,eundem Spiritum ſanctum,& eadem Sacramenta habent.

Surſum. Ideo ſurſum non intellige ἀναγωγικῶς,ut Sophiſtæ,de Eccleſia triumphante (ſic enim loquuntur) in cœlis, ſed de militante in terris. Nec mirum, quia pij dicuntur converſari in cœlis. Philip.3.Noſtrum πολίτευμα in cœlis eſt, Non localiter,ſed quatenus Chriſtianus credit,quatenus apprehendit inenarrabilia,cœleſtia & æterna dona,eatenus eſt in cœlis,Epheſ.1. Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus per Chriſtum. Diſtinguenda ergo eſt ſpiritualis & cœleſtis Benedictio contra terreſtrem, quæ eſt, habere bonam Politiam & œconomiam,habere prolem,pacem, opes, fruges & alia corporalia commoda. Cœleſtis autem benedictio eſt,liberari à lege,peccato & morte, juſtificari & vivificari,placatum Deum habere, habere cor confidens, conſcientiam hilarem, conſolationem ſpiritualem,habere cognitionem Chriſti, prophetiam & revelationem ſcripturarum, habere dona Spiritus ſancti,lætari in Deo,&c. Hæ ſunt benedictiones cœleſtes, quas Chriſtus donat ſuæ Eccleſiæ.

Philip. 3.

Epheſ. 1.

Terrena & cœleſtis benedictio.

Quare Ieruſalem quæ ſurſum eſt, id eſt, cœleſtis,eſt Eccleſia in hoc tempore,non ἀναγωγικῶς futuræ vitæ patria,vel Eccleſia triumphans, ut ocioſi & ineruditi Monachi & Scholaſtici doctores nugati ſunt, qui tradiderunt quatuor eſſe ſenſus ſcripturæ, Literalem, Tropologicum, Allegoricum & Anagogicum, & ſecundum hos ſingula fere verba ſcripturæ inepte interpretati ſunt. Vt Ieruſalem literaliter ſignificabat illis urbem ejus nominis, Tropologice, conſcientiam puram,Allegorice Eccleſiam militantem,Anagogice, cœleſtem patriam ſeu Eccleſiã triumphantem. His inſulſis & nugacibus fabulis,quibus diſcerpſerunt ſcripturas in tot ſententias,fecerunt,ut de nullis rebus conſcientiæ certo erudiri potuerint. Sed Paulus hic ait, veterem & terreſtrem illam Ieruſalem pertinere ad Agar & ſervire cum filiis ſuis,& abolitam eſſe.Novam autem & cœleſtem,quæ Domina ſit & libera, conſtitutam eſſe divinitus, non in cœlis, ſed in terris, ut ſit omnium noſtrum mater,ex qua nos ſumus generati & quotidie generamur. Ergo neceſſe eſt hanc matrem noſtram, ut & ejus generationem, eſſe in terris inter homines. Generat tamen in ſpiritu miniſterio Verbi & Sacramentorum,&c. non in carne.

Quatuor ſenſus ſcripturæ.

Ieruſalem cœleſtis, & tamen in terris.

Hoc ideo dico, ne abducamur cogitationibus noſtris in cœlum, ſed ſciamus,Paulum Hieruſalem,quæ ſurſum eſt,opponere non localiter ſed ſpiritualiter terrenæ. Nam diſtincta ſunt ſpiritualia & corporalia ſeu terrena, Spiritualia ſurſum ſunt, terrena deorſum. Sic Ieruſalem quæ ſurſum eſt diſtinguitur contra carnalem & temporalem Ieruſalem,quæ deorſum eſt, non localiter, ut dixi, ſed ſpiritualiter. Nam illa Ieruſalem ſpiritualis,quæ cœpit in corporali, non habet certum locum, ut illa in Iudæa, ſed ſparſa eſt per totum orbem terrarum, & poteſt eſſe in Babylone, in Turcia, Tartaria, Scythia, India, in Italia, Germania, in Inſulis maris, in montibus & vallibus & ubiq; terrarum, ubi homines ſunt, qui Evangelium habent & in Chriſtum credunt,&c. Quare Sara ſeu Ieruſalem mater noſtra libera eſt ipſa Eccleſia, Chriſti ſponſa,ex qua generamur omnes. Generat autem ipſa liberos ſine intermiſſione usq; ad finem Mundi, dum exercet miniſterium Verbi, hoc eſt, dum docet & propagat Evangelium, hoc enim generare eſt. Docet autem Evangelium hoc modo, quod liberemur à maledictione Legis, à peccato, morte & aliis malis, non per Legem & opera, ſed per Chriſtum. Ergo Ieruſalem, quæ ſurſum eſt, id eſt, Eccleſia, non eſt ſubiecta Legi & operibus, ſed libera eſt & mater ſine Lege, peccato & morte. Qualis autem eſt ipſa mater,tales etiam filios generat.

Ieruſalem ſpiritualis per totum orbem diſperſa.

Eccleſia generat filios.

Pulchre ergo iſta Allegoria docet, quod Eccleſia nihil facere debeat, quam recte & pure docere Evangelium, atq; ita generare liberos. Sic omnes invicem ſumus patres & filij,generamur enim alij ex aliis. Ego ex aliis per Evangelium genitus jam alios gigno, qui deinceps alios gignent, & ſic iſta generatio durabit usq; ad finem mundi.De generatione autem loquor,non Agar ancillæ,quæ per Le-

Eccleſia docendo generat,&c.

per Legem ſervos generat, ſed Saræ liberæ, quæ generat ſine Lege, ſine operibus & propriis ſtudiis. Nam quod Iſaac, non Iſmaël (cum tamen uterque naturalis filius Abrahæ fuerit) hæres eſt, habet per verbum Promiſſionis, ſcilicet, Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisq; nomen ejus Iſaac (Hocq; Sara bene intellexit, ideoque dicit, Ejice ancillam & filium ejus, &c. & ea verba Paulus infra etiam citat) Quare ſicut Iſaac hæreditatem patris habet ſolum ex promiſſione & nativitate, ſine Lege & operibus. Ita nos per Evangelium naſcimur hæredes ex Sara libera, id eſt, Eccleſia. Ea enim docet, fovet, geſtat nos in utero, gremio & ulnis, fingit & perficit nos ad formam Chriſti, donec creſcamus in virum perfectum, &c. Ita omnia fiunt per miniſterium verbi. Quare liberæ officium eſt generare, marito Deo, ſine fine liberos, id eſt, tales filios, qui fide, non Lege norunt ſe juſtificari.

Eccleſia mater noſtra.

Scriptum eſt enim, Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis. Quia multi filij deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum.

PAVLVS ex Eſaia Propheta citat hunc locum, qui totus eſt Allegoricus. Sic ſcriptum eſt, inquit, quod mater numeroſæ prolis, & quæ virum habet, infirmari & perire debet, Et econtrà ſterilis, quæ non parit, abundare filiis. Ad eundem modum canit etiam Hanna in ſuo Cantico, ex quo Eſaias hanc prophetiam ſumpſit, 1. Reg. 2. Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore. Repleti prius pro panibus ſe elocaverunt, & famelici ſaturati ſunt. Donec ſterilis peperit ſeptem, & quæ multos habebat filios infirmata eſt, &c. Mira res, inquit, Quæ fœcunda fuit ſterilis erit, & quæ ſterilis, fœcunda. Item, qui fortes, ſaturi, viventes, juſti, beati, divites & glorioſi fuerunt, hi infirmi, egentes, obnoxij morti, peccatores, damnati, pauperes & inglorij erunt. Et econtrà, infirmi & famelici, &c. erunt robuſti & ſaturi, &c.

Eſa. 54.

Canticum Hannæ. 1. Reg. 2.

Hac allegoria Eſaiæ Prophetæ, oſtendit Paulus diſcrimen Agar & Saræ, hoc eſt, Synagogæ & Eccleſiæ, ſeu Legis & Evangelij. Lex maritus fœcundæ, hoc eſt, Synagogæ, valde multos filios generat. Nam homines omnium ætatum, non ſolum idiotæ, ſed quiq; ſapientiſſimi & optimi (hoc eſt, totum genus humanum, præter filios liberæ) non vident aut agnoſcunt aliam juſticiam, multo minus excellentiorem, quam legis (Complector autem nomine Legis, omnes leges, humanas & divinas) Itaque ſi Legem ſectantur, & externa opera ejus faciunt, ſe juſtos eſſe putant. Hi quanquam fœcundi ſint, abundent diſcipulis, & floreant juſticia & ſpecioſis operibus Legis, tamen non liberi ſed ſervi ſunt, Quia ſunt filij Agar, quæ in ſervitutem generat. Si autem ſervi ſunt, non erunt participes hæreditatis, ſed ejicientur à domo, Servi enim non manent in domo in æternum, Imò jam ejecti ſunt è regno Gratiæ & libertatis. Qui enim non credit, jam judicatus eſt. Manent ergo ſub Legis maledictione, peccato, morte, ſub poteſtate Diaboli, ira & judicio Dei.

Diſcrimen Synagogæ & Eccleſiæ.

Juſticia legis nota ratioui.

Si autem ipſa lex Dei moralis ſeu Decalogus generat tantum ſervos, hoc eſt, non juſtificat, ſed tantum terret, accuſat, condemnat, & ad deſperationem adigit conſcientias, Quomodo quæſo juſtificarent traditiones humanæ & leges Papæ, quæ ſunt doctrinæ dæmoniorum? Itaq; quicunq; docent & urgent, ſive traditiones humanas, ſive legē Dei, tanquam neceſſariam ad juſticiam coram Deo, nihil aliud faciunt, quam quod ſervos generant, &c. Et tamen iſtiuſmodi Doctores judicantur eſſe optimi, merentur applauſum mundi, & fœcundiſſimę matres ſunt, Infinitos enim habent diſcipulos. Siquidem ratio non intelligit quid fides & vera pietas ſit, ideo negligit & contemnit eam, & naturaliter afficitur ſuperſtitione & hypocriſi, id eſt, Juſticia operum. Ea, quia maxime fulget & floret, potentiſſima Imperatrix eſt orbis terrarum. Docentes ergo juſticiam operum ex Lege, generant multos filios, in ſpecie quidem liberrimos, & variis mundiciis nitentes, ſed in conſcientia ligatos & peccati ſervos, ideo è domo ejiciendos & damnandos.

Doctores Legis generant ſervos

Ratio hypocriſi capitur.

Econtrà,

Digitized by Google

Eccleſia ſterilis.

Evangelium paucos habet diſcipulos.

Econtrà, Sara libera, id eſt, vera Eccleſia, videtur eſſe ſterilis. Quia Evangelium, quod eſt verbum Crucis, quod docet Eccleſia, non ita fulget, ut doctrina de Lege & operibus, ideoq; paucos habet diſcipulos, qui ei adhærent. Deinde hunc titulum gerit, quod prohibeat bona opera, quod reddat ocioſos & languidos homines, excitet hæreſes & ſeditiones, & cauſa ſit omnis mali, Ideoq; nullum ſucceſſum aut proſperitatem videtur habere, ſed omnia ſterilitatis, deſertionis & deſperationis plena apparent. Hinc impij certo perſuaſi ſunt, Eccleſiam non poſſe diu durare cum doctrina ſua. Iudæi certiſſimi erant propediem collapſuram eſſe Eccleſiam ab Apoſtolis plantatam, quam odioſo nomine Sectam appellabant. Sic enim loquuntur ad Paulum Actor. 28. De iſta Secta notum eſt nobis, quod ubiq; ei contradicitur. Sic hodie adverſarij noſtri, quoties quæſo ſeipſos vana ſpe luſerunt, cum jam hoc, jam illo tempore nos certo opprimendos eſſe jactaverunt? Oppreſſi ſunt Chriſtus & Apoſtoli, ſed ipſis mortuis latius ſparſa eſt doctrina Evangelij, quam viventibus. Sic nos adverſarij opprimere poſſunt, ſed verbum Domini ſtabit in æternum. Quantumvis igitur Eccleſia Chriſti videatur ſterilis & deſerta, infirma & contempta, & foris patiatur perſecutionem, ac cogatur audire, doctrinam ejus eſſe hæreticam & ſeditioſam, tamen ipſa ſola coram Deo eſt fœcunda, generans per miniſterium Verbi infinitos filios, æternæ juſticiæ & vitæ hæredes, foris quidem perſecutionem patientes, ſed in ſpiritu liberrimos, qui non ſolum judices ſunt ſuper omnes doctrinas & opera, ſed qui etiam ſunt glorioſi victores infernalium portarum. *Act. 28.*

Eccleſia eſt in luctu.

Concedit ergo Propheta Eccleſiam eſſe in luctu, alioqui non adhortaretur eam ad læticiam. Concedit eſſe ſterilem coram mundo, alioqui non appellaret ſterilem & deſertam, quæ non parit, Sed coram Deo dicit eam eſſe fœcundam, Ideoque jubet eam lætari, q. d. Tu quidem deſerta & ſterilis, non habes maritum Legem, ideo neq; filios. Sed gaude, quia etſi es ſine marito Lege, ut virgo nubilis deſerta (Non enim vult appellare viduam) quæ quidem haberet ſponſum, ſi non deſerta eſſet ab eo, aut ſi ſponſus ei non eſſet occiſus, tu inquam, ſolitaria & deſerta à marito Lege, & non ſubjecta conjugio Legis, mater eris infinitorum filiorum. Quare populus ſeu Eccleſia novi Teſtamenti, eſt prorſus ſine Lege (quod ad conſcientiam attinet) ideoq; apparet coram mundo eſſe deſerta. Sed ut maxime in ſpeciem ſit ſterilis ſine Lege & operibus, tamen coram Deo fœcundiſſima eſt, & generat infinitos filios, & eos liberos. Per quid? non per maritum Legem, ſed per verbum & ſpiritum Chriſti, qui datur per Evangelium, concipit, generat, educat filios.

Populus gratiæ.

Diſcrimen legis & Evangelij.

Hac ergo allegoria Paulus clariſſime oſtendit diſcrimen Legis & Evangelij. Primum, cum Agar vetus Teſtamentum, Saram, novum vocat, Deinde cum alteram ancillam, alteram liberam appellat, Item cum maritatam & fœcundam ait infirmari, & cum filiis ſuis ejici è domo, Contra ſterilem & deſertam, fœcundam fore, & parituram infinitos filios, & eos hæredes. Hæ differentiæ eſſentiales ſunt populi fidei & legis, Populus Fidei non habet Legem maritum, non ſervit, non natus eſt ex matre Ieruſalem, quæ nunc eſt, ſed promiſſionem habet, liber eſt, & naſcitur ex Sara libera. Separat ergo populum ſpiritualem novi Teſtamenti à Legis Populo, cum dicit, eum non eſſe prolem Agar maritatæ, ſed Saræ liberæ, quæ neſcit Legem. Et per hoc conſtituit populum fidei longe ſupra & extra Legem. Si autem ſupra & extra Legem eſt, Ergo non Legi & operibus, ſed ſola ſpirituali cativitate, quæ nihil aliud eſt niſi fides, juſtificatur. Vt autem populus Gratiæ non habet nec poteſt habere Legem, Ita populus Legis non habet nec poteſt habere gratiam, Quia impoſſibile eſt Legem & Gratiam ſimul poſſe exiſtere. Aut igitur Fide juſtificari nos oportet, & juſticiam Legis amittere, Aut Lege, & gratiam & juſticiam fidei amittere. Turpis autem & infelix eſt amiſſio, quando amiſſa Gratia Legem retinemus, Econtrà, felix & ſalutifera amiſſio eſt, quando Lege amiſſa Gratiam retinemus.

Populus gratiæ ſine lege, populus legis ſine gratia.

Nos

Nos ſedulo damus operam (quia videmus Paulum ſumma diligentia hoc feciſſe) ut clare oſtendamus Legis & Evangelij differentiam, quæ facilima eſt, quantum ad verba ipſa attinet. Quis enim non videt, Agar non eſſe Saram, & Saram non eſſe Agar? Item Iſmaëlem non eſſe aut habere, quod eſt aut habet Iſaac? Iſta facile diſcerni poſſunt. Sed in ſeriis pavoribus & agone mortis, ubi conſcientia luctatur cum judicio Dei, tum firma fiducia poſſe dicere, Non ſum filius Agar, ſed Saræ, hoc eſt, Lex nihil ad me pertinet, Quia Sara eſt mater mea, quæ non ſervos, ſed liberos & hæredes generat, Hoc omnium difficilimum eſt. Paulus ergo hoc Eſaiæ teſtimonio probavit, Saram, hoc eſt, Eccleſiam, eſſe veram matrem, quæ parit liberos & hæredes. Contrà Agar, id eſt, Synagogam, generare quidem multos filios, ſed ſervos è domo ejiciendos, &c. Porro, quia iſte locus etiam de abrogatione Legis & de libertate Chriſtiana loquitur, diligenter obſervandus eſt. Nam ut ſummus & præcipuus Chriſtianæ doctrinæ articulus eſt, noſſe quod per Chriſtum juſtificemur & ſalvemur, Ita per Antitheſin multum refert, probe tenere locum de abrogatione Legis. Valde enim prodeſt ad confirmandam doctrinam noſtram de fide, & ad parandam firmam & certam conſolationem conſcientiarum, præſertim in ſeriis pavoribus, ſi ſciamus Legem eſſe abrogatam.

Diſcrimen legis & Evangelij.

Abrogatio legis.

Dixi ſupra ſæpius, & jam iterum repeto (Illa enim res non poteſt ſatis inculcari) Quod Chriſtianus fide apprehendens beneficium Chriſti, nullam prorſus Legem habeat, ſed quod tota Lex illi abrogata ſit cum ſuis terroribus & vexationibus. Idem docet hic locus Eſaiæ, Ideo inſignis & conſolatione plenus eſt, provocans ad lætandum ſterilem & deſertam, quæ ſecundum Legem ridenda ſeu deploranda potius erat. Nam ſteriles ſecundum Legem erant maledictæ. Sed Spiritus ſanctus invertit hanc ſententiam, & ſterilem laudandam & benedictam, & econtrà fœcundam & parturientem maledictam pronunciat, cum ait, Lætare ſterilis, &c. plures filij deſertæ, quam ejus quæ habet maritum. Vt maxime igitur videatur Sara, hoc eſt, Eccleſia coram mundo deſerta ac ſterilis, non habens legis juſticiam & opera, tamen coram Deo, teſte Propheta, fœcundiſſima mater eſt infinitorum liberorum. Contra, ut maxime in ſpeciem ſub Agar abundantiſſima fœcunditas & parturitio ſit, tamen nulla proles manet, Quia filij ancillæ ejiciuntur una cum matre è domo, & non accipiunt hæreditatem cum filiis liberæ, ut Paulus infra ait.

Chriſtianus lex abrogata.

Eccleſia coram mundo deſerta & ſterilis.

Quia ergo liberæ filij ſumus, abrogata eſt nobis Lex, vetus noſter maritus, Rom. 7. Rom. 7. Qui dum dominabatur nobis, impoſſibile erat in ſpiritu nos generare liberos, cognoſcentes Gratiam, ſed ſervi manebamus cum ipſis. Lege dominante, non ſunt quidem ocioſi homines, ſed ſtrenue laborant, portant pondus diei & æſtum, parturiunt & generant multos filios, Sed tam genitores quam geniti ſpurij ſunt, non pertinentes ad liberam matrem, Ideo tandem cum Iſmaële ejiciuntur è domo & hæreditate, moriuntur & damnantur. Impoſſibile eſt igitur homines per Legem, ut maxime in ea multum ſit laboris & parturitionis, pervenire ad hæreditatem, hoc eſt, juſtificari & ſalvari. Maledicta ſit igitur omnis doctrina, vita, religio, quæ conatur lege aut operibus parare juſticiam coram Deo. Sed pergamus de abrogatione Legis loqui.

Populus legis laboriosiſſimus.

Thomas & alij Scholaſtici de abrogatione Legis loquentes, dicunt Iudicialia & Ceremonialia poſt Chriſtum mortifera, ideoq; jam abrogata eſſe, non item moralia. Hi ignorant quid loquantur. Tu vero cum voles de abrogatione Legis loqui, diſputa præcipue de lege proprie dicta ac ſpirituali, & complectere ſimul totam Legem, nihil diſtinguens inter judicialem, ceremonialem & moralem. Nam cum Paulus ait, nos per Chriſtum à maledicto Legis liberatos eſſe, certe de tota lege loquitur, ac præcipue de morali, quæ vel ſola accuſat, maledicit & condemnat conſcientias, non item reliquæ duæ ſpecies. Quare dicimus Legem Decalogi nullum habere jus accuſandi & perterrefaciendi conſcientiam, in qua Chriſtus per Gratiam regnat, quia Chriſtus jus illud antiquavit.

Lex tota abrogata eſt.

Non

Non fonte terroris legis, sed fide in Christum erigitur.

Non quod omnino non ſentiat conſcientia terrores Legis, certe ſentit eos, ſed quod illis non poſſit condemnari, & ad deſperationem adigi. Quia nulla nunc eſt condemnatio his, qui in Chriſto Ieſu ſunt, Rom. 8. Item, Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis, Iohan. 8. Vt maxime ergo Chriſtianus per Legem oſtendentem peccatum perterrefiat, tamen ideo non deſperat, quia credit in Chriſtum, in quem baptiſatus, & ſanguine ejus mundatus, habet remiſſionem peccatorum. Remiſſo autem nobis peccato per Chriſtum ipſum Dominum legis (ſic tamen remiſſo, quod ſeipſum tradiderit pro eo) non habet amplius Lex ſerva jus accuſandi & damnandi nos propter peccatum, cum nobis remiſſum ſit, ac jam liberi facti ſimus, liberante nos Filio. Quare credentibus in Chriſtum tota Lex abrogata eſt. *Rom. 8.* *Iohan. 8.*

At nihil facio. Nihil potes facere ut libereris à tyrannide legis, Sed audi hoc lætum nuncium, quod Spiritus in Propheta tibi affert, Lætare ſterilis, quæ non, &c. q. d. Cur tam mœſta es, cum nihil cauſæ ſit cur mœrore afficiaris. At ſterilis ſum & deſerta, &c. Vt maxime talis ſis, non habens juſticiam ex lege, tamen Chriſtus eſt tua juſticia. Is factus maledictum pro te, redemit te à maledicto Legis, In hunc ſi credis, Lex tibi mortua eſt. Et quo major eſt ipſe Chriſtus Lege, hoc meliorem habes juſticiam, Legis juſticia. Deinde fœcunda es, non ſterilis,

Politicæ Leges Moſi ad nos non pertinent.

quia plures habebis filios, quam maritata. Alia legis abrogatio externa eſt, quod Politicæ leges Moſi nihil ad nos pertinent, Ideoq; non debemus eas revocare in forum, nec quadam ſuperſtitione nos alligare ad eas, ut quidam ſuperioribus annis volebant, ignari hujus libertatis. Cæterum quanquam Evangelium non ſubjiciat nos judicialibus Moſi, tamen in totum non liberat nos ab obedientia omnium politicarum legum, Sed in hac vita corporali ſubjicit nos legibus ejus Politiæ in qua vivimus. Hoc eſt, jubet unumquenq; ſuo magiſtratui & legibus ipſius parere, non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, 1. Pet. 2. Rom. 13. Nec peccaret Cæſar, ſi quibuſdam judicialibus legibus Moſi uteretur, imo libere poſſet illis uti. Errant igitur Sophiſtæ, qui nugantur judicialia Moſi poſt Chriſtum mortifera eſſe. *1. Pet. 2.* *Rom. 13.*

Ceremoniæ Moſaicæ nos non ligant.

Neq; Ceremoniis Moſi aſtringimur, multo minus Papæ. Quia vero vita hæc corporalis non poteſt in totũ carere ceremoniis aut ritibus, Oportet enim quandam eſſe pædagogiam, permittit Evangelium, ordinationes fieri in Eccleſia de feriis, de temporibus, de locis, &c. ut populus ſciat quo die, qua hora, ad quem locum convenire debeat, ad audiendum verbum Dei, &c. Permittit ut conſtituantur lectiones velut in ſchola, præcipue propter pueros & ſimplices, ut hi commodius doceri poſſint. Sed hoc fine permittit talia conſtitui, ut omnia in Eccleſia fi-

Vſus ceremoniarum in Eccleſia.

ant decenter & ſecundum ordinem. 1. Cor. 14. Non ut ſervantes tales ordinationes mereantur remiſſionem peccatorum, &c. Deinde etiam ſine peccato omitti poſſunt, modo præter offenſionem infirmorum id fiat. Ideo error eſt dicere, quod ceremoniæ Moſaicæ poſt Chriſtum revelatum mortiferæ ſunt, alioqui peccaſſent Chriſtiani, quod obſervârunt ferias Paſchatis & Pentecoſtes, quas vetus Eccleſia exemplo legis Moſaicæ (quanquam longe alio modo & fine) inſtituit celebrari. *1. Cor. 14.*

Paulus autem hic præcipue de abrogatione Legis moralis loquitur, quod diligenter conſiderandum eſt. Agit enim contra juſticiam Legis, ut juſticiam fidei ſtatuat, ſic concludens, Si ſola Gratia ſeu fides in Chriſtum juſtificat, ergo tota Lex ſimpliciter abrogata eſt. Hocq; confirmat teſtimonio Eſaiæ, quo invitat ſterilem & deſertam Eccleſiam ad lætandum. Quia non videtur habere prolem genitam, neq; ſpem prolis in futurum gignendæ, hoc eſt, Non habet diſcipulos, non applauditur ei, quia prædicat verbum Crucis de Chriſto crucifixo, &c. contra omnem ſapientiam carnis. Sed ea res, inquit Propheta, nihil te ſterilem moveat & perturbet, imo exulta & jubila potius, Quia plures filij deſertæ, quam ejus quæ virum habet. Hoc eſt, quæ maritum habet & numeroſa prole multiplicatur, infirmabitur, Contra tu ſterilis ac deſerta abundabis filiis.

Appellat

Appellat autem Eccleſiam ſterilem, Quia filij ipſius non Lege, operibus, non ullis conatibus aut viribus humanis, ſed in Spiritu ſancto per verbum fidei generantur, Ibi mera naſcentia eſt, nulla operatio. Contra fœcundi laborant & exercent ſe nimium parturiendo, Ibiq; mera operatio eſt, nulla nativitas. Sed quia juſticia Legis ſeu propria conantur conſequi jus filiorum & hæredum, ſervi ſunt, nunquam accipientes hæreditatem, etiamſi ad mortem usq; nimio labore defatigantur, Quia contra voluntatem Dei ſuis operibus conſequi conantur, quod Deus ex mera gratia propter Chriſtum credentibus donare vult. Credentes etiam bene operantur, non autem per hoc filij & hæredes fiunt, Hoc enim affert eis nativitas, Sed ut jam filij facti propter Chriſtum, benefactis ſuis glorificent Deum & adjuvent proximos.

Eccleſia ſterilis.

Fiorum opera.

Nos autem, fratres ſecundum Iſaac, promiſſionis filij ſumus.

HOC eſt, non ſumus filij carnis, ut Iſmaël, aut totus Iſrael carnalis, qui gloriabatur ſe eſſe ſemen Abrahæ ac populum Dei, Sed audiebat à Chriſto Iohan. 8. Si filij Abrahæ eſſetis, non quæreretis interficere me, qui veritatem vobis locutus ſum. Item, Si Deus pater veſter eſſet, utiq; diligeretis me, & loquelam meam agnoſceritis, q. d. Fratres in eadem domo nati ac educati agnoſcunt alter alterius loquelam, Vos ex patre Diabolo eſtis, &c. Tales filij, inquit, nos non ſumus, quales ipſi, qui ſervi manent, & è domo tandem ejiciuntur, Sed filij ſumus ut Iſaac, promiſſionis, id eſt, Gratiæ & fidei, nati ex ſola Promiſſione. De hac re ſatis copioſe dictum eſt ſupra Cap. 3. In ſemine tuo benedicentur, &c. Ergo non ex Lege, operibus, juſticia propria pronunciamur juſti, ſed ex mera Gratia. Promiſſionem, quæ ſola fide apprehenditur, vehementer urget & ſæpe inculcat Paulus, quia vidit maxime opus eſſe. Hactenus de Allegoria, cui intexit locum Eſaiæ velut interpretationem quandam. Iam hiſtoriam de Iſmaële & Iſaac applicat ad exemplum & conſolationem.

Iohan. 8.

Filij promiſſionis.

Sed quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc.

Is locus continet graviſſimam conſolationem. Quicunq; nati ſunt & vivunt in Chriſto, ac gloriantur de iſta nativitate & hæreditate Dei, habent perſecutorem Iſmaël. Hoc diſcimus hodie ipſa experientia. Videmus enim omnia plena eſſe tumultibus, perſecutionibus, ſectis & ſcandalis. Quare niſi muniremus animos noſtros illa Pauli conſolatione & ſimilibus, ac certo teneremus articulum juſtificationis, non poſſemus ferre vim & dolos Satanæ. Quem enim non moverent perſecutiones illæ atrociſſimæ adverſariorum? Deinde Sectæ & infinita illa ſcandala, quæ ſuſcitant hodie ſpiritus fanatici? Profecto vehementer dolet, cum audire cogimur, omnia fuiſſe tranquilla & pacata ante Evangelium, jam eo invulgato omnia turbari, totum mundum commoveri, & in ſeſe collidi. Hoc audiens homo ſine ſpiritu, ſtatim offenditur, & judicat inobedientiam ſubditorum erga Magiſtratus, ſeditiones, bella, peſtem, famem, everſiones rerum publicarum, Regionum & Regnorum, Sectas, ſcandala & ſimilia infinita mala oriri ex doctrina Evangelij.

Iſmael perſequitur Iſaac. Conſolatio contra ſcandala, &c.

Iudicium mundi de Evangelio.

Contra hoc maximum ſcandalum debemus nos erigere & confirmare hac ſuaviſſima conſolatione, quod pios hoc nomen & titulum in Mundo oporteat gerere, quod ſeditioſi & ſchiſmatici ac infinitorum malorum autores ſint. Hinc eſt, quod adverſarij putant ſe juſtiſſimam cauſam habere, imo obſequium ſe præſtare Deo, cum oderunt, perſequuntur & interficiunt nos. Iſmaël igitur non poteſt non perſequi Iſaac, non viciſſim Iſaac Iſmaëlem. Qui perſecutionem Iſmaëlis non vult ferre, is non profiteatur ſe eſſe Chriſtianum. Sed quæſo, dicant adverſarij, qui iſta mala ſic hodie amplificant & exaggerant, quæ bona ſecuta ſint ad prædicationem Chriſti & Apoſtolorum? Nonne vaſtatio Regni Iudaici, diſſipa-

Titulus piorum.

Quid boni ſecutum ſit prædicante Chriſto, &c.

tio Imperij Romani & conturbatió totius orbis terrarum? Non culpa Evangelij, quod Chriſtus & Apoſtoli docuerunt in ſalutem, non perniciem hominum, Sed ut Pſalmus 2. ait, culpa gentium, populorum, Regum & Principum, qui obſeſſi à Diabolo, noluerunt illud verbum Gratiæ, pacis, vitæ & ſalutis æternæ audire, Sed deteſtati ſunt & damnaverunt ut dogma perniciosum religioni & rebus publicis, Hocq; futurum eſſe longe ante Spiritus ſanctus in Davide prædixit, cum ait, Quare fremuerunt gentes, &c. *Pſalm. 2.*

Adverſarios excitat.

Talis tumultus & conturbatio rerum etiam hodie cernitur & audîtur. Adverſarij transferunt culpam in doctrinam noſtram. Doctrina Gratiæ & pacis non excitat has turbas, ſed gentes, populi, Reges terræ & Principes, ut Pſalmus 2. ait, fremunt, meditantur, inſurgunt & conſultant, non contra nos, ut putant, ac doctrinam noſtram, quam erroneam & ſeditioſam criminantur, ſed contra Dominum & Chriſtum ejus. Ideoq; omnia eorum conſilia & conatus ſunt & erunt irriti. Habitator cœli ridet eos. Dominus ſubſannat eos, &c. Clament igitur quam diu velint, Illos motus excitari per nos, tamen Pſalmus conſolatur nos, & dicit eos ipſos eſſe autores talium motuum. Hoc ipſi non credunt, multo minus credunt ſe tumultuari, inſurgere & conſultare contra Dominum & Chriſtum ejus, Imo pro Domino ſe ſtare, ſe Gloriam ejus defendere, & nos perſequendo obſequium illi præſtare arbitrantur. Sed Pſalmus non mentitur, & exitus rei hoc probabit. Nos nihil hic facimus, tantum patimur, perhibente nobis teſtimonium conſcientia noſtra in Spiritu ſancto. Deinde doctrina, propter quam tales tumultus & ſcandala excitantur, non noſtra, ſed Chriſti eſt. Hanc negare non poſſumus, nec patrocinium ejus deſerere, cum Chriſtus dicat, Quem mei puduerit & ſermonum meorum in generatione iſta adultera & peccatrice, Pudebit illius & Filium hominis, &c. *Pſalm. 2.*

Paulus homo peſtifer.

Qui igitur docere vult Chriſtum, & confiteri eum eſſe juſticiam noſtram, is ſtatim audire cogitur, quod homo peſtifer ſit, qui conturbet omnia. Hi qui conturbarunt orbem terrarum (dixerunt Iudæi de Paulo & Sila, Act. 7.) huc quoque venerunt, & contra decreta Cæſaris faciunt. Et 24. Invenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditionem omnibus Iudæis in univerſo orbe, & autorem ſectæ Nazarenorum, &c. Simili modo queruntur Gentes Actor. 16. Hi homines conturbant civitatem noſtram, &c. Sic hodie accuſant Lutherum eſſe conturbatorem Papatus & Imp. Romani. Si tacerem, in pace eſſent omnia, quæ fortis ille armatus poſſidet, neq; Papa amplius me perſequeretur. Sed hoc modo obſcuraretur Evangelium Chriſti. Si autem loquor, conturbatur & ruit Papa. Aut amittendus eſt Papa mortalis, aut Chriſtus æternus, & cum eo vita æterna. Sed ex duobus malis minus eligendum eſt. Ruat igitur potius Papa terrenus & mortalis, quam Chriſtus cœleſtis & æternus. *Act. 17.* *24. 16.*

Quomodo Chriſtus ſeipſum cum ſuis ſit conſolatus mala, ſuam prædicationem ſecutura.

Chriſtus ipſe, cum prævideret in Spiritu maximam rerum conturbationem & colliſionem mundi ſecuturam ex prædicatione ſua, hoc modo ſeipſum conſolabatur, Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accēdatur? Ita videmus hodie prædicationem Evangelij propter perſecutionem & blaſphemiam adverſariorum, contemptum & ingratitudinem noſtrorum hominum, multa mala ſecutura. Ea res tam vehementer nos angit, ut ſecundum carnem ſæpe cogitemus, melius fuiſſe non invulgari doctrinam pietatis, incolumi pace, quam ea nunc invulgata, pacem publicam perturbari. Sed ſecundum ſpiritū intrepidi cum Chriſto dicimus, Veni ignem mittere in terram, & quid volo niſi ut jam accendatur. Illo autem igni accenſo, oriuntur ſtatim maximi motus. Quia non aliquis Rex aut Imperator, ſed Deus hujus ſeculi provocatur, qui eſt potentiſſimus ſpiritus & Dominus totius mundi. Hunc magnum adverſarium invadit hoc infirmum Verbum, prædicans Chriſtum crucifixum. Hujus potentiam divinam ſentiens Behemoth, excitat omnia membra ſua, movet caudam, facitq; ferveſcere quaſi ollam profundum maris, Iob 41. Hinc illi tumultus & furores Mundi. *Luc. 12.*

Behemoth.

Iob 41.

Quare

Quare nihil nos moveat, quod adverſarij offenduntur & clamitant, Nihil boni venire ex prædicatione Evangelij. Ipſi infideles, cæci & indurati ſunt, ideo impoſſibile eſt eos videre ullum fructum Evangelij. Nos contra, qui credimus (quanquam foris ad tempus premimur infinitis malis, contemnimur, ſpoliamur, blaſphemamur, damnamur, peripſema omnium ſumus, occidimur, & intus conſcientia peccati angimur, ac per dæmones vexamur) videmus ingentiſſima & ea innumerabilia commoda & fructus Evangelij. In Chriſto enim vivimus, in quo & per quem Reges ſumus & domini ſupra Peccatum, mortem, carnem, mundum, infernum & omnia mala, Per quem deniq; conculcamus pedibus illum draconem & baſiliſcum, qui eſt Rex peccati & mortis. Quomodo? In fide, nondum enim revelatum eſt bonum noſtrum, quod per patientiam interim expectamus, & tamen illud certo jam tenemus per fidem. *Fructus Evangelij.*

Diſcendus eſt igitur diligenter articulus juſtificationis, is ſolus' erigere contra infinita illa ſcandala & conſolari nos poteſt in omnibus tentationibus & perſecutionibus. Videmus enim aliter fieri non poſſe, quin mundus offendatur doctrina pietatis, & perpetuo clamitet nihil boni ex ea venire. Quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim illi ſunt, 1. Corinth. 2. Tantum videt externa mala, conturbationem rerum, rebellionem, cædes, ſectas, &c. His ſpectris offenditur, excæcatur & ruit in contemptum & blaſphemiam Verbi. *Articulus juſtificationis erigit contra ſcandala.* 1. Cor. 2.

Nos contra debemus confirmari, quia adverſarij non accuſant & damnant nos propter manifeſta ſcelera, ut ſunt adulterium, cædes, rapina, &c. ſed propter doctrinam noſtram. Quid docemus igitur? Chriſtum filium Dei morte crucis redemiſſe nos à peccatis noſtris & morte æterna. Non ergo vitam, ſed doctrinam noſtram, imo non noſtram, ſed Chriſti, impugnant. Ergo culpa Chriſti eſt quod nos impugnant. Et peccatum, propter quod nos perſequuntur adverſarij, non nos, ſed Chriſtus commiſit. An autem Chriſtum, propter hoc, ſi Deo placet, peccatum, quod ſolus eſt Iuſtificator & Salvator noſter, deturbaturi ſint è cœlo, & damnaturi ut hæreticum & ſeditioſum, viderint ipſi. Nos hanc ſuam cauſam illi commendantes, læti & ſecuri interim erimus ſpectatores, viſuri utri vicerint, Chriſtus ne, an ipſi. Dolet quidem nobis ſecundum carnem, quod ipſi Iſmaëlitæ noſtri tam furenter nos oderunt & perſequuntur. Secundum Spiritum tamen gloriamur in afflictionibus noſtris, tum quia ſcimus eas nos ferre non propter peccata noſtra, ſed propter Chriſtum, cujus beneficium & gloriam illuſtramus, tum etiam quia Paulus hic præmunit nos, & dicit, oportere Iſmaëlem illudere & perſequi Iſaac. *Cur damnent nos adverſarij.*

Iudæi exponunt locum, quem Paulus ex cap. 21. Gen. citat de Iſmaële deriſore & perſecutore Iſaac, hoc modo, Quod videlicet Iſmaël coëgerit Iſaac ad idolatriam. Non improbo illorum interpretationem, Non tamen credo tam craſſam fuiſſe idolatriam, qualem Iudæi ſomniant, Quod ſcilicet Iſmaël finxerit ex luto, more gentium, imagines, quas coëgerit Iſaac adorare, Hoc Abraham nequaquam fuiſſet paſſus, Sed puto Iſmaëlem in ſpeciem fuiſſe ſanctum virum, ut Cain, qui & ipſe perſecutus eſt fratrem, ac tandem occidit, non propter rem aliquam corporalem, ſed quia videbat eum à Deo præferri ſibi. Ita Iſmaël fuit ſtudioſus religionis, ſacrificavit & bene operando ſeſe exercuit. Ideoq; riſit fratrem Iſaac, & voluit videri melior eo duplici nomine, Primum propter religionem ac cultum, Deinde etiam propter civilem dominationem & hæreditatem. Et illa duo videbatur ſibi juſte arrogare. Cogitavit enim ad ſe ut primogenitum jure divino pertinere Sacerdotium & Regnum. Itaq; perſecutus eſt Iſaac ſpiritualiter propter religionem, & corporaliter propter hæreditatem. *Iſmaëlis quale vir fuerit.* Gen. 21.

Hoc malum ſemper exiſtit in Eccleſia, præſertim florente doctrina Evangelij, ſcilicet quod filij carnis rident & perſequuntur filios promiſſionis. Papiſtæ & ſpiritus fanatici perſequuntur nos hodie propter nullam aliam rem, quam *Iſmaël ſemper perſequitur Iſaac.*

quod docemus juſticiam contingere per promiſſionem. Male enim habet Papiſtas, quod idola ipſorum non adoramus, hoc eſt, quod non prædicamus juſticias, opera & cultus ab hominibus excogitatos & inſtitutos, valere ad conſequendam Gratiam & remiſſionem peccatorum, Ideoq; conantur nos è domo ejicere, hoc eſt, gloriantur ſe eſſe Eccleſiam, filios & populum Dei, ad ſe pertinere hæreditatem,&c. Nos contra ut hæreticos & ſeditioſos excommunicant, & ſi poſſunt, occidunt in obſequium Deo,&c. Ita ſimpliciter quantum in ipſis eſt, ejiciunt nos è præſenti & futura vita. Fanatici ſpiritus infenſiſſimè oderunt nos, quod impugnamus & deteſtamur eorum errores & hæreſes, quas ſubinde novas in Eccleſia ſpargunt, ac propter hoc ipſum judicant nos longe deteriores eſſe Papiſtis, ideoq; atrocius nos oderunt quam illos,&c.

Diabolus perſequitur Evangelium vi & dolo.

Quam primum igitur verbum Dei in lucem prodit, iraſcitur Diabolus, iratus utitur omnibus viribus & dolis ad perſequendum & prorſus obruendum illud. Ideo aliter fieri non poteſt, quin exuſcitet infinitas ſectas & ſcandala, item perſecutiones & cædes. Eſt enim mendacij pater & homicida. Mendacium ſpargit in mundum per impios Doctores, homines occidit per tyrannos. Sic utrumq; regnum ſpirituale & corporale occupat, hoc per mendacium impiorum doctorum (ut interim non dicam, quod perpetuo ſuis ignitis telis unumquemq; privatim ſolicitat ad hæreſes & impias opiniones) illud per gladium tyrannorum, atq; ita utrinq; concitat contra filios Liberæ, pater mendacij & cædis, ſpiritualem & corporalem perſecutionem. Spiritualis, quam à fanaticis hodie ferre cogimur, moleſtiſſima ac prorſus intolerabilis nobis eſt propter ſcandala, quibus Diabolus deformat doctrinam noſtram. Audire enim cogimur, ſectas Anabaptiſtarum & Sacramentariorum,& omnia mala orta eſſe ex doctrina illa. Corporalis, qua rebus & corporibus noſtris inſidiantur tyranni, tolerabilior eſt, quia non fit propter peccata noſtra, ſed confeſſionem verbi Dei. Diſcamus igitur ex ipſo titulo Diaboli (pater mendacij & cædis) quem Chriſtus ei tribuit Iohan. 8. quod florente Evangelio & regnante Chriſto neceſſe ſit oriri ſectas perditionis, & omnia eſſe plena furoribus homicidarum, perſequentium veritatem. Et Paulus ait, Oportet hæreſes eſſe. Qui hoc ignorat, facillime offenditur, & deficit ad veterem ſuum Deum & fidem, relicto vero Deo & fide.

Perſecutio ſpiritualis & corporalis Piorum.

Iohan. 8.

1. Cor. 11.

Præmunit ergo hic Paulus pios, ne & ipſi offendantur illis perſecutionibus, ſectis & ſcandalis, dicens, Quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem natus eſt,&c. Q. d. Si ſumus filij promiſſionis, ſecundum Spiritum nati, expectanda eſt nobis certiſſime perſecutio fratris noſtri, qui ſecundum carnem natus eſt, Hoc eſt, non ſolum hoſtes palam impij perſequuntur nos, ſed etiam hi, qui primum fuerunt dulces amici noſtri, quibus cum converſati ſumus familiariter in eadem domo, qui à nobis acceperunt doctrinam Evangelij, fiunt poſtea infenſiſſimi hoſtes noſtri, perſequentes nos acerrime. Quia ſunt fratres ſecundum carnem, quos oportet perſequi fratres ſecundum Spiritum natos. Sic conqueritur Chriſtus Pſal. 41. de Iuda, Homo pacis meæ in quo ſperavi, qui edit panem mecum, levavit corã me calcaneum ſuum. Sed hæc noſtra conſolatio eſt, quod Iſmaëlitis noſtris nullam dederimus occaſionem perſequendi nos. Propter doctrinam pietatis perſequuntur nos Papiſtæ, hanc ſi revocaremus, ſtatim deſinerent nos perſequi. Item ſi pernitioſos errores fanaticorum ſpirituum approbaremus, ipſi laudarent nos. Quia vero utrorumq; impietatem deteſtamur, non poſſunt nos non infenſiſſime odiſſe & perſequi.

Falſi fratres primum amici, poſtea infenſiſſimi hoſtes.

Pſal. 41.

Chriſtus conſolatur ſuos contra odium & perſecutionem mundi.

At contra hanc perſecutionem & illa ſcandala non ſolum Paulus, ut dixi, nos præmunit, ſed etiam ipſe Chriſtus Ioh. 15. ſuaviſſime conſolatur, Si de mundo, inquit, eſſetis, mundus quod ſuum eſt diligeret. Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus,&c. q. d. Ego ſum cauſa omnium perſecutionum quas fertis, Et ſi interficimini, reus ſum animarum veſtrarum, quia ſi meum verbum non prædicaretis,& me confiteremini, non perſequeretur

Iohan. 15.

ſequeretur vos mundus. Sed bene agitur vobiſcum. Non eſt ſervus major domino ſuo,Si me perſecuti ſunt,& vos propter nomen meum perſequentur,&c.

His verbis omnem culpam transfert Chriſtus in ſe, & liberat nos ab omni metu,q.d.Non vos,ſed nomen meum,quod prędicatis & confitemini,in cauſa eſt cur mundus vos perſequatur vi & dolis,Sed confidite,ego vici mundum. Hac fiducia ſuſtentamur,non dubitantes quin Chriſtus ſatis robuſtus ſit, non ſolum ad ſuſtinendam,ſed etiam ad vincendam omnem vim Tyrannorum & dolos hæreticorum. Hocq; ſatis oſtendit contra Iudæos & Romanos, quorum tyrannidem & perſequutiones aliquandiu ſuſtinuit, ſuſtinuit etiam dolos hæreticorum, ſed ſuo tempore everſis ac deletis illis omnibus, permanſit Rex & victor. Quantumvis igitur inſaniant hodie Papiſtæ,quantumvis ſectarij depravent & corrumpant Evangelium Chriſti,tamen Chriſtus manebit Rex in ſecula, & verbum Domini ſtabit in æternum,redactis in nihilum omnibus inimicis ipſius. Deinde,quod valde conſolatorium eſt,neq; perpetua erit perſecutio Iſmaëlis contraIſaac,ſed tantum durat ad modicum tempus,quo finito, fertur ſententia,ut ſequitur.

Chriſtus manet rex & victor reluctantibus inferorũ portis.

Sed quid dicit Scriptura, Ejice ancillam & filium ejus, Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

HAEC vox Saræ valde moleſta fuit Abrahæ, eiq; proculdubio, cum audivit illam ſententiam, paterna viſcerá ſuper filio ſuo Iſmaël commota ſunt, Nam ex carne ſua natus erat. Hocq; ſcriptura Gen. 21. clare teſtatur,cum ait, Dure accepit Abraham verbum hoc propter filium ſuum. Sed Deus ſententiam, quam tulit Sara,confirmavit, dicens ad Abraham, Non videatur tibi aſperum ſuper puero & ancilla tua,Omnia,quæ dixerit tibi Sara,audi vocem ejus,Quia in Iſaac vocabitur tibi Semen. Hic audiunt Iſmaëlitæ ſententiam contra ſe latam,quæ evertit Iudæos,Græcos,Romanos,&c. qui perſecuti ſunt Eccleſiam Chriſti. Eadem everſura eſt etiam Papiſtas & omnes, quicunq; tandem ſunt, juſticiarios, qui hodie jactant ſe eſſe populum Dei & Eccleſiam,& ſperant ſe certo accepturos hæreditatem, ac nos, qui nitimur promiſſione Dei, judicant non ſolum eſſe ſteriles & deſertos,ſed etiam hæreticos,ex Eccleſia projectos,quos impoſſibile ſit eſſe filios & hæredes.At hoc illorum judicium invertit Deus,& fert ſententiam contra eos, quod, quia ſint ancillæ filij, & perſequantur filios liberæ, ideo è domo ejiciendi ſint,nec habituri hæreditatem cum filiis promiſſionis,adquos ſolos,ut ad Liberæ filios,hæreditas pertineat. Hæc ſententia rata & irrevocabilis eſt. Scriptura enim non poteſt ſolvi. Ideo certiſſime futurum eſt, quod Iſmaëlitæ noſtri non ſolum amiſſuri ſint adminiſtrationem Eccleſiaſticam & politicam,quam habent,ſed etiam vitam æternam. Quia ſcriptura prædixit filios ancillæ ejiciendos è domo, hoc eſt,è regno Gratiæ. Non enim poſſunt eſſe hæredes cum filiis liberæ.

Gen. 21.

Deus ſententiam Sara confirmat.

Sententia contra Iſmaelitas lata efficax, &c

Obſervandum autem eſt, quod Spiritus ſanctus quaſi per contumeliam hic appellat populum legalem & operarium ancillæ filium,Quaſi d. Quid jactatis juſticiam Legis & operum,& propter illam gloriamini, vos eſſe populum & filios Dei? Si ignoratis unde geniti ſitis,dicam.Ex ſerva ſervi nati eſtis. Cujuſmodi ſervi? Legis. Ergo per conſequens Peccati,mortis & damnationis æternæ. Servus autem non eſt hæres,ſed è domo ejicitur.Quare Papa cum toto regno ſuo,& quicunq; alij juſticiarij,quamlibet in ſpeciem ſancti,qui per Leges ſive humanas,ſive divinas,Gratiam & ſalutem conſequi ſe confidunt,filij ancillæ ſunt non accipientes hæreditatem cum filiis liberæ,ſed è domo ejicientur. Et loquor jam non de Papis, Cardinalibus, Epiſcopis & Monachis impiis, qui Deum ventrem coluerunt,& horribilia peccata, quæ non libenter nomino, commiſerunt, ſed de optimis,qualis ego unus fui,& multi alij,qui ſancte vixerunt, & ſummo labore ac ſtudio conati ſunt per obſervationem Ordinis placare iram Dei, & mereri remiſſionem peccatorum ac vitam æternam. Hi audiunt hic ſententiam,quod filij ancillæ ſint ejiciendi cum matre ancilla è domo.

Populus legis, ancilla filius.

Mundus adulatur justiciam operum, fidei justiciam damnat.

Ejuſmodi ſententiæ diligenter conſideratæ certos reddunt & confirmant nos de doctrina & juſticia Fidei, contra doctrinã & juſticiam operum, quam mundus amplectitur & magnifacit, illa altera contempta & damnata. Quod certe movet & offendit infirmas mentes, quæ etiamſi palam videant impietatem & nefanda ſcelera Papiſtarum, tamen facile perſuaderi non poſſunt, quod tota multitudo, quę nomen & titulum Eccleſiæ gerit, erret, & tantum pauci quidam recte ſentiant de doctrina fidei. Et ſi Papatus illam ſanctitatem & auſteritatem vitæ adhuc haberet, quam habuit tempore Patrum, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini & aliorum, cum clerici nondum male audiebant propter Simoniam, luxum, voluptates, opes, ſcortationes, Sodomiam & alia infinita peccata, ſed vivebant juxta canones & decreta Patrum, in ſpeciem religioſe & ſancte, deinde etiam cælibes vivebant, Quid quæſo contra Papatum jam agere poſſemus?

Collatio veteris & hodierni Papatus.

Cælibatus.

Cælibatus, quem temporibus Patrum rigide obſervabant Clerici, inſignis quædam res eſt coram mundo quæ ex homine facit Angelum. Hinc Paulus Col. 2. religionem Angelorum vocat. Et Papiſtæ canunt de virginibus, Angelicam vitam duxerat, in carne dum præter carnem vixerat. Vita illa, quam vocaverunt contemplativam, cui tunc maxime dediti erant Clerici, poſthabitis omnibus politicis & œconomicis adminiſtrationibus, præ ſe fert quoq; magnam ſpeciem ſanctitatis. Itaq; ſi illa facies veteris Papatus hodie adhuc ſtaret, parum forte noſtra doctrina de fide contra eum efficeremus, præſertim cum jam parum efficiamus, ubi jamdudum exoleta priſca illa in ſpeciem pietate & ſevera diſciplina, nihil aliud cernere eſt in papatu, quam veram colluviem & ſentinam omnium vitiorum. Sed eſto, quod adhuc ſtaret vetus religio & diſciplina Papatus, tamen deberemus exemplo Pauli, qui inſectatur Pſeudoapoſtolos, in ſpeciem ſanctiſſimos & optimos viros, pugnare contra juſticiarios regni Papiſtici, & dicere, Vt maxime cælibem vitam agatis, corpora veſtra frequentibus exercitiis defatigetis, imo etiam in humilitate & religione Angelorum incedatis, Tamen ſervi legis, peccati & Diaboli eſtis, ejiciendi è domo, Quia per opera veſtra, non per Chriſtum quæritis juſticiam & ſalutem. Col. 2.

Vita contemplativa.

Religio & diſciplina veteris Papatus.

Quare non tam in ſceleratam vitam Papiſtarum intendere oculos debemus, quam in impiam ipſorum doctrinam & hypocriſin, quam & præcipue impugnamus. Fingamus igitur illam religionem & diſciplinam veteris Papatus florere jam & obſervari illo rigore, quo Eremitæ, quo Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Bernhardus, Franciſcus, Dominicus, & alij multi obſervarunt, Tamen dicere nos oportet, Si nihil aliud præter ſanctitatem & caſtitatem vitæ veſtræ habetis, quod opponatis iræ & judicio Dei, plane eſtis filij ancillæ è regno cœlorum ejiciendi ac damnandi. Neq; nunc defendunt ipſi ſceleratam vitam ſuam, quam hi, qui inter eos ſaniores ſunt, deteſtantur ipſi, Sed pro doctrina dæmoniorũ, pro hypocriſi & juſticia operum defendenda & conſervanda pugnãt. Hic allegant autoritatem Conciliorum & exempla Sanctorum Patrum, quos affirmant conditores fuiſſe ſanctorum ordinum & ſtatutorum, &c. Itaq; non pugnamus contra Papatum hodie palam impium & ſceleratum, ſed contra ſpecioſiſſimos ejus Sanctos, qui putant ſe angelicam vitam agere, dum ſomniant ſe non ſolum præcepta Dei, ſed etiam conſilia Chriſti & opera non debita ſeu ſupererogationis ſervare. Hos dicimus oleum & operam perdere, niſi hoc unicum apprehenderint, quod ſolum neceſſarium Chriſtus ait, ac bonam partem elegerint cum Maria, quæ non poterit auferri ab eis. Luce 10.

S. Bernhardus.

Hoc fecit Bernhardus, vir adeo pius, ſanctus & caſtus, ut eum merito putem præferendum omnibus Monachis. Is cum ſemel graviter decumberet, ac de vita ſua jam deſperaſſet, non collocabat fiduciam in cælibatum, quem caſtiſſime ſervaverat, non in benefacta & officia pietatis, quæ plurima fecerat, Sed illis procul remotis ex oculis, beneficium Chriſti fide arripiens, dixit, Ego perdite vixi, Sed tu Domine Ieſu Chriſte duplici jure tenes Regnum cœlorum, Primum, quia

Filius

Filius Dei es. Deinde, quia illud tua paſſione & morte acquiſiviſti. Hoc ſervas pro te jure nativitatis, Illud largiris mihi, non jure operum, ſed Gratiæ. Is non oppoſuit iræ & judicio Dei Monachatum & angelicam vitam ſuam, ſed apprehendit illud unum, quod neceſſarium eſt, atq; ita ſalvatus eſt, Simili modo arbitror Hieronymum, Gregorium plurésq; alios Patres & Eremitas, ſalvatos eſſe, Neq; dubium eſt, quin etiam in veteri Teſtamento multi Reges Iſraël, & alij idolatræ ſimiliter ſervati ſint, qui in hora mortis, abjecta vana fiducia in Idola, apprehenderunt promiſſionem Dei de futuro ſemine Abrahæ Chriſto, benedicturo omnes Gentes. Et ſi qui hodie ſalvandi ſunt ex Papiſtis, illos ſimpliciter non ſuis benefactis & meritis, ſed ſola miſericordia Dei in Chriſto nobis oblata niti oportet, & dicere cum Paulo, Non habeo juſticiam meam ex Lege, ſed eam quæ eſt per fidem in Chriſtum, Philip. 3.

Philip. 3.

Itaq; fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ.

PAVLVS hic allegoriam de ſterili Eccleſia & fœcundo Legis populo concludit. Non, inquit, ſumus filij ancillæ, id eſt, non ſumus ſub Lege, quæ generat in ſervitutem, id eſt, quæ terret, accuſat, & in deſperationem adigit, ſed liberi ſumus ab ea per Chriſtum, Ergo non poteſt perterrefacere & condemnare nos, &c. De qua re ſupra ſatis. Deinde ut maxime filij ancillæ ad tempus nos perſequantur, tamen illa eſt noſtra conſolatio, quod ipſi tandem projicientur in tenebras exteriores & cogentur nobis relinquere hæreditatem, quæ ad nos ut liberæ filios pertinet.

Itaq; Paulus, ut audivimus ex vocabulo Ancillæ & Liberæ, ſumpſit occaſionem confutandi juſticiam Legis & confirmandi locum de juſtificatione. Et data opera arripuit hanc vocem (Libera) vehementer eam urgens & exaggerans etiam in initio capitis ſequentis. Indeq; accipiet occaſionem diſputandi de libertate Chriſtiana, cujus perneceſſaria eſt cognitio. Nam Papa eam penitus extinxit, & Eccleſiam humanis traditionibus & ceremoniis miſerrimæ ac turpiſſimæ ſervituti ſubjecit. Ea libertas, quæ per Chriſtum parta eſt, eſt nobis hodie firmiſſimum præſidium, quo contra tyrannidem Papæ nos defendimus. Quare diligenter conſiderandus eſt locus de libertate Chriſtiana, tum pro confirmanda doctrina juſtificationis, tum etiam pro erigendis & conſolandis conſcientiis, contra tot turbationes & ſcandala, quæ adverſarij clamitant ex Evangelio oriri. Eſt autem libertas Chriſtiana valde ſpiritualis res, quam carnalis homo non percipit, Imo hi, qui primitias Spiritus habent, & de ea copioſiſſime poſſunt diſſerere, ægre eam retinent in corde. Apparet rationi res parvi momenti eſſe, Niſi igitur Spiritus magnificet & ei pondus addat, contemnitur.

Libertas Chriſtiana.

CAP. V.

PAulus finem Epiſtolæ tendens, vehementer & ardenter diſputat, pro defendenda doctrina fidei & libertatis Chriſtianæ, contra Pſeudoapoſtolos, hoſtes & deſtructores ejus, in quos dirigit & jacit mera verborum fulmina, ut eos proſternat. Adhortans ſimul Galatas, ut eorum pernitioſam doctrinam tanquam peſtem aliquam vitent. Et inter adhortandum comminatur, promittit & nihil non tentat, ut eos retineat in libertate illa à Chriſto ipſis parta, dicens:

In ea igitur libertate, qua Chriſtus nos liberavit, ſtate.

ID eſt, firmi eſtote. Sic Petrus, Eſtote ſobrij & vigilate, quia Adverſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem devoret, cui

1. Petr. 5.

Pro ſtandum in ea re, ne amittas libertatem, &c.

Digitized by Google

fortes reſiſtite in fide. Ne ſecuri,inquit,ſitis,ſed firmi, non jacete aut dormite,ſed ſtate, q. d. Vigilantia & conſtantia ad hoc requiritur, ut libertatem qua Chriſtus nos liberavit,retineatis,ſecuri & ſtertentes non poſſunt eam retinere. Satan enim vehementer odit lucem Evangelij,hoc eſt,doctrinam Gratiæ,libertatis,conſolationis & vitæ. Ideo ubi videt eam exoriri,ſtatim contra nititur omnibus ventis & tempeſtatibus, ut eam extinguat. Quare admonet Paulus, non eſſe ſtertendum, non ſecure agendum piis,ſed fortiter ſtandum in acie contra Satanam, ne auferat libertatem illam à Chriſto eis partam,&c.

Libertas Papiſtarum.

Sunt autem ſingulæ voces emphaticæ. State inquit, q. d. Hic opus eſt vigilantia. In libertate, In qua? Non qua Cæſar,ſed Chriſtus nos liberavit. Cæſar dedit,imo coactus eſt dare,Romano Pontifici Vrbem liberam & alias terras,item immunitates,privilegia,indulta,&c. Ea eſt etiam libertas,ſed civilis, qua Pontifex Romanus cum Clericis ſuis publicis oneribus exemptus eſt. Deinde eſt quoq;

Libertas carnis

libertas carnis,ſeu potius Diaboli,qua potiſſimum regnat in orbe terrarum. Nam habentes eam,non obtemperant Deo,nec legibus,ſed faciunt quod volunt. Illam ſectatur hodie vulgus,ſectantur etiam fanatici ſpiritus, qui liberi eſſe volunt in opinionibus & actionibus ſuis,ut doceant & agant impune, quod ipſi ſomniant rectum eſſe. Illi ſtant in libertate,qua Diabolus eos liberos facit. De ea nos non agimus, quanquam totus Mundus eam ſolam quærat & ſectetur. Nec de politica libertate agimus, ſed de alia quadam, quam Diabolus maxime odit & impugnat.

Ea eſt,qua Chriſtus nos liberavit,non è ſervitute aliqua humana aut captivitate Babylonica aut Turcica, ſed ab ira æterna. Vbi? In conſcientia. Hic reſiſtit,neq; latius progreditur noſtra libertas. Nam Chriſtus nos liberos fecit non politice,non carnaliter,ſed theologice ſeu ſpiritualiter, hoc eſt,Sic liberavit nos,

Libertas ab ira Dei.

ut conſcientia noſtra ſit libera & læta,nihil timens venturam iram. Ea eſt veriſſima ac inæſtimabilis libertas, ad cujus magnitudinem & majeſtatem cæteræ (politica & carnalis) collatæ, vix ſunt una ſtilla vel guttula. Quis enim poteſt eloqui,quanta res ſit,aliquem poſſe certo ſtatuere, Deum neq; iratum eſſe, neq; unquam futurum iratum,ſed in æternum fore faventem & clementem Patrem propter Chriſtum? Magna profecto & incomprehenſibilis libertas eſt, habere ſummam illam Majeſtatem faventem,protegentem,juvantem,& tandem etiam corporaliter nos ita liberantem, ut corpus noſtrum,quod ſeminatur in corruptione, in ignominia & in infirmitate, reſurgat in incorruptibilitate, in Gloria & potentia. Quare inenarrabilis eſt libertas, nos eſſe liberos ab ira Dei in æternum,majorq; cælo & terra & omnibus creaturis.

Libertas à Lege, peccato, &c.

Ex hac ſequitur alia libertas, qua ſecuri & liberi per Chriſtum efficimur à Lege,peccato,morte,poteſtate Diaboli,inferno,&c. Sicut enim ira Dei non poteſt perterrefacere nos, nam Chriſtus ab ea nos liberavit, Ita Lex, peccatum,&c. accuſare ac condemnare nos non poſſunt. Et quanquam Lex arguat,& peccatum perterrefaciat nos, tamen non poſſunt nos in deſperationem adigere. Quia fides victrix mundi,mox dicit, Illa nihil ad me, Chriſtus enim liberavit me ab his. Sic Mors,qua nihil potentius & horribilius in mundo eſt, victa jacet in conſcientia per hanc libertatem Spiritus. Quare illa majeſtas Chriſtianæ libertatis diligenter æſtimanda & ponderanda eſt. Verba quidem illa,libertas ab ira Dei,lege,peccato,morte,&c. dictu facilia ſunt, ſed magnitudinem hujus libertatis ſentire, & fructum ejus in certamine, in agone conſcientiæ, in praxi,applicare ſibi, hoc plus quam dici poteſt difficile eſt.

Remedium contra triſtitiam ſpiritus.

Ideo imbuendus eſt animus, ut cum ſentit accuſationem Legis, terrores peccati, horrorem mortis,iram Dei, illa triſtia ſpectra ex oculis removeat, & in locum horum ponat libertatem Chriſti, remiſſionem peccatorum, juſticiam, vitam & miſericordiam Dei ſempiternam. Et quanquam fortis ſit ſenſus contrariorum, tamen certo ſtatuat eum non diu duraturum, Iuxta illud Prophetæ, In momento iræ abſcondi faciem meam parumper à te, ſed in miſericordia ſempi- *Eſa. 54.*

terna

terna misereor tui. Sed hoc factu difficillimum est. Ideo libertas illa quam Christus nobis peperit, non tam cito creditur, quam nominatur. Si certa ac firma fide apprehendi posset, nullus furor aut terror Mundi, legis, peccati, mortis, diaboli, &c. tam magnus esse posset, qui non statim ceu scintilla à mari, ab ea absorberetur. Certe illa libertas Christi semel absorbet & tollit universam molem malorum, Legem, peccatum, mortem, iram Dei, ipsum deniq; serpentem cum capite suo, & in locum horum subjicit justiciam, pacem, vitam, &c. Sed beatus qui intelligit & credit.

Discamus igitur magnifacere illam libertatem nostram, quam non Cæsar, Propheta aut Patriarcha, non Angelus è cœlo, sed Christus Dei filius, per quem omnia creata sunt in cœlis & terra, sua morte nobis paravit, non ut nos è servitute aliqua corporali & momentanea, sed spirituali & æterna crudelissimorum & invictissimorum tyrannorum, Legis, peccati, mortis, diaboli, &c. liberaret, ac ita nos Deo Patri reconciliaret. Devictis autem his hostibus, ac reconciliatis nobis Deo per mortem filij ipsius, certum est nos justos esse coram Deo, omnesq; actiones nostras placere illi. Et si quid peccati in nobis est reliquum, tamen illud non imputari, sed condonari nobis propter Christum. Paulus significantibus & emphaticis verbis utitur, quæ diligenter expendenda sunt, State, inquit, in ea libertate, qua Christus nos liberavit. Ergo illa libertas, non propter Legem aut justiciam nostram, sed gratis propter Christum nobis donatur. Id quod Paulus hic testatur, & copiose ostendit per totam Epistolam. Et Christus Iohan. 8. Iohan. 8. Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Ille unus interponitur inter nos & mala, quæ nos premunt, vincit ac tollit ea, ut amplius non possint nos opprimere & damnare, Loco peccati & mortis donat nobis justiciam & vitam æternam. Atq; ita servitutem & terrores legis mutat in libertatem conscientiæ & Evangelij consolationem, quæ dicit, Confide fili, remittuntur tibi peccata. Qui igitur credit in Christum, habet illam libertatem. Matth. 9.

Libertas Christiana.

Propter Christum donatur nobis libertas, &c.

Ratio non videt magnitudinem hujus rei, quæ in spiritu considerata, amplissima & inæstimabilis est. Quis enim ulla cogitatione consequi potest, quantum donum sit, habere loco Legis, peccati, mortis, irati Dei, remissionem peccatorum, justiciam & vitam æternam, ac perpetuo propitium & faventem Deum? Papistæ & omnes hypocritæ, qui justiciam Legis aut suam sectantur, gloriantur se quoq; habere remissionem peccatorum, justiciam, propicium Deum, &c. Jactant etiam libertatem, ac eam aliis promittunt, sed omnia illa egena & incerta sunt. Revera enim servi corruptionis sunt, quibus in tentatione in momento evanescit omnis vana eorum fiducia, quia operibus & satisfactionibus humanis, non verbo Dei nec Christo nituntur, Ideoq; impossibile est eos scire, quid sit libertas à peccatis, &c.

Hypocritæ gloriantur de Deo, &c.

Contra, nostra libertas fundamentum habet Christum, qui æternus est Pontifex, ad dexteram Dei interpellans pro nobis. Ideo remissio peccatorum, justicia, vita & libertas, quam per eum habemus, certa, rata, & æterna est, modo hoc credamus. Quare si firmiter Christo adhæserimus fide, & fortiter steterimus in libertate, qua nos liberos fecit, habebimus illa inenarrabilia dona. Si vero securi & stertentes erimus, amittemus ea. Paulus non frustra jubet nos vigilare & stare, quia novit Diabolum hoc sedulo agere, ut subrepta nobis hac libertate, quæ tanti Christo constitit, nos rursus implicet per suos ministros jugo servitutis, ut sequitur.

Securi amittunt libertatem.

Et nolite iterum jugo servitutis concludi.

PAVLVS gravissime locutus est de Gratia & libertate Christiana, atque adhortatus est amplissimis verbis Galatas, ut in ea persistant. Facillime enim amittitur. Ideo jubet eos stare, ne oscitantia aut securitate sua, iterum deficiant à Gratia & fide ad Legem & opera. Quia vero illa res nihil periculi rationi videtur

Digitized by Google

videtur afferre, quæ longe præfert juſticiam legis fidei juſticiæ, ideo indignabundus invehitur in Legem Dei, vocans eam contemptu & extenuatione quadam inſigni, jugum, & jugum ſervitutis. Sic Petrus Act. 15. Quid tentatis Deum, ut imponatur jugum, &c. Atq; ita omnia in contrarium vertit. Pſeudoapoſtoli enim extenuabant Promiſſionem, & magnificabant Legem & ejus opera, ad hunc modum. Si vultis liberari à peccato & morte, & juſticiam ac vitam conſequi, facite Legem, circumcidamini, obſervate dies, menſes, tempora, annos, ſacrificate, &c. tum illa obedientia legis juſtificabit & ſalvabit vos. Paulus plane contrarium dicit, Qui, inquit, hoc modo Legem docent, non liberant conſcientias, ſed eas illaqueant, & illaqueant jugo, & quidem jugo ſervitutis.

Lex jugum ſervitutis. *Act. 15.*

Lex jugum ſervitutis.

Loquitur ergo ſupra modum contemptim & ignominioſe de Lege, cum eam vocat laqueum duriſſimæ ſervitutis & jugi ſervilis. Neque hoc fruſtra facit. Nam opinio iſta pernicioſa de lege, quod juſtificet, valde tenaciter adhæret rationi, eaque totum genus humanum tam fortiter occupatur & implicatur, ut difficillime ex ea poſſit explicari. Et Paulus, ut deroget legi Gloriam juſticiæ, videtur hic, quærentes juſticiam per eam, comparare bobus jugo concluſis. Vt enim boves magno labore trahentes jugum, nihil inde habent quam pabulum, & ubi amplius non ſunt idonei ad trahendum jugum, mactantur. Ita quærentes per Legem juſticiam captivi ſunt, & premuntur jugo ſervitutis, hoc eſt, Lege, & ubi diu magno labore & dolore defatigarunt ſe operibus legis, hoc tandem reportant præmij, quod miſeri & æterni ſervi ſunt. Cujus rei? Peccati, mortis, iræ Dei, Diaboli, &c. Ideo non eſt major & durior ſervitus quam legis. Non fruſtra ergo Paulus vocat jugum ſervitutis. Quia Lex, ut ſupra ſæpe diximus, tantum oſtendit & auget peccatum, accuſat, terret, condemnat, iram efficit, ac tandem conſcientias, quæ miſerrima ac duriſſima ſervitus eſt, in deſperationem adigit, Roman. 3. 4. 7.

Quærentes juſticiam per legem comparantur bobus jugo concluſis.

Rf. 3.4.7.

Valde igitur ardentibus verbis utitur, Vellet enim libenter eos flectere & permovere, ne hoc importabile onus ſibi imponi à Pſeudoapoſtolis, nec huic jugo ſervitutis ſe iterum illaqueari per eos paterentur, q. d. Non agitur hic de re levicula aut nihili, ſed vel de infinita & æterna libertate vel ſervitute. Vt enim libertas ab ira Dei & omnibus malis, non eſt politica aut carnalis, ſed æterna. Ita ſervitus peccati, mortis, diaboli, &c. qua premuntur, qui per Legem volunt juſtificari & ſalvari, non eſt corporalis, quæ ad tempus aliquod durat, ſed perpetua. Nam tales operarij, qui ſerio agunt omnia (de talibus enim loquitur Paulus) nunquam quieti & pacati ſunt. In hac vita ſemper dubitant de voluntate Dei, timent mortem, iram & judicium Dei, & poſt hanc vitam luent pœnam incredulitatis ſuæ, interitum æternum.

Itaq; operatores legis rectiſſime vocantur Diaboli (ut more vulgi loquar) martyres. Quia longe majori labore & moleſtia acquirunt inferos, quam martyres Chriſti cœlum. Duplici enim contritione conteruntur. Primum, dum hic vivunt multa & magna opera facientes, fruſtra miſere ſeſe excruciant. Poſtea cum moriuntur præmium acquirunt, æternam damnationem & pœnam. Sic miſerrimi martyres ſunt in præſenti & futura vita, eſtq; eorum ſervitus æterna. Contra, pij in mundo quidem habent afflictiones, In Chriſto autem pacem, Quia credunt eum viciſſe mundum. Quare fortiter ſtandum eſt in libertate, quam Chriſtus ſua morte nobis peperit, & diligenter cavendum, ne iterum jugo ſervitutis illaqueemur. Sicut hodie accidit fanaticis ſpiritibus, qui excidentes Fide & libertate illa, hic temporalem, quem ſibiipſis accerſunt, ſervitutem habent, & illic æterna prementur. Papiſtarum major & potior pars degenerat hodie paulatim in Epicuræos, Ideo dum licet, utuntur libertate carnis, ſecuriſſime canunt, Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas. Sed veriſſime ſervi ſunt Diaboli, à quo captivi tenentur ad voluntatem ipſius, Ideo manet eos iſta æterna & infernalis ſervitus. Hactenus adhortatio Pauli vehemens & ſeria, quam ſequens tamen ſuperat.

Martyres Diaboli.

Papiſtarum libertas carnalis.

Ecce

Ecce ego Paulus dico vobis, quod ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.

PAVLVS vehementer commotus, loquitur ex magno zelo & fervore Spiritus mera fulmina contra Legem & circumciſionem. Illaq; tam ardentia verba ei irato, propter magnam indignitatem rei, extorquet Spiritus ſanctus, ut dicat, Ecce ego Paulus, &c. Ego inquam, qui ſcio me Evangelium habere non ab homine, ſed per revelationem Ieſu Chriſti, qui deniq; certo ſcio me habere mandatum & autoritatem divinam docendi & definiendi, Dico vobis ſententiam novam quidem, ſed certam & veram, Quod ſi circumcidamini, Chriſtus ſimpliciter nihil vobis proderit. Hæc valde dura eſt ſententia, qua Paulus circumcidi idem eſſe dicit, quod Chriſtum ocioſum fieri. Non quidem in ſe, ſed Galatis, qui dolis Pſeudoapoſtolorum circumventi, credebant præter fidem in Chriſtum, neceſſariam eſſe credentibus etiam circumciſionẽ, ſine qua non poſſet illis contingere ſalus. Atq; hic locus Lydius lapis eſt, quo certiſſime & liberrime judicare poſſumus omnes Doctrinas, opera, cultus, ceremonias omnium hominum. Quicunq; ſive ſint Papiſtæ, ſive Iudæi, ſive Turcæ, ſive hæretici, &c. aliquid docent ad ſalutem conſequendam neceſſarium, præter fidem in Chriſtum, aut opus, cultumve aliquem inſtituunt, item Regulam, traditionem aut ceremoniam quancunq; obſervant hac opinione, quod per talia conſequi velint remiſſionem peccatorum, juſticiam & vitam æternam. Hi ſententiam Spiritus ſancti contra ſe latam ab Apoſtolo hic audiunt, Quod Chriſtus illis ſimpliciter non proſit. Et Paulus, quod eſt valde mirum, iſtam ſententiam audet ferre contra Legem & circumciſionem divinitus traditam, quid non auderet contra paleas traditionum humanarum?

Ecce, Ego Paulus, &c.

Iudicii plorum de omnibus doctrinis, &c.

Quare is locus terribile fulmen eſt contra totum regnum Papæ. Nam omnes ſacerdotes, monachi, eremitæ, &c. (de optimis loquor) non Chriſto, quem ſumma injuria & blaſphemia fecerunt iratum judicem, accuſatorem & damnatorem, ſed ſuis operibus, juſticiis, votis & meritis confiſi ſunt. Ideoq; audiunt hic judicium ſuum, quod Chriſtus ſit illis ocioſus. Nam ſi propria juſticia & auſteritate vitæ poſſunt abolere peccata, & mereri remiſſionem peccatorum & vitam æternam, ad quid prodeſt illis Chriſtum natum, paſſum eſſe, fudiſſe Sanguinem, reſurrexiſſe, viciſſe Peccatum, mortem, diabolum, cum ipſi iſta monſtra ſuis viribus ſuperare poſſint? Dici autem non poteſt, quanta indignitas ſit Chriſtum ocioſum reddere. Ideoq; ex magna indignatione animi & commotione ſpiritus loquitur Paulus iſta verba, Quod ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit, Id eſt, nihil prorſus utilitatis redibit ad vox ex omnibus ipſius beneficiis, ſed ea omnia fruſtra vobis exhibuit.

Quibus Chriſtus ſit ocioſus.

Ex his ſatis conſtat, nihil eſſe perniciosius ſub ſole doctrinis humanarum traditionum & operum. Quia ſemel tollunt & evertunt veritatem Evangelij, Fidem, verum cultum Dei, ipſum Chriſtum, in quo Pater conſtituit omnia, Col. 2. In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. In ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Quare qui autor eſt aut cultor doctrinæ operum, opprimit Evangelium, inanem reddit mortem & victoriam Chriſti, obſcurat ſacramenta ejus, & verum uſum ipſorum tollit, Eſtq; abnegator, hoſtis & blaſphemator Dei cum omnibus ipſius promiſſionibus & beneficiis. Quem iſta res, quod Paulus Legem Dei vocat jugum ſervitutis, quod, qui circumciſionis obſervationem neceſſariam dicunt ad ſalutem, faciant ſibi Chriſtum ocioſum, non abſterret à Lege & circumciſione, multo magis ab humanis traditionibus, fiducia propriæ juſticiæ & operum, & non invitat ad ſuſpirandam libertatem in Chriſto, ille plus quam ſaxeus & ferreus eſt.

Col. 2.

Quam vehementer obſint traditiones humanæ.

Jugum ſervitutis.

Clariſſima ergo ſententia eſt, Chriſtus inutilis, id eſt, fruſtra natus, paſſus, &c. eſt huic, qui circumciditur, id eſt, qui confidit circumciſione. Non enim agit Paulus, ut ſupra dixi, de ipſo opere per ſe, quod ſine fiducia & opinione juſticiæ nihil

Fiducia operum damnata, non ipſa opera, &c.

nihil obeſt,ſed de uſu operis,hoc eſt,de fiducia & juſticia operi adjecta. Oportet enim nos Paulum intelligere ſecundum materiam ſubjectam,ſeu ſecundum argumentum ſuſceptum, quod eſt, Lege, operibus, circumciſione,&c. homines non juſtificari. Non dicit opera per ſe nihil eſſe, ſed fiduciam & juſticiam operum, Ea enim facit Chriſtum ocioſum. Ideo qui accipit circumciſionem hac opinione, quod neceſſaria ſit ad juſtificationem, huic Chriſtus nihil prodeſt.

Hoc diligenter meminerimus in privatis tentationibus, cum Diabolus conſcientiam noſtram accuſat & perterrefacit, ut eam adigat in deſperationem. Eſt enim pater mendacij, & hoſtis Chriſtianæ libertatis, Ideo ſingulis momentis vexat nos falſis terroribus, ut conſcientia, libertate illa amiſſa, ſemper ſit in metu,ac ſentiat reatum & pavores. Cum, inquam, draco ille magnus, ſerpens antiquus,diabolus (qui ſeducit totum orbem terrarum, & accuſat fratres noſtros ante conſpectum Dei die ac nocte,Apocalyp.12.)venit & opponit tibi,quod non ſolum nihil boni feceris, ſed etiam transgreſſus ſis legem Dei, dic, Tu moleſtas me memoria præteritorum peccatorum, Deinde ſuggeris mihi, quod nihil boni fecerim. Hoc nihil ad me. Nam ſi aut bonis operibus factis confiderem, aut non factis diffiderem, utrinq; Chriſtus nihil prodeſſet mihi. Sive igitur peccata, ſive benefacta mea opponas mihi, nihil moror. Sed utrisq; ex oculis remotis,ſola libertate,qua Chriſtus me liberavit,nitor. Hunc ſcio mihi utilem eſſe,Non igitur reddam eum mihi inutilem.Id quod dum fieret,ſi vel propter benefacta mea præſumerem me conſecuturum gratiam & vitam æternam, aut propter peccata mea, deſperarem de ſalute mea.

Apoc. 12.

Quid reſpondendum Diabolo cum nos tentat & accuſat, &c.

Quare diſcamus diligenter Chriſtum longiſſime diſcernere ab omnibus operibus bonis & malis,ab omnibus legibus divinis & humanis, ab omnibus afflictis conſcientiis. Huc enim Chriſtus non pertinet. Pertinet quidem ad triſtes conſcientias, non ut plus perturbet eas, ſed ut jam perturbatas rurſus erigat & conſoletur.Ideo ſi Chriſtus ſpecie irati Iudicis aut legislatoris apparuerit,qui exigit rationem transactæ vitæ, certo ſciamus eum furioſum eſſe Diabolum, non Chriſtum.Chriſtum enim Scriptura depingit noſtrum eſſe propitiatorem, interpellatorẽ & conſolatorem. Talis ſemper eſt & manet,nõ poteſt eſſe ſui diſſimilis.

Fig. Chriſti vera ſpecies.

Itaq; cum Diabolus, aſſumpta ſpecie Chriſti, ad hunc modum nobiſcum diſputat, Hoc debebas,verbo meo admonitus, facere,& omiſiſti, Illud omittere, & feciſti,Scias igitur me de te ſumpturum pœnas,&c. Nihil hoc nos moveat,ſed ſtatim cogitemus, Chriſtus hoc modo non loquitur cum deſperabundis conſcientiis,non addit afflictis afflictionem, Calamum conquaſſatum non confringit, Linum fumigans non extinguit.Dure quidem duris loquitur,ſed conterritos ſuaviſſime allicit ad ſe,Venite,inquiens, ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, &c.Non veni vocare juſtos,ſed peccatores,&c.Confide fili,remittuntur tibi peccata. Confidite,ego vici mundum. Filius hominis venit quærere & ſalvum facere quod perierat,&c. Videndum eſt igitur nobis, ne mira arte & infinitis inſidiis Satanæ decepti, ſuſcipiamus accuſatorem & damnatorem pro conſolatore & ſalvatore, atq; ita ſub larva falſi Chriſti, hoc eſt, Diaboli, verum Chriſtum amittamus,ac nosipſi eum nobis inutilem reddamus. Hæc de privatis tentationibus, quomodo in ipſis nos gerere debeamus.

Matth. 12.

Matth. 9. Iohan. 17. Luc. 19.

Teſtificor autem rurſus omni homini, qui circumciditur, quod debitor eſt univerſæ legis faciendæ.

PRIVS incommodum certe ingens eſt,quod Paulus ait, Chriſtum iis non prodeſſe,qui circumciduntur. Hoc ſequens non levius eſt, quod dicit eos, qui circumciduntur,eſſe debitores totius legis ſervandæ.Iſta verba tanto ſerio loquitur,ut etiam juramento ea confirmet, Teſtificor,&c. id eſt, per omnia ſacra juro. Poſſunt autem ambigue exponi,negativè & affirmative.Negative hoc modo, Teſtificor omni homini, qui circunciditur, quod debitor eſt totius Legis ſervandæ,

Facientes legẽ, non faciunt.

hoc

hoc eſt,quod nihil legis ſervat,Etiam in ipſo opere circumciſionis,non circumciditur, Etiam implendo legem, non implet, ſed transgreditur eam. Eaq; videtur mihi ſimplex & germana Pauli ſententia hoc loco. Infra enim cap. 6. ſeipſum exponit,dicens,Qui circumciduntur,ne ipſi quidem legem ſervant.Sic ſupra cap.3. Quicunq; ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt, q. d. Si etiam circumcidamini,non ideo eſtis juſti & liberi à lege, ſed hoc ipſo magis facti eſtis debitores & ſervi legis. Eo ipſo quo conamini ſatisfacere legi & liberari ab ea, hoc magis implicatis vos jugo ipſius,ut plus juris habeat accuſandi & damnandi vos. Hoc cancri more eſt ingredi, & ſordes ſordibus abluere. *Facientes legem,non faciunt.*

Hocq; quod dico ex Pauli verbis, ego experientia ipſa in Monaſterio didici in meipſo & aliis. Vidi multos,qui ſummo ſtudio & optima conſcientia nihil non faciebant pro pacificanda conſcientia, geſtabant cilicia, jejunabant, orabant,affligebant & defatigabant variis exercitiis corpora, quibus, ſi etiam ferrea fuiſſent,tamen ad extremum deſtruxiſſent ea,Et tamen quo plus laborabant,hoc pavidiores reddebantur. Et præſertim imminente hora mortis,adeo erant trepidantes,ut plures viderim homicidas, pœna capitis damnatos,confidentius mori, quam ipſos, qui tamen ſanctiſſime vixerant. *Obſervatione traditionum humanarum non pacificatur conſcientia.*

Itaq; veriſſimum eſt,quod facientes legem,non faciunt.Quo plus enim conantur homines ſatisfacere legi,hoc magis transgrediuntur eam. Idem ſentiendum eſt de traditionibus humanis, Quo magis conatur homo per eas pacatam reddere conſcientiam, hoc plus reddit inquietam. Ego Monachus ſtudebam ſumma diligentia vivere juxta præſcriptum Regulæ,ſolebam, ſemper tamen ante contritus, confiteri & recenſere omnia peccata mea, & ſæpe iterabam confeſſionem, ac pœnitentiam injunctam mihi ſedulo præſtabam. Et tamen conſcientia mea nunquam poterat certa reddi,ſed ſemper dubitabat,& dicebat,Hoc non feciſti recte,non fuiſti ſatis contritus,hoc inter confitendum omiſiſti,&c. Quo igitur longius conabar humanis traditionibus mederi incertæ, imbecilli & afflictæ conſcientiæ, hoc magis reddebam eam incertiorem, imbecilliorem & perturbatiorem. Atq; hoc modo obſervando traditiones humanas, plus tranſgrediebar eas, & ſectando ordinis juſticiam nunquam poteram apprehendere eam. Quia impoſſibile eſt conſcientiam reddi pacatam, inquit Paulus, operibus legis, multo minus traditionibus humanis,ſine promiſſione & Evangelio de Chriſto.

Quare cupientes juſtificari & vivificari lege, recedunt à juſticia & vita longius, quam publicani, peccatores & meretrices. Illi enim non poſſunt niti fiducia operum ſuorum, cum talia ſint, propter quæ non poſſunt confidere ſe conſecuturos gratiam & remiſſionem peccatorum. Nam ſi juſticia & opera ſecundum legem facta non juſtificant, multo minus peccata contra legem commiſſa juſtificant. Sunt igitur feliciores hac in parte juſticiariis, quia deeſt eis propriorum operum fiducia, quæ ſi non penitus tollit fidem in Chriſtum, tamen maxime eam impedit. Econtrà,Iuſticiarij abſtinentes externe à peccatis, & in ſpeciem inculpate & religioſe viventes, non poſſunt carere opinione fiduciæ & juſticiæ, cum qua ſtare non poteſt fides in Chriſtum, Ideoq; infeliciores ſunt publicanis & meretricibus, qui Deo irato non offerunt ſua bona opera, ut pro eis reddat ipſis vitam æternam (ut Operarij) cum nulla habeant, ſed ignoſci ſibi ſua peccata propter Chriſtum petunt,&c. *Fiducia operum tollit, aut certe impedit fidem.*

Qui igitur facit Legem hac opinione, quod per eam vult juſtificari, is debitor eſt totius Legis faciendæ,hoc eſt,ne quidem unam literam Legis fecit.Neq; etiam data eſt Lex hoc fine ut juſtificet, ſed ut oſtendat peccatum, terreat, accuſet, & condemnet. Ideo quo magis aliquis ſtudet Lege & operibus conſulere conſcientiæ, hoc magis reddit eam incertam & confuſam. Rogentur omnes Monachi, qui ſerio laborant acquirere pacem conſcientiæ ſuis traditionibus,an certo ſtatuere poſſint, ſuum vitæ genus Deo placere ac propter illud ſe in Gratia eſſe coram Deo? Si fateri volunt veritatem, reſpondebunt, Ego quidem inculpate *Legis uſus.*

vivo,& ſumma diligentia obſervo Ordinem meum, Sed certo affirmare non poſſum,an iſta mea obedientia Deo placeat,nec ne. In Vitis Patrum legitur de Arſenio (cujus & ſupra memini) Is quanquam longo tempore vixerat in ſumma ſanctitate & abſtinentia, tamen cum ſentiret jam non longe abeſſe mortem, cœpit vehementer timere & mœrore affici. Interrogatus cur timeret mortem,cum totam ſuam vitam ſancte tranſegiſſet & Deo indeſinenter ſerviiſſet? Reſpondit, ſe quidem ſecundum judicium hominum vixiſſe inculpate, Sed alia eſſe Dei judicia quam hominum. Ille ſanctitate & aſperitate vitæ ſuæ nihil aliud conſecutus eſt, quam pavorem & horrorem Mortis. Si ſervatus eſt, oportuit eum amiſſa omni juſticia ſua, ſola miſericordia Dei niti, & dicere, Credo in Ieſum Chriſtum filium Dei, Dominum noſtrum, paſſum, crucifixum, mortuum pro peccatis meis, &c.

Arſenius.

Altera ſententia affirmativa eſt, Eum qui circumciditur, eſſe quoq; debitorem totius legis faciendæ. Qui enim Moſen in uno recipit, cogitur eum recipere in omnibus. Qui unam partem Legis neceſſario obſervat,is omnes alias ejus partes obſervare debet. Neq; juvat quod dicere velis, Circumciſionem eſſe neceſſariam,non item reliquas leges Moſi. Eadem conſequentia,qua teneris ad circumciſionem,teneris etiam ad totam legem. Servare autem totam legem, nihil aliud eſt,quam facto oſtendere quod Chriſtus nondum venerit. Si hoc verum eſt, obſervari debent omnes Iudaicæ ceremoniæ & leges de cibis, locis, temporibus, & adhuc expectandus eſt Chriſtus, qui, antiquato Iudæorum regno & ſacerdotio,inſtituat novum regnum per totum orbem terrarum.Sed tota ſcriptura teſtatur & res ipſa indicat,Chriſtum jam veniſſe,ſua Morte genus humanum redemiſſe,legem abrogaſſe,& omnia quæ omnes Prophetæ de eo prædixerunt,adimpleſſe. Ergo ſublata lege, Gratiam & veritatem donavit. Non igitur lex neq; opera ejus,ſed fides in Chriſtum,qui jam venit, juſtificat.

Qui Moſen in uno recipit,in omnibus cogitur recipere.

Quidam hodie eodem modo,quo tum Pſeudoapoſtoli,aſtringere nos voluerunt ad quaſdam leges Moſi, quæ ipſis placebant. Hoc nequaquam ferendum eſt. Nam ſi permiſerimus in parte aliqua Moſen dominari nobis, totum ejus imperium ferre cogimur, Ideo nulla prorſus Lege Moſi patimur nos premi. Admittimus quidem Moſen legendum & audiendum à nobis ut prædictorem & teſtem Chriſti. Deinde ut petamus ex eo exempla optimarum legum & morum. Cæterum dominium in conſcientiam nullo modo concedimus ei, Ibi mortuus & ſepultus eſto,nemoq; ſciat, ubi ſepulchrum ejus ſit.

Chriſtiani liberi ſunt à politia Moſi.

Prior ſententia,negativa ſcilicet, ſpiritualior & aptior eſſe mihi videtur,utraq; tamen bona eſt, & juſticiam legis damnat. Primum, tantum abeſſe, ut lege juſtificemur, ut quo plus conemur legem implere, hoc magis transgrediamur eam. Deinde qui partem legis vult facere,eum eſſe debitorem totius legis faciendæ,Summa,Chriſtum nihil prodeſſe iis,qui lege juſtificari volunt.Ex his ſequitur,Paulum his omnibus ſignificare,legem eſſe negationem Chriſti. Mira autem res eſt,quod Paulus affirmare audet, legem Moſi,divinitus traditam populo Iſraël,eſſe negationem Chriſti. Quare igitur tulit eam Deus? Ante adventum Chriſti,cum adhuc expectabatur venturus in carnẽ, neceſſaria erat .Eſt enim lex pædagogus noſter ad Chriſtum. Iam autem exhibito Chriſto,quatenus in eum credimus,non amplius ſub pædagogo ſumus. De hac re ſatis copioſe diximus ſupra in fine cap. 3. Itaq; qui legem neceſſariam ad juſticiam docet, negationem Chriſti & omnium beneficiorum ejus docet,Deum mendacem facit,imo ipſam quoq; legem mendacem facit.Ea enim teſtis eſt promiſſionum de Chriſto,ac prædixit, Chriſtum non legis,ſed Gratiæ Regem futurum.

Qui legem tenentur juſtificari, negant Chriſtum.

Evacuati eſtis à Chriſto qui in lege juſtificamini.

HIC Paulus ſeipſum exponit,ſe non loqui de Lege aut opere circumciſionis ſimpliciter,ſed de fiducia & opinione juſtificationis per eam,q.d.Non damno circumci-

Paulus non damnat circumciſionem ſimpliciter, ſed fiduciam in eam.

circumciſionem aut Legem ſimpliciter. Liget enim mihi edere, bibere, converſari cum Iudæis ſecundum Legem, Licet mihi circumcidere Timotheum, &c. Sed velle juſtificari per Legem, quaſi Chriſtus nondum venerit, aut jam præſens, ſolus juſtificare non poſſit, hoc damno, Hoc enim eſt evacuari à Chriſto. Itaq; dicit, Evacuati eſtis, id eſt, eſtis Pharaones, hoc eſt, liberi à Chriſto, Chriſtus deſiit in vobis eſſe & operari. Nihil habetis amplius de cognitione, Spiritu, affectu, favore, libertate, vita, actione Chriſti, ſed prorſus ſeparati eſtis ab ipſo, ut nihil negocij ſit ei amplius vobiſcum, nec vobis cum ipſo.

Illud diligenter obſervandum & inculcandum eſt, quod Paulus dicit, Per legem velle juſtificari, nihil aliud eſſe, quam ſeparari à Chriſto & plane eum nobis fieri ocioſum. Quid potentius dici poteſt contra legem? Quid opponi poteſt iſti fulmini? Ergo impoſſibile eſt Chriſtum & legem ſimul habitare in corde. Aut enim legem, aut Chriſtum cedere oportet. Si vero in ea perſuaſione es, Chriſtum & fiduciam Legis cohabitare poſſe in corde, Tum certo ſcias, non Chriſtum, ſed Diabolum in corde tuo habitare, ſub larva Chriſti accuſantis & perterrefacientis te, ac exigentis legem & opera ejus ad juſticiam. Verus enim Chriſtus, ut paulo ante etiam dixi, non expoſtulat tecum propter peccata tua, nec jubet te confidere benefactis tuis. Et vera cognitio Chriſti ſeu fides non diſputat, Vtrum feceris bona opera ad juſticiam, aut mala ad damnationem. Sed ſimpliciter ita ſtatuit, Sive feceris bona opera, non ideo juſtificaris, ſive feceris mala, non ideo damnaris. Non detraho bonis operibus ſuam gloriam, nec mala laudo. Sed in cauſa juſtificationis dico videndum eſſe, quomodo Chriſtum retineam, ne ocioſus mihi fiat, ſi juſtificari Lege cupiam. Chriſtus enim ſolus me juſtificat contra opera mea mala, & ſine operibus meis bonis. Si ſic de Chriſto ſentio, verum Chriſtum apprehendo. Si autem judico eum exigere à me legem & opera ad juſticiam, factus eſt mihi ocioſus, ac ego ab eo evacuatus ſum.

Chriſtus & lex non cohabitant.

Vera fides.

Horribiles ſunt hæ ſententiæ, & comminationes contra juſticiam Legis & propriam. Deinde ſunt etiam certiſſima principia, quæ articulum de juſtificatione confirmant. Eſt igitur finalis hæc concluſio, Aut Chriſtum amitte, aut juſticiam legis. Si Chriſtum retines, juſtus es coram Deo. Si legem, Chriſtus nihil tibi prodeſt, debitor es totius legis ſervandæ, habesq; ſententiam tuam, Maledictus omnis, qui non &c. Simili modo dicimus de traditionibus humanis, ut jam de lege diximus, Aut Papa amittat cum ſuis religioſis omnia, quibus hactenus conſiſus eſt, aut Chriſtus erit eis ocioſus. Ex his facile judicari poteſt, quam pernicioſa & peſtilens fuerit doctrina Papiſtica. Ea enim longiſſime nos à Chriſto abduxit, & plane eum nobis ocioſum fecit. Deus in Ierem. cap. 23. conqueritur, Prophetas vaticinari mendacium, & prophetare ſeductiones cordis ſui, hocq; ideo, ut obliviſcatur populus ſuus nominis ſui, &c. Vt igitur Pſeudoprophetæ, omiſſa germana interpretatione legis, & doctrina de ſemine Abrahæ, benedictore omnium Gentium, prædicaverunt ſua ſomnia, ut populus obliviſceretur Dei ſui. Ita Papiſtæ obſcurato & oppreſſo Evangelio de Chriſto, ut amplius nullus ejus eſſet uſus, tantum doctrinam operum urſerunt, qua totum mundum longiſſime abduxerunt à Chriſto. Qui iſta ſerio conſiderat, non poteſt non exhorreſcere.

Aut Chriſtus amittendus aut lex.

Papa doctrina abducit à Chriſto, & eum ociſum nobis facit.

Ierem. 23.

A gratia excidiſtis.

Id eſt, Non amplius eſtis in regno Gratiæ. Vt enim is, qui eſt in navi, quacunq; tandem parte excidit in mare, ſubmergitur. Ita qui excidit à Gratia, non poteſt non perire. Velle ergo juſtificari Lege, eſt naufragium facere, & ſe in certiſſimum diſcrimen æternæ mortis conjicere. Quæ autem poteſt eſſe major inſania & impietas, quam velle amittere gratiam & favorem Dei, & legem Moſi retinere, qua retenta, neceſſe eſt ut accumules tibi iram & omnia mala? Si autem excidunt à Gratia, qui lege morali volunt juſtificari, Quo collabuntur, quæſo, Iuſticiarij, qui traditionibus & votis ſuis juſtificari volunt? Ad ima tartara. Imo evehuntur

Lege juſtificari velle, &c.

in cœlum. Sic enim docuerunt ipſi, Quicunq; incedunt juxta regulam Franciſci, &c. pax & miſericordia Dei ſuper eos. Item, qui obſervaverit caſtitatem, obedientiam, &c. habebit vitam æternam. Tu poſthabitis illis inanibus & impiis nugis, attende quid Paulus hic doceat. Deinde quid Chriſtus dicat, Qui, inquit, credit filio Dei, habet vitam æternam. Qui vero non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Item, Qui non credit, jam judicatus eſt. *Iohan. 3.*

Regnum Papæ traditionibus humanis confirmatum.

Doctrina Papiſtarum, ut obiter hoc moneam, de Traditionibus humanis, operibus, votis, meritis, &c. ut erat vulgatiſſima in mundo, Ita putabatur eſſe optima & certiſſima, qua & Diabolus per Papam regnum ſuum conſtituit & confirmavit potentiſſime. Ideo non mirum eſt, cum hodie à nobis potentia verbi Dei impugnatur & diſpellitur, ceu palea à vento, quod Satan tam atrociter ſævit, omnia turbis & ſcandalis replet, ac concitat in nos totum mundum. Ergo dicat aliquis, ſatius fuiſſet tacuiſſe, tum nihil talium malorum fuiſſet exortum? Nos pluris facere debemus favorem Dei, cujus gloriam prædicamus, quam furorem Mundi perſequentis nos. Quid enim Papa & totus Mundus ad Deum? quem certe magnificare & præferre debemus omnibus creaturis. Deinde impii exaggerant tumultus & ſcandala, quæ Satan ſuſcitat ad opprimendam aut ſaltem deformandam doctrinam noſtram. Nos contra, commodum & fructum hujus doctrinæ inæſtimabilem amplificamus, quem longe præferimus omnibus turbis, ſectis & ſcandalis. Nos quidem parvuli & infirmi ſumus, geſtantes theſaurum cœleſtem in teſtaceis vaſis. Sed quamlibet vaſa infirma ſint, tamen theſaurus infinitus & incomprehenſibilis eſt.

Excidunt à gratia qui per-ſeverantes non ſunt.

Non ſunt frigide & oſcitanter inſpicienda hæc verba, A Gratia excidiſtis. Sunt enim valde emphatica. Qui excidit à Gratia, amittit ſimpliciter expiationem, remiſſionem peccatorum, juſticiam, libertatem, vitam, &c. quam Chriſtus ſua morte & reſurrectione nobis emeruit. Et viciſſim acquirit in locum illorum, Iram & judicium Dei, peccatum, mortem, ſervitutem Diaboli ac damnationem æternam. Et hic locus fortiter munit & confirmat doctrinam noſtram de Fide, ſeu articulum juſtificationis, & nos mirabiliter conſolatur contra furores Papiſtarum, perſequentium & condemnantium nos tanquam hæreticos, quod iſtum Articulum docemus. Debebat merito iſte locus perterrefacere omnes hoſtes fidei & gratiæ, hoc eſt, omnes operarios, ut deſinerent perſequi & blaſphemare verbũ Gratiæ, vitæ & ſalutis æternæ. Sed adeo indurati & obſtinati ſunt, ut videntes non videant, & audientes hanc horribilem ſententiam contra ſe ab Apoſtolo latam, tamen non audiant. Sinamus igitur illos. Cæci enim ſunt & cæcorum duces.

Nos enim Spiritu ex fide ſpem juſticiæ expectamus.

PAVLVS hic concludit pulchro Epiphonemate, dicens, Vos juſtificari vultis Lege, circumciſione & operibus, Nos hoc modo non quærimus juſticiam, ne Chriſtus fiat nobis ocioſus, ne debitores fiamus totius Legis ſervandæ, & ne excidamus à Gratia, Sed expectamus ſpiritu ex fide ſpem juſticiæ. Singulæ voces diligenter expendendæ ſunt, Sunt enim valde emphaticæ. Non voluit tantum dicere, ut alias ſolet, Nos juſtificamur fide, aut ſpiritu ex fide, ſed adjecit, Spem juſticiæ expectamus, involvens ſimul ſpem, ut totum fidei negociũ complectatur. Cum dicit, Nos ſpiritu ex fide, &c. conſideranda eſt antitheſis in vocabulo Spiritus, q. d. Nos non quærimus juſtificari carne, ſed hoc agimus, ut Spiritu juſtificemur, Et ſic ſpiritu, ne ſit fanaticus ſpiritus, & ex ſe magiſter natus, ut hæretici ſpiritum jactant, ſed noſter ſpiritus eſt ex fide. De Spiritu & fide ſupra copioſe dictum eſt. Hic autem non ſolum dicit, Iuſtificamur Spiritu ex fide, ſed adjungit, ſpem juſticiæ expectamus, quæ nova additio eſt.

Spes dupliciter accipitur.

Spes uſu Scripturæ dupliciter accipitur, pro re ſperata, & pro affectu ſperante. Pro re ſperata accipitur Coloſ. 1. Propter ſpem repoſitam vobis in cœlis, id eſt, rem ſperatam. Pro affectu ſperante, Rom. 8. Spes, quæ videtur, non eſt ſpes. *Coloſ. 1.* *Rom. 8.*

Nam

Nam quod videt quis, cur ſperet? Si autem quod non videmus, ſperamus, id per patientiam expectamus. Sic & hoc loco ſpes accipi poteſt dupliciter, & ſecundum hoc gignit etiam duplicem ſententiam. Prior eſt, Nos ſpiritu ex fide ſpem juſticiæ noſtræ expectamus, id eſt, juſticiam ſperatam, quæ certo revelanda eſt ſuo tempore. Altera, Nos ſpiritu ex fide expectamus ſpe & deſiderio juſticiam, hoc eſt, ſumus juſti, & tamen juſticia noſtra nondum revelata eſt, ſed pendet adhuc in ſpe, Roman. 8. Spe ſalvi facti ſumus. Donec enim vivimus hæret peccatum in carne noſtra, manet Lex in carne & membris, repugnans legi mentis noſtræ, & captivans nos in obſequium peccati. Illis affectibus carnis furentibus, ac nobis Spiritu reluctantibus, manet ibi locus ſpei. Incepimus quidem juſtificari fide, qua & primitias Spiritus accepimus, & mortificatio carnis cœpta eſt, ſed nondum perfecte juſti ſumus, Reliquum eſt, ut perfecte juſtificemur, hocq; ſperamus. Sic juſticia noſtra nondum eſt in re, ſed adhuc in ſpe.

rom. 8.

Hæc graviſſima & ſuaviſſima eſt conſolatio, qua afflictæ & turbatæ mentes, ſentientes peccatum, & pavefactæ ad quodlibet ignitum Diaboli telum, mirabiliter erigi poſſunt. In illo enim certamine conſcientiæ, ut experientia docti ſcimus, fortiter dominatur ſenſus Peccati, iræ Dei, mortis, inferni & omnium pavorum. Ibi tum dicendum eſt tentato, Tu frater vis habere juſticiam ſenſitivam, hoc eſt, cupis ita ſentire juſticiam, ut peccatum ſentis, hoc non fiet. Sed tua juſticia debet tranſcendere ſenſum peccati, & ſperare, te coram Deo juſtum eſſe, hoc eſt, Tua juſticia non eſt viſibilis, non eſt ſenſibilis, ſed ſperatur ſuo tempore revelanda. Ideo non debes judicare ſecundum ſenſum peccati, quod perterrefacit & conturbat te, ſed ſecundum promiſſionem & doctrinam fidei, qua promittitur tibi Chriſtus, qui eſt perfecta & æterna juſticia tua. Sic ſpes mea in affectu ſperante, in mediis pavoribus & ſenſu peccati provocatur & erigitur fide, ut ſperet me eſſe juſtum. Deinde ſpes, pro re ſperata, hoc quod nondum videt, ſperat perficiendum eſſe, & revelandum ſuo tempore.

Juſticia piorum non eſt ſenſibilis & viſibilis, &c.

Vtraq; ſententia bona eſt, ſed prior de affectu ſperante vberiorem affert conſolationem. Iuſticia enim mea nondum eſt perfecta neq; ſenſibilis, ideo tamen non deſpero, ſed fides monſtrat mihi Chriſtum, quo confido, Hoc fide apprehenſo, luctor cum ignitis telis Diaboli, & animor per ſpem contra ſenſum peccati, ſtatuens perfectam juſticiam mihi paratam in cœlo. Sic utrumq; verum eſt, quod hic juſtus ſum juſticia incipiente, & in ea ſpe erigor contra peccatum, & expecto conſummationem perfectæ juſticiæ in cœlo. Hæc tum recte intelliguntur, cum ad uſum transferuntur.

QVOD SIT DISCRIMEN INTER FIDEM ET SPEM.

Hic quæſtio oritur, quid interſit inter fidem & ſpem. Hac in re valde ſudaverunt Sophiſtæ, ſed nihil certi oſtendere potuerunt. Nobis, qui tamen diligentiſſime verſamur in ſacris literis, & longe majori (abſit verbo invidia) ſpiritu & intelligentia eas tractamus, difficile eſt aliquod diſcrimen invenire. Tantam enim cognationem inter ſe habent fides & ſpes, ut hæc ab illa divelli non poſſit. Et tamen aliquod diſcrimen inter ipſas eſt, quod ab officiis, contrariis & finibus ipſarum ſumendum eſt.

I. Differunt ſubjecto, quia fides eſt in intellectu, ſpes in voluntate. Re tamen ſeparari non poſſunt, reſpiciunt enim ſe mutuo, ut duo Cherubim propiciatorij.

II. Officio, quia fides dictat, dirigit & docet, eſtq; notitia. Spes exhortatio eſt, quia excitat animum, ut ſit fortis & erectus, ut audeat, ferat, perduret in malis, ac in illis expectet meliora.

III. Objecto, Quia fides habet objectum Veritatem, cui certo & firmiter docet adhærendum eſſe, & intuetur in verbum rei ſeu promiſſiones rerum. Spes

habet objectum Bonitatem, & intuetur in rem Verbi, hoc est, in rem promissam seu in res sperandas, quas fides dictavit suscipiendas.

IIII. Ordine, quia fides est ante omnem tribulationem, initium vitæ, Ebræ. 11. Spes posterior, ex tribulationibus parta, Rom. 5. *Ebr. 11. Rom. 5.*

V. A contrariis, Quia fides doctor & judex est, pugnans contra errores & hæreses, judicans spiritus & doctrinas. Spes Imperator seu dux belli est, pugnans contra Tribulationem, crucem, impatientiam, tristitiam, pusillanimitatem, desperationem, blasphemiam, & expectat bona sub malis.

Quando igitur fide in verbum Dei edoctus apprehendo Christum, & tota fiducia cordis (quod tamen sine voluntate fieri non potest) credo in eum, hac notitia justus sum. Sic fide seu hac notitia me justificato, statim venit diabolus, mendacij pater, & nititur extinguere fidem dolis, hoc est, mendacio, erroribus, hæresibus. Deinde, quia homicida est, conatur eam etiam vi opprimere. Ibi spes luctans apprehendit rem fide dictatam, fit animosa & vincit Diabolum impugnantem Fidem, quo victo, sequitur pax & gaudium in Spiritu sancto. Reipsa igitur fides & spes vix discerni possunt, & tamen est aliquod discrimen inter ipsas. Hoc, ut facilius agnosci possit, declarabo rem similitudine. In Politia differunt prudentia & fortitudo, tamen ita conjunctæ sunt hæ virtutes, ut facile divelli non possint. Est autem fortitudo constantia animi, quæ in adversis non desperat, sed fortiter perdurat, & expectat meliora. Nisi autem fortitudo dirigatur prudentia, temeritas est. Et vicissim, nisi ad prudentiam accesserit fortitudo, prudentia vana & inutilis est. Sicut igitur in politia, prudentia sine fortitudine vana est, Ita fides in Theologia sine spe nihil est, Quia spes fert & perdurat in malis, ac vincit ea. Et viciſſim, sicut fortitudo sine prudentia temeritas est, Ita spes sine fide præsumptio in spiritu & tentatio Dei est. Caret enim notitia veritatis vel Christi, quam fides docet, ideo cæca & temeraria fortitudo est. Quare primum omnium pius habere debet rectam opinionem & intellectum fidei informatum, secundum quem in afflictionibus regatur animus, ut speret in malis optima, quæ fides dictavit & docuit.

Eadem est differentia fidei & spei in theologia, quæ est prudentiæ & fortitudinis in politia.

Fides igitur est dialectica, quæ concipit ideam omnium credendorum. Spes rhetorica, quæ amplificat, urget, exhortatur & persuadet ad constantiam, ne fides in tentatione succumbat, sed retineat verbum, & firmiter illi adhæreat. Sicut autem Dialectica & Rhetorica distinctæ artes sunt, & tamen adeo inter se cognatæ, ut altera ab altera separari non possit (Quia Rhetor sine dialectica nihil firmi docere potest, Et econtrà Dialecticus sine rhetorica non afficit auditores, Vtranq; vero conjungens docet & persuadet) Ita fides & spes distincti affectus sunt. Fides enim aliud est quam spes, & spes aliud quam fides; Et tamen propter magnam cognationem, quam habent inter se, divelli non possunt. Vt igitur dialectica & rhetorica mutuas sibi invicem operas tradunt, Ita fides & spes. Est igitur ea distinctio fidei & spei in theologia, quæ est intellectus & voluntatis in philosophia, prudentię & fortitudinis in politia, dialectices & rhetorices in sermone.

Fides dialectica, Spes rhetorica.

Discrimen inter fidem & spem.

Summa, Fides docendo concipitur, Ibi enim instruitur animus quid veritas sit, Spes autem exhortando, Quia exhortatione excitatur spes in afflictionibus, quæ confortat jam fide justificatum, ne cedat malis, sed contra audentior eat, Sed nisi facula fidei luceret voluntati, non posset ei persuaderi spes. Habemus igitur fidem, qua docemur, sapimus, intelligimus cœlestem sapientiam, apprehendimus Christum, & manemus in ipsius gratia. Adhærentibus nobis Christo fide, & eum confitentibus, statim insurgunt contra nos hostes, Mundus, caro, Diabolus, odientes & persequentes nos acerrime in corpore & spiritu. Ideo sic credentes, justificati Spiritu ex fide, expectamus spem justiciæ nostræ. Expectamus autem per patientiam, Quia omnino contrarium videmus & sentimus. Mundus enim cum suo principe Diabolo foris & intus nos omni genere malorum impugnat. Deinde hæret adhuc in nobis peccatum, quod subinde contristat nos. In his tamen

tamen omnibus non defatigamur nec deficimus, ſed fortiter erigimus voluntatem fide,quæ illuminat,docet & regit voluntatem. Atq; ita conſtantes permanemus,& ſuperamus omnia mala per eum, qui dilexit nos, donec reveletur juſticia noſtra,quam credimus & ſperamus.

Fide ergo incepimus,ſpe perduramus, revelatione totum habebimus. Interim dum vivimus, quia credimus, docemus Verbum, & propagamus cognitionem Chriſti in alios. Hoc facientes perſecutionem patimur(Iuxta illud.Credidi, ideo locutus ſum,Ego autem humiliatus ſum nimis) patientes, fortiter erigimur ſpe,exhortante nos Scriptura ſuaviſſimis & conſolatione pleniſſimis promiſſionibus,quas fides docuit. Atq; ita naſcitur & creſcit in nobis ſpes,Rom. 15. Vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Ideo non ſine cauſa conjungit Paulus patientiam in tribulationibus cum ſpe,Rom. 5. 8. & alibi, illis enim excitatur ſpes. Contra fides, ut & ſupra monuimus, prior eſt ſpe, Eſt enim initium vitæ,& incipit ante omnem tribulationem. Diſcit enim & apprehendit Chriſtum ſine cruce, Cognitionem tamen Chriſti ſtatim ſequitur crux & pugna. Ibi tum exhortandus eſt animus ad fortitudinem ſpiritus (Spes enim nihil aliud eſt, quam fortitudo theologica, ut è contra fides eſt prudentia theologica) quæ ſita eſt in ferendo. Iuxta illud, Vt per patientiam,&c. Manent ergo tria illa,Fides docet veritatem,ac defendit ab erroribus & hæreſibus, Spes fert & vincit omnia mala corporalia & ſpiritualia,Charitas,ut in textu ſequitur,facit omnia bona. Sic homo intus & foris integer & perfectus eſt in hac vita, donec reveletur juſticia, quam expectat,Ea erit conſummata & æterna.

Pſal. 115.

Rom. 15.

Rom. 5. 8.

Fides prior eſt ſpe.

Fides.

Spes.

Charitas.

Porro hic locus graviſſimam & doctrinam & conſolationem continet. Doctrina eſt,quod non per opera,ritus,ſacrificia & totum illum cultum Moſaicæ legis, multo minus per opera & traditiones humanas juſtificemur, ſed per ſolum Chriſtum. Quicquid præter hunc in nobis eſt,ſive ſit Lex,opus, paſſio, ſive intellectus,voluntas,&c.caro eſt,non Spiritus. Quicquid igitur mundus habet optimum & ſanctiſſimum extra Chriſtum,peccatum,error & caro eſt. Itaq; circumciſio, obſervatio legis,item opera, religiones, vota Monachorum & omnium juſticiariorum,carnalia ſunt. Nos vero, inquit Paulus, longe ſupra iſta omnia verſamur in Spiritu. Quia per fidem tenemus Chriſtum, & in tribulatione expectamus ſpe eam juſticiam,quam fide jam poſſidemus. Conſolatio hæc eſt,ut in ſeriis pavoribus (in quibus adeo magnus & fortis eſt ſenſus peccati,triſticiæ, deſperationis,&c. penetrant enim & occupant omnia interiora cordis) non ſequaris ſenſum tuum,Alioqui dices,Sentio vehementes terrores legis,& tyrannidem peccati,non ſolum rebellantis mihi, ſed omnino captivantis me, nullam conſolationem aut juſticiam ſentio,ergo peccator,non juſtus ſum. Si peccator, ergo reus æternæ mortis. Contra hunc ſenſum nitere & dic, Etiamſi ſentiam me prorſus oppreſſum & abſorptum peccato,& cor dicet Deum averſum & iratum, Tamen reipſa hoc non eſt verum,niſi quia ſenſus meus ita judicat. Verbum Dei, quod in iſtis pavoribus ſequi debeo,non ſenſum meum,longe diverſum docet,Deum ſcilicet prope adeſſe iis,qui tribulato ſunt corde,& humiles ſpiritu ſalvare. Itẽ,Non deſpicere eum cor contritum & humiliatum. Deinde Paulus hic docet,Iuſtificatos Spiritu ex fide,ſpem juſticiæ nondum ſentire,ſed expectare adhuc.

Doctrina.

Conſolatio contra ſenſum iræ juſticiæ ſpiritus.

Quare cum Lex accuſat & peccatum perterrefacit te,& nihil ſentis,quam iram & judicium Dei,ne ideo deſperes, ſed arripias armaturam Dei,ſcutum fidei, galeam ſpei & gladium Spiritus, & experire quam bonus & fortis ſis bellator. Fide apprehende Chriſtum, Dominum Legis & peccati, & omnium quæ illa comitari ſolent. In hunc credens juſtificatus es (Id quod ratio & ſenſus cordis tui tibi tentato non dicit, ſed verbum Dei) Deinde in iſtis pugnis & terroribus, qui ſubinde redeunt & exercent te, per ſpem patienter expecta juſticiam, quam nunc fide habes, ſed tantum inceptam & imperfectam, donec ea ſuo tempore reveletur perfecta & æterna. At non ſentio me habere juſticiam, aut ſaltem

tenuiter ſentio. Non ſentire,ſed credere debes te juſticiam habere. Et niſi credideris te eſſe juſtum, inſigni contumelia & blaſphemia afficis Chriſtum, qui te mundavit Lavacro aquæ per Verbum, qui deniq; mortuus in cruce, peccatum & mortem condemnavit & occidit, ut per ipſum conſequereris æternam juſticiam & vitam. Iſta negare non potes (niſi velis eſſe palam impius & blaſphemus, & prorſus contemnere Deum,omnia promiſſa divina,Chriſtum & omnia ipſius beneficia) ideo neq; te juſtum eſſe negare potes.

Diſcamus igitur in magnis & horribilibus terroribus, ubi conſcientia nihil ſentit præter peccatum, & judicat Deum eſſe iratum & Chriſtum averſum, non eſſe conſulendum cordis noſtri ſenſum, ſed verbum Dei conſu'endum eſſe, quod dicit,Deum non iraſci,ſed reſpicere ad afflictos,contritos ſpiritu & trementes ad ſermonem ipſius. Chriſtum non avertere ſe à laborantibus & oneratis,ſed *Iſa. 66.* eos refocillare,&c. Docet igitur hic locus clare, legem & opera non afferre juſticiam & conſolationem, ſed hoc ipſum facere Spiritum in fide Chriſti,qui excitat ſpem in ipſis pavoribus & tribulationibus, quæ fert & vincit mala. Perpauci norunt, quam imbecillis & exigua ſit fides & ſpes in cruce & lucta. Apparet enim tum eſſe linum fumigans,quod jam jam extincturus ſit fortis ventus. Sed credentes in illis pugnis & terroribus contra ſpem in ſpem, hoc eſt, pugnantes fide in promiſſionem Chriſti,contra ſenſum peccati & iræ Dei,experiuntur poſtea iſtam ſcintillam fidei perexiguam,ut apparet rationi,quia eam vix ſentit,fore velut elementarem ignẽ,qui implet totum cœlum,& abſorbet omnes terrores& peccata.

Theſaurus piorum. Vere pij in toto orbe terrarum nihil charius & precioſius habent hac doctrinâ. Quia tenentes eam hoc noverunt, quod totus mundus ignorat, Nempe peccatum & mortem & alias calamitates ac mala corporalia & ſpiritualia electis cedere in bonum. Item noverunt Deum tum proxime adeſſe, cum longiſſime apparet abeſſe. Tum maxime eſſe miſericordem & ſalvatorem, cum videtur maxime iraſci, affligere & perdere. Norunt tum ſe habere juſticiam æternam,quam ut certiſſimam poſſeſſionem ſpe expectant,repoſitam in cœlis, cum maxime ſentiunt terrores peccati & mortis. Tum ſe eſſe dominos omnium, cum omnium ſunt egentiſſimi, Iuxta illud, Nihil habentes,omnia poſſidentes. Hoc vocat ſcriptura conſolationem concipere per ſpem. Sed illa ars ſine crebris & magnis tentationibus non diſcitur.

Nam in Chriſto Ieſu neq; circumciſio aliquid valet, neq; præputium, Sed Fides per Charitatem efficax.

Sophiſtarum doctrina de juſtificatione. HVNC locum Sophiſtæ trahunt ad ſuam ſententiam, qua docent nos charitate ſeu operibus juſtificari. Dicunt enim,fidem, etiamſi ſit infuſa divinitus (de acquiſita taceo) non juſtificare, niſi ſit informata per charitatem. Quia charitatem vocant gratiam gratum facientem, hoc eſt, juſtificantem (ut noſtro verbo, ſeu Pauli potius, loquar) Charitatem deinde acquiri noſtro merito congrui,&c. Quin hoc affirmant,Fidem etiam infuſam ſtare poſſe cum peccato mortali. Adeo in totum transferunt juſtificationem à fide,& ſoli tribuunt (hac ratione) charitati. Atq; hoc volunt hoc loco per S. Paulum demonſtratum habere,Fides quæ per charitatem operatur. Quaſi Paulus velit dicere,Ecce,Fides non juſtificat,imo nihil eſt,niſi accedat operatrix charitas,quæ fidem informet.

Verum hæc omnia monſtra ſunt,per homines ignavos conficta. Quis enim ferat doceri, Quod fides, donum Dei per Spiritum ſanctum infuſum cordibus, poſſit ſtare cum peccato mortali? Si de fide acquiſita ſeu hiſtorica & naturali opinione,ex hiſtoria concepta loquerentur, tolerari poſſent, Imo de hiſtorica fide recte loquerentur. At de fide infuſa ſic ſentire,hoc eſt plane confiteri ſeſe prorſus nihil de fide recte intelligere. Deinde hunc locum Pauli per coloratum (ut dicitur)vitrum legunt, & textum deformant ad ſua ſomnia. Non enim dicit Paulus, Fides,quæ per charitatem juſtificat, Nec dicit,Fides,quæ per charitatem gratum facit.

Digitized by Google

facit. Talem textum ipſi fingunt, & huic loco per vim intrudunt. Multo minus dicit, Charitas gratum facit. Non ſic dicit Paulus, ſed ſic dicit, Fides, quæ per charitatem operatur. Opera fieri dicit ex fide per charitatem, non juſtificari hominem per charitatem. At quis eſt tam rudis Grammaticus, qui non ex vocabulorum virtute intelligat, Aliud eſſe juſtificari, aliud operari? Clara enim & aperta ſunt verba Pauli, Fides per charitatem operatur. Quare manifeſtum furtum eſt, quod illi vero & germano ſenſu Pauli ſublato, pro operari, intelligunt juſtificari, & per opera juſticiam, cum etiam in morali Philoſophia fateri cogantur, opera non eſſe juſticiam, ſed à juſticia fieri opera. *Sophiſtæ deprauatores Pauli.*

Porro, Paulus hic non facit Fidem informem, & rude velut chaos, cujus nihil ſit neq; eſſe, neq; agere, Sed operationem ipſam tribuit fidei, & non charitati. Non fingens rudem quandam & informem qualitatem, Sed aſſerens efficacem & operoſam quidditatem, ac velut ſubſtantiam ſeu formam (ut vocant) ſubſtantialem. Non enim dicit, Charitas eſt efficax, Sed fides eſt efficax. Non, Charitas operatur, ſed fides operatur. Charitatem vero facit fidei velut inſtrumentum, per quod operetur. Iam quis neſcit, quod inſtrumentum habet vim, motum & actionem, non à ſeipſo, ſed à fabro, operatore ſeu agente? Quis enim diceret, Securis dat vim & motum ſecandi fabro? Navis dat vim & motum navigandi nautæ? Vel ut Eſaiæ exemplum adducam, Quis dicet, Serra trahit fabrum, & baculus levat manum? Non diſſimile eſt, quod iſti dicunt, Charitatem eſſe formam fidei, ſeu tribuere vim & motum fidei, ſeu juſtificare, cum Paulus nec opera charitati concedat, quomodo concederet juſtificationem? Certum igitur eſt, injuria magna, non ſolum Pauli, ſed ipſius quoq; fidei & charitatis, hunc locum pro charitate contra fidem eſſe depravatum. *Paulus operationem fidei tribuit, non charitati, ut Sophiſtæ.* Eſa. 10.

Sed ita accidit ignavis lectoribus, & qui ſuas cogitationes afferunt lectioni ſacratum literatum, Cum vacui accedere deberent, & ex ſacris literis referre cogitationes, Deinde verba diligenter conſiderare, præcedentia cum ſequentibus conferre, & hoc ſtudere, ut integrum ſenſum alicujus loci caperent, non truncatis vocabulis aut excerptis verbis, ſua ſomnia affingerent. Paulus enim hoc loco non agit, Quid ſit fides, aut quid coram Deo valeat. Non (inquam) de juſtificatione diſputat. Hoc enim ſuperius per totum prolixe fecit. Sed brevi velut Epiphonemate concludit, quid ſit ipſa vita Chriſtiana, dicens, In Chriſto Ieſu neq; circumciſio, neq; præputium quicquam valet, Sed fides per charitatem operoſa, Id eſt, fides non ficta neq; hypocritica, ſed vera & vivax, Ea eſt, quæ exercet & urget bona opera per charitatem. Hoc eſt tantum dicere, Qui vult eſſe vere Chriſtianus ſeu in Chriſti regno, hunc oportet eſſe vere credentem. Vere autem non credit, ſi opera charitatis fidem non ſequuntur. Et ſic utrinq; à dextris & ſiniſtris excludit à regno Chriſti hypocritas. A ſiniſtris Iudæos & operarios, dicens, In Chriſto neq; circumciſio, id eſt, nulla opera, nullus cultus, nullum prorſus vitæ genus, Sed ſola fides ſine omni fiducia operum valet. A dextris, ignavos & inertes ac deſides, quia dicunt, Si fides ſine opere juſtificat, ergo nihil operemur, Sed credamus ſolum, & faciamus quæ volumus. Non ſic impij, dicit Paulus. Verum eſt, ſine operibus ſolam fidem juſtificare, Sed de Fide vera loquor, quæ poſtquam juſtificaverit, non ſtertet ocioſa, ſed eſt per charitatem operoſa. *Vita Chriſtiana.* *Vera & vivax fides.* *Paulus à dextris & ſiniſtris excludit a regno Chriſti hypocritas.*

Igitur ſicut dixi, Totam vitam Chriſtianam Paulus hoc loco pingit, ſcilicet eſſe fidem erga Deum intus, & charitatem ſeu operæ erga proximum foris. Vt ſic homo abſolute ſit Chriſtianus, Intus coram Deo per fidem, qui operibus noſtris non indiget, Foris corã hominibus, quibus fides nihil prodeſt, ſed opera ſeu charitas. Hac igitur forma vitæ Chriſtianæ audita ſeu cognita, ſcilicet quod ſit fides & charitas (ut dixi) nondum dicitur. Quid ſit fides, Quid ſit charitas, Hæc enim alia eſt diſputatio. Nam de fide ſeu interna natura, vi & uſu fidei, ſupra diſputavit, ubi eam docuit eſſe juſticiam ſeu potius juſtificationem coram Deo. Hic conjungit charitati & operibus, id eſt, de ejus externo officio loquitur. Hic dicit *Tota Chriſtiana vita ſecundum Paulum.*

dicit eam eſſe impultricem & efficatricem bonorum operum ſeu charitatis erga proximum.

Fallacia compoſitionis & diviſionis.

Quare hunc locum nemo recte ſapiens poteſt intelligere de negocio juſtificationis coram Deo, cum loquatur de tota vita Chriſtianorum. Et eſt plane vitioſa dialectica, ſeu fallacia compoſitionis & diviſionis, ubi de parte accipitur, quod de toto dicitur. Neq; enim dialectica pati debet figuras ſynecdochas & hyperbolas, ut rhetorica facit, cum ſit magiſtra docendi, definiendi, dividendi & colligendi, quantum fieri poteſt propriiſſime. Qualis enim eſſet ea dialectica, Homo eſt anima & corpus, nec ſine anima & corpore eſſe poteſt, ergo corpus intelligit, anima ſola non intelligit? Eadem dialectica eſt, Vita Chriſtiana eſt fides & charitas, ſeu fides per charitatem efficax, ergo charitas juſtificat, non ſola fides. Sed faceſſant humana ſomnia.

Quid faciat Chriſtianum?

Hoc ſimul ex iſto loco diſcamus, quam horribiles ſint tenebræ in iſtis Ægyptiis, qui non ſolum Fidem, ſed etiam charitatem in Chriſtianiſmo contemnunt, & loco ejus ſeſe fatigant operibus electitiis, raſuris, veſtibus, cibis, & aliis infinitis perſonatibus & larvis, quibus volunt Chriſtiani videri. Sed ſtat hic libertimus Paulus apertis & diſertis verbis, Chriſtianum facit fides efficax per charitatem. Non dicit, Chriſtianum facit cucullus, jejunium, veſtis, ritus, Sed fides vera erga Deum, quæ diligit proximum & benefacit, ſive ſit ſervus, Dominus, Rex, Pontifex, vir, mulier, purpuratus, pannoſus, carnibus veſcens, piſcibus utens. Nihil, nihil horum facit Chriſtianum, Sed fides & charitas, Cætera ſunt omnia mendacia & mera idolatria. Et tamen nihil eſt contemptius ea ipſa Fide & charitate apud eos, qui Chriſtianiſſimi eſſe volunt, & plane Eccleſia ſanctior, quam ipſa Dei ſancta Eccleſia. Rurſus ſuas larvas & figmenta electiciorum operum admirantur & jactant, ſub quibus alunt & tegunt horribiles ſuas idolatrias, impietates, avaritias, immunditias, odia, homicidia, & totius inferni & Diaboli regnum. Tam potens eſt violentia hypocriſis & ſuperſtitionis in omnibus ſeculis ab initio usq; ad finem mundi.

Currebatis bene, Quis vos impedivit veritati non obedire? &c.

Hæc plana ſunt. Affirmat Paulus ſe jam recte docere, & idem docere quod antea docuit, Ipſos autem bene cucurriſſe quidem antea, cum veritati obedirent, hoc eſt, recte credidiſſe & vixiſſe, non autem nunc, poſtquam à Pſeudoapoſtolis ſeducti ſunt. Porro nova phraſi hic utitur, qua Chriſtianam vitam curſum appellat. Ebræis enim currere ſeu ambulare dicitur vivere aut converſari. Currunt doctores & diſcentes, quando hi pure docent, illi verbum cum gaudio ſuſcipiunt, & utrinq; fructus ſpiritus ſequuntur. Id quod præſente Paulo fiebat, ut ſupra cap. 3. & 4. teſtatus eſt. Et hic, Bene currebatis, hoc eſt, Omnia apud vos erant in felici ſtatu & ſucceſſu, vivebatis optime, contendebatis recta ad vitam æternam, quam vobis pollicebatur Verbum, &c. Hæc verba, Currebatis bene, continent magnam conſolationem. Pios exercet iſta tentatio, quod vita ipſorum videtur pigra & magis reptatio quędam, quam curſus. Sed ſi perſtant in ſana doctrina & ſpiritu ambulant, nihil moveat eos, quod eorum actiones videantur lente progredi, ſeu potius reptare. Deus longe aliter judicat. Nam quod nobis tardum videtur aut vix reptare, hoc illi velociter currit. Item quod in oculis noſtris Triſticia, luctus, mors eſt, hoc apud Deum eſt gaudium, riſus & beatitudo. Hinc Chriſtus dicit, Beati qui lugetis, ploratis, &c. quia conſolationem accipietis, ridebitis, &c. Credentibus in filium Dei cedunt omnia in bonum, ſive ſit triſticia ſive mors. Sunt ergo veri curſores, & quicquid faciunt currit & feliciter progreditur, provehente hoc Chriſti ſpiritu, qui neſcit tarda molimina.

Chriſtiana vita eſt curſus, &c.

Quod nobis reptat, Deo currit, &c.

Quis vos impedivit veritati non obedire?

In hoc curſu impediuntur, qui à Gratia & Fide ad legem & opera deficiunt, ut accidit Galatis, perſuaſis & ſeductis à Pſeudoapoſtolis, quos recte perſtringit his

git his verbis,Quis vos impedivit,&c. Simili modo ſupra cap. 3. dixit, Quis vos faſcinavit,ut non obediretis veritati? Obiter etiam hic Paulus indicat,tam vehementer homines falſa doctrina dementari,ut mendacium & hæreſes pro veritate & ſpirituali doctrina ſuſcipiant,& viciſſim ſanam doctrinam, quam primum amaverunt,eſſe erroneam,& ſuum errorem eſſe ſanam doctrinam jurent ac totis viribus defendant. Sic Galatas primum optime currentes duxerunt Pſeudoapoſtoli in eam opinionem, ut crederent ſe prius, cum Paulo uſi fuerant doctore, erraſſe & tardiſſime inceſſiſſe. Poſtea vero ſeducti à Pſeudoapoſtolis,cum toto cœlo aberrarent à veritate,ita faſcinati ſunt falſa ipſorum perſuaſione, ut putarent omnia ſua in feliciſſimo progreſſu & curſu eſſe. Hoc idem accidit hodie illis,quibus ſpiritus fanatici impoſuerunt,&c. Ideo ſæpe ſoleo dicere,caſum in doctrina non eſſe humanum, ſed diabolicum, nempe è ſublimi cœlo ad ima tartara, quia homines perſeverantes in errore, tantum abeſt ut agnoſcant peccatum ſuum, ut etiam defendant illud eſſe ſummam juſticiam, Impoſſibile eſt igitur eos conſequi veniam.

Falſa doctrina dementat homines.

Lapſus in doctrina diabolicus, &c.

Perſuaſio hæc non ex eo eſt, qui vocat vos.

HAEC inſignis eſt conſolatio & doctrina,qua docet Paulus,quomodo ſeductis per impios doctores, falſæ perſuaſiones eximendæ ſint. Pſeudoapoſtoli erant magni viri,longe ſuperantes in ſpeciem Paulum doctrina & pietate. Hoc fuco decepti Galatæ,cum audirent ipſos,putabant ſe Chriſtum audire,ideoq; judicabant perſuaſionem ipſorum eſſe ex Chriſto. Contra Paulus ſubobſcure & verecunde indicat hanc perſuaſionem & doctrinam non eſſe ex Chriſto, qui vocaverat eos in Gratia, ſed ex Diabolo. Atq; ita multis exemit hanc falſam perſuaſionem. Sic hodie multos per hæreticos ſeductos revocamus ex errore, cum oſtendimus opiniones illorum fanaticas & impias eſſe. Deinde pertinet etiam conſolatio illa ad omnes afflictos,qui tentati falſam opinionem de Chriſto concipiunt. Eſt enim Diabolus perſuaſor mirificus, qui viliſſimum & pene ridiculum peccatum ita inflare novit, ut tentatus putet eſſe atrociſſimum crimen, dignum æterno ſupplicio. Hic erigendus eſt ad hunc modum conturbatus animus, quo Paulus Galatas erexit,Nempe iſtam cogitationem ſeu perſuaſionem non eſſe ex Chriſto, cum ea pugnet contra verbum Evangelij, quod pingit ipſum Chriſtum non accuſatorem, durum exactorem,&c. ſed mitem, humilem corde, miſericordem ſalvatorem & conſolatorem.

Autoritas Pſeudoapoſtolorum.

Conſolatio pro iis qui falſam opinionem de Chriſto concipiunt.

Si vero Satan hoc evertit (eſt enim mille artifex) & opponit verbum & exemplum Chriſti, hoc modo, Chriſtus quidem mitis, benignus,&c. eſt, ſed juſtis & ſanctis, Contrà peccatoribus minatur iram ac perditionem,Luc.13. Item pronuntiat incredulos jam eſſe damnatos,Iohan. 3. Deinde,Chriſtus multa bona operatus eſt,multa mala pertulit, & jubet nos imitari exemplum ſuum. Tua vero vita neq; verbo neq; exemplo Chriſti reſpondet, quia peccator & incredulus es, Deniq; nihil boni feciſti,&c. Ideo ſententiæ quæ pingunt Chriſtum judicem,&c. ad te pertinent, non conſolatoriæ de Chriſto ſalvatore,&c. Ibi hoc modo conſoletur ſeipſum tentatus. Scriptura proponit Chriſtum dupliciter, Primum ut Donum. Si hoc modo apprehendero eum, nihil plane mihi deeſſe poterit. In Chriſto enim ſunt omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Is quantus quantus eſt, à Deo mihi factus eſt Sapientia, juſticia, ſanctificatio & redemptio, Etiamſi igitur multa & grandia peccata commiſerim, tamen ſi crédidero in eum, omnia abſorbentur à juſticia ipſius,&c. Deinde ſcriptura proponit etiam eum ut exemplum nobis imitandum. Sed hunc exemplarem Chriſtum non patiar mihi proponi, niſi in die læticiæ, cum ſum extra tentationes (ubi vix milleſimam partem exempli ipſius poſſum aſſequi) ut habeam ſpeculum, in quo quantum adhuc mihi deſit, contempler, ne fiam ſecurus. In tempore vero tribulationis non audiam neque admittam, niſi Chriſtum donum, qui pro peccatis meis mortuus,

Luc. 13. *Iohan. 3.* *Coloſſ. 2.* *Rom. 10.*

Chriſtus donum & exemplum.

mortuus,impertiit mihi ſuam juſticiam,& hoc quod mihi deeſt in vita,pro me fecit & implevit. Ipſe enim eſt finis legis ad juſticiam omni credenti.

Iſta prodeſt noſſe,non ſolum ut ſinguli habeamus certum in tempore tentationis remedium,quo illud Venenum deſperationis,quo Satan nos inficere cogitat,devitemus, Sed etiam ut furioſis noſtri ſeculi ſectariis reſiſtamus. Anabaptiſtæ enim nihil habent ſpecioſius in tota ſua doctrina,quam quod exemplum Chriſti & crucem ita urgent, præſertim cum manifeſtæ ſint ſententiæ, quibus Chriſtus ſuis diſcipulis crucem commendat. Diſcendum eſt igitur, quo modo Sataniæ huic, in ſpeciem Angeli ſe transformanti, reſiſtamus, Nempe hoc modo, ut diſcernamus inter Chriſtum, qui alias ut Donum, alias ut exemplum prædicatur. Vtraq; prædicatio habet ſuum commodum tempus, quod ſi non obſervatur,fit peſtis ex prædicatione ſalutis.

Quibus Chriſtus ut donum, quibus ut exemplum proponendus ſit.

Pavidis igitur & jam antea conterritis mole peccatorum ſuorum,Chriſtus ſalvator & donum, non exemplum & legislator, inculcandus eſt. Securis autem & induratis proponendum eſt exemplum Chriſti,& duræ ipſius ſententiæ,& horribilia exempla iræ Dei, ut diluvij, everſionis Sodomorum,&c. ut pœnitentiam agant. Diſcat igitur unusquisq; Chriſtianus, ut territus & afflictus falſam perſuaſionem, quam Satan ſuggerit, de Chriſto conceptam poſſit excutere & dicere, Quid Satan nunc de faciendo mecum diſputas? cum antea ſatis conterritus & perturbatus ſim propter facta & peccata mea, Imo cum jam laborem & oneratus ſim,non te accuſatorem & perditorem,ſed Chriſtum ſalvatorem generis humani audiam,qui dicit veniſſe ſe in mundum,ut peccatores ſalvaret,ut deſperabundos conſolaretur, captivis prædicaret liberationem,&c. Is verus & proprie dictus Chriſtus eſt, & præter illum nullus alius. Exemplum ſanctæ vitæ poſſum petere ex Abraham, Eſaia, Iohanne Baptiſta, Paulo & aliis Sanctis. Sed illi non poſſunt mihi remittere peccata,liberare à tua poteſtate & morte,ſalvare & donare vitam. Ea enim competunt ſoli Chriſto,quem Pater ſignavit Deus. Ideo non te doctorem audiam,ſed Chriſtum,de quo Pater dixit,Hic eſt Filius meus dilectus,in quo mihi bene complacitum eſt,Ipſum audite. Hoc modo diſcamus in tentatione & perſuaſione falſæ doctrinæ nos fide erigere, Alioqui aut Diabolus per ſuos miniſtros ſeducet,aut ſuis ignitis telis occidet nos.

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.

HIERONYMVS & qui eum ſecuti ſunt,notant S. Paulum quod multa ſacræ ſcripturæ dicta detorqueat in alienam ſententiam.Hinc dicunt apud Paulum pugnare,quæ ſuis locis non pugnant, Sed immerito accuſant Apoſtolum, qui recte & prudenter vel generales ſententias, particulares facit. Vt ſup. cap. 3. generalem ſententiam, Maledictus omnis, qui pendet in ligno, particularem facit, cum eam aptiſſime ad Chriſtum applicat. Vel particulares facit generales,ut hanc particularem ſententiam,Modicum fermenti,&c. generaliter accipit. Quia & ad doctrinam,ut hoc loco,ubi de juſtificatione agit, & ad vitam & ad malos mores, ut 1. Cor. 5. eam referre ſolet. 1. Cor. 5

Apoſtolus generales ſententias particulares facit, & e contra.

Tota epiſtola ſatis teſtatur, quam ægre tulerit Paulus lapſum Galatarum, quamq; crebro inculcaverit ipſis,jam objurgando,jam obſecrando,quæ maxima & inæſtimabilia mala hunc illorum lapſum ſecutura ſint,niſi reſipiſcant. Iſta paterna & Apoſtolica cura & admonitio quoſdam plane nihil movit. Pleriq; enim jam amplius non agnoſcebant Paulum doctorem ſuum, ſed longe ei præferebant Pſeudoapoſtolos,à quibus ſomniabant ſe veram doctrinam hauſiſſe,non à Paulo. Deinde procul dubio traduxerunt Pſeudoapoſtoli Paulum apud Galatas hoc modo,Eum eſſe hominem pertinacem & contentioſum, qui propter rem leviſſimam diſſueret concordiam Eccleſiarum, non ob aliam cauſam, quam quod ſolus ſapere, ſolus magnifieri vellet,&c. Ea falſa accuſatione fecerunt Paulum apud multos inviſum. Alij, qui nondum prorſus defecerant à doctrina Pauli, cogita-

Pſeudoapoſtoli traduxerunt Paulum apud Eccleſias.

cogitabant nihil periculi eſſe, ſi in doctrina de juſtificatione & fide modicum diſſentirent ab eo. Ideoque cum audiebant Paulum adeo vehementer exaggerare rem, tam levis, ut ipſis videbatur, momenti, mirabantur & cogitabant, Eſto ſane quod nonnihil diſceſſerimus à doctrina Pauli, & aliquid peccatum ſit à nobis, Tamen id modicum quiddam eſt, ideo merito ad hoc connivere, vel ſaltem tam vehementer hoc amplificare non deberet, ne illa levi occaſione ſcinderetur Eccleſiarum concordia. His reſpondet hac pulcherrima proverbiali ſententia.

Argumentum Sacramentariorum contra nos.

Modicum fermenti totam maſſam corrumpit. Eſtq; cautela, quam Paulus magnifacit. Debemus & nos eam magnifacere hac noſtra ætate. Nam Sacramentarii, qui negant corporalem præſentiam Chriſti in Cœna, objiciunt quoq; hodie nobis, Quod contentioſi, duri & intractabiles ſimus, qui propter unicum articulum de Sacramento ſcindamus Chriſtianam charitatem & concordiam Eccleſiarum. Non debere nos tanti facere hunc articulum exiguum, eumq; incertum, neque ſatis ab Apoſtolis declaratum (præſertim cum alioqui de aliis Chriſtianæ doctrinæ articulis, qui magis neceſſarii ſunt & majoris momenti, idem nobiſcum ſentiant) ut propter illum ſolum, neque totius Chriſtianæ doctrinæ, neque generalis omnium Eccleſiarum, concordiæ rationem habeamus. Iſto valde plauſibili argumento non ſolum onerant nos invidia apud ſuos, ſed etiam multos bonos ſubvertunt, qui judicant nos ex mera pertinacia, ſeu aliquo quodam privato affectu diſſentire ab ipſis. Sed hæ Diaboli ſunt inſidiæ, quibus non ſolum illum articulum, ſed totam Chriſtianam doctrinam conatur evertere.

Ad hoc ipſorum argumentum reſpondemus cum Paulo, Modicum fermenti totam maſſam corrumpit. In Philoſophia, modicus error in principio, in fine eſt maximus. Sic in Theologia modicus error totam doctrinam evertit. Quare longiſſime diſcernenda ſunt doctrina & vita. Doctrina non eſt noſtra, ſed Dei, cujus nos tantum ſumus vocati miniſtri, Ideo ne apiculum quidem de ea remittere aut mutare poſſumus. Vita noſtra eſt, ideo quod ad eam attinet, nihil poſſunt Sacramentarii à nobis exigere, quod non velimus & debeamus etiam ſuſcipere, condonare & ferre, Salva tantum doctrina & fide, de qua ſemper dicimus hoc Pauli, Modicum fermenti, &c. Hac in parte ne pilo quidem cedere poſſumus. Eſt enim doctrina inſtar Mathematici puncti, non poteſt igitur dividi, hoc eſt, neque ademptionem neque additionem ferre poteſt. Contra vita, quæ eſt inſtar Phyſici puncti, ſemper dividi, ſemper aliquid concedere poteſt.

Doctrina & vita longiſſime diſcernenda.

Doctrina fidei.

Minutiſſima feſtuca in oculo offendit oculum. Hinc Germani dicunt de remediis oculorum, **Nichts iſt in die Augen gut.** Et Chriſtus, Lucerna, inquit, corporis oculus eſt. Cum igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit, &c. Et deinde, Si corpus tuum non habuerit aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, &c. Hac allegoria ſignificat Chriſtus, Oculum, hoc eſt, doctrinam debere ſimpliciter eſſe puram, claram & ſynceram, quæ plane nullam partem tenebrarum, nullam nubeculam habeat, &c. Et Iacobus, non ex ſuo ſpiritu, ſed procul dubio ex auditu Apoſtolorum pulcherrime dixit, Qui offenderit in uno, factus eſt omnium reus. Debet igitur doctrina eſſe unus quidam perpetuus & rotundus aureus circulus, in quo nulla ſit fiſſura. Ea accedente vel minima, circulus non eſt amplius integer, &c. Quid prodeſt Iudæis credere Deum unum, eumq; creatorem omnium, credere alios articulos, & totam Scripturam ſanctam recipere, cum Chriſtum negent? Qui igitur in uno offendit, factus eſt omnium reus.

Charitas omnia ſuſtinet, &c. fides nihil.

Quando excuſanda charitas, quando non, &c.

Quare hic locus diligenter obſervandus eſt contra hoc illorum argumentum, quo calumniantur nos violare charitatem, cum maximo Eccleſiarum incommodo. Nos certe parati ſumus ſervare pacem & charitatem cum omnibus, modo doctrinam fidei relinquant nobis integram & ſalvam. Si hoc impetrare non poſſumus, fruſtra exigunt à nobis charitatem. Maledicta ſit charitas, quæ ſervatur cum jactura doctrinæ Fidei, cui omnia cedere debent, charitas, Apoſtolus, Angelus è cœlo, &c. Satis ergo teſtantur, cum tam calumnioſe cauſam hanc extenuant,

quam magnifaciant majeſtatem Verbi. Quod ſi crederent eſſe verbum Dei, non ita cum eo luderent, ſed ſummo honore afficerent, & ſine ulla diſputatione & dubitatione fidem ei adhiberent, ſcirentq; unum verbum Dei eſſe omnia, omnia eſſe unum. Item, ſcirent unum articulum eſſe omnes, Omnes eſſe unum, & uno omiſſo, omnes paulatim amitti. Cohærent enim, & quodam communi vinculo continentur.

Sinamus igitur eos amplificare concordiam & charitatem Chriſtianam, Nos contra amplificemus majeſtatem Verbi & fidem. Charitas negligi poteſt in loco ſine periculo, non item verbum & fides. Charitatis eſt omnia tolerare, omnibus cedere. Contra Fidei eſt prorſus nihil tolerare, nemini cedere. Charitas libenter cedens, omnia credens, condonans & ferens ſæpe luditur, deluſa tamen nihil incommodi, quod vere incommodum dici poſſet, accipit, hoc eſt, non amittit Chriſtum, Ideoque non offenditur, ſed retinet conſtantiam ſuam in benefaciendo, etiam erga ingratos & indignos. Contra in re ſalutis, quando fanatici homines mendacium & errores docent, ſub ſpecie Veritatis, & imponunt multis, Ibi certe non eſt exercenda charitas, neque approbandus error. Hic enim non amittitur beneficium in ingratum collatum, ſed amittitur Verbum, fides, Chriſtus, vita æterna, &c. Quare ſi Deum in uno articulo negas, in omnibus negaſti. Quia Deus non dividitur in multos articulos, ſed eſt omnia in ſingulis, & unus in omnibus articulis. Itaque perpetuo reſpondemus Sacramentariis, criminantibus charitatem à nobis negligi, hoc proverbium Pauli, Modicum fermenti totam conſperſionem fermentat. Item, Non patitur ludum, fama, fides, oculus. Hæc dixi multis pro noſtris confirmandis, & ad docendos alios, qui fortaſſe noſtra conſtantia offenduntur, nec putant nos iſtius conſtantiæ certas & graves cauſas habere. Nihil igitur nos moveat, quod tantopere ſtudium charitatis & concordiæ jactant. Qui enim non diligit Deum & verbum ipſius, nihil refert, quid aut quantum is diligat.

Doctrina fidei majeſtas, &c.

Admonet ergo Paulus hac ſententia tam doctores, quam auditores, ne cogitent doctrinam Fidei rem exiguam aut nihili eſſe, cum qua ludere poſſimus pro libidine noſtra. Ipſa eſt radius ſolaris è cœlo veniens, qui illuminat, accendit & dirigit nos. Vt autem mundus cum omni ſapientia ſua & potentia non poteſt flectere radios ſolis è cœlo tendentes directe in terram, ita neque doctrinæ fidei aliquid auferri aut addi poteſt, vel in totum evertitur, &c.

Ego confido de vobis in Domino.

QVASI d. Satis monui, confirmavi & objurgavi vos, ſi modo auſcultare velletis. Confido tamen de vobis in Domino. Hic quæſtio oritur, An Paulus recte fecerit, quod dicit ſe confidere Galatis, præſertim cum ſacræ literæ prohibeant fiduciam in homines? Vtraque & Fides & charitas credit, Sed diverſa ſunt objecta. Fides credit Deo, ideo falli non poteſt, Charitas hominibus ideo ſæpe fallitur. Eſt autem charitatis fides ad præſentem vitam adeo neceſſaria, ut ſine ea non poſſit conſiſtere vita in mundo. Si enim homo homini non crederet & confideret, quæ eſſet futura vita noſtra in terris? Chriſtiani citius per charitatem credunt, quam filii ſeculi huius. Eſt enim fides erga homines fructus Spiritus ſeu Chriſtianæ fidei in piis. Hinc Paulus Galatis etiam lapſis confidit, ſed in Domino, q. d. Eatenus confido vobis, quatenus Dominus eſt in vobis, & vos in ipſo, hoc eſt, quatenus manetis in veritate. A qua ſi excideritis, decepti per Satanæ miniſtros, nec ego amplius confidam vobis. Hoc modo licet piis credere & confidere hominibus.

An confidere de ſe homini-bus.

Quod nihil aliud ſentietis,

SCILICET de doctrina & fide, quam quod ex me audiſtis & didiciſtis, Hoc eſt, Confido quod doctrinam aliam à mea diſſentientem non ſitis recepturi.

Qui autem perturbat vos, portabit judicium, quicunq; fuerit.

HAC ſententia Paulus velut judex pro tribunali ſedens, condemnat Pſeudoapo-

doapoſtolos, vocans valde odioſo nomine conturbatores Galatarum, quos ipſi ducebant piiſſimos; & longe meliores Paulo doctores. Simulq; permovere vult Galatas hac horribili ſententia, qua tanta certitudine damnat Pſeudoapoſtolos, ut illos vitent tanquam nocentiſſimam peſtem, q. d. Quid auditis illas peſtes, quæ non docent, ſed tantum perturbant vos? Doctrina, quam tradunt vobis, nihil aliud eſt, quàm perturbatio conſcientiarum. Ideo quantumvis magni ſint, habebunt damnationem ſuam. Satis autem intelligi poteſt ex his verbis (Quicunque tandem fuerit) Pſeudoapoſtolos fuiſſe in ſpeciem optimos & ſanctiſſimos viros. Et fortaſſe fuit inter eos aliquis inſignis Apoſtolorum diſcipulus, magni nominis & autoritatis vir. Non fruſtra enim tam grandibus & ſignificantibus verbis utitur. Ad eundem modum loquitur & cap. 1. Etiamſi nos, aut Angelus è cœlo evangeliſet vobis, præter id, quod evangeliſavimus vobis, Anathema ſit. Neque dubium eſt, quin multi vehementer offenſi ſint iſta vehementia Apoſtoli, qui cogitaverunt, Cur Paulus lædit charitatem? Cur adeo pertinax eſt in re tam levicula? Cur tam præcipitanter pronuntiat ſententiam æternæ damnationis contra eos, qui æque ſunt miniſtri Chriſti ac ipſe? Hoc nihil moratur, ſed certiſſimus & ſecuriſſimus maledicit & damnat eos, qui lædunt doctrinam fidei, quantumvis in ſpeciem ſancti, docti & magnæ exiſtimationis ſint viri.

Impii doctores perturbatores mentium.

Autoritas Pſeudoapoſtolorum.

Vehementia Pauli à multis reprehenſa.

Simili modo nos hodie pro excommunicatis & damnatis habemus, qui articulum de Sacramento corporis & ſanguinis Domini incertum eſſe dicunt, aut Chriſti verbis in Cœna vim faciunt. Nos ſummo rigore omnes articulos doctrinæ Chriſtianæ, magnos & parvos (quanquam nullus ſit nobis parvus) volumus habere puros & certos. Hocq; ſumme neceſſarium eſt. Nam doctrina eſt unica lux noſtra, quæ illuminat & dirigit nos ac oſtendit iter ad cœlum, qua labefactata in una parte, neceſſe eſt eam labefactari in totum. Hoc ubi fit, nihil poterit nos juvare charitas. Nos ſine charitate & concordia cum Sacramentariis, poſſumus ſalvi fieri. Non item ſine pura doctrina & fide. Alioqui libenter ſervabimus charitatem & concordiam erga illos, qui pie nobiſcum ſentiunt de omnibus articulis Chriſtianæ doctrinæ. Imo etiam, quantum in nobis eſt, pacem habebimus cum inimicis noſtris, ac pro ipſis orabimus, qui per ignorantiam doctrinam noſtram blaſphemant & nos perſequuntur. Non item cum iis, qui ſcienter & contra conſcientiam articulum aliquem, aut plures doctrinæ Chriſtianæ lædunt.

Doctrina fidei lux noſtra.

Et Paulus hic ſuo exemplo tam pertinaces nos eſſe docet, qui propter rem, ut Pſeudoapoſtolis & eorum diſcipulis videbatur (nam utrique putabant, hi ſe recte & pie docere, illi ſe recte & pie credere) non ſolum leviſſimam, ſed etiam iniquiſſimam, certiſſime prædicit eos portaturos judicium ſuum. Quare, ut ſæpe ſoleo monere, diligenter diſcernenda eſt doctrina à vita. Doctrina eſt cœlum, vita, terra. In vita eſt peccatum, error, immundicies & miſeria, ut dici ſolet cum aceto. Ibi charitas conniveat, toleret, ludatur, credat, ſperet, ſuſtineat omnia, ibi maxime valeat remiſſio peccatorum, modo peccatum & error non defendantur. Sed in doctrina, ut non eſt error, ita non opus habet ulla remiſſione peccatorum. Quare nulla prorſus eſt comparatio doctrinæ & vitæ. Vnus apex doctrinæ plus valet, quàm cœlum & terra, Ideo in minimo non patimur eam lædi, Ad errores vitæ autem egregie poſſumus connivere. Nam & nos quotidie in vita & moribus erramus, errant etiam omnes Sancti, hocq; ſerio fatentur in oratione Dominica & Symbolo. Sed doctrina noſtra, Dei gratia, pura eſt, omnes articulos fidei ſolidos & fundatos in ſacris literis habemus. Illos libenter vellet Diabolus contaminare & evertere. Ideo hoc ſpecioſo argumento de charitate & concordia Eccleſiarum non lædenda, tam verſute nos adoritur, &c.

Doctrina. Vita.

Ego autem fratres, Si Circumciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Evacuatum eſt igitur ſcandalum crucis.

PAULUS, ut nihil non tentet pro revocandis Galatis, argumentatur nunc

ab exemplo ſuo. Ego, inquit, conflavi mihi acerrimum odium & perſecutionem Pontificum, Seniorum populi & totius meæ Gentis, quod detraho circumciſioni juſticiam, Quam ſi ei tribuerem, non ſolum non inſidiarentur mihi Iudæi, ſed etiam laudarent & vehementer amarent me, Nunc quia Evangelium Chriſti & juſticiam fidei, abrogata Lege & circumciſione, prædico, perſecutionem patior. Econtra Pſeudoapoſtoli, ut crucem & hanc acerbitatem odiorum gentis judaicæ non ferant, prædicant circumciſionem, atque ita conciliant ſibi gratiam Iudæorum & eos retinent amicos. Sic infra cap. 6. Cogunt vos circunicdi, &c. Deniq; & hoc libenter efficerent, ut nihil plane diſſidii, ſed ſumma pax & concordia inter Gentes & Iudæos eſſet. Sed impoſſibile eſt hoc fieri ſine jactura doctrinæ de fide, quæ eſt doctrina crucis & plena ſcandalis. Itaque cum dicit, Si circumciſionem adhuc prædico, Quid perſecutionem adhuc patior? Evacuatum eſt igitur ſcandalum crucis. Significare vult magnam fore abſurditatem & indignitatem, ſi ceſſaret ſcandalum crucis. Ad eundem modum loquitur 1. Cor. 1. Chriſtus miſit me evangeliſare, non in ſapientia Verbi, ne evacuetur crux Chriſti, q. d. Non libenter vellem aboleri ſcandalum & crucem Chriſti. 1. Cor. 1.

Pſeudoapoſtoli inimici crucis Chriſti.

Doctrina fidei.

Hic dicat aliquis, Ergo Chriſtiani extreme dementes ſunt, quod ultro ſe objiciunt periculis. Nam ſua prædicatione nihil faciunt, niſi quod conciliant ſibi iram & odium mundi & ſuſcitant ſcandala. Hoc, ut ille ait, fruſtra eſt niti, & nihil niſi odium quærere. Iſta res, inquit Paulus, nihil offendit aut perturbat nos, ſed tantum animoſos reddit, & bene ſperare jubet de felici ſucceſſu & augmento Eccleſiæ, quæ ſub cruce floret & creſcit. Oportet enim Chriſtum caput & ſponſum Eccleſiæ, dominari in medio inimicorum ſuorum, Pſal. 110. Econtra, quando Crux abolita eſt, & furor tyrannorum & hæreticorum, item ſcandala deſierunt, ac Diabolo cuſtodiente atrium ſuum, omnia in pace ſunt, certiſſimum ſignum eſt, ablatam eſſe puram verbi doctrinam. Hoc etiam Bernhardus animadvertens, Eccleſiam tum in optimo ſtatu eſſe ait, cum undique impetatur vi & dolis à Satana, Contra peſſime habere, cum in ſumma pace agat. Et pulchre per Catachreſin allegat dictum hoc ex Cantico Ezechiæ (Ecce in pace amaritudo mea amariſſima) in perſona Eccleſiæ, agentis in ſecuritate & pace. Quare Paulus pro certiſſimo ſigno habet, Evangelium non eſſe, ſi ſalva pace prædicetur. Contra mundus pro certiſſimo ſigno accipit, Evangelium eſſe hæreticam & ſeditioſam doctrinam, Quia videt prædicationem ejus ſequi ingentes tumultus, turbationes, ſcandala, ſectas, &c. Sic Deus larvam diaboli, Diabolus Dei, induit. Et Deus ſub larva diaboli cognoſci, & diabolum ſub larva Dei reprobari vult. Pſal. 110.

Eccleſia bene habet, quando eſt ſub cruce.

Bernhardi dictum.

Ezech. 38.

Prædicationem Evangelij ſequuntur tumultus, &c.

Scandalum crucis active & paſſive poteſt intelligi. Crux ſequitur ſtatim doctrinam Verbi, Iuxta illud Pſal. 116. Credidi, ideo locutus ſum, ego vero humiliatus ſum nimis. Eſt autem Crux Chriſtianorum perſecutio cum ignominia & ſine ulla commiſeratione, ideoque valde ſcandaloſa eſt. Primum, patiuntur ut ſceleratiſſimi nebulones. Hocq; Eſaias Propheta etiam de ipſo Chriſto prædixit, Cap. 53. Cum ſceleratis reputatus eſt. Deinde latronibus, furibus, &c. mitigantur pœnæ, & homines tanguntur miſericordia erga illos, Ibi ſcandalum non eſt conjunctum cum pœna. Contra mundus, ut judicat Chriſtianos peſtilentes eſſe homines, ita putat nullam pœnam ſatis dignam eis pro malefactis ſuis infligi poſſe, Neque commiſeratione ulla movetur erga ipſos, ſed ignominioſiſſimo genere mortis afficit. Et illa re putat duplex commodum ad ſe redire. Primum, quod obſequium præſtet Deo, ſi interficiat eos. Deinde publicam pacem ſperat reſtitui, iſtis peſtibus ablatis. Ideo Crux & mors piorum eſt plena ſcandalis. At nihil moveat vos illa indignitas, inquit Paulus, & duratio crucis Chriſti & ſcandali, ſed potius vos confirmet. Iſtis enim durantibus optime habet res Chriſtiana. Pſal. 116. Eſai. 53.

Crux piorum.

Ad eum modum conſolatur etiam Chriſtus ſuos, Matthæi 5. Beati eſtis, inquit, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum adverſus vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam Matth. 5.

niam merces veſtra multa eſt in cœlis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Hoc gaudium non patitur Eccleſia ſibi eripi. Quare non libenter velim, quod Papa, Epiſcopi, Principes & fanatici ſpiritus nobiſcum concordes eſſent. Ea enim concordia certa ſignificatio eſſet, nos amiſiſſe veram doctrinam. In ſumma, oportet Eccleſiam, cum pure Evangelium docet, perſecutionem pati. Evangelium enim prædicat miſericordiam & gloriam Dei, & detigit malitiam & dolos Diaboli, depingitq; eum ſuis coloribus, detrahit ei larvam majeſtatis divinæ, qua toti mundo imponit. Hoc eſt, oſtendit omnes cultus, religiones, ordines ab hominibus excogitatos, Item traditiones de cœlibatu, de cibis, &c. quibus judicant homines ſe promereri remiſſionem peccatorum & vitam æternam, eſſe res impias & doctrinas dæmoniorum. Nulla igitur re plus irritatur Diabolus, quàm prædicatione Evangelii. Illa enim aufert ei larvam Dei, & prodit eum eſſe, quod vere eſt, hoc eſt, Diabolum non Deum. Quare impoſſibile eſt non ſequi ſcandalum crucis, florente Evangelio, vel certe Diabolus non eſt recte petitus, ſed tantum leniter palpatus. Si vere petitur, non quieſcit, ſed incipit horribiliter tumultuari & omnia perturbare.

Evangelium prædicat gloriam Dei, & aperit dolos Diaboli.

Chriſtiani igitur, ſi modo verbum retinere volunt, ne offendantur aut terreantur, ſi vident Diabolum ruptis habenis furere, totum orbem commoveri, tyrannos ſævire, ſectas oriri. Sed certo ſciant, illa eſſe ſigna non horroris, ſed gaudii, ut Chriſtus interpretatur, Gaudete, inquiens, & exultate, &c. Abſit ergo ut tollatur ſcandalum crucis, Quod fieret, ſi hoc prædicaremus, quod Princeps hujus mundi & membra ejus libenter audirent, ſcilicet juſticiam operum, tuncq; haberemus clementem Diabolum, faventem mundum, Papam & Principes propitios. Quia vero illuſtramus beneficia & gloriam Chriſti, perſequuntur nos, & auferunt nobis res & corpora.

Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant.

Paulus imprecatur Pſeudoapoſtolis, ut excindantur.

Est ne Apoſtolicum hoc, non ſolum declarare Pſeudoapoſtolos eſſe perturbatores, damnare & tradere eos Diabolo, ſed etiam imprecari eis, ut extirpentur prorſus & pereant, quod plane eſt maledicere? Alluſit autem Paulus, ut opinor, ad circumciſionem, q. d. Cogunt vos circuncidi, utinam ipſi funditus & radicitus excindantur. Hic oritur quæſtio, Vtrum liceat Chriſtianis maledicere? Licet, Non tamen ſemper & ex qualibet cauſa. Cum eo ventum eſt, ut verbum ſit maledicendum ſeu doctrina blaſphemanda, & per conſequens Deus ipſe, tum inverte ſententiam & dic, Benedicatur Deus & verbum ipſius, & maledicatur quicquid eſt extra verbum & Deum, ſive ſit Apoſtolus, ſive Angelus è cœlo. Sic ſupra cap. 1. Etiamſi nos aut Angelus è cœlo, &c. anathema ſit. Ibi cernere eſt Paulum tanti facere modicum fermenti, ut etiam auſit maledicere Pſeudoapoſtolis, in ſpeciem magnæ autoritatis & ſanctitatis viris. Ne igitur & nos parvifaciamus fermentum doctrinæ. Quantumvis enim modicum, ſi contemnatur, cauſa eſt, ut paulatim veritas & ſalus amittatur ac Deus negetur. Depravato enim verbo & negato ac blaſphemato (id quod neceſſe eſt ſequi) Deo, non reſtat ulla ſpes ſalutis. Si vero nos blaſphemamur, maledicimur, & occidimur, eſt adhuc qui poſſit nos reſuſcitare & liberare à maledicto, morte & inferno.

An liceat maledicere Chriſtianis.

Majeſtas verbi magnificienda.

Diſcamus igitur amplificare & magnificare majeſtatem & autoritatem Verbi. Non enim eſt res levicula, ut fanatici homines hodie putant, ſed unus apex major eſt cœlo & terra. Quare ibi nullam plane habemus rationem Charitatis aut concordiæ Chriſtianæ, ſed utimur ſimpliciter tribunali, hoc eſt, maledicimus & condemnamus omnes, qui vel in minimo depravant ſeu lædunt majeſtatem divini Verbi. Quia Modicum fermenti totam conſperſionem fermentat. Si autem relinquunt nobis integrum & illæſum Verbum, parati ſumus non ſolum charitatem & concordiam ſervare cum ipſis, ſed offerimus nos fore ſervos eorum, & nihil non facturos. Si non, pereant & detrudantur ad infernum, non ſolum ipſi, ſed totus mun-

dus etiam cum piis & impiis, modo ut Deus maneat. Hoc manente, manet vita & ſalus, manebunt & pii. Recte igitur facit Paulus, quod perturbatoribus illis maledicit, & pronuntiat ſententiam, eos eſſe Anathema cum omnibus, quæ ſunt, docent & faciunt, quodq; imprecatur eis, ut excindantur ex hac vita, & præcipue ex Eccleſia, hoc eſt, ne Deus gubernet & fortunet doctrinam & omnes actiones eorum. Et hæc maledictio profecta eſt è Spiritu ſancto. Sic Petrus Actor. 8. maledicit Simoni, Pecunia tua, inquit, ſit tecum in perditionem, &c. Et frequens uſus eſt maledictionum in ſacris literis contra tales conturbatores mentium, præcipue in Pſalmis. Vt Pſal. 55. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes. Item, Convertantur peccatores in infernum, &c.

Frequens uſus maledictionum ex ſcripturis.

Hactenus munivit Paulus locum juſtificationis firmiſſimis argumentis. Deinde, ut nihil omitteret, diſputationi huic paſſim inſeruit objurgationes, laudationes, exhortationes, comminationes, &c. In fine addidit etiam exemplum ſuum, Se perſecutionem pati propter hanc doctrinam, monens per hoc omnes pios, ne ſcandalizentur & terreantur, ſi tempore Evangelii viderint excitari tumultus, ſcandala, ſectas, &c. Sed potius gaudeant & exultent. Nam quo atrocius furit mundus contra Evangelium, hoc melius habet negotium Evangelii.

Quid mundus odiunt in pijs doctoribus.

Hæc gratiſſima nobis hodie eſſe debet conſolatio. Certum eſt enim, quod propter nullam aliam cauſam Mundus nos oderit & perſequatur, quam quod veritatem Evangelii profitemur. Non accuſat nos, quod Fures, adulteri, homicidæ, &c. ſimus, ſed hoc unum deteſtatur in nobis, quod Chriſtum pie & pure docemus, & patrocinium veritatis non deſerimus. Certo igitur ſciamus vel hinc, doctrinam noſtram eſſe ſanctam & divinam, quod mundus tam acerbe eam odit. Alioqui enim nulla doctrina tam impia, ſtulta, ridicula, pernicioſa eſt, quam non libenter mundus ſuſcipit, exoſculatur & defendit, Deinde reverenter tractat, fovet, adulatur & omnia facit profeſſoribus ipſius. Solam doctrinam Pietatis, vitæ & ſalutis & Miniſtros ejus ſumme deteſtatur, omnibus probris afficit, &c. Evidens ergo eſt argumentum, quod Mundus tantum odio Verbi nobis infenſus ſit. Itaque cum objiciunt nobis adverſarii, nihil ex hac doctrina oriri, niſi Bella, ſeditiones, ſcandala, ſectas, & infinita alia mala. Reſpondeamus, Benedictus dies in quo iſta videre licet. Sed totus mundus turbatur. Bene, ſi non turbaretur, & Diabolus non ita ſæviret & conturbaret omnia, non haberemus puram doctrinam, quam iſti tumultus & furores non poſſunt non ſequi. Ideo quod vos malum putatis, hoc nos pro ſummo bono accipimus.

DOCTRINA DE BONIS OPERIBVS.

Apoſtoli poſt doctrinam fidei ſubjiciunt præcepta de moribus.

SEQVVNTVR nunc exhortationes & præcepta de bonis moribus. Apoſtoli enim in more habent, poſt doctrinam fidei & inſtructionem conſcientiarum, ſubjicere præcepta morum, quibus exhortantur credentes ad officia pietatis inter ſe mutuo exercenda. Et eam partem doctrinæ aliquo modo intelligit & docet etiam ratio, de doctrina Fidei prorſus vero nihil novit. Ne igitur videatur doctrina Chriſtiana diſſolvere bonos mores, & pugnare contra politicas ordinationes, admonet Apoſtolus etiam de bonis moribus & honeſta externa converſatione, de ſervanda charitate, concordia, &c. Non poteſt igitur mundus jure accuſare Chriſtianos, quod diſſolvant bonos mores, quod publicam pacem, honeſtatem, &c. perturbent. Quia melius tradunt mores & omnes virtutes, quam ulli aut Philoſophi aut Magiſtratus, quia Fidem addunt.

Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres, Tantum ne libertatem in occaſionem detis carni, Sed per charitatem ſervite vobis invicem.

Libertas redemtionis.

QVASI d. Nacti eſtis jam per Chriſtum Libertatem, hoc eſt: longe eſtis ſupra omnes Leges ſecundum conſcientiam & coram Deo, beati & ſalvi eſtis, Chriſtus veſtra vita eſt. Igitur Lex, peccatum, mors, etiamſi vos terrent, tamen neque

Digitized by Google

neque nocere, neque in desperationem adigere possunt. Ea est præclara & inæstimabilis Libertas vestra. Nunc vestrum est diligenter cavere, ne illam libertatem detis In occasionem carni. Hoc malum latissime patet, & omnium deterrimum est, quod Satan in doctrina fidei excitat, quod scilicet hanc Libertatem, qua Christus nos liberavit, in multis mox transfert ad occasionem carni. Hoc idem conqueritur & Iudas in sua Epistola, Subintraverunt, inquit, quidam homines impii, qui Dei nostri Gratiam transferunt ad lasciviam. Caro enim prorsus non intelligit doctrinam Gratiæ, scilicet, quod operibus non justificemur, sed sola fide, Quod Lex nullum jus in nos habeat. Ideo cum audit hanc doctrinam, transfert eam ad lasciviam, & statim sic infert, Si sumus sine Lege, vivamus igitur ut volumus, nihil faciamus boni, nihil demus egentibus, multo minus patiamur aliquid mali. Non enim est Lex, quæ cogat aut liget nos.

Carnales non intelligunt doctrinam fidei.

Itaque utrinque periculum est, alterum tamen altero tolerabilius. Si Gratia seu fides non prædicatur, nemo fit salvus. Fides enim sola justificat & salvat. Contra, si prædicatur fides, ut necesse est eam prædicari, major pars hominum carnaliter intelligit doctrinam de Fide, & libertatem Spiritus in libertatem carnis rapit. Hoc cernere est hodie in omnibus vitæ generibus superiorum & inferiorum. Omnes jactant se esse Evangelicos, jactant Christianam libertatem. Et tamen interim obsequentes suis cupiditatibus convertuntur ad avaritiam, voluptates, superbiam, invidiam, &c. Nemo fideliter suum officium facit, nemo per charitatem alteri servit, &c. Ea indignitas nonnunquam adeo impatientem me facit, ut sæpe optem ejusmodi porcos, qui margaritas pedibus conculcant, adhuc esse sub tyrannide Papæ. Impossibile enim est hunc populum Gomorrhæ Evangelio pacis regi.

Major pars hominum intelligit doctrinam fidei carnaliter.

Deinde nosipsi, qui docemus verbum, non tanta diligentia & ardore jam in luce veritatis facimus nostrum officium, ut prius in tenebris ignorantiæ illud fecimus. Quo enim sumus certiores de libertate illa à Christo nobis parta, hoc frigidiores & segniores sumus ad tractandum verbum, orandum, bene operandum ad mala ferenda, &c. Et nisi Satan vexaret nos intus spiritualibus tentationibus, & foris persecutionibus adversariorum, item contemptu & ingratitudine nostrorum hominum, prorsus securi, ignavi, & ad omne opus bonum reprobi fieremus. Atque ita cum tempore amitteremus cognitionem & fidem Christi, desereremus ministerium verbi, & quæreremus commodiorem pro carne nostra vivendi rationem. Id quod plerique ex nostris facere incipiunt illa occasione moti, quod laborantes in verbo, non solum victum inde habere non possunt, sed quod etiam indignissime tractantur ab iis, quos prædicatione Evangelii liberaverunt ex miserrima servitute Papæ. Hi pauperem & scandalosum Christum deserentes, implicant se præsentis vitæ negotiis & ventri suo, non Christo, serviunt. Sed quo fructu, cum tempore experientur.

Vsitata tentatio nostrorum.

Cum itaq; sciamus Diabolum maxime insidiari nobis, qui Verbum habemus (alios enim captivos tenet ad suam ipsius voluntatem) & hoc sedulo conari, ut libertatem illam Spiritus nobis auferat, vel saltem hoc efficiat ut eam transferamus ad lasciviam, Ideo summa diligentia & cura docemus & adhortamur, exemplo Pauli, nostros homines, ne existiment illam libertatem Spiritus, partam Christi morte, ideo sibi donatam, ut eam dent in occasionem carni. Aut, ut Petrus ait, eam habeant, velut malitiæ velamen, sed ut per charitatem sibiipsis invicem serviant. Ne ergo, ut diximus, Christiani abutantur hac libertate, imponit Apostolus carni eorũ servitutem per Legem de mutua dilectione. Quare meminerint pii, se in conscientia coram Deo esse liberos à Legis maledicto, à peccato & morte propter Christum, Corpore autem esse servos. Hic alter alteri per charitatem, juxta hoc Pauli Præceptum, servire debet. Vnusquisq; igitur studeat in sua vocatione diligenter facere officium suum, & quacunq; re potest, adjuvare proximum. Hoc exigit à nobis Paulus his verbis, Per charitatem servite vobis invicem, quæ non sinunt sanctos secundum carnem esse liberos, sed subjiciunt eos servituti, &c.

Pij secundum spiritum liberi, secundum carnem servi.

Porro hæc doctrina de mutua Charitate inter nos ſervanda nullo modo poteſt inculcari & perſuaderi carnalibus hominibus. Chriſtiani hac in re libenter obſequuntur. Alii prædicata Libertate illa, ſtatim inferunt, Si liber ſum, ergo licet mihi facere quod volo. Hæc res mea eſt, cur ergo non venderem eam quanti poſſum? Item, Cum propter bona opera non contingat nobis ſalus, cur daremus aliquid egentibus? &c. Hi ſecuriſſime excutiunt hoc jugum & ſervitutem carnis, & transferunt libertatem Spiritus in licentiam & laſciviam carnis. Illis ſecuris contemptoribus certo annuntiamus (quanquam non credant nobis, ſed nos rideant) quod ſi corpore & facultatibus ſuis utantur pro ſua libidine (ut certe faciunt, quia non adjuvant inopes, non mutuum dant, ſed fraudant in negotio fratres, rapiunt per fas & nefas, &c.) quod inquam liberi non ſint, ut maxime ſe tales glorientur, ſed amiſerint Chriſtum & libertatem, & ſervi ſint Diaboli, quodq; nunc ſub nomine Chriſtianæ libertatis ſepties deteriores ſint, quàm antea ſub tyrannide Papæ. Diabolus enim, qui expulſus erat, reverſus eſt in eos aſſumptis ſecum aliis ſeptem ſpiritibus nequioribus ipſo, &c. Ideo eorum noviſſima facta ſunt pejora primis.

Carnales abutuntur libertate Chriſtiana.

Nos divinum mandatum habemus prædicandi Evangelium, quod annuntiat omnibus hominibus, ſi modo credant, gratis propter Chriſtum, Libertatem à Lege, peccato, morte, ira Dei, &c. Non eſt in arbitrio aut poteſtate noſtra ſitum, hanc libertatem per Evangelium jam invulgatam, celare homines, aut revocare, Quia Chriſtus eam nobis donavit ac ſua morte peperit. Neque poſſumus illos porcos, qui toto impetu ruunt in licentiam carnis, cogere, ut corpore & rebus ſuis ſerviant aliis. Ideo quod poſſumus, facimus, hoc eſt, admonemus diligenter eos debere hoc præſtare. Si his monitis noſtris nihil efficimus, committimus rem Deo, is ſuo tempore juſtas infliget pœnas iſtis contemptoribus. Interim tamen hoc nos ſolatur, quod labor & diligentia noſtra non eſt inanis apud pios, quorum procul dubio multi per noſtrum miniſterium erepti ſunt è ſervitute Diaboli, & translati in illam libertatem Spiritus. Hi pauci, qui agnoſcunt gloriam hujus libertatis Spiritus, & viciſſim parati ſunt per charitatem ſervire aliis, & noverunt ſe ſecundum carnem eſſe debitores fratrum, plus nos exhilarant, quam innumera turba eorum, qui abutuntur illa libertate, nos contriſtare poſſunt.

Libertas docenda, etiamſi ſint multi, qui ea abutantur.

Paulus valde propriis & diſertis verbis loquitur, cum inquit, Vos in libertatem vocati eſtis fratres. Hic ne quis ſomniet libertatem carnis, ſeipſum exponit, cujuſmodi libertatem intelligat, dicens, Tantum ne libertatem in occaſionem detis carni, ſed per charitatem ſervite vobis invicem. Quare unusquisque Chriſtianus ſciat ſe per Chriſtum conſtitutum eſſe in conſcientia dominum Legis, peccati, mortis, &c. ita quod illa non habeant jus in eum, &c. Contra ſciat quoque hanc ſervitutem externam corpori ſuo impoſitam eſſe, ut per charitatem ſerviat proximo. Qui autem aliter intelligunt Chriſtianam libertatem, illi fruuntur Evangelii commodis in ſuam ipſorum perniciem, & pejores ſunt idolatræ ſub nomine Chriſtiano, quàm antea ſub Papa fuerunt. Paulus jam pulcherrime declarabit ex Decalogo, quid ſit ſervire per charitatem, &c.

Intelligenter Chriſtianam libertatem ſibi invicem ſerviant.

Tota enim Lex in uno verbo impletur, nempe hoc, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

PAULUS ubi jecit fundamentum Chriſtianæ doctrinæ, ſolet ſuperſtruere aurum, argentum & lapides precioſos. Fundamentum autem aliud nullum eſt, ut ad Corinth. ait, quam ipſe Ieſus Chriſtus, ſeu juſticia Chriſti. Super hoc fundamentum nunc ſuperſtruit bona opera & vere bona, quæ omnia includit brevi præcepto, Diliges proximum tuum, &c. Q. d. Cum dico debere vos per charitatem ſervire invicem, idem volo quod Lex alibi dicit, Diliges proximum ſicut teipſum. Hoc vere eſt interpretari ſcripturam & præcepta Dei. Cogitatio Sophiſtarum, quam habent de verbo diligendi, prorſus frigida ac vana eſt. Dicunt enim diligere nihil aliud eſſe, niſi velle alicui bonum, Aut charitatem eſſe qualitatem inhærentem animo,

1. Cor. 3.

Quid Sophiſtæ norint dilectionem.

mo, qua homo elicit motum cordis vel actum, qui vocatur, bene velle. Illa est plane nuda, macilenta & mathematica charitas, quæ non est, ut ita dicam, incarnata, neque procedit in opus. Paulus contra dicit, charitatem debere esse servam, & nisi sit in officio servitutis, non esse charitatem.

De charitate autem præcipiens, oblique simul taxat vanos doctores, in quos spicula sua dirigit, ut doctrinam suam quoque de operibus contra ipsos defendat & confirmet, q. d. Hactenus vos docui, ô Galatæ, veram & spiritualem vitam, nunc etiam vere bona opera docebo. Et hoc ideo, ut illa ridicula & fanatica opera ceremoniarum, quæ solum urgent Pseudoapostoli, longe inferiora esse cognoscatis operibus charitatis. Ea enim est dementia & furor omnium impiorum Doctorum & fanaticorum spirituum, quod non solum relinquunt fundamentum verum & doctrinam puram & solidam, sed etiam hærentes in superstitionibus suis, nunquam attingunt vera bona opera. Ideoque tantum superstruunt super fundamentum, ut Paulus ait, lignum, fœnum & stipulam. Sic Pseudoapostoli, qui erant acerrimi defensores operum, non docebant aut urgebant opera charitatis esse facienda, ut Christiani mutuo sese diligerent, ut parati essent ad ferendam opem in quacunque necessitate proximis, non solum facultate, verum etiam toto corpore, hoc est, lingua, manu, corde & totis viribus. Sed tantum urgebant, servandam esse circumcisionem, observandos esse dies, menses, &c. Neque alia bona opera docere poterant. Destructo enim fundamento Christo, & obscurata doctrina fidei, impossibile est remanere ullum verum usum, exercitium & opinionem bonorum operum. Sublata arbore necesse est auferri quoque fructus.

Iusticiarij & hypocritæ, ut doctrinam fidei non tenent, ita nec bonorum operum.

Simili modo hallucinantur hodie Sectarii in doctrina de bonis operibus, necesse est igitur eos fanatica & superstitiosa quædam opera docere. Sustulerunt Christum, succiderunt arborem & fundamentum subverterunt, ideo ædificant super harenam, & nihil possunt superstruere, quam lignum, fœnum, stipulam. Egregie quidem simulant dilectionem, humilitatem, &c. sed revera non opere & veritate, ut Iohan. ait, sed tantum Verbo & lingua diligunt, &c. Simulant magnam sanctitatem, eaq; sanctitatis simulatione imponunt hominibus, ut judicent opera eorum esse magnifica & Deo grata. Verum si admoveris lucem Verbi, invenies esse meras nugas de rebus ridiculis & nihili, pertinentibus tantum ad loca, tempora, vestes, respectum personarum, &c. Quare æque necessarium est, ut pii doctores tam diligenter urgeant doctrinam de bonis operibus, quàm doctrinam de fide. Satan enim utrique infensus est & acerrime resistit. Fides tamen primum plantanda est. Sine ea enim impossibile est intelligi, quid bonum opus sit, quid Deo placeat.

Opera fanaticorum hominum quales.

Doctrina de fide & operibus in Ecclesia diligenter urgenda.

Quod vero Satan doctrinam etiam vere bonorum operum oderit vel inde apparet. Tametsi enim omnes homines noticiam quandam naturalem habeant, animis ipsorum insitam, qua naturaliter sentiunt alteri faciendum esse, quod quis velit sibi fieri (Quæ sententia & similes quas Legem naturæ vocamus, sunt fundamentum humani juris & omnium bonorum operum) Tamen adeo corrupta & cæca est vitio Diaboli humana ratio, ut illam cognitionem secum natam non intelligat, aut si etiam admonita verbo Dei intelligat, tamen scienter (tanta est potentia Satanæ) eam negligat & contemnat. Deinde accedit hoc mali, quod Diabolus omnes justiciarios & hæreticos ita dementat, ut omissa doctrina de vere bonis operibus, pueriles quasdam tantum ceremonias aut portentosa quædam opera, quæ ipsi excogitarunt urgeant. Ea magnifacit ratio ignara fidei, & mirifice illis delectatur.

Corruptio & cæcitas naturæ humanæ.

Iusticiarij opera à Deo præcepta negligunt, &c.

Sic in Papatu faciebant homines stulta illa & nihili opera, quæ neque præcipit neque exigit Deus, summa voluptate, diligentia, ardore & magnis impensis. Idem studium ad res nihili, cernimus hodie in Sectariis & eorum discipulis, præcipue autem in Anabaptistis. In nostris vero Ecclesiis ubi diligentissime urgetur vera doctrina de bonis operibus, dictu mirum, quanta socordia & oscitantia regnet. Quo plus adhortamur & excitamus homines ad bene operandum, ad exercendã invicem

Satan utramq; doctrinam de fide & operibus odit & evertit.

vicem charitatem, ad abjiciendam curam ventris, &c. hoc languidiores & magis frigidi redduntur ad omnia exercitia pietatis. Itaque Satan non ſolum doctrinam fidei, ſed etiam bonorum operum vehementer odit & impedit. Hic, ne homines noſtri eam diſcant; aut ſi norint, factis tamen non præſtent. Illic hypocritæ & hæretici eam penitus negligunt, & interim loco ejus ſtultas ceremonias aut ridicula & fanatica quædam opera docent, quibus capiuntur & delectantur homines. Mundus enim non Evangelio & fide, ſed Lege & ſuperſtitione regitur.

Admonet igitur Apoſtolus ſerio Chriſtianos, ut poſtquam puram doctrinam de fide audierint & acceperint, etiam vera opera exerceant. Manent enim etiam in juſtificatis peccati reliquiæ, quæ, ut à fide, ita & à vere bonis operibus abhorrent & avocant. Deinde ratio humana & caro, quæ in Sanctis reſiſtit ſpiritui (in impiis vero potentiſſime dominatur) naturaliter afficitur Phariſaicis ſuperſtitionibus, Hoc eſt, plus delectatur Deum metiri ex ſuis cogitationibus, quam ex Verbo ipſius. Et longe majori ardore facit opera, quæ ipſa elegit, quam quæ Deus præcepit. Ideo tam diligenter ſudandum eſt piis Doctoribus in tradenda & urgenda charitate non ſimulata, ſeu in urgendis vere bonis operibus, quam in vera fide docenda.

Ratio naturaliter afficitur ſuperſtitionibus.

Nemo diligit proximum ſicut ſeipſum.

Nemo igitur putet ſe perfecte noſſe hoc præceptum, Diliges proximum tuum, &c. Breviſſimum quidem eſt & facillimum, quod ad verba ipſa attinet, Sed da Doctores & auditores, qui docendo, diſcendo & vivendo hoc recte exerceant & præſtent. Ideo verba iſta, per charitatem ſervite vobis invicem. Item, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, æterna ſunt, quæ nemo pius etiam ſatis expendit, urget & exercet. Et quod mirum eſt, pii hanc tentationem habent, quod ſtatim læditur conſcientia ipſorum, ſi vel rem levem, quam debebant facere, omittant. Non item, ſi charitatem (quod quotidie fit) negligant, & puro ac fraterno corde erga proximum non afficiantur. Tanti enim non faciunt præceptum charitatis, ut ſuperſtitiones ſuas, à quibus in hac vita non ſunt prorſus liberi, &c. Compellat igitur Paulus Galatas his verbis, Tota Lex in uno verbo impletur, q. d. Vos belli eſtis homines, immerſi ſuperſtitionibus & ceremoniis veſtris de locis, temporibus, cibis, quæ proſunt, nec vobis nec aliis, Et interim charitatem, quæ ſola erat facienda, negligitis. Quæ iſta eſt dementia veſtra? Sic & Hieronymus ait, Nos frangimus corpora noſtra vigiliis, inedia, labore, &c. & charitatem, quæ ſola eſt domina & magiſtra operum, negligimus. Hocq; egregie cernitur in Monachis, qui rigidiſſime obſervant traditiones ſuas de ceremoniis, eſu, veſtitu, &c. Hic ſi aliquid vel tantillum omittant, peccant mortaliter. Quod vero non ſolum negligunt charitatem, ſed inſuper etiam alius alium acerrime odit, hic nihil peccant, aut lædunt Deum.

Dictum Hieronymi.

Paulus docet bona opera, & damnat mala.

Itaque Paulus hoc præcepto non ſolum docet bona opera, ſed damnat etiam fanatica & ſuperſtitioſa opera. Non ſolum ſuperſtruit ſuper fundamentum aurum, argentum, lapides precioſos, ſed etiam deſtruit ligna, exurit fœnum & ſtipulam. Deus quidem benefecit, quod multas ceremonias Iudæis dedit. Per hoc enim ſignificare voluit, humanum animum naturaliter ſuperſtitioſum nihil curare charitatem, ſed allegatum eſſe ceremoniis, & carnali juſticia delectari. Interim tamen Deus exemplis teſtatus eſt etiam in veteri Teſtamento, quanti ſemper fecerit charitatem, cui cedere voluit ipſam Legem cum ſuis ceremoniis. David cum eſuriret ipſe & qui cum eo erant, cum non haberent quod ederent, edebant panes ſanctos, quos ſecundùm Legem ſolis Sacerdotibus, non Laicis edere licebat, &c. Diſcipuli violabant Sabbatum, vellendo ſpicas, &c. Violat & Chriſtus ipſe Sabbatum, ut Iudæi interpretabantur, ſanando in Sabbato infirmos. Hæc omnia indicant, charitatem longe præferendam eſſe omnibus legibus & ceremoniis, &c. & Deum nihil uſquc adeo requirere à nobis, quam charitatem erga proximum. Idem teſtatur etiam Chriſtus, cum ait, Secundum autem ſimile eſt huic.

Charitas præferenda omnibus legibus.

Tota enim Lex in uno verbo impletur.

QVASI dicat, Quid oneratis vos Lege? quid anxii ſudatis & vexamini ceremoniis Legis, de cibis, diebus, locis,&c? quod hoc modo ſit veſcendum, bibendum, feriandum, ſacrificandum, &c. Deſiſtite ab his ineptiis, & audite quid ego dico. Tota Lex pleniſſime comprehenditur in uno illo verbo, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Deus certe non delectatur nec indiget illa obſervatione rituum legalium. Sed hoc nunc à vobis requirit, ut credatis in Chriſtum, quem miſit ipſe, tum in illo conſummati eſtis,& habetis omnia. Si autem ad fidem,cultum Deo gratiſſimum, vultis & Leges addere, Tum ſcitote hoc breviſſimo præcepto, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, omnes Leges comprehendi. Hoc præceptum ſtudete ſervare, quo ſervato, impleſtis omnes Leges.

Et Paulus optimus eſt interpres præceptorum Dei, In breviſſimam enim ſummam contrahit totum Moſen,oſtendens in omnibus ipſius legibus, quæ fere infinitæ ſunt, nihil aliud contineri in ſumma, quàm hoc breviſſimum verbum, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ratio offenditur iſta vilitate & paucitate verborum, quia breviſſime dicitur, Crede in Chriſtum, Item, Dilige proximum tuum ſicut teipſum. Ideo utranque doctrinam de fide & vere bonis operibus contemnit. Interim tamen iſta viliſſima & breviſſima Fidei vox,Crede inChriſtum,credentibus divina eſt potentia, qua vincunt Peccatum, mortem, diabolum, &c. qua ſalutem conſequuntur. Sic ſervire alteri per charitatem, hoc eſt, docere errantem, conſolari afflictum, erigere infirmum, adjuvare proximum quacunque re poſſis, ferre ejus agreſtes mores & importunitatem, tolerare in Eccleſia & Politia æquo animo moleſtias, labores, hominum ingratitudinem & contemptum, obedire Magiſtratibus, honore parentes afficere, patientem eſſe domi cum moroſa uxore, intractabili familia, &c. opera, ut ratio judicat, nullius momenti ſunt, Sed crede mihi, tam egregia & præclara opera ſunt, ut totus mundus eorum utilitatem & dignitatem (quia non metitur opera aut ullas alias res ex verbo Dei,ſed ex judicio impię,cæcæ & ſtultæ rationis) non comprehendat, Imo ne quidem unius minimi vere boni operis precium æſtimare poteſt.

Summa omnium legum Moſi.

Doctrina pùtativi breviſſima.

Servire proximo per charitatem.

Toto igitur cœlo errant homines,quando ſomniant ſe belle intelligere præceptum charitatis. Habent quidem illud ſcriptum in corde, Quia naturaliter judicant, Alteri faciendum, quod ſibi quis cupit fieri. Sed hinc non ſequitur, quod illud intelligant, alioqui factis etiam præſtarent,& præferrent charitatem omnibus operibus, neque tanti facerent, & inflarent ſuas bullas, hoc eſt, nugas & ſuperſtitiones, ut ſunt, triſti vultu & demiſſo capite incedere, cælibem eſſe, victitare pane & aqua, in eremo agere, ſordido veſtitu uti, & ſimilia. Illa prodigioſa & ſuperſtitioſa opera, quæ neque Deo mandante, neque approbante eligunt, judicant tam præclara & ſancta, ut charitatem, quæ eſt ſol omnium operum, longiſſime ſuperent & obſcurent. Adeo incomprehenſibilis & infinita eſt cæcitas humanæ rationis, ut non ſolum de doctrina fidei, ſed etiam de vita & operibus rite judicare non poſſit. Quare luctandum eſt nobis ſedulo non ſolum contra opiniones cordis noſtri,quibus naturaliter libentius niteremur in re ſalutis, quam verbo Dei, ſed etiam contra larvam & ſanctam ſpeciem electiciorum operum. Vt ita diſcamus magnificare opera, quæ unusquisque in ſua vocatione facit, etiamſi in ſpeciem levia & deſpecta videantur, modo habeant mandatum Dei. Et econtrà contemnere ea, quæ ratio eligit ſine mandato Dei, ut maximè præclara, gravia, magna, ſancta videantur.

Charitas ſol omnium operum.

Hoc præceptum alibi diligenter & copioſe tractavi, ideo jam obiter tantum illud percurram. Breve verbum eſt, & pulchre ac potenter dictum, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Nemo poteſt dare melius, certius & propius exemplum, quàm ſeipſum. Neque dari poteſt nobilior & profundior habitus, quàm charitas, neque excellentius objectum, quàm proximus. Exemplum ergo habitus & objectum ſunt nobiliſſima. Itaq; ſi cupis ſcire, quo modo diligendus ſit proximus, & habere exemplum illuſtre hujus rei,conſidera diligenter,quomodo tu teipſum diligas. Certe in neceſſitate & periculo maxime cuperes te amari & juvari omnibus conſiliis,

Explicatio brevis hujus præcepti. diliges proximum, &c.

Digitized by Google

filiis, facultatibus & viribus omnium hominum & creaturarum. Quare nullo libro indiges, qui te erudiat & admoneat, quomodo proximum diligere debeas, habes enim pulcherrimum & optimum librum omnium Legum in corde tuo. Non eges ullo doctore hac in re, tantum consule tuum proprium cor, hac satis abunde docebit te, ita diligendum esse tuum proximum, ut teipsum. Deinde charitas summa virtus est, quæ non solum parata est servire lingua, manu, pecunia, facultatibus, sed etiam corpore & ipsa vita, neque meritis aut ulla alia re provocatur, neque demeritis, ingratitudine, &c. impeditur. Mater ideo fovet, curat, &c. filium, quia diligit eum, &c. Postremo nullum animal, erga quod exercere debet charitatem, nobilius est proximo tuo. Non est Diabolus, non leo, ursus, lupus, non lapis, lignum, &c. sed animal tui simillimum, quo nullum vivit in terris jucundius, amabilius, utilius, benignius, magis consolatorium & necessarium, quodq; naturaliter conditum est ad civilitatem & societatem. Ideo nihil in tota rerum natura potuit constitui magis dignum amore, quàm proximus noster.

Quomodo proximus diligendus.

Charitas.

Homo dignissimus amore.

Sed ea mira ars est Diaboli, ut non solum possit egregie obscurare hoc nobilissimum objectum & ex animo eximere, sed etiam potest cordi plane contrariam opinionem persuadere, ut judicet proximum non amore, sed acerbissimo odio dignum. Hocq; potest facilime efficere, tantum suggerit, Ecce is homo hoc vitio laborat, objurgavit te, nocuit tibi, &c. Hic statim vilescit hoc objectum amabilissimum, ut amplius non agnoscatur proximus diligendus, sed hostis odio dignissimus. Hoc modo Satan mirifice potest habitum diligendi in corde nostro mutare, ut ex amatoribus proximorum fiamus detrectatores, olores & persecutores ipsorum, ut nihil in nobis de illo præcepto (Diliges proximum tuum sicut teipsum) maneat, quam nudæ & inanes literæ & syllabæ. Est autem proximus noster quilibet homo, præsertim qui ope nostra indiget, ut Christus interpretatur Lucæ 10. Qui etiamsi me aliqua injuria affecit aut nocuit, non ideo exuit humanitatem, aut desinit esse caro, sanguis, creatura Dei mihi simillima, Summa, non desinit esse proximus meus. Donec ergo in eo manserit natura humana, tantisper manet etiam præceptum charitatis, quod exigit à me, ut carnem meam non despiciam, non malum pro malo reddam, sed malum bono vincam, alioqui charitas nunquam erit tolerans, patiens, &c. 1. Cor. 13.

Odium proximi opus Diaboli.

Proximus.

Luc. 10.

1. Cor. 13.

Malicia & perversitas naturæ.

Non abciditur membrum morbosum, sed fovetur & curatur. Et membris minus honestis, inquit Paulus, uberior honos addendus est. Sed ita excæcata & corrupta est veneno Diaboli natura, ut si etiam norint filii seculi, aliquem multis insignibus donis ac virtutibus præditum, tamen si vel unum nævum aut maculam in eo deprehenderint, in hanc solam intuentes, oblivisCuntur omnium donorum & bonorum ipsius. Multos etiam invenies tam inhumanos & acerbos illusores, qui eos, quibus male volunt, non appellant proprio nomine, sed describunt ignominiosa quadam periphrasi, Vt illud apud Teren. Limis oculis, adunco naso, sparso ore, &c. Breviter, Mundus est regnum Diaboli, quod fidem & charitatem & omnia Dei dicta & facta securissime contemnit. Commendat ergo Paulus charitatem Galatis & omnibus piis (hi enim soli diligunt) & adhortatur eos, ut per eam sibi invicem serviant, q. d. Non opus est onerare vos circumcisione & ritibus Mosaicis, Sed ante omnia perseverate in fidei doctrina quam à me accepistis. Post si vultis bene operari, ego uno verbo ostendam vobis summa & maxima opera, & quomodo omnes Leges impleatis. Diligite vos mutuo per charitatem, Non deerunt quibus benefacere poteritis, Mundus enim plenus est hominibus, qui ope aliorum egent. Hæc perfecta est doctrina de fide & charitate, & Theologia brevissima & longissima. Brevissima, quod ad verba & sententias attinet, sed usu & reipsa latior, longior, profundior & sublimior toto mundo.

Gal. 14.

Doctrina de fide & charitate brevissima & longissima.

Quod si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.

Vitanda vitantur

PAULUS his verbis testatur, in Ecclesiis non posse constare pacem & concordiam,

Digitized by Google

cordiam,neq; in doctrina neq; in vita,ſi per impios Doctores ſubvertatur fundamentum,hoc eſt,fides in Chriſtum,Sed ſubinde oriri alias atq; alias opiniones & diſſenſiones de doctrina & vita. Semel autem violata Eccleſiæ concordia,non eſt modus neq; finis diſſenſionum. Autores enim ſchiſmatum inter ſe diſſentientes, hic illud, alius aliud opus docet ad juſticiam neceſſarium. Quisq; ſuam opinionem & ſuperſtitionem probat,alterius reprehendit. Ibi neceſſe eſt oriri diſſidia & factiones. Vnde fit,ut alij alios mordeant & devorent,hoc eſt,judicent & condemnent, donec tandem pereant. Hoc præter ſcripturam teſtantur etiam exempla omnium temporum. Vbi Aphrica everſa fuit per Manichæos, mox ſecuti ſunt eos Donatiſtæ,qui & ipſi inter ſe diſſentientes, diviſi erant in tres Sectas,&c. Noſtro tempore primum defecerunt à nobis Sacramentarij, poſt Anabaptiſtæ, horum neutri inter ſe concordes ſunt. Ita ſecta ſemper parit ſectas, & alia aliam damnat. Ceſſante unitate ſecundum Mathematicos, progreditur numerus usq; in infinitum. Sic læſa & ablata unitate ſpiritus, neq; in doctrina neq; in moribus poſſibile eſt manere concordiam, ſed ſubinde novi utrinq; errores naſcuntur usque in infinitum.

diſſidia in Eccleſia.

Donatiſtarum tres Sectæ.

Hoc etiam vidimus in Papatu,in quo cum neglecta jaceret doctrina Fidei, impoſſibile fuit manere concordiam Spiritus. Ea ablata, poſtea per doctrinam operum natæ ſunt fere infinitæ ſectæ Monachorum. Hi diſcordes inter ſe metiebantur ſanctitatem ex gravamine ordinum & difficultate operum ſuperſtitioſorum, quæ ipſi excogitaverant. Hinc alij volebant haberi aliis ſanctiores. Item, non ſolum Monachi diverſæ, ſed etiam ejuſdem profeſſionis, inter ſe diſſentiebant, Vt figulus figulo,ita Minorita Minoritæ invidebat,&c. Deniq; tot erant opiniones in quolibetMonaſterio,quot Monachi erant.Tam diu igitur mutuas inter ſe aluerunt æmulationes,contentiones,lites,virulentias,morſus & devorationes, donec juxta hoc dictum Pauli jam * conſumerentur,&c. Qui vero doctrinam Fidei tenent, & juxta hoc Pauli præceptum ſeſe mutuo diligunt, non vituperant alij aliorum vitæ genus & opera, ſed quisq; alterius genus vitæ & officium, quod facit in ſua vocatione, probat. Nemo pius præfert coram Deo officium, magiſtratus officio ſubditi, quia novit utrumque eſſe ordinationem Dei & habere divinum mandatum, Non diſcernit inter officium ſeu opus patris & filij, pædagogi & diſcipuli, heri & ſervi,&c. ſed certo pronunciat utrumq; placere Deo, ſi fiat in fide & obedientia Dei. Coram mundo quidem iſta vitæ genera & eorum officia inæqualia ſunt, Sed iſta externa inæqualitas nihil impedit unitatem Spiritus. Qua omnes idem de Chriſto ſentiunt & credunt,ſcilicet per eum ſolum nobis contingere remiſſionem peccatorum & juſticiam. Deinde quod ad externam converſationem & officium attinet,alius non judicat alium, neq; opera ejus vituperat, ſua laudat, etiamſi longe ſuperent ea, ſed uno ore & ſpiritu fatentur ſe habere eundem Chriſtum Salvatorem, apud quem nulla eſt perſonarum aut operum acceptio,&c.

Diſcordia in Papatu nata ex neglectu doctrinæ fidei.

* 1. Cor. 13. *conſumentur.*

Pij recte judicant de externa vita & operibus.

Hoc impoſſibile eſt eos facere, qui neglecta doctrina de fide & charitate, ſuperſtitioſa opera docent. Monachus non concedit Laici opera,quæ facit in ſua vocatione,tam bona & accepta eſſe Deo, quam ſua. Nonna longe præfert ſuum vitæ genus & opera, vitæ generi & operibus matronæ, quæ maritum habet, Sua opera judicat meritoria eſſe Gratiæ & vitæ æternæ, non item opera matrisfamilias. Atq; hinc eſt, quod ſacri iſti homines, ut auri fames, vehementer contenderunt & perſuaſerunt etiam toti mundo, ſuum ſtatum & opera, longe majora & ſanctiora eſſe Laicorum ſtatu & operibus. Et niſi hanc opinionem ſanctitatis de operibus ſuis adhuc hodie apud quoſdam haberent & defenderent, non diu ſervarent dignitatem & opes ſuas. Nulli igitur monacho,aut alij,quicunq; tandem fit, juſticiario, perſuadebis opera mariti, uxoris, ſervi, ancillæ,&c. in fide & obedientia Dei facta,meliora & magis accepta eſſe Deo, quam ſuperſtitioſa & prodigioſa illa electicia opera, quæ ipſi faciunt. Sublato enim angulari lapide Chriſto,

Carentes fide de operibus perverſe judicant.

non poſſunt operarij aliter judicare,quam ſe,præſertim cum tam pręclara & grandia opera faciunt, ſolos Deo eſſe acceptos, Sic hodie Anabaptiſtæ ſomniant, ſe, qui egent,eſuriunt,frigent & vili veſtitu utuntur,&c. eſſe ſanctos,non item alios, qui proprium habent,&c.Ideo impoſſibile eſt juſticiarios & ſectarum autores pacem habere cum iis, qui eorum opinioni non aſſentiuntur, ſed mordent & devorant eos.

Qua ratione conſervetur concordia.

Contra Paulus docet vitandas eſſe tales occaſiones diſcordiarum,& oſtendit quomodo vitari poſſint. Ea,inquit,eſt via ad concordiam,Quisq; faciat in ſuo vitæ genere,ad quod Deus eum vocavit,ſuum officium. Non extollat ſe ſupra alios, neq; opera aliorum reprehendat,& ſua velut meliora laudet, ſed alij aliis per charitatem ſerviant. Hæc germana & ſimplex eſt doctrina de bonis operibus. Hoc illi,qui naufragium circa fidem fecerunt,& fanaticas opiniones de fide & vita ſeu operibus bonis conceperunt, non faciunt, ſed ſtatim diſſentientes inter ſe de doctrina fidei & operum, alij alios mordent & devorant,id eſt, criminantur & condemnant, ut de Galatis hic Paulus ait, Quod ſi invicem mordetis,&c. q. d. Nolite alij alios invicem criminari & damnare propter circumciſionem, propter obſervationem feriarum aut aliarum ceremoniarum, Sed hoc potius præſtate, ut vobis invicem per charitatem ſerviatis, Alioqui ſi perrexeritis vos invicem mordere & devorare,videte ne conſumamini,id eſt,prorſus pereatis etiam corporaliter.Id quod fere ſemper accidere ſolet,præcipue autoribus Sectarum, ut Arrio & aliis,& noſtro tempore nonnullis.Qui enim fundamento jacto in harenam ſuperſtruit ligna,fœnum,ſtipulam,hunc neceſſe eſt perdi & concremari. Illa enim omnia parata ſunt ad incendium. Vt interim non dicam ejuſmodi morſus & devorationes ſequi ſolere etiam devaſtationes non unius civitatis, ſed regionum & rẽgnorum,&c. Nunc interpretatur, quid ſit ſervire proximo per charitatem.

Exitus eorum qui ſcripturam diſcutiunt autoritate ſua.

Difficile & periculoſum eſt docere, nos fide juſtificari ſine operibus, & tamen ſimul exigere opera. Hic niſi ſint fideles & prudentes miniſtri Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei, qui recte ſecant verbum veritatis, ſtatim fides & opera confunduntur. Vterq; locus & fidei & operum diligenter doceri & urgeri debet,ſic tamen ut uterq; intra ſuos limites maneat. Alioqui ſi opera ſola docentur, ut in Papatu accidit, fides amittitur. Si fides ſola docetur, ſtatim ſomniant carnales homines,opera non eſſe neceſſaria,&c.Cœperat Apoſtolus ſupra exhortari ad bona opera,& dicere totam Legem impleri uno verbo, illo ſcilicet, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Hic alicui in mentem venire poſſet,Paulus in tota Epiſtola detrahit legi juſticiam,quia dicit, Ex operibus legis non juſtificatur omnis caro,Item,Qui ex operibus Legis ſunt,ſub maledicto ſunt,&c. Iam autem cum ait, totam Legem in uno verbo impleri, videtur oblitus cauſæ, quam in tota hac Epiſtola tractavit, & plane diverſum ſentire,nempe hoc,quod facientes opera charitatis, Legem impleant & juſti ſint. Ad hanc occupationem reſpondet his verbis:

Quomodo docenda fides & operum tradenda ſit.

Obiectio.

Dico autem, Spiritu ambulate.

QVASI dicat, Non ſum oblitus diſputationis meæ ſuperioris de fide, neq; eam jam revoco,cum adhortor vos ad mutuam charitatem, & dico, Totam Legem impleri dilectione, Sed plane idem ſentio quod ſupra. Ideo ut recte me intelligatis, addo, Spiritu ambulate,&c.

DILVTIO ARGVMENTI SOPHISTARVM, DILECTIO EST IMPLETIO LEGIS, ERGO LEX IVSTIFICAT.

QVanquam Paulus proprie & diſerte hic locutus eſt, tamen nihil profuit. Sophiſtæ enim ex hoc dicto Pauli male intellecto, Dilectio eſt plenitudo Legis, ſic collegerunt. Si dilectio eſt impletio Legis, Ergo dilectio eſt juſticia, Ergo diligentes ſumus juſti. Belli homines argumentantur à Verbo ad opus,

Argumentari à textu ad opus.

à doctrina

à doctrina ſeu à præceptis ad vitam, hoc modo. Lex præcipit dilectionem, Ergo opus ſtatim ſequitur. Eſt autem ineptiſſima conſequentia à præceptis argumentari & concludere ad opera. Deberemus quidem implere Legem, & impletione ejus juſtificari, ſed peccatum obſtat. Præſcribit & præcipit quidem lex, ut Deum ex toto corde, &c. & proximum, ut nos ipſos diligamus. Sed ideo non ſequitur, Hoc ſcriptum eſt, ergo fit, Lex præcipit dilectionem, ergo diligimus. Non dabis aliquem in terris, qui ita diligat Deum & proximum, ut Lex requirit. In futura autem vita, ubi plane mundati ab omnibus vitiis & peccatis, & puri, ut ſol, erimus, perfecte diligemus & perfecta dilectione juſti erimus. In illa vero vita impedit puritatem illam caro, in qua, donec vivimus, hæret adhuc peccatum. Hinc tam potens eſt amor noſtri vitioſus, ut longe ſuperet amorem Dei & proximi. Interim tamen, ut & in hac vita juſti ſimus, habemus propiciatorium & thronum gratiæ, Chriſtum, in quem credentes, peccatum nobis non imputatur. Eſt igitur Fides juſticia noſtra in hac vita. In futura autem, ubi perpurgati & prorſus liberi erimus ab omnibus peccatis & concupiſcentiis, non amplius opus habebimus Fide & ſpe, ſed perfecte diligemus.

Mala conſequentia Sophiſtarum, Hoc ſcriptum eſt, ergo fit.

Amor noſtri vitioſus.

Magnus igitur error eſt tribuere juſtificationem dilectioni, quæ nulla eſt, aut ſi aliqua eſt, tamen non tanta eſt, quæ poſſit Deum placare, quia Sancti etiam in hac vita imperfecte & impure, ut dixi, diligunt. Nihil autem impurum intrabit regnum cœlorum. Interim tamen hac fiducia ſuſtentamur, quod Chriſtus, qui ſolus peccatum non fecit, neq; dolus in ore ejus inventus eſt, obumbrat nos ſua juſticia. Hoc umbraculo, cœlo remiſſionis peccatorum & throno gratiæ, concluſi & protecti, incipimus diligere & implere Legem. Sed propter hanc impletionem non juſtificamur, neq; accepti ſumus dum hic vivimus. Vbi vero tradiderit Chriſtus regnum Deo patri, & aboleverit omnem principatum, &c. & Deus erit omnia in omnibus, Ibi tum ceſſabit Fides & Spes, & Charitas erit perfecta & æterna.

Charitas piorum imperfecta.

Fides & ſpes ceſſabunt, charitas manet.

1. Cor. 13. 1. Cor. 13. Hoc Sophiſtæ non intelligunt, Ideo cum audiunt, dilectionem eſſe ſummam Legis, ſtatim inferunt. Ergo dilectio juſtificat. Vel contra, cum legunt in Paulo, Fidem juſtificare, addunt ſcilicet informatam charitate. Ea non eſt ſententia Pauli, ut ſupra dictum eſt copioſe. Si ab omnibus peccatis puri eſſemus, & perfecte arderemus charitate erga Deum & proximum, tum certe juſti & ſancti eſſemus per charitatem, nihilq; eſſet quod ultra Deus à nobis exigere poſſet. Hoc in præſenti vita non fit, ſed differtur in futuram. Accipimus quidem hic donum & primitias Spiritus, ut incipiamus diligere, ſed valde tenuiter. Si autem vere & perfecte, ut Lex, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. requirit, diligeremus Deum, tum inopia tam grata eſſet nobis, quam copia, dolor quam voluptas, mors quam vita, &c. Imo vere & perfecte diligens Deum, non diu poſſet vivere, ſed mox abſorberetur illa charitate.

Perfecta charitas.

Nunc autem humana natura adeo corrupta eſt & peccatis ſubmerſa ut plane nihil recte de Deo cogitare aut ſentire poſſit, non diligit, ſed vehementer odit

Deus prior dilexit, &c.

1. Ioh. 4. Deum, &c. Quare, ut Iohannes ait, Nos non dileximus Deum, ſed ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Et ſupra cap. 2. Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Et cap. 4. Miſit Deus filium ſuum, factum ſub legem, ut eos &c. Per hunc Filium redempti & juſtificati, incipimus di-

Rom. 8. ligere, Iuxta illud Pauli Rom. 8. Quod erat impoſſibile legi, &c. ut juſtificatio Legis in nobis impleretur, id eſt, inciperet impleri. Mera igitur ſomnia ſunt, quę Sophiſtę de impletione legis docuerunt. Quare Paulus indicat his verbis, Ambulate Spiritu, &c. quomodo velit accipi ſententiam ſuam, qua dixerat, Per charitatem ſervite vobis invicem. Item, Dilectionem eſſe impletionem legis, &c. q. d. Dum jubeo vos diligere mutuo, hoc à vobis exigo, ut ſpiritu ambuletis. Scio enim quo d legem non implebitis, quia peccatum hæret in vobis donec vivitis, ideo impoſſibile eſt vos implere Legem. Interim tamen hoc diligenter curate, ut Spiritu ambuletis, hoc eſt, luctemini Spiritu contra carnẽ, & ſectemini motus ſpirituales, &c.

Spiritu ambulare.

Non igitur oblitus eſt cauſæ juſtificationis. Nam cum jubet eos ſpiritu ambulare, manifeſte negat opera juſtificare, q. d. Cum de impletione Legis loquor, non hoc volo, quod Lege juſtificamini, ſed hoc dico, quod duo contrarij duces ſint in vobis, Spiritus & caro. Deus ſuſcitavit in corpore veſtro rixam & pugnam. Spiritus enim cum carne luctatur, & viciſſim caro cum ſpiritu. Hic nihil exigo à vobis, neq; enim plus poteſtis præſtare, niſi ut ſequentes ducem Spiritum reſiſtatis duci carni. Illi obedite, contra hanc pugnate. Itaq; cum doceo Legem, & adhortor vos ad dilectionem mutuam, ne putetis me revocare doctrinam de fide, & nunc tribuere legi vel charitati juſtificationem, Sed hoc volo, ut Spiritu ambuletis, ne concupiſcentiam carnis perficiatis. Vtitur autem Paulus verbis proprie acceptis, q. d. Nondum pervenimus ad impletionem Legis, ideo ambulare & & exerceri Spiritu nos oportet, ut ea cogitemus, dicamus, & faciamus, quæ Spiritus ſunt, utq; reſiſtamus his quæ carnis ſunt. Ideo addit:

Pugna carnis & ſpiritus in piis.

Et concupiſcentiam carnis non perficietis.

QVASI dicat, Deſideria carnis nondum mortua ſunt, ſed ſemper repullulant, remurmurant & reluctantur ſpiritui. Nullius Sancti caro tam bona eſt, quæ offenſa non vellet libenter mordere & devorare, vel ſaltem aliquid de præcepto charitatis omittere. Imo primo impetu non poteſt ſe continere, quin avertatur à proximo, vindictam expetat, & oderit eum ut hoſtem, vel ſaltem minus eum diligat, quam debebat, juxta hoc præceptum. Hoc Sanctis accidit. Ideo conſtituta eſt ab Apoſtolo pro Sanctis Regula iſta, ut ſibi invicem per charitatem ſerviant, ut alij aliorum infirmitates & onera portent, ut alij aliis remittant delicta. Et ſine hac ~~diſcordia~~ impoſſibile eſt pacem & concordiam conſiſtere inter Chriſtianos. Fieri enim non poteſt, quin ſæpe offendaris & viciſſim offendas. Multa in me vides, quæ te offendunt, Ego viciſſim in te multa video, quæ mihi diſplicent, Hic ſi alter alteri per charitatem non cedit, nullus erit finis contentionum, diſcordiarum, æmulationum, inimicitiarum, &c.

Deſideria carnis in Sanctis.

Regula.

Quare Paulus vult nos ſpiritu ambulare, ne concupiſcentiam carnis perficiamus, q. d. Etiamſi commoveamini ira, invidia, &c. adverſus fratrem offendentem vel aliquid hoſtiliter agentem contra vos, Tamen per Spiritum reſiſtite, & reprimite iſtos motus, tolerate ejus imbecillitatem & diligite eum. Iuxta illud, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Nam frater non ideo deſinit eſſe proximus, quia labitur aut offendit te, Sed tum maxime opus habet, ut charitatem erga ipſum exerceas. Et hoc præceptum, Diliges proximum, &c. exigit idem, ſcilicet ne obtemperes carni, quæ offenſa odit, mordet, devorat, &c. Sed ſpiritu reluctéris ipſi, & perſeveres per ſpiritum in amore proximi, etiamſi nihil in eo invenias amore dignum.

Ambulare Spiritu.

Sophiſtæ concupiſcentiam carnis interpretantur libidinem. Verum quidem eſt, quod pij etiam, præſertim adoleſcentes, libidine tententur, Imo conjuges (tam corrupta & peſtilens eſt caro) ſine libidine non ſunt. Quisq; hic (loquar jam cum piis conjugibus utriusq; ſexus) diligenter exploret ſeipſum, tum procul dubio inveniet ſibi magis placere formam ſeu mores alterius uxoris, quam ſuæ (& econtrà) Conceſſam mulierem faſtidit, negatam amat. Imo in omnibus rebus hoc accidere ſolet, Quod aliquis habet, contemnit, quod non habet amat, Nitimur in vetitum, ſemper cupimusq; negata, &c. Ideo non nego concupiſcentiam carnis complecti libidinem, non tamen ſolam. Quia omnes vitioſos affectus complectitur, quibus pij laborant, alij magis, alij minus, ut ſunt ſuperbia, odium, avaritia, impatientia, libido, &c. Imo inter opera carnis, non ſolum craſſa illa vitia, ſed etiam idolatriam, hæreſes, &c. infra recenſet Paulus. Conſtat igitur eum loqui de tota concupiſcentia carnis & univerſa politia peccati, quæ luctatur in piis, qui primitias Spiritus acceperunt, contra politiam ſpiritus. Non ſolum ergo loquitur de libidine, ſuperbia, &c. ſed etiam de incredulitate, diffidentia, deſperatione,

Concupiſcentia carnis ſecundum Sophiſtas.

Concupiſcentia carnis ſecundum Paulum.

odio

odio, contemptu Dei, idolatria, hæreſibus, &c. cum ait, Et concupiſcentiam carnis non perficietis.

Quaſi dicat, Ego ſcribo, ut vos mutuo diligatis. Hoc non facitis, neq; etiam poteſtis, Quia habetis carnem, & eam corruptam concupiſcentia, quæ non ſolum excitat in vobis peccatum, ſed ipſum peccatum eſt. Alioqui ſi perfectam haberetis charitatem, nulla triſticia, nulla adverſa fortuna tam magna eſſet, quæ illam charitatem interturbare poſſet, perfuſa enim eſſet per totum corpus. Nulla uxor tam deformis eſſet, quam maritus non vehementer amaret, aliis mulieribus formoſiſſimis faſtiditis, &c. Hoc non fit. Impoſſibile eſt igitur vos dilectione juſtificari.

Quare ne putetis me revocare doctrinam de fide. Nam oportet manere fidem & ſpem, ut hac juſtificemur, illa vero in malis erigamur & perduremus. Deinde ſervimus quidem nobis invicem per charitatem, quia fides non eſt ocioſa, Sed charitas exigua eſt & infirma. Ideo cum jubeo vos Spiritu ambulare, ſatis declaro vos dilectione non juſtificari.

Neq; per hoc quod dico, Vos ſpiritu debere ambulare, ne carni obediatis, aut ne concupiſcentiam carnis perficiatis, exigo à vobis, ut carnem prorſus exuatis aut occidatis, ſed ut eam coherceatis. Deus enim vult durare genus humanum usq; ad extremum diem. Hoc fieri non poteſt ſine parentibus, qui generant & educant liberos. Iſtis mediis manentibus, neceſſe eſt etiam manere carnem, & per conſequens peccatum, Quia caro non eſt ſine peccato. Itaq; ſi carnem ſpectemus, peccatores ſumus, Si Spiritum, juſti. Atq; ita partim peccatores, partim juſti ſumus. Vberior tamen juſticia noſtra eſt, quam peccatum. Quia ſanctitas & juſticia Chriſti propitiatoris noſtri longe ſuperat peccatum totius mundi, Et remiſſio peccatorum, quam habemus per ipſum tam magna, larga & infinita eſt, ut facile abſorbeat omnia peccata, modo ſpiritu ambulaverimus, &c. Porro obſervandum eſt, Paulum iſta non ſolum Eremitis & Monachis, qui cælibes vivunt, ſcribere, ſed omnibus Chriſtianis. Hoc dico, ne ineptiamus cum Papiſtis, qui ſomniarunt hoc præceptum pertinere tantum ad Clericos, quos hortetur Apoſtolus, ut ſpiritu ambulent, hoc eſt, ut domata & expugnata carne vigiliis, jejuniis, laboribus, &c. caſte vivant, Tum eos non perficere concupiſcentiam carnis, id eſt, libidinem. Quaſi tota concupiſcentia carnis victa ſit, repreſſa & domata libidine, quam tamen ſolam nulla carnis ſubactione potuerunt reprimere.

Credentes ſimul juſti & peccatores.

Præceptum pertinens ad omnes Chriſtianos.

Id quod Hieronymus, ut alios ſilentio præteream, qui mirificus amator & defenſor caſtitatis fuit, ingenue fatetur, O quoties, inquit, ego ipſe in eremo conſtitutus & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum Monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis, &c. Item, Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum jam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant, &c. Si tantos ardores libidinis ſenſit Hieronymus, qui pane & aqua in eremo victitavit, quid putas ſentire noſtros Clericos, ſancti ventris cultores, qui ſe ita replent & diſtendunt lauticiis, ut mirum ſit non rumpi medios? Quare neq; Monachis neq; peccatoribus in mundo iſta tantum ſcribuntur, Sed catholicæ Eccleſiæ omnibusq; piis, quos adhortatur Paulus ſpiritu ambulare, ut concupiſcentiam carnis non perficiant, hoc eſt, ut non ſolum cohibeant craſſos motus carnis, libidinem, iram, impatientiam, &c. Sed etiam ſpirituales illos, quales ſunt, dubitatio, blaſphemia, idolatria, contemptus, odium Dei, &c.

Ardor libidinis in S. Hieronymo.

Neque, ut dixi, Paulus exigit à piis, ut carnem prorſus abjiciant & perdant, ſed ut ita eam coherceant, ut ſpiritui ſubdita ſit, Rom. 13. jubet nos fovere carnem. Vt enim non debemus eſſe crudeles in aliorum corpora, nec ea vexare injuſto labore, ita nec noſtra. Quare juxta præceptum Pauli debemus carnem noſtram

Caro coherenda, non extinguenda.

curare,ut poſſit tolerare labores ingenij & corporis, ad neceſſitatem tamen, non ad alendam concupiſcentiam vult curari eam. Itaq; ſi caro incipit laſcivire, reprime eam ſpiritu. Si pergit,duc uxorem. Melius eſt enim nubere,quam uri.Hoc faciens ambulas ſpiritu, hoc eſt, ſequeris verbum Dei, & facis voluntatem ejus. Cæterum, ut dixi, hoc præceptum de ambulando ſpiritu,&c. non ſolum ad Eremitas & Monachos, ſed ad omnes pios, etiamſi non utantur libidine pertinet. Princeps concupiſcentiam carnis non perficit, cum diligenter facit officium ſuum, cum bene præeſt ſubditis, punit ſontes, & innocentes defendit. Ibi caro & Diabolus repugnant & ſolicitant eum, ut injuſtum bellum moveat, ut obſequatur ſuis cupiditatibus,&c.Hic niſi Spiritum ducem ſequatur,& verbo Dei & recte & pie monenti cum de officio ſuo, obediat, perficit concupiſcentiam carnis. Sic quisq; in ſua vocatione Spiritu ambulet & non ſolum libidinem ſed etiam alia opera carnis non perficiet.

Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem.

Pij ſentiunt concupiſcentiam carnis.

PAVLVS,cum dicit,carnem concupiſcere adverſus Spiritum,& Spiritum adverſum carnem commonefacit nos, quod ſenſuri ſimus concupiſcentiam carnis,hoc eſt,non ſolum Libidinem,ſed ſuperbiam,iram,triſticiam, impatientiam, incredulitatem,&c. Verum ita vult nos iſta ſentire, ne illis conſentiamus aut ea perficiamus. Hoc eſt,ne illa cogitemus,loquamur & faciamus,quæ ſuggerit,& ad quæ ſolicitat nos caro. Vt ſi etiam nos commoveat ad iram, tamen ita iraſcamur, ut Pſal. 4. docet, ne peccemus, Quaſi ſic velit dicere Paulus, Scio quod ſolicitabimini à carne ad iram,invidiam,dubitationem,incredulitatem,&c. Sed reſiſtite ſpiritu,ne peccetis. Si vero deſerto duce ſpiritu carnem ſequimini, concupiſcentiam carnis perficietis & moriemini,Rom. 8. Sic dictum hoc intelligendum eſt, non de ſola libidine,ſed de toto regno peccati,&c. Pſal. 4. Rom. 8.

Hæc autem ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunq; volueritis illa faciatis.

HI duo duces,inquit,in corpore veſtro,Caro & Spiritus,adverſantur ſibi, ut non quæcunq; volueritis, illa faciatis. Iſta verba potentialiter accipio, id eſt, ut non poſſitis facere ea,quæ velletis. Et hic locus clarè teſtatur, Paulum iſta ſcribere Sanctis, hoc eſt, Eccleſiæ credenti in Chriſtum, baptiſatæ,juſtificatæ, renovatæ & perfecte habenti remiſſionem peccatorum. Et tamen dicit eam habere carnem luctantem contra ſpiritum. Eodem modo de ſe ipſo loquitur Roman. 7. Ego carnalis ſum, venundatus ſub peccatum. Et deinde, Video aliam Legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,&c. Item, Infelix ego homo,&c. Hic anxie laborant non ſolum Sophiſtæ, ſed etiam quidam ex Patribus,quomodo Paulum excuſent. Indignum enim judicant,quod dicatur electum illud organum Chriſti peccatum habere. Nos fidem adhibemus verbis Pauli, quibus ingenue fatetur ſe venditum eſſe ſub peccatum, captivari peccato, habere Legem repugnantem ſibi, carne ſe ſervire legi peccati. Hic iterum reſpondent, Apoſtolum iſta loqui in perſona impiorum. Impij non queruntur de rebellione, pugna, captivitate peccati, quia peccatum potenter in ipſis dominatur. Ideo iſta querela veriſſime Pauli eſt & omnium Sanctorum,&c. Non ſolum igitur imprudenter, ſed etiam impie fecerunt, qui excuſarunt Paulum & alios Sanctos non habere peccatum. Iſta enim perſuaſione ex inſcitia doctrinæ fidei nata, privarunt Eccleſiam maxima conſolatione, aboleverunt remiſſionem peccatorum, & Chriſtum reddiderunt ocioſum.

Sancti habent carnem, quæ ſpiritui reſiſtit.

Pij ſentiunt tentationes & captivitatem peccati.

Rom. 7.

Quare Paulus non negat ſe carnem & carnis vitia habere, cum dicit, Video aliam Legem in membris meis,&c. Ideo credibile eſt, eum aliquando ſenſiſſe libidinem,Opinor tamen eam bene ſuppreſſam fuiſſe gravibus & magnis illis tentationibus animi & corporis, quibus, ut ejus Epiſtolæ indicant, fere perpetuo exercitatus & vexatus fuit, Aut ſi quandoq; lætus & fortis, libidinem, iram, impati-

impatientiam,&c. ſenſit,tamen ſpiritu reſtitit, & illos motus non permiſit dominari. Itaq; nullo modo concedamus hujuſmodi loca conſolatione pleniſſima, quibus Paulus luctam carnis contra ſpiritum in ſuo proprio corpore deſcribit, tam ineptis gloſſis depravari. Sophiſtæ & Monachi nullam ſpiritualem tentationem experti ſunt,ideo tantum bellum geſſerunt cum libidine reprimenda & vincenda, & ea victoria inflati, qua tamen nunquam potiti ſunt, putaverunt ſe longe meliores & ſanctiores eſſe conjugibus, Vt interim non dicam,quod iſto ſpecioſo prætextu aluerint & confirmaverint omnis generis horribilia peccata, diſſenſionem, ſuperbiam, odium, contemptum proximi, fiduciam propriæ juſticiæ, præſumptionem, neglectum pietatis & verbi, incredulitatem, blaſphemiam,&c. Contra iſta peccata non pugnaverunt, imo ne quidem duxerunt eſſe peccata, tantum in ſtultis & impiis votis ſuis obſervatis ſtatuerunt juſticiam, in neglectis peccatum. *Tentationes Monachorum.*

Nos vero certo ſtatuere debemus, noſtram capitalem, rotundam & perfectam juſticiam eſſe Chriſtum. Si nihil eſt, quo niti poſſumus, tamen iſta tria, ut ait Paulus, manent, Fides, Spes, Charitas. Semper igitur fidendum & ſperandum eſt, ſemper apprehendendus eſt Chriſtus ut caput & fons juſticiæ noſtræ, qui in hunc credit,non pudefiet. Deinde operam dare debemus, ut etiam externe juſti ſimus,hoc eſt, ne aſſentiamur carni, quæ ſemper ſuggerit aliquid mali, ſed illi reſiſtamus per ſpiritum. Ne frangamur impatientia propter ingratitudinem & contemptum vulgi, qui abutitur libertate Chriſtiana, ſed ſpiritu vincamus hanc & omnes alias tentationes. Quatenus igitur luctamur ſpiritu contra carnem, eatenus etiam externe juſti ſumus. Quanquam iſta juſticia nos coram Deo non commendat. *Chriſtus juſticia noſtra.* *Externa pietatis juſticia.*

Nemo igitur deſperet, cum ſenſerit carnem ſubinde novam pugnam movere ſpiritui, aut ſi non ſtatim poterit carnem cohibere, ut ſpiritui ſubjecta ſit. Cuperem & ego me habere firmiorem & magis conſtantem animum, qui non ſolum minas Tyrannorum, hæreſes, quas fanatici ſpiritus ſerunt, & ſcandala ac tumultus, quos iidem ſuſcitant, egregie contemnere poſſet, Sed qui etiam pavores & dolores animi ſtatim excuteret, qui denique mortem acerbam non exhorreſceret ſed eam tanquam gratiſſimum hoſpitem exciperet, Sed invenio aliam Legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ,&c. Alij luctantur cum inferioribus tentationibus, ut ſunt paupertas, ignominia, impatientia,&c. *Pius carnis vitia ſentiens, non deſperet.*

Ideo nemo miretur aut perterreſiat, cum ſentit in corpore ſuo hanc pugnam carnis contra ſpiritum, Sed erigat ſe verbis Pauli, Caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Item, Hæc ſibi invicem adverſantur, ut non quæ volueritis illa faciatis. His enim ſententiis conſolatur tentatos, q.d. Impoſſibile eſt, ut per omnia ducem ſpiritum ſequamini, ſine ullo ſenſu aut impedimento carnis. Imo caro obſtabit,& ita obſtabit, ut non poſſitis facere quæ libenter velletis. Hic ſatis eſt, ut carni reſiſtatis, ne concupiſcentiam ejus perficiatis, hoc eſt, ut ſpiritum ſequamini, non carnem; quæ facile impatientia frangitur, cupit vindictam, mordet, dubitat, murmurat, odit Deum, iraſcitur ei, deſperat,&c. Itaq; cum aliquis ſentit hanc carnis pugnam, non ideo abjiciat animum, ſed reſiſtat Spiritu,& dicat, Ego ſum peccator & peccatum ſentio, quia carne nondum exutus ſum, in qua tantiſper hæret peccatum, donec vivit. Sed ſpiritui, non carni obſequar, hoc eſt, apprehendam fide & ſpe Chriſtum, ac ipſius verbo me erigam, atq; hoc modo erectus concupiſcentiam carnis non perficiam. *Pugna carnis & ſpiritus in pijs.* *Ambulare ſpiritu.*

Valde prodeſt piis hanc doctrinam Pauli bene cognitam & meditatam habere, quia mirabiliter conſolatur tentatos. Ego Monachus putabam ſtatim actum eſſe de ſalute mea, ſi quando ſentiebam concupiſcentiam carnis, hoc eſt, malum motum, libidinem, iram, odium, invidiam,&c. adverſus aliquem fratrem, Tentabam multa, confitebar quotidie,&c. Sed nihil prorſus proficiebam. Quia ſemper redibat concupiſcentia carnis, ideo non poteram acquieſcere, ſed perpetuo cruciabat

ciabar his cogitationibus, Hoc & illud peccatum commiſiſti, item laboras invidia, impatientia, &c. Fruſtra igitur ingreſſus es ſacrum ordinem, & omnia bona opera tua inutilia ſunt. Si tum intellexiſſem recte Pauli ſententias, Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, &c. Hæc ſibi invicem adverſantur, &c. non usq; adeo me afflixiſſem, Sed, ut hodie ſoleo, cogitaſſem, Martine, tu non carebis prorſus peccato, quia carnem adhuc habes, ſenties igitur certamen ipſius, Iuxta illud Pauli, Caro reſiſtit ſpiritui. Ne igitur deſpera, ſed reluctare, ne concupiſcentiam ejus perficias, & tum non es ſub lege.

D. Staupitij dictum.

Memini Staupicium dicere ſolitum, Ego plus quam millies Deo vovi, me fore probiorem, ſed nunquam præſtiti quod vovi. Poſthac non vovebo tale quiddam, quia experientia nunc didici, me hoc non poſſe præſtare. Niſi igitur Deus placatus & propitius mihi propter Chriſtum ſit, & optatam ac felicem horulam conceſſerit, cum mihi migrandum erit ex hac miſera vita, non poterò conſiſtere cum votis & benefactis meis. Hæc non ſolum vera, ſed etiam pia & ſancta deſperatio erat, quam neceſſe eſt fateri ore & corde, quotquot ſalvi fieri volunt. Nam Sancti non nituntur ſua juſticia, ſed cum Davide clamant, Ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificatur in conſpectu tuo omnis vivens. Item, Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Intuentur autem Chriſtum propitiatorem ſuum, qui vitam dedit pro peccatis ipſorum. Deinde quod reliquum eſt peccati in carne, noverunt hoc non imputari, ſed per remiſſionem condonari ſibi. Interim tamen ſpiritu pugnant contra carnem, non quod omnino ejus concupiſcentiam non ſentiant, ſed quod eam non perficiant. Itaq; etiamſi ſentiant carnem furere & rebellare ſpiritui, & ſe quandoq; etiam per infirmitatem in peccata labi, non tamen ideo deſpondent animum, neq; ideo ſtatim cogitant, ſuum vitæ genus & officium ac opera ſecundum vocationem facta, diſplicere Deo, ſed fide erigunt ſe.

Quid pij faciant ſentientes peccatum.

Pſal. 143. & 130.

Pugna carnis & ſpiritus in ſanctis.

Magnam igitur conſolationem habent pij ex hac doctrina Pauli, quod norint ſe partim carnem, partim ſpiritum habere, Sic tamen ut ſpiritus dominetur, caro ſubjecta ſit, Iuſticia regnet, peccatum ſerviat. Qui ignorat hanc doctrinam, & cogitat pios debere prorſus carere omni defectu, & tamen ſentit contrarium, is ad extremum abſorbetur ſpiritu triſtitiæ & deſperat. Qui vero hanc doctrinam novit & recte ea utitur, huic etiam mala neceſſe eſt cooperari in bonum. Nam cum caro ſolicitat eum ad peccandum, hac occaſione excitatur & urgetur ad quærendum remiſſionem peccatorum per Chriſtum, ad juſticiam fidei amplectendam, quam alioqui tanti non faceret neq; tanto deſiderio ſuſpiraret. Itaq; valde prodeſt ut nonnunquam ſentiamus maliciam naturæ & carnis noſtræ, ut vel hoc modo expergefiamus & excitemur ad fidem & invocandum Chriſtum. Atq; iſta occaſione Chriſtianus fit artifex potentiſſimus & mirificus creator, qui ex triſticia gaudium, ex terroribus conſolationem, ex peccato juſticiam, ex morte vitam, dum hac ratione cohercens carnem, eam in ſervitutem redigit & ſpiritui ſubjicit, facere poteſt.

Chriſtianus miræ artifex.

Quare ſentientes concupiſcentiam carnis, non ideo ſtatim deſperent de ſalute. Sentiant ſane eam, modo ei non aſſentiantur. Moveat ſane eos ira, libido, &c. modo non permoveat, ſolicitet eos peccatum, modo illud non perficiant. Imo quo quisq; magis pius eſt, hoc plus ſentit illam pugnam. Hinc ſunt illæ querelæ Sanctorum in Pſalmis & tota ſcriptura. De illa pugna nihil prorſus Eremitæ, Monachi, Sophiſtæ & omnes Operarij noverunt. At dicat hic aliquis, Periculoſum eſſe hoc docere, quod aliquis ideo non damnetur, ſi paſſiones carnis, quas ſentit, non ſtatim vincat. Quia cum hæc doctrina ſpargatur in vulgus, reddatur ſecurum, iners, languidum, &c. Hoc eſt quod ſupra dixi, Si fidem docemus, carnales negligere opera, Si opera urgentur, amitti fidem & conſolationem conſcientiarum. Hic nemo cogi, neq; ulla certa regula præſcribi poteſt, Sed unusquisq; ſeipſum diligenter exploret, qua potiſſimum paſſione carnis afficiatur, & ubi hoc deprehen-

Obiectio.

deprehendit, non ſit ſecurus, non blandiatur ſibi, ſed vigilet & luctetur ſpiritu contra eam, ut ſi omnino refrenare non poteſt, ſaltem eam non perficiat.

Iſtam luctam carnis cum ſpiritu habuerunt & ſenſerunt omnes Sancti, Eandem & nos experimur. Qui explorat conſcientiam ſuam, modo non ſit hypocrita, certo inveniet ita geri rem in ſeipſo, ut Paulus hic deſcribit, ſcilicet, quod caro concupiſcat adverſus ſpiritum. Vnusquisque igitur Sanctus ſentit & fatetur carnem ſuam reſiſtere ſpiritui, & iſta duo ita ſibi invicem adverſari in ſeipſo, ut quæ velit, etiamſi maxime hic laboret & ſudet, tamen non poſſit facere. Itaq; caro obſtat quo minus præcepta Dei ſervemus, quo minus diligamus proximos ut nosipſos, multominus ut diligamus Deum ex toto corde, &c. Ideo impoſſibile eſt nos Legis operibus juſtificari. Voluntas bona quidem adeſt, quam oportet adeſſe (eſt enim ſpiritus ipſe rebellans carni) quæ libenter vellet facere bonum, implere Legem, diligere Deum & proximum, &c. Caro autem non obſequitur iſti voluntati, ſed reſiſtit ei. Sed Deus non imputat hoc peccatum, eſt enim credentibus illis propitius propter Chriſtum. Ex hoc tamen non ſequitur, quod debeas peccatum extenuare aut contemnere, quia Deus illud non imputat. Non imputat quidem, Sed quibus & propter quid? Non duris & ſecuris, ſed pœnitentiam agentibus, & fide apprehendentibus Chriſtum propiciatorem, propter quem ut remittuntur eis omnia peccata, ita & reliquiæ peccati eis non imputantur. Illi non extenuant peccatum, ſed amplificant, quia norunt illud nulla ſatisfactione, operibus & juſticia elui poſſe, præterquam per mortem Chriſti. Non tamen propter magnitudinem ejus deſperant, ſed certo ſtatuunt, illud ignoſci ſibi propter Chriſtum.

Sancti ſentiunt rebellionem carnis contra ſpiritum.

Quibus Deus peccata remittat, & non imputet.

Hoc ego dico, ne quis putet, peccatum poſt acceptam fidem, non eſſe magnifaciendum. Peccatum eſt vere peccatum, ſive ante ſive poſt Chriſtum cognitum committatur. Et Deus ſemper odit peccatum, imo omne peccatum, quod ad ſubſtantiam facti attinet, eſt mortale. Quod autem credenti non eſt mortale, fit propter Chriſtum propiciatorem, qui peccatum ſua morte expiavit. Non credenti in Chriſtum non ſolum omnia peccata mortalia ſunt, ſed etiam bona ipſius opera peccata ſunt. Iuxta illud, Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Ideo pernitioſus eſt Sophiſtarum error, qui peccata diſtinguunt penes ſubſtantiam facti, non penes perſonam. Qui credit idem & æque magnum peccatum habet, ut incredulus, Credenti tamen condonatur & non imputatur, Incredulo retinetur & imputatur, Huic veniale, illi mortale eſt. Non propter differentiam peccatorum, quod credentis peccatum minus, increduli majus ſit, ſed perſonarum. Credens enim fide ſtatuit peccatum, cum Chriſtus ſeipſum pro eo tradidit, ſibi eſſe remiſſum. Itaque peccatum habens & peccans, tamen manet pius, Contra incredulus, impius. Atque ea eſt vere piorum ſapientia & conſolatio, quod, etiamſi peccata habeant & committant, tamen ſciant ea propter fidem in Chriſtum non imputari ſibi.

Rom. 14.

Error Sophiſtarum.

Piorum ſapientia, &c.

Hæc in conſolationem piorum dico. Nam hi ſoli vere ſentiunt ſe peccata habere & committere, hoc eſt, ſe non ſatis ardenter amare Deum, ex corde illi non confidere, imo ſubinde dubitare ſe illi curæ eſſe, in adverſis rebus impatientes eſſe & iraſci Deo, &c. Hinc illæ querelæ Sanctorum in ſcripturis, præcipue in Pſalmis. Et Paulus queritur ſe venundatum ſub peccatum. Et hic ait, Carnem reſiſtere ſpiritui. Quia vero (ut alibi ait) ſpiritu facta carnis mortificant, & in fine hujus capitis, carnem cum concupiſcentiis & deſideriis crucifigunt, non nocent nec damnant eos peccata illa. Si autem carni obſequuntur, perficiendo ejus concupiſcentias, amittunt Fidem & Spiritum ſanctum. Et niſi deteſtentur peccatum & revertantur ad Chriſtũ, qui claves tradidit Eccleſiæ, ut lapſos recipiat & erigat, atq; ita fidem & ſpiritum ſanctum recuperent, in peccatis moriuntur. Quare de his non loquimur, qui ſomniant ſe fidem habere, & tamen interim in peccatis vivunt. Hi habent ſententiam ſuam, Secundum carnem viventes moriuntur. Item,

Rom. 8.

Pũ ſoli peccatum ſentiunt.

Manifeſta

manifeſta ſunt opera carnis,Fornicatio,&c. De quibus prædico vobis, ſicut prædixi,quod qui talia agunt,regnum Dei non conſequentur. Gala.5.

Sancti. Ex his etiam intelligi poteſt, qui veri ſancti ſint. Sunt autem non trunci & lapides,ut Sophiſtæ & Monachi ſomniant, qui prorſus nulla re afficiantur, aut nunquam concupiſcentiam carnis ſentiant, Sed, ut Paulus ait, Caro ipſorum concupiſcit adverſus ſpiritum. Ideo peccatũ habent & peccare poſſunt. Et Pſ.32. teſtatur,Sanctos confiteri injuſticiã ſuam,& orare pro remiſſione impietatis pecti ſui,cum inquit,Dixi,confitebor adverſum me injuſticiam meam Domino,Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.Pro hac orabit ad te omnis ſanctus,&c. Deinde orat tota Eccleſia,quæ certe ſancta eſt,remitti ſibi peccata,& credit remiſſionem peccatorum. Et Pſal. 143. orat David, Ne intres in judicium cum ſervo tuo,quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et Pſal. 130. Si iniquitates obſervas Domine,Domine quis ſuſtinebit? Apud te propiciatio eſt,&c.Sic loquuntur & orant maximi Sancti,David,Paulus,&c. Ergo idem loquuntur & orant eodem ſpiritu omnes Sancti. Sophiſtæ ſcripturas non legunt,aut ſi etiam legunt, tamen obducto ob oculos velo legunt, ideo ut de nulla prorſus re, ita neq; de peccato neq; de ſanctitate recte judicare poſſunt.

Eccleſia orat pro remiſſione peccatorum.

Pſal.32. Pſal.142. & 130.

Si autem Spiritu ducimini,non eſtis ſub lege.

PAVLVS non poteſt obliviſci doctrinæ ſuæ de fide, ſed ſemper eam repetit & inculcat etiam cum de bonis operibus agit. Hic objiciat aliquis, Qui fieri poteſt, quod ſub Lege non ſimus? Tamen tu Paule doces nos carnem habere, quæ concupiſcat adverſus ſpiritum, quæ militet,vexet & captivet nos,&c. Et revera ſentimus peccatum, nec illo ſenſu liberari poſſumus, ut maxime velimus. Hoc certe eſt ſub lege eſſe.Cur ergo Paule dicis nos non eſſe ſub lege? Hæc res,inquit,nihil vos moveat,Sed hoc ſaltem agite,ut ſpiritu ducamini, hoc eſt, ut hanc voluntatem ſervetis, quæ adverſatur carni & ejus concupiſcentias non perficit (hoc enim eſt duci ſeu trahi ſpiritu) tum non eſtis ſub lege. Sic Paulus de ſeipſo loquitur Roman. 7. Mente ſervio legi Dei,hoc eſt, Spiritu nulli peccato ſum obnoxius,Carne vero ſervio legi peccati. Itaque pij non ſunt ſub Lege, ſcilicet ſpiritu,Lex enim non poteſt accuſare & ferre ſententiam mortis contra eos, etiamſi ipſi peccatum ſentiant & fateantur ſe peccatores eſſe. Quia jus ademptum eſt legi per Chriſtum, qui factus eſt ſub Legem, ut eos qui ſub lege erant redimeret. Ideo hoc,quod vere peccatum eſt contra Legem,Lex pro peccato non poteſt accuſare in piis.

Spiritu duci.

Rom.7.

Tanta eſt igitur potentia dominij Spiritus, ut quod vere peccatum eſt, tamen Lex non poſſit accuſare. Iuſticia enim noſtra Chriſtus,quem fide apprehendimus,irreprehenſibilis eſt,ideo à Lege non poteſt accuſari. Donec in illo hæremus, ſpiritu ducimur & à lege liberi ſumus. Sic cum Apoſtolus etiam bona opera docet, non obliviſcitur diſputationis de juſtificatione, ſed ſemper indicat impoſſibile eſſe nos operibus poſſe juſtificari. Reliquiæ enim peccati hærent in carne, Ideo donec ea vivit,non deſinit concupiſcere contra ſpiritum. Nihil tamen periculi inde accipimus quia à Lege liberi ſumus, modo ſpiritu ambulemus. Et his verbis,Si ducimini ſpiritu,non eſtis ſub Lege,egregie poteris teipſum & alios vehementer tentatos conſolari. Sæpe enim accidere ſolet, quod homo ira, odio, impatientia, libidine, ſpiritu triſtitiæ aut alia concupiſcentia carnis tam fortiter exerceatur,ut eam prorſus non poſſit excutere, etiamſi hoc maxime cupiat.Quid hic faciat? num ideo deſperet? Non, Sed ita dicat, Caro tua jam pugnat & furit adverſus ſpiritum. Sinito eam furere quamdiu vult, Tu modo illi ne aſſentiaris, ſed ambula & ducere ſpiritu,ut concupiſcentiam ejus non perficias. Hoc faciens, liber es à lege. Accuſat & perterrefacit quidem te,ſed fruſtra,&c. In tali ergo lucta carnis contra ſpiritum nihil melius eſt, quam in conſpectu habere verbum, & ex eo conſolationem ſpiritus petere.

Chriſtus juſticia credentium.

Spiritu duci.

Quomodo irrigendum perturbatus.

Neq;

Neq; moveat illum,qui hanc tentationem patitur,quod Diabolus ita poteſt peccatum exaggerare, ut videatur ſibi prorſus ſuccumbere in paroxyſmo, nihilq; ſentiat, quam meram iram Dei & deſperationem. Hic ſaltem non ſequatur ſenſum ſuum, ſed hoc Pauli dictum arripiat, Si Spiritu ducimini, hoc eſt, ſi fide in Chriſtum vos erigatis,&c. non eſtis ſub Lege. Ita habebit præſidium potentiſſimum, quo poterit omnia ignita tela,quibus ille malignus eum petit,extinguere. Vt maxime igitur bulliat & inſaniat caro,tamen omnes ipſius motus & furiæ non poterunt nocere & condemnare eum.Quia ſpiritum ducem ſequens,non præbet carni aſſenſum,neq; perficit ejus concupiſcentiam. Itaq; id unicum eſt remedium, ut furentibus carnis motibus, arripientes gladium ſpiritus, hoc eſt, Verbum ſalutis, ſcilicet, quod Deus nolit mortem impij,&c. pugnemus contra eos, tunc haud dubie victores erimus, etiamſi durante pugna plane contrarium ſentiamus. Remoto autem ex oculis Verbo,non eſt conſilium neq; auxilium,&c.Ego expertus iſta loquor. Paſſus ſum varias & multas paſſiones,& eas graviſſimas,Quam primum autem aliquod dictum ſcripturæ apprehendi, & illi tanquam ſacræ ancoræ innixus ſum, ſtatim deferbuerunt tentationes, quas ſine Verbo impoſſibile mihi fuiſſet vel modicum tempus ſuſtinere, multo minus vincere.

Tentationes carnis quomodo vincantur.

Docet ergo Paulus in ſumma, hac diſputatione de lucta carnis & ſpiritus, quod Sancti ſeu credentes non poſſint perficere hoc,quod ſpiritus vult. Libenter enim ſpiritus vellet totus eſſe purus, ſed caro conjuncta illi non permittit. Salvi tamen ſunt per remiſſionem peccatorum,quæ eſt in Chriſto. Deinde quia etiam ambulant & ducuntur ſpiritu,non ſunt ſub Lege,hoc eſt,Lex non poteſt accuſare & perterrefacere eos,&c. aut ſi etiam hoc tentet, tamen non poteſt adigere eos ad deſperationem.

Non eſſe ſub Lege.

Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt, &c.

Matth. 7. Hic locus non eſt diſſimilis huic ſententiæ Chriſti. A fructibus eorum agnoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. Mala autem arbor fructus malos facit,&c. Paulus plane idem hoc loco docet,quod illic Chriſtus. Satis ſcilicet teſtari opera & fructus, an arbores bonæ ſint an malæ,an homines ſequantur ducem carnem,an ducem Spiritum, q. d. Ne quidam veſtrum cauſentur, ſe non intelligere me nunc diſſerentem de lucta carnis & Spiritus, ſubjiciam vobis ob oculos, primum opera carnis,quorum plæraq; etiam impiis nota ſunt, Deinde fructus Spiritus, Hocq; Paulus ideo facit, quia multi erant hypocritæ inter Galatas, ut hodie etiam inter nos,qui ſimulabant ſe eſſe pios, jactabant Spiritum, & quod ad verba attinebat, egregie noverant doctrinam pietatis. Interim tamen non Spiritu, ſed carne ambulabant,ac opera ipſius perficiebant. Eaq; re Paulus manifeſte convincit eos non eſſe tales,pro quibus ſeſe venditabant.Et ne hanc ejus admonitionem contemnant, fert contra eos horribilem ſententiam, Quod regni Dei hæredes non erunt,ut ea admoniti ſeſe emendent.

Hypocritæ piis admixti.

Quælibet ætas etiam in piis peculiares ſuas tentationes habet, Iuvenilem libido,virilem ambitio & vana gloria,ſenilem avaritia præcipue exercet.Hinc ſupra dixi nullum fuiſſe unquam Sanctum, quem non ſæpius in vita ſolicitaverit caro ad impatientiam,iram,&c. Hinc Paulus de Sanctis hic loquens,dicit, Carnem in ipſis concupiſcere adverſus Spiritum,&c.Itaq; non aberunt deſideria & pugnæ carnis,non tamen ideo ſtatim obſunt illis, qui eas ſentiunt. Sed ita de hac re judicandum eſt, Aliud eſſe ſolicitari à carne, & ejus concupiſcentias non ultro ferre, ſed Spiritu ambulare & reniti,&c. Aliud eſſe aſſentiri carni, & opera ejus ſecure perficere, in illis commorari, & tamen interim ſimulare pietatem & jactare Spiritum,&c. Priores conſolatur, dum dicit eos Spiritu duci & ſub lege non eſſe. Poſterioribus comminatur æternum interitum. Imo quandoque etiam accidit, ut ſancti labantur & deſideria ipſius carnis perficiant. Sicut David grandi & horribili

Quælibet ætas habet ſuas tentationes.

Sancti labantur

Digitized by Google

ribili lapſu cecidit in adulterium. Item autor fuit cædis multorum, dum volebat Vriam in acie perire. Eaque re hoſtibus etiam occaſionem dedit gloriandi contra populum Dei, adorandi idolum ſuum, & blaſphemandi Deum Iſraël. Lapſus eſt horribiliter & Petrus, cum negaret Chriſtum. Sed quamlibet illa peccata grandia ſint, tamen non ex contemptu Dei aut deſtinata malicia, ſed ex infirmitate commiſſa ſunt. Deinde admoniti non perſeveraverunt obſtinati in peccatis, ſed reſipuerunt, &c. Tales infra Cap. 6. jubet recipi, inſtrui & inſtaurari, dicens, Si præoccupatus fuerit homo, &c. Ideo qui ex infirmitate peccant & labuntur, illis non denegatur venia, modo rurſum reſurgant, & in peccatis non perſeverent, Perſeverantia autem peſſima eſt, &c. Si autem non reſipiſcunt, ſed porro obſtinati perficiunt deſideria carnis, certiſſimum ſignum eſt, quod dolus ſit in ſpiritu ipſorum.

Alij gravioribus, alij levioribus tentationibus exercentur.

Deſideriis igitur nemo carebit, quousq; in carne vivit, ideoq; nemo liber erit à tentationibus. Alius tamen aliter tentatur, ſecundum diſcrimen perſonarum. Hic gravioribus motibus exercetur, quales ſunt Triſtitia ſpiritus, blaſphemia, diffidentia, deſperatio, &c. Alius craſſioribus, quales ſunt, Libido, ira, odium, &c. Sed ibi Paulus requirit à nobis, ut ſpiritu ambulemus, & carni reſiſtamus. Qui autem carni obſequitur & pergit ſecurus deſideria ipſius perficere, ille ſciat ſe non pertinere ad Chriſtum, & ut maxime ſeſe ornet nomine Chriſtiano, tamen ſeipſum fallit. Qui enim Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifigunt cum concupiſcentiis, &c.

QVI VERÉ SANCTI DICANTVR ET SINT?

HIc locus, ut ſupra quoq; obiter monui, graviſſimam conſolationem continet. Quia admonet, quod ſine concupiſcentia & tentationibus carnis, imo etiam ſine peccatis Sancti non vivant. Admonet igitur nos, ne faciamus, ut quidam, de quibus Gerſon ſcribit, qui eo nitebantur, ut prorſus nihil tentationum & peccatorum ſentirent, hoc eſt, ut plane ſaxa eſſent. Talem imaginationem habuerunt Sophiſtæ & Monachi de Sanctis, quaſi fuerint meri ſtipites & trunci, & plane caruerint omnibus affectibus. Certe Maria ſenſit maximum dolorem animi amiſſo filio, Lucæ 2. Conqueritur David in Pſalmis, ſe immodica triſticia propter magnitudinem tentationum & peccatorum ſuorum concepta, pene abſorberi. Conqueritur & Paulus ſe foris pugnas intus pavores ſentire, Se carne ſervire legi peccati, Ait ſe ſolititum eſſe pro omnibus Eccleſiis, Et Deum miſertum eſſe ſui, quod Epaphroditum vicinum morti reſtituerit vitæ, ne dolorem ſuper dolorem haberet. Itaq; Sophiſtarum Sancti ſimiles ſunt Sapientibus Stoicorum, qui tales finxerunt ſapientes, quales nulli unquam fuerunt in rerum natura. Et hac ſtulta & impia perſuaſione, quæ nata eſt ex inſcitia hujus Paulinæ doctrinæ, adegerunt Sophiſtæ ſeipſos & alios infinitos ad deſperationem.

Gerſon.

Imaginatio Papiſtarum de Sanctis.

Luc. 2.

2. Cor. 7.

Stoicorum ſapientes.

Ego Monachus ſæpe ex animo optabam eam felicitatem mihi contingere, ut poſſem videre converſationem & vitam alicujus ſancti hominis. Interim tamen ſomniabam talem ſanctum, qui in eremo agens abſtineret à cibo & potu, & victitaret tantum radiculis herbarum & aqua frigida. Et illam opinionem de monſtroſis illis Sanctis, non ſolum hauſeram ex libris Sophiſtarum, ſed etiam Patrum. Nam alicubi S. Hieronymus ſic ſcribit, De cibis vero & potu taceo, cum luxuria ſit etiam languentes aqua frigida uti, & coctum aliquid accepiſſe, &c. Nunc autem lucente veritatis ſole, clariſſime videmus Chriſtum & Apoſtolos vocare Sanctos, non qui cælibem vitam agunt. abſtemij ſunt, aut alia opera in ſpeciem monſtroſa faciunt, ut de multis legitur in vitis Patrum, Sed qui vocati per Evangelium & baptiſati, credunt ſe Chriſti morte & ſanguine ſanctificatos & mundatos eſſe. Sic paſſim Paulus ſcribens ad Chriſtianos vocat eos Sanctos, filios & hæredes Dei, &c. Sancti igitur ſunt omnes, quotquot credunt in Chriſtum, ſive maſculi, ſive fœminæ, ſive ſervi, ſive liberi, &c. ſint, non ex ſuis operibus, ſed Dei,

Quos Chriſtus & Apoſtoli vocant Sanctos.

quæ

quæ fide accipiunt, ut ſunt Verbum, Sacramenta, Chriſti paſſio, mors, reſurrectio, victoria, Spiritus ſancti miſſio,&c. In ſumma, Sancti ſunt ſanctitate paſſiva, non activa.

Sic vere ſancti ſunt miniſtri verbi, Magiſtratus politici, parentes, liberi, heri, familia,&c. ſi primum omnium certo ſtatuant Chriſtum eſſe ſuam Sapientiam, juſticiam, ſanctificationem & redemptionem. Deinde ſi unusquisq; ex præſcripto verbi Dei faciat officium in vocatione ſua, carni non obſequatur, ſed ſpiritu reprimat deſideria & concupiſcentias ejus. Quod omnes æque non ſunt firmi, ſed multæ adhuc imbecillitates & offenſiones cernuntur in plerisq;, hoc nihil impedit eorum ſanctitatem, modo non ex deſtinata malicia, ſed ex imbecillitate peccent. Nam, ut jam aliquoties dixi, pij ſentiunt concupiſcentiam carnis, ſed repugnant ne eam perficiant. Item, ſi etiam ex improviſo labantur in peccatum, tamen veniam conſequuntur, ſi fide in Chriſtum iterum eriguntur, qui non vult ut abigamus, ſed quæramus perditam ovem,&c. Abſit igitur ut infirmos in fide aut moribus, ſi videro eos amare & revereri verbum, cœna Dominica uti,&c. ſtatim judicem profanos eſſe. Hos enim Deus aſſumpſit, & reputat eos juſtos per remiſſionem peccatorum. Huic ſtant & cadunt,&c. Lætus igitur gratias ago Deo, quod ſupra modum abunde mihi donaverit, quod olim Monachus petij, non ut viderem unum Sanctum, ſed multos, imo infinitos vere Sanctos, Non quales Sophiſtæ, ſed Chriſtus ipſe & Apoſtoli pingunt ac deſcribunt, quorum & ego, gratia Dei, unus ſum. Sum enim baptiſatus, & credo Chriſtum Dominum meum ſua morte me redemiſſe à peccatis, & donaſſe mihi juſticiam & ſanctitatem æternam. Et anathema ſit, quicunq; hunc honorem Chriſto non habuerit, ut credat, quod ejus Morte, Verbo, Sacramentis,&c. juſtificatus & ſanctificatus ſit,&c.

Veri ſancti.

Infirmi in fide.

Repudiata igitur hac ſtulta & impia opinione de Sanctorum appellatione (quam putabamus competere tantum Sanctis in cœlo, & in terra Eremitis ac Monachis, prodigioſa quædam opera facientibus) diſcamus nunc ex ſcriptura ſancta, omnes fideles Chriſti Sanctos eſſe. Admiratur mundus ſanctitatem Benedicti, Gregorij, Bernhardi, Franciſci & ſimilium. Quia audit eos magnifica in ſpeciem & inſolita quædam opera feciſſe. Certe fuerunt etiam Sancti, Hilarius, Cyrillus, Athanaſius, Ambroſius, Auguſtinus & alij, qui tam aſperam & horridam vitam non egerunt, ut illi, ſed converſati ſunt inter homines, ederunt cibos communes, biberunt vinum & veſtitu eleganti ac decenti uſi ſunt, & fere nullum diſcrimen fuit, quod ad communem vitæ conſuetudinem attinet, inter ipſos & alios honeſtos viros, & tamen longe præferendi ſunt illis ſuperioribus. Hi enim ſine ulla ſuperſtitione docuerunt fidem Chriſti pure, hæreticis reſtiterunt, & Eccleſiam ab innumeris erroribus repurgaverunt. Iucundiſſima fuit multis eorum familiaritas, & præſertim triſtibus & afflictis (non enim abduxerunt ſe à converſatione hominum, ſed officium ſuum adminiſtraverunt in frequenti turba) quos verbo erexerunt & conſolati ſunt. Contra, illi non ſolum contra fidem multa docuerunt, ſed etiam multarum ſuperſtitionum, errorum & impiorum cultuum autores fuerunt. Ideo niſi in agone mortis Chriſtum apprehenderunt, & ſola ipſius morte & victoria confiſi ſunt, nihil plane profuit eis rigida vita.

Omnes fideles Sancti.

Collatio Patrum, &c.

Hæc ſatis oſtendunt, qui vere ſancti ſint, & quæ ſit appellanda vita ſancta, Non illorum, qui in angulis & antris deliteſcunt, inediâ corpora macerant, cilicia geſtant,&c. hac opinione, ut ſingulare quoddam præmium in cœlis habeant præ cæteris Chriſtianis, Sed qui baptiſati ſunt & credunt in Chriſtum,&c. Qui non ſemel exuunt veterem hominem cum actibus ſuis, ſed durante vita manet in eis concupiſcentia, quam nihil obeſt ipſis ſentire, modo eam non permittant regnare, ſed ſubjiciant ſpiritui. Hæc doctrina affert conſolationem piis mentibus, ne, cum iſta jacula carnis', quibus impugnat Satan ſpiritum, ſentiunt, deſperent, ut multis in Papatu accidit, qui judicabant ſe nullam prorſus concupiſcentiam carnis debere ſentire, Cum tamen neque Hieronymus, neq; Gregorius, neq; Bene-

Vita ſancta.

dictus, neq; Bernhardus & alij (quos Monachi imitandos ſibi propoſuerunt tanquam perfecta exempla caſtitatis & omnium Chriſtianarum virtutum) huc pervenire potuerint, ut nullam plane concupiſcentiam carnis ſentirent, Imò ſenſerunt eam & fortiter. Id quod ingenue fatentur, non uno loco in libris ſuis. Ideo Deus non ſolum, non imputavit eis iſta levia delicta, ſed etiam pernicioſos errores, quos quidam ex ipſis in Eccleſiam invexerunt. Gregorius autor fuit Miſſæ privatæ, qua nulla unquam fuit major abominatio in Eccleſia novi Teſtamenti. Alij Monachatum, impios cultus & voluntarias Religiones excogitaverunt. Cyprianus diſputabat, ab hæreticis baptiſatos rebaptiſandos eſſe.

Gregorius autor Miſſæ privatæ.

Credo Eccleſiam ſanctam.

Recte igitur fatemur in Symbolo, nos credere Eccleſiam ſanctam. Eſt enim inviſibilis, habitans in Spiritu in loco inacceſſibili, ideo non poteſt videri ejus ſanctitas. Deus enim ita abſcondit & obruit eã infirmitatibus, peccatis & erroribus, varijs formis crucis & ſcandalis, ut ſecundum ſenſum nuſquam appareat. Qui hoc ignorant, cum vident infirmitates, peccata, &c. eorum qui baptiſati ſunt, Verbum habent & credunt, ſtatim offenduntur, & judicant eos ad Eccleſiam non pertinere. Et interim ſomniant Eccleſiam eſſe Eremitas, Monachos, &c. qui tantum labijs Deum honorant, & fruſtra eum colunt, quia non verbum Dei, ſed doctrinas & mandata hominum ſequuntur & alios docent. Quia vero ſuperſtitioſa & prodigioſa opera, quæ ratio magnifacit & admiratur, faciunt, ideo judicant eos eſſe Sanctos & Eccleſiam. Illi invertunt articulum fidei, Credo Eccleſiam ſanctam, &c. Et pro Credo ponunt Video. Iſtiuſmodi humanæ juſtitiæ & voluntariæ ſanctitates revera ſunt ſpiritualia veneficia, quibus præſtringuntur oculi & mentes hominum & abducuntur à cognitione veræ ſanctitatis, &c.

Eccleſia quæ ſit videtur mundi.

Eccleſia ſancta

Nos vero ſic docemus, Eccleſiam non habere maculam aut rugam, ſed eſſe Sanctam, per fidem tamen in Ieſum Chriſtum. Deinde in vita per abſtinentiam à concupiſcentijs carnis, & per exercitium ſpiritualium fructuum. Sed nondum eſſe ſanctam per liberationem & ademptionem omnium deſideriorum malorum, nec per expurgationem omnium impiarum opinionum & errorum. Semper enim fatetur Eccleſia peccatum ſuum, & orat ſibi dimitti debita ſua. Item, credit remiſſionem peccatorum, Quare Sancti peccant, labuntur & etiam errant, ſed per ignorantiam. Non enim libenter vellent negare Chriſtum, amittere Euangelium, revocare baptiſmum, &c. Habent igitur remiſſionem peccatorum, Et ſi etiam per ignorantiam in doctrina errant, hoc illis ignoſcitur. Quia ad extremum agnoſcunt errorem ſuum, & ſola veritate & Gratia Dei in Chriſto nituntur, ut fecit Hieronymus, Gregorius, Bernhardus & alij. Opera igitur carnis ſtudeant vitare Chriſtiani, deſideria non poſſunt.

Eccleſia orat remitti ſibi peccata.

Sentire immundiciem carnis prodeſt, &c.

Ad hoc igitur prodeſt pijs ſentire immundiciem carnis ſuæ, ne inflentur inani & impia opinione de juſtitia operum, quaſi propter eam accepti ſint coram Deo. Hac Monachi inflati tam ſanctos ſe eſſe putaverunt propter electicium vitæ genus ſuum, ut etiam alijs, quanquam interim corde proprio convincebantur ſe eſſe immundos, vendiderint ſuas juſtitias & ſanctitates. Tam pernicioſa peſtis eſt fiducia juſtitiæ propriæ, & ſomniare ſe eſſe mundum. Quia vero pij ſentiunt immundiciem cordis, non poſſunt fidere juſtitia ſua. Is ſenſus humiliat eos, ut demittant criſtas, & non poſſint confidere benefactis ſuis, & compellit eos accurrere ad Chriſtum Propiciatorem, qui non habet carnem corruptam aut vitiatam, ſed puriſſimam & ſanctiſſimam, quam pro vita mundi dedit, in illo inveniunt juſtitiam ſolidam & perfectam. Sic manent in humilitate non ficta aut Monaſtica, ſed vera, propter ſordes & vitia, quæ hærent in carne ſua, propter quæ, ſi Deus ſevere vellet judicare, rei eſſent æternæ mortis. Quia vero non ſuperbiunt contra Deũ, ſed humiliter & contrito corde agnoſcentes peccata ſua veniam petunt, ac freti beneficio Mediatoris Chriſti, progrediuntur in conſpectum Dei, & orant propter ipſum ignoſci ſibi peccata, expandit ſuper eos Deus immenſum cœlum gratiæ, ac peccata propter Chriſtum non imputat eis.

Hæc

Hæc dico, ut caveamus pernicioſos Sophiſtarum de ſanctitate vitæ errores, quibus ita mentes noſtrę fuerunt occupatæ, ut eos ſine magno labore non potuerimus excutere. Quare ſedulo operam date, ut recte diſcernatis inter juſticiam ſeu ſanctitatem veram & hypocriticam, tum poteritis aliis oculis inſpicere regnum Chriſti, quam ratio, nempe ſpiritualibus, & certo judicare, illum eſſe ſanctum, qui baptiſatus eſt & credit in Chriſtum. Et deinceps in illa fide, qua juſtificatur & remittuntur ei peccata præterita & præſentia, abſtinet ipſe à deſideriis carnis. Sed ab his prorſus non mundatur. Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum. Manent tamen iſtæ ſordes in eo, ut humilietur, & ſic humiliato dulceſcat Gratia & beneficium Chriſti. Sic iſtæ ſordes & reliquiæ Peccati non obſunt, ſed valde proſunt piis. Quo magis enim ſentiunt infirmitatem & peccata ſua, hoc magis confugiunt ad Thronum gratiæ Chriſtum, & ejus auxilium implorant, ut ornet eos ſua juſticia, ut illis augeat fidem, ſubminiſtret Spiritum, quo duce vincant concupiſcentias carnis, ne dominentur, ſed ſerviãt. Sic Chriſtianus perpetuo luctatur cum peccato, & tamen luctando non ſuccumbit, ſed victoriam obtinet.

Pũ etiam mala cedunt in bonum.

Hæc dixi, ut intelligeretis, non ex humanis ſomniis, ſed verbo Dei, qui vere Sancti ſint. Videmus ergo Chriſtianam doctrinam maxime prodeſſe ad erigendas conſcientias. Deinde ejuſmodi eſſe doctrinam, quæ non de cucullo, raſuris, roſariis & ſimilibus futilibus rebus agat, ſed de arduis & maximis cauſis, videlicet quomodo vincere debeamus carnem, peccatum, mortem, diabolum. Hæc doctrina ut ignota eſt juſticiariis, ita impoſſibile eſt eis vel unam conſcientiam errantem inſtituere aut conterritam & deſperabundam conſolari & pacificare.

Doctrina pietatis.

Adulterium, ſcortatio, immundicia, laſciuia, idolorum ſervitus, veneficium, &c.

PAVLVS non recenſet omnia opera Carnis, ſed numero finito pro infinito utitur. Primum numerat ſpecies libidinis, ſcilicet adulterium, fornicationem, immundiciam, laſciviam, &c. Non ſolum autem libido eſt opus carnis, ut ſomniarunt Papiſtæ (qui etiam conjugium, adeo caſti ſunt homines, cujus Deus ipſe autor eſt, & quod ipſi inter Sacramenta numeraverunt, opus carnis dixerunt) Sed inter opera carnis recenſet idolatriam, &c. ut ſupra jam aliquoties diximus. Ideo vel hic locus ſatis indicat, quid Paulo ſignificet Caro. Sunt autem hæ voces notiores, quam ut ulla interpretatione indigeant, Qui cupit noſſe, quid ſingulæ voces ſeorſim ſignificent, ille legat, ſi volet, commentarium veterem, quem Anno 19. edidimus. Illic ſatis copioſe naturam & vim, pro virili noſtra, ſingularum vocum totius Catalogi operum carnis & fructuum Spiritus indicavimus. Nunc conſilium præcipue fuit, ut inter enarrandam epiſtolam ad Galatas, articulum juſtificationis quam clariſſime traderemus, &c.

Caro.

Commentarius D. M. L. in Gal. editus anno 1519. Tomo 1. Fol. 392.

Idolatria.

SVMMAE religiones, ſanctitates & ardentiſſimæ devotiones eorum, qui excluſo Chriſto mediatore, ac ſine verbo & mandato Dei colunt Deum, ſunt idolatria. Vt in Papatu habebatur pro actu ſpiritualiſſimo, quando Monachi ſedentes in cellis meditabantur de Deo & ejus operibus, quando inflammati ardentiſſimis devotionibus genu flectebant, orabant & cœleſtia contemplabantur, tanta delectatione, ut præ nimio gaudio lachrymarentur. Ibi nulla erat cogitatio de mulieribus aut de ulla creatura alia, ſed tantum de Creatore & ejus mirabilibus operibus, Et tamen iſta ſpiritualiſſima res, ut ratio judicat, eſt, juxta Paulum, opus carnis. Quare omnis talis religio, qua colitur Deus ſine Verbo & mandato ejus, idolatria eſt. Et quo ea eſt ſanctior & ſpiritualior in ſpeciem, hoc pernicioſior & peſtilentior eſt. Avertit enim homines à fide in Chriſtum, & facit, ut nitantur propriis viribus, operibus, juſticiis, Qualis eſt etiam hodie Anabaptiſtarum. Quanquam hi indies ſe magis prodant, quod à Diabolo obſeſſi ac homines ſeditioſi & ſanguinarij ſint.

Digitized by Google

Igitur jejunium, cilicium, ſanctiſſimæ actiones, Regula & tota vita Carthuſianorum, quorum tamen ordo rigidiſſimus eſt, ſunt opera carnis, imo idolatria. Quia imaginantur ſe ſanctos eſſe, & ſalvari non per Chriſtum, quem ut ſeverum judicem formidant, ſed ſi Regulam ſuam obſervaverint. Cogitant quidem de Deo, Chriſto & rebus divinis, non autem ex verbo Dei, ſed ex ſua ratione, quod ſcilicet veſtitus, victus & tota ipſorum converſatio ſancta ſit & placeat Chriſto, quem hac ſua aſperitate vitæ non ſolum ſperant ſe placare, ſed habituros eſſe eum etiam remuneratorem ſuorum benefactorum & juſticiarum, &c. Ideo eorum cogitationes ſpiritualiſſimæ, ut ſomniant, non ſolum ſunt carnaliſſimæ, ſed etiam impijſſimæ, quia excluſo & contempto verbo, fide, Chriſto, &c. fiducia propriæ juſticiæ volunt peccata eluere, gratiam & vitam æternam conſequi. Omnes ergo cultus & religiones extra Chriſtum ſunt idolorum cultus. In ſolo Chriſto patri bene complacitum eſt, qui hunc audit, & facit quod jubet, eſt dilectus propter dilectum. Iubet autem ipſe nos credere verbo ſuo, baptiſari, &c. non eligere novos cultus, &c.

Falſus & verus cultus Dei.

Idolatria incognita mundo.

Supra dixi, opera carnis manifeſta eſſe, ut certe adulterium, fornicatio & ſimilia omnibus nota ſunt, Sed idolatria tam ſpecioſa & ſpiritualis eſt, ut paucis, & ijſdem tantum credentibus in Chriſtum nota ſit. Nam Carthuſianus cum caſte vivit, jejunat, orat, legit horas canonicas, ſacrificat, &c. tantum abeſt, ut credat ſe eſſe idolatram, aut opus carnis perficere, ut certo perſuaſus ſit, ſe agi & duci Spiritu, ſe ambulare Spiritu, ſe nihil quam mera ſpiritualia cogitare, loqui & facere, ac Deo gratiſſimum cultum præſtare. Nemo perſuadebit hodie Papiſtis, quod Miſſa privata ſit ſumma blaſphemia Dei & idolatria, qua horribilior nunquam fuerit in Eccleſia ab Apoſtolis conſtituta. Sunt enim excæcati & obſtinati, ideo perverſe judicant de Deo & rebus divinis, putantes idolatriam eſſe verum & ſummum cultum, econtra fidem eſſe idolatriam, &c. Nos vero credentes in Chriſtum & mentem ejus tenentes, judicamus omnia, & à nemine vere & coram Deo judicari poſſumus.

Miſſa privata.

Caro.

Ex his ſatis conſtat, Paulum vocare carnem, quicquid eſt in homine, complectendo omnes tres Potentias animæ, ſcilicet voluntatem concupiſcibilem, voluntatem iraſcibilem & intellectum. Opera voluntatis concupiſcibilis ſunt, adulterium, ſcortatio &c. Iraſcibilis, rixæ, contentiones, cædes, &c. Rationis ſeu intellectus errores, falſæ religiones ſeu cultus, ſuperſtitiones, idolatria, hæreſes, hoc eſt, ſectæ, &c. Iſta valde prodeſt noſſe. Quia vocabulum carnis in toto regno Papæ ſic obſcuratum eſt, ut opus carnis nihil aliud illis ſignificaverit, quam concubitum ſeu expletam libidinem. Inde neceſſario ſequebatur, quod non potuerint intelligere Paulum. Hic autem clare videmus, Paulum inter opera carnis numerare Idolatriam & hæreſim, quas, ut diximus, ratio judicat eſſe ſummas virtutes, ſapientiam, religionem, ſanctitatem & juſticiam. Paulus vocat ad Col. 2. religionem Angelorum. Sed quamlibet videatur ſancta & ſpiritualis res, nihil tamen aliud eſt, quam opus carnis, abominatio & idolatria contra Evangelium, fidem & verum cultum Dei. Hoc vident pij & credentes, qui oculos ſpirituales habent, Contra juſticiarij diverſum judicant. Sicut Monacho non poteſt perſuaderi, quod ſua vota ſint carnis opera. Ita Turca nihil minus credit, quam obſervationem Alcorani, baptiſmata, & alios ritus quos obſervat, eſſe opera carnis. Magnum profecto eſt, idolatriam recenſeri inter opera carnis, &c.

Opus carnis, &c.

Opus carnis ſecundum Papiſtas.

Ratio judicat idolatriam & hæreſim eſſe ſummas virtutes.

Col. 2.

Veneficium.

De veneficio dixi ſupra Cap. 3. Frequens fuit vitium his noſtris temporibus ante revelatum Evangelium, Me puero multæ erant veneficæ, quæ pecora & homines, præcipue pueros incantabant. Item nocebant ſegetibus per tempeſtates & grandines, quas ſuis veneficijs excitabant. Nunc Evangelio revelato iſta non audiuntur. Quia Evangelium exturbat Diabolum è ſede cum ſuis illuſionibus,

ſionibus,&c. Sed jam magis horribilibus, nempe ſpiritualibus veneficiis homines incantat. Paulus inter opera carnis enumerat veneficium, quod tamen, ut omnibus conſtat, non eſt opus libidinis, ſed abuſus ſeu æmulatio idolatriæ. Magia enim pactum facit cum Dæmonibus, Superſtitio ſeu idolatria cum Deo, non vero tamen, ſed factitio. Quare idolatria eſt vere veneficium ſpirituale. Nam ut veneficæ incantant pecora & homines, ita & idolatræ, hoc eſt, omnes juſticiarij volunt Deum incantare, ut talis ſit, qualem ipſi eum ſuis cogitationibus fingunt, Fingunt autem talem, qui juſtificet eos non ex mera gratia & fide in Chriſtum, ſed qui reſpiciat cultus & opera ipſorum electicia, ac propter illa reddat eis juſticiam & vitam æternam. Sed ſeipſos incantant, non Deum. Quia ſi perſeverant in hac ſua impia perſuaſione de Deo, moriuntur in idolatria & damnantur. Plæraque opera carnis ſatis nota ſunt, ideo non opus habent enarratione aliqua.

Magia. Idolatria.

Sectæ.

SECTAS hic appellar non illas diſſenſiones, quæ oriuntur in Oeconomia aut Politia, propter res corporales & mundanas, ſed quæ in Eccleſia propter doctrinam, fidem & opera oriuntur. Hæreſes, hoc eſt, ſectæ ſemper extiterunt in Eccleſia, ut ſupra non uno in loco dictum eſt. Papa tamen generalis hæreſiarcha eſt & caput omnium hæreticorum. Nam implevit orbem quaſi quodam diluvio infinitis ſectis. Nulli Monacho convenit cum alio, meriuntur enim ſanctitatem ex difficultate ordinum. Hinc Carthuſianus vult ſanctior haberi Franciſcano,&c. Ideo in Eccleſia Papiſtica nulla eſt unitas Spiritus, nulla concordia animorum, ſed ſumma diſcordia, Non eſt una & eadem Doctrina, fides, religio, cultus & mens, ſed omnia ſunt diverſiſſima. Contra Chriſtianorum omnia ſunt eadem & communia, Verbum, fides, cultus, religio, Sacramenta, Chriſtus, Deus, cor, ſenſus, anima, voluntas. Et illam ſpiritualem concordiam nihil impedit diverſitas Statuum & conditionum in externa converſatione, ut ſupra aliquoties indicatum eſt. Et qui hanc unitatem Spiritus habent, penes illos eſt certum judicium de omnibus Sectis, quas alioqui nemo intelligit, Vt certe nullus Theologus in Papatu intellexit Paulum hoc loco damnare omnes cultus & religiones, continentiam & in ſpeciem honeſtam converſationem & ſanctam vitam omnium Papiſtarum & Sectariorum, ſed putaverunt eum loqui de craſſa idolatria & hæreſibus Gentium & Turcarum, qui manifeſte nomen Chriſti blaſphemant,&c.

Papa hæreſiarcha.

In Eccleſia Papiſtica ſumma diſcordia animorum,&c.

Eccleſia Chriſtiana concors,&c.

Ebrietates, Commeſſationes.

PAVLVS non dicit, bibere & edere, opera carnis eſſe, ſed inebriari & commeſſari, quo nihil eſt hodie in his terris vulgatius. Qui iſti luxui pluſquam beſtiali dediti ſunt, ſciant ſe non eſſe ſpirituales, ut maxime tales ſe eſſe glorientur, ſed ſequi carnem & opera ejus perficere. Ideoq; audiunt horribilem ſententiam, quod regni Dei hæredes non erunt. Vult ergo Paulus Chriſtianos vitare ebrietatem & crapulam, & ſobrie ac frugaliter vivere, ne carne bene paſta irridentur ad laſciviam, ut crete poſt nimiam crapulam & repletionem ſtomachi vehementer furere ſolet crao. Non tamen ſatis eſt cohercere tantum iſtam furioſam prurigi-nem, quæ crapulam comitatur, ſed caro etiam ſobria ſubigenda eſt, ne deſideria ſua perficiat. Nam ſæpe accidere ſolet, ut maxime ſobrij maxime tententur, Vt Hieronymus de ſe ſcribit, Pallebant, inquit, ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum jam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant,&c. Hoc & ego ipſe Monachus expertus ſum. Ideo ſola inedia ardor libidinis non extinguitur, Sed accedere oportet ſpiritum, hoc eſt, meditationem Verbi, fidem & orationem. Iejunium vincit quidem illos craſſos impetus libidinis, ipſa autem deſideria carnis nulla abſtinentia cibi & potus, ſed ſeria meditatione verbi & invocatione Chriſti ſuperantur.

Ebrieſi, Commeſſatores.

Ardor libidinis quomodo vincatur.

Digitized by Google

Et his similia.

Quia impossibile est enumerare omnia opera carnis. De quibus prædico vobis, sicut prædixi, Quod qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

HAEC durissima est sententia, & tamen maxime necessaria contra falsos Christianos & securos hypocritas, qui jactant Evangelium, fidem, Spiritum, & tamen interim securissime perficiunt opera carnis. Præcipue autem hæretici, inflati opinionibus, ut somniant, de rebus spiritualissimis, homines obsessi à Diabolo, & prorsus carnales sunt, ideoq; desideria carnis per omnes potentias animæ perficiunt. Quare summe necessarium fuit tam horribilem & tremendam sententiam ab Apostolo ferri contra tales securos contemptores & obstinatos hypocritas, Quod qui talia opera carnis perficiunt, quæ Paulus recensuit, regnum Dei non consequuntur, Ut vel aliqui ex ipsis, hac severa sententia perterrefacti, inciperent Spiritu pugnare contra opera carnis, ne ea perficerent.

Horribilis sententia à Paulo data.

Fructus autem Spiritus sunt, Charitas, Gaudium, Pax, Longanimitas, Suavitas, Bonitas, Fides, Mansuetudo, Continentia.

NON dicit opera Spiritus, ut opera carnis, sed ornat has virtutes Christianas digniore appellatione, vocans fructus Spiritus. Habent enim maximam utilitatem & fructum. Nam illis prædita tribuunt gloriam Deo, & iisdem invitant alios ad doctrinam & fidem Christi.

Fructus Spiritus.

Charitas.

SATIS fuisset solam charitatem ponere. Dilatatur enim in omnes fructus Spiritus. Et 1. Corinth. 13. tribuit ei Paulus omnes fructus, qui in Spiritu fiunt, cum ait, Charitas patiens est, benigna est, &c. Voluit tamen eam seorsim hic inter fructus Spiritus numerare & primo loco ponere, ut admoneat Christianos, ut ante omnia sese mutuo diligant, per charitatem alius alium honore præveniat, & quisq; alium præstantiorem se existimet, & hoc propter inhabitantem Christum & Spiritum sanctum, propter verbum, baptismum, & alia divina dona, quæ Christiani habent. 1. Cor. 13.

Gaudium.

EST vox sponsi & sponsæ, hoc est, jucundæ cogitationes de Christo, salubres exhortationes, læta carmina, laudes, gratiarum actiones, quibus sese mutuo adhortantur, exercent & exhilarant pij. Aversatur ergo Deus tristiciam spiritus, odit tristem doctrinam, tristes cogitationes & verba, & delectatur lætitia. Non enim misit filium suum ut contristaret, sed ut exhilararet nos. Hinc passim hortantur, imo præcipiunt Prophetæ, Apostoli & Christus ipse, ut gaudeamus & exultemus. Zach. 9. Exulta filia Zion, jubila filia Ierusalem, Ecce Rex tuus venit tibi. Et in Psalm. sæpe, Lætamini in Domino. Paulus, Gaudete in Domino semper, &c. Et Christus, Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Vbi hoc Gaudium spiritus est, ibi cor intus lætatur per fidem in Christum, certo statuens eum esse Salvatorem & Pontificem nostrum, & foris hoc gaudium verbis & gestibus ostendit. Item lætantur pij, quando Evangelium late spargitur, & multi ad fidem accedunt, atq; ita Christi regnum augetur.

Scriptura admonet nos lætari in Deo, &c.

Gaudium Spiritus.

Zach. 9. Psal. 32. Philip. 4. Luc. 10.

Pax.

ERGA Deum & homines, ut Christiani placidi & quieti sint, non contentiosi & invicem odio prosequentes, sed alij aliorum onera portent per patientiam. Nam sine patientia pax non potest consistere. Ideo etiam Paulus eam statim post pacem ponit.

Mansuetu-

Μακροθυμία.

QVAM puto eſſe aſſiduitatem patientiæ, qua aliquis non ſolum tolerat adverſitates,mala,injurias,&c. ſed etiam longanimiter expectat emendationem illorum, qui eum læſerunt. Diabolus cum vi non poteſt ſuperare tentatos,aſſiduitate ſuperat. Novit enim nos eſſe vaſa teſtacea, quæ frequentes & diu durantes ictus & impetus perferre non poſſint,ideo aſſiduitate multos vincit,Ad hanc ipſius aſſiduitatem vincendam opus eſt longanimitate. Quæ ut emendationem illorum qui vim inferunt; ita quoq; finem tentationum, quas diabolus movet, patienter expectat. *Diabolus, quos vi non poteſt vincere, aſſiduitate vincit.*

Χρηστότης.

EST facilitas & ſuavitas in moribus & tota vita, Chriſtiani enim non debent eſſe aſperi & moroſi,ſed lenes,humani, affabiles, comes, quibus cum libenter alij converſentur. Qui diſſimulent aliorum errata, aut ſaltem in bonam partem interpretentur,qui libenter aliis cedant, ferant intractabiles,&c. Vt & gentes dixerunt,Mores amici noveris non oderis. Talis fuit Chriſtus, ut paſſim cernere eſt in Evangelio. De S. Petro legitur, quod fleverit quoties recordatus ſit ſuavitatis Chriſti qua uſus eſt in quotidiana converſatione. Virtus eſt maxima, & in omni genere vitæ neceſſaria. *Suavitas Chriſti*

Bonitas.

LIBENTER adjuvare aliorum inopiam,largiri,mutuum dare,&c.

Fides.

CVM Paulus hic fidem inter fructus Spiritus numeret,palam eſt eum non fidem in Chriſtum, ſed fidelitatem ſeu candorem intelligere. Hinc 1. Cor. 13. ait charitatem omnia credere. Qui igitur hanc fidem habet, non eſt homo ſuſpicax, ſed ſimplicis & candidi cordis. Qui etiamſi fallitur & diverſum experitur quam credit,tamen adeo lenis eſt, ut libenter hoc condonet. Summa,omnibus credit, non tamen confidit. Contra,hac virtute carentes, homines ſunt ſuſpicaces, difficiles,moroſi & virulenti. Nemini cedunt nec credunt; nihil ferre poſſunt,bene dicta & facta aliorum calumniantur & pervertunt, & eos,à quibus non laudantur & magnifiunt,oderunt. Ideo impoſſibile eſt eos charitatem, amicitiam, concordiam,pacem cum hominibus ſervare. His autem ablatis, nihil aliud eſt hæc præſens vita,quam morſus & devoratio. Fides ergo hoc loco eſt, quod alter alteri fidem adhibet in his rebus,quæ ad præſentem vitam pertinent, Qualis enim eſſet præſens vita noſtra,ſi alter alteri non crederet? *Fides hoc loco ſignificat ſyncerit. &c.*

1. Cor. 13.

Manſuetudo.

VIRTVS eſt,quando aliquis non facile commoveretur ad iracundiam, Infinitæ autem ſunt occaſiones in hac vita, quæ ad iracundiam provocant, ſed pij manſuetudine eas vincunt.

Continentia.

EST ſobrietas,temperantia ſeu moderatio in omni vita, quam Paulus opponit operibus carnis. Vult ergo,ut Chriſtiani caſte & ſobrie vivant, non ſint adulteri,ſcortatores,laſcivi,qui ſi non poſſint caſte vivere,ducant uxores. Item non ſint contentioſi,litigatores,&c. non inebrientur, non dediti ſint crapulæ, ſed ab his omnibus abſtineant. Iſta omnia complectitur caſtitas ſeu continentia. Hieronymus de ſola virginitate exponit, quaſi conjuges non poſſint eſſe caſti,aut Apoſtolus ſolis virginibus iſta ſcripſerit. Certe Tit. 1. 2. admonet Epiſcopos & adoleſcentulas mulieres,utrosq; conjuges,ut ſint caſti & puri. *Caſtitas.*

1. 1. 8.

Adverſus hujuſmodi non eſt lex.

EST quidem lex,ſed non contra tales. Sic alibi, Lex juſto non eſt poſita. Sic enim juſtus vivit, ut nulla Lege opus habeat, quæ cum admoneat, urgeat & cogat, *Lex abrogata credentibus in Chriſtum.*

Digitized by Google

& cogat, ſed ſine ulla coactione legis ſponte facit, quæ lex exigit. Ideo Lex non poteſt accuſare & reos agere credentes in Chriſtum, nec eorum conſcientias perturbare. Terret quidem & accuſat, ſed Chriſtus fide apprehenſus, abigit eam cum ſuis terroribus & minis. Itaque lex eis ſimpliciter abrogata eſt, Non habet igitur jus accuſandi eos, Sponte enim faciunt, quod lex requirit. Fide enim Spiritum ſanctum conceperunt, qui non ſinit eos ocioſos eſſe. Si caro reſiſtit, ambulant ſpiritu, &c. Sic Chriſtianus intus implet legem fide, Chriſtus enim perfectio legis eſt ad juſticiam omni credenti, Foris operibus & remiſſione peccatorum. Qui vero opera & deſideria carnis perficiunt, hos civiliter & theologice accuſat & condemnat Lex.

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis.

Vere credentes. ILLE totus locus de operibus oſtendit, vere credentes non eſſe hypocritas, Ideo nemo ſeipſum decipiat. Quicunque inquit, ad Chriſtum pertinent, cru-

Crucifigere carnem. cifigunt carnem cum morbis & vitiis. Sancti enim, quia nondum exuerunt prorſus carnem vitiatam, propenſi ſunt ad peccandum, non ſatis timent & diligunt Deum, &c. Item, ſolicitantur ad iram, invidiam, impatientiam, libidinem & ſimiles motus, quos tamen non perficiunt. Quia, ut Paulus hic ait, crucifigunt carnem cum paſſionibus & vitiis. Quod fit, cum non ſolum jejuniis aut aliis exercitiis petulantiam carnis reprimunt, ſed, ut ſupra Paulus dixit, cum ſpiritu ambulant, hoc eſt, cum admoniti divinis comminationibus, quibus comminatur Deus ſe peccatum ſevere puniturum, à peccando abſterrentur, Item cum Verbo, fide & oratione inſtructi, non obſequuntur concupiſcentiis carnis. Hoc modo reſiſtentes carni, clavis cruci eam affigunt cum affectibus & deſideriis, ut, quanquam caro ſit viva & adhuc moveat ſe, tamen non poſſit perficere quod velit, cum manibus & pedibus ligatis cruci affixa ſit. Pij ergo dum hic vivunt, crucifigunt carnem, hoc

Armatura Dei. eſt, ſentiunt quidem concupiſcentias ipſius, ſed non obſequuntur eis. Induti enim armatura Dei, fide, ſpe & gladio Spiritus, repugnant carni, ac iſtis armis ſpiritualibus ceu clavis quibuſdam eam affigunt cruci, ut etiam invita ſpiritui ſubjecta eſſe cogatur. Poſtea morientes prorſus eam exuunt, & reſuſcitati habebunt carnem puram ſine affectibus & concupiſcentiis.

CAP. VI.

Si Spiritu vivimus, Spiritu & incedamus, &c.

DAVID ſupra inter opera carnis numeravit expreſſe hæreſes & invidias. Et ſententiam tulit contra eos, qui invident & autores ſectarum ſunt, quod regnum Dei non ſint conſecuturi. Nunc quaſi oblitus quid Paulo ante egerit, novo iterum ſermone perſtringit eos, qui invicem provocant & invident. Cur hoc facit? An non ſatis erat ſemel feciſſe? Paulus conſulto facit, vult enim atrociter invehi in deterrimum vitium, quod

Kenodoxia. Κενοδοξία vocatur, quod cauſa fuit perturbationis omnium Eccleſiarum in Galatia, quodq; ſemper peſtiferum & exitiale fuit Eccleſiæ Chriſtianæ. Hinc ad Titum

Superbia. non vult conſtitui Epiſcopum ſuperbum. Superbia enim, ut Auguſtinus veriſſime alt, eſt mater omnium hæreſum, imo fons eſt omnis peccati & ruinæ, Id quod teſtantur hiſtoriæ ſacræ & prophanæ. Κενοδοξία autem ſemper vulgatiſſima peſtis eſt in mundo, quod etiam gentiles Poëtæ & Hiſtorici vehementer reprehenderunt.

Inanis gloria quanta peſtis ſit. Non eſt pagus, in quo non reperiatur unus atq; alter, qui præ aliis non velint ſapere & magnificri, &c. Præcipue tamen hoc vitio laborant homines ingenioſi, qui de cru-

Digitized by

de eruditione & ſapientia certant. Hic nemo vult alteri cedere, juxta illud, Qui volet ingenio cedere, nullus erit. Pulchrum eſt enim digito monſtrari, & dicier hic eſt. Italia hodie laborat inſigniter Κενοδοξία, ut olim Græcia. Sed in privatis hominibus, imo etiam magiſtratum gerentibus, non tam pernicioſa eſt, ut in his, qui Eccleſiæ præſunt. Quanquam etiam in Politia, præſertim ſi cadat in ſummos viros, non ſolum ſit cauſa perturbationis & everſionis Rerumpublicarum, ſed etiam perturbationis & mutationis regnorum atque imperiorum, Id quod ſacræ & Gentiles Hiſtoriæ teſtantur.

Inanis gloria peſtis Eccleſiæ.

Quando vero iſta peſtis ſerpit in Eccleſiam ſeu regnum ſpirituale, dici non poteſt quam nocens ſit. Ibi enim non de eruditione, ingenio, pulchritudine, opibus, regnis, imperijs, &c. certatur, ſed aut de ſalute & vita, aut perditione & morte æterna. Ideo graviſſime ab hoc vitio dehortatur Paulus eos, qui ſunt in miniſterio verbi, dicens, Si ſpiritu vivimus, &c. Q. d. Si verum eſt quod ſpiritu vivimus, ordine etiam incedamus & ſpiritu ambulemus. Nam ubi ſpiritus eſt, renovat homines, parit in eis novos motus, hoc eſt, ex vane glorioſis, iracundis, invidis, &c. facit humiles, manſuetos, patientes, &c. Tales non ſuam gloriam, ſed Dei quærunt, non invicem provocant & invident, ſed alij alijs cedunt & honore præveniunt. Contra, qui cupidi ſunt gloriæ, qui invicem provocant & invident, illi quidem jactare poſſunt ſe ſpiritum habere, ſe vivere ſpiritu, Sed ſeipſos fallunt, carnem ſequuntur, & ejus opera perficiunt, habentq; judicium ſuum, Quod regnum Dei non conſequentur.

Spirium effectus.

Vitium in Eccleſia vanæ gloriæ.

Vt autem nihil peſtilentius, ita nihil magis vulgatum eſt in Eccleſia hoc deteſtabili vitio. Nam ubi Deus extrudit operarios in meſſem ſuam, ſtatim ſuſcitat & Satan ſuos miniſtros, qui nulla in re inferiores haberi volunt illis, qui rite vocati ſunt. Hic mox oritur diſſidium, Impij ne pilo quidem cedere volunt pijs. Somniant n. ſe longe eos vincere ingenio, doctrina, pietate & ſpiritu (Multo minus pij cedere debent impijs, ne doctrina fidei periclitetur) Deniq; ea eſt natura miniſtrorum Satanæ, quod apud ſuos non ſolum egregie ſimulare norunt charitatem, concordiam, humilitatem & alios fructus Spiritus, ſed etiam ſeſe mutuo laudant, alij alios ſibi præferunt & præſtantiores ſe eſſe dicunt. Ideo nihil minus videri volunt, quam Κενόδοξοι. Imo nihil aliud ſe quærere jurant, quam gloriam Dei & ſalutem animarum. Et tamen interim inanis gloriæ cupidiſſimi ſunt, omnia facientes, ut præ cæteris exiſtimationē & laudem apud homines ſibi pariant. Summa, exiſtimant pietatem eſſe quæſtum, & miniſterium verbi ideo traditum, ut per hoc inclareſcant. Ideoq; non poſſunt non eſſe diſſenſionum & ſectarum autores.

Natura Pſeudoapoſtolorum.

Quia ergo Κενοδοξία Pſeudoapoſtolorum cauſa fuerat, ut perturbarentur Eccleſiæ in Galatia, & deficerent à Paulo, voluit hoc exitiale vitium ſingulari ſermone & capite inſectari. Imo ea peſtis Paulo occaſionē dedit ſcribendi hanc totam epiſtolam. Et niſi eam ſcripſiſſet, quicquid laboris in prædicando Evangelio apud Galatas inſumpſiſſet, fruſtra inſumptum fuiſſet. Nam eo abſente regnabant jam in Galatia pſeudoapoſtoli, viri in ſpeciem magnæ autoritatis, qui præter hoc, quod ſimulabant ſe quærere gloriam Chriſti & ſalutem Galatarum, converſati etiam fuerant cum Apoſtolis, quorum veſtigia in docendo ſe ſequi jactabant. Deinde quia Paulus Chriſtum in carne non viderat, neq; cum Apoſtolis converſatus fuerat, contemnebant eum præ ſe, ac repudiata ipſius doctrina, ſuam jactabant veram & germanam eſſe. Atq; ita perturbabant Galatas, & ſectas inter ipſos ſuſcitabant, ut invicem provocarent & inviderent. Quod certiſſimum ſignum erat, neq; doctores neq; diſcipulos ſpiritu vivere & ambulare, ſed carnem ſequi & ipſius opera perficere, Atq; per conſequens, eos amiſiſſe veram doctrinam, fidem, Chriſtum, omnia dona Spiritus, & jam deteriores eſſe Gentibus, &c.

Autoritas Pſeudoapoſtolorum.

Pſeudoapoſtoli contemſerunt Paulum.

Neq; tamen in ſolos Pſeudoapoſtolos, qui ſuo tempore perturbabant Eccleſias, hic invehitur, Sed in Spiritu prævidit, infinitos tales futuros uſque ad finem mundi,

mundi,qui hoc peſtilentiſſimo vitio contaminati, ſine vocatione irrupturi eſſent in Eccleſiam, jactaturi ſpiritum & cœleſtem doctrinam,atq; hoc prætextu veram doctrinam ac fidem everſuri. Tales etiam noſtra ætate vidimus multos, qui non vocati ingeſſerunt ſe in regnum Spiritus, hoc eſt, in miniſterium verbi, & ad tempus videri voluerunt idem docere quod nos. Eaque ſimulatione pepererunt ſibi nomen & famam,quod eſſent Evangelij doctores,qui ſpiritu viverent & ordine incederent. Quam primum autem ſua blandiloquentia devinxerunt ſibi animos vulgi, ſtatim, quacunque occaſione data, deflexerunt à via recta, & aliquid novi cœperunt docere, ut hac ratione inclareſcerent, & vulgo prædicarentur, quod ipſi primi oſtendiſſent errores in Eccleſia, abuſus aboleviſſent & correxiſſent, Papatum evertiſſent,ac novum aliquod egregium dogma inveniſſent,Ideoque merito haberent primas inter Evangelicos doctores. Quia vero gloria illorum non in Deo, ſed in ore hominum fundata erat, non potuit eſſe firma & ſtabilis, ſed juxta Pauli prophetiam, facta eſt confuſio, & finis ipſorum perditio. Impij enim non conſiſtunt in judicio, ſed tanquam palea rapiuntur & diſperguntur à vento.

Non vocati.

Gloria hæreticorum, &c.

Idem judicium manet omnes, qui ſua, non quæ Chriſti Ieſu ſunt,in Evangelio docendo quærunt. Evangelium enim non eſt traditum, ut laudem & gloriam noſtram inde quæramus, aut ut populus nos ejus miniſtros veneretur & magnifaciat, Sed ut per illud illuſtretur beneficium & gloria Chriſti, ut Pater glorificetur in miſericordia ſua, quam nobis exhibuit in Chriſto filio ſuo, quem pro nobis omnibus tradidit, & cum eo nobis omnia donavit. Ideo Evangelium doctrinæ genus eſt, in quo nihil minus quærere debemus, quam gloriam noſtram. Proponit res cœleſtes & æternas, quæ noſtræ non ſunt, quas nos nec fecimus nec meruimus,ſed offert eas nobis indignis ex mera benignitate Dei. Cur ergo de eis arrogemus nobis gloriam? Ideo qui in Evangelio ſuam gloriam quærit, à ſemetipſo loquitur.Qui autem à ſemetipſo loquitur,mendax eſt,& injuſticia in illo eſt. Contra,qui quærit gloriam ejus,qui miſit ipſum, hic verax eſt & injuſticia in illo non eſt,Iohan.7. Graviſſime ergo monet Paulus omnes verbi miniſtros,dicens,Si Spiritu vivimus,ſpiritu & incedamus,hoc eſt,maneamus in ordine,hoc eſt, in doctrina veritatis ſemel tradita,in charitate fraterna & concordia ſpiritus. Simplici corde prædicemus Chriſtum & gloriam Dei, & illi omnia accepta referamus, non præferamus nos invicem alij aliis, non ſuſcitemus ſectas. Hoc enim non eſt recta incedere, ſed verum ordinem relinquere, & novum & perverſum inſtituere.

Quid in Evangelio quærendum ſit.

Iohan.7.

Spiritu incedere

Ex his intelligi poteſt, quod Deus ſingulari gratia doctores Evangelij cruci & omnis generis afflictionibus ſubjicit, in ſuam ipſorum & populi ſalutem, alioqui enim nullo modo hanc beſtiam, quæ dicitur Κενοδοξία, poſſet reprimere & contundere. Nam ſi doctrina Evangelij meram laudem, admirationem & gloriam apud homines haberet, & nulla prorſus eam ſequeretur Perſecutio, crux, ignominia,&c. tum certe omnes profeſſores ipſius peſte inanis gloriæ inficerentur & perirent. Hieronymus alicubi in hanc ſententiam dicit, ſe multos vidiſſe, qui potuerint perferre multa incommoda in corpore & fortunis, Qui autem potuerit contemnere laudes ſuas,neminem. Impoſſibile enim eſt,quod aliquis non infletur prædicatione laudum ſuarum. Paulus Spirituin Chriſti habens, dicit in hoc ſibi datum fuiſſe angelum ſatanę,qui eum colaphis cæderet,ne efferretur magnitudine revelationum. Ideo Auguſtinus recte ait, Si miniſter verbi laudatur, verſatur in periculo, Si eum frater contemnit, & non laudat, frater in periculo verſatur. Qui audit me verbum Dei docere, honorem mihi debet propter verbum,Si honore me afficit,bene facit,ſi ego autem inde ſuperbio,in periculo ſum. Contra,ſi me contemnit,ſum ſine periculo,non item ipſe.

Cur Deus crucem imponat doctoribus Evangelij.

Hieronymi dictum.

Auguſtini dictum.

Itaq; omnibus modis hoc nobis præſtandum eſt, ut bonum noſtrum, hoc eſt, miniſterium Verbi, Sacramenta,&c. honore afficiamus, Item ut invicem alij aliis

alijs honorem habeant,auditores doctoribus, & econtra juxta illud,Honore alij
Rom.12. alios prævenientes.Sed hoc ubi fit,caro ſtatim his laudibus titillatur & inſoleſcit. *Caro laudibus inſoleſcit.*
Nemo enim eſt etiam ex piis, qui non libentius cupiat laudari,quam vituperari,
Niſi aliquis tam bene obfirmatus ſit hac in parte, ut nec laudibus nec convitijs
Reg.14. moveatur. Vt mulier illa 2. Reg. 14. de Davide dicebat, Sicut Angelus Domini,
ita eſt Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.
2.Cor.6. Item Paulus, Per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, &c.
Tales qui nec laudibus efferuntur, nec vituperijs franguntur, ſed ſimpliciter ſtudent beneficium & gloriam Chriſti prædicare & ſalutem animarum quærere, ordine incedunt. Contra, qui prædicatione laudum ſuarum ſuperbiunt, ſuam non Chriſti gloriam quærunt. Aut qui convitijs & infamia moventur, deſerant miniſterium Verbi,utriq; ordine non incedunt,&c. *Qui ordine incedunt, qui non.*

Quare videat unuſquisq; qui ſpiritum jactat,ut in ordine maneat. Si laudaris,ſcito non te laudari,ſed Chriſtum, cui omnis laus & gloria debetur. Quod enim pie doces, ſancte vivis,non ſunt dona tua,ſed Dei,Ergo non tu laudaris, ſed Deus in te. Hoc ubi agnoveris, in ordine manebis,non effeteris gloria (Quid enim habes quod non accepiſti?) ſed eam acceptam feres Deo.Nec convitijs,infamia, perſecutione moveberis, ut deſeras vocationem, &c. Deus ergo ſingulari gratia hodie obruit gloriam noſtram, infamia,acerbiſſimis odijs,perſecutionibus & blaſphemijs totius mundi. Deinde contemptu & ingratitudine noſtrorum hominum, ruſticorum, civium & nobilium (Quorum inimicitia & perſecutio contra Evangelium, ut eſt occulta & inteſtina, ita nocentior eſt quam hoſtium, qui palam illud perſequuntur,ne de donis noſtris ſuperbiamus. Hanc molam aſinariam oportet ſuſpendi in collum noſtrum, ne illa peſte inanis gloriæ inficiamur.Sunt quidem aliqui ex noſtris hominibus,qui nos reverentur propter miniſterium verbi.Sed ubi unus eſt qui nos reveretur, viciſſim centum ſunt, qui nos oderunt, contemnunt & perſequuntur, &c. Illæ igitur blaſphemiæ & perſecutiones adverſariorum & maximus contemptus, ingratitudo & acerbiſſimum occultum odium eorum,inter quos vivimus,jucunda ſcilicet ſpectra,ita nos exhilarant,ut facile obliviſcamur inanis gloriæ. *Hoſtes Evangelij occulti ſunt manifeſti.*

Itaq; gaudentes in Domino, qui eſt gloria noſtra, manemus in ordine. Longè vincimus quidem donis ſpiritualibus alios, ſed quia ea agnoſcimus Dei
1.Cor.12. eſſe, non noſtra, donata nobis in ædificationem corporis Chriſti, non ſuperbimus propter illa. Scimus enim plus requiri ab illis, quibus multum commendatum eſt,quam quibus parum commendatum eſt, Deniq; ſcimus coram Deo non eſſe reſpectum perſonarum.Ideo non minus placet Deo edituus fidelis in ſuo dono, quam doctor verbi, quia eadem fide & ſpiritu ſervit Deo. Quare non debemus infimos Chriſtianos minus colere, quam ipſi nos. Atque hoc modo manemus liberi à peſte inanis gloriæ, & ſpiritu incedimus. Contra, fanatici ſpiritus, quia gloriam ſuam, favorem & plauſum hominum,pacem mundi & quietem carnis,non gloriam Chriſti & ſalutem animarum (etiam ſi conſtanter jurent ſe hoc facere)quærunt,non poſſunt ſe continere, quin erumpant,& ſuam doctrinam ac labores prædicent, aliorum vituperent ac evertant. Hoc unum ſpectantes,ut nomen & laudem præ alijs acquirant,Nemo,inquiunt, hoc ante me novit, ego primus hoc vidi & docui,&c. Tales κενόδοξοι non gloriantur in Deo, ſed gloriantur, fortes & audaces ſunt in applauſu vulgi, quem mira arte conciliant ſibi. Norunt enim verbis, geſtibus & ſcriptis ſimulare & diſſimulare omnia. Sine plauſu vulgi homines pavidiſſimi ſunt, oderunt & fugiunt enim crucem Chriſti & perſecutionem.Contra,ubi applaudentem multitudinem habent,nihil tam ſuperbum & temerarium, nullus Hector, nullus Achilles tam fortis & audax eſt, quam ipſi ſunt. *Non ſuperbiendum de ſpiritualibus donis. Vana gloriatio.*

Tam ſubdola igitur beſtia eſt caro,ut propter nullam aliam cauſam ordinem deſerat, doctrinam veram depravet & corrumpat ad Eccleſiarum concordiam

diam diſſuat,quam propter maledictam iſtam κενοδοξίαν. Ideo non ſine cauſa tam acriter hic & alibi inſectatur eam Paulus.Supra cap.4.Æmulantur vos,inquit,non bene,ſed excludere vos à me volunt, ut ipſos æmulemini. Hoc eſt,ipſi volunt me obſcurare,ut ipſi inclareſcant. Non quærunt gloriam Chriſti & veſtram ſalutem, ſed ſuam gloriam,meam ignominiam,& veſtram ſervitutem.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.

Vana gloria.

Eam perſonæ & miniſterij.

ID eſt,ne fiamus vane glorioſi, Quod eſt,ut dixi, non gloriari in Deo & veritate, ſed in mendaciis, opinione, ore ac plauſu vulgi. Ibi non eſt ſolidum fundamentum gloriæ,ſed mendax,ideo impoſſibile eſt eam diu durare. Qui laudat hominem ut hominem,mentitur, Quia nihil eſt in eo laude dignum,ſed omnia damnata ſunt. Quod igitur ad perſonam noſtram attinet, gloria noſtra hæc eſt,Omnes peccaverunt & coram Deo rei ſunt æternæ mortis. Aliud autem eſt, quando miniſterium noſtrum laudatur Quare non ſolum optare debemus, ſed etiam totis viribus conari,ut homines illud magnifaciant & religioſe colant.Hoc enim cedit eis in ſalutem. Paulus admonet Romanos ut neminem offendant,ne bonum,inquit,noſtrum blaſphemetur. Et alibi,Ne miniſterium noſtrum vituperetur. Quando igitur miniſterium noſtrum laudatur, non pro noſtra perſona laudamur,ſed,ut Pſalm. ait, in Deo & nomine ſancto ejus laudamur. Pſalm. 34.

Invicem provocantes, invicem invidentes.

Effectus inanis gloriæ.

HIC deſcribit effectum inanis gloriæ. Magiſter erroris & novi dogmatis autor non poteſt non provocare alios. Qui ſi dogma ipſius non approbant & recipiunt, ſtatim incipit eos acerbiſſime odiſſe. Vidimus noſtra ætate quam implacabili odio contra nos arſerint fanatici ſpiritus, quod ipſis cedere & eorum errores approbare noluimus. Nos certe primum eos non provocavimus, neq; impium dogma ſparſimus in mundum, Sed abuſus in Eccleſia reprehendentes, & articulum juſtificationis fideliter tradentes,manſimus in ordine. Hunc illi deſerentes multa impie docuerunt contra verbum Dei, de Sacramentis, de peccato originali,de verbo vocali,&c. Ibi ne amitteremus veritatem Evangelij,oppoſuimus nos illis,& eorum pernicioſos errores damnavimus. Quod ipſi non ferentes, non ſolum priores provocaverunt nos ſine culpa noſtra, ſed nobis nunc etiam invident & acerbiſſime oderunt nos, Nulla alia re accenſi, quam vana gloria. Libenter enim nobis obſcuratis, ipſi ſoli regnaſſent. Somniabant enim magnam gloriam eſſe profiteri Evangelium, cum tamen revera non ſit major coram mundo ignominia,&c.

Manere in ordine, & deſerere ordinem.

Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis inſtaurete eum ſpiritu manſuetudinis.

Sacramentariorum argumentum contra nos.

ALIUD præceptum morale pulchrum,& hac ætate noſtra valde neceſſarium. Sacramentarij arripiunt hunc locum & ex eo inferunt. Nos debere per patientiam aliquid condonare lapſis fratribus, & illorum errorem diſſimulare per charitatem,quæ omnia credit,omnia ſperat,omnia tolerat,Præcipue cum Paulus manifeſtis verbis hic doceat,ut hi,qui ſpirituales ſunt, inſtaurent errantes ſpiritu manſuetudinis, Non tanti momenti rem eſſe, ut propter hunc unum articulum diſſuamus concordiam Chriſtianam,qua nihil habet pulchrius aut utilius Eccleſia,&c. Sic amplificant nobis remiſſionem peccatorum, & accuſant nos eſſe pertinaces, qui ne pilo quidem eis cedere, neq; ferre errorem ipſorum (quanquam hunc nolint aperte fateri) multo minus ſpiritu lenitatis eos arguere & reficere velimus. Sic ſuaves homines ſe & ſuam cauſam ornant, & nos invidia apud multos gravant,&c.

Nulla res (teſtis eſt mihi Chriſtus meus) tam vehementer nunc aliquot annis me cruciavit, ut illa in doctrina diſcordia, cujus me autorem non eſſe, noverunt optime etiam ipſi Sacramentarij, ſi modo veritatem fateri volunt. Idem enim,

enim,quod ab initio hujus cauſæ credidi & docui de juſtificatione, de Sacramentis & de omnibus alijs doctrinæ Chriſtianæ articulis,adhuc hodie,niſi majore certitudine(ea enim aucta eſt ſtudio,uſu & experientia,deinde magnis & crebris tentationibus)credo & profiteor,& quotidie Chriſtum oro,ut in ea fide & confeſſione me conſervet,& corroboret uſq; ad diem adventus ſui glorioſi,Amen. Deinde manifeſtum eſt per totam Germaniam,à nemine fuiſſe primum impugnatam Evangelij doctrinam,Præterquam à Papiſtis. Inter hos autem,qui eam ſuſcipiebant, erat ſumma de omnibus articulis Chriſtianæ doctrinæ concordia,quæ duravit donec prodirent Sectarij cum ſuis opinionibus novis,non ſolum de Sacramentis, ſed etiam alijs articulis. Hi primi perturbaverunt Eccleſias, & diſſuerunt earum concordiam. Ab illo tempore ſubinde plures,ut aliter fieri non poteſt, exortæ ſunt Sectæ, quas ſemper majores animorum diſſenſiones ſecutæ ſunt. Quare contra conſcientiam ſuam hac inſigni injuria nos afficiunt, & præter meritum noſtrum hac intolerabili invidia coram toto mundo nos onerant. Valde moleſtum eſt inſontem luere pœnam, præſertim in re tam ardua,quam alius commeruerit.

Sed facile poſſemus iſtius injuriæ oblivi ſci, & eos ſuſcipere ac Spiritu manſuetudinis inſtaurare, ſi modo redirent in viam & recto ordine nobiſcum incederent, Hoc eſt, ſi pie de Cœna Domini,& alijs Chriſtianæ doctrinæ articulis ſentirent & docerent,ac unanimi conſenſu nobiſcum,non ſuas opiniones,ſed Chriſtum prædicarent, ut glorificaretur filius Dei per nos & per ipſum Pater. Quod autem ſolum amplificant charitatem & concordiam,& cauſam Sacramenti extenuant,quaſi levis momenti res ſit, quomodocunq; de Euchariſtia, à Chriſto Domino noſtro inſtituta,ſentiamus,hoc nobis non eſt ferendum. Sed quantum ipſi concordiam vitæ prædicaverint, tam nos prædicare debemus concordiam doctrinæ & fidei. Quam ſi nobis integram relinquunt,tum amplificabimus unà cum ipſis etiam charitatis concordiam,quæ longe poſtponenda eſt concordiæ fidei ſeu Spiritus. Nam ſi hanc amiſeris, Chriſtum amiſiſti,Illo amiſſo, nihil proderit tibi charitas. Contrà,ſi unitatem Spiritus & Chriſtum retines,nihil obeſt ſi diſſentias ab his, qui Verbum corrumpunt,atque per hoc unitatem Spiritus ſcindunt. Malo igitur ipſos unà cum toto mundo à me diſcedere & mihi inimicos eſſe,quam ut ego à Chriſto diſcedam & eum habeam inimicum. Id quod fieret,ſi relicto ipſius ſimplici & manifeſto verbo, vanis illorum ſomnijs,quibus Chriſti verba ad ſuam ſententiam detorquent,adhærerem. Vnus Chriſtus mihi major eſt, quam infinitæ concordiæ charitatis.

Concordia fidei præferenda concordiæ charitatis.

Cæterum cum his, qui Chriſtum diligunt & verbum ipſius pie docent & credunt, offerimus nos non ſolum ſervaturos pacem & concordiam, ſed etiam laturos eorum infirmitates & peccata, & eos lapſos inſtauraturos nos, juxta hoc præceptum Pauli,ſpiritu manſueto. Sic Paulus tulit infirmitatem & lapſum Galatarum & aliorum, quos ſubverterunt Pſeudoapoſtoli, cum ex animo reſipiſcerent. Sic recepit in gratiam inceſtum illum Corinthium. Item Oneſimon fugitivum ſervum, quem Romæ in vinculis Chriſto genuerat, reconciliavit Domino ſuo. Ideo quod hic & alibi docet de ſuſcipiendis infirmis & inſtaurandis lapſis, reipſa præſtitit. Sed erga eos, qui ſanabiles fuerunt, hoc eſt, qui ex animo agnoſcentes peccatum, lapſum, errorem, reſipuerunt. Contrà cum Pſeudoapoſtolis obſtinatis & defendentibus doctrinam ſuam non eſſe erroneam, ſed veram,duriſſime egit. Vtinam,inquit, abſcindantur,qui vos perturbant. Deinde qui conturbat vos, portabit judicium,quicunq; tandem fuerit. Item, Etiamſi nos aut Angelus è cœlo, &c. Anathema ſit. Neq; dubium eſt, quin multi defenderint contra Paulum Pſeudoapoſtolos, & dixerint, Eos æque habere Spiritum, æque eſſe miniſtros Chriſti, & Evangelium docere, ac Paulum. Qui etiamſi per omnia cum Paulo in doctrina non conſentiant, tamen ideo non debere eum contra ipſos ferre tam horribilem ſententiam. Illa pertinacia eum nihil aliud effice-

Cum quibus ſervanda pax & concordia.

Paulus lapſos agnoſcentes ſuum errorem, in gratiam recepit, econtra, &c.

Defenſores pſeudoapoſtolorum.

Digitized by Google

re, quam perturbare Eccleſias, & earum pulcherrimam concordiam diſſuere,&c. His vocibus nihil motus, ſecuriſſime maledicit & damnat Pſeudoapoſtolos, vocans conturbatores Eccleſiarum & everſores Evangelij Chriſti, Contra doctrinam ſuam ita extollit, ut velit ei ſimpliciter cedere omnia, concordiam charitatis, Apoſtolos, Angelum è cœlo, &c.

Ita nec nos ſinimus Cauſam hanc extenuari. Quia is, cujus cauſa hæc eſt, magnus eſt. Semel quidem fuit parvus cum in præſepi jaceret, & tamen adeo magnus tum erat, ut ab Angelis adoraretur, & Dominus omnium prædicaretur, Itaq; non patiemur in ullo articulo Verbum ipſius lædi. In articulis Fidei nihil parvum aut tenue nobis videri debet, quod remittere debeamus aut poſſimus. Remiſſio enim peccatorum pertinet ad infirmos in fide & moribus, qui agnoſcunt peccatum & veniam petunt, Non ad everſores doctrinæ, qui non agnoſcunt ſuum errorem & peccatum, ſed hoſtiliter defendunt, veritatem & juſticiam eſſe. Eaq; re efficiunt, ut amittamus remiſſionem peccatorum. Quia verbum quod prædicat & affert remiſſionem peccatorum, depravant & negant. Quare prius in Chriſto nobiſcum concordes fiant, h. enim agnoſcant peccatum & emendent ſuum errorem, Si tum defuerit nobis ſpiritus manſuetudinis, merito nos accuſare poterunt.

Ad quos pertineat remiſſio peccatorum.

Et qui diligenter expendit verba Apoſtoli, clare videt eum non loqui de hæreſibus, aut peccatis, contra doctrinam, ſed de longe inferioribus peccatis, in quæ homo labitur non ex deſtinata malitia aut propoſito, ſed ex infirmitate. Hinc utitur etiam tam clementibus & paternis verbis, non vocans errorem aut peccatum, ſed delictum, Deinde ut extenuet & quaſi excuſet peccatum, ac totam culpam ab homine transferat, addit, Si præoccupatus fuerit homo, id eſt, circumventus à Diabolo aut à carne. Et vocabulum hominis etiam valet ad extenuationem rei, q. d. Quid eſt homini tam proprium, quam labi, decipi & errare poſſe? Sic Moſes in Levitico ait, Sicut homines ſolent peccare: Eſt ergo ſententia conſolationis pleniſſima, quæ me ſemel in ſummo certamine à morte liberavit. Quia igitur Sancti in hac vita non ſolum in carne vivunt, ſed etiam quandoque inſtinctu Diaboli concupiſcentiam carnis perficiunt, hoc eſt, labuntur in impatientiam, invidiam, iram, errorem, dubitationem, diffidentiam, &c. (Satan enim perpetuo impugnat utrunque, & puritatem doctrinæ, quam conatur tollere per ſectas & diſcordias, & integritatem vitæ, quam per quotidiana delicta & offenſiones polluit) docet Paulus, quo modo cum talibus lapſis agendum ſit, nempe ut hi, qui firmi ſunt, inſtaurent eos ſpiritu leni.

Quæ peccata remittenda.

Homo.

Satan inſidiatur doctrinæ & vitæ, &c.

Iſta maxime prodeſt ſcire eos qui Eccleſijs præſunt, ne dum omnia ad vivum reſecare ſtudent, hujus paterni & materni affectus obliviſcantur, quem Paulus hic requirit ab his, qui curam animarum gerunt. Et hujus præcepti ſui propoſuit exemplum 2. Cor. 2. cap. ubi inquit, Sufficere illi excommunicatio, objurgationem, quæ à pluribus facta ſit, debere nunc eos condonare & conſolari illum, ne immodica triſtitia abſorbeatur. Propter quod, inquit, obſecro vos, exercete erga illum charitatem, &c. Quare Paſtores acriter quidem objurgare debent lapſos, ſed ubi viderint contriſtatos, incipiant erigere & conſolari, & peccata ipſorum, quantum poſſunt, extenuare, per miſericordiam tamen, quam peccatis opponere debent, ne lapſi immodica triſtitia abſorbeantur. Quam pertinax eſt Spiritus ſanctus in doctrina fidei retinenda & defendenda, tam facilis & clemens eſt in peccatis ferendis & extenuandis, modo hi, qui ea commiſerunt, de eis doleant.

Rectores Eccleſiarum quomodo agere debeant cum lapſis, &c.

2. Cor. 2.

Sed Synagoga Papæ, ut in alijs omnibus, ita etiam hic diverſum à præcepto & exemplo Pauli docuit & fecit. Pontifex Romanus & Epiſcopi vere fuerunt tyranni & carnifices conſcientiarum, Subinde enim novis traditionibus onerarunt & propter leviſſimas cauſas excommunicatione perdiderunt conſcientias. Et ut facilius obſequerentur conſcientiæ vanis & injuſtis ipſorum terroribus, allegarunt has Gregorij Papæ ſententias, Bonarum mentium eſt, timere culpam, ubi non eſt culpa. Item Sententiæ noſtræ etiam injuſtæ metuendæ ſunt. Iſtis

Papa & Epiſcopi carnifices conſcientiarum.

Gregorij ſententia.

ſenten-

ſententijs, quas Diabolus in Eccleſiam invexit, ſtabilierunt excommunicationem, & iſtam majeſtatem toti mundo formidabilem Papatus. Non eſt opus illa bonitate mentium, ſed ſatis eſt ibi agnoſcere culpam, ubi culpa eſt. Quis dedit tibi, Satan Romane, poteſtatem, ut terreas & damnes injuſtis ſententijs mentes ante perterrefactas? quæ potius erigendæ, à falſis terroribus liberandæ, & à mendacio ad veritatem reducendæ erant. Hoc omittis, & (juxta titulum tuum, Homo peccati & filius perditionis) fingis culpam ubi non eſt culpa. Ea eſt veriſſime verſutia & impoſtura Antichriſtica, qua excommunicationem & tyrannidem ſuam Papa potentiſſime confirmavit. Nemo enim potuit injuſtas ſententias ejus contemnere, niſi qui eſſet præfractus & inſigniter malus, ut quidam Principes eas contempſerunt, Sed reclamante conſcientia, quia in iſtis tenebris non intellexerunt illas maledictiones Papæ vanas eſſe.

Quibus modis Papa tyrannidem & potentiam ſuam confirmavit.

Diſcant igitur illi, quibus cura regendarum conſcientiarum commiſſa eſt, ex hoc præcepto Pauli, quo modo lapſos tractare debeant, Fratres, inquit, ſi homo præoccupatus fuerit, non exacerbate aut contriſtate amplius, non rejicite aut damnate, ſed corrigite, reficite ſeu inſtaurate eum, (Ea enim vis eſt græci vocabuli) & quod de ipſo perijt per fraudem Diaboli, aut infirmitatem carnis, hoc manſuetudine veſtra ſarcite. Regnum enim, in quod vocati eſtis, non pavoris & triſtitiæ, ſed fiduciæ & lætitiæ regnum eſt. Si igitur videritis aliquem fratrem conterritum propter admiſſum peccatum, accurrite & ei lapſo porrigite manum, ſuavibus verbis conſolamini, & materuis brachijs amplectimini eum. Duros & obſtinatos, qui ſine timore ſecuri in peccatis perſeverant & pergunt, acriter objurgate. Contra, qui præoccupantur delicto, & contriſtantur ac dolent de lapſu, erigendi & inſtruendi ſunt per vos qui ſpirituales eſtis. Et hoc ſpiritu manſuetudinis, non zeli, juſtitiæ aut ſævitiæ, ut quidam Confeſſores fecerunt, qui dum reficere debebant ſitibunda corda ſuavi aliqua conſolatione, pota verunt ea, ſicut Iudæi Chriſtum in cruce, felle & aceto.

Quomodo lapſi tractandi.

Spiritu manſuetudinis.

Ex his ſatis intelligimus, remiſſionem peccatorum non debere valere in doctrina, ut Sacramentarij contendunt, ſed in vita & noſtris operibus. Ibi nemo alium condemnet, non increpet in furore, & auſteritate. Vt Ezech. dicit de paſtoribus Iſrael, quod cum auſteritate & violentia imperaverint gregi Dei. Sed frater fratrem lapſum conſoletur ſpiritu manſueto. Et viciſſim lapſus audiat verbum erigentis ſe, & credat ei. Non enim vult Deus eliſos abjci, ſed erigi, ut Pſalmus ait. Impendit enim plus pro eis quam nos, nempe vitam & ſanguinem ſuum. Debemus igitur & nos ſumma lenitate tales ſuſcipere, ſanare & juvare. Quare non negamus veniam Sacramentarijs aut alijs impiarum ſectarum autoribus, ſed ex animo condonabimus eis contumelias & blaſphemias, in Chriſtum, Item injuriarum, quibus nos affecerunt, nunquam recordabimur, modo pœnitentiam agant, impium dogma, quo Eccleſias Chriſti perturbarunt, deſerant, & deinceps recto ordine nobiſcum incedant. Si autem in errore perſeverant & ordinem diſſipant, fruſtra à nobis requirunt remiſſionem peccatorum.

Ezech. 34.

Nemini neganda venia, ſi pœnitentiam agat.

Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.

HAEC ſatis gravis admonitio eſt ad contundendam auſteritatem & ſævitiam illorum, qui lapſos non erigunt & inſtaurant. Non eſt, ait Auguſtinus, peccatum quod fecit homo, quod alius non poſſit facere. Nos adhuc in lubrico verſamur, ideo ſi ſuperbimus & ordinem deſerimus, nihil facilius poſſumus, quam labi. Recte igitur ille dixit in Vitis patrum, cum deferretur ad eum, quendam ex fratribus fuiſſe prolapſum in fornicationem, Ille heri, inquit, Ego hodie. Addit ergo Paulus hanc ſeriam admonitionem, ne Paſtores duri & inclementes ſint erga lapſos, neve cum Phariſæo ſuam ſanctitatem ex illorum peccatis metiantur. Sed affectu materno erga ipſos tangantur & cogitent, Hic lapſus eſt, fieri poteſt ut & tu quoq; labaris multo periculoſius & turpius quam ipſe. Et ſi hi, qui adeo procli-

Dictum Auguſtini.

Ille heri, Ego hodie.

proclives sunt ad judicandum & condemnandum alios, recte intuerentur peccata sua, deprehenderent lapsorum peccata esse festucas, sua peccata maximas trabes.

Qui igitur stat, videat ne cadat. Si David vir tam sanctus, plenus fide & *Lapsus David.* spiritu Dei, & qui tam insignes promissiones habuit, ac res maximas pro Domino gesserat, tam turpiter labitur, ac jam pene provectus ætate juvenili ardore præcipitatur, post tot & tam varias tentationes, quibus eum Deus exercuit, quid de nostra constantia præsumeremus? Ostendit autem nobis Deus ejusmodi exemplis primum nostram infirmitatem, ne efferamur, sed timeamus. Deinde judicium suum, quod nihil minus ferre possit, quam superbiam vel erga se vel erga fratres. Non frustra igitur dicit Paulus, Considerans teipsum, ne & tu tenteris. Qui exercitati sunt tentationibus, noverunt quam necessarium sit hoc præceptum. Contra, qui illis non sunt probati, non intelligunt Paulum, ideoq; nulla misericordia tanguntur erga lapsos, Vt cernere fuit in Papatu, ubi mera tyrannis & crudelitas regnavit.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Lex Christi. HVMANISSIMVM præceptum, cui addidit summam commendationem tanquam Epiphonema. Lex Christi est lex charitatis, Christus postquam redemit, renovavit & constituit nos suam Ecclesiam, nullam nobis legem dedit, præterquam illam de mutua charitate. Iohan. 13. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Item, In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, &c. *Diligere.* Diligere autem, non est, ut Sophistæ nugantur, alteri bonum velle, Sed ferre alterius onera, hoc est, illa ferre, quæ tibi molesta sunt, & non libenter fers. Oportet igitur Christianum habere fortes humeros & robusta ossa, quæ possint ferre carnem, hoc est, infirmitatem fratrum, quia Paulus dicit eos habere *Charitas.* onera & molestias. Charitas ergo dulcis, benigna, patiens est, non in recipiendo, sed exhibendo. Cogitur enim ad multa connivere & ea portare. In Ecclesia vident Doctores pij errata & peccata multa, quæ portare coguntur. In Politia nunquam respondet obedientia subditorum legibus Magistratus. Ideo nisi norit Magistratus dissimulare, non erit idoneus ad rempublicam gubernandam. In Oeconomia multa fiunt, quæ displicent patrisamilias. Sed si ferre & egregie connivere possumus ad nostra vitia & peccata, quæ quotidie multa committimus, feramus etiam aliorum. Iuxta illud, Alter alterius onera portate, &c. Item, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Cum igitur in omni vitæ statu & omnibus hominibus sint vitia, proponit Paulus Christianis legem Christi, qua admonet eos, ut allij aliorum onera portent. Qui hoc non faciunt, illi satis testantur se ne apiculum quidem intelligere de lege Christi, quæ est lex charitatis, quæ ut Paulus 1. Corinthios 13. ait, omnia credit, omnia sperat, omnia onera fratrum portat, Salvo tamen semper primo ordine, in quo peccantes non transgrediuntur legem Christi, id est, charitatem, non lædunt proximum, sed Christum & regnum ipsius, quod sanguine proprio paravit. Hoc regnum non conservatur lege charitatis, sed Verbo, fide & *Quorum onera portanda sint.* Spiritu. Ad illos igitur, qui Christum negant, & non solum non agnoscunt, sed etiam defendunt peccatum suum, Deinde ad illos, qui perseverant in peccatis (qui etiam partim Christū negant) non pertinet hoc præceptum, ut onera ipsorum portentur, sed relinquendi sunt, ne communicemus operibus ipsorum malis. Contra, qui credunt & libenter audiunt verbum, & tamen contra voluntatem suam prolabuntur in peccatum, & admoniti non solum audiunt, sed detestantur peccatum, ac sese emendare studeut, Illi præoccupantur & onera habent, quæ Paulus jubet nos portare. Hic non simus inclementes & severi, sed exemplo Christi, qui tales tolerat & portat, toleremus ac portemus nos etiam eos. Si ipse non punit tales, quod tamen jure posset, multo minus nos, &c.

Nam

Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.

HIC iterum perſtringit Sectarum autores, & pingit eos ſuis coloribus, quod duri & ſine omni affectu miſericordiæ ſint, qui contemnant infirmos, eorum onera non portent, ſed omnia ad amuſſim (vt quidam moroſi mariti & aſperi præceptores) exigant. Quibus nihil placeat, niſi quod ipſi fecerunt. Quos deniq; ſemper habueris acerbiſſimos hoſtes, niſi omnia eorum dicta & facta probaveris, & per omnia te ipſorum moribus accommodaveris. Sunt igitur homines ſuperbiſſimi, qui omnia ſibi arrogare audent. Hoc eſt quod Paulus hic ait, Exiſtimant ſe aliquid eſſe, hoc eſt, habere Spiritum, intelligere omnia myſteria ſcripturarum, non poſſe errare & labi, non indigere ulla remiſſione peccatorum. Ideo Paulus rectè addit, eos nihil eſſe, ſed ſeipſos ſtultis perſuaſionibus de ſapientia & ſanctitate fallere. Nihil ergo neq; de Chriſto neq; de lege Chriſti intelligunt, alioqui dicerent, Tu frater hoc vitio laboras, ego alio laboro, Deus remiſit mihi decem millia talentorum, remittam & tibi centum denarios, &c. Cum vero ad unguem omnia exquirere & nulla prorſus infirmorum onera tolerare & portare velint, hac ſua ipſorum aſperitate multos offendunt, qui incipiunt contemnere, odiſſe & fugere eos, non petunt ex eis conſilia & conſolationes, non curant quid aut quo modo doceant. Cum contra deberent paſtores potius ita ſe gerere erga illos, quibus præſunt, vt colerent & admirarentur eos, non propter ipſorum perſonam, ſed miniſterium & virtutes Chriſtianas, quæ in ipſis maxime elucere debent.

Autores ſectarum.

Matth. 18

Pulcherrime igitur pinxit hoc loco Paulus tales tetricos & immiſericordes Sanctos, cum dicit, Exiſtimant ſe aliquid eſſe, hoc eſt, inflati ſuis ſtultis opinionibus & ſomnis inanibus habent de ſe mirificam ſcientiæ & ſanctitatis perſuaſionē, & tamen revera nihil ſunt, ſed ſeipſos tantum decipiunt. Manifeſta enim deceptio eſt, cum aliquis perſuaſus eſt, ſe aliquid eſſe, & tamen nihil eſt. Tales deſcribuntur Apoc. Cap. 3. his verbis, Tu dicis te eſſe divitem & locupletem ac nullius indigere, ſed neſcis quod es miſer & miſerabilis, pauper, cæcus ac nudus, &c.

Apoc. 3.

Decipiunt ſe. ipſos.

Opus autem ſuum probet vnuſquiſq; & tunc in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in alio.

PERGIT in illa correptione hominum deteſtabilium, qui vocantur vane glorioſi. Eſt enim odibile & maledictum vitium illa vanæ gloriæ cupiditas, quod omnium malorum cauſam parit, quodq; ſimul politias & conſcientias perturbat, Et quidem in ſpiritualibus eſt plane immedicabile malum. Quanquã autem hic locus poſſit intelligi de operibus ipſius vitæ ſeu converſationis, tamen principaliter urget Apoſtolus opus miniſterij & invehitur in κενοδόξους illos, qui perturbant ſuis fanaticis opinionibus recte inſtitutas conſcientias. Eſt autem hoc proprium eorum, qui κενοδοξίαν laborant, quod prorſus nihil curant, an opus, id eſt, miniſterium ſuum purum ſit nec ne, Sed id unicum ſpectant, ut plauſum vulgi mereantur. Sic Pſeudo Apoſtoli cum viderent Paulum pure prædicaſſe Galatis Evangelium, nec ſe melius quicquam afferre poſſe, cœperunt recte & pie ab eo tradita calumniari, & ſuam doctrinam anteferre doctrinæ Pauli, eaq; arte conciliaverunt ſibi favorem Galatarum, & Paulum fecerunt ipſis inviſum. Quare κενόδοξοι conjungunt hæc tria vitia. Primum vanæ gloriæ cupidiſſimi ſunt. Deinde mire ingenioſi ſunt ad calumniandum aliorum benedicta & facta, ut hac via populi applauſum acquirant. Tertio, cum illuſtres facti ſunt apud vulgum, alieno tamen labore & periculo, tam fortes & animoſi fiunt, vt nihil non audeant, Sunt igitur homines peſtiferi, & omni maledictione digni, quos odi cane peius & angue. Nam quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Chriſti Ieſu, &c.

Vana gloria.

Vana glorioſi.

Tria vitia vani glorioſorum.

Contra tales hic agit Paulus, Q. d. Eiuſmodi vane glorioſi ſpiritus in hunc finem opus ſuum faciunt, id eſt, docent Evangelium, ut gloriam & plauſum apud homines acquirant, hoc eſt, ut prædicentur ab illis inſignes & egregij do-

ctores, quibus cum Paulus & alij conferri non poſſint. Vbi hanc exiſtimationem adepti ſunt, incipiunt calumniari aliorum labores, dicta & facta, & ſua magnifice prædicare. Eaq; verſutia dementant animos vulgi, quia habet prurientes aures, non ſolum delectatur novis dogmatibus, ſed etiam gaudet eos, quos antea doctores habuit, obſcurari & premi à novis illis, glorioſis, ut ſomniat, doctoribus, propter ſatietatem & nauſeam Verbi. Hoc, inquit, fieri non debet, ſed unuſquiſq; ſit fidelis in miniſterio ſuo, non quærat gloriam propriam, &c. nec confidat in temere applaudentem multitudinem. Sed hoc tantum curet, ut probe opus ſuum faciat, id eſt, pure doceat Evangelium. Quod ſi opus eius rectum fuerit, ſciat non defuturam ſibi gloriam apud Deum, deinde etiam apud pios. Quod interim apud ingratum mundum nullam laudem meretur, hoc nihil moveat eum. Scit enim illum eſſe finem miniſterij ſui, non ut ipſe, ſed ut Chriſtus inde glorificetur. Ideo inſtructus armis juſtitiæ à dextra & ſiniſtra, conſtanti animo dicat, Non incepi docere Evangelium, ut mundus honorem mihi deferret. Ideo neq; propter ignominiam, qua me afficit, deſiſtam. Is docet verbum, & peragit miniſterium ſuum ſine ullo reſpectu humano, ſine ulla cura laudis, gloriæ, fortitudinis, ſapientiæ, &c. Non nititur aliorum laude, ſed eam habet in ſemetipſo.

Vulgus delectatur novis, &c.

Evangelium pure docendi nō docet gloria.

Finis miniſterij verbi.

QVARE qui recte & fideliter adminiſtraverit officium ſuum, nihil curat quid mundus de ſe loquatur, non curat ſive laudet ſive vituperet eum, ſed habet gloriam in ſemetipſo, quæ eſt teſtimonium conſcientiæ & gloria in Deo. Ideoq; cum Paulo dicere poteſt, Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate & ſinceritate Dei, non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo, &c. Illa gloria eſt pura & ſtabilis. Non enim pendet à judicio aliorum, ſed à conſcientia propria, quæ nobis teſtimonium præbet, nos recte docuiſſe, recte adminiſtraſſe Sacramenta, & omnia recte feciſſe, ideoq; non poteſt contaminari aut tolli. Altera illa, quam habent κενόδοξοι, eſt incerta & periculoſiſſima gloria. Quia non habent eam in ſemetipſis, ſed pendet ex ore & opinionibus vulgi. Ideoq; non poſſunt habere teſtimonium propriæ conſcientiæ, quod omnia ſimplici & ſyncero animo, tantum ad illuſtrandam gloriam Dei, & ſalutem animarum promovēdam fecerint. Huc enim ſpectant, ut ipſi ex opere ſeu labore prædicationis ſuæ inclareſcant & glorificentur ab hominibus. Habent igitur gloriam, fiduciam & teſtimonium, ſed apud homines, non apud ſemetipſos, neq; apud Deum. Hoc modo pij non cupiunt habere gloriam. Si Paulus habuiſſet laudem & gloriam apud homines, non apud ſemetipſum, coactus fuiſſet deſperare, cum videbat multas civitates, regiones & totam Aſiam à ſe deficere, cum videbat tot ſcandala & ſectas prædicationem ſuam ſequi. Chriſtus cum ſolus erat, hoc eſt, cum non ſolum à Iudæis quæreretur ad mortem, ſed etiam à ſuis diſcipulis relinqueretur, tamen ſolus non erat, ſed Pater cum illo erat. Quia gloriam habebat in ſemetipſo.

Gloriam in ſemetipſo habere

Gloria hæreticorum qualis.

Gloria piorum.

Sic ſi hodie noſtra fiducia & gloria penderet ex hominum judicio & favore, cogeremur brevi triſtitia animi perire. Tantum enim abeſt, ut Papiſtæ, fanatici ſpiritus & totus mundus aliqua gloriæ & laude dignos nos judicent, ut etiam acerbiſſime oderint & perſequantur nos, Imo libenter miniſterium & doctrinam noſtram extreme blaſphemarent & prorſus everterent. Nihil ergo habemus apud homines, niſi meram ignominiam. Sed gaudemus & gloriamur in Domino, Ideo ſecuri & læti ſumma fide & diligentia officium, in quod conſtituit nos Deus, quodq; ei gratum eſſe ſcimus, adminiſtramus. Hoc facientes, nihil curamus, ſive placeat ſiue diſpliceat Diabolo opus noſtrum, ſive mundus faveat ſive invideat nobis. Scientes enim opus noſtrum, probe factum eſſe, & habentes bonam conſcientiam coram Deo, recta incedimus per gloriam & ignominiam, per infamiam & laudes, &c. Hoc Paulus vocat gloriam in ſemetipſo habere.

Mundus ignominia afficit pios verbi miniſtros.

Et hæc valde neceſſaria admonitio eſt contra hoc nocentiſſimum vitium. Quia Evangelium ejuſmodi doctrina eſt, quæ de ſua natura, deinde etiam ma-

Evangelii verbum crucis & ſcandali.

litia

litia Satanæ affert crucem. Hinc Paulus vocare ſolet Verbum crucis & ſcandali. Non habet perpetuo conſtantes diſcipulos, qui hodie accedunt & profitentur illud, cras, offenſi Cruce, iterum deficiunt & negant illud. Ideo qui propter plauſum & laudem ex hominibus venandam docent Evangelium, illos neceſſe eſt perire, & eorum gloriam in ignominiam verti, quando populus ceſſat eis applaudere. Diſcat igitur unuſquiſque doctor, ut gloriam non in ore aliorum, ſed in ſemetipſo poſitam habeat. Si qui ſunt qui laudant eum, ut vere pij ſolent (per gloriam & ignominiam inquit Paulus) recipiat hanc gloriam, ſed velut accidens gloriæ. Subſtantiam autem gloriæ ducat eſſe teſtimonium conſcientiæ ſuæ. Is tunc probat ſuum opus, hoc eſt, nihil ſolicitus de ſua gloria, hoc unicũ ſpectat, ut probe adminiſtret officium ſuum, hoc eſt, ut pure doceat Evangelium, & legitimum uſum Sacramentorum oſtendat, &c. Cum ita probat opus ſuum, habet gloriam in ſemetipſo, quam nemo ei eripere poteſt, quia eam bene plantatam, fixam & firmatam habet in corde ſuo, non ore aliorum, quos Satan poteſt facillime avertere & ex eorum ore & lingua paulo ante benedicente, maledicentiſſimam facere.

Diſcipuli Evangelij.

Opus ſuum probare.

Si igitur, inquit Paulus, cupidi eſtis gloriæ, quærite eam dextre & ſolide, non ut poſita ſit in ore aliorum, ſed in corde veſtro. Hoc tum fit, cum probe feceritis officium veſtrum. Ita quoq; futurum eſt, ut gloriam, quam in vobis ipſis habetis, ſequatur etiam aliquando gloria apud alios. Quod ſi vero in alijs tantum, non in vobisipſis gloriemini, ſequetur ignominiam & confuſionem illam, quam habetis intus in corde, etiam confuſio foris apud alios. Hoc vidimus ætate noſtra in quibuſdam ſpiritibus fanaticis, qui non probabant opus ſuum, id eſt, non curabant ut pure Evangelium docerent, ſed eo abutebantur ad plauſum vulgi contra ſecundum præceptum. Ideoq; internam ipſorum confuſionem ſecuta eſt etiam externa. Iuxta illud, Non habebit Dominus eum inſontem, qui vane uſurpaverit nomen ipſius. Item, Qui me contemnunt, erunt ignobiles. Contra, ſi primum gloriam Dei quærimus per miniſterium Verbi, certo ſequetur etiam gloria noſtra, Iuxta illud, Qui me honorificaverit, glorificabo eum. Summa, Vnusquisq; probet, id eſt, diligenter curet, ut ſuum miniſterium fidele ſit. Nam hoc maxime requiritur in miniſtris verbi. 1. Corinth. 4. Q. d. Quisque ſtudeat hoc unum præſtare, ut pure & fideliter doceat verbum, nihilq; ſpectet quam gloriam Dei & ſalutem animarum, tum opus ſuum fidele & ſolide bonum eſt, habetq; in conſcientia ſua gloriam, eam videlicet, quod cum fiducia poteſt dicere, Hæc doctrina & miniſterium meum placet Deo. Quæ profecto excellens & magnifica gloria eſt, &c.

Eccl. 10.
1. Reg. 2.
2. Reg. 2.
Gloria Dei quærenda per miniſterium verbi.
1. Cor. 4.

Poteſt autem illa ſententia etiam commode applicari ad opera, in quocunq; vitæ genere à pijs facta. Vt qui magiſtratus, paterfamilias, ſervus, præceptor, diſcipulus, &c. eſt, maneat in vocatione ſua, ac in ea probe & fideliter officium ſuum faciat, nihil ſolicitus de his operibus, quæ non ſunt vocationis ſuæ. Hoc faciens, habet gloriã in ſeipſo. Poteſt enim dicere, Qua potui fide & diligentia feci opus vocationis divinitus mihi mandatum, ideoq; ſcio hoc opus in fide & obedientia Dei factum, placere Deo. Si id calumniantur alij, parum refert. Semper enim ſunt, qui contemnunt & calumniantur doctrinam & vitam piorum. Sed Deus ſevere minatus eſt ſe deſtructurum calumniatores. Ideo cum tales diu anxie quærunt vanam gloriam, & vere pios ſuis calumnijs conantur obſcurare, accidit illis quod Paulus dixit, Quorum gloria confuſio erit. Et alibi, Inſipientia eorum nota fiet omnibus. Per quem? Per Deum juſtum judicem, qui, ut illorum calumnias traducet, ita piorum juſticiam educet ſicut meridiem, Pfal. 37. Particula, In ſemetipſo, ut hoc etiam obiter admoneam, ſic accipienda eſt, ne tamen excludatur Deus. Vt ſcilicet unuſquiſq; ſciat opus ſuum, in quocunq; tandem pio vitæ genere ſit, eſſe divinum opus. Quia eſt opus vocationis divinæ habens mandatum Dei.

Opera vocationis.

Pſalm. 1.
Philip. 3.
2. Tim. 3.
Pſal. 37.

Vnusquisq; enim ſuum onus portabit.

In morte & die iudicij non prodest aliorum laus, &c.

EST quasi ratio superioris sententiæ, ne quis innitatur aliorum judicijs de se, Q. d. Extrema dementia est, quod quæris gloriam in alijs, & non in temetipso. In agone enim mortis & noviſſimo judicio, nihil proderit tibi quod alij te laudaverint. Nam onus tuum alij non portabunt, sed tu stabis ad tribunal Christi, & solus portabis onus tuum. Ibi nihil juvare te poterunt laudatores tui, Nam morientibus nobis cessant istæ laudantium voces. Ac in illo die, quo judicabit Dominus occulta hominum, stabit testimonium conscientiæ pro te aut contra te. Contra te, si habueris gloriam in alijs, pro te, si eam habueris in temetipso, hoc est, si conscientia tua testimonium tibi præbuerit, quam probe & fideliter administraveris ministerium Verbi, spectando tantum gloriam Dei & salutem animarum, vel tuum officium secundum vocationem recte feceris. Et illa verba, Vnusquisq; portabit judicium suum, satis vehementia sunt, quæ certe perterrefacere nos deberent, ne inanis gloriæ cupidi essemus.

Porro observandum est, nos hic non versari in loco justificationis, vbi nihil valet nisi mera gratia & remissio peccatorum, quæ sola fide apprehenditur. Vbi omnia opera, etiam illa, quæ sunt optima, & secundum divinam vocationem facta, opus habent remissione peccatorum, quia perfectè non facimus ea. Sed hæc alia causa est, Non agit hic de remissione peccatorum, sed confert vera & hypocritica opera. Quare ista sic debent accipi, Quod etsi opus seu ministerium pij pastoris non tam perfectum sit, quin indigeat remissione peccatorum, tamen in se probum & perfectum est, respectu ministerij vane glorioſorum, Sic nostrum ministerium est probum & solidum. Quia gloriam Dei & salutem animarum per illud quærimus. Contra, fanaticorum spirituum non est tale, Quia gloriam suam quærunt, Quanquam igitur nullum opus conscientiam possit tranquillam reddere coram Deo, tamen necesse est nos certo posse statuere, quod opus nostrum fecerimus in sinceritate, veritate & vocatione diuina, hoc est, quod verbum Dei non corruperimus, sed illud pure docuerimus, &c. Hoc conscientiæ testimonio de ministerio recte administrato, & vita etiam bene peracta, nobis opus est. Eatenus igitur gloriari debemus de operibus, quatenus scimus ea mandata à Deo, & ei grata esse. Vnusquisque enim in extremo judicio portabit onus suum, ideo alieni laudatores ibi non proderunt.

Collatio operum bonorum & hypocriticorum.

Vana gloria.

Hactenus infectatus est pestilentissimum vitium vanæ gloriæ, ad quod depellendum nemo tam firmus est, qui non assidua oratione opus habeat. Quis enim etiam pius non delectatur laudibus suis? Solus Spiritus Sanctus conservare nos potest, ne illa peste inficiamur.

Communicet autem is, qui catechisatur verbo, ei qui se catechisat in omnibus bonis.

Præceptum de alendis verbi ministris.

HIC concionatur discipulis seu auditoribus Verbi, ut impertiant omnia bona Doctoribus. Olim sæpe miratus sum, cur Apostolus tam diligenter præciperet Ecclesijs, vt doctores suos alerent. Videbam enim in Papatu mira largitate omnes conferre omnia ad extruenda magnifica templa, ad stipendia amplificanda, augendosq; reditus illorum, qui sacra tractabant. Hinc & Episcoporum & aliorum Clericorum dignitas atq; opes sic creverunt, vt passim occupaverint cultissimas & optimas terras. Existimabam igitur Paulum frustra hæc præcepisse, cum omnia bona clericis non solum abunde donabantur, sed etiam largissimè affluebant. Ideoq; potius dehortandos homines cogitabam, ne amplius darent, quam adhortandos ut darent. Videbam enim ista nimia hominum largitate, crescere avaritiam clericorum, &c. Sed nunc cognoscimus causam, cur prius abundaverint omnibus bonis, jam egeant Pastores & verbi ministri. Prius cum impia & falsa docerentur, tam abunde affluebant omnia, ut ex patrimonio Petri (qui negat se argentum & aurum habere) & ex spiritualibus, ut vocant, bonis, Papa, Cæsar, Cardinales & Episcopi, &c. Reges & Principes mundi facti sint. Nunc autem

Satana ministri abundant, & boni egent, &c.

cum

cum Evangelium doceri eſt cœptum, tam divites ſunt profeſſores ipſius, quam olim fuerunt Chriſtus & Apoſtoli. Experimur igitur, quam egregie ſervetur hoc præceptum de alendis doctoribus Verbi, quod Paulus hic & alibi tam diligenter urget, & inculcat auditoribus. Nulla iam civitas eſt, quæ quidem nobis ſit nota, quæ ſuos doctores alat, ſed omnes aluntur de bonis, non quæ Chriſto, cui nemo aliquid dat (Natus enim utitur præſepi loco lectuli, cum ipſi non ſit locus in diverſorio, Converſans in terris, non habet ubi caput ſuum reclinet. Poſtremo ſpoliatus veſtibus, nudus in cruce inter duos latrones pendens, miſertime moritur) ſed quæ Papæ donata ſunt pro ſuis abominationibus. Quia oppreſſo Evangelio, humanas traditiones docuit, & impios cultus inſtituit.

Et quoties lego Pauli adhortationes, in quibus concionatur Eccleſijs, ut vel ſuos doctores alant, vel ut conferant aliquid pro ſublevanda inopia Sanctorum in Iudæa, ſoleo vehementer admirari & pudore ſuffundi, quod tantus Apoſtolus coactus ſit tam multis verbis uti, ut hoc beneficium ab Eccleſijs impetraret. Ad Corinth. agit hanc rem duobus integris cap. Ego non libenter velim VVittembergam, quæ ad Corinthum plane nihil eſt, ſic infamare, ſicut ipſe infamavit Corinthios, tam anxia & ſolicita emendicatione victus pro pauperibus. Sed ea fortuna eſt Evangelij, quando docetur, non ſolum nemo quicquam dare vult, pro ſuſtentandis miniſtris ipſius & conſervandis ſcholis, ſed omnes incipiunt rapere, furari, circumvenire alij alios varijs artibus, Summa, homines videntur degenerare ſubito in immanes beſtias. Contra, quando doctrinæ dæmoniorum prædicantur, homines vere prodigi fiunt, & omnia ſponte offerunt ſuis ſeductoribus. Prophetæ idem peccatum exprobrant etiam Iudæis, quod pijs Sacerdotibus & Levitis ægre victum, impijs omnia affluenter dederint.

Pij verbi doctores inopia laborant.

1. Cor. 8. 9.

Quare nunc primum intelligimus, quam neceſſarium ſit hoc præceptum Pauli, de alendis miniſtris Eccleſiarum. Satan enim nihil minus ferre poteſt, quam lucem Evangelij, Ideo lucente ea excandeſcit, & totis viribus conatur eam extinguere. Hocq; tentat duplici via, primum mendacijs hæreticorum & armis tyrannorum, deinde inopia & fame, Cum vero hactenus in noſtris terris, gratia Dei, per hæreticos & tyrannos Evangelium opprimere non potuit, tentat altera via hoc efficere, ut videlicet miniſtris verbi victum ſubtrahat, ut inopia & fame coacti deſerant miniſterium, atq; ita cum tempore populus miſer, verbo privatus, degeneret prorſus in beſtias. Et Satan horrendiſſimum malum hoc, ut eo citius veniat, vehementer urget per impios Magiſtratus in civitatibus, & Nobiles in rure, qui bona Eccleſiarum, ex quibus miniſtri Evangelij debebant vivere, rapiunt & in malum uſũ tranſferunt, De mercedibus meretricis, inquit Propheta Micheas, iſta bona congregata ſunt, ideo ad mercedem meretricis reverſuntur. Deinde Satan privatim abducit homines etiam bonos ab Evangelio, nimia ſaturitate. Illa enim diligens & quotidiana tractatio Verbi, nauſeam & contemptum pleriſq; affert, qui paulatim poſtea negligentes fiunt ad omnia officia pietatis exercenda. Item nemo liberos ſuos iam adhibet ad bonas, multo minus ſacras, literas diſcendas, ſed ad quæſtuoſas tantum artes. Iſta omnia molitur Satan in hunc finem, ut Evangelium in noſtris regionibus opprimat, etiam ſine vi tyrannorum & dolis hæreticorum.

Satan duplici via opprimit Evangelium

Mich. 1.

Satanas verbi affert faſtidium, &c.

Non fruſtra igitur monet Paulus auditores Verbi, ut doctoribus ſuis communicent in omnibus bonis. Si nos, inquit ad Corinthios, vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Debent igitur auditores in carnalibus miniſtrare illis, à quibus ſpiritualia acceperunt. Sed ruſtici, cives & nobiles abutuntur hodie doctrina noſtra tantum ad parandas opes. Antea regnante Papa, nemo erat, qui quotannis non pendebat aliquid Sacerdotibus pro Anniverſariis, ut vocabant, item pro miſſis, vigilijs, &c. Habebant & fratres mendicantes ſuam partem, Auferebant Romanæ merces & quotidianæ oblationes etiam aliquid, &c. Ab iſtis & alijs infinitis exactionibus liberati ſunt homines noſtri per Evangelium. Sed tantum abeſt ut grati ſint pro iſta libertate,

Debent auditores miniſtros bonis bonis.

ut pror-

ut prorſus ex prodigis largitoribus facti ſint fures & raptores, qui neq; Evangelio neq; miniſtris ipſius, neq; pauperibus Sanctis vel unum aſſem darent. Quod certiſſimum ſignum eſt, eos jam amiſiſſe Verbum & fidem, & in ſumma, nihil ſpiritualium bonorum habere. Quia impoſſibile eſt, quod vere pij ferre poſſint, Paſtores ſuos inopia laborare. Quia vero gaudent & rident hodie, quando Paſtores adverſi aliquid patiuntur, & denegant eis victum, aut ea fide non dant qua deberent, certum eſt eos deteriores eſſe Gentibus.

Pœna ingratitudinis, &c.

Sed quæ calamitates iſtam ingratitudinem ſecuturæ ſint, brevi experientur. Vtraq; enim amittent, carnalia & ſpiritualia. Nam hoc peccatum neceſſe eſt graviſſimas pœnas conſequi. Et profecto puto ob nullam aliam cauſam Eccleſias in Galatia, Corintho, &c. per Pſeudoapoſtolos ſic turbatas eſſe, quam quod ſuos veros doctores neglexerint. Rectiſſime fit, ut qui Deo negat obulum offerenti omnia bona ac vitam æternam, Is Diabolo, autori omnium malorum & mortis, det aureum. Qui Deo non vult ſervire in modico cum ſuo maximo commodo, is ſerviat Diabolo in maximo, cum ſummo ſuo detrimento. Iam primum videmus lucente verbo, quid ſit Diabolus & mundus. Quod autem dicit, in omnibus bonis, non ſic accipiendum eſt, ut ſinguli omnia ſua bona communicent Doctoribus ſuis, ſed ut liberaliter eos alant, quantum ſatis eſt ad vitam commode tuendam. Vocabulum κατηχούμενος ijs, qui Græcè ſciunt, notum eſt.

In omnibus bonis.

Nolite errare, Deus enim non irridetur.

N. biles, cives, & ſtici, &c. contemptores miniſtrorum Dei.

APOSTOLVS tam ſerio hunc locum de alendis doctoribus urget, ut increpationi & adhortationi etiam comminationem addat, dicens, Deus non irridetur. Tangit autem acu mores noſtratium, qui ſecuriſſime noſtrum miniſterium contemnunt. Putant enim illud eſſe jocum ac ludum quendam, Ideoq; (præcipue nobiles) hoc agunt, ut ſuos Paſtores ſibi, tanquam viles ſervos, obnoxios faciant. Et niſi haberemus tam pium & amantem veritatis Principem, jamdudum ex his terris exturbaſſent nos. Exclamant (quando Paſtores poſtulant mercedem ſuam, aut queruntur ſe inopiam pati) Sacerdotes avari ſunt, omnibus bonis abundare volunt, nemo inexpletam eorum avaritiam poteſt ſatiare. Si vere Evangelici eſſent, nihil proprij tenere, ſed pauperes pauperem Chriſtum ſequi & omnia indigna ferre deberent, &c.

Ejuſmodi Tyrannis & ſubſannatoribus Dei, qui ſumma ſecuritate miſeros Paſtores rident, interim tamen videri volunt Evangelici, & Deum non ſubſannare, ſed ſumma religione colere, horribiliter hic comminatur Paulus. Ne erretis, *Lutherus.* inquit, Deus non irridetur, id eſt, non patitur ſe irrideri in ſuis miniſtris. Qui inquit, vos ſpernit, me ſpernit. Et ad Samuelem, Non te, ſed me abjecerunt, &c. Vt maxime igitur ad tempus differt vindictam, tamen ſuo tempore inveniet vos, & puniet contemptum Verbi & acerrimum odium veſtrum in miniſtros ejus. Ideo non Deum, ſed vosipſos decipitis. Non ridebitis Deum, ſed ipſe ridebit vos, Pſal. 2. Et notus eſt verſiculus, Non me doctorem, ſed te deluſeris ipſum. Sed fe- *Pſalm. 2.* rox nobilitas, cives & ruſtici hac horribili comminatione nihil plane moventur, ſentient tamen cum periculum mortis inſtabit, an nos (imo non nos, ſed, ut Paulus hic ait, Deũ ipſum) an ſe ipſos luſerint, Interim, quia ipſi noſtra monita ſuperbe contemnunt, dicimus iſta in noſtram conſolationem, ut ſciamus melius eſſe pati injuriam, quam inferre. Patientia enim eſt ſemper innocens. Deinde Deus non ſinet nos miniſtros ſuos fame perire, ſed cum divites egent & eſuriunt, paſcet, & in diebus famis ſaturabit nos.

Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.

ISTA omnia pertinent ad locum de alendis miniſtris. Ego iſtiuſmodi ſententias non libenter interpretor. Videntur enim nos commendare, ut revera nos commendant. Deinde ſpeciem quandam avaritiæ habet, ſi quis diligentius

iſta

iſta inculcet auditoribus. Docendi tamen ſunt homines etiam de hac re,ut ſciant ſe honorem & victum debere Doctoribus ſuis. Idem Chriſtus docet Luc. 10. Edentes & bibentes,inquiens.quæ apud illos ſunt, Dignus enim eſt operarius mercede ſua. Et Paulus alibi,An neſcitis quod hi,qui in ſacrario operantur,ex hoſtijs vivunt? Et qui altari ſerviunt,cum altari participant?Sic & Dominus ordinavit,ut qui Evangelium annunciant,inde vivant. Hæc etiam prodeſt nobis,qui ſumus in miniſterio,ſcire,ne pro labore noſtro mala conſcientia accipiamus mercedem, quæ numeratur nobis ex Papæ bonis. Quæ quanquam per meram impoſturam coacervata ſunt, tamen Deus ſpolians Ægyptios,hoc eſt,Papiſtas bonis ſuis,transfert ea in noſtris locis in pium & bonum uſum, Non quando nobiles ea rapiunt & transferunt in abuſum, Sed quando ij,qui gloriam Dei annunciant,& qui pie inſtituunt juventutem,inde aluntur. Fieri enim non poteſt,ut unus homo & laboribus domeſticis ad parandum victum diu noctuq; poſſit vacare, & ſimul verſari in ſtudio ſacrarum literarum, ſicut officium docendi poſtulat. Sciamus igitur,nos bona conſcientia (quia Deus hoc mandavit & ordinavit)poſſe frui ijs,quæ nobis ad vitam commode ſuſtentandam de bonis Eccleſiaſticis præbentur,ut officio noſtro vacare poſſimus. Nemo igitur hac de re ſcrupulum ſibi injiciat.quaſi illis bonis non liceat uti.

Luc. 10. 1. Cor. 9.

Honor & victus debentur miniſtris verbi.

Quoniam qui ſeminat in carne,de carne metet corruptionem. Qui autem ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.

Addit ſimilitudinem & allegoriam. Generalem autem hanc ſententiam de ſeminando,accommodat ad particularem illam cauſam de alendis miniſtris,dicens, Qui ſeminat in Spiritu,id eſt,qui alit doctores Verbi,is facit ſpirituale opus, & metet vitam æternam. Hic quæſtio eſt, Vtrum per bona opera mereamur vitam æternam? Id enim Paulus videtur hoc loco aſſerere. De ſententijs,quæ de operibus & mercede loquuntur,ſupra Cap. 3. ſatis diligenter & copioſe diſputavimus. Valde autem opus eſt exhortari,exemplo Pauli,credentes ad bene operandum,hoc eſt,ad exercendam fidem bonis operibus. Ea enim niſi ſequantur fidem,certiſſimum ſignum eſt,fidem non eſſe veram, Dicit igitur Apoſtolus,Qui ſeminat in carne(Quidam legunt in carne ſua) id eſt, qui nihil communicat miniſtris Verbi,ſed ſe ſolum bene paſcit & curat(Id quod caro ſuadet)ille de carne metet corruptionem,non ſolum in futura,ſed etiam præſenti vita. Dilabuntur enim bona impiorum, tandem & ipſi turpiter pereunt,&c. Libenter exhortari vellet Apoſtolus auditores,ut largi & benefici eſſent in doctores ſuos. Eſt autem valde miſerabilis res,eam eſſe hominum malitiam & ingratitudinem,quod opus ſit iſta admoneri in Eccleſijs.

Seminare in ſpiritu.

Fides non eſt otioſa.

Encratitæ abuſi ſunt hoc loco, pro confirmanda fanatica opinione ſua contra conjugium,atq; eum hoc modo interpretati ſunt : Qui ſeminat in carne, metet corruptionem,id eſt,qui ducit uxorem,damnabitur. Ergo uxor eſt res damnata,& matrimonium eſt malum. Quia in eo fit ſeminatio in carne.Turpes illæ beſtiæ adeo omni judicio caruerunt,ut non viderint quid ageret Apoſtolus, Iſta ideo admoneo, ut videatis Diabolum facillime poſſe avertere à veritate corda ſimplicia per ſuos miniſtros. Tales infinitos brevi habebit,imo jam multos habet Germania. Quia pios alibi perſequitur & occidit,alibi negligit & in ſumma inopia vivere ſinit Contra hos & ſimiles errores muniamus nos,& diſcamus germanam ſententiam ſcripturæ concipere. Loquitur autem Paulus,id quod videre poteſt homo communi tantum ſenſu præditus,non de conjugio,ſed de alendis Eccleſiarum miniſtris. Et quanquam illud alere corporale ſit,vocat tamen in Spiritu ſeminare. Econtrà, corradere & ſua quærere,vocat in carne ſeminare. Hos pronunciat in præſenti & futura vita benedictos,illos viciſſim in præſenti & futura vita maledictos fore.

Encratitæ hæretici.

Seminare in ſpiritu & in carne.

Bonum autem facientes non deficiamus, Tempore enim ſuo metemus non deficientes.

Conclu-

Concluſurus Epiſtolam à ſpecie ad genus tranſit, & in genere ad omne bonum opus hortatur, Q. d. Non ſolum erga miniſtros Verbi, ſed etiam erga omnes ſimus liberales & benefici, idque ſine defatigatione. Nam facile eſt ſemel atque iterum benefacere, ſed perdurare, nec vinci ingratitudine aut malitia eorum, quibus benefeceris, hoc opus, hic labor eſt. Ideo non ſolum adhortatur nos ad benefaciendum, ſed ut benefacientes non defatigemur. Et ut hoc nobis facilius perſuadeat, addit, Tempore enim ſuo metemus non defatigati. Q. d. Spectate & expectate perpetuam meſſem, quæ futura eſt, tum nulla ingratitudo aut malitia hominum poterit vos avocare à benefaciendo. Tempore enim meſſis feretis ampliſſimum fructum ſationis veſtræ. Ita ſuaviſſimis verbis adhortatur fideles ad bene operandum.

Benefaciendum ſine defatigatione.

Igitur dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes, maximè autem erga domeſticos fidei.

Hæc concluſio eſt exhortationis de alendis liberaliter Eccleſiarum miniſtris, & de largienda eleemoſyna omnibus, qui egent, Q. d. Operemur bonum dum dies eſt, Nam ubi nox venerit, non poſſumus operari. Ablata luce veritatis, multa quidem operantur homines, ſed fruſtra, quia in tenebris ambulantes neſciunt quo vadant. Itaque tota vita, opera, paſſio & mors eorum fruſtranea ſunt. Obliquè autem pungit his verbis Galatas, q. d. Niſi permanſeritis in ſana doctrina, quam à me acceptiſtis, nihil prodeſt vos multa bona operari, multa pati, &c. Sic ſupra Cap. 3. Tam multa paſſi eſtis fruſtra. Domeſticos autem fidei appellat, nova phraſi, eos, qui ſunt in noſtra ſocietate fidei, Inter quos primi ſunt miniſtri Verbi, Deinde omnes alij credentes.

Domeſtici fidei

Videte, qualibus literis ſcripſi vobis mea manu.

Concludit Epiſtolam cum exhortatione ad ſuos, & acri objurgatione ſeu invectiva contra Pſeudoapoſtolos. Videte, inquit, quantis literis ſcripſerim vobis manu propria. Iſta dicit, ut permoveat eos, & oſtendat eis ſuum maternum affectum erga ipſos, Q. d. Nunquam ſcripſi tam verboſam Epiſtolam manu propria ad aliam Eccleſiam, quam ad vos ſcripſi. Cæteras enim dictavit, & tantum ſubſcripſit ſalutationem & nomen ſuum manu propria. Vt cernere eſt in fine Epiſtolarum ipſius. Reſpicit autem his verbis, ut ego judico, ad longitudinem Epiſtolæ. Alij aliter accipiunt.

Maternum affectum Pauli.

Quicunq; volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur.

Supra maledixerat & anathema fecerat Pſeudoapoſtolos, Nunc quaſi idem repetens, ſed alijs verbis iterum graviter accuſat eos, ut deterreat & abducat Galatas à doctrina ipſorum, ut maxime in ſpeciem eſſent magnæ autoritatis viri. Vos tales, inquit, habetis Doctores, qui primum non curant Chriſti gloriam & ſalutem animarum veſtrarum, ſed tantum ſuam gloriam quærunt. Deinde crucem fugiunt. Tertio, qui non intelligunt, multo minus faciunt, quæ docent. Si quis, præſertim Apoſtolus, commendaret doctorem à tribus iſtis virtutibus, merito vitari deberet ab omnibus. Sed omnes Galatæ non paruerunt iſti admonitioni Paulinæ. Neque Paulus contumelia afficit Pſeudoapoſtolos, cum tam atrociter in eos invehitur, ſed Apoſtolica autoritate eos judicat. Sic nos cum appellamus Papam Antichriſtum, Epiſcopos & fanaticos homines, Anathema, non detrahimus ipſis, ſed divina autoritate judicamus eos eſſe maledictos, Iuxta illud, Etiamſi nos, aut Angelus è cœlo, &c. Quia hi perſequuntur, illi evertunt doctrinam Chriſti.

Virtutes Pſeudoapoſtolorum.

Vtitur autem ſignificanti verbo Καυχωνται, quod germanice dicimus, **wol geberden / ſich fein wiſſen zu ſtellen.** Prima ipſorum virtus eſt, inquit, quod adulantur magnatibus & pontificibus, vt his gratificentur. Vtque illæſam conſer-

Pſeudoapoſtoli adulatores.

vent

vent gloriam ſuam, cogunt vos circumcidi. Proceres enim Iudæorum pertinaciter reſiſtunt Evangelio, & Moſen defendunt. Illorum voluntati ſtudent accommodare ſeſe, foris ita vivere & geſtus temperare, ut illis placeant. Vt igitur horum gratiam retineant, & perſecutionem crucis non ſuſtineant, docent circumciſionem neceſſariam ad ſalutem. Tales ſunt & hodie ſycophantæ quidam, in gratiam Papæ, Epiſcoporum & Principum, contra nos vociferantes, & malitioſe ſcripta noſtra calumniantes, non amore veritatis tuendæ, quam contra conſcientiam impugnant & blaſphemant, ſed ut placeant idolis ſuis Papæ, Epiſcopis, Regibus & Principibus mundi. Deinde ut perſecutionem crucis Chriſti non patiantur. Si vero illa commoda carnis haberent ex Evangelio, quæ habent ex idolis ſuis, Item ſi profeſſionem Evangelij comitarentur opes, voluptates, pax & quies carnis, ſtatim ſe ad nos conferrent. *Adulatores Papiſtarum.*

Vaniſſimi homines, inquit Paulus, veſtri Doctores ſunt, nihil ſoliciti de gloria Chriſti & ſalute veſtra, tantum ſuam gloriam quærunt. Deinde quia Crucem metuunt, circumciſionem & juſticiam carnis prædicant, ne concitent ſibi odium & perſecutionum Iudæorum. Quare etſi magno ſtudio eos diu audieritis, tamen tales auditis, qui ventrem colunt, ſuam gloriam quærunt & crucem fugiunt. Eſt autem emphaſis in Verbo, cogunt. Nam circumciſio nihil eſt, ſed cogi ad circumciſionem, & ex ea ſuſcepta facere juſticiam & ſatisfactionem, ex neglecta facere peccatum, hoc contumelia eſt afficere Chriſtum. De hac re ſupra ſatis copioſe dictum eſt. *Cogunt vos circumcidi.*

Neq; enim, qui circumciduntur, Legem ſervant, Sed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur.

HIC Paulus hæreticus eſt, Quia dicit Pſeudoapoſtolos & totam gentem Iudæorum, qui circumcidebantur, Legem non ſervare, Imo circumciſos implendo Legem, non implere. Hoc contra Moſen eſt, qui dicit, circumcidi eſſe Legem ſervare, Non circumcidi, pactum Dei irritum facere. Gen. 17. Et Iudæi nullam ob aliam cauſam circumcidebantur, niſi ut ſervarent Legem, quæ præcipiebat, omnem maſculum octavo die circumcidendum, &c. Iſta ſupra copioſe tractata ſunt, ideo non opus eſt ea nunc repetere. Pertinent autem iſta ad condemnationem Pſeudoapoſtolorum, ut deterreat Galatas ne ipſos audiant, Q. d. Ecce ego pingo & oſtendo vobis, quales habeatis Doctores, nempe primum homines vane glorioſos, qui ſua tantum quærunt, & ventrem curant. Deinde qui Crucem fugiunt. Poſtremo nihil veri aut certi docent, ſed omnia eorum dicta & facta ſimulata ſunt. Quare etiamſi Legem foris ſervant geſtibus & ceremonijs, tamen ſervando eam non ſervant. Lex enim ſine Spiritu ſancto non poteſt impleri. Sine Chriſto autem non accipitur Spiritus ſanctus, quo non accepto, manet Spiritus immundus, id eſt, contemnens Deum & quærens ſuam gloriam. Ideo quicquid Legis facit, hypocriticum eſt & duplex peccatum. Immundum enim cor non implet, ſed foris tantum ſimulat ſe implere Legem, atq; ita magis corroborat in impietate & hypocriſi ſua. *Paulus hæreticus.* *Gen. 17.* *Lex non ſervatur niſi externis operibus.*

Eſt autem bene obſervanda hæc ſententia, Qui circumciduntur, Legem non ſervant, hoc eſt, circumciſi non ſunt circumciſi, &c. Poteſtq; accommodari ad alia quoq; opera. Qui extra Chriſtum operatur, orat, patitur, fruſtra operatur, orat, patitur, &c. quia quicquid non eſt ex fide peccatum eſt. Nihil prodeſt igitur aliquem foris circumcidi, jejunare, orare, &c. intus tamen eum manere interim contemptorem gratiæ, remiſſionis peccatorum, fidei Chriſti, &c. & ſuperbire fiducia ſui ac præſumptione juſticiæ propriæ, quæ horribilia peccata ſunt contra primam tabulam. Quæ comitantur poſtea etiam peccata contra ſecundam tabulam, qualia ſunt inobedientia, libido, furor, ira, odium, &c. Ergo bene dicit, Circumciſi non ſervant Legem, ſed ſimulant tantum in ſpeciem ſe ſervare. Simulatio autem coram Deo duplex iniquitas eſt. *Rom. 14.* *Opera ſine fide facta peccata ſunt.*

Ambitio Pseudoapostolorum.

Quid agunt Pseudoapostoli, quod volunt vos circumcidi? Volunt vos circumcidi, non ut justificemini, quanquam hoc prætexant, sed ut in carne vestra glorientur. Quis autem non extreme detestetur illud pestilentissimum vitium, ambitionem seu gloriæ studium, quod cum tanto periculo animarum quæritur? Vanissimi homines, inquit, sunt, qui ventri serviunt, & crucem oderunt. Deinde quod pessimum est, cogunt vos circumcidi secundum Legem, ut ita abuti possint carne vestra ad gloriam suam, cum æterno animarum vestrarum damno. Commodum enim quod inde accipitis coram Deo, perditio est. Coram mundo, quod Pseudoapostoli gloriari possunt se esse Doctores vestros, vos discipulos ipsorum, Quos tamen docent, quæ ipsi non faciunt. Sic satis acerbe & odiose perstringit Pseudoapostolos. Ista verba, Vt in carne vestra glorientur, cum emphasi legenda sunt, Q. d. Ipsi non habent verbum Spiritus, ideo impossibile est vos ex prædicatione ipsorum accipere Spiritum. Tantum exercent carnem vestram, facientes vos justiciarios carnales, qui foris sine Spiritu observant dies, tempora, sacrificia, &c. secundum Legem. Quæ mere carnalia sunt, ex quibus nihil habetis, nisi laborem inutilem & damnationem. Contra ipsi hoc inde habent, quod gloriari possunt se esse Doctores Galatarum, quos revocaverint à doctrina Pauli hæretici ad matrem Synagogam. Sic adulatores Papistarum hodie gloriantur, se eos, quos subvertunt, revocare ad gremium Ecclesiæ. Nos contra gloriamur non in carne vestra, sed de spiritu vestro, quia ex prædicatione nostra accepistis Spiritum. Supra Cap. 3.

Vt in carne vestra glorientur.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.

PROGREDITVR Apostolus usque ad indignationem, & ex commoto animo prorumpit in ista verba, Mihi autem, &c. Q. d. Tam noxia pestis est gloriatio Pseudoapostolorum illa carnalis, ut cuperem eam sepultam esse in inferno, quia valde multis est exitio. Sed glorientur in carne, qui volent, & pereant cum maledicta gloria sua, Mihi autem maneat ista unica gloria, quæ est, quod glorior in cruce Christi. Ad eundem modum loquitur & Rom. 5. Gloriamur in afflictionibus, &c. Item, 2. Corinth. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, &c. Rom. 5. 2. Cor. 12.

Gloriatio Christianorum.

Ostendit igitur hic Paulus, quæ sit vera Christianorum gloriatio, Nempe gloriari, gaudere & superbire in tribulationibus, ignominia, infirmitatibus, &c. Mundus judicat Christianos non solum esse despectissimos homines, sed etiam acerbissime, & quidem justo, ut putat, zelo odit, persequitur, damnat & occidit eos, tanquam nocentissimas pestes Regni spiritualis & mundani, hoc est, tanquam hæreticos & seditiosos. Quia vero ista patiuntur non propter cædes, furta, & alia id genus scelera, sed propter Christum, cuius beneficium & gloriam annunciant, gloriantur in tribulationibus & cruce Christi, & gaudent cum Apostolis se dignos haberi, quod pro nomine Christi contumelia Christi afficiantur. Sic nos hodie cum Papa & totus mundus infectantur, crudeliter damnant & occidunt nos, ea in re gloriari & exultare debemus, quia ista patimur non propter malefacta nostra, ut fures, latrones, &c. sed propter Christum Salvatorem & Dominum nostrum, cuius Evangelium pure docemus.

Pti patiantur propter Christum.

Istis autem duobus maxime crescit & firma sit gloriatio nostra, quod primum certi sumus nos habere doctrinam puram atq; divinam. Deinde quod nostra crux seu passio sit Christi passio. Ideo non habemus causam, cum mundus nos persequitur & occidit, quod querulemur & eiulemus, sed ut maxime gaudeamus & exultemus. Mundus quidem judicat nos infelices & execrabiles. Contra Christus, qui major est mundo, propter quem patimur, pronunciat nos beatos, & jubet nos lætari, &c. Beati estis, inquit, cum maledixerunt vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum contra vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, &c. Quare nostra gloriatio longe alia est, quam

Gloriatio mundi.

mundi, qui non gloriatur in afflictione, ignominia, persecutione, morte &c. sed in potentia

in potentia, opibus, pace, honore, ſapientia, juſticia. Sed extrema illius gloriæ & gaudij luctus & confuſio occupat. Porro crux Chriſti non ſignificat lignum illud, quod Chriſtus in humeris ſuis portavit, & cui poſtea affixus eſt, Sed in genere ſignificat omnes afflictiones omnium piorum, quorum paſſiones ſunt Chriſti paſſiones. 2 Corinth. 1. Abundant paſſiones Chriſti in nobis. Et Coloſſ. 1. Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionibus Chriſti, in carne mea, pro corpore ipſius, quod eſt Eccleſia, &c. Ergo crux Chriſti generaliter ſignificat univerſas Eccleſiæ afflictiones, quas propter Chriſtum patitur. Id quod Chriſtus ipſe teſtatur in Actis cap. 9. cum inquit: Saule, Saule, quid me perſequeris? Saulus nullam vim inferebat Chriſto, ſed ipſius Eccleſiæ. Qui autem illam tangit, tangit pupillam oculi ſui. Senſus ſubtilior & velocior eſt in capite, quam in reliquis membris corporis. Hoc experientia videmus. Nam læſo digitulo pedis aut alia minima corporis parte læſa, ſtatim caput in vultu prodit ſe hoc ſentire. Naſus enim contrahitur, oculi torvum vident, &c. Sic Chriſtus caput noſtrum afflictiones noſtras ſuas facit, & patitur, cum nos corpus ipſius patimur.

Crux Chriſti.

Piorum afflictiones ſunt Chriſti propriæ.

1. Cor. 1. Col. 1.

Actor. 9.

Senſus capitis nobilior, &c.

Iſta ad hoc prodeſt ſcire, ne nimium contriſtemur aut prorſus deſperemus, cum videmus adverſarios perſequi, excommunicare & occidere, item hæreticos tam infenſis animis odiſſe nos. Sed cogitemus tum nobis, exemplo Pauli, maxime gloriandum eſſe in cruce, non propter peccata noſtra, ſed propter Chriſtum ſuſcepta. Si paſſiones, quas ſuſtinemus, in nobis ipſis tantum conſideramus, non ſolum nobis moleſtæ, ſed etiam intolerabiles ſunt. Quando vero accedit pronomen, ſecundæ perſonæ, Tuæ, ut dicere poſſimus, Tuæ paſſiones (ô Chriſte) abundant in nobis. Item, propter te, ut eſt in Pſal. occidimur tota die, tum paſſiones ipſæ non ſolum leves, ſed etiam ſvaves redduntur, Iuxta illud, Onus meum leve eſt, & jugum meum ſvave. Manifeſtum autem eſt, propter nullam aliam cauſam nos odia & perſecutiones adverſariorum hodie ferre, quam quod Chriſtum pure prædicamus. Si hunc negaremus, & eorum pernicioſos errores & impios cultus approbaremus, non ſolum deſinerent nos odiſſe & perſequi, ſed offerrent etiam nobis honores, opes, &c. Quia ergo iſta propter Chriſtum patimur, veriſſime gloriari poſſumus cum Paulo, in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, Hoc eſt, non in potentia, favore hominum, opibus, &c. ſed in afflictionibus, infirmitate, triſticia, pugnis corporis, pavoribus ſpiritus, perſecutionibus & omnibus malis. Quare ſperamus etiam brevi futurum, quod Chriſtus ad nos dicturus ſit (quod David ab Abiathar ſacerdotem dixit, 1. Reg. 22.) Ego ſum reus omnium animarum veſtrarum. Item, qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, Q. d. Qui vos lædit, me lædit. Quia niſi verbum meum prædicaretis, & me confiteremini, iſta non ſuſtineretis, &c. Sic in Iohan. Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſt diligeret. Quia vero elegi vos de mundo, ideo odit vos mundus. Hæc ſupra quoq; tractata ſunt.

Onus piorum ſuave.

Pſal. 44.

Matth. 11.

Gloriari in cruce Chriſti.

1. Reg. 22. Luca 10. Zacha. 2. Iohan. 15.

Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

PHRASIS eſt Paulina. Mundus eſt mihi crucifixus, id eſt, ego judico mundum eſſe damnatum. Et ego mundo ſum crucifixus, hoc eſt, mundus viciſſim me judicat damnatum. Sic invicem nos crucifigimus & damnamus. Ego execror omnem doctrinam, juſticiam & opera Mundi, tanquam venenum diaboli. Mundus viciſſim execratur doctrinam & facta mea, judicat me eſſe peſtiferum hominem, hæreticum, ſeditioſum, &c. Sic hodie nobis mundus crucifixus eſt, & nos mundo. Nos maledicimus & damnamus traditiones humanas de Miſſis, ordinibus, votis, cultibus, operibus & omnibus abominationibus Papæ & hæreticorum, tanquam ſordes Diaboli. Ipſi viciſſim perſequuntur & occidunt nos, ut everſores religionis, & perturbatores publicæ pacis. Monachi ſomniaverũt Mundum ſibi crucifigi, cum ingrederentur Monaſteria. Sed hoc modo non mundus, ſed Chriſtus crucifigitur. Imo Mundus à crucifixione liberatur, & plus vivificatur

Mundum crucifigi, &c.

illa opinione ſanctitatis & fiducia juſticiæ propriæ, quam habuerunt hi, qui ingreſſi ſunt religionem. Ideoq; ineptiſſime detorta eſt hæc ſententia Apoſtoli ad ingreſſum religionis. Loquitur autem de re longe magis ardua, nempe, quod Paulus & quilibet ſanctus ſeu Chriſtianus hoc judicet eſſe divinam ſapientiam, juſticiam & potentiam, quod mundus habeat & damnet pro ſumma ſtultitia, impietate & infirmitate. Et econtrà, quod mundus judicat ſummam religionem & cultum Dei, hoc pij certo noverunt extremam eſſe Blaſphemiam Dei. Sic pij mundum, & viciſſim mundus pios judicat. Sed penes pios eſt judicium rectum. 1. Cor. 2. Spiritualis enim homo omnia dijudicat, &c.

Judicium piorum & mundi de doctrina pietatis diverſum.

Quare judicium mundi de religione ſeu juſticia coram Deo, tam pugnat cum judicio piorum, quam pugnant inter ſe Diabolus & Deus. Vt autem Deus Diabolo crucifixus eſt, & econtrà Diabolus Deo, hoc eſt, ut Deus damnat doctrinam & opera Diaboli (Filius enim Dei, ait Iohannes, apparuit, ut diſſolvat opera Diaboli) & econtrà ut Diabolus damnat & evertit (Eſt enim homicida & mendacij pater) verbum & opera Dei. Ita mundus damnat piorum doctrinam & vitam, vocans eos peſtilentiſſimos hæreticos & publicæ pacis perturbatores. Pij viciſſim vocant Mundum Diaboli filium, qui egregie ſequatur veſtigia patris ſui, hoc eſt, qui perinde homicida & mendax ſit, ut pater ſuus. Hoc vult Paulus cum dicit, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, Significat autem mundus in ſacris literis non ſolum palam implos & ſceleratos, ſed optimos quoſq; ſapientiſſimos, ſanctiſſimos &c. Simul autem occulte perſtringit Pſeudoapoſtolos, Q. d. Ego omnem gloriam, quæ extra crucem Chriſti eſt extreme odi & deteſtor, ut rem maledictam, eamq; habeo non tantum pro mortua, ſed pro turpiſſime mortua, ut turpiſſime moritur, qui cruce affigitur. Mundus enim eſt mihi cum omni gloria ſua crucifixus, & ego mundo. Quare anathema ſint omnes, qui in carne veſtra, non in cruce Chriſti, gloriantur. Teſtatur igitur Paulus his verbis, ſe perfecto odio Spiritus Sancti odiſſe mundum, & viciſſim mundum perfecto odio Spiritus maligni odiſſe ſe, Q. d. Impoſſibile eſt ullam concordiam coire inter me & mundum. Quid igitur faciam? Cedam ne & docebo quæ mundo placent? Non, ſed infracto animo audentior contra eum inſurgam, & tam egregie eum contemnam ac crucifigam, quam me contemnit & crucifigit, &c.

Mundus pios damnat doctrinam & vitam, & econtrà.

1. Ioh. 3. Ioan. 8.

Mundus.

Nulla reconciliatio mundo cum piis.

Poſtremo etiam Paulus hic docet, Quo modo pugnandum ſit contra Satanam, qui ſubinde nos alijs atq; alijs corporalibus malis affligit, & intus ſuis ignitis telis perpetuo cor noſtrum ferit, ut vel illa aſſiduitate, ſi aliter non poteſt, fidem noſtram evertat, & nos à veritate & Chriſto abducat. Nempe, ut ſimili modo, quo videmus ipſum S. Paulum ſuperbe contempſiſſe mundum, Ita & nos Diabolum principem ejus, cum omnibus ſuis viribus, dolis & infernalibus furijs contemnamus, hocq; modo, freti præſidio Chriſti, illi inſultemus. Quo plus noces & nocere cupis Satan, hoc plus ſuperbio & rideo te. Quo plus terres, & in deſperationem adigere me conaris, hoc plus confido, & glorior in, furoribus & malitijs tuis. Non per potentiam meam, ſed Chriſti Domini mei, cujus virtus in infirmitate mea perficitur. Ideo cum infirmus ſum, fortis ſum, &c. Contrà, cum videt magnifieri minas & terrores ſuos, gaudet, ac magis magiſq; jam pavefactos terret, &c.

In Chriſto enim Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, Sed nova creatura.

MIRE loquitur Paulus, cum dicit, in Chriſto Ieſu neque circumciſionem, neque præputium aliquid valere, &c. Debebat potius dicere, aut circumciſio, aut præputium aliquid valet, cum hæc duo ſint contraria. Nunc utrunq; negat valere, Q. d. altius nobis eundum eſt. Nam circumciſio & præputium longe inferiores res ſunt, quam ut valeant ad juſticiam conſequendam coram Deo. Sunt quidem inter ſe contraria, ſed hoc nihil ad juſticiam Chriſtianam, quæ non

Juſticia Chriſtiana.

terrena

terrena, ſed cœleſtis eſt. Ideo non conſiſtit in rebus corporalibus. Sive igitur circumcidaris, ſive præputium habeas, idem eſt. Vtrunque enim in Chriſto Ieſu nihil valet. Valde offenſi ſunt Iudæi, cum audierunt circumciſionem nihil valere. Facile concedebant præputium nihil valere, Sed idem affirmari de Lege & circumciſione, hoc auditu fuit eis intolerabile. Nam pro defendenda Lege & circumciſione dimicabant uſque ad ſanguinem. Papiſtæ etiam vehementer pugnant hodie pro defendendis traditionibus, de eſu carnium, de cœlibatu, de ferijs, &c. ac nos, qui docemus eas in Chriſto Ieſu nihil valere, excommunicant & maledicunt. Item, quidam ex noſtris non minus inſulſi quàm Papiſtæ, adeo rem neceſſariam putant libertatem à traditionibus Papæ, ut niſi eas omnes ſtatim violent atque aboleant, timeant ſe peccare. At Paulus dicit, Nos oportere longe quiddam majus & precioſius habere, quod valeat ad juſticiam coram Deo conſequendam, quam eſt Lex aut circumciſio, quam eſt obſervatio aut violatio traditionum Papiſticarum. In Chriſto Ieſu, inquit, neq; circumciſio, neque præputitium, neq; cælibatus, neq; conjugium, neq; cibus, neq; jejunium valet, &c. Eſca nos non commendat Deo, Neq; abſtinendo meliores, neq; edendo deteriores ſimus. Iſtæ res longe inferiores ſunt. Imo totus mundus cum omnibus ſuis Legibus & juſticiis longe vilior eſt, quàm quod debeat trahi in locum juſtificationis.

Libertas à traditionibus Papæ.

Cor. 8.

Ratio & ſapientia carnis hoc non intelligit. Non enim percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Ideo contendit juſtitiam ſitam eſſe in externis rebus. Nos vero ita edocti ſumus ex verbo Dei, ut certo pronunciemus, nihil prorſus ſub ſole eſſe, quod valeat ad juſtitiam coram Deo, præter unicum Chriſtum, ſeu, ut hic dicit, novam creaturam. Leges autem politicæ, traditiones humanæ, ceremoniæ Eccleſiarum, item lex Moſi, ſunt res extra Chriſtum poſitæ, Non valent igitur ad juſtitiam coram Deo. Vti quidem licet illis ut rebus bonis & neceſſarijs, ſed ſuo loco & tempore. Si autem vocantur in diſputationem de juſtificatione, nihil prorſus valent, ſed maxime obſunt. Quia in Chriſto Ieſu neq; circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.

Extra Chriſtum non eſt ſalus.

Et Paulus per iſta duo, Circumciſionem & præputium, excludit ſimpliciter omnia quæ in tota rerum natura ſunt, negatq; ea valere in Chriſto Ieſu, hoc eſt, in cauſa fidei & ſalutis. Accipit enim per Synecdochen partem pro toto, hoc eſt, per præputium intelligit omnes gentes, per circumciſionem omnes Iudæos, cum totis viribus & omni gloria ſua, Q. d. Quicquid Gentes præſtare poſſunt cum omni ſua ſapientia, juſticia, legibus, potentia, regnis, imperijs, nihil valet in Chriſto Ieſu. Item, Quicquid ſunt & poſſunt omnes Iudæi cum toto ſuo Moſe, Lege, circumciſione, cultu, templo, regno, ſacerdotio, nihil prorſus valet. Quare in Chriſto Ieſu ſeu in cauſa juſtificationis, non eſt diſputandum de legibus Gentium vel Iudæorum, num lex ceremonialis aut moralis juſtificet. Sed ſimpliciter illa negativa ponenda eſt, in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neq; præputium.

Præputium, circumciſio.

Ergo Leges malæ ſunt? Non, Imo bonæ & utiles ſunt, ſed ſuo ordine & loco, Hoc eſt, in rebus corporalibus & civilibus, quæ ſine legibus non poſſunt adminiſtrari. Deinde obſervamus etiam in Eccleſijs quaſdam ceremonias & leges, non quod illa obſervatio valeat ad juſticiam, ſed ad bonum ordinem, exemplum, tranquillitatem & concordiam, juxta illud, Omnia decenter & ſecundum ordinem fiant. Si autem Leges ita proponuntur & exiguntur, quod ſervatæ juſtificent, omiſſæ damnent, prorſus abrogandæ & tollendæ ſunt. Quia Chriſtus amittit officium & gloriam ſuam, qui ſolus juſtificat, ſubminiſtrat Spiritum, &c. Paulus igitur his verbis clariſſime affirmat, neque circumciſionem aliquid valere neq; præputium, ſed novam creaturam, &c. Cum autem in Chriſto nihil prorſus valeant neque leges Gentium neque Iudæorum, impiiſſime egit Papa, quod nos coegit ſervare leges ſuas cum opinione juſticiæ, &c. Nova autem creatura, qua reparatur imago Dei, non fit fuco aut ſimulatione ullorum operum externorum

Leges bonæ.

Ceremoniarum & legum uſus.

Nova creatura

(Quia in Chriſto Ieſu neq; circumciſio aliquid valet, neque præputium) ſed per Chriſtum imaginem Dei in juſticia & ſanctitate veritatis creatur. Opera cum fiunt, novam quidem ſpeciem afferunt, qua Mundus & caro capiuntur, ſed non novam creaturam. Cor enim manet impium, ſicut antea, plenum contemptu Dei, infidelitate, &c. Ideo nova creatura eſt opus Spiritus ſancti, qui fide purificat cor, & efficit timorem Dei, charitatem, caſtitatem, &c. ac donat virtutem domandæ carnis, & fugiendæ juſticiæ & ſapientiæ mundi, &c. Hic non eſt fucus aut tantum nova externa ſpecies, ſed res ipſa geritur: Revera ſenſus alius & aliud judicium, nempe ſpirituale naſcitur, quod ea, quæ prius magnifecit, poſt abominatur. Olim ita capti erant animi noſtri monaſtica vita, ut eam ſolum exiſtimaremus viam ad ſalutem, Iam longe aliter de ea judicamus. Quæ igitur ante hanc novam creaturam pro ſumme ſanctis adoravimus, de illis, cum redeunt in memoriam, jam erubeſcimus.

Nova creatura Renovationem mentis ſequitur renouatio membrorum corporis.

Quare mutatio veſtitus & aliarum externarum rerum, ut Monachi ſomniant, non eſt nova creatura, Sed renovatio mentis per Spiritum ſanctum, quam ſequitur poſtea etiam mutatio membrorum & ſenſuum corporis. Nam ubi cor novam lucem, novum judicium & novos motus per Evangelium concipit, fit ut externi quoq; ſenſus innoventur. Aures enim verbum Dei, non amplius traditiones & ſomnia humana, geſtiunt audire. Os & lingva non ſua opera, juſticias & regulam jactant, ſed ſolam miſericordiam Dei in Chriſto exhibitam cum gaudio prædicãt, &c. Hæ ſunt mutationes, ut ſic dicam, non verbales, ſed reales, quę afferunt novam mentẽ, voluntatem, novos ſenſus & actiones etiam carnis, ut oculi, aures, os & lingva, non ſolum aliter quam antea, videant, audiant & loquãtur, ſed ut ipſa mens etiam aliud probet & ſequatur. Antea enim cæcutiens in erroribus & tenebris Papiſticis, ſomniavit Deum mercatorem eſſe, qui ſuã gratiam nobis venderet pro operibus & meritis noſtris. Iam orta luce Evangelij, ſtatuit nos ſola fide in Chriſtum reputari juſtos. Ideoq; abjicit opera electitia, & vocationis & charitatis opera, divinitus præcepta, facit, Deum laudat & prædicat, ac in ſola fiducia miſericordiæ per Chriſtum gloriatur & exultat. Si quid malorum aut periculorum ferendum eſt, ea libenter & cum gaudio (quanquam caro murmuret) ſubit. Hanc Paulus novam creaturam appellat.

Et quotquot juxta hanc Regulam incedunt, Pax ſuper illos & miſericordia.

Regula vera. Franciſcani impie depravant hunc locum Pauli.

Nova creatura

Juſticia Monachorum, &c.

Hoc adjecit quaſi Epiphonema. Hæc unica & vera regula eſt, qua incedere debemus, nempe nova creatura. Franciſcani impiiſſime detorquent hanc ſententiam ad ſuam Regulam. Hinc blaſphemi & ſacrilegi homines prædicaverũt ſuam regulam longe ſanctiorem eſſe alijs, Quia teſtimonio & autoritate Apoſtolica fundata & confirmata ſit. Certe Paulus non loquitur hic de cucullis, raſura verticis, fune, calopodijs, boatibus in templo, & ſimilibus inaniſſimis nugis, quæ continentur in Regula ipſorum ſed de nova creatura, Quæ neq; circumciſio neq; præputium eſt, ſed novus homo ad imaginem Dei creatus in juſticia & ſanctitate veritatis, Qui intus in ſpiritu juſtus, & foris ſanctus ac mundus eſt in carne. Franciſcani & omnes Monachi habent quidem juſticiam & ſanctitatem, ſed hypocriticam & impiam, Quia non ſperant ſe per ſolam fidem in Chriſtum, ſed per obſervationem regulæ ſuæ juſtificari. Deinde etiamſi foris ſimulent ſanctitatem, cohibeant oculos, manus, lingvam & alia membra, Tamen cor pollutum habent, plenum concupiſcentia, invidia, ira, libidine, idolatria, contemptu & odio Dei, blaſphemia Chriſti, &c. Sunt enim acerrimi hoſtes veritatis.

Regula Monachorum maledicta.

Quare maledicta ſit regula Franciſci, Dominici & omnium Monachorum, Quia per eas primum Chriſti beneficium & gloria obſcurata & obruta, ac Evangelium gratiæ ac vitæ prorſus oppreſſum eſt. Deinde mundus per eaſdem repletus eſt infinitis idolatrijs, falſis cultibus, impijs religionibus, electicijs operibus, &c. Hæc autem, de qua hic Paulus loquitur, ſola benedicta ſit, qua vivimus in

fide

fide Christi, & efficimur nova creatura, hoc est, vere justi & sancti per Spiritum sanctum, non per fucum aut simulationem. Ad eos, qui incedunt hac regula, pertinet pax, id est, favor Dei, remissio peccatorum & tranquillitas conscientiæ. Et misericordia, id est, auxilium in afflictionibus & ignoscentia reliquiarum peccati in carne. Imo si etiam hi, qui juxta hanc regulam incedunt, præoccupantur delicto aut lapsu aliquo, tamen, quia filij Gratiæ & pacis sunt, subvenit eis misericordia, ut illis peccatum & lapsus non imputetur, &c. *Pax.* *Misericordia.*

Et super Israelem Dei.

Rom. 9. HIC petit Pseudoapostolus & Iudæos, qui jactabant Patres, electionem, Legem, &c. Rom. 9. Q. d. Israel Dei sunt, non qui carnaliter progeniti sunt ex Abraham, Isaac, Israel, sed qui cum fideli Abraham credunt promissionibus Dei, in Christo nunc exhibitis, sive Iudæi, sive Gentes sint. Hoc argumentum supra Capite. 3. copiose tractatum est.

De cætero nemo mihi molestus sit.

CVM stomacho & indignatione concludit Epistolã, Q. d. Ego docui fideliter Evangelium, ut per revelationem Christi accepi. Qui hoc non vult sequi, is sane sequatur quod velit, modo deinceps mihi negocium non faciat. Summa, hæc breviter mea sententia est, quod Christus, quem prædicavi, sit unicus Pontifex & salvator mundi. Vel igitur mundus juxta hanc regulam, de qua hic & in tota Epistola dixi, incedat, vel in æternum pereat. *Israel Dei.*

Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.

SICVT superiorem sententiam, Quicunq; juxta hanc regulam incedunt, intelligunt Minoritæ de sua Regula dictam esse, ita & hanc fingunt de stigmatibus Francisci sui intelligendam esse. Ego puto merum figmentum & ludibrium esse, quod ipsi de hac re dixerunt. Sed esto sane, quod Franciscus portaverit in corpore stigmata, ut pingitur, Tamen non sunt ipsi impressa propter Christum, sed ea ipse sibi impressit ex stulta aliqua devotione, seu potius inani gloria, qua titillare se potuit, quod tam vehementer dilexerit Christum, ut etiam vulnera ejus corpori suo impresserit. Est autem hæc huius loci germana sententia, Notæ corpori meo impressæ, satis ostendunt, cuius sim servus. Si quærerem hominibus placere, & urgerem circumcisionem & observationem Legis, ad salutem esse necessariam, ac gloriarer in carne vestra, more Pseudoapostolorum, non opus esset me portare in corpore ista stigmata. Quia vero servus Iesu Christi sum, & juxta veram Regulam incedo, hoc est, palam docco & confiteor, extra Christum neminem, sine ulla exceptione, consequi gratiam, justiciam & salutem, Ideo oportet me etiam Christi Domini mei insignia gestare, Quæ non sunt stigmata ultro accersita, sed quæ mihi nolenti infliguntur à Mundo & Satana, Non ob aliam causam, quàm quod Iesum prædico esse Christum. *Figmentum de stigmatibus Francisci.*

Vocat igitur stigmata, plagas corpori suo impressas & passiones, Deinde ignita tela Diaboli, tristitiam ac pavores animi. Harum passionum meminit passim in Epistolis, & Lucas in Act. 1. Cor. 4. Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostenderit tanquam morti destinatos. Quia spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus, Item, ad hanc usq; horam esurimus, sitimus, nudi sumus, colaphis cædimur, incertis sedibus vagamur, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, persecutionem patimur, convitijs afficimur, veluti purgamenta mundi facti sumus & omnium peripsema. Item, 2. Cor. 6. In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis & carceribus in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in jejuniis, &c. Et cap. 11. & 12. In laboribus plurimis, in plagis supra modum in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas una minas accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci. Nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpe, in periculis fluminum, latronum, in periculis *Stigmata quid voces Pauli.*

1. Cor. 4.

2. Cor. 6.

2. Cor. 11. & 12.

ex genere, ex Gentibus, in periculis, in civitate, ſolitudine, mari, & falſis fratribus, &c.

Stigmata quæ hodie portamus.

Illa ſunt vera ſtigmata, hoc eſt, notæ impreſſæ, de quibus hic Apoſtolus loquitur, Quas & nos hodie, gratia Dei, geſtamus in corpore noſtro propter Chriſtum. Mundus enim perſequitur & occidit nos, falſi fratres acerrime oderunt nos, Satan intus in corde ſuis ignitis telis perterrefacit nos, nullam ob aliam cauſam, quam quod docemus Chriſtum juſticiam & vitam noſtram eſſe. Hæc ſtigmata non eligimus ex ſuavi aliqua devotione, neq; libenter patimur, Sed Quia mundus & Satan nobis ea infligit propter Chriſtum, cogimur ea pati, & gloriamur cum Paulo in ſpiritu (qui ſemper promptus eſt, gloriatur ac gaudet) ea nos portare in corpore noſtro. Sunt enim ſigillum & certiſſimum teſtimonium veræ doctrinæ & fidei. Hæc ut ſupra monui, cum indignatione quadam Paulus dixit.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, fratres, Amen.

Hoc ultimum eſt vale. Finit Epiſtolam ijſdem verbis, quibus incepit, Q. d. Ego docui vos pure Chriſtum, rogavi, objurgavi &c. vos, nihilq; omiſi, quod duxi in rem veſtram eſſe. Amplius nihil eſt, quod addere poſſim, Niſi quod ex animo precor, ut Dominus noſter Ieſus Chriſtus addat labori meo benedictionem & incrementum, ſuoq; Spiritu vos gubernet in æternum.

Hactenus enarratio Epiſtolæ S. Pauli ad Galatas. Dominus Ieſus Chriſtus, juſtificator & Salvator noſter, qui dedit mihi Gratiam & facultatem enarrandi, & vobis audiendi hanc Epiſtolam, Idem conſervet & confirmet me & vos (id quod ex animo precor) ut indies magis creſcentes in cognitione Gratiæ ſuæ & in fide non ſimulata irreprehenſibiles & culpati inveniamur in die redemptionis noſtræ. Cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

CONFESSIO FIDEI EXHIBITA INVICTISS. IMP. CAROLO V. CÆSARI AVG. IN COMITIIS AUGUSTÆ, ANNO M. D. XXX. EDITA vero Anno XXXI.

Hanc fidei Confeſſionem in comitiis Auguſtæ Cæſari exhibitã eſſe, anno M. D. 30. vulgo notum eſt, ſicut & eodem anno editam. Sed ea nos editione, quod in ſcitis Principibus & mendoſe exierat, non ſumpſimus, ſed ſequentis anni, nempe 31. Quod vero extra ſuum locũ contra inſtitutũ noſtri rationem collocatum dicimus, in cauſa fuit, quod quo tempore excudi debebat, exemplaria huius prima editionis defuerunt.

AD LECTORES.

HÆc Confeſſio prorſus ignorantibus Principibus, qui eam Cæſari exhibuerunt, ab avaro aliquo typographo, ante ſemeſtre publicata eſt, Et ita excuſa eſt, ut multis in locis appareat de induſtria depravatam eſſe. Cum autem Principes, nec ſi velint, queant eam nunc è manibus hominum extorquere, & tamen periculum ſit, ne mendæ illæ primæ editionis pariant novas calumnias, neceſſe fuit recognitam & emendatam denuo edere. Quia non ſolum ad exiſtimationem Principum, ſed etiam ad religionem pertinet, præſtare, ne ipſorum titulis ſpargantur in vulgus huius generis mendoſa ſcripta. Quare nunc emittimus probe & diligenter deſcriptam Confeſſionem, ex exemplari bonæ fidei. Addidimus & Apologiam, quæ etiam Cæſ. Majeſtati oblata eſt, Verebamur enim futurum, ut alibi ederetur non felicius, quam edita eſt Confeſſio.

Quanquam autem adverſarij placari nolint, tamen ſperamus omnes bonos ac prudentes viros ubiq; gentium his libellis lectis, intellecturos eſſe, quod nullum dogma contra autoritatem ſcripturæ Sanctæ & Catholicæ Eccleſiæ profiteamur, Sed quod noſtri optimo jure quoſdam abuſus reprehenderint, & præcipuis locis doctrinæ Chriſtianæ, qui ad id tempus pernicioſiſſimis opinionibus obruti fuerant, lumen attulerint. De juſtitia fidei omnia templa, monaſteria, ſcholæ, deniq; libri omnes Theologorum recentium, antea muti erant.

erant. In doctrina pœnitentiæ nusquam tradebatur certa & firma consolatio conscientiarum. Nemo docebat peccata remitti per fidem in Christum. Doctrina satisfactionum carnificina erat conscientiarum. Sacramenta impie prophanata sunt, postquam recepta est opinio, quod ex opere operato justificent. Et hæc opinio doctrinam fidei prorsus oppressit, & multiplicem Idolatriam peperit. Traditiones humanæ plus quam labyrinthi erant, Quia partim Iudaicis ac superstitiosis, partim tyrannicis interpretationibus in infinitum auctæ fuerant. Postea relaxatio traditionum collata fuit ad quæstum.

Hæc vitia nostri reprehenderunt, non ut Ecclesiasticam politiam dissolverent, sed ut gloriam Christi illustrarent, ut Evangelium nativæ puritati restituerent, ut pijs conscientijs consulerent. Neq; nunc possunt deserere patrocinium veritatis, cum Christus dicat, Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Nunc igitur rogamus omnes bonos viros, ne de nobis tantum ex adversariorum scriptis aut clamoribus judicium faciant, qui miris technis & calumnijs veritatem obruere conantur, sed quod æquissimum est, audiant nos quoq; & causam coram cognoscant. Quæ cum ad gloriam Dei, ad religionem, & ad salutem animarum pertineat, nemini debet esse ignota.

PRAEFATIO AD CÆSAREM CAROLVM V.

INvictissime Imperator, Cæsar Auguste, Domine clementissime, Cum V.C.M. indixerit conventum imperij Augustæ, ut deliberaretur de auxilijs contra Turcam atrocissimum hæreditarium, atq; veterem Christiani nominis ac religionis hostem, quomodo illius scilicet furori & conatibus durabili & perpetuo belli apparatu resisti possit, Deinde & dissensionibus in causa nostræ sanctæ religionis & Christianæ fidei, & ut in hac causa religionis, partium opiniones, ac sententiæ inter sese, in charitate, lenitate & mansuetudine mutua audiantur coram, intelligantur & ponderentur, ut illis, quæ utrinq; in scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis & correctis, res illæ ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam componantur & reducantur, ut de cætero à nobis una syncera & vera religio colatur & servetur, ut quemadmodum sub uno Christo sumus & militamus, Ita in una etiam Ecclesia Christiana, in unitate & concordia vivere possimus.

Eamque nos infra scripti Electores & Principes, cum alijs, qui nobis conjuncti sunt, perinde ut alij Electores & Principes & Status ad præfata Comitia evocati simus, ut Cæsareo mandato obedienter obsequeremur, mature venimus Augustam, &, quod citra jactantiam dictum volumus, inter primos affuimus.

Cum igitur V.C.M. Electoribus, Principibus & alijs Statibus Imperij, etiam hic Augustæ sub ipsa initia horum Comitiorum inter cætera proponi fecerit, quod singuli Status imperij vigore Cæsarei edicti, suam opinionem & sententiam in Germanica & Latina lingua proponere debeant atq; offerre, Et habita deliberatione proxima feria quarta, rursum responsum est V.C.M. nos proxima feria sexta Articulos nostræ confessionis pro nostra parte oblaturos esse. Ideo ut V.M. voluntati obsequamur, offerimus in hac religionis causa nostrorum Concionatorum & nostram confessionem, cujusmodi doctrinam ex scripturis sanctis, & puro verbo Dei, hactenus illi in nostris terris, ducatibus, ditionibus & urbibus tradiderint, ac in Ecclesijs tractaverint.

Quod si & cæteri, Electores, Principes, ac Status Imperij, similibus scriptis Latinis scilicet & Germanicis, juxta prædictam Cæsaream propositionem, suas opiniones in hac causa Religionis produxerint, Hic nos coram V.C.M. tanquam Domino nostro clementissimo paratos offerimus, nos cum præfatis Principibus & amicis nostris, de tolerabilibus modis ac vijs amice conferre, ut quantum honeste fieri potest, conveniamus & re inter nos partes, citra odiosam contentionem pacifice agitata, Deo dante, dissensio dirimatur, & ad unam veram

concordem

concordem Religionem reducatur, Sicut omnes ſub uno Chriſto ſumus & militamus, & unum Chriſtum confiteri debemus, juxta tenorem edicti V. C. M. & omnia ad veritatem Dei perducantur, id quod ardentiſſimis votis à Deo petimus.

Si autem, quod ad cæteros Electores, Principes & Status, ut partem alteram attinet, hæc tractatio cauſæ Religionis, eo modo, quo V. C. M. agendam & tractandam ſapienter duxit, ſcilicet cum tali mutua præſentatione ſcriptorum, ac ſedata collatione inter nos, non proceſſerit, nec aliquo fructu facta fuerit, Nos quidem teſtatum clare relinquimus, hic nihil nos quod ad Chriſtianam concordiam (quæ cum Deo & bona conſcientia fieri poſſit) conciliandam conducere queat, ullo modo detrectare. Quemadmodum & V. C. M. deinde & cæteri Electores, & Status Imperij, & omnes, quicunq; ſyncero religionis amore ac ſtudio tenentur, quicunq; hanc cauſam æquo animo audituri ſunt, ex hac noſtra & noſtrorum confeſſione hoc clementer cognoſcere & intelligere dignabuntur.

Cum etiam V. C. M. Electoribus Principibus & reliquis Statibus imperij non una vice, ſed ſæpe clementer ſignificaverit, & in comitijs Spirenſibus, quæ anno Domini &c. XXVI. habita ſunt, ex data & præſcripta forma veſtræ Cæſareæ inſtructionis & commiſſionis recitari, & publice prælegi fecerit, Veſtram M. in hoc negotio religionis ex cauſis certis, quæ V. M. nomine allegata ſunt, non velle quicquam determinare nec concludere poſſe, ſed apud Pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligenter daturam operam de congregando Concilio generali. Quemadmodum idem latius expoſitum eſt ante annum in publico proximo conventu, qui Spiræ congregatus fuit. Vbi V. C. M. per Dominum Ferdinandum, Boemiæ & Vngariæ Regem, amicum & dominum clementem noſtrum, Deinde per Oratorem &, Commiſſarios Cæſareos, hæc inter cætera proponi fecit, Quod V. C. M. intellexiſſet & expendiſſet Locum tenentis V. C. M. in imperio & præſidentis & Conſiliariorum in Regimine, & Legatorum ab alijs Statibus, qui Ratiſponæ convenerant, deliberationem de Concilio congregando. Et quod judicaret etiam V. C. M. utile eſſe, ut congregaretur Concilium, Et quia cauſæ, quæ tum tractabantur inter V. C. M. & Rom. Pontificem, vicinæ eſſent concordiæ & Chriſtiani reconciliationi, non dubitaret V. C. M. quin Roman. Pontifex adduci poſſet ad habendum generale Concilium, Ideo ſignificabat ſe V. C. M. operam daturam ut præfatus Pon-

ti. Maximus una cum V. C. M. tale generale Concilium primo quoq; tempore emiſſis literis publicandum congregare conſentiret.

In eventum ergo talem, quod in cauſa religionis, diſſenſiones inter nos & partes amice & in charitate non fuerint compoſitæ, tunc coram V. C. M. hic in omni obedientia nos offerimus, ex ſuperabundanti comparituros & cauſam dicturos in tali generali libero & Chriſtiano Concilio, de quo congregando in omnibus Comitijs Imperialibus, quæ quidem annis Imperij V. C. M. habita ſunt per Electores, Principes, & reliquos Status Imperij ſemper concorditer actum, & congruentibus ſuffragijs concluſum eſt. Ad cuius etiam generalis Concilij conventum, ſimul & ad V. C. M. in hac longe maxima & graviſſima cauſa, jam ante etiam debito modo & in forma juris provocavimus, & appellavimus. Cui appellationi ad V. C. M. ſimul & Concilium adhuc adhæremus, neq; eam per hunc vel alium tractatum (niſi cauſa inter nos & partes, juxta tenorem Cæſareæ proximæ Citationis amicè in charitate compoſita, ſedata & ad Chriſtianam concordiam reducta fuerit) deſerere intendimus aut poſſumus, De quo hic etiam ſolenniter & publice proteſtamur.

ARTICVLI

ARTICVLI FIDEI PRÆCIPVI.

I.

ECclesiæ magno consensu apud nos docent, Decretum Nicenæ Synodi, de unitate essentiæ divinæ, & de tribus personis verum & sine ulla dubitatione credendum esse, Videlicet quod sit una essentia divina, quæ & appellatur & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conservator omnium rerum, visibilium & invisibilium, & tamen tres sint personæ, ejusdem essentiæ & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Et nomine Personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Malum, item Valentinianos, Arrianos, Eunomianos, Mahometistas & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos, veteres & neotericos, qui cum tantum unam personam esse contendant, de verbo & de Spiritu sancto astute & impie rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ, sed quod verbum significet verbum vocale & spiritus motum in rebus creatum.

II.

ITEM docent, quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, quodq; hic morbus, seu vitium originis vere sit peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem, his qui non renascuntur per baptismum & Spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos, & alios, qui vitium originis negant esse peccatum, & ut extenuent gloriam meriti, & beneficiorum Christi, disputant hominem proprijs viribus rationis coram Deo justificari posse.

III.

ITEM docent, quod Verbum, hoc est, Filius Dei, assumpserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ virginis, ut sint duæ naturæ, divina & humana, in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, vere Deus, & vere homo, natus ex virgine Maria, vere passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos, & vere resurrexit tertia die, deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dexteram Patris & perpetuo regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur ac vivificet eos, ac defendat adversus Diabolum, & vim peccati. Idem Christus palam est rediturus, ut judicet vivos & mortuos &c. juxta symbolum Apostolorum.

IIII.

ITEM docent, quod homines non possint justificari coram Deo proprijs viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui
m. 3. 4. sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justicia coram ipso, Rom. 3. & 4.

V.

VT hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Evangelij & porrigendi Sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit vbi & quando visum est Deo in

Deo in ijs,qui audiunt Evangelium,ſcilicet quod Deus non propter noſtra merita, ſed propter Chriſtum, juſtificet hos qui credunt, ſe propter Chriſtum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptiſtas & alios,qui ſentiunt Spiritum ſanctum contingere ſine verbo externo hominibus per ipſorum præparationes & opera.

VI.

ITEM docent,quod fides illa debeat bonos fructus parere &quod oporteat bona opera, mandata à Deo facere, propter voluntatem Dei,non ut confidamus per ea opera juſtificationem coram Deo mereri. Nam remiſſio peccatorum & juſtificatio fide apprehenditur, ſicut teſtatur & vox Chriſti, cum feceritis hæc omnia, dicite, ſervi inutiles ſumus. Idem docent & veteres Scriptores Eccleſiaſtici. Ambroſius enim inquit, Hoc conſtitutum eſt à Deo,ut qui credit in Chriſtum,ſalvus ſit, ſine opere, ſola fide, gratis accipiens remiſſionem peccatorum. Luc. 17.

VII.

Item docent, quod una ſancta Eccleſia perpetuo manſura ſit. Eſt autem Eccleſia congregatio Sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte adminiſtrantur Sacramenta. Et ad veram unitatem Eccleſiæ, ſatis eſt conſentire de doctrina Evangelij & adminiſtratione Sacramentorum. Nec neceſſe eſt vbiq; eſſe ſimiles traditiones humanas, ſeu ritus aut ceremonias ab hominibus inſtitutas. Sicut inquit Paulus, Vna fides, unum baptiſma,unus Deus & Pater omnium &c. Ephe. 4

VIII.

QUANQVAM Eccleſia proprie ſit congregatio Sanctorum, & vere credentium, tamen cum in hac vita multi hypocritæ & mali admixti ſint, licet uti Sacramentis, quæ per malos adminiſtrantur juxta vocem Chriſti, Sedent Scribæ & Phariſæi in Cathedra Moſi &c. Et Sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur. Matth. 23.

Damnant Donatiſtas & ſimiles, qui negabant licere uti miniſterio malorum in Eccleſia, & ſentiebant miniſterium malorum inutile & inefficax eſſe.

IX.

DE Baptiſmo docent, quod ſit neceſſarius ad ſalutem,quodq; per Baptiſmum offeratur gratia Dei, Et quod pueri ſint baptiſandi, qui per Baptiſmum oblati Deo recipiantur in gratiam Dei.

Damnant Anabaptiſtas, qui improbant Baptiſmum puerorum, & affirmant pueros ſine Baptiſmo ſalvos fieri.

X.

DE Cœna Domini docent, quod corpus & ſanguis Chriſti vere adſint, & diſtribuantur veſcentibus in cœna Domini, & improbant ſecus docentes.

XI.

DE Confeſſione docent,quod abſolutio privata in Eccleſijs retinenda ſit, quanquam in confeſſione non ſit neceſſaria omnium delictorum enummeratio. Eſt enim impoſſibilis juxta Pſalmum, Delicta quis intelligit? Pſal. 19.

XII.

DE Pœnitentia docent,quod lapſis poſt Baptiſmum contingere poſſit remiſſio peccatorum, quocunque tempore, cum converruntur. Et quod Eccleſia talibus redeuntibus ad pœnitentiam abſolutionem impertiri debeat.

Conſtat autem pœnitentia proprie his duabus partibus,Altera eſt contritio ſeu terrores incuſſi conſcientiæ agnito peccato, Altera eſt fides, quæ concipitur ex Evangelio ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum remitti peccata, & conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat. Deinde ſequi debent bona opera, quæ ſunt fructus pœnitentiæ.

Damnant Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum ſanctum. Item qui contendunt quibuſdam tantam perfectionem in hac vita

Digitized by Google

vita contingere, ut peccare non possint. Damnantur & Novatiani, qui nolebant absolvere lapsos post baptismum redeuntes ad pœnitentiam. Rejiciuntur & isti qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed docent remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem & opera. Rejiciuntur & isti, qui Canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas purgatorij.

XIII.

DE usu Sacramentorum docent, quod Sacramenta instituta sint, non modo ut sint notæ professionis inter homines, sed magis ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. Itaq; utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur.

Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent, nec docent fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

XIIII.

DE ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat in Ecclesia publicè docere aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus.

XV.

DE ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa & similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanæ institutæ ad placandum Deum, ad promerendam Gratiam & satisfaciendum pro peccatis, adversentur Evangelio & doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & diebus &c. institutæ ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis inutiles sint & contra Evangelium.

XVI.

DE rebus civilibus docent, quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratus, exercere judicia, judicare res ex Imperatorijs & alijs præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum postulantibus Magistratibus dare, ducere uxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc civilia officia Christianis. Damnant & illos, qui Evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide, sed in deferendis civilibus officijs. Quia Evangelium tradit justiciam æternam cordis, Interim non dissipat Politiam, & Oeconomiam, sed maxime postulat conservare tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaq; necessario debent Christiani obedire Magistratibus suis & legibus, nisi cum jubent peccare, Tunc enim magis debent obedire Deo quam hominibus, Act. 5.

Act. 5.

XVII.

ITEM docent, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitabit, pijs & electis dabit vitam æternam & perpetua gaudia, impios autem homines ac Diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

Damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis ac Diabolis finem pœnarum futurum esse, Damnant & alios, qui nunc spargunt Iudaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum pij regnum mundi occupaturi sint, ubiq; oppressis impijs.

XVIII.

DE libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem juſticiam, & deligendas res rationi ſubjectas. Sed non habeat vim ſine Spiritu ſancto efficiendæ juſticiæ Dei, ſeu juſticiæ ſpiritualis, Quia animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, Sed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus ſanctus concipitur. Hæc totidem verbis dicit Auguſtinus lib. 3. Hypognoſticon. Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod ſit idoneum in ijs, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare aut certe peragere, ſed tantum in operibus vitæ præſentis tam bonis quam etiam malis, Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diverſarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præſentem pertinet vitam. Quæ omnia non ſine divino gubernaculo ſubſiſtunt, imo ex ipſo & per ipſum ſunt, & eſſe cœperunt. Malis vero dico, ut eſt, velle idolum colere, velle homicidium &c.

Damnant Pelagianos, & alios, qui docent, quod ſine Spiritu ſancto ſolis naturæ viribus poſſumus Deum ſuper omnia diligere. Item præcepta Dei facere, quo ad ſubſtantiam actuum. Quanquam enim externa opera aliquo modo efficere natura poſſit, poteſt enim continere manus à furto, à cæde, tamen interiores motus non poteſt efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, caſtitatem, patientiam &c.

XIX.

DE cauſa peccati docent, quod tametſi Deus creat & conſervat naturam, tamen cauſa peccati eſt voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo avertit ſe à Deo, ſicut Chriſtus ait Iohan. 8. Cum loquitur mendacium ex ſe ipſo loquitur.

XX.

FALSO accuſantur noſtri, quod bona opera prohibeant. Nam ſcripta eorum, quæ extant de decem præceptis, & alia ſimili argumento teſtantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officijs, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parum docebant Concionatores, tantum puerilia & non neceſſaria opera urgebant, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, roſaria, monachatum & ſimilia. Hæc adverſarij noſtri admoniti nunc dediſcunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, ut olim. Præterea incipiunt Fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat ſilentium. Etſi non deſinunt obſcurare doctrinam fidei, cum relinquunt dubias conſcientias, & jubent mereri remiſſionem peccatorum operibus. Nec docent quod ſola fide propter Chriſtum certo accipiamus remiſſionem peccatorum.

Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in Eccleſia præcipuam eſſe, tam diu jacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes neceſſe eſt, de fidei juſticia altiſſimum ſilentium fuiſſe in concionibus, tantum doctrinam operum verſatam eſſe in Eccleſijs, noſtri de fide ſic admonuerunt Eccleſias.

Principio quod opera noſtra non poſſint reconciliare Deum, aut mereri, remiſſionem peccatorum & gratiam & juſtificationem, ſed hanc tantum fide conſequimur, credentes quod propter Chriſtum recipiamur in Gratiam, qui ſolus poſitus eſt mediator & propiciator, per quem reconcilietur pater. Itaq; qui confidit operibus ſe mereri gratiam, is aſpernatur Chriſti meritum & gratiam, & quærit ſine Chriſto humanis viribus viam ad Deum, cum Chriſtus de ſe dixerit, Ego ſum via, veritas & vita.

Hæc doctrina de fide ubiq; in Paulo tractatur Epheſ. 2. Gratia ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, &c.

Et ne quis cavilletur, à nobis novam Pauli interpretationem excogitari,

tota

tota hæc causa habet testimonia Patrum. Nam Augustinus multis voluminibus defendit gratiam & justiciam Fidei contra merita operum. Et similia docet Ambrosius de vocatione Gentium, & alibi. Sic enim inquit de vocatione Gentium, Vilesceret redemptio sangvinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogativa succumberet, si justificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis.

Quanquam autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ ac pavidæ conscientiæ plurimum eam consolationis afferre. Quia conscientiæ non possunt reddi tranquillæ per ulla opera, sed tantum fide, cum certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum. Quemadmodum Paulus docet Rom. 5. Iustificati per fidem pacem habemus apud Deum. Tota hæc doctrina ad illud certamen perterrefactæ conscientiæ referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare male judicant de ea re homines imperiti, & prophani, qui Christianam justiciam nihil esse somniant, nisi civilem & philosophicam justiciam.

Olim vexabantur conscientiæ doctrina operum, non audiebant ex Evangelio consolationem. Quosdam conscientia expulit in desertum, in Monasteria, sperantes ibi se gratiam merituros esse per vitam monasticam, Alij alia excogitaverunt opera, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in Christum tradere, & renovare, ne deesset consolatio pavidis conscientijs, sed scirent fide in Christum apprehendi Gratiam & remissionem peccatorum & justificationem.

Admonentur etiam homines, quod hic nomen Fidei non significet tantum historiæ notitiam, qualis est in impijs & Diabolo, sed significet fidem, quæ credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiæ, videlicet hunc articulum, Remissionem peccatorum, quod videlicet per Christum habeamus Gratiam, justiciam & remissionem peccatorum.

Iam qui scit se per Christum habere propitium Patrem, is vere novit Deum, scit se ei curæ esse, diligit & invocat eum, Denique non est sine Deo, sicut Gentes. Nam Diaboli & impij non possunt hunc articulum credere, Remissionem peccatorum. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non invocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de Fidei nomine hoc modo admonet lectorem, & docet in scripturis nomen fidei accipi, non pro notitia, qualis est in impijs, sed pro fiducia, quæ consolatur & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea Gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum & pax conscientiæ. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, jam corda renovantur, & induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius, Fides bonæ voluntatis, & justæ actionis genitrix est. Nam humanæ vires, sine Spiritu sancto, plenæ sunt impijs affectibus, & sunt imbecilliores, quam ut bona opera possint efficere coram Deo. Ad hæc, sunt in potestate Diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodum est videre in Philosophis, qui & ipsi conati honeste vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide & sine Spiritu sancto, & tantum humanis viribus se gubernat.

Hinc facile apparet hanc doctrinam non esse accusandam, quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandam, quod ostendit quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi Præcepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, à Deo nihil expectat, non tollerat crucem, sed quærit humana præsidia, confidit humanis præsidijs. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cum abest fides
Ad. 15. & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit, Sine me nihil potestis facere,

Iohan. 15. Et Eccleſia canit, Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.

XXI.

DE cultu Sanctorum docent, quod memoria Sanctorum proponi poteſt, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem, Vt Cæſar imitari poteſt exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas à patria. Nam uterq; Rex eſt, ſed ſcriptura non docet invocare Sanctos, ſeu petere auxilium à Sanctis. Quia unum Chriſtum nobis proponit Mediatorem, propitiatorium, Pontificem & interceſſorem. Hic invocandus eſt, & promiſit ſe exauditurum eſſe preces noſtras, & hunc cultum maxime probat, videlicet, ut invocetur in omnibus afflictionibus. 1 Iohan 2. Si quis peccat, habemus advocatum apud Deum. &c.

Hæc fere ſumma eſt doctrinæ apud nos, in qua cerni poteſt nihil ineſſe quod diſcrepet à Scripturis, vel ab Eccleſia Catholica vel ab Eccleſia Romana, quatenus ex ſcriptoribus nota eſt. Quod cum ita ſit, inclementer judicant iſti, qui noſtros pro hæreticis haberi poſtulant. Sed diſſenſio eſt de quibuſdam abuſibus, qui ſine certa autoritate in Eccleſias irrepſerunt, in quibus etiam, ſi qua eſſet diſſimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Epiſcopos, ut propter confeſſionem, quam modo recenſuimus, tolerarent noſtros. Quia ne Canones quidem tam duri ſunt, ut eoſdem ritus ubiq; eſſe poſtulent, neq; ſimiles unquam omnium Eccleſiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter ſervantur. Falſa enim calumnia eſt, quod omnes ceremoniæ, omnia vetera inſtituta in Eccleſijs noſtris aboleantur. Verum, publica querela fuit, abuſus quoſdam in vulgaribus ritibus hærere. Hi quia non poterant bona conſcientia probari, aliqua ex parte correcti ſunt.

ARTICVLI IN QVIBVS RECENſentur abuſus mutati.

CVm Eccleſiæ apud nos de nullo Articulo fidei diſſentiant ab Eccleſia Catholica, tantum paucos quoſdam abuſus omittant, qui novi ſunt, & contra voluntatem Canonum vitio temporum recepti, rogamus ut Cæſar. Majeſtas clementer audiat, & quid ſit mutatum, & quæ fuerint cauſæ, quo minus coactus ſit populus illos abuſus contra conſcientiam obſervare. Nec habeat fidem Cæſarea Majeſtas iſtis, qui ut inflamment odia hominum adverſus noſtros, miras calumnias ſpargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum virorum initio præbuerunt occaſionem huic diſſidio, & eadem arte conantur nunc augere diſcordias. Nam Cæſarea Majeſtas haud dubie comperiet tolerabiliorem eſſe formam, & doctrinæ & ceremoniarum apud nos, quam qualem homines iniqui & malevoli deſcribunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non poteſt. Facile autem hoc judicare poteſt, nihil magis prodeſſe ad dignitatem Ceremoniarum conſervandam & alendam reverentiam ac pietatem in populo, quam ſi ceremoniæ rite fiant in Eccleſijs.

DE VTRAQVE SPECIE.

LAicis datur utraque ſpecies Sacramenti in Cœna Domini. Quia hic mos habet mandatum Domini Matthæi 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifeſte præcipit Chriſtus de poculo ut omnes bibant, & ne quis poſſit cavillari, quod hoc ad Sacerdotes tantum pertineat, Paulus ad Corinth. exemplum recitat, in quo apparet totam Eccleſiam utraq; ſpecie uſam eſſe. Et diu manſit hic mos, in Eccleſia, nec conſtat quando aut quo autore mutatus ſit. Cyprianus aliquot locis teſtatur populo ſanguinem datum eſſe. Idem teſtatur Hieronymus qui ait, Sacerdotes euchariſtiæ miniſtrant, & ſangvinem Chriſti populis dividunt.

Imo

Digitized by Google

Imo Gelaſius Papa mandat, ne dividatur Sacramentum, Diſtinct. 2. de Conſecratione, Cap. Comperimus. Tantum conſuetudo non ita vetus aliud habet. Conſtat autem quod conſuetudo contra mandata Dei introducta non ſit probanda, ut teſtantur Canones, Diſt. 8. Cap. Veritate, cum ſequentibus. Hæc vero conſuetudo non ſolum contra ſcripturam, ſed etiam contra veteres Canones & exemplum Eccleſiæ recepta eſt. Quare ſi qui maluerunt utraq; ſpecie Sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offenſione conſcientiæ.

Et quia diviſio Sacramenti non convenit cum inſtitutione Chriſti, ſolet apud nos omitti proceſſio, quæ hactenus fieri ſolita eſt.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

PVblica querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob cauſam & Pius Papa dixiſſe fertur, fuiſſe aliquas cauſas, cur ademptum ſit ſacerdotibus conjugium, ſed multo majores eſſe cauſas cur reddi debeat. Sic enim ſcribit Platina. Cum igitur Sacerdotes apud nos publica illa ſcandala vitare vellent, duxerunt uxores, ac docuerunt, quod liceat ipſis contrahere matri-
1. Cor. 7. monium. Primum, quia Paulus dicit, unuſquiſq; habeat uxorem ſuam propter fornicationem. Item, melius eſt nubere quam uri. Secundo, Chriſtus inquit,
Matth. 19. Non omnes capiunt verbum hoc, ubi docet non omnes homines ad cœlibatum idoneos eſſe. Quia Deus creavit hominem ad procreationem, Gen. 1. Nec eſt
Geneſ. 1. humanæ poteſtatis, ſine ſingulari dono & opere Dei creationem mutare. Igitur qui non ſunt idonei ad cœlibatum, debent cõtrahere matrimonium. Nam mandatum Dei & ordinationem Dei, nulla Lex humana, nullum votum tollere poteſt. Ex his cauſis docent Sacerdotes ſibi licere uxores ducere. Conſtat etiam in Eccleſia veteri Sacerdotes fuiſſe maritos. Nam & Paulus ait Epiſcopum eligendum eſſe, qui ſit maritus. Et in Germania primum ante annos quadringentos, Sacerdotes vi coacti ſunt ad cœlibatum, qui quidem adeo adverſati ſunt, ut Archiepiſcopus Moguntinus publicaturus edictum Rom. Pontificis de ea re, pene ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppreſſus ſit. Et res geſta eſt tam inciviliter, ut non ſolum in poſterum conjugia prohiberentur, ſed etiam præſentia contra omnia jura divina & humana, contra ipſos etiam Canones, factos non ſolum à Pontificibus, ſed à laudatiſſimis Synodis, diſtraherentur.

Et cum ſeneſcente mundo, paulatim natura humana fiat imbecillior, convenit proſpicere, ne plura vitia ſerpant in Germaniam. Porro Deus inſtituit conjugium, ut eſſet remedium humanæ infirmitatis. Ipſi Canones veterem rigorem interdum poſterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum eſſe dicunt, quod optandum eſt ut fiat & in hoc negotio. Ac videntur Eccleſijs aliquando defuturi paſtores, ſi diutius prohibeatur conjugium.

Cum autem extet mandatum Dei, cum mos Eccleſiæ notus ſit, cum impurus cœlibatus plurima pariat ſcandala, adulteria & alia ſcelera digna animadverſione boni Magiſtratus, Tamen mirum eſt, nulla in re majorem exerceri ſævitiam quam adverſus conjugium Sacerdotum. Deus præcepit honore afficere conjugium, Leges in omnibus rebus publicis bene conſtitutis etiam apud Ethnicos maximis honoribus ornaverunt. At nunc capitalibus pœnis excruciantur, & quidem Sacerdotes contra canonum voluntatem, nullam aliam ob cauſam, niſi propter conjugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, quæ prohibet con-
1. Tim. 4. jugium, 1. Timoth. 4. Id facile nunc intelligi poteſt, cum talibus ſupplicijs prohibitio conjugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana poteſt mandatum Dei tollere, ita nec votum poteſt tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus ſuadet, ut mulieres nubant, quæ non ſervant promiſſam caſtitatem. Verba eius ſunt hæc, lib. 1. Epiſtola 11. Si autem perſeverare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt ut nubant, quam ut in ignem delicijs ſuis cadant, certe nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum

faciant. Et æquitate quadam utuntur ipſi Canones erga hos, qui ante juſtam ætatem voverunt, quomodo fere hactenus fieri conſuevit.

DE MISSA.

FAlſo accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quod Miſſam aboleant. Retinetur enim Miſſa apud nos, & ſumma reverentia celebratur. Servantur & uſitatæ ceremoniæ fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiſcentur alicubi Germanicæ, quæ additæ ſunt ad docendum populum. Nam ad hoc opus eſt ceremonijs, ut doceant imperitos, & quoſdam excitet vere ad timorem aut fidem ac orationem tractatio verbi Dei. Et non modo Paulus præcipit uti lingva intellecta populo in Eccleſia, ſed etiam ita conſtitutum eſt humano jure.

Aſſuefit populus, ut unà utantur Sacramento, ſi qui ſunt idonei, id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, niſi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & uſu Sacramenti, quantam conſolationem afferat pavidis conſcientijs, ut diſcant Deo credere, & omnia bona à Deo expectare & petere. Hic cultus delectat Deum, talis uſus ſacramenti alit pietatem erga Deum. Itaq; non videntur apud adverſarios Miſſæ majore religione fieri quam apud nos.

Conſtat autem hanc quoq; publicam & longe maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuiſſe, quod Miſſæ turpiter prophanarentur, collatæ ad quæſtum. Neque enim obſcurum eſt, quam late pateat hic abuſus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Miſſæ, tantum propter mercedem aut ſtipendium, quam multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus autem graviter minatur his, qui indigne tractant Euchariſtian, cum ait, Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſangvinis Domini. Itaq; cum apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, deſierunt apud nos privatæ Miſſæ, cum fere nullæ privatæ Miſſæ, niſi quæſtus cauſa, fierent. 1. Cor. 11.

Neq; ignoraverunt hos abuſus Epiſcopi, qui ſi correxiſſent eos in tempore, minus nunc eſſet diſſenſionum. Antea ſua diſſimulatione multa vitia paſſi ſunt in Eccleſiam ſerpere, Nunc ſero incipiunt queri de calamitatibus Eccleſiæ, cum hic tumultus non aliunde ſumpſerit occaſionem, quam ex illis abuſibus, qui tam manifeſti erant, ut tolerari amplius non poſſent. Magnæ diſſenſiones de Miſſa, de Sacramento extiterunt. Fortaſſe dat pœnas orbis tam diuturnæ prophanationis Miſſarum, quam in Eccleſijs tot ſeculis toleraverunt iſti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in decalogo ſcriptum eſt, Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res divina ita videtur unquam ad quæſtum collata fuiſſe, ut Miſſa.

Acceſſit opinio, quæ auxit privatas Miſſas in infinitum, videlicet quod Chriſtus ſua paſſione ſatisfecerit pro peccata originis, & inſtituerit Miſſam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manavit publica opinio, quod Miſſa ſit opus tollens peccata vivorum & mortuorum ex opere operato. Hic cœptum eſt diſputari, utrum una Miſſa dicta pro pluribus, tantundem valeat, quantum ſingulæ pro ſingulis. Hæc diſputatio peperit iſtam infinitam multitudinem Miſſarum.

De his opinionibus noſtri admonuerunt, quod diſſentiant à ſcripturis ſanctis, & lædant gloriam paſſionis Chriſti. Nam paſſio Chriſti fuit oblatio & ſatisfacti, onon ſolum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos ſcriptum eſt. Sanctificati ſumus per oblationem Ieſu Chriſti ſemel. Item, Vna oblatione conſummavit in perpetuum ſanctificatos. Heb. 10.

Item, Scriptura docet nos coram Deo juſtificari per fidem in Chriſtum, cum credimus nobis remitti peccata propter Chriſtum. Iam ſi Miſſa tollit peccata vivorum & mortuorum ex opere operato, contingit juſtificatio ex opere Miſſarum, non ex fide, quod ſcriptura non patitur.

Sed

Sed Chriſtus jubet facere in ſui memoriam. Quare Miſſa inſtituta eſt, ut fides in ijs, qui utuntur Sacramento, recordetur quæ beneficia accipiat per Chriſtum, & erigat & conſoletur pavidam conſcientiam. Nam id eſt meminiſſe Chriſti, beneficia meminiſſe, ac ſentire quod vere exhibeantur nobis. Nec ſatis eſt hiſtoriam recordari, quia hanc etiam Iudæi & impij recordari poſſunt. Eſt igitur ad hoc facienda Miſſa, ut ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus eſt conſolatione, ſicut Ambroſius ait, Quia ſemper pecco, ſemper debeo accipere medicinam.

Cum autem Miſſa ſit talis communicatio ſacramenti, ſervatur apud nos una communis Miſſa, ſingulis ferijs atq; alijs etiam diebus, ſi qui ſacramento velint uti, ubi porrigitur ſacramentum his qui petunt. Neque hic mos in Eccleſia novus eſt. Nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem privatæ Miſſæ. De communi Miſſa plurimum loquuntur. Chryſoſtomus ait, Sacerdotem quotidie ſtare ad altare, & alios ad communionem accerſere, alios arcere. Et ex Canonibus veteribus apparet unum aliquem celebraſſe Miſſam, à quo reliqui presbyteri & diaconi ſumpſerunt corpus Domini. Sic enim ſonant verba Canonis Nicæni, Accipiant Diaconi ſecundum ordinem poſt presbyteros, ab Epiſcopo vel à presbytero ſacram communionem. Et Paulus de communione jubet, ut a-
Cor. 11. lij alios expectent, ut fiat communis participatio.

Poſtquam igitur Miſſa apud nos habet exemplum Eccleſiæ, ex ſcriptura & patribus, confidimus improbari eam non poſſe, maxime cum publicæ ceremoniæ magna ex parte ſimiles uſitatis ſerventur, tantum numerus Miſſarum eſt diſſimilis, quem propter maximos & manifeſtos abuſus certe moderari prodeſſet. Nam olim etiam in Eccleſijs frequentiſſimis non fiebat quotidie Miſſa, ut teſtatur hiſtoria Tripartita lib. 9. Cap. 38. Rurſus autem in Alexandria quarta & ſexta feria Scripturæ leguntur, eaſque doctores interpretantur, & omnia fiunt præter ſolennem oblationis morem.

DE CONFESSIONE.

COnfeſſio in Eccleſijs apud nos non eſt abolita. Non enim ſolet porrigi corpus Domini, niſi antea exploratis & abſolutis. Et docetur populus diligentiſſime de fide abſolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat ſilentium. Docentur homines, ut abſolutionem plurimi faciant, quia ſit vox Dei & mandato Dei pronuncietur. Ornatur poteſtas clavium & commemoratur quantam conſolationem afferat perterrefactis conſcientijs, & quod requirat Deus fidem, ut illi abſolutioni tanquam voci de cælo ſonanti credamus, & quod illa fides in Chriſtum vere conſequatur, & accipiat remiſſionem peccatorum. Antea immodice extollebantur ſatisfactiones, Fidei vero & meriti Chriſti, ac juſticiæ fidei nulla fiebat mentio. Quare in hac parte minime ſunt culpandæ Eccleſiæ noſtræ. Nam hoc etiam adverſarij tribuere nobis coguntur, quod doctrina de pœnitentia diligentiſſime à noſtris tractata ac patefacta ſit.

Sed de confeſſione docent, quod enumeratio delictorum non ſit neceſſaria, nec ſint onerandæ conſcientiæ cura enumerandi omnia delicta. Quia impoſ-
al. 18. ſibile eſt omnia delicta recitare, Vt teſtatur Pſal. Delicta quis intelligit? Item
v. 17. Hieremias pravum eſt cor hominis & inſcrutabile. Quod ſi nulla peccata niſi recitata remitterentur, nunquam acquieſcere conſcientiæ poſſent. Quia plurima peccata neq; vident neq; meminiſſe poſſunt. Teſtantur & veteres ſcriptores enumerationem non eſſe neceſſariam. Nam in Decretis citatur Chryſoſtomus, qui ſic ait, Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neq; apud alios de accuſes,
al. 36. ſed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela ante Deum viam tuam. Erga tua confitere peccata apud Deum, verum judicem, cum oratione. Delicta tua pronuncia non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria, &c. Et gloſſa de pœnitentia,

Diſt. 5. Cap. Conſideret, fatetur humani juris eſſe confeſſionem. Verum confeſſio, cum propter maximum adſolutionis beneficium, tum propter alias conſcientiarum utilitates apud nos retinetur.

DE DISCRIMINE CIBORVM.

PVblica perſuaſio fuit non tantum vulgi, ſed etiam docentium in Eccleſijs, quod diſcrimina ciborum, & ſimiles traditiones humanæ, ſint opera utilia ad promerendam remiſſionem culpæ & pœnæ. Et quod ſic ſenſerit mundus, apparet ex eo, quia quotidie inſtituebantur novæ ceremoniæ, novi ordines, novæ feriæ, nova jejunia, & doctores in templis exigebant hæc opera tanquam neceſſarium cultum ad promerendam juſtificationem & vehementer terrebant conſcientias, ſi quid omitterent. Ex hac perſuaſione de traditionibus multa incommoda in Eccleſia ſecuta ſunt.

Primo obſcurata eſt doctrina de gratia & juſticia Fidei, quæ eſt præcipua pars Evangelij, & quam maxime oportet extare & eminere in Eccleſia, ut meritum Chriſti bene cognoſcatur, & fides, quæ credit remitti peccata propter Chriſtum, non propter ulla noſtra opera, longe ſupra opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maxime incumbit, Legem & traditiones humanas removet, ut oſtendat juſticiam Chriſtianam aliud quiddam eſſe, quam hujuſmodi opera, videlicet fidem, quæ credit peccata gratis remitti propter Chriſtum. At hæc doctrina Pauli, pene tota oppreſſa eſt per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quod per diſcrimina ciborum & ſimiles cultus, oporteat mereri remiſſionem peccatorum & juſtificationem. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantum hæc opera ſatisfactoria proponebantur, In his videbatur pœnitentia tota conſiſtere.

Secundo, hæ traditiones obſcuraverunt præcepta Dei, quia traditiones longe præferebantur præceptis Dei, Chriſtianiſmus totus putabatur eſſe obſervatio certarum feriarum, rituum, jejuniorum, veſtitus. Hæ obſervationes erant in poſſeſſione honeſtiſſimi tituli, quod eſſent vita ſpiritualis, & vita perfecta, Interim mandata Dei juxta vocationem, nullam laudem habebant, quod paterfamilias educabat ſobolem, quod mater pariebat, quod Princeps regebat rempublicam, hæc putabantur eſſe opera mundana & imperfecta, & longe deteriora illis ſplendidis obſervationibus. Et hic error valde cruciavit pias conſcientias, quæ dolebant ſe teneri imperfecto vitæ genere, in conjugio, in magiſtratibus, aut alijs functionibus civilibus, mirabantur Monachos & ſimiles, & falſo putabant illorum obſervationes magis mereri remiſſionem peccatorum & juſtificationem.

Tertio, traditiones attulerunt magna pericula conſcientijs. Quia impoſſibile erat omnes traditiones ſervare, & tamen homines arbitrabantur has obſervationes neceſſarios eſſe cultus. Gerſon ſcribit multos incidiſſe in deſperationem, quoſdam etiam ſibi mortem conſciviſſe, quia ſenſerant, ſe non poſſe ſatisfacere traditionibus, & interim conſolationem nullam de juſticia fidei & de gratia audierant.

Videmus Summiſtas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας ut levent conſcientias, non ſatis tamen expediunt, ſed interdum magis injiciunt laqueos conſcientijs. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupatæ Scholæ & conciones, ut non vacaverit attingere ſcripturam, & quærere utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de ſpe, de dignitate civilium rerum, de conſolatione conſcientiarum in arduis tentationibus. Itaq; Gerſon & alij quidam Theologi graviter queſti ſunt, ſe his rixis traditionum impediri, quo minus verſari poſſent in meliore genere doctrinæ. Et Auguſtinus vetat onerare conſcientias hujuſmodi obſervationibus, & prudenter admonet Ianuarium, ut ſciat eas indifferenter obſervandas eſſe, ſic enim loquitur.

Quare

Digitized by

Quare noſtri non debent videri hanc cauſam temere attigiſſe, aut odio Epiſcoporum, ut quidam falſo ſuſpicantur. Magna neceſſitas fuit de illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus male intellectis, admonere Eccleſias. Nam Evangelium cogit vrgere doctrinam in Eccleſijs de gratia & juſticia Fidei, quæ tamen intelligi non poteſt, ſi putent homines ſe mereri remiſſionem peccatorum & juſtificationem per obſervationes ab ipſis electas.

Sic igitur docuerunt, quod per obſervationem traditionum humanarum non poſſimus mereri remiſſionem peccatorum ac juſtificationem. Quare non eſt ſentiendum, quod hujuſmodi obſervationes ſint neceſſarij cultus.

Addunt teſtimonia ex ſcriptura, Chriſtus Matth. 15. excuſat Apoſtolos, qui non ſervaverant uſitatam traditionem, quæ tamen videbatur de re non illicita, ſed media eſſe, & habere cognationem cum baptiſmatibus legis, & dicit, Fruſtra colunt me mandatis hominum. Igitur non exigit cultum inutilem.

Matth. 15.

Et paulo poſt addit, Omne quod intrat in os, non inquinat hominem.

Item Rom. 14. Regnum Dei non eſt eſca aut potus.

Rom. 14.

Coloſſ. 2. Nemo judicet vos in cibo, potu, ſabbatho aut die feſto.

Coloſ. 2.

Item, Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, Quare tanquam viventes in mundo decreta facitis? Ne attingas. Ne guſtes. Ne contrectes.

Actor. 15. ait Petrus, *Quare tentatis Deum, imponentes jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neq; nos neq; patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi,* Hic vetat Petrus onerare conſcientias pluribus ritibus ſive Moſi ſive alijs.

Actor. 15.

Et 1. Timoth. 4. vocat prohibitionem ciborum, doctrinam dæmoniorum. Quia pugnat cum Evangelio talia opera inſtituere aut facere, ut per ea mereamur remiſſionem peccatorum & juſtificationem, aut quod non poſſit exiſtere Chriſtianiſmus ſine tali cultu.

1 Tim. 4.

Hic objiciunt adverſarij, quod noſtri prohibeant diſciplinam & mortificationem carnis, ſicut Iovinianus. Verum aliud deprehendetur ex ſcriptis noſtrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quod Chriſtianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc eſt vera, ſeria & non ſimulata mortificatio, varijs afflictionibus exerceri, & crucifigi cum Chriſto.

Inſuper docent quod quilibet Chriſtianus debeat ſe corporali diſciplina, aut corporalibus exercitijs & laboribus ſic exercere & coercere, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandum, non ut per illa exercitia mereamur remiſſionem culpæ aut mortis æternæ. Et hanc corporalem diſciplinam oportet ſemper urgere, non ſolum paucis & conſtitutis diebus. Sicut Chriſtus præcipit, Cavete ne corpora veſtra graventur crapula. Item, hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi jejunio & oratione. Et Paulus ait, Caſtigo corpus meum, & redigo in ſervitutem. Vbi clare oſtendit, ſe ideo caſtigare corpus, non ut per eam diſciplinam mereatur remiſſionem peccatorum, ſed ut corpus habeat obnoxium & idoneum ad res ſpirituales & ad faciendum officium, juxta vocationem ſuam. Itaq; non damnãtur ipſa jejunia, ſed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præſcribunt, cum periculo conſciẽtiæ, tanquam hujuſmodi opera ſint neceſſarij cultus.

c. 21.
Matth. 17.
Luc. 9.

Servantur tamen apud nos plæræq; traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in Eccleſia, ut ordo lectionum in Miſſa & præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non juſtificet coram Deo, & quod non ſit ponendum peccatum in talibus rebus, ſi omittantur ſine ſcandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus, Nam in oriente alio tempore ſervaverunt Paſcha quam Romæ, & cum Romani propter hanc diſſimilitudinem accuſarent Orientem ſchiſmatis, admoniti ſunt ab alijs, tales mores non oportere ubiq; ſimiles eſſe. Et Irenæus inquit, diſſonantia jejunij fidei conſonantiam non ſoluit, ſicut & Diſt. 12. Gregorius Papa ſignificat, talem diſſimilitudinem

tudinem non lædere unitatem Eccleſiæ. Et in hiſtoria Tripartita lib. 9. multa colliguntur exempla diſſimilium rituum, & recitantur hæc verba: Mens Apoſtolorum fuit, non de diebus feſtis ſancire, ſed prædicare donam converſationem & pietatem.

DE VOTIS MONACHORVM.

QVid de votis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, ſi quis meminerit qualis ſtatus fuerit Monaſteriorum, quam multa contra Canones in ipſis Monaſterijs quotidie fiebant. Auguſtini tempore erant libera collegia, poſtea corrupta diſciplina, ubiq; addita ſunt vota, ut tanquam excogitato carcere diſciplina reſtitueretur, Additæ ſunt paulatim ſupra vota aliæ multæ obſervationes. Et hæc vincula multis ante juſtam ætatem contra Canones injecta ſunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiamſi non deeſſent anni, tamen judicium de ſuis viribus defuit. Qui ſic irretiti erant, cogebantur manere, etiam ſi quidam beneficio Canonum liberari poſſent. Et hoc accidit magis etiam in Monaſterijs Virginum quam Monachorum, cum ſexui imbecilliori magis parcẽdum eſſet. Hic rigor diſplicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adoleſcentes in Monaſteria detrudi propter victum, videbant quam infeliciter ſuccederet hoc conſilium, quæ ſcandala pareret, quos laqueos conſcientijs injiceret, Dolebant autoritatem Canonum in re periculoſiſſima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala accedebat talis perſuaſio de votis, quam conſtat etiam olim diſplicuiſſe ipſis Monachis, ſi qui Paulo cordatiores fuerunt, docebant vota paria eſſe Baptiſmo, docebant ſe hoc vitæ genere mereri remiſſionem peccatorum, & juſtificationem coram Deo, Imo addebant, vitam Monaſticam non tantum juſticiam mereri coram Deo, ſed amplius etiam, quia ſervaret non modo præcepta, ſed etiam conſilia Evangelica.

Ita perſuadebant Monaſticam profeſſionem longe meliorem eſſe baptiſmo, vitam Monaſticam plus mereri quam vitam Magiſtratuum, vitam paſtorum & ſimilium, qui in mandatis Dei ſine factitijs religionibus ſuæ vocationi ſerviunt. Nihil horum negari poteſt, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat poſtea in Monaſterijs? Olim erant ſcholæ ſacrarum literarum, & aliarum diſciplinarum, quæ ſunt utiles Eccleſiæ, & ſumebantur inde paſtores, & Epiſcopi. Nunc alia res eſt, nihil opus eſt recitare vota. Olim ad diſcendum conveniebant, nunc fingunt inſtitutum eſſe vitæ genus ad promerendam remiſſionem peccatorum & juſtificationem, imo prædicant eſſe ſtatum perfectionis, & longe præferunt omnibus alijs vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitavimus nihil odioſe exaggerantes, ut melius intelligi poſſet de hac re, doctrina noſtrorum. Primum de his, qui matrimonia contrahunt, ſic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non ſunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non poſſunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Eſt autem hoc mandatum Dei, Propter fornicationem habeat unuſquiſq; uxorem ſuam. Neque mandatum ſolum, ſed etiam creatio & ordinatio Dei cogit hos ad conjugium, qui ſine ſingulari Dei opere non ſunt excepti, juxta illud; Non eſt bonum homini eſſe ſolum. Igitur non peccant iſti, qui optemperant huic mandato & ordinationi Dei. 1. Cor. 7. Gen. 2.

Quid poteſt contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei, Canones docent in omni voto, jus ſuperioris excipi, Quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent. Quod ſi obligatio votorum, nullas haberet cauſas, cur mutari poſſit, nec Romani Pontifices diſpenſaſſent. Neq; enim licet homini obligationem, quæ ſimpliciter eſt juris divini, reſcindere. Sed prudenter judicaverunt Romani Pontifices æquitatem in hac obligatione adhibendam eſſe,

Ideo

Digitized by Google

Ideo ſæpe de votis diſpenſaſſe leguntur. Nota eſt hiſtoria de Rege Arragonum, revocato ex Monaſterio, & extant exempla noſtri temporis.

Deinde cur obligationem exaggerant adverſarij ſeu effectum voti, cur interim de ipſa voti natura ſileant, quod debet eſſe in re poſſibili, quod debet eſſe voluntarium, ſponte & conſulto conceptum. At quomodo ſit in poteſtate hominis perpetua caſtitas, non eſt ignotum. Et quotuſquiſq; ſponte & conſulto volvit? Puellæ & adoleſcentes priuſquam judicare poſſunt, perſuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur. Quare non eſt æquum tam rigide de obligatione diſputare, cum omnes fateantur contra voti naturam eſſe, quod non ſponte, quod inconſulto admittitur.

Pleriq; Canones reſcindunt vota ante annum 15. contracta. Quia ante illam ætatem non videtur tantum eſſe judicij, ut de perpetua vita conſtitui poſſit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, vetat enim ante annum 18. votum fieri. Sed utrum ſequemur, Maxima pars habet excuſationem, cur Monaſteria deſerant, quia plurimi ante hanc ætatem voverunt. Poſtremo etiam, ſi voti violatio reprehendi poſſet, tamen non videtur ſtatim ſequi, quod conjugia talium perſonarum diſſolvenda ſint. Nam Auguſtinus negat debere diſſolvi. 27. quæſt. 2. Cap. Nuptiarum, Cuius non eſt levis autoritas, etiamſi alij poſtea aliter ſenſerunt.

Quanquam autem mandatum Dei de conjugio videatur pleroſq; liberare à votis, tamen afferunt noſtri & aliam rationem de votis, quod ſint irrita. Quia omnis cultus Dei, ab hominibus ſine mandato Dei inſtitutus & electus ad promerendam remiſſionem peccatorum & juſtificationem, impius eſt, ſicut Chriſ. 15. ſtus ait, Fruſtra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ubiq; docet, juſticiam non eſſe quærendam ex noſtris obſervationibus & cultibus, qui ſint excogitati ab hominibus, ſed contingere eam per fidem credentibus ſe habere Deum placatum & propicium propter Chriſtum, non propter ulla noſtra merita.

Conſtat autem Monachos docuiſſe, quod facticiæ religiones mereantur remiſſionem peccatorum & juſtificationem, & quod pro peccatis ſatisfaciant. Quid hoc eſt aliud, quam de gloria Chriſti detrahere & obſcurare, ac negare juſticiam fidei? Sequitur igitur iſta vota uſitata, impios cultus fuiſſe, quare ſunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei non valet, neq; enim debet votum vinculum eſſe iniquitatis, ut Canon dicit.

Paulus dicit. Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis, id eſt, qui ſentiunt, quod mereantur proprijs operibus remiſſionem peccatorum, & quod propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec ſentiunt quod propter Chriſtum gratis accipiant fide donatam remiſſionem peccatorum per miſericordiam Dei, & quod propter Chriſtum placeant Deo, hi amittunt Chriſtum, quia fiduciam debitam Chriſto & promiſſioni Dei, transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propiciatorem Chriſtum, ſed propria opera, quare honorem debitum Chriſto transferunt ad opera noſtra. Conſtat autem Monachos hoc docere, quod ſuis obſervationibus mereantur remiſſionem peccatorum, quod habeant Deum propicium propter has obſervationes. Quare docent confidere ſuis operibus, non propiciationi Chriſti. Hæc fiducia eſt impia, & cum Evangelio pugnat, & in judicio Dei deprehendetur eſſe inanis. Non enim poſſunt opera noſtra opponi iræ ac judicio Dei. Tantum ita placatur ira Dei, quando gratuitam miſericordiam, propter Chriſtum promiſſam fide apprehendimus. Amittunt igitur Chriſtum, qui fiduciam non in Chriſtum, ſed in opera propria collocant.

Præterea Monachi docuerunt ſuum vitæ genus, ſtatum eſſe perfectionis, quia obſervarent non ſolum præcepta, ſed etiam conſilia. Hic error maxime pugnat cum Evangelio, quod finxerunt ſe præceptis ita ſatisfacere, ut amplius etiam facerent. Et hinc natus eſt horribilis error, quod finxerunt ſe habere merita

ſupereroga-

ſupererogationis.Hæc applicaverunt pro alijs,ut ſatisfactiones eſſent pro alienis peccatis. Hæc ſi quis odioſe velit exaggitare,quam multa commemorare poſſit, quorum jam ipſos Monachos pudet.

Non eſt leve ſcandalum in Eccleſia populo proponere certum cultum ab hominibus excogitatum ſine mandato Dei, & docere quod talis cultus juſtificet homines. Quia juſticia fidei in Chriſtum, quam maxime oportet tradi in Eccleſia,obſcuratur, cum illæ mirificæ religiones Angelorum,ſimulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obſcurantur præcepta Dei,& verus cultus Dei,cum audiunt homines, ſolos Monachos eſſe in ſtatu perfectionis. Quia perfectio Chriſtiana eſt, ſerio timere Deum, & rurſus concipere magnam fidem, & confidere propter Chriſtum, quod habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certo expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, & ſervire vocationi, In his rebus eſt vera perfectio, & verus cultus Dei,non eſt in cœlibatu aut mendicitate, aut veſte ſordida. Ac populus concipit multas perniciosas opiniones ex illis falſis præconijs vitæ Monaſticæ. Audit ſine modo laudari cœlibatum, ideo cum offenſione conſcientiæ verſatur in conjugio,Audit ſolos mendicos eſſe perfectos,ideo cum offenſione conſcientiæ retinet poſſeſſiones, negociatur, Audit conſilium Evangelicum eſſe de non vindicando, ideo alij in privata vita non verentur ulciſci,audiunt enim conſilium eſſe non præceptum, Alij omnes Magiſtratus & civilia officia judicant indigna eſſe Chriſtianis.

Leguntur exempla hominum, qui deſerto conjugio, deſerta reipublicæ adminiſtratione, abdiderunt ſe in Monaſteria. Id vocabant fügere ex mundo,& quærere vitæ genus,quod Deo magis placeret,nec videbant Deo ſerviendum eſſe in illis mandatis, quæ ipſe tradidit,non in mandatis quæ ſunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus eſt, quod habet mandatum Dei, De his rebus neceſſe eſt admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerſon errorem Monachorum de perfectione,& teſtatur ſuis temporibus novam vocem fuiſſe, quod vita Monaſtica ſit ſtatus perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quod mereantur remiſſionem peccatorum & juſtificationem,quod ſint perfectio Chriſtiana,quod ſervent conſilia & præcepta,quod habeant opera ſupererogationis.Hæc omnia cum ſint falſa & inania, faciunt vota irrita.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

MAgnæ diſputationes fuerunt de poteſtate Epiſcoporum, in quibus nonnulli incommode cõmiſcuerunt poteſtatem Eccleſiaſticam,& poteſtatem gladij. Et ex hac confuſione,maxima bella,maximi motus extiterunt,dum Pontifices freti poteſtate clavium,non ſolum novos cultus inſtituerunt,reſervatione caſuum, violentis excommunicationibus conſcientias oneraverunt, ſed etiam regna mundi transferre,& imperatoribus adimere imperium conati ſunt. Hæc vitia multo ante reprehenderunt in Eccleſia homines pij & eruditi. Itaq; noſtri ad conſolandas conſcientias coacti ſunt oſtendere diſcrimen Eccleſiaſticæ poteſtatis, & poteſtatis gladij,& docuerunt utramq; propter mandatum Dei religioſe venerandam & honore afficiendam eſſe, tanquam ſumma Dei beneficia in terris.

Sic autem ſentiunt, poteſtatem clavium, ſeu poteſtatem Epiſcoporum, juxta Evangelium,poteſtatem eſſe ſeu mandatum Dei,prædicandi Evangelii,remittendi & retinendi peccata,& adminiſtrandi ſacramenta. Nam cum hoc mandato Chriſtus mittit Apoſtolos, Sicut miſit me pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum re-

rum retinueritis peccata retenta ſunt. Marc. 16. Ite prædicate Evangelium omni creaturæ &c.

Hæc poteſtas tantum exercetur docendo ſeu prædicando Evangelium, & porrigendo Sacramenta, vel multis vel ſingulis juxta vocationem. Quia conceduntur non res corporales, ſed res æternæ, juſticia æterna, Spiritus ſanctus, vita æterna. Hæc non poſſunt contingere niſi per miniſterium verbi & Sacramentorum, ſicut Paulus dicit, Evangelium eſt potentia Dei, ad ſalutem omni credenti. Rom. 1. Itaq; cum poteſtas Eccleſiaſtica concedat res æternas, & tantum exerceatur per miniſterium Verbi, non impedit politicam adminiſtrationem, ſicut ars canendi nihil impedit politicam adminiſtrationem. Nam politica adminiſtratio verſatur circa alias res quam Evangelium. Magiſtratus defendit non mentes, ſed corpora & res corporales, adverſus manifeſtas injurias, & coërcet homines gladio, & corporalibus pœnis, ut juſticiam civilem & pacem retineat.

Non igitur commiſcendæ ſunt poteſtates Eccleſiaſtica & civilis, Eccleſiſtica ſuum mandatum habet, Evangelij docendi & adminiſtrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officiũ, non transferat regna mundi, non abroget leges Magiſtratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præſcribat leges magiſtratibus de forma reipublicæ, ſicut dicit Chriſtus, Regnum meum non eſt de hoc mundo. Item, Quis conſtituit me judicem aut diviſorem ſuper vos? Et Paulus ait Phil. 3. Noſtra politia in cœlis eſt. 2. Corinth. 10. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtruendas cogitationes &c. Ad hunc modum diſcernunt noſtri utriuſq; poteſtatis officia, & jubent utramq; honore afficere & agnoſcere utramq; Dei donum & beneficium eſſe.

Johan. 18. Luce 12. Philip. 3. 2. Cor. 10.

Si quam habent Epiſcopi poteſtatem gladij, hanc non habent, ut Epiſcopi ex mandato Evangelij, ſeu jure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, ad adminiſtrationem civilem ſuorum bonorum. Hæc interim alia functio eſt quam miniſterium Evangelij.

Cum igitur de jurisdictione Epiſcoporum quæritur, diſcerni debet imperium ab Eccleſiaſtica jurisdictione. Porro ſecundum Evangelium, ſeu ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit Epiſcopis, ut Epiſcopis, hoc eſt, his quibus eſt commiſſum miniſterium verbi & ſacramentorum, niſi remittere peccata. Item, cognoſcere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio diſſentientem rejicere & impios, quorum nota eſt impietas, excludere à communione Eccleſiæ, ſine vi humana, ſed Verbo. Hic neceſſario, & de jure divino, debent eis Eccleſiæ præſtare obedientiam, juxta illud: Qui vos audit, me audit.

Luce. 10.

Verum cum aliquid contra Evangelium docent aut ſtatuunt, tunc habent Eccleſiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth. 7. Cavete à Pſeudoprophetis. Gal. 1. Si Angelus de cœlo aliud Evangelium evangelizaverit, anathema ſit. 2. Cor. 13. Non poſſumus aliquid contra veritatẽ, ſed pro veritate. Item, Data eſt nobis omnis poteſtas ad ædificationem, non ad deſtructionem. Sic & Canones præcipiunt. 2. q. 7. Cap. Sacerdotes, & Cap. Oves. Et Auguſtinus contra Petiliani Epiſtolam inquit, Nec catholicis Epiſcopis conſentiendum eſt, ſicubi forte falluntur, aut contra Canonicas Dei ſcripturas aliquid ſentiunt.

Matth. 7. Gala. 1. 2. Cor. 13. 1. Cor. 10.

Si quam habent aliam vel poteſtatem, vel jurisdictionem in cognoſcendis certis cauſis, videlicet matrimonij, aut decimarum &c. hanc habent humano jure. Vbi ceſſantibus ordinarijs coguntur Principes vel inviti, ſuis ſubditis jus dicere, ut pax retineatur.

Præter hæc diſputatur, utrum Epiſcopi ſeu paſtores habeant jus inſtituendi ceremonias in Eccleſia, & leges de cibis, ferijs, gradibus miniſtrorum, ſeu ordinibus &c. condendi. Hoc jus, qui tribuunt Epiſcopis, allegant teſtimonium. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem viritatem. Allegant etiam ex-

Johan. 16.

emplum Apoſtolorum, qui prohibuerunt abſtinere à ſanguine, & ſuffocato. Allegant ſabbathum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur, quam mutatio ſabbathi. Magnam contendunt Eccleſiæ poteſtatem eſſe, quod diſpenſaverit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæſtione noſtri ſic docent, quod Epiſcopi non habent poteſtatem ſtatuendi aliquid contra Evangelium, ut ſupra oſtenſum eſt, Docent idem Canones. 9. Diſtinct. Porro contra ſcripturam eſt, traditiones condere aut exigere, ut per eam obſervationem mereamur remiſſionem peccatorum & ſatisfaciamus pro peccatis. Læditur enim gloria meriti Chriſti, cùm talibus obſervationibus conantur mereri remiſſionem peccatorum & juſtificationem, Conſtat autem propter hanc perſuaſionem, in Eccleſia pene in infinitum creviſſe traditiones, oppreſſa interim doctrina de fide & juſticia fidei. Quia ſubinde plures feriæ factæ ſunt, jejunia indicta, ceremoniæ novæ, novi honores Sanctorum inſtituti ſunt. Quia arbitrabantur ſe autores talium rerum his operibus mereri remiſſionem peccatorum & juſtificationem. Sic olim creverunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in ſatisfactionibus veſtigia quædam videmus.

Item pleriq; ſcriptores fingunt in novo Teſtamento oportere cultum ſimilem eſſe Levitico, cuius ordinationem commiſerit Deus Apoſtolis & Epiſcopis. Et videntur ſcriptores exemplo legis Moſaicæ decipi, quaſi juſticia novi Teſtamenti ſit externa obſervatio certorum rituum, ſicut juſticia Legis erat externa obſervatio certorum rituum. Sicut igitur in Lege peccatum erat edere ſuillam carnem, &c. Ita in novo Teſtamento collocant peccatum in cibis, in diebus, in veſtitu, & ſimilibus rebus, Et exiſtimant ſine his rebus juſticiam novi Teſtamenti non poſſe exiſtere. Hinc ſunt illa onera, quod certi cibi polluant conſcientiam, quod horas Canonicas omittere, ſit mortale peccatum, quod jejunia mereantur remiſſionem peccatorum, quod ſint neceſſaria ad juſticiam novi Teſtamenti, quod peccatum in caſu reſervato non poſſit remitti, niſi acceſſerit autoritas reſervantis, cum quidem ipſi Canones tantum de reſervatione pœnæ Canonicæ loquantur, non de reſervatione culpæ.

Vnde habent jus Epiſcopi has traditiones imponendi Eccleſijs ad gravandas conſcientias? Extant enim clara teſtimonia, quæ prohibent condere tales traditiones, vel ad promerendam remiſſionem peccatorum, vel tanquam neceſſarias ad juſticiam novi Teſtamenti, aut ad ſalutem.

Paulus Coloſſ. 2. Nemo vos judicet in cibo, potu, parte diei feſti, noviluCol. 2
nio, aut ſabbathis. Item ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non guſtes, non contrectes, quæ omnia pereunt uſu, & ſunt mandata & doctrinæ hominum, quæ habent ſpeciem ſapientiæ. Item ad Titum aperte prohibet traditiones, Non at- Tit. 1.
tendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum averſantium veritatem. Et Matth. 15
Chriſtus Matthæi 15. inquit de his qui exigunt traditiones, Sinite illos, cæci ſunt, Et duces cæcorum. Et improbat tales cultus, Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.

Si jus habent Epiſcopi onerandi Eccleſias infinitis traditionibus, & illaqueandi conſcientias, cur toties prohibet Scriptura condere & audire traditiones? cur vocat eas doctrinas dæmoniorum? Num fruſtra hæc præmonuit Spiritus ſanctus? Relinquitur igitur, cum ordinationes inſtitutæ tanquam neceſſariæ, aut cum opinione promerendæ remiſſionis peccatorum, pugnent cum Evangelio, quod non liceat ullis Epiſcopis tales cultus inſtituere aut exigere. Neceſſe eſt enim in Eccleſijs retineri doctrinam, de libertate Chriſtiana, quod non ſit neceſſaria ſervitus Legis ad juſtificationem, ſicut in Galatis ſcriptum eſt, Nolite iterum Gal. 5
jugo ſervitutis ſubjici. Neceſſe eſt retineri præcipuum Evangelij locum, quod remiſſionem peccatorum & juſtificationem per fidem in Chriſtum gratis conſequamur, non propter certas obſervationes, aut propter cultus ab hominibus inſtitutos.

Quid

Quid igitur ſentiendum eſt de die Dominico,& ſimilibus ritibus templorum? Ad hæc reſpondent, quod liceat Epiſcopis ſeu paſtoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Eccleſia, non ut per illas mereamur remiſſionem peccatorum, aut ſatisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conſcientiæ,ut judicent eſſe neceſſarios cultus,ac ſentiant ſe peccare, cum ſine offenſione aliorum violant. Sic Paulus ordinat,ut in congregatione mulieres velent capita,ut ordine audiantur in Eccleſia interpretes &c.

Tales ordinationes convenit Eccleſias propter charitatem & tranquillitatem ſervare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine & ſine tumultu omnia fiant in Eccleſijs. Verum ita, ne conſcientiæ onerentur,ut ducant res eſſe neceſſarias ad ſalutem,ac judicent ſe peccare,cum violant eas ſine aliorum offenſione, ſicut nemo dixerit peccare mulierem,quæ in publicum non velato capite procedit, ſine offenſione hominum.

Talis eſt obſervatio diei Dominici, Paſchatis,Pentecoſtes, & ſimilium feriarum & rituum. Nam qui judicant Eccleſiæ autoritate, pro ſabbatho inſtitutam eſſe diei Dominici obſervationem,tanquam neceſſariam,longe errant. Scriptura concedit, ut obſervatio ſabbathi nunc ſit libera. Docet enim ceremonias Moſaicas poſt revelatum Evangelium non neceſſarias eſſe. Et tamen,quia opus erat conſtituere certum diem, ut ſciret populus quando convenire deberet, apparet Eccleſiam ei rei deſtinaſſe diem Dominicum,qui ob hanc quoq; cauſam videtur magis placuiſſe, ut haberent homines exemplum Chriſtianæ libertatis, & ſcirent nec ſabbathi nec alterius diei obſervationem neceſſariam eſſe.

Extant prodigioſæ diſputationes de mutatione Legis, de ceremonijs novæ legis,de mutatione ſabbathi,quæ omnes ortæ ſunt ex falſa perſuaſione, quod oporteat in Eccleſia cultum eſſe ſimilem Levitico. Et quod Chriſtus commiſerit Apoſtolis & Epiſcopis excogitare novas ceremonias, quæ ſint ad ſalutem neceſſariæ. Hi errores ſerpſerunt in Eccleſiam,cum juſticia fidei non ſatis clare doceretur. Aliqui diſputant diei Dominici obſervationem non quidem juris divini eſſe, ſed quaſi juris divini, præſcribunt de ferijs,quatenus liceat operari. Hujuſmodi diſputationes quid ſunt aliud niſi laquei conſcientiarum? Quanquam enim conentur epikeizare traditiones, tamen nunquam poteſt æquitas deprehendi, donec manet opinio neceſſitatis, quam manere neceſſe eſt,ubi ignorantur juſticia fidei & libertas Chriſtiana.

Apoſtoli juſſerunt abſtinere à ſanguine, quis nunc obſervat? neq; tamen peccant, qui non obſervant, quia ne ipſi quidem Apoſtoli voluerunt onerare conſcientias tali ſervitute, ſed ad tempus prohibuerunt propter ſcandalum. Eſt enim perpetua voluntas Evangelij conſideranda in decreto. Vix ulli Canones ſervantur accurate,& multi quotidie exoleſcunt apud illos etiam,qui diligentiſſime defendunt traditiones. Nec poteſt conſcientijs conſuli,niſi hæc æquitas ſervetur, ut ſciamus eos ſine opinione neceſſitatis ſervari, nec lædi conſcientias etiamſi traditiones exoleſcant.

Facile autem poſſent Epiſcopi legitimam obedientiam retinere, ſi non urgerent ſervare traditiones, quæ bona conſcientia ſervari non poſſunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt niſi jurent ſe puram Evangelij doctrinam nolle docere. Non petunt Eccleſiæ,ut Epiſcopi honoris ſui jactura ſarciant concordiam,quod tamen decebat bonos paſtores facere: Tantum petunt ut injuſta onera remittant,quæ nova ſunt, & præter conſuetudinem Eccleſiæ catholicæ recepta. Fortaſſis initio quædam conſtitutiones habuerunt probabiles cauſas,quæ tamen poſterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam, quaſdam errore receptas eſſe, quare Pontificiæ clementiæ eſſet, illas nunc migitare, quia talis mutatio non labefacit Eccleſiæ unitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ ſunt, ut oſtendunt ipſi Canones, Quod ſi non poteſt impetrari, ut relaxentur obſervationes, quæ ſine peccato non poſſunt præſtari, oportet nos

regulam Apoſtolicam ſequi, quæ præcipit, Deo magis obedire quam hominibus. Act. 5. Petrus vetat Epiſcopos dominari, & Eccleſijs imperare. Nunc non id agitur ut dominatio eripiatur Epiſcopis, ſed hoc unum petitur, ut patiantur Evangelium pure doceri, & relaxent paucas quaſdam obſervationes, quæ ſine peccato ſervari non poſſunt, quod ſi nihil remiſerint, ipſi viderint, quomodo Deo rationem reddituri ſint, quod pertinacia ſua cauſam ſchiſmati præbent. 1. Pet. 5.

EPILOGVS.

HI ſunt præcipui articuli, qui videntur habere controverſiam. Quanquam enim de pluribus abuſibus dici poterat, tamen, ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi ſumus, ex quibus cætera facile judicari poſſunt. Magnæ querelæ fuerunt de indulgentijs, de peregrinationibus, de abuſu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per Stationarios. Infinitæ contentiones erant Paſtoribus cum Monachis, de jure parochiali, de confeſſionibus, de ſepulturis, de extraordinarijs concionibus & de alijs innumerabilibus rebus. Hujuſmodi negocia prætermiſimus, ut illa quæ ſunt in hac cauſa præcipua, breviter propoſita, facilius cognoſci poſſent. Neq; hic quicquam ad ullius contumeliam dictum aut collectum eſt. Tantum ea recitata ſunt, quæ videbantur neceſſario dicenda eſſe, ut intelligi poſſit in doctrina ac ceremonijs, apud nos nihil eſſe receptum contra ſcripturam aut Eccleſiam catholicam. Quia manifeſtum eſt nos diligentiſſime caviſſe, ne qua nova & impia dogmata in Eccleſias noſtras ſerperent.

Hos articulos ſupra ſcriptos voluimus exhibere juxta edictum C. M. in quibus confeſſio noſtra extaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrinæ ſumma cerneretur. Si quid in hac confeſſione deſiderabitur, parati ſumus latiorem informationem, Deo volente, juxta ſcripturas exhibere.

Cæſareæ Majeſt. V.

Fideles & ſubditi.

Iohannes dux Saxoniæ Elector.
Georgius Marchio Brandenburgenſis.
Erneſtus dux Luneburgenſis.
Philippus Landgravius Heſſorum.
Iohannes Fridericus dux Saxoniæ.
Franciſcus dux Luneburgenſis.
VVolffgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus Magiſtratusq; Nurnbergenſis.
Senatus Reutlingenſis.

APOLOGIA CONFESSIONIS.

PHILIPPVS MELANTHON Lectori Salutem D.

POſtquam Confeſſio Principum noſtrorum publice prælecta eſt, Theologi quidam ac Monachi adornaverunt confutationem noſtri ſcripti, quam cum Cæſ. Majeſtas curaſſet etiam in conſeſſu Principum prælegi, poſtulavit à noſtris Principibus, ut illi confutationi aſſentirentur. Noſtri autem, quia audierant multos articulos improbatos eſſe, quos abjicere ſine offenſione conſcientiæ non poterant, rogaverunt ſibi exhiberi exemplum confutationis, ut & videre quid damnarent adverſarij, & rationes eorum revel-

rum revellere possent. Et in tali causa, quæ ad religionem & ad docendas conscientias pertinet, arbitrabantur fore, ut non gravatim exhiberent suum scriptum adversarij, Sed non potuerunt id impetrare nostri, nisi periculosissimis conditionibus, quas recipere non poterant, nisi vellent se in discrimen certum conijcere.

Instituta est autem deinde pacificatio, in qua apparuit nostros nullum onus quamlibet incommodum detrectare, quod sine offensione conscientiæ suscipi posset. Sed adversarij obstinate hoc postulabant, ut quosdam manifestos abusus atque errores approbaremus, quod cum non possemus facere, iterum postulavit Cæs. Maj. ut Principes nostri assentirentur Confutationi. Id facere Principes nostri recusaverunt. Quomodo enim assentirentur in causa Religionis, scripto non inspecto? Et audierant articulos quosdam damnatos esse, in quibus non poterant judicia adversariorum sine scelere comprobare. Iusserant autem me & alios quosdam parare Apologiam Confessionis, in qua exponerentur Cæsareæ Majestati causæ, quare non reciperemus Confutationem, & ea, quæ objecerant adversarij, diluerentur. Quidam enim ex nostris inter prælegendum capita locorum & argumentorum exceperant. Hanc Apologiam obtulerunt ad extremum Cæsareæ Majest. ut cognosceret nos maximis & gravissimis causis impediri, quo minus Confutationem approbaremus. Verum Cæsarea Majestas non recepit oblatum scriptum. Postea editum est decretum quoddam, in quo gloriantur adversarij, quod nostram confessionem ex scripturis confutaverint.

Habes igitur Lector nunc Apologiam nostram, ex qua intelliges, & quid adversarij judicaverint, retulimus enim bona fide, & quod articulos aliquot contra manifestam scripturam Spiritus sancti damnaverint, tantum abest, ut nostras sententias per scripturas labefactaverint. Quanquam autem initio Apologiam instituimus communicato cum alijs consilio: tamen ego inter excudendum quædam adjeci. Quare meum nomen profiteor, ne quis queri possit sine certo autore librum editum esse.. Semper hic meus mos fuit in his controversijs, ut quantum omnino facere posem, retinerem formam usitatæ doctrinæ, ut facilius aliquando coire concordia posset. Neq; multo secus nunc facio, Etsi recte possem longius abducere huius ætatis homines ab adversariorum opinionibus. Sed adversarij sic agunt causam, ut ostendant se neq; veritatem neque concordiam quærere, sed ut sanguinem nostrum exorbeant.

Et nunc scripsi, quam moderatissime potui, ac si quid videtur dictum asperius, hic mihi præfandum est, me cum Theologis ac Monachis, qui scripserunt Confutationem litigare, non cum Cæsare, aut Principibus, quos, ut debeo, veneror, Sed vidi nuper Confutationem & animadverti adeo insidiose & calumniose scriptam esse, ut fallere etiam cautos in certis locis posset. Non tractavi tamen omnes cavillationes. Esset enim infinitum opus, sed præcipua argumenta complexus sum, ut extet apud omnes nationes testimonium de nobis, quod recte & pie sentiamus de Evangelio Christi. Non delectat nos discordia, Nec nihil movemur periculo nostro, quod quantum sit in tanta acerbitate odiorum, quibus intelligimus accensos esse adversarios, facile intelligimus, Sed non possumus abjicere manifestam veritatem & Ecclesiæ necessariam, quare incommoda & pericula propter gloriam Christi, & utilitatem Ecclesiæ perferenda esse sentimus, & confidimus Deo probari hoc nostrum officium, & speramus æquiora de nobis judicia posteritatis fore.

Neq; enim negari potest, quin multi loci doctrinæ Christianæ, quos maxime prodest extare in Ecclesia, à nostris patefacti & illustrati sint, qui qualibus & quam periculosis opinionibus obruti olim jacuerint apud Monachos, Canonistas, & Theologos Sophistas, non libet hic recitare. Habemus publica testimonia multorum bonorum virorum, qui Deo gratias agunt pro hoc summo beneficio, quod de multis necessarijs locis docuerint meliora, quam passim leguntur apud adversarios nostros. Commendabimus itaq; causam nostram

Christo, qui olim judicabit has controversias, quem oramus, ut respiciat afflictas & dissipatas Ecclesias, & in concordiam piam & perpetuam redigat.

APOLOGIA CONFESSIONIS.

PRimum articulum confeſſionis noſtræ, probãt noſtri adverſarij, in quo exponimus nos credere & docere, quod ſit una Eſſentia divina, individua &c. & tamen tres ſint diſtinctæ Perſonæ ejuſdem eſſentiæ divinæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Hunc articulum ſemper docuimus, & defendimus, Et ſentimus eum habere certa & firma teſtimonia in ſcripturis ſanctis, quæ labefactari non queant. Et conſtanter affirmamus, aliter ſentientes extra Eccleſiam Chriſti & idolatras eſſe, & Deum contumelia afficere.

DE PECCATO ORIGINALI.

SEcundum articulum de peccato Originis probant adverſarij, Verum ita, ut reprehendant tamen definitionem peccati Originalis, quam nos obiter recitavimus. Hic in ipſo ſtatim veſtibulo deprehendet Cæſ. Majeſtas, non ſolum judicium, ſed etiam candorem iſtis defuiſſe, qui Confutationem ſcripſerunt. Nam cum nos ſimplici animo obiter recenſere voluerimus illa, quæ peccatum Originis complectitur, iſta acerba interpretatione conficta, ſententiam per ſe nihil habentem incommodi, arte depravant. Sic inquiunt, ſine metu Dei, ſine fide eſſe, eſt culpa actualis. Igitur negant eſſe culpam originalem.

Has argutias ſatis apparet in ſcholis natas eſſe, non in conſilio Cæſaris. Quanquam autem hæc cavillatio facillime revelli poſſit, tamen ut omnes boni viri intelligant, nos nihil abſurdi de hac cauſa docere, Primum petimus, ut inſpiciatur Germanica confeſſio, hæc abſolvet nos ſuſpicione novitatis. Sic enim ibi ſcriptum eſt, **Weiter wird gelehret/daß nach dem fall Ade alle Menſchen/ ſo natürlich geborn werden/in Sünden empfangen vnd geborn werden/das iſt/daß ſie alle von Mutter Leib an/voll böſer lüſt vnd neigung ſind/keine ware Gottesfurcht/kein waren Glauben an Gott von natur haben können.** Hic locus teſtatur, nos non ſolum actus, ſed potentiam ſeu dona efficiendi timorem & fiduciam erga Deum adimere propagatis ſecundum carnalem naturam. Dicimus enim ita natos habere concupiſcentiam, nec poſſe efficere verum timorem & fiduciam erga Deum. Quid hic reprehendi poteſt? Bonis viris quidem arbitramur nos ſatis purgatos eſſe. Nam in hanc ſententiam latina deſcriptio, potentiam naturæ detrahit, hoc eſt, dona & vim efficiendi timorem & fiduciam erga Deum, detrahit & in adultis actus. Vt cum nominamus concupiſcentiam, non tantum actus ſeu fructus intelligimus, ſed perpetuam naturæ inclinationem.

Sed poſtea oſtendemus pluribus verbis, noſtram deſcriptionem conſentire cum uſitata ac veteri definitione. Prius enim conſilium noſtrum aperiendum eſt, cur his potiſſimum verbis hoc loco uſi ſimus. Adverſarij in ſcholis fatentur materiale (ut vocant) peccati originalis eſſe concupiſcentiam, quare in definiendo non fuit prætereunda, præſertim hoc tempore, cum de ea nonnulli parum religioſe philoſophantur.

Quidam enim diſputant, peccatum originis non eſſe aliquod in natura hominis vitium, ſeu corruptionem, ſed tantum ſervitutem, ſeu conditionem mortalitatis, quam propagati ex Adam ſuſtinenat, ſine aliquo proprio vitio, propter alienam culpam. Præterea addunt, neminem damnari morte æterna propter peccatum originis; Sicut ex ancilla ſervi naſcuntur, & hanc conditionem ſine naturæ vitijs, ſed propter calamitatem matris ſuſtinent, Nos, ut hanc impiam opinionem ſignificaremus nobis diſplicere, concupiſcentiæ mentionem fecimus, optimo animo morbos nominavimus, & expoſuimus, quod natura hominum corrupta & vitioſa naſcatur.

Neque

Neq; vero tantum concupiſcentiam nominavimus, ſed diximus etiam deeſſe timorem Dei, & fidem. Id hoc conſilio adjecimus, Extenuant peccatum Originis & ſcholaſtici doctores, non ſatis intelligentes definitionem peccati originalis, quam acceperunt à Patribus. De fomite diſputant, quod ſit qualitas corporis, & ut ſuo more ſint inepti, quærunt, Vtrum qualitas illa, contagione pomi, An ex afflatu ſerpentis contracta ſit, Vtrum augeatur medicamentis. Hujuſmodi quæſtionibus oppreſſerunt principale negocium, Itaq; cum de peccato Originis loquuntur, graviora vitia humanæ naturæ non commemorant, ſcilicet ignorationem Dei, contemptum Dei, vacare metu & fiducia Dei, odiſſe judicium Dei, fugere Deum judicantem, iraſci Deo, deſperare gratiam, habere fiduciam rerum præſentium &c. Hos morbos, qui maxime adverſantur legi Dei, non animadvertunt ſcholaſtici, Imo tribuunt interim humanæ naturæ integras vires ad diligendum Deum ſuper omnia, ad facienda præcepta Dei, quo ad ſubſtantiam actuum, Nec vident ſe pugnantia dicere. Nam proprijs viribus poſſe diligere Deum ſuper omnia, facere præcepta Dei, quid aliud eſt, quam habere juſticiam originis? Quod ſi has tantas vires habet humana natura, ut per ſeſe poſſit diligere Deum ſuper omnia, ut confidenter affirmant ſcholaſtici, quid erit peccatum originis? Quorſum autem opus erit gratia Chriſti, ſi nos poſſumus fieri juſti propria juſticia? Quorſum opus erit Spiritu ſancto, ſi vires humanæ per ſeſe poſſunt Deum ſuper omnia diligere, & præcepta Dei facere? Quis non videt quam præpoſtere ſentiant adverſarij? Leviores morbos in natura hominis agnoſcunt, graviores morbos non agnoſcunt, de quibus tamen ubiq; admonet nos ſcriptura, & Prophetæ perpetuo conqueruntur, videlicet, de carnali ſecuritate, de contemptu Dei, de odio Dei, & ſimilibus vitiis nobiſcum natis. Sed poſtquam ſcholaſtici admiſcuerunt doctrinæ Chriſtianæ Philoſophiam de perfectione naturæ, & plus quam ſatis erat, libero arbitrio & actibus elicitis tribuerunt, & homines philoſophica ſeu civili juſticia, quam & nos fatemur, rationi ſubjectam eſſe, & aliquo modo in poteſtate noſtra eſſe, juſtificari coram Deo docuerunt, non potuerunt videre interiorem immundiciam naturæ hominum. Neq; enim poteſt judicari, niſi ex verbo Dei, quod ſcholaſtici in ſuis diſputationibus non ſæpe tractant.

Hæ fuerunt cauſæ, cur in deſcriptione Peccati originis, & concupiſcentiæ mentionem fecimus, & detraximus naturalibus viribus hominis timorem & fiduciam erga Deum. Voluimus enim ſignificare, quod peccatum originis hos quoq; morbos contineat, ignorationē Dei, contemptum Dei, vacare metu Dei, & fiducia erga Deum, non poſſe diligere Deum. Hæc ſunt præcipua vitia naturæ humanæ, pugnantia proprie cum prima tabula Decalogi.

Neq; novi quidquam diximus. Vetus definitio recte intellecta prorſus idem dicit, cum ait, peccatum originis carentiam eſſe juſticiæ originalis. Quid eſt autem juſticia? Scholaſtici hic rixantur de dialecticis quæſtionibus, non explicant quid ſit juſticia Originalis. Porro juſticia in ſcripturis continet non tantum ſecundam tabulam Decalogi, ſed primam quoq; quæ præcipit de timore Dei, de fide, de amore Dei. Itaq; juſticia Originalis habitura erat non ſolum æquale temperamentum qualitatum corporis, ſed etiam hæc dona, noticiam Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei, aut certe rectitudinem, & vim iſta efficiendi. Idq; teſtatur ſcriptura cum inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum eſſe. Quod quid eſt aliud, niſi in homine hanc ſapientiam & juſticiam effigiatam eſſe, quæ Deum apprehenderet, & in qua reluceret Deus, hoc eſt homini dona eſſe data, noticiam Dei, timorem Dei, fiduciam erga Deum & ſimilia. Sic enim interpretantur ſimilitudinem Dei Ireneus & Ambroſius, qui cum alia multa in hanc ſententiam dicit, tum ita inquit: Non eſt ergo anima ad imaginem Dei, in qua Deus non ſemper eſt, Et Paulus ad Epheſios & Coloſſenſes oſtendit imaginem Dei, noticiam Dei eſſe, juſticiam & veritatem. Nec Longobardus veretur dicere, quod juſticia originis ſit ipſa ſimilitudo Dei, quæ homini indita

eſt à Deo. Recitamus veterum ſententias,quæ nihil impediunt Auguſtini interpretationem de imagine.

Itaq; vetus definitio,cum inquit, Peccatum eſſe carentiam juſticiæ,detrahit non ſolum obedientiam inferiorum virium hominis,ſed etiam detrahit noticiam Dei, fiduciam erga Deum, timorem & amorem Dei, aut certe vim iſta efficiendi detrahit. Nam & ipſi Theologi in ſcholis tradunt iſta non effici ſine certis donis, & auxilio gratiæ. Nos ipſa dona nominamus,ut res intelligi poſſit,noticiam Dei,timorem & fiduciam erga Deum. Ex his apparet veterem definitionem prorſus idem dicere, quod nos dicimus, detrahentes metum Dei & fiduciam, videlicet non actus tantum, ſed dona & vim ad hæc efficienda.

Eadem eſt ſententia definitionis, quæ extat apud Auguſtinum, qui ſolet definire peccatum originis concupiſcentiam eſſe. Significat enim concupiſcentiam ſucceſſiſſe amiſſa juſticia. Nam ægra natura, quia non poteſt Deum timere & diligere, Deo credere, quærit & amat carnalia, Iudicium Dei, aut ſecura contemnit, aut odit perterrefacta, Ita & defectum complectitur Auguſtinus, & vitioſum habitum, qui ſucceſſit, Neque vero concupiſcentia tantum corruptio qualitatum corporis eſt, Sed etiam prava converſio ad carnalia in ſuperioribus viribus. Nec vident quid dicant, qui ſimul tribuunt homini concupiſcentiam non mortificatam à Spiritu ſancto, & dilectionem Dei ſuper omnia.

Nos igitur recte expreſſimus utrunq; in deſcriptione peccati Originalis, videlicet defectus illos, non poſſe Deo credere, non poſſe Deum timere ac diligere. Item habere concupiſcentiam, quæ carnalia quærit contra verbum Dei, hoc eſt, quærit non ſolum voluptates corporis,ſed etiam ſapientiam & juſticiam carnalem,& confidit his bonis, contemnens Deum. Neq; ſolum veteres, ſed etiam recentiores, Si qui ſunt cordatiores, docent ſimul iſta vere peccatum originis eſſe, defectus videlicet, quos recenſui, & concupiſcentiam. Sic enim inquit Thomas, Peccatum originis habet privationem originalis juſticiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ, unde non eſt privatio pura,Sed quidam habitus corruptus. Et Bonaventura, Cum quæritur quid ſit originale peccatum, recte reſpondetur,Quod ſit concupiſcentia immoderata. Recte etiam reſpondetur, quod ſit debitæ juſticiæ carentia. Et in una iſtarum reſponſionum includitur altera. Idem ſenſit Hugo cum ait, Originale peccatum eſſe ignorantiam in mente,& concupiſcentiam in carne. Significat enim nos naſcentes afferre ignorationem Dei,incredulitatem,diffidentiam,contemptum,odium Dei. Hæc enim complexus eſt, cum ignorantiam nominat. Et hæ ſententiæ conſentiunt cum ſcripturis. Nam Paulus interdum expreſſe nominat defectum, ut 1. Cor. 2. 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ ſpiritus Dei ſunt. Alibi concupiſcentiam nominat efficacem in membris, & parientem malos fructus. Plures locos citare de utraq; parte poſſemus, ſed in re manifeſta nihil opus eſt teſtimonijs. Et facile judicare poterit prudens lector has non tantum culpas actuales eſſe, ſine metu Dei & ſine fide eſſe. Sunt enim durabiles defectus in natura non renovata.

Nihil igitur de peccato originis ſentimus alienum, aut à ſcriptura, aut à catholica Eccleſia, ſed graviſſimas ſententias Scripturæ & Patrum obrutas Sophiſticis rixis Theologorum recentium, repurgamus, & in lucem reſtituimus. Nam res ipſa loquitur, recentiores Theologos non animadverſiſſe, quid voluerint Patres de defectu loquentes. Eſt autem neceſſaria cognitio peccati originis. Neq; enim poteſt intelligi magnitudo gratiæ Chriſti, niſi morbis noſtris cognitis. Tota hominis juſticia, mera eſt hypocriſis coram Deo, niſi agnoverimus cor naturaliter vacare amore, timore, fiducia Dei. Ideo Propheta inquit,Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum, Item,Ego dixi in exceſſu meo,Omnis homo mendax, id eſt, non recte ſentiens de Deo. Ierem. 31. Pſal. 115.

Hic flagellant adverſarij etiam Lutherum quod ſcripſerit, Peccatum originis manere poſt Baptiſmum, Addunt hunc articulum jure damnatum eſſe à

Leone

Leone X. Sed Cæſa. Majeſt. in hoc loco manifeſtam calumniam deprehendet. Sciunt enim adverſarij in quam ſententiam Lutherus hoc dictum velit, Quod peccatum originis reliquum ſit poſt Baptiſmum. Semper ita ſcripſit, quod Baptiſmus tollat reatum peccati originalis, etiamſi materiale, ut iſti vocant, peccati maneat, videlicet concupiſcentia. Addidit etiam de materiali, quod Spiritus ſanctus datus per Baptiſmum, incipit mortificare concupiſcentiam, & novos motus creat in homine. Ad eundem modum loquitur & Auguſtinus, qui ait, Peccatum in Baptiſmo remittitur, non ut non ſit, ſed ut non imputetur. Hic palam fatetur, eſſe, hoc eſt, manere peccatum, tametſi non imputetur. Et hæc ſentẽtia adeo placuit poſterioribus, ut recitata ſit & in Decretis. Et contra Iulianum inquit Auguſtinus, Lex iſta, quæ eſt in membris, remiſſa eſt regeneratione ſpirituali, & manet in carne mortali. Remiſſa eſt, quia reatus ſolutus eſt Sacramento, quo renaſcuntur fideles. Manet autem, quia operatur deſideria, contra quæ dimicant fideles. Sic ſentire ac docere Lutherum ſciunt adverſarij, & cum rem improbare non poſſint, verba tamen calumniantur, ut hoc artificio innocentem opprimant.

At diſputant concupiſcentiam pœnam eſſe, non peccatum, Lutherus defendit peccatum eſſe. Supra dictum eſt Auguſtinum definire peccatum originis, quod ſit concupiſcentia, Expoſtulent cum Auguſtino, ſi quid habet incommodi hæc ſententia. Præterea Paulus ait, concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, nſ. 7. niſi lex diceret, Non concupiſces. Item, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me legi peccati, quæ eſt in membris meis. Hæc teſtimonia nulla cavillatione everti poſſunt. Clare enim appellant concupiſcentiam peccatum, Quod tamen his, qui ſunt in Chriſto, non imputatur, etſi res ſit natura digna morte, ubi non condonatur. Sic patres citra controverſiam ſentiunt. Nam Auguſtinus longa diſputatione revellit opinionem iſtorum, qui ſentiebant concupiſcentiam in homine non eſſe vitium, ſed ἀδιάφορον, ut corporis color, aut adverſa valetudo ἀδιάφορον dicitur.

Quod ſi contendent adverſarij, fomitem eſſe ἀδιάφορον, reclamabunt non ſolum multæ ſententiæ Scripturæ, ſed planè tota Eccleſia. Quis enim unquam auſus eſt dicere hæc eſſe ἀδιάφορα, etiamſi perfectus conſenſus non accederet, dubitare de ira Dei, de gratia Dei, de verbo Dei, iraſci judicijs Dei, indignari quod Deus non eripit ſtatim ex afflictionibus, fremere quod impij meliore fortuna utantur, quam boni, incitari ira, libidine, cupiditate gloriæ, opum &c. Et hæc agnoſcunt in ſe homines pij, ut apparet in Pſalmis, ac Prophetis. Sed in Scholis tranſtulerunt huc ex Philoſophia prorſus alienas ſententias, quod propter paſſiones nec boni nec mali ſimus, nec laudemur, nec vituperemur. Item nihil eſſe peccatum niſi voluntarium. Hæ ſententiæ apud Philoſophos de civili judicio dictæ ſunt, non de judicio Dei. Nihilo prudentius aſſuunt & alias ſententias, naturam non eſſe malam, Id in loco dictum non reprehendimus, ſed non recte detorquetur ad extenuandum peccatum originis, Et tamen hæ ſententiæ leguntur apud Scholaſticos, qui intempeſtive commiſcent philoſophicam ſeu civilem doctrinam de moribus cum Evangelio. Neq; hæc in Scholis tantum diſputabantur, ſed ex ſcholis, ut fit, efferebantur ad populum. Et hæ perſuaſiones regnabant, & alebant fiduciam humanarum virium & opprimebant cognitionem gratiæ Chriſti. Itaq; Lutherus volens magnitudinem peccati originalis & humanæ infirmitatis declarare, docuit reliquias illas peccati originalis, non eſſe ſua natura in homine ἀδιάφορα, ſed indigere gratia Chriſti, ne imputentur, item Spiritu ſancto, ut mortificentur.

Quanquam Scholaſtici utrunq; extenuant, peccatum & pœnam cum docent hominem proprijs viribus poſſe mandata Dei facere. In Geneſi aliter deſcri-
m. 3. bitur pœna impoſita pro peccato originis. Ibi enim non ſolum morti & alijs corporalibus malis ſubjicitur humana natura, ſed etiã regno diaboli. Nam ibi fertur hæc horribilis ſententia, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen*

& ſemen illius. Defectus & concupiſcentia ſunt pœnæ & peccata, Mors & alia corporalia mala, & tyrannis Diaboli, proprie pœnæ ſunt. Eſt enim natura humana in ſervitutem tradita, & captiva à Diabolo tenetur, qui eam impijs opinionibus & erroribus dementat, & impellit ad omnis generis peccata. Sicut autem Diabolus vinci non poteſt, niſi auxilio Chriſti, ita non poſſumus nos proprijs viribus ex iſta ſervitute eximere. Ipſa mundi hiſtoria oſtendit, quanta ſit potentia regni diaboli. Plenus eſt mundus blaſphemijs contra Deum, & impijs opinionibus, & his vinculis habet diabolus irretitos ſapientes & juſtos coram mundo. In alijs oſtendunt ſe craſſiora vitia. Cum autem datus ſit nobis Chriſtus, qui & hæc peccata & has pœnas auferat, & regnum Diaboli, peccatum & mortem deſtruat, beneficia Chriſti non poterunt cognoſci, niſi intelligamus mala noſtra. Ideo de his rebus noſtri concionatores diligenter docuerunt, & nihil novi tradiderunt, ſed ſanctam ſcripturam, & ſanctorum Patrum ſententias propoſuerunt.

Hæc arbitramur ſatisfactura eſſe Cæſ. Majeſtati, de puerilibus & frigidis cavillationibus, quibus adverſarij articulum noſtrum calumniati ſunt. Scimus enim nos recte & cum Catholica Eccleſia Chriſti ſentire. Sed ſi renovabunt hanc controverſiam adverſarij, non defuturi ſunt apud nos qui reſpondeant, & veritati patrocinentur. Nam adverſarij in hac cauſa magna ex parte quid loquantur non intelligunt, Sæpe dicunt pugnantia, nec formale peccati originis, nec defectus quos vocant, recte ac Dialectice expediunt. Sed nos hoc loco noluimus iſtorum rixas nimis ſubtiliter excutere, Tantum ſententiam ſanctorum Patrum, quam & nos ſequimur communibus & notis verbis duximus eſſe recitandam.

TERTIVM articulum probant adverſarij, in quo confitemur duas in Chriſto naturas, videlicet naturam humanam aſſumptam à Verbo in unitatem perſonæ ſuæ. Et quod idem Chriſtus paſſus ſit ac mortuus, ut reconciliaret nobis Patrem, & reſuſcitatus ut regnet, juſtificet, & ſanctificet credentes &c. juxta ſymbolum Apoſtolorum & Symbolum Nicenum.

DE IVSTIFICATIONE.

IN quarto, quinto, ſexto, & infra in articulo 20. damnant nos, quod docemus homines non propter ſua merita, ſed gratis propter Chriſtum conſequi remiſſionem peccatorum fide in Chriſtum. Vtrumq; enim damnant, & quod negamus homines propter ſua merita conſequi remiſſionem peccatorum, & quod affirmamus homines fide conſequi remiſſionem peccatorum, & fide in Chriſtum juſtificari. Cum autem in hac controverſia præcipuus locus doctrinæ Chriſtianæ agitetur, qui recte intellectus illuſtrat & amplificat honorem Chriſti, & affert neceſſariam & uberrimam conſolationem pijs conſcientijs, rogamus ut Cæſarea Majeſtas de rebus tantis clementer nos audiat. Nam adverſarij cum neq; quid remiſſio peccatorum, neq; quid fides, neq; quid gratia, neq; quid iuſticia ſit intelligant, miſere contaminant hunc locum, & obſcurant gloriam & beneficia Chriſti, & eripiunt pijs conſcientijs propoſitas in Chriſto conſolationes. Vt autem & confirmare confeſſionem noſtram, & diluere ea, quæ adverſarij objiciunt, poſſimus, initia quædam præfanda ſunt, ut fontes utriuſq; generis doctrinæ & adverſariorum, & noſtræ cognoſci poſſint.

Vniverſa ſcriptura in hos duos locos præcipuos diſtribui debet, in legem, & promiſſiones. Aliàs enim legem tradit, aliàs tradit promiſſionem de Chriſto, videlicet, cum aut promittit Chriſtum venturum eſſe, & pollicetur propter eum remiſſionem peccatorum, juſtificationem & vitam æternam, aut in Evangelio Chriſtus, poſtquam apparuit, promittit remiſſionem peccatorum, juſtificationem & vitam æternam. Vocamus autem legem in hac diſputatione decalogi præcepta, ubicunq; illa in ſcripturis leguntur. De ceremonijs & judicialibus legibus Moiſi in præſentia nihil loquimur.

Ex his adverſarij ſumunt legem, quia humana ratio naturaliter intelligit aliquo

Digitized by

aliquo modo legem, Habent enim idem judicium ſcriptum divinitus in mente, & per legem quærunt remiſſionem peccatorum, & juſtificationem. Decalogus autem requirit non ſolum externa opera civilia, quæ ratio utcunq; efficere poteſt, ſed etiam requirit alia longe ſupra rationem poſita, ſcilicet vere timere Deum, vere diligere Deum, vere invocare Deum, vere ſtatuere, quod Deus exaudiat, & expectare auxilium Dei in morte, in omnibus afflictionibus, deniq; requirit obedientiam erga Deum in morte & omnibus afflictionibus, ne has fugiamus, aut averſemur, cum Deus imponit.

Hic Scholaſtici ſecuti Philoſophos tantum docent juſticiam rationis, videlicet, civilia opera, & affingunt quod ratio ſine Spiritu ſancto poſſit diligere Deum ſupra omnia. Nam donec humanus animus ocioſus eſt, nec ſentit iram aut judicium Dei, fingere poteſt, quod velit Deum diligere, quod velit propter Deum benefacere. Ad hunc modum docent homines mereri remiſſionem peccatorum, faciendo quod eſt in ſe, hoc eſt, ſi ratio dolens de peccato, eliciat actum dilectionis Dei, aut bene operetur propter Deum. Et hæc opinio, quia naturaliter blanditur hominibus, peperit & auxit multos cultus in Eccleſia, vota Monaſtica, abuſus Miſſæ, Et ſubinde alij alios cultus atq; obſervationes hac opinione excogitaverunt, Et, ut fiduciam talium operum alerent atq; augerent, affirmaverunt Deum neceſſario gratiam dare ſic operanti, neceſſitate non coactionis, ſed immutabilitatis.

In hac opinione multi magni & pernicioſi errores hærent, quos longum eſſet enumerare, Tantum illud cogitet prudens lector, Si hæc eſt juſticia Chriſtiana, quid intereſt inter Philoſophiam, & Chriſti doctrinam? Si meremur remiſſionem peccatorum his noſtris actibus elicitis, quid præſtat Chriſtus? Si juſtificari poſſumus per rationem & opera rationis, quorſum opus eſt Chriſto aut regeneratione? Et ex his opinionibus jam eo prolapſa res eſt, ut multi irrideãt nos, qui docemus aliam juſticiam præter philoſophicam quærendam eſſe. Audivimus quoſdam pro concione ablegato Evangelio, Ariſtotelis ethica enarrare. Nec errabant iſti, ſi vera ſunt, quæ defendunt, adverſarij. Nam Ariſtoteles de moribus civilibus adeo ſcripſit erudite, nihil ut de his requirendum ſit amplius. Videmus extare libellos, in quibus conferuntur quædam dicta Chriſti cum Socratis, Zenonis, & aliorum dictis, quaſi ad hoc venerit Chriſtus, ut traderet leges quaſdam, per quas mereremur remiſſionem peccatorum, non acciperemus gratis propter ipſius merita. Itaq; ſi recipimus hic adverſariorum doctrinam, quod mereamur operibus rationis remiſſionem peccatorum & juſtificationem, nihil jam intererit inter juſticiam philoſophicam, aut certe Phariſaicam & Chriſtianam.

Quanquam adverſarij ne Chriſtum omnino prætereant, requirunt noticiam hiſtoriæ de Chriſto, & tribuunt ei, quod meruerit nobis dari quendam habitum, ſive, ut ipſi vocant, primam gratiam, quam intelligunt habitum eſſe inclinantem, ut facilius diligamus Deum. Exiguum tamen eſt, quod huic habitui tribuunt, quia fingunt actus voluntatis ante habitum illum, & poſt illum habitum ejuſdem ſpeciei eſſe, Fingunt volũtatem poſſe diligere Deum, ſed habitus ille tamen extimulat, ut idem faciat libentius. Et jubent mereri hunc habitum primum per præcedentia merita, deinde jubent mereri operibus legis incrementum illius habitus, & vitam æternam. Ita ſepeliunt Chriſtum, ne eo mediatore utantur homines, & propter ipſum ſentiant ſe gratis accipere remiſſionem peccatorum & reconciliationem, ſed ſomnient ſe propria impletione legis mereri remiſſionem peccatorum, & propria impletione legis coram Deo juſtos reputari, cum tamen legi nuſquam ſatisfiat, cum ratio nihil faciat, niſi quædam civilia opera, Interim neq; timeat Deum, neq; vere credat ſe Deo curæ eſſe. Et quanquam de habitu illo loquuntur, tamen ſine juſticia fidei, neq; exiſtere dilectio Dei in hominibus, neq; quid ſit dilectio Dei intelligi poteſt.

Et quod fingunt diſcrimen inter meritum congrui, & meritum condigni,

ludunt

ludunt tantum, ne videantur aperte πελαγιανίζειν. Nam ſi Deus neceſſario dat gratiam pro merito congrui, jam non eſt meritum congrui, ſed meritum condigni. Quanquam quid dicant, non vident. Poſt habitum illum dilectionis fingunt hominem de condigno mereri, Et tamen jubent dubitare, utrum adſit habitus. Quomodo igitur ſciunt, utrum de congruo an de condigno mereantur? Sed tota hæc res conficta eſt ab ocioſis hominibus, qui non norant, quomodo contingat remiſſio peccatorum, & quomodo in judicio Dei, & terroribus conſcientiæ, fiducia operum nobis excutiatur. Securi hypocritæ ſemper judicant ſe de condigno mereri, ſive adſit habitus ille, ſive non adſit, quia naturaliter confidunt homines propria juſticia, ſed conſcientiæ perterrefactæ ambigunt & dubitant, & ſubinde alia opera quærunt & cumulant, ut acquieſcant. Hæ nunquam ſentiunt ſe de condigno mereri, & ruunt in deſperationem, niſi audiant præter doctrinam legis, Evangelium de gratuita remiſſione peccatorum, & juſticia fidei.

Ita nihil docent adverſarij, niſi juſticiam rationis, aut certe legis in quam intuentur, ſicut Iudæi in velatam Moiſi faciem, & in ſecuris hypocritis, qui putant ſe legi ſatisfacere, excitant præſumptionem & inanem fiduciam operum, & contemptum gratiæ Chriſti. Econtrà pavidas conſcientias adigunt ad deſperationem, quæ operantes cum dubitatione nunquam poſſunt experiri quid ſit fides, & quam ſit efficax, ita ad extremum penitus deſperant.

Nos autem de juſticia rationis ſic ſentimus, quod Deus requirat eam & quod propter mandatum Dei neceſſario ſint facienda honeſta opera, quæ decalogus præcipit, juxta illud, Lex eſt Pædagogus. Lex eſt injuſtis poſita. Vult enim Deus coherceri carnales iſta civili diſciplina, Et ad hanc conſervandam dedit leges, literas, doctrinam, magiſtratus, pœnas. Et poteſt hanc juſticiam utcũq; ratio ſuis viribus efficere, quanquam ſæpe vincitur imbecillitate naturali, & impellente diabolo ad manifeſta flagitia. Quanquam autem huic juſticiæ rationis libenter tribuimus ſuas laudes. Nullum enim majus bonum habet hæc natura corrupta. Et recte inquit Ariſtoteles, neq; Heſperum, neq; Luciferum formoſiorem eſſe juſticia. Ac Deus etiam ornat eam corporalibus præmijs, tamen non debet cum contumelia Chriſti laudari. *Gal. 3. 2. Tim. 1.*

Falſum eſt enim, quod per opera noſtra mereamur remiſſionem peccatorum.

Falſum eſt & hoc, quod homines reputentur eſſe juſti coram Deo, propter juſticiam rationis.

Falſum eſt & hoc, quod ratio proprijs viribus poſſit Deum ſupra omnia diligere, & legem Dei facere, videlicet, vere timere Deum, vere ſtatuere, quod Deus exaudiat, velle obedire Deo in morte, & alijs ordinationibus Dei. Non concupiſcere aliena, &c. etſi civilia opera efficere ratio poteſt.

Falſum eſt & hoc, & contumelioſum in Chriſtum, quod non peccent homines facientes præcepta Dei ſine gratia.

Hujus noſtræ ſententiæ teſtimonia habemus, non ſolum ex ſcripturis, ſed etiam ex Patribus. Nam Auguſtinus copioſiſſime diſputat contra Pelagianos, gratiam non dari propter merita noſtra, Et de natura & gratia inquit, Si poſſibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoſcendum quomodo vivere debeat, & ad bene vivendum ſufficit, ſibi ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis. Cur non etiam ego hic exclamem? Imo exclamabo & iſtos increpabo dolore Chriſtiano. Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis. Ignorantes enim juſticiam Dei, & veſtram volentes conſtituere, juſticiæ Dei non eſtis ſubjecti. Sicut enim finis legis, ita etiam naturæ humanæ vitioſæ ſalvator Chriſtus eſt, ad juſticiam omni credenti. Et Iohannis 8. Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis. Non igitur poſſumus per rationem liberari à peccatis, & mereri remiſſionem peccatorum. Et Iohannis tertio ſcriptum eſt, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* *Gal. 5.* *Iohan. 8.* *Iohan. 3.*

genam Dei, Quod ſi opus eſt renaſci per Spiritum ſanctum, Iuſticia rationis non juſtificat nos coram Deo, non facit Legem, Rom. 3. Omnes carent gloria Dei, id eſt, carent ſapientia & juſticia Dei, quæ Deum agnoſcit & glorificat. Item Rom. 8. Senſus carnis inimicitia eſt adverſus Deum, Legi enim Dei non eſt ſubjectus, ac nec poteſt quidem ei ſubjici. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Hæc adeo ſunt aperta teſtimonia, ut non deſiderent acutum intellectorem, ſed attentum auditorem, ut Auguſtini verbis utamur, quibus ille in eadem cauſa uſus eſt. Si ſenſus carnis eſt inimicitia adverſus Deum, certe caro non diligit Deum. Si non poteſt legi Dei ſubjici, non poteſt Deum diligere. Si ſenſus carnis eſt inimicitia adverſus Deum, peccat caro etiam cum externa civilia opera facimus. Si non poteſt ſubjici legi Dei, certe peccat, etiamſi egregia facta & digna laude juxta humanum judicium habet. Adverſarij intuentur præcepta ſecundæ tabulæ quæ juſticiam civilem continent, quam intelligit ratio. Hac contenti putant ſe legi Dei ſatisfacere. Interim primam tabulam non vident, quæ præcipit, ut diligamus Deum, ut vere ſtatuamus, quod Deus iraſcatur peccato, ut vere timeamus Deum, ut vere ſtatuamus, quod Deus exaudiat. At humanus animus ſine Spiritu ſancto, aut ſecurus contemnit judicium Dei, aut in pœna fugit & odit judicantem Deum. Itaq; non obtemperat primæ tabulæ. Cum igitur hæreant in natura hominis contemptus Dei, dubitatio de verbo Dei, de minis, & promiſſionibus, vere peccant homines, etiam cum honeſta opera faciunt ſine Spiritu ſancto, quia faciunt ea impio corde juxta illud, Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Tales enim operantur cum contemptu Dei, ſicut Epicurus non ſentit ſe Deo curæ eſſe, reſpici, aut exaudiri à Deo. Hic contemptus vitiat opera in ſpeciem honeſta, quia Deus judicat corda.

Rom. 8.

Rom. 14.

Poſtremo hoc imprudentiſſime ſcribitur ab adverſarijs, quod homines rei æternæ iræ mereantur remiſſionem peccatorum per actum elicitum dilectionis, cum impoſſibile ſit diligere Deum, niſi prius fide apprehendatur remiſſio peccatorum. Non enim poteſt cor vere ſentiens Deum iraſci, diligere DEUM, niſi oſtendatur placatus. Donec terret & videtur nos abjicere in æternam mortem, non poteſt ſe erigere natura humana, ut diligat iratum, judicantem & punientem. Facile eſt ociosis fingere iſta ſomnia de dilectione, quod reus peccati mortalis poſſit Deum diligere ſuper omnia, quia non ſentiunt, quid ſit ira, aut judicium Dei. At in agone conſcientiæ & in acie experitur conſcientia vanitatem illarum ſpeculationum philoſophicarum. Paulus ait, Lex iram operatur. Non dicit per legem mereri homines remiſſionem peccatorum. Lex enim ſemper accuſat conſcientias, & perterrefacit. Non igitur juſtificat, quia conſcientia perterrefacta lege fugit judicium Dei. Errant igitur, qui per legem, per opera ſua merentur ſe remiſſionem peccatorum confidunt. Hæc de juſticia rationis, aut legis, quam adverſarij docent, ſatis ſit dixiſſe. Nam paulo poſt, cum noſtram ſententiam de juſticia fidei dicemus, res ipſa coget plura teſtimonia ponere, quæ etiam proderunt ad illos errores adverſariorum, quos hactenus recenſuimus evertendos.

Rom. 4.

Quia igitur non poſſunt homines viribus ſuis legem Dei facere, & omnes ſunt ſub peccato, & rei æternæ iræ ac mortis. Ideo non poſſumus per legem à peccato liberari, ac juſtificari, ſed data eſt promiſſio remiſſionis peccatorum & juſtificationis propter Chriſtum, qui datus eſt pro nobis, ut ſatisfaceret pro peccatis mundi, & poſitus eſt mediator ac propiciator. Et hæc promiſſio non habet conditionem meritorum noſtrorum, ſed gratis offert remiſſionem peccatorum & juſtificationem, ſicut Paulus ait: Si ex operibus, jam non eſt gratia. Et alibi: Iuſticia Dei jam manifeſtatur ſine lege, id eſt, gratis offertur remiſſio peccatorum. Nec pendet reconciliatio ex noſtris meritis. Quod ſi ex noſtris meritis penderet remiſſio peccatorum & reconciliatio eſſet ex lege, eſſet inutilis. Quia enim legem non facimus, ſequeretur etiam promiſſionem reconciliationis nunquam nobis contingere. Sic argumentatur Paulus Rom. 4. Si ex lege eſſet hæreditas,

Rom. 11.

Rom. 4.

ēta concurrere, promiſſionem, & quidem gratuitam, & merita Chriſti tanquam precium & propiciationem. Promiſſio accipitur fide, Gratuitum excludit noſtra merita,& ſignificat tantum per miſericordiam offerri beneficium,Chriſti merita ſunt precium, quia oportet eſſe aliquam certam propiciationem pro peccatis noſtris. Scriptura crebro miſericordiam implorat, Et ſancti Patres ſæpe dicunt, nos per miſericordiam ſalvari.Quoties igitur fit mentio miſericordiæ,ſciendum eſt,quod fides ibi requiratur,quæ promiſſionem miſericordiæ accipit. Et rurſus, quoties nos de fide loquimur, intelligi volumus objectum, ſcilicet miſericordiam promiſſam. Nam fides non ideo juſtificat, aut ſalvat,quia ipſa ſit opus per ſeſe dignum, ſed tantum quia accipit miſericordiam promiſſam.

Et hic cultus, hæc λατρεία in Prophetis & Pſalmis paſſim præcipue laudatur, cum tamen lex non doceat gratuitam remiſſionem peccatorum, Sed Patres norant promiſſionem de Chriſto,quod Deus propter Chriſtum vellet remittere peccata, Igitur cum intelligerent Chriſtum fore precium pro noſtris peccatis, ſciebant opera noſtra non eſſe precium rei tantæ. Ideo gratuitam miſericordiam & remiſſionem peccatorum fide accipiebant, ſicut Sancti in novo Teſtamento. Huc pertinent illæ crebræ repetitiones miſericordiæ & fidei in Pſalmis & Pro-
Pſal. 130 phetis, ut hic. Si iniquitates obſervaveris Domine,Domine quis ſuſtinebit? Hic confitetur peccata, nec allegat merita ſua. Addit, Quia apud te propiciatio eſt. Hic erigit ſe fiducia miſericordiæ Dei, & citat promiſſionem. Suſtinuit anima mea in verbo ejus. Speravit anima mea in Domino, id eſt, quia promiſiſti remiſſionem peccatorum, hac tua promiſſione ſuſtentor. Et Paulus citat de A-
Rom. 4. braham. Credidit Abraham Deo,& reputatum eſt ei ad juſticiam,hoc eſt,Abraham ſenſit ſe habere Deum propicium, tantum propter ipſius promiſſionem. Aſſenſus eſt promiſſioni Dei, nec paſſus eſt ſe ab ea abstrahi, etiamſi videbat ſe immundum atq; indignum eſſe, ſentiebat Deum præſtare promiſſum propter veritatem ſuam, non propter opera aut merita noſtra. Nec poſſunt acquieſcere perterrefacta corda, ſi ſentire debent, ſe propter opera propria, aut propriam dilectionem, aut legis impletionem placere, quia hæret in carne peccatum, quod ſemper accuſat nos. Tunc autem acquieſcunt corda, quando in illis terroribus ſtatuunt nos ideo placere Deo, quia promiſit, & Deum præſtare promiſ-
Gen. 15. ſum propter ſuam veritatem, non propter dignitatem noſtram. Ita Abraham audivit hanc vocem, Noli timere, Ego enim ſum protector tuus, &c. Hic erexit ſe, & ſenſit Deum ſibi propicium eſſe, non quia ipſe meritus eſſet, Sed quia neceſſe eſſet Dei promiſſionem veram judicari. Hæc igitur fides imputatur ei pro juſticia, hoc eſt, quia aſſentitur promiſſioni, & accipit oblatam reconciliationem,jam vere eſt juſtus & acceptus Deo,non propter digniratem ſuam,ſed quia gratuitam promiſſionem Dei accipit. Non fruſtra placuit Paulo hoc teſtimonium Geneſis. Videmus quomodo exaggerat, quam diligenter in eo commoratur,quia videbat naturam fidei in hoc loco facile perſpici poſſe. Videbat diſerte addi teſtimonium de imputatione juſticiæ,Videbat adimi operibus laudem promerendæ juſtificationis & pacandæ conſcientiæ, Cum Abraham ideo pronuncietur juſtus, quia aſſentitur promiſſioni, & accipit oblatam reconciliationem, non opponit iræ Dei merita aut opera. Quare hic locus diligenter conſideratus copioſe de tota re pias mentes docere poterit, qui quidem ita intelligi poterit,ſi proponant eum ſibi perterrefactæ mentes, & ſtatuant ad eundem modum ſe debere aſſentiri gratuitæ promiſſioni. Neq; enim poſſunt aliter acquieſcere, niſi ſtatuant ſe habere Deum placatum, quia promiſerit,non quia noſtra natura, vita & opera digna ſint.

Itaque & Patres juſtificabantur,non per legem,ſed per promiſſionem, & fidem. Ac mirum eſt adverſarios adeo extenuare fidem, cum videant ubique
Pſal. 49. pro præcipuo cultu laudari,ut Pſal. 49. Invoca me in die tribulationis,& eripiam te .Ita vult innoteſcere Deus,ita vult ſe coli, ut ab ipſo accipiamus beneficia &

Digitized by Google

quidem accipiamus propter ipſius miſericordiam, non propter merita noſtra. Hæc eſt ampliſſima conſolatio in omnibus afflictionibus. Et hujuſmodi conſolationes abolent adverſarij cum fidem extenuant, & vituperant, & tantum docent homines per opera & merita cum Deo agere.

QVOD SOLA FIDES IN CHRIſtum juſtificet.

PRIMUM, ne quis putet nos de ocioſa noticia hiſtoriæ loqui, dicendum eſt quomodo contingat fides. Poſtea oſtendemus & quod juſtificet, & quomodo hoc intelligi debeat, & diluemus ea, quæ adverſarij objiciunt. Chriſtus Lucæ ultimo jubet prædicare pœnitentiam in nomine ſuo, & remiſſionem peccatorum. Evangelium enim arguit omnes homines, quod ſint ſub peccato, quod omnes ſint rei æternæ iræ ac mortis, & offert propter Chriſtum remiſſionem peccatorum, & juſtificationem, quæ fide accipitur. Prædicatio pœnitentiæ, quæ arguit nos, perterrefacit conſcientias veris & ſerijs terroribus. In his corda rurſus debent concipere conſolationem. Id fit, ſi credant promiſſioni Chriſti, quod propter ipſum habeamus remiſſionem peccatorum. Hæc fides in illis pavoribus erigens & conſolans accipit remiſſionem peccatorum, juſtificat, & vivificat. Nam illa conſolatio eſt nova & ſpiritualis vita. Hæc plana & perſpicua ſunt, & à pijs intelligi poſſunt, & habent Eccleſiæ teſtimonia. Adverſarij nuſquam poſſunt dicere, quomodo detur Spiritus ſanctus, fingunt Sacramenta conferre Spiritum ſanctum ex opere operato, ſine bono motu accipientis, quaſi vero ocioſa res ſit donatio Spiritus ſancti. Luce 24.

Cum autem de tali fide loquamur, quæ non eſt ocioſa cogitatio, ſed quæ à morte liberat & novam vitam in cordibus parit, & eſt opus Spiritus ſancti, non ſtat cum peccato mortali, Sed tantiſper dum adeſt bonos fructus parit, ut poſtea dicemus. Quid poteſt dici de converſione impij, ſeu de modo regenerationis ſimplicius & clarius? Proferant unum cōmentarium in ſententias, ex tanto Scriptorum agmine, qui de modo regenerationis dixerit. Cum loquuntur de habitu dilectionis, fingunt homines Spiritum ſanctum per opera mereri, non docent per Verbum accipi, ſicut & hoc tempore Anabaptiſtæ docent. At cum Deo non poteſt agi, Deus non poteſt apprehendi niſi per verbum, Ideo juſtificatio fit per verbum, ſicut Paulus inquit: Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Item, Fides eſt ex auditu. Et vel hinc argumentum ſumi poteſt, quod fides juſtificet, Quia ſi tantum fit juſtificatio per verbum, & verbum tantum fide apprehenditur, ſequitur quod fides juſtificet, Sed ſunt aliæ majores rationes. Hæc diximus hactenus, ut modum regenerationis oſtenderemus, & ut intelligi poſſet, qualis ſit fides, de qua loquimur. Rom. 10.

Nunc oſtendemus, quod fides juſtificet. Vbi primum hoc monendi ſunt lectores, quod ſicut neceſſe eſt hanc ſententiam tueri, quod Chriſtus ſit mediator, ita neceſſe ſit defendere quod fides juſtificet. Quomodo enim erit Chriſtus mediator, ſi in juſtificatione non utimur eo mediatore, ſi non ſentimus, quod propter ipſum juſti reputemur? Id autem eſt credere, confidere meritis Chriſti, quod propter ipſum certo velit nobis Deus placatus eſſe. Item ſicut oportet defendere, quod præter legem neceſſaria ſit promiſſio Chriſti, ita neceſſe eſt defendere, quod fides juſtificet. Lex enim non docet gratuitam remiſſionem peccatorum. Item, Lex non poteſt fieri, niſi prius accepto Spiritu ſancto. Neceſſe eſt igitur defendere quod promiſſio Chriſti neceſſaria ſit, At hæc non poteſt accipi niſi fide. Itaq; qui negant fidem juſtificare, nihil niſi legem abolito Evangelio, & abolito Chriſto docent.

Sed nonnulli fortaſſis, cum dicitur, quod fides juſtificet, intelligunt de principio, quod fides ſit initium juſtificationis, ſeu præparatio ad juſtificationem, ita ut non ſit ipſa fides, illud, quo accepti ſumus Deo, ſed opera quæ ſequuntur,

Et ſo-

Et somniant, fidem ideo valde laudari, quia sit principium. Magna enim vis est principij, ut vulgo dicunt, ἀρχὴ ἥμισυ παντός, ut si quis dicat, quod Grammatica efficiat omnium artium doctores, quia præparet ad alias artes, etiamsi sua quenq; ars artificem efficit. Non sic de fide sentimus, sed hoc defendimus, quod proprie ac vere ipsa fide propter Christum justi reputemur, seu accepti Deo simus. Et quia justificari significat ex injustis justos effici, seu regenerari, significat & justos pronunciari seu reputari. Vtroq; enim modo loquitur scriptura. Ideo primum volumus hoc ostendere, quod sola fides ex injusto justum efficiat, hoc est, accipiat remissionem peccatorum.

Rom. 3. Ephes. 2. Rom. 3. Offendit quosdam particula Sola, cum & Paulus dicat, Arbitramur hominem justificari fide, non ex operibus. Item, Ephesios 2. Dei donum est, non ex vobis, neq; ex operibus, ne quis glorietur. Item Rom. 3. Gratis justificati. Si displicet exclusiva, Sola, tollant etiam ex Paulo illas exclusivas, Gratis, non ex operibus, donum est &c. Nam hæ quoq; sunt exclusivæ. Excludimus autem opinionem meriti, Non excludimus Verbum aut Sacramenta, ut calumniantur adversarij. Diximus enim supra, Fidem ex verbo concipi, Ac multo maxime ornamus ministerium verbi. Dilectio etiam & opera sequi fidem debent. Quare non sic excluduntur, ne sequantur, sed fiducia meriti dilectionis aut operum in justificatione excluditur. Idq; perspicue ostendemus.

QVOD REMISSIONEM PECCATORVM *sola fide in Christum consequamur.*

FAteri etiam adversarios existimamus, quod in justificatione primum necessaria sit remissio peccatorum. Omnes enim sub peccato sumus. Quare sic argumentamur.

Psal. 32. Consequi remissionem peccatorum, est justificari juxta illud, Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

Sola fide in Christum, non per dilectionem, non propter dilectionem, aut opera consequimur remissionem peccatorum, etsi dilectio sequitur fidem.

Igitur sola fide justificamur, intelligendo justificationem, ex injusto justum effici, seu regenerari.

Minor ita facile poterit declarari, si sciamus, quomodo fiat remissio peccatorum. Adversarij frigidissime disputant, Vtrum sint una mutatio remissio peccatorum, & infusio gratiæ. Ocioſi homines quid dicerent, non habebant. In re-

1. Cor. 15. missione peccatorum oportet in cordibus vinci terrores peccati, & mortis æternæ, sicut Paulus testatur, 1. Corinth. 15. Aculeus mortis peccatum est, Potentia vero peccati Lex, Gratia autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, id est, peccatum perterrefacit conscientias. Id fit per legem, quæ ostendit iram Dei adversus peccatum, sed vincimus per Christum. Quomodo? fide, cum erigimus nos fiducia promissæ misericordiæ propter Christum. Sic igitur probamus minorem. Ira Dei non potest placari, si opponamus nostra opera, quia Christus propositus est propiciator, ut propter ipsum fiat nobis placatus pater. Christus autem non apprehenditur tanquam Mediator, nisi fide. Igitur sola fide consequimur remissionem peccatorum, cum erigimus corda fiducia misericordiæ propter Christum promissæ.

Rom. 5. Item Paulus Rom. 5. ait, Per ipsum habemus accessum ad Patrem, & addit, per fidem. Sic igitur reconciliamur Patri, & accipimus remissionem peccatorum, quando erigimur fiducia promissæ misericordiæ propter Christum. Adversarij Christum ita intelligunt Mediatorem & propiciatorem esse, quia meruerit habitum dilectionis, non jubent nunc eo uti Mediatore, sed prorsus sepulto Christo, fingunt nos habere accessum per propria opera, & per hæc habitum illum mereri, & postea dilectione habere pacem conscientiæ. An non est hoc prorsus sepelire Christum, & totam fidei doctrinam tollere? Paulus econtrà docet nos

habere acceſſum,hoc eſt,pacem per Chriſtum,Et, ut oſtenderet quomodo id fiat,addit, quod per fidem habeamus acceſſum. Fide igitur propter Chriſtum accipimus remiſſionem peccatorum. Non poſſumus iræ Dei opponere noſtram dilectionem & opera noſtra.

Secundo. Certum eſt peccata remitti propter propiciatorem Chriſtum. Rom.3.Quem poſuit Deus propiciatorem. Addit autem Paulus,Per fidem.Itaq; nobis prodeſt hic propiciator,cum fide apprehendimus promiſſam in eo miſericordiam, & opponimus eam iræ ac judicio Dei. Et in eandem ſententiam ſcriptum eſt ad Ebræos 4. Habentes Pontificem &c. accedamus cum fiducia. Iubet enim accedere ad Deum, non fiducia noſtrorum meritorum, ſed fiducia Pontificis Chriſti, requirit igitur fidem. *Rom. 3.* *Ebre. 4.*

Tertio. Petrus in Actis,Cap. 10. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Quomodo potuit clarius dicere? Remiſſionem peccatorum accipimus, inquit, per nomen ejus, hoc eſt, propter eum,ergo non propter noſtra merita, non propter noſtram contritionem,attritionem,dilectionem,cultus, opera. Et addit,Cum credimus in eum. Requirit igitur fidem.Neq; enim poſſumus apprehendere nomen Chriſti niſi fide. Præterea allegat conſenſum omnium Prophetarum. Hoc vere eſt allegare Eccleſiæ autoritatem, ſed de hoc loco infra de pœnitentia rurſus dicendum erit. *Actor. 10.*

Quarto. Remiſſio peccatorum eſt res promiſſa propter Chriſtum. Igitur non poteſt accipi, niſi ſola fide. Nam promiſſio accipi non poteſt, niſi ſola fide. Rom. 4. Ideo ex fide,ut ſit firma promiſſio,ſecundum gratiam, Q. d. Si penderet res ex meritis noſtris,incerta & inutilis eſſet promiſſio,quia nunquam conſtituere poſſemus, quando ſatis meriti eſſemus. Idq; facile intelligere queunt peritæ conſcientiæ. Ideo Paulus ait Galat. 3. Concluſit Deus omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus. Hic detrahit meritum nobis, quia dicit omnes reos eſſe, & concluſos ſub peccatum, deinde addit, promiſſionem, videlicet, remiſſionis peccatorum, & juſtificationis dari, & addit,quomodo accipi promiſſio poſſit, videlicet fide. Atq; hæc ratio ſumpta ex natura promiſſionis apud Paulum præcipua eſt,& ſæpe repetitur. Neq; excogitari neq; fingi quidquam poteſt, quo hoc Pauli argumentum everti queat. Proinde non patiantur ſe bonæ mentes depelli ab hac ſententia, quod tantum fide accipiamus remiſſionem propter Chriſtum. In hac habent certam & firmam conſolationem adverſus peccati terrores, & adverſus æternam mortem, & adverſus omnes portas inferorum. *Rom. 4.* *Gal. 3.*

Cum autem ſola fide accipiamus remiſſionem peccatorum & reconciliationem propter Chriſtum, ſola fides juſtificat, quia reconciliati reputantur juſti & filij Dei, non propter ſuam mundiciem, ſed per miſericordiam propter Chriſtum,ſi tamen hanc miſericordiam fide apprehendant. Ideoq; ſcriptura teſtatur, quod fide juſti reputemur. Adjiciemus igitur teſtimonia, quæ clare pronunciant, quod fides ſit ipſa juſticia, qua coram Deo juſti reputamur, videlicet non, quia ſit opus per ſeſe dignum, Sed quia accipit promiſſionem, qua Deus pollicitus eſt, quod propter Chriſtum velit propitius eſſe credentibus in eum,ſeu quia ſentit, quod Chriſtus ſit nobis factus à Deo, ſapientia, juſticia, ſanctificatio, & redemptio.

Paulus in Epiſtola ad Romanos præcipue de hoc loco diſputat & proponit,quod gratis juſtificemur fide,credentes nobis Deum placatum propter Chriſtum. Et hanc propoſitionem capite tertio, quæ ſtatum univerſæ diſputationis continet,tradit. Arbitramur hominem fide juſtificari,non ex operibus legis.Hic adverſarij interpretantur ceremonias Leviticas, At Paulus non tantum de ceremonijs loquitur,ſed de tota lege. Allegat enim infra ex Decalogo non concupiſces.Etſi opera moralia mererentur remiſſionem peccatorum,& juſtificationem,

etiam

etiam nihil opus eſſet Chriſto & promiſſione, & ruerent omnia illa, quæ Paulus de promiſſione loquitur. Male etiam ſcriberet ad Epheſios, gratis nos ſalvatos eſſe, & donum Dei eſſe, non ex operibus. Item Paulus allegat Abraham, allegat Davidem, at hi de circumciſione habuerunt mandatum Dei. Itaq; ſi ulla opera juſtificabant, neceſſe erat illa opera tunc cum mandatum haberent, etiam juſtificaſſe. Sed recte docet Auguſtinus Paulum de tota lege loqui, ſicut prolixe diſputat de ſpiritu & litera, ubi poſtremo ait. His igitur conſideratis pertractatisq; pro viribus, quas Dominus donare dignatur, colligimus non juſtificari hominem præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Ieſu Chriſti.

Et ne putemus temere excidiſſe Paulo ſententiam, quod fides juſtificet, longa diſputatione munit & confirmat eam in quarto capite ad Romanos. Et deinde in omnibus Epiſtolis repetit.

Rom 4. Sic ait Capite quarto ad Rom. Operanti merces non imputatur ſecundum Gratiam, ſed ſecundum debitum, Ei autem qui non operatur, credit autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſticiam. Hic clare dicit fidem ipſam imputari ad juſticiam. Fides igitur eſt illa res, quam Deus pronunciat eſſe juſticiam, & addit, gratis imputari, Et negat poſſe gratis imputari, ſi propter opera deberetur. Quare excludit etiam meritum operum moralium. Nam ſi his deberetur juſtificatio coram Deo, non imputaretur fides ad juſticiam ſine operibus.

Et poſtea. Dicimus enim quod Abrahæ imputata eſt fides ad juſticiam.

Rom 5. Capite 5. ait. Iuſtificati ex fide, pacem habemus erga Deum, id eſt, habemus conſcientias tranquillas & lætas coram Deo.

Rom. 4. Rom. 4. Corde creditur ad juſticiam. Hic pronunciat fidem eſſe juſticiam cordis.

Gal. 2. Ad Galatas 2. Nos in Chriſto Ieſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.

Epheſ 2. Ad Epheſ. 2. Gratia enim ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.

Iohan. 1. Iohannis primo. Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

Iohan. 3. Iohannis 3. Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat.

Item, Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non judicatur.

Actor. 13. Actuum 13. Notum igitur ſit vobis viri fratres, quod per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege juſtificari, in hoc omnis qui credit juſtificatur. Quomodo potuit clarius de officio Chriſti, & de juſtificatione dici? Lex inquit non juſtificabat, Ideo Chriſtus datus eſt, ut credamus nos propter ipſum juſtificari. Aperte detrahit legi juſtificationem, Ergo propter Chriſtum juſti reputamur, cum credimus nobis Deum placatum eſſe propter ipſum.

Act. 4. Actuum 4. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, Et non eſt in aliquo alio ſalus. Neq; enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Nomen autem Chriſti tantum fide apprehenditur. Igitur fiducia nominis Chriſti, non fiducia noſtrorum operum ſalvamur. Nomen enim hic ſignificat cauſam, quæ allegatur propter quam contingit ſalus. Et allegare nomen Chriſti eſt confidere nomine Chriſti, tanquam cauſa, ſeu precio propter quod ſalvamur.

Act. 15. Actuum 15. Fide purificans corda eorum. Quare fides illa, de qua loquuntur Apoſtoli, non eſt ocioſa notitia, ſed res accipiens Spiritum ſanctum, & juſtificans nos.

Digitized by Google

Abacuc ſecundo. Iuſtus ex Fide vivet. Hic primum dicit homines fide eſſe juſtos, qua credunt Deum propitium eſſe,& addit, quod eadem fides vivificet, quia hæc fides parit in corde pacem & gaudium, & vitam æternam. *Abac. 2.*

Eſaiæ 53. Noticia ejus juſtificabit multos. Quid eſt autem noticia Chriſti, niſi noſſe beneficia Chriſti, promiſſiones, quas per Evangelium ſparſit in mundum? Et hæc beneficia noſſe, proprie & vere eſt credere in Chriſtum, credere quod quæ promiſit Deus propter Chriſtum, certo præſtet. *Eſai. 53.*

Sed plena eſt ſcriptura talibus teſtimonijs, quia alibi legem, alibi promiſſiones de Chriſto,& de remiſſione peccatorum,& de gratuita acceptatione propter Chriſtum tradit. Extant & apud S. Patres ſparſim ſimilia teſtimonia. Ambroſius enim inquit in Epiſtola ad Ireneum quendam, Subditus autem mundus eo per legem factus eſt, quia ex præſcripto legis omnes conveniuntur,& ex operibus legis nemo juſtificatur, id eſt, quia per legem peccatum cognoſcitur, ſed culpa non relaxatur. Videbatur Lex nocuiſſe, quæ omnes fecerat peccatores, ſed veniens Dominus Ieſus peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit,& chirographum noſtrum ſui ſanguinis effuſione delevit. Hoc eſt, quod ait, Abundavit peccatum per legem, Superabundavit autem gratia per Ieſum. Quia poſtquam totus mundus ſubditus factus eſt, totius mundi peccatum abſtulit, ſicut teſtificatus eſt Iohannes dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis ſuis juſtificatur. Sed qui juſtus eſt, donatum habet, quia poſt lavacrum juſtificatus eſt. Fides ergo eſt, quæ liberat per ſanguinem Chriſti, Quia beatus ille, cui peccatum remittitur,& venia donatur. Hæc ſunt Ambroſij verba, quæ aperte patrocinantur noſtræ ſententiæ, detrahit operibus juſtificationem, & tribuit fidei, quod liberet per ſanguinem Chriſti. Conferantur in unum acervum Sententiarij omnes, qui magnificis titulis ornantur. Nam alij vocantur angelici, alij ſubtiles, alij irrefragabiles, Omnes iſti lecti & relecti non tantum conferent ad intelligendum Paulum, quantum confert hæc una Ambroſij ſententia. *Rom. 3.* *Iohan. 1.*

In eandem ſententiam multa contra Pelagianos ſcribit Auguſtinus, De ſpiritu & litera ſic ait, Ideo quippe proponitur juſticia legis, quod qui fecerit eam, vivet in illa, ut cum quiſq; infirmitatem ſuam cognoverit, non per ſuas vires, neq; per literam ipſius legis, quod fieri non poteſt, Sed per fidem concilians juſtificatorem, perveniat, & faciat,& vivat in ea. Opus rectum, quod qui fecerit, vivet in eo, non fit, niſi in juſtificato, Iuſtificatio autem ex fide impetratur. Hic clare dicit juſtificatorem fide conciliari,& juſtificationem fide impetrari. Et paulo poſt, Ex lege timemus Deum, ex fide ſperamus in Deum, ſed timentibus pœnam abſconditur gratia, ſub quo timore anima laborans &c. per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet. Hic docet lege terreri corda, fide autem conſolationem capere, & docet prius fide apprehendere miſericordiam, quam legem facere conemur. Recitabimus paulo poſt & alia quædam.

Profecto mirum eſt adverſarios tot locis ſcripturæ nihil moveri, quæ aperte tribuunt juſtificationem fidei,& quidem detrahunt operibus. Num fruſtra exiſtimant toties idem repeti? Num arbitrantur excidiſſe Spiritui ſancto non animadvertenti has voces? Sed excogitaverunt etiam cavillum, quo eludunt, Dicunt de fide formata accipi debere, hoc eſt, non tribuunt fidei juſtificationem, niſi propter dilectionem, Imo prorſus non tribuunt fidei juſtificationem, ſed tantum dilectioni, quia ſomniant fidem poſſe ſtare cum peccato mortali. Quorſum hoc pertinet, niſi ut promiſſionem iterum aboleant, & redeant ad legem. Si fides accipit remiſſionem peccatorum, propter dilectionem, ſemper erit incerta remiſſio peccatorum, Quia nunquam diligimus tantum, quantum debemus, imo non diligimus, niſi certo ſtatuant corda, quod donata ſit nobis remiſſio peccatorum. Ita adverſarij dum requirunt fiduciam propriæ dilectionis in remiſſione peccatorum & juſtificatione, Evangelium de gratuita remiſſione peccatorum prorſus abolent,

abolent, cum tamen dilectionem illam neq; præſtent, neq; intelligant, niſi credant gratis accipi remiſſionem peccatorum.

Gal. 6. Nos quoq; dicimus, quod dilectio fidem ſequi debeat, ſicut & Paulus ait, in Chriſto Ieſu neq; circumciſio aliquid valet, neq; præputium, ſed fides per dilectionem efficax. Neq; tamen ideo ſentiendum eſt, quod fiducia hujus dilectionis, aut propter hanc dilectionem accipiamus remiſſionem peccatorum & reconciliationem, ſicut neq; accipimus remiſſionem peccatorum propter alia opera ſequentia, Sed ſola fide & quidem fide proprie dicta accipitur remiſſio peccatorum, quia promiſſio non poteſt accipi niſi fide. Eſt autem fides proprie dicta quæ aſſentitur promiſſioni, de hac fide loquitur ſcriptura, Et quia accipit remiſſionem peccatorum, & reconciliat nos Deo, prius hac fide juſti reputamur propter Chriſtum, quàm diligimus, ac legem facimus, etſi neceſſario ſequitur dilectio. Neque vero hæc fides eſt ocioſa noticia, nec poteſt ſtare cum peccato mortali, ſed eſt opus Spiritus ſancti, quo liberamur à morte, quo eriguntur & vivificantur perterrefactæ mentes. Et quia ſola hæc fides accipit remiſſionem peccatorum, & reddit nos acceptos Deo, & reddit conſcientias pacatas ac tranquillas, rectius vocari gratia gratum faciens poterat, quam effectus ſequens, videlicet dilectio.

Hactenus ſatis copioſe oſtendimus & teſtimonijs ſcripturæ & argumentis ex ſcriptura ſumptis, ut res magis fieret perſpicua, quod ſola fide conſequimur remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, & quod ſola fide juſtificemur, hoc eſt, ex injuſtis juſti efficiamur, ſeu regeneremur. Facile autem judicari poteſt, quam neceſſaria ſit hujus fidei cognitio, quia in hac una conſpicitur Chriſti officium, hac una accipimus Chriſti beneficia, hæc una affert certam & firmam conſolationem pijs mentibus. Et oportet in Eccleſia extare doctrinam, ex qua concipiant pij certam ſpem ſalutis. Nam adverſarij infeliciter conſulunt hominibus, dum jubent dubitare, Vtrum conſequantur remiſſionem peccatorum. Quomodo in morte ſuſtentabunt ſe iſti, qui de hac fide nihil audiverunt, qui putant dubitandum eſſe, Vtrum conſequantur remiſſionem peccatorum. Præterea neceſſe eſt retineri in Eccleſia Chriſti Evangelium, hoc eſt, promiſſionem, quod gratis propter Chriſtum remittuntur peccata, Id Evangelium penitus abolent, qui de hac fide, de qua loquimur, nihil docent. At Scholaſtici ne verbum quidem de hac fide tradunt. Hos ſequuntur adverſarij noſtri, & improbant hanc fidem, Nec vident ſe totam promiſſionem gratuitæ remiſſionis peccatorum, & juſticiæ Chriſti abolere improbata hac fide.

DE DILECTIONE ET IMpletione Legis.

Matth. 19. Rom. 2. Rom. 3. Rom. 3. Matth. 19. 1. Cor. 13. HIc objiciunt adverſarij: Si vis in vitam ingredi, ſerva mandata. Item, factores legis juſtificabuntur, & alia multa ſimilia de lege, & operibus. Ad quæ priusquam reſpondemus dicendum eſt, quid nos de dilectione, & impletione legis ſentiamus. Scriptum eſt apud Prophetam: Dabo legem meam in corda eorum. Et Rom. 3. ait Paulus, legem ſtabiliri non aboleri per fidem. Et Chriſtus ait: Si vis ingredi in vitam, ſerva mandata. Item, Si dilectionem non habeam, nihil ſum. Hæ ſententiæ & ſimiles teſtantur, quod oporteat legem in nobis inchoari, & magis magisque fieri. Loquimur autem non de Ceremonijs, ſed de illa lege, quæ præcipit de motibus cordis, videlicet de Decalogo. Quia vero fides affert Spiritum ſanctum, & parit novam vitam in cordibus, neceſſe eſt, quod pariat ſpirituales motus in cordibus. Et qui ſint illi motus oſtendit Prophera cum ait: Dabo legem meam in corda eorum. Poſtquam igitur fide juſtificati & renati ſumus, incipimus Deum timere, diligere, petere, & expectare ab eo auxilium, gratias agere & prædicare, & obedire ei in afflictionibus, incipimus & diligere proximos, quia corda habent ſpirituales & ſanctos motus.

Hæc

Hæc non poſſunt fieri, niſi poſtquam fide juſtificati ſumus, & renati accipimus Spiritum ſanctum. Primum quia Lex non poteſt fieri ſine Chriſto. Item lex non poteſt fieri ſine Spiritu ſancto. At Spiritus ſanctus accipitur fide, juxta illud Pauli, Galat. 3. Vt promiſſionem ſpiritus accipiamus per fidem. Item quomodo poteſt humanum cor diligere Deum, dum ſentit eum horribiliter iraſci, & opprimere nos temporalibus & perpetuis calamitatibus. Lex autem ſemper accuſat nos, ſemper oſtendit iraſci Deum. Non igitur diligitur Deus, niſi poſtquam apprehendimus fide miſericordiam. Ita demum ſit objectum amabile. *Galat. 3.*

Quanquam igitur civilia opera, hoc eſt, externa opera legis ſine Chriſto, & ſine Spiritu ſancto aliqua ex parte fieri poſſint, tamen apparet ex his, quæ diximus, illa quæ ſunt proprie legis divinæ, hoc eſt, affectus cordis erga Deum, qui præcipiuntur in prima tabula, non poſſe fieri ſine Spiritu ſancto. Sed adverſarij noſtri ſunt ſuaves Theologi, Intuentur ſecundam tabulam & politica opera, primam nihil curant, quaſi nihil pertineat ad rem, aut certe tantum externos cultus requirunt. Illam æternam legem, & longe poſitam ſupra omnium creaturarum ſenſum atq; intellectum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, prorſus non conſiderant.

At Chriſtus ad hoc datus eſt, ut propter eum donentur nobis remiſſio peccatorum, & Spiritus ſanctus, qui novam & æternam vitam ac æternam juſticiam in nobis pariat. Primum oſtendat Chriſtum, ſicut Iohan. 16. ſcriptum eſt. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis. Deinde & alia dona afferat, dilectionem, invocationem, gratiarum actionem, caſtitatem, patientiam &c. Quare non poteſt Lex vere fieri, niſi accepto Spiritu ſancto per fidem. Ideo Paulus dicit legem ſtabiliri per fidem, non aboleri, quia Lex ita demum fieri poteſt, cum contigit Spiritus ſanctus. Et Paulus docet. 2. Corinth. 3. velamen, quo facies Moiſi tecta eſt, non poſſe tolli, niſi fide in Chriſtum, qua accipitur Spiritus ſanctus. Sic enim ait, Sed uſque in hodiernum diem cum legitur Moiſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cum autem converſi fuerint ad Deum auferetur velamen. Dominus autem Spiritus eſt, Vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Velamen intelligit Paulus, humanam opinionem de tota lege, Decalogo & ceremonijs, videlicet, quo hypocritæ putant externa & civilia opera ſatisfacere legi Dei, & ſacrificia & cultus ex opere operato juſtificare coram Deo. Tunc autem detrahitur nobis hoc velamen, hoc eſt eximitur hic error, quando Deus oſtendit cordibus noſtris immundiciem noſtram, & magnitudinem peccati. Ibi primum videmus nos longe abeſſe ab impletione legis, Ibi agnoſcimus quomodo caro ſecura atq; ocioſa non timeat Deum, nec vere ſtatuat reſpici nos à Deo, ſed caſu naſci, & occidere homines. Ibi experimur nos non credere, quod Deus ignoſcat, & exaudiat. Cum autem audito Evangelio & remiſſione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum ſanctum, ut jam recte de Deo ſentire poſſimus, & rimere Deum, & credere ei &c. Ex his apparet non poſſe legem ſine Chriſto, & ſine Spiritu ſancto fieri. *Iohan. 16.* *Rom. 3.* *1. Cor. 3.*

Profitemur igitur quod neceſſe ſit inchoari in nobis, & ſubinde magis magisq; fieri legem, Et complectimur ſimul utrumq;, videlicet, ſpirituales motus & externa bona opera. Falſo igitur calumniantur nos adverſarij, quod noſtri non doceant bona opera, cum ea non ſolum requirant, ſed etiam oſtendant, quomodo fieri poſſint. Eventus coarguit hypocritas, qui ſuis viribus conantur legem facere, quod non poſſint præſtare, quæ conantur. Longe enim imbecillior eſt humana natura, quam ut ſuis viribus reſiſtere Diabolo poſſit, qui habet captivos omnes, qui non ſunt liberati per fidem. Potentia Chriſti opus eſt adverſus Diabolum, videlicet, ut quia ſcimus nos propter Chriſtum exaudiri, & habere promiſſionem, petamus, ut gubernet & propugnet nos Spiritus ſanctus, ne decepti erremus, ne impulſi contra voluntatem Dei aliquid ſuſcipiamus ſicut Pſalmus docet. Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Chriſtus enim *Pſal. 68.*

vicit

vicit Diabolum, & dedit nobis promiſſionem, & Spiritum ſanctum, ut auxilio
1. Ioh. 3. divino vincamus & ipſi. Et 1. Iohan. 3. Ad hoc apparuit filius Dei, ut ſolvat opera Diaboli. Deinde non hoc tantum docemus, quomodo fieri Lex poſſit, ſed etiam quomodo Deo placeat, ſi quid fit, videlicet non quia legi ſatisfaciamus, ſed quia ſumus in Chriſto. Sicut paulo poſt dicemus.

Conſtat igitur noſtros requirere bona opera, Imo addimus & hoc, quod impoſſibile ſit dilectionem Dei, etſi exigua eſt, divellere à fide, quia per Chriſtum acceditur ad Patrem, & accepta remiſſione peccatorum vere jam ſtatuimus nos habere Deum, hoc eſt, nos Deo curæ eſſe, invocamus, agimus gratias, time-
1. Ioh. 4. mus, diligimus, ſicut Iohannes docet in prima Epiſtola. Nos diligimus eum, inquit, quia prior dilexit nos, videlicet quia dedit pro nobis Filium, & remiſit nobis peccata. Ita ſignificat præcedere fidem, ſequi dilectionem. Item fides illa, de qua loquimur, exiſtit in pœnitentia, hoc eſt, concipitur in terroribus conſcientiæ, quæ ſentit iram Dei adverſus noſtra peccata, & quærit remiſſionem peccatorum & liberari à peccato. Et in talibus terroribus & alijs afflictionibus debet hæc fides creſcere & confirmari. Quare non poteſt exiſtere in his, qui ſecundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditatibus ſuis, & obtemperant eis. Ideo
Rom. 8. Paulus ait, Nulla nunc damnatio eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum. Item, Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini, Sin autem ſpiritu actiones corporis mortificabitis, vivetis. Quare fides illa, quæ accipit remiſſionem peccatorum in corde perterrefacto, & fugiente peccatum, non manet in his, qui obtemperant cupiditatibus, nec exiſtit cum mortali peccato.

Ex his effectibus fidei excerpunt adverſarij unum, videlicet dilectionem, & docent, quod dilectio juſtificet. Ita manifeſte apparet eos tantum docere legem. Non prius docent accipere remiſſionem peccatorum per fidem, Non docent de mediatore Chriſto, quod propter Chriſtum habemus Deum propitium, ſed propter noſtram dilectionem. Et tamen qualis ſit illa dilectio, non dicunt, neq; dicere poſſunt. Prædicant ſe legem implere, cum hæc gloria proprie debeatur Chriſto, & fiduciam propriorum operum opponunt judicio Dei, dicunt enim ſe de condigno mereri gratiam & vitam æternam. Hæc eſt ſimpliciter impia & vana fiducia. Nam in hac vita non poſſumus legi ſatisfacere, quia natura carnalis non deſinit malos affectus parere, etſi his reſiſtit ſpiritus in nobis.

Sed quærat aliquis. Cum & nos fateamur dilectionem eſſe opus Spiritus ſancti, cumq; ſit juſticia, quia eſt impletio legis, cur non doceamus, quod juſtificet? Ad hoc reſpondendum eſt. Primum hoc certum eſt, quod non accipimus remiſſionem peccatorum, neque per dilectionem, neq; propter dilectionem noſtram, ſed propter Chriſtum ſola fide. Sola fides, quæ intuetur in promiſſionem, & ſentit ideo certo ſtatuendum eſſe, quod Deus ignoſcat, quia Chriſtus non ſit fruſtra mortuus &c. vincit terrores peccati & mortis. Si quis dubitat, Vtrum remittantur ſibi peccata, contumelia afficit Chriſtum, cum peccatum ſuum judicat majus aut efficacius eſſe, quam mortem & promiſſionem Chriſti, Cum Paulus dicat gratiam exuberare ſupra peccatum, hoc eſt, miſericordiam ampliorem eſſe quam peccatum. Si quis ſentit ſe ideo conſequi remiſſionem peccatorum, quia diligit, afficit contumelia Chriſtum, & comperiet in judicio Dei hanc fiduciam propriæ juſticiæ impiam & inanem eſſe. Ergo neceſſe eſt quod fides reconciliet, & ex injuſto juſtum efficiat. Et ſicut non accipimus remiſſionem peccatorum per alias virtutes legis, ſeu propter eas, videlicet propter patientiam, caſtitatem, obedientiam erga Magiſtratus &c. Et tamen has virtutes ſequi oportet. Ita neq; propter dilectionẽ Dei accipimus remiſſionẽ peccatorum, etſi ſequi eam neceſſe eſt.

Cæterum nota eſt conſuetudo ſermonis, quod interdum eodem verbo
Luc. 7. cauſã & effectus complectimur κατὰ συνεκδοχήν. Ita Luc. 7. ait Chriſtus, Remittuntur

tur ei peccata multa, quia dilexit multum. Interpretatur enim ſeipſum Chriſtus, cum addit, Fides tua ſalvam te fecit. Non igitur voluit Chriſtus, quod mulier illo opere dilectionis merita eſſet remiſſionem peccatorum. Ideo enim clare dicit, Fides tua ſalvam te fecit. At fides eſt, quæ apprehendit miſericordiam propter verbum Dei gratis. Si quis hoc negat fidem eſſe, prorſus non intelligit quid ſit fides. Et ipſa hiſtoria hoc loco oſtendit, quid vocet dilectionem. Mulier venit hanc afferens de Chriſto opinionem, quod apud ipſum quærenda eſſet remiſſio peccatorum. Hic cultus eſt ſummus cultus Chriſti, Nihil potuit majus tribuere Chriſto. Hoc erat vere Meſſiam agnoſcere, quærere apud eum remiſſionem peccatorum. Porro ſic de Chriſto ſentire, ſic colere, ſic complecti Chriſtum, eſt vere credere. Chriſtus autem uſus eſt verbo dilectionis, non apud mulierem ſed adverſus Phariſæum, quia totum cultum Phariſæi tum toto cultu mulieris comparabat. Objurgat Phariſæum, quod non agnoſceret ipſum eſſe Meſſiam, etſi hæc externa officia ipſi præſtaret, ut hoſpiti, viro magno & ſancto, oſtendit mulierculam, & prædicat hujus cultum, unguenta, lachrymas &c. Quæ omnia erant ſigna fidei, & confeſſio quædam, quod videlicet apud Chriſtum quæreret remiſſionem peccatorum.

Magnum profecto exemplum eſt, quod non ſine cauſa commovit Chriſtum ut objurgaret Phariſæum virum ſapientem, & honeſtum, ſed non credentem. Hanc ei impietatem exprobrat, & admonet eum exemplo mulierculæ, ſignificans turpe ei eſſe, quod cum indocta muliercula credat Deo, ipſe Legis Doctor non credat, non agnoſcat Meſſiam, non quærat apud eum remiſſionem peccatorum & ſalutem. Sic igitur totum cultum laudat, ut ſæpe fit in ſcripturis, ut uno verbo multa complectamur, ut infra latius dicemus in ſimilibus locis, ut Date eleemoſynam & omnia erunt munda. Non tantum eleemoſynas requirit, ſed etiam juſticiam fidei. Ita hic ait, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, id eſt, quia me vere coluit fide & exercitiis & ſignis fidei, Totum cultum comprehendit. Interim tamen hoc docet, quod proprie accipiatur fide remiſſio peccatorum, etſi dilectio, confeſſio & alii boni fructus ſequi debeant.

Quare non hoc vult, quod fructus illi ſint precium, ſint propitiatio propter quam detur remiſſio peccatorum, quæ reconciliet nos Deo. De magna re diſputamus, de honore Chriſti, & unde petant bonæ mentes certam & firmam conſolationem, Vtrum fiducia collocanda ſit in Chriſtum, an in opera noſtra. Quod ſi in opera noſtra collocanda erit, detrahitur Chriſto honos Mediatoris & propiciatoris, Et tamen comperiemus in judicio Dei hanc fiduciam vanam eſſe, & conſcientias inde ruere in deſperationem. Quod ſi remiſſio peccatorum & reconciliatio non contingit gratis propter Chriſtum, ſed propter noſtram dilectionem, nemo habiturus eſt remiſſionem peccatorum, niſi ubi totam Legem fecerit, quia Lex non juſtificat, donec nos accuſare poteſt. Patet igitur, cum juſtificatio ſit reconciliatio propter Chriſtum, quod fide juſtificemur, quia certiſſimum eſt ſola fide accipi remiſſionem peccatorum.

Nunc igitur reſpondeamus ad quæſtionem ſupra propoſitam, Quare dilectio non juſtificet. Recte cogitant adverſarii dilectionem eſſe legis impletionem. Et obedientia erga Legem, eſſet juſticia, ſi legem faceremus. Hactenus autem oſtendimus quod ideo datæ ſint promiſſiones, quia legem non poſſimus facere, Eamq; ob cauſam negat Paulus nos ex lege juſtificari. Adverſarij falluntur, quia in hac tota controverſia, nihil niſi legem intuentur. Neq; enim poteſt aliter judicare ratio humana, quam ex lege quærendam eſſe juſticiam, quia obedientia erga legem ſit juſticia. Sed Evangelium revocat nos à lege ad promiſſiones, & docet, quod juſti reputemur, non propter obedientiam erga legem, Non enim ſatisfacimus legi, Sed propterea quia donatur nobis reconciliatio propter Chriſtum, & hanc tantum fide accipimus. Priuſquam igitur legem facimus, oportet accipere fide remiſſionem peccatorum & reconciliationem. Bone Deus quo

us quo ore audent nominare Christum, quo vultu audent aspicere ipsos Evangelij libros isti, qui negant nos sola fide propter Christum consequi remissionem peccatorum?

Secundo, hæc ipsa legis impletio, quæ sequitur renovationem, est exigua & immunda. Quanquam enim renovatio inchoata est, tamen hærent adhuc in natura reliquiæ peccati, quæ semper accusant nos, nisi fide in Christum apprehendamus remissionem peccatorum, & sciamus nos habere accessum ad Deum, non propter nostram impletionem legis, sed propter Christum. Ideo illa legis impletio non est accepta propter seipsam, sed propter fidem.

Quare cum Paulus ait, legem stabiliri per fidem, non solum hoc intelligi oportet, quod fide renati concipiant Spiritum sanctum, & habeant motus consentientes legi Dei, Sed multo maxime refert & hoc addere, quod oportet nos sentire, quod procul à perfectione legis absimus. Quare non possumus statuere quod coram Deo justi reputemur propter nostram impletionem legis, Sed sentiendum est, quod justi seu accepti reputemur propter Christum, non propter legem aut opera nostra, & quod hæc inchoata legis impletio placeat Deo, quia sumus in Christo. Item quod propter fidem in Christum non imputetur nobis
Galat. 3. hoc, quod deest impletioni legis. Hoc docet Paulus ad Galat. 3. cum ait, Christus redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictum, hoc est, Lex damnat omnes homines. Sed Christus quia sine peccato subijt pœnam peccati, & victima pro nobis factus est, sustulit illud jus legis, ne accuset, ne damnet hos, qui credunt in ipsum, quia ipse est propitiatio pro eis, propter quam nunc justi
Col. 2. reputantur. In eandem sententiam scribit ad Colossenses. In Christo consummati estis, Q. d. Etsi adhuc procul abestis à perfectione legis, tamen non damnāt vos reliquiæ peccati. Quia propter Christum habetis reconciliationem certam & firmam, Si creditis, etiamsi hæret peccatum in carne vestra. Longe enim supra nostram mundiciem, imo longe supra ipsam legem collocari debent mors & satisfactio Christi nobis donata, ut statuamus nos propter illam satisfactionem habere propitium Deum, non propter nostram impletionem legis. Impia fiducia est, quæ collocatur in nostram impletionem legis. Illa vero fiducia necessaria est, quæ collocatur in satisfactionem Christi.

Tertio, Sola illa res justificat coram Deo, quæ reddit pacatas conscientias. Donec enim conscientia fugit judicium Dei, & iratscitur Deo, non sumus justi, & vivificati.

Porro sola fides reddit pacatas conscientias, juxta illud: Iustificati ex fide
Rom. 5. Abac. 2. Rom. 1. pacem habemus. Item, Iustus ex fide vivet, id est, fide vincit terrores mortis, fide erigitur & concipit gaudium & vitam. Idq; affert fides, non quia per se sit opus dignum, sed tantum quia accipit oblatam promissionem, nihil respiciens propriam dignitatem.

Sola igitur fides justificat, & bona opera propter fidem placent. Quid contra hanc rationem adversarij possunt afferre? Quid possunt contra manifestam veritatem excogitare? Nam minor est certissima, quod opera nostra non possint conscientiam reddere pacatam, quando Deus judicat & arguit nos, & ostendit nobis immundiciem nostram. Idque Scriptura sæpe inculcat, In Psalmo,
Psal. 142. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hic simpliciter detrahit omnibus & quidem Sanctis ac servis Dei, gloriam justiciæ, si non ignoscat Deus, sed judicet & arguat corda eorum. Nam quod alibi gloriatur de sua justicia, loquitur de causa sua adversus persecutores verbi Dei, non loquitur de personali mundicie, & rogat causam & gloriam Dei
Psal. 7. defendi, Vt Psal. 7. Iudica me Domine secundum justiciam meam &c. Et alibi.
Psal. 129. Iudica Domine causam meam. Rursus Psalmo 129. docet neminem posse sustinere judicium Dei, si observet peccata nostra. Si iniquitates observaveris

Digitized by Google

Domine, Domine quis ſuſtinebit? Et Iob. 9. Verebar omnia opera mea. Item, Si lotus fuero quaſi aquis nivis,& fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me. Et Proverb. 20. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum? Et 1. Iohan. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et in oratione dominica Sancti petunt remiſſionem peccatorum. *Iob. 9.* *Prov. 20.* *1. Ioh. 1.*

Habent igitur & ſancti peccata. In Numeris, Et innocens non erit innocens. Et Zacharias ait, Sileat à facie Domini omnis caro. Et Eſaias, Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflavit in eo, Id eſt, caro, & juſticia carnis non poteſt ſuſtinere judicium Dei. Et Ionas inquit Cap. 2. Fruſtra obſervant vana, qui miſericordiam relinquunt, id eſt, Omnis fiducia eſt inanis, præter fiduciam miſericordiæ. Miſericordia ſervat nos, propria merita, proprij conatus non ſervant nos. Hæ ſententiæ & ſimiles in ſcripturis teſtantur opera noſtra immunda eſſe, & indigere miſericordia. Quare non reddunt pacatas conſcientias opera, ſed miſericordia apprehenſa per fidem. *Num. 14.* *Zachar. 2.* *Eſa. 40.* *Ion. 2.*

Quarto. Chriſtus non deſinit mediator eſſe poſtquam renovati ſumus. Errant qui fingunt eum tantum primam gratiam meritum eſſe, nos poſtea noſtra legis impletione placere & mereri vitam æternam. Manet mediator Chriſtus, & ſemper ſtatuere debemus, quod propter ipſum habeamus placatum Deum, etiamſi nos indigni ſimus, Sicut Paulus ait: Per hunc habemus acceſſum ad Deum per fidem. Noſtra enim impletio legis, ut diximus, eſt immunda, quia natura noſtra horribiliter eſt corrupta. Ideo Pſalmus inquit, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Quare remiſſione peccatorum opus habemus, etiam cum bona opera habemus. Illa autem remiſſio ſemper apprehenditur fide, Ita Chriſtus manet Pontifex & mediator. Placet igitur illa legis impletio non propter ſe, ſed quia fide apprehendimus Chriſtum, & ſentimus, nos habere Deum placatum, non propter legem, ſed propter Chriſtum. *Rom. 5.* *Ephes. 2.* *Pſal. 32.*

Quinto. Si ſentiendum eſſet, quod poſt renovationem oporteat nos acceptos fieri, non fide propter Chriſtum, ſed propter noſtram impletionem legis, nunquam acquieſceret conſcientia, ſed ad deſperationem adigeretur. Lex enim ſemper accuſat, cum legi nunquam ſatis faciamus, Id quod tota Eccleſia confitetur. Paulus enim ait, Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo, malum. Item, Mente ſervio legi Dei, carne autem ſervio legi peccati. Quis enim ſatis diligit, aut ſatis timet Deum, quis ſatis patienter ſuſtinet afflictiones à Deo impoſitas, quis non ſæpe dubitat, Vtrum Dei conſilio regantur res humanæ, quis non ſæpe dubitat, Vtrum à Deo exaudiatur, quis non ſæpe ſtomachatur, quod impij fortuna meliore utuntur quam pij, quod pij ab impijs opprimuntur, quis non iraſcitur judicio Dei, cum videtur nos abjicere, quis ſatisfacit vocationi ſuæ, quis diligit proximum ſicut ſeipſum, quis non irritatur à concupiſcentia? De his peccatis ait Pſalmus, Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus. Hic ſanctos ait petere remiſſionem peccatorum. *Rom. 7.* *Pſal. 31.*

Plus quam cæci ſunt, qui malos affectus in carne non ſentiunt eſſe peccata, de quibus Paulus dicit: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, Spiritus adverſus carnem. Caro diffidit Deo, confidit rebus præſentibus, quærit humana auxilia in calamitate, etiam contra voluntatem Dei, fugit afflictiones, quas juxta mandatum Dei tolerare debebat, dubitat de Dei miſericordia. Cum talibus affectibus luctatur Spiritus ſanctus in cordibus, ut eos reprimat ac mortificet, & inſerat novos ac ſpirituales morus. Et Auguſtinus ait, Omnia mandata Dei implentur, quando quicquid non fit ignoſcitur. Requirit igitur fidem, etiam in bonis operibus, ut credamus nos Deo placere propter Chriſtum, nec opera ipſa per ſe digna eſſe quæ placeant. Et Hieronymus contra Pelagianos. Tunc ergo juſti ſumus, *Gala. 5.*

mus, quando nos peccatores fatemur. Et juſticia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia. Oportet igitur adeſſe fidem in illa inchoata legis impletione, quæ ſtatuat nos propter Chriſtum habere Deum placatum. Nam miſericordia non poteſt apprehendi niſi fide. Itaq; prorſus eſt doctrina deſperationis docere, quod non ſimus accepti fide propter Chriſtum, ſed propter propriam legis impletionem.

Ex his omnibus ſatis apparet, quod ſola fides juſtificat, id eſt, primum conſequitur remiſſionem peccatorum, & reconciliationem propter Chriſtum, & quod ſola fides regenerat. Nam ſola fide Spiritus ſanctus concipitur. Deinde quod illa inchoata impletio legis non placeat per ſe coram Deo. Cum autem adhuc alibi, videlicet in promiſſione Chriſti, quærenda ſit juſtificatio, Cumq; ſola fides efficiat pacatam conſcientiam, neceſſe eſt, quod ſola fides juſtificet. Semper enim ſentire debemus, quod non propter legem, ſed propter Chriſtum ſimus accepti. Non enim juſtificamur ex lege, ſed ex promiſſione. Et honos Chriſti non debet in legem transferri. Et cum initio juſti reputemur propter Chriſtum, cum in eum credimus, non eſt ſentiendum, quod abjecto illo mediatore, poſtea juſti ſimus noſtra impletione legis, etſi neceſſe eſt renatos bene operari. Et virtutes legis, quatenus obediunt legi, ſunt juſticiæ, & eatenus hæc obedientia legis, juſtificat iuſticia legis. Sed hæc imperfecta juſticia legis non eſt accepta niſi propter fidem, nec poteſt conſcientias reddere pacatas. Id tantum efficit fides, quæ ſtatuit, quod propter Chriſtum Pontificem habeamus Deum propitium. In hac promiſſione quærere debent piæ & perterrefactæ conſcientiæ reconciliationem, & juſtificationem, hac promiſſione debet ſe erigere ac ſuſtentare, ſicut docent hæc verba, Iuſtus ex fide vivet. Significant enim quod fides juſtificet, & ita juſtificet, ut ſimul vivificet, hoc eſt, erigat & conſoletur conſcientias, & vitam æternam & gaudium in animo pariat.

RESPONSIO AD ARGVMENTA *adverſariorum.*

COgnitis his fundamentis cauſæ, videlicet diſcrimine legis, ac promiſſionum, ſeu Evangelij, facile erit diluere ea, quæ adverſarij objiciunt. Citant enim dicta de lege & operibus, Dicta vero de promiſſionibus omittunt. Semel autem reſponderi poteſt ad omnes ſententias de lege, quod Lex non poſſit fieri ſine Chriſto, Et ſi qua fiunt civilia opera ſine Chriſto, non placent Deo. Quare cum prædicantur opera, neceſſe eſt addere, quod fides requiratur, quod propter fidem prædicentur, quod ſint fructus & teſtimonia fidei. Quid poteſt ſimplicius hac noſtra doctrina dici? Neceſſe eſt enim ad cognoſcenda beneficia Chriſti, diſcernere promiſſiones à Lege. Ambiguæ & periculoſæ cauſæ multas & varias ſolutiones gignunt. Verum eſt enim illud veteris Poëtæ, *ἰὸ ἄδικον λόγον νικᾶν ἐν αὐτῷ, φαρμάκων δεῖται πρῶτον.*

Sed in bonis & firmis cauſis, una atq; altera ſolutio ſumpta ex fontibus corrigit omnia, quæ videntur offendere. Id fit & in hac noſtra cauſa. Nam illa regula, quam modo recitavi, interpretatur omnia dicta, quæ de lege & operibus citantur.

Fatemur enim ſcripturam alibi Legem, alibi Evangelium ſeu gratuitam promiſſionem remiſſionis peccatorum propter Chriſtum tradere. Verum adverſarij noſtri ſimpliciter abolent promiſſionem, cum negant, quod fides juſtificet, cum docent, quod propter dilectionem & opera noſtra accipiamus remiſſionem peccatorum & reconciliationem. Si enim pendet ex conditione operum noſtrorum remiſſio peccatorum, prorſus erit incerta. Nunquam enim facimus opera ſufficientia. Erit igitur abolita promiſſio. Proinde nos revocamus pias mentes ad conſiderandas promiſſiones, & de gratuita remiſſione peccatorum & reconciliatione, quæ fit per fidem in Chriſtum, docemus. Poſtea addimus & doctrinam

legis, non quod lege mereamur remiſſionem peccatorum, aut quod propter legem juſti reputemur, non propter Chriſtum, Sed quia Deus requirit bona opera. Oportet enim prudenter ὀρθοτομεῖν legem & promiſſiones. Videndum eſt quid legi, quid promiſſionibus ſcriptura tribuat. Sic enim & laudat & præcipit bona opera, ut non tollat gratuitam promiſſionem, nec tollat Chriſtum.

Sunt enim facienda bona opera, quia Deus ea requirit, ideoq; ſunt effectus regenerationis, ſicut Paulus docet Epheſ. 2. Ipſius opus ſumus, conditi per Chriſtum Ieſum ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in eis ambularemus. Itaq; bona opera ſequi fidem debent, tanquam gratiarum actio erga Deum, Item ut in eis fides & exerceatur, & creſcat & oſtendatur alijs, ut noſtra confeſſione alij invitentur ad pietatem. Ita Paulus ait, Abraham accepiſſe circumciſionem, non quod propter illud opus reputaretur juſtus, ſed ut haberet ſignum in corpore ſcriptum, quo commoneficeret, & fidem ſubinde majorem conciperet. Item, quo confiteretur fidem coram alijs, & alios ad credendum ſuo teſtimonio invitaret. Sic Abel fide gratiorem hoſtiam obtulit. Placuit enim hoſtia non ex opere operato, Sed quia Abel fide ſtatuebat ſe Deum placatum habere propter miſericordiam, Opus vero illud faciebat, ut ſuam fidem exerceret, & alios exemplo & confeſſione ſua invitaret ad credendum.

Epheſ. 2.

Rom. 4.

Cum hoc modo bona opera ſequi fidem debeant, longe aliter utuntur operibus homines qui non poſſunt credere, ac ſtatuere in corde ſibi gratis Ignoſci propter Chriſtum. Hi cum vident opera ſanctorum, humano more judicant ſanctos operibus illis promeruiſſe remiſſionem peccatorum, & propter illa opera juſtos reputatos eſſe coram Deo. Ideo imitantur ea & ſentiunt ſe per opera ſimilia mereri remiſſionem peccatorum, conantur placare iram Dei, & confidunt ſe propter talia opera juſtos reputari. Has impias opiniones in operibus damnamus. Primo, quia obſcurant gloriam Chriſti, cum homines proponunt Deo hæc opera, tanquam precium, & propitiationem. Hic honos debitus uni Chriſto tribuitur noſtris operibus. Secundo, neq; tamen inveniunt conſcientiæ pacem in his operibus. Sed alia ſupra alia in veris terroribus cumulantes tandem deſperant, quia cũ nullum opus ſatis mundum inveniant, ſemper accuſat Lex, & parit iram. Tertio, Tales nunquam aſſequuntur noticiam Dei, cum conſcientiæ fugientes iram Dei, non poſſint pacem conſequi, nec ſtatuere unquam, quod à Deo exaudiantur. At cum acceſſit fides, quæ credit, quod gratis reputemur juſti, hæc audet invocare Deum, & ſentit ſe exaudiri, & conſequitur veram noticiam Dei.

Semper autem hæret in mundo impia opinio de operibus. Gentes habebant ſacrificia ſumpta à Patribus, Horum opera imitabantur, fidem non tenebant, ſed ſentiebant opera illa propitiationem & precium eſſe, propter quod Deus reconciliaretur ipſis. Populus in lege imitabatur hac opinione ſacrificia, quod propter illa opera haberent placatum Deum, ex opere operato ut dici ſolet. Hic videmus quam vehementer objurgent populum Prophetæ, Pſal. 49. Non in ſacrificijs arguam te. Et Ierem. Non præcepi de holocauſtis. Tales loci damnant non opera, quæ certe Deus præceperat, ut externa exercitia in hac politia, ſed damnant impiam perſuaſionem, quod ſentiebant ſe per illa opera placare iram Dei, & fidem abjiciebant. Et quia nulla opera reddunt pacatam conſcientiam, ideo ſubinde nova opera excogitantur præter mandata Dei.

Pſal. 49.
Ierem. 7.

Ac maxime movent homines exempla Sanctorum, horum imitatione ſperant ſe perinde conſecuturos eſſe reconciliationem, ut illi conſecuti ſunt. Populus Iſrael viderat Prophetas in excelſis ſacrificaſſe, Hoc opus mirabili ſtudio cœpit imitari populus, ut per id opus placaret iram Dei. At Prophetæ ſacrificaverant in excelſis, non ut per illa opera mererentur remiſſionem peccatorum, ſed quia in illis locis docebãt, ideo ibi teſtimonium fidei ſuæ proponebant. Populus audierat Abraham immolaſſe filium ſuum. Quare & ipſi, ut aſperrimo ac difficilimo

cilimo opere placarent iram Dei, mactaverunt filios. At Abraham non hac opinione immolabat filium, ut id opus esset precium & propiciatio propter quam justus reputaretur. Sic in Ecclesia instituta est cœna Domini, ut recordatione promissionum Christi, quarum in hoc signo admonemur, confirmetur in nobis fides, & foris confiteamur fidem nostram & prædicemus beneficia Christi, sicut
Cor. 11. Paulus ait, Quoties feceritis, mortem Domini annunciabitis &c. Verum adversarij nostri contendunt Missam esse opus, quod ex opere operato justificet, & tollat reatum culpæ & pœnæ in his, pro quibus fit.

Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij sancti Patres elegerunt certum vitæ genus vel propter studium, vel propter alia utilia exercitia, Interim sentiebant se fide propter Christum justos reputari, & habere Deum propitium propter Christum, non propter illa exercitia. Sed multitudo deinceps imitata est, non fidem Patrum, sed exempla sine fide, ut per illa opera mererentur remissionem peccatorum, ut propter illa opera reputarentur justi coram Deo. Ita errat humanus animus de operibus, quia fidei justiciam non intelligit. Et hunc errorem reprehendit Evangelium, quod docet homines justos reputari, non propter legem, sed propter solum Christum, Christus autem sola fide apprehenditur. Quare sola fide propter Christum justi reputamur.

Sed objiciunt adversarij locum ex Corinthijs, Si omnem fidem habeam
1. Cor. 13. &c. Dilectionem autem non habeam, nihil sum, Et magnifice trimphant. Totam Ecclesiam, ajunt, certificat Paulus, quod non justificet sola fides, Facile est autem respondere, Postquam supra ostendimus quid de dilectione & operibus sentiamus. Hic locus Pauli requirit dilectionem, hanc & nos requirimus. Diximus enim supra, oportere in nobis exsistere renovationem & inchoatam legis impletionem. Quare si quis dilectionem abjecerit, etiamsi habet magnam fidem, tamen non retinet eam. Non enim retinet Spiritum sanctum, Neque vero sequitur, quod ideo dilectio justificet, hoc est, quod propter dilectionem accipiamus remissionem peccatorum, quod dilectio vincat terrores mortis & peccati, quod dilectio debeat opponi iræ, ac judicio Dei, quod dilectio legi satisfaciat, quodque renati propter legis impletionem accepti Deo simus, non propter Christum gratis. Hæc non dicit Paulus, quæ tamen affingunt adversarii nostri. Iam si nostra dilectione vincimus iram Dei, si nostra dilectione coram Deo meremur remissionem peccatorum, si nostra impletione legis sumus accepti, tollant adversarij promissionem Christi, aboleant Evangelium, quod docet nos accessum habere ad Deum per propitiatorem Christum, quod docet nos non propter nostram legis impletionem, sed propter Christum acceptos esse.

Adversarij corrumpunt pleraq; loca, quia suas opiniones ad ea afferunt, nec sumunt ex ipsis scripturis sententiam. Quid enim habet hic locus incommodi, si detraxerimus interpretationem, quam adversarij de suo assuunt, non intelligentes, quid sit justificatio, aut quomodo fiat. Corinthij antea justificati multa acceperant excellentia dona, Et fervebant initia, ut fit, deinde cœperunt inter eos exsistere simultates, ut significat Paulus, Cœperunt fastidire bonos doctores. Ideo objurgat eos Paulus revocans ad officia dilectionis, Nec disputat hic de remissione peccatorum, de modo justificationis, sed de fructibus loquitur, Et dilectionem intelligit erga proximum. Stultum est autem somniare, quod dilectio, qua agimus cum hominibus, justificet coram Deo, cum in justificatione agendum sit cum Deo, placanda ira ejus, & conscientia erga Deum pacificanda. Horum nihil fit per illam dilectionem, Sed tantum ita, si apprehendatur misericordia, Idque fit per fidem. Illud autem verum est, amissa dilectione, amittit Spiritum sanctum, quo amisso & fides excutitur. Ideo ait, Si dilectionem non habeam, nihil sum, non addit affirmativam, quod dilectio justificet.

Sed disputant præferri dilectionem fidei & spei. Paulus enim inquit, Major horum dilectio, consentaneum est autem maximam & præcipuam virtutem

justificare. Quanquam hoc loco Paulus propriè loquitur de dilectione proximi, 1. Cor. 13.
& significat dilectionem maximam esse, qua plurimos fructus habet, Fides & Spes tantum agunt cum Deo. At dilectio foris erga homines infinita habet officia, tamen largiamur sane adversarijs dilectionem Dei & proximi maximam virtutem esse, Quia hoc summum præceptum est, Diliges Dominum Deum tuum &c. Verum, quomodo inde ratiocinabuntur, quod dilectio justificet, quia inquiunt, maxima virtus justificat. Imo sicut Lex maxima seu prima, minime justificat, ita nec maxima virtus legis. Nulla enim Lex est, quæ magis accuset nos, quæ magis faciat, ut conscientia nostra iraſcatur judicio Dei, quam hæc summa Lex, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Quis enim Sanctorum præter Christum gloriari ausit se huic legi satisfeciſſe? Non igitur justificat virtus legis, Sed illa virtus justificat, quæ accipit reconciliationem donatam propter Christum. Hæc virtus fides est, nec justificat propter suam dignitatem, sed tantum, quia accipit misericordiam, qua propter Christum justi reputamur. Sumus enim justi, hoc est, accepti coram Deo, non propter nostram perfectionem, sed per misericordiam propter Christum, Si tamen hanc apprehendimus & opponimus iræ Dei.

Sed adversarij ideo tribuunt dilectioni justiciam, Quia legem docent, & cogitant justiciam esse obedientiam erga legem. Nam humana ratio tantum intuetur in legem, nec intelligit aliam justiciam nisi legis obedientiam. Et scholastici, homines ingeniosi, quærentes Methodum, proposuerunt sibi legem, Perinde atq; Philosophi in Ethicis proponunt sibi præcepta de moribus. Sed Paulus reclamat, & docet aliud quiddam esse justiciam, scilicet obedientiam erga promissionem reconciliationis donatæ propter Christum, hoc est, accipere misericordiam donatam propter Christum. Sic enim sumus accepti Deo, sic fiunt pacatæ conscientiæ, quando sentimus Deum nobis propter Christum propitium esse. Quare piæ mentes à lege ad promissionem revocandæ sunt, ut sæpe jam diximus, & paulo post latius exponemus, cum agitabimus argumenta Scholastica de vocabulo Iusticiæ.

Adversarij in confutatione & hunc locum contra nos citaverunt, ex Co- Coloſſ. 3.
loss. Charitas est vinculum perfectionis, Hinc ratiocinantur quod dilectio justificet, quia perfectos efficit. Quanquam hic multis modis de perfectione responderi posset, tamen nos simpliciter sententiam Pauli recitabimus. Certum est Paulum de dilectione proximi loqui. Neq; vero existimandum est, quod Paulus aut justificationem aut perfectionem coram Deo tribuerit operibus secundæ tabulæ potius, quam primæ. Præterea si dilectio est perfecta legis impletio & legi satisfaciat, nihil igitur erit opus propitiatore Christo. Paulus autem ideo docet nos acceptos esse propter Christum, non propter legis impletionem, quia legis impletio non est perfecta. Itaque cum manifeste alibi detrahat nobis perfectionem, non est sentiendum quod hic loquatur de personali singulorum perfectione, sed loquitur de integritate communi Ecclesiæ. Ideo enim ait dilectionem esse vinculum seu colligationem, ut significet se loqui de colligandis & copulandis pluribus membris Ecclesiæ inter se. Sicut enim in omnibus familijs, in omnibus rebus publicis, concordia mutuis officijs alenda est, nec retineri tranquillitas potest, nisi quædam errata inter se dissimulent homines & condonent.

Ita jubet Paulus in Ecclesia dilectionem existere, quæ retineat concordiam, quæ toleret sicubi opus est, asperiores mores fratrum, quæ dissimulet quædam levia errata, ne dissiliat Ecclesia in varia Schismata, & ex Schismatis oriantur odia, factiones & hæreses. Necesse est enim dissilire concordiam, quando aut Episcopi imponunt populo duriora onera, nec habent rationem imbecillitatis in populo. Et oriuntur dissidia, quando populus nimis acerbe judicat de moribus Doctorum, aut fastidit Doctores propter quædam levia incommoda. Quæruntur enim deinde & aliud doctrinæ genus, & alij doctores. Econtra perfectio, id est, in-

Google

eſt, integritas Eccleſiæ conſervatur, quando firmi tolerant infirmos, quando populus boni conſulit quædam incommoda in moribus Doctorum, quando Epiſcopi quædam condonant imbecillitati populi. De his præceptis æquitatis pleni ſunt libri omnium ſapientum, ut in hac vitæ conſuetudine multa condonemus inter nos, propter communem tranquillitatem. Et de ea cum hic tum alias ſæpe præcepit Paulus.

Quare adverſarij imprudenter ratiocinantur ex nomine perfectionis, quod dilectio juſtificet, cum Paulus de integritate & tranquillitate communi loquatur, Et ſic interpretatur hunc locum Ambroſius, Sicut ædificium dicitur perfectum ſeu integrum, cum omnes partes apte inter ſe coagmentatæ ſunt. Turpe eſt autem adverſarijs tantopere prædicare dilectionem, cum nuſquam præſtent eam. Quid nunc ajunt? diſſipant Eccleſias, ſcribunt leges ſanguine, & has proponunt Cæſari Clementiſſimo Principi promulgandas, Trucidant ſacerdotes, & alios bonos viros, ſi quis leviter ſignificavit, ſe aliquem manifeſtum abuſum non omnino probare. Hæc non conveniunt ad iſta præconia dilectionis, quæ ſi ſequerentur adverſarij, Eccleſiæ tranquillæ eſſent, & respublica pacata. Nam hi tumultus conſileſcerent, ſi adverſarij non nimis acerbe exigerent quaſdam traditiones inutiles ad pietatem, quarum pleraſque ne ipſi quidem obſervant, qui vehementiſſime defendunt eas. Sed ſibi facile ignoſcunt, alijs non item, ut ille apud Poëtam, Egomet mî ignoſco, Mevius inquit. Id autem alieniſſimum eſt ab his encomijs dilectionis, quæ hic ex Paulo recitant, nec magis intelligunt, quam parietes intelligunt vocem, quam reddunt.

1. Pet. 4. Ex Petro citant & hanc ſententiam, Vniverſa delicta operit charitas. Conſtat & Petrum loqui de dilectione erga proximum, quia hunc locum accommodat ad præceptum, quo jubet, ut diligant ſe mutuo. Neque vero ulli Apoſtolo in mentem venire potuit, quod dilectio noſtra vincat peccatum & mortem, quod dilectio ſit propitiatio, propter quam Deus reconcilietur omiſſo mediatore Chriſto, quod dilectio ſit juſticia, ſine mediatore Chriſto. Hæc enim dilectio, ſi qua eſſet, eſſet juſticia legis, non Evangelij, quod promittit nobis reconciliationem, & juſticiam, ſi credamus, quod propter Chriſtum propitiatorem Pater placatus ſit, quod donentur nobis merita Chriſti. Ideo Petrus paulo ante jubet, ut accedamus ad Chriſtum, ut ædificemur ſuper Chriſtum, Et addit, Qui crediderit in eũ, non confundetur. Dilectio noſtra non liberat nos à confuſione, cum Deus judicat & arguit nos, ſed fides in Chriſtum liberat in his pavoribus, quia ſcimus propter Chriſtum nobis ignoſci. Cæterum hæc ſententia de dilectione ſumpta eſt ex proverbijs, ubi antitheſis clare oſtendit, quomodo intelligi debeat. Odium ſuſcitat rixas, & univerſa delicta tegit dilectio.

Prov. 10. Idem prorſus docet, quod illa Pauli ſententia ex Coloſſenſibus ſumpta, ut ſi quæ diſſenſiones inciderint, mitigentur & componantur æquitate, & commoditate noſtra. Diſſenſiones, inquit, creſcunt odijs, ut ſæpe videmus ex leviſſimis offenſionibus maximas exoriri tragœdias. Inciderant quædam inter C. Cæſarem & Pompejum leves offenſiones, in quibus ſi alter alteri paululum ceſſiſſet, non extitiſſet bellum civile, Sed dum uterq; morem gerit odio ſuo, ex re nihili, maximi motus orti ſunt. Et multæ in Eccleſia hæreſes ortæ ſunt, tantum ex mutuis odijs doctorum. Itaq; non de proprijs delictis, ſed de alienis loquitur, cum ait, Dilectio tegit delicta, videlicet aliena, & quidem inter homines, id eſt, Etiamſi quæ offenſiones incidunt, tamen dilectio diſſimulat, ignoſcit, cedit, non agit omnia ſummo jure. Petrus igitur non hoc vult, quod dilectio coram Deo mereatur remiſſionem peccatorum, quod ſit propitiatio, excluſo mediatore Chriſto, quod propter dilectionem ſimus accepti, non propter mediatorem Chriſtum, Sed quod erga homines non ſit moroſa, non aſpera, non intractabilis, quod quædã errata amicorum diſſimulet, quod mores aliorum etiam aſperiores boni conſulat, ſicut vulgaris quædã ſententia præcipit, Mores amici noveris non

oderis. Neque temere de hoc officio dilectionis toties præcipiunt Apoſtoli, quod Philoſophi vocant *Φιλόνικια*. Neceſſaria eſt enim hæc virtus ad publicam concordiam retinendam, quæ non poteſt durare, niſi multa diſſimulent, multa condonent inter ſe Paſtores, & Eccleſiæ.

Ex Iacobo citant. Videtis igitur quod ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide ſola. Neq; alius locus ullus magis putatur officere noſtræ ſententiæ, ſed eſt facilis & plana reſponſio. Si non aſſuant adverſarij ſuas opiniones de meritis operum, Iacobi verba nihil habent incommodi. Sed ubicunq; fit mentio operum, adverſarij affingunt ſuas impias opiniones, quod per bona opera mereamur remiſſionem peccatorum, quod bona opera ſint propitiatio ac precium propter quod Deus nobis reconcilietur, quo bona opera vincant terrores peccati & mortis, quod opera coram Deo propter ſuam bonitatem ſint accepta, nec egeant miſericordia & propitiatore Chriſto. Horum nihil venit in mentem Iacobo, quæ tamen omnia nunc defendunt adverſarij prætextu ſententiæ Iacobi. *Iacob. 2.*

Primum igitur hoc expendendum eſt, quod hic locus magis contra adverſarios facit, quam contra nos. Adverſarii enim docent hominẽ juſtificari dilectione, & operibus. De fide, qua apprehendimus propitiatorem Chriſtum nihil dicunt, Imo hanc fidem improbant, neq; improbant tantum ſententijs aut ſcriptis, Sed etiam ferro & ſupplicijs conantur in Eccleſia delere. Quanto melius docet Iacobus, qui fidem non omittit, non ſubjicit pro fide dilectionem, ſed retinet fidem, ne propitiator Chriſtus excludatur in juſtificatione. Sicut & Paulus cum ſummam tradit vitæ Chriſtianæ, complectitur fidem & dilectionem. 1. Timoth. 1. Finis mandati charitas eſt de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta. *1. Tim. 1.*

Secundo, res ipſa loquitur, hic de operibus dici, quæ fidem ſequuntur, & oſtendunt fidem non eſſe mortuam, ſed vivam & efficacem in corde. Non igitur ſenſit Iacobus, nos per bona opera mereri remiſſionem peccatorum & gratiam. Loquitur enim de operibus juſtificatorum, qui jam ſunt reconciliati, accepti & conſecuti remiſſionem peccatorum. Quare errant adverſarij, cum hinc ratiocinantur, quod Iacobus doceat nos per bona opera mereri remiſſionem peccatorum & gratiam, quod per opera noſtra habeamus acceſſum ad Deum, ſine propitiatore Chriſto.

Tertio, Iacobus paulo ante dixit de regeneratione, quod fiat per Evangelium. Sic enim ait, Volens genuit nos Verbo veritatis, ut nos eſſemus primitiæ creaturarum ejus. Cum dicit nos Evangelio renatos eſſe, docet quod fide renati ac juſtificati ſimus. Nam promiſſio de Chriſto tantum fide apprehenditur, cum opponimus eam terroribus peccati & mortis. Non igitur ſentit Iacobus, nos per opera noſtra renaſci. *Iacob. 1.*

Ex his liquet, non adverſari nobis Iacobum, qui cum ocioſas & ſecuras mentes, quæ ſomniabant ſe habere fidem, cum non haberent, vituperaret, diſtinxit inter mortuam fidem, ac vivam fidem. Mortuam ait eſſe, quæ non parit bona opera. Vivam ait eſſe, quæ parit bona opera. Porro nos ſæpe jam oſtendimus, quid appellemus fidem. Non enim loquimur de ocioſa notitia, qualis eſt etiam in Diabolis, Sed de fide quæ reſiſtit terroribus conſcientiæ, quæ erigit & conſolatur perterrefacta corda. Talis fides neque facilis res eſt, ut ſomniant adverſarij, neq; humana potentia, ſed divina potentia, qua vivificamur, qua Diabolum & mortem vincimus, Sicut Paulus ad Coloſſ. ait, quod fides ſit efficax per potentiam Dei, & vincat mortem. In quo & reſuſcitati eſtis per fidem efficaciæ Dei. Hæc fides, cum ſit nova vita, neceſſario parit novos motus & opera. Ideo Iacobus recte negat nos tali fide juſtificari, quæ eſt ſine operibus. *Coloſſ. 2.*

Quod autem dicit nos juſtificari fide & operibus, certe non dicit nos per opera renaſci, Neque hoc dicit, quod partim Chriſtus ſit propitiator, partim opera noſtra ſint propitiatio. Nec deſcribit hic modum juſtificationis, ſed deſcribit quales ſunt juſti, poſtquam jam ſunt juſtificati & renati. Et juſtificari ſignificat *Rom. 2.*

Rom. 2. ficat hic non ex impio juſtum effici, ſed uſu forenſi juſtum pronunciari, Sicut hic, Factores legis juſtificabuntur. Sicut igitur hæc verba nihil habent incommodi, Factores legis juſtificabuntur, Ita de Iacobi verbis ſentimus, Iuſtificatur homo non ſolum ex fide, ſed etiam ex operibus. Quia certe juſti pronunciantur homines, habentes fidem & bona opera. Nam bona opera in Sanctis, ut diximus, ſunt juſticiæ legis, quæ ſunt acceptæ propter fidem, nec ſunt acceptæ, quia ſatisfaciant legi. Iuſtificantur igitur homines ex fide & operibus, non propter opera, ſed propter fidem, quam tamen bona opera ſequi neceſſe eſt. Iacobus enim loquitur de his operibus, quæ fidem ſequuntur, ſicut teſtatur cum ait, Fides adjuuat opera ejus. Sic accipiendum eſt, Factores legis juſtificabuntur, hoc eſt, qui credunt & habent bonos fructus, juſti pronunciantur. Nam Lex ita fit, ſi credimus, & placet propter fidem, non quod opera legi ſatisfaciant.

Iacob. 2.

Ita videmus in his ſententijs nihil eſſe vitij, ſed adverſarij depravant eas, qui de ſuo affingunt impias opiniones. Neq; enim dicũt opera mereri remiſſionẽ peccatorum, homines propter opera acceptos eſſe, ſeu juſtos reputari, non propter Chriſtum, opera pacare corda & vincere iram Dei, opera non indigere miſericordia. Horũ nihil dicit Iacobus, quæ tamen adverſarij verbis Iacobi affingunt.

Dan 4. *Eſa. 58.* *Luc. 6.* *Matth. 6.*

Citantur contra nos & aliæ ſententiæ de operibus. Danielis 4. Peccata tua eleemoſynis redime. Et Eſaiæ 58. Frange eſurienti panem tuum, tunc invocabis, & Dominus exaudiet. Lucæ 6. Remittite, & remittẽtur vobis. Matth. 6. Beati miſericordes, quia miſericordiam conſequentur.

Ad has ſententias & ſimiles de operibus, primum hoc reſpondemus, quod ſupra dictum eſt, Legem non vere fieri ſine fide, nec placere niſi propter fidem in Chriſtum, juxta illud, Sine me nihil poteſtis facere. Item, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Item, Per Chriſtum habemus acceſſum per fidem. Itaq; quoties requiruntur & probantur opera, addendum eſt Evangelium de Chriſto.

Iohan. 15. *Ebra. 11.* *Rom. 8.*

Secundo, hæ ſententiæ, quas paulo ante commemoravi, fere ſunt concionnes pœnitentiæ. Conſtant enim ex duabus partibus, habent initio prædicationem Legis, quæ arguit peccata, & jubet bene operari. Deinde eſt addita promiſſio. Certiſſimum eſt autem in prædicatione pœnitentiæ non ſufficere prædicationem legis, quæ tantum terret & condemnat conſcientias, Sed neceſſe eſt accedere Evangelium, quod peccata gratis remittantur propter Chriſtum, & quod fide conſequamur remiſſionem peccatorum, Hæc ſunt adeo certa & perſpicua, ut ſi diſſentiant adverſarij, & excludant Chriſtum & fidem à prædicatione pœnitentiæ, merito tanquam blaſphemi in Chriſtum rejiciendi ſint.

Quare concio Danielis non tantum ad eleemoſynas detorqueri debet, ſed fides etiam in ea requirenda eſt. Diſſimilis eſt concio Danielis orationi Ariſtotelis, qui ad ſuum Regem ſcribens, etiam hortatur eum ad beneficentiam, & jubet eum potentiam ſuam conferre ad publicam utilitatem, & ſalutem omnium gentium, non ad ſuperbiam. Sic enim ad Alexandrum ſcribit: διὸ πρῶτον τὴν ἀρχὴν μὴ εἰς ὕβριν, ἀλλ' εἰς εὐεργεσίαν καταστήσῃς. Honeſtiſſima oratio eſt, neq; de officio publico magni Principis aliud dici quidquam melius poteſt. Sed Daniel non tantum de officio ſeu vocatione Regem ſuum docet, Sed de pœnitentia, de pietate erga Deum, de remiſſione peccatorum, deq; illis magnis rebus extra Philoſophiam poſitis. Non igitur tantum hic Eleemoſynæ requirendæ ſunt, ſed etiam fides. Idq; textus oſtendit Regem converſum eſſe, non ſolum ad eleemoſynas largiendas, ſed multo magis ad fidem. Extat enim egregia confeſſio Regis de Deo Iſrael, Non eſt alius Deus qui poſſit ita ſalvare.

Itaq; duæ partes ſunt in concione Danielis, Altera pars eſt prædicatio pœnitentiæ, quæ arguit peccata, & præcipit de nova vita, Redime peccata tua juſticia, & inquitates tuas beneficijs erga pauperes. Sic enim in ſua lingua loquitur Daniel, ubi ſatis apparet eum non ſolũ de Eleemoſynis præcipere, ſed de tota juſticia, hoc eſt, de noticia Dei & fide. Ait enim, peccata redime per juſticiam.

Iuſticia

Iuſtitia autem erga Deum eſt fides, qua credimus Deum nobis ignoſcere. Deinde præcipit Daniel de beneficijs erga pauperes, hoc eſt, ne ſuperbæ, nec crudeliter imperet, ſed conſulat utilitatibus ſubditorum. Altera pars concionis promittit remiſſionem peccatorum, Ecce erit ſanatio delictorum tuorum. Hieronymus hic præter rem adjecit dubitativam particulam, Et multo imprudentius diſputat in Commentarijs, incertam eſſe remiſſionem peccatorum. Sed nos meminerimus Evangelium certo promittere remiſſionem peccatorum, Iſq; abolere Evangelium cenſendus eſt, qui ſentit remiſſionem peccatorum incertam eſſe. Dimittamus igitur hoc in loco Hieronymum.

Cum autem clare ponatur promiſſio, certe requiritur fides, quia promiſſio non poteſt accipi, niſi fide, Quanquam & ibi indicavit remiſſionem contingere poſſe, cum ait, redime peccata. Atque hæc promiſſio remiſſionis peccatorum vere Prophetica & Evangelica vox eſt, quã certe Daniel volebat fide accipi. Norat enim Daniel promiſſam eſſe remiſſionem peccatorum propter futurum Semen, videlicet Chriſtum, non ſolum Iſraelitis, ſed etiam omnibus gentibus. Alioqui non potuiſſet Regi polliceri remiſſionem peccatorum. Non eſt enim hominis, præſertim in terroribus peccati, ſtatuere de voluntate Dei ſine certo verbo Dei, quod iraſci deſinat. Itaque cum promiſſio ponatur, ſatis apparet requiri fidem, quia promiſſio non poteſt accipi niſi fide. Si hæc fides ex conditione operum penderet, incerta eſſet remiſſio. Ideo talis fides requiritur, quæ confidit miſericordia & verbo Dei, non operibus noſtris. Quod autem dicit, redime peccata per juſticiam, & per eleemoſynas, idem eſt ac ſi diceret, redime peccata per pœnitentiam, quia reatus tollitur per pœnitentiam. Neq; hinc ratiocinandum eſt, quod ignoſcat Deus propter opera ſequentia, ſed ignoſcit propter promiſſionem his, qui promiſſionem apprehendunt.

Oſtendimus clare in concione Danielis fidem requiri, quare huic loco injuriam faciunt, qui inde ratiocinantur, quod remiſſio peccatorum contingat propter opera noſtra, non fide propter Chriſtum. Philoſophicum eſt in concione Danielis, nihil requirere, niſi adhortationem de imperio recte gerendo. Phariſaicum eſt affingere, quod propter opus illud contingat remiſſio peccatorum. Sed ita fit, opera naturaliter incurrunt hominibus in oculos, quia fidem nec intelligit, neq; conſiderat humana ratio. Ideo ſomniat opera illa mereri remiſſionem peccatorum, Hæc opinio naturaliter hæret in animis hominum, neq; excuti poteſt, niſi cum divinitus doceamur. Sed revocare nos debemus ab hac carnali opinione ad Evangelium & promiſſionem miſericordiæ, in qua gratis exhibetur remiſſio peccatorum propter Chriſtum. Ita in omnibus locis de pœnitentia fides requirenda eſt. Summa enim contumelia eſt in Chriſtum, remiſſionem peccatorum ſine Chriſto quærere.

Quidam interpretantur Danielem de remiſſione pœnæ, cum ait: Redime peccata eleemoſynis, Ita nihil contra nos faceret Daniel, Etſi dubium non eſt, quin loquatur de remiſſione culpæ. Fruſtra enim quæritur remiſſio pœnæ, niſi prius cor apprehenderit fide remiſſionem culpæ. Quod ſi illi concedent remiſſionem culpæ gratis contingere per fidem, nos poſtea facile largiemur pœnas, quibus caſtigamur, mitigari bonis operibus, & tota pœnitentia, juxta illud, Si nos judicaremus, non judicaremur à Domino. Et Ierem. 15. Si converſus fueris, convertam te. Et Zachar. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Et Pſal. 49. Invoca me in die tribulationis. *1. Cor. 11. Ierem. 15. Zachar. 1. Pſal. 49*

Sic judicandum eſt & de hoc loco, Remittite & remittetur vobis. Eſt enim pene ſimilis concio de pœnitentia. Prior particula requirit bona opera, Poſterior addit promiſſionem. Neq; eſt ratiocinandum, quod noſtra condonatio ex opere operato mereatur nobis remitti peccata. Non enim dicit hoc Chriſtus. Sed ſicut alijs ſacramentis annectit Chriſtus promiſſionem remiſſionis peccatorum, ita annectit & bonis operibus. Et ſicut in cœna Domini non conſequimur *Luc. 6*

remiſ-

Digitized by Google

remiſſionem peccatorum ſine fide ex opere operato. Ita neq; in hoc opere, Imo noſtra condonatio non eſt bonum opus, niſi cum fit à reconciliatis. Ideo noſtra condonatio, quæ quidem placet Deo, ſequitur condonationem divinam. Solet autem Chriſtus hoc modo conjungere legem & Evangelium, ut utrumq; tradat, doctrinam fidei & bonorum operum, ut moneat hypocriſin & ſimulationem pœnitentiæ eſſe, niſi ſequantur boni fructus. Item, Vt multa habeamus externa ſigna Evangelij, & remiſſionis peccatorum, quæ nos commonefaciant, & conſolentur, & ut multipliciter exercere fidem poſſimus. Sic igitur neceſſe eſt tales locos accipi, ne aboleamus Evangelium de Chriſto, ne noſtra opera opponamus Deo tanquam propitiationem & precium, abjecto Chriſto. Item ne fiat incerta remiſſio peccatorũ, ſi doceatur pendere ex conditione noſtrorum operum.

Citatur & ex Tobia. Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat. Non dicemus Hyperbolen eſſe, etſi ſic accipi debet, ne detrahat de laudibus Chriſti, cujus propria ſunt officia, liberare à peccato & à morte, Sed recurrendum eſt ad regulam, quod lex ſine Chriſto non prodeſt. Placent igitur eleemoſynæ Deo, quæ ſequuntur reconciliationem, non quæ præcedunt. Itaq; liberant à peccato & à morte, non ex opere operato, ſed ſicut paulo ante de pœnitentia diximus, quod fidem cum fructibus complectí debeamus, ita de eleemoſynis judicandum eſt, quod placeat Deo fides cum fructibus. Tobias enim concionatur non tantum de eleemoſynis, ſed etiam de fide. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut dirigat vias tuas. Hoc autem proprie eſt illius fidei, de qua loquimur, quæ ſentit Deum eſſe propitium propter ipſius miſericordiam, & petit ut ſervet & gubernet nos. Ad hæc concedimus eleemoſynas mereri multa beneficia Dei, & liberare non à præſenti peccato. Non enim vincunt iram & judicium Dei, nec reddunt pacatas conſcientias, ſed liberare à futuro peccato, hoc eſt, mereri, ut defendamur in periculis peccatorum & mortis. Hæc eſt ſimplex ſententia, reliquis ſcripturis conſentiens. Sic enim accipienda ſunt præconia operum & legis, ne detrahant de gloria Chriſti & Evangelij.

Tobi. 4.

Iactatur & dictum Chriſti apud Lucam. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Plane ſurdi ſunt adverſarij. Toties jam dictum eſt, legem ſine Chriſto non prodeſſe, propter quem placent bona opera. Sed illi ubique excluſo Chriſto, docent mereri juſtificationem per opera legis. Hic locus integer prolatus oſtendet & fidem requiri. Chriſtus enim objurgat Phariſæos ſentientes ſe coram Deo mundari, hoc eſt, juſtificari crebris ablutionibus, ſicut Papa, neſcio quis, de aqua ſale conſperſa inquit, quod populum ſanctificet ac mundet. Et gloſſa ait, quod mundet à venialibus. Tales erant & Phariſæorum opiniones, quas reprehendit Chriſtus, & opponit huic fictæ purgationi duplicem mundiciem, Alteram internam, Alteram externam. Iubet ut intus mundentur. Et addit de mundicie externa. Date eleemoſynam de eo, quod ſuper eſt, & ſic omnia erunt vobis munda. Adverſarij non recte accommodant particulam univerſalem. Chriſtus enim addit hanc concluſionem utriq; membro. Tunc omnia erunt munda, videlicet, ſi intus eritis mundi & foris eleemoſynam dederitis. Significat enim quod externa mũdicies collocanda ſit in operibus à Deo præceptis, non in traditionibus humanis, ut tunc erant illæ ablutiones, & nunc eſt quotidiana aſperſio aquæ, veſtitus Monachorum, diſcrimina ciborum, & ſimiles pompæ.

Luc. 11.

Sed adverſarij corrumpunt ſententiam ſophiſtice translata particula univerſali ad unam partem, Omnia erunt munda, datis eleemoſynis, ut ſi quis ratiocinetur. Andreas adeſt, igitur omnes Apoſtoli adſunt. Quare in antecedente utrunq; membrum conjungi debet, credite, & date eleemoſynas, Ita omnia erunt munda. Scriptura enim alibi dicit fide purificari corda. Quod ſi corda ſint mundata, & deinde foris accedant eleemoſynæ, hoc eſt, opera charitatis omnis generis, ita toti erunt mundi, hoc eſt, non ſolum intus, ſed foris etiam. Ac tota illa concio Chriſti conjungi debet, cujus multæ ſunt partes, quarum aliæ de fide,

Act. 15.

aliæ de

aliæ de operibus præcipiunt. Nec eſt candidi lectoris excerpere præcepta operum, omiſſis locis de fide. Sunt & nonnulli, qui Ironiam eſſe interpretantur, Date eleemoſynas, & omnia ſunt munda. Videtur enim Chriſtus vanam perſuaſionem Phariſæorum falſe taxare, qui cum haberent animos peſſimis cupiditatibus obnoxios, interim datis eleemoſynis, confidebant ſe meros ſemideos eſſe. Hæc interpretatio non eſt abſurda, neq; quidquam habet quod pugnet cum aliis ſcripturis.

Adderemus & alios locos, niſi exiſtimaremus ex his, quos recenſuimus atq; enarravimus, ſimiles judicari facilè poſſe. Sed adjiciemus hoc Scholaſticum argumentum. Iuſticiam neceſſe eſt in voluntate eſſe. Ergo cum fides ſit in intellectu, non juſtificat. Hoc argumentum ideo recitamus, ut tota res magis fiat perſpicua, quomodo fides juſtificet, & quid Paulus appellet juſtificationem. Primum autem propter moroſos quoſdam τεχνολογικῶς reſpondebimus, Conſtat ex Ethicis, juſticiam, obedientiam appellari erga ſuperiorem, quam is approbat. Fides autem eſt obedientia erga Evangelium, Quare fides recte dicitur juſticia. Nam obedientia erga Evangelium imputatur pro juſticia, adeo ut obedientia erga legem tantum propterea placeat, quia credimus nobis Deum gratis propitium eſſe propter Chriſtum. Neq; enim legi ſatisfacimus. Quanquam autem hæc fides eſt in voluntate, eſt enim velle & accipere promiſſionem, tamen hæc obedientia erga Evangelium, non propter noſtram mundiciem imputatur pro juſticia, ſed quia accipit oblatam miſericordiam, & ſentit nos propter Chriſtum juſtos reputari per miſericordiam, non propter noſtram impletionem legis, non propter noſtram mundiciem. Ita revocanda mens eſt à conſpectu legis, ad Evangelium & Chriſtum, & ſtatuendum quod reputemur juſti, cum ſentimus nos propter Chriſtum acceptos eſſe, non propter dilectionem aut impletionem legis.

Differt autem Fides à ſpe. Quia fides accipit in præſentia remiſſionem peccatorum & reconciliationem ſeu acceptationem noſtri, propter Chriſtum. Spes autem verſatur circa futura bona & liberationem futuram.

Secundo. Iuſtificatio hic ſignificat reputari juſtum. Non autem reputat Deus hominem juſtum, ſicut in foro aut in Philoſophia reputatur homo juſtus, propter proprij operis juſticiam, quæ recte ponitur in voluntate, Sed reputat hominem juſtum per miſericordiam propter Chriſtum, ſi quis tamen hunc fide apprehendat. Quare fides appellari juſticia poteſt, quia eſt illud quod imputatur ad juſticiam, ut cum Paulo loquamur, quacunq; tandem in parte hominis ponatur, Id enim nihil impedit imputationem divinam, Etſi nos quidem hanc fidem in voluntate ponimus. Eſt enim velle & accipere promiſſionem Chriſti. Et hoc Scholaſtico argumento agitato, quia rem ad Methodum revocat, videtur tota cauſa melius perſpici poſſe.

Ex his omnibus etiam intelligi poteſt, quid judicandum ſit de merito condigni, de quo fingunt adverſarij, homines juſtos eſſe coram Deo propter dilectionem ac legis impletionem. Hic nulla juſticiæ fidei mentio fit, & pro mediatore Chriſto ponitur, quod accepti ſimus propter noſtram impletionem legis. Hæc nullo modo ferenda ſunt, ſed, ut ſupra diximus, etſi neceſſario ſequitur renovationem dilectio, tamen gloria Chriſti non debet transferri in noſtram impletionem legis, ſed ſentiendum eſt, quod etiam poſt renovationem juſti reputemur propter Chriſtum, quod Chriſtus maneat mediator & propitiator, quod propter Chriſtum habeamus acceſſũ ad Deum, quod non ſatisfaciamus legi, ſed habeamus opus miſericordia, quod ſemper per miſericordiam juſti reputemur.

Idq; confitetur univerſa Eccleſia, quod juſti & ſalvi fiamus per miſericordiam, Sicut ſupra citavimus ex Hieronymo. Iuſticia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei miſericordia conſiſtit. Hæc autem miſericordia fide accipitur.

Ac videte quid conſequatur ex adverſariorum opinione. Si ſentiendum eſt, quod Chriſtus tantum primam gratiam, ut vocant, meruerit, poſtea nos ſi-

mus

Digitized by Google

mus accepti noſtra impletione Legis, & mereamur vitam æternam, quando erunt conſcientiæ pacatæ? quando ſtatuent, quod habeant Deum propitium? Lex enim ſemper accuſat nos, ut Paulus ait, Lexiram operatur. Ita fiet, ut ſi ſenſerint conſcientiæ judicium legis, ruant in deſperationem. Paulus ait, Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Iſti autem nihil unquam ex fide agent, ſi tunc demum ſentient ſibi Deum propitium eſſe, cum legem impleverint. Semper enim dubitabunt, Vtrum legi ſatisfactum ſit, imo intelligent non eſſe ſatisfactum, Ideo nunquam ſtatuent ſe habere Deum propitium, ſe exaudiri. Nunquam igitur diligent, nunquam vere colent Deum. Talia pectora quid aliud ſunt, niſi ipſe infernus, cum ſint plena deſperationis, & odij Dei, & in hoc odio tamen invocant & colunt Deum, ſicut Saul colebat. Hic provocamus ad omnes pias mentes, & peritas rerum ſpiritualium, hæ teſtari poterunt, hæc mala conſequi ex illa impia perſuaſione adverſariorum, quæ ſentit, quod juſti reputemur coram Deo, propria impletione legis, & jubet confidere non promiſſione miſericordiæ propter Chriſtum donatæ, ſed noſtra impletione legis.

Rom. 4. *Rom. 14.*

Neceſſe eſt igitur ſtatuere, quod certo poſt renovationem juſti, hoc eſt, accepti Deo ſimus, quod pacem habeamus coram Deo, per miſericordiam propter Chriſtum, & quod illa inchoatio Legis in nobis non ſit digna vita æterna, Sed quod ſicut remiſſio peccatorum & juſtificatio imputatur per miſericordiam propter Chriſtum, non propter legem. Ita & vita æterna cum juſtificatione, non propter legem & noſtrorum operum perfectionem, ſed per miſericordiam propter Chriſtum offeratur, Sicut ait Chriſtus: Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et alibi. Qui credit in filium, habet vitam æternam. Ac quæramus adverſarios, quid conſilij dent morituris, Vtrum jubeant eos ſentire quod reputentur juſti, & expectare vitam æternam propter propria opera, an vero per miſericordiam propter Chriſtum. Certe nec Paulus nec Laurentius dicent, ſe propter propriam mundiciem juſtos reputandos eſſe, aut ſibi deberi vitam æternam propter propria opera, aut legis impletionem, ſed ſentient ſe reputari juſtos, & accipere vitam æternam propter Chriſtum per miſericordiam. Nec poſſunt muniri piæ mentes contra deſperationem, niſi ſentiant quod per miſericordiã propter Chriſtum, certo habeant & juſticiam & vitam æternam, non propter legem. Hæc ſententia conſolatur, erigit & ſalvat pias mentes. Quare adverſarij cum meritum condigni prædicant, abolent doctrinam de fide & mediatore Chriſto, & adigunt conſcientias ad deſperationem.

Johan. 6. *Johan. 3.*

Sed dicat aliquis. Si per miſericordiam ſalvandi ſumus, quid intereſt inter hos, quibus contingit ſalus, & quibus non contingit? Num pariter ſperabunt miſericordiam boni & mali? Hoc argumento videntur moti ſcholaſtici ad quærendum meritum condigni. Neceſſe eſt enim diſcrimen eſſe inter ſalvandos & damnandos. Primum autem illud dicimus, cum juſtificatione offerri vitam æternam, ſeu juſtificatos eſſe filios Dei & cohæredes Chriſti, juxta illud: Quos juſtificavit, eoſdem & glorificavit. Igitur nullis contingit ſalus, niſi juſtificatis. Sicut autem juſtificatio incerta eſſet, ſi penderet ex conditione operum noſtrorum aut legis, ac non gratis acciperetur propter Chriſtum per miſericordiam. Ita ſi ſpes niteretur operibus noſtris, tunc vero eſſet incerta, quia lex ſemper accuſat conſcientias. Nec poſſunt conſcientiæ reddi pacatæ, niſi fide apprehendant miſericordiam, Neq; vero poteſt exiſtere ſpes vitæ æternæ, niſi pacata conſcientia. Nam conſcientia dubitans fugit judicium Dei ac deſperat. Neceſſe eſt autem ſpem vitæ æternæ certam eſſe. Ideoq; ut ſit certa, ſentiendum eſt quod donetur vita æterna per miſericordiam propter Chriſtum, non propter noſtram impletionem legis.

Rom. 8.

In foro ac judicijs hominum, jus ſeu debitum certum eſt, Miſericordia incerta eſt. Hic coram Deo alia res eſt. Nam miſericordia habet clarum manda-

Digitized by Google

tum Dei. Nam Evangelium eſt hoc ipſum mandatum, quod jubet credere, quod Deus velit ignoſcere & ſalvare propter Chriſtum, juxta illud: Non miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non judicatur. Quoties igitur de miſericordia dicitur, intelligendum eſt fidem requiri. Et hæc fides diſcrimen facit inter ſalvandos & damnandos, inter dignos & indignos. Eſt enim vita æterna promiſſa juſtificatis. Fides autem juſtificat, quandocunq; & quocunq; tempore apprehendunt eam homines. Et per omnem vitam certare debemus, ut hanc fidem conſequamur & confirmemus. Exiſtit enim, ut ſupra diximus, hæc fides in pœnitentia, non in his qui ſecundum carnem ambulant. Ac debet inter pericula & tentationes per omnem vitam creſcere. Et qui hanc fidem conſecuti ſunt, hi renati ſunt, ut benè operentur, ut legem faciant. *Iohan. 3.*

Sicut igitur pœnitentiam per omnem vitam requirimus, ita & bona opera requirimus, etſi noſtra opera non ſunt alia, ut pro eis debeatur vita æterna. Sicut & Chriſtus in hac ſententia dixit, Cum feceritis omnia, dicite ſervi inutiles ſumus. Et Bernardus recte dicit, Neceſſe eſt primo credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei. Deinde, quod nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremo, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, niſi grątis detur & illa. Et paulo poſt. Nemo itaq; ſe ſeducat, quia ſi bene cogitare voluerit, inveniet procul dubio, quod nec cum decem millibus poſſit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe &c. Nos igitur, ut conſcientiæ certam conſolationem & ſpem teneant, revocamus homines ad promiſſionem Chriſti, & docemus, quod neceſſe ſit credere, quod Deus propter Chriſtum, non propter legem remittat peccata, juſtificet, & donet vitam æternam, juxta illud, Qui habet filium, habet vitam. *Luc. 17.* *Iohan. 5.*

Sed operæ precium eſt audire, quomodo eludant adverſarij dictum Chriſti, Cum feceritis omnia, dicite ſervi inutiles ſumus. In confutatione ſic corrumpunt, primum faciunt Antiſtrephon, Multo magis inquiunt dici poteſt, Si credideritis omnia, dicite ſerui inutiles ſumus. Deinde addunt, opera inutilia eſſe Deo, nobis vero non eſſe inutilia. Videte quam delectet adverſarios puerile ſtudium Sophiſtices. Et quanquam hæ ineptiæ indignæ ſint quæ refutentur, tamen paucis reſpondebimus. *Luc. 17.*

Antiſtrephon eſt vitioſum, quia decipiuntur adverſarij in vocabulo fidei, Quod ſi ſignificaret noticiam hiſtoriæ, aut ſi diceremus, quod fides propter ſuam dignitatem ſalvaret, valeret ſimilitudo, multo magis nos ſervos inutiles eſſe, ſi crediderimus. Sed nos loquimur de fiducia promiſſionis & miſericordiæ Dei. Et hæc fiducia fatetur nos eſſe ſervos inutiles, Imo hæc eſt vera vox fidei, quod opera noſtra ſint indigna, quod ſimus ſervi inutiles, Et ob hanc unam cauſam de fide loquimur, & quærimus miſericordiam, quia agnoſcimus nos eſſe ſervos inutiles. Fides enim ideo ſalvat, quia apprehendit miſericordiam, ſeu promiſſionem gratiæ, etiamſi opera noſtra ſunt indigna. Et in hanc ſententiam, nihil lædit nos Antiſtrephon. Cum credideritis omnia, dicite ſervi inutiles ſumus, recte dicitur, ſi tantum intelligatur operibus detrahi dignitas.

Sed ſi ſic intelligatur, quod etiam fides ſit inutilis, non valet ſimilitudo, Cum feceritis omnia, nolite confidere operibus. Ita cum credideritis, nolite confidere promiſſione Dei, Hæc non cohærent, ſunt enim diſſimilima. Diſſimiles cauſæ, diſſimilia objecta fiduciæ ſunt in priore propoſitione, & in poſteriore. Fiducia in priore eſt fiducia noſtrorum operum, Fiducia in poſteriore, eſt fiducia promiſſionis divinæ. Chriſtus autem damnat fiduciam noſtrorum operum, non damnat fiduciam promiſſionis ſuæ. Non vult nos de gratia & miſericordia Dei deſperare. Arguit opera noſtra tanquã indigna, non arguit promiſſionẽ, quæ gratis offert miſericordiã. Et præclare hic inquit Ambroſius, Agnoſcenda eſt gratia, ſed nõ ignoranda natura. Promiſſioni gratiæ confidendũ eſt, non naturæ noſtræ.

Sed

Sed adverſarij ſuo more faciunt, Sceleſte detorquent ſententias pro fide traditas, contra fidei doctrinam. Nam hæc cavillatio totum Evangelium abrogat, Cum crediderit is omnia, dicite fidem inutilem eſſe. Nonne Evangelium pollicetur remiſſionem peccatorum & ſalutem, etiam his, qui nulla prorſus habent bona opera? Si tamen convertantur & non deſperent, ſed fide in Chriſtum conſequantur remiſſionem peccatorum. Num jubent adverſarij deſperare hos, quorum conſcientiæ nulla inveniunt bona opera, quæ opponere judicio Dei poſſint? Num his dicent, fidem inutilem eſſe? Male pereant iſti Sophiſtæ cum talibus calumnijs, quæ totum Evangelium evertunt, abrogant gratuitam remiſſionem peccatorum, eripiunt pijs conſcientijs firma ſolatia.

Illa vero cavillatio plane puerilis eſt, cum interpretantur ſervos inutiles, quia opera Deo ſint inutilia, nobis vero ſint utilia. At Chriſtus de ea utilitate loquitur, quæ conſtituit nobis Deum debitorem gratiæ. Quanquam alienum eſt hoc loco diſputare, de utili aut inutili. Nam ſervi inutiles ſignificant inſufficientes, quia nemo tantum timet, tantum diligit Deum, tantum credit Deo, quantum oportuit, nemo ſatisfacit legi. Sed miſſas faciamus has frigidas cavillationes adverſariorum, de quibus, quid judicaturi ſint homines, ſi quando proferentur in lucem, facile poſſunt exiſtimare viri prudentes. In verbis maxime planis & perſpicuis repererunt rimam. At nemo non videt in illo loco fiduciam noſtrorum operum improbari.

Sed adverſarij reclamant, quod vita æterna debeatur de condigno pro bonis operibus, quia vita æterna vocetur merces. Breviter & plane reſpondemus. Paulus vitam æternam donum appellat, quia cum reputamur juſti propter Chriſtum, Simul efficimur filij Dei, & cohæredes Chriſti. Alibi vero ſcriptum eſt, Merces veſtra copioſa erit in cœlis, Hæc ſi videntur adverſarijs inter ſe pugnare, ipſi expediant. Sed parum æqui judices ſunt. Nam doni vocabulum omittunt, omittunt & fontes totius negocij, quomodo juſtificentur homines, quod perpetuo ſit mediator Chriſtus. Interim excerpunt vocabulum mercedis, Idq; acerbiſſime interpretantur non ſolum contra ſcripturam, ſed etiam contra ſermonis conſuetudinem. Hinc ratiocinantur, quia merces nominatur, ideo opera noſtra ſunt ejuſmodi, quæ debeant eſſe precium, pro quo debetur vita æterna. *Matth. 5.*

Plane nova eſt hæc Dialectica. Vocabulum audimus Mercedis, Igitur opera noſtra legi ſatisfaciunt, igitur ſumus accepti Deo propter opera noſtra, nec indigemus miſericordia, aut propitiatore Chriſto, aut fide apprehendente miſericordiam. Ac ingentem Soriten Chryſippeo more cumulant, Bona opera ſunt precium, pro quo debetur vita æterna, Bona opera legi Dei ſatisfaciunt, Et præter hæc fieri poſſunt opera ſupererogationis. Non ſolum igitur legi Dei ſatisfacere homines poſſunt, ſed etiam amplius facere. Et quia Monachi amplius faciunt, ſuperſunt eis merita. Et quoniam liberalitas eſt largiri alijs, de eo quod ſupereſt, licet donare illa merita alijs. Affingunt & ſacramentum hujus donationis, mortuis circundant cucullos, ut teſtentur eis applicata eſſe aliena merita. Talibus coacervationibus beneficium Chriſti & juſticiam fidei obſcurant adverſarij.

Non movemus inanem λογομαχίαν de vocabulo, De magna re litigamus, Vnde debeant piæ mentes certam ſpem ſalutis concipere, Vtrum bona opera poſſint conſcientias reddere pacatas, Vtrum ſentire debeant, ita contingere vitam æternam, ſi bona opera opponant judicio Dei, an vero debeant ſentire, quod propter Chriſtum per miſericordiam reputentur juſti, & conſequantur vitam æternam. Hæc veniunt in controverſiam, quam niſi dijudicet conſcientia, non poteſt habere firmam & certam conſolationem.

Nos autem ſatis clare oſtendimus, quod bona opera non ſatisfaciant legi Dei, quod habeant opus miſericordia, quod fide ſimus accepti Deo propter Chriſtum, quod bona opera non reddant pacatam conſcientiam. Ex his omnibus ſequitur, quod oporteat ſentire, quod propter Chriſtum per miſericordi-

am, non propter legem, juſtificati conſequantur vitam æternam.

Quid igitur de mercede? Primum ſi diceremus, Vitam æternam dici mercedem, quia debetur juſtificatis propter promiſſionem, nihil abſurdi diceremus, Sunt enim ordinata inter ſe hæc dona, Sicut & Auguſtinus ait, Dona ſua coronat Deus in nobis. Sed ſcriptura vitam æternam vocat mercedem, non quia propter opera debeatur, ſed quia compenſet afflictiones & opera, etſi propter aliam cauſam contingit. Sicut hæreditas venit filiofamilias, non propter officia ſua, & tamen eſt merces & compenſatio officiorum filij. Satis eſt igitur nomen mercedis hac ratione convenire vitæ æternæ, quia vita æterna compenſat bona opera & afflictiones. Non eſt igitur vita æterna merces, quia opera ſufficiant, quia debeatur pro operibus. Sed conſecutive, quia cum propter aliam cauſam contigit, tamen compenſat opera & afflictiones.

Præterea concedimus opera vere eſſe meritoria, non remiſſionis peccatorum, aut juſtificationis, Non enim placent, niſi in juſtificatis propter fidem, Nec ſunt digna vita æterna, Sicut enim juſtificatio, ita vivificatio fide contingit propter Chriſtum, ſed ſunt meritoria aliorum præmiorum corporalium & ſpiritualium, quæ redduntur tum in hac vita, tum poſt hanc vitam. Differt enim Deus plæraq; præmia donec glorificet ſanctos poſt hanc vitam, quia vult eos in hac vita exerceri ad mortificandum veterem hominem. Evangelium gratis exhibet promiſſionem juſtificationis & vivificationis propter Chriſtum. At in lege non gratis, ſed pro operibus offertur & debetur merces. Cum igitur opera ſint quædam impletio legis, recte dicuntur meritoria, recte dicitur eis deberi merces. Et hæc merces parit gradus præmiorum, juxta illud Pauli : Vnuſquiſq; accipiet mercedem juxta ſuum laborem. Hi gradus ſunt merces operum atq; afflictionum.

Sed contendunt adverſarij, vitam æternam proprie deberi pro operibus, quia Paulus ait, Reddet unicuiq; ſecundum opera ejus. Iohan. 5. Qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ. Matth. 25. Eſurivi & dediſtis mihi manducare. In his locis omnibus, in quibus opera laudantur, neceſſe eſt ad Canonem ſupra traditum recurrere, quod opera non placeant ſine Chriſto, quod non ſit excludendus mediator Chriſtus. Quare cum textus ait, operibus reddi vitam æternam, Significat reddi juſtificatis, quia non placent Deo bona opera, niſi in juſtificatis, hoc eſt, in his, qui ſentiunt ſe acceptos eſſe Deo propter Chriſtum. Et juſtificati neceſſario pariunt bona opera ſeu bonos fructus, ut Eſurivi & dediſtis mihi cibum. Hic cum dicitur reddi vita æterna his operibus, intelligitur reddi juſticiæ. Fidem igitur complectitur cum nominat fructus. Porro ſcriptura nominat fructus, ut oſtendat requiri non hypocriſin, ſed juſticiam, quæ ſit efficax, & quædam nova vita, pariens bonos fructus.

1. Cor. 3. Matth. 16. Iohan. 5. Matth. 25.

Nec nos aliquam ocioſam ſubtilitatem hic affectamus. Sunt enim graviſſimæ cauſæ, propter quas hæc diſputamus. Etenim ſi largiamur adverſarijs, quod opera mereantur vitam æternam, mox attexunt illa abſurda, quod opera legi Dei ſatis faciant, quod non habeant opus miſericordia, quod ſimus juſti, hoc eſt, accepti Deo propter noſtra opera, non propter Chriſtum, quod pluſquam legem facere homines poſſint. Ita tota doctrina de juſticia fidei obruitur. Eſt autem neceſſarium retinere in Eccleſia puram doctrinam de juſticia fidei. Quare cogimur Phariſaicas opiniones adverſariorum reprehendere, & ut gloriam Chriſti illuſtremus, & ut conſcientijs firmas conſolationes proponamus. Quomodo enim concipiet conſcientia firmam ſpem ſalut[illegible]um in judicio ſentiet opera indigna eſſe, niſi ſciet homines reputari juſtos & [illegible]er m[illegible]ordiam, propter Chriſtum, non propter propriam legis implet[illegible].

An Laurentius in craticula ſentie[illegible] ſe[illegible]re legi Dei ſatisfacere, ſe ſine peccato eſſe, ſe non indigere mediatore Chri[illegible] miſericordia Dei. Ille vero non diſſenſit à Propheta, qui ait, Non intres in judicium cum ſervo

Pſal. 143.

tuo,

tuo, quia non juſtificabitur coram te omnis vivens. Bernardus fatetur ſua opera non eſſe digna vita æterna, cum inquit, Perdite vixi, ſed erigit ſe, & ſpem ſalutis concipit inde, quod ſentit propter Chriſtum per miſericordiam donari remiſſionem peccatorum, & vitam æternam, ſicut Pſalmus docet, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Et Paulus ait. David dicit beatitudinem hominis, cui Deus imputat juſticiam ſine operibus. Hunc ait Paulus beatum eſſe, cui imputatur juſticia per fidem in Chriſtum, etiamſi nulla habeat bona opera. Talibus conſolationibus erigendæ ſunt conſcientiæ, & confirmandæ, quod propter Chriſtum per fidem contingant remiſſio peccatorum, reputatio juſticiæ, & vita æterna. Quod ſi in locis de operibus hoc modo fides intelligetur, nihil officiunt noſtræ ſententiæ. Et profecto neceſſe eſt ſemper addere fidem, ne excludamus mediatorem Chriſtum. Fidem autem bona opera ſequi debent, quia fides ſine bonis operibus hypocriſis eſt.

Pſal. 32
Rom. 4.

Habent & in Scholis quædam apophthegmata conſentanea noſtræ ſententiæ, qualia ſunt, quod bona opera placeant Deo propter gratiam. Item quod ſit confidendum gratiæ Dei. Hæc dicta parum commode interpretantur. Veteres enim ſentiebant confidendum eſſe gratiæ, hoc eſt, miſericordiæ Dei promittentis, quod propter Chriſtum ſimus accepti, At recentiores fiduciam transferunt ad noſtrum opus, Sentiunt confidendum eſſe gratiæ, hoc eſt, dilectioni, qua nos Deum diligimus. Hæc interpretatio eſt vitioſa. Non enim debemus confidere noſtra dilectione, cum ſit immunda & exigua, ſed promiſſione miſericordiæ. Iactatur & hoc, quod bona opera valeant virtute paſſionis Chriſti. Recte dictum eſt, ſed fidei mentionem fieri oportuit in his ſententijs. Non enim communicatur nobis meritum paſſionis Chriſti, niſi id fide apprehendamus & opponamus adverſus terrores peccati & mortis. Paulus enim inquit, Chriſtus eſt propiciatio per fidem. Item, Eccleſia in omnibus precationibus addit, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hic etiam admonendi ſunt homines de fide. Significat enim Eccleſia noſtra opera & noſtras preces Deo placere, ſi credamus Deum nobis propitium, & nos exaudire propter Pontificem Chriſtum.

Hæc in præſentia ſufficiant de hoc loco. Scimus autem hanc ſententiam quam defendimus Evangelio conſentaneam eſſe, & pijs conſcientijs firmiſſimas conſolationes afferre. Ideo piæ mentes non patiantur ſe ab hac ſententia propter iniqua & calumnioſa judicia adverſariorum abduci. Scriptura prædicit futurum eſſe, ut in Eccleſia graſſentur mali doctores, qui oppreſſa juſticia fidei in Chriſtum, doceant mereri remiſſionem peccatorum per noſtros cultus & opera. Et res geſtæ in Iſraël ſunt imago futuri ſtatus in Eccleſia. Videmus autem Prophetas ubiq; taxare hanc perſuaſionem populi, qui ſomniabat ſe mereri remiſſionem peccatorum per ſacrificia legis, & hac opinione cumulabat opera & cultus. Ita in Eccleſia multi exiſtunt, qui falſam perſuaſionem de ſuis operibus & cultibus habent. Monuit autem nos ſcriptura, ne multitudine impiorum perturbemur. Ac facile poteſt fieri judicium de ſpiritu adverſariorum. Videmus enim in multis articulis manifeſtam veritatem ab eis damnari. Nec offendat quenquam, quod ſibi Eccleſiæ nomen vendicant. Nam Eccleſia Chriſti apud hos eſt, qui Evangelium Chriſti recte docent, non apud illos, qui pravas opiniones contra Evangelium defendunt, ſicut inquit Dominus, Oves meæ vocem meam audiunt.

Iohan. 10.

DE ECCLESIA.

SEptimum articulum confeſſionis noſtræ damnaverunt, in quo diximus, Eccleſiam eſſe congregationem ſanctorum, Et addiderunt longam declamationem, quod mali non ſint ab Eccleſia ſegregandi, cum Iohannes comparaverit Eccleſiam areæ, in qua triticum & paleæ ſimul coacervatæ ſint, Et Chriſtus comparaverit eam ſagenæ, in qua piſces boni & mali ſunt &c. Profecto verum eſt, quod ajunt, Nullum remedium eſſe adverſus Sycophantæ morſum. Nihil tam

Matth. 3.
Matth. 13.

circumſpecte dici poteſt, ut calumniam evitare queat. Nos ob hanc ipſam cauſam adjecimus octavum articulum, ne quis exiſtimaret nos ſegregare malos & hypocritas ab externa ſocietate Eccleſiæ, aut adimere ſacramentis efficaciam, quæ per hypocritas, aut malos adminiſtrantur. Itaq; hic non eſt opus longa defenſione adverſus hanc calumniam.

Satis nos purgat articulus octavus. Concedimus enim quod hypocritæ & mali in hac vita ſint admixti Eccleſiæ, & ſint membra Eccleſiæ ſecundum externam ſocietatem ſignorum Eccleſiæ, hoc eſt, verbi, profeſſionis, & ſacramentorum, præſertim ſi non ſint excommunicati. Nec Sacramenta ideo non ſunt efficacia, quia per malos tractantur, Imo recte uti poſſumus ſacramentis, quæ per malos adminiſtrantur. Nam & Paulus prædicit futurum, ut Antichriſtus ſedeat in templo Dei, hoc eſt, in Eccleſia dominetur, & gerat officia. At Eccleſia non eſt 2. Theſſ. 2.
tantum ſocietas externarum rerum ac rituum, ſicut aliæ politiæ, Sed principaliter eſt ſocietas fidei & Spiritus ſancti, in cordibus, quæ tamen habet externas notas, ut agnoſci poſſit, videlicet puram Evangelij doctrinam, & adminiſtrationem ſacramentorum conſentaneam Evangelio Chriſti. Et hæc Eccleſia ſola dicitur corpus Chriſti, quod Chriſtus Spiritu ſuo renovat, ſanctificat, & gubernat, ut teſtatur Paulus Eph. 1. cum ait: Et ipſum dedit caput ſuper omnia, Eccleſiæ, quæ Ephes. 1.
eſt corpus ejus, videlicet integritas, id eſt, tota congregatio ipſius, qui omnia in omnibus perficit. Quare illi, in quibus nihil agit Chriſtus, non ſunt membra Chriſti, Idq; fatentur adverſarij malos eſſe mortua membra Eccleſiæ. Quare miramur, cur reprehenderint noſtram deſcriptionẽ, quæ de vivis membris loquitur.

Neq; novi quidquam diximus, Paulus omnino eodem modo definivit Eccleſiam Epheſ. 5. quod purificetur, ut ſit ſancta, Et addit externas notas, verbum & ſacramenta. Sic enim ait, Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe tradidit pro ea, ut eam ſanctificet purificans lavacro aquæ, per verbum, ut exhibeat eam ſibi glorio- Ephes. 5.
ſam Eccleſiam, non habentem maculam, neq; rugam, aut aliquid tale, ſed ut ſit ſancta & inculpata. Hanc ſententiam pene totidem verbis nos in confeſſione poſuimus. Sic definit Eccleſiam & articulus in Symbolo, qui jubet nos credere, quod ſit ſancta, catholica Eccleſia, Impij vero non ſunt ſancta Eccleſia. Et videtur additum quod ſequitur, Sanctorum communio, ut exponeretur quid ſignificet Eccleſia, nempe congregationem ſanctorum, qui habent inter ſe ſocietatem, ejuſdem Evangelij, ſeu doctrinæ, & ejuſdem Spiritus ſancti, qui corda eorum renovat, ſanctificat, & gubernat.

Et hic articulus neceſſaria de cauſa propoſitus eſt. Infinita pericula videmus quæ minantur Eccleſiæ interitum. Infinita multitudo eſt impiorum in ipſa Eccleſia, qui opprimunt eam. Itaq; ne deſperemus, ſed ſciamus Eccleſiam tamen manſuram eſſe. Item, ut ſciamus, quamvis magna multitudo ſit impiorum, tamen Eccleſiam exiſtere, & Chriſtum præſtare illa, quæ promiſit Eccleſiæ, remittere peccata, exaudire, dare Spiritum ſanctum. Has conſolationes proponit nobis articulus ille in Symbolo. Et catholicam Eccleſiam dicit, ne intelligamus Eccleſiam eſſe politiam externam certarum gentium, Sed magis homines ſparſos per totum orbem, qui de Evangelio conſentiunt, & habent eundem Chriſtum, eundem Spiritum ſanctum, & eadem ſacramenta, ſive habeant eaſdem traditiones humanas, ſive diſſimiles. Et in Decretis inquit gloſa, Eccleſiam large dictam complecti bonos & malos. Item malos nomine tantum in Eccleſia eſſe, non re, bonos vero re & nomine. Et in hanc ſententiam multa leguntur apud Patres. Hieronymus enim ait, Qui ergo peccator eſt aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici.

Quanquam igitur hypocritæ & mali ſint ſocij hujus veræ Eccleſiæ ſecundum externos ritus, tamẽ cum definitur Eccleſia, neceſſe eſt eam definiri, quæ eſt vivum corpus Chriſti, Item, quæ eſt nomine & re Eccleſia. Et multæ ſunt cauſæ. Neceſſe eſt enim intelligi, quæ res principaliter efficiat nos membra, & viva membra

bra Ecclesiæ. Si Ecclesiam tantum definiemus externam politiam esse bonorum & malorum, non intelligent homines regnum Christi esse justiciam cordis, & donationem Spiritus sancti, sed judicabunt tantum externam observationem esse certorum cultuum ac rituum. Item quid intererit inter populum legis, & Ecclesiam, si Ecclesia est externa politia. At sic discernit Paulus Ecclesiam à populo Legis, Ecclesia sit populus spiritualis, hoc est, non civilibus ritibus distinctus à gentibus, Sed verus populus Dei renatus per Spiritum sanctum. In populo legis præter promissionem de Christo, habebat & carnale semen promissiones rerum corporalium, regni, &c. Et propter has dicebantur populus Dei, etiam mali in his, quia hoc carnale semen Deus separaverat ab aliis gentibus per certas ordinationes externas, & promissiones, Et tamen mali illi non placebant Deo.

At Evangelium affert non umbram æternarum rerum, sed ipsas res æternas, Spiritum sanctum, & justiciam, qua coram Deo justi sumus. Igitur illi tantum sunt populus juxta Evangelium, qui hanc promissionem Spiritus accipiunt. Ad hæc Ecclesia est regnum Christi, distinctum contra regnum Diaboli. Certum est autem impios in potestate Diaboli, & membra regni Diaboli esse, sicut docet
Ephes. 2. Paulus Ephes. 2. cum ait, diabolum efficacem esse in incredulis. Et Christus inquit ad Pharisæos, quibus certe erat externa societas cum Ecclesia, id est, cum sanctis in populo legis, Præerant enim, sacrificabant, & docebant, Vos ex patre
Iohan. 8. diabolo estis. Itaque Ecclesia, quæ vere est regnum Christi, est proprie congregatio Sanctorum. Nam impij reguntur à diabolo, & sunt captivi diaboli, non reguntur spiritu Christi, Sed quid verbis opus est in re manifesta? Si Ecclesia, quæ vere est regnum Christi, distinguitur à regno diaboli, necesse est impios, cum sint in regno diaboli, non esse Ecclesiam.

Quanquam in hac vita, quia nondum revelatum est regnum Christi, sint admixti Ecclesiæ, & gerant officia in Ecclesia, Nec propterea impij sunt regnum Christi, quia revelatio nondum facta est. Semper enim hoc est regnum Christi, quod Spiritu suo vivificat, sive sit revelatum, sive sit tectum cruce. Sicut idem est
Matth. 13. Christus, qui nunc glorificatus est, antea afflictus erat. Et conveniunt huc similitudines Christi, qui clare dicit Matth. 13. Bonum semen esse filios regni. At Zizania filios Diaboli, agrum dicit mundum esse, non Ecclesiam. Ita Iohannes de illa tota gente Iudæorum loquitur & dicit fore, ut vera Ecclesia separetur ab illo populo. Itaq; hic locus magis contra adversarios facit, quàm pro eis, quia ostendit verum & spiritualem populum, à populo carnali separandum esse. Et Chri-
Matth. 25. stus de specie Ecclesiæ dicit, cum ait: Simile est regnum cœlorum sagenæ, aut decem virginibus. Et docet Ecclesiam tectam esse multitudine malorum, ne id scandalum pios offendat. Item, ut sciamus Verbum & Sacramenta efficacia esse, etsi tractentur à malis, atque interim docet impios illos, quamvis habeant societatem externorum signorum, tamen non esse verum regnum Christi, & membra Christi. Sunt enim membra regni diaboli.

Neq; vero somniamus nos Platonicam civitatem, ut quidam impie cavillantur, Sed dicimus existere hanc Ecclesiam, videlicet, vere credentes ac justos sparsos per totum orbem, Et addimus notas, puram doctrinam Evangelij, & sacramenta. Et hæc Ecclesia proprie est columna veritatis. Retinet enim purum Evangelium, & ut Paulus inquit, fundamentum, hoc est, veram Christi cognitionem & fidem, etsi sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, hoc est, quasdam inutiles opiniones, quæ tamen, quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur. Ac sanctorum Patrum scripta testantur, quod interdum stipulas etiam ædificaverint supra fundamentum, sed quæ non everterunt fidem eorum.

Verum pleraq; istorum, quæ adversarij nostri defendunt, fidem evertunt, ut quod damnant articulum de remissione peccatorum, In quo dicimus fide accipi remissionem peccatorum. Manifestus item & pernicioſus error est,

quod docent adverſarij, mereri homines remiſſionem peccatorum, dilectione erga Deum, ante gratiam. Nam hoc quoq; eſt tollere fundamentum, hoc eſt, Chriſtum. Item quid opus erit fide, ſi ſacramenta ex opere operato ſine bono motu utentis juſtificant. Sicut autem habet Eccleſia promiſſionem, quod ſemper ſit habitura Spiritum ſanctum, Ita habet comminationes, quod ſint futuri impij doctores, & lupi. Illa vero eſt proprie Eccleſia, quæ habet Spiritum ſanctum. Lupi & mali doctores etſi graſſantur in Eccleſia, tamen non ſunt proprie regnum Chriſti. Sicut & Lyra teſtatur, cum ait, Eccleſia non conſiſtit in hominibus ratione poteſtatis vel dignitatis Eccleſiaſticæ vel ſecularis, quia multi Principes & ſummi Pontifices & alij inferiores inventi ſunt apoſtataſſe à fide, Propter quod Eccleſia conſiſtit in illis perſonis, in quibus eſt noticia vera & confeſſio fidei & veritatis. Quid aliud diximus nos in confeſſione noſtra, quam quod hic dicit Lyra?

Sed fortaſſis adverſarij ſic poſtulant definiri Eccleſiam, quod ſit Monarchia externa ſuprema totius orbis terrarum, in qua oporteat Romanum Pontificem habere poteſtatem αὐτοκράτορα, de qua nemini liceat diſputare aut judicare, condendi articulos fidei, abolendi ſcripturas, quas velit, inſtituendi cultus & ſacrificia, Item condendi leges, quas velit, diſpenſandi & ſolvendi quibuſcunq; legibus velit, divinis, canonicis, & civilibus, à quo Imperator & Reges omnes accipiant poteſtatem & jus tenendi regna, de mandato Chriſti, cui cum pater omnia ſubjecerit, intelligi oporteat hoc jus in Papam translatum eſſe. Quare neceſſe ſit Papam eſſe dominum totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omnium rerum privatarum & publicarum, habere plenitudinem poteſtatis in temporalibus & ſpiritualibus, habere utrumq; gladium, ſpiritualem & temporalem. Atq; hæc definitio non Eccleſiæ Chriſti, ſed regni Pontificij, habet autores non ſolum Canoniſtas, ſed etiam Danielem Cap. 11. *Dan. 11.*

Quod ſi hoc modo definiremus Eccleſiam, fortaſſis haberemus æquiores Iudices. Multa enim extant immoderate & impie ſcripta de poteſtate Romanorum Pontificis, propter quæ nemo unquam reus factus eſt. Nos ſoli plectimur, quia prædicamus beneficium Chriſti, quod fide in Chriſtum conſequamur remiſſionem peccatorum, non cultibus excogitatis à Pontifice. Porro Chriſtus, Prophetæ, & Apoſtoli longe aliter definiunt Eccleſiam Chriſti, quam regnum Pontificium. Nec eſt ad Pontifices transferendum, quod ad veram Eccleſiam pertinet, quod videlicet ſint columnæ veritatis, quod non errent. Quotus quiſq; enim curat Evangelium, aut judicat dignum eſſe lectione? Multi etiam palam irrident religiones omnes, aut ſi quid probant, probant illa, quæ humanæ rationi conſentanea ſunt, Cætera fabuloſa eſſe arbitrantur, & ſimilia tragœdijs Poëtarum.

Quare nos juxta ſcripturas ſentimus, Eccleſiam proprie dictam eſſe congregationem ſanctorum, qui vere credunt Evangelio Chriſti, & habent Spiritum ſanctum. Et tamen fatemur multos hypocritas & malos his in hac vita admixtos, habere ſocietatem externorum ſignorum, qui ſunt membra Eccleſiæ, ſecundum ſocietatem externorum ſignorum, Ideoque gerunt officia in Eccleſia. Nec adimit ſacramentis efficaciam, quod per indignos tractantur, quia repræſentant Chriſti perſonam, propter vocationem Eccleſiæ, non repræſentant proprias perſonas, ut teſtatur Chriſtus: Qui vos audit, me audit. Cum verbum Chriſti, cum ſacramenta porrigunt, Chriſti vice & loco porrigunt. Id docet nos illa vox Chriſti, ne indignitate miniſtrorum offendamur. *Luc. 10.* Sed de hac re ſatis clare diximus in confeſſione nos improbare Donatiſtas, & Vigleviſtas, qui ſenſerunt homines peccare, accipientes Sacramenta ab indignis in Eccleſia. Hæc in præſentia videbantur ſufficere ad defenſionem deſcriptionis Eccleſiæ quam tradidimus. Neq; videmus, cum Eccleſia proprie dicta appelletur corpus Chriſti, quomodo aliter deſcribenda fuerit, quàm nos deſcripſimus. Conſtat enim impios ad regnum & corpus diaboli pertinere, qui impellit & habet captivos impios. Hæc

ſunt

ſunt luce meridiana clariora, quæ tamen ſi pergent calumniari adverſarij, non gravabimur copioſius reſpondere.

Damnant adverſarij & hanc partem ſeptimi articuli, quod diximus ad veram unitatem Eccleſiæ, ſatis eſſe conſentire de doctrina Evangelij, & adminiſtratione Sacramentorum, nec neceſſe eſſe, ubiq; ſimiles traditiones humanas eſſe, ſeu ritus aut ceremonias ab hominibus inſtitutas. Hic diſtinguunt univerſales & particulares ritus, & probant articulum noſtrum, ſi intelligatur de particularibus ritibus, De univerſalibus ritibus, non recipiunt. Non ſatis intelligimus, quid velint adverſarij. Nos de vera, hoc eſt, ſpirituali unitate loquimur, ſine qua non poteſt exiſtere fides in corde, ſeu juſticia cordis coram Deo. Ad hanc dicimus non eſſe neceſſariam ſimilitudinem rituum humanorum, ſive univerſalium, ſive particularium, Quia juſticia fidei non eſt juſticia alligata certis traditionibus, ſicut juſticia legis erat alligata Moſaicis ceremonijs, quia illa juſticia cordis eſt res vivificans corda. Ad hanc vivificationem nihil conducunt humanæ traditiones, ſive univerſales, ſive particulares, nec ſunt effectus Spiritus ſancti, ſicut caſtitas, patientia, timor Dei, dilectio proximi, & opera dilectionis.

Nec leves cauſæ fuerunt, cur hunc articulum poneremus. Conſtat enim multas ſtultas opiniones de traditionibus ſerpſiſſe in Eccleſiam. Nonnulli putaverunt humanas traditiones neceſſarios cultus eſſe ad promerendam juſtificationem. Et poſtea diſputaverunt, qui fieret, quod tanta varietate coleretur Deus, quaſi vero obſervationes illæ eſſent cultus, & non potius externæ & politicæ ordinationes, nihil ad juſticiam cordis ſeu cultum Dei pertinentes, quæ alibi caſu, alibi propter quaſdam probabiles rationes variant. Item aliæ Eccleſiæ alias propter tales traditiones excommunicaverunt, ut propter obſervationem Paſchatis, picturas & res ſimiles. Vnde imperiti exiſtimaverunt, fidem ſeu juſticiam cordis coram Deo, non poſſe exiſtere ſine his obſervationibus. Extant enim de hoc negocio multa inepta ſcripta Summiſtarum & aliorum.

Sed ſicut diſſimilia ſpacia dierum ac noctium non lædunt unitatem Eccleſiæ, Ita ſentimus non lædi veram unitatem Eccleſiæ diſſimilibus ritibus, inſtitutis ab hominibus. Quanquam placet nobis, ut univerſales ritus propter tranquillitatem ſeruentur. Sicut & nos in Eccleſijs, ordinem Miſſæ, diem Dominicum, & alios dies feſtos celebriores libenter ſervamus, Et gratiſſimo animo amplectimur utiles ac veteres ordinationes, præſertim cum contineant pædagogiam, qua prodeſt populum & imperitos aſſueſacere ac docere. Sed non diſputamus nunc, an conducat propter tranquillitatem aut corporalem utilitatem ſervare, Alia res agitur. Diſputatur enim, Vtrum obſervationes traditionum humanarum ſint cultus neceſſarij ad juſticiam coram Deo, Hoc eſt κρινόμενον in hac controverſia, quo conſtituto, poſtea judicari poteſt, Vtrum ad veram unitatem Eccleſiæ neceſſe ſit ubiq; ſimiles eſſe traditiones humanas. Si enim traditiones humanæ non ſunt cultus neceſſarij ad juſticiam coram Deo, Sequitur poſſe juſtos & filios Dei eſſe, etiamſi quas traditiones non habent, quæ alibi receptæ ſunt. Vt ſi forma veſtitus Germanici non eſt cultus Dei neceſſarius ad juſticiam coram Deo, Sequitur poſſe juſtos ac filios Dei & Eccleſiam Chriſti eſſe, etiamſi qui utantur non Germanico, ſed Gallico veſtitu.

Col. 2. Hoc clarè docet Paulus ad Coloſſenſes, cum ait: Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti. Item, Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viventes mundo decreta facitis. Ne tetigeritis, neq; guſtaveritis, neq; contrectaveritis, quæ omnia pereunt uſu conſumpta, & ſunt præcepta & doctrinæ hominum, ſpeciem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate. Eſt enim ſententia, cum juſticia cordis ſit res ſpiritualis, vivificans corda, conſtet, quod traditiones humanæ non vivificent corda, nec ſint effectus Spiritus ſancti, ſicut dilectio proximi, caſtitas &c.

nec ſint

nec ſint inſtrumenta, per quæ Deus movet corda ad credendum, ſicut Verbum & Sacramenta divinitus tradita, ſed ſint uſus rerum nihil ad cor pertinentium, quæ uſu pereant, non eſt ſentiendum, quod ſint neceſſariæ ad juſticiam coram Deo. Et in eandem ſententiam inquit Rom. 14. Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed juſticia & pax & gaudium in Spiritu ſancto. Sed non eſt opus citare multa teſtimonia, cum ubiq; ſint obvia in ſcripturis, & nos plurima in confeſſione congeſſerimus in poſterioribus articulis. Et hujus controverſiæ κρινόμενον infra paulo poſt repetendum erit, videlicet, Vtrum traditiones humanæ ſint cultus neceſſarij ad juſticiam coram Deo, Vbi de hac re copioſius diſputabimus. Rom. 14.

Adverſarij dicunt vniverſales traditiones ideo ſervandas eſſe, quia exiſtimentur ab Apoſtolis traditæ eſſe. O Religioſos homines. Ritus ab Apoſtolis ſumptos retineri volunt, Non volunt retineri doctrinam Apoſtolorum. Sic judicandum eſt de ritibus illis, ſicut ipſi Apoſtoli in ſuis ſcriptis judicant. Non enim voluerunt Apoſtoli nos ſentire, quod per tales ritus juſtificemur, quod tales ritus ſint res neceſſariæ ad juſticiam coram Deo. Non voluerunt Apoſtoli tale onus imponere conſcientijs, non voluerunt juſticiam & peccatum collocare in obſervationibus dierum, ciborum, & ſimilium rerum. Imo Paulus appellat hujuſmodi opiniones, doctrinas dæmoniorum. Itaq; voluntas & conſilium Apoſtolorum ex ſcriptis eorum quæri debet, non eſt ſatis allegare exemplum. Servabant certos dies, non quod ea obſervatio ad juſtificationem neceſſaria eſſet, ſed ut populus ſciret, quo tempore conveniendum eſſet, Servabant & alios quoſdam ritus, ordinem lectionum ſi quando conveniebant. Quædam etiam ex patrijs moribus, ut fit, retinebat populus, quæ Apoſtoli nonnihil mutata, ad hiſtoriam Evangelij accommodaverunt, ut Paſcha, Pentecoſten, ut non ſolum docendo, ſed etiam per hæc exempla memoriam maximarum rerum traderent poſteris. 1. Tim. 4.

Quod ſi hæc tradita ſunt, tanquam neceſſaria ad juſtificationem, cur in his ipſis poſtea multa mutarunt Epiſcopi? Quod ſi erant Iuris divini, non licuit ea mutare autoritate humana. Paſcha ante Synodum Nicenam alij alio tempore ſervabant, Neque hæc diſſimilitudo læſit fidē. Poſtea ratio inita eſt, ne incideret noſtrum Paſcha in Iudaici Paſchatis tempus. At Apoſtoli juſſerant Eccleſias ſervare Paſcha, cum fratribus converſis ex Iudaiſmo. Itaq; hunc morem quædam gentes pertinaciter poſt Synodum Nicenam retinuerunt, ut Iudaicum tempus obſervarent. Verum Apoſtoli decreto illo non voluerunt Eccleſijs imponere neceſſitatem, Id quod verba Decreti teſtantur. Iubent enim ne quis curet, etiamſi fratres ſervantes Paſcha, non recte ſupputent tempus. Verba Decreti extant apud Epiphanium, ὑμᾶς μὴ ψηφίζειν, ἀλλὰ ποιεῖν, ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν, οἱ ἐκ περιτομῆς, μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖν, κἄντε πλανῶνται μηδὲν ὑμῶν μελέτω. Hæc ſcribit Epiphanius verba eſſe Apoſtolorum in Decreto quodam, poſita de Paſchate, in quibus prudens lector facile poteſt judicare Apoſtolos voluiſſe populo ſtultam opinionem de neceſſitate certi temporis eximere, cum prohibent curare, etiamſi in ſupputando erretur.

Porro quidam in oriente, qui Audiani appellati ſunt ab autore dogmatis, propter hoc decretum Apoſtolorum contenderunt, Paſcha cum Iudæis ſervandum eſſe. Hos revellens Epiphanius laudat decretum, & inquit nihil continere quod diſſentiat à fide, aut Eccleſiaſtica regula, & vituperat Audianos, quod non recte intelligant τὸ ῥητὸν, & interpretatur in hanc ſententiam, in quam nos interpretamur, quod non ſenſerint Apoſtoli referre, quo tempore ſervaretur Paſcha, Sed quia præcipui fratres ex Iudæis converſi erant, qui morem ſuum ſervabant, horum exemplum propter concordiam voluerint reliquos ſequi. Et ſapienter admonuerunt lectorem Apoſtoli, ſe neq; libertatem Evangelicam tollere, neque neceſſitatem conſcientijs imponere, Quia addunt, non eſſe curandum, etiamſi erretur in ſupputando.

Multa hujus generis colligi poſſunt ex hiſtorijs, in quibus apparet diſſimilitu-

militudinem humanarum obſervationum non lædere unitatem fidei. Quanquam quid opus eſt diſputatione, Omnino quid ſit juſticia fidei, quid ſit regnum Chriſti, non intelligunt adverſarij, ſi judicant neceſſariam eſſe ſimilitudinem obſervationum in cibis, diebus, veſtitu, & ſimilibus rebus, quæ non habent mandatum Dei. Videte autem religioſos homines adverſarios noſtros, Requirunt ad unitatem Eccleſiæ ſimiles obſervationes humanas, cum ipſi mutaverint ordinationem Chriſti, in uſu cœnæ, quæ certe fuit antea ordinatio univerſalis. Quod ſi ordinationes univerſales neceſſariæ ſint, cur mutant ipſi ordinationem cœnæ Chriſti, quæ non eſt humana, ſed divina. Sed de hac tota controverſia infra aliquoties dicendum erit.

OCtavus articulus approbatus eſt totus, in quo confitemur, quod hypocritæ & mali admixti ſint Eccleſiæ, Et quod ſacramenta ſint efficacia, etiamſi per malos miniſtros tractentur. Quia miniſtri funguntur vice Chriſti, non repræſentant ſuam perſonã, Iuxta illud, Qui vos audit, me audit. Impij doctores deſerendi ſunt, quia hi jam non funguntur perſona Chriſti, ſed ſunt Antichriſti. Et Chriſtus ait, Cavete à Pſeudoprophetis, Et Paulus, Si quis aliud Evangelium evangelizaverit, anathema ſit.

Luc. 10. Matth. 7. Gal. 1.

Cæterum monuit nos Chriſtus in collationibus dè Eccleſia, nè offenſi privatis vitijs ſive ſacerdotum ſive populi, ſchiſmata excitemus, ſicut ſcelerate fecerunt Donatiſtæ. Illos vero, qui ideo excitaverunt ſchiſmata, quia negabant ſacerdotibus licere tenere poſſeſſiones aut proprium, plane ſeditioſos judicamus. Nam tenere proprium civilis ordinatio eſt. Licet autem Chriſtianis uti civilibus ordinationibus, ſicut hoc aëre, hac luce, cibo potu. Nam ut hæc rerum natura, & hi ſiderum certi motus, vere ſunt ordinatio Dei, & conſervantur à Deo, ita legitimæ Politiæ vere ſunt ordinatio Dei, & retinentur ac defenduntur à Deo adverſus diabolum.

NOnus articulus approbatus eſt, in quo confitemur, quod Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem, & quod pueri ſint baptizandi, & quod baptiſmus puerorum non ſit irritus, ſed neceſſarius, & efficax ad ſalutem. Et quoniam Evangelium pure ac diligenter apud nos docetur, Dei beneficio hunc quoque fructum ex eo cápimus, quod in Eccleſijs noſtris nulli extiterunt Anabaptiſtæ, quia populus verbo Dei adverſus impiam & ſeditioſam factionem illorum latronum munitus eſt. Et cum pleroſque alios errores Anabaptiſtarum damnamus, tum hunc quoque, quod diſputant baptiſmum parvulorum inutilem eſſe. Certiſſimum eſt enim, quod promiſſio ſalutis pertinet etiam ad parvulos. Neq; vero pertinet ad illos, qui ſunt extra Eccleſiam Chriſti, ubi nec verbum, nec ſacramenta ſunt, quia regnum Chriſti tantum cum Verbo & ſacramentis exiſtit. Igitur neceſſe eſt baptizari parvulos, ut applicetur eis promiſſio ſalutis, juxta mandatum Chriſti, Baptizate omnes gentes. Vbi ſicut offertur omnibus ſalus, ita offertur omnibus baptiſmus, viris, mulieribus, pueris, infantibus. Sequitur igitur clare, infantes baptizandos eſſe, quia ſalus cum baptiſmo offertur.

Matth. 28.

Secundo manifeſtum eſt, quod Deus approbat baptiſmum parvulorum. Igitur Anabaptiſtæ impiæ ſentiunt, qui damnant baptiſmum parvulorum. Quod autem Deus approbet baptiſmum parvulorum, hoc oſtendit, quod Deus dat Spiritum ſanctum ſic baptizatis. Nam ſi hic Baptiſmus irritus eſſet, nullis daretur Spiritus ſanctus, nulli fierent ſalvi, deniq; nulla eſſet Eccleſia. Hæc ratio bonas & pias mentes, vel ſola ſatis confirmare poteſt contra impias & fanaticas opiniones Anabaptiſtarum.

DEcimus articulus approbatus eſt, in quo confitemur, nos ſentire, quod in cœna Domini vere & ſubſtantialiter adſint, corpus & ſanguis Chriſti, & vere exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc ſententiam conſtanter defende-

runt

Digitized by Google

runt noſtri Concionatores. Et comperimus non tantum Romanam Eccleſiam affirmare corporalem præſentiam Chriſti, ſed idem & nunc ſentire, & olim ſenſiſſe Græcam Eccleſiam, ut teſtatur Canon Miſſæ apud Græcos.

Et extant quorundam ſcriptorum teſtimonia. Nam Cyrillus in Iohannem Cap. 15. inquit, Chriſtum corporaliter nobis exhiberi in cœna, Sic enim ait. Non tamen negamus recta nos fide charitateq; ſyncera, Chriſto ſpiritualiter conjungi, Sed nullam nobis conjunctionis rationem ſecundum carnem cum illo eſſe, id profecto pernegamus, idq; à divinis ſcripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitavit Chriſtum etiam ſic vitem eſſe, nos vero palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus ſumus in Chriſto, quia etſi multi ſumus, unum tamen in eo ſumus. Omnes enim uno pane participamus. An fortaſſe putat ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe? quæ cum in nobis fit, nonne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? Et paulo poſt, unde conſiderandum eſt, non habitudine ſolum, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam participatione naturali, &c. Hæc recitavimus, non ut hic diſputationem de hac re inſtitueremus, Non enim improbat hunc articulum Cæſ. Majeſtas, Sed ut clarius etiam perſpicerent, quicunque iſta legent, nos defendere receptam in tota Eccleſia ſententiam, quod in cœna Domini vere & ſubſtantialiter adſint corpus & ſanguis Chriſti, & vere exhibeantur cum his rebus, quæ videntur, pane & vino. Et loquimur de præſentia vivi Chriſti, Scimus enim quod mors ei ultra non dominabitur.

Lib. 15.

1. Cor. 10

VNdecimus articulus de retinenda Abſolutione in Eccleſia probatur, Sed de confeſſione addunt correctionem, videlicet, obſervandam eſſe conſtitutionem Cap. Omnis utriuſq;, ut & quotannis fiat confeſſio, & quamvis omnia peccata enumerari non queant, tamen diligentia adhibendam eſſe, ut colligantur, & illa, quæ redigi in memoriam poſſunt, recenſeantur. De hoc toto articulo dicemus paulo poſt copioſius, cum ſententiam noſtram de pœnitentia totam explicabimus. Conſtat nos beneficium Abſolutionis, & poteſtatem clavium ita illuſtraviſſe & ornaviſſe, ut multæ afflictæ conſcientiæ, ex doctrina noſtrorum, conſolationem conceperint, poſtquam audiverunt mandatum Dei eſſe, imo propriam Evangelij vocem, ut abſolutioni credamus, & certo ſtatuamus nobis gratis donari remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, & ſentiamus vere nos hac fide reconciliari Deo. Hæc ſententia multas pias mentes erexit, & initio commendationem maximam apud omnes bonos viros attulit Luthero, cum oſtendit certam & firmam conſolationem conſcientijs. Quia antea tota vis Abſolutionis erat oppreſſa doctrinis operum, cum de fide, & gratuita remiſſione nihil docerent Sophiſtæ & Monachi.

Cæterum de tempore, certe in Eccleſijs noſtris plurimi ſæpe in anno utuntur ſacramentis, Abſolutione, & cœna Domini. Et qui docent, de dignitate, & fructibus ſacramentorum ita dicunt, ut invitent populum, ut ſæpe utantur ſacramentis. Extant enim de hac re multa à noſtris ita ſcripta, ut adverſarij, ſi qui ſunt boni viri, haud dubie probent ac laudent. Denuntiatur & excommunicatio flagitioſis & contemptoribus ſacramentorum. Hæc ita fiunt, & juxta Evangelium, & juxta veteres Canones. Sed certum tempus non præſcribitur, quia non omnes pariter eodem tempore idonei ſunt. Imo ſi accurrant eodem tempore omnes, non poſſunt ordine audiri, & inſtitui homines. Et veteres Canones ac Patres non conſtituunt certum tempus, Tantum ita dicit Canon, ſi qui intrant Eccleſiam Dei, & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur, Quod ſi non communicant, ad pœnitentiam accedant. Si communicant, non ſemper abſtineant, Si non fecerint, abſtineant. Chriſtus ait illos ſibi judicium manducare, qui manducant indigne. Ideo paſtores non cogunt hos, qui non ſunt idonei, ut ſacramentis utantur.

De enu-

De enumeratione peccatorum in Confessione, sic docentur homines, ne laquei injiciantur conscientijs, etiamsi prodest rudes assuefacere, ut quædam enumerent, ut doceri facilius possint. Verum disputamus nunc, quid sit necessarium jure divino. Non igitur debebant adversarij nobis allegare constitutionem, Omnis utriusq;, quæ nobis non est ignota, Sed ex Iure divino ostendere, quod enumeratio peccatorum sit necessaria ad consequendam remissionem. Tota Ecclesia per universam Europam scit, quales laqueos injecerit conscientijs illa particula constitutionis, quæ jubet omnia peccata confiteri. Nec tantum habet incommodi textus per se, quantum postea affinxerunt Summistæ, qui colligunt circumstantias peccatorum. Quales ibi Labyrinthi, quanta carnificina fuit optimarum mentium. Nam feros & profanos ista terriculamenta nihil movebant.

Postea quales tragœdias excitavit quæstio, de proprio sacerdote inter Pastores, & Fratres, qui tunc minime erant fratres, cum de regno confessionum belligerabantur. Nos igitur sentimus enumerationem peccatorum non esse necessariam Iure divino, Idq; placet Panormitano, & plærisque alijs eruditis Iurisconsultis. Nec volumus imponere necessitatem conscientijs nostrorum per constitutionem illam, Omnis utriusq;, de qua perinde judicamus, ut de alijs traditionibus humanis, de quibus sentimus, quod non sint cultus ad justificationem necessarij. Et hæc constitutio rem impossibilem præcipit, ut omnia peccata confiteamur. Constat autem plurima nos nec meminisse, nec intelligere, juxta illud, Delicta quis intelligit? Psal 19.

Si sint boni Pastores, scient quatenus prosit examinare rudes, sed illam carnificinam Summistarum confirmare non volumus, quæ tamen minus fuisset intolerabilis, si verbum unum addidissent, de fide consolante, & erigente conscientias. Nunc de hac fide consequente remissionem peccatorum, nulla est syllaba, in tanta mole constitutionum, glossarum, Summarum, Confessionalium. Nusquam ibi Christus legitur, Tantum leguntur supputationes peccatorum, Et maxima pars consumitur in peccatis, contra traditiones humanas, quæ est vanissima. Hæc doctrina adegit multas pias mentes ad desperationē, quæ non potuerunt acquiescere, quia sentiebant Iure divino necessariam esse enumerationem, & tamen experiebantur impossibilem esse. Sed hærent alia non minora vitia in doctrina adversariorum de pœnitentia, quæ jam recensebimus.

DE POENITENTIA.

IN articulo duodecimo probant primam partem, qua exponimus, Lapsis post Baptismum contingere posse remissionem peccatorum quocunq; tempore, & quotiescunq; convertuntur. Secundam partem damnant, in qua pœnitentiæ partes dicimus esse contritionem & fidem, Negant fidem esse alteram partem pœnitentiæ. Quid hic Carole Cæsar invictissime faciamus? Hæc est propria vox Evangelij quod fide consequamur remissionem peccatorum, Hanc vocem Evangelij damnant isti scriptores confutationis. Nos igitur nullo modo assentiri confutationi possumus, Non possumus saluberrimam vocem Evangelij, & plenam consolationis damnare. Quid est aliud negare, quod fide consequamur remissionem peccatorum, quam contumelia afficere sanguinem & mortem Christi? Rogamus igitur te Carole Cæsar Invictiss. ut nos de hac re maxima, quæ præcipuum Evangelij locum, quæ veram Christi cognitionem, quæ verum cultum Dei continet, patienter ac diligenter audias & cognoscas. Comperient enim omnes boni viri, nos in hac re præcipue docuisse vera, pia, salubria, & necessaria universæ Ecclesiæ Christi, Comperient ex scriptis nostrorum plurimum lucis accessisse Evangelio, & multos pernicioſos errores emendatos esse, quibus antea obruta fuit doctrina de pœnitentia, per Scholasticorum & Canonistarum opiniones.

Digitized by Google

Ac priuſquam accedimus ad defenſionem noſtræ ſententiæ, hoc præfandum eſt, Omnes boni viri, omnium ordinum ac Theologici ordinis etiam, haud dubie fatentur, ante Lutheri ſcripta, confuſiſſimam fuiſſe doctrinam pœnitentiæ. Extant libri Sententiariorum, ubi ſunt infinitæ quæſtiones, quas nulli Theologi vnquam ſatis explicare potuerunt, Populus neq; rei ſummam complecti potuit, nec videre, quæ præcipue requirerentur in pœnitentia, ubi quærenda eſſet pax conſcientiæ. Prodeat nobis aliquis ex adverſarijs, qui dicat, quando fiat remiſſio peccatorum. Bone Deus, quantæ tenebræ ſunt, Dubitant, utrum in attritione, vel in contritione fiat remiſſio peccatorum. Et ſi ſit per contritionem, quid opus eſt Abſolutione, quid agit poteſtas clavium, ſi peccatum jam eſt remiſſum? Hic vero multo magis etiam ſudant, & poteſtatem clavium impie extenuant, Alij ſomniant poteſtate clavium non remitti culpam, ſed mutari pœnas æternas, in temporales. Ita ſaluberrima poteſtas, eſſet miniſterium non vitæ, & ſpiritus, ſed tantum iræ, & pœnarum. Alij videlicet cautiores fingunt poteſtate clavium remitti peccata, coram Eccleſia, non coram Deo. Hic quoque perniciosus error eſt. Nam ſi poteſtas clavium non conſolatur nos coram Deo, quæ res tandem reddet pacatam conſcientiam?

Iam illa ſunt magis etiam perplexa, Docent nos contritione mereri gratiam. Vbi ſi quis interroget, quare Saul, Iudas, & ſimiles non conſequantur gratiam, qui horribiliter contriti ſunt. Hic de fide, & de Evangelio reſpondẽdum erat, quod Iudas non crediderit, non erexerit ſe Evangelio & promiſſione Chriſti. Fides enim oſtendit diſcrimen inter contritionem Iudæ & Petri. Verum adverſarij de lege reſpondent, quod Iudas non dilexerit Deum, ſed timuerit pœnas. Quando autem territa conſcientia, præſertim in ſerijs, veris, & illis magnis terroribus, qui deſcribuntur in Pſalmis ac Prophetis, & quos certe deguſtant iſti, qui vere convertuntur, judicare poterit, Vtrum Deum propter ſe timeat, an fugiat æternas pœnas. Hi magni motus literis & vocabulis diſcerni poſſunt, re ipſa non ita divelluntur, ut iſti ſuaves Sophiſtæ ſomniant. Hic appellamus judicia omnium bonorum & ſapientum virorum, Hi haud dubie fatebuntur has diſputationes apud adverſarios perplexiſſimas & intricatiſſimas eſſe. Et tamen agitur de re maxima, de præcipuo Evangelij loco, de remiſſione peccatorum. Tota hæc doctrina de his quæſtionibus, quas recenſuimus, apud adverſarios plena eſt errorum & hypocriſis, & obſcurat beneficium Chriſti, poteſtatem clavium, & juſticiam fidei.

Hæc fiunt in primo actu, Quid cum ventum eſt ad Confeſſionem? Quantum ibi negocij eſt in illa infinita enumeratione peccatorum, quæ tamen magna ex parte conſumitur in traditionibus humanis. Et quo magis crucientur bonæ mentes, fingunt hanc enumerationem eſſe Iuris divini. Et cum ipſam enumerationem exigant, prætextu Iuris divini, interim de abſolutione, quæ vere eſt Iuris divini, frigide loquuntur. Fingunt ipſum ſacramentum ex opere operato conferre gratiam ſine bono motu utentis, de fide apprehendente abſolutionem, & conſolante conſcientiam, nulla fit mentio. Hoc vere eſt, quod dici ſolet, ἀπώσαι περὶ τῶν μυστηρίων.

Reſtat tertius actus de ſatisfactionibus, Hic vero habet confuſiſſimas diſputationes. Fingunt æternas pœnas mutari in pœnas purgatorij, Et harum partem remitti poteſtate clavium, partem docent redimendam eſſe ſatisfactionibus. Addunt amplius, quod oporteat ſatisfactiones eſſe opera ſupererogationis, & hæc conſtituunt in ſtultiſſimis obſervationibus, velut in peregrinationibus, Roſarijs, aut ſimilibus obſervationibus, quæ non habent mandata Dei. Deinde, ſicut purgatorium ſatisfactionibus redimunt, Ita excogitata eſt ars redimendi ſatisfactiones, quæ fuit quæſtuoſiſſima, Vendunt enim indulgentias, quas interpretãtur eſſe remiſſiones ſatisfactionũ. Et hic quæſtus non ſolum ex vivis, ſed multo amplior eſt ex mortuis. Neq; ſolum indulgentijs, ſed etiam ſacrificio Miſſæ redimunt

ſatisfa-

satisfactiones mortuorum, deniq; infinita res est, de satisfactionibus. Inter hæc scandala, non enim possumus enumerare omnia, & doctrinas dæmoniorum, jacet obruta doctrina de justicia fidei in Christum, & de beneficio Christi. Quare intelligunt omnes boni viri, utiliter & pie reprehensam esse doctrinam Sophistarum & Canonistarum, de pœnitentia. Nam hæc dogmata aperte falsa sunt, & non solum aliena à scripturis sanctis, sed etiam ab Ecclesiastici patribus.

I. Quod per bona opera extra gratiam facta mereamur ex pacto divino gratiam.

II. Quod per attritionem mereamur gratiam.

III. Quod ad deletionem peccati, sola detestatio criminis sufficiat.

IIII. Quod propter contritionem, non fide in Christum, consequamur remissionem peccatorum.

V. Quod potestas clavium valeat ad remissionem peccatorum, non coram Deo, sed coram Ecclesia.

VI. Quod potestate clavium non remittantur peccata coram Deo, sed quod sit instituta potestas clavium, ut mutet pœnas æternas in temporales, ut imponat certas satisfactiones conscientijs, ut instituat novos cultus, & ad tales satisfactiones & cultus obliget conscientias.

VII. Quod enumeratio delictorum in Confessione, de qua præcipiunt adversarii, sit necessaria Iure divino.

VIII. Quod Canonicæ satisfactiones necessariæ sint ad pœnam purgatorij redimendam, aut prosint tanquam compensatio ad tollendam culpam. Sic enim imperiti intelligunt.

IX. Quod susceptio sacramenti pœnitentiæ, ex opere operato, sine bono motu utentis, hoc est, sine fide in Christum, conferat gratiam.

X. Quod potestate clavium per indulgentias liberentur animæ ex purgatorio.

XI. Quod in reservatione casuum, non solum pœna Canonica, sed etiam culpa reservari debeat, in eo, qui vere convertitur.

Nos igitur, ut explicaremus pias conscientias ex his labyrinthis Sophistarum, constituimus duas partes pœnitentiæ, videlicet contritionem, & fidem. Si quis volet addere tertiam, videlicet, dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, bona opera sequentia conversionem, non refragabimur. Neq; ignoramus, quod vocabulum pœnitentiæ, Grammaticis significet, improbare id, quod antea probabamus. Id magis quadrat ad contritionem, quam ad fidem. Sed nos hic docendi causa, pœnitentiam totam conversionem intelligimus, in qua duo sunt termini, mortificatio & vivificatio. Nos vocamus usitatis nominibus contritionem & fidem.

De contritione præcidimus illas ociosas & infinitas disputationes, quando ex dilectione Dei, quando ex timore pœnæ doleamus, Sed dicimus contritionem esse veros terrores conscientiæ, quæ Deum sentit irasci peccato & dolet se peccasse. Et hæc contritio ita fit, quando verbo Dei arguuntur peccata, quia hæc est summa prædicationis Evangelij, Arguere peccata, & offerre remissionem peccatorum, & justiciam propter Christum, & Spiritum sanctum, & vitam æternam, & ut renati benefaciamus. Sic complectitur summam Evangelij Christus, *Luc. 24.* cum ait, Lucæ ultimo, prædicate in nomine meo pœnitentiam & remissionem *Psal. 37.* peccatorum inter omnes gentes. Et de his terroribus loquitur scriptura, ut Psal. 37. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, Sicut onus grave, *Psal. 6.* gravatæ sunt super me &c. Afflictus sum & humiliatus sum nimis, Rugiebam à gemitu cordis mei. Et Psal. 6. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, *Esa. 38.* Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, Et anima mea turbata est valde, Et tu Domine usque quo? Et Esaiæ 38. Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi, Sperabam usq; ad mane, Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

Digitized by Google

In his terroribus ſentit conſcientia iram Dei adverſus peccatum, quæ eſt ignota ſecuris hominibus ſecundum carnem ambulantibus. Videt peccati turpitudinem, & ſerio dolet ſe peccaſſe, etiam fugit interim horribilem iram Dei, quia non poteſt eam ſuſtinere humana natura, niſi ſuſtentetur verbo Dei. Ita Gal. 2. Paulus ait, Per legem legi mortuus ſum. Lex enim tantum accuſat & terret conſcientias. In his terroribus adverſarij noſtri nihil de fide dicunt. Ita tantum proponunt verbum, quod arguit peccata. Quod cum ſolum traditur, doctrina legis eſt, non Evangelij. His doloribus ac terroribus dicunt homines mereri gratiam, Si tamen diligunt Deum. At quomodo diligent Deum homines in veris terroribus, cum ſentiunt horribilem & inexplicabilem humana voce iram Dei? Quid aliud niſi deſperationem docent, qui in his terroribus tantum oſtendunt legem?

Nos igitur addimus alteram partem pœnitentiæ de fide in Chriſtum, quod in his terroribus debeat conſcientijs proponi Evangelium de Chriſto, in quo promittitur gratis remiſſio peccatorum de Chriſto. Debent igitur credere, quod propter Chriſtum gratis remittuntur ipſis peccata. Hæc fides erigit, ſuſtentat, & vivificat contritos, juxta illud, Iuſtificati ex fide pacem habemus. Hæc fides conſequitur remiſſionem peccatorum, Hæc fides juſtificat coram Deo, ut i- Rom. 5. dem locus teſtatur, Iuſtificati ex fide. Hæc fides oſtendit diſcrimen inter contritionem Iudæ & Petri, Saulis & Davidis. Ideo Iudæ aut Saulis contritio non prodeſt, quia non accedit ad eam hæc fides apprehendens remiſſionem peccatorum donatam propter Chriſtum. Ideo prodeſt Davidis aut Petri contritio, quia ad eam fides accedit, apprehendens remiſſionem peccatorum donatam propter Chriſtum. Nec prius dilectio adeſt, quàm ſit facta fide reconciliatio. Lex enim non fit ſine Chriſto, juxta illud, Per Chriſtum habemus acceſſum ad Deum. Et Rom. 5. hæc fides paulatim creſcit, & per omnem vitam luctatur cum peccato, ut vincat peccatum & mortem. Cæterum fidem ſequitur dilectio, ut ſupra diximus. Et ſic clare definiri poteſt filialis timor, talis pavor, qui cum fide conjunctus eſt, hoc eſt, ubi fides conſolatur & ſuſtentat pavidum cor. Servilis timor, ubi fides non ſuſtentat pavidum cor.

Porro poteſtas clavium adminiſtrat & exhibet Evangelium per Abſolutionem, quæ eſt vera vox Evangelij, Ita & abſolutionem complectimur, cum de fide dicimus, quia fides eſt ex auditu, ut ait Paulus. Nam audito Evangelio, audi- Rom. 10. ta abſolutione, erigitur & concipit conſolationem conſcientia. Et quia Deus verè per verbum vivificat, claves verè coram Deo remittunt peccata, juxta illud, Qui vos audit, me audit, Quare voci abſolventis, non ſecus ac voci de cœlo Matth. 10. ſonanti credendum eſt. Et abſolutio proprie dici poteſt ſacramentum pœnitentiæ, ut etiam Scholaſtici theologi eruditiores loquuntur. Interim hæc fides in tentationibus multipliciter alitur per Evangelij ſententias, & per uſum ſacramentorum. Hæc enim ſunt ſigna novi teſtamenti, hoc eſt ſigna remiſſionis peccatorum. Offerunt igitur remiſſionem peccatorum, ſicut clare teſtantur verba cœnæ Domini: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, Hic eſt calix novi te- Matth. 26. ſtamenti &c. Ita fides concipitur & confirmatur per abſolutionem, per auditum Luc. 22. Evangelij, per uſum ſacramentorum, ne ſuccumbat, dum luctatur cum terro- 1. Cor. 11. ribus peccati & mortis.

Hæc ratio pœnitentiæ plana & perſpicua eſt, & auget dignitatem poteſtatis clavium, & ſacramentorum, & illuſtrat beneficium Chriſti, docet nos uti mediatore ac propitiatore Chriſto.

Sed quia confutatio damnat nos, quod has duas partes pœnitentiæ poſuerimus, oſtendendum eſt, quod ſcriptura in pœnitentia, ſeu converſione Impij ponat has præcipuas partes. Chriſtus enim inquit, Matth. 11. Venite ad me omnes, Matth. 11. qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hic duo membra ſunt, Labor & onus ſignificant contritionem, pavores & terrores peccati & mortis. Venire ad Chriſtum, eſt credere, quod propter Chriſtum remittantur peccata, cum credimus,

dimus, vivificantur corda Spiritu ſancto, per verbum Chriſti. Sunt igitur hic duæ partes præcipuæ contritio & fides. Et Marci primo Chriſtus ait, Agite pœ-
Marc. 1 nitentiam,& credite Evangelio. Vbi in priore particula arguit peccata, in poſteriore conſolatur nos, & oſtendit remiſſionem peccatorum. Nam credere Evangelio, non eſt illa generalis fides,quam habent & diaboli, ſed proprie eſt credere remiſſionem peccatorum propter Chriſtum donatam. Hæc enim revelatur in Evangelio. Videtis & hic duas partes conjungi, Contritionem, cum arguuntur peccata,& fidem,cum dicitur credite Evangelio.Si quis hic dicat Chriſtum complecti etiam fructus pœnitentiæ, ſeu totam novam vitam, non diſſentiemus. Nam hoc nobis ſufficit,quod hæ partes præcipuæ nominantur,contritio & fides.

Paulus fere ubiq; cum deſcribit converſionem ſeu renovationem,facit has
Coloſſ. 2. duas partes, Mortificationem & Vivificationem, ut Coloſſen. 2. In quo circumciſi eſtis circumciſione non manu facta, videlicet expoliatione corporis peccatorum carnis, Et poſtea,in quo ſimul reſuſcitati eſtis per fidem efficaciæ Dei. Hic duæ ſunt partes, Altera eſt expoliatio corporis peccatorum, Altera eſt reſuſcitatio per fidem. Neque hæc verba, mortificatio, vivificatio, expoliatio corporis peccatorum, reſuſcitatio, Platonicę intelligi debent de ſimulata mutatione, Sed mortificatio ſignificat veros terrores, quales ſunt morientium,quos ſuſtinere natura non poſſet,niſi erigeretur fide. Ita hic expoliationem corporis peccatorum vocat, quam nos dicimus uſitate contritionem, quia in illis doloribus concupiſcentia naturalis expurgatur. Et vivificatio intelligi debet, non imaginatio Platonica, ſed conſolatio, quæ vere ſuſtentat fugientem vitam in contritione. Sunt ergo hic duæ partes, contritio & fides. Quia enim conſcientia non poteſt reddi
Rom. 1. pacata, niſi fide. Ideo ſola fides vivificat, juxta hoc dictum, Iuſtus ex fide vivet.

Coloſſ. 2. Et deinde in Coloſſenſibus inquit, Chriſtum delere Chirographum, quod per legem adverſatur nobis. Hic quoq; duæ ſunt partes, Chirographum, & deletio Chirographi. Eſt autem Chirographum conſcientia arguens & condemnans nos, Porro lex eſt verbum quod arguit & condemnat peccata. Hæc
2. Reg. 12. igitur vox, quæ dicit, Peccavi Domino, ſicut David ait, eſt Chirographum. Et hanc vocem impij & ſecuri homines non emittunt ſerio. Non enim vident, non legunt ſcriptam in corde ſententiam legis. In veris doloribus ac terroribus cernitur hæc ſententia. Eſt igitur Chirographum ipſa contritio, condemnans nos. Delere Chirographum, eſt tollere hanc ſententiam condemnationis ex animo, & ſententiam inſculpere, qua ſentiamus nos liberatos eſſe ab illa condemnatione. Eſt autem fides, nova illa ſententia, quæ abolet priorem ſententiam,& reddit pacem & vitam cordi.

Quanquam quid opus eſt multa citare teſtimonia, cum ubiq; obvia ſint in
Pſal. 117. ſcripturis. Pſalmo 117. Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit
Pſal. 118. me. Pſalmo 118. Defecit anima mea præ anguſtia, Confirma me verbo tuo. Vbi in priore membro continetur contritio, in ſecundo modus clare deſcribitur quomodo in contritione recreemur, ſcilicet verbo Dei, quod offert gratiam. Id
1. Reg. 2. ſuſtentat & vivificat corda. Et 1. Reg. 2. Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Horum altero ſignificatur contritio, altero ſignificatur
Eſa. 28. fides, Et Eſaiæ 28. Dominus iraſcetur, ut faciat opus ſuum. Alienum eſt opus ejus, ut operetur opus ſuum. Alienum opus Dei vocat, cum terret, quia Dei proprium opus eſt vivificare & conſolari. Verum ideo terret,inquit,ut ſit locus conſolationi, & vivificationi, quia ſecura corda & non ſententia iram Dei faſtidiunt conſolationem. Ad hunc modum ſolet ſcriptura hæc duo conjungere, terrores & conſolationem, ut doceat hæc præcipua membra eſſe in pœnitentia,contritionem,& fidem conſolantem & juſtificantem. Neq; videmus quomodo natura pœnitentiæ clarius & ſimplicius tradi poſſit.

Hæc enim ſunt duo præcipua opera Dei in hominibus perterrefacere & juſtificare ac vivificare perterrefactos. In hæc duo opera diſtributa eſt univerſa

ſcriptura. Altera pars lex eſt, quæ oſtendit, arguit & condemnat peccata. Altera pars Evangelium, hoc eſt, promiſſio gratiæ in Chriſto donatæ, & hæc promiſſio ſubinde repetitur in tota ſcriptura, primum tradita Adæ, poſtea Patriarchis, deinde à Prophetis illuſtrata. Poſtremo prædicata & exhibita à Chriſto inter Iudæos, & ab Apoſtolis ſparſa in totum mundum. Nam fide hujus promiſſionis ſancti omnes juſtificati ſunt, non propter ſuas attritiones, vel contritiones. Et exempla oſtendunt ſimiliter has duas partes. Adam objurgatur poſt peccatum, & perterrefit. Hæc fuit contritio, Poſtea promittit Deus gratiam, dicit futurum ſemen, quo deſtructur regnum Diaboli, mors & peccatum, Ibi offert remiſſionem peccati. Hæc ſunt præcipua. Nam etſi poſtea additur pœna, tamen hæc pœna non meretur remiſſionem peccati. Et de hoc genere pœnarum paulo poſt dicemus.

Sic David objurgatur à Nathan & perterrefactus inquit, Peccavi Domino. Ea eſt contritio. Poſtea audit abſolutionem, Dominus ſuſtulit peccatum tuum, 2. Reg. 12.
Non morieris. Hæc vox erigit Davidem, & fide ſuſtentat, juſtificat, & vivificat eum. Additur & hic pœna, ſed hæc pœna non meretur remiſſionem peccatorum, Nec ſemper adduntur peculiares pœnæ, ſed hæc duo ſemper exiſtere in pœnitentia oportet, contritionem & fidem, ut Lucæ 7. Mulier peccatrix venit ad Chriſtum lachrymans. Per has lachrymas agnoſcitur contritio. Poſtea audit abſolutionem, Remittuntur tibi peccata, Fides tua ſalvam te fecit, vade in pace. Hæc eſt altera pars pœnitentiæ, fides quæ erigit & conſolatur eam. Ex his omnibus apparet pijs lectoribus, nos eas partes pœnitentiæ ponere, quæ propriæ ſunt in converſione, ſeu regeneratione & remiſſione peccati. Fructus digni & pœnæ ſequuntur regenerationem & remiſſionem peccati. Ideoq; has duas partes poſuimus, ut magis conſpici fides poſſit, quam in pœnitentia requirimus. Et magis intelligi poteſt, quid ſit fides, quam prædicat Evangelium, cum opponitur contritioni, ac mortificationi. Luc. 7.

Et ut totus orbis terrarum videat, quanta ſit inſcitia veræ pietatis in noſtris Criticis, qui confutationem ſcripſerunt, addemus & Bernardi ſententiam, qui prorſus ad eundem modum conjungit hæc duo membra in pœnitentia, contritionem & fidem, ſicut nos conjungimus. Verba ſunt hæc in ſermone tertio de annuntiatione. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperavi Do- Pſal. 142.
mine. Sola nimirum ſpes apud te miſerationis locum obtinet, nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis. Sed eſt infidelis fiducia, ſolius utiq; maledictionis capax, cum videlicet in ſpe peccamus. Quanquam nec fiducia illa dicenda ſit, ſed inſenſibilitas quædam & diſſimulatio pernicioſa. Quæ enim fiducia eſt ei, qui periculum non attendit? aut quod ibi timoris remedium, ubi nec timor ſentitur, nec materia ipſa timoris? Fiducia ſolatium eſt, nec eget ille ſolatio, qui Pſal. 9.
lætatur cum male fecerit & in peſſimis rebus magis exultat. Rogemus itaque fratres reſponderi nobis, quantas habeamus iniquitates & peccata, ſcelera noſtra & delicta nobis deſideremus oſtendi. Scrutemur vias noſtras & ſtudia noſtra periculaque univerſa vigili intentione penſemus. Dicat quiſque in pavore ſuo, vadam ad portas inferi, ut jam non niſi in ſola Dei miſericordia reſpiremus. Hæc Pſal. 31.
vera hominis fiducia eſt, à ſe deficientis, & innitentis domino ſuo. Hæc inquam vera fiducia eſt, cui miſericordia non denegatur, Propheta teſtante. Beneplaci- Pſal. 146.
tum eſt Domino ſuper timentes eum, & in his, qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Nec parva utique ſuppedit nobis, in nobis quidem cauſa timoris, in ipſo autem cauſa fiduciæ.

Hactenus Bernardus, cujus ſententiam propterea etiam non inviti retulimus, ut videant lectores, quomodo fidem hic intelligamus de fiducia miſericordiæ, quæ erigit & conſolatur perterrefactos, quam iſte recte fiduciam appellat. Et hæc clare conſpici poteſt, cum fit Antitheſis terrorum & conſolationis. Sicut hic Bernardus vult in hominibus exiſtere cognitionem peccatorum, ſeu contritionem ſeu terrores, Et vult accedere fiduciam, quæ erigat in contritione.

Sed

Sed quia adverſarij nominatim hoc damnant, quod dicimus homines fide conſequi remiſſionem peccatorum, addemus paucas quaſdam probationes, ex quibus intelligi poterit, remiſſionem peccatorum contingere, non ex opere operato propter contritionem, ſed fide illa ſpeciali, qua unuſquiſq; credit ſibi propter Chriſtum remitti peccata. Nam hic articulus præcipuus eſt, de quo digladiamur cum adverſarijs, & cujus cognitionem ducimus maxime neceſſariam eſſe Chriſtianis omnibus. Cum autem ſupra de juſtificatione de eadem re ſatis dictum videatur, hic breviores erimus. Sunt enim loci maxime cognati, doctrina pœnitentiæ, & doctrina juſtificationis.

Adverſarij, cum de fide loquuntur, & dicunt eam præcedere pœnitentiam, intelligunt fidem, non hanc, quæ juſtificat, Sed quæ in genere credit Deum eſſe, pœnas propoſitas eſſe impijs &c. Nos præter illam fidem, requirimus, ut credat ſibi quiſq; propter Chriſtum remitti peccata. De hac fide ſpeciali litigamus, & opponimus eam opinioni, quæ jubet confidere non in promiſſione Chriſti, ſed in opere operato contritionis, confeſſionis & ſatisfactionum &c. Hæc fides ita ſequitur terrores, ut vincat eos & reddat pacatam conſcientiam. Huic fidei tribuimus, quod juſtificet & regeneret, dum ex terroribus liberat, & pacem, gaudium, & novam vitam in corde parit. Hanc fidem defendimus vere eſſe neceſſariam ad remiſſionem peccatorum, Ideo ponimus inter partes pœnitentiæ ſeu converſionis. Nec aliud ſentit Eccleſia Chriſti, etiãſi adverſarij noſtri reclamant.

Principio autem interrogamus adverſarios, Vtrum abſolutionem accipere, pars ſit pœnitentiæ nec ne? Quod ſi à confeſſione ſeparant, ut ſunt ſubtiles in diſtinguendo, non videmus quid proſit confeſſio ſine abſolutione. Sin autem non ſeparant à confeſſione acceptionem abſolutionis, neceſſe eſt eos ſentire, quod fides ſit pars pœnitentiæ, quia abſolutio non accipitur niſi fide. Quod autem abſolutio non accipiatur niſi fide, ex Paulo probari poteſt, qui docet Rom. 4. quod promiſſio non poſſit accipi, niſi fide. Abſolutio autem eſt promiſſio remiſſionis peccatorum. Igitur neceſſario requirit fidem. Nec videmus, quomodo dicatur is accipere abſolutionem, qui non aſſentitur ei. Et quid aliud eſt, non aſſentiri abſolutioni, quam Deum accuſare mendacij, ſi cor dubitet, ſentit incerta & inania eſſe quæ promittit Deus? Ideo 1. Iohan. 5. ſcriptum eſt, Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.

Rom. 4.

1. Ioh. 5.

Secundo fateri adverſarios exiſtimamus remiſſionem peccatorum pœnitentiæ, ſeu partem, ſeu finem, ſeu, ut ipſorum more loquamur, terminum eſſe ad quem. Ergo id, quo accipitur remiſſio peccatorum, recte additur partibus pœnitentiæ. Certiſſimum eſt autem, etiamſi omnes portæ inferorum reclament, remiſſionem peccatorum non poſſe accipi, niſi ſola fide, quæ credit peccata remitti propter Chriſtum, juxta illud Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem, in ſanguine ipſius. Item Rom. 5. Per quem acceſſum habemus per fidem in gratiam &c. Nam conſcientia territa non poteſt opponere iræ Dei, opera noſtra, aut dilectionem noſtram, ſed ita demum fit pacata, cum apprehendit mediatorem Chriſtum, & credit promiſſionibus propter illum donatis. Non enim intelligunt quid ſit remiſſio peccatorum, aut quomodo nobis contingat, qui ſomniant corda pacata fieri, ſine fide in Chriſtum. Petrus citat ex Eſaia, Qui crediderit in eum, non confundetur. Neceſſe eſt igitur confundi hypocritas, confidentes ſe accipere remiſſionem peccatorum propter ſua opera, non propter Chriſtum.

Rom. 3.
Rom. 5.
Eſa. 28.
Rom. 10.

Et Petrus ait in Actis Cap. 10. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum. Non potuit dici magis dilucide, quàm quod ait per nomen ejus, Et addit, omnes qui credunt in eum. Tantum igitur ita accipimus remiſſionem peccatorum, per nomen Chriſti, hoc eſt, propter Chriſtum, non propter ulla noſtra

Act. 10.

merita atq; opera. Et hoc ita fit, cum credimus nobis remitti peccata propter Chriſtum. Adverſarij noſtri vociferantur ſe eſſe Eccleſiam, ſe conſenſum Eccleſiæ ſequi. At Petrus hic in noſtra cauſa etiam allegat conſenſum Eccleſiæ, huic inquit omnes Prophetæ perhibent teſtimonium, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus &c. Profecto conſenſus Prophetarum judicandus eſt univerſalis Eccleſiæ conſenſus eſſe. Nec Papæ, nec Eccleſiæ concedimus poteſtatem decernendi contra hunc conſenſum Prophetarum. At Bulla Leonis aperte damnat hunc articulum de remiſſione peccatorũ, damnant & adverſarij in confutatione.

Qua ex re apparet, qualis ſit Eccleſia judicanda iſtorum, qui non ſolum decretis improbant hanc ſententiam, quod remiſſionem peccatorum conſequamur fide, non propter opera noſtra, ſed propter Chriſtum, ſed etiam jubent eam vi ac ferro abolere, Iubent omni genere crudelitatis perdere viros bonos qui ſic ſentiunt. Sed habent magni nominis autores, Scotum, Gabrielem, & ſimiles, dicta Patrum, quæ in decretis truncata citantur. Certe ſi numeranda ſunt teſtimonia, vincunt. Eſt enim maxima turba nugaciſſimorum ſcriptorum in ſententias, qui tanquam conjurati defendunt illa figmenta de merito attritionis & operum, & cætera quæ ſupra recitavimus. Sed ne quis multitudine moveatur, non magna autoritas eſt in teſtimonijs poſteriorum, qui non genuerunt ſua ſcripta, ſed tantum compilatis ſuperioribus, transfuderunt illas opiniones ex alijs libris in alios. Nihil judicij adhibuerunt, ſed ut pedanei ſenatores taciti comprobaverunt ſuperiorum errores non intellectos. Nos igitur hanc Petri vocem non dubitemus opponere, quamlibet multis legionibus Sententiariorum, quæ allegat conſenſum Prophetarum. Et accedit teſtimonium Spiritus ſancti ad hanc concionem Petri. Sic enim ait textus: Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.

Sciant igitur piæ conſcientiæ, hoc eſſe mandatum Dei, ut credant ſibi gratis ignoſci propter Chriſtum, non propter opera noſtra, Et hoc mandato Dei ſuſtentent ſe adverſus deſperationem, & adverſus terrores peccati & mortis, Et hanc ſententiam ſciant à principio mundi in Eccleſia extitiſſe apud Sanctos. Petrus enim clare allegat conſenſum Prophetarum, & Apoſtolorum ſcripta teſtantur eos idem ſentire. Nec deſunt Patrum teſtimonia. Nam Bernardus dicit verbis minime obſcuris. Neceſſe eſt enim primo omnium credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei, Sed adde adhuc, ut credas & hoc, quod per ipſum peccata tibidonantur. Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet Spiritus ſanctus in corde tuo dicens, Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apoſtolus gratis juſtificari hominem per fidem. Hæc Bernardi verba mirifice illuſtrant cauſam noſtram. Quia non ſolum requirit, ut in genere credamus peccata remitti per miſericordiam, ſed jubet addere ſpecialem fidem, qua credamus & nobis ipſis remitti peccata, Et docet quomodo certi reddamur de remiſſione peccatorum, videlicet eum fide corda eriguntur & fiunt tranquilla per Spiritum ſanctum. Quid requirunt amplius adverſarij? Num adhuc audent negare fide nos conſequi remiſſionem peccatorum? aut fidem partem eſſe pœnitentiæ?

Tertio. Adverſarij dicunt peccatum ita remitti, quia attritus ſeu contritus elicit actum dilectionis Dei, propter hunc actum meretur accipere remiſſionem peccatorum. Hoc nihil eſt niſi legem docere, deleto Evangelio, & abolita promiſſione de Chriſto. Tantum enim requirunt legem & noſtra opera, quia Lex exigit dilectionem. Præterea docent confidere, quod remiſſionem peccatorum conſequamur propter contritionem & dilectionem. Hoc quid eſt aliud niſi collocare fiduciam in noſtra opera, non in verbum & promiſſionem Dei de Chriſto. Quod ſi lex ſatis eſt ad conſequendam remiſſionem peccatorum, quid opus eſt Evangelio, quid opus eſt Chriſto, ſi propter noſtrum opus conſequimur remiſſionem peccatorum?

Nos

Nos contra à lege ad Evangelium, revocamus conſcientias, & à fiducia propriorum operum, ad fiduciam promiſſionis & Chriſti. Quia Evangelium exhibet nobis Chriſtum, & promittit gratis remiſſionem peccatorum propter Chriſtum. Hac promiſſione jubet nos confidere, quod propter Chriſtum reconciliemur Patri, non propter noſtram contritionem aut dilectionem. Non enim alius eſt Mediator aut propiciator niſi Chriſtus. Nec legem facere poſſumus, niſi prius per Chriſtum reconciliati ſimus. Et ſi quid faceremus, tamen ſentiendum eſt, quod non propter illa opera, ſed propter Chriſtum mediatorem & propitiatorem conſequimur remiſſionem peccatorum, Imo contumelia Chriſti, & Evangelij abrogatio eſt, ſentire quod remiſſionem peccatorum propter legem aut aliter conſequamur, quam fide in Chriſtum. Et hanc rationem ſupra tractavimus de juſtificatione, cùm diximus, quare profiteamur homines fide juſtificari, non dilectione.

Itaq; doctrina adverſariorum, cum docent homines propter contritionem & dilectionem conſequi remiſſionem peccatorum, & confidere hac contritione & dilectione, tantum eſt doctrina legis & quidem non intellectæ, ſicut Iudæi in velatam Moiſi faciem intuebantur. Fingamus enim adeſſe dilectionem, fingamus adeſſe opera, tamen neq; dilectio, neque opera poſſunt eſſe propitiatio pro peccato, Ac ne poſſunt quidem opponi iræ & judicio Dei, juxta illud, Non intrabis in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Nec debet honos Chriſti transferri in noſtra opera.

Pſal. 143.

Propter has cauſas contendit Paulus, quod non juſtificemur ex Lege, & opponit legi promiſſionem remiſſionis peccatorum, quæ propter Chriſtum donatur, ac docet nos gratis propter Chriſtum fide accipere remiſſionem peccatorum. Ad hanc promiſſionem revocat nos Paulus à lege, In hanc promiſſionem jubet intueri, quæ certe irrita erit, ſi prius lege juſtificamur, quam per promiſſionem, aut ſi propter noſtram juſticiam conſequimur remiſſionem peccatorum. At conſtat, quod ideo nobis data eſt promiſſio, ideo exhibitus eſt Chriſtus, quia legem non poſſumus facere. Quare neceſſe eſt prius nos promiſſione reconciliari quam legem facimus. Promiſſio autem tantum fide accipitur, Igitur neceſſe eſt contritos apprehendere fide promiſſionē remiſſionis peccatorū donatæ propter Chriſtū, ac ſtatuere quod gratis propter Chriſtum habeant placatum Patrem.

Hæc eſt ſententia Pauli ad Rom. 4. ubi inquit, Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio. Et ad Galatas 3. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus, Id eſt, omnes ſunt ſub peccato, nec poſſunt aliter liberari, niſi fide apprehendant promiſſionem remiſſionis peccatorum. Prius igitur oportet nos fide accipere remiſſionem peccatorum, quam legem facimus, etſi, ut ſupra dictum eſt, fidem dilectio ſequitur. Quia renati Spiritum ſanctum accipiunt, ideo legem facere incipiunt. Citaremus plura teſtimonia, niſi obvia eſſent cuilibet pio lectori in ſcripturis, Et nos non nimis prolixi eſſe cupimus, ut facilius hæc cauſa perſpici poſſit. Neq; vero dubium eſt, quin hæc ſit ſententia Pauli, quam defendimus, quod fide accipiamus remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, quod fide mediatorem Chriſtum opponere debeamus iræ Dei, non opera noſtra. Nec perturbentur piæ mentes, etiamſi Pauli ſententias calumnientur adverſarij, Nihil tam ſimpliciter dicitur, quod non queat depravari cavillando. Nos ſcimus hanc, quā diximus, veram & germanam ſententiā Pauli eſſe, ſcimus hanc noſtram ſententiam pijs conſcientijs firmam conſolationem afferre, ſine qua nemo conſiſtere in judicio Dei queat.

Rom. 4. Gal. 3.

Itaq; repudientur illæ Phariſaicæ opiniones adverſariorum, quod non accipiamus fide remiſſionem peccatorum, ſed quod oporteat mereri dilectione noſtra & operibus, quod dilectionem noſtram & opera noſtra iræ Dei opponere debeamus. Hæc doctrina legis eſt, non Evangelij, quæ fingit prius hominem lege juſtificari, quam per Chriſtum reconciliatus ſit Deo, cum Chriſtus dicat, Sine me nihil

Digitized by Google

nihil poteſtis facere. Item, Ego ſum vitis vera, vos palmites. Verum adverſarij fingunt nos eſſe palmites, non Chriſti, ſed Moiſi. Prius enim volunt lege juſtificari, dilectionem ſuam & opera offerre Deo, quam reconcilientur Deo per Chriſtum, quam ſint palmites Chriſti. Paulus contra contendit legem non poſſe fieri ſine Chriſto. Ideo promiſſio prius accipienda eſt, ut fide reconciliemur Deo, propter Chriſtum, quam legem facimus. Hæc ſatis perſpicua eſſe pijs conſcientijs exiſtimamus, Et hinc intelligent, Cur ſupra profeſſi ſimus juſtificari homines fide, non dilectione. Quia oportet nos opponere iræ Dei, non noſtram dilectionem, aut opera, aut confidere noſtra dilectione ac operibus, ſed Chriſtum mediatorem, Et prius oportet apprehendere promiſſionem remiſſionis peccatorum, quam legem facimus.

Poſtremò, quando erit pacata conſcientia, ſi ideo accipimus remiſſionem peccatorum, quia nos diligimus, aut legem facimus? Semper enim accuſabit nos Lex, quia nunquam legi Dei ſatisfacimus, Sicut inquit Paulus, Lex iram operatur. Chryſoſtomus quærit de pœnitentia, unde certi reddamur, peccata nobis remiſſa eſſe, Quærunt & in ſententijs eadem de re adverſarij. Hoc non poteſt explicari, non poſſunt conſcientiæ reddi tranquillæ, niſi ſciant mandatum Dei eſſe, & ipſum Evangelium, ut certo ſtatuant propter Chriſtum gratis remitti peccata, nec dubitent ſibi remitti. Si quis dubitat, is ut Iohannes ait, accuſat promiſſionem divinam mendacij. Hanc certitudinem fidei nos docemus requiri in Evangelio.

Adverſarij relinquunt conſcientias incertas & ambigentes. Nihil autem agunt conſcientiæ ex fide, cum perpetuo dubitant utrum habeant remiſſionem. Quomodo poſſunt in hac dubitatione invocare Deum? quomodo poſſunt ſtatuere, quod exaudiantur? Ita tota vita eſt ſine Deo, & ſine vero cultu Dei. Hoc eſt, quod Paulus inquit, peccatum eſſe quicquid non fit ex fide. Et quia in hac dubitatione perpetuo verſantur, nunquam experiuntur quid ſit fides, Ita fit ut ad extremum ruant in deſperationem. Talis eſt doctrina adverſariorum, doctrina legis, abrogatio Evangelij, doctrina deſperationis. Nunc libenter omnibus bonis viris permittimus judicium de hoc loco pœnitentiæ, nihil enim habet obſcuri, ut pronuncient, utri magis pia & ſalubria conſcientijs docuerint, nos, an adverſarij. Profecto non delectant nos hæ diſſenſiones in Eccleſia. Quare niſi magnas & neceſſarias cauſas haberemus diſſentiendi ab adverſarijs, ſumma voluntate taceremus. Nunc cum ipſi manifeſtam veritatem damnent, non eſt integrum nobis deſerere cauſam, non noſtram, ſed Chriſti & Eccleſiæ.

Diximus quas ob cauſas poſuerimus has duas partes pœnitentiæ contritionem & fidem. Idq; hoc fecimus libentius, quia circumferuntur multa dicta de pœnitentia, quæ truncata citantur ex Patribus, quæ ad obſcurandam fidem detorſerunt adverſarij. Talia ſunt, Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Item, Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet ſe commiſiſſe. In his dictis nulla fit mentio fidei, Ac ne in ſcholis quidem, cum interpretantur, aliquid de fide additur. Quare nos eam, ut magis conſpici doctrina fidei poſſet, inter partes pœnitentiæ numeravimus. Nam illa dicta, quæ contritionem aut bona opera requirunt, & nullam fidei juſtificantis mentionem faciunt, periculoſa eſſe, res ipſa oſtendit.

Et merito deſiderari prudentia in iſtis poteſt, qui centones illos ſententiarum & decretorum congeſſerunt. Nam cum patres alias de alia parte pœnitentiæ loquantur, non tantum de una parte, ſed de utraq;, hoc eſt, de contritione & fide, excerpere & conjungere ſententias profuiſſet. Nam Tertullianus egregie de fide loquitur, amplificans jusjurandum illud apud Prophetam: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Quia enim jurat Deus, nolle ſe mortem peccatoris, oſtendit requiri fidem, ut juranti credamus, & certo ſtatuamus eum nobis ignoſcere. Magna debet eſſe autoritas apud nos promiſſio-

miſſionum divinarum per ſeſe, At hæc promiſſio etiam jure jurando confirmata eſt. Quare ſi quis non ſtatuit ſibi ignoſci, is negat Deum verum juraſſe, qua blaſphemia atrocior nulla excogitari poteſt. Sic enim ait Tertullianus, Invitat præmio ſalutem, jurans etiam, Vivo dicens, cupit ſibi credi. O beatos quorum cauſa jurat Deus, O miſerrimos, ſi nec juranti Domino credimus.

Atq; hic ſciendum eſt, quod hæc fides debeat ſentire, quod gratis nobis ignoſcat Deus propter Chriſtum, propter ſuam promiſſionem, non propter noſtra opera, contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem aut dilectionem. Nam ſi fides nitatur his operibus, ſtatim fit incerta, quia conſcientia pavida videt hæc opera indigna eſſe. Ideo præclare ait Ambroſius de pœnitentia, Ergo & agendam pœnitentiam, & tribuendam veniam credere nos convenit, ut veniam tamen tanquam ex fide ſperemus, tanquam ex ſyngrapha fides impetrat, Item fides eſt, quæ peccata noſtra cooperit. Extant itaque ſententiæ apud Patres, non ſolum de contritione & operibus, ſed etiam de fide. Verum adverſarij, cum neque naturam pœnitentiæ intelligant, neq; ſermonem Patrum, excerpunt dicta de parte pœnitentiæ, videlicet de operibus, Alibi dicta de fide, cum non intelligunt, præcereunt.

DE CONFESSIONE ET SATISFACTIONE.

BOni viri facile judicare poſſunt, plurimum referre, ut de ſuperioribus partibus, videlicet contritione & fide, conſervetur vera doctrina. Itaque in his locis illuſtrandis ſemper plus verſati ſumus, de confeſſione & ſatisfactionibus non admodum rixati ſumus. Nam & nos confeſſionem retinemus præcipue propter Abſolutionem, quæ eſt verbum Dei, quod de ſingulis autoritate divina pronunciat poteſtas clavium. Quare impium eſſet ex Eccleſia privatam Abſolutionem tollere, Neq; quid ſit remiſſio peccatorum, aut poteſtas clavium intelligunt, ſi qui privatam Abſolutionem aſpernantur. Cæterum de enumeratione delictorum in confeſſione ſupra diximus, quod ſentiamus eam non eſſe jure divino neceſſariam. Nam quod objiciunt quidam, Iudicem prius debere cognoſcere cauſam, priuſquam pronunciat, hoc nihil ad hanc rem pertinet, Quia Abſolutio eſt executio alieni beneficij, non eſt judicium. Chriſtus enim dedit mandatum remittendi peccata, Id mandatum exequuntur miniſtri, Non habent mandatum de cognoſcendis occultis. Hoc intelligi poteſt ex eo, quia infinita peccata remittunt, quæ nec nos ipſi meminimus, quibus remittuntur. Et ſi penderet remiſſio ex cognitione, tota res eſſet incerta.

Cæterum in his delictis, quæ publice nota ſunt, qualem habeat Iuriſdictionem Eccleſia, id non pertinet ad præſentem diſputationem. Nam hæc, quia nota ſunt, nominatim accuſantur, & poſtea nominatim remittuntur, ſi autor velit recipi ab Eccleſia. Et ridiculum eſt huc transferre dictum Salomonis, Diligen-
Prov. 27. ter cognoſce vultum pecoris tui. Nihil enim dicit Salomon de confeſſione, ſed tradit Oeconomicum præceptum patrifamilias, ut utatur ſuo, & abſtineat ab alieno, & jubet eum res ſuas diligenter curare, ita tamen, ne ſtudio augendarum facultatum, occupatus animus, abjiciat timorem Dei, aut fidem, aut curam verbi Dei. Sed adverſarij noſtri mirifica metamorphoſi transformant dicta ſcripturæ, in quaslibet ſententias. Hic cognoſcere ſignificat eis audire confeſſiones, Vultus non externam converſationem, ſed arcana conſcientiæ, Pecudes ſignificant homines. Sane bella eſt interpretatio, & digna iſtis contemptoribus ſtudiorum eloquentiæ. Quod ſi velit aliquis per ſimilitudinem transferre præceptum à patrefamilias ad paſtorem Eccleſiæ, certè vultum debebit interpretari de externa converſatione. Hæc ſimilitudo magis quadrabit, Sed omittamus iſta.

fol. 32. Aliquoties fit in Pſalmis mentio confeſſionis, ut, Dixi, confitebor adverſum me injuſticiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.

Talis

Talis confeſſio peccati, quæ Deo fit, eſt ipſa contritio. Nam cum Deo fit confeſſio, corde fieri neceſſe eſt, non ſolum voce ſicut fit in ſcenis ab hiſtrionibus. Eſt igitur talis confeſſio contritio, in qua ſentientes iram Dei confitemur Deum juſte iraſci, nec placari poſſe noſtris operibus, Et tamen quærimus miſericordiam, propter promiſſionem Dei. Talis eſt hæc confeſſio, Tibi ſoli peccavi, ut tu juſtificeris, & vincas cum judicaris, id eſt, fateor me peccatorem eſſe, & meritum æternam iram, nec poſſum opponere meas juſticias, mea merita tuæ iræ. Ideo pronuncio te juſtũ eſſe cum condemnas & punis nos. Pronuncio te vincere, quando hypocritæ judicant te, quod ſis injuſtus, qui ipſos punias aut condemnes bene meritos. Imo noſtra merita non poſſunt opponi tuo judicio, ſed ita juſtificabimur, ſi tu juſtifices, ſi tu reputes nos juſtos per miſericordiam tuam. Fortaſſis & Iacobum citabit aliquis, Confitemini viciſſim delicta, Sed hic non loquitur de confeſſione Sacerdotibus facienda, ſed in genere de reconciliatione fratrum inter ſe. Iubet enim mutuam eſſe confeſſionem. *Pſal. 51* *Iacob. 5.*

Porro adverſarij noſtri multos Doctores receptiſſimos damnabunt, ſi contendent enumerationem delictorum in confeſſione neceſſariam eſſe Iure divino. Quanquam enim confeſſionem probamus, & quandam examinationem prodeſſe judicamus, ut inſtitui homines melius poſſint, tamen ita moderanda res eſt, ne conſcientijs injiciantur laquei, quæ nunquam erunt tranquillæ, ſi exiſtimabunt ſe non poſſe conſequi remiſſionem peccatorum, niſi facta illa ſcrupuloſa enumeratione. Hoc certe falſiſſimum eſt, quod adverſarij poſuerunt in confutatione, quod confeſſio integra ſit neceſſaria ad ſalutem. Eſt enim impoſſibilis. Et quales laqueos hic injiciunt conſcientiæ, cum requirunt integrã confeſſionem? Quando enim ſtatuet conſcientia integram eſſe confeſſionem? Apud ſcriptores Eccleſiaſticos fit mentio confeſſionis, ſed hi non loquuntur de hac enumeratione occultorum delictorum, ſed de ritu publicæ pœnitentiæ. Quia enim lapſi aut famoſi non recipiebantur, ſine certis ſatisfactionibus, ideo confeſſionem faciebant iſti apud Preſbyteros, ut pro modo delictorum præſcriberentur eis ſatisfactiones. Hæc tota res nihil ſimile habuit huic enumerationi, de qua nos diſputamus. Confeſſio illa fiebat, non quod ſine ea non poſſet fieri remiſſio peccatorum coram Deo, Sed quod non poterant ſatisfactiones præſcribi niſi prius cognito genere delicti. Nam alia delicta habebant alios Canones.

Et ex illo ritu publicæ pœnitentiæ reliquum habemus etiam nomen ſatisfactionis. Nolebant enim ſancti Patres recipere lapſos aut famoſos, niſi prius cognita & ſpectata pœnitentia eorum, quantum fieri poterat, Et hujus rei multæ videntur fuiſſe cauſæ, Nam ad exemplum pertinebat, caſtigare lapſos, ſicut & gloſa in Decretis admonet, & indecorum erat, homines famoſos ſtatim admittere ad communionem. Hi mores diu jam antiquati ſunt, Nec neceſſe eſt eos reſtituere, quia non ſunt neceſſarij ad remiſſionem peccatorum coram Deo. Neq; hoc ſenſerunt Patres, mereri homines remiſſionem peccatorum per tales mores, aut talia opera. Quanquam hæc ſpectacula imperitos ſolent fallere, ut putent ſe per hæc opera mereri remiſſionem peccatorum coram Deo. Verum ſi quis ſic ſenſit, Iudaice & gentiliter ſenſit. Nam & ethnici habuerunt quaſdam expiationes delictorum, per quas fingebant ſe reconciliari Deo.

Nunc autem more antiquato, manet nomen ſatisfactionis, & veſtigium moris, quod in confeſſione præſcribuntur certæ ſatisfactiones, quas definiunt eſſe opera non debita, Nos vocamus ſatisfactiones Canonicas. De his ſic ſentimus, ſicut de enumeratione, quod ſatisfactiones Canonicæ non ſint neceſſariæ Iure divino ad remiſſionem peccatorum, Sicut neq; illa ſpectacula vetera ſatisfactionum in pœnitentia publica Iure divino neceſſaria fuerunt ad remiſſionem peccatorum. Retinenda eſt enim ſententia de fide, quod fide conſequamur remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, non propter noſtra opera præcedentia aut ſequentia. Et nos ob hanc cauſam præcipue de ſatisfactionibus diſputavi-

mus,

mus, ne ſuſciperentur ad obſcurandam juſticiam fidei, neve exiſtimarent homines, ſe propter illa opera conſequi remiſſionem peccatorum. Et adjuvant errorem multa dicta, quæ in ſcholis jactantur, quale eſt, quod in definitione ſatisfactionis ponunt, fieri eam ad placandam divinam offenſam. 201

Sed tamen fatentur adverſarij, quod ſatisfactiones non proſint ad remiſſionem culpæ, Verum fingunt ſatisfactiones prodeſſe ad redimendas pœnas, ſeu purgatorij, ſeu alias. Sic enim docent, in remiſſione peccati Deum remittere culpam. Et tamen, quia convenit juſticiæ divinæ punire peccatum, mutare pœnam æternam in pœnam temporalem, Addunt amplius, partem illius temporalis pœnæ remitti poteſtate clavium, reliquum autem redimi per ſatisfactiones. Nec poteſt intelligi quarum pœnarum pars remittatur poteſtate clavium, niſi dicant partem pœnarum purgatorij remitti, qua ex re ſequeretur, ſatisfactiones tantum eſſe pœnas redimentes purgatorium. Et has ſatisfactiones dicunt valere etiamſi fiant ab his, qui relapſi ſunt in peccatum mortale, quaſi vero divina offenſa placari queat ab his, qui ſunt in peccato mortali.

Hæc tota res eſt commentitia, recens conficta, ſine autoritate ſcripturæ & veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum, Ac ne Longobardus quidem de ſatisfactionibus hoc modo loquitur. Scholaſtici viderunt in Eccleſia eſſe ſatisfactiones, Nec animadverterunt illa ſpectacula inſtituta eſſe tum exempli cauſa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Eccleſia, In ſumma, non viderunt eſſe diſciplinam & rem prorſus politicam. Ideo ſuperſtitioſe finxerunt eas, non ad diſciplinam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum valere. Et ſicut alias ſæpe incommode commiſcuerunt ſpiritualia & πολιτικὰ, idem accidit & in ſatisfactionibus. Atqui gloſa in Canonibus aliquoties teſtatur has obſervationes inſtitutas eſſe propter diſciplinam Eccleſiæ.

Videre autem quomodo in confutatione, quam auſi ſunt obtrudere Cæſ. Majeſtati, probent hæc ſua figmenta. Multa dicta ex ſcripturis citant, ut fucum imperitis faciant, quaſi hæc res habeat autoritatem ex ſcripturis, quæ adhuc Longobardi tempore ignota erat. Allegant has ſententias, Facite fructus dignos pœnitentiæ, Item, Exhibete membra veſtra ſervire juſticiæ, Item, Chriſtus prædicat pœnitentiam, Agite pœnitentiam. Item, Chriſtus jubet Apoſtolos pœnitentiam prædicare, Et Petrus prædicat pœnitentiam Act. 2. Poſtea citant quædam dicta Patrum & Canones, Et concludunt his verbis, Satisfactiones in Eccleſia contra expreſſum Evangelium & Conciliorum & Patrum decreta abolendæ non ſunt, quinimo abſoluti à ſacerdote injunctam pœnitentiam perficere debent, illud Pauli ſequentes, Dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.

Luc. 3. *Rom. 6.* *Matth. 4.* *Luc. 24.* *Act. 2.* *Tit. 2.*

Deus perdat iſtos impios Sophiſtas tam ſceleſte detorquentes verbum Dei ad ſua ſomnia vaniſſima. Quis bonus vir non commoveatur indignitate tanta? Chriſtus inquit, Agite pœnitentiam, Apoſtoli prædicant pœnitentiam, Igitur pœnæ æternæ compenſantur ſatisfactionibus noſtris, Igitur claves habent mandatum remittendi partem pœnarum purgatorij, Igitur ſatisfactiones redimunt pœnas purgatorij. Quis docuit iſtos aſinos hanc Dialecticam? Sed hæc neq; Dialectica, neq; Sophiſtica eſt, ſed eſt Sycophantica. Ideo allegant hanc vocem Agite pœnitentiam, ut cum tale dictum contra nos citatum imperiti audiunt, concipiant opinionem nos totam pœnitentiam tollere. His artibus alienare animos, & inflammare odia conantur, ut conclament contra nos imperiti, tollendos eſſe è medio tam peſtilentes hæreticos, qui improbent pœnitentiam.

Matt. 4.

Sed ſperamus apud bonos viros has calumnias parum profecturas eſſe, Et Deus tantam impudentiam ac malitiam non diu feret. Nec utiliter conſulit ſuæ dignitati Romanus Pontifex, quod tales Patronos adhibet, quod rem maximam judicio horum Sophiſtarum permittit. Nam cum nos in confeſſione fere ſum-

mam doctrinæ Christianæ universæ complexi simus, adhibendi fuerant judices de tantis, tam multis,& tam varijs negotijs pronunciaturi,quorum doctrina & fides bonis viris probaretur, Idq; te Campegi pro tua sapientia providere decebat, ne quid in tantis rebus isti scriberent, quod aut hoc tempore, aut ad posteros videatur posse minuere Romanæ sedis existimationem. Si Romana sedes censet æquum esse, ut omnes gentes agnoscant eam pro magistra fidei, debet operam dare ut docti & integri viri de religionibus cognoscant. Quid enim judicabit mundus, si quando proferetur in lucem, scriptum adversariorum, quid judicabit posteritas, de his calumnijs? Vides Campegi hæc esse postrema tempora, in quibus Christus prædixit plurimum periculi fore religioni.

Vos igitur, qui tanquam in specula sedere, & gubernare religiones debetis, his temporibus oportuit singularem adhibere tum prudentiam tum diligentiam, Multa sunt signa, quæ nisi provideritis, minantur mutationem Romano statui, Et erras, si tantum vi & armis existimas Ecclesias retinendas esse. Doceri de religione postulant homines, Quam multos esse existimas, non tantum in Germania, sed etiam in Anglia, in Hispania, in Gallijs, in Italia, deniq; in ipsa urbe Roma, qui quoniam vident exortas esse de maximis rebus controversias, dubitare alicubi incipiunt, & taciti indignantur, quod has tantas res rite cognoscere & judicare recusatis, quod non explicatis ambigentes conscientias, quod tantum jubetis nos armis opprimi ac deleri. Multi autem sunt boni viri, qui facilius mortem & omnia genera suppliciorum ferrent, quam ferunt hanc dubitationem. Nec satis expendis, quanta res sit Religio, si bonos viros leviter existimas angi, sicubi incipiunt ambigere de aliquo dogmate. Et hæc dubitatio non potest non parere summam odij acerbitatem, adversus illos, qui cum mederi conscientijs debebant, obsistunt, quo minus explicari res possit.

Non hic dicimus Dei judicium vobis pertimescendum esse, Nam hoc leviter curare Pontifices putant, qui cum ipsi teneant claves, scilicet patefacere sibi cœlum cum volunt possunt, De hominum judicijs, deque tacitis voluntatibus omnium gentium loquimur, quæ profecto hoc tempore requirunt, ut hæc negocia ita cognoscantur, atq; constituantur, ut sanentur bonæ mentes, & à dubitatione liberentur. Quid enim futurum sit, si quando eruperint odia illa adversus vos, pro tua sapientia facile judicare potes. Verum hoc beneficio devincire omnes gentes vobis poteritis, quod omnes sani homines, summum & maximum judicant, si dubitantes conscientias sanaveritis. Hæc non eo diximus quod nos de nostra cõfessione dubitemus, Scimus enim eam verã, piam, & pijs conscientijs utilẽ esse, Sed credibile est passim multos esse, qui non de levibus rebus ambigũt, nec tamen audiunt idoneos Doctores, qui mederi conscientijs ipsorum possint.

Sed redeamus ad propositum. Scripturæ citatæ ab adversarijs prorsus nihil loquũtur de Canonicis satisfactionibus & de opinionibus Scholasticorum, cum constet eas nuper natas esse. Quare mera calũnia est, quod detorquent scripturas ad illas suas opiniones. Nos dicimus, quod pœnitentiam, hoc est, conversionem seu regenerationẽ, boni fructus, bona opera, in omni vita sequi debeant. Nec potest esse vera conversio aut vera contritio, ubi non sequuntur mortificationes carnis, & boni fructus. Veri terrores, veri dolores animi, non patiuntur corpus indulgere voluptatibus, & vera fides non est ingrata Deo, nec contemnit mãdata Dei, Deniq; nulla est interior pœnitentia, nisi foris pariat etiã castigationes carnis. Et hanc dicimus esse sententiã Iohannis, cũ ait, Facite fructus dignos pœnitẽtiæ. Itẽ Pauli cum ait, Exhibete membra vestra servire justiciæ, sicut & alibi inquit, Exhibete corpora vestra, hostiã vivam, sanctam &c. Et cum Christus inquit. Agite pœnitentiam, certè loquitur de tota pœnitentia, de tota novitate vitæ, & fructibus, non loquitur de illis hypocriticis satisfactionibus, quas fingunt Scholastici tum quoq; valere ad compensationem pœnæ purgatorij, aut aliarum pœnarum, cum fiunt ab his, qui sunt in peccato mortali. Matth. 3. Rom. 6. Rom. 12.

Ac multa colligi argumenta possunt, quod hæc dicta scripturæ nullo

modo pertineant ad Scholaſticas ſatisfactiones. Iſti fingunt ſatisfactiones eſſe opera indebita, Scriptura autem in his ſententijs requirit opera debita. Nam hæc vox Chriſti eſt vox præcepti, Agite pœnitentiam, Item, Adverſarij ſcribunt confitentem, ſi recuſet ſuſcipere ſatisfactiones, non peccare, ſed perſoluturum eſſe has pœnas in purgatorio. Iam hæ ſententiæ ſine controverſia, præcepta ſunt ad hanc vitam pertinentia, Agite pœnitentiam, facite fructus dignos pœnitentiæ, Exhibete membra veſtra ſervire juſticiæ. Quare non poſſunt detorqueri ad ſatisfactiones, quas recuſare licet. Non enim licet recuſare præcepta Dei. Tertio, Indulgentiæ remittunt illas ſatisfactiones, ut docet Cap. Cum ex eo, de pœnitentijs & remiſſione. At indulgentiæ non ſolvunt nos illis præceptis, Agite pœnitentiam, facite fructus dignos pœnitentiæ. Itaq; manifeſtum eſt male detorqueri illa dicta ſcripturæ ad Canonicas ſatisfactiones.

Videte porro quid ſequatur. Si pœnæ purgatorij ſunt ſatisfactiones ſeu ſatispaſſiones, aut ſatisfactiones ſunt redemptio pœnarum purgatorij, num etiam hæ ſententiæ præcipiunt ut animæ caſtigentur in purgatorio? Id cum ſequi neceſſe ſit ex adverſariorum opinionibus, hæ ſententiæ novo modo interpretandæ erunt, Facite fructus dignos pœnitentiæ, Agite pœnitentiam, hoc eſt, patiamini pœnas purgatorij poſt hanc vitam. Sed piget has ineptias adverſariorum pluribus revellere. Conſtat enim ſcripturam loqui de operibus debitis, de tota novitate vitæ, non de his obſervationibus operum non debitorum, de quibus loquuntur adverſarij. Et tamen his figmentis defendunt ordines, venditionem Miſſarum & infinitas obſervationes, quod ſcilicet ſint opera, ſi non pro culpa, tamen pro pœna ſatisfacientia.

Cum igitur ſcripturæ citatæ non dicant, quod operibus non debitis pœnæ æternæ compenſandæ ſint, temere affirmant adverſarij, quod per ſatisfactiones Canonicas pœnæ illæ compenſentur. Præterea cum certiſſimum ſit remiſſionem peccatorum gratuitam eſſe, ſeu gratis propter Chriſtum donari, ſequitur non requiri ſatisfactiones. Et Evangelium habet mandatum gratis remittendi
Matth. 16. peccata, non imponendi pœnas, & novas leges, aut partem pœnarum imponendi, parte remiſſa. Vbi enim leguntur hæc in ſcripturis? Chriſtus de remiſſione peccati loquitur, cum ait, Quicquid ſolveris &c. quo remiſſo ſublata eſt mors æterna, & reddita vita æterna. Neq; hic loquitur de imponendis pœnis, quicquid ligaveris, Sed de retinendis peccatis illorum, qui non convertuntur. Sed dictum Longobardi de parte pœnarum remittēda, ſumptum eſt à Canonicis pœnis. Harum partem remittebant Paſtores. Quanquam igitur ſentimus, quod pœnitentia debeat bonos fructus parere propter gloriam & mandatum Dei, Et boni fructus habent mandata Dei, vera jejunia, veræ orationes, veræ Eleemoſynæ &c. tamen hoc nuſquam reperimus in ſcripturis ſanctis, quod pœnæ æternæ non remittantur niſi propter pœnam purgatorij, aut ſatisfactiones Canonicas, hoc eſt, propter certa quædam opera non debita, aut quod poteſtas clavium habeat mandatū commutandi pœnas, aut partem remittendi. Hæc probanda erant adverſarijs.

Hoſ. 13. Præterea mors Chriſti non eſt ſolum ſatisfactio pro culpa, ſed etiam pro æterna morte, juxta illud, Ero mors tua ô mors. Quid eſt igitur monſtri dicere quod Chriſti ſatisfactio redimat culpam, Noſtræ pœnæ redimant mortem æternam, ut jam illa vox, Ero mors tua, intelligi debeat, non de Chriſto, ſed de noſtris operibus, & quidem non de operibus à Deo præceptis, ſed de frigidis quibuſdam obſervationibus excogitatis ab hominibus. Et dicuntur mortem abolere, etiam cum fiunt in peccato mortali. Incredibile eſt, quanto cum dolore has ineptias adverſariorū recitemus, quas qui expendit, non poteſt non ſuccenſere iſtis doctrinis dæmoniorū, quas ſparſit in Eccleſia diabolus, ut oprimeret cognitionē legis, & Evangelij, pœnitentiæ, & vivificationis, & beneficiorum Chriſti.

Nam de lege ſic dicunt, Deus condeſcendens noſtræ infirmitati, conſtituit homini menſuram eorum, ad quæ de neceſſitate tenetur, quæ eſt obſervatio præceptorum, ut de reliquo, id eſt, de operibus ſupererogationis poſſit ſatisfacere de commiſſis. Hic fingunt homines legem Dei ita facere poſſe, ut plus etiam, quam Lex exigit, facere poſſimus. Atqui ſcriptura ubiq; clamat, quod multum abſimus ab illa perfectione, quam Lex requirit. Sed iſti fingunt legem Dei contentam eſſe externa & civili juſticia, non vident eam requirere veram dilectionem Dei ex toto corde &c. damnare totam concupiſcentiam in natura. Itaq; nemo tantum facit, quantum Lex requirit. Ridiculum igitur eſt, quod fingunt nos amplius facere poſſe. Quanquam enim externa opera facere poſſumus, non mandata lege Dei, tamen illa eſt vana & impia fiducia, quod legi Dei ſit ſatisfactum. Et veræ orationes, vere Eleemoſynæ, vera jejunia, habent præcepta Dei, Et ubi habent præceptum Dei, non poſſunt ſine peccato omitti.

Verum illa opera, quatenus non ſunt præcepta lege Dei, ſed habent certam formam ex humano præſcripto, ſunt opera traditionum humanarum, de quibus Chriſtus dicit, Fruſtra colunt me mandatis hominum, ut certa jejunia, inſtituta non ad carnem cohercendam, ſed ut per id opus reddatur honos Deo, ut ait Scotus, & compenſetur mors æterna. Item certus numerus precum, certus modus Eleemoſynarum, cum ita fiunt, ut ille modus ſit cultus ex opere operato, reddens honorem Deo, & compenſans mortem æternam. Tribuunt enim his ex opere operato ſatisfactionem, quia docent quod valeant etiam in his, qui ſunt in peccato mortali. Iam illa longius recedunt à præceptis Dei, peregrinationes, & harum magna eſt varietas, alius facit iter cataphractus, alius facit iter nudis pedibus, Hæc vocat Chriſtus inutiles cultus, quare non proſunt ad placandam offenſam Dei, ut adverſarij loquuntur. Et tamen hæc opera magnificis titulis ornantur, vocantur opera ſupererogationis, Tribuitur eis honos, quod ſint precium pro morte æterna. Ita præferuntur operibus præceptorum Dei. *Matth. 15.*

In hunc modum lex Dei bifariam obſcuratur, & quia putatur legi Dei ſatisfactum eſſe, per externa & civilia opera, & quia adduntur traditiones humanæ, quarum opera præferuntur operibus legis divinæ. Deinde obſcuratur pœnitentia & gratia. Nam mors æterna non redimitur illa compenſatione operum, quia eſt ocioſa, nec deguſtat in præſentia mortem. Alia res opponenda eſt morti, cum tentat nos. Sicut enim ira Dei fide in Chriſtum vincitur, ita vincitur mors fide in Chriſtum, Sicut Paulus ait, Deo gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtum Ieſum Chriſtum, non inquit, qui dat nobis victoriam, ſi adverſus mortem opponamus ſatisfactiones noſtras. Adverſarij ocioſas ſpeculationes tractant de remiſſione culpæ, nec vident quomodo in remiſſione culpæ, liberetur cor ab ira Dei, & à morte æterna, per fidem in Chriſtum. Cum igitur mors Chriſti ſit ſatisfactio pro morte æterna, & cum ipſi adverſarij fateantur illa opera ſatisfactionum eſſe opera non debita, ſed opera traditionum humanarum, de quibus Chriſtus inquit, quod ſint inutiles cultus, tuto poſſumus affirmare, quod ſatisfactiones Canonicæ non ſint neceſſariæ Iure divino, ad remiſſionem culpæ aut pœnæ æternæ aut pœnæ purgatorij. *1. Cor. 15.*

Sed objiciunt adverſarij vindictam ſeu pœnam neceſſariam eſſe ad pœnitentiam, quia Auguſtinus ait: Pœnitentiam eſſe vindictam punientem &c. Sicut alibi quoties opera præcipiuntur, interpretantur ea adverſarij ſatisfactiones & propitiationes eſſe, ita hic quia fit pœnæ mentio, detorquent eam ad ſatisfactionem. Auguſtinus non hoc ſenſit dolorem in pœnitentia preciũ eſſe, propter quod debeatur remiſſio peccatorũ. Sciebat enim gratis remitti peccata propter Chriſtum, Sciebat Chriſti mortẽ ſacrificium eſſe pro peccatis noſtris. Quicquid igitur, de vindicta, de pœnis citatur, ſemper ita accipi debet, ne gratuitam remiſſionẽ peccatorum evertat, ne obſcuret meritum Chriſti, & abducat homines à

fiducia

fiducia Chriſti, ad fiduciam operum. Cæterum vindictam concedimus eſſe in pœnitentia, nō ut precium, ſed vindicta formaliter eſt in pœnitentia, quia ipſa regeneratio fit perpetua mortificatione vetuſtatis noſtræ. Sunt terrores, ſunt & alij motus qui peccato iraſcuntur, ſed his non debetur remiſſio, Imo ſi fides non accederet, hi dolores afferrent mortem æternam.

Sit ſane belle dictum à Scoto, pœnitentiam appellari quaſi pœnæ tenentiam, modo ut pœna non intelligatur eſſe precium, pro quo debeatur remiſſio. Et Auguſtinus non loquitur de pœnis, quas remittunt claves, quare non recte detorquetur hoc dictum ad ſatisfactiones. De veris pœnis, hoc eſt, de terroribus, & veris animi doloribus loquitur, qui exiſtunt in pœnitentia. Neque tamen excludimus externam carnis vexationem, hæc enim veros animi dolores ultro ſequitur. Ac longe errant adverſarij, ſi verius pœnam eſſe judicant, ſatisfactiones Canonicas, quam veros terrores in corde. Stultiſſimum eſt nomen pœnæ detorquere ad has frigidas ſatisfactiones, non referre ad illos horribiles terrores conſcientiæ, de quibus ait David, Circumdederunt me dolores mortis &c. Quis non malit loricatus & cataphractus quærere templum Iacobi, Baſilicam Petri, quam ſuſtinere illam ineffabilem vim doloris, quæ eſt etiam in mediocribus, ſi ſit vera pœnitentia.

Pſal. 114.

At inquiunt, convenit juſticiæ Dei punire peccatum, Primum quod diſputant, quod conveniat punire peccatum, ſatis oſtendunt ſe contemnere Chriſti beneficium. Conſtituit Deus precium pro noſtris peccatis, non noſtras pœnas, non noſtras ſatisfactiones, ſed mortem Filij ſui. Quæ tandem inſania eſt, præferre noſtras ſatisfactiones, ſatisfactioni Chriſti? Deinde, ut maxime puniat Deus, tamen ſentiendum eſt, remiſſionem peccatorum non deberi propter illam pœnam, & ne injuria afficiatur beneficium Chriſti, & quia conſcientia non poteſt reddi pacata, ſi remiſſio non contingit gratis. Poſtremo, ut maxime Deus puniat, tamen pœnæ illæ nihil ad claves pertinent. Hæ nec de imponendis, nec de remittendis illis pœnis, quæ ſunt opera Dei, mandatum habent.

Cæterum concedimus Deum punire peccata, primum in contritione, cum in illis terroribus iram ſuam oſtendit, ſicut ſignificat David, cum orat, Domine ne in furore tuo arguas me. Et Ieremiæ, Corripe me Domine, veruntamen in judicio, non in furore, ne ad nihilum redigas me. Hic ſane de acerbiſſimis pœnis loquitur. Et fatentur adverſarij contritionem poſſe tantam eſſe, ut non requiratur ſatisfactio. Verius igitur contritio pœna eſt, quam ſatisfactiones Canonicæ.

Pſal. 6.
Ierem. 10.

Secundo ſubjecti ſunt ſancti morti & alijs communibus afflictionibus, Sicut ait Petrus, Tempus eſt incipere judicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, qualis erit finis iſtorum, qui non credunt? Et ut hæ afflictiones plerunq; ſint pœnæ peccatorum, tamen in pijs habent alium finem, infliguntur enim ad mortificandum præſens peccatum, quia in ſanctis extinguunt & mortificant concupiſcentiam. Mors enim ad hoc reliqua eſt in Sanctis, ut aboleat hanc naturam immundam. Ideo Paulus ait, Corpus mortuum eſt propter peccatum, id eſt, mortificatur propter præſens peccatum quod adhuc in carne reliquum eſt.

1. Pet. 4.
Rom. 8.

Crux igitur non pœna, ſed exercitium eſt, & præparatio ad renovationem. Nam cum mortificatur præſens peccatum, cumq; inter tentationes diſcimus quærere auxilium Dei, & experimur præſentiam Dei, magis magisq; agnoſcimus diffidentiam cordium noſtrorum, & erigimus nos fide. Ita creſcit novitas ſpiritus. Sicut Paulus ait: Etſi exterior homo corrumpitur, tamen interior renovatur de die in diem. Item Eſaias ait, Anguſtia, in qua clamant, diſciplina tua eſt ipſis. Præterea mors tunc vere pœna eſt, quando cor pelterrefactum ſentit iram Dei, juxta illud, Aculeus mortis peccatum eſt. Poſtquam autem in Sanctis, fide terrores peccati ſuperati ſunt, mors ſine illo ſenſu iræ Dei proprie non eſt pœna. Porro claves neq; imponunt neq; remittunt has pœnas. Quare ſatisfactiones non pertinent ad has pœnas. Claves enim non remittunt aut mortem aut partem

Ephes. 4.
Eſa. 26.
1. Cor. 13.

afflictionum communium. Iam si has pœnas compensant satisfactionibus, quare jubent in purgatorio satisfacere?

Objiciunt de Adam, de Davide, qui propter adulterium punitus est, Ex his exemplis faciunt universalem regulam, quod singulis peccatis respondeant propriæ pœnæ temporales in imponenda potestate clavium. Prius dictum est sanctos sustinere pœnas, quæ sunt opera Dei, sustinent contritionem seu terrores, sustinent & alias communes afflictiones, Ita sustinét aliqui proprias pœnas à Deo impositas, exempli causa. Et hæ pœnæ nihil pertinent ad claves. Quia claves neq; imponere neq; remittere eas possunt, sed Deus sine ministerio clavium imponit & remittit. Nec sequitur universalis regula, Davidi propria pœna imposita est, Igitur præter communes afflictiones alia quædam purgatorij pœna est, in qua singulis peccatis singuli gradus respondent.

Vbi docet hoc scriptura, non posse nos à morte æterna liberari, nisi per illam compensationem certarum pœnarum præter communes afflictiones? At contra sæpissime docet remissionem peccatorum gratis contingere propter Christum, Christum esse victorem peccati & mortis, quare non est assuendum meritum satisfactionis. Et quamvis afflictiones reliquæ sint, tamen has interpretatur præsentis peccati mortificationes esse, non compensationes æternæ mortis, seu precia pro æterna morte. Iob excusatur, quod non sit afflictus propter præterita mala facta. Itaque afflictiones non semper sunt pœnæ, aut signa iræ, Imo pavidæ conscientiæ docendæ sunt alios fines afflictionum potiores esse, ne sentiant se à Deo rejici, si in afflictionibus nihil nisi pœnam & iram Dei videant. Alij fines potiores sunt considerandi, quod Deus alienum opus faciat, ut suum opus facere possit &c. Sicut longa concione docet Esaias Cap. 28. Et cum discipuli interrogarent de cæco, quis peccasset Iohan. 9. respondet Christus, causam cæcitatis esse, non peccatum, sed ut opera Dei in eo manifestentur. Et apud Ieremiam dicitur, Quibus non erat judicium, bibentes bibent &c. Sicut Prophetæ interfecti sunt, Iohannes Baptista, & alij Sancti. *Esa. 28. Iohan. 9. Ierem. 45.*

Quare afflictiones non semper sunt pœnæ pro certis factis præteritis, sed sunt opera Dei destinata ad nostram utilitatem, & ut potentia Dei fiat conspectior in infirmitate nostra. Sic Paulus ait: Potentia Dei perficitur in infirmitate mea. Itaque corpora nostra debent esse hostiæ, propter voluntatem Dei, ad obedientiam nostram declarandam, non ad compensandam mortem æternam, pro qua aliud precium habet Deus, scilicet mortem filij sui. Et in hanc sententiam interpretatur Gregorius ipsam etiam pœnam Davidis, cum ait, Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio, cur dimisso peccato, quod erat ei comminatus implevit? Respondetur, remissionem illam peccati factam esse, ne homo ad percipiendam vitam impediretur æternam. Subsecutum vero illud comminationis exemplum, ut pietas hominis etiam in illa humilitate exerceretur atq; probaretur. Sic & mortem corporis propter peccatũ Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam justiciam non ademit, videlicet ut exerceatur & probetur justicia istorũ, qui sanctificantur.

Neq; vero tolluntur communes calamitates proprie per illa opera satisfactionum Canonicarum, hoc est, per illa opera traditionum humanarum, quæ ipsi sic valere dicunt, ex opere operato, ut etiamsi fiant in peccato mortali, tamen redimant pœnas. Et cum objicitur illud Pauli. Si nos judicaremus ipsi, non judicaremur à Domino, verbum Iudicare intelligi debet de tota pœnitentia, & fructibus debitis, non de operibus non debitis. Adversarij nostri dant pœnas contemptæ Grammatices, cum intelligunt judicare, idem esse, quod cataphractum peregre ire ad S. Iacobum, aut similia opera. Iudicare significat totam pœnitentiam, significat damnare peccata. Hæc damnatio vere fit in contritione, & mutatione vitæ. Tota pœnitentia, contritio, fides, boni fructus, impetrant ut mitigentur pœnæ, & calamitates publicæ & privatæ, sicut Esa. Cap. 1. docet, Desi- *1. Cor. 11. Esa. 1.*

nite

Esa. 1. nite malefacere, & discite benefacere &c. Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Nec est ad satisfactiones & opera traditionum humanarum transferenda gravissima & saluberrima sententia à tota pœnitentia, & operibus debitis, seu à Deo præceptis. Et hoc prodest docere, quod mitigentur communia mala per nostram pœnitentiam, & per veros fructus pœnitentiæ, per bona opera facta ex fide, non ut isti fingunt facta in peccato mortali. Et huc pertinet exemplum Ninivitarum, qui sua pœnitentia, de tota loquimur, reconciliati sunt Deo, & impetraverunt, ne deleretur civitas.

Quod autem Patres mentionem faciunt satisfactionis, quod concilia fecerunt Canones, diximus supra disciplinam Ecclesiasticam fuisse, exempli causa constitutam, Nec sentiebant hanc disciplinam necessariam esse, vel ad culpæ, vel ad pœnæ remissionem. Nam si qui in his mentionem purgatorij fecerunt, interpretantur esse non compensationem æternæ pœnæ, non satisfactionem, sed purgationem imperfectarum animarum, Sicut Augustinus ait venialia concremari, hoc est, mortificari diffidentiam erga Deum, & alios affectus similes. Interdum Scriptores transferunt satisfactionis vocabulum ab ipso ritu, seu spectaculo, ad significandam veram mortificationem, Sic Augustinus ait, Vera satisfactio est peccatorum causas excidere, hoc est, mortificare carnem. Item cohercere carnem, non ut compensentur æternæ pœnæ, sed ne caro pertrahat ad peccandum. Ita Gregorius de restitutione loquitur, falsam esse pœnitentiam, si non satisfiat illis, quorum res occupatas tenemus. Non enim vere dolet se furatum esse, aut rapuisse is, qui adhuc furatur. Tantisper enim fur aut prædo est, dum est injustus possessor alienæ rei. Civilis illa satisfactio necessaria est, quia scriptum est, qui furatus est, deinceps non furetur. Item Chrysostomus inquit, In corde contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hoc nihil contra nos facit, debent sequi bona opera pœnitentiam, debet pœnitentia esse, non simulatio, sed totius vitæ mutatio in melius.

Ephes. 4.

Item Patres scribunt satis esse, si semel in vita fiat illa publica seu solennis pœnitentia, de qua sunt facti Canones satisfactionum: Qua ex re intelligi potest, quod sentiebant illos Canones non esse necessarios ad remissionem peccatorum. Nam præter illam solennem pœnitentiam, sæpe alias volunt pœnitentiam agi, ubi non requirebantur Canones satisfactionum.

Architecti confutationis scribunt non esse tolerandum, ut satisfactiones contra expressum Evangelium aboleantur. Nos igitur hactenus ostendimus Canonicas illas satisfactiones, hoc est, opera non debita, facienda propter compensationem pœnæ, non habere mandatum Evangelij. Res ipsa hoc ostendit, si opera satisfactionum sunt opera non debita, quare allegant expressum Evangelium. Nam si Evangelium juberet compensari pœnas per talia opera, jam essent debita opera. Sed si loquuntur, ut fucum faciant imperitis, & allegant testimonia, quæ de debitis operibus loquuntur, cum ipsi in suis satisfactionibus præscribant opera non debita, Imo ipsi concedunt in scholis sine peccato recusari posse satisfactiones. Falso igitur hic scribunt, quod expresso Evangelio cogamur satisfactiones illas Canonicas suscipere.

Cæterum nos sæpe jam testati sumus, quod pœnitentia debeat bonos fructus parere, & qui sint boni fructus docent mandata, videlicet invocatio, gratiarum actio, Confessio Evangelij, docere Evangelium, obedire parentibus, & magistratibus, servire vocationi, non occidere, non retinere odia, sed esse placabilem, dare egentibus quantum pro facultatibus possumus, non scortari, non mœchari, sed cohercere, & refrænare, castigare carnem, non propter compensationem pœnæ æternæ, sed ne obtemperet diabolo, ne offendat Spiritum sanctum, Item vera dicere. Hi fructus habent præcepta Dei, & propter gloriam & mandatum Dei fieri debent, habent & præmia. Sed quod non remittantur pœnæ

æternæ,niſi propter compenſationem certarum traditionum aut purgatorij,hoc non docet ſcriptura. Indulgentiæ olim erant condonationes publicarum illarum obſervationum, ne nimium gravarentur homines. Quod ſi humana autoritata remitti ſatisfactiones & pœnæ queunt,non igitur lure divino neceſſaria eſt illa compenſatio. Nam jus divinum non tollitur humana autoritate.

Porro cum nunc per ſe antiquatus ſit mos, & quidem diſſimulantibus Epiſcopis, nihil opus eſt remiſſionibus illis, Et tamen manſit nomen indulgentiarum. Et ſicut ſatisfactiones non intellectæ ſunt de politica diſciplina,ſed de compenſatione pœnæ, Ita indulgentiæ male intellectæ ſunt, quod liberent animas ex purgatorio. At clavis non habet poteſtatem, niſi ſuper terram, ligandi & ſolvendi, juxta illud, Quicquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum in cœlo, Quicquid ſolveris ſuper terram,erit ſolutum in cœlo. Quanquam, ut ſupra diximus, clavis poteſtatem habet non imponendi pœnas aut cultus inſtituendi, ſed tantum habet mandatum remittendi peccata, his qui convertuntur, & arguendi & excommunicandi iſtos, qui nolunt converti. Sicut enim ſolvere ſignificat remittere peccata, Ita ligare ſignificat non remittere peccata. Loquitur enim Chriſtus de regno ſpirituali. Et mandatum Dei eſt, ut miniſtri Evangelij abſolvant hos,qui convertuntur, juxta illud, Poteſtas nobis data eſt ad ædificationem. Quare reſervatio caſuum politica res eſt. Eſt enim reſervatio pœnæ Canonicæ, non eſt reſervatio culpæ coram Deo in his, qui vere convertuntur. Proinde recte judicant adverſarij cum fatentur, quod in articulo mortis illa reſervatio caſuum non debeat impedire abſolutionem.

Matth.16.

1. Cor. 10.

Expoſuimus ſummam noſtræ doctrinæ de pœnitentia, quam certo ſcimus piam, & ſalubrem bonis mentibus eſſe. Et boni viri ſi contulerint noſtram doctrinam cum confuſiſſimis diſputationibus adverſariorum, perſpicient adverſarios omiſiſſe doctrinam de fide juſtificante, & conſolante pia corda, Videbunt etiam multa fingere adverſarios, de merito attritionis, de illa infinita enumeratione delictorum, de ſatisfactionibus, ὅτι γῆς φασίν, ὅτι ὑφανοῦ ἀπόμυια, quæ ne ipſi quidem adverſarij ſatis explicare poſſunt.

DE NVMERO ET VSV SACRAMENTORUM.

IN XIII. Articulo probant adverſarij, quod dicimus Sacramenta non eſſe tantum notas profeſſionis inter homines, ut quidam fingunt, ſed magis eſſe ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, per quæ movet Deus corda ad credendum, Sed hic jubent nos etiam ſeptem Sacramenta numerare. Nos ſentimus præſtandum eſſe ne negligantur res & ceremoniæ in Scirpturis inſtitutæ, quotcunq; ſunt. Nec multum referre putamus, etiamſi docendi cauſa alij numerant aliter, ſi tamen recte conſervent res in ſcriptura traditas, Nec veteres eodem modo numeraverunt.

Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei,& quibus addita eſt promiſſio gratiæ, facile eſt judicare quæ ſint proprie Sacramenta. Nam ritus ab hominibus inſtituti non erunt hoc modo proprie dicta Sacramenta. Non eſt enim autoritatis humanæ,promittere gratiam. Quare ſigna ſine mandato Dei inſtituta,non ſunt certa ſigna gratiæ,etiamſi fortaſſe rudes docent, aut admonent aliquid. Vere igitur ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Cœna Domini,Abſolutio,quæ eſt Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promiſſionem gratiæ,quæ eſt propria novi Teſtamenti. Certo enim debent ſtatuere corda, cum baptizamur, cum veſcimur corpore Domini, cum abſolvimur, quod vere ignoſcat nobis Deus propter Chriſtum, Et corda ſimul per verbum, & ritum movet Deus, ut credant, & concipiant fidem, ſicut ait Paulus, Fides ex auditu eſt. Sicut autem verbum incurrit in aures, ut feriat corda, Ita ritus ipſe incurrit in oculos, ut moveat corda. Idem effectus eſt verbi & ritus, ſicut præclare dictum

Rom. 10.

Digitized by Google

ctum eſt ab Auguſtino, Sacramentum eſſe verbum viſibile. Quia ritus oculis accipitur, & eſt quaſi pictura verbi, idem ſignificans, quod verbum, Quare idem eſt utriuſq; effectus.

Confirmatio & Extrema unctio ſunt ritus accepti à Patribus, quos ne Eccleſia quidem tanquam neceſſarios ad ſalutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Propterea non eſt inutile hos ritus diſcernere à ſuperioribus, qui habent expreſſum mandatum Dei, & clara promiſſionem gratiæ.

Sacerdotium intelligunt adverſarij non de miniſterio Verbi & Sacramentorum alijs porrigendorum, ſed intelligunt de ſacrificio, quaſi oporteat eſſe in novo teſtamento ſacerdotium ſimile Levitico, quod pro populo ſacrificet, & mereatur alijs remiſſionem peccatorum. Nos docer[illegible]acrificium Chriſti morientis in Cruce, ſatis fuiſſe pro peccatis totius m[illegible]nec indigere præterea alijs ſacrificijs, quaſi illud non ſatis fuerit pro pecc[illegible]ris. Ideo juſtificantur homines, non propter ulla reliqua ſacrificia, ſe[illegible]er illud unum Chriſti ſacrificium, ſi credant illo ſacrificio ſe redemptos eſſe. Ideo ſacerdotes vocantur, non ad ulla ſacrificia velut in lege pro populo facienda ut per ea mereantur populo remiſſionem peccatorum, ſed vocantur ad docendum Evangelium, & Sacramenta porrigenda populo. Nec habemus nos aliud ſacerdotium, ſimile Levitico, ſicut ſatis docet Epiſtola ad Ebræos.

Si autem ordo de miniſterio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus ordinem Sacramentum. Nam miniſterium Verbi habet mandatum Dei, Et
1. 1. habet magnificas promiſſiones, Rom. 1. Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem
55. omni credenti. Item, Eſa. 55. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuũ, ſed faciet quæcũq; volui &c. Si ordo hoc modo intelligatur, neq; impoſitionem manuum vocare Sacramentum gravemur. Habet enim Eccleſia mandatum de conſtituendis miniſtris, quod gratiſſimum eſſe nobis debet, quod ſcimus Deum approbare miniſterium illud, & adeſſe in miniſterio. Ac prodeſt quantum fieri poteſt, ornare miniſterium Verbi, omni genere laudis adverſus fanaticos homines, qui ſomniant Spiritum ſanctum dari, non per verbum, ſed propter ſuas quaſdam præparationes, ſi ſedeant ocioſi, taciti, in locis obſcuris, expectantes illuminationem, quemadmodum olim ἐνθουσιασταὶ docebant, & nunc docent Anabaptiſtæ.

Matrimonium non eſt primum inſtitutum in novo Teſtamento, ſed ſtatim initio, creato genere humano. Habet autem mandatum Dei, habet & promiſſiones, non quidem proprie ad novum Teſtamentum pertinentes, ſed magis pertinentes ad vitam corporalem. Quare ſi quis volet Sacramentum vocare, diſcernere tamen à prioribus illis debet, quæ proprie ſunt ſigna novi Teſtamenti, & ſunt teſtimonia gratiæ & remiſſionis peccatorum. Quod ſi Matrimonium propterea habebit appellationem Sacramenti, quia habet mandatum Dei, Etiam alij ſtatus ſeu officia, quæ habent mandatum Dei, poterunt vocari Sacramenta, ſicut Magiſtratus. Poſtremo, ſi omnes res annumerari Sacramentis debent, quæ habent mandatum Dei, & quibus ſunt additæ promiſſiones, cur non addimus orationem, quæ veriſſime poteſt dici Sacramentum. Habet enim & mandatum Dei & promiſſiones plurimas, Et collocata inter Sacramenta, quaſi in illuſtriore loco, invitat homines ad orandum. Poſſent hic numerari etiam Eleemoſynæ, Item afflictiones, quæ & ipſæ ſunt ſigna, quibus addidit Deus promiſſiones, Sed omittamus iſta. Nemo enim vir prudens de numero aut vocabulo magnopere rixabitur, ſi tamen illæ res retineantur, quæ habent mandatum Dei & promiſſiones.

Illud magis eſt neceſſarium, intelligere quomodo ſit utendum Sacramentis. Hic damnamus totum populum Scholaſticorum doctorum, qui docent, quod Sacramenta non ponenti obicem, conferant gratiam ex opere operato, ſine bono motu utẽtis. Hæc ſimpliciter Iudaica opinio eſt, ſentire, quod per ceremoniam juſtificemur, ſine bono motu cordis, hoc eſt, ſine fide, Et tamen hæc impia & pernici-

perniciosa opinio, magna autoritate docetur, in toto regno Pontificio. Paulus reclamat & negat Abraham justificatum esse circumcisione, sed circumcisionem esse signum propositum ad exercendam fidem, Ita nos docemus, quod in usu Sacramentorum fides debeat accedere, quæ credat illis promissionibus, & accipiat res promissas, quæ ibi in Sacramento offeruntur. Et est ratio plana & firmissima, Promissio est inutilis nisi fide accipiatur. At Sacramenta sunt signa promissionum. Igitur in usu debet accedere fides, ut si q̃ uis utetur Cœna Domini, sic utatur, Quia id est Sacramentum novi Testamenti, ut Christus clare dicit, ideo statuat sibi offerri res promissas in novo Testamento, scilicet gratuitam remissionem peccatorum.

Et hanc rem fide acc[illegible]t, erigat pavidam conscientiam, & sentiat hæc testimonia, non esse fallacia; [illegible]um certa, quam si Deus novo miraculo de cœlo promitteret se velle ignosce[illegible] quid autem prodessent illa miracula & promissiones, non credenti? Et loqui[illegible] hic de fide speciali, quæ præsenti promissioni credit, non tantum quæ in genere credit Deum esse, sed quæ credit offerri remissionem peccatorum. Hic usus Sacramenti consolatur pias & pavidas mentes. Quantum autem in Ecclesia abusuum pepererit illa fanatica opinio, de opere operato sine bono motu utentis, nemo verbis consequi potest. Hinc est illa infinita prophanatio missarum, sed de hac infra dicemus, Neq; ulla litera ex veteribus Scriptoribus proferri potest, quæ patrocinetur hac in re Scholasticis, Imo contrarium ait Augustinus, quod fides Sacramenti, non Sacramentum justificet, Et est nota Pauli sententia, Corde creditur ad justiciam. Rom. 10.

ARticulum XIIII. in quo dicimus, nemini nisi rite vocato concedendam esse administrationem Sacramentorum & Verbi in Ecclesia, ita recipiunt, si tamen utamur ordinatione Canonica. Hac de re in hoc conventu sæpe testati sumus, nos summa voluntate cupere conservare politiam Ecclesiasticam, & gradus in Ecclesia factos etiam humana autoritate. Scimus enim, bono & utili consilio à Patribus Ecclesiasticam disciplinam hoc modo, ut veteres Canones describunt, constitutam esse, Sed Episcopi sacerdotes nostros aut cogunt hoc doctrinæ genus, quod confessi sumus, abjicere ac damnare, aut nova & inaudita crudelitate miseros & innocentes occidunt. Hæ causæ impediunt, quo minus agnoscant hos Episcopos nostri Sacerdotes. Ita sævitia Episcoporum in causa est, quare alicubi dissolvitur illa Canonica politia, quam nos magnopere cupiebamus conservare.

Ipsi viderint quomodo rationem Deo reddituri sint, quod dissipant Ecclesiam. Nostræ conscientiæ hac in re nihil habent periculi, quia cum sciamus confessionem nostram veram, piam, & catholicam esse, non debemus approbare sævitiam istorum, qui hanc doctrinam persequuntur, Et Ecclesiam esse scimus apud hos, qui verbum Dei recte docent, & recte administrant Sacramenta, non apud illos, qui verbum Dei non solum edictis delere conantur, sed etiam recta & vera docentes trucidant, erga quos, etiamsi quid contra Canones faciunt, tamen ipsi Canones mitiores sunt. Porro hic iterum volumus testatum, nos libenter conservaturos esse Ecclesiasticam & Canonicam politiam, si modo Episcopi desinant in nostras Ecclesias sævire. Hæc nostra voluntas & coram Deo, & apud omnes gentes, ad omnem posteritatem excusabit nos, ne nobis imputari possit, quod Episcoporum autoritas labefactatur, ubi legerint atq; audierint homines, nos injustam sævitiam Episcoporum deprecantes, nihil æqui impetrare potuisse.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS in Ecclesia.

IN Articulo XV. recipiunt primam partem, in qua dicimus, observandos esse ritus Ecclesiasticos, qui sine peccato observari possunt, & ad tranquillitatẽ & bonum

Digitized by

num ordinem in Ecclesia prosunt. Alteram partem omnino damnant, in qua dicimus traditiones humanas institutas ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, adversari Evangelio. Quanquam in ipsa confessione de discrimine ciborum, satis multa diximus de traditionibus, tamen hic quædam breviter repetenda sunt, Etiamsi arbitramur adversarios ex alijs causis defensuros esse traditiones humanas, tamen hoc non putavimus futurum, ut hunc articulum damnarent, Non mereri nos remissionem peccatorum, aut gratiam, observatione traditionum humanarum. Postquam igitur hic articulus damnatus est, facilem & planam causam habemus. Nunc aperte Iudaizant adversarij, aperte obruunt Evangelium doctrinis dæmoniorum, Tunc enim scriptura vocat traditiones, doctrinas dæmoniorum, quando docetur, quod sint cultus utiles ad promerendam remissionem peccatorum & gratiam. Tunc enim obscurant Evangelium, beneficium Christi, & justiciam fidei.

Evangelium docet nos fide propter Christum gratis accipere remissionem peccatorum, & reconciliari Deo. Adversarij contrà alium Mediatorem constituunt, scilicet has traditiones. Propter has volunt consequi remissionem peccatorũ, per has volunt placare iram Dei. At Christus aperte dicit, Frustra colunt me mãdatis hominum. Supra copiosè disputavimus homines justificari fide, cum credunt se habere Deum placatum, non propter nostra opera, sed gratis propter Christum. Hanc certum est Evangelij doctrinam esse, quia Paulus clare dicit ad Ephes. 2. Gratis salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus. Nunc isti dicunt promereri homines remissionem peccatorum per has observationes humanas. Quid hoc est aliud quam præter Christum, alium justificatorem, alium Mediatorem constituere? Paulus inquit ad Galatas, Evacuati estis à Christo, qui legi justificamini, id est, Si sentitis vos mereri observatione legis, ut justi coram Deo reputemini, nihil proderit vobis Christus, Quia quorsum opus est Christo istis, qui sentiunt se justos esse sua observatione legis.

Matth. 15.

Ephes. 2.

Galat. 5.

Deus proposuit Christum, quod propter hunc Mediatorem, non propter nostras justicias velit nobis esse propitius. At isti sentiunt Deum esse placatum, propitium propter traditiones & non propter Christum. Adimunt igitur Christo honorem Mediatoris, Nec interest inter nostras traditiones, & Mosaicas ceremonias, quod ad hanc rem attinet. Paulus ideo damnat Mosaicas ceremonias, sicut traditiones damnat, Quia existimabantur esse opera, quæ mererentur justiciam coram Deo. Ita obscurabatur officium Christi & justicia fidei. Quare remota lege, remotis traditionibus, contendit, quod non propter ista opera, sed propter Christum gratis promissa sit remissio peccatorum, modo ut fide accipiamus eam. Nam promissio non accipitur nisi fide.

Cum igitur fide accipiamus remissionem peccatorum, cum fide habeamus propitium Deum, propter Christum, error & impietas est constituere, quod per has observationes mereamur remissionem peccatorum. Si quis hic dicat non mereri nos remissionem peccatorum, sed jam justificatos, per has traditiones mereri gratiam, Hic iterum reclamat Paulus, Christum peccati ministrum fore, si post justificationem sentiendum sit, quod deinde non propter Christum justi reputemur, sed primum mereri debeamus per alias observationes, ut justi reputemur. Item, hominis testamento nihil addi debet, Ergo nec Dei testamento, qui promittit quod propter Christum propitius nobis esse velit, addi debet, quod primum per has observationes debeamus mereri, ut accepti & justi reputemur.

Gal. 2.

Quanquam quid opus est longa disputatione. Nulla traditio à sanctis Patribus hoc consilio instituta est, ut mereatur remissionem peccatorum aut justiciam, sed sunt institutæ propter bonum ordinem in Ecclesia, & propter tranquillitatem, Et ut velit aliquis instituere certa opera ad promerendã remissionem peccatorum aut justiciam, quomodo sciet illa opera Deo placere, cum non habeat testimo-

teſtimonium verbi Dei, quomodo de voluntate Dei certos reddet homines, ſine mandato & verbo Dei? Nonne ubiq; in Prophetis prohibet inſtituere peculiares cultus, ſine ſuo mandato? Ezechielis 20. ſcriptum eſt, In præceptis Patrum ve- Ezech. 20
ſtrorum nolite incedere, nec judicia eorum cuſtodiatis, nec in Idolis eorum polluamini, Ego Dominus Deus veſter, In præceptis meis ambulate, & judicia mea cuſtodite & facite ea.

Si licet hominibus inſtituere cultus & per hos cultus merentur gratiam, jam omnium gentium cultus erunt approbādi, cultus inſtituti à Ieroboam & alijs extra legem erunt approbandi. Quid enim intereſt, ſi nobis licuit inſtituere cultus utiles ad promerendam gratiam aut juſticiam, cur non licuit idem gentibus & Iſraelitis? Ideo gentium & Iſraelitarum cultus improbati ſunt, quod ſentiebant ſeſe per illos mereri remiſſionem peccatorum & juſticiam, & juſticiam fidei non norant. Poſtremo, vnde reddimur certi, quod cultus ab hominibus inſtituti ſine mandato Dei juſtificent, Siquidem de voluntate Dei nihil affirmari poteſt ſine verbo Dei? Quid ſi hos cultus non approbat Deus? Quomodo igitur affirmant adverſarij quod juſtificent, cum id ſine verbo ac teſtimonio Dei non poſſit affirmari, Et Paulus dicat, Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſſe. Cum autem Rom. 14.
hi cultus nullum habeant teſtimonium verbi Dei, dubitare conſcientiam neceſſe eſt, utrum placeant Deo.

Et quid in re manifeſta verbis opus eſt? Si hos humanos cultus defendunt adverſarij noſtri, tanquam promerentes juſtificationem, gratiam, remiſſionem peccatorum, ſimpliciter conſtituunt regnum Antichriſti. Nam regnum Antichriſti eſt novus cultus Dei, excogitatus humana autoritate, rejiciens Chriſtum, ſicut regnum Mahometi habet cultus, habet opera, per quæ vult juſtificari coram Deo, nec ſentit homines coram Deo gratis juſtificari fide propter Chriſtum. Ita & Papatus erit pars regni Antichriſti, ſi ſic defendit humanos cultus, quod juſtificent. Detrahitur enim honos Chriſto, cum docent, quod non propter Chriſtum gratis juſtificemur per fidem, ſed per tales cultus, maximeq; cum docent, tales cultus non ſolum utiles eſſe ad juſtificationem, ſed neceſſarios etiam, ſicut ſupra in articulo octavo ſentiunt, ubi damnant nos, quod diximus, quod non ſit neceſſarium, ad veram unitatem Eccleſiæ, ubiq; ſimiles eſſe ritus ab hominibus inſtitutos.

Daniel Capite undecimo, ſignificat novos cultus humanos, ipſam formam & πολιτείαν regni Antichriſti fore. Sic enim inquit: Deum Maoſim in loco ſuo colet, & Deum quem non noverunt Patres ejus, colet auro & argento, & lapidibus precioſis. Hic deſcribit novos cultus, quia inquit talem Deum coli, qualem Patres ignoraverint. Nam S. Patres, etſi habuerunt & ipſi ritus & traditiones, tamen non ſentiebant has res utiles aut neceſſarias eſſe ad juſtificationem, non obſcurabant gloriam & officium Chriſti, ſed docebant nos juſtificari fide propter Chriſtum, non propter illos humanos cultus. Cæterum ritus humanos obſervabant propter utilitatem corporalem, ut ſciret populus, quo tempore conveniendum eſſet, ut ordine & graviter in templis exempli cauſa fierent omnia, deniq; ut vulgus etiam haberet quandam pædagogiam. Nam diſcrimina temporum & varietas rituum valet ad admonendum vulgus. Dan. 11.

Has cauſas habebant Patres rituum ſervandorum, ut aperte teſtatur Epiphanius in diſputatione contra Encratitas, quod genus ſimile fuit Monachorum noſtrorum. Fuerunt enim ſodalitia quæ ſibi certas traditiones imponebant, abſtinebant à vino etiam in ipſa Cœna Domini, Nullis carnibus veſcebantur, ne piſcium quidem, qua in re fratres a Dominici longe ſuperabant. A conjugio vero vel maxime abhorrebant, etſi à conſuetudine mulierum non abhorrebant. Id e- Domin.
nim objicit eis Epiphanius, habebant enim muliercularum greges idem vitæ genus ſequentes, ſicut hoc tempore fere ubiq; habent Monachi vicina mulierum Monaſteria. Et has obſervationes fingebant eſſe cultum Dei, & juſticiam propter

quam

quam Deo accepti eſſent, qua placarent iram Dei. Hanc opinionem improbat Epiphanius, & alios fines eſſe traditionum oſtendit, dicit probandas eſſe traditiones, factas διὰ τὴν ἐγκράτειαν, ἢ διὰ τὴν πολιτείαν, hoc eſt, aut ad cohercendam carnem, propter diſciplinam rudium aut propter politicum ordinem.

Et nos propter has cauſas recte ſervari poſſe traditiones judicamus, Vt populus ſobrius interſit ſacris, ſicut Ioſaphat, & Rex Ninive jejunia indixerunt, Item ut ordo & politia Eccleſiæ doceat imperitos, quid quo tempore geſtum ſit. Hinc ſunt feriæ Natalis, Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimiles. Hoc eſt quod Epiphanius ait, politiæ cauſa inſtitutas eſſe traditiones, videlicet ordinis cauſa, & ut ordo ille admoneat homines de hiſtoria, & de beneficijs Chriſti. Etenim multo efficacius admonent vulgus, notæ rerum quaſi pictæ in moribus ac ritibus, quam literæ. Hos fines proderat oſtendi populo, & illuſtrari, Sed his finibus affingunt adverſarij alium quádam Phariſaica perſuaſione, quod videlicet tales obſervationes mereantur remiſſionem peccatorum, quod ſint cultus neceſſarij ad juſtificationem, quod propter eos reputentur homines juſti coram Deo. Hoc plane eſt, Deum colere auro, argento, & rebus precioſis, ſentire quod Deus fiat placatus varietate veſtitus, ornamentorum, & ſimilibus rebus, quales ſunt infinitæ in traditionibus humanis, aut quod ejuſmodi res, ſint cultus Dei, temporum, ciborum, vaſorum, veſtitus diſcrimina.

Paulus ad Coloſſenſes ſcribit, traditiones habere ſpeciem ſapientiæ, Et habent profecto. Nam σοφία illa valde decet in Eccleſia, eamq; ob cauſam neceſſaria eſt, ſed humana ratio, quia non intelligit juſticiam fidei, naturaliter affingit, quod talia opera juſtificent homines, quod reconcilient Deum &c. Sic ſentiebat vulgus inter Iſraelitas, & hac opinione augebant tales cæremonias, ſicut apud nos in monaſterijs creverunt. Sic judicat humana ratio etiam de exercitijs corporis, de jejunijs, quorum finis cum ſit, cohercere carnem, ratio affingit finem, quod ſint cultus, qui juſtificent. Sicut Thomas ſcribit, Iejunium valere ad deletionem & prohibitionem culpæ. Hæc ſunt verba Thomæ. Ita ſapientiæ ac juſticiæ ſpecies in talibus operibus decipit homines. Et accedunt exempla Sanctorum, quos dum ſtudent imitari homines, imitantur plærumq; externa exercitia, non imitantur fidem eorum.

Poſtquam fefellit homines hæc ſpecies ſapientiæ ac juſticiæ, deinde ſequuntur infinita incommoda, obſcuratur Evangelium de juſticia fidei in Chriſtum, & ſuccedit vana fiducia talium operum. Deinde obſcurantur præcepta Dei, hæc opera arrogant ſibi titulum perfectæ & ſpiritualis vitæ, & longe præferuntur operibus præceptorum Dei, ut operibus ſuæ cujuſq; vocationis, adminiſtrationi reipublicæ, adminiſtrationi Oeconomiæ, vitæ conjugali, educationi liberorum. Hæc præ illis cæremonijs judicantur eſſe prophana, ita ut cum quadam dubitatione conſcientiæ à multis exerceantur. Conſtat enim multos deſerta adminiſtratione reipublicæ, deſerto conjugio, illas obſervationes eſſe amplexos tanquam meliores & ſanctiores. Neq; hoc ſatis eſt, ubi occupavit animos perſuaſio quod tales obſervationes ad juſtificationem neceſſariæ ſint, miſere vexantur conſcientiæ, quia non poſſunt omnes obſervationes exactè præſtare. Nam quotus quiſq; numerare omnes potuit? Extant immenſi libri, imo Bibliothecæ totæ, nullam ſyllabam de Chriſto, de fide in Chriſtum, de bonis operibus ſuæ cujuſq; vocationis continentes, ſed tantum colligentes traditiones, & harum interpretationes, quibus interdum exacerbantur, interdum relaxantur. Quomodo torquetur vir optimus, Gerſon, dum quærit gradus & latitudines præceptorum, nec tamen poteſt conſtituere πλήρωμα in gradu certo, Interim graviter deplorat pericula piarum conſcientiarum, quæ parit hæc acerba interpretatio traditionum.

Nos igitur contra illam ſpeciem ſapientiæ & juſticiæ in humanis ritibus, quæ fallit homines, muniamus nos verbo Dei, & primum ſciamus eas neq; remiſſionem peccatorum, neq; juſtificationem mereri coram Deo, neq; ad juſtificati-

onem neceſſarias eſſe. Teſtimonia quædam ſupra citavimus, Et plenus eſt Paulus, Ad Coloſſ. 2. clare dicit, Nemo vos judicet in cibo, potu, aut ſtato feſto, aut novilunio, aut ſabbatis, quæ ſunt umbræ futurorum, corpus autem Chriſti. Atq; hic ſimul & legem Moiſi, & traditiones humanas complectitur, ne adverſarij eludant hæc teſtimonia, ut ſolent, quod Paulus tantum de lege Moiſi loquatur. Ille vero hic clare teſtatur ſe loqui de traditionibus humanis. Quanquam quid dicant adverſarij non vident, ſi Evangelium negat cæremonias Moiſi, quæ erant divinitus inſtitutæ, juſtificare, quanto minus juſtificant traditiones humanæ. Col. 2.

Nec habent Epiſcopi poteſtatem inſtituendi cultus tanquam juſtificantes, aut neceſſarios ad juſtificationem, Imo Apoſtoli Actor. 15. dicunt, Quid tentatis Deum, imponentes jugum &c. ubi velut magnum peccatum accuſat Petrus, hoc conſilium onerandæ Eccleſiæ. Et ad Galat. 5. vetat Paulus iterum ſervituti ſubjici. Volunt igitur Apoſtoli in Eccleſia manere hanc libertatem ne judicentur ulli cultus legis aut traditionum neceſſarij eſſe, ſicut in lege fuerunt neceſſariæ cæremoniæ æd tempus, ne obſcuretur juſticia fidei, ſi judicent homines cultus illos mereri juſtificationem, aut ad juſtificationem neceſſarios eſſe. Multi varias *Πλανάσθαι* quærunt in traditionibus, ut conſcientijs medeantur, neq; tamen certos gradus reperiunt, per quos explicent conſcientias ex his vinculis. Act. 15. Gal. 5.

Verum ſicut Alexander ſoluit gordium nodum, quem cum explicare non poſſet, gladio ſemel diſſecuit, ita Apoſtoli ſemel liberãt conſcientias traditionibus, præſertim ſi tradantur ad promerendam juſtificationem. Huic doctrinæ cogunt nos Apoſtoli adverſari docendo, & exemplis, Cogunt nos docere, quod traditiones non juſtificent, quod non ſint neceſſariæ ad juſtificationem, quod nemo debeat condere aut recipere traditiones hac opinione, quod mereantur juſtificationem. Tunc etiam ſi quis obſervat, obſervet ſine ſuperſtitione tanquam politicos mores, ſicut ſine ſuperſtitione aliter veſtiuntur milites, aliter Scholaſtici. Apoſtoli violant traditiones, & excuſantur à Chriſto. Erat enim exemplum oſtendendum Phariſæis, quod illi cultus eſſent inutiles. Et ſi quas traditiones parum commodas omittunt noſtri, ſatis nunc excuſati ſunt, cum requiruntur tanquam promereantur juſtificationem. Talis enim opinio in traditionibus eſt impia.

Cæterum traditiones veteres factas in Eccleſia, utilitatis & tranquillitatis cauſa libenter ſervamus, eaſq; interpretamur *περὶ τοῦ δοκεῖν* excluſa opinione quæ ſentit quod juſtificent, Ac falſo nos accuſant inimici noſtri, quod bonas ordinationes, quod diſciplinam Eccleſiæ aboleamus. Vere enim prædicare poſſumus publicam formam Eccleſiarum apud nos honeſtiorem eſſe, quam apud adverſarios. Et, ſi quis recte expendere velit, verius ſervamus Canones, quam adverſarij. Apud adverſarios Miſſas faciunt ſacrificuli inviti, & mercede conducti, & plærunq; tantum mercedis cauſa canunt Pſalmos, non ut diſcant, aut orent, Sed cultus cauſa, quaſi illud opus ſit cultus aut certe mercedis cauſa. Apud nos utuntur cœna Domini multi ſingulis dominicis, ſed prius inſtituti, explorati, & abſoluti, Pueri canunt Pſalmos ut diſcant, canit & populus, ut vel diſcat, vel oret. Apud adverſarios nulla prorſus eſt *κατήχησις* puerorum, de qua quidem præcipiunt Canones. Apud nos coguntur Paſtores & miniſtri Eccleſiarum publice inſtituere & audire pueritiam. Et hæc cæremonia optimos fructus parit. Apud adverſarios in multis regionibus toto anno nullæ habentur conciones, præterquam in quadrageſima. Atqui præcipuus cultus Dei eſt, docere Evangeliũ. Et cum concionantur adverſarij dicunt de traditionibus humanis, de cultu Sanctorum, & ſimilibus nugis, quas jure faſtidit populus. Itaque deſeruntur ſtatim initio poſtquam recitatus eſt Evangelij textus.

Pauci quidam meliores nunc de bonis operibus dicere incipiunt, de juſticia fidei, de fide in Chriſtum, de conſolatione conſcientiarum nihil dicunt,

Imo

ed by Google

Imo hanc ſaluberrimam Evangelij partem lacerant convitijs. Econtra in noſtris Eccleſijs omnes conciones in his locis conſumuntur, de pœnitentia, de timore Dei, de fide in Chriſtum, de juſticia fidei, de conſolatione conſcientiarum per fidem, de exercitijs fidei, de oratione qualis eſſe debeat, & quod certo ſtatuendum ſit, quod ſit efficax, quod exaudiatur, de cruce, de dignitate magiſtratuum & omnium civilium ordinationum, de diſcrimine regni Chriſti, ſeu regni ſpiritualis & politicarum rerum, de conjugio, de educatione & inſtitutione puerorum, de caſtitate, de omnibus officijs charitatis. Ex hoc ſtatu Eccleſiarum judicari poteſt, nos diſciplinam Eccleſiaſticam, & pias ceremonias, & bonos mores Eccleſiaſticos diligenter conſervare.

Ac de mortificatione carnis, & diſciplina corporis ita docemus, ſicut narrat confeſſio, quod vera & non ſimulata mortificatio fiat per crucem & afflictiones, quibus Deus exercet nos. In his obediendum eſt voluntati Dei, ſicut ait Pau-
Rom. 6. lus, Exhibete corpora veſtra hoſtiam &c. Et hæc ſunt ſpiritualia exercitia timo-
Luc. 21. ris & fidei. Verum præter hanc mortificationem, quæ fit per crucem, eſt & voluntarium quoddam exercitij genus neceſſarium, de quo Chriſtus ait, Cavete ne
1. Cor. 9. corda veſtra graventur crapula. Et Paulus, Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo &c. Et hæc exercitia ſuſcipienda ſunt, non quod ſint cultus juſtificantes, ſed ut cohereeant carnem, ne ſaturitas obruat nos, & reddat ſecuros & ocioſos, qua ex re fit, ut affectibus carnis indulgeant & obtemperent homines. Hæc diligentia debet eſſe perpetua, quia habet perpetuum mandatum Dei. Et illa præſcripta forma certorum ciborum ac temporum nihil facit ad cohercendam carnem. Eſt enim delicatior & ſumptuoſior quam reliqua convivia. Et ne adverſarij quidem obſervant formam in Canonibus traditam.

Multas & difficiles diſputationes habet hic locus de traditionibus, ac nos re ipſa experti ſumus, traditiones vere eſſe laqueos conſcientiarum. Cum exiguntur tanquam neceſſariæ, miris modis cruciant cõſcientias prætermittentes aliquam obſervationem. Rurſus abrogatio ſua habet incommoda, ſuas quæſtiones. Sed nos facilem & planam cauſam habemus, quia adverſarij damnant nos, quod docemus traditiones humanas non mereri remiſſionem peccatorum. Item requirunt univerſales traditiones, quas ſic vocant, tanquam neceſſarias ad juſtificationem. Hic habemus Patronum conſtantem Paulum, qui ubiq; contendit has obſervationes neq; juſtificare, neq; neceſſarias eſſe ſupra juſticiam fidei. Et tamen uſum libertatis in his rebus, ita moderandum eſſe docemus, ne imperiti offendantur, & propter abuſum libertatis fiant iniquiores veræ doctrinæ Evangelij, neve ſine probabili cauſa mutetur aliquid in uſitatis ritibus, ſed ut propter alendam cõcordiam ſerventur veteres mores, qui ſine peccato, aut ſine magno incommodo ſervari poſſunt. Et in hoc ipſo conventu ſatis oſtendimus nos propter charitatem ἀδιάφορα non gravatim obſervaturos eſſe cum alijs, etiamſi quid incommodi haberent, ſed publicam concordiam, quæ quidem ſine offenſione conſcientiarum fieri poſſet, judicavimus omnibus alijs commodis anteferendam eſſe. Sed de hac tota re paulo poſt etiam dicemus, cum de votis, & de poteſtate Eccleſiaſtica diſputabimus.

ARticulum XVI. recipiunt adverſarij ſine ulla exceptione, in quo confeſſi ſumus, quod liceat Chriſtiano gerere magiſtratus, exercere judicia, ex Imperatorijs legibus, ſeu alijs præſentibus legibus, ſupplicia jure conſtituere, jure bella gerere, militare, jure contrahere, tenere proprium, jusjurandum poſtulantibus magiſtratibus dare, contrahere matrimonium, deniq; quod legitimæ ordinationes civiles, ſint bonæ creaturæ Dei, & ordinationes divinæ, quibus tuto Chriſtianus uti poteſt. Hic totus locus de diſcrimine regni Chriſti, & regni civilis literis noſtrorum utiliter illuſtratus eſt, quod regnum Chriſti ſit ſpirituale, hoc eſt, in corde noticiam Dei, timorem Dei, & fidem, juſticiam æternam & vitam æ-

 ternam

ternam inchoans, Interim foris ſinat nos uti politicis ordinationibus legitimis, quarumcunq; gentium inter quas vivimus, ſicut ſinit nos uti medicina, aut Architectonica, aut cibo, potu, aëre. Nec fert Evangelium novas leges de ſtatu civili, ſed præcipit, ut præſentibus legibus obtemperemus, ſive ab ethnicis, ſive ab alijs conditæ ſint, & hac obedientia charitatem jubet exercere. Inſaniebat enim Caroloſtadius, qui nobis imponebat leges judiciales Moiſi.

De his rebus ideo copioſius ſcripſerunt noſtri, quia Monachi multas pernicioſas opiniones ſparſerunt in Eccleſiam, Vocaverunt politiam Evangelicam, communionem rerum, dixerunt eſſe conſilia, non tenere proprium, non ulciſci. Hæ opiniones valde obſcurant Evangelium & regnum ſpirituale, & ſunt periculoſæ rebus publicis. Nam Evangelium non diſſipat politiam aut Oeconomiam, ſed multo magis approbat, & non ſolum propter pœnam, ſed etiam propter conſcientiam jubet illis parere tanquam divinæ ordinationi.

Iulianus Apoſtata, Celſus & plæriq; alij, objecerunt Chriſtianis, quod Evangelium diſſiparet reſpublicas, quia prohiberet vindictam, & alia quædam traderet parum apta civili ſocietati. Et hæ quæſtiones mire exercuerunt Origenem, Nazianzenum & alios, cum quidem facilime explicari poſſint, ſi ſciamus Evangelium non ferre leges de ſtatu Civili, ſed eſſe remiſſionem peccatorum, & inchoationem vitæ æternæ in cordibus credentium, Cæterum non ſolum externas politias approbare, ſed nos etiam ſubjicere illis, ſicut neceſſario ſubditi ſumus legibus temporum, vicibus hyemis & æſtatis tanquam divinis ordinationibus.

Evangelium prohibet vindictam privatam, Idq; hoc conſilio Chriſtus toties inculcat, ne Apoſtoli putarent ſe Imperia debere iſtis eripere, qui alioqui tenebant, ſicut Iudæi de regno Meſſiæ ſomniabant, Sed ut ſcirent ſe de regno ſpirituali docere oportere, non mutare civilem ſtatum. Itaq; privata vindicta, non conſilio, ſed præcepto prohibetur Matth. quinto, & Roma. 12. Publica quæ fit ex officio magiſtratus, non diſſuadetur, ſed præcipitur, & eſt opus Dei, juxta Paulum Rom. 13. Iam publicæ vindictæ ſpecies ſunt, judicia, ſupplicia, bella, militia. De his rebus quam male judicaverint multi ſcriptores, conſtat, quia in hoc errore fuerunt, Evangelium externam quandam novam & monaſticam politiam eſſe, nec viderunt Evangelium cordibus afferre juſticiam æternam, foris autem probare ſtatum civilem.

Vaniſſimum & hoc eſt, quod ſit perfectio Chriſtiana, non tenere proprium. Nam perfectio Chriſtiana eſt ſita, non in contemptu civilium ordinationum, ſed in motibus cordis, in magno timore Dei, in magna fide, ſicut Abraham, David, Daniel, etiam in magnis opibus atq; imperijs non minus perfecti erant, quam ulli Eremitæ. Sed Monachi illam externam hypocriſin offuderunt oculis hominum, ne videri poſſet, in quibus rebus ſit vera perfectio. Quibus laudibus vexerunt communionem rerum, quaſi Evangelicam? At hæ laudes plurimum habent periculi, præſertim cum longe diſſentiant à ſcripturis. Scriptura enim non præcipit, ut res ſint communes, ſed lex decalogi, cum inquit, Non furtum facies, dominia diſtinguit, & ſuum quemq; tenere jubet. Plane furebat Vvigleſus, qui negabat licere ſacerdotibus tenere proprium. Sunt infinitæ diſputationes de contractibus, de quibus nunquam ſatis fieri bonis conſcientijs poteſt, niſi ſciant hanc regulã, quod Chriſtiano liceat uti civilibus ordinationibus ac legibus. Hæc regula tuetur conſcientias, cum docet eatenus licitos eſſe contractus coram Deo, quatenus eos magiſtratus ſeu leges approbant.

Hic totus locus rerum politicarum à noſtris ita patefactus eſt, ut plurimi boni viri, qui verſantur in republica, & in negocijs prædicaverint ſe magnopere adjutos eſſe, qui antea Monachorum opinionibus vexati dubitabant, Vtrum illa civilia officia & negocia Evangelium permitteret, Hæc ideo recitavimus, ut etiam exteri intelligant, hoc doctrinæ genere, quod nos ſequimur, non labefactari, ſed mul-

ſed multo magis muniri autoritatem magiſtratuum,& dignitatem omnium ordinationum civilium, quarum rerum magnitudo fatuis illis opinionibus monaſticis, mirifice antea fuit obſcurata, quæ longe præferebant politiæ & Oeconomiæ, ridiculam & vaniſſimam hypocriſin paupertatis & humilitatis, Cum quidem politia & Oeconomia habeant mandata Dei, Illa Platonica communio non habeat mandatum Dei.

ARticulum XVII. recipiunt adverſarij ſine exceptione, in quo confitemur Chriſtum in conſummatione mundi appariturum eſſe, ac mortuos omnes reſuſcitaturum, & pijs æternam vitam & æterna gaudia daturum, Impios vero condemnaturum eſſe, ut cum diabolo ſine fine crucientur.

ARticulum XVIII. recipiunt adverſarij de libero arbitrio, Etſi quædam addunt teſtimonia parum apta ad eam cauſam. Addunt & declamationem, quod non ſit nimium tribuendum libero arbitrio cum Pelagianis, neq; omnem ei libertatem adimẽdam eſſe cum Manichæis. Præclare ſane,ſed quid intereſt inter Pelagianos & adverſarios noſtros? cum utriq; ſentiant homines ſine Spiritu ſancto poſſe Deum diligere, & præcepta Dei facere, quo ad ſubſtantiam actuum, mereri gratiam ac juſtificationem operibus, quæ ratio per ſe efficit ſine Spiritu ſancto. Quam multa abſurda ſequuntur ex his Pelagianis opinionibus, quæ in Scholis magna autoritate docentur. Has Auguſtinus ſequens Paulum, magna contentione refutat, Cujus ſententiam ſupra in articulo de Iuſtificatione recitavimus. Neq; vero adimimus humanæ voluntati libertatem.

Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus diligendis,quas ratio per ſe comprehendit. Poteſt aliquo modo efficere juſticiam civilem, ſeu juſticiam operum, poteſt loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere,obedire magiſtratibus, parentibus in opere externo eligendo,poteſt continere manus à cæde, ab adulterio, à furto. Cum reliqua ſit in natura hominis ratio & judicium de rebus ſenſui ſubjectis, reliquus eſt etiam delectus earum rerum, & libertas & facultas efficiendæ juſticiæ civilis. Id enim vocat Scriptura juſticiam carnis,quam natura carnalis,hoc eſt,ratio per ſe efficit ſine Spiritu ſancto. Quanquam tanta eſt vis concupiſcentiæ, ut malis affectibus ſæpius obtemperent homines, quam recto Iudicio, Et diabolus, qui eſt efficax in impijs, ut ait Paulus, non deſinit incitare hanc imbecillem naturam ad varia delicta.

Hæ cauſæ ſunt, quare & civilis juſticia rara ſit inter homines, ſicut videmus, ne ipſos quidem Philoſophos eam conſecutos eſſe, qui videntur eam expetiviſſe. Illud autem falſum eſt, non peccare hominem,qui facit opera præceptorum extra gratiam,Et addunt amplius, talibus operibus neceſſario deberi remiſſionem peccatorum ac juſtificationem. Nam humana corda ſine Spiritu ſancto, ſunt ſine timore Dei, ſine fiducia erga Deum, non credunt ſe exaudiri, ſibi ignoſci,ſe juvari & ſervari à Deo. Igitur ſunt impia. Porro arbor mala non poteſt ferre bonos fructus, Et ſine fide impoſſibile eſt Deo placere.

Igitur etiamſi concedimus libero arbitrio, libertatem & facultatem externa opera legis efficiendi, tamen illa ſpiritualia non tribuimus libero arbitrio, ſcilicet vere timere Deum,vere credere Deo, vere ſtatuere ac ſentire quod Deus nos reſpiciat, exaudiat, ignoſcat nobis &c. Hæc ſunt vera opera primæ tabulæ,
1.Cor. 2. quæ non poteſt humanum cor efficere, ſine Spiritu ſancto, ſicut ait Paulus: Animalis homo, hoc eſt, homo tantum naturalibus viribus utens, non percipit ea, quæ Dei ſunt. Et hoc judicari poteſt, ſi conſiderent homines, quomodo corda de voluntate Dei ſentiant, Vtrum vere ſtatuant ſe reſpici & exaudiri à Deo. Hanc fidem difficile eſt & ſanctis retinere,tantum abeſt ut ſit in impijs. Concipitur autem, ut ſupra diximus, cum corda perterrefacta Evangelium audiunt, & conſolationem concipiunt.

Prodeſt igitur iſta diſtributio,in qua tribuitur libero arbitrio juſticia civi-

lis,& juſticia ſpiritualis gubernationi Spiritus ſancti in renatis. Ita enim retinetur pædagogia, quia omnes homines pariter debent ſcire, & quod Deus illam civilem juſticiam requirat, & quod aliquo modo præſtare eam poſſimus, Et tamen oſtenditur diſcrimen inter juſticiam humanam & ſpiritualem, inter Philoſophicam, & doctrinam Spiritus ſancti, & intelligi poteſt, ad quid opus ſit Spiritu ſancto. Neque hæc diſtributio à nobis inventa eſt, ſed ſcriptura clariſſime tradit eam, Tractat eam & Auguſtinus, & eſt recens egregie tractata à Guielmo Pariſienſi,ſed ſceleſte obruta eſt ab iſtis,qui ſomniaverunt homines legi Dei obedire poſſe ſine Spiritu ſancto, dari autem Spiritum ſanctũ, ut accedat reſpectus meritorij.

ARticulum XIX. recipiunt adverſarij, in quo confitemur, quod etſi unus ac ſolus Deus condiderit univerſam naturam, & conſervet omnia, quæ exiſtunt,tamen cauſa peccati ſit voluntas in diabolo & hominibus avertens ſe à Deo, juxta dictum Chriſti,de diabolo,Cum loquitur mendaciũ ex proprijs loquitur. Iohan. 8.

IN Articulo XX. diſerte ponunt hæc verba, quod rejiciant & improbent hoc quod dicimus, quod non mereantur homines remiſſionem peccatorum bonis operibus. Hunc articulum clare prædicant ſe rejicere & improbare. Quid in re tam manifeſta dicendum eſt? Hic aperte oſtendunt architecti confutationis,quo ſpiritu agantur. Quid eſt enim certius in Eccleſia,quam quod remiſſio peccatorum contingat gratis propter Chriſtum,quod Chriſtus ſit propitiatio pro peccatis, non noſtra opera, ſicut Petrus inquit,Huic omnes Prophetæ perhibent teſtimonium, in nomine ipſius accipere remiſſionem peccatorum omnes, qui credunt in eum. Huic Eccleſiæ Prophetarum aſſentiamur potius quam iſtis perditis Scriptoribus confutationis,qui tam impudenter blaſphemant Chriſtum. Nam etiamſi qui fuerunt Scriptores, qui ſenſerunt poſt remiſſionem peccatorum homines juſtos eſſe coram Deo, non fide, ſed ipſis operibus, tamen hoc non ſenſerunt, quod ipſa remiſſio peccatorum contingat propter opera noſtra, non gratis propter Chriſtum.

Non ferenda eſt igitur blaſphemia, tribuere honorem Chriſti noſtris operibus. Nihil pudet jam iſtos theologos, ſi talem ſententiam in Eccleſia audent ferre, Neq; dubitamus quin optimus Imperator, ac pleriq; Principum, hunc locum nullo modo fuerint in confutatione relicturi, ſi eſſent admoniti. Infinita hoc loco teſtimonia ex Scriptura, ex Patribus, citare poſſemus, Verum & ſupra ſatis multa de hac re diximus, Et nihil opus eſt pluribus teſtimonijs, illi, qui ſcit quare Chriſtus nobis donatus ſit, qui ſcit Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris. Eſaias inquit, Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum. Eſa. 53. Adverſarij contra docent, Deum ponere iniquitates noſtras, non in Chriſto, ſed in noſtris operibus. Neq; hic dicere libet qualia opera doceant.

Videmus horribile decretum contra nos compoſitum eſſe, quod magis terreret nos, ſi de ambiguis aut levibus rebus contenderemus. Nunc cum conſcientiæ noſtræ intelligant damnari ab adverſarijs manifeſtam veritatem, cujus propugnatio Eccleſiæ neceſſaria eſt, & amplificat gloriam Chriſti, facile terrores mundi contemnimus, & ingenti animo, ſi quid erit patiendum, propter gloriam Chriſti, propter utilitatem Eccleſiæ, feremus. Quis non gaudeat mori in confeſſione horum articulorum, quod remiſſionem peccatorum fide conſequamur gratis propter Chriſtum, quod operibus noſtris non mereamur remiſſionem peccatorum? Nullam habebunt ſatis firmam conſolationem conſcientiæ piorum adverſus terrores peccati & mortis, & adverſus diabolum ſollicitantem ad deſperationem, ſi non ſciant ſe debere ſtatuere, quod gratis propter Chriſtum habeant remiſſionem peccatorũ. Hæc fides ſuſtẽtat & vivificat corda in illo aſperrimo certamine deſperationis. Digna igitur cauſa eſt, propter quam nullũ recuſemus periculũ,Tu ne cede malis,ſed contra audentior ito,quiſquis aſſentiris confeſſioni noſtræ, cũ adverſarij,terroribus,cruciatibus,ſupplicijs,conantur excutere tibi tantã conſolationem,quæ vniverſæ Eccleſiæ in hoc noſtro articulo propoſita eſt.

Non

Digitized by Google

Non deerunt quærenti teſtimonia Scripturæ, quæ confirmabunt animum.
Rom. 3. 4. Nam Paulus tota voce, ut dicitur, clamitat Roma. 3. & 4. gratis remitti peccata propter Chriſtum. Ideo inquit ex fide juſtificamur, & gratis, ut firma ſit promiſſio, Id eſt, Si ex noſtris operibus penderet promiſſio, non eſſet firma. Si propter noſtra opera daretur remiſſio peccatorum, quando ſciremus eam nos conſecutos eſſe, quando reperiret opus conſcientia territa, quod ſtatueret ad placandam iram Dei ſufficere? Sed ſupra de tota re diximus, Inde lector ſumat teſtimonia. Nam hanc, non diſputationem, ſed querelam indignitas rei nobis expreſſit, quod hoc loco diſerte poſuerunt, ſe improbare hunc noſtrum articulum, qui remiſſionem peccatorum conſequamur, non propter opera noſtra, ſed fide & gratis propter Chriſtum. Adverſarij etiam addunt teſtimonia ſuæ condemnationi, Et operæ pre-
1. Pet. 1. cium eſt unum atq; alterum recitare. Allegant ex Petro, Studete firmam facere vocationem veſtram &c. Iam vides lector, adverſarios noſtros non perdidiſſe operam in diſcenda Dialectica, ſed habere artificium ratiocinandi ex Scripturis prorſus quidquid libet, Facite firmam vocationem veſtram, per bona opera, Igitur opera merentur remiſſionem peccatorum.

Sane concinna erit argumentatio, Si quis ſic ratiocinetur de reo capitalis pœnæ, cui pœna remiſſa eſt, Magiſtratus præcipit, ut in poſterum abſtineas ab alieno, Igitur per hoc meritus es condonationem pœnæ, quod nunc ab alieno abſtines. Sic argumentari, eſt ex non cauſa cauſam facere. Nam Petrus loquitur de operibus ſequentibus remiſſionem peccatorum, & docet quare ſint facienda, ſcilicet, ut ſit firma vocatio, hoc eſt, ne vocatione ſua excidant, ſi iterum peccent. Facite bona opera, ut perſeveretis in vocatione, ne amittatis dona vocationis, quæ prius contigerunt, non propter ſequentia opera, ſed jam retinentur fide, & fides non manet in his, qui amittunt Spiritum ſanctum, qui abjiciunt pœnitentiam, ſicut ſupra diximus, fidem exiſtere in pœnitentia. Addunt alia teſtimonia non melius cohærentia. Poſtremo dicunt hanc opinionem ante mille annos Auguſtini tempore damnatam eſſe. Id quoq; falſiſſimum eſt. Semper enim Eccleſia Chriſti ſenſit remiſſionem peccatorum gratis contingere, Imo Pelagiani damnati ſunt, qui gratiam propter opera noſtra dari contendebant. Cæterum ſupra ſatis oſtendimus, quod ſentiamus bona opera neceſſario ſequi debere fidem. Non e-
Rom. 3. nim abolemus legem, inquit Paulus, ſed ſtabilimus, quia cum fide accipimus Spiritum ſanctum, neceſſario ſequitur legis impletio, quæ ſubinde creſcit, dilectio, patientia, caſtitas & alij fructus ſpiritus.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

ARticulum XXI. ſimpliciter damnant, Quod invocationem Sanctorum non requirimus. Nec ullo in loco prolixius rhetoricantur, Neq; tamen aliud quicquam efficiunt, quam ſanctos honorandos eſſe, Item ſanctos, qui vivunt, orare pro alijs, quaſi vero propterea neceſſaria ſit invocatio mortuorum ſanctorum. Allegant Cyprianum, quod vivum Cornelium rogaverit, ut diſcedens pro fratribus oret, Hoc exemplo probant mortuorum invocationem, Citant & Hieronymum contra Vigilantium, In hac arena, inquiunt, ante mille & centum annos vicit Hieronymus Vigilantium. Sic triumphant adverſarij, quaſi jam ſit debellatum, Nec vident iſti aſini apud Hieronymum contra Vigilantium, nullam extare ſyllabam de invocatione, Loquitur de honoribus ſanctorum, non de invocatione, neque reliqui veteres Scriptores ante Gregorium fecerunt mentionem invocationis. Certe hæc invocatio cum his opinionibus, quas nunc docent adverſarij de applicatione meritorum, non habet teſtimonia veterum Scriptorum.

Confeſſio noſtra probat honores Sanctorum. Nam hic triplex honos probandus eſt. Primus eſt gratiarum actio. Debemus enim Deo gratias agere, quod oſtenderit exempla miſericordiæ, quod ſignificaverit ſe velle ſalvare homines, quod dederit doctores, aut alia dona Eccleſiæ. Et hæc dona, ut ſunt maxima, am-

plificanda ſunt, & laudandi ipſi ſancti, qui his donis fideliter uſi ſunt, ſicut Chriſtus laudat fideles negociatores. Secundus cultus eſt confirmatio fidei noſtræ, cum videmus Petro condonari negationem, erigimur & nos, ut magis credamus, quod vere gratia exuberet ſupra peccatum. Tertius honos eſt imitatio, primum fidei, deinde cæterarum virtutum, quas imitari pro ſua quiſq; vocatione debet. Hos veros honores non requirunt adverſarij, Tantum de invocatione, quæ etiamſi nihil haberet periculi, tamen non eſt neceſſaria, rixantur.

Præterea & hoc largimur, quod Angeli orent pro nobis. Extat enim teſtimonium Zachariæ 1. ubi Angelus orat, Domine exercituum uſque quo tu non miſereberis Ieruſalem &c. De ſanctis etſi concedimus, quod ſicut vivi orant pro Eccleſia univerſa in genere, ita in cœlis orent pro Eccleſia in genere, tametſi teſtimonium nullum de mortuis orantibus extat in Scripturis, præter illud ſomnium ſumptum ex libro Machabeorum poſteriore. Zach. 1.

Porro ut maxime pro Eccleſia orent Sancti, tamen non ſequitur quod ſint invocandi. Quanquam confeſſio noſtra hoc tantum affirmat, quod Scriptura non doceat Sanctorum invocationem, ſeu petere à Sanctis auxilium. Cum autem neq; præceptum, neq; promiſſio, neq; exemplum ex Scripturis de invocandis Sanctis afferri poſſit, Sequitur conſcientiam nihil poſſe certi de illa invocatione habere. Et cum oratio debeat ex fide fieri, quomodo ſcimus, quod Deus approbet illam invocationem? Vnde ſcimus ſine teſtimonio Scripturæ, quod ſancti intelligant ſingulorum preces? Quidam plane tribuunt divinitatem ſanctis, videlicet, quod tacitas cogitationes mentium in nobis cernant, Diſputant de matutina & veſpertina cognitione, fortaſſis, quia dubitant, Vtrum manc, an veſperi audiant. Hæc comminiſcuntur, non ut ſanctos honore afficiant, ſed ut quæſtuoſos cultus defendant. Nihil afferri poteſt ab adverſarijs contra hanc rationem, quod cum invocatio non habet teſtimonium ex verbo Dei, non poſſit affirmari, quod Sancti intelligant invocationem noſtram, aut, ut maxime intelligant, quod Deus eam approbet. Quare adverſarij non debebant nos ad rem incertam cogere. Quia oratio ſine fide non eſt oratio. Nam quod allegant Eccleſiæ exemplum, conſtat novum hunc in Eccleſia morem eſſe. Nam veteres orationes etſi mentionem Sanctorum faciunt, non tamen invocant Sanctos, Quanquam etiam illa nova invocatio in Eccleſia, diſſimilis eſt invocationi ſingulorum.

Deinde adverſarij non ſolum invocationem in cultu Sanctorum requirunt, ſed etiam applicant merita Sanctorum pro alijs, & faciunt ex Sanctis non ſolum deprecatores, ſed etiam propitiatores. Id nullo modo ferendum eſt. Nam hic prorſus transfertur in Sanctos proprius honor Chriſti. Faciunt enim eos mediatores, & propitiatores, & quanquam diſtinguunt de mediatoribus interceſſionis & mediatoribus redemptionis, tamen plane faciunt ex Sanctis mediatores redemptionis. Atq; etiã illud dicunt ſine teſtimonio ſcripturæ, quod ſint mediatores interceſſionis, quod ut verecundiſſime dicatur, tamen obſcurat officium Chriſti, & fiduciam miſericordiæ debitam Chriſto transfert in ſanctos. Fingunt enim homines Chriſtum duriorem eſſe, & ſanctos placabiliores, & magis confidunt miſericordia Sanctorum, quam miſericordia Chriſti, & fugientes Chriſtum, quærunt ſanctos. Ita faciunt ex eis reipſa mediatores redemptionis.

Itaq; oſtendemus, quod vere faciant ex Sanctis non tantum deprecatores ſed propitiatores, hoc eſt, mediatores redemptionis. Nondum recitamus hic vulgi abuſus, De doctorum opinionibus adhuc loquimur, Reliqua etiam imperiti judicare poſſunt. In propitiatore hæc duo concurrunt. Primum oportet extare verbum Dei, ex quo certo ſciamus, quod Deus velit miſereri & exaudire invocantes per hunc propitiatorem. Talis extat de Chriſto promiſſio, Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. De ſanctis nulla extat talis promiſſio, Quare conſcientiæ non poſſunt certo ſtatuere, quod per ſanctorum invocationem exaudiamur. Itaq; invocatio illa non fit ex fide. Ioan. 16.

Deinde

Deinde mandatum etiam habemus, ut invocemus Christum, juxta illud,
Matth. 11. Venite ad me qui laboratis &c. quod certe nobis quoq; dictum est. Et Esaias ait,
Esa. 9. 9. In die illa, stabit radix Iesse, in signum populorum, Ipsum gentes deprecabun-
Psal. 43. tur. Et Psalm. 43. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Et Psal-
Psal. 71. mo 71. Et adorabunt eum omnes reges terræ. Et paulo post, orabunt coram eo
Ioan. 5. jugiter. Et Iohan. 5. inquit Christus, Vt omnes honorificent Filium, sicut hono-
1 Thess. 2. rificant Patrem. Et Paulus 1. Thess. 2. orans inquit, Ipse autem Dominus noster Iesus Christus & Deus, & pater noster, exhortetur corda vestra, & confirmet vos &c. At de sanctorum invocatione, quod possunt adversarij præceptum, quod exemplum ex Scripturis afferre? Alterum est in propitiatore, quod merita ipsius proposita sunt, ut quæ pro alijs satisfacerent, quæ alijs donentur imputatione divina, ut propter ea, tanquam proprijs meritis justi reputentur, ut si quis amicus pro amico soluit æs alienum, debitor alieno merito tanquam proprio liberatur, Ita Christi merita nobis donantur, ut justi reputemur fiducia meritorum Christi, cum in eum credimus, tanquam propria merita haberemus.

Et ex utroq; nempe ex promissione, & donatione meritorum, oritur fiducia misericordiæ, Talis fiducia promissionis divinæ, Item meritorum Christi debet afferri ad orandum. Vere enim statuere debemus, & quod propter Christum exaudiamur, & quod ipsius meritis habeamus placatum Patrem. Hic adversarij primum jubent invocare Sanctos, cum neq; promissionem Dei, neq; mandatum, neq; exemplum Scripturæ habeant, Et tamen faciunt, ut major fiducia misericordiæ Sanctorum concipiatur quam Christi, cum Christus ad se venire jusserit, non ad Sanctos. Secundo applicant merita Sanctorum alijs, sicut merita Christi. Iubent confidere meritis Sanctorum, quasi reputemur justi propter merita Sanctorum, sicut justi reputamur meritis Christi. Nihil hic fingimus. In indulgentijs dicunt se applicare merita Sanctorum, Et Gabriel interpres Canonis Missæ confidenter pronuntiat, nos ordine instituto à Deo debere ad auxilia Sanctorum confugere, ut salvemur eorum meritis & votis. Hæc sunt verba Gabrielis, Et tamen passim in libris & concionibus adversariorum leguntur absurdiora.

Quid est facere propitiatores, si hoc non est? Prorsus æquantur Christo, si confidere debemus, quod meritis eorum salvemur. Vbi autem institutus est ille ordo à Deo, quem dicit iste, quod debeamus ad auxilia Sanctorum confugere? proferat exemplum ex Scripturis, aut præceptum. Fortassis ex aulis Regum sumunt hunc ordinem, ubi amicis intercessoribus utendum est. At si Rex constituerit certum intercessorem, non volet ad se causas per alios deferri. Ita cum Christus sit constitutus intercessor & Pontifex, cur quærimus alios? Passim usurpatur hæc forma absolutionis, Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatissimæ virginis Mariæ, & omnium Sanctorum sint tibi in remissionem peccatorum. Hic pronunciatur absolutio, quod non solum meritis Christi, sed meritis aliorum Sanctorum reconciliemur & justi reputemur. Quidam è nobis viderunt morientem doctorem Theologiæ, ad quem consolandum adhibitus erat Monachus quispiam Theologus, Is morienti nihil inculcabat, nisi hanc precationem, Mater gratiæ nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.

Vt largiamur, quod beata Maria oret pro Ecclesia, num ipsa suscipit animas in morte, num vincit mortem, num vivificat? Quid agit Christus? si hæc facit beata Maria, quæ etsi est digniſsima ampliſsimis honoribus, tamen non vult se æquari Christo, sed potius exempla sua nos intueri & amplecti vult. At res loquitur ipsa, quod publica persuasione beata virgo prorsus in locum Christi succesſerit. Hanc invocaverunt homines, hujus misericordia confisi sunt, per hanc voluerunt placare Christum, quasi is non esset propitiator, sed tantum horrendus Iudex, & ultor. Nos autem sentimus, nos tantum fiducia meritorum Christi justificari, non fiducia meritorum B. Virginis aut aliorum sanctorum. De alijs sanctis dictum est, Vnusquisque recipiet mercedem secundum

suum

ſuum laborem, id eſt, ipſi inter ſe donare ſua merita alij alijs non poſſunt, ſicut Monachi vendunt ſuorum ordinum merita. Et Hilarius ait de fatuis virginibus, Et quia prodire obviam fatuæ extinctis lampadibus non poſſunt, deprecantur eas, quæ prudentes erant, ut oleum mutuent, quibus reſponderunt, non poſſe ſe dare, quia non ſit forte, quod omnibus ſatis ſit, alienis ſcilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuiq; lampadi ſuæ emere oleum neceſſe ſit.

Cum igitur adverſarij doceant fiduciam collocare in invocationem Sanctorum, cum neq; verbum Dei, neque exemplum Scripturæ habeant, cum applicent merita ſanctorum pro alijs, non ſecus ac merita Chriſti, & proprium Chriſti honorem in ſanctos transferant, neque opiniones eorum de cultu ſanctorum, neque conſuetudinem invocationis recipere poſſumus. Scimus enim fiduciam in Chriſti interceſſionem collocandam eſſe, quia hæc ſola habet promiſſionem Dei. Scimus ſolius Chriſti merita propitiationem pro nobis eſſe. Propter Chriſti merita reputamur juſti, cum credimus in eum, ſicut textus ait, Omnes qui confidunt in eum, non confundentur. Nec juſtificamur fiducia meritorum B. Virginis, aut aliorum ſanctorum.

Hæret & hic error apud doctos, quod ſingulis ſanctis certæ procurationes commiſſæ ſint, ut Anna divitias largiatur, Sebaſtianus arceat peſtilentiam, Valentinus medeatur morbo comitiali, Georgius tueatur equites. Hæ perſuaſiones plane ſunt ortæ ex ethnicis exemplis. Sic enim apud Romanos putabatur Iuno ditare, Febris arcere febrim, Caſtor & Pollux defenderere equites &c. Et fingamus moderatiſſime tradi invocationem Sanctorum, tamen cum exemplum ſit periculoſiſſimum, quorſum opus eſt eam defendere, cum nullum habeat mandatum, aut teſtimonium ex verbo Dei? Imo nec veterum Scriptorum teſtimonium habet. Primum, quia, ut ſupra dixi, cum alij mediatores præter Chriſtum quæruntur, collocatur fiducia in alios, obruitur tota notitia Chriſti, Idq; res oſtendit. Videtur initio mentio ſanctorum, qualis eſt in veteribus orationibus tolerabili conſilio recepta eſſe. Poſtea ſecuta eſt invocatio, invocationem prodigioſi & pluſquam ethnici abuſus ſecuti ſunt.

Ab invocatione ad imagines ventum eſt, hæ quoq; colebantur, & putabatur eis ineſſe quædam vis, ſicut magi vim ineſſe fingunt imaginibus ſignorum cœleſtium certo tempore ſculptis. Vidimus in quodam monaſterio ſimulachrum beatæ virginis, quod quaſi *αὐτόματον* apte movebatur, ut videretur aut averſari petentes, aut annuere. Et tamen omnium ſtatuarum atque picturarum portenta ſuperant fabuloſæ hiſtoriæ de ſanctis, quæ magna autoritate publice tradebantur. Barbara petit inter tormenta præmium, ne quis invocans ipſam, moriatur ſine euchariſtia, Alius totum Pſalterium, ſtans pede in uno, quotidie recitavit, Chriſtophorum pinxit aliquis vir prudens, ut ſignificaret per allegoriam, magnum oportere robur animi eſſe in his, qui ferrent Chriſtum, hoc eſt, qui docerent Evangelium, aut confiterentur, quia neceſſe ſit ſubire maxima pericula, Deinde ſtolidi monachi apud populum docuerunt invocare Chriſtophorum, quaſi talis Polyphemus aliquando extitiſſet. Cumq; ſancti maximas res geſſerint, vel reipublicæ utiles, vel continentes privata exempla, quarum commemoratio, tum ad fidem confirmandam, tum ad imitationem in rebus gerendis multum conduceret, has nemo ex veris hiſtorijs conquiſivit.

At vero prodeſt audire, quomodo ſancti viri adminiſtraverint reſpublicas, quos caſus, quæ pericula ſubierint, quomodo ſancti viri regibus auxilio fuerint in magnis periculis, quomodo docuerint Evangelium, quas habuerint cum hæreticis dimicationes, proſunt & exempla miſericordiæ, ut cum videmus Petro condonatam eſſe negationem, cum videmus Cypriano condonatum eſſe, quod magus fuiſſet, cum videmus Auguſtinum in morbo expertum vim fidei, conſtanter affirmare, quod vere Deus exaudiat preces credentium. Hujuſmodi exemplа, quæ vel fidem vel timorem, vel adminiſtrationem reipublicæ continent, proderat reci-

rat recitari. Sed hiſtriones quidam nulla neq; fidei, neq; rerum publicarum regendarum ſcientia prædiți, confinxerunt fabulas imitatione Poëmatum, in quibus tantum inſunt ſuperſtitioſa exempla, de certis precibus, certis jejunijs, & addita ſunt quædam ad quæſtum facientia. Cujuſmodi ſunt miracula de roſarijs & ſimilibus cæremonijs confiĉta. Neq; opus eſt hic recitare exempla. Extant enim legendæ, ut vocant, & ſpecula exemplorum, & roſaria, in quibus pleraq; ſunt non diſſimilia veris narrationibus Luciani.

His prodigioſis & impijs fabulis applaudunt Epiſcopi, Theologi, Monachi, quia faciunt πρὸς τὴν ἀλφίτου, Nos non ferunt, qui ut Chriſti honos & officium magis conſpici poſſit, non requirimus invocationem Sanctorum, & abuſus in cultu ſanctorum taxamus. Cumq; omnes boni viri ubiq; deſiderent in his abuſibus corrigendis vel Epiſcoporum autoritatem, vel diligentiam concionantium, tamen adverſarij noſtri in confutatione omnino diſſimulant, etiam manifeſta vitia, quaſi recepta confutatione, velint nos cogere ut etiam notiſſimos abuſus approbemus. Ita inſidioſe ſcripta eſt confutatio non tantum in hoc loco, ſed vere ubique. Nullus eſt locus in quo à dogmatibus ſuis diſcernant manifeſtos abuſus, Et tamen apud ipſos, ſi qui ſunt ſaniores, fatentur, multas falſas perſuaſiones hærere in doctrina Scholaſticorum & Canoniſtarum, multos præterea abuſus in tanta inſcitia & negligentia paſtorum irrepſiſſe in Eccleſiam. Neq; enim primus fuit Lutherus, qui de publicis abuſibus quereretur, Multi docti & præſtantes viri longe ante hæc tempora deploraverunt abuſus Miſſæ, fiduciam obſervationum Monaſticarum, quæſtuoſos cultus Sanctorum, confuſionem doctrinæ de pœnitentia, quam vel maxime oportebat perſpicuam & explicatam extare in Eccleſia.

Ipſi audivimus excellentes Theologos deſiderare modum in Scholaſtica doctrina, quæ multo plus habet rixarum philoſophicarum, quam pietatis. Et tamen in his veteres fere propiores ſunt ſcripturæ, quam recentiores. Ita magis magisq; degeneravit iſtorum Theologia. Nec alia cauſa fuit multis bonis viris, qui initio amare Lutherum cœperunt, quã quod videbant eum explicare animos hominum, ex illis labyrinthis confuſiſſimarum & infinitarum diſputationum, quæ ſunt apud Scholaſticos theologos & Canoniſtas, & res utiles ad pietatem docere. Quare non fecerunt candide adverſarij, quod cum vellent nos aſſentiri confutationi, diſſimulaverunt abuſus. Ac ſi vellent Eccleſiæ conſultum, maxime iſto in loco, in hac occaſione, debebant hortari optimum Imperatorem, ut de corrigendis abuſibus conſilium caperet, quem quidem non obſcure animadvertimus cupidiſſimum eſſe bene conſtituendæ, & ſanandæ Eccleſiæ.

Sed adverſarij non hoc agunt, ut honeſtiſſimam & ſanctiſſimam voluntatem Imperatoris adjuvent, Sed ut nos quoquo modo opprimant, De ſtatu Eccleſiæ multa ſigna oſtendunt eos parum ſollicitos eſſe. Non dant operam, ut extet apud populum certa quædam ſumma dogmatum Eccleſiaſticorum, Manifeſtos abuſus nova & inuſitata crudelitate defendunt, Nullos patiuntur in Eccleſijs idoneos doctores. Hæc quo ſpectent, boni viri facile judicare poſſunt. Sed hac via neq; ſuo regno, neq; Eccleſiæ bene conſulunt. Nam interfectis bonis doctoribus, oppreſſa ſana doctrina, poſtea exiſtent fanatici ſpiritus, quos non poterunt reprimere adverſarij, qui & Eccleſiam impijs dogmatibus perturbabunt, & totam Eccleſiaſticam politiam evertent, quam nos maxime cupimus conſervare.

Quare te optime Imperator Carole propter gloriam Chriſti, quam nihil dubitamus te cupere, ornare atq; augere, oramus, ne violentis conſilijs adverſariorum noſtrorum aſſentiaris, ſed ut quæras alias honeſtas vias concordiæ ita conſtituendæ, ne piæ conſcientiæ graventur, neve ſævitia aliqua in homines innocentes, ſicut hactenus fieri vidimus, exerceatur, neve ſana doctrina in Eccleſia opprimatur. Hoc officium Deo maxime omnium debes, ſanam doctrinam conſervare & propagare ad poſteros, & defendere recta docentes. Id enim poſtulat Deus, Cum Reges ornat nomine ſuo, & Deos appellat, inquiens, Ego dixi, Dij

v. 81.

eſtis

eſtis, ut res divinas, hoc eſt Evangelium Chriſti in terris conſervari & propagari curent, & tanquam vicarij Dei vitam & ſalutem innocentum defendant. Pſal. 81.

DE VTRAQVE SPECIE COENÆ Domini.

NOn poteſt dubitari, quin pium ſit, & conſentaneum inſtitutioni Chriſti, & verbis Pauli uti utraq; parte in Cœna Domini. Chriſtus enim inſtituit utramq; partem, & inſtituit, nō pro parte Eccleſiæ, ſed pro tota Eccleſia. Nam non presbyteri ſolum, ſed tota Eccleſia autoritate Chriſti, non autoritate humana utitur Sacramento. Idq; fateri adverſarios exiſtimamus. Iam ſi Chriſtus inſtituit pro tota Eccleſia, cur altera ſpecies adimitur parti Eccleſiæ, Cur probibetur uſus alterius ſpeciei? Cur mutatur ordinatio Chriſti? præſertim, cum ipſe vocet eam teſtamentum ſuum, Quod ſi hominis teſtamentum reſcindere non licet, multo minus Chriſti teſtamentum reſcindere licebit. Et Paulus inquit, ſe à Domino accepiſſe, quod tradidit. Tradiderat autem uſum utriusq; ſpeciei, ſicut clare oſtendit textus 1. Cor. 11. Hoc facite, inquit, primum de corpore, poſtea eadem verba de poculo repetit. Et deinde, Probet ſeipſum homo, & ſic de pane comedat, & ex poculo bibat, Hæc ſunt verba diſponentis. Et quidem præfatur, ut qui ſunt uſuri Cœna Domini, ſimul utantur, Quare conſtat pro tota Eccleſia ſacramentum inſtitutum eſſe. Et manet mos adhuc in Eccleſijs Græcis, & fuit quondam etiam in Latinis Eccleſijs, ſicut Cyprianus & Hieronymus teſtantur. Sic enim inquit Hieronymus in Sophoniam, Sacerdotes, qui Euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populis ejus dividunt &c. Idem teſtatur Synodus Toletana. Nec difficile fuerit magnum acervum teſtimoniorum congerere. Hic nihil exaggeramus, tantum relinquimus prudenti lectori expendendum, quid ſentiendum ſit de divina ordinatione. Gal. 3. 1. Cor. 11

Adverſarij in confutatione non hoc agunt, ut excuſent Eccleſiam, cui adempta eſt altera pars ſacramenti. Id decuit bonos & religioſos viros. Erat quærenda firma ratio excuſandæ Eccleſiæ, & docendarum conſcientiarum, quibus non poteſt contingere niſi pars Sacramenti. Nunc ipſi defendunt recte prohiberi alteram partem, & vetant concedere uſum utriusq; partis. Primum fingunt initio Eccleſiæ alicubi morem fuiſſe, ut una pars tantum porrigeretur, Neque tamen exemplum hujus rei vetus ullum afferre poſſunt, Sed allegant locos, in quibus fit mentio panis, ut apud Lucam, ubi ſcriptum eſt, quod diſcipuli agnoverint Chriſtum in fractione panis, Citant & alios locos de fractione panis. Quanquam autem non valde repugnamus, quo minus aliqui de Sacramento accipiantur, tamen hoc non conſequitur unam partem tantum datam eſſe. Quia partis appellatione reliquum ſignificatur communi conſuetudine ſermonis. Luc. 2.

Addunt de Laica communione, quæ non erat uſus alterius tantum ſpeciei, ſed utriusq;. Et ſi quando Sacerdotes Laica communione uti jubentur ſignificatur, quod à miniſterio conſecrationis remoti fuerint. Neq; hoc ignorant adverſarij, ſed abutuntur inſcitia imperitorum, qui cum audiunt Laicam communionem, ſtatim ſomniant morem noſtri temporis, quo datur Laicis tantum pars ſacramenti. Ac videte impudentiam, Gabriel inter cæteras cauſas recitat, cur non detur utraq; pars, Quia fuerit diſcrimen inter Laicos & Presbyteros faciendum. Et credibile eſt hanc præcipuam cauſam eſſe, cur defendatur prohibitio unius partis, ut dignitas ordinis religione quadam fiat commendatior. Hoc eſt conſilium humanum, ut nihil dicamus incivilius, quod quo ſpectet facile judicari poteſt. Et in confutatione allegant de filijs Heli, qui amiſſo ſummo ſacerdotio petituri ſint unam partem ſacerdotalem 1. Reg. 2. Hic dicunt uſum unius ſpeciei ſignificatum eſſe. Et addunt, Sic ergo & noſtri Laici una parte ſacerdotali, una ſpecie contenti eſſe debent. Plane ludunt adverſarij, cum ad ſacramentum transferunt hiſtoriam de poſteris Heli. Ibi deſcribitur pœna Heli. Num 1. Reg. 2.

hoc

hoc quoque dicent, Laicos propter pœnam removeri ab altera parte.

Sacramentum inſtitutum eſt, ad conſolandas & erigendas territas mentes, cum credunt carnem Chriſti, datam pro vita mundi, cibum eſſe, cum credunt ſe conjunctos Chriſto vivificari. Verum adverſarij argumentantur Laicos removeri ab altera parte pœnæ cauſa. Debent, inquiunt, eſſe contenti, Satis pro Imperio. Cur autem debent? Non eſt quærenda ratio, ſed lex eſto, quidquid dicunt Theologi, Hæc eſt ἰωλοτρωσία Ecciana. Agnoſcimus enim iſtas Thraſonicas voces, quas ſi exagitare vellemus non defutura nobis eſſet oratio. Videtis enim quanta ſit impudētia, Imperat tanquam aliquis Tyrannus in tragœdijs, Quod nolint, velint, debent eſſe cōtenti. Num hæ rationes, quas citat, excuſabunt hos in Iudicio Dei? qui prohibent partem ſacramenti, qui ſæviunt in homines bonos, utentes integro ſacramento. Si hac ratione prohibent, ut ſit ordinis diſcrimē, hæc ipſa ratio movere debeat, ne aſſentiamur adverſarijs, vel ſi alioqui morē cum ipſis ſervaturi eramus. Alia ſūt diſcrimina ordinis ſacerdotū & populi. Sed non eſt obſcurū, quid habeant conſilij, cur hoc diſcrimē tantopere defendant. Nos ne de vera dignitate ordinis detrahere videamur, de hoc callido conſilio plura non dicemus.

Allegant & periculum effuſionis, & ſimilia quædam, quæ non habent tantam vim, ut ordinationem Chriſti mutent. Et fingamus ſane liberum eſſe, uti una parte aut ambabus, quomodo poterit prohibitio defendi? Quanquam Eccleſia non ſumit ſibi hanc libertatem, ut ex ordinationibus Chriſti, faciat res indifferentes. Nos quidem Eccleſiam excuſamus, quæ hanc injuriam pertulit, cum utraq; pars ei contingere non poſſet, Sed autores, qui defendunt recte prohiberi uſum integri ſacramenti, quiq; nunc non ſolum prohibent, ſed etiam utentes integro ſacramento excommunicant, & vi perſequuntur, non excuſamus. Ipſi viderint, quomodo Deo rationem ſuorum conſiliorum reddituri ſint. Neq; ſtatim judicandum eſt Eccleſiam conſtituere aut probare, quidquid Pontifices conſtituunt, præſertim cum Scriptura de Epiſcopis & paſtoribus vaticinetur in hanc
Zach. 7. ſententiam, ut Ezechiel ait, Peribit lex à ſacerdote.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

IN tanta infamia inquinati cœlibatus audent adverſarij non ſolum defendere legem Pontificiam impio & falſo prætextu nominis divini, ſed etiam hortari Cæſarem ac Principes, ne tolerent conjugia ſacerdotum ad ignominiam & infamiam Romani imperij. Sic enim loquuntur. Quæ major impudentia unquam ulla in hiſtoria lecta eſt, quam hæc eſt adverſariorum? Nam argumenta, quibus utuntur, poſtea recenſebimus. Nunc hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant iſti nihili homines, qui dicunt conjugia parere infamiam & ignominiam Imperio, quaſi vero Eccleſiam valde ornet iſta publica infamia flagitioſarum ac prodigioſarum libidinum, quæ flagrant apud iſtos S. Patres, qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt. Ac pleraq; ne verecunde quidem nominari queunt, quæ iſti ſumma licentia faciunt.

Et has ſuas libidines caſtiſſima dextra tua, Carole Cæſar, quem etiam vetera quædam vaticinia appellant regem pudica facie, De te enim dictum apparet, Pudicus facie regnabit ubiq; propugnari poſtulant, Poſtulant ut contra Ius divinum, contra Ius gentium, contra Canones conciliorum diſſipes matrimonia, ut in homines innocentes propter conjugium atrocia ſupplicia conſtituas, ut Sacerdotes trucides, quibus religioſe parcunt etiam barbari, ut in exilium agas extorres mulieres, orbos pueros. Tales leges tibi ferunt optime & caſtiſſime Imperator, quas nulla barbaria, quamlibet immanis ac fera, poſſet audire. Sed quia nulla cadit in hos tuos mores vel turpitudo, vel ſævitia, ſperamus te & in hac cauſa clementer nobiſcum acturū eſſe, præſertim ubi cognoveris nos graviſſimas habere cauſas noſtræ ſententiæ ſumptas ex verbo Dei, cui adverſarij nugaciſſimas & vaniſſimas perſuaſiones opponunt, Et tamen non tuentur ſerio cœlibatum.

Digitized by Google

Neq; enim ignorant quam pauci præſtent caſtitatem, ſed prætexunt ſpeciem religionis regno ſuo, cui prodeſſe cœlibatum putant, ut intelligamus Petrum recte monuiſſe, futurum ut Pſeudoprophetæ fictis verbis decipiant homines. Nihil enim vere ſimpliciter & candide in hac tota cauſa dicunt, ſcribunt, aut agunt adverſarii, ſed reipſa dimicant de dominatione, quam falſo putant periclitari, & hanc impio prætextu pietatis munire conantur. 2. Pe.

Nos hanc legem de cœlibatu, quam defendunt adverſarii, ideo non poſſumus approbare. Quia cum Iure divino & naturali pugnat, & ab ipſis Canonibus conciliorum diſſentit, Et conſtat ſuperſtitioſam & periculoſam eſſe. Parit enim infinita ſcandala, peccata & corruptelam publicorum morum. Aliæ controverſiæ noſtræ aliquam diſputationem doctorum deſiderant, In hac ita manifeſta res eſt, in utraq; parte, ut nullam requirat diſputationem, Tantum requirit judicem virum bonum & timentem Dei. Et cum defendatur à nobis manifeſta veritas, tamen adverſarii calumnias quaſdam architectati ſunt, ad cavillanda argumenta noſtra.

Primum. Geneſis docet homines conditos eſſe, ut ſint fœcundi, & ſexus recta ratione ſexum appetat. Loquimur enim non de concupiſcentia, quæ peccatum eſt, ſed de illo appetitu, qui in integra natura futurus erat, quem vocant τοργὴν Φυσικὴν. Et hæc τοργὴ eſt vere ordinatio divina ſexus ad ſexum. Cum autem hæc ordinatio Dei ſine ſingulari opere Dei tolli non poſſit, Sequitur Ius contrahendi matrimonij non poſſe tolli ſtatutis aut votis. Hæc cavillantur adverſarij, dicunt initio fuiſſe mandatum ut repleretur terra, nunc repleta terra non eſſe mandatum conjugium. Videte quam prudenter judicent. Natura hominum formatur illo verbo Dei, ut ſit fœcunda, non ſolum initio creationis, ſed tantiſper, dum hæc corporum natura exiſtet, Sicut hoc verbo terra fit fœcunda, Germinet terra herbam virentem. Propter hanc ordinationem, non ſolum initio cœpit terra producere gramina, ſed quotannis veſtiuntur agri, donec exiſtet hæc natura. Sicut igitur legibus humanis non poteſt natura terræ mutari, Ita neque votis neq; lege humana poteſt natura hominis mutari ſine ſpeciali opere Dei.

Secundo. Et quia hæc creatio, ſeu ordinatio divina in homine, eſt Ius naturale, ideo ſapienter & recte dixerunt Iurisconſulti, conjunctionem maris & fœminæ eſſe Iuris naturalis. Cum autem Ius naturale ſit immutabile, neceſſe eſt ſemper manere Ius contrahendi conjugij. Nam ubi natura non mutatur, neceſſe eſt & illam ordinationem manere, quam Deus indidit naturæ, nec poteſt legibus humanis tolli. Ridiculum igitur eſt, quod adverſarij nugantur initio fuiſſe mandatum conjugium, nunc non eſſe. Hoc perinde eſt, ac ſi dicerent, Olim naſcentes homines ſecum attulerunt ſexum, nunc non afferunt. Olim ſecum attulerunt Ius naturale noſcentes, nunc non afferunt. Nullus Faber fabrilius cogitare quidquã poſſet, quam hæ ineptiæ excogitatæ ſunt ad eludendum Ius naturæ. Maneat igitur * hac in cauſa, quod & Scriptura docet, & juriſconſultus ſapienter dixit, conjunctionem maris & fœminæ eſſe juris naturalis.

* Illud.

Porro Ius naturale vere eſt Ius divinum, Quia eſt ordinatio divinitus impreſſa naturæ. Quia autem hoc jus mutari non poteſt, ſine ſingulari opere Dei, neceſſe eſt manere Ius contrahendi conjugii. Quia ille naturalis appetitus, eſt ordinatio Dei in natura ſexus ad ſexum, & propterea Ius eſt, alioqui quare uterq; ſexus conderetur? Et loquimur, ut ſupra dictum eſt, non de concupiſcentia, quæ peccatum eſt, ſed de illo appetitu, quem vocant τοργὴν Φυσικὴν, quem concupiſcentia non ſuſtulit ex natura, ſed accendit, ut nunc remedio magis opus habeat, & conjugium non ſolum procreationis cauſa neceſſarium ſit, ſed etiam remedii cauſa. Hæc ſunt perſpicua, & adeo firma, Vt nullo modo labefactari queant.

Tertio. Paulus ait, Propter fornicationem unuſquiſq; habeat uxorem ſuam. Hoc jam expreſſum mandatum eſt ad omnes pertinens, qui non ſunt idonei ad cœlibatum. Adverſarii jubent ſibi oſtendi præceptum, quod præcipit 1. Cor.

Sacerdo-

Sacerdotibus uxores ducere, quaſi ſacerdotes non ſint homines. Nos quæ de natura hominum in genere diſputamus, profecto etiam ad ſacerdotes pertinere judicamus. An non præcipit hic Paulus, ut ducant uxorem iſti, qui non habent donum continentiæ? Interpretatur enim ſe ipſe paulo poſt, cum ait, Melius eſt nu-
1. Cor. 7. bere quam uri. Et Chriſtus clare dixit, Non omes capiunt hoc verbum, ſed quibus datum eſt. Quia nunc poſt peccatum cõcurrunt hæc duo, naturalis appetitus & concupiſcentia, quæ inflammat naturalem appetitum, ut jam magis opus ſit conjugio, quam in natura integra.

Ideo Paulus de conjugio tanquam de remedio loquitur, & propter illa incendia jubet nubere. Neq; hanc vocem, Melius eſt nubere, quam uri, ulla humana autoritas, ulla lex, ulla vota tollere poſſunt, quia hæc non tollunt naturam aut concupiſcentiam. Retinent igitur Iús ducendi omnes, qui uruntur. Et tenentur hoc mandato Pauli, propter fornicationem unuſquiſq; habeat uxorem ſuam, omnes qui non vere continent, de qua re judicium ad conſcientiam cujuſq; pertinet. Nam quod hic jubent petere à Deo continentiam, jubent corpus laboribus & inedia conficere, cur ſibi quoq; non canunt hæc magnifica præcepta? Sed ut ſupra diximus, Tantum ludunt adverſarij, nihil agunt ſerio. Si continentia eſſet omnibus poſſibilis, non requireret peculiare donum. At Chriſtus oſtendit eam peculiari dono opus habere, quare non contingit omnibus, Reliquos vult Deus uti communi lege naturæ, quam inſtituit.

Non enim vult Deus contemni ſuas ordinationes, ſuas creaturas, Ita vult illos caſtos eſſe, ut remedio divinitus propoſito utantur, ſicut ita vult vitam noſtram alere, ſi cibo, ſi potu utamur. Et Gerſon teſtatur multos fuiſſe bonos viros, qui conati domare corpus, tamen parum profecerunt. Ideo recte ait Ambroſius, Sola virginitas eſt, quæ ſuaderi poteſt, imperari non poteſt, res magis voti, quam præcepti eſt. Si quis objecerit Chriſtum laudare hos, qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum, is hoc quoq; conſideret, quod tales laudat, qui donum continentiæ habent. Ideo enim addidit, Qui poteſt capere capiat. Non enim placet Chriſto immunda continentia. Laudamus & nos veram continentiam, Sed nunc de lege diſputamus, & de his, qui non habent donum continentiæ. Res debebat relinqui libera, non debebant injici laquei imbecillibus per hanc legem.

Quarto. Diſſentit lex Pontificia & à Canonibus conciliorum. Nam veteres Canones non prohibent conjugium, nec contracta conjugia diſſolvunt, etſi hos, qui in miniſterio contraxerunt, removent ab adminiſtratione. Hæc miſſio iſtis temporibus beneficij loco erat, Sed novi Canones, qui non ſunt in Synodis conditi, ſed privato conſilio Pontificum facti, & prohibent contrahere matrimonia, & contracta diſſolvunt, Idq; palam eſt, fieri contracta mandatum Chriſti,
Mat. 19. Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Adverſarij vociferantur in confutatione, cœlibatum præceptum eſſe à Concilijs. Nos non accuſamus decreta Conciliorum. Nam hæc certa conditione permittunt conjugium, ſed accuſamus leges, quas poſt veteres Synodos Romani Pontifices contra autoritatem Synodorum condiderunt. Adeo pontifices contemnunt autoritatem Synodorum, quam alijs volunt videri ſacroſanctam. Propria igitur eſt hæc lex de perpetuo cœlibatu, hujus novæ Pontificiæ dominationis, Neq; id abs re. Daniel enim tribuit hanc notam regno Antichriſti, videlicet contemptum mulierum.

Quinto. Etſi adverſarij non defendunt legem ſuperſtitionis cauſa, cum videant non ſolere obſervari, tamen ſuperſtitioſas opiniones ſerunt, dum prætexunt religionem. Cœlibatum ideo prædicant ſe requirere, quod ſit mundicies, quaſi conjugium ſit immundicies, ac peccatum, aut quaſi cœlibatus mereatur remiſſionem peccatorum & reconciliationem, Conjugium vero non mereatur remiſſionem peccatorum &c. Et huc allegant cæremonias legis Moſaicæ, quod cum in lege, tempore miniſterij ſacerdotes ſeparati fuerint ab uxoribus, in novo teſtamento ſacerdos, cum ſemper orare debeat, ſemper debeat continere. Hæc

inepta ſimilitudo allegatur tanquam demonſtratio,quæ cogat ſacerdotes ad perpetuum cœlibatum, cum quidem in ipſa ſimilitudine conjugium concedatur, tantum miniſterij tempore conſuetudo interdicitur. Et aliud eſt orare, aliud miniſtrare. Orabant Sancti tunc quoque, cum non exercebant publicum miniſterium, nec conſuetudo cum conjunge prohibebat, ne orarent, Sed reſpondebimus ordine ad hæc figmenta.

Primum,hoc fateri neceſſe eſt adverſarios, quod conjugium ſit mundum in credentibus. Quia eſt ſanctificatum verbo Dei, hoc eſt,eſt res licita & approbata verbo Dei,ſicut copioſe teſtatur Scriptura. Chriſtus enim vocat conjugium conjunctionem divinam,cum ait,Quos Deus conjunxit. Et Paulus de conjugio, de cibis,& ſimilibus rebus inquit,Sanctificantur per verbum, & orationem, hoc eſt,per verbum, quo conſcientia fit certa, quod Deus approbet, & per orationem,hoc eſt, per fidem, quæ cum gratiarum actione tanquam dono Dei utitur. Item 1. Cor.7. Sanctificatur vir infidelis per uxorem,fidelem, &c. id eſt, uſus conjugalis licitus & ſanctus eſt, propter fidem in Chriſtum, ſicut licitum eſt uti cibo, &c. Item 1.Timoth. 2. Salvatur mulier per filiorum generationem, &c. Si talem locum adverſarij de cœlibatu proferre poſſent, tum vero miros triumphos agerent. Paulus dicit,ſalvari mulierem per filiorum generationem. *Matth.19.* *1.Tim.4.* *1. Cor.7.* *1. Tim.2.*

Quid potuit dici contra hypocriſin cœlibatus honorificentius,quam mulierem ſalvari ipſis conjugalibus operibus, uſu conjugali,pariendo, & reliquis Oeconomicis officiis ? Quid autem ſentit Paulus, Lector obſervet addi fidem, nec laudari officia Oeconomica, ſine fide, ſi manſerint, inquit, in fide. Loquitur enim de toto genere matrum.Requirit igitur præcipue fidem, qua mulier accipit remiſſionem peccatorum & juſtificationem. Deinde addit certum opus vocationis, ſicut in ſingulis hominibus fidem ſequi debet bonum opus certæ vocationis.Id opus placet Deo propter fidem,ita mulieris officia placent Deo propter fidem, & ſalvatur mulier fidelis, quæ in talibus officijs vocationis ſuæ pie ſervit. Hæc teſtimonia docent conjugium rem licitam eſſe. Si igitur mundicies ſignificat id, quod coram Deo licitum & approbatum eſt, Conjugia ſunt munda, quia ſunt approbata verbo Dei. Et Paulus ait de rebus licitis, Omnia munda mundis, hoc eſt,his qui credunt Chriſto,& fide juſti ſunt. Itaq; ut virginitas in impiis eſt immunda,ita conjugium in piis eſt mundum propter verbum Dei, & fidem. *Tit.1.*

Deinde,Si mundicies proprie opponitur concupiſcentiæ, ſignificat mundiciem cordis, hoc eſt, mortificatam concupiſcentiam. Quia lex non prohibet conjugium, ſed concupiſcentiam, adulterium, ſcortationem. Quare cœlibatus non eſt mundicies. Poteſt enim eſſe major mundicies cordis in conjuge, velut in Abraham,aut Iacob,quam in plærisque etiam vere continentibus.

Poſtremo, Si ita intelligunt cœlibatum mundiciem eſſe, quod mereatur juſtificationem magis quam conjugium,maxime reclamamus. Iuſtificamur enim neque propter virginitatem,neque propter conjugium, ſed gratis propter Chriſtum, cum credimus nos propter eum habere Deum propitium. Hic exclamabunt fortaſſis, Ioviniani more æquari conjugium virginitati. Sed propter hæc convitia non abjiciemus veritatem de juſticia fidei,quam ſupra expoſuimus. Neque tamen æquamus conjugio virginitatem. Sicut enim donum dono præſtat, Prophetia præſtat eloquentiæ, Scientia rei militaris præſtat agriculturæ, Eloquentia præſtat architectonicæ, Ita virginitas donum eſt præſtantius conjugio. Et tamen ſicut Orator non eſt magis juſtus coram Deo propter eloquentiam, quam Architectus propter Architectonicam, ita virgo non magis meretur juſtificationem virginitate,quam conjunx conjugalibus officiis,ſed unuſquiſque in ſuo dono fideliter ſervire debet,ac ſentire, quod propter Chriſtum fide conſequatur remiſſionem peccatorum, & fide juſtus coram Deo reputetur.

Nec Chriſtus aut Paulus laudant virginitatem ideo, quod juſtificet, ſed quia ſit expeditior, & minus diſtrahatur domeſticis occupationibus in orando

1. Cor. 7. orando, docendo, ſerviendo. Ideo Paulus ait, Virgo curat ea, quæ ſunt Domini. Laudatur igitur virginitas propter meditationem & ſtudium. Sic Chriſtus non ſimpliciter laudat hos, qui ſe caſtrant, ſed addit propter regnum cœlorum, hoc eſt, ut diſcere aut docere Evangelium vacet. Non enim dicit virginitatem mereri remiſſionem peccatorum aut ſalutem. Ad exempla Sacerdotum Leviticorum reſpondimus, quod non efficiunt, oportere perpetuum cœlibatum imponi ſacerdotibus. Deinde immundiciæ Leviticæ non ſunt ad nos transferendæ. Conſuetudo contra legem tunc erat immundicia, Nunc non eſt immundicia, Quia Pau-
Tit. 1. lus dicit, Omnia munda mundis. Liberat enim nos Evangelium ab illis immundicijs Leviticis.

Ac ſi quis hoc conſilio legem cœlibatus defendit, ut illis obſervationibus Leviticis gravet conſcientias, huic perinde adverſandum eſt, ut Apoſtoli in Actis
Act. 15. Cap. 15. adverſantur his, qui circumciſionem requirebant, & legem Moiſi Chriſtianis imponere conabantur. Interim tamen boni ſcient moderari uſum conjugalem, præſertim, cum ſunt occupati publicis miniſterijs, quæ quidem ſæpe tantum faciunt negocij bonis viris, ut omnes domeſticas cogitationes animis excutiant. Sciunt boni & hoc, quod Paulus jubet vaſa poſſidere in ſanctificatione, Sci-
1. Cor. 7. unt item, quod interdum ſecedendum ſit, ut vacent orationi, ſed Paulus hoc ipſum non vult eſſe perpetuum. Iam talis continentia facilis eſt bonis & occupatis, ſed illa magna turba ocioſorum ſacerdotum, quæ in collegijs eſt, in his delitijs, ne quidem hanc Leviticam continentiam præſtare poteſt, ut res oſtendit. Et nota ſunt poëmata, deſidiam puer ille ſequi ſolet, odit agentes &c.

Multi hæretici male intellecta lege Moiſi, contumelioſe ſenſerunt de conjugio, quales fuerunt Encratitæ, de quibus ſupra diximus. Et conſtat Monachos paſſim ſolitos eſſe de cœlibatu ſuperſtitioſos ſermones ſerere, qui multas pias conſcientias propter legitimum uſum conjugij perturbaverunt. Nec difficile nobis eſſet exempla commemorare. Nam etſi non damnabant conjugium in totum propter procreationem, tamen vituperabant tanquam vitæ genus, quod vix unquam Deo placeret, aut certe non placeret, niſi propter procreationem, Cœlibatum vero efferebant, tanquam angelicum vitæ genus, hunc prædicabant gratiſſimum Deo ſacrificium eſſe, mereri remiſſionem peccatorum, mereri aureolas, ferre centeſimum fructum, & alia in finita.

Col. 2. Has religiones Angelorum Paulus valde improbat ad Coloſſ. Opprimunt enim cognitionem Chriſti, cum ſentiunt homines ſe juſtos reputari propter tales obſervationes, nō propter Chriſtum, deinde opprimunt cognitionem præceptorum Dei, cum præter Dei præcepta excogitantur novi cultus & præferuntur præceptis Dei. Quare ſedulo adverſandum eſt in Eccleſia his ſuperſtitioſis perſuaſionibus de cœlibatu, & ut piæ conſcientiæ ſciant conjugium Deo placere, & ut intelligant quales cultus approbet Deus.

Sed adverſarij noſtri non requirunt cœlibatum per ſuperſtitionem. Sciunt enim non ſolere præſtari caſtitatem, Verum prætexunt ſuperſtitioſas opiniones, ut imperitis fucum faciant. Magis igitur odio digni ſunt, quam Encratitæ, qui quadam ſpecie religionis lapſi videntur, illi Sardanapali conſulto abutuntur prætextu religionis.

Sexto, cum habeamus tot cauſas improbandæ legis de perpetuo cœlibatu, tamen præter has accedunt etiam pericula animarum, & publica ſcandala, quæ etiamſi lex non eſſet injuſta, tamen abſterrere bonos viros debent, ne approbent tale onus, quod innumerabiles animas perdidit. Diu omnes boni viri de hoc onere queſti ſunt, vel ſua, vel aliorum cauſa, quos periclitari videbant, ſed has querelas nulli Pontifices audiunt. Neq; obſcurum eſt, quantum hæc lex noceat publicis moribus, quæ vitia, quam flagitioſas libidines pepererit. Extant Romanæ Satyræ, in his etiammum agnoſcit mores Roma, legitque ſuos. Sic ulciſcitur Deus contemptum ſui doni, ſuæq; ordinationis, in iſtis, qui conjugium

prohibent. Cum autem hoc fieri in alijs legibus conſueverit, ut mutentur, ſi id evidens utilitas ſuaſerit, cur idem non fit in hac lege, in qua tot graves cauſæ concurrunt, præſertim in his poſtremis temporibus, cur mutari debeat? Natura ſeneſcit, & fit paulatim debilior, & creſcunt vitia, quo magis remedia divinitus tradita adhibenda erant.

Videmus quod vitium accuſet Deus ante diluvium, quod accuſet ante conflagrationem quinq; urbium, Similia vitia præceſſerunt excidia aliarum urbium multarum, ut Sybaris, Romæ, Et in his imago temporum propoſita eſt, quæ proxima erunt rerum fini. Ideo in primis oportuit hoc tempore ſeveriſſimis legibus atq; exemplis munire conjugium & ad conjugium invitare homines. Id ad magiſtratus pertinet, qui debent publicam diſciplinam tueri, Interim doctores Evangelij utrunq; faciant, hortentur ad conjugium incontinentes, hortentur alios ut donum continentiæ non aſpernentur. Pontifices quotidie diſpenſant, quotidie mutant alias leges optimas, in hac una lege cœlibatus, ferrei & inexorabiles ſunt, cum quidem conſtet eam ſimpliciter humani Iuris eſſe, Et hanc ipſam legem nunc exacerbant multis modis. Canon jubet ſuſpendere ſacerdotes, iſti parum commodi interpretes, ſuſpendunt non ab officio, ſed ab arboribus multos bonos viros crudeliter occidunt, tantum propter conjugium, Atq; hæc ipſa parricidia oſtendunt hanc legem doctrinam eſſe dæmoniorum. Nam diabolus, cum ſit homicida, legem ſuam defendit his parricidijs.

Scimus aliquid offenſionis eſſe in Schiſmate, quod videmur divulſi ab his, qui exiſtimantur eſſe ordinarij Epiſcopi, Sed noſtræ conſcientiæ tutiſſimæ ſunt, poſtquam ſcimus nos ſummo ſtudio concordiam conſtituere cupientes, non poſſe placare adverſarios, niſi manifeſtam veritatem projiciamus, deinde niſi cum ipſis conſpiremus, quod velimus hanc injuſtam legem defendere, contracta matrimonia diſſolvere, interficere ſacerdotes, ſiqui non obtemperent, in exilium agere miſeras mulieres atque orbos pueros. Cum autem certum ſit has conditiones Deo diſplicere, nihil doleamus nos non habere συμμαχίαν tot parricidiorum cum adverſarijs.

Expoſuimus cauſas, quare non poſſimus bona conſcientia aſſentiri adverſarijs, legem Pontificiam de perpetuo cœlibatu defendentibus, quia pugnet cum Iure divino, & naturali, ac diſſentiat ab ipſis Canonibus, & ſit ſuperſtitioſa, & plena periculi, Poſtremo quia tota res ſit ſimulata. Non enim imperatur lex religionis cauſa, ſed dominationis cauſa, & huic impie prætexitur religio. Neq; quidquam à ſanis hominibus, contra has firmiſſimas rationes afferri poteſt. Evangelium permittit conjugium his, quibus opus eſt, Neq; tamen hos cogit ad conjugium, qui continere volunt, modo ut vere contineant. Hanc libertatem & ſacerdotibus concedendam eſſe ſentimus, nec volumus quenquam vi cogere ad cœlibatum, nec contracta matrimonia diſſolvere.

Obiter etiam dum recenſuimus argumenta noſtra, indicavimus quomodo adverſarij unum atq; alterum cavillentur, & calumnias illas diluimus, Nunc breviſſime commemorabimus, quam gravibus rationibus defendant legem. Primum dicunt à Deo revelatam eſſe. Videtis extremam impudentiam iſtorum nebulonum, Audent affirmare, quod divinitus revelata ſit lex de perpetuo cœlibatu, cũ adverſetur manifeſtis Scripturæ teſtimonijs, quæ jubent, ut unuſquiſq; habeat uxorem ſuam propter fornicationem, Item, quæ vetant diſſolvere contracta matrimonia. Paulus admonet, quem autorem habitura fuerit iſta lex, cum vocat eam doctrinam dæmoniorum. Et fructus indicant autorem, tot monſtroſæ libidines, tot patricidia, quæ nunc ſuſcipiuntur prætextu illius legis.

Secundum argumentum adverſariorum eſt, quod ſacerdotes debeant eſſe mundi, juxta illud, Mundamini, qui fertis vaſa Domini, Et citant in hanc ſententiam multa. Hanc rationem, quam oſtentant velut maxime ἀναίσχυντον, ſupra diluimus. Diximus enim virginitatem ſine fide non eſſe mundiciem coram Deo,

Et con-

1. 2. Et conjugium propter fidem mundum esse, juxta illud, Omnia munda mundis. Diximus & hoc, externas mundicias & cæremonias legis non esse huc transferendas, quia Evangelium requirit mundiciem cordis, non requirit cæremonias legis. Et fieri potest, ut cor mariti velut Abrahæ, aut Iacob, qui fuerunt πολύγαμοι, mundius sit, & minus ardeat cupiditatibus, quam multarum virginum, etiam vere continentium, Quod vero Esaias ait, Mundamini, qui fertis vasa Domini, intelligi debet de mundicie cordis, de tota pœnitentia. Cæterum Sancti in externo usu, scient quatenus conducat moderari usum conjugalem, &, ut Paulus ait,
1. Thess 4. Possidere vasa in sanctificatione. Postremo cum conjugium sit mundum, recte dicitur his, qui in cœlibatu non continent, ut ducant uxores, ut sint mundi. Ita eadem lex, Mundamini, qui fertis vasa Domini, præcipit, ut immundi cœlibes fiant mundi conjuges.

Tertium argumentum horribile est, quod sit hæresis Ioviniani, conjugium Sacerdotum. Bona verba, Novum hoc crimen est, conjugium esse hæresin. Ioviniani tempore nondum norat mundus legem de perpetuo cœlibatu. Impudens igitur mendacium est, conjugium sacerdotum Ioviniani hæresin esse, aut ab Ecclesia tunc id conjugium damnatum esse. In hujusmodi locis est videre quid consilij habuerint adversarij in scribenda confutatione. Iudicaverunt ita facillime moveri imperitos, si crebro audiant convitium hæresis, si fingant nostram causam multis ante judicijs Ecclesiæ confossam & damnatam esse. Itaq; sæpe falso allegant Ecclesiæ judicium. Id quia non ignorant, exhibere nobis exemplum Apologiæ noluerunt, ne hæc vanitas, ne hæ calumniæ coargui possent. Quod vero ad Ioviniani causam attinet, de collatione virginitatis & conjugij supra diximus, quid sentiamus. Non enim æquamus conjugium & virginitatem, etsi neq; virginitas, neq; conjugium meretur justificationem.

Talibus argumentis tam vanis, defendunt legem impiam, & pernicioſam bonis moribus. Talibus rationibus muniunt Principum animos adversus judicium Dei, in quo Deus reposcet rationem, cur dissipaverint conjugia, cur cruciaverint, cur interfecerint Sacerdotes. Nolite enim dubitare, quin, ut sanguis Abel mortui clamabat, ita clamet etiam sanguis multorum bonorum virorum, in quos injuste sævitum est, Et ulciscetur hanc sævitiam Deus. Ibi comperietis, quam sint inanes hæ rationes adversariorum, & intelligetis in judicio Dei nullas
Esa. 40. calumnias adversus verbum Dei consistere, ut ait Esaias, Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos fœni. Nostri Principes, quicquid acciderit, consolari se conscientia rectorum consiliorum poterunt, quia etiamsi quid Sacerdotes in contrahendis conjugijs mali feciſſent, tamen illa dissipatio conjugiorum, illæ proscriptiones, illa sævitia manifeste adversatur voluntati & verbo Dei. Nec delectat nostros Principes novitas aut dissidium, sed magis fuit habenda ratio verbi Dei, præsertim in causa non dubia, quam aliarum rerum omnium.

DE MISSA.

INitio hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam, sed religiose retinere ac defendere. Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis, & alijs festis, in quibus porrigitur sacramentum his, qui uti volunt, postquam sunt explorati atque absoluti, Et servantur usitatæ cæremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus, & alia similia. Adversarij longam declamationem habent, de usu latinæ linguæ in Missa, in qua suaviter ineptiunt, quomodo prosit auditori indocto in fide Ecclesiæ, Missam non intellectam audire, videlicet fingunt ipsum opus audiendi cultum esse & prodesse, sine intellectu. Hæc nolumus odiose exagitare, sed judicio lectorum relinquimus, Nosque ideo commemoramus, ut obiter admoneamus & apud nos retineri latinas lectiones atque orationes. Cum autem cæremoniæ debeant observari, tum ut discant homines Scripturã, tum ut verbo adminiti concipiant fidẽ, timorem, atq; ita orent

etiam, Nam hi ſunt fines cæremoniarum, Latinam linguam retinemus propter hos, qui latine diſcunt atque intelligunt, Et admiſcemus Germanicas cantiones, ut habeat & populus, quod diſcat, & quo excitet fidem, & timorem.

Hic mos ſemper in Eccleſijs fuit. Nam etſi aliæ frequentius, aliæ rarius admiſcuerunt Germanicas cantiones, tamen fere ubiq; aliquid canebat populus ſua lingua. Illud vero nuſquam ſcriptum aut pictum eſt, hominibus prodeſſe opus audiendi lectiones non intellectas, prodeſſe cæremonias, non quia doceant, vel admoneant, ſed ex opere operato, quia ſic fiant, quia ſpectentur. Male valeant iſtæ Phariſaicæ opiniones.

Quod vero tantum fit apud nos publica Miſſa, ſeu communis, nihil fit contra catholicam Eccleſiam. Nam in Græcis parochijs ne hodie quidem fiunt privatæ Miſſæ, ſed fit una publica Miſſa, idque tantum Dominicis diebus, & Feſtis. In Monaſterijs fit quotidie Miſſa, ſed tantum publica. Hæc ſunt veſtigia morum veterum. Nuſquam enim veteres Scriptores ante Gregorium, mentionem faciunt privatarum Miſſarum. Qualia fuerint initia nunc omittimus, hoc conſtat, quod poſtquam Monachi mendicantes regnare cœperunt ex falſiſſimis perſuaſionibus, & propter quæſtum, ita auctæ ſunt, ut omnes boni viri diu jam ejus rei modum deſideraverint. Quanquam S. Franciſcus recte voluit ei rei proſpicere, qui conſtituit, ut ſingula collegia quotidie unica communi Miſſa contenta eſſent. Hoc poſtea mutatum eſt ſive per ſuperſtitionem, ſive quæſtus cauſa. Ita ubi commodum eſt, inſtituta majorum mutant ipſi, poſtea nobis allegant autoritatem majorum. Epiphanius ſcribit in Aſia Synaxin ter celebratam eſſe ſingulis ſeptimanis, nec quotidianas fuiſſe Miſſas. Et quidem ait, hunc morem ab Apoſtolis traditum eſſe. Sic enim inquit, *συνάξεις δὲ ἐπιτελοῦνται τρεῖς ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, τετράδι, καὶ παρασκευῇ, καὶ κυριακῇ.*

Etſi autem adverſarij in hoc loco multa congerunt, ut probent Miſſam eſſe ſacrificium, tamen ille ingens tumultus verborum prolata hac unica reſponſione conſileſcet, quod hæc, quamvis longa coacervatio autoritatum, rationum, teſtimoniorum, non oſtendat, quod Miſſa ex opere operato conferat gratiam, aut applicata pro alijs mereatur eis remiſſionem venialium & mortalium peccatorum, culpæ & pœnæ. Hæc una reſponſio evertit omnia, quæ adverſarij objiciunt non ſolum in hac confutatione, ſed in omnibus ſcriptis, quæ de Miſſa ediderunt. Et hic cauſæ ſtatus eſt, de quo ita nobis admonendi ſunt lectores, ut Aeſchines admonebat Iudices, ut perinde ac pugiles de ſtatu inter ſe certant, ita cum adverſario dimicarent ipſi de ſtatu controverſiæ, nec ſinerent eum extra cauſam egredi. Ad eundem modum hic adverſarij noſtri cogendi ſunt ut de re propoſita dicant. Et cognito controverſiæ ſtatu, facillima erit dijudicatio de argumentis in utraq; parte.

Nos enim in confeſſione noſtra oſtendimus, nos ſentire, quod cœna Domini non conferat gratiam ex opere operato, nec applicata pro alijs vivis aut mortuis, mereatur eis ex opere operato remiſſionem peccatorum, culpæ aut pœnæ. Et hujus ſtatus clara & firma probatio eſt hæc, Quia impoſſibile eſt conſequi remiſſionem peccatorum propter opus noſtrum ex opere operato, ſed fide oportet vinci terrores peccati & mortis, cum erigimus corda cognitione Chriſti, & ſentimus nobis ignoſci propter Chriſtum, ac donari merita & juſticiam Chriſti, Roma. 5. Iuſtificati ex fide pacem habemus. Hæc tam certa, tam firma ſunt, ut adverſus omnes portas inferorum conſiſtere queant. Si, quantum opus eſt, dicendum fuit, jam cauſa dicta eſt. Nemo enim ſanus illam Phariſaicam & Ethnicam perſuaſionem de opere operato probare poteſt, Et tamen hæc perſuaſio hæret in populo, hæc auxit in infinitum Miſſarum numerum. Conducuntur enim Miſſæ ad iram Dei placandam, & hoc opere remiſſionem culpæ & pœnæ conſequi volunt, volunt impetrare quidquid in omni vita opus eſt, Volunt etiam mortuos

igitized by Google

tuos liberare. Hanc Phariſaicam opinionem docuerunt in Eccleſia Monachi & Sophiſtæ.

Quanquam autem cauſa jam dicta eſt, tamen quia adverſarij multas ſcripturas inepte detorquent ad defenſionem ſuorum errorum, pauca ad hunc locum addemus. Multa de ſacrificio in confutatione dixerunt, cum nos in confeſſione noſtra conſulto id nomen, propter ambiguitatem vitaverimus. Rem expoſuimus, quid ſacrificium iſti nunc intelligant quorum improbamus abuſus. Nunc ut male detortas ſcripturas explicemus, neceſſe eſt initio, quid ſit ſacrificium exponere. Toto jam decennio infinita pene volumina ediderunt adverſarij de ſacrificio, neq; quiſquam eorum definitionem ſacrificij hactenus poſuit, Tantum arripiunt nomen ſacrificij, vel ex Scripturis, vel ex Patribus, Poſtea affingunt ſua ſomnia, quaſi vero ſacrificium ſignificet, quidquid ipſis libet.

QVID SIT SACRIFICIVM, ET *quæ ſint ſacrificij ſpecies.*

SOcrates in Phædro Platonis ait, ſe maxime cupidum eſſe diviſionum, quod ſine his nihil neq; explicari dicendo, neq; intelligi poſſit, ac ſi quem deprehenderit peritum dividendi, hunc inquit ſe aſſectari, ejuſq; tanquam Dei veſtigia ſequi, Et jubet dividentem in ipſis articulis membra ſecare, ne quod membrum mali coqui more quaſſatum frangat. Sed hæc præcepta adverſarij magnifice contemnunt, ac vere ſunt juxta Platonem κακοὶ μάγειροι, ſacrificij membra corrumpentes, quemadmodum intelligi poterit, cum ſpecies ſacrificij recenſuerimus.

Theologi recte ſolent diſtinguere ſacramentum & ſacrificium. Sit igitur genus horum, vel cæremonia, vel opus ſacrum. Sacramentum eſt cæremonia, vel opus, in quo Deus nobis exhibet hoc, quod offert annexa cæremoniæ promiſſio, ut Baptiſmus eſt opus, nõ quod nos Deo offerimus, ſed in quo Deus nos baptizat, videlicet, miniſter vice Dei, & hic offert & exhibet Deus remiſſionem peccatorum &c. juxta promiſſionem, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. E-
Marc. 16. contra, Sacrificium eſt cæremonia, vel opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus. Sunt autem ſacrificij ſpecies proximæ duæ, nec ſunt plures. Quoddam eſt ſacrificium propiciatorium, id eſt, opus ſatisfactorium pro culpa & pœna, hoc eſt, reconcilians Deum, ſeu placans iram Dei, ſeu quod meretur alijs remiſſionem peccatorum. Altera ſpecies eſt ſacrificium εὐχαριστικὸν, quod non meretur remiſſionem peccatorum, aut reconciliationem, ſed fit à reconciliatis, ut pro accepta remiſſione peccatorum, & pro alijs beneficijs acceptis, gratias agamus, ſeu gratiam referamus.

Has duas ſpecies ſacrificij magnopere oportet & in hac controverſia, & in alijs multis diſputationibus in conſpectu, & ob oculos poſitas habere, & ſingulari diligentia cavendum eſt, ne confundantur. Quod ſi modus hujus libri pateretur, rationes hujus diviſionis adderemus. Habet enim ſatis multa teſtimonia in Epiſtola ad Ebræos & alibi. Et omnia ſacrificia Levitica ad hæc membra referri, tanquam ad ſua domicilia poſſunt. Dicebantur enim in lege quædam propitiatoria ſacrificia propter ſignificationem, ſeu ſimilitudinem, non quod mererentur remiſſionem peccatorum coram Deo, Sed quia merebantur remiſſionem peccatorum ſecundum juſticiam legis, ne illi, pro quibus fiebant, excluderentur ab iſta politia. Dicebantur itaq; propitiatoria, pro peccato, pro delicto, holocauſtum. Illa vero erant εὐχαριστικὰ, oblatio, libatio, retributiones, primitiæ, decimæ.

Sed re vera unicum tantum in mundo fuit ſacrificium propitiatorium, videlicet mors Chriſti, ut docet Epiſtola ad Ebræos, quæ ait, Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Et paulo poſt de voluntate Chriſti, In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chri-
Eſa. 53. ſti ſemel. Et Eſaias interpretatur legem, Vt ſciamus mortem Chriſti vere

ſti vere eſſe ſatisfactionem pro peccatis noſtris,ſeu expiationem,non cæremonias legis,quare ait, Poſtquam poſuerit animam ſuam,hoſtiam pro delictis, videbit ſemen longævum, &c. Nam vocabulum Aſcham,quo hic uſus eſt, ſignificat hoſtiam pro delicto,quæ in lege ſignificavit,quod ventura eſſet hoſtia quædam ſatisfactura pro peccatis noſtris & reconciliatura Deum, ut ſcirent homines,quod nō propter noſtras juſticias, ſed propter aliena merita,videlicet Chriſti, velit Deus nobis reconciliari. Paulus idem nomen Aſcham interpretatur peccatum, Rom. 8. De peccato damnavit peccatum,id eſt,peccatum punivit de peccato,id eſt,per hoſtiam pro peccato. Rom. 8.

Significantia verbi facilius intelligi poteſt ex moribus gentium, quos videmus ex Patrum ſermonibus male intellectis acceptos eſſe. Latini vocabant piaculum,hoſtiam,quæ in magnis calamitatibus, ubi inſigniter videbatur Deus iraſci,offerebatur ad placandam iram Dei, & litaverunt aliquando humanis hoſtijs, fortaſſis quia audierant quandam humanam hoſtiam placaturam eſſe Deum toti generi humano. Græci alibi καθάρματα, alibi περικαθάρματα appellaverunt. Intelligunt igitur Eſaias & Paulus Chriſtum factum eſſe hoſtiam, hoc eſt, piaculum, ut ipſius meritis, non noſtris reconciliaretur Deus. Maneat ergo hoc in cauſa,quod ſola mors Chriſti eſt vere propitiatorium ſacrificium. Nam Levitica illa ſacrificia propitiatoria, tantum ſic appellantur ad ſignificandum futurum piaculum. Propterea ſimilitudine quadam erant ſatisfactiones redimentes juſticiam legis,ne ex politia excluderentur iſti,qui peccaverant.Debebant autem ceſſare poſt revelatū Evangelium, Et quia ceſſare in Evangelij revelatione debebant, non erant vere propitiationes,cum Evangelium ideo promiſſum ſit,ut exhibeat propitiationem.

Nunc reliqua ſunt ſacrificia ἔυχαριστικὰ,quæ vocantur ſacrificia laudis,prædicatio Evangelij,fides,invocatio,gratiarum actio,confeſſio, afflictiones Sanctorum,Imo omnia bona opera ſanctorum.Hæc ſacrificia non ſunt ſatisfactiones pro facientibus,vel applicabiles pro alijs, quæ mereantur eis ex opere operato remiſſionem peccatorum,ſeu reconciliationem, Fiunt enim à reconciliatis. Et talia ſunt ſacrificia novi Teſtamenti, ſicut docet Petrus 1. Petri 2. Sacerdotium ſanctum, ut offeratis hoſtias ſpirituales. Opponuntur autem hoſtiæ ſpirituales, non tantum pecudibus,ſed etiam humanis operibus, ex opere operato oblatis, Quia ſpirituale ſignificat motus Spiritus Sancti in nobis. Idem docet Paulus Roman. 12. Exhibete corpora veſtra, hoſtiam viventem,ſanctam,cultum rationalem. Significat autem cultus rationalis cultum, in quo Deus intelligitur, mente apprehenditur,ut ſit in motibus timoris,& fiduciæ erga Deum. Opponitur igitur non ſolum cultui Levitico,in quo pecudes mactabantur,ſed etiam cultui,in quo fingitur opus ex opere operato offerri. Idem docet Epiſtola ad Ebræos Cap. 13. Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, & addit interpretationem, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus, Iubet offerre laudes, hoc eſt, invocationem,gratiarum actionem,confeſſionem & ſimilia.Hæc valent non ex opere operato,ſed propter fidem,Id monet particula,per ipſum offeramus, hoc eſt, fide in Chriſtum. 1. Pet. 2. Rom. 12. Heb. 13.

In ſumma cultus novi teſtamenti,eſt ſpiritualis, hoc eſt, eſt juſticia fidei in corde,& fructus fidei,Ideoque abrogat Leviticos cultus. Et Chriſtus ait Iohan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Deus eſt Spiritus, & eos qui adorant eum,in ſpiritu & veritate oportet adorare. Hæc ſententia clare damnat opiniones de ſacrificijs, quæ fingunt ex opere operato valere,Et docet,quod oporteat ſpiritu, id eſt, motibus cordis, & fide adorare. Ideo & Prophetæ damnant in veteri teſtamento opinionem populi de opere operato,& docent juſticiam,& ſacrificia ſpiritus, Ieremiæ 7. Non ſum locutus cum Patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de holocauſtis & victimis, Sed hoc verbum præcepi eis dicens,Audite vocem meam, & ero vobis Deus, &c. Iohan. 4. Rom. 12. Heb. 13. Ieremiæ 7.

Quomo-

Quomodo exiſtimemus Iudæos hanc concionem excepiſſe, quæ videtur palam pugnare cum Moiſe. Conſtabat enim Deum præcepiſſe Patribus de holocauſtis ac victimis, ſed Ieremias opinionem de ſacrificiis damnat, hanc non tradiderat Deus, videlicet quod illi cultus ex opere operato placarent eum. Addit autem de fide, quod hoc præceperit Deus, Audite me, hoc eſt, credite mihi, quod ego ſim Deus veſter, quod velim ſic innoteſcere, cum miſereor & adjuvo, nec habeam opus veſtris victimis, confidit, quod ego velim eſſe Deus, juſtificator, ſalvator, non propter opera, ſed propter verbum & promiſſionem meam, à me vere & ex corde petite, & expectate auxilium.

Pſal. 49. Damnat opinionem de opere operato & Pſalm. 49. Qui, repudiatis victimis, requirit invocationem. Nunquid manducabo carnes taurorum &c. Invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & honorificabis me. Teſtatur hanc eſſe veram λατρείαν, hunc eſſe verum honorem, ſi ex corde invocemus ipſum. Item *Pſal. 39.* Pſal. 39. Sacrificium & oblationem noluiſti, Aures autem aperuiſti mihi, id eſt, verbum mihi propoſuiſti, quod audirem, & requiris, ut credam verbo tuo, & *Pſal. 50.* promiſſionibus tuis, quod vere velis miſereri, opitulari &c. Item Pſal. 50. Holocauſtis non delectaberis, Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum *Pſal. 4.* & humiliatum Deus non deſpicies. Item Pſal. 4. Sacrificate ſacrificium juſticiæ & ſperate in Domino. Iubet ſperare, & dicit id eſſe juſtum ſacrificium, ſignificans *Pſal 115.* cætera ſacrificia non eſſe vera, & juſta ſacrificia, Et Pſal. 115. Sacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo. Vocat invocationem hoſtiam laudis. Sed plena eſt ſcriptura talibus teſtimoniis, quæ docent, quod ſacrificia ex opere operato non reconcilient Deum, Ideoq; in novo teſtamento abrogatis cultibus Leviticis docet fore, ut nova & munda ſacrificia fiant, videlicet, fides, invocatio, gratiarum actio, confeſſio, & prædicatio Evangelii, afflictiones propter Evangelium, & ſimilia.

Malach. 1. Et de his ſacrificiis loquitur Malachias, Ab ortu ſolis uſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & oblatio munda. Hunc locum detorquent adverſarii ad Miſſam, & allegant autoritatem Patrum. Facilis eſt autem reſponſio, quod, ut maxime loqueretur de Miſſa, non ſequatur, Miſſam ex opere operato juſtificare, aut applicatam aliis mereri remiſſionem peccatorum &c. Nihil horum dicit Propheta, quæ Monachi & ſophiſtæ, impudenter affingunt.

Cæterum ipſa Prophetæ verba offerunt ſententiam, Primum enim hoc proponunt, magnum fore nomen Domini, Id fit per prædicationem Evangelii. Per hanc enim innoteſcit nomen Chriſti, & miſericordia patris in Chriſto promiſſa cognoſcitur. Prædicatio Evangelii parit fidem in his, qui recipiunt Evangelium, Hi invocant Deum, hi agunt Deo gratias, hi tolerant afflictiones in confeſſione, hi bene operantur propter gloriam Chriſti, Ita fit magnum nomen Domini in gentibus. Incenſum igitur & oblatio munda ſignificant non cæremoniam ex opere operato, ſed omnia illa ſacrificia, per quæ fit magnum nomen Domini, ſcilicet fidem, invocationem, prædicationem Evangelii, confeſſionem &c.

Et facile patimur, ſi quis hic velit complecti cæremoniam, modo neq; intelligat ſolam cæremoniam, neq; doceat cæremoniam ex opere operato prodeſſe. Sicut enim inter ſacrificia laudis, hoc eſt, inter laudes Dei complectimur prædicationem verbi, ita laus eſſe poteſt, ſeu gratiarum actio, ipſa ſumptio cœnæ Domini, ſed non ex opere operato juſtificans, aut applicanda aliis, ut mereatur eis remiſſionem peccatorum, Sed paulo poſt exponemus, quomodo & cæremonia ſacrificium ſit. Verum quia Malachias de omnibus cultibus novi Teſtamenti, non ſolum de cœna Domini loquitur, item quia non patrocinatur Phariſaicæ opinioni, de opere operato, ideo nihil contra nos facit, ſed magis adjuvat nos. Requirit enim cultus cordis, per quos vere fit magnum nomen Domini.

Malach. 3. Citatur ex Malachia & alius locus, Et purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi

quaſi aurum,& quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſticia. Hic locus aperte requirit ſacrificia juſtorum, quare non patrocinatur opinioni de opere operato. Sunt autem ſacrificia filiorum Levi, hoc eſt, docentium in novo Teſtamento,prædicatio Evangelij,& boni fructus prædicationis, ſicut Paulus ait, Roman. 15. Sacrifico Evangelium Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, ſanctificata Spiritu ſancto,id eſt,ut gentes fiant hoſtiæ,acceptæ Deo per fidem,&c. Nam illa mactatio in lege ſignificabat,& mortem Chriſti, & prædicationem Evangelij, qua hanc vetuſtatem carnis mortificari oportet, & inchoari novam & æternam vitam in nobis. Sed adverſarij ubique ſacrificii nomen ad ſolam cæremoniam detorquent, prædicationem Evangelij, fidem, invocationem, & ſimilia omittunt,cum cæremonia propter hæc inſtituta ſit, Et novum Teſtamentum debeat habere ſacrificia cordis,non cæremonialia pro peccatis facienda,more Levitici ſacerdotij. Rom. 15.

Allegant & juge ſacrificium, quod ſicut in lege fuit juge ſacrificium, ita miſſa debeat eſſe juge ſacrificium novi teſtamenti. Bene cum adverſarijs agitur, ſi patimur nos vinci allegorijs. Conſtat autem quod allegoriæ non pariunt firmas probationes, Quanquam nos quidem facile patimur Miſſam, intelligi juge ſacrificium,modo ut tota Miſſa intelligatur, hoc eſt,cæremonia cum prædicatione Evangelij, fide,invocatione, & gratiarum actione. Nam hæc ſimul conjuncta ſunt juge ſacrificium novi Teſtamenti, quia cæremonia propter hæc inſtituta eſt, nec ab his divellenda eſt,Ideo Paulus ait,Quoties comedetis panem hunc, & poculum Domini bibetis,annunciate mortem Domini. Illud vero nullo modo ſequitur ex hoc typo Levitico, quod cæremonia ſit opus ex opere operato juſtificans, aut applicandum pro alijs,ut mereatur eis remiſſionem peccatorum,&c. 1. Cor. 11.

Et typus apte pingit non cæremoniam ſolam, ſed etiam prædicationem Evangelij. In Nume. Cap. 28. Tres ponuntur partes illius quotidiani ſacrificij, crematio agni, libatio, & oblatio ſimilæ. Lex habebat picturas ſeu umbras rerum futurarum, Ideo in hoc ſpectaculo Chriſtus, & totus cultus novi Teſtamenti pingitur. Crematio agni ſignificat mortem Chriſti. Libatio ſignificat ubique in toto mundo credentes illius agni ſanguine aſpergi per Evangelij prædicationem, hoc eſt, ſanctificari, ſicut Petrus loquitur, In ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti. Oblatio ſimilæ ſignificat fidem, invocationem, & gratiarum actionem in cordibus. Vt igitur in veteri Teſtamento umbra cernitur,ita in novo res ſignificata quærenda eſt,non alius typus tanquam ad ſacrificium ſufficiens. Quare etiamſi cæremonia eſt memoriale mortis Chriſti, tamen ſola non eſt juge ſacrificium, ſed ipſa memoria eſt juge ſacrificium,hoc eſt,prædicatio, & fides,quæ vere credit Deum morte Chriſti reconciliatum eſſe. Num. 28. 1. Pet. 1.

Requiritur libatio, hoc eſt, effectus prædicationis, ut per Evangelium aſperſi ſanguine Chriſti, ſanctificemur, mortificati, ac vivificati. Requiruntur & oblationes,hoc eſt,gratiarum actiones, confeſſiones & afflictiones. Sic abjecta Phariſaica opinione de opere operato intelligamus ſignificari cultum ſpiritualem,& juge ſacrificium cordis, Quia in novo Teſtamento corpus bonorum, hoc eſt,Spiritus ſanctus,mortificatio & vivificatio, requiri debent. Ex his ſatis appareret typum de jugi ſacrificio nihil contra nos facere, ſed magis pro nobis, quia nos omnes partes ſignificatas jugi ſacrificio requirimus. Adverſarij falſo ſomniant ſolam cæremoniam ſignificari, non etiam prædicationem Evangelij, mortificationem & vivificationem cordis, &c.

Nunc igitur boni viri facile judicare poterunt, falſiſſimam hanc criminationem eſſe, quod juge ſacrificium aboleamus. Res oſtendit, qui ſint Antiochi illi,qui regnum tenent in Eccleſia, qui prætextu religionis trahunt ad ſe regnum mundi, & abjecta cura religionis & docendi Evangelij, dominantur, belligerantur velut Reges mundi, qui novos cultus inſtituerunt in Eccleſia. Nam adverſarij in

rij in Miſſa ſolam retinent cæremoniam, eamq; conferunt publice ad ſacrilegum quæſtum. Poſtea fingunt hoc opus applicatum pro alijs, mereri eis gratiam, & omnia bona. In concionibus non docent Evangelium, non conſolantur conſcientias, non oſtendunt gratis remitti peccata propter Chriſtum, ſed proponunt cultus Sanctorum, ſatisfactiones humanas, traditiones humanas, per has affirmant homines coram Deo juſtificari. Et harum quædam cum ſint manifeſte impiæ, tamen vi defenduntur. Si qui concionatores volunt perhiberi doctiores, tradunt quæſtiones Philoſophicas, quas neque populus, neq; ipſi, qui proponunt, intelligunt. Poſtremo qui ſunt tolerabiliores, Legem docent, de juſticia fidei nihil dicunt.

Adverſarij in confutatione miras tragœdias agunt de deſolatione templorum, quod videlicet ſtent inornatæ aræ, ſine candelis, ſine ſtatuis. Has nugas judicant eſſe ornatum Eccleſiarum. Longe aliam deſolationem ſignificat Daniel, videlicet ignorationem Evangelij. Nam populus obrutus multitudine & varietate traditionum atq; opinionum, nullo modo potuit complecti ſummam doctrinæ Chriſtianæ. Quis enim unquam de populo intellexit doctrinam de pœnitentia, quam adverſarij tradiderunt? Et hic præcipuus locus eſt doctrinæ Chriſtianæ. Vexabantur conſcientiæ enumeratione delictorum & ſatisfactionibus. De fide, qua gratis conſequimur remiſſionem peccatorum, nulla prorſus fiebat ab adverſarijs mentio, de exercitijs fidei luctantis cum deſperatione, de gratuita remiſſione peccatorum propter Chriſtum, omnes libri, omnes conciones adverſariorum mutæ erant. Ad hæc acceſſit horribilis prophanatio Miſſarum, & alij multi impij cultus in templis. Hæc eſt deſolatio, quam Daniel deſcribit.

Econtra Dei beneficio apud nos ſerviunt miniſterio verbi Sacerdotes, docent Evangelium de beneficijs Chriſti, oſtendunt remiſſionem peccatorum gratis contingere propter Chriſtum. Hæc doctrina affert firmam conſolationem conſcientijs. Additur & doctrina bonorum operum, quæ Deus præcipit. Dicitur de dignitate atq; uſu Sacramentorum. Quod ſi juge ſacrificium eſſet uſus Sacramenti, tamen nos magis retineremus, quam adverſarij, quia apud illos Sacerdotes mercede conducti utuntur Sacramento. Apud nos crebrior & religioſior uſus eſt. Nam populus utitur, ſed prius inſtitutus, atq; exploratus. Docentur enim homines de vero uſu Sacramenti, quod ad hoc inſtitutum ſit, ut ſit ſigillum, & teſtimonium gratuitæ remiſſionis peccatorum. Ideoque debeat pavidas conſcientias admonere, ut vere ſtatuant & credant ſibi gratis remitti peccata.

Cum igitur & prædicationem Evangelij & legitimum uſum Sacramentorum retineamus, manet apud nos juge ſacrificium. Et, ſi de externa ſpecie dicendum eſt, frequentia in templis apud nos major eſt, quam apud adverſarios. Tenentur enim auditoria utilibus & perſpicuis concionibus. Verum adverſariorum doctrinam nunquam neque populus neq; doctores intellexerunt, & verus ornatus eſt Eccleſiarum, doctrina pia, utilis, & perſpicua, uſus pius Sacramentorum, oratio ardens, & ſimilia. Candelæ, vaſa aurea, & ſimiles ornatus, decent, ſed non ſunt proprius ornatus Eccleſiæ. Quod ſi adverſarij in talibus rebus collocant cultus, non in prædicatione Evangelj, in fide, in certaminibus fidei, ſunt in iſtis numerandi, quos Daniel deſcribit colere Deum ſuum auro & argento.

Allegant & ex Epiſtola ad Ebræos, Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus, conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Hinc ratiocinantur, cum in novo Teſtamento ſint Pontifices & Sacerdotes, ſequitur, quod ſit & ſacrificium aliquod pro peccatis. Hic locus vel maxime movet indoctos, præſertim cum illa pompa ſacerdotij & ſacrificiorum veteris teſtamẽti offunditur oculis. Hæc ſimilitudo decipit imperitos, ut judicent oportere ad eundem modũ apud nos exiſtere aliquod cæremoniale ſacrificiũ applicandũ pro peccatis aliorũ, ſicut in veteri Teſtamento. Neq; aliud eſt ille cultus Miſſarũ, & reliqua politia Papæ, quã κακοζηλία Leviticæ politiæ male intellectæ.

Et cum ſententia noſtra habeat præcipua teſtimonia in Epiſtola ad Ebræos, tamen adverſarij locos ex illa Epiſtola truncatos contra nos detorquent, ut in hoc ipſo loco, ubi dicitur Pontificem conſtitui, ut offerat ſacrificia pro peccatis, Scriptura ipſa ſtatim attexit Chriſtum pontificem. Verba præcedentia de Levitico ſacerdotio loquuntur, & ſignificant Leviticum Pontificatum fuiſſe imaginem Pontificatus Chriſti. Nam ſacrificia Levitica pro peccatis, non merebantur remiſſionem peccatorum coram Deo, tantum erant imago ſacrificij Chriſti, quod unum futurum erat propitiatorium ſacrificium, ut ſupra diximus, Itaq; Epiſtola magna ex parte conſumitur in hoc loco, quod vetus Pontificatus, & vetera ſacrificia non fuerint ad hoc inſtituta, ut mererentur remiſſionem peccatorum coram Deo, ſeu reconciliationem, ſed tantum ad ſignificandum futurum ſacrificium unius Chriſti.

Oportuit enim Sanctos in veteri Teſtamento juſtificari fide, ex promiſſione remiſſionis peccatorum, donandæ propter Chriſtum, ſicut & Sancti in novo Teſtamento juſtificantur. Omnes Sanctos ab initio mundi ſentire oportuit, hoſtiam & ſatisfactionem fore pro peccato, Chriſtum, qui promiſſus erat, ſicut Eſaias docet, Cap. 53. Cum poſuerit animam ſuam hoſtiam pro peccato &c. Cum igitur in veteri Teſtamento ſacrificia non mererentur reconciliationem, niſi ſimilitudine quadam, Merebantur enim reconciliationem politicam, ſed ſignificarent venturum ſacrificium, Sequitur unicum eſſe ſacrificium Chriſti, applicatum pro aliorum peccatis. Nullum igitur reliquum eſt in novo Teſtamento ſacrificium applicandum pro peccatis aliorũ, præter unum Chriſti ſacrificiũ in cruce.

Tota via errant, qui fingunt ſacrificia Levitica coram Deo meruiſſe remiſſionem peccatorum, Et hoc exemplo ſacrificia applicanda pro alijs in novo Teſtamento requirunt, præter mortem Chriſti. Hæc imaginatio ſimpliciter obruit meritum paſſionis Chriſti, & juſticiam fidei, & corrumpit veteris & novi Teſtamenti doctrinam, & pro Chriſto alios mediatores & propitiatores nobis efficit Pontifices & ſacrificulos, qui quotidie vendunt * operam ſuam in templis.

* operas.

Quare ſi quis ita argumentatur, oportere in novo Teſtamento Pontificem eſſe, qui pro peccatis offerat, tantum de Chriſto concedendum eſt, Et hanc ſolutionem confirmat tota Epiſtola ad Ebræos. Et id prorſus eſſet alios Mediatores conſtituere præter Chriſtum, ſi aliam ſatisfactionem applicandam pro peccatis aliorum & reconciliantem Deum, præter mortem Chriſti requireremus. Deinde quia ſacerdotium novi Teſtamenti, eſt miniſterium ſpiritus, ut docet Paulus 2. Corinth. 3. Ideo unicum habet ſacrificium Chriſti ſatisfactorium & applicatum pro peccatis aliorum, Cæterum nulla habet ſacrificia ſimilia Leviticis, quæ ex opere operato applicari pro alijs poſſint, ſed exhibet alijs Evangelium, & Sacramenta, ut per hæc concipiant fidem, & Spiritum ſanctum, & mortificentur, & vivificentur, quia miniſterium ſpiritus, pugnat cum applicatione operis operati. Eſt enim miniſterium ſpiritus, per quod Spiritus ſanctus efficax eſt in cordibus, quare habet tale miniſterium, quod ita prodeſt alijs, cum in eis efficax eſt, cum regenerat & vivificat eos. Id non fit applicatione alieni operis, pro alijs ex opere operato.

Oſtendimus rationem, quare Miſſa non juſtificet ex opere operato, nec applicata pro alijs mereatur eis remiſſionem, quia utrunq; pugnat cum juſticia fidei. Impoſſibile eſt enim remiſſionem peccatorum contingere, vinci terrores peccati & mortis, ullo opere, aut ulla re, niſi fide in Chriſtum juxta illud, Iuſtificati ex fide pacem habemus. Ad hæc oſtendimus ſcripturas, quæ contra nos citantur, minime patrocinari impiæ opinioni adverſariorum de opere operato, Idq; judicare omnes boni viri apud omnes gentes poſſunt. Quare repudiandus eſt error Thomæ, qui ſcripſit, corpus Domini ſemel oblatum in cruce, pro debito originali, jugiter offerri pro quotidianis delictis in altari, ut habeat in hoc Eccleſia, munus ad placandum ſibi Deum. Repudiandi ſunt & reliqui communes errores,

errores, quod Miſſa conferat gratiam ex opere operato facienti. Item quod applicata pro alijs etiam injuſtis, non ponentibus obicem, mereatur eis remiſſionem peccatorum culpæ & pœnæ. Hæc omnia falſa & impia ſunt, nuper ab indoctis Monachis conficta, & obruunt gloriam paſſionis Chriſti, & juſticiam fidei.

Et ex his erroribus infiniti alij nati ſunt, quantum Miſſæ valeant applicatæ ſimul pro multis, quantum valeant ſingulæ pro ſingulis. Sophiſtæ habent deſcriptos gradus meritorum, ſicut argentarii gradus ponderum in auro aut argento. Deinde vendunt miſſam, tanquam precium ad impetrandum, quod quiſq; expetit, Mercatoribus ut felix ſit negociatio, venatoribus, ut felix ſit venatio, & alia infinita. Poſtremo transferunt eam & ad mortuos, liberant animas applicatione Sacramenti, à pœnis purgatorij, cum ſine fide nec vivis Miſſa proſit. Neq; ex ſcripturis adverſarij afferre, vel unam ſyllabam poſſunt ad defenſionem iſtarum fabularum, quas in Eccleſia magna autoritate docent, Neq; Eccleſiæ veteris, neq; Patrum teſtimonia habent.

QVID PATRES DE SACRIFICIO *ſenſerint.*

ET quoniam loca Scripturæ, quæ contra nos citantur explicavimus, de Patribus etiam reſpondendum eſt, Non ignoramus Miſſam à Patribus appellari ſacrificium, ſed hi non volunt Miſſam ex opere operato, conferre gratiam, & applicatam pro alijs mereri eis remiſſionem peccatorum culpæ & pœnæ. Vbi leguntur hæc portenta verborum apud Patres? Sed aperte teſtantur ſe de gratiarum actione loqui, ideoq; vocant θυσίαν. Diximus autem ſupra ſacrificium θυσίαν non mereri reconciliationem, ſed fieri à reconciliatis, ſicut afflictiones non merentur reconciliationem, ſed tunc ſunt ſacrificia θυσίαν, quando reconciliati, ſuſtinent eas. Et hoc reſponſum in genere ad Patrum dicta, ſatis tuetur nos contra adverſarios. Certum eſt enim illa figmenta de merito operis operati nuſquam extare apud Patres. Sed ut tota cauſa magis perſpici poſſit, dicemus & nos de uſu Sacramenti, ea, quæ certum eſt conſentanea eſſe Patribus & Scripturæ.

DE VSV SACRAMENTI ET DE *ſacrificio.*

QVidam belli homines fingunt cœnam Domini inſtitutam eſſe propter duas cauſas. Primum, ut ſit nota & teſtimonium profeſſionis, ſicut certa forma cuculli, eſt ſignum certæ profeſſionis, Deinde cogitant præcipue talem notam Chriſto placuiſſe, videlicet convivium, ut ſignificaret mutuam inter Chriſtianos conjunctionem atq; amicitiam, quia ſympoſia ſunt ſigna fœderum & amicitiæ. Sed hæc opinio eſt civilis, nec oſtendit præcipuũ uſum rerum à Deo traditarum, Tantum de charitate exercenda loquitur, quam homines prophani & civiles, utcunq; intelligunt, De fide non loquitur, quæ quid ſit pauci intelligunt.

Sacramenta ſunt ſigna voluntatis Dei erga nos, non tantum ſigna ſunt hominum inter ſeſe. Et recte definiunt, Sacramenta in novo teſtamento eſſe ſigna Gratiæ, Et quia in Sacramento duo ſunt, Signum & Verbum, Verbum in novo Teſtamento eſt promiſſio Gratiæ addita ſigno, Promiſſio novi teſtamenti eſt promiſſio remiſſionis peccatorum, ſicut Textus hic dicit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, Hic eſt calix novi Teſtamenti, cum ſanguine meo, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Verbum igitur offert remiſſionem peccatorum, Et cæremonia eſt quaſi pictura verbi ſeu ſigillum, ut Paulus vocat, oſtendens promiſſionem. Ergo ſicut promiſſio inutilis eſt, niſi fide accipiatur, ita inutilis eſt cæremonia, niſi fides accedat, quæ vere ſtatuat hic offerri remiſſionem peccatorum. Et hæc fides erigit contritas mentes, Et ſicut verbum ad hanc fidem excitandam traditum eſt, Ita Sacramentum inſtitutum eſt, ut illa ſpe-

Digitized by Google

cies incurrens in oculos moveat corda ad credendum. Per hæc enim videlicet per verbum & Sacramentum operatur Spiritus Sanctus.

Et talis uſus Sacramenti, cum fides vivificat perterrefacta corda, cultus eſt novi Teſtamenti, quia novum Teſtamentum habet motus ſpirituales, mortificationem & vivificationem. Et ad hunc uſum inſtituit Chriſtus, cum jubet facere in ſui commemorationem. Nam meminiſſe Chriſti, non eſt ocioſa ſpectaculi celebratio, aut exempli cauſa inſtituta, ſicut in Tragœdijs celebratur memoria Herculis, aut Vlyſſis, Sed eſt meminiſſe beneficia Chriſti, eaq; fide accipere, ut per ea vivificemur. Ideo Pſalmus ait, Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus, Eſcam dedit timentibus ſe. Significat enim voluntatem & miſericordiam Dei ignoſcendam eſſe, in illa cæremonia. Illa autem fides, quæ agnoſcit miſericordiam, vivificat, Et hic principalis uſus eſt Sacramenti, in quo apparet, qui ſint idonei ad Sacramentum, videlicet perterrefactæ conſcientiæ & quomodo uti debeant. Pſal.

Accedit & ſacrificium, Sunt enim unius rei plures fines. Poſtquam conſcientia fide erecta ſenſit ex qualibus terroribus liberetur, tum vero ſerio agit gratias pro beneficio & paſſione Chriſti, & utitur ipſa cæremonia ad laudem Dei, ut hac obedientia gratitudinem oſtendat, & teſtatur ſe magnifacere dona Dei. Ita fit cæremonia ſacrificium laudis, Ac Patres quidem de duplici effectu loquuntur, de conſolatione conſcientiarum, & de gratiarum actione ſeu laude. Horum effectuum prior ad Sacramenti rationem pertinet, poſterior pertinet ad ſacrificium. De conſolatione ait Ambroſius, Accedite ad eum & abſolvimini, quia eſt remiſſio peccatorum. Qui ſit iſte quæritis, Audite ipſum dicentem, Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam. Hic teſtatur in Sacramento offerri remiſſionem peccatorum, teſtatur & fide accipi debere. Ioan. 6.

Infinita teſtimonia leguntur in hanc ſententiam apud Patres, quæ omnia detorquent adverſarij ad opus operatum & applicandum pro alijs, cum Patres aperte requirant fidē, & de propria cujuſq; conſolatione loquantur, non de applicatione. Præter hæc leguntur & ſententiæ de gratiarum actione, qualis illa eſt ſuaviſſime dicta à Cypriano, de pie communicantibus, Pietas inquit: inter data & condonata ſe dividens, gratias agit tam uberis beneficij largitori, id eſt, pietas intuetur data & condonata, hoc eſt, confert inter ſe magnitudinem beneficiorum Dei & magnitudinem noſtrorum malorum, mortis & peccati, & agit gratias &c. Et hinc extitit appellatio εὐχαριστίας in Eccleſia. Neq; vero cæremonia ipſa eſt gratiarum actio ex opere operato applicanda pro alijs, ut mereatur eis remiſſionem peccatorum &c. ut liberet animas defunctorum. Hæc pugnant cum juſticia fidei, quaſi cæremonia ſine fide proſit, aut facienti, aut alijs.

DE VOCABVLIS MISSÆ.

ADverſarij revocant nos etiam ad Grammaticam, ſumunt argumenta ex appellationibus Miſſæ, quæ non habent opus longa diſputatione, Non enim ſequitur Miſſam, etiamſi vocatur ſacrificium, opus eſſe ex opere operato gratiam conferens, aut applicatum pro alijs, mereri eis remiſſionem peccatorum &c. λειτουργία inquiunt, ſignificat ſacrificium, Et Græci Miſſam appellant liturgiam. Cur hic omittunt appellationem veterem Synaxis, quæ oſtendit Miſſam olim fuiſſe multorum communicationem, Sed dicamus de Liturgia. Ea vox non ſignificat proprie ſacrificium, ſed potius publicum miniſterium, & apte quadrat ad noſtram ſententiam, quod videlicet unus miniſter conſecrans reliquo populo exhibet corpus & ſanguinem Domini, ſicut unus miniſter docens exhibet Evangelium populo, ſicut ait Paulus, Sic nos exiſtimet homo, tanquā miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, hoc eſt, Evangelij, & Sacramentorum. Et 2. Cor. 5. 1. Cor. 4.

Propter

2. Cor. 5. Propter cauſam Chriſti legatione fungimur, tanquam Deo per nos adhortante, rogamus Chriſti cauſa, reconciliamini, &c.

Ita apte quadrat nomen λειτουργία ad miniſterium. Eſt enim vetus verbum uſurpatum in publicis miniſteriis civilibus,ac ſignificat Græcis onera publica, ſicut tributum, ſumptum inſtruendæ claſſis, aut ſimilia,ut teſtatur oratio Demoſthenis περὶ λειτουργιῶν, quæ tota conſumitur in diſputatione de publicis muneribus & immunitatibus φησὶ δὲ ἀναξίους τινὰς ἀνθρώπους ἀφορμὰς εὑρομένους ἀτελείας ἐνδιδυκέναι τὰς λειτουργίας, id eſt,dicet indignos quoſdam homines inventa immunitate detrectare publica onera. Et ſic Romanis temporibus locuti ſunt, ut oſtendit reſcriptum. Pertinacis ff. de jure immunitatis L. Semper. εἰ καὶ μὴ πασῶν λειτουργιῶν τὸν πατέρα ὁ τῶν τέκνων ἀριθμὸς ἀπολύει. Et ſi non liberat parentes omnibus oneribus publicis numerus natorum. Et Commentarius Demoſthenis ſcribit λειτουργίαν genus eſſe tributorum,ſumptus ludorum,ſumptus inſtruendarum navium, curandi gymnaſij, & ſimilium publicarum curationum. Et Paulus pro collatione uſurpavit. 2. 2. Cor. 9. Corinth. 9. Officium hujus collationis non ſolum ſupplet ea,quæ deſunt Sanctis, Philip. 2. Sed etiam efficit,ut plures Deo ubertim agant gratias,&c. Et Philippenſes.2. appellat Epaphroditum λειτουργὸν miniſtrum neceſſitatis ſuæ,ubi certe non poteſt intelligi ſacrificulus. Sed nihil opus eſt pluribus teſtimoniis, cum exempla ubique obvia ſint legentibus Græcos ſcriptores, in quibus λειτουργία uſurpatur pro publicis oneribus civilibus,ſeu miniſteriis.Et propter diphthongum Grammatici non deducunt à λιτὴ. quod ſignificat preces, Sed à publicis bonis, quæ vocant λῆτα, ut ſit λειτουργία curo, tracto publica bona.

Illud eſt ridiculum,quod argumentantur,altaris mentionem fieri in ſacris literis,quare neceſſe ſit Miſſam eſſe ſacrificium,cum parabola altaris per ſimilitudinem a Paulo citetur. Et Miſſam fingunt dictam ab altari Mincha. Quorſum opus erat tam procul accerſere etymologiam,niſi volebant oſtentare ſcientiam Ebraicæ linguæ? Quorſum opus eſt procul quærere etymologiam? cum extet Deut.16. nomen miſſa Deut. 16. ubi ſignificat collocationes, ſeu munera populi,non oblationem ſacerdotis. Debebant enim ſinguli venientes ad celebrationem Paſchæ aliquod munus quaſi ſymbolam afferre.Hunc morem initio retinuerunt & Chriſtiani, Convenientes afferebant panes,vinum & alia, ut teſtantur Canones Apoſtolorum. Inde ſumebatur pars, quæ conſecraretur, Reliquum diſtribuebatur pauperibus, Cum hoc more retinuerunt & nomen Collationum,Miſſa. Et propter tales collationes apparet etiam alicubi Miſſam dictam eſſe ἀγάπην, niſi quis mavult ita dictam eſſe propter commune convivium, Sed omittamus has nugas. Ridiculum eſt enim adverſarios in re tanta adeo leves conjecturas afferre. Nam etiamſi miſſa dicitur oblatio, quid facit vocabulum ad illa ſomnia de opere operato & applicatione, quam fingunt aliis mereri remiſſionem peccatorum? Et poteſt oblatio dici propterea, quia ibi offeruntur orationes, gratiarum actiones & totus ille cultus, ſicut & θυσιαστήριον dicitur, Verum neque cæremoniæ neque orationes ex opere operato ſine fide proſunt. Quanquam nos hic non de orationibus,ſed proprie de Cœnâ Domini diſputamus.

Græcus Canon etiam multa dicit de oblatione, ſed palam oſtendit ſe non loqui proprie de corpore & ſanguine Domini, ſed de toto cultu, de precibus & gratiam actionibus. Sic enim ait καὶ ποίησον ἡμᾶς ἀξίους γενέσθαι σὲ προσφέρειν σοὶ δέησίς τε ἱκετηρίας καὶ θυσίας ἀναιμάκτους ὑπὲρ παντὸς λαοῦ, Nihil offendit, recte intellectum. Orat enim nos dignos effici,ad offerendas preces, & ſupplicationes & hoſtias incruentas pro populo.Nam ipſas preces vocat hoſtias incruẽtas,Sicut & paulo poſt ἔτι προσφέρομεν σοὶ τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν. Offerimus, inquit, hunc rationalem & incruentum cultum.Inepte enim exponunt,qui hic rationalem hoſtiam malunt interpretari,& transferunt ad ipſum corpus Chriſti,cum Canon loquatur de toto cultu,& λογικὴ λατρεία à Paulo dicta ſit, contra opus operatum, videlicet,de cultu mẽtis,de timore,de fide,de invocatione,de gratiarũ actione,&c.

gitized by Google

Quod vero defendunt adverſarij noſtri applicationem cæremoniæ pro liberandis animabus defunctorum, qua ex re quæſtum infinitum faciunt, nulla habent teſtimonia, nullum mandatum ex ſcripturis. Neq; vero eſt leve peccatum tales cultus ſine mandato Dei, ſine exemplo Scripturæ, in Eccleſia inſtituere, & cœnam Domini inſtitutam ad recordationem & prædicationem inter vivos transferre ad mortuos, Hoc eſt abuti nomine Dei contra ſecundum Præceptum. Primum enim contumelia eſt Evangelii, ſentire quod cæremonia ex opere operato ſine fide ſit ſacrificium, reconcilians Deum, & ſatisfaciens pro peccatis. Horribilis oratio eſt, tantundem tribuere operi ſacerdotis, quantum morti Chriſti. Deinde peccatum & mors non poſſunt vinci niſi fide in Chriſtum, ſicut Paulus docet, Iuſtificati ex fide pacem habemus. Quare non poteſt vinci pœna purgatorij, applicatione alieni operis. Rom. 5.

Omittemus jam qualia habeant adverſarii teſtimonia de purgatorio, quales exiſtimẽt pœnas eſſe purgatorii, quales habeat cauſas doctrina ſatisfactionum, quam ſupra oſtendimus vaniſſimam eſſe. Illud tantum opponemus, Certum eſt Cœnam Domini inſtitutam eſſe propter remiſſionem culpæ. Offert enim remiſſionem peccatorum, ubi neceſſe eſt vere culpam intelligere, Et tamen pro culpa non ſatisfacit, alioqui Miſſa eſſet par morti Chriſti. Nec remiſſio culpæ accipi poteſt aliter, niſi fide. Igitur Miſſa non eſt ſatisfactio, Sed promiſſio & Sacramentum requirens fidem. Ac profecto neceſſe eſt omnes pios acerbiſſimo dolore affici, ſi cogitent Miſſam magna ex parte ad mortuos & ad ſatisfactiones pro pœnis translatam eſſe, Hoc eſt tollere juge ſacrificium ex Eccleſia, Hoc eſt Antiochi regnum, qui ſaluberrimas promiſſiones de remiſſione culpæ, de fide, tranſtulit ad vaniſſimas opiniones de ſatisfactionibus, Hoc eſt Evangelium contaminare, corrumpere uſum Sacramentorum. Hi ſunt quos Paulus dixit reos eſſe corporis & ſanguinis Domini, qui oppreſſerunt doctrinam de fide, & remiſſionem culpæ, & corpus & ſanguinem Domini ad ſacrilegum quæſtum prætextu ſatisfactionum contulerunt, & hujus ſacrilegij pœnas aliquando dabunt. Quare cavendum eſt nobis & omnibus piis conſcientiis, ne approbent adverſariorum abuſus. 1. Cor. 11.

Sed redeamus ad cauſam. Cum Miſſa non ſit ſatisfactio, nec pro pœna, nec pro culpa, ex opere operato, ſine fide, Sequitur applicationem pro mortuis inutilem eſſe. Neque hic opus eſt longiore diſputatione. Conſtat enim quod illæ applicationes pro mortuis nulla habeant ex Scripturis teſtimonia, Nec tutum eſt in Eccleſia cultus inſtituere ſine autoritate ſcripturæ. Et, ſi quando opus erit prolixius de tota re dicemus. Quid enim nunc rixemur cum adverſarijs, qui neq; quid ſacrificium, neq; quid Sacramentum, neq; quid remiſſio peccatorum, neq; quid ſit fides, intelligunt.

Nec Græcus Canon applicat oblationem tanquam ſatisfactionem pro mortuis, qui applicat eam pariter beatis omnibus Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis. Apparet igitur Græcos tanquam gratiarum actionem offerre, non applicare tanquam ſatisfactionem pro pœnis, Quanquam etiam loquuntur non de ſola oblatione corporis & ſanguinis Domini, Sed dẽ reliquis Miſſæ partibus, videlicet, orationibus & gratiarum actionibus. Nam poſt conſecrationem precantur, ut ſumentibus proſit, non loquuntur de alijs, Deinde addunt ἔτι προσφέρομεν σοὶ τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων πατέρων, πατέρων, πατριάρχων, προφητῶν, ἀποστόλων &c. At λογικὴ λατρεία non ſignificat ipſam hoſtiam, Sed orationes & omnia, quæ ibi geruntur.

Quod vero allegant adverſarij Patres de oblatione pro mortuis, ſcimus veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus, ſed applicationem cœnæ Domini pro mortuis ex opere operato improbamus. Nec patrocinantur adverſariis veteres de opere operato, Et, ut maxime Gregorij aut recentiorum teſtimonia habeant, nos opponimus clariſſimas & certiſſimas ſcripturas. Et Patrum magna diſſimilitudo eſt, Homines erant & labi ac decipi poterant, Quanquam

quam ſi nunc reviviſcerent ac viderent ſua dicta prætexi luculentis illis mendacijs, quæ docent adverſarij de opere operato, longe aliter ſe ipſi interpretarentur.

Falſo etiam citant adverſarij contra nos damnationem Atrij, quem dicunt propterea damnatum eſſe, quod negaverit in Miſſa oblationem fieri pro vivis & mortuis. Sæpe hoc colore utuntur, allegant veteres hæreſes, & cum his falſo comparant noſtram cauſam, ut illa collatione prægravent nos. Epiphanius teſtatur Acrium ſenſiſſe, quod orationes pro mortuis ſint inutiles, Id reprehendit. Neq; nos Aerio patrocinamur, ſed vobiſcum litigamus, qui hæreſin manifeſte pugnantem cum Prophetis, Apoſtolis, & ſanctis Patribus ſceleſte defenditis, videlicet, quod Miſſa ex opere operato juſtificet, quod mereatur remiſſionem culpæ & pœnæ, etiam injuſtis, pro quibus applicatur, ſi non ponant obicem. Hos pernicioſos errores improbamus, qui lædunt gloriam paſſionis Chriſti, & penitus obruunt doctrinam de juſticia fidei. Similis fuit perſuaſio impiorum, in lege, quod mererentur remiſſionem peccatorum per ſacrificia ex opere operato, non acciperent gratis per fidem. Itaq; augebant illos cultus & ſacrificia, inſtituebant cultum Baal in Iſrael, in Iuda etiam ſacrificabant in lucis. Quare Prophetæ damnata illa perſuaſione, belligerantur non ſolum cum cultoribus Baal, ſed etiam cum alijs ſacerdotibus, qui ſacrificia à Deo ordinata cum illa opinione impia faciebant.

Verum hæret in mundo hæc perſuaſio, & hærebit ſemper, quod cultus & ſacrificia ſint propitiationes, Non ferunt homines carnales ſoli ſacrificio Chriſti tribui hunc honorem, quod ſit propitiatio, Quia juſticiam fidei non intelligunt, ſed parem honorem tribuunt reliquis cultibus & ſacrificijs. Sicut igitur in Iuda hæſit apud impios Pontifices falſa perſuaſio de ſacrificijs, ſicut in Iſrael Baalitici cultus duraverunt, Et tamen erat ibi Eccleſia Dei, quæ impios cultus improbabat, Ita hæret in regno Pontificio cultus Baaliticus, hoc eſt, abuſus Miſſæ, quam applicant, ut per eam mereantur injuſtis remiſſionem culpæ & pœnæ. Et videtur hic Baaliticus cultus una cum regno Pontificio duraturus eſſe donec veniet Chriſtus ad judicandum, & gloria adventus ſui perdet regnum Antichriſti. Interim omnes, qui vere credunt Evangelio, debent improbare illos impios cultus excogitatos contra mandatum Dei, ad obſcurandam gloriã Chriſti, & juſticiam fidei.

Hæc de Miſſa breviter diximus, ut omnes boni viri ubiq; gentium intelligere queant, nos ſummo ſtudio dignitatem Miſſæ tueri, & verum uſum oſtendere, & juſtiſſimas habere cauſas, quare ab adverſarijs diſſentiamus, Ac volumus admonitos eſſe omnes bonos viros, ne adjuvent adverſarios defendentes prophanationem Miſſæ, ne gravent ſe ſocietate alieni peccati. Magna cauſa, magna res eſt, nec inferior illo negocio Eliæ Prophetæ, qui cultũ Baal improbabat. Nos modeſtiſſime cauſam tantam propoſuimus, & nunc ſine contumelia reſpondimus. Quod ſi commoverint nos adverſarij, ut omnia genera abuſuum Miſſæ colligamus, non tam clementer erit agenda cauſa.

DE VOTIS MONASTICIS.

APud nos in oppido Turingiæ Iſenaco Franciſcanus quidam fuit ante annos triginta, Iohannes Hilten, qui à ſuo ſodalitio conjectus eſt in carcerem, propterea quod quoſdam notiſſimos abuſus reprehenderat. Vidimus enim ejus ſcripta, ex quibus ſatis intelligi poteſt, quale fuerit ipſius doctrinæ genus, Et qui norunt eum, teſtantur fuiſſe ſenem placidum, & ſine moroſitate gravem. Is multa prædixit, quæ partim evenerunt hactenus, partim jam videntur impendere, quæ non volumus recitare, ne quis interpretetur ea, aut odio cujuſquam aut in gratiam alicujus narrari. Sed poſtremo cum vel propter ætatem, vel propter ſqualorem carceris in morbum incidiſſet, accerſivit ad ſe Guardianum, ut ſuam valetudinem illi indicaret, cumque Guardianus accenſus odio Phariſaico, duriter ob-

jurgare hominem propter doctrinæ genus, quod videbatur officere culinæ, cœpiſſet, tum iſte omiſſa jam mentione valetudinis ingemiſcens inquit, ſe has injurias æquo animo propter Chriſtum tolerare, cum quidem nihil ſcripſiſſet aut docuiſſet quod labefactare ſtatum Monachorum poſſet, tantum notos quoſdam abuſus reprehendiſſet, Sed alius quidam, inquit, veniet anno Domini M. D. XVI. qui deſtruet vos, nec poteritis ei reſiſtere. Hanc ipſam ſententiam de inclinatione regni Monachorum, & hunc annorum numerum, poſtea etiam repererunt ejus amici perſcriptum ab ipſo in commentarijs ſuis, inter annotationes, quas reliquerat in certos locos Danielis.

Quanquam autem quantum huic voci tribuendum ſit, eventus docebit, tamen extant alia ſigna, quæ minantur mutationem regno Monachorum, non minus certa, quam oracula. Conſtat enim quantum ſit in Monaſterijs hypocriſis, ambitionis, avariciæ, quanta inſcitia, & indoctiſſimi cujusq; fævitia, quanta vanitas in concionibus, in excogitandis ſubinde novis aucupiis pecuniæ, Et ſunt alia vitia, quæ non libet commemorare. Cumque fuerint olim Scholæ doctrinæ Chriſtianæ, nunc degeneraverunt velut ab aureo genere in ferreum, ſeu ut cubus Platonicus in malas harmonias degenerat, quas Plato ait exitium afferre. Locupletiſſima quæq; Monaſteria tantum alunt ocioſam turbam, quæ ibi falſo prætextu religionis helluatur de publicis Eleemoſynis Eccleſiæ. Chriſtus autem admonet de ſale inſipido, quod ſoleat effundi, & conculcari. Quare ipſi ſibi Monachi his moribus fata canunt, Et accedit nunc aliud ſignum, quod paſſim autores ſunt interficiendorum bonorum virorum. Has cædes Deus haud dubie brevi ulciſcetur, Neq; vero accuſamus omnes. Arbitramur enim paſſim aliquos viros bonos in Monaſteriis eſſe, qui de humanis cultibus moderate ſentiunt, nec probant fævitiam, quam exercent hypocritæ apud ipſos.

Sed de genere doctrinæ diſputamus, quod nunc defendunt Architecti confutationis, non Vtrum vota ſervanda ſint, Sentimus enim licita vota ſervari debere, ſed Vtrum cultus illi mereantur remiſſionem peccatorum & juſtificationem, Vtrũ ſint ſatisfactiones pro peccatis, Vtrum ſint pares Baptiſmo, Vtrum ſint obſervatio præceptorum & conſiliorum, Vtrum ſint perfectio Evangelica, Vtrum habeant merita ſupererogationis, Vtrum merita illa applicata aliis ſalvent eos, Vtrum ſint licita vota his opinionibus facta, Vtrum licita ſint vota, quæ prætextu religionis tantum ventris & ocii cauſa ſuſcepta ſunt, Vtrum vere ſint vota, quæ ſunt extorta aut invitis, aut his, qui per ætatem nondum judicare poterant de genere vitæ, quos parentes & amici intruſerunt in Monaſteria, ut de publico alerentur, ſine patrimonii privati jactura, Vtrum licita ſint vota, quæ palam vergunt ad malam exitum, vel quia propter imbecillitatem non ſervantur, vel quia hi, qui ſunt in illis ſodalitiis, coguntur abuſus Miſſarum, impios cultus ſanctorum, conſilia fæviendi in bonos viros, approbare & adjuvare.

De his quæſtionibus diſputamus, Et cum nos in confeſſione plæraq; diximus de ejuſmodi votis, quæ etiam Canones Pontificum improbant, tamen adverſarii jubent omnia, quæ produximus, rejicere. His enim verbis uſi ſunt, Ac operæ precium eſt audire, quomodo cavillentur noſtras rationes, & quid afferant ad muniendam ſuam cauſam. Ideo breviter percurremus pauca quædam argumenta noſtra, & diluemus in his obiter cavillationes adverſariorum. Cum autem hæc tota cauſa diligenter & copioſe à Luthero tractata ſit, in libro, cui titulum fecit, De votis Monaſticis, volumus hic librum illum pro repetito habere.

Primum hoc certiſſimum eſt, non eſſe licitum votum, quo ſentit is, qui vovet, ſe mereri remiſſionem peccatorum coram Deo, aut ſatisfacere pro peccatis coram Deo. Nam hæc opinio eſt manifeſta contumelia Evangelii, quod docet nobis gratis donari remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, ut ſupra copioſe dictum eſt. Recte igitur citavimus Pauli locum ad Galatas, Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis. Qui quærunt remiſſionem

peccato-

peccatorum, non fide in Chriſtum, ſed operibus Monaſticis, detrahunt de honore Chriſti, & iterum crucifigunt Chriſtum. Audite autem, audite quomodo hic elabantur Architecti confutationis, Pauli locum tantum de lege Moiſi exponunt, & addunt Monachos omnia propter Chriſtum obſervave, & conari propius ſecundum Evangelium vivere, ut mereantur vitam æternam, Et addunt horribilem epilogum, his verbis, Quare impia ſunt, quæ hic contra Monaſticen allegantur. O Chriſte, quamdiu feres has contumelias, quibus Evangelium tuum afficiunt hoſtes noſtri.

Diximus in confeſſione remiſſionem peccatorum gratis accipi, propter Chriſtum per fidem. Si hæc non eſt ipſa Evangelij vox, ſi non eſt ſententia Patris æterni, quam tu, qui es in ſinu Patris, revelaſti mundo, jure plectimur. Sed tua mors teſtis eſt, tua reſurrectio teſtis eſt, Spiritus ſanctus teſtis eſt, tota Eccleſia tua teſtis eſt, vere hanc eſſe Evangelij ſententiam, quod conſequamur remiſſionem peccatorum, non propter merita, ſed propter te, per fidem. Paulus cum negat homines lege Moiſi mereri remiſſionem peccatorum, multo magis detrahit hanc laudem traditionibus humanis. Idq; aperte ad Coloſſenſes teſtatur. Si lex Moiſi, quæ erat divinitus revelata, non merebatur remiſſionem peccatorum, quanto minus iſtæ fatuæ obſervationes, abhorrentes à civili conſuetudine vitæ, merentur remiſſionem peccatorum.

Adverſarij fingunt Paulum abolere legem Moiſi, & Chriſtum ita ſuccedere, ut non gratis donet remiſſionem peccatorum, Sed propter opera aliarum legum, ſi quæ nunc excogitentur. Hac impia & fanatica imaginatione obruunt beneficium Chriſti. Deinde fingunt inter hos, qui obſervant illam legem Chriſti, Monachos propius obſervare, quam alios, propter hypocriſin paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis, cum quidem omnia ſint plena ſimulationis. Paupertatem jactant in ſumma copia rerum omnium, obedientiam jactant, cum nullum genus hominum libertatem habeat majorem, quam Monachi. De cœlibatu non libet dicere, qui quam purus ſit in pleriſq;, qui ſtudent continere, Gerſon indicat, Et quotus quisq; continere ſtudet. Scilicet hac ſimulatione propius ſecundum Evangelium vivunt Monachi, Chriſtus non ita ſuccedit Moiſi, ut propter noſtra opera remittat peccata, ſed ut ſua merita, ſuam propitiationem opponat iræ Dei pro nobis, ut gratis nobis ignoſcatur. Qui vero præter Chriſti propitiationem propria merita opponit iræ Dei, & propter propria merita conſequi remiſſionem peccatorum conatur, ſive afferat opera legis Moſaicæ, ſive Decalogi, ſive Regulæ Benedicti, ſive regulæ Auguſtini, ſive aliarum Regularum, is abolet promiſſionem Chriſti, abjecit Chriſtum, & excidit gratia. Hæc eſt Pauli ſententia.

Vide antem, Carole Cæſer Imperator clementiſſime, videte Principes, videte omnes Ordines, quanta ſit impudentia adverſariorum, cum Pauli locum in hanc ſententiam citaverimus, ipſi adſcripſerunt, Impia ſunt, quæ hic contra Monaſticam allegantur. Quid eſt autem certius, quam quod remiſſionem peccatorum conſequuntur homines fide, propter Chriſtum? Et hanc ſententiam audent iſti nebulones impiam vocare. Nihil dubitamus, quin ſi admoniti fuiſſetis de hoc loco, eximi è confutatione tantam blaſphemiam curaſſetis. Cum autem ſupra copioſe oſtenſum ſit, impiam opinionem eſſe, quod propter opera noſtra conſequamur remiſſionem peccatorum, breviores in hoc loco erimus. Facile enim inde prudens lector ratiocinari poterit, quod non mereamur remiſſionem peccatorum per opera Monaſtica. Itaq; & illa blaſphemia nullo modo ferenda eſt, quæ apud Thomam legitur, profeſſionem Monaſticam parem eſſe baptiſmo. Furor eſt, humanam traditionem, quæ neq; mandatum Dei, neq; promiſſionem habet, æquare ordinationi Chriſti, quæ habet & mandatum & promiſſionem Dei, quæ continet pactum gratiæ, & vitæ æternæ.

3. 2.

Secundo, Obedientia, paupertas, & cœlibatus, ſi tamen non ſit impurus, exercitia

exercitia ſunt ἀδιάφορα. Ideoq; ſancti uti eis ſine impietate poſſunt, ſicut uſi ſunt Bernardus, Franciſcus, & alii Sancti viri. Et hi uſi ſunt propter utilitatem corporalem, ut expeditiores eſſent ad docendum, & ad alia pia officia, non quod opera ipſa per ſe ſint cultus, qui juſtificent, aut mereantur vitam æternam, Deniq; ſunt ex illo genere, de quo Paulus ait, Corporalis exercitatio parumper utilis eſt. 1. Tim. 4. Et credibile eſt alicubi nunc quoque eſſe bonos viros in Monaſterijs, qui ſerviunt miniſterio Verbi, qui illis obſervationibus ſine impiis opinionibus utuntur. At ſentire, quod illæ obſervationes ſint cultus, propter quos coram Deo juſti reputentur, & per quos mereantur vitam æternam, hoc pugnat cum Evangelio de juſticia fidei, quod docet, quod propter Chriſtum donetur nobis juſticia & vita æterna, Pugnat & cum dicto Chriſti, Fruſtra colunt me mandatis hominum, Pugnat & cum hac ſententia, Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Quomodo autem poſſunt affirmare quod ſint cultus quos Deus approbet, tanquam juſticiam coram ipſo, cum nullum habeant teſtimonium verbi Dei. *Matth. 19.* *Rom. 14.*

Sed videte impudentiam adverſariorum. Non ſolum docent, quod obſervationes illæ ſint cultus juſtificantes, ſed addunt perfectiores eſſe cultus, hoc eſt, magis merentes remiſſionem peccatorum & juſtificationem, quam ſint alia vitæ genera. Et hic concurrunt multæ falſæ ac pernicioſæ opiniones, fingunt ſe ſervare præcepta & conſilia, Poſtea homines liberales, cum ſomnient ſe habere merita ſupererogationis, vendunt hæc alijs. Hæc omnia plena ſunt Phariſaicæ vanitatis. Extrema enim impietas eſt, ſentire, quod Decalogo ita ſatisfaciant, ut ſuperſint merita, Cum hæc præcepta omnes ſanctos accuſent, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Item, Non concupiſcas. Propheta ait, Omnis homo mendax, id eſt, non recte de Deo ſentiens, non ſatis timens, non ſatis credens Deo, quare falſo gloriantur Monachi, in obſervatione Monaſticæ vitæ præceptis ſatisfieri, ac pluſquam præcepta fieri. *Pſal. 115.*

Deinde falſum & hoc eſt, quod obſervationes Monaſticæ ſint opera conſiliorum Evangelij. Nam Evangelium non conſulit diſcrimina veſtitus, ciborum, abdicationem rerum propriarum. Hæ ſunt traditiones humanæ, de quibus omnibus dictum eſt, Eſca non commendat Deo. Quare neque cultus juſtificantes ſunt, neq; perfectio, Imo cum his titulis fucatæ proponuntur, ſunt meræ doctrinæ dæmoniorum. Virginitas ſuadetur, ſed his, qui donum habent, ut ſupra dictum eſt. Error eſt autem pernicioſiſſimus ſentire, quod perfectio Evangelica ſit in traditionibus humanis, Nam ita etiam Mahometiſtarum Monachi gloriari poſſent, ſe habere perfectionem Evangelicam, Neq; eſt in obſervatione aliorum, quæ dicuntur ἀδιάφορα, ſed quia regnum Dei eſt juſticia & vita in cordibus, ideo perfectio eſt, creſcere timorem Dei, fiduciam miſericordiæ promiſſæ in Chriſto, & curam obediendi vocationi, ſicut & Paulus deſcribit perfectionem, transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu. Non ait, alium ſubinde cucullum accipimus, aut alios calceos, aut alia cingula. Miſerabile eſt in Eccleſia tales Phariſaicas imo Mahometicas voces legi atq; audiri, videlicet perfectionem Evangelij, regni Chriſti, quod eſt vita æterna, in his ſtultis obſervationibus veſtium, & ſimilium nugarum collocari. 1. Cor. 8. 2. Cor. 3.

Nunc audite Areopagitas noſtros, quam indignam ſententiam poſuerint in confutatione, Sic ajunt, SACRIS LITERIS EXPRESSVM eſt, Monaſticam vitam, debita obſervatione cuſtoditam, quam per gratiam Dei quilibet Monaſtici cuſtodire poſſunt, mereri vitam æternam, & quidem multo auctiorem Chriſtus eis promiſit, qui reliquerint domum aut fratres &c. Hæc ſunt verba adverſariorum, in quibus hoc primum impudentiſſime dicitur, quod ſacris literis expreſſum ſit, vitam Monaſticam mereri vitam æternam. Vbi enim loquuntur ſacræ literæ de Monaſtica? Sic agunt cauſam adverſarij, ſic citant ſcripturas nihili homines, cum nemo neſciat Monaſticam recens excogitatam eſſe, tamen allegant autoritatem ſcripturæ, & quidem dicunt hoc ſuum decretum expreſſum eſſe in ſcripturis.

pturis. Præterea contumelia afficiunt Chriſtum, cum dicunt homines per Monaſticam mereri vitã æternam. Deus ne ſuæ quidem legi hunc honorem tribuit,
Ezech. 20. quod mereatur vitam æternam, ſicut clare dicit apud Ezechielem Cap. 20. Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.

Primum hoc certum eſt, quod vita Monaſtica non meretur remiſſionem peccatorum, ſed hanc fide gratis accipimus, ut ſupra dictum eſt. Deinde propter Chriſtum, per miſericordiam donatur vita æterna his, qui fide accipiunt remiſſionem, nec opponunt merita ſua judicio Dei, ſicut & Bernardus graviſſime dicit, Neceſſe eſt primo omnium credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei, Deinde quod nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe, Poſtremo quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa. Cætera quæ in eandem ſententiam ſequuntur, ſupra recitavimus. Addit autem in fine Bernardus, Nemo ſe ſeducat, quia ſi bene cogitare voluerit, inveniet procul dubio, quod nec cum decem millibus poſſit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe. Cum autem nec divinæ legis operibus mereamur remiſſionem peccatorum aut vitam æternam, ſed neceſſe ſit quærere miſericordiam promiſſam in Chriſto, multo minus obſervationibus Monaſticis, cum ſint meræ traditiones humanæ, tribuendus eſt hic honor, quod mereantur remiſſionem peccatorum aut vitam æternam.

Ita ſimpliciter obruunt Evangelium de gratuita remiſſione peccatorum, & de apprehendenda miſericordia promiſſa in Chriſto, qui docent Monaſticam vitam mereri remiſſionem peccatorum, aut vitam æternam, & fiduciam debitam Chriſto transferunt in illas ſtultas obſervationes. Pro Chriſto colunt ſuos cucullos, ſuas ſordes. Cum autem & ipſi egeant miſericordia, impie faciunt, quod fingunt merita ſupererogationis, eaq; aliis vendunt. Brevius de his rebus dicimus. Quia ex his quæ ſupra de juſtificatione, de pœnitentia, de traditionibus humanis diximus, ſatis conſtat, vota Monaſtica non eſſe precium, propter quod detur remiſſio peccatorum & vita æterna. Et cum Chriſtus vocet traditiones cultus inutiles, nullo modo ſunt perfectio Evangelica.

Verum adverſarij videri volunt aſtute moderari vulgarem perſuaſionem de perfectione, Negant Monaſticam vitam perfectionem eſſe, ſed dicunt ſtatum eſſe acquirendæ perfectionis. Belle dictum eſt, & meminimus hanc correctionem extare apud Gerſonem. Apparet enim prudentes viros offenſos immodicis illis encomijs vitæ Monaſticæ, cum non auderent in totum detrahere ei laudem perfectionis, addidiſſe hanc ἐπιείκειαν, quod ſit ſtatus acquirendæ perfectionis. Hoc ſi ſequimur, nihilo magis erit Monaſtica ſtatus perfectionis, quam vita agricolæ aut fabri. Nam hi quoq; ſunt ſtatus acquirendæ perfectionis. Omnes enim homines in quacunq; vocatione perfectionem expetere debent, hoc eſt, creſcere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi & ſimilibus virtutibus ſpiritualibus. Extant in hiſtorijs Eremitarum exempla, Antonij & aliorum, quæ exæquant genera vitæ. Scribitur Antonio petenti, ut Deus ſibi oſtenderet, quantum in hoc vitæ genere proficeret, quendam in urbe Alexandria Sutorem monſtratum eſſe, per ſomnium, cui compararetur. Poſtridie Antonius veniens in urbem, accedit ad ſutorem, exploraturus illius exercitia & dona, collocutus cum homine, nihil audit, niſi mane eum pro univerſa civitate paucis verbis orare, deinde arti ſuæ operam dare. Hic intellexit Antonius non eſſe juſtificationem tribuendam illi vitæ generi, quod ſuſceperat.

Sed adverſarij, etſi nunc moderantur laudes de perfectione, tamen aliter re ipſa ſentiunt. Vendunt enim merita, & applicant pro alijs hoc prætextu, quod obſervent præcepta & conſilia, quare reipſa ſentiunt ſibi ſupereſſe merita. Quid eſt autem arrogare ſibi perfectionem, ſi hoc non eſt? Deinde in ipſa confutatione poſitum eſt, quod Monaſtici contendant propius ſecundum Evangelium vivere. Tribuit igitur perfectionem traditionibus humanis, ſi ideo propius

ſecundum

ſecundum Evangelium vivunt Monachi, quia non habent proprium, quia ſunt cœlibes, quia obediunt Regulæ in veſtitu, cibis, & ſimilibus nugis.

Item confutatio dicit, Monachos mereri vitam æternam auctiorem, & allegat Scripturam, Qui reliquerit domum, &c. ſcilicet hic quoq; perfectionem arrogat factitiis religionibus, Sed hic locus Scripturæ nihil facit ad vitam Monaſticam. Non enim hoc vult Chriſtus, quod deſerere parentes, conjugem, fratres, ſit opus ideo faciendum, quia mereatur remiſſionem peccatorum & vitam æternam, Imo maledicta eſt illa deſertio. Fit enim cum contumelia Chriſti, ſi quis ideo deſerat parentes, aut conjugem, ut hoc ipſo opere mereatur remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Duplex autem deſertio eſt, quædam fit ſine vocatione, ſine mandato Dei, hanc non probat Chriſtus, Nam opera à nobis electa ſunt inutiles cultus. Clarius autem hinc apparet, Chriſtum non probare hanc fugam, quia loquitur de deſerenda uxore, & liberis. Scimus autem quod mandatum Dei prohibet deſerere uxorem & liberos. Alia deſertio eſt, quæ fit mandato Dei, videlicet cum cogit nos poteſtas aut Tyrannis cedere, aut negare Evangelium, Hic habemus mandatum, ut potius ſuſtineamus injuriam, potius eripi nobis patiamur, non ſolum facultates, conjugem, liberos, ſed vitam quoque. Luca 14.

Hanc deſertionem probat Chriſtus, ideoque addit, propter Evangelium, ut ſignificet ſe de his loqui, non qui faciunt injuriam uxori, & liberis ſed qui propter confeſſionem Evangelij ſuſtinent injuriam. Corpus noſtrum etiam deſerere debemus propter Evangelium. Hic ridiculum fuerit ſentire, quod cultus Dei ſit, ſeipſum occidere & relinquere corpus ſine mandato Dei. Ita ridiculum eſt ſentire quod cultus Dei ſit, deſerere poſſeſſiones, amicos, conjugem, liberos, ſine mandato Dei. Conſtat igitur male detorqueri dictum Chriſti ad vitam Monaſticam, Niſi fortaſſis hoc quadrat, quod centuplum in hac vita recipiunt. Plurimi enim fiunt Monachi non propter Evangelium, ſed propter culinam & ocium, qui pro exiguis patrimoniis inveniunt ampliſſimas opes. Sed ut tota res Monaſtica ſimulationis plena eſt, ita falſo prætextu teſtimonia ſcripturæ citant, ut dupliciter peccent, hoc eſt, ut fallant homines, & fallant prætextu nominis divini.

Citatur & alius locus de perfectione, Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus & veni, & ſequere me. Hic locus exercuit multos, qui finxerunt perfectionem eſſe poſſeſſiones ac dominia rerum abjicere. Sinamus Philoſophos Ariſtippum prædicare, qui magnum auri pondus abjecit in mare, Talia exempla nihil pertinent ad Chriſtianam perfectionem. Rerum diviſio, dominia, & poſſeſſio, ſunt ordinationes civiles approbatæ verbo Dei, in præcepto, Non furtum facies. Deſertio facultatum non habet mandatum, aut conſilium in Scripturis. Nam Evangelica paupertas non eſt deſertio rerum, ſed non eſſe avarum, non confidere opibus, ſicut David pauper erat, in ditiſſimo regno. Quare cum deſertio facultatum ſit mere traditio humana, eſt inutilis cultus. Et immodica ſunt illa Encomia in extravagante, quæ ait, abdicationem proprietatis omnium rerum, propter Deum, meritoriam & ſanctam, & viam pefectionis eſſe, Et periculoſiſſimum eſt, rem pugnantem cum civili conſuetudine talibus immoderatis laudibus efferre. Matth 19.

At Chriſtus hic perfectionem vocat. Imo injuriam faciunt textui, qui truncatum allegant. Perfectio eſt in hoc, quod addit Chriſtus, ſequere me, Exemplum obedientiæ in vocatione propoſitum eſt, Et quia vocationes diſſimiles ſunt, ita hæc vocatio non eſt omnium, ſed proprie ad illam perſonam, cum qua ibi loquitur Chriſtus, pertinet, ſicut vocatio David ad Regnum, Abraham ad mactandum filium non ſunt nobis imitandæ, Vocationes ſunt perſonales, ſicut negocia ipſa variant temporibus & perſonis, Sed exemplum obedientiæ eſt generale. Perfectio erat futura illi juveni, ſi huic vocationi credidiſſet & obediviſſet. Ita perfectio nobis eſt, obedire unumquemque vera fide ſuæ vocationi.

Tertio,

Tertio, In votis Monaſticis promittitur caſtitas. Supra autem diximus de conjugio Sacerdotum, non poſſe votis aut legibus tolli jus naturæ in hominibus. Et quia non omnes habent donum continentiæ, multi propter imbecillitatem infeliciter continent. Neq; vero ulla vota, aut ullæ leges, poſſunt abolere mandatum Spiritus ſancti, Propter fornicationem unuſquiſque habeat uxorem ſuam. 1. Cor. 7. Quare hoc votum non eſt licitum in his, qui non habent donum continentiæ, ſed propter imbecillitatem contaminantur. De hoc totò loco ſatis ſupra dictum eſt, in quo profecto mirum eſt, cum verſentur ob oculos pericula & ſcandala, tamen adverſarios defendere ſuas traditiones, contra manifeſtum Dei præceptum, Nec commovet eos vox Chriſti, qui objurgat Phariſæos, qui traditiones contra mandatum Dei fecerant.

Quarto, Liberant hos, qui vivunt in Monaſterijs, impij cultus, quales ſunt prophanatio Miſſæ ad quæſtum collatæ pro mortuis, cultus Sanctorum, in quibus duplex vitium eſt, & quod ſancti in locum Chriſti ſurrogantur, & impie coluntur, ſicut finxerunt Dominicaſtri Roſarium B. Virginis, quod eſt mera βαττολογία non minus ſtulta, quam impia, vaniſſimam fiduciam alens. Deinde hæ ipſæ impietates tantum conferuntur ad quæſtum. Item Evangelium de gratuita remiſſione peccatorum propter Chriſtum, de juſticia fidei, de vera pœnitentia, de operibus, quæ habent mandatum Dei, neq; audiunt, neq; docent, Sed verſantur aut in Philoſophicis diſputationibus, aut in traditionibus cæremoniarum, quæ obſcurant Chriſtum.

Non hic dicemus de illo toto cultu cæremoniarum, de lectionibus, cantu, & ſimilibus rebus, quæ poterant tolerari, ſi haberentur pro exercitijs, ſicut lectiones in Scholis, quarum finis eſt docere audientes, & inter docendum aliquos commovere ad timorem, aut fidem. Sed nunc fingunt has cæremonias eſſe cultus Dei, qui mereantur remiſſionem peccatorum ipſis & alijs, Ideo enim augent has cæremonias. Quod ſi ſuſciperent ad docendos, & adhortandos auditores, breves & accuratæ lectiones plus prodeſſent, quam illæ infinitæ βαττολογίαι. Ita tota vita Monaſtica plena eſt hypocriſi & falſis opinionibus. Ad hæc omnia accedit & hoc periculum, quod qui ſunt in illis collegijs coguntur aſſentiri perſequentibus veritatem. Multæ igitur graves & magnæ rationes ſunt, quæ liberant bonos viros ab hoc vitæ genere.

Poſtremo multos liberant ipſi Canones, qui aut illecti artibus Monachorum ſine judicio voverunt, aut coacti ab amicis voverunt, Talia vota ne Canones quidem pronunciant eſſe vota. Ex his omnibus apparet plurimas eſſe cauſas, quæ docent vota Monaſtica, qualia hactenus facta ſunt, non eſſe vota, Quare tuto deſeri poteſt vitæ genus plenum hypocriſis & falſarum opinionum.

Hic objiciunt ex lege Nazareos, Sed hi non ſuſcipiebant vota ſua cum his opinionibus, quas hactenus diximus nos reprehendere in votis Monachorum. Nazareorum ritus erat exercitium, aut proteſtatio fidei coram hominibus, non merebatur remiſſionem peccatorum coram Deo, non juſtificabat coram Deo. Deinde ſicut nunc circumciſio, aut mactatio victimarum non eſſet cultus, ita nec ritus Nazareorum, nunc debet proponi tanquam cultus, ſed debet judicari ſimpliciter ἀδιάφορον. Non igitur recte confertur Monachatus ſine verbo Dei excogitatus, ut ſit cultus, qui mereatur remiſſionem peccatorum, & juſtificationem, cum ritu Nazareorum, qui habebat verbum Dei, nec traditus erat in hoc, ut mereretur remiſſionem peccatorum, ſed ut eſſet exercitium externum, ſicut aliæ cæremoniæ legis. Idem de alijs votis in lege traditis dici poteſt.

Allegantur & Rechabitæ, qui nec poſſeſſiones habebant ullas, nec vinum bibebant, ut ſcribit Ieremias Cap. 35. Scilicet pulchre quadrat exemplum Rechabitarum ad Monachos noſtros, quorum Monaſteria ſuperant palatia Regum, qui lautiſſime vivunt. Et Rechabitæ in illa omnium rerum penuria, tamen erant conjuges, Noſtri Monachi cum affluant omnibus delitijs, profitentur cœlibatum.

Jer. 35.

tum. Cæterum exempla juxta regulam, hoc eſt, juxta ſcripturas certas & claras, non contra regulam, ſeu contra ſcripturas interpretari convenit. Certum autem eſt autem obſervationes noſtras non mereri remiſſionem peccatorum, aut juſtificationem.

Quare cum laudantur Rechabitæ, neceſſe eſt eos morem ſuum, non ideo ſervaſſe, quod ſentirent ſe per eum mereri remiſſionem peccatorum, aut opus ipſum cultum eſſe juſtificantem, aut propter quem conſequerentur vitam æternam, non per miſericordiam Dei, propter Semen promiſſum, Sed quia habuerunt mandatum parentum, laudatur obedientia, de qua extat Præceptum Dei, Honora patrem & matrem. Deinde, mos habebat finem proprium, quia peregrini erant, non Iſraelitæ, apparet patrem voluiſſe eos certis notis diſcernere à ſuis popularibus, ne relaberentur ad impietatem popularium. Volebat his notis eos admonere doctrinæ fidei, & immortalitatis. Talis finis eſt licitus, At fines Monaſticæ longe alij traduntur. Fingunt opera Monaſtices cultus eſſe, fingunt ea mereri remiſſionẽ peccatorum ac juſtificationem. Eſt igitur diſſimile Monaſticæ exemplum Rechabitarum, ut omittamus hic alia incommoda, quæ hærent in præſenti Monaſtica.

Citant & ex priore ad Timotheum. Cap. 5. de viduis, quæ ſervientes Eccleſiæ, alebantur de publico, ubi ait, Nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Primum hic fingamus Apoſtolum de votis loqui, tamen hic locus non patrocinabitur Monaſticis votis, quæ fiunt de impijs cultibus, & hac opinione, ut mereantur remiſſionem peccatorum, & juſtificationem. Paulus enim tota voce damnat omnes cultus, omnes leges, omnia opera, ſi ita obſerventur, ut mereantur remiſſionem pecatorum, aut, ut propter ea conſequamur vitam æternam, non propter Chriſtum per miſericordiam. Ideo neceſſe eſt vota viduarum, ſi qua fuerunt, diſſimilia fuiſſe votis Monaſticis. Præterea, ſi non deſinant adverſarij detorquere locum ad vota, detorquendum erit eodem hoc quoq; quod vetat eligi viduam minorem annis ſexaginta. Ita vota ante eam ætatem facta erunt irrita. Sed nondum norat Eccleſia hæc vota. Itaq; damnat Paulus viduas, non quia nubunt, Iubet enim nubere juniores, ſed quia publico ſumptu alitæ laſciviebant, ideoq; fidem abjiciebant. Hoc vocat primam fidem, ſcilicet, non voti Monaſtici, ſed Chriſtianiſmi. Et hoc modo fidem accipit in eodem Cap. Si quis proprios, & maxime domeſticos non curat, fidem abnegavit. Aliter enim de fide loquitur quam Sophiſtæ, Non tribuit fidem his, qui habent peccatum mortale. Ideo dicit hos abjicere fidem, qui non curant propinquos. Et ad eundem modum dicit mulierculas petulantes fidem abjicere. 1. Tim. 5.

Percurrimus aliquot noſtras rationes & obiter diluimus ea, quæ adverſarij objiciunt, Et hæc collegimus non ſolum propter adverſarios, ſed multo magis propter pias mentes, ut habeant in conſpectu cauſas, quare improbare debeant hypocriſin & fictos cultus Monacticos, quos quidem totos hæc una vox Chriſti abrogat, cum ait, Fruſtra colunt me mandatis hominum. Quare vota ipſa, & obſervationes ciborum, lectionum, cantuum, veſtitus, calceorum, cingulorum, inutiles cultus ſunt coram Deo. Et certo ſciant omnes piæ mentes, ſimpliciter Phariſaicam & damnatam opinionem eſſe, quod illæ obſervationes mereantur remiſſionem peccatorum, quod propter eas juſti reputemur, quod propter eas conſequantur vitam æternam, non per miſericordiam propter Chriſtum. Et neceſſe eſt ſanctos viros, qui in his vitæ generibus vixerunt, abjecta fiducia talium obſervationum, didiciſſe, quod remiſſionem peccatorum propter Chriſtum gratis haberent, quod propter Chriſtum per miſericordiam conſecuturi eſſent vitam æternam, non propter illos cultus, quod Deus tantum approbet cultus ſuo verbo inſtitutos, qui valeant in fide. Matth. 15.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Vehe-

VEhementer hic vociferantur adverſarij de privilegijs & immunitatibus Eccleſiaſtici ſtatus, Et addunt Epilogum, Irrita ſunt omnia, quæ in præſenti articulo contra immunitatem Eccleſiarum & Sacerdotum inferuntur. Hæc eſt mera calumnia, Nos enim de rebus alijs in hoc articulo diſputavimus. Cæterum ſæpe teſtati ſumus, nos politicas ordinationes, & donationes Principum & privilegia non reprehendere. Sed utinam viciſſim audirent adverſarij querelas Eccleſiarum & piarum mentium. Dignitates & opes ſuas fortiter tuentur adverſarij, Interim ſtatum Eccleſiarum negligunt, non curant recte doceri Eccleſias, & Sacramenta rite tractari, Ad Sacerdotium admittunt quoslibet ſine diſcrimine. Poſtea imponunt onera intolerabilia, quaſi delectentur exitio aliorum, ſuas traditiones longe accuratius ſervari poſtulant, quam Evangelium. Nunc in graviſſimis & difficillimis controverſijs, de quibus populus miſere cupit doceri, ut habeat aliquid certi, quod ſequatur, non expediunt mentes, quas dubitatio acerbiſſime cruciat, tantum conclamant ad arma. Præterea in rebus manifeſtis decreta ſanguine ſcripta proponunt, quæ minantur horrenda ſupplicia hominibus, niſi manifeſtē contra mandata Dei faciant. Hic viciſſim oportebat vos videre lachrymas miſerorum, & audire miſerabiles querelas multorum bonorum hominum, quas haud dubie reſpicit, & exaudit Deus, cui aliquando rationem procurationis veſtræ reddituri eſtis.

Cum autem nos in confeſſione, in hoc articulo, varios locos complexi ſimus, adverſarij nihil reſpondent, niſi Epiſcopos habere poteſtatem regiminis & cohercitivæ correctionis, ad dirigendum ſubditos in finem beatitudinis æternæ, Et ad poteſtatem regiminis, requiri poteſtatem judicandi, definiendi, diſcernendi, & ſtatuendi ea, quæ ad præfatum finem expediunt aut conducunt. Hæc ſunt verba confutationis, in quibus docent nos adverſarij, quod Epiſcopi habeant autoritatem condendi leges utiles ad conſequendam vitam æternam. De hoc articulo controverſia eſt.

Oportet autem in Eccleſia retinere hanc doctrinam, quod gratis propter Chriſtum fide accipiamus remiſſionem peccatorum, Oportet & hanc doctrinam retineri, quod humanæ traditiones, ſint inutiles cultus, Quare nec peccatum, nec juſticia in cibo, potu, veſtitu, & ſimilibus rebus collocanda eſt, quarum uſum voluit Chriſtus liberum relinqui, cum ait, Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Et Paulus, Regnum Dei non eſt eſca, aut potus. Itaq; nullum habent jus Epiſcopi condendi traditiones extra Evangelium, ut mereantur remiſſionem peccatorum, ut ſint cultus, quos approbet Deus tanquam juſticiam, & qui gravent conſcientias, ita ut peccatum ſit eos omittere. Hæc omnia docet vel unus Locus in Actis, ubi Apoſtoli dicunt, Fide purificari corda, Et deinde prohibent imponere jugum, & oſtendunt quantum periculi ſit, exaggerant peccatum iſtorum, qui onerant Eccleſiam, Quid tentatis Deum, inquiunt?

Matth. 15. Rom. 14. Act. 15.

Hoc fulmine nihil terrentur adverſarij noſtri, qui vi defendunt traditiones & impias opiniones. Nam & ſupra damnaverunt articulum XV. in quo poſuimus quod traditiones non mereantur remiſſionem peccatorum, & hic dicunt traditiones conducere ad vitam æternam. Num merentur remiſſionem peccatorum? num ſunt cultus, quos approbat Deus, tanquam juſticiam, num vivificant corda? Paulus ad Coloſſenſes ideo negat prodeſſe traditiones ad juſticiam æternam & vitam æternam, quia cibus, potus, veſtitus, & ſimilia ſint res uſu pereuntes, At vita æterna in corde, rebus æternis, hoc eſt, verbo Dei & Spiritu ſancto efficitur. Expediant igitur adverſarij, quomodo conducant traditiones ad vitam æternam.

Col. 2.

Cum autem Evangelium clare teſtetur, quod non debeant imponi Eccleſiæ traditiones, ut mereantur remiſſionem peccatorum, ut ſint cultus, quos approbet Deus tanquam juſticiam, ut gravent conſcientias, ita ut omittere eas

Digitized by Google

judicetur esse peccatum, nunquam poterunt adversarij ostendere, quod Episcopi habeant potestatem tales cultus instituendi.

Cæterum quam potestatem tribuat Evangelium Episcopis, diximus in confessione. Qui nunc sunt Episcopi, non faciunt Episcoporum officia juxta Evangelium. Sed sint sane Episcopi juxta politiam Canonicam, quam non reprehendimus, Verum nos de Episcopo loquimur, juxta Evangelium, Et placet nobis vetus partitio potestatis, in potestatem Ordinis & potestatem Iurisdictionis. Habet igitur Episcopus potestatem ordinis, hoc est, ministerium Verbi & Sacramentorum, habet & potestatem Iurisdictionis, hoc est, autoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rursus absolvendi eos, si conversi petant absolutionem. Neque vero habent potestatem tyrannicam, hoc est, sine certa lege, neque regiam, hoc est, supra legem, sed habent certum mandatum, certum verbum Dei, quod docere, juxta quod exercere suam Inrisdictionem debent. Quare non sequitur, etiamsi habeant aliquam Iurisdictionem, quod possint novos cultus instituere, Nam cultus nihil pertinent ad Iurisdictionem, Et habent verbum, habent mandatum, quatenus exercere Iurisdictionem debeant, scilicet, Si quis commiserit adversus illud verbum, quod acceperunt à Christo.

Quanquam nos in confessione addidimus etiam quatenus liceat eis condere traditiones, videlicet, non tanquam necessarios cultus, sed ut sit ordo in Ecclesia propter tranquillitatem. Et hæ non debent laqueos injicere conscientijs, tanquam præcipiant necessarios cultus, sicut Paulus docet, cum ait, In libertate, Gal. 5. qua Christus vos liberavit, state, nec iterum jugo servitutis subjiciamini. Oportet igitur liberum usum talium ordinationum relinqui, modo ut scandala vitentur, ne judicentur esse cultus necessarij, sicut plæraq; ordinaverunt ipsi Apostoli, quæ tempore mutata sunt. Neq; ita tradiderunt ut mutare non liceret. Non enim dissentiebant à suis scriptis, in quibus magnopere laborant, ne Ecclesiam opprimat opinio, quod ritus humani sint necessarij cultus.

Hæc est simplex ratio traditionum interpretandarum, videlicet, ut sciamus eas non esse necessarios cultus, & tamen propter vitanda scandala in loco sine superstitione observemus. Et sic multi docti & magni viri in Ecclesia senserunt, Nec videmus quid opponi possit. Certum est enim sententiam illam, Qui Luc. 10. vos audit, me audit, non loqui de traditionibus, sed maxime contra traditiones facere. Non est enim mandatum cum libera, ut vocant, sed cautio de rato, de speciali mandato, hoc est, testimonium datum Apostolis, ut eis de alieno verbo, non de proprio credamus. Vult enim Christus nos confirmare, quemadmodum opus erat, ut sciremus Verbum traditum per homines efficax esse, nec quærendum esse aliud verbum de cœlo. De traditionibus non potest accipi, Qui vos audit, me audit. Requirit enim Christus, ut ita doceant, ut ipse audiatur, quia dicit, Me audit. Igitur suam vocem, suum Verbum vult audiri, non traditiones humanas, Ita dictum, quod maxime pro nobis facit, & gravissimam consolationem & doctrinam continet, detorquent isti asini ad res nugacissimas, discrimina ciborum, vestitus, & similia.

Citant & hoc. Obedite præpositis vestris, Hæc sententia requirit obedientiam erga Evangelium. Non enim constituit regnum Episcopis extra Evange- Heb. 13. Gal. 1. lium, Nec debent Episcopi traditiones contra Evangelium condere, aut traditiones suas contra Evangelium interpretari. Idq; cum faciunt, obedientia prohibetur, juxta illud, Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Idem respondemus ad hunc locum, Quicquid dixerint, facite, quod con- Matt. 23. stet, non universaliter præcipi, ut omnia recipiamus, Quia alibi jubet scriptura plus obedire Deo, quam hominibus. Quando igitur impia docent non sunt audiendi. Hæc autem impia sunt, quod traditiones humanæ sint cultus Dei, quod sint necessarij cultus, quod mereantur remissionem peccatorum & vitam æternam.

Objiciunt & scandala publica, & motus, qui exorti sunt prætextu nostræ doctrinæ.

doctrinæ. Ad hæc breviter respondemus, Primum, Constat Dei beneficio Principes nostros habere obedientem populum in suis ditionibus, Et hoc ipsum doctrinæ genus, quod sequimur, quia amplissimis laudibus ornat autoritatem magistratuum, auget reverentiam erga eos, Ea res etiam plurimum conducit ad tranquillitatem retinendam. Deinde si conferantur in unum scandala omnia, tamen hi duo articuli, videlicet, Quod gratis consequamur remissionem peccatorum, propter Christum per fidem, & quod justi propter Christum reputemur fide, non propter nostram impletionem legis, Et alter, Quod magistratus, leges, & tota politia sint ordinationes divinæ, quibus Christianus sancte uti potest, tantum habent boni ut incommoda omnia obruant. Nullam enim firmam cõsolationem pavidæ conscientiæ habere possunt adversus iram Dei, nisi cognito altero articulo. Alter articulus valde munit tranquillitatem rerum publicarum.

Porro quam perniciosis opinionibus ante hæc tempora, utrumq; doctrinæ genus oppressum fuerit, nemo ignorat, & libri adversariorum testantur, qui nusquam fidei mentionem faciunt, cum de remissione peccatorum loquuntur, Nusquam docent de dignitate rerum civilium, Nusquam docent quomodo Evangelium tradat justiciam æternam, Interim in vita corporali velit nos uti politicis legibus ac moribus. Hæ res patefactæ initio favorem conciliaverunt Luthero, non solum apud nos, sed etiam apud multos, qui nunc atrocissime nos oppugnant; *παλαιὰ γὰρ ἐυδὲν χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοὶ*, inquit Pindarus. Iam si qui tumultus extiterunt, jure conferri culpa potest in adversarios, qui primum injusta condemnatione Lutheri Schisma excitarunt, & Ecclesias dissipaverunt, Et nunc miram sævitiam exercent in viros bonos & pia docentes, Irritant hominum animos & alijs modis, quos hic non libet recitare.

Neq; vero adeo ferrei, adeo sine sensu sumus, ut offensiones publicæ nihil perturbent nos, Sed meminimus à Christo dictum esse, Beatus, qui in me non
Luc. 7. fuerit scandalizatus. Hoc enim agit Diabolus, tum ut opprimat, tum ut deformet Evangelium infinitis modis, Alibi tyrannos contra Evangelij professores inflammat, alibi bella, alibi seditiones, alibi hæreses excitat, ut reddat invisum hoc doctrinæ genus, quod videtur occasionem præbere talibus motibus. Ac vero prudentibus viris facilius est sua pericula negligere, quam illa scandala publicorum motuum, Verum adversus hæc quoq; oportet Christianam mentem præmunitam esse, ne propter ea verbum Dei abjiciat.

Quanquam autem non delectat nos comparatio, tamen quia adversarij hac criminatione prægravant nos, non sunt dissimulanda ipsorum vitia, Quantum mali est apud adversarios in sacrilega prophanatione Missarum? Quantum turpitudinis habet cœlibatus eorum? Cultus Sanctorum plenus apud eos est manifesta Idolatria. Nihil ne scandali est in ambitione pontificum, qui iam annis amplius quadringentis belligerantur cum nostris Imperatoribus, Plærunq; in Italia, interdum etiam in ipsa Germania, ubi inter se Filium & Patrem, cognatos ac cives commiserunt. Quod si bellorum istorum causæ requirantur ex historijs, nihil invenietur dignum Pontificibus, dicemus enim moderatissime. Quantum est mali, quod in ordinandis sacerdotibus non deligunt idoneos? Quid in mercatu sacerdotiorũ? Itẽ in periculosis dispensationibus nihil ne est vitij? Sed hæc vitia utcunq; condonari possent, si tamen conservassent purã doctrinam in Ecclesijs. Hæc vero quomodo contaminata sit impijs opinionibus ac traditionibus, testantur Canonistarũ scripta, testantur libri Theologorum, pleni disputationũ prophanarũ, quæ partim sunt inutiles ad pietatẽ, partim etiam dissidẽt ab Evangelio. Deinde in interpretatione scripturæ ludunt & comminiscuntur, quicquid libet.

Hæc doctrinæ confusio præcipuum est scandalum, & maxime perniciosum, de quo præcipue queritur Iohannes in Apocalypsi, cum describit Pontificium regnum. Quid cum ventum est ad Monachorum superstitiones, quæ fuerunt infinitæ, quantum ibi est pernicioſarum offensionum? qualis fuit applicatio

meritorum, ſi cadaveri circumdaretur cucullus? &c. Porro nihilne ſcandali eſt, quod hoc tempore manifeſtam veritatem Evangelij opprimere conantur? quod crudeliter occidunt bonos viros pia docentes, quod prohibent ne rebus cognitis ſanentur ambigentes conſcientiæ, quod Reges hortantur ad crudele latrocinium. Scilicet hæc non ſunt ſcandala judicanda, ſed mera κατορθώματα Pontificia. Neq; vero libet nobis hic quicquam pro magnitudine rerum exaggerare, ne quis delectari nos iſta commemoratione putet, quam extorſerunt nobis invitis ſcriptores confutationis. Nam hæc cauſa non ex hominum moribus, aut ex fortuna, ſed ex verbo Dei judicari debet, quod utinam adhiberent in conſilium omnes, qui de his controverſijs pronunciant.

Iterum autem hic dicendum eſt, quod ſæpe jam diximus, Nos maxime cupidi ſumus publicæ concordiæ, pacisq;, quam certe Chriſtianos maxime inter ſe colere decet. Deinde inviti diſſentimus ab optimo Imperatore, quem non ſolum propter Imperij faſtigium, ſed etiam propter virtutes vere heroicas, quibus cognovimus eum præditum eſſe, veneramur, ſed adverſarij non patiuntur coire concordiam niſi hac lege, ut nos aſſentiamur condemnantibus manifeſtam veritatem Evangelij, & Eccleſiæ neceſſariam, Id facere non poſſumus. Oportet enim Deo magis obedire, quam hominibus. Quare adverſarij rationem Schiſmatis reddituri ſunt Deo, qui Eccleſias nova & inuſitata ſævitia diſſipant. Neq; dubium eſt, quin hæc ſævitia mutationem aliquam rebus publicis allatura ſit? Hæc pro tempore reſpondimus ad confutationem, ac judicium pijs omnibus permittimus, utra pars recte ſentiat. Et offerimus nos, noſtram ſententiam de ſingulis locis, Siquid alicubi deſideratur, copioſius declaraturos eſſe.

IN CANTICA CANTICORUM, BREVIS ENARRATIO D. MARTINI LVTHERI, EX EIVS PRÆLECTIONIBVS à M. Vito Theodoro Nurenbergenſi collecta.

Anno M. D. XXXVIII.

PRÆFATIO D. MARTINI LUTHERI, IN CANTICA CANTICORVM.

Argumentum libri.

IN hoc Canticum Regis Salomonis multi varias, eaſq; inpeſtivas & prodigioſas interpretationes commenti ſunt, Verum ut quam ſimpliciſſimus & germanus hujus Libri ſenſus quæratur, exiſtimo eſſe ejuſmodi Canticum, in quo Salomon laudibus Deum celebret, eiq; pro conſtituto & confirmato divinitus Regno ac Politia ſua gratias agat, & oret pro ejuſdem Regni ſui conſervatione & propagatione, ſimulq; conſoletur incolas & cives ejuſdem Regni, ut in tentationibus & rebus adverſis bono animo ſint, & Deo confidant, qui defendere & liberare perpetuo ſoleat ſuos, ad ſe clamantes &c. Quemadmodum autem Moſes Exod. 15. Canticum ſuum de illo opere, quod tum fiebat in mari rubro, compoſuit, & omnia Cantica, quæ in ſacris literis extant, ad ſuorum temporum Hiſtorias directa ſunt. quale eſt Canticum Debora, Iudi. 5. Item Hanna 1. Reg. 2. & pleraq; alia, Et major etiam pars Pſalmorum, exceptis illis, qui Prophetias de Chriſto continent. Ita haud dubie & Salomon Canticum illud ſcripſit, de Regno & Politia ſua, quod benignitate Dei, in pulcherrima ac latiſſima pace, ac ſumma tranquillitate adminiſtravit, Sicut iſta omnia ex ipſo textu patebunt.

Iudi. 5.

1. Reg. 2.

Porro

Digitized by Google

Porro cum omne Regnum, Principatus seu Politia, Verbum & verum cultum Dei habens, multa incommoda cogatur ferre, hoc est, ludibrium & abominatio esse toti Mundo, in medio hostium versari, ac singulis horis, velut ovis mactationi destinata, mortem expectare, merito tale Regnum seu Politia populus Dei vocatur, omniq; jure potest hoc Canticum & Politiam Salomonis, velut exemplum, sibi proponere, & ad eundem modum Deum laudare, in Deo gloriari, lætari, ac misericordiam & potentiam ejus divinam, qua tuetur suos contra Diaboli insidias & mundi tyrannidem, admirari, & prædicare. Quemadmodum enim Psalmis Davidis & Prophetarum scriptis utimur, velut Exemplis, etiamsi non simus David nec Prophetæ, Quia vero cum ipsis eadem & communia bona, hoc est, idem Verbum, Spiritum, Fidem, Beatitudinem, habemus, eadem pericula & afflictiones propter verbum Dei sustinemus, merito etiam voces & sermones ipsorum nobis usurpamus, laudantes & canentes, sicut ipsi laudaverunt & cecinerunt. Sic qualibet Politia, in qua est Ecclesia, & Princeps pius, potest hoc Cantico Salomonis non aliter uti, ac si de sua ditione seu politia compositum esset.

Canticum & politiam Salomonis quilibet pius magistratus imitari potest.

Atque hoc modo fit existo Cantico Canticorum, quod Salomon de sua Politia tantum cecinit, communis quædam Cantio, pro omnibus Politijs, quæ sunt Populus Dei, hoc est, quæ verbum Dei habent & reverenter colunt & agnoscunt, ac vere credunt potestatem Magistratuum à Deo constitutam & ordinatam esse, per quam conservet Deus pacem, justiciam & disciplinam, sontes puniat, innocentes defendat &c. Pro his tantis beneficijs Deum cum gratiarum actione laudant & prædicant. Deinde pij Magistratus & Politiæ, non ponant spem aut fiduciam ullam in opibus, potentia, sapientia, & alijs humanis præsidijs, quæ nec firma nec diuturna sunt, sed consolantur, admonent, & excitant sese, ut in omnibus afflictionibus & periculis ad Deum confugiant, eiq; confidant, tanquam vero & unico auxiliatori & Salvatori, qui nusquam deserit populum suum, persecutionem patientem propter Nomen & Verbum suum. Nam certum est, populum pietatis studiosum, & amantem verbi, semper obnoxium esse multis malis, quibus à Diabolo & mundo premitur.

Hinc̃, appellatur hæc Cantio, Canticum Canticorum, Quia de rebus summis ac maximis agit, nempe de Magistratibus divinitus ordinatis, seu de populo Dei. Non de privata aliqua Historia, sicut alia Cantiones in sacris literis, sed de toto ac durabili aliquo Regno, seu populo, in quo Deus assidue multa & ingentia miracula edit, ac potentiam suam ostendit, conservando & tuendo illum, adversus omnes insultus Diaboli & mundi. Ad hæc canit de his tantis rebus non vulgaribus verbis, quibus vulgo utuntur homines, sed magnificis & figuratis verbis illustrat & exornat res suas, ita ut vulgus eas audiens, intelligat longe diversum quiddam agi. Sicut enim Reges & Principes solent, meditantur & canunt amatoria carmina, quæ vulgus accipit de sponsa aut amica cantata, cum tamen politia & populi sui statum his depingant. Quemadmodum Thewerdanck fecit, qui Maximiliana Sponsam Ehrentreich conjungit, Aut si de venationibus loquuntur, significare volunt hoc sermone, hostem fusum ac fugatum, ac se victoria potitos esse. Vt cum dicunt, Aper est confossus, Fera capta, & id genus alia.

Cur appellatur Canticum Canticorum.

Quæ forma tractationis sit usus Salomon in hoc cantico.

Ad eundem modum fecit Salomon in hoc suo Cantico, utitur magnificis, & Rege tanto dignis verbis, in rebus suis describendis, Constituit Deum Sponsum, & populum suum Sponsam, atque ita canit, quantopere Deus populum illum diligat, quot & quantis beneficijs eum afficiat & cumulet, Denique ea benignitate & clementia eundem complectatur ac foveat, qua nullus unquam Sponsus Sponsam suam complexus est ac fovit. Orditur itaque ac loquitur in persona totius populi, velut Sponsa Dei.

Deus Sponsus Ecclesiæ Sponsa.

HVnc librum suscepimus enarrandum, Non studio ostentandæ eruditionis, sicut quidam qui omnem operam ponunt in obscuros Libros, quod scilicet & a laudem ingenij faciat, ausum esse ea attingere, quæ alij propter obscuritatem fugiunt, & in obscuris cuique liberum sit divinare, ac speculationibus seu propriis cogitationibus indulgere, Sed ut, repulsis ineptis opinionibus, quibus hactenus libellus hic obscuratus est, aliam commodiorem sententiam ostenderemus, utilem ad vitam & ad beneficia Dei recte inspicienda.

Cur hunc librum enarrandum susceperit.

Finis ſcripturæ, &c.

Scimus enim hunc totius Scripturæ eſſe finem, ut doceat, arguat, emendet, ac adjuſticiam inſtituat, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum, Sicut Paulus dicit 2. Tim. 3. Hunc finem qui non reſpiciunt, etſi opinionem eruditionis divinationibus ſuis apud imperitos comparant, Tamen verum ſuccum Scripturæ non norunt. Nec diſſimilis ea eruditio eſt, corporibus quæ hydrope infectæ ſunt, Ea tumore immodico inflata, ſpeciem ſucci habent, ſed qui totus corruptus & vitioſus eſt. Quare nos referimus inter enarrandum cogitationes noſtras eo, ut hic quoque liber, tum doctrina ad vitam utili, tum conſolationibus nos erudiat. Neq; enim unquam aſſentiemur iis, qui putant eſſe amatorium Carmen, de filia Pharaonis à Salomone adamata. Neq; hoc placet, ut exponamus de conjunctione Dei & Synagogæ, Aut ſicut Tropologiſtæ, de anima fideli. Ex his enim ſententijs, quid quaſo fructus poteſt percipi? Etſi igitur in tanta Scriptorum varietate hic liber adhuc in obſcuro ſit poſitus, Nos tamen inſiſtentes novam viam à ſumma ſententia non aberrabimus, etſi alicubi fortaſſe in partibus errare poſſumus. Mea igitur ſententia hæc eſt. 1. Tim. 3.

Inepte aliorum enarrationes reprehenſæ.

Libri Salomonis tres.

EXtant tres libri Salomonis in ſcriptura ſancta. Primus, Proverbiorum, maxima ex parte eſt Oeconomicus, & communia vitæ hujus ac morum præcepta proponit. Nonce modo, quæ gentilium Philoſophi, Sed ubiq; aſperſa graviore doctrina de fide & timore Dei, quam Gentes non viderunt. Secundus liber, Eccleſiaſtes, eſt politicus, qui non in genere ſolum omnes, ſed Magiſtratum maxime docet, ut ſcilicet timeat Deum is, qui alijs præeſt, & ſtrenue faciat ea, quæ præmanibus ſunt, neq; ſe vel rei difficultate, vel ingratitudine hominum frangi ſinat, quo minus ſuum officium faciat. Tertius eſt præſens liber, qui inſcribitur Canticum Canticorum, Is proprie ad Eccleſiaſten pertinet. Eſt enim Encomium politiæ, quæ temporibus Salomonis in pulcherrima pace floruit. Quemadmodum enim in ſacra ſcriptura, qui ſcripſerunt cantica, de rebus à ſe geſtis, ea ſcripſerunt. Sic Salomon per hoc poëma nobis ſuam politiam commendat, & quaſi Encomium pacis & præſentis ſtatus reipublicæ inſtituit, In quo gratias Deo agit, pro ſummo illo beneficio, pro externa pace, in aliorum exemplum ut ipſi quoque ſic diſcant Deo gratias agere, agnoſcere beneficia ſumma, Et orare, ſi quid minus recte in imperio acciderit, ut corrigatur.

1. *Argumentum Proverbiorum Salomonis.*

2. *Eccleſiaſtæ.*

3. *Cantici Canticorum.*

Habet autem nomen vel à materia, quod de maximo omnium humanorum operum, de Politia ſcilicet agat, vel à Phraſi, quod grandi orationis genere ſit ſcriptum. Eſt enim omnino figuratum poëma, Figuræ autem grandem orationem efficiunt. Orditur itaque ac loquitur in perſona totius populi, velut Sponſæ Dei.

CAPUT I.

Oſculatur me.

Laudat Politiam ſuam, quod habeat verbum Dei.

LOquitur pro more illius populi, Apud nos minus honeſta oſcula habentur. Sunt autem oſcula amoris & favoris ſigna. Sic igitur dicit, Oſculatur me Deus, id eſt, favet huic politiæ, oſculatur eam, omni genere beneficiorum & amoris eam proſequitur. Eſt autem hæc fidei vox, pronunciare regnum, quod in ſpeciem varie affligebatur, Deo curæ eſſe, à Deo amari, diligi. In ſpecie non apparet, quod oſculetur Synagogam, ſed quod lacéret potius & abominetur. Quod autem addit,

Fides aliter, quam ratio judicat.

Oſculo oris ſui.

Præcipuum Politiæ theſaurus verbum, &c.

SIgnificat, quod Deus hunc populum ſuo verbo dignetur. Atque hic quidē theſaurus ille eſt, qui merito primus in Politia jactatur, ſine quo Politia conſiſtere diutius non poteſt. Iactat hoc donum hujus populi Paulus quoq; in Romanis cap. 3. Sunt illis credita oracula Dei. Item Pſal. 147. Qui annunciat verbum ſuum Iacob &c. Non fecit taliter omni Nationi. Verbum enim eſt, quod pios ab impijs diſcernit. Per verbum quoq; fit, ut ſentiamus omnia, quæ habemus, ſive in Politia, ſive in Oeconomia, eſſe dona Dei, & mera divinæ voluntatis & favoris er-

Rom. 3. Pſal. 147.

ris erga nos ſigna. Reliqui licet abundent omnibus bonis, non tamen ea dona Dei eſſe intelligunt. Non igitur poteſt fieri, quin ijs in ſuã perniciem abutantur.

Tua ubera jucundiora ſunt vino.

Vbera pertinent ad doctrinam, qua aluntur animi, ut fiat perfectus homo ad omne opus bonum. Eam comparat vino, cui ſacra ſcriptura tribuit, quod lætificet cor. Ponitur igitur per metaphoram vinum, pro omnibus mundi delicijs & voluptatibus. Et eſt hæc quaſi excellẽtis fidei vox, quod dicit, Ego præfero Verbum tuũ omnibus mundi voluptatibus. Sunt enim omnia referenda ad verbum. *Vbera.* *Vinum.*

Nomen enim tuum oleum effuſum eſt.

Sunt valde ſignificantes figuræ & inſignes. Nomen tuum, id eſt, cognitio tui, eſt ſicut oleum. Nam fundit odorem gratum, & per Verbum latius ſpargitur, Neq; eſt hoc beneficium Verbi in angulo, ſed invulgatur per totam meam ditionem, & ſpargit odorem in vicinos quoq; populos, ſicut unguentum effuſum. *Fructus verbi.*

Vt odorentur optima balſama tua.

Id eſt, ubi Verbum tuum eſt, Ibi ſentiuntur beneficia tua. Pij enim ſciunt per Verbum, quod donis Dei fruantur & abundent. Quod ſi ea auferantur, ſciunt ſe tentari à Deo, & patienter Crucem ferunt.

Ideo Virgines te diligunt.

Eſt Ebraiſmus, quod Civitates appellantur matres & filiæ, Virginem autem Hieruſalem vocat. Eſt igitur ſententia, Per Verbum tuum fit, ut his tantis beneficijs allecti te diligant & ament, qui hinc inde in meo regno pij homines ſunt. Hactenus commendavit Politiam ſuam, propterea quod verbum Dei habeat. Impie igitur à multis nunc externum Verbum contemnitur, qui Spiritum jactant, citra verbum vocale, per diabolicas revelationes, Et tamen nec quid ſpiritus, nec quid verbum ſit norunt. *Ebraeo tropo appellantur Civitates matres & filiæ.*

Trahe me poſt te.

Scire & poſſe duo ſunt. Quando igitur Verbum habemus, non ſtatim poſſumus illud ſequi, ſed detrahunt à Verbo Caro noſtra, Mundus & Satan, Subjicit igitur jam orationem. Dediſti verbum, pro quo tibi gratias ago, Nunc fac, ut etiam faciamus, quæ Verbum docet, & ſequamur id in vita noſtra. Nullum eſt vitæ genus, quod non ſua incommoda habeat, Duc uxorem, ſtatim videbis malorum pelagus, invenies quæ in uxore, quæ in liberis diſpliceant, Cura quoq; ventris exercebit te. Sic qui in imperio ſunt, plurima mala ſentiunt, nuſquam enim Satan ceſſat. Sola igitur oratio reſtat, qua difficultates & ſcopulos illos, in quos impingimus, ſuperemus. Deus enim ideo nos tentat his malis, ut oſtendatur gloria verbi, & magnificetur virtus divina in infirmitate, alioqui non erat locus oſtendendæ gloriæ & miſericordiæ ſuæ. *Oratio.* *Orationem verbo proxima ſubjungit, ne prædicatio fructu careat.* *Deus tentat nos in bonum noſtrum.*

Et curremus.

Eſt Emphaticum, Non dicit ambulabimus ſed curremus. Si tu afflaveris Spiritu tuo, libenter agam Principem, doctorem, maritum, diſcipulum &c. Si non afflaveris, nihil quiſquam, quatumvis magno ſtudio & cura, promovebit, præſertim in Politia. Sicut videmus ſummorum hominum ſapientia everſas, non adjutas, florentiſſimas Reſpublicas eſſe. *Deo aſſiſtente omnia ſuccedunt.*

Rex introduxit me in conclave ſuum.

Alludit ad mores ſponſi & ſponſæ, & figurate oſtendit exauditam Orationem eſſe. Significat enim ſummam benevolentiam Dei erga nos. Deus, inquit, in illis malis, quæ in Republ. ſentio, conſolatur me, oſtendit ſe [illegible] & faventem. Sicut cum ſponſus ſponſam in conclave ducit, non facit in [illegible]odio ſponſæ. Sic exprimit ſummum illum affectum, quam Deus erga orantes habet, quod exaudiat, conſoletur, foveat, augeat donis & virtutibus ſuis, ut unuſquiſque commodius ſuum officium facere poſſit. *Orationem ſequitur exauditio.*

Nunc

Nunc exultabimus & lætabimur in te.

Exauditionem sequitur gratiarum actio.

Exauditam orationem sequitur gratiarum actio. Exultabo, jam, quod non deseris me, sed suscipis me in misericordijs tuis. Est Emphaticũ, quod dicit, in te, Q. d. Extra tuum solatium & auxilium nihil sentitur, nisi labores, molestiæ, impatientia, mœrores, luctus &c.

Memores uberum tuorum plus quam vini.

Memoria. Vinum.

Pertinet ad gratiarum actionem, Id est, Erimus grati, commemorabimus memoriam tuam, quam nos ames, Siquidem ubera tua nobis donas. Memoria enim significat, prædicare, laudare, agere gratias. Vinum, sicut supra, vocat omnia corporalia & carnalia gaudia.

Recte diligunt te.

Curvi.

Recti.

Iam concionem instituit. Ratio superandorum malorum.

Curvi, qui in suum commodum sunt flexi, sic volunt vivere, ut nulla incommoda sentiant, Si quæ autem incidunt, offenduntur & murmurant cum summa impatientia. Contra, recti cum sentiunt difficultates & incommoda, patienter ea ferunt, & orant. Liberati igitur agnoscunt summam Dei erga se benevolentiam, & amorem, Sicq; impensius amant Deum. Iam igitur Salomon instituit concionem, ad docendos curvos illos, ut eodem modo ipsi quoq; discant præsentia mala superare, ferendo scilicet & orando. Sic enim solent tentati & exauditi, alios quoque docent & instituunt, ut Psal. testatur 116. Credidi, propter quod locutus sum. 2 Cor. 4.

DE PROCESSU ET ORDINE TOTIVS LIBRI.

Idea Reipubl: & communis vitæ propositio.

Davidis exemplum.

Respubl.

Canon observandus &c.

POrro hic ordo & processus hujus Cantici est, Quod alternat consolationes, querimonias, orationes, item exhortationes. Sicut enim in Rep. legibus instituta agitur, Imo sicut hæc vita nostra vivitur, Sic etiam ipse in hoc Libro agit, & ideam quandam Reip. & communis vitæ proponit, ubi afflictionem consolatio, consolationem alia afflictio per vices, sicut nox diem, sequitur. Sic in rebuspubl. semper novæ procellæ, novi motus & terrores incidunt, quibus discussis non datur diutius quies, Sed aliæ statim turbæ & calamitates sequũtur. Qui versantur in rebuspubl. testes hujus rei erunt. Sic Davidem principio excipiebat defectio populi, Vix compositum illud malum erat, & ecce aliud tanto gravius, quanto minus expectabatur, incidit. Dilectissimus filius Absalom intesta arma contra patrem movet, Nec satis fuit pepulisse patrem regno, regias Concubinas & Vxores quoque patris constuprat. Sic resp. est ceu periculosa in procelloso mari navigatio.

Quare Salomon subinde consolationes & exhortationes repetit ad animandos præsidum animos, Ne tantis difficultatibus fracti resiliant aut desperent, Sed discant ad hunc modum oratione se erigere, & sperare salutem. Quæ ubi contigerit, rursus sic parandus est animus, ne secuturis malis succumbat. Quemadmodum enim juga montium valles, & noctem dies, Sic perpetuis vicibus afflictionem liberatio, liberationem rursus aliud malum excipit. Quem Canonem si quis observaverit, is bonam partem hujus libri intelligit. Post, si quis id quoq; volet, nullus labor est Allegorias comminisci.

Nigra sum, sed desiderabilis, filiæ Hierusalem.

Monu[illegible], instituere eum post gratiarum actionem Concionem.

Filiæ Hierusalem.

Id est, vos Politiæ & circumjacentia oppida, nolite offendi, si minus omnia succedant.

Sum ni-

Sum nigra.

Quanquam ſim politia, divinitus inſtituta & ornata verbo Dei, Tamen in ſpeciem miſerrima eſſe videor, Nuſquam ſuccedit. pauciſſ. ſunt, qui pacem publicam ament & tueantur. Videor non Politia, ſed quædam ſeditioſorum hominum colluvies eſſe. Nolite hac forma offendi, Figite oculos non in nigredinem, ſed in oſculum, quod mihi Deus offert, & tum videbitis me formoſam & amabilem eſſe. Quanquam enim foris varie ſim vexata, Tamen propter verbum & fidem ſum deſiderabilis. Sic Eccleſia quoque in ſpeciem non deſiderabilis, ſed lacerata eſſe videtur, & miſere afflicta, omniumque opprobrijs expoſita. Eſt autem ea conſolatio noſtra, quod noſtra ſalus in Verbo & in Fide, non in externa ſpecie, eſt ſita.

Exhortatio ne miſera Eccleſia ſpecie offendamur.

Eccleſia in ſpeciem lacerata, &c.

Sicut tabernacula Kedar, & ſicut tabernacula Salomonis.

Tabernacula Kedar, id eſt, Arabum, ſunt vilia & deformia, Contra tabernacula Salomonis, ſunt regia & pulcherrima. Puto igitur ſic ſententiam diſtribuendam, Nigra ſum, ſicut tabernacula Kedar, Videor eſſe ceu multitudo quædam Arabum, qui nullam Politiam habent. Multi enim ſunt in populo meo, qui non credant verbo, Multi quoq; qui magiſtratui non obſequantur. Apparet igitur confuſio potius hominum, quam bene inſtructa Politia eſſe. Sed nihilominus ſum deſiderabilis, ſicut tabernacula Salomonis. Si quis internam ſpeciem conſideret, videbit tamen multos in illa Politia pios homines, qui obediunt & ſunt bona ac fidelia politiæ membra &c.

Tabernacula Kedar.

Nolite me conſiderare, quod fuſca ſum.

Pergit exhortari contra ſcandala, ac monet, Noli me ea parte intueri, qua ſum deformis, Sed fige oculos in formam & venuſtatem meam, contemplare virtutes, non vitia mea. Porro qui hoc novit, ille demum ſe omnium maximam artem didiciſſe & noſſe ſciat. Sic enim ſumus nati, ut plus uno aliquo vitio moveamur, quam reliquis virtutibus omnibus. Sic hodie qui ſapientiſſimi in mundo judicantur, offenduntur multis malis, quæ præter meritum Evangelio imputant. Rurſus quanta bona Evangelij beneficio, tum privatim in hominum animis & conſcientijs, tum publice in Politia & Oeconomia acceperimus, nemo vel pauciſſimi æſtimant. Quod enim quæſo vitæ genus fuit ante Evangelij revelationem, de quo vere potuerint judicare homines? Non maritus, non uxor, non liberi, non magiſtratus, non cives, non ſervi, non ancillæ, norant ſe in tali vitæ genere conſtitutos, quod Deo probaretur. Ideo ad Monachorum opera confugiebant omnes.

Quæ bona per Evangelium contigerunt nobis ore.

Similiter ante datam Evangelij lucem, quæ nam ars recte eſt tradita? Cujus artis uſus recte oſtenſus aut cognitus fuit? Clarum id eſt in puerilibus diſciplinis, Nec grammaticæ, neq; Dialecticæ, nec Rhetoricæ uſus patebat, tantum aberat, ut recte doceri poſſent. Quod ſi hæc in levibus his artibus acciderunt, quanto magis acciderunt in gravioribus artibus. De Theologia res ipſa loquitur, Iuris profeſſores etſi artem & artis uſum quaſi noſſent, tamen quod omnium peſtilentiſſimum erat, pauciſſimi credebant ſe in tali vitæ genere eſſe, quod Deo probaretur, Idem de medicis licet dicere. Hæc tanta incommoda nemo tum conſiderabat, Nunc præſentium bonorum obliti, in mala tantum reſpiciunt ingratiſſimi homines. Merctur autem ſumma hæc ingratitudo, ne tantorum bonorum aſpectu frui poſſimus, Sicut ſcriptum eſt, Non videbit impius gloriam Dei. Pij autem & tanta beneficia Dei vident, & grati pro ijs ſunt.

Status rerum ante revelatum Evangelium.

Ingratitudo.

Iob. 3

Porro debet hic Canon etiam in privata vita diligentiſſime obſervari, Si quis nigredinem ex oculis ſeponat, videbit mundum repletum miſericordia divina, Sicut eſt in Pſal. 107. Quis ſapiens & cuſtodiet hæc, & miſericordias Domini intelliget. Sic in quotidiana hominum converſatione videbis nullum homi-

Canon obſervandus.

Mundus miſericordia Dei plenus.

Pſal. 107.

Bona potius quam mala consideranda.

hominem tam esse malum, quin multas & innumerabiles dotes habeat. Assuefaciendus igitur est animus, ut magis virtutes in singulis admiretur, quam vitijs, si qua sunt, offendatur. Habet aliquis vitia, habet idem suas quoque virtutes necesse est, Neque enim omnibus instrumentis, quæ à natura accepit, abuti potest. Profuerit autem illa ratio ad conservandam cordis pacem. Si enim in vitia tantum & incommoda, quæ quotidie incidunt, oculos figas, necesse est animum impatientia & odio tentari. Cum igitur illa mala, & res illæ mutari non possint, muteris tu, & aliam induas opinionẽ, & retine liberum animũ dissimulatis præsentibus incomodis, Sicut monet optima illa sẽtẽtia, qua in Ecclesiaste sæpe usi sumus, Mitte vadere sicut vadit, quando vult vadere sicut vadit. Præsentia autẽ comoda & beneficia tot, tantaq; sunt, ut pius homo facile præ illis malorum obliviscatur.

Quia decoloravit me sol.

Sol.

Sol significat tribulationem, Sicut judicat Christus in parabola de semine, per solem adusto, Item in Psal. 121. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Dicit igitur, nunc quæso ulla nigredine ne offendamini, nolite mihi eam imputare, Sol me denigravit, Q. d. Vbicunque est Verbum & divina ordinatio, ubicunq; aliqua politiæ est forma, ibi Sol veniet & afferet nigredinem, Hoc est, Diabolus se opponet, ut videatur illud Verbum, illa politia prorsus defectura, Sed nolite offendi, non prævalebit Satan. *Psal. 121.*

Verbum sequitur crux.

Matris meæ filij mihi succensent.

Sic debet in Politia agi, ut non solum multæ tribulationes sint, Sed ut etiam Filij insaniant contra Matrem, hoc est, politiam, cõtra mandatum & verbum Dei. Qui igitur in imperio est, sciat se constitutum super seditiosos cives, quibus nihil deest, nisi occasio commoda movendæ seditionis, Vt qui debebant in administratione esse auxilio, illi hoc unicum agunt, quomodo eam evertant & diripiant. Experti sunt hoc David, Romani, Et hodie credo hanc unicam omnium bonorum Principum esse querelam.

Ecclesiam & politias à filijs lacerari.

Vox bonorum Principum.

Posita sum custos super vineas. Verum vineam meam, quam habebam, non custodivi.

Gravis querela Vineæ.

Est gravis querimonia. Fatetur se jus, potestatem, nomen Regis habere, Sed executio penes alios est, inquit. Vinea est populus. Super istum populum ego sum constitutus rex & princeps, Quid facio? Vineam meam non custodivi. Sic aperte fatetur, non posse humano consilio respubl. teneri, Sed longe minorem esse omnem humanam sapientiam, quam quæ ad tantam rem sustinendam sufficiat. Ratio in promptu est, Sint quantumvis boni, pij, sapientes Principes, non tamen mederi omnibus vitijs possunt. Tanta mundi est malitia, Et illi ipsi, qui in vinea sunt, se opponunt & resistunt, ac nolunt regi. Quid igitur faciendum est? Num ob tantas difficultates & molestias respubl. deserendæ? Non. Sed quantum potest, debet illa nigredo ab oculis removeri, & occupari animus meditatione beneficiorum Dei, quæ in verbo promittit & exhibet quoq;, Deinde exemplo hujus Regis ad orationem confugiendum est.

Humano consilio Respubl. non regitur.

Quid in difficultatibus faciendum.

Indica mihi tu, quem diligit anima mea.

Hæc est oratio, in qua fatetur, sibi deesse sapientiam & vires bene administrandæ reipubl. Sic Dux Saxoniæ Fridericus, ad Staupitium dixit, Minus minusq; se scire, quomodo administret ducatum suum, adeo neminem esse, cui tuto aliquid committere possit. Sic Cicero, post bellum civile hanc vocem indignationis & desperationis plenissimam edidit, O me frustra sapientem putatum. Pij ergò Principes exemplo Salomonis orent & dicant, O Deus creator & gubernator omnium, quem anima mea diligit, indica quo modo vinea mihi commissa sit custodienda, &c.

A Deo petendum, ut sufficiat quæ gubernationi sunt necessaria. Ciceronis vox.

Vbi

Vbi paſcas, ubi quieſcas in meridie.

Deſtitutus ſapientia & viribus ſuis exoptat Deum conſortem Regni. Oſtende mihi ubinam te inveniam, ut una mecum rempublicam adminiſtres. Ego quaſi in nocte & atra caligine in politia verſor, Tu cubas in meridie, utinam mihi ſic in meridie, id eſt, in ſumma pace liceret regere.

* *Vt quid ero ſicut opertus juxta greges ſodalium tuorum.*

* Was hilffts/ daß ich alſo vmbgehe/ vnd zufriß mich mit ſorgen/ die vergebens ſind/ HERR hilff du/ etc.

Opertura erat ſignum mœroris, ſicut involutum caput apud Romanos. Orat igitur, Exime me his moleſtiis, tua ope minue curas, tædia & faſtidia tua præſentia. Da animum, ne deſperem, aut tantis difficultatibus ſuccumbam, Atq; id juxta greges ſodalium tuorum. Sum in inſigni loco, in grege ſodalium tuorum, Sunt adhuc qui Verbo & Spiritu tuo regantur. Propter illos, quæſo, da ſucceſſum & tranquillitatem. Sic in tantis difficultatibus ad orationem redit & ad Verbum.

Si ignoras pulchra inter mulieres.

Conſolatio.

Audivimus querelam qua Magiſtratus queritur de difficultate adminiſtrandi Rempub. quia etiam filiæ matris repugnant. Fingit igitur jam perſonam Sponſi conſolantis eos, qui tantas difficultates & moleſtias ſentiunt, Q. d. Quereris de tua Politia, cum nulla in toto orbe ſit Politia, quæ cum tua conferri poſſit, adeo omnibus ſummis Dei donis abundat, Habes verbum Dei, Prophetas, ſanctos Iudices, ſanctos Reges, Hanc pulchritudinem & formam tuam ignoras? Sed ſic fit, in tentatione omnium donorum obliviſcimur, intenti in præſentem dolorem ſeu affectum. Tentatio enim adeo omnia abſorbet, ut nihil niſi malum videas, ſentias, cogites & expectes. Etiam peritiſſimi ſacrarum literarum, cum tentantur, opus habent eo, qui conſolationem ex ſacris literis afferat, Sic neceſſe eſt in tentatione, ut admoneamur eorum, quæ data ſunt nobis, Sicut Paulus dicit 1. Corinth. 2. Iam quoq; conſilium addit.

In tentatione obliviſcimur bonorum ſuorum.

2. Cor. 2.

Egredere in veſtigiis ovium, & paſce cum hœdis tuis, juxta tabernacula Paſtorum.

Non aliud tibi conſulere poſſum, quam ut egrediaris & paſcas oves tuas, quam ut exerceas adminiſtrationem tuam. Nihil ſolicitus de eo, quod hœdos quoque in grege tuo habeas, id eſt, malos, improbos, inobſequentes, ſeditioſos cives, Nihil morentur te mali. Paſcua enim propter oves ſunt, & Politia eſt inſtitura propter bonos principaliter, Sed quid eſt quod addit in veſtigiis ovium? Nimirum hoc, ut intueatur exempla Majorum ſuorum, qui fuerunt oves Dei, ſanctos Iudices, Reges, Prophetas &c. Vt cum videat illos quoq; varie tentatos, æquius præſentia incommoda ferat. Sic David in Pſal. ſe conſolatur, Memor ero memorabilium tuorum. Sic nulla conſolatio, nullum ſolatium malorum eſt, quam verbum Dei. Quæcunq; enim ſcripta ſunt (inquit Paulus Rom. 15.) in noſtram conſolationem ſunt ſcripta, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Chriſtus cruci affixus, Iohannes decollatus, Moſes vicinus morti, cum jam ſui eum lapidare vellent &c. conſolantur nos, ut æquius feramus tantam Mundi ingratitudinem, ut ſimplici animo noſtrum faciamus officium, & nihil hœdos moremur.

Id eſt, Ad exempla tuorum majorum.

Erige te exemplis majorum tuorum.

Conſolatio verbi.

Pſal. 76.

Rom. 15.

Equitatui meo in curribus Pharaonis, aſſimilavi te mea amica.

Amplificatio conſolationis.

Hæc eſt amplificatio inſtitutæ conſolationis. Sicut autem alia tempora belli, alia pacis ſunt, Sic quoq; hanc amplificationem in duas partes diſtribuit. Hæc prior pars ad tempus afflictionis & crucis referenda eſt. Videris tibi in tribulatione deſerta & victa, Ego autem te aſſimilavi equitatui meo, id eſt, in meo conſpectu es ceu victrix cohors, quæ ad dimicandum eſt inſtructa. Sicut currus Pharaonis omnium potentiſſimi Regis ſunt. Puto ideo Pharaonis factam mentionem, quod is inter omnes, qui Iudæis noti erant, fuerit potentiſſimus Rex.

Digitized by Google

Conſolatio fidei. Eſt conſolatio fidei, quæ non ſentitur, neq; apparet, Nam in ſuo conſpectu Salomonis politia eſt ceu vermis. Quare? Quia impedita & turbata malis, & ſenſu malorum, deſerit Verbum & non reſpicit ſua dona. Si autem Verbum videas, omnia ſunt veriſſima. Eſt igitur ampliſſima promiſſio, quod Deus eam amicam ſuam vocat, Sed non apparet, videtur in ſpeciem potius deſerta à Deo.

Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut inaures, & collum tuum, ſicut monilia.

Tempus pacis. Hæc altera pars eſt amplificationis, quæ pertinet ad tempus pacis. Tum enim ſuppetit nobis verbum Dei, quod in tentatione amittitur, aut ægre retinetur, tum donis Spiritus oblectamur, quæ tempore crucis ſenſu malorum prorſus animo excidunt. Inaures vertimus propterea, quod illa ornamenta ſint pulchro ordine inter ſe diſtincta & diſpoſita. Nomen Ebraicum alioqui lineamenta, ſeu ordines ſignificat Porro inaures & torques ſunt dona Spiritus ſancti in verbo. Ea ornant noſtrum collum, id eſt, verbum eſt in publico uſu, docetur, legitur, auditur, habetur ubique copia divinarum promiſſionum.

Inaures.

Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argenteo.

De Verbi propagatione. Murenulas eſt idem verbum, quod ante inaures vertimus, Significat autem hic ipſum ornatus augmentum, Q. d. augebimus tibi iſtum ornatum, & faciemus tibi ornamenta etiam aurea. Verbum creſcet tibi, ſi id tractaveris. Eſt enim verbum talis theſaurus, qui tractando creſcit & diſtribuendo, ſervando autem perit, Oportet ut ſit in aſſiduo uſu. Quo enim magis docetur, auditur, diſcitur, eo magis & clarius intelligitur. Erunt illa ornamenta non ſolum aurea, ſed diſtincta punctis argenti ſeu vermiculata, id eſt, multiplex & varius verbi eſt uſus. Sic monet, ut ſe in verbo Dei, & exemplis in verbo propoſitis, exerceat, tum fore, ut videat ſe eſſe equitatu inſtructum, Neque moretur hœdos, qui ſunt in grege. Qui credit, ille videt & experitur hæc, Qui non credit, illi tantæ conſolationes ſunt ludus & jocus.

Verbi natura.

Varius uſus verbi.

Adhuc Rex eſt in accubitu ſuo.

Conſolationem ſequitur, quod Politica illa perſona conſolationi credit, quæ ſingularis fidei virtus eſt. Sic enim fere accidit, ut calamitate & præſenti dolore victus animus, non poſſit admittere Verbum, quod diverſa à ſenſu promittit, Fides tamen quantumvis afflicta, reſpicit ad verbum & verbo erigitur. Sic in hoc loco dicitur, Adhuc Rex eſt in accubitu ſuo, Q. d. In tentatione ſentiebam, Deum longiſſime à me receſſiſſe, Quare etiam poſtulabam, ut mihi indicaret, ubinam paſceret. Verum non abiit, eſt præſens atq; in convivio accumbit, id eſt, favet, amat, tuetur, ſervat, Non cogitat quomodo me perdat, affligat, excruciet, ſicut ante in tentatione ſentiebam.

Fides.

Dominus eſt prope omnibus invocantibus eum.

Nardus mea dedit odorem ſuum.

Nardus oratio. Mea oratio ad eum perlata eſt, cum molles eſſent aditus, & adhuc in convivio accumberet. Quare etiam ei placuit, delectavit eum, & exaudita eſt.

Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi. Inter ubera mea commoratur.

Commendatio conſolationis. Addit jam commendationem conſolationis, & amplificat conſolationem ſuavibus figuris. Non eſt procul Deus, ſed in medio noſtrum verſatur, ac in ſinu & complexibus meis eſt, ſicut faſciculus Myrrhæ, Id eſt, favet, protegit, conſolatur &c. In ſumma, Sic erga me eſt affectus, ſicut ſponſus erga ſponſam. Notandum autem quod hæc non ſint ita, ut palpari poſſint, Sed manet hæc conſolatio in figura odoris. Odore tantum ſentiuntur iſta, ut ſignificetur myſterium fidei, Quod ſcilicet Deus verſatur in populo ſuo per odorem, id eſt, per Verbum & nomen ſuum. Magna fides ſit oportet, quæ hæc de Deo credere poteſt. Quod ſit inter ubera, id eſt, proximus & intimus nobis, non iratus &c.

Quomodo Deus inter ſuos verſatur.

Petrus

Botrus Copher, dilectus meus mihi, in vineis Engeddi.

Eſt commendatio figurata conſolationis, quod Deus amet, faveat, protegat, &c. ſicut ſupra. Botrum Copher puto eſſe Balſamum. Idq; hac ratione, quia addit in vineis Engeddi, quæ civitas eſt in tribu Iuda, ad mare mortuum, ubi ſunt horti Balſami. Sic igitur exiſtimo, ipſam arborem antiquitus Copher appellatam, Balſami autem nomen recentius eſſe, à precio inditum, quod omnia reliqua unguenta Balſamum longe ſuperet. *Copher. Balſamum.*

Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra.

A tentatione, ubi conſolatio Verbi animum occupaverit, tum non ſolum ſentimus, quod amet nos & faveat nobis Deus, verum hoc etiam ſentimus, nos placere Deo, nos Deo gratos eſſe, Deum noſtri curam agere. Sic dant mutuum teſtimonium Conſcientia & ſpiritus. Conſcientia ſentit ſe placere Deo, quare laudat Deum. Hanc fidem approbat Spiritus ſanctus & viciſſim nos commendat. Id quod hoc loco vides expreſſum. *Mutuum teſtimonium conſcientiæ & ſpiritus.*

Oculi tui oculi columbarum.

Columba habet ſimplicitatis laudem. Commendat igitur hic ſimplicitatem fidei, quod in tribulatione non variat conſilia, ſicut illi faciunt, qui ſunt ſine verbo, qui non columbinos ſed meretriceos oculos habent, Iam in hæc, jam in illa conſilia vertuntur. Sicut hoc toto tempore vidimus in Evangelij hoſtibus. Fides autem uno eodemq; ſimplici proſpectu in promiſſionibus Dei hæret, & bene ſperat de ſua ſalute in periculis maximis. *Columba. Fides.*

Ecce tu quoque pulcher es, amice mi, & decorus.

Rom. 8. Eſt abundantia conſolationis. Spiritus ſanctus dat teſtimonium in corde, ut certo ſentiamus nos placere Deo, & pulchros eſſe. Fit igitur viciſſim, ut nos quoq; confiteamur, Deum eſſe pulchrum, id eſt, placere nobis &c. Hæc autem pulchritudo non apparet in tempore tribulationis.

Lectulus noſtre floridus, Ligna domorum noſtrarum Cedrina, Laquearia noſtra Cypreſſina.

Sunt omnia allegorica, quibus ſignificat lætitiam, quam ex conſolatione hauſit. In omni Politia ſic fit, quod ad quæcunque pericula videtur dilapſura & peritura. Eum affectum Salomon hic indicat, Q. d. Putabam ante futurum, ut totum regnum corrueret, Videbatur non regnum, non Politia, ſed vetuſtum aliquod ædificium eſſe, quod ad quoſuis ventorum impetus dilaberetur. Verum nunc poſt acceptam conſolationem, video conſtabilitam meam Politiam, perinde ac domum ex Cedro extructam, ex materia, quæ non corrumpitur, ſed longiſſime durat. Video quoque ſic ornatam, ut floridum lectulum. Sic, quemadmodum in tentatione nullus tentationis finis apparet, Ita credentibus conſolationi, perpetuum gaudium fore videtur. Pſal. 30. Sicut in Pſalm. 30. dicit: Dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum. *Amplificatio conſolationis.*

CAPVT II.

PRimum Caput habuit gratiarum actionem, pro conſtituto & egregie ornato regno, Item conſolationem, qua Magiſtratus in civilibus periculis & incommodis uti debet, Cum videt nuſquam ſuccedere, & nonnunquam optima conſilia peſſime cadere. Iubet enim nos exire, & videre exempla Patrum, Nec tantum intueri in mala, quibus premimur, ſed etiam conſiderare bona noſtra, quibus divinitus ornati ſumus &c. *Summa 1. Cap.*

In hoc ſecundo capite, ſequitur deſcriptio alterius cujuſdam tentationis, quod præter iſta domeſtica mala, etiam acerbiſſima mundi odia, populus iſte ſuſti- *Summa 2. Cap.*

Digitized by Google

nuit. Sicut enim in primo capite docuit, ut viri ſimus, qui domeſtica incommoda vincamus, Ita hic docet, quomodo contra mundi odium pius magiſtratus ſe munire debeat.

Querela de periculis.

Ego flos campi, & Lilium convallium.

Hæc querela eſt, in qua proponit periculum. Nam ad antitheſin reſpicit. Flores, qui intra muros & parietes naſcuntur, tuti ſunt ab hominum & beſtiarum inſultu, Sed nos, inquit, ſumus ſicut Roſa in aperto agro, ad quam cuiq; patet aditus. Non nego me florem eſſe, agnoſco donum, Politiæ, quod Deus mihi donavit, Sed utinam flos iſte ſepem habeat. Quis enim pericula omnia enumeraverit, quibus ſumus expoſiti in medio gentium, ceu in aperto agro habitantes.

Flos campi.

Magiſtratus flos campi.

Ad hunc modum Magiſtratum poſſumus vocare florem campi, ob pericula infinita, quibus eſt expoſitus. Lilium convallium vocat florem in inferiore planicie, fortaſſe ut diſtinguat inter magiſtratum ſuperiorem & inferiorem. Nam quod florum diverſa genera ſunt, poteſt quoq; referri, ad diverſitatem donorum in bona repub. Ea hanc conſolationem habet, quod eſt Roſa. Etſi autem coram mundo appareat, quaſi ſit ſine ſepe & incuſtodita, Tamen quamdiu verbum Dei & cultum retinet, eſt circundata & ſepta quadrigis igneis, quos Heliſeus oſtendebat miniſtro. Sicut Daniel quoque oſtendit rerumpub. cuſtodes eſſe angelos. Sed hæc præſidia tantum fideles cernunt. 4. Reg. 6. Dan. 10.

Sicut Lilium inter ſpinas, Sic amica mea inter filias.

Conſolatio.

Hic perſonæ mutatio eſt, Ebræis uſitatiſſima. Superiora enim in populi perſona dicta ſunt, Nunc Dominus loquitur, Q. d. Verum dicis, quod ſis flos agri. Mihi enim flos es, etiamſi videaris eſſe incuſtoditus flos, Sed audi aliquid amplius, Es vere flos inter ſpinas. Sic enim te judico eſſe florem, ut reliquas reſpub. regna reliqua omnia judicem, nihil niſi ſpinas eſſe, natas & paratas ad incendium. Ad hunc modum ſi intelligamus hanc particulam, commode ſubjicitur querelæ conſolatio. Sed hæc conſolatio eſt fidei tantum. Nam ſi ſpeciem ſequaris, gentium Regna, quia quieta ſunt & fortunata, opibus ac claris victoriis ornata, non ſpinæ, ſed pulcherrimæ roſæ eſſe videntur. Econtrà, Politia, in qua Eccleſia eſt, quia varie premitur, videtur in oculis Dei negligi, ſicut ſpinæ. Quare fide ſtatuendum eſt, ſecundum hanc Dei ſententiam, etiam cum contrarium apparet, alias Gentes ſpinas, hunc autem populum, quantumcunq; coram mundo oppreſſum, Roſam eſſe.

Regna gentium videntur Roſa eſſe. Politia, in qua Eccleſia latet, Spinæ.

Quidam ſic interpretantur, ut non ſit conſolatio, ſed confirmatio prioris querelæ. Non ſolum es flos agri, ſed es ſicut Roſa inter ſpinas, quæ undiq; pungitur, ne emergat. Sed mihi conſolatio magis placet. Filias appellat communi tropo, Civitates & populos vicinos gentium.

Sicut malus inter arbores ſylveſtres, ſic dilectus meus.

Hic liber quaſi colloquium inter Deum & Eccleſiam.

Hæc dicuntur in perſona populi. Eſt enim totus Liber, quaſi colloquium inter Deum & populum ſuum, ſeu inter conſcientiam & Verbum. Sententia autem hæc eſt, Sicut tu Deus me habes vnicam Roſam, Sic ego econtrà nullum volo amplecti, colere & timere Deum, quam te. Etſi enim multas ſpecioſas arbores videam, tamen ſola Malus eſt, quæ mihi placet. Malum autem ideo potiſſimum nominat, quia hæc arbor inter fructiferas primam laudem habet.

Malus.

Pius populus Deo Roſa eſt. Deus eſt populo ſuo Malus. Omnia dii ſunt ſterilia ligna &c.

Recte igitur reſpondent hæc inter ſe. Pius populus eſt Deo Roſa, reddimus ei flores, dum prædicamus, oramus, confitemur &c. Econtrà, ipſe eſt ſuo populo fructifica Malus, ex qua paſcitur & omnia commoda habet. Cæteri dij, ſi qui coluntur aut finguntur ab hominibus, ſunt quaſi ſterilia ligna, quæ non ad paſtum, ſed ad ignem pertinent. Dei autem eſt, prodeſſe, alere, defendere, gubernare, ignoſcere, & tandem ſalvare.

Inter

Inter filios.

Simpliciter expone, Inter populos, aut inter ea, quæ coluntur ab hominibus. Sicut Ebræi nomine Filij, latiſſimè utuntur. *Nomen Filij.*

Sub umbra illius, quem deſideravi, ſedi.

Vmbra ſignificat defenſionem, Et ideo hæc figura aptior eſt, quia defenſio piorum videtur plane nulla eſſe, Cum tamen res oſtendat eſſe certiſſimam & firmiſſimam, non ſolum contra mundi pericula, ſed etiam contra portas inferorum. Addit autem hic cauſſam, cur nullam arborem malit, quam malum, quia utrunq; præſtat mihi Deus meus, defendit & alit. Defenſio certa & tutiſſima eſt, Ideo libenter ſedeo ſub hac arbore. Significat autem verbum ſedendi perſeverantiam. Qui hanc Malum non habent, ſicut gentes, hi incerti huc illuc errant, & omnibus Satanæ inſidijs patent. *Vmbra. Defenſio piorum. Cur Malum elegerit.*

Et fructus eius dulcis gutturi meo.

Hoc alterum beneficium eſt, quod de malo hac prædicat, Nempe, quod non ſolum defenditur Politia pij populi à Deo ſuo, ſed etiam, quod omnis generis alia beneficia ab eo accipit. Hæc tum magna ſunt, cum applicantur ab beneficium Verbi, in quo vera alimonia conſiſtit. Quod Scriptura non ſolum conſolationes promiſſionum ſuggerit, ſed etiam varia exempla & hiſtorias, quibus fides in Deum alitur, & confirmatur. Impij nihil ſub arboribus ſuis expectare poſſunt, quam arida folia, Sed noſtra ſolatia ejuſmodi ſunt, ut etiam mortem ſubire non ſit acerbum. *Beneficia verbi.*

Ad hunc modum conſolatur ſe contra pericula, contra odium & iras hominum, favore Dei, & prædicatione gratiæ Dei, Quæ ſumma ars eſt in omnibus tentationibus. Nunc igitur hunc ſenſum faventis gratiæ amplificabit multis verbis, Neq; in re difficultas aliqua eſt, Tropi aliquanto duriores ſunt, & requirunt integrum & ocioſum interpretem, Ego vero ſic diſtrahor negotijs & curis, ut fere nihil ocij relinquatur ad colligendum animum, & tamen via facienda eſt alijs, ut inveniant aptiora.

Deducit me in cellam vinariam.

Non ſolum defendit & alit, ſed etiam implet me gaudio. Vinum enim lætificat cor hominis. Porro lætitia hæc, eſt ſenſus gratiæ divinæ, ad quem revelatio verbi nos revocat. Quidam referunt ad benedictionem temporalem. *Vinum.*

Vexillum ejus erga me Charitas.

Milites in caſtris ex vexillorum ratione ordinantur. Sic inquit, Agnoſco meum vexillum ſub hoc Deo, quod eſt Charitas, ad hanc ſum ordinata. Si quis hic differentiam quærit, poteſt ſuperiora referre ad conſcientiam & pacem cordis, ſeu ad beneficia ſpiritualia, Hoc autem poteſt referre, ab beneficia externa, & politica, quæ Deus ijs confert, qui verbum ſuum habent, & id ſequuntur. Sicut Paulus dicit, 1. Tim. 4. Pietas habet promiſſiones hujus vitæ & futuræ. Item in Pſal. 37. Saturabuntur juſti Pſal. 73. in die famis. *Beneficia eadē, qui verbum habent.*

Eſt autem hoc gratitudinis, etiam hæc corporalia beneficia Deo accepta ferre, Sicut Salomon hic facit. Nam etſi alia quoq; regna habeant opes, potentiam &c. Tamen ſui populi in eo melior conditio eſt, quod ſtatuit ſe eadem habere Dei benignitate. Sic nos quoq; debemus oculos, aures, & omnia alia, quæ habemus agnoſcere, ceu ſumma dona & certiſſima teſtimonia benevolentiæ Dei erga nos. Ideo enim militari figura Salomon utitur. Et hæc beneficia interpretatur Vexillum, ſeu ſignum eſſe ad quod Deus populum ſuum revocet & colligat. Aequiore autem animo poſtea ferimus, cum iterum auferuntur iſta, quod ſentimus ea à Deo donata eſſe, & tantum conceſſa ad uſum, non ad æternam poſſeſſionem. Nunc ad populum vertitur. *Pij tantum referunt Deo accepta corporalia beneficia.*

Digitized by Google

Fulcite me floribus, ſtipate me malis.

Exhortatio ad agnoſcendum Dei beneficia &c.

Conſolatus eſt ſe beneficijs Dei contra odium mundi, & prædicavit ea, Nunc vertitur ad totum populum, & optat, ut idem ſecum faciant, ut diſcant agnoſcere hæc beneficia Dei, & pro ijs agere gratias. Hoc eſt, quod poſtulat afferri ab alijs quoque flores ſeu racemos & poma, & ſe ſuſtentari ac refocillari.

Scandalum infirmitatis.

Reſpicit autem ad ſcandalum, quod mundus ſolet admirari magnificentiam & ſplendorem, Q. d. Offendimini, quod meum regnum videtur longe eſſe infra alia gentilium Regum regna, Sed quæſo videte, ſub cujus umbra ſedeam. Et apparebit tenuitas noſtra major eſſe omnium Gentium potentia & opibus. Nolite igitur illos mirari, Me potius laudate, & agnoſcite hoc Dei donum, quod nos habemus. Sic & me & alios ſuſtentabitis & recreabitis, quos etiam nonnunquam movet ſcandalum infirmitatis.

Quidam exponunt flores, pro miniſtris, qui intelligunt & ornant iſta dona Dei, Sicut Patriarchæ & Prophetæ hoc beneficium regni conſtituti inter Iudæos ſummis laudibus ornant. Sed mihi prior ſententia viſa eſt eſſe ſimplicior.

Quia amore langueo.

Amor juvenilis.

Sumpta eſt ſimilitudo ab amore juvenili, cuj regnum tribuitur, præ alijs affectibus. Hoc ideo, inquit, peto, quia totus amore Dei mei accenſus ſum, ex illa conſideratione beneficiorum ejus, Ideo tantopere opto ab omnibus ea intelligi, & pro ijs agi gratias.

Leva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Amor ſponſi.

Eſt hæc quoque ſimilitudo ſumpta ab amore ſponſi & ſponſæ, qui ſanctus & licitus eſt. Ideo eum Satan odit & impedire conatur, tanquam fontem ſobolis & educationis.

Beneficia populi Iudaici.

Comprehendit autem hic duo præcipua beneficia hujus populi, Regnum, ſeu Politiam, quam Levam vocat, & Sacerdotium ſeu cultum Dei. Hi amplexus, inquit, faciunt, ut ferarum & ſpinarum ictus hæc Roſa ſufferre poſſit, quia tota eſt in amplexu Dei, ſive Eccleſiam, ſive Regnum inſpicias, utrinq; enim eſt verbum Dei. Hanc cognitionem, imo fidem hanc libenter excitaret Salomon in alijs quoque.

Adjuro vos filiæ Hieruſalem, per capreas cervoſque camporum.

Hæc vox Sponſi eſt, qua reſpondet ſponſæ, ut eam conſoletur in fide hac.

An jurare liceat.

Sed priuſquam ſententiam explicemus, ad hanc quæſtionem reſpondendum eſt, Cur juret per Creaturas, cum id videatur eſſe prohibitum Matth. 5. ubi Chriſtus prohibet, nec per cœlum, nec per caput eſſe jurandum &c. Sed quæ ejus loci ſententia ſit, ſatis oſtendimus alibi. *Matth. 5.*

Iudei juraverunt per Creaturas.

Nunc ſatis eſt, quod idem locus teſtatur, hunc populi hujus fuiſſe morem, ut juraret per creaturas. Sic in libris Regum nota eſt juramenti forma, Vivat Rex, Item, Vivat anima tua, Et Iacob jurat, Per timorem Patris ſui. Sic nos juramus, Per fidem noſtram. Sic primum exempla oſtendunt, non ſimpliciter prohiberi, ne juretur. Deinde etiam ratio ſatis firma eſt, recte jurari etiam per creaturas, cum eas tanquam Dei ſigna producimus. Id enim non eſt ex creatura idolum facere.

Capræ, Cervi.

Nunc ſententiam hujus loci explicabimus. Capreas & cervos, vocat ſanctos Prophetas, Duces & Reges in hoc populo, qui expoſiti erant omnibus finitimis tanquam Cervi in agro. Per majores veſtros, fide & ſpiritu inſignes, vos adjuro, Ac convenit ſimilitudo. Recte enim per beſtias ſimplices, & omnium injurijs expoſitas, ſanctos homines in hoc populo pingit.

Beſtiæ ſimplices.

Ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis amicam meam, donec ipſa velit.

Somnus Eccleſiæ.

Somnum vocat, quod delectatur pius populus iſtis donis, qui eſt in amplexu Dei ſui, & ſentit favorem Dei. Hunc ſomnum, inquit, nolite ei excutere, ſed manete tranquilli, ut diu poſſit frui hoc ſenſu.

Vox

Digitized by Google

Vox dilecti mei.

Hæc ſponſæ vox eſt, qua ſignificat ſe audiviſſe conſolationem ſui ſponſi, & exhortationem ad ſuos, ut ſint quieti, ne moveant turbas. Hujus exhortationis, inquit, certum fructum ſentio, neq; verbum eſt inefficax. Nam qui alioqui turbas daturi erant, verbo revocantur ad obedientiam & tranquillitatem. *Vox ſponſæ.*

Ecce venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus Capreæ, Hinnuloque cervorum.

Hoc eſt, Per verbum ſalit de Civitate una in aliam, ut ubiq; ſentiatur fructus miniſterij inter homines. Similitudine Hinnuli & Capreæ, ſignificat verbi curſum, quod fructus ſuos longiſſime, & magna cum celeritate propagat. *Verbi curſus.*

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

Hic iterum ſignificat ſe. iſta omnia habere in fide. Sic enim ſolet Spiritus ſanctus, cum magnifice prædicat dona Dei, ut intelligamus eum loqui, non de carnali conſolatione, ſed de gaudio conſcientiæ. Deum nemo vidit unquam, ſed velamen noſtrum eſt fides, ita ut certo habeamus ea, quæ promittuntur, & tamen ea non videamus, nec ſentiamus. *Cernimus nunc per ſpeculum in enigmate. 1. Cor. 13.*

Quod igitur dixit ſaltare Sponſam ſicut Hinnulum, de colle in collem, & vbiq; præſentem eſſe, gubernare, & inſpicere omnia, hoc jam refert ad fidem, Quod vere quidem adſit, ſed tamen non videri eum, Stare poſt parietem, non cerni oculis, manu non palpari. Sic Chriſtus adeſt Eccleſiæ ſuæ per verbum & Sacramenta, ſed non cernitur oculis. Ac ijs qui in repub. verſantur hac conſolatione opus eſt. Nam cum impoſſibile ſit, mederi omnibus malis, etiamſi cupias, Non ideo ſentiendum eſt, Deum non curare Imperia. Ita enim adeſt, ut tamen ſtet poſt parietem, & per cancellos ad nos reſpiciat. *Deum adeſſe Eccleſiæ &c.*

En dilectus meus loquitur mihi.

Mitigat quod videbatur paulo aſperius dixiſſe, Stat poſt parietem, videtur nonnunquam ſuos deſeruiſſe, Sed non ſtat mutus, loquitur mecum & conſolatur, ut patienter feram, ſi qua nonnunquam incidunt incommoda.

Surge, propera amica mea.

Blandiſſima verba hæc ſunt, quibus reſpondet Sponſus Sponſæ ſuæ laboranti, & tamen perſeveranti in fide, ut certam retineat fiduciam hanc, quod ſit amica Dei ſui, etiam tum, cum videtur à Deo deſerta. Sic regnum Iudaicum ſatis multis calamitatibus quaſſatum eſt, Et tamen vox Sponſi ſemper teſtata eſt inſignem amorem erga populum ſuum, etiam poſtea in Captivitate.

Formoſa mea, & veni.

Emphaſis eſt in pronomine Mea, Q. d. Mihi es formoſa, quanquam coram mundo ſis contemptiſſima. Forma autem hæc poſita eſt primum in Verbo & donis Spiritus ſancti, Deinde in externa adminiſtratione ſeu Politia, pulcherrimis legibus divinitus inſtituta. *Forma.*

Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit.

Sunt verba ſolatij, quibus ſignificat commutationem fortunæ. Vernum tempus recte comparatur tranquillitati Eccleſiæ & Politiæ, Sicut econtra hæreſes, ſeditiones, bella, non minus deformitatis habent & pariunt, quam hyems. *Ver. Hyems.*

Conſolatur igitur populum Iudaicum, ut redeat ad hilaritatem, Siquidem pax ſit parta Eccleſiæ & Politiæ, ſuperatis tentationibus, quibus aliquandiu laboratum ſit. Futurum igitur, ut vireſcant & renoventur omnia in Politia & Eccleſia, quæ turbata ac deformata hactenus ſint per Tyrannos & hæreticos. In hanc ſpem vocat populum ſuum, & hortatur ut eam amplectatur. Id enim eſt ſurgere, & ad Sponſum venire. *Conſolatio. Surge.*

Flores apparuerunt in terra &c.

Iuventus germen. Germinibus terræ comparat luventutem, quæ in pace educatur, ad cultum Dei,& ſtudia literarum,atque alias honeſtas & reipublicæ vtiles artes.

Vox Turturis audita eſt in terra noſtra.

Turtur. Turturem vocat pium populum, ſeu Eccleſiam. Turtur enim verius gemit, quam canit. Poſt educationem autem,hoc aliud commodum eſt pacis,quod religio propagatur,& hominibus ſuppetit otium ad diſcendum verbum Dei.

Ficus protulit groſſos ſuos, & vites per florem dederunt odorem.

Educationis & ſanæ doctrinæ fructus. Educationem & ſanam doctrinam ſequuntur alia commoda,ut homines frugi ſint, ac ſancte vivant. Et hoc ſignificat per groſſos, ſeu immaturas ficus, & ſuavem odorem florum vitis. Ad hanc ſpem vocat Salomon populum ſuum conſtitutum in regno & cultu Dei divinitus tradito.

Columba mea.

Columba Eccleſiæ figura. Columba in ſacris literis ſemper laudatur, Primum ob ſimplicitatem & innocentiam, Deinde ob fœcunditatem. Et notum eſt Chriſti dictum, Eſtote ſimplices ut Columbæ,& prudentes ut ſerpentes. Ideo Eccleſiæ figura eſt Columba,quæ cum omnium injuriis pateat,non tamen reddit injuriam,ſed patitur. Sic hortatur Paulus Corinthios,ut in ſynceritate & veritate ambulent,abjecta illa humani cordis nequitia,quæ tum divina tum humana omnia vertit in ſuum commodum. Hæc autem columbina ſimplicitas eſt, quærere quæ Dei ſunt & proximi. *Matth.10.* *1.Cor. 5.*

Quæ habitas in abſcondito petræ.

Hic divinare cogimur,quid voluerit Salomon. Quidam per Antitheſin ſic exponunt, Quod iſte populus ſimplex & pius non ſuperbe habitet, ſicut mundus & alia regna mundi, Sed quod habitet,ſicut avicula conterritæ,& in diverſa pulſæ,quæ præſidia quærunt in cavernis lapidum &c.

Cavernæ petrarum. Sed mihi magis placet Petrarum foramina, accipere pro templo in Hieruſalem & toto cultu Dei, Quod Eccleſia ſecundum verbum Dei, in Hieruſalem ſacra faciat, intra parietes templi, ceu intra petrarum cavernas habitet, non ſequatur lucos,valles,&c. Sicut aliud profanum idolatrarum vulgus, Vt per Emphaſin Petrarum cavernas dicat,quod ibi nullum idolatriæ periculum ſit,ſed ſit certa exauditio, & certa defenſio &c.

Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis &c.

Quandoquidem perſeveras in puritate doctrinæ & ſancto cultu, exerce eam in loco à me præſcripto,Canta & doce,lauda & age gratias. Mihi enim placet facies *Opera credentium.* & vox tua. Nam credentium omnia opera grata ſunt, & Deo placent. Sunt verba conſolatoria.

Satan eligit loca mundiſſima. Sed nunc ſtatim curabitur vulpecula, quæ novas moleſtias concitet. Sic enim ſolet Satan, cum ſit totus contaminatus, tamen non occupat cineres, aut fœda loca, in quibus ſedeat,Sed eligit mundiſſima loca, Vult eſſe inter filios Dei, Sicut Hiob. 1. Cap. eſt. Ideo in Eccleſia falſos fratres,in Politia,ſeditioſos cives concitat. Opus ergo eſt,ut ambulemus caute, ut monet hic Salomon. *Hiob. 1.*

Capite nobis Vulpes, vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.

Vinea. Vineam ſupra diximus eſſe populum Dei.Sicut etiam Eſai. 5. oſtenditur.Facile *Eſa. 5.* eſt igitur intelligere,qui ſint vulpes,quas capi jubet. Et ideo de duobus vulpium ge-

Duo vulpium genera. neribus dicit, de vulpibus & parvulis vulpibus, ut ſignificet vtrinq; periculum eſſe ab aſtutis & malicioſis hominibus in Repub. & Eccleſia.

Parvulæ vulpes, ſunt falſi fratres in Eccleſia & hæreſes, quæ primo ita ſerpunt, ut difficile poſſint obſervari. Qui autem reſpub. turbant, illi ſtatim produnt ſe ſeditioſis conſiliis,ſimiles majoribus vulpibus,quæ non ita poſſunt ſe occulere.

Nam

Nam vinea noſtra floruit,

Vide Satanæ inſidias,captat id tempus,quo plurimum nocere poteſt. Sic ſub Papatu tranquilla erant omnia. Sed poſtquam Verbum cœpit ſeminari, ſeditiones & hæreſes exortæ ſunt, quæ ſubnaſcentem Evangelij frugem corrumperent, Cum antea alta pace tum reſpub. tum Eccleſiæ viderentur frui. Quanto igitur certior oſtenditur fructus Verbi, tanto eſt cavendum magis, ne inſidiis Satanæ relinquatur locus. *Florente verbo maxime cavendum ab inſidiis Satanæ.*

Dilectus meus mihi, & ego illi.

Eſt quaſi Epiphonema, quo reſpondet Sponſa Sponſo,& ſpondet, ſe hoc velle facere,ut perſeveret in ſynceritate, & vulpes obſervet ac capiat.

Qui paſcitur inter Lilia, donec aſpiret dies &c.

Manebo cum Sponſo meo,paſcenti inter Lilia,etiamſi nox & umbra venerint.

Revertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ hinnuloque Cervorum, ſuper montes Bether,

Eſt precatio, mane tu quoq; apud populum meum, & eſto ſimilis Capreæ currenti in montibus, ut ſingulas Eccleſias & reſpublicas viſites,cures & gubernes. Quod retinuit Ebræum nomen,Super montes Bether, appellativum eſſe debet,non proprium, Significat enim in montibus diviſis ſeu partitis.

CAPVT III.

In Lectulo meo,

HActenus audivimus Salomonem in genere canentem de Politia ſua,in qua cubum Dei habebat,ab ipſo Deo inſtitutum, Nunc paulatim incipit digredi,ut perveniat ad tempus & perſonam ſuam. Quare ſequentia ferme omnia tanquam ad Salomonem pertinentia accipiamus. *Tranſitio.*

Lectum vocat Regnum, magiſtratum & populum, in quo cubat & quieſcit ipſe ſponſus Deus. Hæc figura nota eſt ex Iſaia Propheta, Paraſti,inquit,lectos tuos in omni monte,ibi cum tuis amatoribus volutata es &c. Loquitur enim de idolatria populi,Significans,totam illam religionem & cultum congregatum in montes &c. *Lectus.*

Per noctes quæſivi, quem diligit anima mea.

Quod autem dicit ſe quæſiviſſe, ſignificat iſta incommoda reipub. quæ varia ſolent incidere. Nam ante Salomonem plurimis tempeſtatibus jactatum eſt Regnum Iſrael, Sicut notum eſt ex Regum hiſtoria. Huc etiam facit circumſtantia temporis, quod noctu, hoc eſt,in ipſis calamitatibus quæſiverit hoc quod diligebat, ac optaverit quietum & ſtabile Regnum,Nam in neutro genere ponitur. *In omnibus quæritur Deus. Nox.*

Surgam & circumibo Civitatem &c.

Pertinent hæc quoque ad deſcriptionem affectus, quo optat bonus Rex, & totus populus tranquillitatem,& finem malorum in Politia & Eccleſia.

Invenerunt me vigiles qui circumeunt Civitatem &c.

Cuſtodes ſunt Iudices & Principes. Inter hos,inquit, quærebam hoc, quod diligo, pacem ſcilicet & tranquillitatem, Sed neque ſub Saule & Davide, nec ante eos,ſub Iudicibus eam inveni. Quoties novus aut Iudex aut Rex dabatur, ſpes erat, futurum,ut ſanarentur incommoda reipub. Sed non inveni. Donec paululum progreſſus, ad Salomonem perveni. Ibi inveniebam demum quod quærebam, Sicut etiam nomen ejus id promittit. *Cuſtodes.* *Salomon.*

Tenui eum.

Omnia hæc,ut dixi de perſona Salomonis accipio dicta eſſe, Sub cujus imperio regnum pace & omni genere benedictionis florentiſſimum fuit. Neq; hic accipienda hæc ſunt,quaſi ſui ipſius Encomium conſcripſerit,Dicuntur enim omnia in per- *Pax ſub Salomone.*

Digitized by Google

in perſona Politiæ, agnoſcentis Dei beneficia, quæ per pium magiſtratum donavit Deus,& agentis Deo gratias. Ad hunc modum accipiendum eſt hoc Encomion Salomonis,quod in hoc capite texitur.

Nec dimittam,donec introducam eum in domum matris meæ.

Lectus viduus. Domus,Cubile, Thronus,Palatium,& ſimilia ſignificant,ipſum populum,ſeu regnum, Q. d. Populus meus ſunt, ſicut lectus viduus. Quot enim & quanta incommoda ſeditionum,bellorum,ſimultatum &c.ſuſtinuit? Sed poſtquam Deus Salomonem dedit Regem populo ſuo, parta pax & tranquillitas eſt, ut ſecurus cubet & quieſcat in lecto matris ſuæ.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per Capreas &c.

Capreæ. Sic vocat,ut ſupra quoque oſtendimus,ſanctos Prophetas in hoc populo,Quin includit quoque ipſum Chriſtum,tanquam Sanctorum omnium caput.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi.

Ignorantia Papiſtarum. Hic locus de beata Virgine decantatus eſt, ut ſcilicet nuſquam deeſſent veſtigia, quæ probarent incredibilem ignorantiam & cæcitatem adverſariorum noſtrorum. Nihil hic de beata Virgine agitur, Regnum Iudaicum, quale ſub Salomone fuerit.elegantibus & poeticis figuris deſcribitur & commendatur, ut ſit ſententia, *Regnum Salomonis.* Politia & regnum ſub Salomone fuit fragrantiſſimum, ita ut ſuavitate odoris, ſeu celebritate famæ,omnia vicina regna impleverit. Recte igitur comparatur fumo, qui ex incenſis aromatibus ſurgit,& tota palatia implet. Sic ſuavitate hujus gratiſſimi odoris, Regina Auſtri invitata eſt, ut ad Salomonem veniret &c.

Quod varias ſpecies aromatum colligit,& ex ijs fumum dicit ſurgere, eo pertinet quod varia dona in hoc populo fuerūt,ſapientia,prudentia,patientia, fides &c. *3. Reg. 10.*

En Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.

Lectus Salomonis. Hic vides Salomonis Lectum dici,qui antea Dei lectus erat. Diximus autem lectum eſſe ipſum populum, Hunc dicit munitum eſſe ſexaginta fortibus, Per eos aut militia recte intelligitur, aut qui in pace adminiſtrabant rempub. ſocij conſiliorum Salomonis. Neq; enim poſſibile eſt,vnum,etſi ſapientia ſumma ſit, poſſe omnia negocia ſuſtinere.

Principes & conſiliarij ejus. Vnus igitur in Lectulo cubat,qui Regni caput eſt. Apud hunc excubant ſexaginta, tenentes gladium in manibus & docti ad prælia, Hoc eſt,qui ad adminiſtrationem reipub. vocati ſunt, & etiam afferunt prudentiam rerum gerendarum. Vtrunq; enim requiritur, ut & apti ſint & vocati. Quod addit,

Vniuſcujuſq; gladius ſuper fœmur ejus.

Significat ſolicitudinem & curam, quam adminiſtratio politica requirit, Oportet enim in omnes occaſiones intentum eſſe, nuſquam ceſſare, nunquam ſecurum eſſe. Sicut Paulus dicit, Qui præeſt,præſit in ſolicitudine. Rom. 12. *Rom. 12.*

Lectulum fecit ſibi Salomon.

Sedes Salomonis. Encomij pars, quam hactenus audivimus, eſt nihil aliud quam gratiarum actio pro Lecto,hoc eſt,populo. Hic de lectica ſeu ſede meminit,quam Salomon ſibi comparavit, Neq; autem eſt, ut putemus hæc de materia dici, ſed ſedi ſeu lecticæ comparat, Leges & judicia, quibus populum ſuum inſtituit Salomon. Hæc commendat ita,quod inſignita fuerint, Auro,id eſt,ſapientia,Argento,id eſt,eloquentia, Purpura,id eſt, ardore charitatis, Cedrino ligno ex Libano, hoc eſt, incorruptione, ut ſtata & fixa eſſent. Sed cur hoc?

Propter filias Ieruſalem.

Non propter Gentes, ſed propter populum Dei.

Exhortatio ad gratiarum actionem &c.

Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem.

Eſt hæc quoque aptiſſima huic Encomio particula, Q. d. Oſtendi vobis, quale regnum

regnum vobis Deus ſub Salomone dederit, & quantis donis cumulati ſitis, quod & in repub. domi leges ac judicia, & foris pacem habeatis. Nunc etiam hoc facite, videte initia horum donorum, Non rapuit Salomon regnum per tyrannidem, ſed mater ſua coronavit eum, hoc eſt, conſenſu totius populi regnum ei delatum eſt. Igitur intuemini & complectimini eum, & Deo agite gratias pro iſtis donis ſuis, quæ tam largè in vos ſub hoc rege diſtribuit &c. Atq; hæc particula ſatis oſtendit hujus figuratæ orationis, qua ubiq; utitur, nullum alium ſenſum eſſe, quam quod rempub. ſuam ornare, & pro ea gratias agere Salomon voluit.

CAPVT IIII.

Quam pulchra es, amica mea.

IN tertio capite audivimus vocem ſponſæ, laudantis Deum & agentis gratias, pro regno per Salomonem inſtituto. In hoc capite reſpondet Sponſus, ſunt enim alternæ Cantilenæ. *Alterna carmina.*

Porro hæc commutatio, quod alternis canunt populus & Deus, eo pertinet, ut fides quaſi arrhabone Spiritus confirmetur, ac certo ſtatuat iſta placere Deo, & ſe eſſe in gratia. Quod igitur populus antea prædicavit Dei dona in hoc regno, idem nunc audit ab ipſo Deo fieri, ut eo ad gratiarum actionem magis accendatur, & certius ſua dona intelligere & intueri rectius diſcat. Ideo dicit, Quam pulchra es, ô Regnum Iſrael, quam es ſanctum, quia certe ſtatuis te Deo tuo placere. Incipit autem deſcriptionem pulchritudinis à capite. *Commendatio & conſolatio Eccleſiæ.*

Oculi tui Columbarum.

Luc. 10. Oculi ſignificant ductores & doctores, Sic Lucæ 10. Lucerna corporis eſt oculus. Hos columbinos vocat, hoc eſt, ſimplicitate inſignes, Id enim in Doctore præcipue requiritur, ut maneat in ſimplicitate doctrinæ & religionis. *Oculi.*

Hoc igitur primum eſt, quod in populo hoc Deus prædicat, quod habet ſacerdotium & juſtum cultum Dei, Hi oculi ſunt, qui primam commendationem merentur. Sicut Daniel quoque in Leone ſuo, hoc eſt, regno Babylonico, commendat, quod ſtabat in pedibus, ſicut homo, erecto capite, & habebat humanũ cor. Nam id eo pertinet, quod ea Monarchia donata fuit cognitione Dei, Sicut teſtatur Regis edictum. *Leo in Daniele.*

Sed hic obſervemus, Sponſam hanc habere columbinos oculos coram Sponſo. Coram mundo enim nihil judicatur fœdius, aut deformius eſſe. Neq; enim ſapientia carnis hanc ſpeciem judicare poteſt, quam etſi videat, & audiat, tamen videt eam, ceu per coloratum vitrum.

Abſq; eo quod intrinſecus latet.

Ego ſic verto, Oculi tui, oculi columbarum, intra Cincinnos tuos. Vt ſignificet cæſariem ad oculos uſq; propendentem. Nam ea quoque inſignis commendatio eſt in puella. Porro Cincinni ſignificant ornatum Sacerdotij, Sicut in Eccleſia neceſſe eſt omnia ordine & decore fieri. Sic apud Eſaiam quoq; eſt, Abradet Dominus capillos & barbam per Aſſyrium, Et alibi, Calvo capiti aſſimilat populum, privatum Sacerdotio. Quidam per Cincinnos malunt intelligere reliquos duces populi. *Cincinni.*

Eſai. 7.

Capilli tui, ſicut greges Caprarum, quæ tonſæ ſunt in monte Galaad.

Fortaſſe alludit ad Locum Geneſ. 31. quod Iacob cum gregibus ſuis in Galaad pernoctavit, cum rediret ex Meſopotamia, Quanquam mihi aptius videtur, quod reſpicit ad nomen montis. Significat autem cumulum teſtimonii. Hoc nomine ad templum alludit, ubi ſacrificia & cultus cæteri exercebantur. *Galaad.*

Geneſ. 31.

Non ſimpliciter comparat capillum Capris, ſed gregi Caprarum, ad ſignificandam concordiam & conſenſum eorum, qui in populo docent. Ideo etiam nominat tonſas Capras, Non quod tonſæ ſint, ſed quod capilli ita pares ſint, ac ſi nexi eſſent. *Similitudo capillorum.*

Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcendunt de lavacro.

In dentibus candor, in oculis nigredo commendatur, ſicut ſcitis, Sicut autem *Dentes.*

capil-

capillorum ſimilitudo, oſtendit conſenſum Doctorum inter ſeſe, Ita etiam dentes videmus in ordinem poſitos eſſe, & quaſi mutuo ſeſe juvare. Eſt autem dentium, mordere.

Dentes candidi

Id in Doctore etiam requiritur, ut ſit potens ad arguendum & convincendum. Debet autem hoc ſic fieri, ut tamen dentes ſint candidi, hoc eſt, debet fieri ſine amarulentia, ſine acerbitate & odio, ut emendatio, non vindicta, quæratur. Tales doctores, inquit, habet hoc regnum.

Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.

Fructus miniſterij.

Hoc addit, ad oſtendendum fructum miniſterij. Nam tum gemilli eduntur, cum animi primum lege terrentur, Deinde iterum promiſſionibus ſeu Evangelio eriguntur. Ad hunc modum, qui Verbum recte ſecant, fructum doctrinæ ſuæ in Eccleſia cernunt. Neq; enim fieri poteſt, ut ſine fructu doceatur Eccleſia, Sicut dicit, Sterilis non eſt inter eas.

Recte ſecantes verbum Dei &c.

Sicut vitta coccinea labia tua.

Labia.

Mire decent in puella, labia rubicunda. Porro labia ſignificant officium docendi. Ea gemina ſunt, Sicut etiam doctrinæ ratio gemina eſt, Legis & Evangelij. Quod ſunt rubicunda, Charitatis ſymbolum eſt, Nam præcipuum charitatis munus eſt recte docere de religione.

Comparantur autem vittæ, ſeu faſciæ coccineæ, qua colliguntur crines, ad ſignificandam concordiam, Sicut Paulus monet, Vnum ſentite &c.

Eloquium tuum dulce.

Doctrina impiorum. Verbum Dei.

Doctrina impiorum eſt labor & dolor, Imo ſepulchrum patens, Sicut Propheta appellat. Sed hæc commendatio eſt verbi Dei, quod dulce eſt, reficit enim animos afflictos & contritos. Et Petrus inquit, Quo ibimus Domine, verba vitæ æternæ habes. Iohan. 6. *Pſal. 5.* *Iohan. 6.*

Sicut fragmen mali Punici, genæ tuæ.

Genæ.

Rubicundæ genæ etiam ſunt inſigne ornamentum, Nihil proprie agunt, tantum lucent & ſpectantur, non docent ſicut oculi & dentes. Quare ego accommodo ad converſationem ſeu mores doctorum in Eccleſia, In his etiam lucere debet ignis Charitatis, Sicut Chriſtus dicit, Luceat lux veſtra coram hominibus. *Matth. 5.*

Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.

Officium Doctorum.

Hoc quoque ad Doctores pertinet. Neque enim ſolum ædificare, ſed etiam defendere debent. Tempore pacis docendum eſt, Belli autem tempore pugnandum, & reſiſtendum Satanæ ac hæreticis.

Turris David.

Ideo requirit in hac pulchra forma, firmum & rectum collum, quod comparat turri Davidis. De hac turri nihil extat, quod ſciam, in ſacris literis, Sed ſine dubio munitiſſima fuit, & inſtructa ad depellendos hoſtes, Sic Doctorem decet inſtructum eſſe, ut ſit potens in doctrina, Tit. 1. *Tit. 1.*

Mille clypei pendent ex ea.

Hoc addit ad ſignificandam copiam, qua inſtructi debent eſſe Doctores contra omnis generis hæreticorum, & Satanæ dolos & fraudes. Fuit autem id in hoc populo eo magis neceſſarium, quod natura propendebat ad idolatriam, ad quam etiam vicinarum gentium quotidianis exemplis & moribus invitabantur, etiamſi abſq; falſis Doctoribus & Pſeudoprophetis fuiſſet.

Duo ubera tua, ſicut duo Hinnuli.

Vbera.

Præter hoc, quod miniſterium Verbi deſcribit, per oculos, dentes, capillos, turrim, etiam uberum ſimilitudinem huc applicat, quæ apte convenit conſolationibus, quæ ſubjiciuntur territis mentibus. Sicut Paulus dicit 2. Timoth. 3. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis ad docendum, ad arguendum, ad erigendum, ad inſtituendum in juſticia &c. Ibi enim ſine figura dicit, quod Salomon hic quaſi Poeticis figuris adumbravit. *2. Tim. 3.*

Sed

Sed quomodo convenit uberibus & gemellis hinnulis? Fortaſſe eo alludit, quod non ſint ubera, qualia ſcortorum ſunt, ſed caſta & delicata. Sic in Prov. 5. Vxorem hoc nomine appellat. Lætare cum uxore tua, tanquam cum Hinnulo. Prov. 5.

Qui paſcuntur in roſis.

AT qui in ſylvis paſcuntur, Sed pertinet hoc quoque ad deſcriptionem, ut ubera jucunda & delicatiora ſignificet, quæ ſcilicet intumeſcant, non ex vili paſtu graminis, ſed ex Roſis.

Nihil hic admoneo, de impuris cogitationibus, quæ inventuti incidunt, cum tales deſcriptiones audiunt. Nam Spiritus ſanctus caſtus eſt, & ſic meminit membrorum muliebrium, ut ea velit intueri, ceu bonas creaturas Dei. Et in hoc libro nihil eſt, quod mihi quidem magis placeat, quam quod video Salomonem tam ſuavibus figuris loqui, de ſummis donis, quæ Deus contulit populo ſuo. *Membra muliebria.*

Ita ut inſigne Exemplum gratitudinis nobis hic ſit propoſitum. Atq; utinam nos quoq; Deum noſtrum ſic laudare, ſic ei gratias agere diſceremus, ut eum appellaremus ſolem noſtrum, amicũ, Eccleſiam autem ſuam Capream, paſtam floribꝰ &c. *Deus Sol noſter*

Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem Thuris.

Hoc ceu Epiphonema eſt, quo concludit Encomium de miniſterio Verbi in hoc populo inſtitutum. Hactenus enim recenſuit fere omnia Verbi officia, quæ oculis, dentibus, capillo, &c. comparantur.

Nunc hanc quaſi acclamationem addit, Hoc tuum donum mihi eſt inſtar montis, in quo Myrrha & Thus, ſuaviſſimi fructus proveniunt. Ibi manebo, ibi oblectabo me, donec aſpiret dies & inclinentur umbræ. Non faſtidiam dona hæc, non quæram nova, ſicut faſtidioſi Spiritus ſolent. Quanto enim magis editur, bibitur, videtur, auditur, hæc doctrina, tanto magis ſitire, eſurire debent auditores, & optare, ut perpetuo nihil aliud neque audire nec videre liceat. Qui hunc affectum non habent, nullum verum guſtum verbi Dei habuerunt, quantumvis multum de eo garrire norint. *De miniſterio verbi. Myrrha & Thus. Veri auditores verbi.*

Myrrha ſymbolum verbi eſt, Thus autem orationis. *Myrrha. Thus.*

Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te.

Hic, meo judicio, alius locus eſt, quanquam etiam pertinet ad inſtitutum Encomion. Loquitur enim de fructu & efficacia Verbi quid ſcilicet hoc miniſterium verbi tantopere prædicatum, in populo efficiat, Q. d. Antea te aſpexi tantum in una parte, nempe in ſacerdotio. Nunc video te totam pulchram & ſine macula eſſe. Nam verbum publice prædicatum, cives domum reportant, & ex verbo diſcunt ſe & ſuos gubernare, Ita ut ubiq; experiamur, in templo, in repub. in Oeconomia certos verbi fructus, quod ceu fermentum omnes reipub. partes, officia, & ſtatus omnes pervadit. *Fructus verbi*

Nam cum referimus hanc pulchritudinem ad Verbum, belle convenit. Sicut quoq; Chriſtus dicit, Mundi eſtis propter ſermonem, quem loquor vobis. Et Eccleſia hodie, quanquam ſemper oret pro remiſſione peccatorũ, tamen ſi verbum, Sacramenta, fidem, ipſum caput Chriſtum reſpicias, eſt mundiſſima & ſine macula. *Eccleſia ſine macula, Eph. 5*

Veni de Libano ſponſa mea, veni de libano, veni de vertice Amani, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, & de montibus Pardorum.

Libanus notus eſt. Eſt etiam notus mons Amanus, ex latinorum literis, Sanir pars ejus eſt. Sunt fere contigui montes, & omnes aquilonares Hieroſolymitanis. *Libanus. Regnum gentium.*

Eſt autem hæc exhortatio quædam, ut verbum retineat populus, nec patiatur ſe in idolatriam adduci, propter exempla vicinarum gentium, Q. d. Regnum meum patet ad Libanum uſq;, ſed vos cives mei cavete à gentibus. Sunt vicina cubilia Leonum, & montes Pardorum, hoc eſt, Habemus vicina magna gentilium imperia, Sed heus, huc à Libano ad Ieruſalem & templum, ubi Verbum eſt, Iſthic nihil eſt, quam immanes beſtiæ, à quibus extrema pericula expectabitis, niſi fugeritis.

Conſenſus in doctrina.

Vulneraſti cor meum, ſoror mea, ſponſa, vulneraſti cor meum.

Inſignis hic affectus eſt, in quo videmus, cum conſentiunt populi in Verbo & uno ſenſu, quantum id gaudium ſit Deo & Angelis. Vocat enim amicam, vocat ſponſam, vocat ſororem talem populum, & cor ſuum dicit amore tanquam ſaucium eſſe.

In uno oculorum tuorum.

Vultus in doctrina.

Emphaſis eſt, in nomine, uno, ut oſtendat Deo gratiſſimam eſſe ſimplicitatem, unitatem, & puritatem in doctrina, Sicut videmus, quam ubiq; Chriſtus & Apoſtoli ad hanc conſenſionem hortentur & invitent.

Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea, ſponſa.

Vbera.

Vbera non in Doctoribus tantum, ſed etiam in populo ſunt. Nam Chriſti dictum verum eſt, Vbi duo vel tres convenerint in nomine meo, ero ego in medio eorum. Ideo cum privatim frater conſolatur fratrem, cum annunciat remiſſionem peccatorum, Verbum id ratum eſt, & non fallit. Eſt enim Spiritus ſanctus efficax per verbum, ubicunq; id dextre ac ſyncere tractatur, ſive in publico, ſive in privato. *Matth. 18.*

Vbera tua ſuaviora vino.

Conſolationes verbi.

Omnis generis ſolatia nihil ſunt, ſi conferas cum ijs conſolationibus, quas verbum Dei nobis proponit.

Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

Odor Evangelij ſparſus.

Tua fama ſuavius olet, quam omnium gentium fama, venit enim ex verbo. Quid enim eſt fama totius mundi ad eam, quam tu habes, quæ non rebus ſolum, ut Iuriſconſultus, non corpori ſolum, ut Medicus, ſed animo mederis, quæ erigis & conſolaris conſcientias unguento Sponſi tui. Hoc unguentum verbi, medetur corpori & animo, ac utrunq; recreat & conſervat. *2. Cor. 2.*

Favus diſtillans labia tua.

Hactenus egit gratias, & prædicavit inſigne donum, quod Deus inſtituit Politiam & Sacerdotium in hoc populo, Nunc addit, non ſolum à Deo illa inſtituta eſſe, ſed etiam fortunari, manere efficaciam hujus ordinationis & fructum per totum populum &c.

Favus.

Favus. Populus qui ſic habet miniſterium Verbi eſt favus, id eſt colloquium & conſolatio mutua. Et diſtillans favus, id eſt, dimanans. Illa ſuavitas & puritas

Lac.

doctrinæ, pervadunt totum populum. Lac. Lacte infirmi aluntur, Idem Verbi miniſterium eſt, neq; enim infirmos abjicit Deus.

Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.

Odor thuris.

Hic populus eſt ornatus pulcherrimis virtutibus, quæ ſequuntur Verbum unde odor thuris eſt, id eſt, unde celebris eſt, & late prædicatur fama ejus. Dicit autem thuris odor, quod iſta fama referat aliquam divinitatem. Prima enim hujus populi laus eſt, pulcherrima diſciplina cultus Dei.

Hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa.

Aliud Encomium Eccleſiæ. Meta populi Dei.

Alia laus hujus populi. Commendat enim eum, quod ſit pulcherrimis legibus concluſus & formatus circumciſione, & alijs ritibus, & quod maximum eſt, promiſſionibus ſignatus, quibus ab omnibus alijs populis diſcernitur. Sicut nos Chriſtiani nunc ſumus ſignati Verbo, Baptiſmo & Sacramento altaris, quibus diſcernimur ab omnibus alijs gentibus, non ſolum coram mundo, ſed verius in judicio Dei.

Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus &c.

Hortus.

Hic populus eſt hortus, cujus emiſſiones, id eſt, plantæ, quæ emittuntur è terra, ceu Paradiſus quædam ſunt, plena arboribus, id eſt, ſanctis hominibus.

Fructus. Arbores.

Quod latinus fecit, Cum fructibus pomorum, accipio pro ſuavibus & delicatis fructibus. Varij fructus & arbores, ſignificant varia dona & officia in populo. Boni Doctores, magiſtratus, patresfamilias, ſervi, ſervæ, juvenes, ſenes &c.

Thuris

Digitized by Google

Thuris arbor ſunt, qui fideliter & aſſiduo orant. Sicut Myrrha & Aloe, mortificantes carnem ſuam, ſignificant. Sic omnia genera donorum è verbo Dei in auditores manant. *Thus. Myrrha. Aloe.*

Fons hortorum, puteus aquarum viventium.

Eſt Epiphonema. Tu es vere fons aquarum fluentium de Libano. Libanum per allegoriam vocat civitatem Ieruſalem, Q. d. Ieruſalem ſic divinitus multis donis & in Sacerdotio & Politia ornata eſt ceu fons, qui irrigat alios hortos. Hujus enim exemplo aliæ quoq; civitates excitantur ad Religionem, & civilem diſciplinam amplectendam. *Libanus.*

Surge Aquilo & veni Auſter, perfla hortum meum, ut fluant aromata ejus.

Vult hunc hortum exerceri tentationibus, ut ſint vices afflictionis & proſperitatis. Auſter inflat præſumptione, Boreas exiccat deſperatione, Non ut pereat hortus, ſed ut latius ſpargatur odor ejus, ut Verbi virtus in cruce appareat. *Auſter. Boreas.*

CAPVT V.

ESt Oratio populi, agnoſcentis beneficia & dona Dei. Rogat enim, ut dilectus velit venire in hortum, quem ſic ornavit laudibus, Hoc eſt, velit ei benedicere, & dona præſentia conſervare. Sicut in Pſalmis oratur, Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, Alioqui animi in ſecuritatem delabuntur & ruunt. *Pſal. 68.* *Precatur ut Deus benedicat Ecclesiæ.*

Veniat amicus meus in hortum ſuum &c.

Hunc hortum, hanc Politiam Deus meus, tu conſtituiſti, Veni igitur, cole & conſerva eum, Verbo & Spiritu tuo, ne pereat ſitu, Comede de fructibus ejus nobiliſſimis, Hoc eſt, Declares nobis tua præſentia, tibi placere iſta omnia &c.

Venio in hortum meum &c.

Exaudita eſt oratio. Significat enim ſe præſentem eſſe, & probare omnia & placere ſibi omnia. Hoc eſt teſtimonium conſcientiæ, quod pii in officio & vocatione ſua ſentiunt, Quod cum ſerviunt vocationi ſuæ, certo affirmare poſſunt, Deum probare ipſorum opera & grata eſſe, Quanquam alicubi negligentiores ſint. Neq; enim excluſa hic eſt remiſſio peccatorum. *Exauditio oratio.* *Teſtimonium conſcientiæ in piis.*

Meſſui myrrham meam.

Myrrha eſt mortificatio carnis, Aromata quæ ſuaviter olent, ſunt reliqua bona opera & fructus fidei, hos ſe colligere, & iis frui, dicit. *Myrrha. Aromata.*

Favum meum comedi &c.

Nota Emphaſin, quod omnia illa ſua eſſe dicit, Q. d. Placent mihi conciones, conſolationes, opera tua, vivendo, operando, loquendo, docendo, places &c. Etſi autem fieri non poſſit in hac infirmitate, quin multa peccentur, aut negligentia, aut aliis modis, Tamen placet iſta obedientia, quantumvis imperfecta, propter fidem in Chriſtum. Sicut Iohannes dicit, Deus major eſt, quam cor noſtrum. Habemus ejus bonum, quod infinitum eſt, contra noſtrum malum finitum. *Deus plerumq; piorum opera.* *1. Iohan. 1.*

Comedite amici.

Exhortatio ad totam Eccleſiam, ut fruantur illis beneficiis & donis cum gratitudine. Sunt autem neceſſariæ conſolationes, quæ ægre creduntur ab iis, qui verſantur vel in Politia, vel in Eccleſiæ miniſterio, Confirmant autem animos piorum, ne laboribus & ingratitudine hominum fracti, diſcedant ab officio ſuo. *Exhortatio.*

Dormio ego, ſed cor meum vigilat.

Hic incipit novus locus. Hactenus enim deſcripſit tempus pulcherrimæ pacis, quæ ſub Salomone floruit, Proq; ea egit gratias, Nunc proſpicit in futura tempora, & videt ob peccata populi variis malis tum Politiam, tum Sacerdotium affligendum.

Digitized by Google

Rerum vicissitudo.

Quemadmodum enim tempestatum vices sunt, sic subinde pacem bellum, tristitiam lætitia, afflictionem consolatio, rursus consolationem alia afflictio sequitur. Has vices ad finem fere hujus libri Salomon tractat, & describit futuras tentationes universali descriptione. Sic perpetuo in hoc regno fiet, Subinde tentabimur, exercebimur variis calamitatibus &c.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

Dormio, fruor jam alta pace, Secura sum, omnia sunt tranquilla, Nihilominus cor meum vigilat. Video enim peccata populi, video minari Deum mala per Verbum. Sum igitur solicita de futuro malo &c.

Vox dilecti mei pulsantis.

Vox pulsantis. Crux utilis.

Hic incipit crux, Vox pulsantis, est vox terroris, volentis expergefacere, ne secura amittat præsentia bona. Crux enim est necessaria & utilis nobis. Qui diligit Filium suum, multiplicat ei flagella, dicit in Proverb. Eccle. 30.

Aperi mihi amica &c. quia caput meum &c.

Est accusatio Sponsæ. Pax, qua hactenus frueris, te desidiosam facit, jaces in lecto, me nocturnis imbribus madidum ante fores stare pateris, hoc est, negligis me, negligenter administras tam Politiam, quam Sacerdotium. Caput & capilli toti madent, id est, duces in utroq; regno negliguntur &c.

Expoliavi me tunica mea.

Nuda jaceo, non possum surgere. Significat non solum culpam neglecti Verbi, sed rebellionem quoque, Non vult parere per patientiam Deo visitanti propter peccata. Non vult dimittere pacem, nihilominus tamen pergit in peccatis suis. Atqui in Psalmo est, Iusticia & pax se osculatæ sunt, quod sine justicia ne speranda quidem pax sit. Psal. 84.

Dilectus meus misit manum suam per foramen.

Mittere manū per foramen.

Hic vult eam cogere, ut surgat, quamtumvis invita. Sic misit manum suam per foramen, cum Assyrium mitteret, cum aliis calamitatibus eos premeret, sic excitavit hanc Politiam diffluentem ocio, & solutam longa pace. Deus non mentitur, semper minas sequuntur res.

Surrexit, ut aperirem dilecto.

Aperire obstinatio.

Aperire hostium, significat animum præbere patientem. Dicit igitur se patienter sustinuisse manum Dei. Ne autem sentias id facile esse, Manus meæ inquit, stillaverunt Myrrham, & digiti mei Myrrham transeuntem usque ad pessulum seræ,

Crux carnis dura.

Vult significare difficile fuisse carnem vincere, ut consentiret Deo, ne murmuraret, sed admitteret pœnam, & ferret.

At ille declinaverat.

Hic intenditur tentatio & augetur, Quod videtur Deus nos relinquere in ipsis malis, neq; offertur aliqua consolatio fessæ menti.

Anima mea liquefacta est.

Verbum significat, egressa est, Q. d. tanta expectatione teneor, ut animo pene linquar. Nullum sentio auxilium, solum Verbum suum reliquit mihi, in eo hæreo, ut pene deficiam &c.

Invenerunt me custodes, qui circumeunt Civitatem.

Custodes.

Custodes, hic intelligo Doctores legis, qui non consolantur, sed magis terrent, & objiciunt peccata, Sicut illi in Hiob, cum consolari debeant, damnant. Possunt Custodes quoque accipi, pro iis Doctoribus, qui in calamitate, vana præsidia docent, quibus innitamur. Sicut apud nos fuerunt cultus Sanctorum, Indulgentiæ, & aliæ hujusmodi impiæ nugæ.

Verbum gratiæ consolatur.

Sed afflicti animi non possunt erigi, nisi per Verbum gratiæ. Omnia alia solatia non modo non juvant, sed etiam (sicut hic conqueritur afflictus populus) magis vulnerant, & cumulant iram.

Adjuro

Digitized by Google

Adjuro vos Filiæ Ieruſalem.

Sponſa, vel populus in tentatione poſitus, ſive ea ſit captivitas Babylonica, ſive alia quædam, amiſit Deum ſuum, & eſt relictus in manibus adverſariorum, ita, ut nuſquam appareat Deus vel auxilium. Non tamen ideo deſperat, ſed tolerat manum Dei viſitantis, & vocat alios, eoſq; hortatur ad orationem, Filiæ Ieruſalem, hoc eſt, omnes vos, qui pertinetis ad hunc cultum.

Qualis eſt dilectus tuus, ex dilecto.

Verte, præ dilectis, Volunt ſcire quem dilectum habeat, quod eum omnibus aliis dilectis præfert, quod deſerta, non vult ſe ad alia præſidia & auxilia convertere, Sicut ſolent homines, quos non Spiritus Dei, ſed ratio ſua agit & docet.

Hic igitur incipit longam imaginariam deſcriptionem, qualem habeat dilectum. Nunc primum eum deſcribit, cum amiſit eum. Sic ſolemus omnes, præſentia bona faſtidimus, & negligimus, Sublata ex oculis quærimus invidi, Sicut Poëta ait. *Præſentia bona negligimus.*

Dilectus meus candidus & rubicundus.

Eſt deſcriptio imaginaria Dei, non qualis eſt in ſua Majeſtate, Sed qualis eſt in cultu & Verbo ſuo, Hoc eſt, Dei induti & ornati Regno & ſacerdotio in Populo illo &c. Candor ſignificat lætitiam, Feſtis enim diebus veſtiebant candidis. Rubor amorem ſignificat. Q. d. Cum Sacerdotium & Regnum adhuc ſtarent integra, abundabamus pulcherrimis donis, quibus Deus teſtabatur nobis ſuum amorem erga nos. Erant igitur omnia plena gaudio & lætitia, Nunc miſeri lugemus, diſſipata Politia, amiſſis illis pulcherrimis donis &c. *Candor. Rubor.*

Sic fit, qui verbum Dei habent, illi habent amantem, conſolantem, lætificantem & benefacientem Deum. Hæc autem omnia amiſiſſe ſe queritur populus.

Electus è millibus.

Eſt electus heros & gigas, qui paratus eſt ad defendendos ſuos.

Caput ejus aurum optimum.

Religio & doctrina, quam Moſes ſapientiam hujus populi vocat, eſt ceu aurum puriſſimum, Aliorum deorum cultus ſunt ceu ſcoria &c.

Cincinni ejus denſi.

Abundabam eo tempore, cum adhuc retinerem Deum, cultoribus Dei & miniſtris, qui capiti, hoc eſt, Deo ſunt proximi, Erat magna copia Sacerdotum & Levitarum.

Et nigri ſicut corvus.

Sacerdotes erant graves viri, in quorum vultu & geſtibus jucunda ſeveritas inerat, Niſi quis malit accipere nigram comam, ob externam ſpeciem, contemptam, Id quod non puto. Fuerunt enim nigri capilli laudati apud illos, Sicut apud Horatium quoq;, Spectandum nigris oculis, nigroq; capillo. *Nigri capilli.*

Oculi ejus ſicut Columbæ ad rivulos.

Oculi ſunt rectores & duces populi, qui non ſolum Deum colunt eiq; ſerviunt, Sed etiam erudiunt & docent ſimpliciter & fideliter. Celebratur Columba ob mundiciem, quod non bibit, niſi mundiſſimam aquam, Idq; ideo, ut poſſit ſibi cavere ab accipitribus, quorum imaginem aqua reddit, Sic fideles Doctores intenti ſunt, ad cavendos falſos ſpiritus, & verſantur ſoliciti ad aquam mundam, hoc eſt, ad Scripturam. *Oculi. Columba. Fideles doctores.*

Addit autem, Oculi loti lacte, hoc eſt, pleni conſolationibus, Item, Reſidentes in plenitudine, hoc eſt, præ ſe ferentes hilaritatem aliquam. Cavi oculi indicant ſeveritatem, &c. Sed hujus Sponſi oculi ſunt pleni, & habitant in plenitudine, id eſt, habent copioſum populum, Verbum eorum fideliter auditur, Eccleſiæ & Scholæ ſunt plenæ diſcipulis.

Digitized by Google

Genæ ejus, ſicut areolæ aromatum.

Genæ. Genæ ſunt externa converſatio totius populi, quæ ſequitur ex Verbo, Illa eſt excitatior, fundit ſuavem odorem, pacis, humilitatis, fidei, &c.

Labia ejus Roſæ diſtillantes Myrrham.

Labia. Labia ſunt ſuavia & plena amore, diſtillant tamen Myrrham, Id eſt, doctrinam mortificantem, docent, arguunt, inſtant, objurgant &c.

Manus illius tornatiles aureæ.

Legis opera. In toto populo, inquit, ſunt qui abundant bonis operibus. Legis opera ſunt, manus contractæ, rugoſæ & aridæ. Hic cum ſumma voluptate bene operantur, ſine moleſtia aliqua.

Venter ejus eburneus.

Venter. Vulgus ſignificat, quod eſt in corpore Eccleſiæ, ceu venter, quod quanquam per ſe infirmum ſit, ut aliorum membrorum miniſterio opus habeat, tamen eſt candidum, ſicut Ebur, & incorruptibile.

Crura illius, columnæ marmoreæ.

Crura. Crura, hoc eſt, robuſtos in Eccleſia opponit ventri.

Species ejus ut Libani.

Totus populus eſt, ceu mons Libanus, pulcherrimis arboribus conſitus, in quo varia officia, varia dona ſunt &c.

Guttur illius ſuavißimum.

Non fœtet ei anima, ſed dulcia ſpirat, Hoc eſt, hi fructus Eccleſiæ, quos hic recitavi, placent & grati ſunt Deo.

Totus eſt deſiderabilis.

Verbum Dei. Non quod nulli ſunt impii in illo populo, Sed quia Verbum habet, ideo omnia dicit eſſe deſiderabilia, propterea quod nullus theſaurus cum verbo Dei conferri poſſit, in quo verum cultum Deus nobis præſcribit, & remiſſionem peccatorum promittit, ut nullum peccatum ſit reliquum &c.

Sic celebrat Sponſum ſuum, & queritur ſe omnibus his donis privatam, quæ præſente eo habuit.

IN CAPVT VI.

Quo abiit dilectus tuus?

SPonſa ob amiſſum Sponſum, triſtis quæſivit eum apud alias Civitates, ſed non invenit. Illæ tamen pollicentur ſuum ſtudium, ſe oratione adjuturas eam, & ſimul quæſituras Sponſum.

Dilectus meus deſcendit in hortum.

Hic redit conſolatio. Videt enim ſe non omnino deſertam à Sponſo, ſed abiiſſe eum in hortum, ut hortum curet & Roſas colligat, Hoc eſt, ut ſua dona magis in populo augeat. Cum enim Deus nos deſerit, non facit id ira, aut odio noſtri, ſed purgat ſic vitem, ut eo melius fructificet, Iohan. 15. Tractat enim Sponſa hic fructum tentationis, quod per multas tribulationes proficiamus in fide & bonis operibus. *Fructus tentationis.* Ioh. 15.

Ego dilecto meo, & ipſe mihi.

Id eſt, ipſe eſt meus dilectus, & ego ſum ejus dilecta. Hæc plerophoria & fiducia ſequitur tentationem. Roſæ ſunt Sancti in iſto populo. *Roſæ.*

Pulchra es amica mea.

Hic ſe Sponſus Sponſæ offert, & ſignificat ſe delectari ejus fide, quod non fit fracta tentatione, ut blaſphemaret, aut à Deo diſcederet. Eſt autem hæc magna conſcientiæ conſolatio, quod certo ſtatuit placere Deo patientiam, & delectari eum ſacrificio contriti, non tamen deſperantis cordis. Vt quanquam caro offenſa nonnihil *Sacrificium contriti cordis.*

murmu-

Digitized by Google

murmuret, tamen ſpiritus gemat ad Deum, & potius in tentatione perpetuo manere & perire cupiat, quam ut ad impietatem à Deo recedat. Sic probatio ſpem parit.

Sicut Tirza, & decora ſicut Ieruſalem.

1. Reg. 15. & 16. Tirza fuit ſedes regum Iſraël, Q. d. Mea Sponſa, tu es quaſi Tirza formoſa, & bene munita civitas. Et ſicut Ieruſalem optimis legibus formata & inſtituta. Nihil aliud eſt, quam deſcriptio plerophoriæ, quod ſentit Eccleſia ſeu populus omnia ſua opera ſumme placere Deo. *Tirza.*

Terribilis ut caſtrorum acies.

Eccleſia ſeu populus Dei, non ſolum eſt bene inſtitutus cultu Dei, & Politicis legibus, ſed etiam terribilis Diabolo & adverſariis ſuis. Satan enim metuit nos, cum videt cor hac fiducia munitum, quod credimus, nos placere Deo. Metuunt & Exod. 1. adverſarii. Ideo enim occidunt pios, quia metuunt. Sicut Pharao Exod. 1. Sapienter opprimamus, inquit, eos, ne forte multiplicentur &c. *Eccleſia terribilis Diab. &c.*

Averte oculos tuos à me.

Duplex ſententia. Prima dehortatoria eſt, Averte oculos tuos à me, id eſt, ne ſpeculeris de Majeſtate, alioqui obrueris ab ea. Hanc non probo, videmus enim eſſe Sponſum in argumento conſolationis. Altera ſententia eſt commendatoria & amatoria, Averte oculos tuos à me, tam ſunt ſuaves & jucundi, ſic me irritant, ut non poſſim eos amplius videre. Non quod rejiciat oculos, ſed amatorio more, dum jubet, ut avertat eos, vult maxime ut non avertat.

Eſt igitur commendatio ordinum, in ſpirituali Regno. Oculi enim ſunt Doctores, quales fuerunt Helias, Heliſæus, &c. Illi tam mihi placent, inquit, ut provocent me ad ſuperbiam. Sunt inſignes conſolationes, quibus teſtatur Deus, ſe probare hujus populi politiam & cultum, ut corda concipiant plerophoriam, ſe placere Deo, &c. *Oculi.*

Capilli tui, ſicut grex Caprarum.

Conveniunt omnia cum ſuperiore deſcriptione. Sunt autem capilli, ſicut dixi, Sacerdotes & Levitæ, qui ſunt in vertice populi, & regunt verbo Dei populum. Gilead ſignificat cumulum teſtimoniorum, Ea eſt ſacra Scriptura, quæ vere continet cumulum teſtimoniorum. *Capilli. Gilead.*

Dentes tui, ſicut greges ovium, quæ aſcenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus.

Hoc quoque pertinet ad officium docendi, mordere & objurgare non odio privato, ſed ex charitate & pio zelo. Ideo ovium ſunt dentes. Quod autem addit de gemellis fœtibus, Significat fructum prædicationis. De genis ſupra. *Dentes. Gemelli fœtus.*

Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adoleſcentularum non eſt numerus.

Hactenus laudavit diverſa officia & ſtatus hujus populi, Laus tamen magis referenda eſt ad ipſum Verbum, quo regitur populus, quam ad perſonas quæ regunt. Nunc agit gratias pro Politia divinitus data, quod dimanaverit in tot Civitates & villas. Hic enim locus tenendus eſt per totum Librum, quod de Politia loquatur. *Gratiarum actio.*

Sexaginta igitur Reginas, & octoginta Concubinas, accipio pro Civitatibus locupletioribus & tenuioribus, quæ per totum regnum Salomonis in Syria, Idumæa, Palæſtina &c. fuerunt, & iiſdem legibus ſunt uſæ. Adoleſcentulæ ſunt reliquum Civitatum vulgus, quæ omnes divinis legibus adminiſtrabantur. *Reginæ. Concubinæ. Adoleſcentulæ*

Locus in libris Regum de multitudine uxorum Salomonis, pleriſq; hunc locum obſcuravit. Falluntur autem qui putant Salomonem tam libidinoſum fuiſſe, ut 2. Reg. 11. tot uxores duceret. Impoſuit ei neceſſitatem eam Lex, quæ jubebat, ut defuncto marito ſangvine proximi ſuccederent. Deſertæ igitur viduæ, videbant ſibi optime conſultum, ſi inter regias uxores aut concubinas eſſent. Hac occaſione tot mulierum factus eſt maritus Salomon. *Qua occaſione Salomon tam multas habuerit uxores.*

Digitized by Google

Vna eſt Columba mea, perfecta mea &c.

Dixi quod gratias agat de fructu, qui ſequitur ex verbo. Adminiſtratio illa non eſt fruſtra, Sunt Sexaginta Reginæ &c. quæ omnes ea utuntur. Et quanquam nulla ex his civitatibus ſic ſit pura, ut non multi perditi & nequam homines in ea ſint, Tamen in ſingulis aliqui ſunt pii, columbina ſimplicitate, qui ex animo hanc Politiam colunt & obſervant, qui eam tanquam ſummum Dei donum admirantur & prædicant, cum Verbum habeat, & in ea Eccleſia Dei ſit. Hæc eſt unica mea, mea una Columba, collecta ex toto Regno &c.

Viderunt eam filiæ Sion, & prædicaverunt beatam.

Pios & bonos cives, qui paſſim ſunt in Civitatibus, coguntur omnes laudare, etiam impii.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol.

Regnum Salomonis. Regnum Salomonis ſic conſtitutum & ornatum legibus celebratur ubiq; Prodit & illuminat totum orbem fama & gloria ſua. Cætera regna ſunt obſcuræ tenebræ collata ad hoc, quia ſunt obſeſſa per Satanam. Deus non miſit eis Verbum ſuum, nec illuſtravit ea radiis cognitionis ſuæ. Eſt igitur hæc Politia Salomonis, ceu aurora, Sol & Luna in mundo, propter Verbum.

Gentium regna.

Sunt autem inſignes conſolationes, quando politicus populus poteſt ſibi perſuadere, ſe talem eſſe coram Deo, qualem hic deſcribit. Nam coram mundo ſæpius videmus contrarium, Sicut etiam populi Iſraelitici hiſtoria nos docet.

Deſcendi in hortum nucum, ut viderem fructus convallium, &c. Non novi &c.

Finita conſolatione, ſequitur alia tentatio. Hactenus laudavit Regnum ſuum & egit pro eo gratias, Videt enim columbam, hoc eſt, aliquos in ſingulis civitatibus bonos, quorum pietatem & vitam probat.

Iam convertit ſe in alteram partem, & videt tantam multitudinem impiorum eſſe, ut nulli præ ea pii aut boni eſſe videantur. Sic enim fit, Vitia vehementius movent animos. Requiritur igitur hic ſingularis fortitudo, quam ſpiritus Dei ſuppeditat, ne frangatur aliquis aſpectu illorum malorum.

Multitudo impiorum.

Deſcendi, inquit, in hortum meum, Egi Epiſcopum & Viſitatorem, ut viderem fructus meæ Politiæ, Et ecce tanta impiorum eſt multitudo, ut cogar dicere, Neſcivi vel non novi, ſcilicet meam columbam. Cum enim æſtimamus numerum, tanta multitudo eſt impiorum, ut nulli uſquam videantur eſſe pii. Idem nobis accidit cum viſitamus Eccleſias, tot invenimus ubiq; vitia, ut merito aliquis deſperet de fructu Verbi, Et tamen manet columba illa, quanquam tecta malorum multitudine non cernatur.

Anima mea conturbavit me.

Hieronymi interpretatio. Admodum obſcurus hic locus eſt. Hieronymus ſic reddidit, ut recte conveniat cum ſententia, quam dixi, Veniſſe ſe ad aſpiciendos & quærendos fructus, Sed neſcire, hoc eſt, nihil invenire. Quod ſemper major numerus eſt improborum, Tum, ſi quis ſpectet, amitti quaſi bonos, & nuſquam apparere. Sed mihi aptius eſſe videtur, ſi conjungamus ſententias in hunc modum.

Neſcivi quod poſuit me anima mea, ut eſſem quadriga populi munifici.

Anima. Nam Aminadab appellative accipio. Eſt autem uſitata figura, quod Anima ponitur pro voluntate. Anima mea poſuit me in quadrigas populi, hoc eſt, Ego optavi eſſe quadriga populi. Sed hoc quoque neſcio. Sum quidem poſitus, ut præeſſem aliis, & regerem alios, Sed nolunt regi, volunt ipſi non parere, ſed regere, & principes eſſe &c. Sic enim ſolet indomitum vulgus.

Rever-

Revertere, revertere ô Sulamith.

Sponſus hic revocat Sponſam ab aſpectu malorum, ut mittat illa, & potius conſoletur ſe aſpectu bonorum, quæ habet. Eſt autem non levis ars poſſe vincere præſentem tentationem, & revocare animum à triſticia cogitatione donorum, quæ habemus. Quæ ſemper, ſi quis dextrè judicet, ſuperant & excedunt longè incommoda quibus premimur. Dicit igitur, Revertere & aſpiciemus te, Averte oculos ab incommodis præſentibus, Te inſpice, & videbis quanta in te beneficia & dona contulerit Deus. *Animus à malis ad conſideranda bona revocatur.*

Vocat autem eam Sulamithen, vel perfectam, vel pacificam, ut eam inſigni præconio avocet à triſtibus cogitationibus, quas concepit ex aſpectu malorum. Pacifica es, hoc eſt, Omnia ſe bene habent, abundas omni genere bonorum, Vel perfecta es, nihil tibi deeſt. Habes enim Politiam divinitus inſtitutam, habes Magiſtratus, qui regant, & ſubditos qui obædiant. Si qui inter hos mali ſunt, hi ne te moveant, Conſidera potius tanta dona tua &c. *Sulamith.*

Nos quoq; in privata vita hanc æquitatem retinere debebamus, ut patienter toleraremus levia quædam vitia, vel in amicis, vel uxore, cum tot aliis commodis penſata ſint, ſi quis modo recte æſtimat.

Quid videtis in Sulamith.

Quin potius recte, & ſicut meretur, inſpicite eam. Agnoſcite Deum & verbum Dei in ipſa, & rempub. non humano ſed divino conſilio, conſtitutam. Quid ergo in ea reprehendi poteſt? Deus Oeconomiam, Politiam, Eccleſiam hujus populi non ſolum dedit, ſed & approbat, neque hoc ſolum, ſed & promiſit ſe aſſore, &c.

Niſi choros caſtrorum.

Eſt inſtructiſſima ut non ſit periculum à multitudine impiorum, quod eam evertant. Deus adeſt & gubernat ſuum populum &c.

CAPUT VII.

Quam pulchri ſunt greſſus in calceamentis, filia Principis.

HIc deſcribit carmine Politiam, ſic ordinatam & ornatam, & fingit eam incedentem, ut ſignificet eam non ſolum habere excellentia dona, ſed etiam eſſe in quotidiano donorum uſu. Quod Sacerdotes verbum Dei doceant, magiſtratus recte jus dicat, &c. Hoc ſignificat, quod calceatam eſſe fingit. Neque enim puto eum velle allegoriam, quod ſit munita & vincta legibus &c.

Junctura femorum tuorum ſicut monilia &c.

Ferunt prohibitum fuiſſe apud Iudæos, ne adoleſcentes hunc librum legerent. Id quod alij ſic accipiunt, ne hac lectione adoleſcentes inflammarentur ad libidinem, Ego autem ob difficultatem potius interdictum fuiſſe puto, quod cum in totum Politicus ſit, inutilis eſſe videatur juvenibus, qui nullum humanarum rerum habent uſum. Nam & adoleſcentes ſine concupiſcentia de mulierculis loqui & audire poſſunt, ſi tanquam creaturam Dei eas conſiderent. Et Spiritus ſanctus habet caſtum os, & purum cor. *Lectio hujus libri prohibita apud Iudæos.*

Loquitur igitur hic de membris genitalibus tanquam de ſua creatura, qua abutitur caro & concupiſcentia, ſuo, non Spiritus ſancti vitio. Hæc ideo dico, ne quis hoc textu, qui amatorius eſſe videtur, offendatur. Sciendum autem eſt, quod Spiritus ſanctus in allegorijs magis ſpectet uſum quam formam rei. Quare hic mentionem facit membrorum generationis, ut ventris, umbilici, fœmorum, &c. ut fœcunditatem hujus populi deſcribat. Laudantur in mulierculis fœmora latiora, quod aptiora ſint, gerendo fœtui. Loquitur igitur Salomon de ſpirituali generatione in hoc populo, quod juventus inſtituitur ad miniſterium Eccleſiaſticum & Politicum. Ejuſmodi fœmora apud nos ſunt Scholæ, Et dicimus ideo infelicem Germaniam, quod hac apta & eleganti fœmorum junctura careat, & ſcholæ deſertæ ſic jacent &c. *Cur mentionem facit membrorum Generationis.* *Fœmora lata. Spirituali generatio.* *Fœmora.*

Vmbilicus tuus, Crater rotundus, cui nunquam vinum deſit.

Vis conceptiva, & generativa in umbilico eſt. Id quod ex Hiob arguunt *Vmbilicus.*

Iob 40.

Cap.

Cap. 40. Virtus ejus in umbilico ventris ejus. Significat autem parentes & magi- *Eccl. 40.*
Crater. ſtros juventutis. Hi ſunt velut Crater, cui nunquam deſit vinum, hoc eſt, non eſt inutilis eorum inſtitutio. Sic commendat Sponſæ Sponſus ea dona, quæ habet, ut conſoletur ſe præſentibus, & contemnat ea mala, quibus offenditur.

Venter tuus ſicut acervus tritici.

Venter. Umbilicus. Roſa. Inſtitutio & eruditio tua eſt fœcunda, ſicut cumulus tritici. Laudatur rotunditas in ventre, Sicut umbilicus depreſſior, & paululum infixus ventri laudatur. Roſas vocat ſcripturam & leges.

Vbera. *Duo ubera tua &c.*

Vbera habet, quibus generatos alit.

Collum tuum, ſicut turris eburnea.

Collum. Turrim dicit, quod ſit erectum. Eburneum, quod candidum & durabile collum ſit. Sunt autem collum Doctores & magiſtratus populi incorrupti, & firmi, qui non franguntur animo, non vincuntur odio, amore, precio &c. ſed rite faciunt officium ſuum.

Oculi tui, ſicut piſcinæ Hesbon, ad portam magnatum.

Oculi. De his piſcinis nihil legimus in ſcriptura. Sunt autem oculi Doctores, qui ceu piſcinæ redundant aquis, ut conſolentur, & fide & moribus infirmos. Oculi clari, pellucidi, ſicut piſcina.

Naſus tuus, ſicut turris Libani, quæ reſpecit ad Damaſcum.

Naſus. Rectus naſus quoque laudatur, Sed Spiritus ſanctus magis uſum ſpectat. Significat igitur Doctores & Magiſtratus diligentes, qui non ſtertunt, ſed ubiq; vigilant. Puto ſignificare ſpeculam aliquam, ad Aquilonem ſitam.

Caput tuum, ſicut Carmelus.

Caput. Caput ſunt ſummi in populo, Salomon ſcilicet cum Principibus ſuis, & Sacerdos ſummus. Hi ſunt tanquam fertiliſſimus mons, Non per ſe, ſed per magnificas promiſſiones, quas utriq; habent.

Et comæ capitis tui, ſicut purpura Regis &c.

Coma. Capilli. Mirabilis figura, quod capillitium vocat cannales, Et tamen ſi formam ſpectes, non multum abhorret à re. Capillus enim mulierearum dependens in humeros diſtinctus, & modice inflexus, ſeu tortus eſt, ut efficiat ſimilitudinem aquæ è cannali profluentis. Sunt autem hi cannales, ſeu capilli, ordines, tum Levitarum, tum Politici Magiſtratus, qui à Magno Sacerdote & Rege, ceu capillus à vertice capitis per dorſum ad inferiores corporis partes, fluunt. Quod autem addit, Sicut purpura, non reſpicit ad colorem, ſed ad materiam. Laudantur enim molles capilli, quos nos ſerico comparamus.

Quam pulchra es & decora.

Hic laudat Politiam tot donis ornatam.

Pulchram vocat, quod ſic bellè omnia officia diſtributa ſunt.

Decoram, quod hæc diſpoſitio ornet ipſam, & delectet omnes videntes & audientes ipſam.

Statura tua aſſimilata eſt palmæ &c.

Palma. Palma non cedit ponderi. Sic tu quoque es, gentes te non poterunt premere. Sacerdotes enim docent Verbum, & nihil morantur odium mundi, Iudices tui ſequuntur jus, & juſte judicant, nihil morantur invidiam mundi &c. Sicut eſt in 2. lib. Regum 14. Cap. Dominus meus Rex eſt, ſicut Angelus &c. *2. Reg. 14.*

Dixi aſcendam in palmam.

Adeo mihi places ſic inſtituta & ornata, ut cogar te amplecti. Sunt inſignes conſolationes, quibus Deus ſignificat ſibi grata eſſe & placere omnia, de quibus hactenus

by Google

ctenus dixit. Reſpondet enim ſuo Spiritu ſpiritui Salomonis, Recte eum facere, quod ſic vehat laudibus Politiam ſuam, & pro ea agat gratias, Et amatorie dicit, Aſcendam hanc palmam, id eſt, amanter complectar te & regnum tuum. Sic fiet ut

Vbera tua, fiant botrus vineæ

Non erit amplius lacte opus, ſed ſic confirmabo tuos cives, ut poſſint bibere vinum, durabo eos non ſolum ad ferenda, ſed vincenda quoque mala &c. Conjungit autem uberibus naſum. Vbera enim docent, Naſus autem cuſtodit & vigilat, & tuetur doctrinam. *Vbera. Naſus.*

Guttur tuum, ſicut vinum optimum.

Laudes tuæ & gratiarum actio, quam pro Politia offers, ſunt mihi gratiſſima, Guttur enim allegorice, ſignificat canere, laudare, gratias agere, Illa mihi ſunt ecu vinum, qui ambulat ad dilectum meum recte, (Sic enim vertendum eſt) Hoc eſt, ideo placent laudes tuæ, quia directæ ſunt in me, Non prædicas tuas vires, tuam juſticiam, me prædicas &c. *Guttur.*

Et dentibus illius ad ruminandum.

Nos ſic vertimus.

Quod commovet labia ſenum.

Verbum enim, quo hic utitur, ſignificat famigerare, & ſermonem ſpargere, ut ſit ſententia, Illas laudes & præconia illa, quibus mea beneficia celebratis, retinent & propagant ſenes, qui magnam cognitionem hiſtoriarum habent, in alios.

Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum &c.

Hic poſtulat Sponſa novum donum, pro quo poſtea aget gratias, Regnum Iſraël ſub Salomone fuit ampliſſimum, Imperavit enim Edomitis, Paleſtinis, Syris & Moabitis.

Orat igitur Sponſa, Quoniam habeat adhuc multos alios populos foris (Hoc enim agrum vocat) ut velit dare gratiam ſuam Sponſus, ut illi quoq; recte adminiſtrentur, & verbum in finitimas gentes propagetur. *Ager.*

Mane ſurgamus ad vineas &c.

Volumus videre, an in illis quoque ſint aliqui boni, & reipub. utiles viri.

Ibi dabo tibi ubera mea.

In iſtis locis quoque docebimus, exercebimus etiam apud illos cultum & Legem noſtram.

Mandragoræ dederunt odorem ſuum.

Non vult hoc, quod nos hodie Mandragoram vocamus, ſed ſignificat ſuavem & nobilem aliquem fructum, Sicut apparet ex Geneſi, & ex hoc loco. *Mandragora.*

Sententia autem eſt, Invenio fructum Verbi, etiam apud gentes vicinas, quæ fruuntur religione & Politia noſtra, Verbum non docetur ſine fructu, ſed generat etiam intergentes optimos homines.

Omnia poma nova & vetera.

Poma generaliter ſignificant omnes nobiles fructus arborum, Significat ſe abundare bonis civibus, quos abſcondit Sponſo. Hoc eſt, Gloria regni populi Dei non cernitur niſi in Verbo, quacunque alia parte eam ſpectes, ſordet. Ideo mundus non ſolum contemnit bonos, ſed perſequitur & odit. Non enim eſt dignus, ut vel pium hominem vel bonum opus videat, Ideo dicit Sponſa, Quæ abſcondi tibi. *Poma. Gloria populi Dei non cernitur.*

CAPUT VIII.

DIximus in principio, hunc Librum Salomonis eſſe, ceu Hymnum, in quo canit beneficia divina, exhibita populo ſuo per Verbum & gratias pro ijs agit. Videtur autem hic inſtituere concluſionem Cantici, & ora- *Argumentum totius libri.*

& orare pro futura dilatatione regni. Reſpicit enim in tempora Chriſti, quibus verbum & cultus Dei in totum orbem vulgandus erat. Sic oratur in Pſalmo etiam, Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *Pſal. 68.*

Quis mihi det, te fraterculum meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te &c.

Prætàs. Sententia eſt, ô Deus noſter, auge Regnum hoc in infinitum. Eſt in agro foris, hoc eſt, in vicinis gentibus, & optat tamen ultra procedere. Fingit autem Sponſum parvulum & ſugentem ubera matris ſuæ. Deus enim in illo populo, ſi alia regna ſpectes, in quæ erat propagandus, erat ceu infantulus. Dicit igitur, Es tanquam puer ſugens lac matris, Quis dabit mihi, ut te inveniam foris, propagatum per verbum *Oſculari.* Evangelij in omnes gentes. Addit autem, Vt deoſculer te. Oſculari enim eſt, Verbum dare, habere Evangelium. Hæc cum fient, inquit, non amplius deſpicient me homines. Sumus jam contemptus populus, Sed tum fiet, ut in omnibus regnis per totum orbem ſint aliqui, qui me colent, & laudabunt, qui amplectentur cultum Dei, & verbo Dei credent &c.

Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.

Prophetia de regno Chriſti. Tum deducam te in Synagogam. Sicut de Iohanne ſcriptum eſt, Convertet cor patrum in filios. Iudæi enim credentes in Chriſtum, non ſunt deducti ad nos Gentes, ſed ad patres ſuos, hoc eſt, ad fidem patrum. In eam familiam poſt nos gentes ſumus aſciti, ut jam ſimus unus populus.

Ibi me docebis.

Tum inſtituetur miniſterium docendi perfectum, cum per Spiritum ſanctum ita manifeſte adjuvabitur.

Et dabo tibi vinum conditum, & muſtum malorum Granatorum meorum.

Tum erit doctrina uberior & efficacior, quam unquam ſub lege fuit, Dabo vinum, quod bibes, id eſt, approbabis, Et muſtum malorum Granatorum. Hoc forte addit, ut ſignificet novum doctrinæ genus ex varijs Prophetarum teſtimonijs.

Lęva ejus ſub capite meo, & dextra ejus amplexabitur me.

Hactenus Canticum Salomonis audivimus, in quo cecinit de beneficijs præſentibus & præteritis, ac petijt in futurum propagari Regnum & doctrinam per orbem terrarum. Quæ in hoc capite ſunt, dixi eſſe tanquam Epilogum, quo refert, quæ per totum libellum tractavit.

Amplexus. Vtitur autem hic quoque amatoria figura, ſumpta à maritali complexu, per quem ſignificat, hoc regnum eſſe in tutela Dei, ac divinitus regi & formari. Hoc cum ita ſit, ut plane nihil dubitandum ſit de favore Dei erga nos. Ideo dicit,

Adjuro vos Filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis Dilectam.

Hoc eſt, Vos civitates, quæcunq; eſtis ſub hoc cultu Dei & regno, curate ut ſitis quietæ & pacificæ, ne excitetis motus & tumultus. Sed lætamini potius in iſta Gratia & Pace, ac obedite legibus, parete Magiſtratibus, In religione quoque cavete, ne turbetur aliquid, aut per idolatriam, aut alias blaſphemas opiniones. Hæc *Pax & juſticia coniuncta.* enim duo conjuncta ſunt, Pax non poteſt conſiſtere ſine religione ſeu juſticia, Secundum verſum Pſalmi, Pax & juſticia oſculatæ ſunt ſe mutuo. Supra obteſtationem addidit, Adjuro vos per Capreas, ut ſaltem ob reverentiam ſanctorum Patrum & Prophetarum, quos majores habuerunt, ſint quieti & tranquilli. Quod addit, *Pſal. 84.*

Donec ipſa velit.

Puto eum de occaſione loqui, quæ neceſſitatem imponit, Vos cives nolite eam excitare, ſi excitatur ab hoſtibus vicinis, facite tum quoque officium veſtrum, ut ſimul vigiletis, & conferatis operas & opem.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto innixa ſuper dilectum ſuum?

Non ſolum vicinæ gentes, ſed etiam ipſi, qui ſunt in populo hoc, mirantur ſic aſcen-

Digitized by Google

aſcendentem ex deſerto. Eſt autem hoc prædicatum perpetuum operum Dei, quod ceu ex deſerto & arida terra proveniunt. Impij florent & prodeunt, ceu ex Paradiſo incundiſſima, ubi nihil videtur eſſe quod deformitatis aliquid habere poſſit. Econtrà Eccleſia & populus Dei videtur ex deſerto prodire. Nam ejus gloria tantum in verbo cernitur. Si ex Paradiſo aſcenderet, miraretur eam mundus, ſed deſertum non miratur. *Prædicatum perpetuum operum Dei.*

Et tamen, inquit, innititur delitijs, quas ſcilicet Verbum affundit. Vbicunque enim eſt verbum Dei, ibi neceſſe eſt eſſe Spiritum ſanctum, fidem & alia Spiritus dona. Ideo rectè dicit eam inniti, & præſumere de Deo, in cujus verbo ſic pertinaciter hæret, Etiamſi quæ ſectæ ſint, tamen coram Deo obſcurantur & tantum videntur pij, Alij in nullo ſunt numero, Idem de peccatis & alijs infirmitatibus ſentiendum eſt. Ego olim hæc accommodabam ad animam & ad ſpeculativam vitam, Sed qui vult ſpeculativam vitam vere definire, is ſic definiat, quod ſit credere & inniti Verbo. Qui enim ſine Verbo ſpeculantur, ſubvertuntur à Satana, Sicut non ſemel expertus ſum. Quare ſomnia iſta abjiciamus. *Speculativa vita.*

Sub pomo ſuſcitavi te.

Quod interpres reddidit, Ibi corrupta eſt mater tua, manifeſtus error eſt Nam vocabulum pœnæ commutavit in vocabulum culpæ. Verbum enim hic proprie ſignificat laborem enitendi, ſeu dolores partus, Quanquam alicubi accipiatur pro corrumpere & vulnerare. Mater eſt reſpublica, Cives ſunt filij. Hos, inquit, ſub Pomo excitavi, ibi te edidit, ſeu enixa eſt mater tua. Nam regnum Iudæorum non ita amplum fuit, ſi ſpacium conſideres, Comparatur igitur non magnæ arbori, ut ſit ſeminarium futuri regni Eccleſiæ, quod per omnes terras vulgabitur. *Mater. Filij.*

Pone me, ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.

Hæc eſt exhortatio Sponſi, ut Sponſa maneat in verbo, nec patiatur ſe extra Verbum, aut ad cogitationes, aut ad cultum alium abduci, Age, inquit, ſim tibi ego, ceu ſignum, ſeu annulus, quo me agnoſcas, & ex corde complectaris. In me reſpice, in me fige oculos atque cor. At ubi es tu? In verbo, inquit, in Ieruſalem & in templo meo. Hoc ſigillum affigito cordi tuo &c. Quod non tantum ſuper cor, ſed etiam ſuper brachium vult poni, Significat fidem & charitatem ſimul, ut ſecundum Verbum Dei & credamus & vivamus. Id cum ſit, tum vere in ornatu divino incedimus, & ſigillum hoc rectè geſtamus. *Exhortatio ut Eccleſia retineat puritatem doctrinæ.*

Quia fortis eſt, ut mors dilectio & dura, ſicut infernus, æmulatio.

Parum apta videtur hæc eſſe ratio, Sed quia hic locus habet deſcriptionem vitæ ſpiritualis, aptiſſime convenit hæc ſententia, Quia enim ad Fidem & charitatem retinendam hortatur, ſignificat magno & infracto animo opus eſſe propter varias tentationes, quæ pijs obijciuntur. Sed talis animus quomodo poteſt deſcribi melius, quam ſi vocetur fortis dilectio? Hic enim affectus inter reliquos omnes regnat, Sicut non ſolum honeſtus & maritalis amor, qui ἔρως dicitur, oſtendit, Sed etiam furor ille invenilis & ſtultus. Verum enim eſt, quod Poëta dicit, Omnia vincit amor.

Inquit ergo Sponſus, Si me vere diligis, retinebis ſigillum meum, & quicquid triſtitiæ ac incommodorum tibi à mundo & Satana objicietur, hoc vinces. Amor enim eſt fortis ſicut mors, quæ omnia domat, Et eſt dura æmulatio ſeu zelus, ſicut infernus, qui non poteſt flecti precibus, ut reddat mortuos. Zelum poſſumus appellare, Ein zornige Liebe / ubi nimio amore, non odio perſonæ iraſcimur. Ideo autem ſimilitudinibus Mortis & inferni utitur, ut oſtendat pium populum futurum in mortis & inferni ſenſu, Sicut Paulus dicit, Quotidie morimur, Rom. 8. *Amor. Zelus.* *Rom. 8.*

Lampades ejus ut lampades ignis atque flammarum.

Quod vertit, Atque flammarum, in Ebræo eſt, Flamma Dei. Significat autem utroq; inexhauſtum & infinitum ardorem charitatis, qui non poſſit extingui, Diſtinguit enim ignem Dei ab alio igni materiali, quod ignis Dei ſit æternus & inextinguibilis, qui non poſſit accendi aut extingui humano arbitrio. Hunc ignem, inquit, quem Deus ſic in te accendit, non mors, non infernus, non omnes mundi & Satanæ injuriæ poterunt extinguere, Cedit enim amor nemini, & amori cedunt omnia.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

Aquas multas vocat, ſicut Chriſtus Matth. 7. cum loquitur de domo poſita ſupra petram, Nulla vis tempeſtatum, inquit, extinguet amorem hunc, ſed magis etiam accendet. Qui enim ſerio Verbum complexi ſunt, hi irritantur quaſi tentationibus & cruce, ut propius id complectantur. Omnium igitur tentationum hic finis eſt, ut etſi conentur nos à Chriſto divellere, tamen magis nos cum Chriſto conjungant. Matth. 7.

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione &c.

Eſt inſignis adhortatio, qua monet populum, ut magno ſtudio & cura Verbum retineat. Sicut igitur monuit hactenus perdurandum eſſe in calamitatibus, & non cedendum, ita hic in alteram partem jubet, nempe, ut neq; opibus & potentia ſinat ſe alio transferri. Futurum eſt, inquit, ut amatores alij tibi inſidientur, ut ſollicitent te non ſolum cruce & minis, ſed etiam promiſſionibus & opibus. Sed memineris, quid amor faciat, Deſpicit enim omnem ſubſtantiam, contemnendo contemnit omnia. Sic Auguſtinus, Amor eſt pondus omnium rerum, nec poteſt ullo precio redimi.

Soror noſtra parvula, & ubera non habet.

Supra monui, Salomonem in fine hujus cantici reſpicere ad ſpirituale regnum Chriſti, quod expectabatur futurum longe amplius & majus, quam corporale Regnum populi Iudaici fuit. Nec dubium eſt, quin ſermonibus communibus hæc ſæpe & multum agitata ſint, Sed in eo error erat, vulgus putabat, Chriſti regnum corporale futurum eſſe, Non intelligebat, Sic Chriſtum regnaturum per Verbum, ut tamen regna mundi ſuum tenerent curſum.

Salomon igitur ſic dicit, Si ſpectemus amplitudinem ejus Regni, quod per novum Teſtamentum Chriſtus inſtituet, Tunc noſter præſens populus recte comparabitur parvulæ puellæ, nondum habenti ubera, hoc eſt, nondum maturæ ſatis ad prædicationem Evangelij, per totum mundum ſpargendi. Sed etiam querelæ ſignificatio hic propoſita eſt, ut hæc ſit ceu communis vox omnium Prophetarum & Sanctorum in populo Legis, ſuſpirantium ex carcere legis, in latitudinem Evangelij, ut Deus maturet promiſſiones de Chriſto factas, &c.

Quid faciemus ſorori noſtræ? &c.

Inſignis affectus animi accenſi expectatione futuri Chriſti, Sicut Chriſtus in Evangelio quoque dicit, Amen dico vobis, multi Reges & Prophetæ voluerunt videre & audire, quæ vos videtis & auditis, ſed neq; viderunt nec audierunt. Ita hic Salomon in perſona omnium Sanctorum, Quid faciemus? Q. d. Qualis & quam jucunda illa temporum facies erit? Quod addit,

In die, quando alloquenda eſt.

Pulcherrima & non obſcura ſignificatio eſt, Regnum Chriſti in Verbo tantum eſſe poſitum. Non enim dicit in die, quo ornanda, in thalamum deducenda eſt, Sed alloquenda, nempe, per Apoſtolos & ipſum Chriſtum, ſuaviſſima prædicatione Evangelij, qua docebitur de gratia Dei & remiſſione peccatorum, Q. d. Hodie non eſt dies alloquendi, ſed tacendi. Sumus enim adhuc in carcere legis poſiti, & quaſi

& quaſi ſcintillam procul videmus, revelandi Verbi, per quod regnum Chriſti in totum orbem propagabitur. Iam reſpondet, ſed obſcuriſſime.

Si murus eſt, ædificemus ſub eum propugnacula argentea.

Populus Dei comparatur muro turrito.

Hæc fatis videntur monſtroſa eſſe, quod ſororem comparat muro, quem velit ornare argenteis turribus, & oſtio, quod velit ornare Cedrinis tabulis. Sed hic quoq; dicam ſententiam meam, Mihi videtur, quod comparet populum Dei, quem ſororem vocat, tempore Evangelij, muro turrito. Per miniſterium Verbi enim munitur Eccleſia, ceu muro, contra omnes falſas doctrinas, etiam contra portas inferorum. Quod autem meminit non unius ſed plurium turrium, ſeu propugnaculorum, quæ in hunc murum collocare velit, recte refertur ad miniſteriorum varietatem, quæ in Eccleſia requiritur, Sicut Paulus oſtendit Epheſ. 4. Commendat igitur in novo populo miniſterium Verbi, & promittit ſe eum non deſerturum, ſed ædificaturum, ut conſtituantur, ceu in ſpeculis miniſtri, qui cuſtodiant Civitatem.

Varietas miniſteriorum in Eccleſia.

Epheſ. 4.

Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis Cedrinis.

Cedrus commendatur non ſolum ab odore, ſed ab æternitate quoque, non enim putreſcit, Hinc illud Perſianum, Cedro digna locutus. Oſtium autem vocat Doctores, ſeu Catechiſtas in Eccleſia, per quos quotidie ingrediuntur & egrediuntur aliqui.

Cedrus. Oſtium.

Murus igitur pertinet ad defenſionem, oſtium autem ad doctrinam. Sicut Paulus quoq; hac figura utitur, Oſtium mihi magnum apertum eſt, Et ſignificat hæc ipſa figura incrementum Eccleſiæ. Dum enim quotidie prædicatur Verbum, ſemper aliqui novi accedunt, quorum corda Spiritu & amore Dei accenduntur.

Murus.

1. Cor. 16.

Ego murus, & ubera mea, ſicut turris.

Eccleſia murus eſt.

Hæc Sponſæ vox eſt, jam maturæ. Eccleſia enim poſt datum Spiritum ſanctum, & verbum revelatum, vere murus eſt contra Satanæ & hæreticorum inſidias, Et habet ubera, turris in modum firma, quibus docet, conſolatur, erigit &c. Hæc autem doctrina & conſolationes hæ, certiſſimæ & firmiſſimæ ſunt, in quibus animi acquieſcunt, in alijs non acquieſcunt, ſicut experientia oſtendit.

Ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem inveniens.

Doctrina. Defenſio. Lex. Evangelium. Deum timer

Vbi hæc duo ſunt, recte docere & defendere contra lupos, ibi neceſſario ſequitur pax & tranquillitas. Contra, ubi alterum horum aut ambo deſiderantur, ibi fruſtra expectatur pax. Reſpicit autem oblique ad Legem, ibi enim ſub duris imperijs exercebatur populus, Sed Evangelij doctrina veram pacem affert, ne corda dubitent de miſericordia Dei. Ac ſane ſumma calamitas eſt, Deum tacere & non loqui, Tanto nos hoc tempore decebat eſſe gratiores, poſt tantam lucem revelatam.

Vinea fuit pacifico.

Vinea.

Interpres fallitur, utrumq; enim judico proprium nomen eſſe, ut ſic textus legatur, Salomon habet vineam in Baal Hamon, Vt alterum perſonæ, alterum loci nomen ſit. Quanquam Baal Hamon nuſquam alibi reperitur. Sic autem conjungo hæc cum ſuperioribus, Salomon in fine Cantici, ad finem populi, hoc eſt, ad Regnum Chriſti reſpicit, in quo verbum Gratiæ erat divulgandum per totum orbem terrarum, Ejus regni, quia reliquiæ Iudæorum initium fuere, Ideo totam Eccleſiam appellat ſuam vineam, & dicit eam eſſe in Baal Hamon, hoc eſt, in maxima multitudine & loco copioſiſſimo. Baal enim herum ſignificat, & Hamon multitudinem.

Baal Hamon.

Vt conſoletur populum ſuum, & ſpem faciat promiſſionum certe exhibendarum, quod quantumvis exiguum regnum, ſi ad alia gentium regna compares, ſit ſeminarium futuri regni Chriſti, quod eſt regnum multitudinis. Quia non loco, non perſonis certis, finitum eſt, ſed eſt in omni loco, inter omnes, uſque ad finem mundi. Hæc ſententia mihi magis placet, quanquam nihil impedit, quin

Regnum Chriſti.

Epilogus libri.

accipias, ceu Epilogum totius libri, ubi ſuum regnum commendat, Et quamvis coram mundo exiguum eſſet, tamen dicit ampliſſimum eſſe reſpectu verbi Dei. Ad hunc modum, quæ ſequuntur ad externam adminiſtrationem referri poſſunt, Sicut Hiſtoriæ docent, Salomonem ſumma cura & ſtudio adminiſtraſſe regnum. Sed nos, ob Evangelij honorem, volumus perſequi ſpirituale regnum, cujus ceu ſeminaria fuere populus Salomonis.

Tradidit eam Cuſtodibus.

Cuſtodes vineæ Apoſtoli &c.

Hæc vinea, non jacebit ſine cultu neglectu, ſed habebit cultores ſuos, Apoſtolos, & alios miniſtros verbi, per quos Spiritus ſanctus varijs donis ornabit Eccleſias.

Vir tradit pro fructu ejus mille argenteos.

Millenarius numerus.

Numerus finitus eſt pro infinito. Quia autem millenarius numerus, eſt ultimus, ſignificat cuſtodes illos venire, cum pleniſſima mercede & ampliſſimis fructibus. Sic Petrus, Paulus, Iohannes &c. Cuſtodes poſiti, hanc vineam cum maximo fructu coluerunt. Neq; enim verbum Dei poteſt ſine omni fructu doceri.

Vinea mea coram me eſt.

Deus adeſt vineæ ſuæ.

Sic vinea hæc eſt mandata cuſtodibus, ut tamen Dominus ipſe eam inſpiciat. Sicut ille dicebat, Deus non condidit mundum, & abijt. Inſpicit, imo adeſt, cum miniſteria obeuntur, & eſt efficax. Sic in Politia non bene faciunt officium, qui non ipſi inſpiciunt negocia.

Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus ejus.

Ego retineo proprium, Mille tibi ô Salomon. De Politia facilis ſententia eſt. Nam Princeps eſt Dominus omnium, Qui autem principi locant operas, ſinguli pro merito ferunt mercedem. Sed ſi ad regnum Chriſti & verum Salomonem reſpicimus, non obſcurum eſt, quid Iohannes dixerit, De plenitudine ejus accepimus omnes. Etſi enim ducentos habent Cuſtodes, hoc eſt, etſi Sancti ſua dona habent, tamen Chriſtus fons donorum omnium eſt. *Ioan. 1.*

Quæ habitas in hortis.

Horti.

Hortos pluraliter vocat, aut politice diverſos principatus Salomonis, aut ſpiritualiter Eccleſias. Eſt autem exhortatio, ut ſumma fide adminiſtrentur Eccleſiæ, eſſe enim, qui omnia inſpiciant & obſervent.

Fac me audire vocem tuam.

Poſtquam admonuit eſſe, qui Sponſam obſervent, etiam hoc monet, ne taceat, ſed loquatur. Hoc enim reliquum eſt, ut verbum Dei aſſidue exerceatur, ne aut faſtidio, aut contemptu, aut odio verbi, opprimamur. Sicut Iudæi faſtidiebant Manna, & reſpiciebant ad ollas Ægypti.

Fuge dilecte mi.

Hic Sponſa quoque Sponſo valedicit, & rogat, ut finiat iſtam captivitatem legis, & liberam Evangelij doctrinam in Mundum, tanquam in varios montes, ſpargat, & ſit ſimilis Capreæ, non uno in loco ſubſiſtenti. Ad hunc modum ego hunc librum intelligo de Politia Salomonis, Quod ſi erro, veniam meretur primus labor. Nam aliorum cogitationes, longe plus abſurditatis habent.

Epilogus huius enarrationis.

FINIS.

ANNO-

by Google

ANNOTATIONES D. MART. LUTH. IN ALIQVOT CAP. MATTHÆI, AB AVTORE, NON VT EDERENTVR, sed in amici cujuſdam priyatum uſum, ſcriptæ.

ANNO M. D. XXXVIII.

D. MARTINUS LUTHERVS PIO LECTORI.

EAs annotationes jamdudum periiſſe putaveram, atque adeo neſcieram, hoc ſcriptum appellatum eſſe Annotationes, donec per fratres, qui aſſervarant & ad edendum paraverant, mihi offerretur. Caſu enim factum eſt, ut Amiculo cuidam, tunc temporis Matthæum profitenti, inter cœnandum (ſpacijs excluſus iniquis) cum materiam in chartulis ſignarem, nihil minus veritus, quam ejuſmodi cogitationes reſervari ad editionem. Nam ſatis abunde eſt librorum, tum priorum, tum recentium, ut ego non invitus videam meorum Librorum interitum. Ego ab adverſarijs per vim in publicum tractus, nihil aliud ſpectavi, quam ſi meo officio poſſem ſtudioſos ducere ad ipſos fontes, ſcilicet, ad ipſas ſacras literas. Quo officio, videor mihi non omnino infeliciter, per Dei gratiam, perfunctus. Et extant nunc ipſa Biblia, tum Ebræa, Græca, Latina, tum etiam noſtra Germanica, ita pro majore parte illuſtrata, ut quilibet (modo ſit pius & ſtudioſus) ſeipſum in ſacris ſcripturis, abſq; meis libris ſaginare poſſit.

Igitur neq; volens neque cupiens hæc edo Annotationes, ſed patiens & cedens Fratrum voluntati, quod res ipſa docebit, cum non ſit integer Commentarius in Matthæum. Hoc enim feciſſem, ſi edi in Matthæum Annotationes (ut titulus jam typis excuſus gloriatur) voluiſſem. Sed ſicut incidi forte in profeſſorem Matthæi octavo Cap. ita deſiti cum eodem, conventum eſſet ad XVIII. Ita fit, ut tantum decem Cap. Annotationes excuſa ſint, Licet titulum, quaſi in totum Evangeliſtam Annotationes jactet.

Quare æquus Lector hanc Synecdochen vel hyperbolen Titulj bonj conſulat, Fratribusq; ignoſcat, de me ſentiat, quicquid libuerit. Ego enim ſuperfluum porro & inutilem me judico ad edendum plura in Bibljs ſacris, quæ jam ſunt de ſubmodio Papatus extracta, & ſuper Candelabrum elevata, ut per ſeſe luceant clarius, quam Soliſte, omnibus ingredientibus denuum Chriſti. Et ſi recte penſemus, plus eſt jam valde multo Librorum quam Lectorum, Et plus etiamnum Scribentium fere quam Diſcentium, ut periculum ſit, ne dum nullus eſt Libros faciendi finis (ut Salomo querulatur) brevi tempore multitudo non optimorum Librorum obruat paucitatem optimorum, Et rurſus tandem ipſa quoque Biblia obſcurata redigantur ſub modium aliquod infelicius, quam prius.

Ita videmus poſt Apoſtolos accidiſſe, qui Biblia in lucem produxerant, ſed poſteritas, auctis in immenſum libris, eo tandem deduxit rem, ut pro Bibljs, Doctores, Patres, Concilia, poſtremo decreta, Sophiſtas & infinitas hominum feces docere & diſcere cogeretur Eccleſia, Ierem. 2. *donec illud impleretur Ieremiæ, Populus meus oblitus eſt mei diebus innumeris. Hæc cauſa eſt, quare meos Libros, non cupiam ultra hoc Seculum, cui ſervierunt, extare, Deum dabit alijs* ☞ *ſeculis, ſuos operarios, ſicuti fecit ſemper.*

Quare unusquiſq; noſtrum videat, ut ita ſcribamus, legamus, doceamus, diſcamus, me relictis Bibljs demum nobis acervemus, Patres, Doctores, Concilia, decreta, Articulos, Decretales & colluviem humanarum traditionum & opinionum, Faciant nos non aliena, ſed propria pericula cautos. Dominus dirigat & ſervet nos in puritate & unitate fidei & veritate verbi ſui,

AMEN.

CAPUT I.

Liber Generationis Ieſu Chriſti, filij David, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac &c.

ROgatus ſum, ut principium Matthæi uno aut altero verbo augerem, ne Liber jamdudum excuſus, exiret adeo truncus ſtatim in facie prima. Et ſane 5. 6. 7. Capita putant alias à me ſatis copioſe tractata, & me judice, copioſius quam vellem, Tantum hæc priora quatuor deſiderant aliquantum illam faciem. Verum nec ocium, nec voluntas mea ſinit, hoc præſtare etiam fratribus, Tamen ne nihil facerem, hoc unicum pro principio primi cap. volui adjicere.

Paulus item ex præcepto rationem Genealogiarum prohibet.

Primum ipſæ Genealogiæ ſunt ab alijs ſatis diligenter expeditæ, Et præter Philonem & veteres, habes D. Philippum Melan. & Iohan. Brentium in ſuis tabulis. Ex his petes, ſi quid de hac re ad populũ docendum fuerit. Nam expeditiſſimam rationem omnium genealogiarum, S. Paulus etiam prohibuit, nedum docere voluit, vocans eas interminatas & inutiles. Evangeliſtis fuit ſatis, craſſa & pingui ratione oſtendere, Chriſtum veniſſe ex Abraham & David. Spectant enim promiſſiones Dei, magis quam exquiſitiſſimas generationum ſupputationes. Promiſſus eſt autem Chriſtus, non Nahor aut Haran, fratribus Abrahæ, Sed ipſi ſoli Abrahæ, Promiſſus deinde non tribui ſacerdotali, aut ulli alteri, ſed tantum David & regiæ tribui, ut doceret Spiritus ſanctus Leviticum ſacerdotium non duraturum eſſe ultra Chriſtum, futurum Sacerdotem de tribu alia, ſcilicet Davidis, ut egregie diſputat Epiſtola ad Ebræos.

Matthæus ostendit Christum ex tribu Abraham & David natum esse.

Quare hoc ſatis eſt ſcire, ex iſta genealogia, Chriſtum veniſſe ex tribu David, filij Abrahæ. Quo ſtante, fruſtranea eſt interminata Diſputatio, de omnium ſpecierum & generum generationibus, Nam hoc poſito, quod Chriſtus Rex & Sacerdos de tribu Iuda veniat, funditus evertitur ſacerdotium Leviticum, Et falſum eſt, quicquid Iudæi de ſacerdotio ſuo Levitico quaſi æterno gloriantur, Cum Chriſtus Rex & Sacerdos, etiamſi adhuc eſſet (eorum errore) venturus, tamen Leviticum eorum ſacerdotium tolleret, & ei ſuccederet, Quia ſcriptum eſt, Tu es ſacerdos in æternum. Voluit ergo Matthæus ſtatim in principio Iudæos docere, Ceſſaſſe eorum cultum & ſacerdotium & regnum, dum ſtatim inducit illum hominem Ieſum à Nazareth (qui haud dubie venerat, ipſis non ſolum ſcientibus, ſed crucifigentibus quoq;) eſſe Chriſtum filium ſcilicet David, filij Abrahæ, Certe Iudæi negare non potuerunt, Ieſum illum hominem eſſe ex tribu David filij Abrahæ. Hoc enim præſupponit ſecure Matthæus, ex ipſorum quoq; Genealogijs. Sed hoc urget, Hunc ipſum Ieſum eſſe Chriſtum, quem illi expectabant promiſſum. *Psal. 110.*

Nato Christo cessat Sacerdotium & regnum Iudaicum.

Ideo etiamſi Evangeliſtæ nullas texuiſſent generationes, tamen certum fuiſſet apud Iudæos, Ieſum eſſe de tribu David, filij Abrahæ. Tamen voluerunt morem populi iſtius utcunq; ſervare, ne viderentur forte generationes vel negligere, vel omnino falſas reputare, & ita autoritatem Librorum ſcripturæ Regum & Moſi contemnere, In quibus generationes hujuſmodi ſtudio videntur deſcribi. Allegat igitur ſolos iſtos duos Patres Abraham & David, quibus duobus ſolis facta eſt de Chriſto promiſſio, in iſto populo. Nam quod de Semine mulieris, idem Chriſtus Adæ promittitur, hæc promiſſio eſt extra populum hunc & ſemen Abrahæ, ideo nihil eum moviſſet. Quare Matthæus hunc ſolum petens populum, promiſſiones Abrahæ & David urget, ut ipſos ceu hæredes promiſſionis ſuaviter moveat ad recipiendum ſibi promiſſum Chriſtum, & hunc eſſe Ieſum iſtum ab eis crucifixum.

Lucas vero omnes genealogias deducit usque ad Adam.

Lucas vero latius vagans, veluti gentibus omnibus Chriſtum communem facturus, deducit ejus generationem uſque ad Adam, cui eſt prima de Chriſto facta promiſſio, pro omnibus gentibus, non tantum pro ſemine Abraham.

Sicut

Sicut igitur Matthæus probare vult Chriſtum Iudæis veniſſe, ſecundum promiſſionem Abrahæ & David factam, Ita Lucas vult oſtendere, eundem Chriſtum non ad ſolos Iudæos pertinere (ut ipſi odio & invidia cæci cogitant) ſed etiam ad ipſum Adam & ſemen ejus, id eſt, ad omnes Gentes totius orbis. Id quod poſtea omnes Prophetæ clamant, Et illa ipſa promiſſio Abrahæ facta ſatis explicat, dicens,
Gen. 12. *Omnes Gentes benedicentur in Semine tuo.* Quid hic excluditur? Omnes gentes includuntur, Hoc ſolum excluditur, quod non Abraham per ſemen omnium gentium benedicatur, Sed contra omnes gentes per ſemen Abrahæ. Nonne & gentium De-
Rom. 3. us? an Iudæorum tantum? Rom. 3.

Quid multa? Ipſe Matthæus ſatis indicat ſeſe Generationes non voluiſſe Iudaico rigore numerare, & ſcrupulos ferere. Nam quaſi Iudæus, facit tres Teſſaradecades, Patrum, Regum, Ducum, prudenter & ſcienter omittens in ſecunda tres generationes, Q. d. Sunt generationes non quidem contemnendæ, Sed vis ſita eſt in promiſſio Chriſto per generationes Abrahæ & David. Contra, Lucas velut ſtudio alia captat in Regibus & ducibus nomina, quaſi ſignificet, non iſtius populi & nominis proprij eſſe Chriſtum, ſed totius generis humani. Sed de his ſatis, cum parum ædificent, & diſputatio diſputationem gignat.

Secundum in hac Genealogia obſervandum, quod S. Hieronymus indicat, doctrina & eruditione plenum, ſcilicet, quod Chriſtus voluerit per peccatores naſci, qui propter peccatores ſalvandos venerat. Ipſe enim in ſua Genealogia non contemnit illum verſum Germanicum, **Wer nicht Hurn vnd Buben in ſeinem Geſchlecht hat etc.** Nam hic Iuda Patriarcha ſcortaror, & filij ejus ex ſcortatione nati, Phares & Zaram, Item adultera Bathſaba, & impijſſimus Rex Ioram iuducuntur, Sic tamen, ut ſcias poſt pœnituiſſe & non perduraſſe in peccatis ſuis. Licet enim Salomon genitus ſit, ex Bathſaba quondam adultera, tamen tunc non fuit ipſa adultera, cum Salomonem pareret, mortuo nimirum filio, ex adulterio nato, & ipſa jam ducta in uxorem Regiam. Vnde illi ſatis impie & inſulſe ſcribunt, qui Salomonem Manſer vocant, id eſt, ſpurium. Non enim eſt conceptus Vria vivente, ſed poſt in regiam uxorem ipſa ducta. Veruntamen, ut nihilominus Deus ſignificaret, ſe odiſſe adulteria, noluit lineam ſuæ generationis per Salomonem, ſed per Nathan fratrem ejus duci. Ita ſimul eſt conſolatio, quod peccatores Chriſtus non dedignatur ſuos Patres & Majores. Et tamen non dignatur peccatores perſeverantes. Peccaſſe non damnat, Non pœnitere hoc damnat, *Manſer.*

CAPVT II.

VM ergo natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudeæ, in diebus Herodis Regis, Ecce magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes, Vbi eſt, qui natus &c.

PRIMO totum ſecundum Cap. dividitur in duos locos communes, In revelationem & perſecutionem Chriſti. Hæc duo enim agit S. Matthæus. Revelatio fuit neceſſaria, quia ignoti nulla cupido, & doni ignoti nulla utilitas, nihil profuiſſet naſci Chriſtum, ſi occultus manſiſſet. Hæc eſt ergo ratio hujus Feſti, ut grati memoreſq; ſimus hujus doni, ſeu beneficij & apparitionis. Hic qui volet, poteſt rhetoricari, in laudando dono revelationis, à neceſſario, ab utili, à jucundo, ab effectu, à fructibus. Contra in deploranda occultatione, ſi non eſſet revelatum, à periculo, à miſeria, ab effectibus & fructibus contrarijs &c. Hic eſſet unus integer Sermo & prolixus, pertinens ad gratiarum actionem, ad exhortationem, ad movendos affectus in lætitiam & fiduciam. *Loci principal. huius Capitis.*

Secundo, Ipſa revelatio dividitur in ſuas partes, Quarum prima eſt ſtella, Secunda, confeſſio Magorum, Tertia, teſtimonium Sacerdotum, Quarta, Herodis impij confeſſa formido. His omnibus prædicatur & revelatur Chriſtus natus, ſcilicet, à ſtella creatura muta, à Gentibus alienis, à populo proprio, ab hoſte *Revelationis partes.*

tized by Google

hoſte & perſecutore, ut ſit inexcuſabilis, qui Chriſtum neſcit eſſe natum. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam, Et tu Bethlehem &c. *Micha.*

Tertio, Iſtis revelationibus confirmatur & probatur prophetia Michæ de Chriſto naſcituro, Et facta eſt Hiſtoria rei factæ, ex prophetia de re futura. Hic igitur proprius locus eſt hujus Evangelij, de Chriſto ſcilicet, qui per Micham definitur, Quis in perſona, qualis in officio. Perſona eſt, Ex tribu Iuda, civitate Bethlehem, verus filius David, veruſq; homo, Ex Patre in æternitate, verus filius Dei, verus Deus, ut in Micha latius patet. Officium, quod eſt dux populi Dei, ſed differenter Dux. Non ſicut David & alij mortales, & ſucceſſores eorum. Hic unus & immortalis ſine ſucceſſore, quia æterna perſona eſt, ut Micha ait, Egreſſus ejus ab initio ante dies mundi.

Qui regat populum meum Iſrael, Id eſt, ſalvet, defendat, gubernet, contra peccatum, mortem, diabolum. Certum eſt enim, Micham loqui, de promiſſo Meſſia, Quod Sacerdotes ipſi fatentur ad Herodem, Ergo verus & unicus ille Dux, eſt Salvator mundi. Hic contrariis dilatari poteſt Sermo, quomodo Moſes, Philoſophi, Iura, Reges, Sapientes mundi, nihil ſunt ad iſtum Ducem, quia nec perſona nec officio conferendi. Illi enim nec ſeſe ſalvare poſſunt, tantum temporaliter ſerviunt, Sed hic in æternum &c.

CAPVT III.

IN diebus autem illis venit Iohannes Baptiſta, prædicans in deſerto Iudeæ, & dicens, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum. Hic eſt enim, de quo dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem, Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini &c.

Initium novi Teſtamenti.

HOC Cap. eſt deſcriptio novi Teſtamenti, quomodo exordium ſumpſerit. Nam hic proprie incipit regnum Chriſti, & ipſe officium ſuum ſuſcipit. Vnde & Marcus & Iohannes etiam hic incipiunt novum Teſtamentum. Hic omnia nova fieri incipiunt, Hic Prophetiæ impleri incipiunt. Quia cum Chriſto incipiente, omnia debent incipere, & alia fieri, Ita & omnia præterita ceſſare, ſcilicet Lex, Moſes, Regnum corporale in populo Dei. Hæc enim eſt Prophetarum omnium una vox, &c. Sed ne populus Iſraël ſeſe excuſet de non recepto novo Rege, præmittitur novus Propheta, novus ritus, nova prædicatio, ut iſtis novis populus moveretur ad recipiendum. Nam natura omnes movemur novitate.

Cum Chriſto nouata omnia, incipiunt ad eum recipiendum.

Iohannes Baptiſta. Baptiſmus. Varij baptiſmi in Moſe.

Primo, novus Propheta, eſt Iohannes, in toto populo maximæ autoritatis, & cui nemo audebat refragari, Ideo credendum ei fuit. Secundo, novus ritus, fuit pabtiſmus in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, Cum antea varij erant, in Moſe baptiſmi rerum, eorporum, carnis, ſed non in pœnitentiam neq; remiſſionem peccatorum, ſed tantum ad mundiciem carnalem, ut veſtium, cutis, ollæ, vaſis &c. Hic etiam credendum fuit autoritati Iohannis tanti Prophetæ. Tertio, Prædicatio nova, hac omnium maxime moveri debebant. Quia docuit clare & manifeſte, Chriſtum illum verum adeſſe, ut Iohan. 3. dicit, Ego non ſum Chriſtus, ſed ſum miſſus ante illum. Item in medio veſtrum ſtat, cujus non ſum dignus, &c. Ipſe eſt. Iam ſciebant & linguam intelligebant, quod mitti ante Chriſtum, coram facie ſua, aliud longe eſſet, quam mitti ante tempora, Sicut alij Prophetæ miſſi ſunt de futuro Chriſto, Sed hic Iohannes ſolus, de coram poſito Chriſto. *Iohan. 3.*

Miſſi ante Chriſtum.

Tunc venit Ieſus à Galilæa ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo. Iohannes autem prohibebat eum dicens, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondens autem Ieſus, dixit ei, Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſticiam, Tunc dimiſit eum. Baptiſatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua. Et ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut Columbam, & venientem ſuper ipſum.

Et

Et ecce vox de cœlis, dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benepla. itum eſt.

Sed omnium maxime movere debuit ipſe baptiſmus Chriſti, ubi teſtimonio Iohannis tanti viri, apparuit tota divinitas, apertum cœlum, & vox Patris, ſpecies columbæ. Hæc de ſumma hujus Cap. poſt ſunt verba, vel dicta, ſeorſim urgenda, & erit infinitum mare Sermonum. *In Baptiſmo Chriſti apparuit tota divinitas &c.*

CAPUT IIII.

TVnc Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus &c.

Poſt baptiſmum Chriſti, in quo fuit vocatus & declaratus Doctor autoritate Patris, mittitur jam in opus officij ſuſcepti. Sed primum tentatur, & probatur, tanquam erudiendus (pro noſtro exemplo) ne neophytus & imperitus (ut Paulus 1. Tim. 3. ſcribit) rem tantam aggrederetur, & poſtea non ſtaret in fide Dei, Sicut ſolent neophyti audaces eſſe, & magna præſumere, ſed ſtatim cadunt & deſerunt officium. Probatur autem & tentatur tribus modis. *Chriſtus ante ſuſceptum officium tentatur à diabolo.*

Et accedens ad eum Tentator ille, dixit ei, Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit, Scriptum eſt, Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. I. Tentatio.

Primo, An propter Deum poſſit pati famem vel penuriam, Aut an potius panem vel verbum præferat & quærat. Quia neceſſe eſt Chriſtianum, præcipue Doctorem, periculum paupertatis & jacturam facultatis experiri. Hic vincit Chriſtus & vincere docet, quod præferendus ſit Deus victui. Quia non eſt Deus ventris, ſed Deus vitæ, ſicut ex Moſe probat, Quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo &c. Ergo homo habet vitam, non tantum hanc corporis ex pane, ſed etiam hanc & futuram, in verbo ſeu Deo. Hæc eſt tentatio avaritiæ & curæ pro hac vita, ut verbum Dei negligas. *Vita in verbo.* *Tentatio ventris.*

Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam Civitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum Templi, & dixit ei, Si filius Dei es, mitte te deorſum, Scriptum eſt enim, Quia angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Ieſus, Rurſum ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum. II. Tentatio.

Secunda, eſt ſpiritualis tentatio, de tentando Deo. Hæc eſt ſublimis, vulgo non intelligibilis, ideo hic breviter tacta. Dicatur de craſſa tentatione Dei, ſcilicet ne facias, quod Deus neq; juſſit, neq; dedit facere, & prætexas, quod ſint omnia poſſibilia credenti. Quia ſicut prima Tentatione fidem vexavit diffidentia per panis & neceſſariarum rerum penuriam, ita hic tentat fidem, per præſumptionem earum rerum, quas non habes, nec Deus præcepit. Sicut, ſi velis paſci, & non laborare pro victu, ſed fide expectare fruges, ſi velis domum fide expectare ſine labore, ſic de omnibus alijs. Vt etiam monachi caſte vivere voluerunt fide, quod Deus daret, & neglexerunt conjugium. Si bellum ſine viribus ſeu exercitu, fide (cum Deus non juſſerit) præſumas, & victoriam quæras.

Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia Regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Tunc dixit ei Ieſus, Vade Satana. Scriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerviet. III. Tentatio.

Tertia, eſt vanæ gloriæ & potentiæ mundi, ſi cui affluere poſſent opes & gloriæ, An potius gloriam & imperium velis relinquere, quam Verbum. Quia hic natura eſt cupida gloriæ, laudis, nominis non minus, quam curat ſolicite pro ventre in prima tentatione. Magna tentatio, ut patet in Papa, Epiſcopis, Principibus, Regibus, ſpirituoſis, fanaticis, & omnibus cupidis gloriæ & potentiæ *Tentatio vana gloria.*

coram

coram mundo, & qui ignominiam crucis horrent, & cum gloria mundi, volunt gloriam intrare cœlorum.

Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.

Angeli ministrii. Istis victis tentationibus, sequitur consolatio, quod Angeli assint istis militibus, & ministrent, Significantes sese favere nobis in agonibus talibus, & gaudere de victoria nostra.

Cum autem audisset Iesus, quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta civitate Nazareth, venit & habitavit in civitate Capernaum maritima &c.

Prædicatio Christi ubi cœpit. Post hæc sequitur susceptio officij. Nam hic Christus primo elegit sibi certum locum, in quo incipiat suam prædicationem, Capernaum in Galilæa, Inde procedit in omnes alias partes populi Israël sua prædicatio. Ideo sic ornat Matthæus, istud initium prædicationis multis verbis, Et applicat Isaiam, ut manifestum faciat locum initij, in quo cœpit Christus Evangelium, ut Petrus in Actis, incipiens enim in Galilæa, Ne quis Iudæorum causari possit, se nescisse Christi prædicationem, cum tam claro initio cœperit, in loco insigni & miraculis pleno. *Act. 10.*

Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum.

Prior pars prædicationis Christi. Post sequitur ipsa prædicatio, quæ, qualisque fuerit, Et est summa Evangelij, scilicet, Pœnitentiam agite, adest regnum cœlorum. Prior pars prædicationis est, omnes homines arguere de peccato, Magna certe prædicatio, quam Iohannes quo-

Posterior pars. que Baptista tractavit. Posterior pars est, Adesse jam Salutem, vitam, remissionem peccatorum, impleri Scripturas, Christum venisse. Hæc est proprie vox Evangelij, scilicet, Christum jam venisse, adesse, & præstare, quod promissum est, scilicet, redemptionem à morte, & vitam æternam, credentibus. Vnde Marcus sic dicit, Pœnitentiam agite, & credite Evangelio. *Marc. 1.*

Ambulans autem Iesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, Erant enim piscatores, Et ait illis, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.

Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Iohannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

Electio Apostolorum. Tandem eligit Apostolos tanquam discipulos & successores in ministerio Regni hujus vitæ, Et incipit propagari Christus & constitui ejus Regnum.

Et circumibat Iesus totam Galilæam docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. & abiit fama ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos, & curavit eos. Et sequebantur eum turbæ multæ de Galilæa & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa & Iordane.

Regnum Christi. In fine comprehendit velut in summa & themate, quid Christus in mundo venerit facere, scilicet docere & liberare homines, non regnare. Vt distinguatur ejus Regnum à regno mundi, in quo non est docere aut liberare homines à potestate diaboli, Et dicit quod multi eum secuti sunt & audiverunt, Quia verbum Dei non est sine fructu & vacuum.

CAPUT V.

Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus, & aperiens os suum, docebat eos dicens, Beati pauperes spiritu, quoniam

Digitized by Google

quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram, Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſticiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, Beati pacifici, quoniam Dei filij vocabuntur, Beati qui perſecutionem &c.

Primum eſt, Quod Mattheus hoc Cap. voluit quaſi in ſumma colligere omnia fere, quæ Chriſtus docuit, ſicut in fine præcedentis capitis omnia in ſumma collegit, quæ operatus fuit. Ergo ſicut poſtea in ſingulari deſcribit ejus miracula in cap. ſequentibus, & quædam ſpecialia ejus opera recitat, Sic & hic, primo generalia doctrinæ ejus in ſumma comprehendit, Sed poſtea etiam ſpecialia multa docet in alijs cap. Hoc dicitur ideo, quia hic in Summário videtur de fide & officio Chriſti parum vel obſcurius loqui, ſed tantum legalia docere. Et hoc eſt verum, quia in iſtis tribus cap. maxime urget veram legis cognitionem, contra Phariſæorum gloſſas.

Vt ſupra opera Chriſti, ita hic doctrinam eius breuiter complectitur Euangeliſta.

Summa §. 6. 7.

Et hæc pars docendi eſt etiam neceſſaria, Primo contra falſos Doctores, qui Legem non recte tractant, & tantum opera ſine corde docent &c. Secundo, ut pijs reveletur verus intellectus legis, nempe quod ex animo oportet omnia fieri, Sed hic inveniuntur impoſſibilia omnia. Ideo hic ſubſiſtit Chriſtus ſecundum Matthæum, tantum docuiſſe contentus, quod oporteat ex animo fieri bona opera. In hoc loco hic moratur, Nec ultra de fide, & quomodo neceſſaria ſit gratia, loquitur. Hoc enim alio loco facit. Nam hic contentus eſt docuiſſe, quid & quomodo facere oporteat, Sed unde & qua virtute id fiat, hic non docet. Ideo iſta tria Cap. tantum ſunt referenda, ad opera & contra falſam doctrinam hypocritarum. Et alio loco, de Fide ſeu operum radice dicendum. Quia non poſſunt ſimul omnia uno loco dici.

Falſi doctores non recte docent legem. Verus legis intellectus. Opera bona quomodo fieri debeant.

Incipit ergo de veris operibus, contra falſa, ſic, Beati pauperes, Q. d. Opera docentur à Phariſæis, ſed tantum in ſpeciem, Sed operandum eſt ſpiritu & veritate, hoc eſt, corde humili, miti, afflicto, deſiderante, pacifico, mundo, miſericorde, &c. Sine his motibus optimis nihil ſunt opera, quantumvis ſpecioſa. Porro affectus hujuſmodi optimi unde veniant, non hic docet, ſed alibi. Ergo & nos hoc loco, non de hac quæſtione dicemus, Solum quid & quomodo hic agitur, maxime contra hypocritas, & ſuperbos, Alio loco dicitur unde & quomodo fiant pro pijs & bonis &c. Cætera in Commentarijs.

Chriſtus docet vera opera contra falſa.

Audiſtis quia dictum eſt, Oculum pro oculo, Dentem pro dente, Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, Et quicunq; te angaria verit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Qui autem petit à te, da ei, & volenti mutuum accipere à te, ne avertaris.

Germana ſententia huius dicti, Nolite reſiſtere malo.

Audiſtis quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? &c.

Sic ſentio, Chriſtum hoc loco de vindicta loqui, ut etiam meus Commentarius habet, Primo, contra Phariſæorum falſam opinionem, qui privatum odium & vindictam, ſeu iram licere putabant, Sicut & homicidia, modo non fieret manu & opere manifeſto. Secundo ſimul contra piorum opinionem, qui novam Politiam contra receptam ſperabant inſtitui per Evangelium. Contra hos allegat politicam legem, Dentem pro dente, &c. Imo, inquit, ſi ad judicium tractus fueris, patere

De vindicta.

patere omnia,hoc eſt,Si Magiſtratus hoſtilis fuerit,& judicio publico abjudicaverit tibi tunicam,patere, nec privatim,nec publice, ſeu novo & ſeditioſo magiſtratu ei reſiſtas.

Vt ſic doceat non modo ferre privatorum injuriam.Sed magiſtratus vim vel injuſticiam.Quicquid enim injuriæ in publico judicio fit,hoc à magiſtratu patimur. Sic omnino intelligendum puto, doceri patientiam, tam à privatis, quam publicis hominibus, præſertim in perſecutione. Hinc non ſequitur, Non licere implorare Magiſtratus opem, qui non perſequitur, non ſit hoſtis, ſed in pace nobiſcum vivit. Quia Chriſtus non dicit.Nolite defendi,aut implorare defenſionem, Sed vos ipſos nolite defendere, Vosipſi nolite reſiſtere malo,ſcilicet publico, Nolite vos ipſi dentem pro dente,neque exigere privatim, neque facto per ſeditionem alio Magiſtratu publice, vindicare. Quia non veni ut novum Magiſtratum conderem, ſed ut docerem vos ferre quaslibet injurias,privatas & publicas, & non reſiſtere utriq; malo privata vindicta.

Hoc ſane vellem,ut hoc vocabulum Licet judicio contendere, omnino tollatur. Quia ſonat pro licentia litigandi. Neq; Chriſtus loquitur hic de his, qui in judicio accuſant, ſeu implorant judicis defenſionem, Sed de patientibus, qui in judicium vocati vexantur & condemnantur.Hi non contendunt judicio,neq; litigant, ſed patiuntur.Has perſonas paſſivas Chriſtus docet patientiam, Non armat activas perſonas ad litigandum, Hoc verbum male ſonat,Tollatur igitur,& loco ejus ponatur,An liceat &c.

CAPUT VI.

ATtendite, ne miſericordiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

Superiore Capite doctrinam, hoc vitam Phariſæorum corrigit.

Caput præcedens oſtendit, quomodo Chriſtus Phariſæorum doctrinam correxit,& ſcripturas recte expoſuit. Hoc capite vitam Phariſæorum in bonis operibus corrigit,& vere bona opera exponit,Et ea dividit in quatuor partes.

Cum ergo facis miſericordiam,noli ante te tuba canere, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis,receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente miſericordiam,neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua,ut ſit miſericordia tua in abſcondito,& Pater tuus,qui videt in abſcondito reddet tibi in manifeſto.

Eleemoſyna.

Primo Eleemoſynam docet recte facere,contra Phariſæos,qui non gloriam Dei,ſed ſuam quæſierunt in eo opere.

Et cum oratis,non ſitis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum ſtantes orare,ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis,receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraveris,intra in cubiculum tuum,& clauſo oſtio tuo,ora Patrem tuum in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſcondito,reddet tibi in manifeſto.

Oratio vera.

Secundo, orationem docet veram, contra eoſdem, qui iterum & gloriam & avaritiam in eo quærebant opere.

Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt,Putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis, Scit &c.

Duo vitia orationem taxat Chriſtus.

Duo vitia in primis taxat orantium. Primum, Qui putant orationem eſſe, ſi multa verba proferant in oratione(Quaſi Deus puer ſit,qui erudiatur & informetur de rebus noſtris,velut rerum ignarus)Hoc vitium multas habet ſpecies. Sub Papatu,alij multos Sanctos invocaverunt, Alij ſingulos ſingulis precibus, Sic Miſſatores multas miſſas,multas preces in Miſſa una,varijs Sanctis obtulerunt. Item alij certis, multis, varijs precibus,ut Roſarijs, Pſalterijs, Coronis Mariæ, & certis numeris Pater noſter, Ave Maria, Pſalmorum,Ita ut non ſolum Sacerdotes,Monachi, Nonnæ, in templis ſeſe penitus enecarint multitudine & varietate precum, Sed & laici intole-

intolerabiliter gravati fuerint ſuis infinitis orationibus. Omnes iſti fuerunt,& ſunt Battologi tantum multiloquio orantes & gentiliter de oratione ſentientes. *Battologi.*

Secundo,qui,quaſi Deus noſtra ignoret, volunt per orationem eum admonere,cum ipſe ſciat, antequam oremus, quo ſit nobis opus. Hoc vitium etiam late patet,præſertim in his (inter quos etiam boni ſunt)qui putant ſe non exaudiri, quia ſtatim non fit quod petitur. Ideo urgent, quaſi Deus ignoret, Cum ſcire debeant, eum noſſe & velle, antequam ipſi orent, Sed tempus & modum,& locum nolle ſibi præſcribi. Et hoc loco urgendum eſt illud, quod in oratione maxime opus eſt ſcire, ſcilicet,quod certum quidem ſit,nos eſſe exauditos,Deum etiam noſſe & velle,ante noſtram orationem &c. Sed quod tempus, modus, perſona, locus,non ſit illi præſtituendus. Hoc vult,cum Chriſtus hic dicit,Scit enim pater veſter, Q. d. Nolite eum docere orantes,ſed certi eſtote ipſum ea ſcire,Sed hoc facite, Expectate,fidite,certi eſtote de ejus gratia,Ipſe ſecundum ſuam voluntatem vos exaudit, ſecundum ſuum tempus,non ſecundum veſtrum, ſecundum ſuum modum, non ſecundum veſtrum. Hæc omnia in ejus voluntatem rejicite. Non ſecundum affectum veſtrum menſura-

Quidam ubi ſtatim non ſit quod petunt, putant ſe non exaudiri Orantes non debent Deo præſcribere tempus.

Judith.8. te. Vide hiſtoriam Iudith, & omnium Sanctorum,qui exauditi ſunt,non præſcriptis ſecundum propriam voluntatem temporibus,modis & locis &c.

Igitur non oratur ut Deus doceatur, ſed magis ut nos moveamur malis noſtris ſentire quid deſit, qnid petendum ſit. Nam oratio me me docet, quid mihi ſit opus, & me me movet ad orandum & clamandum. Et ita Deus occaſionem miſerendi arripit ſuper clamantem ad ſe, Cujus miſereri non poteſt, donec ipſe malum

Matt. 23. ſuum non ſentit, neque clamat. Tertium vitium hic non tractat, ſed Matthæi 23. Vbi Phariſæi quæſtus gratia, imo gloriæ quoque & avaritiæ cauſa oraverunt. Hoc vitium ſuperat gentilium vitium,qui multiloquio peccant. Iſti plane vertunt orationem in idolatriam, dum propter gloriam & pecuniam orant. Gentiles tamen pro ſalute ſua orabant. Hoc vitio regnant Papiſtæ, ſed imperatores ſunt præ omnibus Minoritæ impudentes hypocritæ, propter favorem & ventrem omnia orantes & facientes. *Oratio qua fit quæſtus gratia.*

Cum autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, Exterminant enim facies ſuas,ut &c.

Tertio, Iejunium verum docet,in quo illi ſimiliter gloriam quærebant. Sic omnia opera ſua faciebant idolatrice,propter ſuam gloriam,Non ut Deo ſervirent, aut hominibus prodeſſent,ſed ut ipſi ab hominibus honorarentur. *Iejunium verum.*

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus, ibi eſt & cor tuum.

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit,Si ergo lumen,quod in te eſt,tenebræ ſunt,ipſæ tenebræ quantæ erunt?

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ. Ideo dico vobis, Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis & bibatis,neq; corpori veſtro,&c.

Pſal. 61. Quarto invehitur multis verbis in avaritiam, propter quam, ſicut propter gloriam quoque illi omnia faciebant, Et docet non eſſe theſaurizandum, non duobus Dominis ſerviendum, ſed fidendum Deo, qui nobis omnia abunde miniſtrat,Divitiæ ſi affluant,nolite cor apponere,Si non affluant,ne ſimus ſoliciti,ne avari ſimus.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

CUm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce Leprosus veniens adorabat eum dicens, Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum Iesus, tetigit eum dicens, Volo, Mundus esto. Et confestim est mundata lepra ejus. Et ait illi Iesus, Vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdotibus, & offer munus tuum, quod præcepit Moses in testimonium illis.

Cum autem introisset Capernaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum & dicens, Domine puer meus jacet in domo paralyticus & male torquetur. Et ait illi Iesus, Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio ait illi, Domine, Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alteri, veni, & venit, & servo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham &c.

De Trium operum & miraculi confirmat.

Post doctrinam traditam in monte, redit Christus ad opera & miracula, confirmantia doctrinam, tanquam testimonia, ne sit Doctor in Verbo tantum sine opere, Quia Regnum Dei non consistit in sermone, sed in virtute. Et hic est primus locus, scilicet Exemplum, quod Christianis omnibus, præsertim docentibus opus sit, ut non verbis, sed re vera sint Christiani, & verbum factis dignis ornent. Quod hodie & semper rarum est, ubi multi de Evangelio sic loquuntur, quasi sint Angeli, Sed si opera spectes, sunt meri Diaboli.

Omnibus pijs, præsertim docentibus opus est, vt doctrinam ornent digno facto.

Quamvis Evangelista in genere dicat, Christum multa miracula fecisse, scilicet ejecisse spiritus, & sanasse morbos varios, Non tamen omnia enumerat quæ fecerit eo tempore & loco, Tantum quinq; in specie recenset, scilicet de Leproso, De servo Centurionis, De febri socrus Petri, De Naufragio, De dæmoniacis. Et inter hæc, duo responsa Christi scribuntur, Quomodo Legisperito avaro & Discipulo superstitioso responderit, ad eorum carnales Quæstiones, ut infra dicetur.

Brevis summa Cap. 8.

Primum igitur miraculum de Leproso, est non solum testimonium doctrinæ, sed etiam exemplum fidei & charitatis, quo Christus suam paratam bonitatem, omnibus expositam, offert, ut ad fidem provocet. Fidem ostendit leprosus pulcherrimam, quod non dubitat de potestate & bonitate Christi, sed certus est in fide, Tantum voluntatem ejus excipit, id est, si sit pro gloria, regno & salute nostra, quod petimus. Quia sæpe petimus, quod non expediret dari, ut Paulus Roma. 8. Nescimus quomodo oporteat orare, Ipse autem novit solus, quæ sint pro gloria sua & nostra salute Ideo referenda sunt omnia ad suam voluntatem, nihil dubitantes, quin faciet petita omnia, si ipse cognoverit expedire, & voluerit, vult autem omnia expedientia. *Rom. 8.*

Primum miraculum de leproso.

Fides certa esse debet in Oratione de exauditione, sed subiecta de modo & tempore.

Et hic locus est tractandi de Oratione, Quomodo fides in ea certa debet esse de exauditione, Et tamen resignata de executione, quando, ubi, quomodo, per quem, Deus fieri velit, Certa debet esse, de favore Dei, conscientia, sed subjecta, de consilio & hora à Deo determinanda, pro gloria sua & nostro bono. Sicut hic Leprosus, dum mundationi suæ nullam horam, locum, modum præscribit, sed ejus voluntati sese submittit, Subito hac ipsa hora, hoc modo, hoc loco, quibus non putabat, accipit intentam mundationem. Hac re significat, quam grata sit sibi ista certa, de suo favore, fides, Et tamen humilis de ejus consilio & voluntate, patientia, quam fides libenter præstat, videlicet in omnibus Patriarchis, Prophetis, Sanctis, qui nihil dubitantes de Dei favore erga se, tamen longanimiter ejus consilium

Digitized by Google

filium & voluntatem expectabant, ut hæc res poteſt exemplis Adæ, Abrahæ & multis alijs amplificari, Deinde dictis eorum confirmari, Vt expecta, Suſtine, ſi moram fecerit, quibus plenum eſt Pſalterium & Prophetæ. Quia natura Dei eſt, differre effectum orationis noſtræ, ut cumulatius & plusquam petimus aut intelligimus (Paulo teſte Ephe. 3.) facere poſſit. *Ephes. 3.*

Natura Dei eſt, differre effectum orationis.

Poſtea tractandum eſt exemplum charitatis, Primo, quod gratis Chriſtus benefacit, non opes, non gloriam quærit, ſed tantum Patri obedit, & homini prodeſt. Et quia hoc beneficium videbatur offendere alios (ut Sacerdotes & Moſen) exercet in hoc quoq; charitatem, & nemini ſuum jus rapit (ſicut iure potuiſſet) ſed ex ſuperabundantia charitatis, jubet Sacerdotes honorari, dono legali, ut Moſes præcepit, Ne hinc fanatici Spiritus dicere audeant, Eſſe bona facienda cum alterius injuria, damno, ſcandalo, cum hic doceat, opus charitatis eſſe præſtandum, ſine alterius damno & ſcandalo, quantum omnino fieri poteſt. Hic locus etiam latus & amplus eſt, ſed hoc tempore non explicandus, quia major eſt, quam nunc res & locus patitur. Poteſt hic taxari impudens Papiſtarum mendacium, qui ex hoc loco confeſſionem auricularem omnium peccatorum (quod eſt impoſſibile) finxerunt, licet ipſa Confeſſio in vero uſu probanda ſit. *Levit. 14.*

Exemplum charitatis.

Christus benefacit gratis.

Confeſſio Papiſtarum &c.

II.

Secundum miraculum de ſervo ægroto Centurionis etiam eſt teſtimonium doctrinæ, ut primum, & alia omnia. Eſt & exemplum quoq; excellentiſſimæ fidei, ut ipſe Chriſtus extollit hanc fidem ſupra omnem fidem in Iſrael. Primum, quod Centurio non dubitat Chriſtum hoc poſſe & velle. Secundum, quod præ humilitate ſeipſum indignum judicat, qui per ſeſe roget, Sed mittit alios & amicos ſuos ad Chriſtum. Tertium, quod impetrata voluntate Chriſti, indignum ſe judicat, ad quem veniat Chriſtus & præſens faciat, ſed tantum cupit, ut Chriſtus abſens verbum dicat, & ejus verbo credit fieri, quod petit, Et tam certo hoc credit, ut etiam à ſuo Exemplo eam fidem doceat, dicens, Tamen ego homo & ſubditus, verbo efficio in mea domo, quæ volo. Dico, fac, vade, veni, Et ita fit etiam me abſente, Quanto magis tu verbo omnia poteris etiam abſens,

Miraculum de ſervo Centurionis.

Ita non ſolum credit, ſed fidei naturam prædicat & docet. O ſi nos in abſentem Chriſtum ita poſſimus credere, licet ejus verbum præſens habeamus opulenter. Merito igitur laudatur hæc fides Centurionis, quia eſt certa, omnibus fidei conditionibus perfecta, De Chriſto optime cogitat ſine ſcrupulo, Deinde verbum ejus tantum cupit proferri, quod expectat cum lætitia & fiducia tanquam ſummum theſaurum vitæ & ſalutis pro ſuo Servo, nihil dubitans.

Natura fidei.

Quare fides Centurionis laudetur, &c.

Et eſt hæc fides eo gratioſior, quod à gentili homine præſtatur, qui nihil promiſſionum habuit, & ſe indignum populi Dei gloria putat. Ita fides vera proprie ſui contemptum & indignitatem præ cæteris affert. Ideo nobis exemplum eſt ſummæ conſolationis, ut quo nos ſentimus eſſe indigniores & nihil ad nos pertinere promiſſa Dei putamus, hoc maxime deſiderare debemus ea, certi, quod hoc deſiderium ſumme placet Deo, qui ſuam gratiam vult & cupit ardenter deſiderari. Id quod facit fides, quæ precioſam reputat, ideo eam valde eſurit & ſitit, & ita impetrat. Faſtidioſi enim non curant eam, ſicut nec ſecuri, ideo nec credunt, ſed contemnunt. Et hoc eſt, quod Chriſtus hic fert ſententiam ſuper iſtos ſaturos filios Regni, Et prædicit eos ejiciendos propter ſuum faſtiduum & incredulitatem, non obſtante, quod ſint ſemen Abrahæ, Et eſſe recipiendas Gentes propter eorum fidem & ſuſpirium, non obſtante, quod non ſint ſemen Abrahæ & alieni à promiſſis Dei. Quia Deus delectatur ſaturare eſurientes & ſaturos dimittere inanes, ſine diſtinctione perſonarum.

Fides vera.

Deus vult & cupit ſuam gratiam ardenter deſiderari.

Saturi & ſecuri non curant fidem.

Filii Regni ejiciuntur &c.

Deus ſaturat eſurientes &c.

III.

Tertium miraculum, febris curata. Hic nihil de fide ſocrus Petri dicitur, Sed Lucas dicit, alios pro ea oraſſe. Et ſic fide & oratione aliorum eſt ſanata, ſicut & ſupra ſervus Centurionis fide & oratione Domini ſui ſanatus eſt, ut videamus quantum valeat etiam aliorum pro alijs oratio & fides, Et quam gratum ſit Deo officium charitatis, pro alijs orare & ſollicitari, ut etiamſi perſona per ſe ſit

Miraculum curata Febris.

Oratio piorum pro fratribus & contra hostes

indigna vel parum videns, tamen aliorum fidem & orationem pro eis Deus accipit. Et hic locus late patet, scilicet quantum oratio piorum pro nostris Fratribus, Deinde contra hostes nostros valeat. Quia utrunq; habet Promissiones, Exempla, Præcepta, scilicet quod debemus pro nobis invicem orare, item, hostes coram Deo accusare, ut & Psalmi quam plurimi hoc de utraq; re testantur.

Ante sequentia duo Miracula interserit Matthæus primum generalem præfationem, quod multos alios curarit eo vespere, scilicet dæmoniacos & diversis morbis ægrotos, ut locum Esaiæ iuducere possit, qui de Christi adventu prædixit; Scilicet ut ostendat Iudæis, hunc esse Christum promissum, & nullum alium expectandum, Quia hic opere probaverit & impleverit, quæ Esaias prophetaverit. Quia libenter Matthæus prophetas (ubicunque potest) allegat & studiose agit ubique, ut hunc Iesum ostendat à Prophetis prædictum, ut Iudæos moneat ad fidem.

Matthæus videtur Esa. cap. 53. locum improprie citare.

Videtur autem locum Esaiæ improprie citare, cum de passione Christi loquatur, non de cura seu sanatione ægrotorum. Sed respondendum est, Quod Matthæus Esaiam citat de toto Christo & qualibet ejus parte, id est, non tantum de triduo passionis Christi, sed de tota vita Christi. Tota autem vita Christi fuit, suscipere & portare nostra mala, Quia propter nos natus, circumcisus, conversatus, comedit, bibit, dormivit, Et ut Paulus ait Philip. 2. Inventus est homo in omni forma hominis, Et hoc propter nos. Ideo si quis Esaiam de qualibet parte vitæ Christi allegaret, recte allegaret, quia propter nos sitivit, ne sitiremus, ita nostram sitim tulit. Propter nostram tristitiam tristis fuit, ita nostram tristitiam tulit, ut læti efficeremur. Ita & hic compatitur obsessis & ægrotis, & fert in corde eorum mala, ut eos liberet, quia omnia propter nos fecit, vixit, dixit, tulit. Et sicut hic corporales morbos hominum compassione tulit ut corporaliter auferret, Ita in passione corporaliter tulit nostra peccata, ut spiritualiter tolleret, Vt sit summa, Christus noster est, nostra omnia ferre & tollere debuit, sive corporalia, sive spiritualia mala, quocunque modo oportuit. Ideo Matthæus locum Esaiæ fecit recte generalem de toto Christo, & applicat eum ad partem hanc, qua tulit & curavit infirmos, Quia Christus est universalis & toralis Salvator corporis & animæ. Et hæc generalis Sententia in Esaia est valde bona, etiam in alijs similibus locis observanda.

Phil. 2.

Cur Matthæus locum Esa. recte fecit generalem de toto Christo &c.

Christus universalis est Salvator corporis & animæ.

Post interserit duo responsa Christi, Lucas autem tria, contra falsos discipulos Evangelij, qui gloriam & commoda sua quærunt in Evangelio sub specie fidei. Primus Legisperitus valde religiose quærit, quasi non intelligat Christus quid quærat. Dicit enim, Sequar te, quocunque ieris. Hæc sunt perfecti hominis verba, & tamen ab hypocrita falsissime usurpata, quia cor ejus non est tale. Ideo Christus in exemplum nobis omnibus istum rejicit, ut discamus, non credere verbis hypocritarum, quæ sonant quasi angelicam sanctimoniam, ut hic vides. Nam istæ pestes sunt Ecclesiæ nocentissimæ, quæ fingunt se velle maxime Evangelium sequi, & mira jactant & fingunt, ut hac nostra ætate Papistæ, variæ sectæ, Anabaptistæ, &c. Hi omnes dicunt ore, Magister, Sequar te quocunque ieris, Ego sum syncerus, non sicut illi, qui te oderunt aut negligunt, Ego sequar. **O ich wils thun/ Es sollen nicht wort seyn / nein** / videbis. Quia te Magistrum volo discipulus fidelis, Deinde non in unam aliquam operam sequar, sed quocunque nihil excipiam. **Das sind die rechten Böſewicht/mit jren hohen Worten/vnd wollen thun /mehr denn Gott begeren mag etc.** Sicut hodie etiam multi in laicis & nobilibus pleni sunt istis hypocriticis verbis juxta Proverbium, **Gute wort / vnd nichs dahinden.** Et Salomon in Proverb. Vbi plurima verba, frequenter egestas &c.

Verba hypocritarum non credenda.

Gute wort vnd nichts dahinden. Proverb. 14.

Sed Christus ejus hypocrisin acutissime damnat, dicens, Vulpes foveas habent &c. Q. d. O bone frater, quam dulcia loqueris, quam grandia promittis, cum sis nequam, intus & in cute, verbis me vis ludere, sed erras longe. Magistrum vocas, discipulum promittis, sequi vis perfectissime, sed sic, ut gloriam, ut Regnum, ut opes,

opes,ut quæ tua ſunt, invenias apud me, Sed dico tibi, non ſolum non regnum, ſed neq; domum apud me invenies, imo nec foveam vulpis, nec nidum volucris apud me invenies, Et quod amplius eſt, nec locum, quo ego caput iſtius Magiſtri tui reclinare poſſim. Crux erit Regnum, & abjectio in mundo erit pallatium tuum, Sed iſta tu non cupies, ſcio. Quia qui volet Evangelium profiteri, non poteſt iſtis rebus ſtudere, aut quærere, quæ tu quæris, Sed paratum eſſe oportet,ut ſi etiam nec foveam,nec nidum habeat,tamen paratus ſit ferre. Quia regnum Evangelij non eſt regnum mundi. Summa, Chriſtus hoc Reſponſo declarat, quod Regnum ſuum non ſit regnum mundi, & quod oporteat Chriſtianum, ſi res poſtulet, etiam pauperiorem fieri, quam ſit vulpes aut avis, ut nec nidum certum habitandi, nec foveam refugij habeat, Sed libenter periclitetur omni hora propter Evangelium. Et ita faciunt etiam omnes vereChriſtiani,utuntur ſuis bonis,habent nidos & foveas,Sed ubi opus eſt propter Chriſtum iſta relinquere, faciunt & libenter carent loco etiam, in quo caput reclinare tanquam ſuo poſſint, Et ſunt libenter hoſpites in mundo, & canunt cum Propheta, Incola ego ſum in terra,Et iterum, Quoniam peregrinus ſum apud te ſicut omnes Patres mei.

Chriſt. regnum quale.

Pſal. 118. Pſal. 38.

Vere Chriſtiani.

Pingit ergo Chriſtus hac reſponſione formam hominis Chriſtiani, qui non debet quærere, quæ hujus mundi ſunt, tanquam Regnum ejus in his ſitum ſit, Sed uti tantum præſentibus,tanquam hoſpes,cito migraturus,& paratus eſſe hæc omnia propter ipſum relinquere. Sed hoc non volebat iſte hypocrita ſuis magnificis verbis, Nec hodie hoc volunt, qui volunt plus quam Chriſtus ipſe Evangelici videri, odibile genus hominum, qui dicunt, Domine, Domine, Magiſter,magiſter,ſequar, ſequar, quocunq; quocunque, cum ſint avariſſimi, cupidiſſimi, ambitioſiſſimi & toto corde Mundum, & quæ mundi ſunt, quærentes. Ideo iſta verba Chriſti quoque bene ſunt penſanda, Vulpes foveas habent, volucres cœli nidos,qui tamen iſtis habitis ſolum locum habent,ſaltem certum, nondum cibum,potum & alia. Chriſtianus autem nec loco certo fidere debet, quanto minus alijs bonis, ſed pendere debet ſpe futuri Regni,& hoc mundo uti tanquam non utatur.

Forma Chriſti. ani hominis.

Sequitur altera reſponſio ad Diſcipulum verum, qui non eſt hypocrita, ſed ſynceriter quærit. Hic eſt vir optimus, ſeu imago omnium hominum, in mundo eximium exemplar, ſcilicet, qui parentes colit & curat. Nam quæ poteſt eſſe in mundo major pietas, quam parentes colere & gratitudinem illis exhibere? cum etiam ratio naturalis hanc virtutem poſt Dei cultum, ſummam eſſe dictet, ut Ariſtoteles teſtatur, Dijs, parentibus, præceptoribus, non poteſt reddi æquivalens. Et tamen hanc pietatem filialem ſeu ſtorgen phyſicen Chriſtus hic damnat in re Evangelica, Et vult eam cedere debere Evangelio, Non quod parentes nolit coli, quod præcepto 4. præcipitur, Sed quod parentes nolit præferri Deo & ejus verbo, Ne hypocritæ fingerent occaſionem contra verbum, prætextu 4. præcepti. Sicut hodie clamant, Eccleſia,Eccleſia,Patres, Patres. Item, Obediendum eſt Principi,ſerviendum proximo, Quæ opera ſunt omnia valde bona & recta, & prætexitur mandatum Dei &c. Sed non vident, quod præceptum 4. debet tantum valere in ſecunda tabula, non pugnare contra primam tabulam.

Vir bonus.

Colere parentes.

Chriſtus non vult præferri parentes Deo & ejus verbo.

4. Præceptum tantum debet valere in 2. tabula, &c.

Sicut Petrus dicit, Obediendum eſt Deo magis quam hominibus. Non dicit, Hominibus non eſt obediendum,Nec hoc quæritur,ſed cum utriq; ſit obediendum, hoc quæritur, An Deo plus ſit obediendum, quam hominibus? Hic reſpondetur, Quod Deo eſt obediendum magis quam hominibus. Quia homines ſunt ſub Deo, & Deus non ſub hominibus, Et Deus creavit homines, Non autem creaverunt homines Deum. Sic etiam Pater, Princeps, Frater, eſt ſub Deo, Non Deus ſub ipſis, Et ipſe fecit eos, & non ipſi fecerunt eum. Ideo ipſi debent ei obedire, Deus non debet eis obedire. Hoc vult Chriſtus hoc loco,dicens,Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos, id eſt, in regno meo aliud agitur quam præceptum 4. quia vitæ Regnum eſt Eſt autem notandum inſigniter, quod totum Regnum mundi, & ipſum 4. præceptum, ſeu ſecundam tabulam, uno verbo haurit & abſorbet, dicens, Mortuorum

Chriſtus Regnum mundi vocat regnum mortuorum, ſuum vero vita regnum.

regnum eſſe, Quia omnes moriuntur, imo mortui ſunt coram Deo, Tantum Chriſti regnum coram eo vitæ regnum eſt. Ideo regnum vitæ (inquit) non debes regno mortuorum poſtponere, Sed contra magis curare, ut ſis miniſter in Regno vivorum, quam in regno mortuorum, Licet regnum mortuorum in hoc tempore non damnem, ſed præferri regno vivorum nolim.

De periculo in Mari.

Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus. Et ecce motus &c.

Sequitur aliud miraculum, de periculo in mari, Hoc etiam pertinet ad confirmationem Doctrinæ, ut omnia alia. Sed hoc ſingulare eſt, quod Chriſtus etiam dominatur in aquis. Et verbo ac fide etiam ſalvi ſimus in omnibus periculis marium & fluminum, ut Chriſtum non ſolum in terris purgare lepram, curare paralyſin, frugare febrim, poſſe ſciamus, Sed etiam in aëre, ventis, aquis, fluminibus ſalvare, ut ſit perfectus & univerſalis Salvator in cœlo, terra, mari, Et ut Pſal. canit, In cœlo, terra & in omnibus abyſſis, quæ vult facit. Conſolatio igitur noſtra eſt, quod in Chriſto per fidem, Domini ſumus & victores ſupra omnem poteſtatem Satanæ, qua furit in aquis. Nam credentibus cedunt venti & mare, ut hic dicit, Quid timidi eſtis, ὀλιγόπιστοι. Quaſi dicat: Si fide fortes eſſetis, nihil facerent vobis iſti venti & mare cum omnibus dæmonibus, hoc eſt, ſi credideretis, tunc in morte quoque viveretis, & ipſa mors ad vitam eſſet vobis utilis. Sicut Iohan. 11. dicit, Qui credit in me, etiamſi moriatur, vivit, etiam in periculis ſecurus erit, Etiam in aquis habebit ſolum ſeu terram, Etiam in ventis habebit ſedem & fundum. Quod ſi non habes ita, ſignum eſt, quod non credis, ſed timidus ſis, & verbum potentiæ Dei amiſeris.

Chriſtus etiam dominatur in aquis.

In Chriſto ſperantes Domini ſumus ſupra omnem poteſtatem Satanæ.

Cum ſalvamur.

Pſal. 134.

Iohan. 11.

Altera conſolatio eſt, quod timidos & puſillicredulos arguit quidem & reprobat eorum timorem, Sed tamen patienter tolerat & ignoſcit, non ideo eos repellit, imo tamen facit quod volunt & petunt, quantumvis infirmi fide. Eſt & hoc diligenter notandum, quod hic deſcribitur ille gemitus inenarrabilis Roma. 8. Vbi jam jam deſperabundi clamant, Domine, Salva nos, Perimus. Hic gemitus eſt (ut hic dicitur) perimus. Sic enim ſenſerunt, quod jam perirent, Et iſte gemitus jam pereuntis & jam jam deſperantis, eſt ipſa infirmitas fidei. Sed quam infirmus eſt in nobis, tam fortis eſt & clamoſus in auribus Dei. Hunc gemitum edebat Moſes, Exod. Cap. 14. Cum Dominus dixit ad eum, Quid clamas ad me? Q. d. Cur ita deſperas? Cur perire te putas, inſtante mari, montibus, Pharaone & tota morte &c. Non fiet ſicut putas, Sed in infirmitate tua hac, perficietur virtus mea, & ſalvus eris, Percute tantum virga in mare, & videbis ſalutem &c. Ideo Paulus Gal. 3. vocat hunc gemitum, clamorem, dicens, In quo clamamus, Abba Pater. Nobis non videmur clamare, ſed tantum gemere, imo vix hiſcere, Sed Deus judicat non gemitum, ſed clamorem eſſe, ſicuti vere eſt.

Roma. 8.

Gemitus inenarrabilis.

Quid clamas ad me? Exod. 14.

Gal. 3.

Quare hoc totum Miraculum eſt accommodandum ad conſolationem infirmorum in fide, & quorum vox eſt, Perimus. Nam ſicut in præcedentibus ſanavit corporis morbos, Ita hic ſanat animi morbos, qui ſunt, pavor, puſillanimitas, infidelitas, perturbatio, conſcientia, Vt oſtendat ſe poſſe & velle etiam in talibus morbis Salvatorem & medicum eſſe, ſi invocemus eum, imo ſi gemamus & corde clamemus, quantacunque ſit infirmitas fidei, Vt ſic nulli excludantur ab ejus auxilio, quocunq; etiam Diabolo vel malo vexentur. Ideo hic nunc deſcribitur talis hiſtoria, quomodo iſti ſecuri perveniant in ſummam deſperationem, Intrant mare, navigant, fit tempeſtas magna, Ipſe dormit, deniq; fluctus obruunt naviculam, & pervenitur ad punctum mortis.

Et corporis & animi morbos ſanat Chriſtus &c.

Scintilla fidei &c.

Hic in extremo puncto, emicat adhuc una ſcintilla fidei, quæ ſeipſam non ſentit, Quia dicit (perimus) Si enim ſeſe ſentiret, non diceret (Perimus) Sed ſentit perditionem ſolam, neſcia, quod ipſa adhuc vivit & ardet. Nam ne ſentiret quidem, niſi adhuc viveret & arderet. Sed ecce Chriſtus hanc ſcintillam, hoc linum fumigans, hanc arundinem quaſſatam, non rejicit, ſed ita auget, ut fiat incendium, quo venti & mare ſedantur. Sic facit omnibus nobis paventibus, modo gemamus,

Chriſtus hanc ſcintillam fidei auget.

ſuſpire-

ſuſpiremus, & ſaltem unico motu cordis dicamus, Ieſu Chriſte fer opem, aut actum eſt de mea ſalute, Mox ſentietur levamen. Quia per hunc gemitum movetur Chriſtus ad increpandum ventos & mare, Et ſic fit tranquillitas magna, id eſt, lætitia & pax, Deinde laus & gratiarum actio.

Hoc Evangelium poſſet applicari ad Eccleſiam, Politiam, Oeconomiam, ſi quando pericula putantur tanta, ut impoſſibilis appareat ſalus. Sicut hodie quoque Eccleſia putatur ruitura, propter tot hoſtes, Imperium periturum, propter tot bella & ſeditiones, Domus caſura, propter paupertatem vel alia mala, Sed gemitus unicus & infirmus omnia ſervabit & augebit, quia valide clamat in auribus Dei. Ideo oremus, clamemus, gemamus, contra hæc omnia, Et Chriſtus faciet tranquillitatem magnam, ut mirentur homines, Amen. *Applicatio Hiſtoriæ.*

Et cum veniſſet Ieſus trans &c. De duobus Dæmoniacis.

Vltimum miraculum hujus capitis præter hoc, quod confirmat doctrinam, ut ſuperiora, pingit nobis Chriſtum etiam ſuper dæmonum virtutem eſſe Dominum, Et in ipſo nobis per fidem proponi Victoriam, contra totam & ſummam potentiam Diaboli. Pingit autem ſic, quod inducit duos Obſeſſos ſæviſſimos fuiſſe, ita ut nihil tale ſit ab obſeſſis unquam auditum, Quod omnes homines eos fugerint & timuerint, nec ullis catenis aut vinculis teneri potuerint, ut alij Evangeliſtæ ſcribunt, Hoc eſt, pingit in iſtis, ſummam iram, furiam, ſævitiam Diaboli contra genus humanum, Et tamen ecce, ſolo conſpectu Chriſti torquentur ipſi & metuunt, ipſi tam horribiles & formidabiles, Et ita torquentur, ut clament etiam, querulantes, orantes, & tamen cum deſperatione dicentes, Si ejicis nos &c. *Chriſtus Dominus etiam ſuper poteſtatem Dæmonum.* *Sævitia Diaboli contra genus humanum.*

Hæc nos erudiunt, ut ſecuri ſimus in Chriſto contra omnem furiam Satanæ, Quia ipſe cogitur trepidare coram viſo Domino noſtro, Cujus victoria noſtra eſt per fidem, Sicut Matthæi 10. dicit, Dedi vobis poteſtatem ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Et hanc Conſolationem confirmat ipſa Hiſtoria, quod Dæmones tam infirmi ſunt coram Chriſto, ut nec in unum porcum poſſint quicquam, niſi antea petita & impetrata licentia. Nam ante licentiam hanc porci tuti erant ab omni Dæmonum furia, quaſi nulli eſſent Dæmones, Vt merito quæri poſſit, Cur Deus permittat dæmonibus tantam virtutem, ut nobiliſſimam creaturam, hominem, tam horribilibus & indigniſſimis modis, obſidere & vexare poſſint, cum interim nec porcum, nec muſcam poſſint vexare aut turbare? *Victoria Chriſti noſtra eſt per fidem, Matth. 10.*

Reſpondetur autem, Deus odit incredulitatem, & diligit fidem vehementiſſime, Ideo permittit Diabolo tantam vim in homine, ut percutiantur increduli & impij & indurati homines, diſcantq; timere & credere & invocare. Niſi enim hoc faceret, Homo non putaret ſe Deo indigere, ſed beatum fingeret, & diceret, Pax, pax & ſecuritas. Ideo oſtendit eis quam invictus ſit Diabolus (Si deſit ejus manus & gratia) Vt terreat & humiliet, humiliatos autem liberet & ſalvet. Sicut Pater oſtendit filio rebelli Lictorem aut aliud horribile, ut filio terrefacto & humiliato, eo plus benefaciat fidenti, & patrem invocanti. Rurſus ubi filius jam Patri charus & liberatus eſt, oſtendit ei quam infirma ſit furia iſtius tam horribilis hoſtis, Ecce, inquit, qui voluit te vorare, tam nihil eſt, ut nec porcellum, nec ſetam porcelli poſſit auferre. Quare diſce fili, Me timere, mihi fidere, me amare. Et nihil mali tibi accidet ab iſto Satana. Sed ſi me contempſeris, non credideris oderis, tum reſpice, quid (me iraſcente) poſſit, in iſtis duobus obſeſſis, Me præſente nihil poteſt, Me abſente omnia poteſt. Time ergo & invoca me, ſic ſalvus eris. Hæc de ſumma Evangelij. *Cur Deus permittit Diabolo tantam in homine &c.* *Diaboli potentia &c.* *Præſente Chriſto Satan nihil poteſt.*

Superſunt quæſtiones I. Cur Dæmones dicant, Ieſu fili Dei, An ſcierint eſſe Deum?

II. Cur dicant, Quid nobis & tibi?

III. Cur dicant, Veniſti ante tempus torquere nos?

IV. Cur porcos petant?

V. Cur deprecentur abyſſum, ut Marcus dicit?

d by Goo

VI. Cur Chriſtus permiſit eis porcos alienos.
VII. Cur obſeſſum noluerit recipere ſecum, Lucæ 8. Luc. 8.
VIII. Cur petunt Gergeſeni, ut abeat?

Reſpondetur ad primum, Spiritus ſunt mendacij, ideo nihil eſt eis credendum. Vocant eum filium Dei, Primo tentative, quaſi inflaturi eum gloria vana, Q. d. O Ieſu quam magnus es tu, cui nos dæmones cedimus. Quia diabolus magnos viros tentat philautia frequentiſſime, ut quos aliàs non poteſt, per ſuperbiam dejiciat. Secundo, ut eſt ſpiritus amphibolus, poteſt filium Dei appellare, ut quemlibet ſanctum hominem Scriptura appellat, quem tamen metuere cogitur propter fidem illius. Nihil igitur certi loquitur Satan, Tentat & metuit ſimul, ut ſolent etiam homines dubij facere &c.

Ad ſecundum. Quid nobis & tibi? Hic etiam accuſat tanquam furens Chriſtum, quaſi Chriſtus invadat regnum Diaboli, Q. d. Noſtri ſunt iſti homines peccatis ſervientes, nullo jure nobis eripis hanc poteſtatem, quantumlibet tu ſis ſanctus. Quia juſti Deo, peccatores nobis debentur. Et hanc juridicam actionem abſque dubio multis verbis egit Diabolus, defendens ſuum regnum ſuper impios, &c.

Ad tertium. Ante tempus veniſti, id eſt, non ſatis permittis juſticiæ divinæ. Nam etiamſi ſis ſanctus, & miſſus ad ſalvandas animas, tamen peccata impiorum majora ſunt, quam ut tam cito liberari debeant. Et ſic iſtæ quæſtiones tres, complectuntur tres actiones. Prima eſt, An Chriſtus ſit perſona & vocata ad faciendum? Secunda, ſi ſit perſona vocata, An hoc opus ſuæ vocationi conveniat? Tertia, Si hoc opus conveniat, An hoc tempore fieri conveniat? Singulæ harum actionum parerent maximas Diſputationes, ſi Chriſtus vellet eas audire. Sed ipſe pertranſit hæc peremptorie, & nihil diſputans cum Satana, procedit in opus. Sic & nos facere oportet, poſtquam vocati ſumus &c. Hic victus Satanas & ſentiens nec tentationes, nec quæſtiones, nec diſputationes ſuas valere, frangitur & cedit, petitq; ut in porcos mittatur.

Et ſic ad quartum dicitur. Quod voluntate divina, Satan (ut victus) confuſus neſcit quid petere debeat, niſi porcos forte conſpectos, ſed ſeſe dignos hoſpites. Quia virtute divina Diabolus ipſe ſeſe cogitur definire, quo loco dignus ſit, Nempe, non humano corpore, ſed porcino. Quod inter omnia animalia maxime terrenum eſt, & præter ventrem nihil eſt utile, Vt etiam Gentes dixerunt, hoc animal habere animam pro ſale. Nam nec cantu (ut volucres) nec labore, nec ulla ſervitute homini prodeſt, ſicut equus, vacca, gallinæ, &c. tantum vorat, quæ ſunt apud homines, præſertim in lege Moſi (ubi prohibitum eſt) ſicut apud nos ſunt culices & pediculi, qui vorant & nihil proſunt. Significante Chriſto, quod Diabolus in hominibus habitet tantum porcinis, qui ventres ſunt & nulli proſunt. Hæc per genera hominum amplificanda ſunt quia in quolibet ſtatu plena ſunt omnia porcis quorum Deus venter eſt.

Diabolus habitat in hominibus porcinis.

Ad quintum. Abyſſum, id eſt, aquas & deſerta horrent dæmones, quia ibi nihil eſt, quod agant pro ſuo voto. Votum autem eorum eſt, nocere humano generi, Imo inter domeſticos eſſe cupiunt & porcos eligunt, domeſticum animal. Vnde & adhuc ſylvæ & aquæ plenæ ſunt dæmonibus, Nixis & alijs monſtris. Et ſingulariter notandum eſt, quod Dæmones hominem quidem vexaverunt; ſed non occiderunt, Porcos autem ſimpliciter occidunt & ſuffocant in aquis, Significante ſpiritu, quod Diabolus poteſt affligere homines, ad Chriſtum pertinentes, ſed non perdere, Sibi vero deditos porcos perdit, & talem mercedem reddit, qualem lictor ſuo ſervo.

Dæmones hominem quidem vexaverunt, ſed non occiderunt.

Sextum, Cur in alienos porcos? Reſpondetur, Chriſtus eſt Dominus omnium, & nihil habet alieni, Imo & porci erant ſui. Si itaq; Dominus fuit obſeſſi hominis, & dæmonis obſidentis, qui tamen & ambo non erant ſub eo jure politico & œconomico &c. Quanto magis porci erant ejus, etiamſi jure politico erant aliorum. Sed qui eſt Dominus iuris politici, eſt etiam Dominus omnium, quæ ſunt ſubjecta

jecta juri politico, Secundum illud, Qui dominatur ſuperiori, etiam dominatur inferiori. Si Rex dominatur principi, etiam dominatur principum ſubjectis. Etiam potuit Chriſtum forte movere, lex Moſi, quæ prohibet Iudæis porcos, Ideo punierit eos, tanquam legis contemptores, Sicut Princeps approbat, ſi viator occidat latronem graſſantem in ſe &c.

Septimum, Cur obſeſſum noluerit ſecum recipere? Multæ poſſunt eſſe cauſæ, vel quod alicujus forte fuerit ſervus. Vel alia neceſſitate aſtrictus. Sed mihi hæc cauſa potior videtur, quod noluerit Chriſtus beneficium ſuum videri vendidiſſe, Scilicet quaſi ille liberatus, deinceps perpetuo deberet eſſe ei ſervus & ſubjectus. Sed voluit gratuitum ſuum eſſe beneficium neq; retributionem, nec gloriam, nec aliud ſuum quicquam recepturus. Hilarem enim datorem diligit Deus. Et hic locus eſt contra eos, qui benefaciunt propter ſeipſos, ut eſt Matth. 6. Ut videantur ab hominibus &c. O commune malum apud eos, qui benefici volunt videri.

2. Cor. 9. Eccle. 35. Matth. 6.

Octavum, Gergeſeni fuerunt ſtulti, ſicut Petrus, qui Chriſtum juſſit abire à ſe- *Gergeſeni. Petrus. Luc. 5.*
ſe, Lucæ 5. Sic facimus & nos, & docti ſimus facere, dum Chriſtum pro tyranno ſeu Moſe, non pro Salvatore aſpicimus. Iſti Gergeſeni magis hoc conſiderabant, quod porcos dæmonibus tradiderat, quam quod hominem à dæmonio liberarat. Hæc eſt *Cogitatio carnis.*
generalis cogitatio carnis, quod plus movemur pœna, qua puniuntur impij, quam gratia, qua ſalvantur pij. Quare diſcendum eſt, ut non nimio moveamur vindicta
Septim. 1. Dei in impios, ſed multo magis beneficio & gratia in pios. Vt ille dicit, Sentite de Domino in bonitate, & Confitemini Domino quoniam bonus. Quid ad me, quod porci, id eſt, impij pereunt etiam valde multi, dummodo homines, id eſt, pij, etiam pauci liberamur. Igitur fidelibus ſatis eſt ſpectare opera gratiæ. Contra opera iræ infidelibus ſpectanda ſunt, non nobis fidelibus.

CAPUT IX.

ET aſcendens Ieſus in navicula transfretavit, & venit in Civitatem ſuam. Et ecce offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili, Remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe, Hic blaſphemat. Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit, Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata, An dicere, ſurge & ambula? &c.

SUMMA CAP. IX.

I. In hoc Cap. ſunt, Primo miraculum Paralytici.
II. Vocatio Matthæi.
III. Quæſtio de jejunio.
IV. Duplex miraculum Æmorrhoiſſæ & Puellæ.
V. Miraculum de duobus Cæcis.
VI. Generalis narratio de doctrina & operibus erga multos alios.

Et aſcendens Ieſus in naviculam transfretavit, & venit in civitatem ſuam, Et ecce offerebant ei Paralyticum, jacentem in lecto &c. I. De paralytico.

IVcas & Marcus latius deſcribunt fidem iſtorum, qui attulerunt Paralyticum &c. Vide hic quam placeat Chriſto fides, ut omnia quæ illi faciunt pro paralytico, non appellet opera aut orationem. Non enim dicit Matthæus, Et vidit Ieſus eorum petitionem, ſtudia & opera, ſed ipſam fidem, ex qua fluebant iſta opera & muta oratio. Hoc eſt vere exaudire mutos. Quia iſti nihil loquuntur, orant, petunt ore, ſed ipſa fide & factis ita clamant, ut omnibus omiſſis nihil videat, quam ipſorum fidem. Et hic provocamur ad credendũ, & ſic pro aliis orandum. Item quod etiam mutas orationes audit, id eſt, votum & affectũ cordis, ſine verbo vocali, ut ſciamus, nos poſſe aſſiduo orare, ut Luc. 11. Oportet ſemper

Commendatio fidei. Muta oratio. Etiam mutas orationes Deus exaudit.

Luc. 11.

orare

orare. Nam quam diu in corde ſuſpiramus, cupimus & anxie vellemus aliquid à Deo accipere, tam diu oramus, non ore, ſed inenarrabili illo gemitu & perpetuo clamore. Sicut clamat Moſes Exod. 14. Quid clamas ad me? &c. *Exod. 14.*

Fides propria, aliena.

Fides Eccleſiæ.

Et hic quæſtio eſt tractanda de fide propria & aliena. Vſitatum dictum eſt, Parvulos baptiſari in fide Eccleſiæ, cum propriam non habent. Hoc ſobrie eſt intelligendum, Fide Eccleſiæ, id eſt, orante ex fide Eccleſia, datur parvulis fides propria.

Oratio fidei omnipotens.

Sicut hic, Orantibus ex fide hominibus iſtis, datur Paralytico ſanitas, quam non habebat. Quia oratio fidei eſt omnipotens, ſicut Chriſtus dicit, Credenti omnia poſſibilia, Licet non ſemper ſentiamus adeſſe, quæ petimus in fide, tamen certo ſunt impetrata, & ſuo tempore apparebunt. *Mar. 9.*

Pictura Chriſti.

Nunc dicta & verba in hoc miraculo tractanda ſunt. Primum eſt Chriſti, Fili mi, Confide, remittuntur tibi peccata tua. Hoc verbo Chriſtus ſeipſum pingit,

Chriſtus remittit peccata afflictis &c.

qualis ſit. Et eſt hæc oratio vere character animi ejus, & ex cordis abundantia os ejus loquitur, Scilicet, quod affectus ejus omnimodus ſit, Remittere libenter peccata, & liberare à pœna. Sed non niſi erga eos qui afflicti ſunt, & talibus indigent. Non ad Phariſæos aut alios ſecuros iſta dicit (Quorum ibi magna copia fuit) Nam illi non egent remiſſione peccati aut ſalute, ſed ſunt ſani, non habentes opus medico.

Quidam homines ſunt ſecuri, alij afflicti.

Ideo ſemper diſtinguenda eſt natura humana. Quidam ſunt ſecuri & in pace vivunt, Alij ſunt afflicti & egentes, hoc eſt, in neceſſitatibus conſtituti, & ubi iſta confunduntur, nihil recte doceri aut diſci poteſt. Quia Chriſtus & ſuum verbum perti-

Evangelium ad afflictos, Lex ad ſecuros pertinet.

net ad afflictos ſolum, Lex, minæ, terror &c. ad ſecuros ſolum, Imo illi, qui contra nos ſcribunt & clamant, Evangelium noſtrum nimis dulce eſſe, & decipere homines, maximi ſunt aſini, Licet verum ſit, quod ſecuris & impijs ſit nimis dulce. Sicut econtrà, Lex eſt nimis dura afflictis. Errant igitur utriq; qui legem volunt ſuper omnes homines, ſive ſint ſecuri ſive afflicti, ponere, ut illi, qui volunt Evangelium ſuper omnes proferre. Sic enim confundentur Lex & Evangelium maximis malis.

Recte ſecare verbum Dei.

Nam ita fit, ut pij, qui Evangelio conſolandi ſunt, lege crucifigantur, Et impij, qui lege ſunt terrendi, Evangelio indurentur &c. Quare Paulus docet Timotheum, Vt

Chriſtus recte ſecat verbum Dei.

recte ſecet verbum Dei, Sicut hic Chriſtus facit, qui Evangelium afflicto Paralytico offert, Phariſæos autem arguit blaſphemos & malos. Quid (ait) mala cogitatis? Non dicit Paralytico, Cur male cogitas tu? Nec Phariſæis dicit, Confidite &c. optime ſecans verbum Dei.

Rari ſunt, qui hoc diſcrimen obſervant. Nam ſub Papatu omnia iſta fuerunt confuſiſſima, Ideo etiam non potuerunt docere, quid eſſet fides & opera, Aut quomodo differant aut diſtinguenda ſint, ſicut nec hodie noſtri Phariſæi, Papiſtæ & alij hæretici. Amplificanda itaq; ſunt iſta verba Chriſti immenſæ ſuavitatis. Primo, Fili

Fili.

(inquit) Filium vocat quem peccatorem definit, dicens, Peccata tua &c. Quomodo eſt Filius, qui peccator eſt? Quis iſta concordet? Legiſta, Philoſophus, Monachus, ratio? Omnes definient eſſe impoſſibilia, Filiũ dici, & peccatorem eſſe ſimul & ſemel.

Peccator duplex.

At fides ita concordat, quod peaccor eſt duplex. Peccator afflictus & tribulatus, à peccato cupiens eſſe liber, eſt filius. Peccator ſecurus & peccatum non agnoſcens, ſed juſtus ſibi viſus, eſt hoſtis & diabolus, Ille erigitur, iſte arguitur.

Secundo. Confide, aude, eſto fortis &c. Non utitur verbo credendi, ſed Emphaticotero & magnifico. **Sey kühn / unverzagt / unerſchrocken** / Etiamſi

Confide.

peccata te faciant puſillanimem & dejiciant, tamen tu ne cede malis, ſed contra audentior ito, Erige te, & ſis unus audacter. Hic vide doctiſſimum Medicum,

Chriſtus medicus.

quam pulcre & certe norit morbos afflictæ conſcientiæ. Video, inquit, pavere te, nec ſatis audere ſperare auxilium, id quod faciunt tua peccata, Faciant te ſane puſillanimem & deſperabundum, tamen aliud concipe quam peccata tua, Me audi.

Remittuntur tibi peccata tua.

Tertio, Remittuntur tibi peccata tua. Priuſquam ſanat (ut Medicus perfectus) morbum paralyſis, cauſas morbi (ut dicitur) tollit, ſcilicet peccatum. Q. d. facile eſt morbum corporis ſanare, ſi morbus animæ tollatur, qui eſt cauſa morbi corporalis. Ideo primo ſanat & erigit animum, erecto animo, plus jam dimidio erectum

eſt

eſt corpus. Eſt autem emphaſis in verbo remittuntur, ſcilicet, quod à peccatis liberari non poſſit ullus homo, niſi per remiſſionem, Vbi eſt autem remiſſio, ibi non eſt ſatisfactio aut meritum, ſed gratuita donatio. Et hæc eſt doctrina Evangelij, contraria legis doctrinæ.

Quarto, urgenda eſt vox, TIBI, TVA, Quibus duo aguntur, Primo confirmatur, te eſſe peccatorem, quia tibi fit remiſſio & tuorum peccatorum. Secundo, quod non alteri, ſed tibi donari ſcias, id eſt, ne cogites, ad S. Petrum aut Eſaiam, ſed ad te, Te, inquam, peccatorem, pertinere illam Evangelicam vocem &c.

Poſt hæc deſcribitur, quam ſit hæc doctrina plena offenſionibus, Vt Paulus dicit, Iudæis ſcandalum Chriſtus eſt, 1. Cor. 1. Nam hoc verbum, Remittuntur tibi peccata, eſt vox intolerabilis omnibus Legiſtis & operarijs. Quia tota mens Legiſtarum eſt hæc, Oportere ſatisfacere per opera Deo, Sicut teſtantur omnia eorum facta, dicta, ſcripta. Ideo & hodie ſic noſtrum Evangelium odioſum eſt noſtris Phariſæis, quod ferre non poſſunt hanc vocem, Remittuntur tibi peccata. Quia illa duo pugnant apud rationem humanam, Legem debere facere, & tamen non facientibus dari remiſſionem non factæ.

1. Cor. 1.

Evangelii doctrina plena offenſionibus.

Hæc omnia proficiſcuntur ex eo errore, quod putant, Hominem poſſe legem implere, & Deum ſic pro Peccatis velle placari, Quorum utrunq; falſum eſt, Sed falſum dici illi nolunt, ideo murmurant cum audiunt, pro peccatis non ſatisfieri, Sed per remiſſionem ea tolli, Sicut iraſcuntur cum audiunt, nos fruſtra Legem implere. Ideo dicunt hic Phariſæi offenſi valde, Hic blaſphemat, Scilicet nihil atrocius poterant invenire, quam ut blaſphemiam dicerent, Et id juſto titulo, Quia contra legem Dei agitur, cum Lex non remitti, ſed impleri debeat (ut ipſi ſentiunt) Solius Dei autem ſit legem remittere. Ideo in ſpeciem juſtiſſima fuit Phariſæorum offenſio. Sicut & hodie & ſemper, juſtiſſima videtur offenſio & zelus pro operibus bonis. Quia non intelligunt, quid ſit Lex aut bona opera, Sed hoc objiciunt, Deus, deus, deus dedit legem, Lex Dei, Lex Dei, Deus juſſit facere legem. His dictis occludunt aures, & dicunt blaſphemia, blaſphemia &c.

Cæcitas Phariſæorum.

Reſpondet autem Chriſtus indignabundus, Quid cogitatis? Q. d. **Wie ſeyd jhr doch ſo gifftige Leute**/quod hominibus etiam invideatis gratiam Dei, cum tamen nihil inde vobis pereat. Hic ſubocculte taxat eorum avaritiam & idolatriam. Quia ſacerdotum erat hæc cogitatio, Quod ſi quis Deum vellet placare, hoc oporteret fieri per ſacrificia & intercedentibus ſacerdotibus. Vt in Lege Moſi & libris Reg. præcepta & exempla ſunt. Nunc autem, cum Chriſtus ſine ſacrificijs & illorum interceſſionibus pronunciat Deum placatum ſola fide, Hic metuentes ſuo ventri, cogitant, **Gehet das an / daß man Gnade kan kriegen** / fide ſola ſine noſtris ſacrificijs, tum plane nos perierimus funditus. Nec hoc ſolum, ſed totus Moſes cum ſuis ſacrificijs corruet. Quis enim porro ſacrificabit, ſi Deum placare poſſunt fide &c. Ideo certum eſt, quod ipſe eſt blaſphemus in ſacrificia & Moſen, Ergo & in Deum. Sicut hodie omnia ſunt ſimilia in Papatu, quando audiunt, Fide ſalvari hominem abſque opere & ſacrificio, Miſſæ plane furunt, quia ſentiunt ſuo ventri hoc eſſe damnoſum, & prætexunt blaſphemiam, quia contra Eccleſiam, & ita contra Deum ſit iſta doctrina fidei, quæ contra eorum venalia ſacrificia docet, licet habeant minus autoritatem Scripturæ pro ſe, quam Phariſæi.

Sufficiarij invident alijs gratiam.

Avaritia ſacerdotum.

Poſt Chriſtus eos ironica indignatione exagitat, dolens eos tam eſſe malevolos, & dicit. Quid eſt facilius &c. Q. d. **Ja jhr ſeyd feine geſellen, wiſſt fein**/quid ſit facilius vel difficilius dicere, hoc vel illud, **eins ſo wol als das ander / Hettet jhr die** ſacrificia **davon** pro veſtro ventre, **Jhr lieſſet wol beyde paralyſin vnd** peccatum **das vhglück haben/vnd fragt nicht viel/welchs leicht oder ſchwerer were.** Iuxta hanc ironiam ſimul tamen eorum ſententiam taxat, Quia revera ipſi dixiſſent Facilius eſſe peccata remittere, quam Paralyticum ſanare. Quia per ſacrificia & opera operata ſua certi erant, ſe poſſe remiſſionem peccatorum impetrare ſibi & alijs, Sed Paralyticum ſanare non ita præſumpſiſſent. Ideo concludit Chriſtus, & dicit, Vt ſci-

ut ſciatis, quod non veſtrorum ſacrificiorum & meritorum ſit peccata remittere, Ego utrunque faciam, Et remittam peccata, & ſanabo Paralyſin, abſque ullo ſacrificio & merito veſtro, quorum utrunque impoſſibile mihi eſſe putatis, Vt videatis, mihi hoc eſſe facile (ſcilicet remittere peccata abſq; ſacrificijs) quod vobis impoſſibile videtur, Et ecõtra vobis eſſe impoſſibile (ſcilicet ſanare paralyſin per ſacrificia) quod mihi eſt facile. Ideo, ſicut dixi, Ihr wiſſet nicht weder facile noch difficile. Quia menſuratis me ad legem & opera veſtra, Mihi autem ſunt omnia facilia nedum poſſibilia.

De vocatione Matthæi.

Et cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine &c.

Officium Chriſti.

Hic iterum vides, officium Chriſti eſſe, peccatores ſalvos facere. Hoc teſtatur primum facto, deinde verbis, Factum eſt, Quod vocat non Phariſæos aut ſanctos, ſed publicanum, Et ita vocat, ut non ſolum juſtificet per remiſſionem peccatorum, ſed etiam Apoſtolum conſtituat, qui & ipſe deinceps eo officio fungantur in omnes Gentes, à peccatis redimendas. Et mira eſt conſolatio, quod Apoſtolos eligit, tam indignos peccatores, ut ne illi ſuperbiant de officio tam ſublimi, Aut ne ullus peccator diffidat aut deſperet de Chriſto. Nam in ſummo choro & intimo ſenatu Sanctorum qui ſedent, Magnifici ſane, peccatores & publicani, qui ſecundum ſuam juſticiam merito ſederent in Centro inferni. Non igitur habet Petrus, quod me deſpiciat, aut contra me glorietur, quantumvis peccator ego ſum. Quia habet, quod cogitet, ſcilicet ſe fuiſſe unum bonum Socium in peccatis maximis &c.

Chriſtus elegit peccatores in Apoſtolos.

Petrus.

Et hæc res (ut ſupra) mirum eſt ſcandalum Phariſæis, qui peccata & peccatores ſecundum Legem oderunt, & omnia iſta contra Legem fieri ſentiunt. Contra legem autem aliquid fieri, habet juſtiſſimam (ut ratio dictat) cauſam indignandi, quia idem eſt contra Deum fieri. Idem Scandalum hodie eſt, quod Gratiam ſic extollimus, ut videantur omnes leges & diſciplinæ tolli, Summa. Evangelium movet ſcandalum Iudæis (id eſt, operarijs & Legiſtis) & ſtultitiam gentibus (id eſt, Epicuræis & Atheis) Illi furunt contra ipſum tanquam contra ſummam peſtem, iſti rident, tanquam vanam & ocioſam opinionem hominum, Illi putant eſſe blaſphemias, Iſti putant eſſe fabulas. Eccleſia autem & Chriſtus tranſit per medium illorum, & dextra aure blaſphemias, & ſiniſtra fabulas eorum contemnit, & vivit in veritate fidei, quæ Deum colit ſine blaſphemiis & fabulis. Factum autem hoc poteſt amplificari per proſopopœias, Quomodo Chriſtus ibi ſedet lætus inter Publicanos, tanquam ſocius peccatorum, & quaſi approbans eorum vitam, Interea ſtant ibi circum Phariſæi, rugantes frontem, ringentes, indignantes, judicantes, damnantes &c. id eſt, Nihil niſi legem ſpectantes contra eum, qui ſub Lege non eſt, nec eſſe poteſt, & omnes à lege redimit.

Contra legem aliquid fieri.

Iudæi & Gentes offendi Evangelio.

Verbum eſt ſuaviſſimum quod habet primo Sententiam, ſecundo autoritatem Scripturæ. Sententia eſt ex natura ſumpta, Non eſt opus medico ſanis. Hic philoſophatur Chriſtus, id eſt, de natura rerum loquitur, & eam philoſophiam optime applicat ad propoſitum, Hoc eſt, rectum uſum Philoſophiæ, id eſt, cognitionis rerum habere. Cæteri Philoſophi ſunt Speculiſtæ, dicunt, quomodo natura ſic ſic facit, ſed non docent, quid ſignificent iſta ut hic Chriſtus Medicinam pulchre applicat ad religionem ſeu fidem. Autoritas eſt pulchra & potens contra Legem, ſacrificia & opera digna, quæ proprium Sermonem poſcat. Quia hic abrogat Legem. imo damnat eam in ſummis cultibus Dei, ſcilicet Sacrificijs, & præfert Charitatem inter fratres &c.

Non eſt opus medico ſanis.

Abrogatio legis.

Volo.

Vrgeri debet verbum, Volo. Quis eſt iſte volo? Deus Majeſtatis, cum quo omnia ſimul volent, nec ejus voluntati poteſt reſiſti, nec ipſa in aliud velle mutari. Habemus ergo in hoc verbo certam notitiam, & ſecuri ſumus de voluntate Dei.

Quid ad nos, ſi Peccatum, lex, mors, caro, mundus, aliud velit, Si Dei voluntas pro nobis, Quis contra nos? Hic ſtat manifeſta Dei vox, Volo, das will ich/

So bin ich geſinnet. Et ea vox non tantum ſignificat ſimpliciter velle, ſed beneplacitum eſſe, delectari, ex animo cupere, Vt omnibus modis certi ſimus de Dei benevolentia & complacentia. *Volo.*

Hic poteſt fieri digreſſio, ſcilicet quam infinita ſtudia tentarint homines, ad ſciendum, quid placeret, quid vellet. Hinc enim Sectæ & vitæ innumeræ inventæ ſunt, quibus voluntatem Dei quærebant, Et ecce hanc apertam, publicam, claram vocem (volo) omnes præterierunt. Tanta cæcitas eſt & ſtupor incredulitatis, Quia non crediderunt ſerio hæc dici à Deo, ſed tantum ſyllabas grammaticas inſpexerunt & præterierunt. Poterat hæc una vox omnia Monaſteria, Sectas, inſtituta vivendi prævenire, ſi obſervata fuiſſet. Nam quid quærunt omnes Sectæ, niſi hoc? O utinam ſcirem, quid Deus vellet, quid ei placeret? Ego induam cilicium, cucullum, ſaccum, forte placebit Deo. Et ſumma. Omnes quærunt hanc voluntatem Dei, qui dicit, Volo, Et ecce ipſum ſponte offerentem ſe, & clamantem (Volo) non vident nec audiunt. Hæc major eſt cæcitas & miſeria hominum, quam dici poteſt, Quærere Deum noſtris conſilijs, & reſpuere eum offerentem ſe ſuis verbis. Huc proprie pertinet illud Eſa. Inventus ſum à non quærentibus, palam appareo his, qui non interrogant. Odit enim ſe quæri noſtris conſilijs, cum ſeſe offerat inventum facilime. *Innumera vitæ inſtituta ad quærendam voluntatem Dei.* *Cæcitas & miſeria hominum.* *Eſaiæ 65.*

Miſericordiam. Hic poſtquam ſeipſum & cordis ſui affectum oſtendit per verbum Volo, Nennet er das Kind/ & definit, quid nam ſit, quod tam ex animo velit, Et dicit, Miſericordiam. Hæc vox etiam urgenda eſt, contra omnia alia opera, quæ non ſunt Miſericordia, maxime, cum ipſemet Dominus urgeat ipſam, contra ſumma opera totius Synagogæ, etiam in Moſe ordinata, ſcilicet ſacrificia, Quanto magis contra electicia Monachorum, peregrinationum & aliorum cultuum opera, quibus non miſericordia, ſed propria juſticia quæritur. Poſt hæc, Quid ſit Miſericordia & quot officia ejus. Miſericordia autem eſt benefacere proximo, in ſuis miſerijs, ſeu neceſſitatibus. Hic numeres neceſſitates proximi, & ſcies, quid ſit miſericordia. Eſt autem neceſſitas ſeu miſeria proximi. *Miſericordiam.* *Quid ſit miſericordia.*

Peccatum. Ergo hic eſt docendus, monendus, arguendus, tolerandus, conſolandus. Ecce quot miſericordiæ ſunt in una iſtâ neceſſitate, quas omnes deſerunt iſti Sectarij, & fugientes moleſtias monachi &c. aut propria opera ſecuti &c. Et tamen has ſe velle dicit Deus, Volo &c. Triſtitia, morbi aut alij corporum defectus. Hic quot modis poteſt homo adeſſe Proximo, ſi non re, pecunia, opera, obſequio, ſaltem favore & bono verbo. Et in his omnibus ſcit ſuper ſe dici à Deo, Volo, hæc placent mihi, in his permane, Fili, & recte incedes. Et quanto precio eſſet emenda hæc gloria, quod homo certus eſt in his operibus ſuper ſuum caput incedere, hanc Dei vocem, Volo, Hoc placet mihi, Quanto gaudio iſta faceremus, ſi huic voci, Volo miſericordiam, crederemus? O infelices Phariſæi & omnes juſticiarij, qui hanc ſphæram ſupra ſuum caput non habent. Vnde & recte pinguntur Sancti, cum ſphæra gloriæ ſancta circum caput, ad ſignificandum, quod in verbo Dei incedunt & faciunt omnia. Paupertas & alia &c, Hic etiam quis enumeret, quot officijs poſſimus miſericordiam exercere, ſcilicet pane, potu & veſte &c. Vt Matth. 25. Eſurivi &c. His omnibus carent juſticiarij, qui alienis potius vivunt, & devorant ſubſtantias aliorum, ipſi interim ocioſi in ſua juſticia. Iſtis falſis Sanctis eſſet, pro corona illa ſphæræ glorioſæ, pingendum in capite ſtercus diaboli. *I.* *II.* *Sphæra ſupra capita Sanctorum.* *Matth. 25.* *III.*

Tertia vox, Non ſacrificium, Grave & horribile fulmen divinæ Sententiæ, ſuper illud ſummum opus, ſcilicet Sacrificium, quod fuit cultus ipſe Dei, Et ſatis grave fuiſſet, ſi aliquam iniquam comparationem feciſſet, inter Sacrificium & miſericordiam, ſcilicet ſic, Sacrificium eſt mihi gratum, ſed miſericordia gratior. Fuiſſet hoc ipſum ſatis intolerabile, præferri ſcilicet miſericordiam ſacrificio. Deinde nec hunc gradum relinquit Sacrificio, ut ipſum ſinat aliquid eſſe juxtà miſericordiam, ſcilicet ſic, Sit ſacrificium quicquid poteſt, permitto. Miſericordiam autem volo &c, Non hunc honoris ei locum concedit, licet viliſſimum, & juſticiarijs *Non vult ſacrificia.*

valde odibilem, sed impliciter annihilat & dicit, Non volo sacrificium, Non placet sacrificium &c. Hac voce nihil potest blasphemius sonare in auribus Sacrificulorum. Sed ipse nihil curat eorum offensiones, pergit & dicit cum fiducia, Non volo sacrificium, Non placet, odit anima mea, Vt Esaias quoq; primo & ultimo dicit. Esa. 66.

Hic merito quæritur, Cur sic extreme detestetur Sacrificium, quod tamen in multis Patribus valde approbavit, Deinde quicquid facit justus in fide, acceptum est. Respondetur ex Psalm. 18. Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris &c. Discernendæ sunt personæ sanctorum & perversorum, Quia enim Sancti recte vivunt fide erga Deum, & charitate erga proximum, ideo omnia, quæ faciunt etiam placent, sive sacrificia sive labores manuum &c. Imo sic beneplacitum est Domino in populo suo, ut etiam peccata & errores eorum eis non noceant. Et est Deus etiam in peccatis Sanctorum sanctus cum ipsis. Econtra quia impij perverse vivunt, fidem erga Deum & misericordiam erga proximum nihil curantes, sed sua sacrificia & opera jactant & in eis gloriantur. Ideo pervertit & Deus sese cum eis, & fit ipsis quoq; perversus, Q. d. Quia vos Præceptum meum de Fide & Misericordia respuitis, nec ullo loco dignum habetis, Ego viciſſim, vestrum summum opus, Sacrificium, non aspicerem, imo simpliciter non volo, Tantum abest, ut peccata vestra vobis sint innoxia, ut etiam summa merita vestra sint vobis summa peccata. Quare? Quia sicut mihi facitis, sic facio vobis, **Buleſtu dort/ ſo bule ich hie/** Vobis nihil placet meum, Ideo mihi nihil placet vestrum, **Alſo ſind wir geſchieden.** Hoc quod vos summe vultis, scilicet Sacrificium, hoc ego summe nolo, quia non estis personæ, quales volo &c.

Cum sancto sanctus eris, Psal. 18.

In pijs omnia ex fide Deo placent.

In impijs etiam summa opera Deo displicent.

Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Mirifica consolatio, quod ipsemet Dominus definit eam esse vocationem suam, seu missionem à Patre, ut peccatores vocet, non justos. Nam quod dicit, Veni, idem est, quod alibi dicit, Missus sum. Siquidem Patre volente, jubente, mittente, venit, Ergo Patris voluntatem esse dicit, quod debeat peccatores, non justos vocare. Quare non venit, ut judicet mundum, Sed ut salvet mundum. Ioh. 3. Idq; voluntate Patris. Sit ergo fixum, Primo, Quod Ministerium Christi, est non ministerium Peccati, nec mortis, Sed justiciæ & vitæ, Hoc vult Pater à nobis credi &c.

Christus missus à patre, ad peccatores vocandos.

Secundo, Ironisat contra Pharisæos, qui forte dicerent, Nonne & nos docemus peccatores debere converti ad pœnitentiam? Quid novi affers tu? An non ministerium Mosi seu legis vocat peccatores ad pœnitentiam? Imo (inquit) Vos cum sitis peccatores, vultis esse justi, & nihil facitis, nisi quod justos esse decernitis tum vos tum alios, qui tamen sunt coram Deo peccatores horrendi. Hos justos ego non voco ad pœnitentiam, nec ipsi egent pœnitentia, cum vobis judicantibus sint justi, Valete ergo vos justi cum vestris justis, sitis sancti cum vestris Sanctis, Et sinite me cum meis Peccatoribus agere, donec & ego eos justos faciam, non sicut vos, operibus legis, Sed gratia & remissione. Vos vocate peccatores ad pœnitentiam, secundum justiciam legis, ut faciatis duplo peccatores, sicut vos estis, Ego voco ad pœnitentiam, secundum remissionem peccatorum, ut faciam duplo justos, scilicet gratia & veritate, Gratia, quod remissa sunt eis peccata, Veritate, quod vere incipiunt boni esse & operari bona. Vos duplo facitis peccatores, vestra pœnitentia, scilicet culpa & mendacio, Culpa, quod magis superbiunt de justicia legis, quam dum essent peccatores, Mendacio, quod ficta opera putant esse bona, Ita sunt Corde intus magis culpabiles, propter incredulitatem & superbam fiduciam. Opere foris sunt mendaces & hypocritæ, propter falsam speciem operum & gloriam. Tales & vos estis, **Aus mit euch vnd ſolchen Heiligen/ Ihr gehöret nicht zu meiner Buſſe.**

Ironia & verbo, Iugiter.

Pharisæi faciūt ex vestra lege, duplo peccatores, Christus ex peccatoribus, duplò justos.

Inligniter hoc notandum est, contra perversos & abutentes gratia Dei, seu ut Iudas dicit, transferentes gratiam Dei in luxuriam. Nam Christiana libertate hodie abutuntur plurimi dicentes, gratia, gratia, Ergo non est opus bona facere aut mala pati. Hi faciunt ex gratia luxuriam, id est, propriam libidinem faciendi quæ volunt, Et ex remissione peccatorum, licentiam peccatorum, ut hodie multi nimis.

Abutentes gratia Dei. Christus vocat ad pœnitentiam. Ergo non est abutendum gratia, ad licentiam.

Sed Chriſtus hic dicit, Seſe vocare quidem peccatores, Sed non ad licentiam peccandi, neque ad libidinem faciendi quæ velis, Sed pœnitentiam ſcilicet ad mortificationem peccatorum, ſicut Rom. 6. Paulus docet, Si mortui ſumus peccato, quomodo vivemus in illis? Quid eſt enim pœnitentia, niſi mortificare peccata? Quare peccatores vocari ad pœnitentiam, eſt remiſſis quidem peccatis, vocari ad ſtudium perpetuum peccata cognoſcendi, odiendi, mortificandi, ſepeliendi, Rom. 6. Non ad peccatum liberum dimittendi, ut faciant quæ libeat.

Rom. 6.

Pœnitentia.

Acceſſerunt ad eum diſcipuli Iohannis dicentes, Quare nos & Phariſæi jejunamus frequenter, diſcipuli autem tui non jejunant?

Quæſtio de jejunio.

Poteſt hoc videri cohærere cum præcedentibus, dixerat enim Chriſtus ſe vocare juſtos ad pœnitentiam. At jejunium eſt pars pœnitentiæ, ut patet in Niniviris & alijs tum exemplis tum dictis Scripturæ. Videntur itaque diſcipuli Chriſti non pœnitere, quia non jejunant, Et ita vocatio eorum ad pœnitentiam eſt nihil, Quare nec juſti dici poſſunt, cum ſint ſine pœnitentia, ad quam te dicis vocare juſtos. Nos igitur & Phariſæi ſumus multo juſtiores, ſecundum verbum tuum, quam tu cum tuis diſcipulis. Reſpondet Chriſtus.

Jejunium eſt pars pœnitentiæ.

Numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quam diu cum illis eſt Sponſus?

Es iſt jtzt nicht faſtens zeit/haben anders zu thun/Veſtrum jejunium eſt importunum non ſolum opere ſed & perſona & modo. Ita reprobat eos cum jejunio, ſicut ſupra eos reprobavit cum eorum pœnitentia, Es fol alles nichts / Summa / Es gilt nicht flickens/mit newen tuch auff einen alten Rock. Hoc dicitur apophthegmate Germanico, de veſte nimis trita ſic, Ach den Rock mus man mit einem newen flicken / es hilfft kein pletzen mehr / id eſt, rejicienda eſt detrita iſta veſtis, & paranda nova loco ejus. Sic dicere poſſis de vaſe vinario, multis modis abſumpto, Ach es hilfft hie kein Reiff noch binden mehr / man muß es mit einem newen Faß binden/id eſt, novum vas parandum eſt. Alias, wo man an einem ort bindet/ da rinnet es an andern zweyen orten / Nur in hauffen geſtoſſen/ vnd ins fewer geworffen / Ein new faß her/ ſo bleibet der Moſt drinnen/vnd das Faß auch. Tales ſimilitudines poſſis de omnibus rebus facere, quæ vetuſtate conſumptæ poſcunt alias in locum ſuum, Vt de domo veteri, Hæc domus eſt nova domo tegenda, pingenda, fulcienda &c. Hæc ſecuris eſt acuenda alia nova ſecuri, Rete hoc reficiendum novo reti, Marſupium hoc conſuendum novo marſupio.

Ita & hic jejunium veſtrum & tota pœnitentia atque juſticia veſtra eſt melioranda novo jejunio, pœnitentia, juſticia, id eſt, Rejicienda ſunt omnia veſtra, & facienda omnia nova. Veſtra vetera non capiunt hæc nova, nec ſimul ſtant aut conveniunt, Iuſticia legis & juſticia fidei. Tempus nunc eſt Sponſi & nuptiarum, ſimul & Filiorum nuptialium, in quo veſtri jejunij & triſtium juſticiarum non eſt locus, ſed lætæ juſticiæ & abundantis convivij in fide. Igitur alij homines, alia ſunt omnia, tempora, facta, verba &c. Ideo nihil eſt veſtrum jejunium triſte, & juſticia dura & ſevera in operibus. Das heiſt alles in den hauffen geſtoſſen/ & loco triſtis & moleſti jejunij (id eſt, juſticiæ legalis) convivium, & quidem nuptiale (quod lætiſſimum eſt omnium) celebrari, quod eſt feſtus iſte dies fidei, quem fecit Dominus, Exultemus & lætemur in eo

Jejunium noſtrum reprobatur, niſi in beatitudine novi.

Pſal. 118.

Et nota, quod jejunium Phariſæorum appellat luctum. Quia dicit, Non poſſunt filij Sponſi lugere (cum illi de jejunio interrogaſſent) debuit enim dicere, Non poſſunt filij Sponſi jejunare, ſicut poſtea dicit, Tunc jejunabunt, Non dicit. Tunc lugebunt &c. Quia vult ſignificare juſticiam legis & hominum eſſe luctum, id eſt, triſtem, velut ſupra mortuis, cultum, quem Prophetæ Auen vocant, id eſt, mœrorem & dolorem, mühe vnd vnluſt/ de quo alias multa & ſæpe dictum eſt. Fidei vero juſticia, eſt viventium & lætantium cultus, ſuper vivente & regnante Chriſto noſtra juſtitia & vita &c.

Jejunium & cultus hypocritarum, ſunt luctus.

Venient autem dies, cum auferetur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt.

Varie hujus loci accepta.

Hoc varie potest intelligi, Primo, quod Christo assumpto in cœlis, Sancti ejus coguntur vere jejunare, & omnia mala pati, quod tamen libenter faciunt. Secundo Prophetice. Quia Christo à Iudæis ablato (vel etiam à nobis) deest convivium fidei, id est, nihil nisi mors & perditio. Sed tertia sententia mihi placet, quod Christus velit dicere, **Ich wil meinen Heiligen fasten vnd trawrens gnug geben**/absq; vestro jejunio & luctu, qui nihil est, Hoc est, Ego eos deseram in tentationibus varijs, sicut Paulum, ut me sponsum non videant nec sentiant. Tunc lugebunt & vere jejunabunt. Nam id satis apparet, Christum hoc loco ex jejunio isto Iudaico digredi in Allegoriam, cum de lætitia nuptiarum & convivij loquitur, contra jejunium Pharisæorum & lugubrem eorum justiciam.

De filia Archisynagogi, & Æmorrhoissa.

Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps unus accessit & adorabat eum, &c.

Fide servatur mulier, non alio suo merito.

Allegoria mulieris sanguinisluæ & puellæ mortuæ seponenda est, in aliud tempus, Deinde latius hanc historiam ex Marco oportet differi &c. Et notandum, quod hic primum scribitur miraculum mortui suscitati, scilicet puellæ, Sed ante curatur Æmorrhoissa, eodem dicto, quo supra paralyticus Cap. 8. Confide filia, Fides tua te salvam fecit. Hic fidei virtus & gloriæ prædicanda est, quæ sine operibus & meritis impetrat mulieri sanitatẽ, sicut supra paralytico remissionem peccatorum. Isti enim loci fidei vrgendi sunt semper & ubique, contra fiduciam operum. Neque enim hic potest ullum opus allegari, quo ipsa meruerit hanc gratiam, Imo ipsa de se desperans totam fiduciam collocat in tactu fimbriæ illius, Indignissimam se reputans, quæ petat palam, aut mittat, qui roget pro ea, Quin ipse Dominus simulat se, quasi nesciat, quis sese tetigerit, Vt scilicet significet, se nescire illius mulieris meritum, & tamen virtutem exijsse à se confitetur, Ideo dicit, Fides tua, Q. d. Vides quam nihil contuleris mihi beneficij, nihil merita de me ullo opere, sed quia credidisti, ideo impetrasti.

Dicant hic operarij, Quid meruerit hic, vel puella vel Æmorrhoissa &c. Concludi oportet simpliciter, quod utraq; gratis & sola fide misericordiæ Dei sit sanata. Et sunt ista exempla scripta, ut gratia contra opera prædicetur, etiamsi post non sint opera omittenda, Ideo & nobis urgenda sunt contra opera. Nam clara sunt verba, Fides tua salvam te fecit, opera non fecerunt. Et diserte ponitur, quod sit ea hora sanata, scilicet ne opera justiciæ interessisse putarentur, quæ tamen postea per sanatam fieri oportebant, pro suo statu.

Testimonia vere mortue puelle.

Nunc itur ad Miraculum mortuorum, quod illustratur circumstantijs multis. Primo, Quod pater puellæ est Magister scholæ (ut Marcus dicit) Secundo, quod jam tubicines assunt, velut Requiem cantantes. Tertio, Amici tumultuantes luctu, consolantes patrem &c. ut ante omnia certum sit, eam esse vere mortuam, ut illustrius fiat miraculum. Quarto, Quod rident eum, scilicet tam certi, eam esse mortuam. Quinto, Quod est omnium lætissimum, quod Christus mortem ipsissimam sic ridet, & vocat eum claris verbis somnum. Hic locus valde insignis est, quod Dominus ipse rerum vocat mortem aliud nihil, quam somnum, Quæ est consolatio mirifica omnibus fidelibus. Nam Christus hic non solum dicit, Puellam mortuam dormire, sed facto ipso quoq; ostendit, Mortuam dormire, quia alloquitur eam facilibus verbis, velut dormientem excitans. Hanc sapientiam nulli Philosophi assecuti sunt, Et cum infinitæ apud eos sint opiniones, hic uno verbo solvuntur omnium quæstiones, scilicet, Dormit, O dormit, Mors ubi es? Mors non est Mors, sed dormitio apud Christianos, Imo locus sepulturæ Christianorum vocatur κοιμητηριον, id est, dormitorium. Sic non possunt Gentes appellare sua sepulchra, soli Christiani dicunt, Sepulchrum meum est meus Lectulus, meum dormitorium, Non morior, sed dormio. Ioh. 11. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit vivet, Et Lazarus dormit &c.

Christo mors est somnus.

Mors apud Christianos est dormitio. Cœmiteria Christianorum sepulchra.

Vides autem hic, quot sint impedimenta hujus fidei de vita æterna. Nam hoc,

Iob. 11.

hoc,quod hic geritur in Puella ſuſcitanda, hoc etiam in quolibet fideli agitur morituro. Primo, Eſt deſperatio, quaſi non victuri in æternum, Ad id conſonant turbæ (id eſt, exempla totius mundi) quæ dicunt, Quid tu unus dubitas? quum ſis, ſicut omnes mos, in æternum mortuus. Secundo, Tubicines etiam rident promiſſiones vitæ,poc eſt, Lex & ſapientia carnis dictat,mortem eſſe mortem,Contra promiſſiones vitæ æternæ eſt nihil & mere fruſtra,Quia lex occidere novit & aliud nihil, Sic enim conſcientia ſentit.Ideo hic in iſtud verbum Chriſti(dormit)tot turbis & ſcandalis obrutum, eſt acriter intendendum, Et contra tibicines, contra legem, contra omnia argumenta conſcientiæ, in os Chriſti intendendum & hærendum, dicendo, Ecce iſte dicit, quod dormiat,non curo quid obſtrepent univerſæ cogitationes, Nihil audio, inter tot turbas, niſi illum unicum, qui obſcure auditur præ turbis, ſed mihi clare ſonat,dicens,Cedite,dormit puella,imo non eſt mortua.

Impedimenta fidei de vita æterna.

Verbum Chriſti, Dormit, tenendum contra omnia ſpectra mortis.

Hæc ſunt verba digna tali Doctore, Et ipſe dignus cui credant fideles. Ipſe debet dicere, Mors mihi non eſt mors, ſed ſomnus, Mihi nemo moritur, ſed omnes dormiunt tantum, Nos debemus reſpondere, Amen, Mein Herr credo, Hilff gleuben/Mein Chriſte/Tu non mentiris, Tantum eſt, ut ego mihi non mentiar, & fortiter credam,me non poſſe mori in æternum, Sed quod morior, hoc eſt,quod ad tempus dormiam, Verum tu da hanc mihi fidem, Tu dic iſtis turbis, & tibicinibus, Cedite, ut cedant,ut ceſſent meam hanc fidem turbare & ridere. Niſi tu dixeris eis,ut cedant,ego non reſiſtere potero, Interim credam, me morientem non mori, ſed ſopiri,me mortuum etiam vivere. Quia tibi vivo, cui credo,Et tu vivificas,qui dicis de me, Non eſt iſte mortuus, ſed vivit mihi, dormiens interim,donec eum ſuſcitem,ut etiam ſibi vivat. Et utinam (ut textus dicit) hæc fama virtutis Chriſti ſuſcitatoris emanaret in omnem terram, imo in omnium corda, Vt omnes crederent eum eſſe talem,qui nos mortuos habet pro vivis,& à ſomno excitandis, Vt læti contemneremus mortem, ſecuri, quod ipſe non mentitur, excitaturus nos, qui nobis videmur mortui,at illi dormientes ſumus.

Et tranſeunte inde Ieſu,ſecuti ſunt eum duo Cæci clamantes & dicentes, Miſerere noſtri fili David &c.

Miraculum de duobus Cæcis.

Et iſti docent ipſo facto, gratiam dari ſine meritis per ſolam fidem. Quia ipſi ex auditu miſericordiæ, quam Puellæ, & Mulieri impendit, concipiunt fidem & animum, ideo ſequuntur, clamant & dicunt, Fili David miſerere noſtri (Fidei enim eſt invocare & clamare Salvatorem in neceſſitate) Secundo idem confirmat Chriſtus, dicens, Creditis me hoc poſſe facere? Q. d. Fides poteſt omnia, etiam in indignis,quales vos eſtis. Mox ut reſpondent,Credimus,dat eis viſum,ante omnia merita eorum. Iſtud verbum,Secundum fidem veſtram fiat vobis, tractandum eſt,ſicut ego tractavi illud dictum ad Centurionem, ſupra Cap. 8. (ſicut credidiſti, fiat tibi) peculiari Concione germanica edita. Eſt enim eadem ſententia.

Beneficium Chriſti gratuitum.

Et notandum, quod Chriſtus hos Cæcos non ſtatim ſanat, Sed ſinit eos ſequi, clamare, & in domum accedere eum, Vt doceat fidem oportere eſſe pertinacem, perſeverantem, inverecundam, improbam, importunam, Sol nicht ablaſſen/ Denn ſcham in der noth / iſt ein ſchedlicher Haußrath. Sic ut ipſe laudat Luc. 18. improbitatem mulieris coram Iudice iniquo, Gaudet noſtræ fidei improbitate & pertinacia. Non vult nos dubitare de ejus bonitate, neq; defatigari & frangi impatientia, cum ſtatim non fert opem,ſed vult ut inſequamur per viam,clamemus & irrumpamus in domum ad ipſum, ut fecerunt hi duo Cæci, Hoc modo enim tentat fidem noſtram,an ſit vera vel ficta. Quæſtio,Cur jubet eos cælare factum gratiæ? Reſponſio communis & facilis, Exemplum ſcilicet eſſe, ne glorietur aut honorem quærat, qui benefacit, ſed hilariter & gratis in Dei gloriam faciat, Non ſicut mundus & caro, qui vel retributionem quærunt, vel ingratitudine offenſi ceſſant benefacere, imo oderunt ingratos & indignos.

Fidei virtus in orando, ut ſit pertinax & improba.

Luc. 18.

Chriſtus jubet Cæcos cælare factum gratiæ.

De obſeſſo.

Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem. Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus.

Vltimum miraculum, poſt Sermonem in monte deſcriptum, eſt de Cæco obſeſſo, In quo uno edit Chriſtus quatuor miracula. Quia non ſolum obſeſſus & cæcus, ſed etiam mutus & ſurdus fuit, quia omnis mutus eſt ſurdus, & econtrà. Poſt hoc Miraculum, velut inductione ſufficiente, generaliter & multa eum feciſſe miracula dicit, Et ſic tandem venit ad electionem Apoſtolorum, ut & ipſi ab eo miſſi talia doceant & faciant, ut ſequetur, Et ſic copioſe propagetur Evangelium verbo & facto, non ſolum Domini ipſius, ſed & Apoſtolorum, &c.

Cæcus obſeſſus plane gratuito, etiam ſine ſuo ſenſu ſanatur.

Et hoc miraculo non ſolum videtur, ſed etiam palpatur, quod abſq; meritis datur beneficium. Quando iſte cæcus nec fidem potuerit habere, quia nec viſu, nec auditu, nec loquela, forte etiam nec olfactu valuit, ita ut nec verbo nec facto potuerit moveri aut moneri. Vt enim non poteſt dici, quod viderit ullum ſignum à Chriſto facti, ita nec quod unquam de eo audierit aliquod ſignum. Ac plane eſt iſte cæcus fere tantum maſſa, truncus ſeu corpus ſine viſu, ſine auditu, velut informe corpus, quod tantum noverit tactu & guſtu vivere, Et ſic tamen à Diabolo obſeſſum, ut nec quid guſtus aut tactus eſſet, intelligere aut noſſe potuerit, Summa, fuit tantum

Cæcus à Chriſto primum vere fit homo.

figura homo, ſibiipſi ignotus, an aliquid eſſet ipſe, viveret aut ageret, Et in ſeipſo verum nihil, & quaſi non eſſet. Ita ut hic Chriſtus idem fecerit, ac ſi hominem novum ex nihilo feciſſet, ſicut Adam & Evam ex luto & coſta, & omnes homines ex ſemine &c. Nec dubium eſt, quin iſte cæcus, poſt acceptam ſanitatem, cogitarit, ſeſe antea non fuiſſe quicquam in mundo, ſed ab eo puncto incepiſſe fieri, quia nihil priorum meminit. Sicut Adam non potuit aliter ſentire, quam ſe antea non fuiſſe. Ideo grande eſt hoc miraculum gratuito collatum &c. Adeſt tamen aliorum fides, qui eum

Fides aliena.

offerunt, invocant & orant, Vt ſcilicet alliciamur ad orationem fidei, etiam pro aliis, de qua fide aliena ſupra quoq; dictum.

Quæri poteſt, an hoc miraculum ſit idem cum illo infra Cap. 12. ubi ſurdus & obſeſſus curatur, Et etiam laudantibus turbis, Phariſæi blaſphemant, in principe dæmoniorum ab eo dæmonia ejici &c. Sed ſentiendum eſt diverſa miracula eſſe. Quia Evangeliſtæ idem miracula nunquam repetunt. Quia ſicut Chriſtus ſæpius eundem ſermonem bis fecit, & eadem verba ſæpius docuit, ita multa Miracula ſimilia ſæpe fecit, Vt etiam in textu ſequitur, quod multos ſanarit in omni genere morborum, Et Matth. 11. Non dicit, unus cœcus, unus mortuus, ſed in plurali, Cæci vi-

Matth.

dent, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, &c. Ita & hujus Cæci miraculum, licet ſit ſimile cum Cap. 12. tamen aliud fuiſſe credendum eſt.

Et miratæ ſunt turbæ dicentes, Nunquam apparuit ſic in Iſrael, Phariſæi autem dicebant, In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

Chriſti beneficia blaſphemantur a Phariſæis.

Et hic vides duplices diſcipulos ſcilicet turbas credentes & laudantes, Phariſæos offenſos & blaſphemantes. Et quantum turbæ extollunt factum, tantum Phariſæi furunt, & non ſimpliciter dæmonio, ſed principi dæmoniorum aſcribunt, Vt Chriſtum reddant tanquam peſſimum omnium hominum ſuſpectum &c. Sic eſt mundus, Sic oportet fieri, Quo magis laudatur gratia Dei, eo magis oportet eam doctrinam eſſe hæreticam & diabolicam. Chriſtus autem hic tacet & non confutat eos, ſicut facit Cap. 12. Forte quod Phariſæi non fuerint coram, ſed abſentes audito miraculo iſto, ſic blaſphemaverint, Vt etiam Iohan. 5. & 9. dicebant de abſente, Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit, Et nos ſcimus, quod hic homo peccator eſt.

Et circumibat Ieſus omnes civitates & caſtella, docens in Synagogis eorum & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem &c.

In fine numeratis alijs miraculis, procedit ad miniſtrorum electionem, motus multitudine docendorum & juvandorum, & dicit, Meſſis multa &c. Quia vidit

eos

by Google

eos jacentes &c. de quo poſtea. Et pulchrè deſcribit Matthæus affectum miſerentis Chriſti, Quia ſcilicet videns populum ſine Paſtoribus, miſertus ſit ejus. Miſerrimum enim ſpectaculum fuit cordi ejus, videre tot animas derelictas à Doctoribus & ſine verbo. Pingit autem iſtud ſpectaculum, & amplificat ſub figura ovium deſertarum. Hic enim fingendum eſt, quam triſte ſit, videre gregem illum per ſeſe miſerum, Primo, fame & ſiti conſumptum, ubi neq; pabulum, neq; potus ei miniſtratur, ſed ſinitur fame & ſiti tabeſcere, Secundo, nullo ſtabulo aut ſepto cuſtoditi aut curari, ſed errabundum, vagum, & omnium voracitati expoſitum relinqui. Hæc duo enim neceſſario contingunt gregi, qui caret Paſtore. Neque enim ſeipſum poteſt alere aut tueri.

Chriſtus miſertus populi carentis verbo.

Miſeria gregis ſine Paſtore.

Sic animæ ſine verbo Dei relictæ, fame & ſiti pereunt, dum non eſt, qui paſcit aut alit, Deinde diſperguntur & varie vagari coguntur, dum nullus eſt cuſtos aut ovile, in quo curentur. Hæc duo vaſtant Eccleſiam & populum Dei, Primo ſcilicet, quando privantur verbo Dei, quo alitur Eccleſia, Secundo, quando non defenduntur contra impia dogmata, Ita fit, ut amiſſa pietatis doctrina, conſcientiæ triſtes & exhauſtæ vagentur & diſcurrant in infinitas Sectas & ſuperſtitiones, quærentes ſanari. Sicut vidimus ſub Papatu, ubi amiſſo verbo Fidei, infinita genera operum electa ſunt, Alius hunc Ordinem eligebat, alius Beatam virginem, alius S. Iacobum colebat, alius peregrinatione, alius jejunio, alius veſtis, cibi, loci, temporis obſervantia Deo ſervire ſtudebat, &c. Et quis iſtos errores enumeret, in quibus vagati ſumus? Et tamen nihil profuit, Quia iſtis neque ali neq; defendi potuit ulla conſcientia contra Diabolum, Et ſic iſtis duobus verbis, ſcilicet afflictas & diſperſas, copioſe expreſſit, univerſum chaos malorum, quibus animæ pereunt, quando ſine Verbo ſunt, nec poteſt utrunq; ſatis explicari & amplificari.

Duo vaſtant Eccleſiam.

Afflicta & diſperſa oves.

Sed ô horribile dictum contra totum ordinem Leviticum, qui hic arguitur Paſtor ille & idolum, Zachariæ 11. deſerens gregem, ſcilicet in toto illo Sacerdotio omnes ſunt hypocritæ & larvæ, & nullus Sacerdos aut Paſtor verus. At ſi tam horribile eſt, gregem ſine verbo relinquere, Quid putas erit, eſſe vel fieri ex Paſtore lupum? Quales ſunt qui non ſolum negligunt Verbum, ſed etiam contraria docent, & devorant ipſimet oves. Huc ſi accedat, ut etiam Tyranni fiant, & propter Verbum occidant pios, Iam nihil poteſt amplius eſſe Paſtor, quam ipſe Diabolus. At tales fuerunt tunc Phariſæi & ſcribæ. Nunc autem Papa & Epiſcopi, qui iamdudum Verbum neglexerunt in Eccleſia, & loco ejus, ſuas traditiones, Lupi facti, intruſerunt, Nunc etiam perſequuntur & occidunt fideles propter Verbum, quod ipſi ex officio docere tenentur. Horribiliſſima eſt igitur ſpecies iſta Papæ, Cardinalium, Epiſcoporum, qui larvati ſunt Epiſcopi, revera lupi & ipſi Diaboli in Eccleſia, Hæretici vero lupi tantum ſunt &c.

Zacha. 11.

Levita non Paſtores, ſed deſertores gregis.

Lupi facti Doctores.

Tyrannis diaboli, Phariſæi & Papa.

Tunc dicit Diſcipulis ſuis, Meſſis quidem multa, operarij vero pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.

Vltimo dicto, Meſſis multa &c. declarat, quam rari ſint boni Paſtores, cum tamen numerus larvatorum in Eccleſia ſit infinitus. Sic & Paulus queritur, Omnes quærunt quæ ſua ſunt, Et iterum, inter diſpenſatores quæritur, ut fidelis quis inveniatur. Et Chriſtus, Quis, putas, eſt fidelis & prudens ſervus &c? Ideo docet orare pro veris Paſtoribus, quando certum eſt, iſta jam dicta infinita mala venire ſuper oves deſertas, Licet furente Satana, totus mundus nihil vilius aut contemptius habeat miniſtris Verbi ſeu operarijs, quaſi delectetur ſuis infinitis malis. Et væ, væ, væ, illis, qui cauſa ſunt, quod Eccleſiæ ſine miniſtris & verbo relinquuntur. Quia culpa imputabitur eis pro omni malo, quod venit ſuper oves &c.

Pauci veri Paſtores in Eccleſia.

Orandum ut donentur Paſtores.

Et nota quod Chriſtus hic miniſterium Verbi comparat meſſi, ſcilicet, ſignificans animas eſſe avidas Verbi, & libenter velle colligi in horreum fidei. Vt Iohan. 4. Videte ſegetes, quoniam albæ ſunt. Secundo, Quod ſuum Evangelium ſit noviſſimi temporis & ultima doctrina, poſtquam, nulla alia eſt expectanda. Eo

Miniſterium verbi comparatum meſſi.

Iohan. 4.

diligentius curandum eſt, ut operarij mittantur & non contemnantur. Emphaſis
Mittere. hujus verbi, Mittat, etiam tractari poteſt, ſcilicet, quod nullus ſeipſum debet glorificare aut intrudere, ſed vocari, &c. De qua re integer Sermo fieri poteſt, Sed alias, & à multis tractatus eſt, Quot ſint genera vocationis, Et an Epiſcopatum deſiderare bonum ſit, &c.

Nam prima vocatio eſt à Deo immediate, qualis eſt Apoſtolorum & Prophetarum. Secunda, mediate per homines in ſublimitate vel autoritate conſtitutos, Sicut Apoſtoli ſuos ſucceſſores vocarunt, Sicut adhuc vocantur etiam à poteſtatibus carnalibus & magiſtratibus, ſeu communitatibus. Alterutram oportet habere eũ, qui docere debet in Eccleſia. Hic nunc quæritur, An ſeipſum offerre ad vocationem ſit licitum & cẽ? Reſpondetur, Si fiat carnali ſenſu, id eſt, ambitione vel avaDe vocatione. *Vocatio immediata.* *Vocatio mediata.* *An liceat petere miniſterium?* titia, prorſus non valet (licet ſi ſic intret, & poſtea convertatur in alium virum, proſit ei in ea manere) Nam avaritia & ambitio etiam Apoſtoli Iudæ vitiabant ſummam & divinam vocationem, Sicut & omnium Sacerdotum, Caiphæ & ſimilium. Si fiat ſtudio ſerviendi Deo, vel in ſtatu ſalutis vivendi, ſic eſt bonum opus, teſte Paulo, Si 1. Tim. 3.
Le quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Sic & in Deutero. Moſes præci*In neceſſitate unuſquiſlibet habet vocationem.* pit recipi eum Levitam, qui ex aliqua Regione veniat ad locum Domus Dei, ad ſerviendum Domino. Præter has poteſt neceſſitas incidere, ut ſi ſint baptiſandi, docendi, conſolandi, exhortandi fratres, in medio hoſtium poſiti. Hic debet quilibet ſeipſum intrudere, tanquam neceſſitate fraternæ charitatis vocatus, Et omnia facere, quæ neceſſaria ſunt pro ſalute animarum.

CAPUT X.

ET convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem contra ſpiritus immundos, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem &c.

I. *Vocatio Apoſtolorum. Mutatio regni legis.* Hoc Caput utiliſſimum & vehementer neceſſarium fuit. Quia futura erat mutatio totius Eccleſiæ, ſcilicet Synagogæ, in gentium Eccleſiam, Ideo valde neceſſarium fuit, inſignem vocationem fieri eorum, qui tantam mutationem debebant efficere. Nam legem & Regnum legis tollere, fuit mutatio, non diſſimilis ipſi diluvio, quo vetus Mundus in novum mundum verſus fuit, Et revera Evangelium fecit novum mundum ex lege, Ideo vocari oportuit ab ipſomet Domino, iſtos novi Regni duces. Tribuit eis poteſtatem & virtutem faciendi miracula, Quæ res etiam fuit neceſſaria, pro tanta rerum novitate ſeu mutatione. Non autem dat eis arma, ſed miracula, ſcilicet, ut notum eis eſſet, Regnum ſuum eſſe ſpirituale, non corporale. Ideo dat arma ſpiritualia contra ſpirituales nequitias, id eſt, contra Diabolum, peccata, mortes, morbos, & contra omnia, quæ Diaboli ſunt, &c. Docet eos quales ipſi eſſe debeant pro ſua perſona. Et totum hoc caput pertinet ad miniſtros Verbi, ut diſcant, quid cogitare, dicere, facere, expectare debeant, Et ſunt omnia plena eruditiſſimis præceptis, ac plane divinis admonitionibus, exhortationibus, promiſſis, Das iſt / Er rüſtet vnd muſtert ſeine Prediger / wie ſie ſollen geſchickt / geſinnet vnnd getroſt ſein.

II. *Chriſtus tribuit Apoſtolis poteſtatem faciendi miracula, non arma, &c.*

III. *Quales eſſe & gerere ſe debeant miniſtri verbi.*

Miſcetur Iudas Apoſtolus inter Sanctos, neceſſario Exemplo ſcilicet contra Donatiſtas & multos alios, qui negant Sacramenta ſeu gratiam Dei, conferri per malos miniſtros. Qui eſt error peſſimus, Quia ſi virtus Sacramenti penderet ex dignitate miniſtri, omnia eſſent incerta, cum nullius dignitas poſſit eſſe certa. Nunc autem pendent omnia certe ex ordinatione & vocatione Dei, qui operatur omnia in omnibus, per dignos & indignos, Ideo per Iudam operatur Chriſtus eadem, quæ per S. Petrum. Et hic locus primus eſt omnibus Miniſtris bene notandus, ut certi ſint, miniſterium ipſorum eſſe tale, id eſt, divinum, quod nullius ſanctitate melius redditur,

Iudas inter Apoſtolos mixtus, &c. *Donatiſtæ.* *Impũ miniſtri.* *Chriſtus eadem operatus eſt per Iudam, quæ per Petrum.*

redditur nullius indignitate pejus. Ita manet pax & concordia in Eccleſia, quæ alias ſine fine turbatur, ubi Miniſtrorum dignitas eſſet ſpectanda, & nemo auderet unquam officium ſuum facere, quia incertus eſſet de ſe ipſo quoque.

Hos duodecim miſit Ieſus, præcipiens eis & dicens, in viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, ſed potius ite ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael.

Præcipit vitare Gentes & Samaritas. Hoc pro illo tempore oportuit fieri. Quia Chriſtus fuit ſolum Iudæis promiſſus, Vt Paulus Roma. 15. Chriſtus fuit miniſter Circumciſionis, donec Lex per paſſionem Chriſti fuit abrogata, & ſic novo præcepto in univerſum orbem mitterentur Apoſtoli. Subinfertur hic, Quod non ſunt confundendæ Eccleſiæ, nec quilibet in qualibet debet audere, ſed unuſquiſque in ſua vocatione & ſua Eccleſia, ne turbentur Eccleſiæ & confundantur miniſteria &c.

Vitanda gentes &c.

Chriſtus miniſter circumciſionis.

Rom. 15.

Euntes autem prædicate dicentes, Quia appropinquavit Regnum cœlorum.

Docet, Qualem doctrinam debeant prædicare, Scilicet, Regnum Dei ſeu cœlorum. Hæc eſt prædicatio novi Teſtamenti, non prædicare cæremonias, non leges mundi, nec aliud quam Regnum cœlorum, id eſt, æternam vitam. In quo includitur, verbum Dei de juſticia, gratia, remiſſione peccatorum, victoria mortis, carnis, mundi, Diaboli & omnium malorum. Quia Regnum cœlorum eſt Regnum juſticiæ, vitæ, ſalutis æternæ, ubi nullum peccatum, mors, infernus erit. Hoc mandatum, id eſt, ut talia doceant Miniſtri, ſumme eſt obſervandum, ne ex Eccleſia faciant Politiam, ut Papa, nec hypocriſin, ut Monachi, ſed maneant in ſtatu cauſæ, id eſt, doceant quæ ſunt Regni cœlorum ſeu vitæ æternæ. Appropinquavit enim Regnum cœlorum, id eſt, nunc adeſt Regnum cœlorum olim promiſſum. Hoc ergo docete, Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos &c.

Doctrina Apoſtolorum quæſit, Regnum cœlorum.

Papa. Monachi.

Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite, Gratis accepiſtis, gratis date, Nolite poſſidere aurum neq; argentum.

Prohibet vitium avaritiæ, Simoniæ, ambitionis, id eſt, ut ſyncere doceant, non propter gloriam, lucrum, favorem, ſed gratis propter Deum. Sciebat enim futuros impios, qui omnia propter quæſtum dicerent & facerent, Ideo ſic præmonet diligenter, ut ſyncere Regnum Dei tantum curent. Ponderanda ſunt verba, Gratis accepiſtis, gratis date. Monet, ut cogitemus, quam indigni fuerimus tanto miniſterio, ideo memores noſtræ indignitatis & ipſius infinitæ miſericordiæ, libenter & gratis ei ſerviamus, & populum doceamus. Sed per hæc non prohibentur accipere victualia pro neceſſitate. Quia ſequitur ſtatim, Dignus eſt operarius mercede ſua, Ergo mercedem nobis accipere concedit, & operarius vocat mercede ſua dignos. Tantum avaritiam prohibet & faſtum eorum, qui de bonis Eccleſiæ ſuperbire & laſcivire volunt. Quare autoritate Chriſti, licet vivere de Evangelio, etiam pro uxore, liberis, familia, tantum avaritia, faſtus & luxus damnantur, Quia non ſinunt docere verbum.

Gratis docendi. Evangelium propter Deum

Gratis accepiſtis, gratis &c.

Victus debetur Verbi miniſtro.

Quare iſta verba, Neque aurum neq; argentum, neq; æs, neq; peram, neque tunicas duas, neq; calceum, neque baculum, recte intelligenda ſunt. Scilicet in officio verbi debent eſſe ſimpliciter nudi ab his omnibus. Hoc eſt, affectu pecuniæ, gloriæ rerum &c. debent carere in docendo ſeu miniſtrando, Nihil dicere aut facere propter pecuniam, gratiam, honorem. Sicut mundus neceſſario cogitur in ſuo regno iſta quærere, & libenter etiam nimio quærit. Sed hoc verbi officium aliud quærit, aliud ſpectat, ſcilicet, æternam ſalutem & Dei gloriam, Interim utitur hoc mundo (ut Paulus) ſed tanquam non utatur. Sic ergo in via non portant æs, id eſt, in docendo non quærunt pecuniam, nec abundantiam, Sed nec baculum, id eſt, potentiam dominandi aut defendendi, Sed nude & ſyncere Dei verbum portant, ſine affectu & ſtudio gloriæ, opum, potentiæ, quia aliud ſpectant. Quare in Matthæo Chriſtus affectum erudit, & docet ſolum verbum ſpectari, Interim uſum neceſſarium

Avaritia.

Aurum, æs, &c. non portandum in via.

1. Cor. 7.

Digitized by Google

rium rerum approbat, dicens, Edite quæ apud illos ſunt, Dignus eſt enim &c.

Baculus & calcei portandi.

Sed quid Marcus & Lucas dicunt? In Marco eſt, ut baculum portent & calceos, in Luca, ut neminem etiam ſalutent, Reſpondetur, Lucas pertinet ad ſenſum in Matthæo dictum, ſcilicet, quod nullius gratiam quærere debent, neq; ullum hominem curare ſeu ſpectare in docendo. Ita non prohibet uſum ſalutandi forinſecum, ſed ſtudium & affectum placendi hominibus. Hoc ſignificat, quod prohibet ſalutare, non ſalutari, Nam externe ſalutantibus neceſſario reſpondere debet ſalutatus, Sed ſalutare, ſcilicet affectu placendi hominibus magis quam Deo, hoc impedit Evangelium. Summa eſt hæc, Hominibus non debent velle placere Apoſtoli Galat. 1. Si hominibus hactenus placuiſſem, ſervus Chriſti non eſſem. *Gal.1.*

Neminem ſalutaverit.

In Marco Baculus & Calcei præcipiuntur ſimpliciter & externe ſcilicet, ut contenti ſint paupertate, ut baculo & calceis, Et ſic ſimiliter prohibetur ſtudium divitiarum. Nam hoc non eſt dubium, quod Chriſtus eadem ſæpe docuit, deinde etiam diverſis figuris, alio & alio tempore docuit. Ideo non pugnant, Baculus prohibitus in illo loco & tempore, & idem præceptus hoc loco & tempore, Cum diverſa ſit ratio, & tamen eadem ſententia. Quia utrobique ſtudium damnat avaritiæ in miniſtris ſuis, Ita ut nec baculum quidem permittat ad avaritiam, Et rurſus ſolum baculum admittit contra avaritiam. Sic eadem ſententia, diverſis figuris docetur, ut ſæpe alias. Vbi ſimul docet relinquere patrem & matrem, & tamen vituperat eos, qui patrem & matrem non honorarent, prætextu ſacrificij & doni. Matth. 15. *Matth.15.*

Baculus calcei.

Hæc ſimplex interpretatio mihi magis placet. Nam alia quæ affertur de Allegoria, ſcilicet, quod in Marco præcipiatur baculus & calceus ad ſignificandam poteſtatem docendi per baculum, & præparationem contra offenſiones & ſcandala per calceos, eſt magis ad oſtenſionem ſubtilitatis, quam ad doctrinam utilitatis. Quia Chriſtus hic agit maxime, ut ſuos miniſtros erudiat ad ſynceritatem, Volens ut ſtudio & affectu opum, gloriæ, potentiæ careant, ſintq; præſenti rerum uſu contenti, etiamſi tantum baculum, id eſt, ſuſtentationem ſeu alimoniam, & calceos, id eſt, tutelam utcunq; habeant. Nam divitijs, gloriæ, potentijs ſtudere, eſt ipſius Mundi & eorum, qui verbum Dei non poſſunt curare &c.

Dignus enim eſt operarius cibo ſuo.

Victus debetur Verbi miniſtris.

Notandum hoc loco, quod jure divino debetur miniſtris victus & amictus, Et peccant hodie graviter, qui Chriſtiani eſſe volunt, & tamen miniſtris nihil contribuunt, alij etiam ſubtrahunt eis, quæ reddi fundata ſunt, ut ruſtici, nobiles, cives &c. Reddent ei rationem, qui hic dicit, Dignus eſt operarius mercede ſua, Illi autem fraudant mercede eos, qui digni ſunt. Secundo nota, quod non tantum cibum operarij approbat, ſed mercedem, ſcilicet, quo & alia neceſſaria comparare poſſit &c. Quia & veſtitus, habitatio & alia ſunt neceſſaria.

Cibus. Merces.

In quamcunq; autem civitatem aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manete, donec exeatis.

Vagatio & diſcurſus &c.

Docet vitare vagationes & diſcurſiones. Quia hoc eſt ſtudium Pſeudoapoſtolorum & fanaticorum, qui circumeunt domos, & ſeducunt mulierculas (ut ait Paulus) Das ſind die Landſtreicher / qui etiam ſuum quæſtum ſectantur, quales fuerunt noſtro ſeculo, Muntzer, Hetzer, Pellio, Hut, & multi alij. Nam ipſa vagatio ſignum eſt incertæ mentis & inconſtantis doctrinæ. Ideo dicit, quod aliquem certum hoſpitem eligere debent, apud quem perpetuo maneant, donec ab eadem civitate recedant. Sic enim Luc. 10. dicit, Nolite ire de domo in domum &c. Nam hoc ſolent facere vagi & inſtabiles prædicatores. Et nota, quod Chriſtus valde laudat hoſpites miniſtrorum, quia dicit, Si dignus ſit, Q. d. Magnum donum, grandis honos eſt, ſi quis dignus ſit meos miniſtros recipere & hoſpitio excipere. Quia talis hoſpitat Me, & Patrem meum, Eſtq; ejus domus tunc vere domicilium cœleſte, in quo Deus cum omnibus ſuis moratur. Quanta eſt hæc dignitas ſuper omnium Regum gloriam? Et tamen mundus, quia indignus eſt hac gloria, perſequitur miniſtros, *Luc.10.*

Hoſpites miniſtrorum.

Digitized by

niſtros, Ideo ſit hoſpes omnium Diabolorum, & ſic manet in ſecula ſeculorum.

Siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam. Si autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.

Et contra hanc malitiam mundi ſolatur eos, dicens, Nolite offendi nec iraſci, ſi tales hoſpites raro invenietis, Vos veſtrum officium facite, ſalutate eos, & offerte eis gratiam & pacem Evangelij, Si offendetis eos eſſe contemptores & ingratos, nolite deficere aut ideo ceſſare, Scientes, quod digni non fuerint. Nam ſi digni eſſent, pax veſtra inveniret apud eos locum reverentiæ & gratitudinis, Et ipſi veſtra pace benedicti, ſalvarentur, Nunc autem, quia digni non ſunt, pax veſtra ab eis ad vos redibit. Et vobis utile erit, in vanum apud eos laboraſſe. Quia hoc plus gloriæ apud Deum habebitis. Et notandum verbum, quod dicit, Pax veſtra ad vos revertetur, Vt ſciamus, Nos non fruſtra laborare, etiamſi labor noſter ſit fruſtraneus apud ingratos & contemptores. Ad vos, inquit, revertetur, id eſt, non fruſtra oblata erit illis, Sed vobis erit in cumulum meritorium & gloriæ. Sic boni miniſtri nunquam inutiliter laborant docendo, Quia vel alijs proſunt, qui credunt, vel ſibiipſis, dum alij non credunt. Es mus doch heiſſen wol gethan / wer da predigt / Gott gebe die Leute gleuben/oder nicht. Et valet hic locus contra phanaticos ſpiritus, qui jactant verbum noſtrum ideo non eſſe verum, quia multi non emendantur, Cum hic Chriſtus confiteatur, quod multi non recipient verbum, & erunt indigni, & pacem non capient. *Pax veſtra ad vos revertetur.*

Et quicunq; non receperit vos, neq; audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.

Ad idem pertinet iſta horribilis comminatio, quæ ſequitur, quod qui eos non receperint, etiam pulvere à pedibus excuſſo, relinquendi ſint, & pejus quam Sodoma puniendi, Ideo vult dicere, Nolite iraſci, nolite ceſſare, nolite vindictam cupere in iſtos ingratos, ſed magis miſeremini, & eo diligentius inſtate & docete, 2. Tim. 4. Quia ipſi jam ſunt puniti pluſquam velletis. Sicut & Paulus docet, Inſta oportune, importunè, argue, obſecra &c. Erit enim tempus &c. Sicut & hodie, Spiritus manifeſte dicit, impoſſibile eſſe, ut iſta ingratitudo & contemptus Verbi impunita maneat Phraſis iſta, Excutite pulverem de pedibus veſtris, maximam iram ſignificat, ita quod Deus impios, non ſaltem hoc honore dignetur, ut pulvis pedum in ſuis miniſtris hæreat, qui tamen ſine ipſorum opera illis adhæreat, quanto minus ullum aliud beneficium, vel unius morſelli panis, vel micam unam eis reputabit, Q. d. Ego vobis regnum æternum obtuli, A vobis autem ne pulviſculum quidem pedis accepi, quem una muſca poſſit accipere, &c. *Excuſſio pulveris.*

Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum.

Iam docet, non ſolum ingratitudinem & contemptum, ſed etiam perſecutionem patienter ferendam. Conſolando enim prædicit eis certas etiam perſecutiones. Oves, inquit, eſtis vos mei Legati, inter lupos crudeles agetis, Iam quid vobis à Lupis expectandum ſit, videtis. Itaque parate & firmate vos ad Luporum tyrannidem. O quam iniqua conditio, ubi oves Lupis prædicant, & dant jura, Ach Gott nerriſchen fürnemens / Leones oportuit mitti in medio Luporum, vel alias beſtias ferociores. Sed hæc fiunt, ut ait Paulus, ut fides noſtra non ſit ex virtute humana, ſed divina, 1. Corinth. 2. quà Deus etiam inter Lupos & hoſtiliſſimos hoſtes velit 2. Cor. 2. ſuas Oves ſervare. Et diſerte notandum, quod nos, qui ſumus in officio docendi, perſuaſiſſimi eſſe debemus, nos docere inter Lupos, Et opus noſtrum aliud nihil eſſe, quam ſi ovis Lupos judicet, arguat, irritet, & hoc agat, ne ſint lupi. Sicut, ſi ego vel noſtrum aliquis Papæ, Cardinalibus, Epiſcopis & ſimilibus jura dare, & eos in ordinem redigere tentem. Summa, Die Wölffe werden nimmermehr gute Schüler der Schaff. Dat igitur eis mirabile conſilium in tanta iniquitate conditionis, &c. dicens. *Doctoris officium.*

Eſtote

Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

Serpentina prudentia. Columbinus candor.

Primum eſt, ut ſerpentina ſit nobis prudentia. Secundum, ut columbinus ſit candor ſeu ſinceritas. Quia in perſecutione neceſſarium eſt hæc duo habere Prædicatorem Verbi, ſcilicet, ut cautus ſit contra falſos & inſidioſos, Et tamen ſyncerus & apertus, erga bonos & pios. Quia Diabolus & mundus miris artibus quærunt occaſionem contra juſtos, ut merito videantur eos perſequi. Ideo cavendum eſt prudenter, ne ulla eis detur occaſio juſtæ perſecutionis, ſed ſemper cogantur coargui propria injuſticia, quod gratis oderint Chriſtum. Sic Serpens aſtutiſſime cuſtodit caput ſuum, & diligentiſſime vitat, quæ ei nocere poſſint, ut eſt aſtutiſſimus animalium, Deinde cum malis nullum dederimus ſcandalum aut occaſionem, & ſic prudentes in malo fuerimus, requiritur tunc, ut etiam ſimplices in bono ſimus, id eſt, ut nullis injurijs deſinamus, ſed doceamus, ſerviamus, affimus tam gratis, quam ingratis, ſine reſpectu. Sicut columba pro ſua ſimplicitate educat indifferenter fœtus, tam ſuos quam alienos.

Serpentis natura.

Simplices ut columbæ.

Allegoria ſerpentis & columbæ.

Eſt ergo allegoria iſta ſerpentis & columbæ, hac ſententia aperta referenda, quod debeamus eſſe contra malos cauti, id eſt, inoffenſibiles ſeu irreprehenſibiles, ne quid contra nos juſti juris habeant, Et ſic tuta conſcientia poſſimus dicere, His turbis & ſcandalis ego non fui cauſa. Deinde benefici erga omnes ut gloriari poſſimus, Mali non habent, quod jure contra nos querantur, Boni vero & omnes habent, quod jure gratias agant. Hoc eſt eſſe prudentem contra malos & eorum inſidias, & ſyncerum erga omnes. Hanc ſententiam Rom. 16. non tractat Paulus, ubi jubet eos eſſe prudentes in bono & ſimplices in malo. Quia eo loco Paulus non loquitur de malo aliorum vitando, ſed de malo proprio alijs faciendo, id eſt, debent cavere diligenter ne alijs noceant, ſed ſimpliciter omnibus benefaciant, Et non diſcernant inter dignos & indignos. Sed hoc loco Chriſtus loquitur de malo aliorum vitando prudenter, id eſt, ne occaſio illis detur, Ideo diverſa eſt ibi ſignificatio mali, ſcilicet paſſivi & activi.

Prudentes contra malos.

Simplices & ſynceri erga omnes.

Rom. 16.

Hoc eſt, quod ipſe mox exponit iſtam prudentiam, dicens, Cavete ab hominibus, id eſt, videte ne vos fallant inſidijs, & occaſionem juſtam inveniant contra vos, & illiciant, Quia ſcitote ipſos hoc agere unice, ut tradant vos, Ergo ſerpentes eſtote, cuſtodientes caput veſtrum, id eſt, ne conſcientia palleſcatis datæ occaſionis ſeu ſcandali. Nam conſcientia ſeu fides, eſt caput & gloria noſtra coram Deo, quod ſynceriter (ut Paulus) viximus in hoc ſeculo, nulli dantes offenſionem, ſed exhibuimus nos ſicut Dei miniſtros, tam doctrina quam vita. Quia Diabolus & mundus, noſtram doctrinam ſtudent ſeditioſam & hæreticam facere, vitam vero impiam & licentioſam. Ideo ſic eſt docendum & vivendum prudenter, ut nulla juſta cauſa nec doctrinam nec vitam poſſint reprehendere, At ſi reprehendant mendaciter, confundantur in tempore inſpectionis, ſicut Petrus dicit, Vt ſi detraxerint vobis tanquam malefactoribus confundantur. Item Paulus Tit 1. Verbum ſanum & irreprehenſibile, ut adverſarius nihil habeat contra nos. Hoc eſt igitur prudenter docere & vivere, ut in conſcientia noſtra nulla ſit culpa, ſi Mundus & lupi nos damnarint, vel occiderint. Deinde ſimplicitas eſt docere & vivere, utriſq; ſcilicet bonis & malis indifferenter, ſine ſpe gloriæ, & ſine cupiditate vindictæ.

Caput cuſtodiendum, id eſt, conſcientia.

1. Pet. 3.

Tit. 1.

Cavete autem ab hominibus.

Mira eſt iſta admonitio, ut ab hominibus caveamus. Quid igitur ſunt homines? An ſunt dæmones? Reſpondetur, in iſta cauſa ſcilicet Evangelij, prorſus nude fidendum eſt ſoli Deo. Quia omnis homo mendax, ſolus Deus verax. Eo quod omnis homo ſit mutabilis &c. Sicut Pſal. 147. dicit, Nolite confidere in principibus, in filio hominis, in quo non eſt ſalus. Quia hoc habebitis in hominibus, quod ſi hodie favent, cras perſequentur, Nuſquam tuta fides, ait etiam ipſe hominum poëta. Lupi ſunt, ideo ſic parate animum, ac ſi ſoli eſſetis in mundo, tanquam oves in medio luporum. Si aliqui vos audiunt, erunt oves nobiſcum, de reliquis cogitate, eos eſſe lupos,

Pſal. 118.

Pſal. 145.

lupos,Et eos maxime, qui ſint homines(id eſt, ſapientes) Nam Emphaſis eſt, in vocabulo,hominibus,Qui ſunt,non ſtulti,ſicut fideles & ſimplices ſunt,ſed Homines, id eſt,ſapientia humana pollentes,qui vel contemnunt fidei doctrinam,vel ſimulant ſeſe credere.Nam hi oderunt ſemper prædicatores,præſertim ſi veritatem eis dixeris,Sicut Herodes Iohannem,Ideo illi ipſi ſunt,qui tradent vos & flagellabunt vos,& ante Reges ducent, Et quo magis ſunt homines, id eſt,præ cæteris ſapientes, juſti & boni,hoc magis facient. Quia juſticia, ſapientia, religio hominum impatientiſſima eſt juſticiæ, ſapientiæ,religionis divinæ. Ideo nolite eis fidere, etiamſi fingant ſeſe fratres & amicos. Erunt enim inter vos falſi quoque fratres,Apoſtoli,Prophetæ,ſcilicet veſtri acerrimi hoſtes.Docete ergo nude in fiducia Dei.

Cum autem tradent vos,nolite cogitare, quomodo & quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora,quid loquamini &c.

Et eſt iterum prohibitio contra fiduciam, Q. d. Fortaſſe ſoliciti eritis, quid reſponſuri ſitis, & ideo meditatas parabitis orationes in corde ſic & ſic dicturi &c. Sed nolite iſta curare. Primum docete verbum vobis mandatum, quod habetis & datum eſt vobis.Deinde ponite ſolicitudinem,quomodo reſpondeatis vel accuſatoribus vel calumniatoribus.Hic dabitur vobis os & ſapientia, cui non poſſint contradicere omnes adverſarij veſtri. Ratio hujus conſilij eſt hæc. Quia Satan eſt mille Artifex, ſemper novas ſubinde calumnias inveniendi, ut nulla Regula certa poſſit ullus Prædicator ſatis muniri,quid,vel quomodo ſit reſpondendum. Quia paratus eſt ſemper ex quolibet verbo novas depravationes torquere, & eſt ejus malitia infinita,& ita fit,ut præmeditata omnia fruſtrentur,& aliud veniat in accuſatione quam putaſſemus. Ideo opus eſt præſente Spiritu ſancto, qui iſtum Vertumnum & Proteum capiat,vel ſaltem ab ejus verſutijs tutos ſervet,ne nos capiamur.

Noſtro ſeculo Exempla ſunt, multi vafri & peſtilentes homines, qui omnia ſua peſſima dicta & facta,pulcherrimis in ſpeciem artibus, & miris figuris ſciunt ornare & cohoneſtare. Econtra aliorum benedicta & facta eiſdem artibus calumniari,ita ut non ſolum auditor, ſed etiam ipſe reus pene cogatur cauſam ſuam ſuſpectam habere. Quare omnino impoſſibile eſt eorum calumnias prævidere, & fruſtra ſolicitus & anxius eſt, qui tentat eas præcavere. Spiritus præſens ille diſſolvet iſtas infinitas & ſemper novas ſubſcatentes calumnias, & confutat, ac nos ab eis liberat. Eſt igitur hic locus diligenter obſervandus,quam grande ſit officium docendi contra iſta monſtra. Ideo in fiducia Chriſti & humilitate ſeu deſperatione propriæ virtutis hic agenda ſunt omnia,prorſus in eum rejectâ ſolicitudine,quia ipſe promittit, dicens Spiritus Patris veſtri eſt,qui loquitur in vobis. Quare hic ſolidam conſolationem habemus, quod promiſſione divina certi ſumus, calumniatores (ſint etiam mille figuris aſtutiſſimi & ſpecioſiſſimi) non proficere, Sed eorum inſipientia tandem nota fit cunctis hominibus, ut Paulus ait, Quia Spiritus adeſt Patris noſtri. Sic
2.Tim.3. Chriſtus ſemper vicit aſtutiſſimas Phariſæorum machinas, Petrus ſuum magum Simonem,Paulus ſuos Pſeudoapoſtolos.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & Pater filium, Et inſurgent filij in parentes,& morte eos afficient.

Sequitur inſigne illud ſcandalum, quod etiam eſt docenti ſuperandum, & cum fiducia contemnendum, ſcilicet quod in iſta cauſa, etiam ſummi gradus Amicos habituri ſimus inimicos, nempe Fratres, Patres, Sorores, Filios, Vxores. Quæ, rogo,ſpes pacis & amicitiæ? ubi proximi & iſti domeſtici ſunt hoſtes noſtri,nempe
Mich.7. Pater,Mater,Frater,Filius,ſicut ex Michæa dicit paulo poſt Chriſtus,Inimici hominis domeſtici ejus,Ideo bona eſt conſequentia,Si pater, mater,frater, filius oderunt & occidunt,quanto magis omnes alij. Hinc dicit.

Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.

Significat enim omnes homines,id eſt,omnis generis & ordinis homines plane omnes,

ne omnes, qui non credent vobis. Nam credentes ſunt de corpore veſtro, ideò vobiſcum pariter odio erunt, Et hi ex ſingulis hominum generibus eliguntur, ſed pauci. Et notandum, quod dicit, propter nomen meum. Non dicit odio habebunt vos propter ſtupra, homicidia, furta, & ſimilia mala, quæ non invenient, Sed propter ſumma bona, propter ſummam virtutem, propter veritatem, propter juſticiam, propter vitam æternam. Summa, propter nomen meum, id eſt, quod de me prædicatis & docetis. Ego ſum cauſa veſtrorum malorum & tribulationum. Si me tantum negaretis, & deinde in odiũ mei conſentiretis, eſſetis ſancti & laude digniſſimi, etiamſi occideretis omnes Sanctos meos, ſi omnia bona raperetis, ſi omnibus maledicetis, deniq; ſi meipſum crucifigeretis. Si de mundo eſſetis, mundus, quod ſuum eſt, diligeret, Sed quia de mundo non eſtis, ſed ego vos elegi de mundo, idcirco vos odit mundus. Omnes ſunt impeccabiles ſeu ἀναμάρτητοι, qui vos oderunt, Soli vos eſtis peccatores.

Propter nomen meum.

Sic hodie Papiſtæ contra nos furentes, quicquid faciunt, etiam contra ſuos Canones, nedum contra Deum, hoc nihil eſt, imo gloria eſt. Sed virtus virtutum eſt, nos odiſſe, occidiſſe, fugaſſe, nulla culpa ſtupri, homicidij, furti, ſed quia nomen Chriſti prædicamus. Pertinet igitur & hoc ad conſolationem noſtram, & ad audendum & ad animum erigendum, quod certi ſumus, Chriſtum eſſe cauſam noſtræ tribulationis, ut Paulus ait, Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſynceritate & veritate, in hoc mundo converſati ſumus, id eſt, quod ſine cauſa patimur. Nulli enim nocuimus, imo cunctis profuimus, mala pro bonis accepimus. Quia propter nomen Chriſti odio habiti ſumus.

Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

Ideo concludit, Quod in tantis ſcandalis, tribulationibus perpetuis, firmandus ſit animus ad perſeverantiam. Quia in principio videtur etiam carni doctrina Evangelij amabilis, & multi eam amplectuntur ſpe gloriæ, divitiarum, favorum, qui pietatem eſſe quæſtum putant, Sed ubi ſentiunt nihil niſi odia, perſecutiones, tribulationes pro mercede reddi, deſerunt & fiunt plerunq; etiam hoſtes. Vult ergo dicere Chriſtus, Multi incipient, ſed pauci perſeverabunt. Quia incipiunt affectu carnis, id eſt, quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Dei ſunt, Ideo quando illa non ſuccedunt, mutantur & non perſeverant. Quare beati qui perſeverant, quia iſti ſoli ſalvi fient. Huc adduci poteſt Parabola de ſemine, inter petroſa ſeminato, & inter ſpinas ſuffocato. Quia hilariter incipiunt, ſed inter ſpinas ſuffocantur, Vnde dicitur Proverbio, Principium fervet, Medium tepet, Finis abhorret. Sic eſt in omnibus vitæ generibus. *Luce 8.*

Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.

Perſeverantia ſpiritualis.

Aliud conſilium & conſolatio, Si diceres, Quid ſi nobis non licet perſeverare, eò quod nolint nos ferre in ſua ditione. Reſpondet, Hoc non impediet perſeverantiam, Quia non de perſeverantia locali loquor, ſed de perſeverantia ſpirituali, Id eſt, ut non frangatur animus veſter ad ceſſandum & deſerendum Verbum & officium. Sed perſeverate & docete, ſi non in hoc loco, ſaltem in alio, Tantum vos durate nec definite docere. At iterum dices, Quid ſi nullo loco liceat, ſed ubiq; ejiciamur in toto Mundo, ut non poſſimus perſeverare &c. Reſpondetur, Nolite ſoliciti eſſe, Antequam id eveniet, ut nullus locus amplius ſit verbo, Ego adero meo adventu. Erit igitur ſemper locus, ubi doceatis, donec ego veniam, Tantum vos perdurate, & ſalvi eritis, Non expedietis civitates Iſrael omnes, quin Filius hominis veniat &c.

Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum.

Huic conſolationi addit duas Similitudines, de Diſcipulo & ſervo, Vt his duobus Exemplis ob memoriam fixis, eo alacriores ſint, ad ferendas perſecutiones.

Eo

Digitized by Google

Es müſt ja ein ſchendlicher Schelm ſeyn / der ſeinen Herrn lieſſe im Dreck liegen/ vnd er wolt dieweil im Bett ſchlaffen oder hinder dem Ofen ſitzen / Q. d. Cogitate vel hoc tantum, quod Ego ſim magiſter & Dominus veſter, Et ſtatim dicet vobis cor veſtrum, impulſu animoſo, Si Dominus meus pro me in iſta cauſa crucifixus eſt, quid me viliſſimum ſervum non oporteat pati? Cur miret mihi accidere aliquot mala, cum Præceptori meo tot contigerint? Cauſa eſt optima propter quam patior, Exemplum eſt incomparabile, ad quod ego patior. Quod ſi ſpectem, Quis ſit ille, Quis ego, Quid ille, Quid ego patiar, Iam mea paſſio, meræ deliciæ, imo nihil eſt reputanda. O ſchweig ſtille / du Knecht vnd Junger / von deinem Leiden / Sihe/ was leidet dein Herr vnd Meiſter / Pudenda eſt paſſio noſtra, ad illius paſſionem collata. Magnus eſt ergo, in iſta relatione Domini & ſervi, Magiſtri & diſcipuli, impetus & Energia ad conſolandum & exhortandum. *Non eſt ſervus major Domino &c.*

Sunt ergo iſtæ ſententiæ tanquam proverbia vulgatiſſima, in ore & corde miniſtrorum verſandæ, Vt, ſi quid acciderit propter Verbum, in promptu dicant, Diſcipulus non ſit ſuper Magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum. Bin ich Knecht/ warumb ſol ichs beſſer haben denn mein Herr? His igitur dictis reddit Chriſtus ſuos miniſtros, contra omne malum invictos, ſuperbos contemptores, lætos, irriſores Diaboli, mundi & omnium malorum. Ratio eſt, Quia ſi ulli Sanctorum debita fuit reverentia & honor, ipſi Patrifamilias & Sancto ſanctorum debebatur Chriſto, Sed huic non ſolum non eſt exhibita, verum etiam vocatus eſt Beelzebub, Quanto magis Domeſticos ſic vocabunt. Wenn der Haußherr veracht iſt / ſo wird ſein Geſind nicht viel gelten/ Wer den Fürſten ſchmehet/der wird ſeine Amptleute nicht hoch ehren. Sed non impune ferent, Ideo concludit,

Ne ergo timueritis eos. Nihil enim opertum, quod non reveletur, nec occultum, quod non ſciatur &c.

Hic incipit alia conſolatio, quæ eſt, quod illorũ furor non ſit futurus perpetuus, Sed ſuo tempore vindicabitur, nec eritis vos inulti, ſicut non etiam ſine præmio, interim, dum vos vexant, tacente Deo, putant hoc ipſum Deo abſconditũ eſſe et oblivioni traditum, Was ſie böſes thun/meynen ſie/es werde niemand ſtraffen/vñ ſol alſo vergeſſen vnd vngerochen bleiben/als das verborgen/ſo nimmer ans Liecht kommen werde. Pſal. 83. Sicut Pſalm. 83. Quomodo ſcit Deus? Non intelligit Deus Iacob, Nein/ Gott weis nichts drumb/er acht vnſers wütens nicht / Et Habacuc. 3. Lætatur, ſicut qui devorat pauperem in abſcondito, Imo non ſolum ſperant impunitatem, ſed tantum operculum & abſconſum habent, ut putent ſe obſequium præſtare Deo. Hui quam ſecure gloriantur ſub iſto operculo, quod ipſi Eccleſia vocantur & vos hæretici, Ipſi benefaciunt vos occidendo, vos merito patimini, qui occidimini. Sic in abſcondito gloriantur, ſed veniet dies, qui operculum iſtud tollet, & oſtendet eos ſub operculo juſticiæ fuiſſe horribiles abominationes. Hoc eſt, quod dicit, Nihil opertum, quod non reveletur, Q. d. Laſſt ſie ſich ſchmücken vnd tücken / laſſt ſie rühmen/daß ſie Gott dienen / vnd Eccleſia heiſſen / Laſſt ſie euch leſtern / Ich wil den Schmuck zur zeit wol auffdecken/ daß alle Welt ſie ſehen wird/ Habac. 3. 2. Tim. 3. Vt Paulus, Inſipientia eorum manifeſta erit omnibus hominibus. Quod dicit, Manifeſta, ſignificat eam fuiſſe & eſſe ad tempus abſconditam. Sic hodie Papæ abominationes, ſub abſcondito pro pietate adoratæ nunc revelantur eſſe Diaboli abominationes. *Inſipientia eorum &c.*

Vos contra facite. Illi celant ſua monſtra & abſcondunt ſpecie externa, At vos palam docete, etiam quæ intima ſunt, ut non fucum faciatis, ſicut illi, ut ſitis tales foris coram hominibus, quales coram me eſtis intus. Ita fiet, ut cum revelata omnia fuerint, vos inveniamini veraces intus & foris, Sicut illi invenientur ubiq; fuiſſe mendaces tam coram me & mundo. Hoc eſt, quod dicit, loquimini in luce, quæ auditis à me in tenebris, Id eſt, Nolite vos confundi, docete aperte ea, quæ ſecreto auditis, ſicut illi, qui ſimulant foris ea docere, quæ intus audiunt à ſuo Satana, Ideo coguntur interna ſua mendacia foris ornare ſpecie veritatis, religionis, Eccle-

Digitized by Google

Mendacium tandem detegitur.
Hypocritarum fuci.

siæ, Sed fruſtra, quia mendacium tandem revelatur. Sciunt mendacia ſua interna foris non valere, niſi operta vocabulis & operculis iſtis, Veritas, Eccleſia, juſticia, &c. Ideo abſcondunt mendacia ſua, ſub titulis iſtis. Vobis autem non eſt opus talibus hypocritarum fucis, ſi tales fueritis foris, quales eſtis intus, Id eſt, Si cum Paulo docueritis tanquam coram Deo, & in Chriſto, ſyncera conſcientia, nec aliud ſentientes in animo, quam dicentes in Verbo.

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.

Conſolatio contra mortem.

Vltima fere conſolatio eſt contra mortem. Hic jubet contemnere Homicidas noſtros ſuperba fide in Deum, Et valde extenuat & vilem reddit Mundi furorem & vim, quaſi irridens eorum ferociam, dicit, Quid, rogo, poſſunt, qui vos occi-

Corpus occidere.

dunt &c. Scilicet corpus occidere poſſunt, quod per ſe erat moriturum. Grandis vero potentia, occidere id, quod jam moriturum eſt, ac plane jam mortuum eſt. Quis tales occiſores formidet, qui non vitam tollere poſſunt, ſed tantum accelerare mortem, ac mortem ſolum iſtius partis, quæ alias moritur? Nolite ergo timere eos, quia animam non poſſunt occidere.

Fideles non poſſunt occidi.

Hic locus conſolatione plenus eſt, & obſervatione dignus, ſcilicet quod Chriſtus hic aperte cõfitetur, ſuos fideles vivere, nec poſſe occidi in æternum, etiam tunc, cum corpore occiduntur. Vivit, inquit, anima veſtra, imo vos vivitis etiam in

Anima vita eſt corporis.

ipſa occiſione corporis veſtri, Quia animam, inquit, non poſſunt occidere, At anima eſt vita corporis. Quid ergo poſſunt occiſores? Animam, id eſt, vitam ſeparare poſſunt à corpore, ſed occidere plane non poſſunt, Velint, nolint, anima vivit, nec occidi poteſt. Sicut ſi Cæſar morte civili occidat civem (ut Ovidium) id eſt, in exilium mittat, Hic non occiditur perſona ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum corpus, id eſt, ſecundum converſationem politicam, id eſt, ſeparatur à domo, conjuge, liberis, amicis &c. Domus eſt mortua ei, non ipſe civis, domus eſt deſerta, ſed ipſe vivit. Sic Paulus dicit ſe cupere peregrinari à corpore & eſſe cum Domino, id eſt, velle eſſe corpore mortuus, & cum Chriſto ſecundum animam vivere. *Phil. 1. 2. Cor. 5.*

Habel occiſus vixit. Abraham mortuus vivit.

Quomodo vero iſta vita ſeſe habeat, occiſo corpore, credi poteſt, comprehendi non poteſt, nec debet, ſufficit ſcire, nos vivere, etiam occiſo corpore, Quomodo autem vivamus, nunc ignoramus. Quia iſta vita eſt in Deo abſcondita, ſicut Habel vixit occiſus, & Cain vivum accuſavit, Sic Abraham vivit mortuus Matthæi 22. *Marc. 12.* Quia non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum, omnia enim ei vivunt, Ideo & nos cum occidimur, tamen ei vivimus. Quæ cum ita ſint, cur timemus mortem, nos qui mori non poſſumus. Sed neceſſario immortales ſumus? Et homicidæ noſtri aliud non poſſunt, quam animam, id eſt, vitam noſtram ſeparare à domo ſua, ſcilicet à corpore & expellere ex hoc mundo tanquam ex carcere, in locum ſuum, ubi in Deo ſemper vivit. Quare ſuperbi eſtote & medium digitum oſtendite iſtis veſtris occiſoribus, qui minantur plusquam poſſunt, ſcilicet mortem, cum tamen non poſſint mortem inferre, nec vitam auferre, Sed tantum vitam transferre in aliam domum. Hic

Vincentius. Agatha. Anaſtaſia. Mors & cruces Chriſtianis ſunt iocularia.

inferenda ſunt exempla & dicta Sanctorum, qui mortem riſerunt, Vt Vincentius, S. Agatha, Anaſtaſia, Lucia, S. Vincentius enim ridens occiſores ſuos, dixit, Mortem & cruces Chriſtianis eſſe quædam iocularia & ludicra, Et ſuper prunas incedens gloriabatur ſe ſuper roſas ire. S. Agatha ad epulas & nuptias ire ſe dixit, cum ad carceres & tormenta iret. Sic multi alij.

Timor occiſorum ex larva mortis veram mortem facit.

Miſcet huic conſolationi minas dicens per conceſſionem, Finge quod timendi ſint occiſores corporis & eis cedendum, Quid prodeſt iſte timor? Imo quid non noceat? Primum ex larva mortis veram mortem facit, Et ex occiſione corporis, occiſioné animæ infert, Et ſic ex momentanea & ſimulata morte, æternam & veram mortem facit. Ideo conſulo vobis, ut averſis ab occiſore tyranno oculis, illum intueamini, qui utrunq; occidere poteſt in æternum. Si hunc ſpectetis, nihil erit in oculis veſtris

Digitized by

veſtris ille larvatus & momentaneus occiſor. Sic S. Polycarpus dixit ſuis tortoribus, Iſte ignis extinguitur (quo comburebatur) ſed ille futurus non extinguetur &c. Ideo cum cauſa vestra ſit juſta, Deum propicium habeatis, & vita veſtra certiſſima æterna ſit, fortes estote & contemptores, ne cauſa negata Deum iratum & æternam mortem inveniatis. Quid enim occiſores illi prodeſſe poſſunt, ſi ipſorum gratia, Deum offendatis, cum nec vobis nec ſibiipſis unum vitæ momentum poſſint præſtare, Sed omni momento vita tam corporis quam animæ veſtræ, in ſolius Dei manu ſit ſicut & illorum.

S. Polycarpus.

In cauſa juſta, contemnendus eſt adverſarius.

Cur ergo iratum offendetis æternum vivificatorem & mortificatorem, propter iſtos ad momentum interfectores & nullo momento vivificatores? Sic legitur de quodam, qui cum quadraginta Martyribus paſſus, in fine defecit & negavit, ſed mox poſt negationem ſpiritum emiſit. Sequitur in eadem conſolatione contra mortem alia conſolatio contra ſcandalum, quod tam viliter moriuntur & occiduntur Chriſtiani, quaſi Deus nihil adeo negligenter curet atq; ſuos Confeſſores. Quia ſinit eos non ſolum occidi, ſed etiam in confuſione occidi, lætantibus florentibus, inſultantibus occiſoribus. Huic ſcandalo occurrit dicens,

Æternum mortificator non eſt offendendus.

Nonne duo Paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro.

Quaſi d. Apparet vos ſimilimos eſſe paſſeribus ad occiſionem & ſacrificia natis & traditis (Sicut in Pſalm. 44. etiam dicit, Æſtimati ſumus oves occiſionis) qui viliſſime occiduntur. Sic & vos viliſſime mactamini, Et eſtis etiam plane illis ſimiles, Sed ecce, Niſi Deus Pater veſter ita vellet, non poſſet unus paſſer ab omnibus hominibus capi, multò minus occidi, Sed quia Dei voluntas eſt, qui tradit paſſeres, ideo capiuntur &c. Si ergo Deus etiam paſſeres ſingulos ſic numerat & curat, ut niſi ipſe velit, ne unus quidem caperetur, quanto magis vos non ſolum homines, ſed etiam meos ſervos & credentes, certiſſime numerat & curat, Et nullum veſtrum ſinit affligi, ſine certa ſcientia & voluntate ſua, Licet appareat vos neſcire & negligi ab ipſo. Certe qui paſſerem unum viliſſimum non negligit, multo minus veſtrum aliquem negligit.

Nonne duo paſſeres &c.

Pſal. 44.

Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.

Imo amplius dico, Non ſolum vos eſtis apud eum numerati & curati, ſed etiam omnia membra, omnes digiti, omnes articuli deniq; ipſi ungues, & (quo nihil eſt in corpore vilius, & plane pars mortua corporis) ipſi ſcilicet capilli, capitis veſtri, omnes ſunt numerati, & ne unus quidē à Deo neglectus aut ignoratus. Vere magnifica eſt iſta conſolatio, & magna amplificatione exaggerata, Quod non ſolum corpus & anima cum partibus & membris omnibus, ſed etiam ſinguli capilli ſic numerati ſunt, ut Diabolus & mundus ne ullum capillum nobis auferre poſſit ſine voluntate Patris noſtri. Sic dicimus germanice **Nicht ein Har krümmen** / O ineffabilem curam talis Patris, O miſerum & impotentem Diabolum, qui nec unius pili poteſtatem habet in corpore fidelium, O maledictam noſtram incredulitatem, qui talia tam opulenta, tam magnifica Dei promiſſa non credimus. Quis locus timoris, ſolicitudinis, triſticiæ, relinquitur etiam in medio inferno, ubi iſta creduntur? Hoc eſt cum Paulo ſuperbire & dicere, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Sic oportuit exhortari & animari pavidas oviculas, quæ in medium Luporum mittuntur, Sic infirmos peccatores inflari, qui Diaboli & mundi regno erant ſubverſuri Mortem, peccatum & omnia mala conculcaturi & victuri, & vitam æternam allaturi &c.

Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.

Cum ergo certum ſit, quod certa ſcientia & voluntate Patris patimur quicquid patimur, debemus hilari & læto corde iſtam paternam voluntatem amplecti, & magnificam iſtam paternamq; Dei curam opponere omnibus malis & quantumcunq; vilibus paſſionibus, Imo abſorbere & velut ſcintillam immergere omnes tribulationes, in iſto mari infinitæ charitatis & curæ Dei erga nos, & cum irriſione dicere.

Digitized by Google

Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.

Passeribus melio-res.

Videtur autem parum dicere, quod suos Sanctos non amplius laudat, quam quod sint multis passeribus meliores. Quasi non sit unus homo etiam impius multo melior quam omnes passeres in mundo. Sed est intelligendum verbum Christi figurate, quomodo dicitur minus & significatur majus, wie du dicas, **Lieber / Es ist S. Petrus wol so gut als ein Sperling / Item / Der Keyser hat je wol ein pfennig als du armer Bettler.** Qua figura significatur, Comparationem esse prorsus indignam. Vt quia indignum est, passerem comparari hominibus, dicit Christus. **O lieber / Ihr werdet mir ja besser seyn denn ein Sperling / ja viel Sperling /** Q. d. Nulla est comparatio vestri ad omnem mundum, quanto magis ad passeres. Sic ex effectu loquentis ista figura Verbi est pensanda, non ex literis & re significata. Significat autem Christus scie maxime eos curare, dum passeres tam viles non sine cura sui capiuntur.

Minus dicitur, Majus significatur.

Omnis ergo qui confitebitur Me coram hominibus, confitebor & Ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Glorioſum præmium.

Alia consolatio ex præmio, sane glorioso & magnifico, Ecce, inquit, vos facitis opus parvum scilicet confitendo Me coram hominibus & estis prædicatores mei coram paucis & in angulo & creaturis modicis in terra. Ego vero vicissim ero Confessor & prædicator vester in Cœlo coram Patre & Angelis. At quanto gloriosius est à Christo in cœlo, coram Patre & Angelis prædicari, quam à nobis peccatoribus, in terra, coram hominibus prædicari. Cogita hic singula per amplificationem, quanta sit differentia inter Christum, qui nos prædicat, & nos, qui Christum prædicamus. Et quæ differentia inter locum prædicationis, id est, inter cœlum & terram, Et quæ differentia inter auditores scilicet inter Deum & Angelos (qui Christum audiunt de nobis prædicantem) & homunculos, qui audiunt nos de Christo prædicantes. Nos igitur prædicamur in gloria à Christo, Christus autem prædicatur in loco confusionis à nobis vermibus. Quis igitur gloriam & consolationem istam ministrorum Christi satis magnifice extollet aut intelliget? Quis non ardeat & præ lætitia cupiat non solum confiteri, sed etiam mori in confessione Christi? Inæstimabilia sunt, quæ hic loquitur Christus ad confortandos suos. Quia novit infirmitatem nostram, & magnitudinem persecutionis in Mundo, carne, Diabolo, Ideo sese tota majestate opponit huic vexationi, Et se prædicatorem nostri, Patrem & angelos auditores, cœlum locum seu Ecclesiam prædicandi, jactat.

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Econtra, quid potest etiam horribilius dici contra negatores Christi in hoc hoc mundo? Ipsi negant Dominum gloriæ in angulo, coram paucis hominibus, Ipse contra eos negat coram Patre & angelis, in latissimo cœlo. O quam inæqualis negatio, negator, locus negandi & auditor negantis. Nostra negatio illi non nocet, auditores negantium non prosunt, locus negationis perit. At illius negatio perdit nos in æternum, & reddit offensum Patrem, angelos, cœlum & omnes Sanctos & omnes creaturas. Sicut Paulus, Si nos negaverimus, ille permanet. Quid ergo est, quod propter homines negemus Christum, id est, accusatorem Christum constituamus, cum per confessionem possimus eum habere prædicatorem nostri. Hæc tamen sunt intelligenda ad correptionem, non ad præsumptionem, aut desperationem. Non enim hoc vult Christus, quod si aliquis neget eum, sit in æternum irreparabilis, Sed hoc vult, quod si quis perseveret negando, Ipse etiam perseveret negando. At si quis à negando revertetur ad confitendum, ipse etiam revertetur ad confitendum & econtrà. Sicut S. Petrus à negando reversus est ad confitendum, & multi alij sancti Martyres, Tantum ne perseveremus in negando. Sicut econtrà multi à confitendo revertuntur ad negandum, quod etiam nostro seculo multis exemplis videmus, Et Psalm. 18. Cum sancto sanctus eris, cum perverso perverteris. Psal. 18.

Negare Christum est constituere Christum accusatorem.

Hæc dicuntur ad correptionem.

Nolite

Digitized by Google

Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. *em mittere in terram, ſed gladium.*

Sequitur admonitio contra molliculos & delicatulos martyres. q Evangelio quærunt Gloriam opes, gratiam, pacem & quietẽ carnis & mundi. S hodie plurimi attingunt Evangelium, da es weich iſt / Scilicet libertatem carnis q uunt & ſibi bene fieri volunt, ſed benefacere & mala pati nolunt, Ideo Chriſtus hic probat hanc carnalem libertatem, & docet nos intus coram Deo pacem, gloriam, opes habere, foris vero in mundo gladium, id eſt, perſecutionem & bellum &c. Quaſi dicat. Ad hoc parate animos veſtros, & nihil certius expectate, quam ubi cæperitis docere Evangelium, mox ſurget contra vos bellum & gladius, Sicut & David canit Pſal. 120. Ego pacificus, ſed cum loquebar, impugnabant me gratis, Et Pſal. 119. Principes perſecuti ſunt me gratis, A verbis tuis formidavit cor meum, Et Pſal. 116. Credidi propter quod locutus ſum, ideo humiliatus ſum nimis, id eſt, multa paſſus &c.

Evangelium animarum.

Pſal. 120. & 119.

Pſal. 116.

Et notandum, quod verba Chriſti ſonent valde ſeditioſe, quod gladium dicit ſe mittere in terram, Quis ferret talem Prædicatorem? Sed Chriſtus loquitur de gladio paſſive, non active, Id eſt, non dat nobis jus gladij ad occidendos alios, ſicut Mahomet gladium arripuit & dedit, ſicut & Papa arripuit ipſe, & Cæſari dediſſe vult videri. Non ſic Chriſtus, ſed paſſive vult intelligi, Gladium mittit, ſcilicet contra nos, non pro nobis, ut ipſi gladium pati cogamur. Per gladium autem intelligit omne genus perſecutionis.

Chriſtus de gladio paſſive non active loquitur.

At dices, Nihilominus ſeditioſi eſtis eo, quod concitatis principes ad gladium contra vos, Nihilominus efficitis turbas in Regnis & populis, & pacem mundi tollitis per Evangelium, quæ tacito Evangelio bene maneret, Nunc quia invaditis religiones, cultus deorum, juſticias operum & perturbatis omnium corda, nova doctrina &c. ſicut illi Acto. 16. Illi qui conturbant totum orbem, etiam huc venerunt, & Ahab ad Eliam, Tu es conturbator Iſrael, vere turbatis pacem. Reſpondetur, Hoc vult hic Chriſtus, Hoc jubet facere, Hoc gloriamur fieri per nos, ac gladium iſto modo mittit Chriſtus. Sic Paulus 2. Corinth. 6. gloriatur in ſeditionibus, non quas movet, ſed quas patitur, ob Evangelium per alios motas. Sic Chriſtus crucifigitur ut ſeditioſus, accuſatur perturbator populorum à Galilæa uſq; ad Ieruſalem, Sed cujus vitio iſta ſeditio movetur? Non noſtra neq; verbi culpa. Sed mundi, carnis & Diaboli, qui Verbum pacis, vitæ & ſalutis non volunt audire. Sed accepto gladio tentant eradicare. Eradicari autem non poteſt, quia eſt verbum Dei æterni, & illi non poſſunt quieſcere, neceſſario exoritur tumultus ſcilicet illorum perſequentium & occidentium, iſtorum autem patientium & morientium. Sic S. Stephanus Actor. 7. gravem ſeditionem movit inter Iudæos, nihil faciens aut dicens mali, ſed tantum bona, quæ illi ferre non potuerunt.

Act. 16.

Paulus gloriatur in ſeditionibus 2. Cor. 6.

Act. 7.

Stephanus movit ſeditionem.

Confortat ergo nos Chriſtus adverſus iſtas vociferationes & inſanos clamores inſipientium hominum, qui jactant, Pax turbatur, mundus movetur, homines confunduntur animo & mente. Religio ruit, cultus Dei deſtruitur, obedientia legitima ſolvitur, Et, ut dicunt, Was iſt guts aus dem Euangelio kommen? Vorhin war es alles beſſer. Certè graviſſimæ ſunt iſtæ calumniæ, & clamores valde moleſti. Sed jubet nos Chriſtus eas cum fiducia contemnere & ridere, & dicere, Tu quereris quod per Evangelium noſtrum mundus tumultuatur. Reſpondetur, Deo gratias. volui fieri, Et ô miſerum me, ſi non fierent talia. Si enim in pace ſuſciperetur, tunc Hæc non eſſet Evangelium verum, Quia Chriſtus dicit, ſe mittere gladium in terram, dum Evangelium mittit.

Contra ſcandalum turbatæ pacis propter Evangelium.

Aliter etiam intelligitur gladius figurative ſeu metaphorice hoc loco ſcilicet, quod gladius ſignificet diviſionem. Quia ut ſequitur, Chriſtus per Verbum ſuum dividit Patrem & filium, matrem & filiam, Sicut gladius ad literam dividit, ſic verbum Chriſti ſpiritu dividit. Pulchra ſententia, Tamen coincidit tandem in

Gladius, Diviſio corum. Verbum Chriſti ſpiritu dividit.

idem. [illegible] rdibus venitur ad gladium, id eſt, perſecutionem, Sicut ſupra dixit [illegible] mortem parentes tradent. Ideo gladius figurativus eſt cauſa gladij [illegible]oralis, quem concitat contra Evangelium, ſua diviſione, Sicut mox quoq; dicit [illegible]ici hominis domeſtici ejus. Cordibus enim odio accenſis, eſt aliud nihil qua[illegible]nicidio eſſe repletos, quod opere perficiant ubi poterunt. Vt Iohan. ait, C[illegible] . fratrem ſuum homicida eſt.

[illegible]ſti duo ſenſus poſſunt diſtincte in vernaculo dici, ſcilicet per articulum Das &[illegible]n. Si enim dicas, Das Schwert / germanice intelligitur gladius corporalis cer[illegible] Si autem dicitur, Ein Schwert / Significatur aliquis gladius, ſed indefinitus & incertus, quaſi ſine articulo. Tamen magis proprius ſenſus ad Chriſti intentionem eſt iſte poſterior, licet priorem ſecum afferat in neceſſaria conſequentia. Sic alibi enim ſimili tropo dicit. Ignem veni mittere in terram, id eſt, diſſenſionem. Et Lucas ibidem clare loco gladij ponit, ſeparationem, dicens, Putatis, quia pacem veni mittere in terram, non dico vobis, ſed ſeparationem. Ita quod Matthæus dicit gladium figurative, hoc Lucas dicit ſeparationem, ſine figura. Sicut econtrà Lucæ 11. ſcribit Chriſtum ejicere dæmonia in digito Dei figurative, Hoc Matth. 12. dicit in ſpiritu Dei ſine figura. Prior tamen ſenſus non eſt rejiciendus, eo, quod valde conſolatorius eſt contra horribiles vociferationes inſenſatorum & furioſorum, qui Evangelio imputant ſuum furorem ut ſupra, Et maxime, quod Chriſtus dicit ſeſe habere iſtum gladium in manu ſua, Nec poſſe Diabolum contra nos quicquam, niſi ipſe mittat & ordinet, Vt certi ſimus, non tentandos nos eſſe, ſecundum odia hominum & furorem Diaboli, ſed ſecundum bonam voluntatem Dei.

Ignem veni mittere. Gladium ſeparationis.

Luca 12.

Luca 11. Matth. 12.

Veni enim ſeparare hominem adverſus Patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam &c.

Mira eſt autem iſta ſeparatio, quæ non ſolum videtur eſſe ſeditioſa (ut dixi) ſed etiam ſacrilega & impia, quia contra 4. Dei præceptum. Sic enim oportet doctrinam Chriſti ſcandaloſam videri, tam contra Deum, quam contra homines, Vt ſit maledictum & abominatio mundi, ſicut Pſalmus dicit. Opprobrium hominum & abjectio plebis. Igitur Deus præcipit, Filius obediat Patri, filia matri, nurus ſocrui, familia hero, Contra Chriſtus dicit, Filius debet reſiſtere patri, filia matri, nurus ſocrui, familia hero. Nonne hoc eſt ſolvere obedientiam filiorum & obedientiam familiæ, & per conſequens tollere œconomiam & politiam, ut religionem taceam? Allegat autem tacite Micheam Prophetam Cap. 7. qui dicit ſic, Inimici hominis domeſtici ejus. Reſpondetur autem, quod prima tabula eſt ſupra ſecundam tabulam, & Deus ſupra creaturas. Igitur quando caſus venit, ut vel Deus negandus ſit, vel creatura, Tunc potius neganda eſt creatura. Ideo cum ſecunda tabula præcipiat de creaturis, cedere & omitti debet, quando contra primam tabulam pugnat.

Scandalum doctrinæ ſanctæ.

Pſal. 22.

Prima tabula præferenda ſecundæ.

Micha 7.

Poteſtati non obediendum contra Deum.

Hæc obſervanda ſunt contra noſtros hodie Diabolos, qui clamant, Eccleſiam & Magiſtratum eſſe audiendum, ſupra & contra Scripturam & verbum Dei, ut omnes Papiſtæ hodie vociferantur. Horribilis eſt iſte furor, præferre ſecundam tabulam primæ, & hominem ſeu creaturam Creatori, & docere, quod Eccleſia ſit audienda, etiamſi manifeſte contra verbum Dei præcipiat, &c. Sed rata eſt ſententis, Deo magis obediendum quam hominibus. Et hic Chriſtus, Ego filium contra patrem ſeparabo, id eſt, Ego volo præferri etiam parentum obedientiæ, & omnium Regum præceptis, &c.

Qui amat patrem aut matrem plus quam Me, non eſt me dignus.

Verbum præferendum obedientiæ parentum.

Vis eſt in vocabulo (plus) Quia per hoc non tollit, ſed confirmat autoritatem Parentum, ſcilicet ſunt diligendi & colendi Parentes, Sed non plus quam Ego, Si cauſa verbi veniat, poſthabendi ſunt parentes, Citra vero eam cauſam, ſimpliciter ſunt honorandi parentes. Eſt autem ſcandaloſa doctrina, primum quod filij per ſeſe ſunt parentum contemptores & oſores, Quanto magis prætextu huius doctrinæ jam magis odient parentes, dicendo, Cogor Chriſtum plus diligere quam parentes,

rentes, Quemadmodum ſub Papatu hoc ſcandalum cauſa fuit tot monaſteriorum, ubi invitis parentibus, in clauſtra currebant, tanquam ad Chriſtum.

Clauſtra defenduntur obedientia ſupra parentes. Ergo eſt Deus.

Sed hoc eſt longe graviſſimum, quod his verbis Chriſtus ſeſe æquiparat Deo. Quia dicit, Parentes eſſe odio habendos propter ipſum, ſed ſolius Dei eſt iſta gloria, ut præferatur parentibus. Ipſe enim ſolus, qui juſſit obedire parentibus, ſolvere poteſt obedientiam iſtam. Ergo hic Chriſtus ſeſe Deum oſtendit, quod fuit Judæis horrendum audire. Nam Prophetæ non ſic ſunt locuti, nec auſi ſeſe præferre parentibus vel magiſtratibus, Sed Deum prædicabant eſſe præferendum omnibus, ſeipſos autem miniſtros jactabant. Sicut & Apoſtoli, præſertim Paulus, qui dicit, ſe prædicare Ieſum Chriſtum, non ſeipſum, Quæ omnia verba ſignificant, Hominem illum crucifixum eſſe verum Deum. Hoc eſt ſcandalum ſcandalorum apud Judæos & omnes gentes, **Noch gehets durch vnd muß ſo bleiben ewiglich**/ quod propter ipſum, ſicut propter verum Deum omnia ſunt poſthabenda, & ipſe ſuper omnia, ſicut Deus verus extollendus. Sic ſub humilibus verbis, Majeſtas illa ſeſe infinita inſinuat credentibus, Impij hæc ſurda pertranſeunt aure. Sequuntur jam ſeptem Propoſitiones de jam dicta majeſtate divina Chriſti.

I.

Subjicit ſibi filios, ne plus diligant Parentes quam ſe, Et hæc merito prima eſt. Quia iſta jactantia eſt ſumma in mundo, Patres, Patres, Majores, Magiſtratus, Eccleſia, Sic ſic crediderunt illi, ſic vixerunt, Et non fuerunt fatui, Præſertim filij Judæorum, qui lege Moſi confirmati ſunt in hac ſententia. Ideo & Pſal. 45. prophetat, Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, obliviſcere populum tuum & domum Patris tui &c. Hoc ergo Argumentum maximum, quod non licet recedere à Majorum præceptis, ab Eccleſiæ traditionibus, à conſuetudine terrarum, & apud Judæos à lege Moſi, Hoc, inquam, argumentum tenet homines, velut ferreo & adamantino vinculo &c. Sed Chriſtus hoc potentibus ac gravibus verbis ſolvit dicens, Quicquid ſit parentum autoritas, Ego præferendus ſum, non tantum externo officio honoris, ſed etiam intimo & ſummo affectu cordis, qui eſt diligere, id eſt, omnibus perferri debeo.

Pſal. 45.

Argumentum maximum.

Et vide verba Majeſtatis plena, cum dicit, Non eſt me dignus, quaſi vero magnum ſit non eſſe dignum iſto miſerrimo homine crucifixo & per totum mundum blaſphemato, imo quis non cupiat non maxime eſſe alienus iſti homini tam miſero? tantum abeſt, ut ullus magnum putare debeat, ſe eſſe dignum hoc homine, Quin converſa ſententia dicere debuit, Beatus ego, ſi ullo homine ego dignus ſim. Nam quis me mendicum, crucifixum, ſeditioſum, damnatum, cupiat? Quis mei eget? Aut cujus ego potius non egeo miſerrimus? Quæram potius quibus ego dignus ſim, Et taceo eos, qui me digni eſſe debeant. Sed, ut dixi, ſignificat ſeſe eſſe Majeſtatem, qua opus ſit omnibus, & beatos eſſe, qui ſint digni eo, quantumlibet ſit ipſe miſer, & ſine majeſtate appareat, **Er helt viel von ſich / daß ers ſo thewr acht / wer ſein ſol werd ſeyn**/ Q. d. **Es iſt mein niemand werd**/ niſi qui me præferat omnibus, **dem er werd iſt/ vnd das jhm werd iſt / Es mus das Creutz der höheſt Schatz werden/ welchs für der Welt das ergeſt ding iſt**/ Sicut dicit Paulus, Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Et ſapientibus crux Chriſti ſtultitia eſt, ſed nobis eſt virtus & ſapientia Dei.

Chriſti dignus ſupra omnia.

1. Cor. 1.

Et qui amat filium aut filiam ſuper Me, non eſt me dignus. II.

Subjicit ſibi parentes, ne diligant plus filios, quam ſe, ex eiſdem cauſis, ut ſupra de filijs. Quia vult eſſe quod eſt, id eſt, Dominus parentum & filiorum, Et ſimpliciter ſicut Deus verus regnare ſupra 4. præceptum & totam ſecundam tabulam, æqualis Deo in prima tabula, glorioſus & colendus ſupra omnia.

Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. III.

Subjicit ſibi etiam quemlibet hominem in quocunque ſtatu, & dicit, etiam teipſum, ſi neque pater aut filius, aut in ullo officio ſis, volo ſub me habere, ut teipſum

Christo cedere debet etiam vita & omnia nostra.

teipsum præ me odio habeas,& pro me teipsum exponas morti & omnibus malis, id est,ut crucem feras, & sequaris me,Vt mihi tanquam Deo tuo,vita ipsa & corpus tuum cedat & posthabeatur. Hic locus latissime patet contra omnes justiciarios, qui suis meritis putant,se esse aliquid, ut monachi & multi hæretici. Nam hic nullo excepto, de omnibus dicit, Nullos esse dignos sese, nisi qui se abnegent, & nihil in conspectu ejus sint, Et in hoc solo gloriari possint, non quod multa,magna fecerint, sed quod digni fuerint propter ipsum pati, crucifigi,mori.

Gloria Christiana.

Hic certe nihil relinquitur gloriæ, nisi hæc una gloria, de ignominia, id est, quod nihil gloriari possimus in nostris virtutibus, sed tantum in cruce,id est, in nostri destructione & annihilatione propter ipsum susceptа. Sint opera, sint merita, sint gloriæ, sed hæc esto sola & solida gloria, propter Christum perire,perdi,contemni, conculcari, rideri, sibilari, & simpliciter nihil fieri, sicut ipse pro nobis factus est nihil, & Exemplum præbuit nobis. Hic iterum repetendum est (Dignus me) scilicet quod tanta dignitas sit esse dignum cruce, id est, omnibus malis propter Christum.

XIII. *Qui invenit animam suam, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Quia crux durissima est, & caro non fert sese nihil fieri, Ideo hic & minas & promissionem simul ponit in 4. Propositione, Q. d. Scio durum hoc esse carni,quod doceo. Sed rursus etiam hoc scitote, quisquis non voluerit facere, huic fiet ita, ut dum volet vitam servare, hoc ipso perdat.Si crucem horret & me negarit, hoc ipso jam æternaliter est mortuus, Quia me vitam deserit. Iterum hic Christus se Deum prædicat,propter quem vivant & moriantur,qui eum crucifixum non adorant. Pulchre ergo dicit, Qui invenit vitam suam,id est, cui succedit sicut ipse vult & quærit, me contempto vel negato, is jamdudum perijt. Qui vero propter me perit huic succedet sicut vult & quærit, Da gehöret ja ein glaub zu/das ist gewißlich war / Caro non intelligit nec volet.

Invenire vitam.

Perdere vitam.

V. *Qui recipit vos, me recipit, Et qui me recipit, recipit eum qui me misit.*

Mira Consolatio est,quod provocat nos ad fidem, ista inaudita & magnifica gloria, scilicet, quod certi esse debemus, quod si verbum Dei ab Apostolis & ministris audimus & suscipimus,idem sit ac si ipsum Christum,imo ipsum(inquit)qui Me misit, audimus & suscipimus.Hanc gloriam Paulus passim jactat,ut ad Galat. A quibus se susceptum dicit, sicut Angelum Dei, sicut ipsum Dominum Iesum, Et 1. Thessalo. 2. quod Verbum ipsius sicut Dei(uti erat) acceperunt. Est igitur ista gloria Verbi rhetorice quantum potest amplificanda, scilicet, quod idem sit Evangelium in templo audire, in libro legere, ac si ipsum Deum in cælo, inter angelos audiremus, Et si nullus fructus alius esset,tamen hoc ipsum magnum esset, Audivisse scilicet Deum ipsum, vocem Dei his auribus hausisse. Quid enim superbius est, quam audire Deum loquentem? Nullis verbis ista superbia & gloria potest exprimi. Sed mundus majestate ista Loquentis & verbi contempta,audit & miratur humana,Ideo deserit etiam eos rursus Deus, quia se loquentem fastidiunt, & tradit in auditum fabularum & mendaciorum, Sed donum est, Es wil nicht anders seyn/denn Beatus, qui audit verbum Dei & custodit illud.

Gal. 4. 1. Thess. 2.

Quantum sit, audire verbum.

Gloriari omnium verbum.

Sic iterum nobis prædicantibus est gloria & consolatio, quod certi sumus, nos esse organum Dei, linguam nostram esse linguam Dei, Vocem nostram esse vocem Dei. Quia tum possumus magna fiducia contemnere contemptores Verbi, & insultantibus dicere, Non me Doctorem sed te deluseris ipsum, Non mihi homini, sed Spiritui sancto facis contumeliam, Non meum, sed Dei verbum contemnis, Quid ad me? Tu videris. Sic ad Samuelem dicit, Non abjecerunt te, sed Me, ne regnem super eos, Et Petrus ad Ananiam, Non es hominibus mentitus, sed Deo. Econtra possumus fratres certissime consolari & dicere, Non ego tibi loquor, sed Christus per me, Verbum meum non est meum sed Christi. Accipe igitur consolationem

Act. 5.

larionem per me non meam,ſed Dei tui,qui te creavit,ſervat & redemit, Noli timere, Ipſe dicit, Qui vos recipit me recipit. Qui vos audit, me audit, Summa ſummarum, Hæc eſt inæſtimabilis gloria conſcientiæ noſtræ, contra omnem contemptum in Mundo, quod Chriſtus ſuos Prædicatores plane Deos creat ac ſibi æquat, cum dicit, Qui vos recipit,me patremq; meum recipit. Sive ergo contemnimur ſive honoramur, Non nos, ſed Deus in nobis contemnitur & honoratur. Si enim in Mundo ſic habet, ut ſervus vel legatus contemptum ſui, Domini ſui contemptum poteſt cum omni ſuperbia jactare, quanto magis nos debemus ſuperbiſſime jactare, non nos neque verbum noſtrum, ſed Dominum noſtrum & verbum Dei noſtri eſſe contemptum.

Inæſtimabilis conſcientiæ gloria.

Qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. V I.

Ebraiſmus eſt(Mercedem accipiet)id eſt,erit æqualis Prophetæ,ſicut æqualis eſt Chriſto, qui verbum Chriſti prædicat, Et qui prædicantem audit, Chriſtum audit,Vt in auditu non ſit differentia,cum ſit æquale & idem Verbum,quod ipſe Chriſtus,& ſui miniſtri docent. Vult autem Chriſtus iſto verbo generaliter conſolari omnes docentes & audientes, ac ſi diceret, Aliqui dicentforte, Ja ſi audirem ipſum Chriſtum, facile crederem. His reſpondet, Qui vos audit, ſcilicet Apoſtolos, me audit. Nam poſſet aliquis Iudæus dicere, Ja ſi Deum ipſum audirem, Reſpondet Chriſtus, Qui me recipit, Deum recipit. Ita poſſet nunc tertio loco dicere, O ſi dignus eſſem audire Apoſtolum,facile crederem. Reſpondet,Audi Prophetam,id eſt, interpretem,hoc eſt,doctorem,Epiſcopum, paſtorem,qui eſt in officio publico verbi(Nam Propheta eſt nomen publicæ perſonæ,& diſcipulus Apoſtolorum in Eccleſia)& vere Apoſtolum. Me,& Deum audiviſti,imo æqualis illi Prophetæ eris,quem audiſti. Hic poteſt diſtinctio poni inter gradus Eccleſiæ. 1. Corinth. 12. Primo Apoſtolos, deinde Prophetas &c. Nam ab Apoſtolis omnes acceperunt, ipſi à Chriſto, Chriſtus à Deo, poſt à Prophetis, id eſt, docentibus Scripturam, alij paſtores, doctores,quales nunc ſunt Capellani,Concionatores,Lectores &c.

Cor. 12.

Conſolatio docentium & audientium verbum.

Prophetæ.

Gradus Eccleſiæ.

Et qui recipit juſtum in nomine juſti,mercedem juſti accipiet. V I I.

Eadem phraſis eſt, Qui recipit juſtum in nomine juſti (id eſt)Si audis etiam privatum Chriſtianum docentem,monentem,corripientem,conſolantem,juſtus es & ſimilis ipſi,audiens in eo,Prophetas,Apoſtolos,Meipſum &Patrem &c.Poſt iſtas propoſitiones ſeptem,ſic de Verbo audiendo intellectas, urgenda eſt hæc dictio, Recipit,ultra verbum,etiam ad opus. Quia miniſtros non tantum recipimus auditu, ſed etiam officio, Quin omnis, qui auditu recipit, vere etiam officio recipit, Et qui contemnit auditu, etiam contemnit officio, ut eſt clara experientia in omnibus exemplis. Ideo ſic concludit.

Recipere miniſtros &c.

Et quicunq; potum dederit uni ex minimis iſtis,calicem aquæ frigidæ,tantum in nomine diſcipuli, Amen dico vobis,non perdet mercedem ſuam.

Hic locus eſt etiam valde rhetoricus, quo movet omnes homines ad recipiendos miniſtros Verbi, oſtendens, quanta ſit gloria illos recipere. Numerat enim infimum officium,quod præſtari poteſt,ſcilicet,Calicem aquæ frigidæ,Deinde hunc ipſum, non in nomine Chriſti, nec Apoſtoli, nec Prophetæ, ſed omnium infimo ſcilicet diſcipuli nomine, Tandem nec ipſi Chriſto, ſed minimo ſuorum porrectum, Vt officium iſtud non poſſit ulla rhetorica magis extenuari, Tamen dicit, non ſine præmio fore eum Calicem. Quid putas futurum ſit ſperandum, ſi ſervias, veſtias, alas, non diſcipulos, ſed Apoſtolos, ipſum Chriſtum? Adeo magnum ducit ſuos minimos & contemptos honorari, ut omnia in ſeſe collata intelligamus ſive magna, ſive parva, ſive in magnos ſive in parvos conferantur. Per antitheſin hic intelligendum, Quod etiam minimum factum & verbum contra minimos ſuos, non velit inultum relinquere, etiamſi aquam frigidam omiſerint dare, aut verbum

Chriſto fiunt, quæ in ſuos conferuntur.

bum ſolatij neglexerint. Hinc nullum malum impunitum (ait Auguſtinus) nullum bonum irremuneratum erit. Omnia huc pertinent, ut exhortemur ad reverentiam Verbi & miniſtrorum ejus, Rurſus dehortemur à contemptu, negligentia & ingratitudine.

In nomine Diſcipuli.

Notandum vero, quod in nomine diſcipuli, hic intelligitur vere, id eſt, quod is, qui aquam porrigit, credat illum eſſe diſcipulum Chriſti, Et ideo porrigat, quia ille diſcipulus ſit quantumlibet modicus, Id eſt, quando benefit Chriſtiano, in quantum hujuſmodi, Alioqui ſi gentilia ſint beneficia, & alio nomine, nihil hoc ad rem. Sicut amici ſeculi ſeſe invicem honorant, & acerrime Chriſtum & ſuos perſequuntur, Aut ſub falſo nomine Chriſti ſeſe diligunt, ut hæretici. Nam Chriſtus de veris Diſcipulis loquitur, & de vero nomine, Quos ſignificat, egenos fore & penuriam paſſuros, ita ut etiam aliquando opus habeant aqua frigida, id eſt, viliſſimo aliquo officio, & tamen apud mundum non inveniant. Beatum vero eſſe, apud quem inveniant. Sicut videmus, das die Welt vns nicht den biſſen Brods gönnet/ den wir haben müſſen/ Sondern neme vns viel lieber denſelbigen auch. Ideo rari ſunt, qui vel calicem hunc frigidæ aquæ faveant vere Chriſtianis, Licet jactent ſeſe velle infinita facere bona, ſi pij egerent, Sed omnia ſunt fucata & falſa, quia non credunt eos eſſe pios qui ſunt, Sed putant eos eſſe pios, quos ipſi volunt & amant.

Veri diſcipuli Chriſti egent, & negligantur à mundo.

CAPUT XI.

ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus, præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſijt inde, ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum.

Summarium Cap. 11.

CAP. undecimum continet Exemplum eorum, qui contemnunt Evangelium, Ideo oſtendit ſe per totum cap. vehementer iratum contra eos, ut re ipſa declaret Antitheſin præcedentis cap. Id eſt, quomodo ij, qui miniſtros ejus non audiunt, ſint puniendi. Et dividitur in duo, Priore parte iraſcitur in eos, qui Iohannem Baptiſtam contempſerunt, Poſteriore, in eos, qui ipſummet contempſerunt. In fine ſolatur ſeipſum in iſta indignatione, dicens. Ach HErr Gott Vater/ Es iſt doch ja recht/ Sie ſinds nicht werd etc. Antequam hoc agit, in principio dicit, eum poſt mandata Apoſtolis data, iterum ſubijſſe laborem & officium per civitates prædicandi, Vt non ſolum verbo, ſed & opere ſemper eſſet occupatus, ſcilicet per vices laborando, & rurſus ceſſando. Nam aliud fuit, Mandatum dare diſcipulis domi & ſeorſim, Et aliud foris laborare docendo & legendo in eorum ſcholis & civitatibus.

Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem quæ vento agitatur? Sed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt &c.

Johannes Baptiſta non eſt arundo.

Primo igitur agitur de contemptu Iohannis, Et prima pars ubi Chriſtus diſcipulis Iohannis reſpondet, ſatis eſt in Poſtillis tractata, ſimiliter & altera, Niſi quod in ea Chriſtus ſuam ſignificat indignationẽ, dicens, quid exiſtis videre in deſertum? Q.d. Ihr habt da einen Prediger/ aber wie jr jn halt/ das ſihet man wol/ Ihr gehet hinaus jn zu hören/ Ja wenn er wolt reden/ wie jrs gern hettet/ ſo were er ein feiner Prediger/

Non eſt molliter veſtitus.

Si eſſet harundo, id eſt, vagæ doctrinæ, ſicut veſtrum cor eſt, tunc crederitis ei, Si eſſet blandus & palpator quaſi molliter veſtitus, tunc placeret, Si doceret Chriſtum nondum veniſſe, ſed venturum, & me negaret eſſe Chriſtum, tam vilem hominem, tunc admitteretis. Hæc quia non facit, ſuſpenditis eum naſo, & dicitis, O quis eſt hic? Aliud nihil docet quam talia. Sed ego dico vobis, talis non eſt, Sed eſt Angelus ante faciem meam, Vt hæc latius in poſtillis.

Eſt angelus ante faciem Chriſti.

2. Triplices Concionatores.

Et hic triplices ſignificat concionatores, Primi, qui quovis vento moventur, ut Paulus Eph. 4. ait, Ne circumferamur omni vento doctrinæ. Et Proverb. Non credas omni vento. Hi ſunt qui novitate & pruritu delectati, faſtidiunt ſemel tradita, & acceptant quælibet. Sicut ſub Papatu omnium Somniatorum dogmata (modo

Ephes. 4.

(modo eſſent nova) ſuſcepimus & nunc poſt Evangelium ſurrexerunt Sacramentarij, Anabaptiſtæ & alij. Quia mundus eſt mare (ut Iſaias ait) quod quieſcere non poteſt, ſed ſemper fervet & movetur procellis ſemper orientibus & cadentibus, ut eſt videre in aquis vento agitatis, Terra autem & petra ſtat invicta contra iſtas allidentes procellas & in ſeipſis relapſas. Iſa. 57. *Triplices enthuſiaſtæ.*

Secundi ſunt, qui ad gratiam & favorem prædicant. Hi ſatis diu ſtant & durant, donec durat gratia & favor. Vt ſunt Iudæi in ſuis traditionibus, & Papiſtæ in ſuis doctrinis. Hi non, quia vera ſunt, quæ docent, perſeverant pertinaces, ſed quia placent ea Regibus & majoribus. Hi non interna cordis inconſtantia & pruritu ut primi, ſed externa quæſtus & lucri & honoris vanitate tenentur. Et hi mollibus ſunt induti in domibus Regum. *ii.*

Tertij ſunt, qui ſerio volunt eſſe pij, conſtantes ſatis cum ſecundis, & tamen gratiam ſeu quæſtum non ſpectantes, nec vage moventur, ut primi, ſed conſcientia bona (ut videtur) volunt per opera juſtificari. Hi proprie ſunt juſticiarij, qui extra Chriſtum per ſua merita volunt ſalvari, quales multi ſunt & fuerunt, Rom. 10. Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim juſticiam Dei & ſuam quærentes ſtatuere, juſticiæ Dei non ſunt ſubjecti. Hi ſunt, qui Iohannem, Prophetam tantum, non Angelum ante faciem ejus volunt eſſe, id eſt, nolunt ſibi Chriſtum monſtrari, ſed per ſeſe via ſibi eſſe ad Patrem &c. *iii.* Rom. 10.

Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Iohanne Baptiſta.

Ideo nunc Chriſtus in tertia parte contra omnes tres, præſertim contra tertios clamat &c. Primo magnificat miniſterium Iohannis, id eſt, Evangelium. Secundo magnificat fructum & audientes verbum. Primo, inquit, ſcitote, quod vos præſertim tertij, qui ex lege vultis juſtificari, quod hic Iohannes excellentior eſt omnibus, qui fuerunt ante eum, etiam ſupra Moſen & omnes Prophetas; Ideo nihil eſt, quod confiditis in veſtros Majores, aut Prophetas, aut Moſen. Hic, hic, inquam, habetis, qui major eſt illis omnibus, id eſt, majus prædicat quam omnes illi. Ergo huic debetis cedere & relinquere glorias omnium præcedentium Doctorum, & audire quid doceat. Ipſe docet præſentem Dominum, qui in medio veſtrum jam verſatur. Ideo præſente Domino, merito debent cedere omnes ejus præteriti miniſtri. Summa eſt, Iohannes eſt audiendus Chriſtum monſtrans, & hæc monſtratio præferenda eſt omnibus doctrinis Patrum, Prophetarum, Moſi, Patriarcharum, & omnium Sanctorum uſq; in æternum. Quia Chriſtum docet, Dominum, non Moſen ſervum. *Iohannes major omnibus.* *Doctrina Iohannis.*

Ideo qui iſtud verbum Chriſti, Inter natos mulierum &c. exponunt (ſicut hactenus factum eſt) de perſonali ſanctitate & dignitate, tolerandi ſunt quidem, ut qui putamen, non nucleum tenuerunt. Chriſtus de officiali & publica dignitate, Iohannis loquitur, quæ incomparabiliter major eſt perſonali dignitate, Vt ſit ſenſus, Inter natos mulierum non ſurrexit major, id eſt, nullus fuit excellentior Prædicator, qui de tantis tam præſentibus rebus loqueretur. Non enim dicit, Nullus eſt major de mulieribus natus, Sed nullus ex his, qui nati ſunt ex mulieribus ſurrexit major. Emphaſis eſt in verbo, ſurrexit, non in nomine natos. Surrexit autem ſignificat, aufſtreten / in officium & publicum ſtatum. Ita nullus inter omnes homines majore & digniore officio functus eſt, quam Iohannes. Sic in Scripturis ubiq; ſignificat Surgere, ſtare, ſedere, eſſe in officio publico. Vt ſurgent Pſeudoprophetæ. In medio veſtrum ſtetit, In cathedra Moſi ſederunt &c. Propheta magnus ſurrexit in nobis. Sic Iohannes ſurrexit omnium maximus, id eſt, prædicavit omnium maxima, id eſt, Chriſtum præſentem &c. *Officiale dignum Iohanne.* *Non ſurrexit major Iohanne.* *Surgere.* *Stare.* *Sedere.*

Qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo.

Sed hic ſeipſum excipit, & Iohanni ſeſe præfert, dicens, Qui minimus eſt in Regno cœlorum &c. Periphraſis eſt, Q. d. Ego autem ſum major eo, Loquitur,

Christus omnium minimus.

ut dixi, lætus, ideo figurat ſermonem, & vocat ſeſe Minimum in regno cœlorum, cum potuiſſet dicere ſimpliciter, Ego autem ſum major eo. Sed hic locus novum Sermonem poſtulet, quomodo Chriſtus ſit Minimus omnium, Quia omnibus minimis ſervivit in activa vita, ſcilicet leproſorum, cœcorum, claudorum, pauperum, mortuorum, damnatorum ſervus. Sed in vita paſſiva, id eſt, cruce, multo magis omnium ſervus ſcilicet portando omnium peccata, iram, mortem &c. Sicut dicit, Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Iſtam ſervitutem præſertim paſſivæ vitæ nullus Sanctus præſtitit, Ideo ipſe eſt ſolus minimus omnium, & maximus omnium, Eph. 4. Deſcendit ad inferiores partes terræ. Sed hæc (ut dixi) locum ſuum habent dicendi. Matth. 20. Eph. 4.

A diebus autem Iohannis Baptiſtæ uſq; nunc, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Secundo magnificat fructum verbi, & in his duobus locis Chriſtus lætus & jucundus eſt. Videns gloriam miniſterij de ſe, & fructum credentium, Poſtea iraſcetur contra incredulos &c. Eſt autem fructus verbi, Quod à diebus Iohannis Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Non fruſtra, inquit, prædicatur Evangelium, Sunt qui audiunt, & ſic audiunt, ut nulla vi abſtrahi poſſint, potius moriuntur quam negent, Hi ſunt, qui per vim irrumpunt, ac velut januam fracturi urgent, volunt ſalvi fieri, Conſcientia cogit eos, ut remiſſionem peccatorum anhelent, Et eſt eorum multus numerus. Eſt ergo Regnum cœlorum vim pati aliud nihil, quam homines vehementer amare Verbum, & omnibus vitæ & corporis bonis præferre.

Fructus verbi.

Regnum cœlorum vim pati.

Eſt ſimilitudo ſumpta à militia (Quia fides militia eſt) Nam qui poſſeſſionem aut civitatem volunt obtinere, ſimpliciter vim faciunt, **Wagen Leib vnd Leben dran/ vnd laſſen alles darüber.** Sic etiam **wagen Leib vnd Leben an Gottes wort/** hoc eſt, vim inferre regno Dei & violenter rapere. Caſtrenſibus enim, & militaribus verbis loquitur Chriſtus, ſed in ſpiritu, Sic Paulus vocat omnes Chriſtianos milites, Et ſcriptura Deum, Dominum exercituum.

Chriſtiani milites.

Omnes enim Prophetæ & Lex uſq; ad Iohannem prophetaverunt.

Poſt hæc addit & hunc fructum, quod à diebus Iohannis abrogatur Lex & implentur Prophetiæ &c. Et hic magna loquitur Chriſtus & nimium ſibi arrogat, ſcilicet, quod uſq; ad Iohannem Angelum ſuum, valuerint quidem Moſes & Prophetæ, totumq; Regnum & Sacerdotium, Sed nunc prorſus debeant cedere, & Filio, qui ſit Dominus Moſi & Prophetarum cedere, & nunc ſolum Iohannes ſit audiendus, Fruſtraq; ſit allegare & opponere deinceps, Legem, Prophetas. Quia hic adeſt ipſe Dominus, à Iohanne monſtratus, Nova fiunt omnia,

Et hoc eſt illud ſcandalum Iudæorum uſq; in hodiernum diem (contra quod Paulus etiam pugnat ubiq;) quia nolunt legem & Prophetas relinquere, fidentes hac autoritate divina legis & Prophetarum, **Aber da hilfft nichts für/ es iſt aus/ Johannes iſt kommen/** Dominus ipſe adeſt, Ceſſat Lex, cultus, locus, templum, perſona, genus, populus & omnia. Quia uſq; ad Iohannem valuit eorum omnium Prophetia, regnum, ſacerdotium, Nunc aliud inſtat Regnum, cultus, templum, ſacerdotium, populus, genus. Et hoc verbo Chriſtus occulte reſpondet tacitæ quæſtioni, ſcilicet, Quomodo Iohannes eſt major omnibus? An major Moſe, Prophetis, regibus, ſacerdotibus, templo, loco & omnibus? Reſpondet, Vtiq; omnibus his major, ita ut illi plane debeant cedere & eum audire, vel perire. Hucuſq; enim valuit illorum regnum & cultus, Iohannes aliud inchoat.

Scandalum Iudæorum.

Lex & Prophetæ uſq; ad Iohannem.

Quomodo Iohannes ſit major &c.

Et ſi vultis recipere, Ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi audiat.

Hic alteri quæſtioni tacitæ reſpondet, ſcilicet, Antequam Lex & Prophetæ ceſſabunt, veniet Elias, ut Malachias dicit. Si ergo nunc ceſſabunt, &c. ubi eſt

Digitized by Google

eſt Elias promiſſus? Reſpondet ipſe eſt Elias, qui futurus eſt, id eſt, de quo prædictum eſt) Sed quia vos aliter putatis eum venire, erratis, expectantes perſonalem Eliam, quum Malachias non dicat de Elia Thesbita, ſed indefinite, de Elia quodam Propheta, qui poteſt eſſe alius in perſona, quam Thesbita ille, & tamen verus aliquis Elias & Propheta. Ideo dicit, Si vultis accipere, id eſt, ſi vultis audire & doceri veſtro ſenſu dimiſſo, ipſe eſt ille Elias. Sed ſicut me non agnoſcitis Dominum, ita illum non agnoſcitis Eliam meum. Sic implentur interim Scripturæ, dum vos non creditis & ignoratis, & alium Eliam & Meſſiam expectatis, qui nunquam veniet, Ideo dico vobis, Qui aures audiendi habet, audiat. Q. d. Tempus nunc completum eſt, Elias adeſt, adeſt etiam ipſe Dominus, audite igitur Eliam, & amplectimini Dominum, quem prædicat. Et ſic his verbis finit, abrogat, & repudium dat Moſi, Prophetis & univerſæ iſti veteri Politiæ, quæ in futurum Chriſtum tolerabatur. Qui cum nunc venerit, debent eum omnes amplecti, & relinquere populum & domum Patris ſui. Pſalm. 45. *Pſal. 45.*

Abrogatio politiæ Moſaicæ.

Cui autem aſſimilabo Generationem hanc? Similis eſt pueris in foro, &c.

Hic nunc paulatim deſcendit ad iram contra incredulos & contemptores ſuos, Q. d. Quanquam nunc adſit tempus Gratiæ & dies ſalutis, ac compleantur nunc magnifica Prophetarum promiſſa, tamen adeo ſtultus &, excæcatus eſt populus meus, ut non videat, quantæ res gerantur, quia me Dominum ſuum non ſolum non agnoſcunt, ſed ſuperbiſſime & ſecuriſſime, tanquam aliquem Fatuum, etiam contemnunt, ut qui longe ſapientiores ſint ipſa ſapientia. Et ſunt verba plena figuris, amaris ſarcaſis, indicantia magnam indignationem, quæ verbis ſimplicibus non poſſunt dici. Sicut quando dicitur, **Du biſt ein frömichen** / hoc atrocius ſonat, quam ſi dicas. **Du biſt ein Schalck. Item / Du biſt ein Rechter** / plus ſonat, quam ſi dicas, **Du biſt ein vnrechter.** Quia iſtæ figuræ ſonant ſuperlativum maximum, Vt, **Du biſt ein Rechter / das iſt / du biſt der vberaus abgefeimeter Schalck** / ut tui comparatione cæteri omnes injuſte dicantur mali, adeo vincis omnes. Dicit igitur, cui aſſimilabo Generationem hanc? Q. d. Tanta eſt malicia & perverſitas hujus pravæ & adulteræ Generationis, quod nulla ſimpliciter oratione exprimi, aut ulla ſimilitudine pingi poſſit. Apprehendit tandem iſtum ludum puerilem, in quo coæquales dicunt aliis.

Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis.

Quis fuerit iſte ludus, neſcitur, Apud nos ſimilis eſt fere, qua inſultant aliis, & dicunt contra moroſos colluſores, **O Spiel zubrecher / Sew zuſtecher / Er kaufft ein Spörlin vmb ein Ey / vnd reit es auff einer Saw entwey** / Quo ſignificatur alteram partem moroſitate ſua Ludum ſolvere, quem alij libenter haberent. Sic illi forte etiam ſuos colluſores, ludum moroſitate ſua diſſolventes, irriſerunt, dicendo, Cecinimus vobis. Q. d. **Bitten wir / ſo hilffts nicht / Zürnen wir / ſo fragt jhr doch nichts darnach / Ach jhr ſeyd feindſelige Spiel zubrecher / Jhr tüget nirgend zu.** Sic ludo iſti divino, id eſt, Evangelico negocio, impij iſti non ſunt apti, & ſolvunt quantum in eis eſt, Ita ut nec ſic nec ſic moveantur, **Wie mans macht / ſo iſts vntecht.** Exempli graria, Si doceremus ſeveriſſime eſſe jejunandum, & monſtroſe præ alijs vivendum, tunc dicunt, O cavete ab eis, Omnes Hæretici vivunt auſteram vitam, ut decipiant, latet ſub hac hypocriſi Diabolus. Hoc eſt quod dicit, Dæmonium habet Iohannes, id eſt, hypocrita eſt, & ſub ſpecie bona docet hæreſes. Econtrà, ſi non jejunamus, ſed vivimus communiter cum alijs, tunc dicunt, Ecce quam ſunt iſti carnales, & peccatorum ſocij, nihil differentes ab alijs, Et ita fit, Quomodocunq; vivis, Diabolus poſſidet te, Si ſevere vivis cum Iohanne, hypocrita & occultus Diaboli ſervus es, Si communiter vivis cum Chriſto, manifeſtus ſervus es Diaboli.

Nonne hoc odibile genus hominum? Cui nihil poteſt placere, niſi quod ipſum eligit, & tamen eligit conſtanter. Nam ſi Iohannes mutaſſet vitam ſuam auſteram

Digitized by Google

auſteram in communem Chriſti,etiam dixiſſent,Ecce iſte vorax & bibax, Quid boni doceret? Econtrà,Si Chriſtus mutaſſet vitam ſuam communem in vitam ſeveram Iohannis, dixiſſent, O iſte eſt hypocrita Diaboli,cavete ab ejus doctrina. Ita nunquam deeſt impijs cauſa damnandi verbi Dei, quia quocunq; modo vivas aut agas, ſemper habent.quod reprehendant,ne verbum (quod oderunt) cogantur agnoſcere, Hoc eſt vere illud Eſaiæ 6. Oculos eorum claude, aures aggrava, cor indura,&c. **Sie ſollen vnd müſſen ſich ergern an allem das Gott thut vnd redt.**

Sic & hodie nobis faciunt Papiſtæ perfectiſſimo exemplo, qui cum doctri- Eſa. 6.
nam non poſſint damnare,vitam noſtram lacerant, In principio accuſabant nos hypocritas Diaboli, cum cælibes & ſevere viveremus, Nunc cum communiter vivimus,blaterant nos eſſe carnales.Sed ſi nihil doceremus,tunc eſſent contenti,ſive eſſemus Eremitæ cum S. Antonio, ſive Lenones cum Epiſcopis & Canonicis. Nunc quia docemus,nec ſi Antonij eſſemus,tolerare poſſent, nec ſi Abraham & Iacob eſſemus, indemnatos dimitterent. **Es iſt alles vmbs Wort zu thun / weil ſie das nicht können leiden noch tadeln / ſo hengen ſie ſich an vnſer Leben / das können ſie keren / wie ſie wöllen / nach jhrem gifftigen Hertzen.**

Darumb müſſen wir wiederumb frey hindurch gehen / weil jhnen nichts gefellet / weder vnſer pfeiffen noch klagen / So wollen wir frey thun was Gott gefellet vnd vnſer Gewiſſen leidet / vnd ſie wiederumb nicht anſehen. Wollen ſie nicht tantzen noch weinen / ſo mügen ſie ſtill ſitzen vnd lachen / Wir wöllen pfeiffen vnd klagen / wo / vnd wenn wir können / wollen eſſen vnd faſten wenn wir ſollen / wollen trawren vnd frölich ſeyn / wenn wir können / Las ſie faren zum Teufel / Was hülffs daß wir vmb jhrer willen vnſer pfeiffen vnd eſſen lieſſen? Was hülffs daß wir vmb jhrer willen vns zu tod klagten vnd trawreten? Sie wöllen weder vnſer frewde noch trawren / So ſprechen wir / Liebe Welt / thu ins Niderkleid / vnd henge es an den hals / Du wilt nicht hernach / ſo bleib dahinden / Vmb deinen willen wil ich hie nicht bleiben / Wie du wilt Vögelein / wiltu nicht eſſen / ſo ſtirb. Ponit ergo Epiphonema conſolatorium.

Et juſtificatur ſapientia à filijs ſuis.

Id eſt. **Es wird nicht anders draus / Gott mus Schüler ſeyn / die Welt wil Meiſter ſeyn / Sie weis alles beſſer zu reden vnd zu machen denn Gott ſelb / Wie Gott redet vnd thut / ſo iſts nicht recht.** Hoc in privata vita Poëtæ vocant, Sus docet Minervam, Quia Magiſtratus etiam multos patitur Magiſtros, ſicut dicitur, Qui ſtruit in calle multos habet ille Magiſtros. Et in re domeſtica dicitur de filijs ſapienticulis, **Das Ey leret das Hun.** Conſolatio igitur eſt nobis,ut ſciamus non eſſe mirum, noſtra fore ſtulta coram Mundo, ſed rurſus horribilis comminatio eſt, quod ſtulti ſapientiam judicant.

Sus docet Minervam.

Et incepit Ieſus increpare.

Hic effundit iram, **Vnd ſtöſt dem Faß den boden aus** / contra ingratos contemptores, & ſapientes Iudices contra Evangelium. Vide autem iram, quod ſuas Civitates, ſuum populum, ſuum Sanguinem, definit longe, longe inquam, pejores eſſe Gentibus idolatris,& peſſimis. Quæ Propoſitio etiam valde obſervanda & metuenda eſt, ſcilicet quod apud Deum ſunt omnibus Gentibus pejores, qui audiunt Verbum, & non curant. Secundo, Nihil horribilius, quam verbum Dei, habere, & negligere. Tertio, Quanto pejores putas ſunt,qui etiam impediunt,blaſphemant & perſequuntur? &c. Quia hic vides apud Deum eſſe Sodomam (peſſimo exemplo perditam) minus odioſam ipſi proprio loco Chriſti Capernaum. Tanti precij eſt verbum Dei in oculis Dei. Sed ſicut Capernaum tunc iſtas riſit minas, Sic & hodie ridet Mundus,quia vult perire peſſimis modis.

Audientes verbum & non curantes eſſe deteriores gentibus.

Conſolatur autem & hic nos locus, quia ſi ipſi Domino accidit hoc, ut ubi plurimum docuit & operatus fuit,ibi maxime contemneretur,Quid mirum ſi idem nobis accidat, ut experiamur ingratitudinem eorum, quibus maxime & plurimum ſervivimus & docuimus. Oportet hanc vocem Chriſti impleri, Non eſt ſervus

Digitized by Google

ſervus ſuper Dominum. Dolet quidem tantam eſſe ingratitudinem Mundi, cui noſtro miniſterio conſultum cupimus, Sed oportet nos eam una cum Chriſto experiri, qui ingenue hic fatetur, quod multa fecerit iſtis civitatibus & præſertim Capernaum ſuam ad cœlos extulerit, id eſt, celeberrimam fecerit, ſed infernum ei minatur. Iam omiſſis vel finitis increpationibus incredulorum, vertit ſeſe ad pios & verbi amantes, & lætus efficitur, Quod licet illi erant deplorati, tamen non ideo fruſtra prædicatur verbum. Sunt tamen aliqui, quibus placet verbum, Et illorum
Luc. 10. conſpectu Spiritu exultans (ſicut Lucas dicit Cap. 10.) laudat Patrem, dicens.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.

Q. d. Vadant iſta triſtia ſpectacula iræ, & valeant, qui nolunt audire & credere, Quid fruſtra illorum malitia me diſcruciem? Quin potius in te lætus ſum, qui iſtos ſuperbos & ſapientes in oculis ſuis non dignaris etiam tua veritate. Laudo te, *Natura Dei.* quod illos qui te nolunt, & omnia melius ſcire volunt, viciſſim nolis & negligas, & ſinas eos in ſua ſapientia valere, nec eorum ſtudia & ſapientiam probas aut miraris, ſed contemnis viciſſim, Et loco illorum eligis ſtultos & ſimplices, quibus reveles. Nam hi amant & amplectuntur verbum tuum. Ita Pater, ſic placitum eſt coram te, id eſt, hoc placet coram te, illos ſuperbos reprobare in ſua juſticia & ſapientia, Rurſus eligere ſtultos in ſuis peccatis & ſtultitia. Certe Pater, tu revera juſtus es Deus, qui ſuperbos & ſecuros odit, & humiles ac miſeros amat, Das mag ein Gott heiſſen. Non ſic faciunt cæteri Dij vel homines, ſed ſolum coram Te hoc judicium valet.

Exemplo iſto confirmari & nos quoq; debemus atq; conſolari, ſcilicet noſtram doctrinam eſſe placitam Deo, etiamſi reprobent eam tanti tam multi homines, nec niſi apud miſeros & contemptos recipiatur. Quia & Iſaias prædixit, quod Chriſtus deberet fæces Iſraël convertere. Fæces autem ſunt amiſſo toto vino, id eſt, *Fæces populi Dei ſalvantur.*
Iſai. 49. optima & maxima parte, reliquias parvas & nihili ſervare. Sic ſub Elia 7000. Et 1.
3. Reg. 19. Corinth. 1. Videte vocationem veſtram, non multi nobiles, &c. Et ſub Apoſtolis
1. Cor. 1. periit in populo Iudaico quicquid erat magnum, videlicet Sacerdotes, Principes, Sapientes &c. Tantum fæces ſunt ſervatæ. Sic & hodie fit, Totus mundus incedit in ſuperbo contemptu, tantum nos mendici hæremus in Chriſto, Sed gloria noſtra hæc eſt, ſcire quod ſic ſit beneplacitum coram Deo. Nec dubium quin Chriſtus hic ob oculos habuerit omnia Exempla, in quibus Deus reliquijs ſervatis, perdi permiſit omnes, Vt in diluvio, Sodomis, captivitate Babylonica.

Oportet autem Chriſtum hic (ſepoſita deitate) intelligi velut gregarium quemvis Prædicatorem, qui multitudine & magnitudine Verbum contemnentium iratus, tandem ſe ſolatur paucitate fidelium & certitudine Verbi ac beneplaciti Dei. Nam ſtatim ſequitur de divinitate ſua Sermo. Quid aliquando de ſapientibus & intelligentibus dixerim, non memini, ſed cogitatione ſolita, intelligere conſuevi per Sapientes & inteliigentes, non ſolum politicos & œconomicos, Vt in domo *Sapientes in domo.* ſapientes ſunt, qui noverunt pulchrè gubernare domum, & omnia in ordine retinere. Intelligentes autem eſſe, cautos & obſervantes, ut qui acriter & prudenter *Intelligentes.* obſervant, quid pro & contra iſtam ordinatam œconomiam, ſit, **Ein weiſer Hausherr iſt/der ſeine Narung wol anrichtet vnd ſchickt/Ein Kluger iſt/der ſich weis zu hüten für ſchaden vnd böſen tücken.** Et eſt differentia fere eadem, quam Ovidius dat, Non minor eſt virtus, quærere, quam parta tueri. Sapiens eſt qui novit quærere, ſed hoc eſt parum, niſi ſit cautus & prudens, & diligenti cura advertens, quomodo tueatur & ſervet contra eos, qui rapere, fallere, inſidiari & practicis perdere quærunt.

Hæc mihi videtur eſſe Ebraica ſignificatio verborum, Bimach & Hachemach, id eſt, induſtria & advertentia ſeu cura. Nam multi ſatis feliciter & ſapienter

parant bona, ſed poſt ſecuritate, incuria, negligentia, id eſt, inadvertentia omnia pereunt, vel fraude & dolis aliorum ſubvertuntur, & invidia vicinorum & familiæ perfidia. Summa, Sapientia eſt in bonis parandis, Intelligentia in malis cavendis. Non omnes utranq; habent, Multi ſapientiam ſine prudentia, multi prudentiam ſine ſapientia, pauci utranq;. Sic & in politia multi ſapienter gubernant, ſed incurij ſunt contra inſidias & adverſarios. Ita fit, ut cito perdant omnia per imprudentiam, quæ paraverunt ſumma ſapientia. De his duabus hic nihil Chriſtus. In Eccleſia autem ſapientia eſt, notitiam fidei, & doctrinam Chriſti feliciter tenere. Intelligentia eſt cavere inſidias Satanæ, hæreticorum, & omnes fallacias ſub nomine Verbi propoſitas. Hic multi decipiuntur ſecuritate & ſimplicitate. Econtra, Hæretici multum valent intelligentia, etiamſi deſtituti ſunt vera ſapientia. Falſam enim Religionem fortiter & aſtutiſſime noverunt tueri, & ea, quæ ſunt contraria, cavere. Et vere prudentiores ſunt filijs lucis, id eſt, magis ſua curant, quam pij, qui ſecuri de veritate, non ita curant.

In politia ſapienter gubernãt.

Sapientia in Eccleſia.

Intelligentia.

Contra hos loquitur potiſſimum Chriſtus, ſcilicet qui in cauſa religionis volunt ſapere & judicare, habentes pro ſe legem & rationem humanam. Hæc mirabiliter ſapit & extollit ſeſe tam docendo, quam judicando contra veram religionem. Ideo Chriſtus hic gloriatur, Deum recte facere, quod ſua myſteria iſtis ſapientibus & prudentibus abſcondit, quia ipſi volunt eſſe ſupra & non ſubter Deum. Non quod abſcondat revera aut voluntate, cum jubeat palam prædicari ſub omni cœlo, in omni terra, Sed quod talem elegerit Prædicationem, quam natura abhorrens ſapientes & prudentes, & quæ ipſorum vitio illis abſcondita ſit, quia eam nolunt. Sicut Iſaiæ 6. Videntes non videbitis. Ecce vident, id eſt, habent eam manifeſte & publice prædicatam, & tamen non vident, quia ipſi avertunt ſeſe ab ea, & nolunt eam. Sic ſua ipſorum cœcitate ipſimet abſcondunt ſibi veritatem. Sic contra parvulis revelat, quia parvuli eam recipiunt revelatam, & eis eſt revelata veritas, quia volunt & cupiunt eam. Hæc de iſtis vocabulis duobus. Nunc ſequitur ſuperba gloria de divinitate.

Ratio humana.

Quomodo Deus abſcondat verbum ſuum.

Iſa. 6.

Omnia mihi tradita ſunt à patre mea.

Qui dicit, Omnia, nihil excipit, Ergo Deus eſt verus. Conſonat in Pſalmo 8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Rurſus quod dicit, Tradita ſunt, ſignificat ſe vere eſſe Hominem, qui acceperit à Patre. Neq; enim puro homini Deus omnia traderet, neq; purus Deus acciperet ab ullo. Quia neq; Homo purus ſuper omnia poteſt eſſe, neq; purus Deus ſub Deo poteſt eſſe. Ergo conveniunt in hac Perſona una, verus Deus & Homo. Poſt recipit ſe intro in divinitatem, dicens.

Pſal. 8.

Nemo novit Filium, niſi Pater, Neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

Hic Matthæus uno loco loquitur Iohannis more, Deum nemo vidit unquam, Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Iohan. 1. Et ſciendum, quod iſta verba noſcendi, ſunt non philoſophice, ſed Theologice intelligenda, id eſt, quod non tantum cognoſcit Pater filium, vel Filius Patrem, quoad ſubſtantiam, ſeu quid ſit Deus, de qua cognitione Philoſophi & Sophiſtæ diſputant, & nunquam aſſequuntur, Sed quid Pater in divinis velit & ſentiat, quid Filius velit & ſentiat, id eſt, de conſilio & voluntate Patris & Filij intelligenda ſunt. Nam & inter homines, quid prodeſt noſſe hominis corpus, ſi ignores ejus mentem & animum ſeu voluntatem? Nam hoc ne noſſe quidem hominem eſt, ſed ſcire, quid cogitet & velit homo aliquis, hoc eſt, eum vere noſſe. Ita in Deo, noſſe ejus conſilium & voluntatem, hoc eſt vere Deum noſſe. Sed nunc Chriſtus dicit, omnibus eſſe ignotum, quid hoc modo ſit Deus, niſi ſibi Filio. Et quid ſit filius, niſi ipſi Patri. Hoc eſt, Illud conſilium & voluntas Dei, quod velit mundum ſalvare per Filium incarnatum & paſſum, & quod fide in illum omnes ſint grati, &c. & quod filius cum

Iohan. 1.

Patre

Digitized by Google

Patre idem ſentiat in divinitate, eſt illud myſterium abſconditum à ſapientibus & intelligentibus, Et ſic abſconditum (ait) ut niſi Filius revelet, impoſſibile ſit cognoſci.

Hoc eſt, Ad miniſterium Verbi mei, omnes oportet fieri Diſcipulos, & à me poſt auditum & ſub auditu Verbi accipere Spiritum. Nihil proderit lex, juſticia, ſapientia, quæcunq; **Ich bins gar/vnd auſſer Mir alles nichts.** Ergo vel me audiri oportet revelantem, vel actum eſt de omnibus hominibus quoad ſalutem æternam. Et verbum iſtud volendi (quo dicit, Et cui voluerit filius revelare) non eſt verbum invidiæ aut difficultatis, quaſi invitus revelet aut ingratus, Sed eſt verbum effuſæ bonitatis, quo ſignificat eſſe omnia in ſua poteſtate, & quod ipſe ſolus habeat voluntatem revelandi, **Er ſolo ſeyn/dero gern thun werde.** Cæteri etiam volunt docere, ſed non poſſunt, quia non illa ſunt Perſona, quæ velle poſſit docere, ſunt potius fures & latrones.

Chriſti voluntas in revelat.

Hanc eſſe ejus voluntatem, ſequens textus clare oſtendit, Vt ſi quis motus ex Verbo, quo dixit, Cui voluerit, dicat, Quis ſcit an velit? Audio quod poſſit, ſi velit, Sed dubito an velit, forte difficilis eſt & invitus. Reſpondet, Imo maxime volo. Hæc eſt enim mea voluntas, ut revelem, Sicut ſolus poſſum, ita ſolus volo revelare, ne ad alium reſpiciatis, Quin adeo volo, ut vos nolentes ultro accerſam, vocẽ, jubeam, urgeam, petam, & omnibus modis tentem, ut me revelantem audire velitis. Venite, venite, inquam, De mea voluntate nihil dubitate, Sum propenſiſſimus ad revelandum vobis.

Vbi invitat omnes ad hanc revelationem.

Alia Sententia de interna revelatione, qua revelat cui ab æterno voluit, eſt etiam vera, ſed non hujus loci. Quia hic officium ſuum commune dat, non de prædeſtinatione diſputat. Significat tamen hic ſimul, ad quos proprie pertineat iſta revelatio, & qui ſint capaces, faciens inter Diſcipulos diſtinctionem. Nam etſi omnibus palam prædicet & revelet Evangelium ſuum, tamen ſecuri & fidentes in ſeipſis & ſuis juſticijs, ſapientia, operibus, gloria, divitijs, hominibus, non capiunt nec curant verbum, Sed laborantes, afflicti, miſeri, oppreſſi, ut ſupra, Beati pauperes & lugentes, Item, Pauperes evangeliſantur, Et vide voluntatem magnificam, qua fiduciam ad ſe accedendi facit, Omnes (inquit) venite, Nullus ſit qui timeat aut trepidet accedere, ſecurus & lætus accedat. Non repellam, non rejiciam, non affligam, non addam dolorem dolori. O ingens & opulenta miſericordia, tam dulciter vocantis ad ſeſe peccatores miſeros. Quis nunc deſperet, niſi qui ſibiipſi hoſtis, ſeipſum excludat ex iſta voce, Omnes. Ipſe enim, qui omnes vocat, nullum excludit. Hoc eſt

Interna revelatio.

Qui ſint capaces revelationis Chriſti.

Hebr. 5. conſolari triſtes peccatores, Sic adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. Ebr. 5. Emphaſis eſt, ſicut in omnibus verbis, ſic & maxime in verbo, Ad me, Q. d. Quid alio curritis? Quid veſtra merita quæritis? quid aliorum interceſſiones curatis? Ad me, ad me, inquam venite. Extra me fruſtra curritis, quæritis, facitis omnia. Sic

Hoſ. 13. in Hoſea, Perditio tua Iſrael, tantum in me auxilium tuum. Et Eſaiæ 55. totum caput

Eſa. 55. huc pertinet, Veniteinq, uit, & emite gratis vinum & lac &c.

Qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

Iſta duo vocabula, laboratis & onerati eſtis, etſi de tribulationibus poſſent intelligi, tamen proprie pertinent ad conſcientiam, quæ extra Chriſtum laborat, id eſt, varie ſeſe cruciat & angit ſub lege & tyrannide ejus. Quia ſentit ſe oneratam peccatis, ira Dei, & morte. Hoc onus libenter vellet excutere, & non poteſt, Ideo laborat, anguſtiatur & affligitur miſere, quia opera non poſſunt eam pacificare, nec onus ejus tollere, Et tandem cogeretur deſperare ſimpliciter, niſi ad Chriſtum accederet, qui utrunq; præſtat. Tollit onus, id eſt, remittit peccatum, & labores mitigat, id eſt, lætos & ſecuros reddit, Et ſic reficit, ſeu quietem ei tribuit, ut peccatum non ſentiat, aut ſi ſentit, contemnat in Chriſto. Legem non metuit, aut ſi metuit, vincit per Chriſtum, qui eſt noſtra quies, victoria, pax, ſalus, gaudium contra peccatum, legem, mortem, carnem, mundum, Diabolum, &c.

Digitized by Google

... divina ... in ...

Et notandum quod ſunt verba majeſtatis, cum dicit, Ad me, Ego reficiam. Hoc enim nullus Angelus, nedum homo auderet promittere. Quia ſignificat ſe poteſtatem habere ſupra peccatum, mortem, legem, juſticiam, vitam, ſalutem. Hæc autem eſt ſolius Dei præſtare, poſſe laborantes & oneratos liberare & conſolari. Et hæc eſt illa revelatio, de qua dixit, quod ſit abſcondita ſapientibus & intelligentibus, ſoli Patri & Filio cognita, & per ſolum Filium miſeris efficaciter revelanda. Poſt iſtam revelationem gratiæ, ſeu liberationem à peccatis & morte, quæ fide apprehenditur, & ſic apprehenſa juſtificat, ſequitur nunc Exhortatio ad ferendam externam Crucem. Sic enim Chriſtus per Evangelium commutat æternam damnationem in temporalem paſſionem, Et ſimul etiam hanc levem facit, conſolatione iſta, dicens.

Tollite jugum meum ſuper vos.

Translatio ... ſiri ... in Chriſtum, & Chriſti ... nos.

Quaſi d. Ego tollo jugum veſtrum ſuper me, & libero vos, Vos viciſſim tollite jugum meum ſuper vos. Eſt enim ſatis amabilis permutatio, ut vos modicum & temporale feratis jugum, cum ego veſtrum æternum feram, & ſimul non ſolum liberem vos ab æterno iſto jugo, ſed etiam iſtud temporale jugũ vobis faciam leve & jucundum, tum meo exemplo, tum ſolatio interno Spiritus, & exhortatione verbi foris. Quare adhortor, ne gravemini etiam vos, propter me modicum pati, & ferre odia Diaboli & Mundi, & moleſtiam carnis veſtræ pugnantis contra Spiritum, attento, quanta ego pro vobis patior & fero. His ſignificat certo crucem inſtare ijs, qui à Chriſto reſpici volunt, id eſt, in eum credunt. Quia Diabolus non poteſt non odiſſe eos. Ideo confirmat eos ad patientiam, exemplo ſuo potentiſſimo & dulcibus verbis, ut ſequitur. Exemplum eſt quod dicit.

Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.

Aliud igitur eſt Chriſtus portans noſtra peccata, Aliud eſt quando eſt noſtrum exemplum. Ibi nos nihil facimus, ſed recipimus ab eo, Hic vero nos facimus & patimur ſimilia ipſi. Ibi reficit laborantes, hic jubet portare, &c. Dicit ergo, diſcite, Ja freylich diſcite. Er wird Meiſter bleiben / vnd wird den Meiſter kein Schüler außlernen noch jhm gleich thun / Et pulchre dicit, à me. Quia in cæteris exemplis Sanctorum, multa ſunt periculoſa, multa etiam vitia & errores, Ideo optimum & tutiſſimum eſt hoc Exemplar purum & unicum proponere. Si imitaris Antonium, Hieronymum, Gregorium, potes errare, & ſæpius vitium pro virtute ſequi, ut in eorum monſtroſis abſtinentijs & laboribus, Hic nullum vitium, nullum periculum eſt. Sed ante omnia & majuſculis literis notandum & inſignite memorandum, quod Chriſtus non dicit, Diſcite à me jejunare, vigilare (hoc monſtroſi Sancti urgent) nec dicit, Diſcite à me ſuper aquas ire, miraculaq; alia facere, quæ meæ ſunt perſonæ propria, Sed hæc communia diſcite, ſcilicet mites & humiles eſſe, exemplo meo. Hæ virtutes ſunt ſecundæ tabulæ, viles & communes, ideo contemptæ & ſine ſpecie, Contra illa monſtroſa opera Monachorum fulgent. Sed vos iſtas virtutes diſcite, ab alijs contemptas, etiamſi non fulgeatis illorum monſtroſis ſingularibus ſanctitatis operibus, Coram Deo ſunt iſtæ magnificæ. Hoc ſit vobis ſatis.

Mitis.

Eſt autem mititas & humilitas utraque neceſſaria in portando jugo, Mititas contra impatientiam & vindictam, ne perſecutores odio habeamus, nec eis male velimus, ſed oremus pro eis, ut Chriſtus docet Matthæi 5. ſic, Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Et hunc fructum, id eſt, veram mititatem erga hoſtes, non poteſt ferre niſi Chriſtianus. Nam Gentilium patientia (ut Reguli & aliorum) fuit ſimpliciter ficta, vel quia non potuerunt ſeſe vindicare, vel voluerunt gloria patientiæ videri, Semper manſit odium contra inimicos, aliud non poteſt natura. Solus Chriſtus & ſui vere mites ſunt, id eſt, qui non vindictam in hoſtes, ſed ſalutem eorum ex corde cupiunt, imo dolent eos perire. Et quod arguunt aut corripiunt eos, vel puniunt, faciunt amore, ſicut pater filium. Diſce, diſce, diſce igitur eſſe mitis, & feciſti opera infinita, quorum ſingula ſuperant omnium Monachorum monſtra

Mitis.

Gentilium patientia.

& re-

Digitized by Google

& Regulas. Nam hypocritis & falſis ſanctis nihil eſt crudelius, impatientius & vindictæ cupidius, ac ſunt plane ſerpentes, quo animali nullum eſt vindictæ cupidius, Vnde & Chriſtus Phariſæos vocat genimina Serpentum, Prompti, imo furioſi ſunt alios judicare, ſeſe juſtificare. Ideo neceſſe eſt ſequi, ut libenter vindicent.

Falſi ſancti crudeles.

Genimina viperarum

Hic Chriſtus diſtinguit humilitatem, & aliam ex corde, aliam non ex corde facit, Licet, ſi ſic conſtruas, Quia mitis ſum, & humilis corde, ad utrunq; referri poteſt. Quia ſicut poteſt eſſe ficta humilitas, ita & ficta mititas, ut dixi de patientia Reguli, Romanorum, Græcorum, monachorum, Tamen proprie ad humilitatem addit, corde. Quia vidit in Eccleſia ſua hypocritas (quos odit maxime) qui nulla virtutis ſpecie ſic dominantur atque humilitatis, Nec ulla alia re mundus ita decipitur, ſicut ficta humilitate, **Der graw rock/ Henfenſtrick/ barfus Schuch/ Kopff hencken/ demütige wort/ bücken/ neigen/ ſawr ſehen/ ſonderlich ſeyn/ Das thuts/ Sanfft vnd demütig ſeyn von hertzen/ thuts nicht.** Et tamen ſub iſtis larvis ſuberbia ſuperbiſſima furit, ut probant omnium exempla ſeculorum.

Humilitas.

Patientia Reguli.

Ficta humilitas.

Igitur ſicut mititas eſt virtus Chriſtiana, qua contra inimicos manemus ſuaves & benevoli, Ita humilitas eſt virtus Chriſtiana, qua erga fratres (infirmos, peccatores, miſeros) manemus benigni, imo inferiores, ſemper arbitrantes nos oportere ſervos eorum eſſe, qui nobis inferiores ſunt, nec ideo eis dominari, quia plus donorum vel virtutum in nobis eſt, idque ex corde. Sic enim Chriſtus, etiamſi eſſet Dominus omnium, & incomparabiliter virtutibus ſupra ſuos Apoſtolos, tamen factus eſt eorum Servus, Sicut dicit, Filius hominis non venit, ut ſibi miniſtretur, ſed ut ipſe miniſtret, Item, Minor in Regno cœlorum, eſt major eo, Et Paul. Omnium me ſervum feci. Item Chriſtus, Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Si tales eſſent Pontifices & miniſtri Eccleſiæ, nihil eſſet turbæ, nec intus, nec foris. Nam ſi ſis mitis erga inimicos, nihil movebis, ſed miſereberis, Et ſic ceſſabit tumultus, bellum, invidia, ira, & erunt omnia in pace, quantum in nobis eſt. Si humilis corde (id eſt, vere) fueris erga fratres & domeſticos, nemo alium contemnet, nemo judicabit, nemo ambiet eſſe ſuperior, ſed omnes volent invicem eſſe inferiores & ſervi, & quilibet altero indignior & vilior. Vbi autem ſic ageretur, quid ibi eſſe poſſet, niſi mera quies, pax, gaudium, ſolatium mutuum.

Vera humilitas erga fratres.

Matth. 20. *1. Cor. 9.* *Luca 22.*

Mitis erga inimicos.

Humilis corde erga fratres.

Hoc eſt, quod dicit, Invenietis animabus veſtris requiem.

Q. d. Quietem & pacem quærunt omnes, Sed alij vindicando, opprimendo, perdendo inimicos hoc quærunt, Alij ambiendo dominari, contemptu aliorum & faſtu. Vtraq; via, eſt via turbarum, & non moverunt viam pacis (ut Pſalm. dicit) **So wird nicht draus/ Es mus heiſſen/** mititas & humilitas cordis.

Iugum enim meum ſuave, & onus meum leve.

Hoc eſt verbum Propheticum, & uſu Prophetarum celebre. Quia ſuas Viſiones ſeu prædicationes vocant, Onus, ut onus verbi Domini, Quod eſt onus? Et vere Lex ipſa onus importabile, ut Petrus ait, Actorum 15. Quia Lex exigebat, quod non poterat præſtare natura, & ſic peccatum augebat, deinde peccatum damnabat, & ſic mortem intentabat, Inde vocatur Lex miniſtratio peccati & mortis. At jugum Chriſti, exhortatio ad crucem ſupra veterem hominem mortificandum. Crux vero eſt facilis, ſi onus legis ſublatum ſit, id eſt, peccatum & mors. Nam ſi credis te eſſe juſtum, & vivum coram Deo, eſſe Filium & Hæredem cœli, mox dices ſuperba quadam fiducia, Si Deus pro me, quis contra me? Mors ubi eſt ſtimulus tuus, ubi victoria & gloria tua? Nam quis eſt, ait Petrus, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis. **Was kan doch wehe thun/ wenn Gott wol vnnd Sanfft thut?** Vide martyres quomodo rideant pœnas. Quare? Quia fiducia & libertas cordis.

Onus verbi Domini. Iugum Chriſti

Actor. 15. *2. Cor. 3.* *Rom. 8.* *1. Cor. 15.*

Hoc loco vehementer errant, qui jugum Chriſti interpretantur legem Evangelicam, id eſt, præcepta velut à Chriſto tradita. Et ſudaverunt hic Sophiſtæ, quomodo jugum Chriſti eſſet levius jugo Moſi cum Moſes tantum prohiberet opus,

Iugum Chriſti. Sophiſtarum ridiculum.

Chriſtus

Chriſtus autem etiam ocioſum verbum & totum cor? Tandem cæci concluſerunt, Legem & Evangelium ſeſe habere ſicut excedentia & exceſſa erga ſe invicem. Scilicet Legem in hoc eſſe leviorem Evangelio, quia non cor, ſed manum prohiberet, Contra, Evangelium in hoc eſſe levius lege, quia circumciſionem & ceremonias ſuſtulerat. O cæcitas digna contemptoribus Evangelij legendi, &c. Hoc potius erat docendum, quam ſit virtus Chriſti mirabilis in ſuis Sanctis, quod per fidem in cordibus hominum mutet mortem in riſum, pœnam in gaudium, infernum in cœlum. Quia, qui credunt in eum, rident & contemnunt omnia iſta mala, quæ mundus & caro horribiliter fugiunt & deteſtantur. Hoc vocat Chriſtus jugum ſuave, & onus leve, id eſt, cum gaudio ferre Crucem, ſicut dicit Paulus. Gloriamur in tribulationibus, Rom. 5. Item, In tribulatione gaudentes, & ſimilia in Paulo. Et Chriſtus Math. 5. Gaudete & exultate, &c. Actor. 5. Ibant à conſpectu Concilij, gaudentes quod digni fuiſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Virtus Chriſti, importabile onus facere ſuave & leve.

Rom 5. m. Matth. 5. Actor. 5.

Hunc ſenſum gaudij in tentationibus impij ignorant, nec eſt virium humanarum, ſed Spiritus ſancti potentia, quæ ſic immutat homines, ut quæ cæteri homines horrent, iſti contemnant, & quæ illi plorant iſti rideant. Hæc vero magna eſt potentia, facere ex jugo importabili, non ſolum portabile, ſed etiam jucundum & leve, non mutato ipſo onere, ſed mutata perſona ferente. Ipſa enim induitur virtute nova, quæ poteſt omnia in eo (ut Paulus) qui eam confortat. Nam ſi jubear cœlum portare, & terram, certe horribiliter terrerer, Sed ſi aliquis adderet vires ſufficientes ad ferendum facilime, ac ſi pilam jacerem, Iam non ſolum poſſem ferre, ſed etiam luderem & delectarer ferendo, Et hæc eſt virtus Chriſti, qui ideo diſerte dicit, Meum onus, Q. d. Meum onus differt ab alijs oneribus, meum onus non premit, ſed ſublevat, ac potius portat, quam portatur, Moſi onus premit, non juvat, ac potius obruit, quam liberat.

Non onus, ſed perſona mutatur.

Virtus Chriſti.

Onus Moſe.

CAPUT XII.

IN illo tempore ibat Ieſus per ſata Sabati. Diſcipuli autem ejus eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare. Phariſæi autem videntes dixerunt ei, Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere in Sabbato.

Primum oritur occaſio de Sabbato per diſcipulos Chriſti, qui ſpicas vellicant die Sabbati. Sabbatum autem erat omnium rerum in iſto populo ſacratiſſimum & celeberrimum decus, ut in prima Tabula divinis digitis ſcriptum, & tantis ſignis è cœlo traditum. Ideo nihil potuerunt ferre moleſtius, quam hujus vel violationem vel contemptum, ut taceam reliqua, quod hoc die, velut inſigni nota, ſeparabantur à cæteris Gentibus, & gloriari poterant, ſe ſolos certam habere divinitus traditam tantam ſolemnitatem, & his ſimilia.

At ille dixit eis, Non legiſtis, quid fecerit David? &c. Aut non legiſtis in lege, quod Sabbatis ſacerdotes in templo Sabbatum violant, &c.

Hic venit Chriſtus ſic ſeſe gerens, ut non ſolum contemnere & violare Sabbatum videatur, ſed ultro etiam quaſi irritari eos gaudeat. Quo nomine bis pejor Gentilibus eſſe apparet, ut qui rideat non ſolum Sabbatum, ſed etiam iram & offenſionem de irriſo Sabbato, & ultra modum contemptorem ſeſe oſtendat, Quin Dominum ſeſe faciat. Eſt igitur hæc ſumma iſtius cauſæ, Chriſtus vult eſſe Dominus Sabbati, & exigit à Iudæis, ut patiantur à ſeſe violari eorum Sabbatum, nec vult teneri lege ejus. Hoc capitale crimen nullo modo ferendum illis erat. Hic Iudæi juſtam habent cauſam contra eum.

Chriſtus Dominus Sabbati.

Quare ergo movet iſtam cauſam & tam libenter arripit iſtam occaſionem? Reſpondetur, Officij ſui erat, et ad hoc venerat, ut ſeſe & miniſterium ſuum oſtenderet, & Patris voluntatem impleret. Voluntas autem Patris fuit, ut Chriſtus pro Filio ſuo accipe-

Cur Chriſtus venit.

Voluntas patris.

Digitized by Google

eccipereretur, & verbum ejus audiretur, Lex abrogaretur, Fides in totum Mundum ſpargeretur. Ideo ubicunq; poteſt, captat occaſionem talia docendi & faciendi, tanquam ſuæ vocationis officium facturus. Ideo cum Diſcipuli hic Sabbatum violant judicio Phariſæorum, ipſe nihil eos moratus, non hoc agit, ut objecta diluat. Nam ſi voluiſſet dilucre, dixiſſet ita ferme, Nolite iraſci, me non præcipiente fecerunt, Item, ignoranter fecerunt, Item, ſecundum legem hoc Sabbatum eſt minus Sabbatum, quia ſecundum Lucam, ſecundo primum, &c. Et talia multa potuiſſet dicere, quæ ad excuſationem juſtam Diſcipulorum, & ad mitigationem ipſorum valuiſſent. Hoc non facit, Sed velut gaudeat eos irritatos eſſe, arripit occaſionem eos potius exagitandi & vexandi cum ſuo Sabbato, Q.d. Ante ja/Bene veniatis cum veſtro Sabbato, Euch müſſt man hören/ihr ſeyd feine Leute dazu/ Dicite quæſo mihi, vos ſapientes viri, Cur David violavit? Cur violant Sacerdotes? Gehet hin/vnd ſcheltet dieſelbigen vnd euch/ laſſt meine Jünger mit frieden vnd vngeſtrafft/ Sie thun beſſer denn ihr ſie lehren künd. Sic per interemptionem ſolvit Argumentum, Q. d. Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas. Hoc totum fit, ut dixi, ut notum faciat ſeſe eſſe Doctorem & Dominum omnium, quem audire & ſequi oporteat,

David violauit Sabbatum.

Chriſtus doctor & Dominus omnium.

Ideo concludit, *Dico vobis*, id eſt, annuncio & prædico vobis, *quod hic eſt major Templo.*

Id eſt, ſcitote me eſſe audiendum, non vos, neque Moſen veſtrum, Es iſt auch mit Moſe vnd ewrem ding. Hæc eſt vera ſolutio Argumenti, quando dicunt, Diſcipuli tui faciunt illicitum. Reſpondet, Hoc non eſt veſtrum, ſed meum judicare, Aliud nunc ſeculum eſt, ut qui prius potuerunt violatores Sabbati dici ſub Moſe, jam non debent dici, etiamſi vere violent, quanto magis ſi veſtra opinione violent, quia mihi cedit Sabbatum, & tota ejus obſervatio. Poſt iſta addit unum ſingulare, provocans eos ad ſcripturam.

Si ſciretis (inquit) quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis inſontes.

Data opera & ſtudio videtur digredi à Sabbato & templo, etiam ad cultum ſacrificiorum, ut omnia eorum confutet. Nam Sabbato, Templo, Sacrificio ſublatis, quid manet eis reliquum? Et ſic occaſione Sabbati evertit totam eorum Religionem, & ſibi ſubjicit. Nonne ergo pulchre reſpondetur iſtis Sabbati defenſoribus, ut non ſolum Sabbatum, ſed & Templum & ſacrificium cum univerſo cultu & religione amittant. Ey ſie haben vbel arguirt/vnd ein ſehr böſe Solution kriegt. Eſt ergo iſte locus tractandus, ex Hoſea ſumptus Cap. 6. Miſericordiam volo, non ſacrificium, & noticiam Dei, plus quam holocauſtum. Hoc Chriſtus allegat ſimpliciter contra Iudæorum cultus, quibus mire præſumebant. Nam ipſi nihil extollebant altius, quam Sacrificium, ut Matth. 23. ubi prætulerunt Sacrificium Templo ipſi & Altari, item honori parentum, Matth. 15. Ideo hæreſis horrenda fuit, miſericordiam præferre ſacrificijs. Dicit igitur, Vos ſacrificuli ſolum eſtis, & gloriamini de ſacrificijs, quæ Deus non curat, nec illis opus habet, Interim avari, crudeles, & adeo ſine miſericordia & affectu, ut etiam jejunantes meos pauperes Diſcipulos non velitis grana ex ſpicis edere, quibus tamen oportuit dare ad manducandum ſecundum legem charitatis & miſericordiæ.

Chriſtus evertit totam religionem Iudæorum.

Hoſ. 6.

Chriſtus miſericordiam præfert ſacrificijs.

Matth. 23. 15.

Sic ab initio Mundi fuit, ut hypocritæ, falſa juſticiæ & religionis opinione excæcati, ſemper fuerint crudeliſſimi, & ad omne bonum opus reprobi, perpetuo nihil aliud agentes, quam alijs detrahentes, judicantes, damnantes, & peccatores, infirmos, pauperes, derelictos, deſpicientes, Se ſolos admirantes, & arbitrantes eſſe ſanctos & filios Dei. Sicut Sacerdos & Levita præterierunt ſemivivum, Samaritanus autem eum curat, hoc eſt, miſericordiam exhibuit, quæ placet Deo ſuper omnia ſacrificia. Imo Chriſtus amplius dicit, & miſericordiam non ſolum præfert ſacrificio, ſed plane ſacrificium abrogat ex Hoſea dicendo, *Non volo ſacrificium.* Quia illi

Hypocritæ ſunt crudeliſſimi.

Natura hypocritarum.

Chriſtus ſacrificium abrogat.

Deus eligit misericordiam, & reprobat sacrificia.

illi reliquerunt Misericordiam, & elegerunt Sacrificia, Ideo contra Deus eligit misericordiam, & reprobat sacrificia, non vitio operis tam sancti, sed culpa operantium, sicut scriptum est, Victimæ impiorum abominabiles, nesciunt quantum faciant mali. Quis enim non abominetur eum, qui rejecto & contempto præcepto Dei de misericordia, & contra proximum sit avarus, crudelis, negligens, contemptor, detractor, damnator &c. Et loco hujus præcepti veniat cum suis sacrificijs, proprio fervore oblatis?

Vnde Ierem. Non præcepi vobis de victimis, Sed hoc est, quod præcepi, Audite vocem meam, Non quæ vos eligitis, & quæ vobis placent, sed quæ ego eligo & mihi placent, servari cupio, Sed ista neque scitis neque curatis, ideo non intelligitis quid Propheta Hoseas docuit, Imo nescitis quantum facitis mali, dum videmini vobis optima facere. Quia præceptum charitatis & misericordiæ conculcatis per inobedientias multiplices, & vultis placare Deum vestris Sacrificijs, à vobis electis. Hoc est Deum velut fatuum irridere, scilicet quasi ipse vestram inobedientiam debeat probare & coronare, propter vestra sacrificia. Et sic vos impios præferre sibi & suis Præceptis, quasi vos cum Sacrificiis sitis fac totum & omnia, Deus autem cum suis Præceptis sit nihil & iocularis aliquis Nugator, &c.

Hypocritæ pessimi sunt, dum videntur sibi esse optimi.

Ierem. 7.

Et cum illinc transisset, venit in Synagogam eorum. Et ecce Homo manum habens aridam. Et interrogabant eum, dicentes, Licet ne Sabbatis curare? ut accusarent eum.

Sequitur alia occasio de Sabbato violando, etiam in publico loco, scilicet Schola & in loco docentium & audientium, Vbi fit eis locus eum observandi odiosius, scilicet coram plebe, quæ Sabbatum, sicut & ipsi, zelabat. Ideo provocant jam eum publico populi loco, ut animos illorum in ipsum irritent, & sese honestent, si violet Sabbatum. Sic istæ viperæ norunt loca, personas, tempus & omnia eligere ad insidiandum, calumniandum & nocendum, & tamen falluntur semper & frustrantur, ut hic. Adest, scilicet in Sabbato, homo aridam habens manum, indigens ope & misericordia, Et Christus jam paulo ante extulerat Misericordiam super Sacrificia & Sabbatum. Ideo sic cogitant observatores illi, Iam est locus, persona, tempus eum tentandi coram plebe, Si miseretur, hujus inopis, Sabbatum violat in conspectu populi, Si non miseretur, ipse sibijpsi est contrarius, qui misericordiam non fecit propter Sabbatum. Hic certo capiemus eum, nec poterit evadere. Quia istum cornutum Syllogismum non effugiet, **Er muß Ja oder nein sagen.** Si miseretur, populum irritabit, Si non, suam doctrinam suspectam facit, quod sit Hæreticus, & ita utrinq; mors ei impendet. Sic fecerunt ei etiam cum tributo Cæsaris. Sed hic perrumpit eorum laqueos, sicut Camelus telam, & frangit alterum cornu Syllogismi, **vnd bricht der Gabbeln den einen Zancken ab/vnd stösset sie in sie selbs.**

Nugatium hypocritarum.

Cornutum Syllogismum.

Matth. 22.

Hoc est quod Matthæus scribit, Interrogabant eum, ut causam (scilicet mortis) contra eum haberent coram populo, Ipse vero retorquet eandem quæstionem in ipsos, & cogit eos respondere, saltem silentio.

An liceat ovem è fovea trahere in Sabbato?

Hac quæstione eripit eis plausum apud plebem, & liberat se invidia, & conciliat sibi plausum, plane divina sapientia. **Da stehen sie wie die Pfeiffer/so den Tantz verderbt haben / vnd haben jhnen selbs in die Hende gefurt.** Quia & populus jam Christum admiratur, & ipsos despicit, cum ipsi contrarium quæsierint. Itaque sic illis confusis, libero velut campo loquitur & operatur, 1. Loquitur dicens, *Licet benefacere Sabbato*, id est, misericordiam exhibere, sicut supra docueram. Et sic defensa est ea doctrina, & confutata adversariorum calumnia, Et stat misericordia super sacrificium &c. 2. Operatur, sanans hominem, & faciens id quod docuerat & defenderat. Et sic tam verbo & opere suam doctrinam confirmat, & contrariam destruit. Et est tam doctrina, quam opus miraculum Dei. Quia sic nemo potuisset contra Sabbatum loqui, sicut nec aridam manum sanare, nisi Deus ipse adesset.

Christus verbo & opere suam doctrinam confirmat.

Exeuntes

Exeuntes autem Phariſæi con ſilium faciebant adverſus eum, quomodo eum perderent.

Sed ecce quanta ſit vis Diaboli in cordibus à ſe poſſeſſis, quam ſint incorrigibiles. Convicti ſunt ſapientia Verbi divina, convicti ſunt potentia Dei manifeſta, hoc eſt, audiunt reſponſum, quod negare non poſſunt, vident opus, quod reprobare non poſſunt, Reſponſum eſt hominem eſſe meliorem ove, Et ſi ovem licet ſervare in Sabbato, multo magis hominem. Quid contra hæc poteſt dici, & tamen ſunt excoecati & indurati. Opus eſt, quod in oculis eorum, publice coram omnibus ſanat aridam manum. Quid poteſt contra hoc cogitari? Et tamen iſti boni viri non ſolum non convertuntur aut quicquam moventur, imo contra pejores fiunt, & conſilium ineunt, non quomodo diſcant & audiant, ſed quomodo occidant. O boni viri, qui ipſa veritate tam verbi quam facti, palam & in conſcientia convicti, tamen furore contra veritatem pro mendacio feruntur. Quid mirum, ſi hodie ſimilia faciat Satan, ſibi ſemper ſimilis, licet diſſimilibus organis ſuis. **Alſo ſolo gehen/ daß wenn ſie gleich ſelbs bekennen müſſen/ es ſey die Warheit/ dennoch ſollen ſie verſtockt jhre Lügen mit Mord vnd Blut verteidingen/** alioqui non eſſent filij digni ſuo Patre Diabolo, qui autor eſt mendacij & mortis. *Iohan. 8.*

A Diabolo obſeſſi ſunt incorrigibiles.

Satan ſibi ſemper ſimilis.

Ieſus autem ſciens, receſſit inde, & ſecuti ſunt eum multi, & curavit eos omnes.

Sequitur alia Hiſtoria, Et facit Matthæus occaſionem ſeu locum adducendæ Scripturæ de Chriſto, dum dicit, Prohibuiſſe Chriſtum populis ſequentibus & adhærentibus, ne eum palam facerent. Dicit ergo Chriſtum, cum audiſſet conſilia inita contra ſe à Phariſæis, ceſſiſſe eorum furori, & migraſſe ad alium locum. Quo exemplo docet cedendum eſſe furioſis pro tempore, & præſertim ſi neceſſitas non eſt manendi, & alibi plus fructus ſequitur, Vt hic, dum Phariſæi eum quærunt occidere & nolunt ſequi, cedit & invenit alios, qui eum libenter audiunt, & beneficia ejus ſuſcipiunt. Mos enim eſt & fortuna Evangelij, ut alijs odientibus, ſemper ſint alij, qui ament, uſq; in finem mundi. Poſt venit ad locum ſcripturæ, dicens, Prohibuit eos, ne eum palam facerent, propter Scripturam implendam, quæ prædixit eum fore quietum & tacitum in Plateis, &c.

Cedendum furoſis pro tempore.

Fortuna Evangelij.

Sed mira videtur allegatio ad tale propoſitum, ſcilicet quod Iſaias ſit locutus de iſta cauſali & particulari fuga Chriſti, cum Chriſtus alias fuerit in omni loco celebratiſſimus & minime tacitus in plateis. Sed Matthæus hoc vult, Chriſtum non voluiſſe contendere cum incredulis, aut conviciari mutuis maledictis. Sed ubi non auditur, teſtificata veritate, cedit, & non litigat cum verboſis contentioſiſq; Hypocritis, & potius alio cedit, &c. Ad hoc adducit Iſaiam 42. Ecce ſervus meus, &c. Sed iſte locus non ſolum hoc continet, quod Matthæus ponit, ſed totum Chriſtum pingit, Quare videndus & cognoſci dignus. Ecce, inquit, ſervus meus, id eſt, ſcitote omnes, quod Chriſtus ſit miniſter meus, Legatus, Apoſtolus & Doctor omnium à me miſſus, Non venit ſine vocatione, ſicut fures & latrones, Meus eſt ſervus à me miſſus, Et qui eum audit, Meipſum audit, ſicut & Moſes fuit ſervus meus. *Iſaiæ 42.*

Chriſtus Dei ſervus.

Quare diligenter eſt notandum, quod ſervus hic eſt publicum nomen. Hoc dicitur contra uſitatum errorem in Papatu, ubi ſervire Deo ſignificabat, fugere Mundū, deſerere officia publica docendi & regendi & faciendi ea, quæ uniuſcujuſq; vocatio requirebat, pro quibus fiebant monachi, anachoritæ, privati homines, tantum ſuis proprijs electis operibus Deo ſervire præſumentes, quia pericula & moleſtias publicas non ferebant. 2. Sic pronomen (meus) magnificam gloriam habet, ſcilicet quod certo ſit Dei Legatus, & autoritate divina ſit audiendus. Et ut ſolent Reges & Principes ſuis Mandatarijs dare Credentias, id eſt, literas teſtes ſuæ miſſionis, Ita hic Iſaias eſt teſtis & credentialis Chriſti, teſtimonium perhibens miſſioni ejus. 3. Omittit Matth. ex Iſaia (Quem ſuſtentabo, **ob dem ich halten wil**) Conſolatio eſt miſſi, ſeu ſervi, quod ſciat ſeſe habere protectorem Deum in officio & legatione ſua. Si-

Servire Deo ſecundum Papiſtas.

Ministros verbi versari in periculis.

militer significat, ministros verbi versari in periculis tantis, à Diabolo, Mundo, carne ut egeant etiam divino auxilio, nec defendi possint, nisi solius Dei auxilio, postquam contra eos fremunt Gentes, Reges consurgunt. Et quicquid est aliquid mundi, vexat legatos Dei. Ideo promittit seipsum fore defensorem contra illos omnes. Et nisi hoc faceret & nos facturum sciremus, quis vellet subire docendi laborem & pericula? Quod enim Christo accidit, omnibus ministris accidet.

Deus defensor ministrorum verbi.

Electus meus.

Hoc verbo Christus præfertur omnibus legatis Dei, etiam Mosi, Nam de Mose in sua Vocatione non sic loquitur, quantumlibet ei confert autoritatem divinam, Licet alias extra vocationem alios etiam vocet electos, ut Psalm. 105. Iacob electi sui, & alijs locis. Sed hic inter legatos vocatur Christus electus, ut ejus doctrina pro electa habeatur, supra legem & prophetas, & huic cedant omnes (etiamsi valde bonæ sunt) tanquam electæ præ cæteris, Et sic etiam Mosi & legi præfertur Christus & Evangelium autoritate divina.

Psal. 105.

Christus inter omnes legatos Dei solus vocatus electus.

In quo complacuit animæ meæ.

Hoc etiam non competit Mosi, nec ulli Legato, quantumlibet divinitus approbato, Sed singularis est huic uni ista gloria, quod Deus delectatur in istius Legati doctrina & opere. In Mose non potuit delectari, quia Lex non fiebat. Ideo Deus magis indignari cogebatur, Quia fiebant per Legem, quæ Deo displicebant, cum Lex iram operetur, &c. Sed per hujus Legati officium fit, quod Deo placet, scilicet remissio peccatorum, victoria mortis, pax cordis, vita & salus æterna, gloria Dei & charitas hominum, &c. Ita ut posses dicere Mosen quidem approbatum esse à se, sed tamen non beneplacitum habere in ipsius ministerio, quia Lex non profuit, &c. Iuxta hæc indicat, quod Legatus hic Dei apud Mundum non sit reputatus Servus Dei, sed servus diaboli, non defensus à Deo, sed desertus & puniendus à Deo, non electus Dei, sed reprobus Deo, non placitus Deo, sed abominabilis Deo. Quia doctrina ejus in Mundo habetur pro Diaboli verbo, quod Deus damnet, odiat & abominetur tanquam hæresin & virus infernale. Ideo Fides & Spiritus ista magnifica verba Esaiæ intelligit & probat.

Deus delectatur in doctrina & opere Christi.

Iudicium mundi de ministerio Christi.

Qui volet cum Ebræo concordare Matthæum, sic potest dicere, quod mutatis verbis idem dixerint, Matthæus hoc modo, Ecce servus meus, quem elegi, Esaias, Ecce servus meus quem tuebor. Matth. Dilectus meus, in quo complacuit animæ, Esaias, Electus meus, in quo complacuit animæ, ut quod Matthæus dicit, Quem elegi, sit id, quod Esaias dicit, Quem defendam. In his duobus solis est differentia, Nam dilectus & electus facile conveniunt. Potest autem dicere, qui vult defendere aliquem, Ego hunc suscipiam & eligo, quem defendam. Et sic pugnabunt Matthæus & Esaias tantum sono grammatico, sed conveniunt tono theologico, Sententia ijdem, syllabis diversi, quod non officit.

Conciliatio Esaiæ & Matthæi.

Posui super eum spiritum meum.

Ebraismus est. Spiritum poni super eum, id est, dari ei Spiritum, qui scilicet gubernet eum, ut omnia faciat & dicat regente Spiritu, ut Matth. 4. Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, Item, Exultavit Iesus in Spiritu, &c. Quod est aliud nihil, quam quod omnia quæ Christus sit facturus & dicturus, spiritus sit, Nec solum ad scientiam hoc pertinet, verum etiam ad animum, ut Christus non solum omnia recte doceat & faciat, sed etiam animose & potenter audeat perrumpere docendo & faciendo, nullis perterritus periculis. Er kans thun / vnd thars auch wagen / contra omnia, quæ resistunt ei. Sicut Samson ausus fuit Leonem occidere, & David ursum. Quia non satis est scire quid doceas, sed etiam audendum est & fortiter perseverandum in eo, quod docueris, contra portas inferi. Vtrunque præstat Spiritus, ut Ieremiæ 1. Dedi te in murum ferreum &c. Summa summarum, Sicut iste Servus mihi electus

Ponere spiritum super aliquem. Verba & facta Christi sunt spiritus.

Matth. 4.

Ierem. 1.

Digitized by Google

electus placet, ita spiritu meo faciet omnia & perrumpet sicut ventus & impetus, cui nihil resistit. Habebit Spiritum, cui nihil resistet, etiamsi Reges & omnia resistant. Ideo emphasis est in verbo (Spiritum meum) quo significatur eum omnia scire, facere & posse, invitis omnibus adversarijs.

Iudicium gentibus annunciabit.

Annunciare judicium.

Iura dabit populis totius orbis, Id est, Doctor est futurus totius orbis terrarum. Quia judicium annunciare, est idem quod docere Gentes, hoc est, tradere veram doctrinam fidei. Hoc Iudæi pro sua gloria intelligunt, quasi per Messiam sint dominaturi Gentibus, Sed Christus hic non loquitur per Esaiam de Tyrannide super gentes futura. Quia non arma, sed Verbum jactat, & per verbum vult dominari in gentibus. Sicut & omnes Prophetiæ aliæ prædicant Christum futurum Dominum totius orbis, Id est, per Verbum & fidem regnaturum ubiq;, & ex omnibus Gentibus collecturum suos fideles. Hæc septem non sunt principalia, quæ Matthæus voluit, sed induxit illum totum locum propter ea, quæ sequuntur ad propositum de Christo, scilicet quod non sit clamator, & voluerit celari, nec in publico cum aliquo contendere, &c. ut sequitur.

Christus per verbum & fidem dominatur omnibus gentibus.

Non contendet.

Christus cessit furori Pharisæorum.

Satis bene redditum est verbum Ebræum, Clamabit, per verbum, contendet. Quia non loquitur de clamore juvenili aut læto in plateis, Sed sicut solent irati & offenti invicem clamoribus & querelis movere turbas, hoc est, contendere seu contentioſe clamare, Ita Christus potius cessit Pharisæis, & vitavit eorum conspectum, sinens eos irasci & persequi, clamare contra se, ipse in silentio & spe perseverans. Et propter hanc partem, ut dixi, Matthæus induxit Isaiæ locum, ut pingeret Christum hominem pacificum, quietum, fugientem tumultus, turbas & motus hominum furiosorum & iratorum, dans locum iræ. Die Schreyer hören doch nicht/ was man ſagt/ vnd können auch nicht mehr ſchreyen/ denn/ Tolle, tolle, crucifige eum, sicut coram Pilato fecerunt, Item cap. 22. Act. coram Lysia contra Paulum, Tolle de terra istiusmodi, non enim fas est eum vivere, Et Act. 16. etiam contra Paulum.

Christus homo pacificus.

Act. 22. 16.

Furiosi homines clamores vitandos.

Vt doceamur & nos contra furiosos clamores hominum, silere & fugere, ut qui nihil proficiamus inter eos, Sicut adversarij Papistæ & spiritus fanatici hodie nihil aliud scripserunt, docuerunt & clamaverunt, quam tolle, tolle. Nihil sani prorsus docent, neq; sana docentes audiunt, sed tantum conviciantur & damnant eos. Hi igitur sunt exemplo Christi relinquendi & vitandi, ut non misceamur eorum clamoribus, quibus nihil tamen proficeremus. Sinamus eos clamare, donec Deus judicabit causam nostram. Nihil enim est utile cum eis contendere (ut Paulus ait) quam ad subversionem audientium. Ideo & Ecclesiastes 9. pulcherrime dicit, quod paupertatis sapientia contemnitur quidem inter istos clamosos, sed tamen in silentio audiuntur verba sapientis, & ibi valent plus quam omnes clamores magnatum inter stultos, Vbi unus stultus multa bona perdit, Summa, cum contentioſis non est disputandum. Non enim emendantur, sed plus irritantur, quia non quærunt veritatem, sed gloriam & triumphum. Ideo exemplo Christi, Wenn man geſagt hat was recht iſt/ wöllen ſie viel ſchreyen vnd haddern / ſo gehe dauon / Gleich wie hie Chriſtus weichet dauon / da er vom Sabbath geprediget hatte / vnd leſſet ſeine hoſtes zürnen vnd diſputiren wie lang ſie wollen/ wil jhres ſchreyens vnd pelferns nicht gewarten (quod est infinitum)

Eccles. 9.

Cum contentioſis non disputandum.

Sic & in politicis rebus consulit Cato, Contra verboſum verbis contendere noli, Item Altercando veritas amittitur. Nam qui veritatem quærit, audit eum silentio, & quærit eam sine clamore & tumultu. Qui tumultuatur & clamat, significat seſe non Veritatem quærere, sed gloriam. Quid ergo cum eo contendis, qui non veritatem, sed gloriam quærit? Nec ipse unquam ad veritatem venire potest, nec poteris tu eum ad veritatem perducere, Sed frustra cum eo in infinitum clamabis. Sic Christus ait ad Iudæos Iohan. 5. Quomodo potestis vos credere, qui gloriam quæritis

Quærens veritatem audit cum silentio.

Ioh. 5.

Clamoſi relinquendi.

ritis ab invicem? Clamatores ſunt contra veritatem, ideo relinquendi. Non diſcere, ſed docere volunt, Non indocti, ſed omnia perfecte noſſe & judicare volunt, Talium diſcipulorum Diabolus ſit Magiſter. Nunquam enim emendantur, ſed manet clamoſi & contentioſi. Vt Roma. 2. Eos vero, qui ſunt ex contentione & non acquieſcunt veritati. Aptiſſimum epitheton, contentioſi, non acquieſcentes veritati, Et hoc loco clamoſi, Schreyer / Vt cernere eſt hodie in Papiſtis & ſectarum autoribus. *Rom. 2.*

Non clamabit, & non audietur vox ejus in plateis.

Furioſus clamor contentioſorum.

Idem eſt cum ſuperiori, ſcilicet, Non contendet. Quia iſta exaggeratione, Non clamabit, non levabit (ſcilicet vocem) non audietur vox ejus in plateis, ſicut eſt in Ebræo, ſignificat Propheta, furioſum illum & pertinacem clamorem contentioſorum, & rabiem Phariſaici odij in populo Iudaico contra Chriſtum, à quibus eum fore alienum prædicit, Sed fore ipſum modeſtum & quietum, qui in omni patientia

Chriſti modeſtia in docendo.

doceat, arguat, increpet, ut Paulus ſuum Timotheum inſtruit. Non enim hic prohibetur Chriſtus arguere, increpare, damnare, judicare impios. Quia hoc exigit neceſſitas officij & doctrinæ, Sed litigare, mordere, furere, fævire, &, ut iſti ſolent, tantum convitijs, maledictis, contumelijs, odijs & invidijs alios lacerare & lædere, nihil curantes de doctrina aut reprehenſione vitiorum, aut ſanandis moribus ſeu Eccleſiæ, ſeu ſuorum, Sed tantum de vindicta & ira explenda, pro defenſione ſuarum opinionum, conſuetudinum, traditionum.

Tres partes clamoris furioſorum.

Poſſunt tamen iſta tria, ſcilicet clamare, levare vocem, audiri vocem, accipi pro tribus partibus clamoris ſeu contentionis. Quia primum opus furioſorum eſt contendere, id eſt, nullum audire, nulli cedere, ſed ſine fine litigare, & ſua defendere Non enim ſinunt verbo Dei locum, ſed ſuam juſticiam ſtatuunt, Sie wollen recht haben. Qualis eſt eorum cor induratum, oculi clauſi, aures gravatæ. Eſaiæ 6. Secundum eſt, non ſolum ſua ſtatuere, ſed etiam veritatem, contrariam ſibi, opprimere. Hic clamant, multa allegant contra Verbum, quæ tamen vere nihil ſunt niſi clamores, & violenta dicta contra veritatem. Hoc ipſi nihil curant, tantum ut vincant, ſcribunt, prædicant, legunt, Helffe was da helffen mag/daß Gottes wort nicht gewinne/oder recht behalt. Tertium eſt, quod audiri volunt vocem ſuam, volunt & gloriari, triumphare, victores videri. Hic auditur vox eorum, Eccleſia, Eccleſia, Patres, Patres, Concilia, Conſuetudo, Obedientia, &c. Sicut Iudæi vociferabantur. Templum, templum, Ieruſalem, Populus, Lex, Patriarchæ, ut Rom. 9. Quorum eſt Lex, &c. Et Actor. 6, Hic homo loquitur contra locum, Templum, Legem, Populum, &c. *I.* *II.* *III.* *Eſaiæ 6.* *Rom. 9. Act. 6.*

Quomodo pius doctor ſe gerere debeat in docendo.

His ſtudijs ſeu potius furijs, non debet pius Doctor ſuam Doctrinam docere vel tueri, Sed cum docuerit, arguerit, judicaverit, eos relinquere, ut mordeant, contendant, litigent, maledicant, clament, vociferentur, furant, fæviant, donec conſumantur. Eſt qui quærat & judicet, Iohan. 8. Cedat ergo cum Chriſto iſtis furioſis. *Iohan. 8.*

Calamum quaſſatum non confringet, & Linum fumigans non extinguet.

Pulcherrima Chriſti pictura.

Pulcherrima pictura Chriſti ſuaviſſimis Figuris exornatur, ſcilicet in conſolationem pleniſſimam, & ut propter figuras gratior ſit & tenacius hæreat. Primum, totus Verſus allegoria eſt, ſeu perpetua metaphora. Nam calamus, Linum,

Calamus quaſſatus Linum fumigans.

&c. aliud ſignificant, ſcilicet cor contritum & humiliatum. Eſtque eadem ſententia cum illa ſupra, Venite ad me omnes, qui laboratis, Item cum illo, Pauperes evangeliſantur, Sed ornatius & potentius ſeu efficacius dicitur iſtis figuris & picturis. Item alia ineſt figura, ſcilicet Tapinoſis ſeu Emphaſis, quia minus dicit, quam ſignificat, Vt, Non extinguet, non confringet, id eſt, maxime accendet & conſolidabit. Et eſt iſta figura valde dulcis & potens, in loco dicta, ad conſolandum. Vt ſi puſillanimis aliquis ſit, & metuat accedere Sacramentum propter reverentiam, &c. perſuadeat aliquis hac figura, Cur metuis? Accede. Non enim Chriſtus venenum

tibi

tibi dabit, Item, Er ſtehet ja nicht mit der Keule hinder dir / Item, Er wird dich nicht freſſen. Valde erigunt iſtæ Negativæ, quia excludunt hoc quod metuitur malum potentiſſime. Et ſimul includunt affirmative, quod petitur bonum, opulentiſſime, Sic ſi trepidet aliquis ad ſuſcipiendum officium, dicitur ei, Er es beiſt dich nicht / Iſts doch kein Teufel nicht / id eſt, eſt opus excellenter bonum & utile, non tantum innoxium. *Vis negativarum ſententiarum.*

Oſtenditur igitur hic Chriſtus pulchre depictus. Rex pauperum, afflictorum, miſerorum, contritorum, territorum. Quia nullus Calamus eum curat, niſi quaſſatus, Nullum Linum eum cupit, niſi fumigans, Nec ipſe alios curat calamos & lina, ut quæ integra ſunt, valent, fulgent, nec quicquam illius egent, ſibi ſatis juſti, ſapientes, valentes. Sicut dicit, Non eſt opus valentibus medico, Non veni vocare juſtos, hoc eſt, quod & hic dici poteſt, Non veni integrare calamum integrum, non accendere fulgentem candelam, Sed veni calamos quaſſatos non confringere, id eſt conſolidare & confirmare, Linum fumigans non extinguere, id eſt, accendere & illuminare. Subindicat autem crudelitatem exactorum, hoc eſt, tyrannidem legalem & Doctorum Legis, qui nihil aliud faciunt, quam quod vexant Conſcientias jam afflictas ſatis, Ponunt enim onera importabilia ſuper homines, quæ nec digito attingunt ipſi, Ab alijs ſevere omnia exigentes, quæ ipſi nihil præſtant. *Chriſtus rex pauperum. Chriſti officium. Tyrannis doctorum legis & eorum officium.*

Iam ſic natura fert, ut nemo ſic metuat mortem, ſicut pavidi, Nemo ſic reveretur Legem, ſicut iſti contriti calami, Nemo ſic laborat in peccatis, ſicut Linum iſtud fumigans, Econtra nullos magis premunt Tyranni iſti ſpirituales, quam iſtos pavidos. Delectat enim eos, quod ſic ſint formidabiles, quod eorum & dicta & facta ſic honorentur, quod populus ſic ſubjiciatur eorum pedibus. Ideo pergunt ſine fine augendo leges, traditiones, & ita calamum quaſſatum penitus confringunt, & Linum fumigans extinguunt, id eſt, adigunt in deſperationem & infernum. Hæc ſatis ſub Papatu experti ſumus, Et in Ezech. 34. queritur Dominus, quod diſſipaverunt & perdiderunt Gregem tyrannide ſua, quod cum potentia & auſteritate imperaverunt eis, Et 13. dicit. Mœrere feciſtis cor juſti, quem ego non contriſtavi. Sic & in regno politico ſoli afflicti, præſerrim Chriſtiani vexantur, Summa, Sie leiden beydes / geiſtlich vnd weltlich tyranney / vnd werden von beyden zuſtoſſen / das ja vmb vnd vmb ein zuſtoſſen Rohr ſey / das ein jeglicher beuget / krümmet / niderdrückt wo er kan / wie der Wind ein Rohr hin vnd her treibt vnd ſtöſſet / als wolt ers zubrechen / etc.

Ezech. 34.

Ezech. 13.

Quæ ſequuntur paulo aliter in Ebræo ſunt, Et Matth. quædam omittit. Sic habet Eſaias, *In veritate educet judicium, non erit triſtis nec turbulentus, donec ponat in terra judicium, & Gentes legem ejus expectabunt.* Pro quo Matthæus ſic. *Donec ejiciat victoriam ad judicium, & Gentes in nomine ejus ſperabunt,*

Videtur voluiſſe brevior eſſe autor iſtius textus, & comprehendere iſtum locum (Non erit triſtis, &c.) ſub hoc (calamum quaſſatum &c) Item hunc locum (In veritate judicium) componere in iſtum (Donec ponat in terra judicium) Iam non multum differt hoc, quod dicit, Gentes in nomine ejus ſperabunt, ab iſto, Legem ejus Inſulæ expectabunt. Igitur judicium ſecundum veritatem educere, intelligitur contra juſticiam legis, operum hypocritarum, hoc modo, Extra Chriſtum ſudatum eſt & ſudatur ſemper pro juſticia obtinenda, ſed fruſtra laboratur, Semper diſcunt, & nunquam ad ſcientiam veritatis perveniunt, Es wird doch nichts draus. Vnus & ſolus hic prorumpet & implebit legem, per obedientiam ſuam uſq; ad mortem. Ideo ſolus ipſe perficiet veram, certam, ſolidam juſticiam, Cæteris (quantumlibet laborant) deeſt veritas. Quia ſunt hypocritæ, falſo juſti, & nunquam certam conſcientiam de ſuis operibus habere poſſunt. *Judicium educere ſecundum veritatem.*

Hic ergo aliquando ſtatuet victoriam contra Peccatum & legem, ſub quibus omnes manſerunt victi & concluſi. Ipſe erumpet & triumphabit manifeſta victoria contra peccatum & Legem pro ſe & omnibus credentibus in eum. Et ſic iſti- *officium Chriſti.*

verbis Chriſtus prædicatur Salvator,qui pro omnibus alijs ſolus ſatisfaciet legi,tollet peccatum,iram & mortem. Hoc ſenſit Matth. cum victoriam judicij memorat. Nam judicium hic nomen eſt rei,id eſt,ſignificat juſticiam ſeu juſtam rem,non tantum verbum vel doctrinam, **Er wirds doch einmal zu recht bringen / vnd daß es das rechte Recht heiſſe/** ſecundum veritatem,non ficte nec hypocritice.

Non erit triſtis nec ſeverus.

Falſa hypocritarum.

Dicitur de converſatione ejus & exemplo, ſcilicet quod non erit (ut Hypocritæ triſtes ſunt) auſterus, Qui cum putent juſticiam ſitam eſſe in veſtitu vili, triſti vultu & alijs ſingularibus ab omnium uſu obſervantijs, non aliud poſſunt quam judicare,mordere,reprehendere , contemnere alios,qui communi vita agant & diſſimiliter veſtiant, veſcantur, ambulent &c. *Chriſtus blandus & dulcis.* Econtrà Chriſtus erit blandus & dulcis, neminem propter ejuſmodi arguens,judicans,mordens, Sed omnes ei placent, qui in eum credunt,ſine diſcrimine facierum, veſtium, ciborum,uſuum. Quia communiſſima forma vixit,& patientiſſime omnes tulit, præterquam Hypocritas,quia ferri noluerunt neq; credere. Sed ut ſunt σκύβαλα, omnia reprehendunt &c. Hominum genus ad **ſawrſehen** & reprehendendum omnia, natum,factum, fictum & ſculptum, ſicut & noſtrorum quam plurimi hodie.

Donec ponat in terra judicium,&c.

Hactenus locus Iſaiæ propriè ad populum legis pertinet,qui ſuis operibus juſtificari voluit,& habuit Chriſtum ſibi promiſſum, Nunc dilatat idem ad Gentes, qui & ipſi, licet ſine lege ſcripta, tamen ſibijpſis lex, Roma. 2. quæſierunt ſapientiam & juſticiam, ut patet in Cicerone & alijs optimis viris. Faciet hæc , inquit Chriſtus,ut vera juſticia triumpher primum in Iudæis , poſt etiam in Gentibus per Evangelium, &c. Sic enim ſolet Paulus intelligere Prophetias,Primum de Iudæis,& de Gentibus quoque,ut Roman. 1.2.3. Nam quod dicit in terra , emphaſis eſt, quod juſticia vera non ſolum ſit futura apud ſuos,calamum quaſſatum per Legem,&c. ſed etiam in terra, & ubiq; terrarum. *Rom.2.* *Rom.1.2.3.*

Iudæi ægre ſuſceperunt doctrinam fidei.

Et nota emphaſes verborum. Apud Iudæos dicit,Educet ſecundum veritatem judicium,Apud gentes,Ponet judicium in terra. Quia apud Iudæos difficile fuit juſticiam fidei ſtatuere , propter legis autoritatem & populi conſuetudinem (ut teſtantur Pauli ſcripta) ſimul propter opinionem & hypocriſin Iudæorum , contra gentes gloriantium de juſticia legis. Ideo fuit ibi educendum judicium, ſeu vera juſticia, maxima vi, tanquam novis miraculis ex Aegypto educendi, Nam etiam Apoſtoli tarde educti ſunt ex iſta Aegypto , Apud Gentes vero , ubi religio nulla erat divinis Miraculis confirmata,Facilius fidei juſticia ſuſcepta,tanquam in loco vacuo poſita,ubi antea nulla fuerit,niſi civilis,&c. Ideo hic ponitur juſticia in terra, illic educitur veritate contra hypocriſin. Id confirmatur velut eadem ſententia per hoc, quod ſequitur.

Gentes facilius eam ſuſceperunt

Et Gentes in nomine ejus ſperabunt.

Juſticia fidei.

Niſi quod ipſa juſticia clarius definitur , ſcilicet quod ſit ſperare ſeu fidere in nomine ejus,& ut ſupra dixi. Nam (ut Paulus) juſticia Chriſtiana, eſt fidere in nomine Chriſti,Et idem dicit Ebræus, Et Gentem legem ejus expectabunt,Q. d. Non legem Moſi , Habebit & ipſe Legem, & hanc Legem, ſcilicet quæ eſt fidei, Gentes expectabunt.id eſt , deſiderabunt, & cum magno affectu ſuſcipient & volent, id eſt, libenter amplectentur. Quo ſimul verbo ſignificat futurum , quod Iudæi eſſent iſtum Dominum & Legem ejus contempturi,quaſi per Moſaicam legem multo meliores,&c. Ideo reſtare ,ut illis repudiantibus Gentes cum Gaudio eſſent ſuſceptu- *Nom Chriſti.*

Paulus ſtudioſus ſuis Eſaiæ.

ræ. Et non eſt dubium ſanctum Paulum hujus Prophetæ in primis ſtudioſum,hinc ſuſcepiſſe hujuſmodi phraſes.Lex fidei,Rom. 3.Item,Deus idem Gentium,qui juſtificat circumciſionẽ ex fide, Præputium per fidem,alioqui lex fidei non bene ſonat, Et ex fide & per fidem non eſt uſitatum.Sed quia hic in Eſaia Chriſti fidem & Evan- *Rom. 3.* *Lex fidei.*

gelium

gelium vidit legem ejus dici, Et non ſolum apud Iudæos, ſed etiam apud Gentes vulgandam, Ideo audet eam appellare Legem, ſed legem Chriſti, ad Rom. & Gal. alias nunquam. Et quia primo Iudæis, poſtea Gentibus, ideo illis ex fide tanquam illis promiſſa iſtis per fidem, tanquam nihil antea illis promiſſa, &c. *Lex Chriſti. Ex fide & per fidem.*

Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & ſanavit eum, ita ut loqueretur & videret, Phariſæi autem audientes, dixerunt, Hic ejicit dæmonia in Beelzebub principe dæmoniorum. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit, Omne regnum in ſe diviſum &c. De cæco, ſurdo, & muto obſeſſo.

Sequitur tertium miraculum, de cæco, ſurdo & muto obſeſſo, ſimile ejus, quod ſupra cap. 9. habetur, Ideo eadem hic dicenda ſunt, niſi quod hic Chriſtus reſpondet ad blaſphemias Phariſæorum, quod ſupra Matthæus non attingit, & Marcus latius hanc rem tractat, Reſpondet ergo primo Similitudine, quæ implicat impoſſibile, ſcilicet, Si Regnum (Civitas, Domus) in ſeſe diviſum ſit. Ab hoc impoſſibili arguit ſic, Impoſſibile eſt Satanam à Satana ejici, Sed à me ejicitur, Ergo non fit à Satana. Si autem fieret à Satana, tunc ſeipſum expelleret, quod eſt impoſſibile. Sicut ſi Princeps vel Rex ſuos legatos & officiales ipſe expelleret ab officio, & ſimul tamen vellet eos honorari à ſubditis. Quia conſtituere officialem, & ſimul ei detrahere obedientiam ſubditorum, hoc eſſet ſeipſum deſtruere. Oportet enim inferiorem poteſtatem à ſuperiori defendi, non expugnari, Alioquin regnum & nulla adminiſtratio poteſt conſiſtere. *Supra cap. 9.*

Sed hic quæſtio incidit non contemnenda, Quid ſi dæmones ſimulent ſeſe expelli, ſicut hactenus factum eſt multis in locis, & à multis peſſimis, &c. ſub nomine S. Cyriaci & aliorum? Quia hoc argumento ſolvitur Chriſti ratiocinatio, ſcilicet quæ ſequitur, Si Satan expellatur, ergo non fiat à Satana, cum ſe ſinat expelli fallaciter, &c. Hic urgendum eſt verbum illud, regnum Satanæ, tanquam finalis cauſa expulſionis, Diſtingue igitur finalem cauſam. Si agitur de confirmando regno Chriſti, de fide, de verbo Dei, hic non cedit Diabolus, nec ſinit ſe expelli ullis viribus, niſi Dei. Sed ſi eſt confirmandum mendacium, error, idolatria & regnum Diaboli, hic libenter ſimulat ſeſe expelli corporaliter, ut ſeptuplo confirmetur in poſſeſſione ſpirituali. Sic fingit ſe expelli per impios Exorciſtas, ut confirmet eos in errore contra Chriſtum. Ideo obſervandum, an res agatur de Chriſti regno vel de Diaboli regno. Quia Chriſtus hic loquitur de regno Diaboli non de ſimulatione ejus. Et hæc ſigna mendacia prædixit Chriſtus & Paulus, ne crederemus ideo eſſe verum, ſi videremus dæmones expelli, Sed cauſam obſervaremus, ob quam ipſe expelleretur aut cederet, & ita non falleremur. Hoc neglecto, ſeducti ſumus, credentes omnem expulſionem dæmonum eſſe virtutem divinam, cum fuerint omnia ſimulationes Dæmonum cedentium, accedentium, recedentium. *Quæſtio.* *Quando Satan expellatur virtute Dei.* *Quando fingat ſe expelli.* *Cauſa obſervanda propter quam Satan expellitur.*

Et ſi ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filij veſtri in quo ejiciunt?

Reſpondet de filijs, quo provocat ad legitimos exorciſtas, qui in populo iſto fuerunt. Quia ſine fide iſte populus non fuit unquam, de quo alias &c. 2.

Si autem in ſpiritu Dei ejicio dæmonia, Ergo pervenit ad vos regnum Dei.

Oſtendit autem magnitudinem virtutis expellendi, ſcilicet quod ſit mutatio regni Satanæ in regnum Dei, Q. d. Nolite ita rem parvam exiſtimare Satanam expellere, Non eſt ſicut ditare, ſanare, Regem facere, Sed eſt è filio, imo ſervo Diaboli, facere filium & ſervum Dei. Ideo dico vobis, ſi ego Dæmones expello digito ſeu ſpiritu Dei, agitur res quædam æterna, deſtruitur Mors, peccatum, ira, diaboli poteſtas & ſervitus. Et hic definiendo, dividendo, colligendo &c. poteſt declarari, quid ſit ſervitus Diaboli, quæ tota tollitur per Chriſtum expellentem. 3. *Expulſi. Satanæ.* *Servitus Diaboli.*

Et ſingulariter notandum, quod Chriſtus in præterito loquitur. Pervenit in vos regnum Dei, Q. d. Expulſo Satana non ſolum eritis, ſed jam eſtis filij Dei, Me mediatore & victore Diaboli, vos mox eſtis regnum Dei, ut ſciatis, quia placuit patri veſtro dare vobis regnum, ne quis præſumat id ſuis operibus mereri.

Gloria Chriſtianorum.

Quam glorioſa igitur ſunt iſta,& jucunda,quod Chriſtianus certus eſt,quam primum Diabolus eſt expulſus, jam ſe eſſe filium Regni & hæredem, ac ſi jam eſſet in cœlis, Sicut dicit & Paulus Rom. 8. Gal. 3. Hæredes Dei cohæredes Chriſti,Et Iohan 5. Qui credit in eum,non venit in judicium. Et 1. Cor. 6. An neſcitis quod Angelos judicabimus? Hæc & ſimilia quæ Regnum Dei conferunt, non ſolum habebimus in futurum, ſed etiam iam habemus, ſed in fide. Quia dicit,Regnum Dei pervenit in vos,ſi me expulſore dæmonum liberi fueritis. *Rom. 8. Gal. 3. Iohan. 5. 1 Cor. 6.*

Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis & vaſa ejus diripere, &c.

4. Addit ſimilitudinem ſeu Exemplum de forti, per alium fortiorem victo & ſpoliato. Quia vult confirmare idem reſponſum contra Phariſæos, Q. d. Audiſtis jam, quod Regnum in ſeſe diviſum non poſſit ſtare, Ideo non poſſe Dæmonium expelli à ſuoPrincipe,niſi ſimulanter,ut ſupra.Nunc ex alio ſic argumentor,Fortis non vincitur, niſi à fortiore,Ergo manifeſtum eſt Dæmones mihi eſſe ſubjectos,& in me eſſe virtutem fortiorem,etiam principe dæmoniorum, & omnibus dæmonijs. Quæ virtus niſi in me eſſet, ille non cederet victus, nec in vos regnum Dei perveniret, Ergo etiam ſenſu communi cogimini concedere,quod fortis non cedit niſi fortiori. Ideo non poteſt verum eſſe, dæmones per Beelzebub expelli à me. Delectatur autem Chriſtus iſta ſimilitudine victoris & victi, Quia ſe & ſuam paſſionem in iſta pictam videt. Diabolus enim fortis eſt & invictus, & ſecure poſſidet genus humanum totum,&c. Sed venit ipſe unus & ſolus fortior eo, & victum ſpoliat poſſeſſione & tyrannide ſua, Sed virtute mirabili, ſcilicet ſub infirmitatibus abſcondita, Non enim vim vi repulit, ſed conſilio myſtico fregit vim illius, dum ſe paſſus eſt ab eo occidi, & virtute Dei reſurrexit. Et ſic ſub infirmitate illum proſtravit & devoravit.

Fortis vincitur à fortiore.

Similitudo victoris & victi.

Diabolus fortis, Chriſtus fortior.

Hic igitur duo notanda ſunt, Primum ſcilicet,quod ſub Satanæ regno naſcimur captivi,& ſubjecti vivimus ſecundum ejus voluntatem, Hoc eſt, quod natura, vires, liberum arbitrium, juſticia, ſapientia humana non poſſit ſeipſam liberare à Diabolo, ſed ſecure poſſidetur ab eo, faciens per iſta omnia, quæ ei placent. Vtiturque noſtra ſumma ſapientia,juſticia, optimis donis & creaturis Dei ad noſtram perniciem æternam. Sicut equo ſano,forti & pulchro utitur Latro(ſub quo captivus tenetur)ad perniciem equi, & ad omnem ipſius libidinem, etiam per mille pericula ſua cogens ferre ſuum tyrannum,Et tamen equus ſibi ſanus fortiſq; interim videtur ignarus quam iniquo Domino ſerviat,& quam magno ſuo malo. Sic homo videtur ſibi juſtus,ſapiens,fortis,plane ſicut equus & mulus, & tamen neſcit ſeſe ſubjectum ſervire horribili Tyranno in ſuam perditionem, Quod unus ſit Chriſtus victor noſtri Tyranni, qui nos ſuis meritis aſſerit,& Diabolum à noſtris cervicibus dejicit. Sicut ſi Princeps terræ latronem ab eo dejiciat, & equum liberet,latronem capiat & occidat,equus ſeſe non liberat. Ergo Chriſti virtute liberamur,ſervamur, triumphamus, Ipſe ſolus fortem vincit,alligat & ſpoliat,&c.

Miſeria naturæ humanæ.

3. *Chriſtus ſolus victor Satanæ.*

Qui non eſt mecum, contra me eſt.

Cum Chriſto eſſe.

Idem confirmat Gnome ſeu ſententia ſequens, Qui non eſt mecum &c. Qui non colligit mecum,diſpergit,Q. d. Nullum hic medium,nullum hic nomen neutri generis,ſed neceſſario ſumus,aut ſub forti Tyranno Diabolo in atrio ſuo,aut ſub redemptore Chriſto in cœlo, Igitur cum Chriſto eſſe, eſt in Eccleſia ſeu fide ejus eſſe.

Regnum diaboli.

Hoc eſt,contra diabolum & impietatis Regnum ſeparatum eſſe, non ſentire aut ſtare pro Diabolo aut regno ipſius,quod eſt mendacij & homicidij regnum. Sed contra ſentire & ſtare pro veritate & vita.

Duplex Eccleſia.

Summa, duplicem Eccleſiam hic Chriſtus diſtinguit, alteram Dei, alteram diaboli, Et has dicit abſq; ullo medio inter ſe implacabiliter diſcordes & pugnaces, Ideo impoſſibile ſit Satanam expelli à Satana,ſicut impoſſibile eſt,Eccleſiam diaboli fieri hoſtem ſibijpſi pro Eccleſia Dei. Ideo aut cum Chriſto contra diabolum,aut cum

Digitized by Google

cum Diabolo contra Chriſtum vivit quilibet homo, Licet foris in ſpeciem Eccleſia Diaboli appareat ſancta,& velit pro Chriſto contra diabolum agere videri,Econtra, Eccleſia Chriſti apparet hæretica,& velut pro Diabolo contra Chriſtum agere. Ideo benefacit Chriſtus, qui Verbo definit,Et Fide comprehendi docet, Eccleſiam veram eſſe contra Eccleſiam Diaboli. Nam ſenſu & ſpecie longe contrarium apparet. Quia & hic ipſi Chriſto contingit, ut pro Diabolo contra Deum, & econtra Phariſæi pro Deo contra Diabolum ſtare judicantur. Det igitur Deus gratiam, ut certo credamus Eccleſiam noſtram ſeu veram, eſſe pro Deo contra Diabolum, Quia ſine fide Eccleſiam veram nemo poteſt tenere, adeo obſcuratur ſcandalis & infirmitatibus. Contra Eccleſia Diaboli fulget ſpecie & hypocriſi, ita ut rationi ſit impoſſibile diſcernere. Sibi & ſuis igitur dicit, Qui non eſt mecum, contra me eſt, Phariſæi non credunt &c.

Eccleſia Diaboli in ſpeciem apparet ſancta, Chriſti hæretica.

Sic & illud,Qui non colligit mecum, ſpargit,id eſt, Quæcunq; ego ago & mei mecum ſunt frugifera & ſalutaria ad vitam,Et qui non eſt mecum,nihil boni facit, ſed omnia fruſtra facit ad perditionem. Horribilis & graviſſima ſententia contra hypocritas,qua ſevere definitur,omnia illa pulcherrima, maxima, ſanctiſſima,infinita opera, imo genera vitæ, eſſe plane perdita, imo noxia & pernicioſa,ſi extra fidem ſint. Econtra,qui cum Chriſto ſunt,etiamſi diſpergant,id eſt,peccent & labantur,tamen omnia quæ faciunt, patiuntur, &c. ſunt omnia ſalutaria & utilia,optima,ſacratiſſima,divina. O conſolatio inenarrabilis Chriſtianorum,etiamſi ſint infirmi,tamen cum Chriſto colligunt. Econtra,horribilis comminatio contra impios,quod omnia eorum ſint diſperſiones & perditiones. Sed hæc iterum ſecundum ſpeciem ſunt falſa,niſi fide id credas. Quia impijs videtur, quod ſibi in cœlis colligant theſauros infinities infinitos & æternos, nemoq; colligat niſi ſoli ipſi. Econtrà pij diſpergant & perdant omnia miſerrime, & nemo minus habeat in cœlo, quam pij,Ipſi ſoli ad infernum pertinent,ſoli impij replent cœlum. Sed contra definitur hic verbo Spiritus, quod pij colligunt, impij diſpergunt,&c, Et hæc fiunt impijs non intelligentibus, & ſecure aliud cogitantibus. His factis jam invehitur iratus in iſtos blaſphemos & excæcatos diabolos.

Omnia opera hypocritarum perdita. Piorum ſalutaria.

Impij putant ſe colligere cum diſpergere.

Ideo dico vobis, Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, &c.

Omnis blaſphemia remittetur hominibus, Non ſolum de peccatis communibus,ſed etiam de blaſphemia dicit, quod ſint omnia remiſſibilia, præter blaſphemiam in Spiritum,Scilicet blaſphemare homines,filium etiam Dei,remiſſibile eſt, ſed Spiritum blaſphemare, irremiſſibile eſt. Hic quæſtio oritur de peccato in Spiritum ſanctum, de quo etſi alias dictum ſit, tamen & in præſentia paucula quædam ſubjiciemus.

Sex numerantur peccata in Spiritum ſanctum, quæ etſi in re ſint fere eadem, tamen officijs ſeu malefacijs potius differunt, Præſumptio, Impugnatio veritatis agnitæ, Obſtinatio, Deſperatio, Invidentia fraternæ gratiæ, Impœnitentia finalis. Quæ ſic ſeſe ſequuntur ſeu officijs exercentur, Scilicet tempore ſecuritatis & pacis, Præſumptio,Impugnatio,Obſtinatio,Tempore anguſtiæ & turbæ,Deſperatio,Invidentia,Impœnitentia.

De peccato in Spiritum ſanctum.

Impius enim tempore ſecuritatis,confidit,præſumit & certus ſibi videtur, ſeſe & ſua opera placere Deo,& vult juſtus eſſe ſimpliciter,ut Phariſæi. Si arguitur, tunc fit ſuperbus,& reſiſtit veritati ſibi contrariæ,etiamſi ſciat eſſe veritatem,non vult tamen cedere præſumptione, & ita impugnat agnitam veritatem. Perſeverat obſtinatus in iſta præſumptione & impugnatione, Et moritur ita in peccatis ſuis, induratus,ingravatus,incorrigibilis. Econtrà,Impij cum cœperint ſentire iram Dei,ſicut Cain & Iudas, primo deſperant, nec confidunt remitti peccata ſua, ſed majorem iniquitatem, quam Dei gratiam eſſe cogitant. Cum viderint ſeſe reprobari, invident omnibus hominibus ſalutem, vellentq; nullum ſalvari, & omnes

cum

cum eis perire. Perſeverant in iſta invidentia & deſperatione, nec ſinunt ſeſe convertere. Et ſicut obſtinatio eſt impœnitentia quædam finalis tempore ſecuritatis, id eſt, in præſumptione & impugnatione, Sic impœnitentia finalis eſt obſtinatio quædam tempore anguſtiæ, id eſt, in deſperatione & invidentia, &c.

Error S. Gregorij.

Sed hic S. Gregorij eſt inſignis lapſus, qui hunc locum ad Purgatorium applicat (ſcilicet, Neq; hic, neq; in futuro remittetur) Ergo, inquit, aliqua peccata in futuro remittuntur, ſcilicet in Purgatorio, alias non diceret, Neq; in futuro &c. Valde dormitat bonus vir. Quia Chriſtus hic de blaſphemia Spiritus loquitur, quod hæc non remittitur hic, neq; in futuro. Ergo ſi ſola blaſphemia in futuro non remittitur, ſequeretur eadem conſequentia, quod omnia peccata in futuro poſſent remitti, Et ſic remiſſio in hac vita non eſſet neceſſaria, quia in futura poſſet obtineri, tantum ſi à blaſphemia abſtineatur. Et ſimul vide quam periculoſum ſit Scripturam male intellectam adducere. Nam hoc uno loco, bonus vir per totum Mundum confirmavit errorem illum de Purgatorio, qui infinitos errores & monſtra generavit, ſcilicet apparitiones Spirituum pro animabus hominum, item Peregrinationes, idolatriam Sanctorum, & horribilem illam Sacramenti prophanationem per Miſſarum venditionem, & velut operis boni communicationem, in quibus conſiſtit Papatus, Et plane Sacramentum iſtud mortuis ſervire fecit, & vivis abſtulit. Hic certe Electi ſunt in errorem ducti, & mirabiliter ſervati.

Purgatorium per S. Gregorij confirmatum.

Abuſus Sacramenti ib Papatu.

Electi in errorem adducti

Chriſtus autem ſeipſum exponit Marci 3. ubi dicit, Qui blaſphemat Spiritum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus eſt æterni judicij. Quæ verba ſatis oſtendunt illud Matthæi (Neq; hic, neq; in futuro) intelligendum eſſe, non diviſim de aliqua remiſſione, ſed conjunctim ſimpliciter negative, quod nulla ſit remiſſio blaſphemiæ. Deinde hoc etiam ridiculum, quod in futuro ſeu Purgatorio, faciunt remiſſionem ſolum venialium peccatorum, aut ſaltem ſatisfactionem pro mortalibus hic remiſſis. Nam eum qui in peccato mortali moritur dicunt ſimpliciter damnari. Nonne ergo furor eſt, docere, quod Chriſtus in hac vita remiſſionem omnium peccatorum, etiam infinitorum & maximorum peccatorum inſtituerit, & levicula peccata ſeu ſatisfactionem temporalem reſervarit in Purgatorium? Scilicet qui remittit debitori centum millia talentorum, non remittit etiam unum obulum. Cæcitas & horribilia ſunt iſta mendacia, & tamen plus formidata, & ſublimius honorata, quam ipſum verbum Dei, Per totum enim mundum regnarunt.

Marci 3.

Damnatio Papiſtarum.

Mendacia in Papatu formidata, &c.

Et eſt purgatorium vera blaſphemia contra claves à Chriſto donatas. Quia ſic dicit, Quodcunq; ſolveris ſuper terram, ſolutum erit in cœlis, Non dicit, quædam ſolventur in futuro, ſed ſuper terram ſoluta, ſunt omnia in cœlo ſoluta, Item contra illud, Dimittite, & dimittetur vobis, Non dicit, Dimittite, & quædam hic, quædam in futuro dimittentur, Et contra orationem dominicam & ſymbolum & decem præcepta pugnat Purgatorium. Quia in omnibus tribus habetur remiſſio peccatorum, ſicut dicit. Dimitte nobis, Item Remiſſionem peccatorum, Item, Ego Dominus Deus tuus, &c. Quare manifeſtum eſt, Purgatorium eſſe unum de maximis abominationibus & operationibus Satanæ, & conterruit totum mundum, & devoravit omnium opes, & ſtatuit Papam regem regum atq; ſupra Deum & verbum ejus. Quia plus timuimus Papam cum ſuo purgatorio, quam Deum cum ſuo inferno. Et plus confiſi ſumus abſolutione Papæ à Purgatorio, quam vera abſolutione Dei ab inferno.

Blaſphemia in Deum eſt, ſtatuere purgatorium.

Purgatorium pugnat contra decem præcepta, Symbolum & orationem dominicam.

Purgatorium unum de maximis abominationibus Satanæ.

Aut facite arborem bonam & fructus ejus bonos.

Pergit in ira ſua Chriſtus contra blaſphemos Phariſæos, Et adducit Similitudinem ſeu ſententiam proverbialem, quæ eſt, Arbor bona facit fructus bonos, De quibus ipſemet Chriſtus copioſius ſupra Cap. 7. Nam ſatis claret Chriſtum ſæpius eadem docuiſſe & repetijſſe, Ideo & nobis non turpe ſit eadem ſæpius dicere & audire. Applicat autem Chriſtus hoc loco ad Phariſæos proprie & dicit, Arborem aut bonam aut malam eſſe oportet, Sic vos aut bonos aut malos eſſe oportet. Boni non eſtis, hocque ex fructibus cognoſci poteſt, quod mali ſitis, quia blaſphematis Spiritum

Chriſtus eadem ſæpe docuit.

Spiritum ſanctum. Hic non eſt fructus bonorum hominum,etiamſi ſimuletis vos in alijs optimos,&c. Hoc eſt quod dicit,Genimnia viperarũ, quomodo poteſtis bona loqui,cum ſitis mali? Eſt igitur mirabilis & tamen certa Concluſio,quod malus neque loqui,neq; facere bene poteſt,etiam dum optime facit & loquitur. Nam corde exiſtente malo,& voluntate mala,impoſſibile eſt cogitationes, dicta, facta, eſſe bona. Et hæc eſt illa pugna in mundo inter Deum & Diabolum, & utriuſque regnum. Nam Diabolus loquitur & agit male etiam de bonis tam verbis & factis, imo ipſe cum ſuis ſolus maxime jactat bona & verba & facta,quia allegat verba & opera Dei mendaciter ad perniciem, Chriſtus cum ſuis loquitur & agit de bonis verbis & factis veraciter & ad ſalutem. Sic Diabolus jactat opera ſingularia veſtium, ciborum, auſteritatis,non, ut proſit, ſed ut perdat iſtis ſpecioſis operibus, Allegat dicta Scripturæ mendaciter pro iſtis ſtatuendis, Sed omnia ſunt mala, propter malum cor & voluntatem, Ideo dicit nunc Sententiam pulcherrimam. *Pugna inter Deum & Diabolum.*

Ex abundantia cordis os loquitur.

Hoc eſt, Cor malum non poteſt non male loqui, etiamſi bona loquatur. Cor bonum non poteſt non bene loqui,etiamſi mala loquatur. Hic quidam ſuperſtitioſe & leviter verba Chriſti intelligunt,volentes verba prolata,uti ſonant,accipere,quales ego audivi,cum aſperius arguerentur, vel eis diſſentiretur,mox inferebant, Tu es mihi hoſtis, quia mala contra me loqueris. At, inquit alter, bene volens loquor. Non me fallis (ait ille) quia Ex abundantia cordis os loquitur. Hi homines plus æquo inciviles & craſſi ſunt. Quia eadem ratione poſſem dicere de omnibus hæreticis & adulatoribus, Eia, Tu recte loqueris, Vbi ſi quis moneret illum malevolenter loqui bona,Ego tamen contenderem,Non me fallis,Ex abundantia cordis os loquitur. Ideo inſignis eſt iſta ſtultitia. Quaſi bonus vir non poſſit optimo corde objurgare,increpare,& contraria nobis dicere,Et econtra peſſimus vir,non poſſit peſſimo corde laudare & optima nobis dicere. Igitur non de voce aut ſyllabis quæſtio eſt, ſed de ſenſu & affectu intelligenda ſunt Chriſti verba, hoc modo,Malus nunquam poteſt bona,id eſt,bono corde, ſenſu ſeu affectu dicere. Econtra bonus,non poteſt mala,id eſt,malo corde & affectu dicere,Sed ſicut cor eſt,ita eſt & oratio,juxtà illud vulgare dictum, Oratio character eſt animi. *Hæc Chriſti ſententia a quibuſdam male intellecta.* *Verus intellectus ſententiæ hujus Chriſti.*

Quanquam & hoc accidit malis, ut male memores non poſſint cavere,quin prodant ſeſe verbis ſuis, Quia mendaces oportet eſſe memores, Mentiuntur aliquamdiu & aliquantum, ſed perpetuo tenore non poſſunt,omnino tandem ſeipſum prodit mendacium,præſertim apud attentos & obſervantes. Elabitur enim eis verbum quo capiuntur, Vt hoc loco fatentur ejici dæmonia & tamen Beelzebub autorem mentiuntur. Capiuntur iſto verbo,quod confitentur ejici dæmonia,quod vere in corde confuſi ſunt, & tamen abundantia malitiæ cogit eos dicere, In Beelzebub. Sic in cruce objiciunt Chriſto, Alios ſalvos fecit. Hic miracula fatentur imprudenter fuiſſe vera,& ſuis verbis capiuntur & damnantur,& tamen malitia abundante calumniãtur ea,quod ſeipſum non ſalvet. Recte ergo eos appellat,Genimnia viperarum. Proprie enim & peculiariter ſic nominat hoc virulentum genus hominum calumnioſorum,quia vere ſunt viperæ ſeu ſerpentes, id eſt,venenatis calumnijs pleni. Idem eſt quod ſequitur. *Mendacium prodit ſeipſum.* *Genimnia viperarum.*

Homo bonus bona profert, ex bono theſauro cordis ſui.

Id eſt,Ex abundantia cordis mali,mala dicuntur &c. Theſaurum enim vocat abundantiam,**Ein böß Hertz iſt voll aller Schalckheit/Ein gut Hertz iſt voll aller Gütigkeit.** Ideo malus etiam bonas res calumniatur, & peſſime de eis loquitur, Adeo ſcilicet plenus eſt theſauris malitiæ, ut nec optima facta & dicta poſſit ferre, ſed depravet & omnibus detrahat peſſimis modis. Quia qualis ipſe eſt,talia ſunt ei omnia, etiam Deus ipſe, id eſt, mala & malus, ut Pſal. 18. Cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris. Quia quicquid Deus ipſe dicit & facit, hoc malus homo blaſphemat,& diabolcã eſſe criminatur. Sicut tunc Chriſto,& poſtea Evangelio,etiam *Theſaurus.* *Malus etiam bona calumniatur.* *Pſal. 18.*

Cor malum.

etiam uſque hodie & in finem mundi fiebat, ſit & fiet. Quare cor malum eſt fons veneni, & ſcaturigo quædam virulenta, ex quo nihil boni procedit nec verbo nec facto, etiamſi in ſpeciem appareant optima. Deinde non ſolum ipſum nihil bonum profert, ſed etiam bona ab alijs dicta & facta inficit & intoxicat, id eſt, damnat & calumniatur. Es iſt der bunte Molch (ut dicunt Germani) da alle giffrige Würm gifft bey holen/qui latine dicitur Stellio.

Der bunte Molch.

Cor humanum, thesaurus malorum.

Quis autem credit, quis concipere poteſt, tam horribili ſententia in cœlis apud Deum eſſe damnatum cor humanum? ſcilicet, ut ſit Theſaurus malorum, fons venenorum, caput & origo omnis iniquitatis, Es ſolt eim wol graweu für ſeinem eigen Hertzen / wer ein Menſch heiſt / quando audit in medio corporis ſui, talem peſtem, tale virus, talem thecam malorum & veneni repoſitam eſſe, quod nihil boni dicit & facit, Deinde nihil boni ab alijs dictum & factum, ſinit eſſe bonum, ſed ex ipſo bono ſibi venenum, ex Deo Diabolum, ex vita mortem, ex juſticia peccatum facit. Vt hic Phariſæi ex opere Dei, opus Diaboli, ex regno Dei, ſervitutem Beelzebub, ex juſtiſſimo opere Chriſti, peſſimum peccatum faciunt. Pfu der ſchendlichen Mordgruben/quæ eſt in corde humano.

Cor bonum malo de se optimum parem vertit. Natura boni exitia.

Econtra, cor bonum eſt tam abundans bonitatis, & plane fons, ſcaturigo, theſaurus bonitatis, ut non ſolum bona dicat & faciat, non ſolum bona eſſe laudet, quæ alij ex Deo dicunt & faciunt, ſed etiam quæ ex Diabolo & ex ipſis venenatis cordibus mala dicuntur & fiunt, poſſit ſibi vertere in bonum, & inde accipere incrementum bonitatis, Exempli gratia. Videt aliquem Homicidam, aut ſimili peccato obnoxium, Hic ad miſericordiam flectitur, compatitur, orat pro eo, gemit & dolet de miſeria hominis, ſimul monet, arguit & emendat quantum poteſt. Secundo ſeſe humilians cogitat, Ille heri, Ego hodie, memor ſcilicet fragilitatis humanæ, Tertio orat Deum, ut cuſtodiatur à ſimili caſu, & laudat eum pro ſua cuſtodia. Vide quanta bona facit iſtud cor ex uno malo alieno. Nonne vere hic eſſe theſaurum bonitatis in eo corde videmus? prolatum foris in verbo, ſigno, opere & patientia. Sequitur horribilis comminatio.

Dico autem vobis, quod de omni verbo ocioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicij.

Impiorum ſecuritas vitio.

Impij ſecuriſſime ſibi perſuadent, univerſam ſuam lernam malorum, fore apud Deum non ſolum impunitam, ſed etiam meritoriam & præmio coronandam. Ideo rigidiſſimum judicium profert dicens, Nullum ocioſum verbum, &c. Non dicit, Nullum venenatum verbum ſeu blaſphemiam, de qua tamen hic agitur, Imo inquit, iſtis viperis adeo nihil blaſphemiarum indulgebitur, ut etiam ocioſa eorum verba ſint judicanda, Summa, Nihil eis gratiæ concedetur, omnia eorum dicta & facta ſeveriſſime judicabuntur, propter abundantiam malicordis eorum, ex qua etiam ocioſa eorum verba (ut videtur) reputabuntur mala & venenata. Hic mare quoddam Diſputationum fecerunt, quidnam ſit ocioſum verbum, Et vexaverunt mire conſcientias, quia ab extra definierunt ocioſum verbum, id eſt, quale eſſet foris apud homines, Sed Chriſtus ab intra definit, dicens, Ex corde bono, non poſſe niſi bona procedere. At ſi etiam per lapſum aliquod procederet malum vel ocioſum, tamen remittitur per gratiam, & fit non malum nec inutile, imo utile ad humiliationem, confeſſionem, emendationem, gloriam Dei. Igitur ocioſum verbū eſt, ab intra ex corde definiendum. Vbi cor eſt malum, ibi verbum eſt malum, etiamſi non malum, ſed ſolum ocioſum vel jocoſum videatur. Malum autem cor, eſt cor infidele, ignarum Dei, & poſtea blaſphemum, Sicut ad Roman. 14. dicit, Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Summa, Chriſtus wil jhnen nichts laſſen gut ſeyn/ weil ſie jhm auch nichts laſſen gut ſeyn/id eſt, qui negant eum, Econtrà, wil er jederman laſſen alles gut ſeyn / die jhm laſſen alles gut ſeyn/id eſt, qui credunt in eum.

Ocioſum verbum.

Ocioſum verbum.

Malum cor.

Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Hoc

Hoc dupliciter intelligi debet. Primò ſecundum tenorem hujus loci, ſcilicet ocioſum verbum damnabitur, Ergo verba tua te damnabunt, Econtra, utile verbum juſtificabitur, Ergo verba tua te juſtificabunt. **Haſtu böſes geredt / ſo wirſtu darnach gerichtet werden / Haſtu guts geredt / ſo wirſtu darnach geſeliget werden.** Et eſt illa Sententia, Secundum facta cujuſque reddetur ei, Nihil ſcilicet impunitum, nihil irremuneratum manebit. Et ſic eſt Emphaſis in dictione, Verbis tuis, Q. d. Nec verba (taceo de operibus) tranſibunt impunita, Secundo, quod hoc ipſo, dum impij ſua juſtificant, ſeſe condemnant, Vt hic, dum faciunt Chriſtum Diabolum, & ſeipſos ſanctos, produnt ſeſe, cum fatentur dæmonium ab eo ejectum eſſe, Item in cruce, alios ſalvos fecit, &c. Fatentur ſalvos ab eo factos, & tamen crucifixerunt eum, Item Cain ſeſe juſtificans, Gen. 4. Nunquid cuſtos ſum fratris mei? Hoc ipſo accuſat ſeſe, quod negat ſe diligere Fratrem debere, &c. Econtra qui ſeipſum accuſat, & peccatum confitetur, hoc ipſo gratiam impetrat & juſtificatur.

Impii ſua juſtificantes, ſeipſos condemnant.

Gen. 4.

Magiſter, Volumus à te videre ſignum. Qui reſpondens, ait, Generatio mala & adultera, ſignum quærit, Et non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ, &c.

Poſt quærunt ſignum, ſed intempeſtive. Quia jam eſt iratus ſuper eorum blaſphemias, & nihil facit quod volunt, **Er iſt ſchlecht nicht daheim jnn.** Ideo dicit, **Solt ich ſolchen Leuten Zeichen thun / die mir ſie ſo ſchendlich verkeren / Ja ich wil ein Zeichen geben / das jhnen ſol ein Zeichen ſeyn / etc.** Et eſt ſane odibile genus hominum, qui ſic volunt habere ſigna ad voluntatem ſuam, ut quæ libeat, poſſint blaſphemare, quæ vero petant oporteat fieri, **Ja man müſt es jhnen ſo beſtellen / ſpricht Chriſtus /** Quin potius tale detur his hominibus ſignum, in quo offendantur & ruant, Quale eſt ſignum Ionæ, id eſt, mors & reſurrectio mea, In hoc ſigno tractabuntur, ut digni ſunt, nempe quod datum eis & prædicatum, non credent, ſed perſequentur, & ſic pejores fiunt quam Ninivitæ, Imo Ninivitæ ſancti erunt & regina Saba ſancta, quia minus viderunt & audierunt quam iſti, & tamen crediderunt. Iſti nec ſigna præſentis Chriſti, neq; reſurrectionem ejus credunt.

Signum Ionæ Prophetæ.

Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit, &c.

Pergit iratus & prophetat eis mala, ſcilicet, Ego jam expuli regnum Diaboli ex iſto populo, Sed quia ingrati ſunt & ſecuri me regnante inter eos, veniet igitur tempus, ut me diſcedente revertatur Diabolus in eos, ſepties pejor quam ante fuit. Me quidem præſente. Diabolus cogitur exire, & ire per loca deſerta, in quibus nihil habet quod agat, Et ſitit ibi, quia non poteſt explere animum ſuum, decipiendo & nocendo, donec rediens in domum relictam, & furat ſepties plus. Sic fit & in qualibet perſona privatim, ut ſemper deterior fiat poſt gratiam, ſi ceciderit, Eadem comminatur Petrus, 2. Pet. 2. Et probant hiſtoriæ in Anabaptiſtis, Sacramentarijs, &c. Vocabula iſta, ocioſam, mundatam, ornatam, poſſunt intelligi ad iſtum ſenſum, Quod Diabolus videt domum eſſe ocioſam, id eſt, vacantem, **ledig ſtehen /** Q. d. Ah quomodo iſta domus ſub me fuit operoſa, quia ſerviebat mihi fideliter, nunc me expulſo vacat, & nihil ſervit mihi, Quin etiã purgata eſt, ut nihil reliquum ſit vel veſtigij mei, Etiam ornata eſt, novis ſcilicet operibus, quæ contra me ſunt. Vt ſic ſit Diaboli querulantis ſuum exilium. Ac ſi aliquis Papiſta queruletur nos eſſe vacuos Papæ, & purgatos ab ejus doctrinis, inſuper ornatos nova doctrina & moribus, quæ tamen gemat, velut peſſima & horribilia mala. Alio modo vere & ſenſu Chriſti, quod ſit vacua, id eſt, expulſo dæmone ſecura & ocioſa, quia purgata & ornata eſt donis Spiritus ſancti & remiſſione peccatorum, Ideo opus ſit pejoribus dæmonibus, licet illa ſecuritas ſit periculoſa & noxia.

Pœne ſecuritatis & ingratitudinis.

Deterior fit quo poſt gratiam labitur.

2. Pet. 2.

Domus vacua, purgata, ornata.

Ecce mater & fratres tui foris ſtant, quærentes te alloqui.

Verbum Dei omnibus præferendum.

In fine venit mater ejus, volens ei loqui, &c. Absque dubio aliqua magn acausa, Sed ipse jam raptus affectu iræ contra blasphemos, & studio gloriæ patris, nihil audit, ne matrem quidem. Quo docet, ministris Verbi nec parentum honorem curandum esse, præ ministerio Verbi. Ideoque dicit, Quid mater? Verbum Dei longe anteferendum est matri, fratribus & omnibus. Qui hoc audit, hic mater, frater, soror, & omnia est. Ineffabilem amorem erga Deum super omnia ostendit se habere, & habendum esse, & nihil super vel cum Deo æqualiter curandum esse.

CAPUT XIII.

IN illo die exiens Iesus de domo sedebat secus mare, Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in navicalam ascendens sederet, & omnis turba stabat in littore, & locutus est eis multa in Parabolis dicens, Ecce exyt, qui seminat seminare semen suum.

Post hæc loquitur populis per varias similitudines, Cujus rationem quærunt discipuli. Et respondet Christus dupliciter, ut infra patebit.

Prima parabola de seminante.

In illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare, Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ.

Fanatici Obtrectatores verbum vocale judicant inutile.

Mundus semper fuit fatuus.

Impij damnant Pios.

Prima similitudo est de Agricola seu seminante, quæ in Postillis latius tractatur, Tamen duo hic notanda, Primum contra spiritus fanaticos, qui verbum vocale putant inutile esse quia in plurimis non fert fructum. Stulti, scilicet quasi ipsi fructus ferant, cum hoc ipso, quod verbum Dei contemnant, sint pessimi. Hæc hæresis vulgata est maximeq; communis. Quia omnis homo sic est, ut promptus sit alios judicare, seipso neglecto. Vnde & Poëta dicit, Nemo tentat in sese descendere, Sed præcedenti spectatur mantica tergo, Da wird nicht anders aus/ Solch narrheit mus man der Welt lassen/ quod trabenses judicant fatuenses, Grosse Diebe hengen die kleinen Diebe/ Grosse Schelcke straffen kleine Schelcke. Hoc est, mundus, fuit, est & manebit mundus, Sicut & Princeps ejus Diabolus accusat, damnat & occidit sanctos Dei, cum ipse sit omnium damnatissimus. Ita fit in Ecclesia, ut ejusmodi homines damnent Sanctos propter aliqua, quæ propter verbum Dei faciunt, Et quærunt Ecclesiam seu Sanctos sine peccato, quam tamen impossibile est invenire. Ideo concludunt, aut eos verum verbum non habere, aut verbum externum esse inutile.

Commendatio verbi vocalis.

Sed hic vides, quod Semen in terra bona fert fructum, imo nisi esset semen, non sequeretur fructus in terra. Ita nisi verbum vocale esset in Ecclesia, nullus esset fructus in ea. Ideo summa sapientia est non offendi multitudine Verbum contemnente, Nemo credit, quam magni viri etiam hodie hoc scandalo pereant, qui in Ecclesia nihil nisi summa specie sanctum putant esse videndum. Sic primo Donatistæ ab Ecclesia recesserunt, quia malos in eos mixtos videbant, Postea ipsi inter sese quoque discordes. Et recesserunt Maximianistæ à Donatistis, quia malos inter eos

Donatistæ. Maximianistæ. Novatiani.

invenerunt. Eadem insipientia Novatiani ab Ecclesia recesserunt, & multæ aliæ hæreses, quibus semper fuit hæc causa, quod malos non voluerunt ferre, De quibus Augustinus copiose contra Donatistas. Ideo nihil mirum si hodie quoque ista insipientia perdat multos, & offendat etiam insignes viros, ut taceam Muntzerum & fanaticos alios. Sed inexcusabiles sunt, præsertim si Christiani esse volunt. Quia hoc caput Matthæi vel non legunt, vel contemnunt. Si enim legerent & crederent, satis aperte hic viderent, Semen, id est, Verbum Dei, vix in quarta parte utile esse. Et tres partes habere idem verbum cum quarta, & tamen manere malos. Cur ista vel non legunt, vel non credunt? Haberent hic solutionem potentissimam istius quæstionis, scilicet, Quomodo fieri possit, ut Verbum sit verum & utile, & tamen tertia tantum pars fructificet. Quorum vitio? Verbi? Non, sed terræ seu auditorum. Idem verbum omnes audiunt, sed non omnes fructificant.

Verbum Dei tantum in quarta parte utile esse.

Nonne

Digitized by Google

Nonne igitur furor eſt manifeſtus tribuere culpam Verbo, quæ eſt auditorum? ſcilicet, Homo non curat verbum auditum, ergo verbum non eſt verum verbum. Diabolus non amat Deum, ergo Deus non eſt verus Deus. Filius non honorat Patrem. Ergo Pater non eſt verus Pater. Latro non obedit principi, ergo princeps non eſt verus princeps. Hac amentia percuti debent homines ingrati & ſuperbi, ut dicant & faciant non niſi perverſa. Et tamen, ut dixi, communis eſt iſta peſtis, quod judicant homines de verbo, ex fructibus particularibus, & vitioſiſſime ſic colligunt, Vbicunque non fiunt omnia verbi, ibi non eſt verbum verum, Apud hos aut alios non fiunt omnia verbi, Ergo non habent verbum. Majorem negat præſens Evangelium, dicens, Multa verbi non fieri, ut inter ſpinas, petroſa, in via, Ergo eſt falſa. Sufficit ergo ad veritatem Verbi, quarta pars agri boni, Imo ſeptem millia virorum in Iſrael ſub Elia, Et reliquiæ in Eccleſia. Reliquiæ enim ſalvæ fiunt, non tota maſſa, Ergo qui totam maſſam ſpectant, merito offenduntur verbo, Sed qui reliquias ſpectant, ſciunt quod ſatis ſit, fructum eſſe in reliquijs, etiamſi in alijs ſit inutile. Hoc de primo.

Quod verbum in paucis fructificat, non eſt culpa verbi, ſed auditorum.

Qua amentia percutiantur ingrati & ſuperbi.

Reliquiæ ſalvantur tantum.

Secundo notandum, pro nobis, id eſt pijs, ut conſolationem habeamus ſi non omnes Verbum noſtrum audiant, ne frangamur aut deſperemus, aut deſeramus verbum, quod multi, imo plurimi ipſum contemnunt, Saltem propter Electos doceamus, & ſpectemus reliquias ſalvandas, Abeant aliæ tres partes ad Diabolum. Si Principes non credunt omnes, tamen unus atq; alter, Si Ruſtici non omnes boni, ſatis eſt duos aut tres bonos eſſe, Si cadunt docti & ſancti plurimi, ſufficit quod paucos retineamus. **Es wil doch nicht anders ſeyn / Wir werden müſſen Dornen laſſen Dornen bleiben / vnd können nicht zur guten Erden machen. Alſo müſſen wir auch viam vnd petroſa laſſen bleiben / vnnd vns der guten Erden tröſten / Welche darumb auch nicht zu Dornen wird / ob jhr Nachbar Dornen ſind / vnd drumb jhre Frucht des Samens nicht verhelt / ob die Dornen den Samen erſticken / Eſt**, ut dixi, ſcandalum maximum, tam multos eſſe contemptores, Sed ſolatium divinunt, quod certi ſumus laborem noſtrum non eſſe inanem (ut Paulus ait 1. Cor. 15.) quia verbum Dei non venit vacuum, ſed eſt virtus Dei in ſalutem credenti, & Spiritus per ipſum venit, ſaltem in quartam partem terræ, &c.

Conſolatio piorum.

Multi contemptores verbi.

1. Cor. 15.

Et accedentes diſcipuli dixerunt ei, Quare in Parabolis loqueris eis?

Hic Diſcipuli Quæſtionem movent, Quare populo loquatur non aperte, ſed in Parabolis? Reſpondet Chriſtus ſatis prolixa reſponſione, ſed quæ ſublimis & difficilis eſt, Quia velut invitus ſeu potius invidus videtur, qui nolit eos erudiri & intelligere quæ docet, quia dicit,

Vt audientes non audiant.

Sed breviter ſententia ejus hæc eſt, Populus iſte tam deplorate ſuperbus & malus eſt, ut etiam, ubi aperte loquor & operor, non ſolum non velint audire & diſcere, ſed etiam calumnientur & blaſphement agnitam veritatem. Ideo ſicut volunt, facio eis, ut cum aperta nolint accipere, Parabolas audiant, quas non poſſunt intelligere, etiam velint, **Wiltu nicht hören das du verſtehen kanſt / ſo wil ich wol reden / daß du nicht verſtehen ſolt. Wiltu blind ſeyn / ſo ſey / vnd werde jmmer hin blind.** Hoc modo fit, quod Paulus 2. Cor. 4. dicit, Evangelium noſtrum opertum eſt in his, qui pereunt, Item velamen eſt ſuper oculos eorum in lectione Moſi. 2. Cor. 4. Summa, Hoſtibus verbi nulla ratione poteſt verbum prædicari ut capiant, quia parati ſunt omnia calumniari & depravare. Ideo recte iſtis viperis docetur ſub Parabolis, ut non ſolum non intelligant, ſed etiam calumnientur, quia quæcunque non intelligunt, blaſphemant. Ideo non eſt culpa Chriſti, quaſi ſit invitus aut invidus, ſed deſperata malitia iſtius populi, qui ſemper voluit audire in Prophetis ſibi grata & plauſibilia, vel occidebant eos. Vt Eſaias dicit Cap. 30. Loquimini nobis placentia. Præſumpſit enim placere Deo, quicquid cogitaret, diceret, faceret, &c. Hæc eſt prima reſponſio. Sed Marcus præter hanc aſſignat & ſecundam Cap. 4. dicens,

2. Cor. 4.

Hoſtes verbi non patiuntur ſi doceri.

Perverſitas populi Iudaici.

Eſa. 30.

Loquebatur eis verbum, prout audire potuerant.

Quomodo iſta conveniunt cum illis? Sed prior Reſponſio pertinet, ut dixi ad malos, Hæc poſterior ad bonos. Nam malitia illorum facit, ut nihil intelligant (ut ille ait, Faciunt næ intelligendo ut nihil intelligant) quia non diſcere, ſed judicare volunt. Ideo ſive aperte, ſive figurate loquaris, alio fert eos malitia cordis, ut calumnientur. Boni autem ſuaviſſime capiuntur Similitudinibus & Figuris. Nam etſi etiam non omnia intelligunt, tamen ipſæ figuræ verborum eis inhærent. Sicut pueri & rudes, cum audiunt in cœlo eſſe choreas, mel, lac, ludos, aurum, gemmas, etiamſi non intelligant hic, res figuratas, tamen percipiunt ex figuris verborum eſſe ſummum gaudium in cœlo, Ita hic, etiamſi ſemen non intelligunt in re, tamen ex verbis capiunt, quod ſemen ſit res precioſa & cuſtodienda, ſcilicet, vel lex Moſi, vel alia doctrina. Nam Evangelium nondum poterant capere in re ipſa. At malus hic neque rem, neque verba capit, ſed faſtidit, & vel ſtulta vel peſtifera eſſe criminatur. Sic bonis cedit in bonum etiam ipſa ignorantia rei, Quia hærent tamen in verbis rerum, & non blaſphemant. Malis cedit in malum hoc ipſum quod audiunt verbum, quod & detorquent ad res malas. Hoc eſt igitur quod nunc in textu dicit, Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni cœlorum, illis autem non eſt datum.

Figuris & ſimilitudinibus capiuntur ſimplices.

Qui enim habet, dabitur ei & abundabit, qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

Vos habetis, quia ſaltem verba mea retinetis & honoratis, nec ea contemnitis. Hoc habere eſt multum & magnum donum, ſcilicet amare Verbum, etiamſi non omnia perfecte intelligas, Quia hoc ipſum eſt incipere, ſcire quid ſignificent. Non enim retinent verba, qui contemnunt ſcire rem ſignificatam. Econtrà illi nihil habent, quia nec Verbum capiunt, imo contemnunt, Ideo aufertur ab eis verbum cum re, Vobis autem ad Verbum additur & res, Eſurientes implet bonis, & divites dimittit inanes.

Habentibus datur &c.

Ideo in Parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neq; intelligunt, Vt ad impleatur in eis prophetia Eſaiæ, dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Eſa. 6.

Hic digreditur late, & inducit locum Eſaiæ ad hanc ſententiam dicens, Ideo illis (ſcilicet peſſimis & ſuperbiſſimis) ita loquor in Parabolis, Quia ipſi ſunt tam perverſæ malitiæ, ut etiam ea, quæ aperte audiunt & vident, non audiant nec videant, eo, quod non intelligunt, id eſt, non volunt nec curant intelligere, Sed longe majora & ſublimiora videntur ſibi intelligere. Ideo quo ſublimius ipſi feruntur intelligendo, hoc ego profundius & humilius feror loquendo, ut ſuperbi inania capteñt, humiles me inveniant. Et hoc fit, ut ipſi humilientur & deſcendant à ſublimitate intelligendi ad humilitatem diſcendi. Sed hoc nolunt facere, ita manent tales quales ſunt, id eſt, audientes non audiunt, videntes non vident, Non vitio Verbi mei auditi, aut operis mei viſi, ſed vitio aurium & oculorum ipſorum, Sicut Eſaias prædixit, & pinxit hunc talem eſſe & fuiſſe & fore ſemper Populum erga omnes Prophetas Dei, verbum Dei prædicantes, maxime erga ipſum Chriſtum.

Natura hypocritarum.

Populus Iudaicus qualis.

Eſt autem horribilis Prophetia, & tamen valde frequentis exempli in genere humano, Quod Deus verbum ſuum & opera objicit oculis & auribus hominum manifeſte & palpabiliter, ita ut & videant (ut hic dicit) & audiant, & tamen tanta eſt cordis eorum cæcitas, ut viſa & audita non videant nec audiant. Viderunt, inquam non poſſe iſta Miracula fieri, nec tam glorioſa doceri, niſi à Deo, Et tamen negant. Dei eſſe omnia, & tribuunt Beelzebub. Das heiſt ja mit ſehenden Augen blind ſeyn/ & cum ratione inſanire. Tantus eſt artifex Diabolus & faſcinator mentium, ut Deum putent eſſe diabolum, & econtra Diabolum eſſe Deum.

Viſa & audita ab impijs non videntur nec audiuntur.

Diabolus faſcinator mentium.

Increaſ-

Incraſſatum eſt enim cor Populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, &c.

Subdit rationem hujus monſtri, dicens, Quia populi hujus cor eſt aggravatum, & oculi eorum clauſi, &c, ſicut infra dicet, De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. Sic etiam hic dicit, Quod cæcitas oculorum videntium, ſurditas aurium audientium, & ratio inſaniens venit ex corde ingravato, ſeu ut in Ebræo, limo obruto, das gar verſchlemt iſt/ſcilicet ſtudio & uſu longo alia cogitandi & ſapiendi. Averſo autem corde & alienato animo à re quapiam, jam natura fit, ut oculus negligenter aſpiciat, & auris graviter & moleſte audiat. Quia res contemptas non dignamur aſpectu, vel auditu, vel cogitatione, Et ita alienis oculis & auribus ſunt, quaſi in alieno mundo, quando audiunt Verbum. Claret itaq; cauſa hujus monſtri, quod cor eſt tale. Quale autem eſt cor, qualiter affectum eſt, tales ſunt omnes ſenſus & affectus, Vt cor perverſum, ſit velut vitrum pictum, per quod judicant ſenſus, & falſo judicant, quia ſecundum cor ipſi ſentiunt.

Cap. 14.

Cor ingravatum.

Quale cor, tale ejus affectus.

Iſtud verbum *Ne convertantur, & ſanem illos.* Etiam videtur invide dictum, quaſi non vellet eos videre & ſanari. Sed totus ille locus eſt copulative legendus, ut dependeat hoc modo quaſi catena. Populus iſte habet cor induratũ, & oculos clauſos, &c. quo fit, ut non poſſint converti & ſanari, Q. d. Induratio cordis eorum obſtat, ne videant, & ſanem eos. Vellem, inquit, ſanare, ideo mitto Filium, Sed meæ voluntati & eorum ſaluti obſtat induratio cordis. Sic brevius & clarius dicitur, quam quod Lyra ſolet dicere, Accipi hoc loco particulas, ne, vel ut, conſecutive, non affective. Nam ſi textum ſic ordines, Cor populi hujus eſt induratum, ne videant & ſanem eos, clarus eſt ſenſus, Ipſos non poſſe ſanari, facit, quia non videant. Quod autem non vident, facit, quia induratum eſt cor. Sic patet quod voluntas ſanandi prædicatur in Deo, ſed obſtaculum cordis in homine reprehenditur. Sublimior quæſtio, Quare alij indurantur, alij molliuntur, Non eſt hujus loci neq; neceſſarium, neque utile.

Ne convertantur, & ſanem eos.

Sequitur Evangelium dominicale.

Veſtri autem beati oculi, quia vident &c.

Id eſt, vos vero non habetis oculos clauſos, ſicut illi calumniatores & contemptores, ſed apertos & intentos, Ideo videtis, & ea videtis, Quæ Regibus & Prophetis cupita quidem fuere, ſed non viſa & exhibita. Hæc in poſtilla.

Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo.

Secunda parabola.

Secunda Parabola de ſemine aliquanto horribilior eſt quam prima, Quia prima loquitur de ſemine eodem in diverſis agris, id eſt de Auditoribus diverſis Verbi, ubi verbum Dei impeditur, vel juxta viam, vel in petroſis, vel in ſpinis, Hæc ſecunda loquitur de diverſo ſemine, ſcilicet bono & malo in eodem agro, id eſt, de diverſis doctrinis, catholica ſcilicet & hæretica, Et vult dicere, Regnum cœlorum ſeu Eccleſia ſic ſe habet, Quod ubi prædicatur verbum Dei, ibi Diabolus quoque ſuas hæreſes ſeminat, ut dicitur, Wo Gott ein Kirch bawet/da wil der Teufel auch ein Capell oder Kretzmer haben. Sic in populo Iſrael juxta Tabernaculum & Templum infinitæ Sectæ idolatriarum ſurrexerunt. Ita in Eccleſia prædicit Chriſtus futuros falſos Prophetas & Pſeudochriſtos, Matth. 24. Iam hoc miſerabile eſt & majus malum, quod etiam falſi Doctores veniunt, qui diverſa à Verbo doceant, cum ſatis ſit mali, ſi etiam Doctores omnes unum verbum & concorditer docerent, quod via, petroſa, ſpinæ, tantum nocerent. Nunc additur huic malo etiam malus Seminator, Böſen Schülern wird auch ein böſer Meiſter geben / Magiſter improbus additur ad ingenium improbum. Hoc eſt quod hic dicit, Etiam in bona terra malum ſemen ſeri. Hinc etiam Paulus queritur Roman. 16. ſeduci corda innocentium, & Galat. 5. optimos

Vbi purum verbum docetur, ibi diabolus venenum ſuum ſpargit.

Matt. 24.

Rom. 16.

In bona terra malum ſemen ſeritur.

Digitized by Google

Quos fefellerint hæretici.

optimos dolet deceptos esse. Quia Hæretici capiunt non Epicuræos, non ſpinas, non avaros, ſed electiores & optimæ conſcientiæ Homines, qui valde ſerio quærunt veritatem, **das einem muß weh thun.**

Oportere hæreticos esse.

Sed hanc horribilem Parabolam ponit ad conſolationem piorum, ne terreantur, ſi videant Verbi doctrinam tantis malis perturbari, Quaſi ideo deſperatum ſit de Eccleſia & fide, ſi multos & validos hæreticos viderint in Eccleſia furere, Sed cogitent, **Es muß alſo ſeyn.** Quia prædictum ſit ita futurum eſſe. **Solte einen bewegen / ſo ſolte den HErrn ſelbs bewegen / der ſolches alles zuuor ſihet vnd verkündiget.** Vide ergo nunc imaginem Eccleſiæ hic depictam pulcherrime inter hæreticos.

Cum autem dormirent Homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abijt.

Primo pingit Agricolam bonum, ſeminantem bonum ſemen ſuper agrum cultum & bonum, Deinde Vicinum, & **einen böſen Bawren** / qui odio ſui vicini corrumpit ejus agrum zizania (**Er hat dennoch auch böſe Bawren gekennet**) Hæc eſt Eccleſia, in qua Chriſtus agricola eſt, ut ipſemet infra exponit. Quia hanc Parabolam diſcipuli melius intelligebant, quam duas ſequentes. Diabolus eſt etiam agricola.

Semen bonum & malum.

Semen bonum, boni ex Verbo geniti, Semen malum, mali ex hæreſi geniti, &c, ut infra videbimus. Hac pictura poſita, verba ſunt diligenter expendenda.

Dormientibus hominibus, venit inimicus, &c.

Impoſſibile eſſe hæreticos præcavere.

Significat quod impoſſibile ſit præcavere Hæreticos. Nam dum Apoſtoli fidentes & læti docent Verbum, ſperantes omnia pura & ſecura fore, Ecce quaſi dormientibus & nihil tale metuentibus, repente ſurgunt Pſeudapoſtoli & Fratres falſi, **Wer kan ſich dafür hüten? Es ſind Brüder/vnd werden vnverſehens ſchelcke/wie Cain gegen Abel.** Ergo Chriſtianus & Prædicator ſemper deſperet, omnes eſſe puros in ſua Eccleſia, diabolus ſemper habet ſuos intermixtos, qui data occaſione erumpunt, etiamſi ad tempus ſimulent. Sic contigit Apoſtolis, Sic nobis hodie contingit ab iſtis, qui noſtra iddicerunt, dum nos dormimus, & plane ab illis, quos minime timebamus, Et adhuc talia fient etiam ab ijs, quos putamus nunc noſtra valde ſequi, &c. Quia adhuc dormimus, ad illos, qui futuri ſunt &c. Sed conſolatur nos in tam atroci malo, quod oportet ſic fieri, prædicante Chriſto. Iohannes etiam ſeipſum ſolatur, Ex nobis exierunt, ſed ex nobis non fuerunt. Semper ex optimis peſſima fiunt, Sicut ex Angelis diaboli, ex Chriſtianis hæretici, ex populo Dei, crucifixores Dei. **Es mus ſo ſeyn/darumb vnerſchrocken vnd vngelaſſen. Es heiſſt/Inter triticum. Vnkraut ſol nicht allein wachſen vnter Vnkraut / ſondern auch vnterm Weitzen/ Der Teufel wil auch im Himmel ſitzen/vnd mag nicht** deſerta & arida loca, **Er iſſet gerne niedliche Biſſen / vnd thut gern an reine örter/Denn er helt ſeinen vnflat für Theſem vnd Balſam/Das reine Früchtlin wil vnter den Roſen wohnen. Wir müſſens doch ſo leiden in der Kirchen.**

Ex optimis peſſima fieri.

1. Iohan. 2.

Artificium Satanæ & hæreticorum.

Et abijt. Hoc eſt artificium unicum Satanæ & Hæreticorum, quod nolunt videri male docere. Nihil enim iniquius ferunt, quam dici, quod ſint noxij in Eccleſia, cum ſe ſolos jactent eſſe ſynceriſſimos, fideliſſimos miniſtros Eccleſiæ, qui zelent pro gloria Dei & ſalute animarum. **Nein/es hat niemand ſo wenig ſchaden gethan/ Ja ſo viel guts geſtifft/als ſie. Er wiſcht das Maul gar fein/ hat nichts gefreſſen/ vnd gehet davon mit ehren/Das iſt verdrießlich/ſchaden thun/ vnd gleichwol recht vnd wolgethan haben wollen/Da ſchlahe zu o Chriſte etc.** Sed non perficient (ait Paulus) quia revelatur tandem eorum inſipientia.

Cum autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.

Sihe da Früchtlin / findeſtu dich? Quia ſynceri Miniſtri dinoſcunt eorum dogmata, Et Paulus dicit, Hæreſes oportere in hoc eſſe, ut probati manifeſti fiant,

fiant, ut falſi ſeparentur à veris, Iuxta Pſal. 1. Non ſtabunt impii in judicio, Et palea non manet tandem cum Tritico. Et omnis arbor mala, antequam fructus edat, foliis glorioſis etiam bonam arborem quandoq; ſuperat, Sed guſtatis fructibus dicitur, **Pfu dein mal an/So ſchönet Baum tregt ſo böſe Birne/etc.** Sic donec latent ſub ſpecie nobiſcum Hæretici, ſunt pulcherrimi, ſed cum incipiunt contraria docere & facere, ibi mox eos ſentit Spiritus veritatis. Et ſic diſcedunt ab iniquitate omnes, qui invocant nomen Domini, Et illi etiam exeunt à nobis, & faciunt ſectas. *Species hæreticorum.*

Accedentes autem ſervi Patriſfamilias, dixerunt ei, Domine, Nonne bonum Semen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Vis igitur ut abeamus, & colligamus ea, &c.

Quia amore Verbi indignantur hæreſibus, & vellent nullas eſſe, ſed omnes ubiq; idem ſentire, & dolent in Eccleſia Diabolum regnare.

Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit.

Reſpondet Dominus mirabiliter, & tamen conſolatorie. Mirabile enim eſt, quod fatetur inimicum eſſe, qui ſeminavit, & tamen nolit eradicari. Conſolatio eſt contra fanaticos ſpiritus, & eos qui offenduntur in Eccleſiæ infirmitate. Quia ab initio Eccleſiæ fuit iſta hæreticorum opinio, Eccleſiam oportere eſſe ſanctam & ſine peccato, Sed quia videbant in ea eſſe aliquos peccatis obnoxios, mox negaverunt eam eſſe Eccleſiam, & fecerunt Sectas, quas volebant eſſe Eccleſiam ſanctam. Inde Donatiſtæ, Cathari & multi alij, Et hodie Anabaptiſtæ, &c. qui omnes uno furore clamant, Eccleſiam veram (quia peccatores & impios mixtos vident) non eſſe Eccleſiam, & ſeparant ſeſe ab ea. Vexat hæc cogitatio etiam magnos viros, quibus indignum videtur in tritico zizania eſſe mixta, atque adeo ipſoſmet Servos, qui cupiunt ea evellere, &c. Summa ergo ſapientia eſt, non ſcandalizari, ſi in Eccleſia & ab Eccleſia veniant mali & hæretici. Quia hic dicit, quod inimicus homo hos ſeminat. Et maximum ſolatium eſt ſcire, quod nihil nobis noceant, ſed oporteat zizania intermixta ferre. *Conſolatio contra eos qui offenduntur infirmitate Eccleſiæ.* *Donatiſtæ. Cathari.*

Et ait, Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.

Illud, quod pro cauſa allegat non eradicandi, ſcilicet, Ne forte ſimul & triticum evellatis, poteſt dupliciter intelligi. Primo, quod ſimul aliquot boni, qui ſunt inter eos adhuc convertendi, damnarentur & perderentur, ſi negaretur eis Eccleſia & ſocietas tritici, Quod nullo modo eſt faciendum, quia pœnitentibus debet patere Thronus gratiæ. Eradicari enim eſt ab Eccleſia & ſocietate ſimpliciter repelli. Secundo ſi nulla vellemus pati zizania, nullam etiam fore Eccleſiam. Quia cum Eccleſia ſine zizania eſſe non poſſit, tunc eradicari zizania idem eſſet, quod Eccleſiam eradicari. Hæc Sententia eſt ſimplicior & germanior. Quia vere ſic eſt, quod ſine malis Eccleſia eſſe non poſſit, Et illi fanatici, qui nulla volunt eſſe zizania inter ſeſe, hoc efficiunt, ut nullum ſit apud eos triticum, id eſt, dum volunt purum eſſe triticum & Eccleſiam, nimia ſanctitate faciunt, ut nulla ſint Eccleſia, ſed mera Secta diaboli. Quia ſuperbi & vana ſanctitatis opinione inflati, nihil minus ſunt quam Eccleſia, quæ ſe confitetur eſſe peccatricem & ferentem hæreticos, peccatores, impios, id eſt, zizania mixta. Hoc cum ipſi non velint, ſeparant ſeſe, & evellunt triticum cum zizania, & fiunt nihil minus, quam Eccleſia. *Eradicari Eccleſia ſine malis eſſe non poteſt.* *Eccleſia peccatrix.*

Sinite utraq; creſcere uſq; ad meſſem.

Id eſt, ferte & eſtote patientes, Nolite eſſe ſine malis & Hæreticis, Vos non poteritis hoc mutare, Meum eſt hoc judicare in futuro judicio, ubi vos ab hac patientia liberabo, &c. Hic quæſtio eſt, An liceat Papam ferre in Eccleſia & reſtituere neceſſe ſit monaſteria? Quia hic dicitur, Sinite utraque creſcere, Hoc volunt intelligi, **Man ſol ſie laſſen frey leben / wie ſie wollen / vngeſtrafft vnd vngehindert/etc.** *An Papa ferendus ſit in Eccleſia, &c.*

Digitized by Google

Sic enim exponunt, Sinite, id eſt, permittite. Hoc ſi verum eſt, tunc jam non licet eos arguere, ſed teneremur tacere, & illis concedere omnia. Item, cur ipſi non ſinunt utraq; (id eſt nos pariter) creſcere. Ipſi enim nos extinguere volunt. Ergo contra Chriſtum pugnant, quod nos evellunt, & ſoli volunt creſcere, &c. Et quare etiam non eadem ratione dicunt, Chriſtum eſſe Autorem peccati ipſorum, quia prohibuerit evelli eos, Et ſic videtur confirmare eos. Igitur iſta cogitatio nihil valet. Eſt enim hoc

Sinite. verbum, Sinite, non confirmationis & approbationis illorum, ſed conſolationis & exhortationis noſtræ ad patientiam, Q. d. Quia ferre cogimini iſtos malos, & ſine malis Eccleſiam non habebitis, Ideo patientes eſtote, Sinite, **Laſſt gehen/was jr nicht halten künd.** Sic alibi de Phariſæis dicit, Sinite eos, quia cœci ſunt. Et Matthæi. 8. Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuus &c. Quare per hoc non prohibeo, illos arguere, vitare, excommunicare, &c. Sed quando correptionem ipſi non curant, ſinite illos, habete patientiam, nec ideo deſperetis de Eccleſia. Quia quod vos judicare non poteſtis, mihi relinquite, Qui vos contemnunt, hos ego inveniam, &c. *Matth. 8.*

Patientia Sanctorum. Et ſic Sententia hujus loci eſt de patientia Sanctorum, qui coguntur ferre ſcandala & malos in Eccleſia, ſicut dicit, De nobis exierunt, de nobis non fuerunt.

Euellere malos ex Eccleſia. Ideo evellere malos ex Eccleſia, nihil aliud eſt, quam Eccleſiam ſine malis habere velle, quod eſt impoſſibile. Simul tamen ſtat, quod eos non toleramus, non probamus, non ſinimus cum pace eſſe zizania, Sed increpamus, excommunicamus, faci-

Cain. Iudas. mus quæ poſſumus. Sic Adam non ſinebat Cain irreprehenſum abire, & tamen ſinebat eum incorrigibilem abire vias ſuas, Et Chriſtus non ſinebat Iudam ſine correptione, & tamen incorrectum dimittebat abire. Et ita verbum Sinendi, nihil pro il-

Verbum ſinendi. lis, ſed contra illos eſt, ſcilicet ut non concedamus licentiam peccandi, neq; conſentiamus, Sed ſi pergunt peccare, noſtris monitis contemptis, tunc ſinimus eos ire viam ſuam. Sic Papatum non ſinimus facere quod volunt, id eſt, non probamus eorum doctrinam & vitam, Et tamen quia nolunt, ſinimus eos ire.

An liceat ferre imperium Papæ. Quare ad quæſtionem, An Papam licet ferre, & reſtituere monaſteria? Reſpondetur, Non licet ita ferre, ut probemus & conſentiamus, Sed ſi per vim rapuerint & fecerint, hoc cogimur ferre. Et hoc eſt ſinere utraque creſcere, & non evellere. Quia ſi deberemus eos ſinere in peccato conſentiendo, tunc vere triticum eradicaremus, & ipſos ſolos creſcere faceremus, ſicuti volunt, Nunc autem non ſinimus eos conſentiendo, ſed repudiando & ſeparando nos ab eis, dicentes, **Wolan/ wir müſſen doch vnter böſen Leuten ſeyn/** ut 1. Corinth. 5. Alioqui de mundo exire oportebat, **So ſeyens eben ſo mehr dieſe als andere /** Iudicet autem eos Deus ſuo tempore, qui nos contemnunt. Quare illi falſo allegant contra nos, quod illos ſinere deberemus, id eſt, concedere, ut faciant quod volunt, ſcilicet, ut impunes ſint etiam à verbo correctionis, quaſi benefacientes, Cum Chriſtus velit eos ſinere tanquam incorrigibiliter mala facientes, tanquam rejectos à conſortio ſpiritualium, Illi petunt (hoc verbo) conceſſam licentiam peccandi, Chriſtus eodem verbo ſignificat punitam & damnatam licentiam peccandi, plane contrario ſenſu. 1. Cor. 5.

Papiſtæ abutuntur iſta ſententia Chriſti.

Sed hoc eſt pulchrum & notatu dignum, quod illi ipſi, qui hoc loco nituntur, & cauſantur oportere zizania ſinere creſcere, per hoc ipſum fatentur ſeſe zizania eſſe. Quia ad quid per hunc locum volunt defendere ſeſe, ut ſinantur creſcere, niſi quod per os proprium volunt nos docere, ſeſe eſſe zizania, Et tamen cum nos contra eos docemus, tanquam contra zizania, volunt Eccleſia ſeu triticum eſſe. Igitur ex verbis ſuis condemnantur, quod ſimul volunt eſſe zizania & triticum, id eſt, impij & Eccleſia, **Ja das were ein fein Zwickmülle/** quando periculum ſentirent, utrinque poſſint ſeſe in Proteum vertere, Et quando velint Eccleſia eſſe, contra quando velint zizania eſſe, & utrinq; liberi & ſecuri. **Wer möcht das nicht? Wie ſie es machen vnd wolten/ ſo müſſt es recht ſeyn/ etc.**

Et in tempore meſſis dicam meſſoribus, Colligite zizania.

Impij eſcluntur tandem ex Eccleſia. In fine eſt hoc ſolatium, quod non manebunt in æternum, & tandem veniet Meſſis, in qua liberabitur triticum à zizanijs, licet interim ſit durum ferre illorum in Eccle-

in Eccleſia inſolentiam. Sed quia Chriſtus ſeu Evangeliſta differt hujus Parabolæ interpretationem,& interſerit duas alias Parabolas,quare & nos hunc ordinem ſervabimus.

Aliam Parabolam propoſuit eis dicens, Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis, &c.

Tertia de Grano ſinapis.

Tertia eſt de grano Sinapis, In qua removet aliud ſcandalum,ſcilicet infirmitatis,quæ eſt verbi & Eccleſiæ coram Mundo, imo etiam in oculis piorum. Nam proxima Parabola tulit ſcandalum impietatis & Sectarum in Eccleſia. Hic ipſam Eccleſiæ faciem ſcandaloſam tractat, dicens, Eccleſia eſt velut minutiſſimum Granulum,quod viliſſimum apparet. Hic ratio offenditur,& dicit, **Ach was wolt doch aus der armen Lehre vnd dem geringen Hauffen werden? Wenn Könige/ Gelerten/ Heiligen predigten/ Ja wenn Engel kemen wie zu Moſe**/Nunc vero aſſumuntur & veniunt Pauperes,indocti, fragiles etiam homines,& hi volunt Mundum regere & docere, Piſcatores,peccatores,aſini docent ſapientes &c. Iſta,ut dixi, propter infirmitatem & humilitatem Verbi & perſonarum etiam noſipſos movent, dictante carnis ratione, Nunquid tu ſolus & nihili homo tam grandia tentas? Quid ſi tu unus pecces? Si tot,tanti & omnes errare permittit Deus, Quid ſi & te unum permittit errare? Huc pertinent illa Argumenta, Eccleſia,Eccleſia, Patres,Patres,Concilia. Conſuetudo, Multitudo, Magnitudo hominum ſapientum. Quem non obruant Montes iſti argumentorum, & nubes, imo maria Exemplorum? Et tamen ſic oportet fieri, quod in toto Mundo unus ſit Chriſtus, in Roma tota unus Petrus,in tota Græcia unus Paulus, in tota civitate unus Paſtor, Omnes contempti erga majeſtatem mundi in ſuo loco,& tamen contra eum loquentes. Ex iſto autem uno Grano creſcit tamen Eccleſia tanta,ut veniant etiam poſtea magni Homines,Principes,Sapientes,& quieſcant in ea per fidem.

Eccleſiæ facies ſcandaloſa.

Argumenta adverſariorum.

Vult ergo dicere, Mundum eſſe converſum ad fidem,ſcandaloſo & miraculoſo modo,ſcilicet per infirmitatem contra omnem potentiam, ſapientiam, juſticiam &c. quæ manifeſte ſunt divini miraculi. Nam mundi Regna,non infirmitate,ſed potentia contra infirmos parantur. Ideo alia ratio eſt regni Dei propagandi & regni mundi. Et hoc Argumento convincitur,Eccleſiam eſſe regnum Dei, quod omnia reliqua mundi Regna contra eam unam & infirmam,contemptam & nihili pugnant, nec tamen ſuperant. Sed ipſa vincit tandem omnia Regna,& convertit ad ſeſe,ſcilicet virtute divina. Sed antequam ſic creſcat, ſcandaloſa eſt infirmitas & humilitas ejus,id eſt, donec contemnitur & impugnatur ab iſtis Avibus cœli, antequam veniant & nidulenter in ramis ejus.

Propagatio regni Dei.

Eccleſia eſt regnum Dei.

Et mirum eſt, quod Sinapin comparat holeribus. Holera enim ſunt veſcua & coquinæ & ventri utilia,&c. Sinapis vero auſteri ſaporis &c. Significat igitur, quod holera,id eſt, Regna mundi ſint magna quidem, & paſcua ventris,& tamen tandem Sinapis creſcit,ut ipſi Principes & Reges,& quicquid eſt holerum,humilientur in fidem & verbo ſubjecti gaudeant ſeſe dignos eſſe in Eccleſia Dei ſedere, & in ramis ejus habitare. Hoc eſt quod Chriſtus hic Sinapin vocat arborem,cum ſit frutex & herba,ſcilicet ab effectu,non à ſubſtantia, Q. d. Sinapis non eſt arbor,ſed ſi conſideres Aves, quæ in ramis ejus habitant, erit arbor arborum. Quia in alijs arboribus parvæ Aves,in hac Sinapi ſedent aquilæ,Reges, Principes,Sapientes,qui deſerta ſua fiducia fiunt modicæ velut muſcæ in hac Arbore, Summa, Eccleſia & Evangelium fit tandem majus & ſuperius omnibus Regnis. Regna eunt, Eccleſia manet & triumphat,illis tandem ſubjectis fide, ut teſtantur Hiſtoriæ ab initio Mundi.

Sinapis comparatur holeribus.

Cur Chriſtus ſinapin vocet arborem.

Eccleſia manet & triumphat.

Aliam parabolam dixit illis. Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum.

Quarta Parabola de fermento.

Gen. 18. Quarta Parabola eſt ad literam Gene. 18. de Sara, miſcente farinam Angelis, Cujus Allegoriam ipſe Chriſtus dignatus eſt hic ponere, velut amator illius

Sara fides.

Digitized by Google

illius optimæ mulieris,propter fidem & patientiam ejus,&c. Ergo primo notandum, quod ſicut omnia duplicia ſunt, ita & Fermentum, aliud vetus, aliud novum, Vt & Paulus 1. Cor. 5. In fermento veteri. Et eſt ejus proximum,Modicum fermentum totam maſſam fermentat, ſcilicet in utranq; partem, bonum fermentum bene, malum male fermentat, &c. Vult autem Chriſtus hac Parabola conſolari nos,& ſignificare,quod Evangelium novum Fermentum, ſemel mixtum in genus hominum (id eſt,paſtam)non deficiet uſque in finem Mundi,ſed penetrabit totam maſſam ſalvandorum,& perveniet ad omnes,qui digni ſunt,etiam invitis omnibus portis inferorum.Et ſicut impoſſibile eſt fermentum ſemel paſtæ mixtum à paſta ſeparari,quia immutavit paſtæ naturam,Ita impoſſibile eſt rapi Chriſtianos à Chriſto.Quia eſt in eis Chriſtus fermentum ita incorporatus,ut unum ſit corpus,una maſſa,**Ein Kuche/ ein brod/etc.**

Fermentum duplex, vetus & novum. 1.Cor.5.

Evangelium fermentum novum.

Maſſa ſalvandorum.

Fruſtra igitur Diabolus Eccleſiam extra Mundum fugat & perſequitur, Hoc eſt Chriſtum à fidelibus,fermentum à paſta ſeparat,Nam quam hominibus impoſſibile eſt,mixtum fermentum ſeparare à paſta,tam impoſſibile eſt Diabolo,Chriſtum ab Eccleſia ſua ſeparare. **Der Teig iſt geſeurt / der Teufel wird die ſeure nicht ſondern vom Teige/ Er koche oder brate ſie/oder röſte vnd börne ſie dazu / ſo iſt der Sawerteig Chriſtus drinnen/Vnd ſol drinnen bleiben/bis an den Jüngſtentag/das alles durchſewret werde**/& nihil de paſta infermentatum maneat.Hic poteſt rhetorice proſopopœia fingi de Diabolo, qui ſtet laborans in ſeparando fermento à paſta, & tamen nihil efficiat,niſi quod maculet & velut luto gravet manus.Sicut ancilla irata velit paſtam tam diu ſubigere,donec ſeparet fermentum à paſta,ignorans quod quo plus ſubigit, hoc plus fermentum in paſtam miſcet & cogit, **So mag man dem Teufel die Kappen mit ſchellen malen vber einem Trog ſtehend/vnd ſehr zornig knetend** / ut ſeparet Chriſtum ab Eccleſia, ignorans ſtultus, quod ſubigendo plus fermentum Chriſti in Eccleſiam miſcet & urget.Ergo in finem manebit Verbum ſimul mixtum,ſcilicet conſolatione noſtra, quod diabolo inſultare poſſimus,dicendo, **Zürne Teufel / das Queckſilber iſt im Teiche/der Sauerteig iſt im Teige/du haſts verſehen.** Hoc eſt quod videmus Eccleſiam duraſſe uſq; nunc, & duraturam ſcimus, donec omnis Iſrael ſalvus fiat,& tota maſſa fermentetur.

Impoſſibile eſt Chriſtum ſeparari ab Eccleſia. Satan nititur ſeparare fermentum à paſta.

Hæc omnia locutus eſt Ieſus in Parabolis ad turbas, & ſine Parabolis non loquebatur eis, Vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam, Aperiam in Parabolis os meum,eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

Poſt hæc ſequuntur verba Evangeliſtæ ſatis offenſiva,præſertim doctis,Primo, quod dicit Chriſtum ſine Parabolis non fuiſſe locutum turbis,de quo ſupra utcunq; dictum eſt. Secundo, quod dicit per hoc impleri illud Pſalm. 78. cum prorſus nihil de Chriſto in iſto loco dicatur, Sed(ut textus indicat)de priſcis factis Dei in populo Iſrael, ut Epicuro alicui videatur Matthæus, magis ſtudio allegandi, quam judicio confirmandi,hunc locum citare.Si hic nihil poſſumus reſpondere pro noſtro captu, cedendum eſtmagiſterium Spiritui ſancto,ſi forte in uno aliquo loco vellet nos tentare & ſtultos facere, cum in cæteris omnibus fuerit tam clarus. Nam vere difficile eſt Abrahæ, poſtquam omnia credidiſſet, tandem etiam pugnantia credere, id eſt, Filium promiſſionis occidendum eſſe. Tutius eſt igitur fateri ignorantiam, quam velle nihil non intelligere. Ita & hic locus,quamvis ſit non neceſſarius (ut videtur) tamen ſpiritus novit,quare allegaverit eum. Pſalm.

Abrahæ fides.

Meo ſenſu Matthæus generalem ſententiam applicavit particulari, hoc eſt, ut Pſalm. canit de hiſtorijs Patrum,quæ omnes ſignificant multa. Ita & Chriſtus velit dicere multa velut hiſtorica, quæ tamen ſignificent multa in toto orbe futura. Nam ſicut omnes iſtæ Parabolæ Chriſti aliud ſonant quam ſignificant (licet etiam id quod ſonant hiſtorica ſunt) ita & hiſtoriæ illius populi, licet ſunt vere hiſtorica, tamen ſignificant ſimul res futuras in Eccleſia & Chriſto. Quare utrinq; poteſt allegari in genere iſta ſententia. Narrabo propoſitiones, Q. d. Chriſti Parabolæ ſunt

Narrari propoſitiones.

ſimiles

similes historijs priscis, In utrisq; enim ultra rem historicam aliud quoq; docetur. Recte ergo utrunq; potest intelligi in isto verbo, Narrabo propositiones. Hanc sententiam juvat tamen satis fortiter Ebræus textus in eodem Psalmo, qui illas veteres Historias appellat Hidoth, id est, חידות seu ænigmata, & postea abscondita seu mysteria &c. Quibus verbis Matth. non sine causa motus videri potest, ut etiam Christi Parabolas intelligeret esse Hidoth & mysteria, deinde hoc loco Psalmi in genere prædictas. Quin & Christus ipse dicit hic Parabolas suas esse mysteria, Q. d. Ego loquor vobis Hidoth & abscondita, qualia Psalmus loquitur, & sic utrique loquimur Parabolas, Ille Psalmus & ego & ita concordamus. De hoc satis, Qui volet plura, quærat. *Hidoth.*

Sequitur interpretatio Parabolæ secundæ, quam ut supra dictum est, de malis in Ecclesia Christus posuit, Sed tamen nisi ipse Christus singulas partes ita fuisset interpretatus, nemo id ausus fuisset, imo nemo attigisset, scilicet quod Ager esset mundus, Semen bonum boni, Seminator Christus ipse, Zizania mali, Inimicus diabolus, Messores angeli, Messis finis mundi. Hæc enim interpretatio non est œconomica neq; politica, sed plane cœlestis & divina. Nam sine verbo Dei, quis sciret quod Angeli essent messores, Messis finis mundi, Inimicus diabolus, Seminator Christus? Cum ratio nihil sciat de Angelis, diabolis, fine mundi, Christo, Etiamsi posset agrum imaginari Regnum, & bonos esse semen bonum, malos zizania, Tamen de re cœlesti non potest intelligere, cum res æternæ non sint sub ejus capu. *Interpretatio 2. parabolæ de Zizaniis.* *Ratio non intelligit æterna.*

Nobis igitur dicitur Christianis, qui Regnum æternum credimus, quod certi esse debemus, Primum, certum esse finem mundi, & messem hic prædictam, nec staturum esse hoc seculum sine fine, Quod est consolatorium afflictis, qui in hoc seculo non habent respiraculum. 1. Cor. 15. Si in hoc tantum mundo in Christo speramus, &c. Secundo, quod interim oporteat nos pati mixtos malos, & Ecclesiam plenam semper fore sectis, scandalis, malis, Ne ideo desperemus, quasi Ecclesia ideo sit nulla aut Deus deseruerit totum genus humanum. Hæc omnia pertinent ad Consolationem nostram, ut per patientiam in hoc seculo inter malos secure expectemus illam messem. Tertio, quod admoniti esse debemus, Diabolum non dormire, sed circumire quærentem quem devoret. Quia non est sperandum quod cessabit seminare inter Ecclesiam malos, Ideo vigilandum & orandum esse. Quarto, quod nec Christus nobis defit nec sui ministri, Hoc est, quod Ecclesiam suam non derelinquet. Quia hic scribitur, quod servi ejus indicant ei zizania, Domine, inquiunt, nonne bonum Semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Ergo semper erunt in Ecclesia, qui malos & scandala accusabunt per orationem coram Christo, & odient ac detestabuntur per confessionem ac prædicationem. Item, simul hic scribitur, quod Christus cum suis loquitur, & bene intelligit ac novit ista scandala, etiamsi ministri non accusarent & orarent. Significat enim sese ista omnia mala valde videre, & melius quam ipsi possunt accusare. Et sic Ecclesia nunquam est sine Christo, præsentissimo inspectore, & aliquibus fidelibus solide doctis à Deo. Quia Ecclesia manet Ecclesia, & Christus manet Christus, quamlibet abundent scandala ac mali. Quinto, quod Angeli quoq; cœlorum huc spectent, & officio messorum fungantur certissimæ messis. Nam cum etiam messores Deus jam disposuerit suos Angelos, nihil certius est, quam Messem istam certo futuram. Nam messores tanti non frustra disponuntur, Quod etiam nostram consolationem auget & certificat. Deut. 15.

I. *Christus prædixit hoc certo finem mundi.*

II. *Ecclesia plena scandalis.*

III. *Diabolus non dormit.*

IIII. *Christus Ecclesiam non deserit.*

Consolatio piorum.

V. *Angeli messores.*

Sicut ergo colliguntur zizania & comburuntur, Sic erit in consummatione seculi. Mittet Filius hominis Angelos suos.

Post hæc quasi delectatus loqui de illo die extremo, jucunde digreditur, & describit messorum istorum seu Angelorum officium dicens, *Filius hominis*, inquit, *mittet Angelos suos*, quod est idem, quod eos fieri messores, *& colligent de Regno, ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem*, id est, tam dogmata impia, quam omnes malos. *Et mittent eos in caminum ignis.* Hæc est prima pars messis, scilicet *Angelorum officium.*

ſcilicet quod zizania ſeparabunt à tritico. Secunda pars eſt,quod triticum depuratum ſtatuent. Tunc fiet utrinq;, ut illi (zizania)ardeant in igne æterno,At iſti(triticum) *Fulgebunt ſicut ſol in regno Patris ſui.* Quis hanc meſſem ita potuiſſet interpretari? Quis triticum intellexiſſet, forte fulgens ſicut ſolem,& zizania ardentia ſicut fœnum,utrunq; in æternum? Ideo non fruſtra clamat in fine.

Qui habet aures audiendi,audiat.

Tempus audiendi. Quaſi d. Das heiſſt von andern ſachen geredet/ denn die Welt redet/ Et eſt hic audiendi tempus, non cogitandi, Quia non ſpeculando, ſed tantum audiendo iſta capi poſſunt, Qui non audiunt,nihil capiunt.

Quinta Parabola de theſauro. *Simile factum eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito,quem qui invenit homo abſcondit, &c.*

Regnum Dei fruſtra quæritur humanis viribus. Quinta Parabola eſt de theſauro abſcondito in agro, Quæ ſignificat Regnum fruſtra quæri noſtris viribus & ſtudijs ſeu operibus legis. Quia non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, Sic ludæi juſticiam ſectandò, ad juſticiam non pervenerunt,Agrum habuerunt, theſaurum in eo non viderunt. Sic & hodie & ſempes juſticiarij Legem(velut agrum) exercent, & tamen finem legis, id eſt, Chriſtum, non aſſequuntur, ſed manet eis abſconditus. Invenitur autem ab ijs, qui non quæſierunt, ut Paulus Roma. 10. dicit ex Eſaia. Sic cum Iudæi agrum haberent, venerunt Gentes, & invento in lege Chriſto, iverunt & omnia vendiderunt, & emerunt agrum cum theſaurro, id eſt, legem cum Chriſto incluſo, & pro eo profuderunt cum gaudio vitam & omnia. Talis ergo eſt natura regni Dei,ut alius videatur poſſidere, & non poſſidet. Alius poſſidet, & tamen non videtur poſſidere. Hoc eſt illud,quod hypocritæ volunt Eccleſia eſſe,& non ſunt, quia non cognoſcunt Eccleſiæ theſaurum,ſcilicet Chriſtum. Pij vero cognoſcunt, & tamen non videntur eſſe Eccleſia, ſed manent abſconditi coram mundo.

Chriſtus manet abſconditus juſticiarijs.

Natura regni Dei.

Eccleſia non eſt Eccleſia &c. Ita ſtat illud Argumentum à principio mundi, Eccleſia non eſt Eccleſia, & non Eccleſia eſt Eccleſia. Quare inveniri hic dicitur & abſcondi inventus theſaurus. Quia & ſine meritis, velut caſu oblatus accipitur, & tamen impijs manet abſconditus, etiamſi verbis & factis & cruce & miraculis clarificetur, Er iſt verborgen (non ijs qui inveniunt)vnd bleibt verborgen/ Wers hat / der kennets/ Wers nicht hat/ der kennets nimmermehr.. Continet ergo iſta Parabola graviſſimam Conſolationem, quod nihil nos moveat, ſi impij jactent ſe eſſe Eccleſiam, & non poſſunt intelligere. Eſt pauperculus quidam grex, qui intelligit, & præcipit illis rem Eccleſiæ, & ſinit illos habere nomen Eccleſiæ cum ignorantia rei. Interim illi eunt & poſſident mundi gloriam & opes ſub nomine Eccleſiæ, Iſti vero perdunt & prodigunt omnia ſua ſub nomine hæreticorum & ſeditioſorum, So wils ſeyn vnd gehen/nicht anders/ut maneat theſaurus abſconditus illis, & nos in periculo perdendi omnia,teneamus eum.

Impij Eccleſiam ſe jactant & non ſunt.

Sexta Parabola de margarita. *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, &c.*

Fides proficiens. Sexta Parabola fere idem docet, quod iſta proxima, niſi quod illa de invento, hæc de quæſito loquitur. Quare de fide proficiente hic docet, Et ſignificat Margaritam non eſſe incognitam, ſed auditam, quod ſit precioſa, Ideo quæritur velut cognita,& petitur plenè poſſideri,quæ incepta eſt noſci. Nam iſte Mercator non aliud agit, quam ut Margaritam quærat, Supra ille Agricola aliud quærens invenit,id eſt, ſine meritis accepit,Hic Mercator unum hoc ſpectat, ut cognitam obtineat. Sic eſt enim vita Chriſtiana, ut qui cœperit, videatur ſibi nihil habere,ſed tendit & pergit ut apprehendat. Vnde Paulus, Non arbitror me apprehendiſſe, ſed obliviſcens anteriora, quæ retro ſunt, ad ea quæ priora ſunt, me extendo, &c. Quia revera nihil pernicio-

Margarita audita & cognita quæritur.

Vita Chriſtiana.

Digitized by Google

perniciosius est homini fideli,quam ista præsumptio, quasi apprehenderit, & opus quærendi non sit. Hinc enim multi retrolabuntur, & marcescunt securitate & ignavia. *Præsumptio est pernicios.*

Sic Bernhardus quoq; dicit, Stare in via Dei est retrogredi. Quare qui cœpit esse Christianus,hoc restat,ut cogitet se nondum esse Christianum, sed quærere, ut fiat Christianus, Vt cum Paulo possit gloriari, Non sum,sed cupio esse, Et quotquot perfecti sumus, in hac Regula maneamus, Christianus enim non est in facto, sed in fieri, Dicitur enim ad eum, Petite, quærite, pulsate, Non dicitur, Habetis, inveniistis, intrastis,sed petite, quærite, &c. Igitur qui Christianus est, non est Christianus, hoc est, qui se putat factum Christum, cum sit tantum fiendus Christianus, ille nihil est, Tendimus enim in cœlum, nondum sumus in cœlo, Et sicut nunquam veniet in cœlum, qui putat se iam esse in cœlo, Ita jam est in cœlo, qui tendit in cœlum. Quia Deus reputat eum, quasi jam sit in cœlo. Summa, Proficiendum est, non standum & secure stertendum, Homo noster vetus debet de die in diem (ut Paulus) renovari. Veh illi, qui jam totus renovatus est, id est, qui putat sese esse renovatum, Ille absque dubio nondum cœpit renovari, nec unquam gustavit, quid sit esse Christianum. Nam qui cœpit, ille non putat se esse Christianum, sed valde cupit se fieri Christianum, & quo magis proficit, hoc magis cupit fieri, & minus putat sese esse. Adeo sunt opera Regni hujus mirabilia, Qui stat, ait Paulus, videat ne cadat, Et iterum, Qui existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse seducit se, &c. *Dictum S. Bernhardi.* *Christiani non sunt in facto, sed in fieri.*

Iterum simile est Regnum cœlorum sagenæ, missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, &c. Sic erit in consummatione seculi, Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, &c. Septima parabola de reti.

Epitasis hujus Parabolæ est in postrema parte, scilicet quod mali separabuntur à bonis in judicio extremo, ut ipsemet exponit, dicens, Exibunt Angeli in fine mundi, & separabunt &c. Alet ergo ista Parabola spem credentium, scilicet, quod in hac vita coguntur ferre inter se quidem mixtos malos, sed certi sint, quod tandem ab eis separabuntur mali in illo die, Sicut Sodomitas Angeli separabant à Loth, in illo tempore. Valet & hæc parabola contra fanaticos spiritus, qui nolunt ferre malos inter bonos, quasi ipsi sint soli boni, & ante extremum judicium volunt separare malos. Hic autem dicit primo, quod ista separatio non fiet, nisi in fine mundi, Secundo, non per homines, sed per Angelos. Et ita manifeste insaniunt olim Donatistæ & similes, hodie vero Muntzerani, &c. *Mali mixti bonis. Separatio bonorum à malis fiet per Angelos in fine mundi.*

Est autem hoc vitium ab originali peccato innatum, quod injustos & injustitiam ferre nolumus. Prompti sumus malos reprehendere, & omnes judicare, Deinde nobis arrogare sapientiam, justiciam & potentiam emendandi omnia, quasi ipsi simus præ cæteris hominibus justi, sapientes, &c. Sicut ille in Evangelio Luc. 18. Non sum sicut cæteri homines, &c. Sic Donatus voluit esse cũ suis purus præ omnibus peccatoribus, Et Muntzerus voluit omnes impios perdere. Hoc est festucam in oculo fratris videre, trabem in oculo suo non videre. Verum hoc malum non desinit in mundo, usq; in finem. Semper fuerunt, sunt, erunt, qui pisces malos separare volunt, antequam ad littus rete venit, Non intelligentes, quod ipsimet sunt pisces mali & separandi, **Ein jeglicher wil from seyn/ vnd ander Leute meistern** / Et est illa divinitatis imitatio, quam in Paradiso contraximus, quasi sine vitio nosipsi simus. Dei solius est judicare & emendare omnia, hic per Verbum, illic per factum, Interim heists/ **Ist einer gut/so sind sie alle gut.** *Vitium originale peccati.* Luc. 18. *Donatus hæreticus.* *Divinitatis imitatio.*

Intellexistis hæc omnia?

Finitis Parabolis interrogat Discipulos, An intelligant hæc omnia? Q. d. Quare & nunc non interrogatis de istis Parabolis alijs, sicut interrogastis de primis duabus? forte quod bene intellexistis omnia (ita inquiunt) **Awe ja ihr seyd feine Leute/ vnd verstehets fein.** Loquitur autem Christus cum Discipulis suis, quasi cum Infantibus suis Pater, Non quod ignoret eos nihil istorum intelligere, & laudat eos quasi *Sermo Christi cum discipulis.*

intelligant,propter futuram in eis intelligentiam, Sicut ſi Pater cum filio ſuo ludat, & interroget eum ſupra quam intelligat. Vbi cum Filiolus ſtulte ad rem reſpondet, dicit, Ita fili mi,tu recte reſpondes, **Mit der zeit wirſtu es wol verſehen.** Sic Chriſtus hic non ludens,ſed ſimpliciſſima gravitate & graviſſima ſimplicitate,cum ſuis diſcipulis velut Infantibus agit. Quia cogitat, quid futuri ſint per Spiritum ſanctum, & tolerat eorum velut infantilem ſtulticiam ſeu ſimplicitatem.

Simplicitas & reverentia.

Nam quomodo iſta intelligerent omnia,qui nondum ſciebant quid eſſet Regnum cœlorum, quod ipſi temporale futurum cogitabant, multo minus intelligebant iſtas Parabolas de Regno eodem. Sed quia reverentur & colunt Præceptorem,& ſimplicitate humilima nolunt fateri ſeſe non intelligere, Ideo placet eorum iſta ſimplicitas & candor.& in ſpe futuræ eorum perfectionis,iſta eorum ignorantia paterne ab eo toleretur, imo laudatur. Summa, oportet in iſtis & ſimilibus factis Chriſti curata diſcipulis cogitare, Chriſtum eſſe quendam dulcem Patrem,qui cum ſuis dulcibus Infantibus ſerio & cum voluptate jocetur, & ſtulte ſeu infantiliter & dicta & facta eorum optime interpretetur, In futurum ſpectans, ubi rem ſint acturi ſerio, Q. d. Veſtra omnia ſunt talia,qualia ego loquor. Ego loquor Parabolica velut infantibus, & vos modo eſtis infantiles, Et ut autem ut aliquando efficiamini viri, & ſeria agatis, Tunc & iſta agentur ſerio,quæ nunc auditis Parabolice à me dici, Interim ego pueriliter loquor,& vos pueriliter reſpondetis, Tunc erunt omnia ſine Parabolis,&c.

Patrem eſſe Chriſtum erga diſcipulos.

Ideo omnis ſcriba, doctus ad Regnum cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamilias qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.

Concludit ænigmate ſatis mirabili, Quia,inquit, vos intelligitis omnia, digni eſtis ad futuram functionem, Q. d. **Ja das iſt recht/ ſo ſolt ſeyn / Wer ein Apoſtel ſeyn will/ der ſolt alles können/** ſicut vos ſcitis. Sicut Paterfamilias dives, **der ſol ſein Hauß voll haben von allem Gut / der da könne ſagen / Bringe her vom fernen Wein / vom newen Wein / Lange diß / lange das her / Das iſt/ es ſol alles voll auff da ſeyn / daß er könne weidlich auffragen/ was er will/ vnd was man will/ wol ;weyfeltig.** Et hæc quoque intelliguntur dicta eodem affectu,quo ſuperiora, ſcilicet Patris erga filium, ſeu Præceptoris ad diſcipulum, qui dicat,**Ey lieber Son/ lieber Knabe/ ſo ſol man thun/ du biſt gelert/ vnd kanſt alles/ fare fort/ du thuſt der Sachen recht/ Ich meyne nicht daß du ſo gelert wereſt/ Ey du kanſt voll aufftragen/ da feilet nichts/** Sic de diſcipulis Chriſtus dulciter & philotorgice loquitur propter futuram functionem,quam erant geſturi,& per opulentiam Spiritus impleturi. Igitur quia intelligitis omnia,digni eſtis, qui ſitis docti ſcribæ ad Regnum cœlorum, ſcilicet promovendum. Nam Scriba proprie ſignificat,quod nos dicimus Doctorẽ, **Einen Lerer.** Vnde & Lucas Nomodidaſcalos,legis Doctores appellat. Iſta ergo copia ſcientiæ eſt aliud nihil, quam legem & Evangelium noſſe. Nam in his duobus univerſa ſapientia Dei eſt incluſa, velut in brevi compendio comprehenſa.

Scriba.

Et veniens in patriam ſuam, docebat eos in Synagogis eorum, &c.

Nunc ſequitur Hiſtoria de contemptu prædicatorum & doctorum &c. Venit ergo in Patriam ſuam,ibi docet,& ut Lucas cap 4. dicit,audierant ejus Miracula in Capernaum facta,& tentabant eum,ut Lucas latius ſcribit. Sed ſcandaliſati ſunt in eo. Quia plus potuit docendo faciendoq; quam hactenus alij. Ideo putant eum talia non facere Dei virtute (alioqui non eſſent ſcandaliſati,ſed ædificati) ſed diabolica,Et aliquem Magum eum eſſe credunt. Hoc eſt,quod dicunt,

Contemptus doctorum verbi.

Vnde huic ſapientia hæc & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria,& fratres ejus, &c. nonne omnes apud nos ſunt?

Quaſi d. **Er wird gewißlich mit dem Teufel zu thun haben / wil etwas ſeyn für andern ſeinen Freunden /** Et ſic ſimpliciter ejus dicta & facta credunt eſſe dæmoniaca, à quibus ſit abhorrendum. Tentant autem eum teſte Luca Cap. 4. Fac

Judicium impiorum de Chriſto.

& hic

& hic ſicut Capernaum, Q. d. **Du biſt ein Geuckler/ Lieber gauckel vns hie auch/** Ideo Chriſtus indignatus, eis dure reſpondet, dicens, Multæ viduæ erant, &c. Vt in Luca legitur, quem locum oportet huc allegare totum, ad illuſtrandum Matthæum. Nam ibidem ſequitur, quod offenſi eius duro verbo, volebant eum præcipitare, tanquam Magum ſuperbum, & eos contemnentem, &c.

Ieſus autem dixit eis, Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, &c.

Magna vero ſententia eſt, ubi dicit, Prophetam in patria ſine honore eſſe. Mat. 1. Hoc nimis verum eſt. Simile dicit Iohan. 1. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Item S. Paulus, A veritate auditum avertunt, Et videmus in omnibus hiſtorijs iſta monſtra, quod verbum Dei nuſquam ita faſtiditur, quam ubi copioſe docetur, **Die es nicht haben/ die wünſchens/ die es haben/ verachtens/** Imo, quod peſſimum eſt, non oriuntur hæreſes, niſi in Eccleſijs & ex Eccleſijs. Quod non fit, niſi quia faſtidiunt & contemnunt Verbũ, fiuntq; mox ejus judices. Si enim non contemnerent, cum reverentia audirent, & hæreſes non excitarent. Sit ergo iſta conſolatio noſtra, quod verbum noſtrum, imo Dei, contemnitur ab ipſis noſtriſſimis, & quod non mirum ſit à ruſticis, nobilibus contemni, ut qui cito ſaturi fiunt, Sed etiam ab eruditis & ipſis domeſticis ſeu coëpiſcopis noſtris, qui nos quærunt præcipitare de monte, dum non volumus loqui & facere quæ volunt. **Es heiſt/** Propheta in patria, Et ſicut Mat. 10. ex Michea citat Matth. 10. Inimici hominis domeſtici ejus. Sed econtrà conſolatur nos, quod Ieſus tranſiens per medium illorum ibat, **Sie werdens nicht enden/ vnd müſſen den Propheten laſſen bleiben.**

Verbum nuſquam contemnitur quam ubi abunde habetur.

Vnde oriantur hæreſes.

A quibus verbum contemnitur.

Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.

Quod addit, eum non potuiſſe facere miracula, propter eorum incredulitatem, ſignificat eorum inſignem contemptum. Quia nec crediderunt eum eſſe aliud quam Magum quendam, Et ob hanc juſticiam formoſam, non habebant opus medico tam ſancti & validi, Sicut ſi medicus non poſſet curare infirmos, ubi nulli volunt eſſe infirmi. Marcus cap. 6. dicit, quod non potuit ibi facere ullam Virtutem, Mar. 6. niſi quod paucos infirmos impoſitis manibus curavit, Q. d. nullum excellens opus, quod poſſit dici virtus, **Ein weibliche that/ als** mortuos ſuſcitare, &c. ſed febriculas aliquot ſanavit, leviores ſcilicet virtutulas.

Virtus.

Sed horrendum judicium ſuper eos, qui abundanter habent Verbum, & apud quos velut in patria verbum habitat, quod nihil magni apud eos fit, Niſi quod pauci & modici modicum aliquid faciunt, quia ſecuri fiunt, & dicunt, **Ja haben wirs doch nu alles/** nihil amplius egemus. Si abeſſent omnes Prophetæ, tamen ſciremus omnia. Hic diſce & ſcito, ferendos eſſe hos contemptores. **Wir werden ſie doch nicht enden/** Sed ipſi continuo fiunt pejores, donec ejiciant & crucifigant nos, ſicut Chriſto contigit apud ſuos, **Nein/** Alieni **müſſens nicht thun/** Sui **müſſens thun/** Quia fieri non poteſt, ut alibi Propheta pereat, quam in Hieruſalem. Cain occidit Habel fratrem, non lupi aut urſi, ſed homo & frater in eadem domo, eorundem parentum, qui non poſſit eſſe propior.

Contemptores ferendi.

Amici plus nocent quam alieni.

CAPUT XIV.

IN illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Ieſu, & ait pueris ſuis, Hic eſt Iohannes Baptiſta, ipſe reſurrexit à mortuis, &c.

Hic inducitur exemplum Regis, ut non ſolum ſciamus, quid ruſtici in Naſareth, ſed etiam quid Reges in aula de Chriſto ſentiant, ſcilicet quam magnifice & ſecure illi contemnant Verbum. Audit enim Herodes à ſuis miniſtris, magnum eſſe Virum Chriſtum, & cupit eum videre, Non quod ſerio quærat, ſed quia ſe Regem eſſe ſentit, putat ſe dignum, quem Chriſtus adoret, & ultro veniat ad eum, Summa,

Judicium magnorum in mundo de Chriſto.

Herodes ſic cogitat, Ego occidi Iohannem,ſanctum virum, forte is ſurrexit,& facit miracula.Ex iſtis verbis non ſequitur,quod credat Chriſtum eſſe Iohannem ſuſcitatum,ſed ironice videntur ab eo dici. Quia Chriſtus ipſe vocat eum Vulpem. Ideo mens Herodis non poteſt eſſe alia, quam vulpina, ſcilicet, Ecce Iohannes,quem decollavi, ſurrexit (ut Marcus dicit) & virtutes operatur, quas prius non eſt operatus.Libenter,ſi fieri poſſet,eum viderem,Eſt itaque nequam,& quicquid loquitur eſt nequitia.

Lex vulpina.

Inducitur tamen ab Evangeliſta, ut occaſionem accipiat de Herodis malicia dicendi,quia tota Hiſtoria ſequens eſt mere vulpina, Vult occidere Iohannem,& tamen non videri occidiſſe.Ergo ſecundum Chriſti ſententiam,omnia Herodis verba intelligenda ſunt vulpina,quia Chriſtus non fallit Hæc autem eſt imago procerum & magnatum in mundo. Quia omnes ſunt Herodes. Simulant ſeſe favere Verbo, clam vero rident & perdunt, Sic tamen,ut nolint videri occidiſſe,Imo laudant Iohannem & Chriſtum, & amant,cupiuntq; videre eos. O vulpes, vulpes, digni quos terra dehiſcat. Quin hoc etiam poſſunt,ſcilicet loqui de Reſurrectione mortuorum, de Miraculis, de religione, ut credere poſſis Herodem eſſe Sanctum ſanctorum, Et tamen rident interim omnia talia. Sicut hodie faciunt Papiſtæ & totus fere Orbis, loquentes ſimillima Chriſti, cum cogitent diſſimillima. Quare Evangeliſta per totam Hiſtoriam de Iohanne Baptiſta nihil aliud facit, quam quod pingit Herodem, velut inſignem Vulpem,qui ſimulet ſeſe amare Iohannem,& dolere de eo occidendo,cum tamen maxime id voluerit, ſcilicet amator veritatis nomine,ſed re hoſtis acerrimus. Eſt igitur Vulpes,ut Chriſtus eum appellat.

Simulatio ſanctitatis in Herode.

Tale eſt & hoc quod ſcribit Matthæus, quod timuerit Populum, ne occideret Iohannem,quia eum habebant Prophetam, Non timuit vere populum,quod patet, quia tamen eum poſtea occidit ſine timore; Sed iſta eſt ſententia, Sicut Iohannem vulpina fraude audivit, tantum ut haberet nomen pij Regis, ſic etiam hic timet populum,id eſt,veretur ne ſpecie amiſſa,diceretur palam Tyrannus,quia vult eum occidere(ut textus aperte dicit) Sed hoc vult efficere,ut ipſe juſtus juſteq; feciſſe videatur,Et quia in Iohannem non poteſt culpa impingi,qua Herodes eum honeſta ſpecie occideret,fingit cum ſua Meretrice jusjurandum,ſub cujus prætextu,velut religione & obſequio Dei, occidit juſtum & innocentem, Sic tamen, ut coram populo laudem obtineat,quod non voluntate,ſed religione coactus hoc fecerit. **O Schalck vber alle Schälcke.** Vnde & Chriſtus ſupra Cap. 11. indignatus dicit, Elias venit,& fecerunt ei,quæ voluerunt. Voluerunt (inquit)id eſt,pro ſua libidine,nullo reſpectu Dei,Q. d. **Ja was vnd wie ſie gewolt/ haben ſie gethan.** Voluerunt autem primo eum occidere, ſecundo voluerunt hoc ipſum facere cum laude, etiamſi Iohannem non poſſent reprehendere. **Ja ſie haben alſo gethan/ iſt jhnen alſo gerathen/ Johannes iſt vnſchüldiglich erwürget/ vnd Herodes bleibt dennoch from vnd gerecht mit den Phariſeern. Ja liebes Füchslin/Gott verſtehet ſolches nicht.**

Elias venit, & fecerunt ei quæ voluerunt.

Sequitur nunc Hiſtoria ipſa,quæ nullis verbis poteſt dici, ſed affectu vix concipi. **Ach / Wer kan ſolche Boßheit doch ausſtreichen?** Evangeliſta tantum adumbrat dialectice, velut Monochroma, ſed colores relinquit auditori, tametſi nullius eloquentia hos colores aſſequatur, Tamen prima Propoſitio eſt hæc,quam textus habet. Prima propoſitio, Herodes & ſua Adultera definita voluntate cupiunt Iohannem occidere, ut & Marci 6. dicitur. 2. Herodes timet Populum, id eſt, non vult videri Tyrannus, ſed ſanctus, Hoc eſt, quod Marcus dicit, Herodias ipſa inſidiabatur ei,ut occideret, Et non potuit, id eſt, timebat videri impia,&c. 3. Herodes libenter audit & multa facit, ut Marcus cap. 6. dicit, Sed vulpina voluntate, ſcilicet inſidioſe,donec occaſionem arripiant vel inveniant ambo contra eum. **Es iſt Hum vnd Buben.** Ex his patet quod Herodes Iohannem in cuſtodia tenens, audit libenter, & facit multa, aliud nihil facit, quam velut hians Vulpes expectat, ſi quid arripiat contra eum, ſcilicet offenſus, quod ab eo eſſet reprehenſus. Cum autem nihil invenire poſſit, & tamen reprehenſionem ſui ulciſci cupiat, nec ferre

Marci 6.

Natalis Comes diuersum ſcopum.

poſſit

possit reprehensorem tantum, dissimulat dolorem,& simulat favorem, donec efficiat per jusjurandum quod voluit.

Nunc istius fabulæ prosopopœias vide.

1. Opportune accidit Natalis Herodis,festum quidem gentile apud Iudæos,sed tamen commodum ad Herodis propositum, & forte pro sua vulpina sanctitate tale festum antea non celebravit, vel non taliter, Quia in festis Iudæorum non voluit facere. *Mos gentilis observare natalem Dies.*

2. Tanto luxu & splendore paratur, quanto non solebat,scilicet vocatis ad id festum principibus, optimatibus, proceribus Galilææ, scilicet ut hac pompa Iohannes obscuraretur, &ipse illustraretur, **Daß die Leute nicht sollen seine boßheit merken oder achten.**

3. Interim dum sic vivitur, gaudetur, saltatur, Iohannes non vocatur ad prædicandum,sed de ejus Capite cogitatur. Et omnia istius festi gaudia in eum insidiose aguntur, Conciliantur convivæ tot gaudijs & tripudijs.

4. Lætis tandem & potis convivis in tanto luxu,& jamdudum de Iohanne nullo solicito,inducitur Diaboli organum,filia saltatrix, **Vnd mus vmb Johannes willen der Tantz angericht werden/der vielleicht dazumal were** (sicut & convivium) **nachbliben.** Et vulpine cautum est,ut nulla puella saltet, nisi Filia, ut locus & occasio fiat Iuramenti(Tanta arte,tot insidijs opus est cruentis istis Dei inimicis, ut justum aliqua specie occidant) Nam propter nullam aliam Puellam potuisset ita jurare verisimiliter,&c. *Quibus artibus impii insidiantur pijs.*

5. Plauditur saltanti, & concitantur Convivæ ad laudem saltantis Filiæ. ut major fiat occasio Iuramenti, & Vulpes pulchrior & sanctior fiat. **Ey wer wolt solche Täntzerin nicht loben noch lieb haben?**

6. Paratis igitur plausoribus,Herodes tandem prodit,laudans & ipse & amans filiam tanto amore,quanto nunquam antea.Tam sanctus Vir scilicet & pius,Primo promittit,Secundo jurat,Tertio dimidium Regni promittit. Hoc certe nullus Conviva credidit esse verum,quia Puellis non dabantur Regna,multo minus Privignis, qualis ipsa fuit,scilicet non Herodis,sed Philippi fratris filia.Sed quia lætante corde ista dicit Rex facile fuit in meliorem partem ea interpretari, veluti vel lætus jocus, vel res impossibilis ad laudendam seu ludandam Puellam. Et tamen sub hoc ludo & joco petitur serio caput hostis, id est, reprehensoris sui Iohannis, simul species & prætextus religionis, Interim hæc omnia ignorat Deus, & Vulpem tantam non videt.

7. Puella, dimisso Regni dimidio,petit caput Iohannis, **Ach/ach/hie ist der Fuchs nicht füchsisch.** Quis enim crederet Puellam repudiare Regnum? (cum sit sexus amans opum & gloriæ plusquam viri) Deinde quid ipsa de Iohanne curaret juvencula? Ipsa accepisset decimam partem Regni, & libenter ignorasset innumeros Iohannes. Sed ita prodit sese esse instructam, hoc est, Diabolus non potest sese totum tegere,Et ita incipit hic Herodes apparere in sua vulpina pelle. *Muliebre sexus plus amans opum & gloriæ, quam viri.*

8. Quod tam solicite & anxie petit Caput Iohannis in disco sibi dari. Non est contenta simpliciter occidi Iohannem,sed certa morte,Nec solum certa morte,verum & caput in disco sibi dari,ne Iohannes hoc periculum evadat.Hæc non sunt puellaria nec juvenilia, sed simpliciter Herodiana & Herodiasina. Non enim posset Puella talia cogitare,multo minus petere, nisi esset instructa & ornata, cum sexus iste,præsertim puellarum,abhorreat ab isto spectro cædis etiam [a] injustæ. *Herodiana &c.* *a ipsa.*

9. Herodes contristatur, id est, Vulpes irridet gallinam lacessatam, **Ach/warlich es ist mir leid/daß der feine Hane tod ist/Aber doch muß ich fressen/Er ist besser tod/denn ich hungerig/Sonst gönst ich jhm wol das leben/wenn ich nicht so gerne fresse/Das mag heissen** Sarcasmos, irrisio non amara tantum,sed etiam sævissima & acerbissima. *Sarcasmus.*

10. Lætus quod hanc tristiciam vulpinam potest pulchre deponere, & gaudet voluntatem suam per juramentum cogi ad occidendum Iohannem innocentem,

Digitized by Google

Herodes quomodo simulat suam simplicitatem.

Interim ſanctiſſimus vir ſuam vulpem ſatis putat eſſe ornatam & laudatam, quod honorat nomen Dei, per quod juraverat. Et ſic cogitur propter obedientiam ſecundi præcepti agere contra obedientiam quinti præcepti, Quia lex inferior cedit ſuperiori, ſicut tota ſecunda tabula primæ cedit, O theologum profundiſſimum.

Duplex genus hypocritarum.

I.

Hic obiter notandum duplex genus hypocritarum, Vnum quod ſimulat ſe ſervare ſecundam tabulam, ut violet primam. Quales illi in Evangelio dicentes, Iuga boum emi quinque, Item, Villam emi, Item, Vxorem duxi, ſcilicet ne deſerant ſua officia neceſſaria. Nolunt venire ad Nuptias, & videntur ſibi excuſati pulchre & honeſte, quia debitis operibus ſunt dediti.

II.

Alterum hypocritarum humanum & diabolicum.

Alterum, quod ſimulat ſe ſervare primam tabulam, ut violare poſſit ſecundam. Quales ſunt iſti, Herodes & ſui ſimiles. Illud genus eſt humanum, quia affectibus humanis rapiuntur, ſervandis perſonis & rebus præſentibus capti, Iſtud eſt genus diabolicum, quia ſolo Diabolo agitantur ad res & perſonas perdendas. Illi ſimulant charitatem, ut fidem bona ſpecie negligant, Iſti ſimulant fidem, ut charitatem perſequantur ſancta ſpecie, Licet utrique omnia perdant, ſcilicet fidem & charitatem. Sed iſtæ Vulpes pejores, quam illi Porci ſunt. Et illi ſunt incorrigibiles ac deſperati à gloria Dei, Iſtorum porcorum aliqui (ut qui humana tentatione ligati) converteruntur aliquando. Vtriſque meliores ſunt palam idolatræ contra fidem, & peccatores contra charitatem, quia ſine ſpecie peccant, & facilius pudefiunt. De ijs 4. generibus malorum poteſt latius dici in odium iſtorum Herodum, quorum malicia non poteſt depingi ſatis præ magnitudine, niſi aliquo modo per iſtas comparationes proponantur, ut ſtupor in corde auditoris relinquatur de infinita malicia iſta Diaboli.

Vulpes pejores porcis.

Quatuor genera peccatorum.

11. Quam ſecure & ſine diſputatione ſtatim mittit, qui occidat Iohannem, Nonne oportuit prius quærere, An propter juramentum iſtud neceſſe ſit occidere innocentem? Non, iſtorum nihil quæritur, Sed mox ſine ullo proceſſu ac quæſtione juris, dictat ſententiã & exequitur. **Ach wie gar ernſt iſt jhm hie die trawrigkeit.** Confer nunc vulpem iſtam cum Dario rege Perſarum, qui Danielem (cum imprudenter & deceptus decreto damnaſſet) tota die laboravit eripere de manibus ſuorum procerum, & poſtea ſevere illos punivit. Sed indigna eſt iſta maledicta vulpes cum optimo rege conferri, Niſi quod oppoſita juxta ſe poſita (juxta Topicam) clarius elucefcunt.

Herodes humana & divina auctoritate coactus Iohannem occidere.

12. Allegatur etiam convivarum autoritas & conſenſus, ſcilicet propter eos (inquit) qui diſcumbebant, ut vulpes iſta clarior fiat in ſpeciem, quod coactus ſit, non modo autoritate divina, ſed etiam humana. **Wer wil ſolchen heiligen ſtraffen/der für Gott vnd der Welt from iſt/ vnd mit gutem Gewiſſen/vnd allen ehren vnſchüldig Blut vergeuſſet? Ja hie ſolt ich Gott ſeyn/**&c. Quam eſt Deus infinitæ & ineffabilis patientiæ. Hæc de Hiſtoria.

Herodiani noſtri temporis.

Nunc exemplum dilatandum eſt ad omnes Herodianos, & noſtri præſertim temporis, Sic hodie ſunt qui ſimulant Evangelium, ut pios tantum opprimant, & rideant oppreſſos. Item qui ſimulant ſe eſſe Eccleſiam, ut omnia vaſtent, ut Antichriſtus & ſui ante Evangelium fecerunt. Nam Papa in omnibus ſuis Decretis & Bullis ideo ſimulavit Chriſtum, ut devoraret Orbem, & devoratum rideret. Idem hodie agunt inter nos, qui ſimulant noſtrum Evangelium, donec per occaſionem nos perdant & rideant. Quanto igitur melius eſt, eſſe Pilatum quam Herodem, aut Gentilem aliquem naturalem, quam Iudæum impium, &c. Quæ ſequuntur de capite Iohannis abſciſſo & Puellæ tradito in diſcum, & delatum matri, portenta ſunt diaboli

Sexum fœmineum ferat.

in ſexu fœmineo, ne ſoli viri ſint vulpes diabolicæ, ſed etiam ſexus ille puſillanimis & infirmus ſit plus quam Leo aut ulla Beſtia furens, quod ſiccis oculis iſta non ſolum audit & videt (cum tam faciles ſint ad lachrymas) ſed etiam gaudentes & ludentes avulſum caput viri attrectent, portent, ferant, oſtentent. Horribilia ſunt iſta omnia Satanæ portenta, præmia digna tam vulpinis vulpibus.

Deus finit ſanctos miſerime occidi, quaſi non ſit ei cura.

Poſt hæc ſepelitur à ſuis Diſcipulis. Quid iſti cogitaverint, quis exprimet? Suum tantum ac talem Præceptorem vident tam crudeliter & nequiter occiſum, ac ſi

ac ſi nullus ſit Deus,qui tam indigna videat,magno certe ſcandalo, non infirmorum tantum,ſed etiam fortium in fide. Quis enim non murmuret contra Dei providentiam,juſticiam & bonitatem,qui videt tam ſanctum virum,tam miſere à Deo negligi? Sunt iſta omnia magnæ fidei ferre & intelligere.Hoc eſt mundum ſtultum facere in ſapientia,Hæc eſt ſapientia Dei abſcondita in myſterio,ſcilicet ſcire,quod Deus dilectiſſimum Iohannem tunc maxime diligat.cum eum videatur (ſapientia humana) maxime negligere & odiſſe. Et ipſe Chriſtus, cum hoc ei annunciaretur, non iraſcitur, nihil dicit, nihil queritur. Sed vadit in deſertum ad quietem, quaſi omnia ſint ei placita,quæ audivit. Sed ô magnificus contemptor. Sicut Herodes non ſolum contemnit Iohannem,ſed etiam occidit,Ita Chriſtus contra, non ſolum non iraſcitur,ſed nec dignum ducit Herodem,propter quem unam ſyllabam loqui velit,Sed pergit in ſuo officio,& benefacit alijs etiam per miraculum.In hoc ſpeculo licet videre iſtos duos Duces belli, ſcilicet diabolum & Chriſtum. Diabolus per Herodem temporaliter ſuperbit, & Iohannem ac Chriſtum habet pro ſtercore. Chriſtus contra Diabolum non dignatur ulla cogitatione de ejus malicijs,Sed in futurum & in æternum judicium rejicit illius merita. Q.d. **Ach las machen / ſie werdens finden.**Sint illi peſſimi,Nos vero optimi,Taceamus,Erit tempus,quum pro nobis loquetur ille Pater, Et illi cogentur audire pejora, quam nos nunc cogimur audire.

Scientia Dei in myſterio abſcondita.

Chriſtus diſſimulat mortem Iohannis.

Diabolus.

Chriſtus.

Miraculum de Panibus ſatis eſt alias tractatum pro fide inchoante, quæ ventrem credat à Deo alendam, &c. Et eſt illud ipſum miraculum Iohannis 6. ut probat ſequens factum de navi in mari periclitante. Ioh. 6.

Miraculum de 5. panibus.

Veſpere autem facto ſolus erat ibi. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, Erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos, ambulans ſuper mare, &c.

De ambulatione Chriſti ſuper mare.

In iſto facto duo ſunt conſideranda, Primum, quod Chriſtus etiam ipſemet terret ſuos derelictos Diſcipulos in mari. Nam ſatis fuiſſet terroris, quod vento & mari vexabantur,ut potius ſolatio & auxilio opus habuerint. Ipſe vero addit timorem timori,periculum periculo, apparens eis poſt longam luctam (quod peſſimum fuit)taciturnus & ſuper mare ambulans.Neque enim cogitare poterant eum,quem reliquerant in littore, ſuper mare ambulare cum ipſis. Deinde, ſi maxime ambularet ſuper mare, non ſic terrere, & ſimulare ſe alienum deberet. Nobis quidem qui nunc credimus ipſum eſſe Dominum mortis, parum hoc videtur, quod ſuper mare ambulat. Sed illis eo tempore aliud cogitantibus (ſcilicet ipſum eſſe in littore)horribile ſpectrum fuit, quia nihil minus putabant eſſe, quam ipſum Chriſtum. Ideo ſcribit Matthæus,quod præ timore clamaverint, ideo in maxima anguſtia fuerunt. Quia ſuper mare ambulare, res inaudita illis erat, & non cadebat in cogitationes eorum.

Chriſtus terret ſuos diſcipulos.

Nova res viſa diſcipulis. Chriſtum ſuper mare ambulare.

Sed cur talia dilectis facit Amicis & Diſcipulis? Scilicet ut diſcamus optimam voluntatem ejus erga nos, quod nobiſcum ludit ſuaviſſime, cum nos putamus omnia eſſe perditiſſima. Culpa eſt peccati noſtri, quod non ſinit eum agnoſci præſentem, ſed putat,eum eſſe phantaſma, ſeu Diabolum potius. Quia apparet aliter quam cogitamus,& tacet. Nos enim in tentatione putamus eum eſſe in littore vel in monte, ubi relinquimus, præſentem non poſſumus intelligere. Ergo Canonem hic dat nobis,quod in omnibus tentationibus noſipſi alium finginus Deum eſſe, quam ſit.Putamus enim Deum tunc non eſſe Deum,ſed phantaſma,id eſt,horribile Spectrum, quod nos velit devorare in medijs anguſtijs. Ideo non eſſe credendum noſtris proprijs cogitationibus de Deo.Quia certum eſt,quod noſtræ cogitationes de Deo,faciunt ex Deo faventiſſimo,phantaſma hoſtiliſſimum.

Chriſtus nobiſcum ludit, cum putamus eum abeſſe.

In tentationibus fingimus Deum alium quam revera eſt.

Et hoc maxime debent obſervare, qui ſunt in vocatione & officio certo, ſicut hic Diſcipuli erant in medio mari, non ſua temeritate, ſed juſſu & impulſu ipſius Chriſti,

Rite vocati tentationibus probantur.

Digitized by

Christi, qui coëgerat eos navigare. Nam talibus ista fiunt ut probentur, Sicut Abraham fuit tentatus, ut filium Isaac offerret, Item Iacob luctatur cum Angelo, &c. Hæ sunt tentationes, contra Promissiones & vocationes ab ipso Deo datas. Ideo hic standum est & dicendum, Etiamsi Deus ipse contrarium jubeat, non cedam loco, quo constitutus sum. Quia vel tentat me jocando mecum, vel, si periero, rursum me suscitabit, Vt stet fides firma in primo aliquo vocationis mandato, & clausis oculis dicat, Etiamsi ipse Christus aliud dixerit, non cedam, Quia certus sum vel non esse Christum vere, vel ipsum velle mecum jocari, Sicut & Paulus Gal. 1. Si Angelus è cœlo aliud, &c. Nam non est possibile quod Angelus serio aliud dicat. Ergo, si aliud dixerit, ludere eum credas præ amore erga te, sicut Pater erga Filium, ut tentet eum, &c. Ista possunt latius dictis & exemplis explicari.

Tentationes contra promissiones,

Fides firma consistit in primo vocationis mandato.

Gala. 1.

Respondens autem Petrus, dixit, Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Iesum.

Secundum, quod solus Matthæus de Petro habet, Pulchrum certe spectaculum & Historia plena solatio. Dum enim audit Iesum in mari ambulantem vel stantem (quia dixerat) *Ego sum, nolite timere.* Petrus fervore & amore raptus, petit, *Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.* Aus gutem vermügen geschicht dis alles/als sessen oder giengen gute Freunde / vnd scherpten mit einander auff dem Lande. Quia Petrus præsente Christo in mari, credit etiam se posse super mare ambulare, Et vere ambulabat. Christus enim velut jocans dicit, Veni, & tentat eum. Venit ergo, Sed Christus familiarissime tentat eum (in fide tanta mare calcantem) & ostendit ei ventum fortem. Hic Petrus fide deficiente, amittit illud verbum Christi, quod dixerat, Veni, in cujus virtute è navi transilierat, sed non in ea virtute permansit. Ventus enim, quem vidit, extorsit ei auditum istius, Veni, ut non de ipso verbo Veni cogitaret, sed de vento, quem videbat.

Oculus officit auditui.

Ita semper oculus officit auditui, Et res visibiles tollunt Verbum & res invisibiles. Quia fides est rerum invisibilium, Ebræ. 11. Petrus enim donec audiebat (Veni) & non videbat, quomodo mare ferret euntem, feliciter ibat super aquas, Sed ubi cœpit videre ventum, jam amisit auditum istius verbi. Veni, Da gieng er dahin / & submergitur. Fides cœpit fortiter, sed infirmatur adversitate venti. Pictura est digna latiore declaratione. Nobis ita pingitur Petrus, ne præsumamus etiamsi bene cœperimus fide, Sed timeamus Deum. & de nobis nostrisq; viribus desperantes imploremus & semper petamus gratiam solam.

Ebre. 11.

Non præsumamus qui etiam bene cœperimus fide.

Et cum cœpisset mergi, clamavit dicens, Domine, salva me.
Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum.

Sed contra est etiam solatium, quod pereunti Petro salus restat, scilicet quod clamat, Domine, salva me, Et Christus clamantem nec differt, nec deserit, sed mox auxiliatur eodem momento, Es war auch warlich zeit / Sonst were Petrus fischen gangen vnter das Meer/ vnd hette nicht mehr Fisch auff den Marckt bracht zu Bethsaida. Sed Christus ostendit sese esse adjutorem in opportunitate. Psalm. 10.

Christus opportune suos adjuvat.

Psal. 10.

Et ait illi, Modicæ fidei, quare dubitasti?

Dubitatio de fide mutat omnia.

Post arguit eum Christus, quod fuerit modicæ fidei, & dubitaverit, imputans simpliciter culpam Petro, non mari, neque vento. Non enim dicit, mare vel tempestas, quare hoc vel hoc feciſti? quare voluisti meum Apostolum submergere? Sed sic, Petre, quare tu dubitasti? Mare est excusatum, quia fecit quod est sui juris & naturæ, Et tu passus es quod erat tuæ naturæ, Si credidisses fortiter, & exuisses tuam naturam, mare etiam suam exuisset naturam, & tu fuisses ac perseverasses ejus Calcator, & ipsum fuisset ac perseverasset tibi terra & petra solida. Ergo dubitatio &

Fides

Fides mutant omnia. Fides facit mare ſicut aridam viam, dubitatio rurſus mutat aridam iſtam viam Petri in mare ſolitum. Omnia ergo credenti poſſibilia, Econtra dubitanti omnia impoſſibilia. Fides facit Deos, id eſt, filios Dei & Mirabilium factores. Dubitatio facit homines, id eſt, filios miſeriarum. *Fides. Dubitatio.*

Vrgendum eſt verbum Dubitandi, Quia Papiſtæ valde extenuant fidem, nec putant dubitare eſſe malum, Contra, Chriſtus hic dubitationi tribuit totam culpam, & clare ſignificat, quod dubitans ſubmergitur, niſi rurſus fide recepta clamet & vocet. Nam dubitatio Petrum ſubmerſit, ſed rurſus Fides in Chriſtum invocatum erexit & eduxit eum. Quia dubitatione ſtante, non potuiſſet clamare, Domine, ſalva me (Ea verba non ſunt dubitantis, ſed iterum credentis) Dubitans enim non invocat, ſed in deſperationem & ſilentium ruit. Magna vero ſuperbia Chriſti & ſuorum Fidelium prædicatur, quod ipſe cum ſuis tam ſecure calcat mare, ac ſi eſſet terra ſolida, ſcilicet quod omnis creatura ſubjicitur Sanctis in obſequium, & cogitur amittere ſuas vires, Sicut ignis calorem in Babylone, Aqua liquorem, &c. Hic deteſtandus Papa, qui cum ſuis Sophiſtis, Mare interpretantur Principes, Magiſtratus, domos, imo & Epiſcopos & Eccleſias, Quia ſicut Petrus ſuper mare ambulavit, Ita ipſe ſuper omnes iſtos & omnes Eccleſias calcare vult, Et profecit mendacium. Mundus autem ſeu mare non ſignificat Magiſtratus, Eccleſias aut ullas Dei ordinationes, Sed (ſi allegoria petitur) Peccata, fluctus tentationum, mortem, Diabolum, &c. Hæc monſtra conculcat Chriſtus, non ſuas optimas creaturas. *Papiſtæ extenuant fidem. Dubitatio Petrum ſubmerſit, &c. Tota creatura ſubjicitur Sanctis in obſequium. Mare allegorice quid ſignificet.*

Et cum aſcendiſſet in naviculam, ceſſavit ventus.

Poſt miraculum intrat in navem, & facit alterum Miraculum, ſcilicet ſedat tempeſtatem venti & maris, quod & ſupra 8. fecit. Et quod ibi dictum eſt, hic dicendum eſt, ſcilicet quod præſente Chriſto in Eccleſia ſeu fide, cogitur quieſcere turba Conſcientiæ, timoris & periculi cujuſcunq;. Ipſe enim eſt Pax, quies, ſolatium, ſecuritas noſtra in omni tribulatione. Quia calcat omnia, id eſt, victor eſt omnium, & ejus victoria noſtra eſt. *Tempeſtas ſedata. Chriſtus noſtra pax.*

Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum dicentes, Vere filius Dei es.

Illi qui in navi fuerunt, iſtis duobus Miraculis Petri ſcilicet & tempeſtatis, ſunt ad fidem confirmati, ut confiteantur eum eſſe filium Dei. Certe magnus fructus Miraculorum, confiteri hominem tam vilem filium Dei. Sed qui fuerunt illi? Scilicet Diſcipuli alij. Quia ſupra dixit, quod Ieſus coëgit Diſcipulos ſuos navigare, Tamen inter Diſcipulos & Nautas fuiſſe hujus Miraculi magnitudine commotos, non eſt dubium. Verum iſta vox, Tu es filius Dei vere, Significat certe verum filium Dei, quo nomine Scriptura nullum alium nominat. Et abſq; dubio ſancti Diſcipuli ſtupore rapti (propter tale Miraculum) in Spiritu Sancto iſtam vocem emiſerunt. Et voluit Spiritus hoc ipſorum teſtimonio Chriſtum oſtendere verum Deum, etiamſi poſtea (ut fuerunt homines) extra ſtuporem, cum familiariter ſemper cum eis ageret, non ſemper cogitaverint aut dixerint ſimilia. *Fructus miraculorum. Teſtimonium Diſcipulorum de Chriſto.*

Et cum cognoviſſent eum viri loci illius, miſerunt in univerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes &c.

In fine ſcribit multos in ea regione motos, ad eum undique attuliſſe ægrotos. Eſtq; locus ille communis, Quod opera & verba Dei non fruſtra ſunt, ſed multum fructum faciunt, etiamſi non appareat coram mundo. Quia & hic non mirantur Pilatus & Herodes, Hannas & Caiphas Verbum & opus, ſed de populo aliqui. Ideo nullo modo eſt deſiſtendum (ut alias dictum) quia omnino ſequitur fructus apud electos. Quid ad nos de reprobis? Omnia (inquit Paulus) propter Electos facio, ut ſalvi fiant, & ego particeps fiam Evangelij. *Opera & verba Dei multum fructum faciunt.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT XV.

IN hoc Cap. insignis locus tractatur de traditionibus hominum, Et ostenditur ridicula illorum superstitio, imo & pernicioſa. Ridiculum est, quod non lavare manus pro peccato habetur (Deo non mandante) Pernicioſum, quod propter hæc ridicula, tamen seria Dei mandata irrita fiunt. Ista duo prædicata humanæ traditionis sunt bene urgenda, Scilicet quod primo sunt nihili & ridicula, quæ non prosunt ad salutem, Secundo, quod perdunt tamen veram pietatem. Notanda (inquit adhuc semel) sunt ista duo mala. Totum genus humanum capitur isto monstro ridiculo & simia turpissima. Quia habet duo speciosissima Argumenta, Primum, Quod est simile veris Dei præceptis, Vt quia in lege Mosi multa docentur de lotionibus corporum, vestium & vasorum, quibus illi addiderunt multas & eas infinitas lotiones, tanquam necessarias & æquales legi Mosaicæ. Secundum quod procedit ex autoritate Ecclesiæ, ut hic dicit, Traditiones seniorum. Seniores autem fuerunt eo tempore quod nunc vocant Ecclesiam, Concilium, patres, &c. Sic & hodie jactant Ecclesiam catholicam de cibo & potu, &c.

Duo prædicata humanæ traditionis.

De 1 Primo. Omnes homines capiuntur traditionibus.

Seniores qui.

Tunc accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes.

Hic dignum est spectaculum nobis propositum, quomodo Pharisæi scandalisantur, & quam magnifice Christus eorum scandalum exagitat. Et, ut illustrius fiat negocium, veniunt à Ieruſalem, scilicet è summo loco, acerrimi Iudices in rebus istis. Nam contempsisse istos in terra Genasareth fuerit parvuli periculi vel facti. Sed istos proceres summi verticis è Ieruſalem, hoc est majestatis læsæ vel insignis seditionis seu hæresis crimen. Ideo inducit eos Evangelista, impingentes in petram scandali. Accedunt enim magno supercilio & tumore, velut de sublimi loquentes cum infimo aliquo Mendico.

Pharisæi offenduntur in Christo.

Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem edunt.

Quasi d. Si tu esses ex Deo & Ecclesia, non patereris tuos Discipulos esse tam rebelles & inobedientes & scandalosos, Deinde nosti has esse Seniorum traditiones. Tu quis es, qui unus resistis? Autoritas est Ecclesiæ, contra quam facis. Nam vox ista (Seniorum) est multi ponderis, & conscientias vehementer oppressit & captivavit. Sicut hodie, S. Patrum, Augustini, Ambrosij & similium dicta & facta, quæ valde movent conscientiam, præsertim infirmam. Nam seniores non tantum dicebantur isti præsentes eo tempore, sed etiam antecessores, qui ista ordinaverant. Et habebant ex Mose magnam autoritatem, qui docet ubique obediendum esse summo sacerdoti & Levitis, tanquam Deo ipsi, ut Deut. 17. Sicut hodie illud allegant, Qui vos audit, me audit. Ideo satis secura & certa confidentia Christum accusant inobedientiæ & factionis dicentes, Quare facis hoc? Verum ipse non relinquit eos abire sine responso, ut sequitur.

Zapostatela Pharisæorum cum Christo.

Autoritas Patrum magnifi.

Deut. 17.

Quare vos transgredimini mandata Dei propter traditionem vestram?

Non dignatur eis ad propositum respondere, sed clavum clavo retundit & odiose satis invertit eorum Quæstionem, ac si per comparationem dicat, Si ego culpandus sum, qui festucam vobis videor peccasse, Cur vos non magis estis culpandi, qui trabes meras peccatis? Culicem meum vultis colare, & vestros Camelos deglutitis, Licet nec festuca nec culex vere apud me inveniantur. Deinde hoc tolerabilius foret, si legem Mosi opere non impleretis aut servaretis. Hoc pessimum est, quod ipsam legem tollitis. Nam stante lege, semper sunt aliqui, qui tamen conantur eam facere, timore Dei inspirati, Sed sublata lege, fit jus & licentia secure peccandi, imo virtus est non curasse legem. Hoc autem facitis vos pessimi hostes Dei, & tamen judicatis optimos filios Dei, Nulla alia causa, quam ut vestras Traditiones contra Dei

Christus clavum clavo retundit.

Hypocrita legem tollunt, dum maximè observare videntur.

præcepta

præcepta ſtatuatis. Vſu/welch ſchendlich verflucht Volck ſeyd jhr/ Qui quum ſitis omnium peſſimi in terra, tamen audetis etiam damnare Deum ipſum cum omnibus ſuis Præceptis. Ja ich meine/ ſie ſind wol vngelauffen/ vnd haben ſich an den rechten Keſſel gerieben/vnd Xam gefangen. Sie wollen jhn lehren/wie er vnrecht thu/vnd geben jm eitel groſſe vrſache jre eigene Laſter zu melden.

Inſolentia ſpiritus contemnunt Deum cum omnibus ſuis præceptis.

Sed hæc hactenus de illorum peſſimorum ſtultitia & nequitia, Nunc eruditio hinc eſt conſideranda. Prima, quod flagitium maximum ſit coram Deo violare mandatum Dei propter traditiones hominum, Quia hoc eſt ponere Deum infra hominem, Sicut ſub Papatu factum eſt, & adhuc faciunt cum vtraque Specie, Conjugio, & alijs libertatis ſpiritualis Articulis. Ideo audendum & ſuadendum contra eundum eſt, ubi ſentitur premi divina autoritas Verbi, per autoritatem humanæ ſapientiæ vel religionis. Quia rata eſt ſententia, Supra & juxta Deum nihil Deus ſuper omnia, & omnia infra eum. Dahin es doch endlich kompt vnd muß. Semper enim hæc tentatio eſt in Eccleſia, ſemper fuit & erit, donec Satanas princeps mundi eſt. Quia ipſe ab initio mendax, ſemper voluit ſupra Deum ſtatui. Ideo ſemper nobis hæc Eruditio neceſſaria eſt, ut ſciamus Deo eſſe magis obediendum, quam hominibus, Et Verbum ejus præferendum verbo hominum. Quia manent ſemper homines, qui contrarium faciunt, aliqui errore, aliqui malicia, ſicut hodie malicia eſt, quæ fuit ante error de utraque Specie, &c. Et omnes Hæretici ſuum ſenſum præferunt vero ſenſui Chriſti, uſq; in finem mundi. Secundo, in his humanis traditionibus, quæ non tollunt nec pugnant cum mandato Dei, eſt obſequendum Eccleſiæ, vel plebi, in qua vivimus, ſicut dicitur, Si fueris Romæ, Romano vivito more. Nam Chriſtus diſerte addit,

Violare mandatum Dei propter traditiones hominum &c.

Tentatio ſemper

Verbum Dei præferendum verbo hominum

Traditiones non pugnantes cum verbo Dei ſeruari poſſunt.

Propter traditiones veſtras.

Quaſi d. Lavare manus pro more gentis, non eſſet malum, Sed quia vos omnia urgetis pro veſtris traditionibus contra mandatum Dei, ideo maledicendi eſtis cum traditionibus veſtris. Qui contra Deum eſt, Diabolus eſt, Vos & traditiones veſtræ contra Deum ſunt, Ergo diaboli eſtis. Sed ſi non contra Deum eſſent, pro Deo eſſent, Vt ſi lavares manus, ut mores gentis ſerves, ut charitas, pax & concordia maneret in gloriam Dei, Hoc eſſet pulchrum lavare, & vere lavare, non tantum manus & pedes, ſed & caput & cor, animam & corpus. Iam de textu per ordinem, ut Hiſtoria bene memoriæ inculcetur.

Lavare manus non eſt malum, ſed urgere traditiones humanas contra mandatum Dei impium eſt.

Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem. Et qui maledixerit Patri & Matri, morte morietur.

Hic ſatis patet, quod Chriſtus Decalogum non ſolum abrogat, ſed confirmat, Quia Parentum autoritatem dicit eſſe divinam, & per conſequens totam œconomiam & politiam Dei ordinationem eſſe, quam nullis prorſus traditionibus vult violari. Magna certe gloria tam contempti generis vivendi, & in mundo moleſti, &c. quæ certe conſolari debet politias & domos. Secundo ſubindicat illos eſſe maledicos in Parentes, ſeu ſeditioſos in politiam, qui docent Parentibus non obediendum ſpecie religionis. Quia & vere maledicunt, & diſſipant iſta duo vivendi genera, per hoc ipſum quod dicunt, Corban, Q. d. Vos rebelles Deo & hominibus docetis homines credere, quod Parentum & filiorum ſtatus non ſit ſanctus. Quia præfertis veſtrum (Corban) id eſt, donum ſeu ſacrificium.

Chriſtus confirmat Decalogum.

Dei ordinatio politia & œconomia.

Maledicti in parentes & ſeditioſi in reipub. Corban.

Et nota Diabolum, quo obſeſſi erant, quem hic pingit Chriſtus. Quia iſta Diſputatio fuit Phariſæorum, Vtrum melius ſit largiri Parentibus, an offerre Sacerdotibus. Reſpondent illi, Melius eſſe offerri, &c. Sic honorem Parentum docuerunt eſſe tantum ceremonialem, ſcilicet caput inclinare, aſſurgere & geſtum oſtendere reverentiæ. Hæc docuit eos Spiritus avaritiæ. Nam Chriſtus hic docet, hoc eſſe Parentibus maledicere, ut taceam honorare. Quia qui dicit, Melius eſt ſacrificium, quam obſequium erga parentes, is dicit Parentũ ſtatum non eſſe ſanctum, ſi ſacrificio compare-

Honor parentum ſecundum Phariſeos.

Digitized by Google

Maledicere parentibus.

comparetur. Hoc eſt autem vere maledicere Parentibus, id eſt, viliter & irreverenter de eis ſentire & loqui. Contra (inquit Chriſtus) Veſtrum ſacrificium eſt maledictum & vile habendum collatione Parentum, Et parentum autoritas ſacrificijs comparata, eſt vere ſacroſancta, benedicta & reverenda, quia à Deo præcepta. Sacrificia vero veſtra non præcepta.

Parentum autoritas ſacro ſancta.

Papiſta maledicunt Dei ordinationibus & operibus.

Multo pejores hodie fuerunt Papiſtæ, qui œconomiam damnaverunt, & ſecularem & carnalem vitam vocarunt, ſuos ordines vero ſanctos ſpirituales, ſeraphicos, cœleſtinos, & in infinitum prætulerunt etiam ipſi fidei & vitæ Chriſtianæ. Hi vere ſunt [illegible] & maledicti, qui maledicunt Dei ordinationibus & operibus. Ideo cont[illegible]um furias, hæc verba Chriſti ſunt, quantum fieri poteſt, amplificand[illegible]a. Quia potens fuit hæc illa abominatio per totum Orbem, & adhuc [illegible]t etiam accepto non parvo vulnere. Sed ſtat Chriſtus fortior & potenti[illegible]s vos eſtis maledici in Dei præceptum, quia veſtras traditiones præfertis [illegible]n & Politiæ autoritati & ſtatui. Huic credamus, & non fallemur illorum maledictis ſpecioſis, etiamſi ſcandaliſentur ipſi Phariſæi, violatis Patrum omnium traditionibus. Nam fateri cogimur eſſe ſcandalum maximum, Patres, patres, Concilia, concilia, contemnere. Sed quid facies, ſi eorum dicta & opera (Chriſto judicante ipſo) per Phariſæos inveniantur urgeri contra certum Dei præceptum? Hic cum fiducia illis traditionibus maledictis valefaciamus, & cum benedicto verbo Dei maneamus. Et poſſibile, imo certum eſt à Patribus ipſorum lotionem manuum honeſta cauſa, ſcilicet diſciplinæ gratia fuiſſe inſtitutam pro rudi populo, Sed ipſi poſtea verterunt in religionem & cultum Dei, Nec hoc ſolum, ſed addiderunt etiam traditiones ſuas contra Dei præcepta. Sic Patres in Eccleſia multa dixerunt & fecerunt honeſta cauſa, quæ poſtea poſteri in religionem neceſſariam verterunt, & addiderunt etiam multa de Miſſa, votis, purgatorio, &c. contra fidem & obedientiam Dei, &c. Quibus omnibus effecerunt, ut hic Chriſtus dicit, ut homines amplius non honorent Parentes, ſeu ut Paulus ait Tit. 1. Doctrinæ homtnum avertentes à veritate.

Traditiones à Patribus diſciplinæ cauſa inſtitutæ, poſtea in abuſum verſæ.

Tit. 1.

Corban.

Tamen ſpeciem vide, quam prætexunt, dicentes, ut eſt in Marco. *Si dixerit homo patri aut matri, Corban, &c.* id eſt, donum ſeu ſacrificium Dei, Q. d. Ego tibi libenter quidem darem, Sed quid faciam, Iam non eſt amplius meum, ſed Deo datum. **Alſo muß der Name Gottes der Schanddeckel ſeyn aller Gotteslesterung vnd ſchalckheit/ Gott muß es nu dem Vater genomen haben/ was er vom Sohn ſolt nemen.** Ita non homines, ſed Deus peccat ipſe in 4. ſuum præceptum, ipſi vero ſunt interim ſancti, ſecundum primum præceptum, tanquam Deo ſeriventes. **O Schelcke vber alle Schelcke.** Ideo merito indignans, dicit ut ſequitur:

Impij ſua peccata ornant nomine Dei.

Hypocritæ, recte prophetavit de vobis Iſaias, dicens, Populus hic appropinquat mihi ore ſuo, & labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Eſa. 29.

Hypocrita verum Deum quærunt & tamen in fruſtra.

Primum, fatetur hypocritas verum Deum quærere, quia dicit. ME. **Sie meinen mich/ das ſehe ich wol/ Den ſie füren meinen Namen in jrem Maul/** Non videntur ſibi idola aut alienum Deum quærere.

Secundum, quod concedit eorum quærere, eſſe cultum, quia dicit, Colunt, **oder ehren mich.** Quæ eſt mira Sententia, quod colere ſit non colere, ſicut dicitur oppoſitum in adjecto, **Auff deutſch/ Es iſt ein Teufel Gott/** vel ſicut dicitur **Ein Türckiſcher Chriſt/ Ein Teufliſcher Engel / Ein huriſche Jungfraw/ Eine jungfrawliche Hure/ Ein fromer Schalck / Ein ſchalckhafftiger Heilige / Ein hoffertige Demut/ Ein reich Armut.** Qui modus loquendi, vocatur oppoſitum in adjecto. Ita hic Chriſtus cultum vocat idolatriam. Nam vere cultus eorum fuit, non cultus, ſed idolatria. Sicut etiam Mammon vocatur Deus, Et Paulus vocat ventrem Deum, & diabolum Deum.

Oppoſitum in adjecto.

Cultus hypocritarum, eſt idolatria.

Deus Mammon Venter, &c.

Quid igitur deeſt hic? Deus verus eſt, quem quærunt (ut dicit) Et eorum quærere, eſt cultus, religio, pietas, reverentia. Quid vis amplius? Vbi eſt cultus veri Dei,

reverentia

reverentia veri Dei, timor veri Dei? (Nam timor Dei hoc loco eſt in Eſaia, ubi dicitur, Colunt me, id eſt, timent me) Sols denn nichts ſeyn / wenn einer den rechten Gott ehret / fürchtet / dienet? was wöllen wir denn thun? Wer wil ſelig werden? Das höreſtu hie wol / daß Chriſtus ſelbs ſagt. Wer kan jhm widerſtehen? Er ſagt dürr eraus / Sie dienen mir (oder fürchten mich) Mir (ſagt er) nicht dem Teufel / Ich bins dem ſie dienen / den ſie fürchten. Woran feilets denn?

Colere & timere Deum idem.

Daran feilets / daß im andern Gebot ſtehet / Meinen Namen ſoltu nicht mißbrauchen. Mein iſt der Name / den du nenneſt / vnd heiſſt meinen Namen genennet / vnd nicht des Teufels namen. Ergo hic concluditur, quod omnis idolatria peccat, non in hoc, quod Deus verus non quæratur, Quia omnes verum nomen Dei nominant, Et verum nomen Dei verum Deum ſignificat, ſicut hic dicit, Colunt me, Sed hic eſt error, Quod verum Deum non vero cultu colunt. Ideo non eſt diſtinguendum de Deo, ſed de cultu, Alius verus, alius falſus. Ieroboam vitulos non adoravit, ſed verum Deum falſo cultu adoravit. Volebat enim & quærebat Deum illum, qui eduxit Iſrael de Aegypto (ut verba ejus ſonant) ſed quod non vere ſeu vero cultu coluit, dicitur coluiſſe vitulos, non Deum. Hoc eſt quod & Paulus affirmat Roma. 10. Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, Et 1. Corinth. 8. Gentes quæ immolant, non Deo immolant, ſed dæmonijs. Ecce immolare eos dicit, Immolare eſt Deo ſacrificare. Ideo Roma. 1. dicit, Notum Dei eſt in illis manifeſtum, ſed non egerunt gratias Deo, &c.

Colunt vitulos, falſum. Ieroboam verum Deum falſo colu adoravit. 2. Reg. 12. Immolare.

Roma. 10. 2. Cor. 8. Roma. 1.

Quare hic locus inſigniter notandus eſt, quod cultus Dei (etiam veri) reprobetur contra omnium hominum ſenſum, qui dicunt, Wenn ichs gut meine / ſo wirds Gott gefallen. Sicut & Sophiſtæ docuerunt, Facienti quod in ſe eſt, Deus dat gratiam. Quia iſta doctrina ſeu opinio eſt fons omnium idolatriarum, errorum & ſectarum, Daß die Leute wehnen / wenn ſie den rechten Gott nennen können / vnd gut meinen / ſo mus es recht ſeyn. Aber Chriſtus verdampt hie ſolches alles / vnd ſpricht / Es ſey Mund ohne Hertz / vnd fern von Gott / Vnd bekennet doch / Sie ehren / ſie fürchten / ſie dienen / ſie ſeyen from / ſie ſeyen heilig. Quæ eſt ratio? Reſpondet, Quia non verbo Dei colunt ME, ſed hominum traditionibus. Hoc eſt quod dicit,

Gratia datur facienti quod in ſe eſt, ſecundum Sophiſtas.

Fruſtra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

Ex his verbis Chriſti conclude fortiter. 1. Omne quod extra Dei verbum fit eſt idolatria. 2. Omne quod fit in verbo Dei, eſt cultus verus. Sicut, 3. Omne quod fit ſine fide, eſt peccatum. 4. Omne quod fit in fide, eſt bonum opus, Quia verbum & fides eſt conjugium indiſſolubile. Hoc clare definit Chriſtus hic dicens, Fruſtra me colunt mandatis hominum, &c. Iterum coli ſe verum Deum dicit, ſed fruſtra. Fruſtra autem, idem eſt, quod nihil. Ideo in Scripturis idolatria vocatur undique nihil, vanitas, mendacium, falſitas. Pſalm. 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Hic declaranda & diſtinguenda ſunt mandata hominum à mandatis Dei. Quia mandata Parentum & Principum videntur eſſe hominum mandata, &c. Hanc diſtinctionem perfecte tradit Decalogus, ordine ipſo præceptorum. Quia prima tabula præfertur ſecundæ, & influit ac regit ſecundam. Exempli gratia, Secunda tabula dicit, Honora, audi, ſequere parentes, Sed ubi parentes juſſerint contra tabulam primam, ibi jam eſt mandatum hominum, Quia eſt prorſus contra Deum, Vt fit in caſu religionis, quando Parentes cogunt filios ad idolatriam & impietatem, Hic dicendum eſt, Magis eſt obediendum Deo quam hominibus. Quia in iſto caſu, mandatum parentum eſt merum hominum mandatum, ſine Deo, extra Deum, ſupra Deum, Quia non fluit ex prima tabula, Sed reſiſtit primæ tabulæ, Alias ubi non reſiſtit primæ tabulæ, ibi eſt Parentum mandatum vere divinum præceptum, Quia ipſe juſſit obedire parentibus, ſed non contra Deum præcipientem.

Omne quod fit ſine verbo, eſt idolatria & e contra.

Idolatria vocatur in ſcripturis nihil, vanitas, &c.

Pſal. 4.

Mandata hominum diſtinguenda à mandatis Dei.

Parentes non audiendi cum contra 1. tabulam aliquid juſſerint.

Secundo, extra religionem poteſt etiam caſus eſſe, ut etiam non ſit obediendum parentibus, ut ſi parentes manifeſte contra tabulam ſecundam præciperent,

occidere,adulterari, furari,mentiri,& alia mala facere. Quia iſta omnia Deus excepit ab obedientia Parentum,& ſubjecit etiam ipſos parentes ſecundæ tabulæ. Quare ſervatis duarum tabularum præceptis(quia contra has non habent parentes præcipere)quicquid poſtea præceperint parentes & magiſtratus,eſt faciendum,Et tunc ſunt eorum mandata non humana,ſed divina. Quia Deus dedit eis præcipiendi poteſtatem, ſalvo Decalogo, cui & ipſi ſunt ſubjecti. Quicquid igitur contra Decalogum præcipitur, hoc eſt impium & humanum præceptum. Iam omnes traditiones humanæ includunt vitium contra primam tabulam,quia docent fidere operibus talibus. Quod niſi facerent,nihil nocerent & tuto poſſent fieri.Sed tunc non diu durarent, ſed contempta jacerent, ut quibus nihil eſſet opus, ſi in eis non eſſet fidendum. Sicut etiam traditiones poſtea faciunt homicidas. Quia poſtquam docuerunt operibus fidere(ut eſt eorum natura)& ſic idolatrare contra primam tabulam,mox docent etiam eſſe occidendos omnes, qui ſimilem idolatriam nolunt ſequi,Et habent titulum, quod propter Deum illos occidant, tanquam blaſphemos in cultum Dei,ſicut Chriſtus dicit, Arbitrantur ſe obſequium præſtare Deo,ſi vos occiderint. Adeo iſta duo diaboli peccata,ſcilicet mendacij contra primam tabulam, & homicidij contra ſecundam,non poſſunt ſeparari, ſed ſunt concluſiones certiſſimæ, quas Chriſtus Iohan. 8. ponit,Ipſe eſt homicida,& mendax. Iohan. 8.

Parentes ipſi ſubjecti à tabula.

Humanum & impium præceptum, quod contra Decalogum præcipitur.

Traditiones humanæ non ſolum mendaces ſunt, ſed etiam homicidas.

Duo diaboli peccata.

Ita omnis traditionis ſervus eſt Idolatra ſeu mendax,Et omnis idolatra eſt homicida. Quia etiamſi manu non occidat,tamen corde odit omnes pios, qui contra ſuam religionem pugnant, & conſentit & gratulatur illos occidi. Sicut ego ipſe feciſſem monachus cunctis dijs, ſi meam ſtultam religionem ſeu traditionem impugnaſſent, tanquam fruſtraneam ſeu idolatriam. Quia ut eram peſſimus idolatra, ita fuiſſem crudeliſſimus homicida facto,ſi fuiſſet occaſio. **Denn es kan nicht anders ſeyn/Wer in der meynung iſt/daß ſein Weſen ſey Gottesdienſt/der mus auch feind ſeyn allen/die ſolchen Gottesdienſt verdammen /** Et tanto magis, quo majore zelo ſuum cultum amat. Sicut S. Paulus inſaniens in ſuo Phariſaiſmo,cogebatur furere & homicida fieri crudeliſſimus. Sic mendacium(id eſt, idolatria)trahit neceſſario homicidium. Dicit etiam S. Gregorius in Homilia (Licet tenuiter) eandem ſententiam. Vera juſticia compaſſionem,falſa indignationem habet,Q. d. Falſi ſancti ſunt omnium maximi homicidæ,veri ſancti ſunt ſuaves & mitiſſimi.

Mendax neceſſario eſt homicida.

Vera juſticia habet compaſſionem, &c.

Et convocatis ad ſe turbis, dixit, Audite & intelligite, Non quod intrat in os coinquinat homines.

Poſt hæc Chriſtus ſcribit commentarium in Eſaiam,& invectivam in traditiones humanas,& eſt copioſus & odioſus in hoc loco, Et data opera digreditur à lotione manuum (unde orta fuit Diſputatio de traditionibus) etiam ad manducationem ipſam, in qua ponit directam ſententiam contra legem Moſi, qui Exod. & Levit. docet, quædam eſſe immunda animalia ad manducandum, Ipſe vero contra hic clare ſtatuit generalem Sententiam, quod eſus & potus non ſanctificet neque polluat. Nova plane & inaudita Sententia in iſto Populo, imo in faciem Moſi blaſphema. Quid enim hic Moſi relinquitur, quando Lex edendi & bibendi libera & ſublata prædicatur? Poteſt ergo Iudæus tuto edere carnes, piſces, cibos in lege prohibitos, & quoquo modo immundos, Et tenetur (tanto Deo autore) credere ſeſe non poſſe peccare, aut immundum fieri, etiamſi muſcas ederet, vel ſi ſerpens caſu in os intraſſet. Quid ergo ſunt Præcepta edendi & bibendi hoc vel illud, &c. ſi juſticia per hæc petitur, niſi manifeſtæ blaſphemiæ contra hæc Majeſtatis verba? Cogita,quis,qualis,quantus ſit,qui hic loquitur,& videbis quam ſtulta ſint,quæ contra hæc docentur & ſervantur.

Chriſtus contra Moſen docet &c.

Præcepta de eſu & potu.

Ipſe magna voce & aperto ore dicit,Quicquid in os ingreditur, non polluit. Quid poteſt dici clarius, potentius, certius? Non dicit, Quicquid comeditis,ſed quicquid ingreditur in os, Vt præoccupet omnium calumnias, & ne quis ullam ciborum differentiam,exceptam eſſe cavilletur, **Was zum Maul jmmer eingehet kan/**

das

das sol nicht Sünde heissen. Si autem cibus & potus non polluit, quanto minus vestis, locus, tempus, personatus & omnes aliæ observationes & traditiones, cum cibus & potus sint maximum in hac vita corporis. Observa diligenter hæc dici à Christo. Altera pars propositionis Christi est, *Cibus & potus non polluunt &c.*

Sed quicquid egreditur ex ore hoc coinquinat hominem.

Delectat enim ista pulchra & venusta antithesis, ingredi & egredi. Q.d. Ach was plagen sie sich mit essen vnd trincken/vel illo quod intrat in os, Si observarent quid exiret ex ore, Da solt man aufffehen. Intrans in os, non polluit, Sed exiens ex ore, hoc polluit. O detestabiles hypocritas, qui observant ne polluantur ab ijs rebus (quæ Dei sunt creatura) in os ingredientibus, Cur non observant ea, quæ exeunt ab ore potius, quæ sunt Diabolí opera. Elevanda ergo est Epitasis illa, Was ausgehet/ Q. d. Ach schweiget vom eingehen/ Das ausgehen vom Munde / das ist alle Vnreinigkeit. Wenn das ausgehen rein were/ das eingehen würde nicht vnrein machen. Vult dicere, Vos estis Hypocritæ perversissimi, statuentes justiciam ubi nulla est, & peccatum ubi nullum est, Vbi vero peccatum est, nullum statuitis, & ubi justicia est, nullam reputatis. *Quod intrat in os non polluit.* *Hypocrisarum natura depicta.*

Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt illi, Nosti Pharisæos, audito hoc verbo, scandalisatos fuisse?

Vides etiam ipsos Discipulos commotos ista doctrina de cibis, quia scandalosam esse dicunt Pharisæis. Revera enim fuit scandalosa, etiam contra Mosen. Sed Christus ceu Dominus, potens omnium, respondet adhuc duriore sententia, dicens. *Discipuli Christo offensi, &c.*

Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur.

Quid est hoc dicere? An Mosi lex non est plantata à Deo? Nam discipuli interrogabant non de lotione manuum, sed de manducatione libera, ubi Christus dixit, Quod intrat in os, &c. Iustissime igitur accusari poterat hæreticus in legem Mosi, contra quam docet, non tantum contra traditionem humanam, de lotione manuum. Ich hette jhn warlich auch helffen creutzigen / cum in populum tam seditiose doceat palam, non esse servanda, quæ Moses præcipit, Imo Mosen hæreticum, & alienum à Deo Patre declarat, cum ejus plantationem non ex Patre esse dicat, & eradicandam. Et addit, Omnes esse cæcos, & cæcorum duces, qui ista Mosi præcepta docent & sequuntur. Wer wolt solchen Teufelsprediger nicht steinigen / creutzigen vnd ewiglich verfolgen/ oder gehaß vnd gram seyn? *Christus contra legem Mosi docet.*

Quid ergo hic dicemus? Hoc dicemus, Primum, Christum esse Dominum etiam Sabbati, ut supra cap. 12. quanto magis omnium ceremoniarum, cibi & potus, Et ideo Mosen servum cum sua Lege debere cedere suo Domino jam præsenti, Et Pharisæos seu sacerdotes jam defunctos suis officijs, novum Regem oportere adorare. Ideo jam non amplius posse leges Mosi vocari plantationes Dei, cum in Christum futurum omnia data sint illis, Et nunc Pater aliud per Filium suum velit Regnum ordiri. Secundo, Pharisæos dicimus fuisse Hypocritas, & Mosi perversos discipulos, ut qui ceremonias ex opere operato, id est, ex ipso facto putabant esse justiciam coram Deo. Hoc Moses vere non voluit, sed ceremonias voluit esse exercitia piorum, qui per fidem essent prius justi, scilicet qui primum (ante omnia) præceptum servarent. Deinde impium vulgus externa disciplina coherceri & separari à gentibus. Hæc est sententia Mosi vere intellecti. Nunc vero cum non solum falso accipiant & doceant Mosen, sed etiam Dominum Mosi præsentem contemnant, recte concludit Christus esse arborem cum radice eradicandam, tanquam nunc non amplius à Patre plantatam. Et ita ruit Moses etiam revera cum suis ceremonijs, & simul hypocrisis cum falso intellectu Mosi, Et manet unus Dominus Christus liber & rex libertatis. *Christus Dominus omnium.* *Judæi omnia data in Christum futurum.* *Pharisæi Mosen non recte intellexerunt.* *Moses cedit Christo Domino*

Si autem suscepissent Dominum, & Mosen recte, & (ut Paulus ait) legitime le-

gem intelligere voluissent, bonæ fuissent ceremoniæ, & Christus eas non eradicasset. Sicut ficum non maledixisset, si ficus etiam non tantum folia tulisset, sed vera ficus fuisset. Quia tota summa est, non ex operibus & ceremonijs esse justiciam coram Deo, sed ex fide. Stante fide, stare poterunt omnes ceremoniæ, imo & traditiones piæ, Sed fide non admissa, neque ceremoniæ etiam divinitus traditæ, multo minus traditiones quantumvis in speciem piæ, stare poterunt, Sed utræq; & omnes simul sunt eradicandæ tanquam plantatio à Patre non plantata. Denn er will fidem haben/ Ideo sol alles außgerottet seyn/ quicquid potest Lex dici. Quia fides justificat, Lex (ut spiritualissime accipiatur) tamen non justificat. Quare & ipsa tota eradicatur in spiritu (ut alias sæpe doctum & scriptum est) Nam hoc loco potest dici de abrogatione legis, cum idem sit hoc loco eradicatio quod abrogatio.

Stante fide, stare possunt ceremoniæ, & econtra.

Lex non justificat.

Eradicatio.

Sinite illos, Cæci sunt, & cæcorum duces. Cæcus autem si cæco dux fuerit, nonne ambo in foveam cadunt?

Sed quia ista non intelligunt impij jubet Christus eos contemnere, ut qui sciret illos neque velle, neque posse intelligere, Ideo valefaciendum est illis. Ach/ laßt sie faren/ laßt sie jhr ding machen/ sie verstehens nicht/ wollens vnd könnens nicht verstehen. Laßt sie blinden seyn/ vnd einander in die Gruben füren zum Teufel zu/ sie wöllens also haben/ Es hilfft weder predigen noch wunder thun/ Mich hören wollen sie nicht vnd dürfens doch wol/ Leren vnd richten wöllen sie mich/ vnd könnens doch nicht/ blind/ blind immer hin.

Respondens autem Petrus dixit ei, Dissere nobis parabolam istam.

Non quærit Petrus de lotione traditionis humanæ, sed de manducatione libera omnium. Quia (ut dictum est) & ipsi discipuli offensi fuerunt hac doctrina nova, contra legem Mosi. Et respondet Christus satis fastuose, & non ad propositum. Nam cum deberet docere, quomodo ista non pugnarent cum Mose, ipse versus alio contemptissime dicit.

Non intelligitis, quod omne quod intrat in os, in ventrem abit, & in secessum ejicitur?

Quasi d. suavissimis & familiarissimis suis Discipulis, Ah, putatis cibum, qui paulo post in secessum ejicitur, posse salvare? Adeo intelligentia caretis? Nam quid opus erat illi tanto Doctori & Domino, etiam istam fœdam necessitatem corporis humani non solum attingere, sed etiam (sicut Philosophi & Medici solent) crasse describere, scilicet quomodo in os intret cibus, & in ventrem descendat, deinde egeratur. Nec dignatur saltem dicere, quomodo cibus in carnem & sanguinem mutetur, & nutriat corpus, sed odiose tantum illud exaggerat, quod est in cibo pessimum, scilicet stercus. Germani, ut sunt homines elegantes sua lingua præcipue cum de hoc opere loquuntur, istam Christi sententiam crasso suo more ita efferrent, Qui in cibo ponunt justiciam, sunt Sancti concacati & merdosi. Eorum enim sanctitas consistit in cacando & mingendo, Egregia profecto sanctitas, quæ per secessum in latrinam ejicitur. Germanico more Christus non loquitur, sed tamen indignans significat se hoc ipsum velle. Adeo displicet ei ista Hypocrisis falso intellecti Mosi, Q. d. Ah, putatis Mosen locutum fuisse de edendo & cacando, imo potius locutus est de honesta disciplina externæ vitæ, quæ ad justiciam (ut isti putant) valeat.

Christus exaggerat quod in cibo pessimum.

Quales sit sanctitas eorum, qui cum ponunt in cibo, &c.

Tamen serio significat hic veram laudem & victorias traditionum hominum & falsarum justiciarum Legis, etiam ipsius Dei, scilicet esse nihil aliud, quam excrementa & stercora, Sicut & Paul. Phil. 3. Quia non nutriunt animam traditiones, sed sunt tantum stercora. Deinde dicit, Iusticias extra fidem esse stercora & detrimenta, Quasi scilicet Deo curæ sit (quo ad justiciam) quid edas aut caces, quo vestiaris aut nuderis, Nisi quod sicut ipsa necessitas egerendi est honeste tegenda, ita

Traditiones humanarum laus.

Iustitia extra fidem sterc.

Phil. 3.

Ita & neceſſitas edendi,bibendi,&c. eſt honeſtis modis regenda, ne ex hominibus fiant beſtiæ. Sed juſticiam in illis ſtatui, hoc non ſentit Moſes, ſed ei affingitur per hypocritas. Ideo ſunt merdoſi(ut vulgo dicitur) beſchiſſene Propheten / quorum doctrina & juſticia eſt merda & olerum.

Quæ autem procedunt de ore,de corde exeunt,ea coinquinant hominem,&c.
De corde enim exeunt cogitationes malæ,&c.

Ex ore exeuntia quæ ſint.

At ego inquit, non dicam vobis de cibo aut ſtercore, ſed quæ vere hominem inquinent,ſcilicet,quæ exeunt de ore,non quæ intrant. Definit autem quid ſit ex ore exire(ne quis ſputum aut vomitum ſomniet)ſcilicet quæ ex corde procedunt per os De iſtis ſcilicet præcepit Moſes ſerio,ſed illi iſtis omiſſis,diſputãt de iſtis in os ingredientibus,colantes culicem & glutientes camelum. Ipſi offenduntur,quod ſuam ſtercoratam juſticiam non adoro, Et ego non deberem offendi, quod veram & puram juſticiam non curant? Laſt ſie jhren Dreck freſſen des Teufels namen. Colite vos cordis juſticiam,& omnia poſtea erunt munda,ſive jejunium,ſive cibus prohibitus, ſive permiſſus à Moſe. Quia ille ad me reſpexit cordis juſtificatorem, &c. Hic facilis eſt quæſtio, Cur dicat de corde exire iſta manifeſta peccata,fornicationes, furta, adulteria,falſa teſtimonia,blaſphemias,cum ſint omnia externa opera? Quia nemo talia faceret,niſi in corde iſta cogitaret & vellet facere. Ergo antequam corpus facit peccatum,jam factum eſt in corde,ſicut dicit Matth.5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum,adulterium cum ea commiſit in corde ſuo. Et,Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Et 1. Ioh.3. Omnis qui odit fratrem,homicida eſt. Ideo pollutum & malum cor omnia polluit dicta & facta,etiam ſecundum ſpeciem bona,juxta illud,Mundis omnia munda,Sicut & alibi Chriſtus dicit, Primum munda quod deintus eſt,&c.

Inſtitia cordis ſpectanda.

Peccatum externe factum prius fit in corde.

Mat.5.

1.Ioh.3.

Pollutum cor.

Catalogus vitiorum eſt notus, ſcilicet homicidia, adulteria,&c. Niſi quod Chriſtus non tantum de parte peccati, ſed de toto peccato loquitur, id eſt, non de facto operis, ſed de radice & arbore cum fructibus. Vt homicidium eſt peccatum, quod corde,ore,manu,conſilio, auxilio fit, vel uno illorum, vel omnibus ſimul,ut Matth. 5. dicit, Qui iraſcitur fratri,&c. Sic cogitationes malæ,non dicuntur libidines(nam iſtæ ſub adulterio & ſcortatione comprehenduntur)ſed noxia ſtudia,artes fallendi,nocendi,fraudendi proximum,etiam tunc,cum volunt videri amici & optimi. Malæ enim dicuntur à malo ſeu noxio, Schaden thun/beſchediſſen/liegen/triegen. Iſtæ enim ſunt cogitationes regnantes in Mundo ſub ſpecie bona. Et iſte procedunt ex corde, in quo radicatæ ſunt. Sic blaſphemiæ & falſa teſtimonia non tantum in ſecundam tabulam ſeu præceptum 8. peccata ſunt, ſed etiam in primam & in ſecundum præceptum, Vt falſi doctores & Spiritus fanatici ſub nomine Dei mendacia loquuntur, & veram doctrinam damnant & maledicunt. Et addit admonitionem,dicens, Hæc ſunt quæ coinquinant hominem, Q. d. Iſta oportuit obſervare, iſta non ſunt de lana caprina, vel de ſeceſſu cibi in ventrem, iſta ſunt de pondere, Cur hic non videtis peccata horribilia & trabes maximas?

Chriſtus de toto peccato loquitur.

Homicidium.

Cogitationes malæ.

Blaſphemiæ. Falſa teſtimonia.

Vltimo redit ad propoſitum,finita digreſſione, dicens,

Illotis autem manibus manducare,non coinquinat hominem.

Nam digreſſus dixerat de cibo ſeu de eo,quod in os intrat, non tantum de lotione manuum, Lavet qui lavat,non lavet qui non lavat,manus, Nihil iſta ad juſticiam vel peccatũ. Nolo in iſtis conſtitui peccatum vel juſticiam. Separate igitur juſticiam & peccatum ab iſtis humanis traditionibus. Non pugno ſi quis lavet, Sed hoc pugno,ne ideo ſe quis juſtum & ſanctum coram Deo arbitretur. Sicut nec pugno,ſi edat vel egerat,modo hoc non juſticiam eſſe fingat. Sint illa honeſtatis & mundicei corporis,ſicut ſunt & aliarum rerum,veſtium,vaſorum, domorum, agrorum, Sed per iſta nihil peccati aut juſticiæ concipitur. Spectanda igitur intentio Chriſti, quia non hoc vult,ut mundicies corporales damnentur, & pro ijs fœditates arripiantur,

Iuſtitia & peccatum ſeparanda à traditionibus humanis.

Chriſtus non damnat mundiciem corporalem.

ſicut Monachi putant, vilitate & fœditate veſtium ſeſe eſſe ſanctos & magnos. Quis enim ita inſaniat, ut peccatum putet, ſi ancilla lavet ollas, vaſa, veſtes, purget & verrat domum & cubilia, &c. Non hoc vult Chriſtus, ſed per medium vadit, imo ſe ſupra tollit & dicit, In his non eſſe ſitam juſticiam aut peccatum, ſive bibas lota ſive illota menſa, veſte, domo, &c.

Hiſtoria de Cananæa.

ET egreſſus inde Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Cananæa à finibus illis egreſſa, clamabat ad illum dicens, Miſerere mei Domine, fili David, Filia mea à Dæmonio male vexatur. Qui non reſpondit ei verbum.

Fides Cananææ magna ſtrenuè tractatur.

HIſtoriam de Cananæa muliere in poſtillis ſatis copioſe tractavi, Duos tamen præcipuos locos continet. Primus eſt de fide magna, conſtanti & mirabili hujus mulierculæ, quæ non ſolum credit, ſed tot impugnata tentationibus, tamen vincit & triumphat. Nam ſatis erat magnum, quod Chriſtus clamantem non audivit, ſed contempſit. Hic ruerent infinita hominum corda, ac dicerent: Quid clamarem? video me non eſſe in gratia, nec dignatur me ſua gratia, Ergo ſum perditus, Deus odit me, nec vult me ſalvum, ergo deſperandum eſt. Tales cogitationes etiam iſta Mulier potuiſſet pati, & forte etiam paſſa eſt ſecundum ſenſum carnis. Sed ipſa fortiſſimi animi Virago has omnes ejicit è corde, & contrarium firmiter ſtatuit, ſcilicet, ſe ſuſcipiendam in Gratiam & exaudiendam, & contra ſpem in ſpem credit, dicens, Etiamſi ſim gentilis & omnibus modis indigna, non tamen volo Gentilis eſſe, & ſcio me ab eo pro gentili non haberi, &c. Iſta eſt prima lucta, & quidem ſatis acerba.

Cananæa in ſpem contra ſpem credidit.

Et accedentes Diſcipuli ejus, rogabant eum, dicentes, Dimitte eam, &c. Qui-bus ait, Non ſum miſſus, niſi ad oves perditas domus Iſrael.

Sequens eſt acerbior, cum petentibus diſcipulis Chriſtus perdurat, imo negare ſe oſtendit Gratiam, plane ſeparans & diſcernens eam à perditis ovibus Iſraël. Quis hoc fulmen, hunc ictum ferret, etiamſi eſſet filius Iſraël? Horribile eſt audire cauſam negatæ gratiæ, & non exauditæ precationis, ſcilicet non eſſe de ovibus Iſraël, nec ad eam ſeu propter eam veniſſe Chriſtum. Hæc horribilis eſt Excommunicatio & præterea intolerabilis, niſi tentatus fortiſſimus ſit in fide.

At illa venit, & adoravit eum, dicens, Domine, adjuva me, Qui reſpondens ait, Non eſt bonum ſumere panem Filiorum, & mittere canibus ad manducandum.

Tertia eſt acerbiſſima, ubi ipſamet procidens & orans, non ſolum non auditur nec recipitur inter Oves, ſed aperta ſententia damnatur, & Canis appellatur, ubi alij vocantur Filij. O canem judicari inter Filios, hoc non eſt haberi inter ſervos ſaltem, ſed ſimpliciter ab hæreditate æterna filiorum præcidi.

At illa dixit, Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, &c.
Cui Ieſus, O mulier, magna eſt fides tua, Fiat tibi ſicut vis, &c.

Fidei vis.

Tanta eſt vis fidei, & quidem gentilis Fœminæ, ut has acerrimas tentationes vincat, & perrumpat omnes. Ea in paucis & raris invenitur, Hinc & Chriſtus ipſe miratur hanc fidem, ita ut etiam exclamet, dicens, O mulier, &c. Et donat ei, quod ab eo rogavit. Iſta nobis proponuntur, ut diſcamus, credentes impetrare tandem, quæ volunt, modo non deſiſtant petere & pulſare. Secundus locus eſt, quod Chriſtus etiam gentibus donatus ſit, non ſolum Iudæis. Nam in iſto populo Iudæorum, nulla erat quæſtio major, quam iſta, an etiam Gentes (præſertim non circunciſæ) eſſent participes gratiæ Dei? Cum ſtent hic Moſes & omnes prophetæ fortiter, ſcilicet ſemen Abrahæ, eſſe populum Dei, Ideoq; ſeparatum & electum hunc populum ab omnibus gentibus, non arbitrio humano, ſed juſſu divino, Signis, cultu,

Chriſtus etiam gentibus donatus, &c.

lege,

lege,promiſſione,circumciſione,deniq; regno & ſacerdotio, manifeſtis ſignis & uſu longo per Deum probatis ac defenſis per multa miracula. Ideo Iudæi(ſicut adhuc eſt hodie)nihil minus credere poterant,quam eſſe aliquem populum Dei præter ſeſe niſi circumciderentur & ritum Moſi ſequerentur.

Durities Chriſti erga Cananæam.

Et hanc opinionem videtur Chriſtus hoc loco approbare. 1. cum non audit nec curat Cananæam,2. cum negat ſeſe miſſum,niſi ad oves perditas domus Iſrael. 3. cum ait ſe eſſe panem filiorum,non canum,& negat ei panem filiorum. Ita ſemper fuit ab initio mundi,& erit in finem uſq; illa graviſſima Quæſtio, Quæ, quis, ubi ſit Eccleſia ſeu populus Dei? Hoc eſt, quis & ubi ſit Deus? Nam ubi Eccleſia eſt,ibi Deus eſt. Iudæi apud ſe eſſe credunt, Turcæ apud ſe,Papiſtæ præ omnibus apud ſe, Nos apud nos. Et ſemper Chriſtus apparet eſſe extra ſuos apud alienos. Quia ſuos videtur neq; audire neq; noſſe, ſicut hic in iſta Muliere facit,Sicut & hodie facit nobiſcum,Tamen finali ſententia ipſe oſtendit ſeſe eſſe Deum, ſine perſonarum reſpectu,omnium,qui credunt in eum, ut ſit Deus fidelium ſeu credentium. Nam ſe tandem huic Mulieri oſtendit valde propitium,& laudat ejus fidem, licet ipſa ſit (quod Marcus ſatis emphatice urget) Syrophœniſſa, gentilis,&c. Id eſt, non de ſemine Abrahæ, ſed de gente incircumciſa,nihil merita, nihil operata, imo nec unquam ſub lege Moſi poſita,non particeps promiſſionum de Chriſto,ſed ſimpliciter ex idolatria ad famam ſeu verbum de Chriſto auditoad fidem converſa. Quare jubet hoc Exemplum ſperare Gentes, etiamſi non ſint circumciſæ,aut lege aut promiſſis Dei ornatæ,tamen venturas, ſi crediderint in Chriſtum, ad communionem ſortis Sanctorum in luce & ad ſocietatem Regni cœlorum.

Quæſtio grauiſſima ſemper in mundo agitata, quæ & ubi ſit Eccleſia.

Deus eſt credentium Deus.

Syrophœniſſa quomodo ad fidem peruenerit.

Quid igitur dicetur ad Argumenta Iudæorum tam fortia ex Scripturis? Pau-
Rom. 3. lus ſolvit mira dialectica Rom. 3, dicens, An Iudæorum Deus tantum? Nonne & gentium? Q. d. Concedo hanc affirmativam Iudæis, quod ſint populus Dei electus & vocatus,Sed hanc excluſivam nego,Tantum Iudæi ſunt populus Dei. Aliud enim eſt,Iudæos eſſe populum Dei & aliud, Tantum Iudæos eſſe populum Dei. Quia etſi Deus hunc populum peculiariter propter Abraham & Chriſtum elegit, non ſequitur,quod ideo nullam Gentem voluerit pro populo ſuo habere,cum ſub Iona habuerit Ninivitas,ſub Ioſeph Aegyptum,ſub Daniele Babylonios, Cur autem nunc ſub
Rom. 15. Chriſto ipſo,omnes Gentes non haberet indifferenter? Et Paulus Roma.15.egregie diſtinguit iſtam quæſtionem,ubi dicit,Chriſtum fuiſſe miniſtrum Circumciſionis propter promiſſiones Dei,ſeu veritatem Dei patribus factam,Q. d. Iudæi in hoc ſunt electi,ut eſſet aliquis unus certus populus, cui Deus promitteret & eloquia ſua
Rom. 3. Pſal. 147. (ut Rom. 3. dicit)crederet, Quemadmodum & Pſal.147.dicit,Qui annunciat Verbum ſuum Iacob,&c. Sed per hoc non aſtrinxit ſeſe,quod ſolum hunc Populum vellet habere,& omnes gentes reprobare,Imo hoc eſt plane divinum Conſilium,quod non plures populos,ſed unum populum,atq; adeo unam perſonam Abraham eligere voluit,cujus vellet eſſe Deus. Nam ſi plures ſeorſum & manifeſte elegiſſet pro ſuis eloquijs ſeu promiſſionibus, Quomodo unquam potuiſſet totus Mundus ſub unum Chriſtum ſeu in unam Eccleſiam congregari? Cum etiam nunc, cum certum ſit,unius populi fuiſſe promiſſorem Deum, & non uno populo promiſſiones ſuas datas. Nihilominus tamen infinitæ Sectæ ſunt, & diſcedunt à promiſſis Dei uni & ſingulari populo datis.

Deus Iudæorum & gentium.

Populus Dei.

Chriſtus miniſter circumciſionis.

Conſilio divino factum, quod tantum Iudaico populo traditæ fuerunt promiſſiones.

Quid fieret vel futurum fuiſſet,ſi tunc temporis plures populos elegiſſet, & ſua eloquia illis dediſſet,ſicut uni populo Iudæorum? Quælibet enim Gens ſe divina autoritate ſepararet ab alia (ſicut Iudæi faciunt, ſeu fecerunt potius) Et ſic nunquam poſſet fieri una Eccleſia in Orbe terrarum catholica, Sed tot fierent Eccleſiæ catholicæ, quot eſſent hujuſmodi Gentes, quæ haberent æquales promiſſiones Iudæis,Nunc vero,cum Deus voluerit unam habere Eccleſiam catholicam per totum Orbem,neceſſe fuit unum aliquem populum imo unum aliquem Patrem iſtius unius populi eligi,ad quem & ſuos Poſteros ſpectaret totus orbis,& fieret unum ovile, Et ſic ex omnibus Gentibus in infinitum variatis moribus,tamen unica fieret Eccleſia.

Ex omnibus gentibus facta una Eccleſia.

Gentes autem ſemper oportet intelligi theologice,non phyſice,id eſt,quales coram Deo ſunt. hoc eſt, quomodo ſine Deo, ſine lege, ſine cultu,ſine promiſſis,ſine Patribus,Prophetis,&c. ſunt,in ſuis tantum idolatrijs perditæ, & in infinitum diverſis ac diviſis. Has igitur æquari Iudæis ,qui contra habebant Deum, legem, cultum,&c, fuit ſcandalum intolerabile(ut dixi)

Scandalum intolerabile, gentes exequari Iudæis.

Sed Papiſtæ noſtro ſeculo multo damnabiliores Iudæis ſunt,qui cum non habeant à Deo datas ſibi proprias Promiſſiones , Legem, Cultum, Sed utantur omnium gentium communi Chriſto , Evangelio , cultu, Tamen proprias ſibi finxerunt leges , ceremonias , cultus , promiſſiones , Quas qui non volunt ſervare, eos plane hæreticos, & pejores quam Gentes judicant, Et hac furia perciti, iſtam Cananæam mulierculam non ſuſciperent nec communicarent , Sed velut canem perpetuo excluderent à pane Filiorum, donec cogerent eam circumcidi ſecundum leges à ſeſe conficTas, id eſt, donec negaret communem Chriſtum,& adoraret novum & ſingularem iſtum Antichriſtum. Quare nobis quoq; ſolatio eſt iſtius mulieris Exemplum quæ cum propter fidem ſolam recipitur de numero Canum in conſortium Filiorum, Multo magis nos erimus Filij conſortes,ſi crediderimus in Chriſtum , Nec opus nobis erit Lege,Circumciſione, cultibus Papiſticis,per homines conficTis,cum iſti Mulieri non fuerit opus Lege,circumciſione,cultu, divinis per Deum ipſum inſtitutis. Si ergo illam non impedivit, etiam ipſa vera lex Dei,ut fieret filia per fidem ſolam, Quomodo nos impediat mendax hominum lex ſeu fiTio,ne ſimus Eccleſia, ſeu membra Eccleſiæ per eandem fidem in Chriſtum? Imo ſicut illi Iudæi,amiſſa fide propter pertinaciam retinendæ Legis etiam veræ & divinæ,amiſerunt & panem & jus filiorum,Ita & Papiſtæ,qui fidem etiam perſequuntur,propter retinendas ſuas mendaces & conficTas leges, amittunt & Eccleſiam & jus Eccleſiæ,facTi omnino vera abominatio in loco ſancTo.

Exemplum Cananæa eſt nobis conſolatorium.

Papiſta amittunt Eccleſiam, dum retinere volunt traditiones humanas.

Aſcendens Ieſus in montem, ſedebat ibi. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ ducentes ſecum claudos, cæcos, ſurdos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & ſanavit eos, &c.

Sequitur iterum poſt iſtud Miraculum Cananææ , quidam Catalagus aliorum miraculorum. Quia tota vita Chriſti fuit ita deſcribenda,quod aut doceret,aut Miracula ederet , aut utrumq; ſimul ageret, Quia, ut teſtatur Petrus Act. 10. ad hoc à Patre unctus Spiritu ſancto,& miſſus fuit,quod tranſiret benefaciendo & liberando eos,quos Diabolus oppreſſerat. Nam omnes iſti morbi tribuuntur Diabolo & homicidæ & hoſti generis humani, Quia omnes veniunt ex peccato primo,ſicut & mors, Deinde eos auget,& operatur per ſeſe,per Angelos ſuos,per homines,per alia quoque nociva mala, ut ipſe recTe omnium morborum & malorum cauſa dicatur , ſicut dicitur autor Mortis & pater mendacij. Hoc autem notandum,quod iſtæ tranſitiones per terram & miraculorum operatio, populis eo tempore placet , Mirantur enim & magnificant Deum , qui iſtos morbos ſeu opera Diaboli per Chriſtum deſtruit & ſolvit,ſed poſt ubi Chriſtus accuſatur coram Pilato, vocantur eadem Miracula & Beneficia,Seditio,ſeduTio, rebellio contra Cæſarem & Pontificem, ut utroque tribunali damnetur. Iſta eſt merces,quam Mundus dat pro benefaTis & miraculis. Donec indigent & accipiunt bona, valde laudant & mirantur, ſed ubi ſaturi fuerint,damnant & maledicunt,ja du fromes Früchtlin/du liebes Kind/frau welt/Sicut fuiſti in principio, ita & nunc & ſemper , & in ſecula ſeculorum. Streiffe dich der Teufel.

Vita Chriſti.

Diabolus non eſt autor mortis & pater mendacij, ita eſt cauſa omnium malorum.

Act. 10.

Merces quam mundus dat pro benefaTis Chriſti.

Nobis tamen electis ſcripta ſunt & prædicantur iſta miracula,Illi offenduntur in illis , Nos ædificamur per ea diſcentes & credentes , quod Chriſtum habemus Dominum benevolum,mitem, ſuavem,beneficum, Deinde,qui & poteſt & velit ac novit juvare.Nam oſtendit hic ſeſe eſſe potentiſſimum Dominum omnium iſtorum morborum , ſeu operum Diaboli , haud dubie quin & ipſius Diaboli dominus potentiſſimus ſit , cujus opera tam facile deſtruit & diſſolvit. Et licet in hac vita ad

Chriſtus dominus omnium morborum & diaboli.

certas

certas tantum Personas ista Miracula venerint, tamen in futura vita ad omnes pervenient, qui in eum crediderunt. Tunc enim palam ostendet hanc suam potentiam in omnibus, quam nunc in quibusdam velut significat & ostendit propter nostram fidem erigendam.

Iesus autem convocatis Discipulis suis, dixit, Misereor turbæ, Quia triduo jam perseverant mecum, Et non habent quod manducent, Et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei discipuli, Unde ergo nobis tot panes in deserto, ut saturemus turbam tantam? Miraculum de VII. panibus.

Evangelium hoc in Postilla quidem tractatur, sed tamen aliqua addemus. Primum vocat Discipulos in consilium, tentans eos, ut videat, quid respondere & consulere velint. Illi vero respondent carnalissime, secundum sensum, metientes multitudinem populi & paucitatem Panum. Per quod ostendit Christus etiam discipulis suis, & nobis omnibus per ipsos quam simus stulti & ignari operum Dei, qui nihil putamus eum agere, cum agat supra quam nos cogitamus & petimus, Ideo etiam in rebus desperatis & nobis impossibilibus desperamus semper. Quod vitium hic redarguit Christus, ostendens quod credentes debent cogitare in rebus desperatis, Deum posse & velle facere supra quam nos intelligimus (ut Paulus ait) aut petimus. Vid. 1. Cor. 2. Quod qui non faciunt, ipsi sese duplici contritione (ut Ierem. loquitur) conterunt, Scilicet rei ipsius difficultate seu impossibilitate, deinde desperatione, quam addunt difficultati rei. Sed apud Deum non est impossibile ullum verbum, licet apud nos sit impossibile, vel saltem difficile creditu. Ideo nobis hic indicatur, quam profunda in nobis hæreat ipsa incredulitas, dum nihil nisi stulta responderemus ad omnia opera Dei, si nos antea consulere vellet, Melius ergo est, ut sine nostro consilio faciat omnia. Quia per nostra consilia nihil unquam faceret operis, quod Deo dignum esset,

Cur Christus consulat discipulos.

Ignari simus operum Dei.

Deum posse & velle facere supra quam intelligimus.

Et ait Iesus, Quot panes habetis? At illi dixerunt, Septem & paucos pisciculos.

Secundo consulit, ut innotescat Miraculi magnitudo & certitudo. Quia nisi prius eos consuluisset, & testimonium eorum requisivisset, ut certum fieret, non adesse tantum panis, poterat suspicio relinqui, quasi plures fuissent panes, vel ipsi homines secum attulissent, quisq; pro se panem suum. Et perijsset vel obscurata fuisset miraculi magnificentia, Et ita fides non habuisset locum suum, & frustra factum fuisset tam insigne opus. Sicut frustra fiunt hodie omnes creationes & gubernationes totius creaturæ, cum tamen omnia sint vel æqualia, vel etiam majora Miracula, quam istud fuit. Quid enim mirabilius, quam quotannis è terra produci tot Fructus, Semina, Animalia? &c. Sed quia hæc assiduitate viluerunt (ut ait Augustinus) Et Pythagoras, velut Hiob legisset, loquitur de concentu cœli suavissimo, quem homines, qui assiduitate audiendi obsurduerint, amplius non audiant, vult dicere, non considerari miracula quotidiana creaturarum.

Quare Iesus consuluerit Christus discipulos de numero panum.

Ideo si intelligi debet majestas operum Dei, oportet vocari in consilium & admoneri hominem de privatione, Hoc est, quid consuleret, si res ista vel istæ non essent, Exempli gratia, Si majestatem solis & lunæ concipi & admirari debes, oportet ut cogites, Quid si nullus esset Sol, vel uno die? Quid tum esset totus Mundus? Sic de omnibus alijs operibus Dei. Finge ea esse nihil, Et tum respondebis sicut hic Apostoli, stulte & cum desperatione, scilicet, Actum est. *Hie iſte alles verlom*/Tunc apparebit miraculum Dei in operibus omnibus, Quia omnia sunt talia, si adsint spectatores digni, qui admoniti talia admirarentur. Hoc est quod Christus hic facit, excitando & admonendo discipulos de privatione primum, id est, de nihileitate ejus operis, quod intendit facere & monstrare. Quia apud eum jamdudum saturavit ista tot millia hominum, vel à principio mundi. Ipse enim videt & scit istam saturitatem & abundantiam, quasi esset ante mille annos facta. Sed in oculis discipulorum omnia sunt impossibilia, etiam post mille annos, imo in æternum. Ideo sic consulerent sicuti faciunt, Matth. 14. Matth. 14.

Majestas operum Dei ex privatione cognoscenda.

Dimitten-

Dimittendus eſt populus, ut vadant in villas, & emant eſcas.

Vltra non ſurgunt, Nec hoc ſaltem cogitantes, quod illæ ipſæ eſcæ emendæ non eſſent, niſi etiam miraculoſe è terra natæ & conſervatæ à Deo fuiſſent. Ah caro es, & manes caro, Abſentibus periculis & neceſſitate, ſeu repleta præſentibus bonis, fortiter credis, ſed abſente ſufficientia, ſeu præſente neceſſitate, nihil canis ſeu ululas potius, quam illud Pſal. 4. A frumento & vino multiplicantur. Adeo immerſa eſt rebus præſentibus & incuria abſentium ſeu futurarum. *Caro.* *Pſal. 4.*

CAPUT XVI.

ET accedentes Phariſæi cum Sadducæis tentantes, rogabant eum, ut ſignum è cœlo eis oſtenderet.

Sicut ſæpe diximus, nihil ſuperbius, arrogantius, faſtuoſius eſt, peſſimo genere hominum, Hypocritis, qui ſibiipſis ſapientiam & juſticiam præ cæteris arrogant. Hi pinguntur hoc loco ſatis propria forma. Vide ut accedant, non ut doceantur (nam ipſi doctores eſſe volunt, non diſcipuli) ſed ut ex Chriſto Circulatorem quendam ſibi & Stocknarrum faciant, qui Signa faciat, ab eis ſibi præſcripta, quibus ipſi potius confirmentur in ſua doctrina, ut qui talem ac tantum artificem ſibi obtemperantem habeant. Deinde quaſi illa Miracula hactenus ab eo facta, prorſus nihil ſint, niſi in terra, ſcilicet facta, petunt ipſi cœleſte aliquod miraculum, Q. d. Ah, iſta miracula terrena nihil ſunt, ſi oſtenderet ſe in cœlo eſſe potentem, tunc poſſet ei credi, Non quod eſſent tunc credituri, ſed quod interim ſic calumniantur iſta miracula, quæ longe ſunt majora quam ea, quæ petuntur in cœlo. Nam mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, ſuperat omnia ſigna in cœlis oſtendi poſſibilia, quanto excedit homo, imago Dei, cœlum & omnes creaturas corporales, & vita æterna corruptibiles creaturas, &c. *Hypocrita hic pingit.* *Cœleſte ſignum petunt fieri à Chriſto.*

Inde vigilanter Evangeliſta refert, quod iſtud Signum petierint, tentantes, id eſt, malicioſe, calumnioſe, inſidioſe, **als die verzweyvelten Buben**/ Et ipſum volunt oppreſſum apud populum, dum non facit ſigna, quæ ipſi eligunt & præſcribunt. Contra, quæ ſigna pater dedit & voluit per eum fieri, nihil curant, **Gott ſolo machen wie ſie wöllen/ oder ſol nicht Gott ſeyn. So wils Gott haben/ daß ſie gleuben wie er wil/ redet vnd thut/ oder ſie ſollen nicht ſein Volck/ noch er jhr Gott ſeyn.** Sicut hodie, ſi doctrina noſtra faceret omnia miracula Chriſti & Apoſtolorum (licet plura valde fiant quotidie) tamen ſi non faceret, quæ ipſi eligerent, nihil eſſet, Rurſus, ſi fierent, quæ ipſi eligerent, parata mox eſſet calumnia, à Diabolo eſſe facta, quia ipſi (qui ſunt ſoli Eccleſia & filij Dei) talia non poſſunt, **Man ſolo machen wie ſie wollen/ oder ſol alles vnrecht ſeyn.** Si autem fit quod ipſi volunt, hoc demum eſt catholicum, ſi libuerit eis. Quia ipſi ſunt Dominus Fac totus in cœlo & in terra, ſine Deo, extra Deum, ſupra Deum.

Proinde ego nunquam optavi fieri ſignum pro iſta doctrina, certus, quod nihil proficeretur, & omnia Dæmonibus attribuerentur ab iſto perdito genere hypocritarum. Sufficit mihi eos eſſe convictos vi veritatis, & in conſcientia ſua αὐτοκαταχίτους à ſeipſis damnatos. Signa autem talibus hominibus digna, ſunt ſcandala, ſed paſſiva (ut ajunt) quibus offendantur, irretiantur, capiantur, labantur (ut Iſaias loquitur) & ſic mercedem ſuam in ſemetipſis recipiant, quam merentur. Quia in Chriſto, verbo & miraculis glorioſo, nolunt ædificari, ut ſalvi fiant, juſtiſſimum eſt, ut in Chriſto per crucem ignominioſo & infirmo deſtruantur & pereant. Sic noſtris hypocritis ſuum judicium juſtiſſimum contingit, ut qui per verbum veritatis (quod ſentiunt) & opera ſyncritatis (quæ negare non poſſunt) ædificari nolunt, ut in noſtra vita, & ſcandalis ſine noſtra voluntate abundantibus, offendantur & ruant, Amen. *Juſtum judicium hypocritarum noſtri temporis.*

At ille reſpondens ait illis, Hypocritæ, faciem cœli dijudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis.

Vide

Vide hic Chriſtum ipſum, quanto in iſtos hypocritas peſſimos animo feratur. Faciem cœli (inquit) noſtis hypocritæ judicare, Signa autem hujus temporis non judicatis, Cœlum veſpere ſerenum & mane turbidum ſcitis, quid ſignificet, Quid autem iſta ſigna velint, quæ videtis & auditis coram à me fieri, non conſideratis. Omnia allegorice & in ſignis loquitur. Nam ſicut veſpere ſerenum, eſt ſignum futuræ diei lætæ & ſerenæ. Econtrà mane turbidum, eſt ſignum triſtis & pluviæ diei. Sic enim & noſtræ linguæ proverbium habet, **Abendrot/Morgenſchön.** Et iterum, **Morgenrot leuget nicht/ Dicke Nagel treuget nicht/ Iſt nicht Regen/ ſo iſts Wind / Iſt die Magd nicht fett/ ſo iſts ein Kind.** Ita ſigna Chriſti ſunt duplicis virtutis. Sunt enim pijs in reſurrectionem & lætitiam juſtificationis, Impijs vero in ſcandalum & turbidam tempeſtatem mortis æternæ. Quia pij illis emendantur, Impij eiſdem perduntur.

Cœlum veſpere ſerenum. Cœlum mane turbidum.

Signa Chriſti ſunt duplicis virtutis.

Dicit igitur, Signa iſta cœli intelligitis, Cur non & iſta ſigna intelligitis, quæ fiunt vobis in ſalutem credentibus? Et in perniciem incredulis? Eſt enim jam vobis veſpere ſerenum, in quo ſpem poſſetis habere futuræ diei ſalutaris & ſerenæ. Poſtea ſequetur mane turbidum, in quo habetis timere æternam perditionem. Nam mea ſigna & hoc tempus gratiæ & iræ futuræ, non minus manifeſta ſunt & lucent, quam ipſum cœlum cum ſuo veſpere & mane. Si Prophetas inſpiceretis, prophetantes de hoc tempore, & res ipſas velletis conſiderare, quæ videtis. Sed vos neq; Scripturæ promiſſis, neq; rebus exhibitis movemini, tantum immerſi his temporalibus, quomodo veniant læti aut triſtes dies. Ideo nihil curatis, & tamen interim alia peritis ſigna, **Ja ihr ſolt Signa haben/** quandoquidem iſta, quæ videtis & calumnijs obruitis, blaſphematis.

Generatio mala & adultera ſignum quærit, Et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.

Vos adulterini, alieni, jam non eſtis filij Abrahæ ac Patrum, non habebitis ſignum niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Hoc ſcandaloſum ſignum, quo non ædificabimini (quia ædificari non vultis, ſed ædificantem ridetis & blaſphematis) ſed offendemini, labemini, ruetis & peribitis. Hoc (inquam) ſignum dabitur vobis, ut qui Signis gloriæ & virtutis non movemini ad credendum, ſcandalis crucis & infirmitatis in me offendamini. Et nec paſſionem nec reſurrectionem meam intelligetis. Poſſetis enim ex iſtis Signis gloriæ & virtutis allici, ut mihi credieretis, quod à Deo eſſem, cum talia nemo fecerit ante, Et ita mei diſcipuli facti, audire meæ paſſionis & crucis myſteria. Sed quia non creditis ſignis gloriæ, erit ut, illis ceſſantibus, ego objiciar vobis infirmus, crucifixus & mortuus, tunc multo minus in me credere poteritis, offenſi tanto ſcandalo crucis, Poſt me reſurgentem multo maxime non credetis, & ita juſto judicio peribitis, qui ſigna hujus temporis tam glorioſa ſpreveritis.

Signum Ionæ ſcandaloſum.

1. Cor. 1. Sic Paulus 1. Cor. 1. Quia mundus in ſapientia Dei, per ſapientiam Deum non cognovit, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Qui per beneficia Dei nolunt boni fieri, debent per virgam Dei pejores fieri. Qui ſapientiam Dei contemnunt, per ſtultitiam Dei merito pereunt. **Wer nicht lachen wil/ wenn Gott pfeifft/ der mus zürnen wenn Gott ſchilt/ Thut er guts/ ſo veracht mans/ Thut er wehe / ſo leſtert mans / Er kans nirgend machen/ wie wir wollen / Darumb müſſen wir verloren ſeyn / denn vns iſt nicht zu helffen/ weder mit ſüſſe noch ſawr/ weder mit lachen noch weinen.**

Igitur ſignum aliud non habeant, quam ſignum Ionæ, Non quod alia omnia ſigna Chriſti non habeant, cum viderint omnia & blaſphemaverint, Sed hoc ſignum Ionæ erit eorum proprium. Quia iſtud fuit in eis efficax ad ſcandalum & perditionem (ſicut digni erant) Quia alia omnia fuerunt apud eos non ſolum in efficacia & fruſtranea, ſed & diabolica & peſſima, &c. Sibiipſis enim ex medicina ſalutari faciebant venenum mortiferum. Quomodo autem Ionas fuerit ſignum Chriſti, ipſemet ſupra 12. exponit, Niſi quod utroq; loco mirum eſt dici, Chriſtum eſſe

Signum Ionæ proprium incredulorum. Chriſtus ſignum Ionæ, &c.

esse signum Ionæ, cum Ionas ipse fuerit signum Christi futuri. Sed Grammatica hic facile respondet, Ionæ signum dici Christum, quia ipse Christus sit signum Iudæis quoddam Ionale, id est simile, ut ipsemet exponit. Sicut Ionas fuit in ventre ceti, &c. Summa, Christus in ventrem ceti, id est, mortem traditus, & tertio die ejectus & suscitatus, erit signum incredulis Iudæis scandalosum. Qui volet hic historiam Ionæ tractare & rhetoricari, habet insignem locum de fide resurrectionis à mortuis, seu de vita inmedia morte, Vt discamus miraculum & potentiam Dei hic nobis proponi in Iona, qui triplici morte moritur, scilicet aqua, belua & ira Dei, Tamen ne sic quidem moritur, sed vita æterna vivit. Verum hæc ad istum locum non pertinent.

Ionas in media morte vivit.

Et relictis illis abyit.

Derelictis illis tentatoribus, inquit Evangelista, abijt. Quia cum talibus frustra fiunt & dicuntur omnia. Non enim hoc agunt, ut discant, sed ut tentent, Deinde ut calumnientur optime dicta & facta. Quare isto exemplo & nos relinquere debemus, qui nos explorant non discendi, sed tentandi gratia, Scientes quod inventuri sint signa & tentationes se dignas.

Hypocritæ frustra sunt & dicuntur omnia.

Et cum Discipuli transfretassent, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis, Cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.

Hoc ad eruditionem fidei & doctrinæ scribitur. Ideo enim Dominus discipulis, de omisso pane solicitis, de fermento Pharisæorum & Sadducæorum cavendo respondet, ut eos admoneat de verbo & fide servandis, contra doctrinam Pharisæorum & Sadducæorum, Q. d. Quid soliciti estis de pane ventris? Videte ut soliciti sitis de pane spiritus, hoc est, de Verbo & fide contra falsam doctrinam & fidem. Primumquærite regnum Dei & justiciam ejus, ne per pravos Magistros seducamini in regnum Diaboli & erroris. De hoc pane vero oportuit vos esse solicitos.

Panis spiritus verbum & fides.

At illi cogitabant intra se, dicentes, Panes non accepimus.

Sed ecce, quam agrestes & infirmi sint Apostoli. Ex hac enim admonitione nihil meliores fiunt, neq; eam intelligunt, Sed præoccupati carnis sensu, nunc magis soliciti fiunt pro ventre, Deinde jam metuunt, quod Christus ipse etiam ultro accusat eorum negligentiam & insolicitudinem, ut sic dicam, Non intelligunt solicitudinem suam reprobari, sed magis requiri somniant. Videmus igitur suavissimam conversationem Christi apud eos, qui eum non tentant, sed simpliciter doceri parati sunt. Nam vide, ut toleret Apostolorum ignorantiam in Verbo, infirmitatem in fide, Non abit & relinquit eos, sicut facit Pharisæis, Sed sustinet & corrigit amicissime eorum stultitiam, Et velut pueris cogitur sese claris verbis explicare, quod dixerat, & eorum captui sese attemperare.

Apostoli agrestes & infirmi.

Conversatio Christi cum Apostolis suavissima.

Quod ubi cognovit Iesus, dixit, Quod cogitatis intra vos, modicæ fidei, quod panes non habetis? Nondum intelligitis neque recordamini quinque panum, &c.

Duo, inquit, miracula vidistis, quibus pavi in necessitate turbas, Et adhuc dubitatis, an simus habituri panes etiam in hac necessitate. Si ista observassetis & intellexissetis, utique cogitassetis, quod de panibus vobis non loquerer, Sed quod iterum eadem facilitate panem invenirem. Adeo modicæ estis fidei, & nihil intelligitis. Et data opera non sum locutus de pane, sed de fermento, deinde de fermento Pharisæorum & Sadducæorum. Quibus verbis poteratis moveri & moneri, me non de pane loqui, cum fermentum edi non sit solitum. Sed vos nihil intelligitis, Quia non habetis fidem ex miraculis firmiorem factam. Marci 8. duris & atrocibus verbis eorum insciti am & negligentiam insectatur, Quid cogitatis inquit, quod panes non habetis? Nondum cognoscitis & intelligitis? Ad huc obcæcatum habetis

Matth. 14. & 15.

Marc. 8.

habetis cor vestrum? Oculos habentes & non videtis, & aures habentes non auditis? Hæc satis acerba est objurgatio, & tamen interim eorum insciti am & infirmitatem tolerat, non eos deserit aut repellit à se. Nec ipsi amorem, fiduciam & reverentiam erga ipsum propter hoc abjiciunt, sed ut probi discipuli libenter patiuntur castigationem magistri sui, ac per eam emendantur. Hoc faciamus & nos, si aliquando intus aut foris corripimur, ne scilicet statim putemus id ex ira Dei fieri, aut ideo abjiciendos nos esse, Sed conscientia res tenerrima est, quæ in tentatione difficillime hanc fiduciam retinet.

Duplex fermentum.

Fermentum duplex nominat, scilicet Pharisæorum & Sadducæorum, Marcus dicit, Cavete à fermento Pharisæorum & Herodis, Quod idem est. Nam Herodes Epicuræus porcus fuit, sicut & Sadducæi de futura vita in Deo nihil solicitus. Odiose autem vocat eorum doctrinam non panem, sed fermentum, & fermentum pessimorum hominum. Nam alioqui bonum fermentum ipse tractat supra Cap. 13. Fermentum Pharisæorum erat, quod cum accepissent à Mose puram doctrinam Legis & promissionum, Ipsi primo legem externe faciendam docebant, ut satis patet Matth. 5. 15. & 23. ubi eorum intellectum in lege damnat, Deinde quod traditionibus in immensum auctis, præcepta Dei eludebant. Vtraque pestis cavenda est nimis, Maxime vero, quod promissa Dei de Christo ventraliter, ut sic dicam, & temporaliter danda & accipienda esse docebant. In quo plane eis cum Sadducæis conveniebat, nisi quod resurrectionem mortuorum credebant, sed ad eandem corporalem & ventralem gloriam.

Fermentum Pharisæorum.

Matth. 5. 15. & 23.

Doctrina Pharisæorum de promissis Dei in Christo impleudis.

Pharisæi & Herodiani nostri temporis. Papistæ Ecclesiæ pestes.

Quid vero nos hodie de fermento nostrorum Pharisæorum & Sadducæorum seu Herodianorum dicemus? Qui primo fidem in Christum sustulerunt, ut Petrus dicit 2. Pet. 2. Dominum, qui eos mercatus est, negantes, Deinde Ecclesiam vastarunt doctrinis dæmoniorum, de prohibito sexu & conjugio, de purgatorio, satisfactionibus, votis, meritis supererogationis, indulgentijs, peregrinationibus, Sanctorum cultibus, Missis, Sacramento altaris altera specie privato, & in spectaculum mutato. Sed quis numeret, non dico fermenta, sed portenta illa infinita, nec humana, sed verissime Satanica? Hic hic maxime opus est, audire Salvatorem hortantem & præcipientem, Cavete à fermento Papistarum, qui Ecclesia esse, & Ecclesiam regere volunt, sicut Pharisæi & Sadducæi Synagogam. Non enim de Hæreticis, sed legitimis populorum Episcopis, qui in cathedra Mosi sedent, loquitur. Nam hi legitima potestate & Clave scientiæ fruentes, maxime omnium nocent Ecclesiæ, Sicut Christus dicit Matth. 23. Vos non intratis, & intrantes prohibetis. Igitur pro pura verbi doctrina retinenda, solicitos nos esse docet, cum in traditiones hominum tam atrociter invehitur.

Matth. 23.

Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens, quem dicunt homines, filium hominis esse?

Hic locus est caput & fons omnium malorum in Ecclesia. Nam hinc Papa claves sibi soli arrogavit & per hoc seipsum constituit Dominum cœli, terræ & inferorum. Christus, ut jam dictum est, damnavit fermentum Pharisæorum, & Sadducæorum, Papa econtra per hunc locum statuit non solum fermenta, sed etiam excrementa, & quidem excrementa pessimorum ac impijssimorum hominum, ut supra ex parte numerata sunt, Sed res major est, quam ut Annotatiunculis explicari possit, digna quæ justis Commentarijs tractetur, Interim simpliciter fidem ædificemus. Primum interrogat Christus, Quid homines de se sentiant? Morale exemplum per hoc præbens, ut curemus bonum testimonium habere etiam apud eos, qui foris sunt, quantum salvo Evangelio fieri potest, ne quis patiatur ut adulter, latro, &c. juxta præceptum Petri. Deinde captat occasionem manifestandi sese inter Apostolos, quod sit Christus filius Dei. Ideo post opiniones varias & incertas vulgi, quærit, Quem eum ipsi esse sentiant, cum ait,

Papa filius arrogans sibi.

Excrementa Papæ.

Digitized by Google

Vos autem quem me esse dicitis?

Hic Petrus omnium nomine(omnes enim interrogaverat & cum omnibus loquitur indifferenter & sine respectu personarum)respondet,

Tu es Christus, filius Dei vivi.

Igitur nihil prodest ad salutem, si de Christo sentias humana opinione, quod sit justus, sanctus,bonus vir,aut Propheta, etiam maximus, Sed addenda est revelatio Patris è cœlo, quod sit Christus Dei filius, id est, Homo verus & Deus verus, Deinde Rex & Sacerdos ille promissus. Et in paucis istis verbis comprehenditur universa doctrina fidei Christianæ. Quod enim filius Dei vivi est, verum Deum significat, Id quod Scriptura alibi latius probat. Quod autem homo est, per se manifestum est, Quia inter homines conversatus, inventus est ut homo, Et ut ipse hic dicit, Quem dicunt esse filium hominis? Sed quia filius Dei simul est, non potuit nasci in peccato, sicut cæteri ex masculo concepti. Ergo de Virgine sine Patre ex Spiritu sancto natus est. Deinde homo inter homines mortalis fuit. Sed quia Deus, necessario in morte manere aut mori non potuit. Hoc de filio Dei.

Christus verus Deus & verus homo.

Deinde quia Christus;,id est,unctus Sacerdos & Rex est,necesse est,totum hoc quod fuit, oblatum esse Sacrificium pro peccatis hominum, ut Prophetæ prædixerunt. Igitur totum Symbolum Apostolorum in his verbis,Tu es Christus filius Dei vivi, includitur, Quod scilicet sit filius Dei patris omnipotentis, creatoris cœli & terræ,Quodq; Dominus noster Iesus Christus, conceptus sit de Spiritu sancto,natus ex Maria virgine,passus pro nobis, quod moriens resurrexerit, sedeat ad dextram Dei Patris, quia Filius,Iudex & Dominus omnium,Quod remissionem peccatorum per Spiritum sanctum distribuat ad resurrectionem & vitam æternam. Nunc respondet Christus Petro,dicens,

Tu es Christus filius Dei vivi.

Beatus es Simon Bar Iona, Quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus,qui in cœlis est.

Hic stat sententia,doctrinam fidei non esse Philosophiam,nec rationis humanæ sapientiam, A qua ut neque inveniri, ita neque retineri nec judicari potest, Sed est doctrina cœlestis, ab ipso Deo patre revelata. Sicut autem candela in nocte, vel facula in tenebris, scilicet absente Sole, quidem lucet, Sed sole in virtute sua fulgente,facula neq; lucet neque fulget,sed obscuratur majestate lucis solaris,Ita fides lõge alia lux est, quæ rationis lucem obscurat & extinguit.Gaudeat itaq; omnis, qui potest verbum Petri ex eadem fide dicere, Tu es Christus filius Dei vivi, fide, inquam,non ficta,Et sciat sese habere revelationem Patris è cœlo, & vere se esse Christianum, beatum & salvum à peccato, morte & inferno. Quid vis amplius? Caro & sanguis ista non sciunt neq; intelligunt. Quid est autem Caro & sanguis, nisi homines ex carne & sanguine nati, etiam optimi, sapientissimi, excellentissimi. Hæc non in Philosophorum, Potëarum, Rhetorum libris aut sapientia, Non in juribus Imperatorum, non in Canonibus Pontificum, invenies, Sed Pater meus, inquit,in cœlis revelavit tibi, cum tamen nondum esset evulgatum Evangelium per Apostolos.

Doctrina fidei non humana, sed cœlestis.

Caro & sanguis

Videntur autem ista à Christo dici familiariter,blande & amice,sicut cum suis solet suaviter agere, Ac si diceret, certe Petre tu loqueris grandia & mirabilia, Sapiens vir præter solitum mihi videris. Vnde ista sapientia & cognitio rerum arcanarum & cœlestium? Profecto Pater meus revelavit tibi eam, præterea nullus homo,Et tamẽ serio affirmat,beatos fore,qui hanc sapientiã à Patre habeant. Nã suavitas & blanditia Christi sẽper est observãda in factis & dictis suis. Sicut & Paulus tribuit ei Philãthropian,Epijkian & praotita in conversatione sua inter homines, Quæ tamen sine levitate aut scurrilitate cũ suavissima gravitate fuerunt conditæ,simul ad erudiendos & alliciendos homines efficacissimæ. Proinde libens credo,quod de S. Petro scribitur, quod post ascensionẽ Christi tam sæpe fleverit,

Beati qui sint.

Suavissima Christi conversatio.

fleverit, ut oculos lachrymis corrosos, linteolo semper tergere solitus sit, Et cum interrogaretur, Cur ita fleret & oculos læderet? Responderit, sese non posse à lachrymis sibi temperare, quoties recordaretur illius suavissimæ conversationis Christi. *Petri fletus.*

Da mihi nunc Petri successorem, qui ita credat & fateatur, qui ita habeat revelationem Patris in cœlis? Putas ne, quod is præ gaudio istius sapientiæ cœlestis posset ferre, non dico optare aut quærere, istas sordes Regnorum mundi, id est, carnis & sanguinis? Quas ita furenter hactenus quærunt omnibus malis artibus & dolis Romani Pontifices, successores (ut haberi volunt) Petri, cum verius successores sint Romuli, Iulij, seu carnis & sanguinis. Nam hoc sequuntur, quod caro & sanguis ostendit. Id quod Pater revelat, & Petrus fatetur, etiam riserunt hactenus multis seculis, Et tamen sunt, Diabolo favente, Petri successores. Statuendum est igitur primum, Romanos Pontifices plane nihil ad Petrum pertinere, neque Petrum ad ipsos. Nihil enim habent Petrinum, neq; Petrus quicquam Papale. Petrus fatetur & docet Christum filij Dei vivi, Papa docet seipsum & suas glorias & potentias, Ille fidem requirit in filium Dei, Papa obedientiam in suas Satanicas avaritiæ leges & consuetudines, Ille futuram vitam, Papa temporalem tyrannidem, Summa, Pontifices Romani hanc fidem & confessionem Petri pulchre & fortiter transilierunt, non eam in armis suis aut annulo Piscatoris sculpi aut pingi fecerunt, Sed claves tyrannico sensu depravatas arripuerunt, & ita successores Petri sese fecerunt. Sed rectius & vere feciissent, si pro clavibus Petri, loculos & marsupium Iudæ Ischariotis in armis suis sculpsissent. Hujus enim proprie sunt Successores, quia sub nomine Christi omnia rapiunt & furãtur, quæ sunt in Orbe, rapturi libenter vel centum (si tot essent) mundorum opes, potentias & glorias, sub nomine Christi, Sicut ille eorum Pater sub nomine Christi furabatur ea, quæ mittebantur. *Romani Pontifices non Petri, sed Romuli successores.* *Collatio Petri & Papæ.* *Insignia Paparum.* *Papæ successores Iudæ.*

Secundo, statuendum est Ecclesiam & Episcopos eos esse vere Ecclesiam & Petri successores, qui (pronuntiante hic ipso Christo) fidem & confessionem Christi filij Dei vivi habent, eamq; revelante Patre in cœlis, id est, revera & Spiritu sancto per fidem nõ fictam docente, Id quod postea per verbum Apostolorum fieri debuit, Quia est confessio oris Petrini in Orbem vulganda. Qui vero præter hanc fidem & confessionem Petri docent aliud, vel contra eam pugnant, hi manifeste neq; Ecclesia, neq; Episcopi esse definiuntur. Cum igitur Papalis Ecclesia non solum præter, sed etiam contra doceat, & eam persequatur, clarum est eam esse non Christi Ecclesiam, nec Petri, sed Diaboli & Iudæ Ischariotis scholam, lernam & sentinam. De hoc nunc satis pro annotatiunculis. Nunc videamus quid vicissim Christus istis suis Petris, discipulis & confessoribus promittat & largiatur. Nam ejus verba ad omnes pertinent, sicut Petrus pro omnibus respondet. *Veri successores Petri.* *Papalis Ecclesia diaboli schola.*

Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.

Dimissis varijs multorum cogitationibus & disputationibus, sententia Christi in summa est hæc Propositio, Ecclesia mea est, quæ hanc revelationem habet, quam tu Petre hic confiteris, Q. d. **Warlich du haſt troffen/ denn da ſtehets alles auff/** Hæc est Ecclesia mea, quæ hanc Revelationem habet, quod ego sum Christus filius Dei vivi. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. **Da ſols auff ſtehen wer da ſelig ſol werden/ da ſols auch bleiben /** etsi omnes portæ inferorum contra fæviant. Quia ego sum Christus filius Dei vivi, Ideo nemo rapiet eos de manu mea, etiamsi portæ inferorum sint raptrices & furant in me & vos, tamen nihil efficient, quia tu Petre dixisti, & recte, Me esse Filium Dei vivi & Christum, Beatus ergo es, beati omnes qui hoc credunt, & ita perseverant, Eos pronuntio victores portarum infernalium, id est, Peccati, mortis & inferni, quamlibet illæ ipsæ portæ fæviant. Quia ego sum fundamentum Ecclesiæ (id est, tibi similium *Ecclesia Christi.* *Victores portarum infernalium.*

credentium & confitentium) ſatis fidele & invictum. Per me enim vincent, in me pacem habebunt, & omnia poterunt.

Depravata Chriſti ſententia per Papam.

Ex iſtis patet, quod Chriſtus hic longe de alia re loquatur, quam Papa cum ſuis ſomniant. Ipſe de æterna vita, de victoria portarum inferi, de Diaboli furijs & Eccleſiæ ſalute & credentium beatitudine loquitur, Contra, Papa intelligit de ſua poteſtate & tyrannide, ſive de obedientia ſuarum ſtultiſſimarum & impijſſimarum legum, quæ non de fide in Chriſtum, infernarum portarum victrice, Sed de temporalibus rebus, dignitatibus, opibus, &, ut optime, de ceremonijs cum hac vita perituris, nos docent. Quas res etiam Ethnici & Epicurei docere poſſunt, ſine hac revelatione Patris de Chriſto filio Dei vivi. Quare poſthabitis etiam vetuſtis Doctoribus, quos Papa & ſui pro ſe hoc loco allegant, ſequamur unam & ſimplicem hujus loci ſententiam S. Auguſtini, quæ & analoga eſt fidei, & Grammaticam quoq; teſtem habet. Nam neceſſe eſt unius loci, tantum unam eſſe propriam, certam & veram ſententiam, Cæteræ ſunt opiniones dubiæ & incertæ, quæ fugiendæ ſunt in ſacris literis. Eſt autem S. Auguſtini hæc ſententia, quod Chriſtus diſtincte loquatur, Primo ad ipſum Petrum, dum dicit, Tu es Petrus, Quod ſic intelligi debet ſecundum illam ſuavem Chriſti Epiikian inter ſuos, Id eſt, Wolan/du biſt doch ja recht Petrus/denn du triffeſt den Petram, den rechten Felſen vnd rechten Grund/da es auff ſtehet vnd ſtehen muß. Secundo ad ſeipſum dicens:

Sententia germana verborum Chriſti, Tu es Petrus, &c.

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Super hanc petram.

Super hanc, id eſt, ſuper me, non ſuper te, Quia non dicit, Tu es Petrus, & ſuper te Petrum, Sed ſuper hanc (id eſt, Me) petram ædificabo Eccleſiam meam. Sic S. Auguſtinus, Non inquit, me ſuper te, ſed te ſuper me ædificabo. Quia neceſſe eſt ipſum Petrum, ſuper Petram Chriſtum ædificari. Hæc ſententia S. Auguſtini ſatis perſpicua & propria eſt. Quia ædificare non poteſt intelligi ſuper Petrum, cum non dicat, ſuper te, ſed ſuper hanc Petram. Sed quid multis? Eccleſiam neceſſe eſt ſtare fundatam & ædificatam & victricem inferorum ſuper fundamentum vivum, æternum, & ſuper verſantem cum ea petram uſq; ad conſummationem ſeculi. Petrus autem Apoſtolus præter hoc, quod eſt homo peccator, mortuus, ſicut omnes alij Sancti, etiam ipſe ſuper hanc petram cum Eccleſia ædificatus eſt. Quare hic locus nihil pertinet ad tyrannidem Papalem.

Eccleſia fundata non ſuper Petrum, ſed Petram Chriſtum.

Quod ſi allegant Apocalypſim de XII. fundamentis civitatis Ieruſalem novæ, & Paulum ad Epheſ. de fundamento Apoſtolorum & Prophetarum, breviter dicetur, In iſtis locis non dici Petrum ſolum & unum illud eſſe Fundamentum, Sed æqualiter omnes, non ſolum Apoſtolos ſed & Prophetas. Quo argumento tandem & Prophetam aliquem veterem • porteret fingi caput Eccleſiæ totius. Sed Grammatica hic facile conſulit, Fundamenta Apoſtolorum & Prophetarum dici, quod primi prædicarint & confeſſi ſint, unum illud & ſolum fundamentum Chriſtum, Sicut Paulus Evangelium vocat ſuum, cum ſit Chriſti unius & ſolius, ſcilicet quod miniſterio ſuo illud plantaverit, Ita Apoſtoli ſunt primi lapides, ſupra petram illam unicam, Supra quos ſeu confeſſionem ipſorum, etiam reliqui Sancti ædificentur unuſquiſq; in ſuo ordine, donec domus Dei perficiatur, ſupra petram unicam fundata.

Apoc. 21. Epheſ. 2.

Fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.

Sceleratiſſimum & impiiſſimum eſt igitur dicere, quod Eccleſia Dei ædificetur ſuper Papam, peſſimum hominem & Diabolum, hoc eſt, ſuper traditiones humanas ab ipſo conflictas, Quæ non ſolum non prævalent contra portas inferorum, ſed à portis inferorum excogitatæ ſunt contra petram & regnum cœlorum. Nam traditiones hominum maxime omnium pugnant contra hanc petram, dum docent operibus noſtris adeo fidendum eſſe, ut & nobis ſuperflua poſſimus alijs vendere ad ſalutem. Hæc eſt petra Papalis, hanc docent, hanc defendunt, id quod teſtantur eorum facta, verba, decreta, opera, Libri & exempla.

Impium eſt dicere Eccleſiam Chriſti ædificatam ſupra Papam.

Petra Papalis.

Et tibi dabo claves regni Cœlorum.

Bone

Bone Deus, quam jugens Tibi & tremendum hoc loco fecit Diabolus per Papam in toto orbe terrarum, Imo etiam in cœlo, ſi Deo placet. Nam juxta Grammaticam & ſtylum Romanæ Curiæ, ſententia hujus loci eſt iſta, Tibi, Papæ, dabo claves, id eſt, poteſtatem, ut ſis vicarius Dei in terris, hoc eſt, ut poſſis facere quæ velis. Tolerari poterat, ſi vicarium Dei ſeſe jactaſſet, modo non ſe ſolum, ſed ſimiles ſibi vicarios reliquos feciſſet, Maxime vero, ſi vicarij officium fideliter impleſſet, hoc eſt, Si nihil aliud, quam quod Dominus ipſe mandaverat, docuiſſet & curaſſet, ſicut decet & oportet vicarios facere omni jure. Nunc vero non ſolum non docet & curat, quæ Dominus ei mandavit & facienda reliquit, Sed aliena, imo contraria Domino ſuo, docet & facit, Ideo non vicarius Chriſti, ſed vicarius Diaboli, Antikyrios & Antichriſtos recte dicitur.

Tibi dabo, &c.

Papa vicarius Diaboli.

Quare hoc Tibi, de quo gloriatur, nihil omnino ad eum pertinet, Sed ad Petrum confeſſorem Chriſti filij Dei vivi, Non ad Petrum piſcatorem ex Bethſaida, qui paulo infra ab ipſo Domino Satan vocatur. Hujus ſucceſſor certe non vult Papa haberi, nec expediret ſane ejus majeſtati piſcatorem fieri talem. Multo minus pertinet ad Iudam Iſcharioth, qui etiam tunc interfuit, & volebat fieri Papa, quia ſortiter furabatur & rapiebat, exemplum præbens ſuis ſucceſſoribus in Romana curia, nihil ſolicitus de confeſſione filij Dei, quam Petrus confitebatur. Et haud dubie etiam riſit apud ſeſe ſtultum iſtum Petrum confeſſorem filij Dei vivi, Sicut hodie Papa & cardinales rident Petros veros ſeu confeſſores filij Dei vivi, Imo riſum & luduun eſſe putant eos occidere & perdere. Sed quorſum rapit me zelus & indignatio? Hæc res non annotanda, ſed tractanda eſſet.

Papa ſucceſſor & imitator Iudæ.

Redeamus igitur ab impijs & peſſimis hominibus ad ipſum Dominum, qui dicit Petro, id eſt confeſſori Dei filij, Tibi dabo claves. Quia vero privata perſona (ut Petrus) cadere poteſt, ſicut ipſe poſtea cecidit non ſemel, Ideo intelligi hoc loco oportet Chriſtum, non de perſona privata, ſed de publica Confeſſione, quam Petrus hic facit, hoc eſt, de miniſterio verbi, quod durat in finem Mundi, contra omnes portas inferorum. Recte ergo, Tibi, intelligitur de nulla perſona, de nullo Epiſcopo, ſed de ipſa Eccleſia, quæ durat, & miniſterium Verbi durabile habet. Quare contra Papatum mendacem noſtram fidem ita tueamur, Primo quod Petrus hic eſt perſona publica totius Eccleſiæ ſeu miniſterij Verbi. Nam privatam perſonam Petri Chriſtus mox Satanam vocat, id eſt, non ſanctam. Hoc autem de Eccleſia intelligi non licet, quam Paulus jubet credi ſanctam & Chriſto ſubjectam. Hæc eſt rata Sententia optimorum Patrum, qui dicunt Petrum ore omnium Apoſtolorum reſpondiſſe, ſicut Chriſtus non Petrum, ſed omnes Apoſtolos interrogaverat. Quare & illud, Tibi æqualiter & publice pertinet ad omnes Apoſtolos, quos interrogaverat.

Chriſtus non dicit privatæ perſonæ Petri, Tibi dabo, &c.

Petrus perſona publica Eccleſiæ.

Secundo, ut maxime ad ſolum Petrum diceret, Tibi dabo, Ex hoc non ſequitur, Romanum pontificem eſſe ſucceſſorem Petri, Tum, quod ſpiritualia bona non ſunt hæreditaria, ſicut facultates hujus mundi, Alioqui ſicut Petrus fuit ſanctus & electus, Ita certum & neceſſarium eſſet etiam Pontifices Romanos omnes eſſe ſanctos & electos. Tum, quod Petrus non ſolius Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus, imo nec Epiſcopus quidem fuit ullius Eccleſiæ, ſed Apoſtolus fuit plurimarum Eccleſiarum conſtituens eis Epiſcopos. Quare ad omnes Eccleſias ab eo conſtitutas pertineret ea ſucceſſio, quam ſibi arrogat Romanus unus inter cæteros ſibi pares Epiſcopos. Deniq; ſi Petri ſucceſſor Romanus, ſimilis eſſet Apoſtolo Petro, ſequeretur Linum vel Cletum (quos à Petro ferunt ordinatos Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos) poſt mortem Petri fuiſſe ſuperiores Apoſtolo Iohanne & Evangeliſta, qui tunc adhuc vivebat. Quis autem ferret, Epiſcopum eſſe ſupra Apoſtolum? Alioqui ſi nunc rediret S. Paulus vel Andreas, cogerentur eſſe ſub Roman. Pontifice, etiãſi eſſet ſceleratior ipſo Iulio II. aut Clemente VII. Conſtat autem Apoſtolos non fuiſſe ſub Petro, ſed æquales ei. Quæ eſt igitur furia Papiſtarum, quod Eccleſias Apoſtolorum velint (etiam in temporalibus bonis)

Spiritualia bona non ſunt hæreditaria.

Romanus Epiſcopus non eſt ſucceſſor Petri.

Apoſtoli æquales.

Digitized by Google

Roma ignoratur ubi corpus S. Petri ſit.

ſubjectas eſſe uni tantum Eccleſiæ S. Petri Romanæ, cum & ipſe Petrus multas alias Eccleſias conſtituerit, quarum æque dignis cauſis Apoſtolus dicitur, Præſertim cum Romana Eccleſia nec habeat nec ſciat, ubi ſit corpus S. Petri uſque in hodiernum diem.

Mendacium eſt Apoſtolos reliquos fuiſſe ſub Petro, & Eccleſias totius orbis ſub Papa.

Tertio (quod eſt demonſtratio à poſteriori, ſcilicet ab effectu) convincitur mendacium Papiſtarum impudentiſſimum, ipſa re & experientia. Nam neque Apoſtoli fuerunt unquam ſub Petro, nec Eccleſiæ totius Orbis unquam ſub Papa Romano, Id quod teſtantur omnes hiſtoriæ. Dicere igitur, quod Chriſtus promiſerit Petro, & ſucceſſori ſuo Romano Pontifici ſubjectionem omnium Eccleſiarum, idem eſt, ac ſi dicas, Chriſtus eſt mendax. Quia promiſſam illam (ut ipſi volunt) ſubjectionem nunquam implevit. Quare ſequitur, quod non promiſerit, ut Papiſtæ ſceleratiſſimi impudenter mentiuntur. Quid igitur eſt, quod furioſi homines non ſolum mentiuntur, ſed etiam Dominum blaſphemant, docendo, quod promiſerit quæ non præſtiterit, ſeu potius quod promiſerit, quæ non promiſit, evidente rerum experientia contrarium teſtante. Nam quota portio Orbis terrarum fuit ſub Papa? Imo ne Europam quidem unquam habuit uſq; in hodiernum diem, & tempore Auguſtini nec Aphricam, imo nec ipſam Italiam, India vero & aliæ majores orbis partes (in quibus neceſſe eſt Chriſtianos eſſe) nec ipſius Romani Pontificis fortaſſe nomen audierint unquam. Has autem partes Orbis omnes damnare, & propterea abjicere, quod Romani Pontificis tyrannidem vel ignorent vel recuſent, hoc eſt haud paulo majus quam Satanicum.

Minima pars orbis ſub tyrannide Papæ fuit.

Non ſunt damnandi, qui Papam non agnoſcunt generalem Epiſcopum Eccleſiarum.

Contemnamus itaq; iſta manifeſta & Satanica mendacia Papæ, & diſcamus Chriſtum longe de alia re loqui, quam de temporali potentia, opulentia, ſuperbia & furia peſſimorum hominum Romanæ curiæ. Verba ſunt clara, Ego ædificabo Eccleſiam meam. Non dicit ſe ædificaturum eſſe Regnum mundi vel Imperium temporale hujus vitæ, ſed Eccleſiam meam, id eſt, Regnum cœlorum, & futuræ vitæ. Deinde, Super hanc petram, non ſuper hominem aut potentiam perituram, qualem Papa quærit. Quia hac potentia Eccleſia non juvatur, ſed ab ea patitur perſecutionem, nec ea promovetur vita futura, ſed impeditur per eam.

Eccleſia colluctatur cum portis inferorum.

Deinde Eccleſia adeo non eſt regnum temporale, ut nec cum carne & ſanguine colluctetur, Sed cum portis inferorum. Portæ inferorum autem non ſunt poteſtates mundi, ſed poteſtas Satanæ, regnum peccati & mortis. Hos habet Eccleſia hoſtes, cum his pugnat, contra hos triumphat, Non pugnat pro urbe Romana, Sicilia, Neapoli, Bononia, non cum poteſtatibus mundanis, ſicut Papæ faciunt. Quia Roma, Neapolis, Bononia non ſunt Peccatum, mors, diabolus, veri ſcilicet hoſtes Eccleſiæ, ſed ſunt lapides & ligna, terra, aqua, aurum, argentum, &c. deſiderabilia hominum infidelium & perditorum, Qualia Deus præſtare ſolet ſuis hoſtibus & ipſi diabolo. Lōge melius & excellētius his ſtercoribus tribuit Eccleſiæ bonum, ſcilicet Iuſticiam contra peccatum, Libertatem contra tyrannidem Satanæ, vitam contra mortem, &c. quas res Papa nihil curat, Et interim hunc locum ſpiritualiſſimum Matthæi texit in rete, quo capiat cete grandia in hoc mari, id eſt, Regna mundi, per diaboli virtutes, impulſiones & ſubverſiones.

Hoſtes Eccl.

Eccleſia bona à Chriſto data &c.

Eccleſia quid ſit Chriſto definitore.

Obſervandum igitur hic, quod Chriſtus apertis verbis Eccleſiam ſuam definit, eſſe aciem caſtrorum ordinatam & Viraginem bellatricem, contra ipſas portas inferorum, id eſt, contra tentationes peccati, mortis, inferni. Nobis igitur Chriſtianis longe major & difficilior incumbit labor, ſi ſerio hunc titulum gerimus, quam ut Regna mundi dolis & mendacijs ſubjugemus noſtro Imperio, contra portas inferorum pugnandum eſt nobis. Illud alterum poteſt etiam Diabolus efficere, & longe melius quam nos, quia eſt Princeps & Deus ſeculi, non ſolum nunc, ſed à principio, & ſemper & uſq; in finem mundi. Eccleſia ergo pugnat, vincit, triumphat, regnat contra Peccatum, mortem & utriuſq; Autorem & Dominum, Diabolum ſeu portas inferi, ſicut hoc loco Chriſtus promittit, Et tales milites hortatur & conſolatur, ut ſint fortes, certi de victoria, donec in Eccleſia,

Lucta & victoria Eccleſiæ contra peccatum, mortem &c.

confiten-

confitente hanc Petram, & ſuper eam ædificati perſeveraverint.

Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Claves poteſtas ligandi & ſolvendi.

Quia vero in hac tam varia & periculoſa pugna, neceſſe eſt multos cadere, vel ſauciari & periclitari, Ideo hic remedium inſtituit, ſcilicet remiſſionis & retentionis peccatorum, quod vocat Claves regni cœlorum. Vnam, meo judicio, quæ claudat illud impœnitentibus, Alteram, quæ aperiat reſipiſcentibus, Ita ut per duas Claves intelligere videatur, utranq; poteſtatem ligandi & ſolvendi. Sed non pugno cum contentioſis. Nam Clavis ſcientiæ, quam Matth. 23. Chriſtus nominat, non pertinet ad has Claves, de quibus hoc loco Chriſtus loquitur, Sed clavis ſcientiæ illic dicitur autoritas docendi ſeu officium & facultas erudiendi populi per legem, Hic autem Claves ſunt autoritas ſeu officium ligandi & ſolvendi eos, qui docti & eruditi, poſteq; ceciderint & peccaverint. Et has Claves late intelligimus, ut in omnem locum tempus & perſonam cadant (modo ne confundatur ordo & diſciplina) id eſt, ut non ſolum publica Evangelij voce ligentur & ſolvantur peccata, in Eccleſia commiſſa, luxta illud, Qui crediderit, &c. Sed ut etiam quilibet frater fratrem arguere & conſolari poſſit (maxime vero tempore neceſſitatis) luxta illud, Vbi duo vel tres in nomine meo congregati, &c. Sic tamen ut publica Evangelij concio aut clavium officium non contemnatur. Quia non eſt permittendum in Eccleſia, ut propter libertatem fugiendi clavibus privatim, inſulte .. publicæ functioni. Hoc enim eſſet ſectas ſerere, & gratiam Chriſti in luxuriam transferre.

Matth. 23.

Clavis ſcientiæ.

Clavium adminiſtratio ad omnes pertinet.

Marc. 16.

Matth. 18.

Papa abuſus clavibus, &c.

Quare papa hic non habet, ſicut nec S. Petrus, poteſtatem Regna rapiendi, Reges deponendi, inſtituendi, & pro ſua libidine vexandi. De peccatis etenim ligandis & ſolvendis, hoc eſt, de morte & vita æterna loquitur Chriſtus, non de coronis & majeſtatibus mundi. Quia de Eccleſia, id eſt, fidelibus Petræ confeſſoribus agit, non de politia terrena. Et mirum eſt, quod cum claves nominet, tamen earum officium non appellet claudere & aperire, Id enim eſt proprium earum officium, Sed ligare & ſolvere, quod eſt funium & catenarum. Sed ut Claves metaphorice intelligerentur, non aliquod materiale, voluit poteſtates illas duas ſic nominare quo facilius & illuſtrius ſignificaretur retentio & remiſſio peccatorum. Nam catenæ & funes magis ligationem quam ſolutionem, ſeu ſolam captivitatem potius figurarent. Ligatio autem & ſolutio proprie figurant peccatum retentum & remiſſum. Ideo per Claves voluit eas figurare, quæ utrunq; repræſentarent. Nam clavis non tantum ad claudendum, imo maxime ad aperiendum valet, & in hoc uſu pene ſola eſt clavis, Vt doceat proniorem eſſe Chriſtum & Eccleſiam ad ſolvendum, quam ad ligandum. Vel dic tu aliud melius ad hanc Quæſtionem.

Proprium officium clavium.

Eſt & hic locus obſervandus contra Novatianos, qui Lapſis poſt baptiſmum negabant ſupereſſe remiſſionem peccatorum. Hoc plane eſt tollere claves ab Eccleſia, maxime potiorem partem, ſcilicet remiſſionem peccatorum. Hi ignorant peccatum originale & vim ejus, Deinde Chriſtum propitiatorem & ſacerdotem æternum, fingentes eum ſemel poſſe tantum ſalvare, non in perpetuum, Valeant. Nobis vero Catholicis locus eſt conſolatione & eruditione plenus, ſcilicet quod in Eccleſia Chriſtus reliquit primo contra duros, ſuperbos, ſecuros, ſive manifeſtos, ſive occultos, poteſtatem judicandi, damnandi & ſeparandi, Nam & occulte mali coguntur metuere, tam publicam è concione damnationem, quam privatam à fratre, Ita & ſpecialem illam functionem clavium, quæ & ipſa publica eſt, ſed alia à generali. Quia generalis nullam perſonam nominat, Hæc ſpecialis erga privatam vel certas perſonas privatas agit. Ita habent impij, ſecuri, &c. quod metuant, nempe ligationem Eccleſiæ.

Novatianorum dogma damnatur.

Eccleſiæ poteſtas contra obduratos, ſecuros, &c.

Potestas absolvendi pavidos.

Econtra, pro pavidis & contritis reliquit potestatem absolvendi, consolandi & recipiendi tam occultos, quam manifestos, ut sic terra sit plena misericordia Domini, ut habeant humiliati quod sperent, scilicet solutionem Ecclesiæ, tum publice tum privatim, tum generaliter, tum specialiter, quin & individualiter, non de uno peccato tantum, nec unius speciei, sed de omnibus peccatis omnium generum & specierum. Et magna Consolatio est, esse certum, quod judicium Ecclesiæ non sit aliud, quam ipsum Dei judicium in cœlo. Ideo peccator durus & securus, certus esse potest, se frustra securum esse & contemnere Ecclesiam, si alibi quam in Ecclesia solutionem & gratiam Dei præsumat invenire. Et peccator contritus certus esse potest, si solutionem Ecclesiæ seu Fratris audierit, sese nihil aliud audire, quam vocem ipsius Dei de cœlo eum familiariter, personaliter, individualiter alloquentis. Hæc erant diligenter inculcanda & vrgenda, scilicet pro conscientijs instituendis & regendis, Non illa sacrilega de potentia regnandi & tyrannisandi in rebus mundi, sicut Papa fecit. Sed de his horrendis abusibus Clavium alias dictum est, & dicendum fortiter & semper. Præterea & in Cap. 18. multa de his rebus dixi pro Concionibus. Ita sit satis hæc pro Annotatiunculis hoc tempore posuisse. *Psal. 33.*

Iudicium Ecclesiæ, vt Dei iudicium.

Verus usus clavium docendus in Ecclesia contra abusum in Papatu.

Tunc præcepit Discipulis suis, ut nemini dicerent, quod ipse esset Iesus Christus.

Dominus antequam pateretur indicavit Apostolis se Christum esse.

Voluit discipulis priusquam pateretur, indicare se esse Christum, ut post scandalum crucis confirmarentur, ipsum tamen esse vere Christum, licet tam ignominiosa ac scandalosa morte esset peremptus, Sicut & post resurrectionem Angelus repetit verba, quibus prædixerat se esse crucifigendum, Vt scirent ipsum voluntarie esse passum, ut Dominum mortis, non necessitate, ut servum mortis. Ipse enim sua sponte, non coactus mori voluit, Nos cogimur nolentes mori. Quia ille dominus & Victor mortis, nos servi & captivi mortis, Sed per ipsum & nos liberati sumus à morte, & Domini mortis constituti per fidem.

Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis suis, quod oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere.

Christus passionem suam predicit, &c.

Deinde prohibet se Christum vulgari ante completam passionem, Imo ipsam passionem eis palam prædicit, & prædicendam concedit, Ne postea dubitarent cum passio ejus veniret, ipsum esse Dominum & Christum, qui talia prædixerit, nec casu aut voluntate humana (ut apparebat in oculis insipientium) passus esset. Ista enim nosse discipulos expediebat, ut futuros testes Christi per orbem terrarum, Verum hoc principaliter agit Christus, ut ostendat suis discipulis Regnum suum non esse temporale aut terrenum, Quia prædicit eis plane contraria, scilicet quod sit ipse, etiam in ipsa Hierosolyma, item ab ipsis summis Sacerdotibus & Principibus passurus & occidendus.

Christi regnum non corporale aut terrenum.

Quasi d. Adeo non est sperandum, meum Regnum esse temporale, ut etiam ab ipsis, qui in hoc Regno summi sunt, & in ipso loco Regni electo, scilicet in Ierusalem, ego sim crucifigendus & perdendus, utq; populus Regni sit hostis meus & mei regni, Nunc si temporale esset meum Regnum, certe per ipsos Principes, & in loco principali, vellem me constitui Regem, Sed aliud Regnum habeo, quod non est ex hoc mundo. Quia post tres dies, victa morte resurgam, Ergo meum Regnum est vita æterna, post victam & abolitam mortem per mortem meam. Hoc est quod dicit, Et tertia die resurget. Hæc verba vitæ & salutis sunt, credentibus in consolationem proposita. Sed vide, quid caro & sanguis de his rebus sentiat.

Regnum Christi.

Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens, Absit hoc à te Domine, nequaquam erit tibi hoc.

Hic

Digitized by Google

Hic Petrus(haud dubie etiam cæteris discipulis consentientibus)audita ista scandalosa prophetia, Quod Christus(id est, Rex,Messias, filius Dei vivi) sit crucifigendus, vehementer offenditur, Quia regnum Christi,filij Dei vivi, sperabat temporale, Ideo attonitus dicit,Quid ita loqueris? Rex & filius Dei es, Tunc crucifigeris & morieris, quem nos filium Dei & Regem credimus? Absit hoc à te, Deus ista prohibeat, parcas tibiipsi, &c. Et gerit hic Petrus non solum suam privatam, sed totius synagogæ & omnium personam, qui Messiam sperabant Regem temporalem & mundanum futurum. Isti ergo omnes hoc idem sapiebant & volebant, quod hic Petrus sapit & vult,sicut adhuc hodie Iudæi sapiunt. Estq; Argumentum generale omnium Iudæorum ex sanguine natorum,quod Christus sit futurus Rex mundi temporaliter & visibiliter. Ideo Petrus scribitur hic, quod non vocatus, nec interrogatus, nec jussus respondeat sed ex proprio motu & sensu carnis prorumpit temere,Vt significetur ejus responsionem non præceptam esse verbo Dei, nec ex revelatione Patris, sicut fuit superior, Sed ex propria carnis affectione, & ut dicitur, devotione, sine verbo Dei. Quare & duro verbo, sed sine duricia cordis, retunditur & rejicitur à Christo, ita ut etiam Satan appelletur, id est, adversarius ipsius Christi & Dei,ut verba mox sequentia indicant.

Ratio offenditur verbo, crucis.

Petrus gerit personam synagogæ &c.

Petrus non in revelatione Patris sed sensu carnis hoc loquitur.

Petrus severe increpatur à Christo.

Abi post me Satana, scandalum es mihi. Quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.

Et est Christi de re seria quidem,sed contra dilectum Apostolum hæc sententia, Ah Petre, tu recte respondisti, cum te & omnes interrogarem, quod sim Christus filius Dei vivi, Sed nunc cum audis me esse crucifigendum, non intelligens consilium Dei mirabile, laberis in carnem & carnis cogitationes, & loqueris extra revelationem Patris, nihil nisi tua, id est, stulta & carnalia. Quare retrocede, Absit ut ego istam tuam carnalem sapientiam præferam Patris voluntati, Potius te & omnes amitterem, quam ut te admonitore Patri non obediam, Hic plane desipis, & non intelligis quid agatur per filium Dei vivi,quem confessus es. Insigniter hic observandum est,quod extra Christum nulli personæ fidendum est in causa salutis, etiamsi sit Petrus ipse summus(ut putant) Apostolus. Nam videmus hic clare & exemplo manifesto, quod ipse Petrus cum toto Apostolorum choro,dum extra confessionem Petræ, & de suo loquitur, non solum stulta, sed contraria Petræ loquitur,& aperte Satan appellatur ab ipso Domino.

Ratio non intelligit per crucem nos venire ad gloriam.

Nemini fidendum in re salutis extra Christum.

In quo potentissima veritate & certissima conscientia, certi reddimur, quod rejecto omni personatu seu larva, etiam ipsius Apostolatus tantum hoc audire debeamus, quod Petrus una cum Apostolis, confessor ex revelatione Patris docet, scilicet Christum esse filium Dei vivi. Contra, quicquid Petrus cum universo collegio Apostolorum loquitur ex suo sensu, & non ex eadem confessione revelationis,hoc sit habendum Satanicum & adversarium Christo. Sic & Paulus 1. Cor. 3. Aliud fundamentum nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, &c. Et 1. Cor. ultimo, Qui non amat Dominum Iesum Christum, sit Anathema, Maranatha, Hoc est, Qui aliud amat(is etiam docet aliud)sit maledictus. Et Gal. 1. Anathema sit, qui aliud docuerit, si etiam ego,Petrus vel Angelus è cœlo sit, Et 2. Pet. 1. Nos firmum sermonem prophetiæ habemus, Et iterum, Interpretatio Scripturarum non fit voluntate humana & propria,&c. Deinde ipse Pater de cœlo, Hunc audite, Et Christus ipse, Ego sum lux mundi, Quotquot venerunt ante me, fures & latrones sunt, Et Ioh. 8. Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.

Revelato patri audiendo.

In Ecclesia vox Christi audienda.

1. Cor. 3.

Gal. 1.

2. Pet. 1.

Ioh. 8.

Tales sententiæ passim multæ sunt per totum Evangelium & Epistolas Apostolorum,nec tamen potuerunt,nec adhuc possunt movere,quin Petri & Apostolorum successores, velint esse Satanæ,seu Petri carnalis successores. Nam quid est hodie Papatus aliud, quam illud ipsum regnum, quod Iudæi de Christo sperant, & Apostoli tunc futurum esse sperabant, scilicet mundanissimum, superbissi-

Papæ successores Petri carnalis.

Doctrina Papæ.

perbiſſimum & tyranniciſſimum ? Deinde quid eſt doctrina Papæ, niſi propria hominum opinio, imo contra Petram ſeu confeſſionem filij Dei vivi ? Quod ſi (ut dignum, juſtum & verum eſt) Chriſtum Dominum noſtrum pro ſummo omnium Prophetarum habemus, ut omnia ejus dicta & facta, non ſolum ſint doctrina ſeu interpretatio Scripturæ, ſed etiam Prophetia futurorum, cogimur intelligere, quod in Petro & Apoſtolis ſuis hoc loco præfiguraverit totius Eccleſiæ ſuæ Hiſtoriam futuram, Scilicet quod aliqui ſint vere Chriſti Confeſſores in Eccleſia futuri, optimi ſcilicet Epiſcopi & Martyres, qui Chriſtum filium Dei vivi pure confeſſi ſunt, & docuerunt exemplo Petri ex revelatione Patris loquentis. Sed quia idem Petrus & Apoſtoli ſtatim poſt carnem ſapiunt, imo Satanæ fiunt (ut ipſe dicit (ſignificatur etiam hac hiſtoria, quod poſt ſucceſſores Apoſtolorum & Epiſcopos optimos, venturi eſſent Epiſcopi Satanici. Et tandem ille, qui Petri ſolius ſolus & unicus vicarius eſſe Succeſſor, qui Satanam, pro revelatione Patris, ſequeretur, & non regnum Dei, ſed mundi quæreret. Et hanc Prophetiam videmus palpabiliter & horribiliter impletam.

Chriſtus præfiguravit in Petro ſuum Eccleſiæ ſuæ.

Papa pro revelatione Petri Satanam ſequitur.

Quare verba iſta, *Abi poſt me Satana, ſcandalum es mihi, Non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*, debemus conſtanter fateri contra ſucceſſorem Petri carnalis, ſeu Papatum dicta eſſe. Papatus enim, Satanas, id eſt, Antichriſtus ſeu adverſarius Chriſti eſt, & ſcandalum Chriſtianæ Eccleſiæ, plenum Sectarum, perditionis, contra confeſſionem illam unicam & veram de filio Dei vivi. Quid enim ſapit, quid docet Papatus, dum optime docet, niſi tyrannidem ſuper Eccleſiam Dei, & ſuper Majeſtates mundi, ex capite ſuo proprio & voluntate ? Hoc eſt, Nihil ſapit niſi humana, Non docet fidem & crucem Chriſti & mortificationem ſed Regnum, licentiam, dominationem, tyrannidem ſuper omnia divina & humana, & omnia Chriſto contraria, Nam ea, quæ Chriſtus abnegavit & defugit, ſcilicet Regnum, potentiam & gloriam in hoc mundo, ipſe furenter & inſaniſſime quærit, & requirit tanquam ſibi debita, & quidem ſub prætextu Chriſti, qui non ſolum non quæſivit talia, verum etiam crucifixus & occiſus eſt per rectores mundi. Sed nunc non eſt locus nec ocium hujus abominationis tractandæ, Tu ipſe Lector verba & facta Chriſti conſidera, & confer cum Papæ verbis & factis, tum videbis, fulgente Chriſti idea, apertam & perfectam faciem Antichriſti, ſub prætextu nominis Chriſti ſuperbientem & furentem.

Papatus.

Doctrina Papatus.

Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis, Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

Primum promiſſio eſt, cum dicit, Qui vult venire poſt me, ſeu ſequi me, hoc eſt, Qui vult eſſe meus diſcipulus, & eſſe ubi ego ſum, & quo ego vado venire, & mecum manere, Ille faciat longe aliud quam hactenus præſumſit. Nam homines hactenus perſuaſi ſunt, quod faciendo legem (ſeu ut Paulus ait) ſectando legem, ad legis juſticiam perveniant, Ego autem dico vobis eſſe deſperandum, Primo de veſtris operibus, deinde crucem ferendam. Iſtæ enim ſunt duæ partes vitæ Chriſtianæ, ſcilicet deſperare de ſe, ſeu abnegare ſemetipſum, deinde accipere crucem ſuam ſuper ſe. Hic definiendum eſt, quid ſit abnegare ſemetipſum. Eſt autem vere abnegare ſemetipſum, non ſolum relinquere res & domos, ſicut Monachi hunc locum peſſime corruperunt, qui ſic docuerunt, Quod qui vellet poſt Chriſtum venire, deberet relictis rebus & parentibus in monaſterium ire, & fieri ſolitarius, ſoli Deo ſervire. Hinc tot vota & religiones ortæ ſunt.

Opus hominum de juſticia conſequenda.

Duæ partes Chriſtiana vitæ.

Quid Monachi vocent, abnegare ſeipſum & Chriſtum ſequi.

Sed obſecro, quæ fuit iſta abnegatio, ubi relictis corporalibus rebus proprijs, alienas & majores invenerunt, imo quæſierunt fraude, hypocriſi & omnibus malis artibus ? Interim nihilominus apud ſe retinuerunt, imo auxerunt, id quod caput eſt veræ abnegationis, id eſt, præſumptionem & fiduciam propriæ juſticiæ & operum. Ideo impudenter etiam vendiderunt alijs ſuas ſuperfluas juſticias & bona opera, horribili abominatione ſe æquantes, imo præferentes Chriſto.

Chriſtus docet abnegandam fiduciam juſticiæ.

Chriſtus

Christus vero maxime hic petit illud caput serpentis conterere, scilicet fiduciam seu præsumptionem justiciæ ex lege & operibus, quod ipsi maxime tuentur & amant. Vult enim abnegari totum quod sumus, quod possumus, quod facimus. At quomodo ego meipsum abnego, quando aliud nihil abnego, quam istas larvas externas, scilicet vestem, victum, locum, ritum, mores, & reservo ac roboro voluntatem & intellectum seu opinionem sanctitatis & scientiæ in operibus? Hoc est Deo putamina offerre, & nucleum vorare.

Qualis quæso abnegatio hæc est? ubi centies plura rapio, quam do? Do Deo cucullum, locum, personam, ritus (aut potius muto talia solum) quærens interim meliora his, Et servo mihi sapientiam & justiciam operum. Non hoc Christus vocat abnegare, sed sic definitur abnegatio vera, scilicet ut tuam voluntatem, intellectum, id est, justiciam, sapientiam, opera, &c. subjicias, imo abjicias, Et dicas cum Paulo, Ne inveniar in justicia, quæ ex lege est, imo pro stercore habeas, ut in Christo sapiens & justus & vivus sis, In te vero stultus, peccator, mortuus. Seipsum igitur abnegare, est totum se abnegare, non aliquam partem seu corporalia illa, vestem, victum, locum, &c. Sed tu, tu totus debes mortificari & nihil fieri, nihil retinere in quo fidas coram Deo, Hoc non fit, nisi & hoc quod summum & optimum in te est abneges, nempe justiciam ac sapientiam, & fias peccator & stultus, tribuens soli Christo justiciã & sapientiã. Tũ vere eris justus, quia mortuus (ait Petrus) justificatus est à peccato. Nam tali homini, sic de se desperãti, non potest non propitius esse Deus per Christum, ei impertiendo omnia bona.

Philip. 3. *Abnegatio vera.* *Seipsum abnegare.* *1. Pet. 4.*

Abnegatus tandem paret se propter Christum ad tentationem. Quia qui abnegat, damnat, arguit opera justiciæ propriæ & repugnat hypocritis & falsis illis abnegatoribus, Is expectet mortem. Nam mundus nihil minus ferre & audire potest, quam damnari opera propriæ justiciæ. Falso interpretati sunt ista verba, Tollat crucem suam. Quia tollere crucem intellexerunt idem esse, quod eligere crucem, hoc est, seipsum flagellare, sicut Monachi, Interim simpliciter nihil pati ab inferentibus crucem. Quia suis flagellis & duris ceremonijs fucum fecerunt mundo, ut obtinerent gloriam & honorem in mundo, Et tamen interim nihil fuit impatientius isto genere hominum, sunt enim pleni vindicta & odio, sicut decet Hypocritas.

Quid Monachi putarunt tollere crucem.

Definitione ergo opus est, quid sit tollere suam crucem, Est autem tollere crucem, propter verbum & fidem, sponte suscipere & portare odium Diaboli, mundi, carnis, peccati, mortis, &c. Hic non est opus eligere crucem, Tantum incipe primam partem vitæ, & abnega teipsum, hoc est, argue justiciam operum, & confitere fidei justiciam, Et statim aderit secunda pars, scilicet Crux, quam tum accipias, sicut Christus suam accepit. Sed quia hypocritæ primam partem damnant, & suam justiciam defendunt, non modo non accipiunt crucem super se, sed ipsi fiunt Crucifixores & occisores piorum, crucem portantium, Interim portant sua Cilicia, jejunia, sacrificia, vigilias, disciplinas, &c. Sed cum magno plausu & admiratione mundi, & cum voluptate Diaboli. Insigniter autem addit, suam, Quia non docet nos portare eam crucem, quam ipse portavit, Sed suam (inquit) quisq; portet, Crux est jam parata unicuiq; sua, id est, pro modulo virtutis uniuscujusq; (Quia non omnes possumus similia pati, cum non simus omnes æquales in fide & virtute spiritus) Tamen cogita ut feras tuam, ille suam, iste suam, & sic de alijs. Nam potest alicui infirmo sua crux (etiamsi in sese sit levissima omnium) tam gravis esse, quam fuit S. Paulo sua, quæ tamen erat gravissima, Differentia virium facit æquales omnes omnium cruces, quæ inter sese sunt inæqualissimæ, Alicui est carcer levior, quam alteri contemptus vel maledictum, Alij levior ipsa mors, quam alteri pars bonorum rapta. Ideo sua, id est, unicuiq; propria, pro ut ei imponitur pro tempore, loco & virtute patientis.

Tollere crucem. *Hypocritæ non ferunt crucem, sed sunt piorum crucifixores.* *Non eadem crux omnium.*

Sic Paulus dicit, Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari ultra quam potestis, Sed cum tentatione facit proventum, ut possitis sustinere. Quare unusquis-

1. Cor. 10.

que con-

que conſideret, qua cruce eum Dominus onerarit, nec murmuret, ſi alius videtur levius habere onus, quia & minus habet virium & ipſi æquum onus, proportione Geometrica. Vir portat centum libras, puer vero unam, Non indignatur vir ſe centum, & non, ſicut puer, unam portare. Addit autem Chriſtus ferendæ cruci etiam hoc documentum, Et ſequatur me. Quia non ſatis eſt tollere crucem ſuam propter Verbum ſeu abnegationem ſuiipſius, niſi & ſequatur Chriſtum. Non enim qui incipit, ſed qui perſeverat uſq; in finem, hic ſalvus erit. Sequere ergò Chriſtum crucem portantem & tu cum cruce tua uſq; in finem. Multi præclare incipiunt, ſed in medio feſſi finem deſerunt, Vt ſemen illud in petroſis & ſpinoſis jactum. Quia retroſpicientes vel ad pacem, opes, vel alia mundi commoda, amittunt ſcopum præfixum vocationis cœleſtis. Sic Demas tandem reliquit S. Paulum, diligens hoc ſeculum, licet bene cœperit, &c.

Perſeverantes uſq; in finem ſalvi fiunt.

Demas

Luc. 8.

2. Tim. 4.

Qui enim voluerit ſervare animam ſuam, perdet eam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.

Confirmat hanc ſententiam duobus paradoxis. Quia mirabiliter ſonat in auribus carnis, Qui amat ſeu ſervat animam ſuam, perdet eam, Qui perdit, ſervat. Sed ideo loquitur paradoxa, ut tenacius hæreant in memoria. Quia mirabiliter dicta excitant magis & feriunt aures, eo quod videantur impoſſibilia. Vult igitur dicere, Videte ne recuſetis crucem propter me, & quæratis pacem, gloriam & bonos dies extra me. Dico enim vobis, quod ita quærendo pacem, incurretis crucem æternam, Et recuſando crucem, amittetis pacem æternam, Econtra, accipiendo crucem iſtam temporalem, invenietis pacem æternam, Et contemnendo pacem iſtam temporalem, vitabitis crucem æternam. Sic Luc. 6. Veh vobis divitibus ridentibus, &c. quia egebitis, lugebitis, Econtrà, beati pauperes, beati qui lugetis, &c.

Quærens pacem hujus mundi, invenit æternam crucem, &c.

Luc. 6.

Sunt igitur iſta duo paradoxa, Alterum comminatio, Alterum promiſſio, Comminatio eſt, Qui vult animam ſuam ſalvam habere, perdet eam, Promiſſio eſt, Qui animam ſuam perdit, ſervabit eam. Sed notanda particula (propter me) Quia multi temere perdunt animas ſuas, ut milites, avari, ſuperbi, qui incurrunt in maxima mala, etiam in mortem, Sed propter pecuniam, gloriam vel aliam cauſam, non propter Chriſtum, Et Hæretici etiam multa patiuntur (ut ipſis videtur) propter Deum, ſed revera propter ſuperbiam & oſtentationem ſapientiæ ſuæ. Beatus vero, qui propter Chriſtum patitur. Nam animam perdere hic ſignificat non ſolum mori, ſed omnes paſſiones, cruces, mala, pericula & tentationes, quibus impeditur vita ſuavis & pax carnis in opibus, gloria, voluptate, Vt idem ſit animam perdere, quod pati propter Chriſtum, Et animam ſervare, idem quod nihil velle pati propter Chriſtum, ſed ſalvas velle habere opes, gloriam, voluptatem, voluntatem & omnia bona.

Perdere animam propter Chriſtum.

Animam perdere.

Animam ſalvare.

Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?

Nunc Rhetoricatur Chriſtus, dicens, Quid eſt, quod homo ita quærit pacem, & fugit crucem? Eſto quod totus mundus ſit ejus, cum omnibus bonis ſuis, extra Me, contra me, ſine me, Quid inde habebit lucri, cum interim æternam damnationem incurrat? Cur iſtas guttas pacis ita quæritis, ſeu parvas particulas de toto mundo, cum totus mundus bonorum eſſet damnum æternum? Brevis eſt iſta pax, quam quærunt, deinde exigua, quia minima portio de mundi totius pace, ſeu bono. Contra, Crux etiam brevis eſt, & minima portio de æterna damnatione, Et tamen illi per brevem & modicam pacem, incurrunt æternam & infinitam crucem, Et iſti per brevem & modicam crucem, inveniunt æternam & infinitam pacem, Vt & Paulus dicit, Modicum & leve tribulationis noſtræ operatur ſupra modum pondus gloriæ, &c. 2. Cor. 4.

Æterna crux ſequitur brevē mundi pacem.

2. Cor. 4.

Nihil

Nihil igitur juvat hominem etiam totius mundi poſſeſſio. Quid profuit Alexandro orbis imperium? Quid Iulio, Auguſto, & ſequentibus eos? Brevi tempore floruerunt, Nunc in æternum perierunt. Sic Pſal. 92. Cum exorti fuerint impij ſicut fœnum, ut intereant in ſeculum ſeculi. Sed quis conſiderat illam brevitatem, paucitatem, incertitudinem hujus vitæ, pacis, gloriæ, voluptatis, &c. Deinde æternitatem, infinitatem, certitudinem mortis, crucis, ignominiæ, doloris? Econtrà, Quis piorum ſatis expendit brevitatem, paucitatem, levitatem crucis? Deinde æternitatem, infinitatem, ſecuritatem vitæ, lætitiæ, ſalutis? O caro, potens etiam in Sanctis iſta obſcurare. Addit,

Alexander. Iulius. Auguſtus.

Pſal. 92.

Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?

Quaſi d. Non eſſet adeo mirandum aut gemendum, ſi homines pro vita iſta perderent futuram, Si futura damnatio talis eſſet, quod poſſet redimi, aut pateret regreſſus ab inferis, Nunc vero redimi non poteſt anima perdita, ſed ſtat certa lege, in inferno nullam eſſe redemptionem, niſi per me. At illi ſine me pereunt, non propter me, Ideo carent precio redemptionis, id eſt, Me, & ita in æternum ſine ſpe pereunt. Et talia ſcientes, prudentes, certi conténunt, & perire malunt, quam ſalvari, Tantum ne crucem propter me breviſſimo tempore ferant.

Anima perdita non poteſt redimi ſine Chriſto.

Futurum eſt enim, ut Filius hominis veniat in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, Et tunc reddet unicuiq; ſecundum opera ſua.

Quaſi d. Etiamſi in hoc ſeculo ſecuri ſint & pace fruantur, ideoq; nihil ſoliciti de futuro, Tamen certum eſt, quod cogentur ſtare ante Tribunal meum, licet id nunc non credant, Et tum reddam unicuique ſecundum opera ſua. Erit autem tribunal gloriæ ac tale, ut nulli liceat effugere, quia erit in gloria Patris & coram Angelis ejus. His verbis abſterret à pace mundi, & hortatur ad patientiam crucis. Quia quid prodeſt hic, uel Cæſare probante, pace frui, cum certũ ſit iſtic coram majeſtate Patris & omniũ Angelorũ damnari? O quantum erit iſtud Conſiſtoriũ, quod Majeſtate divina apparéte, & tot millibus Angelorũ celebrabitur? Et quãto majoris Majeſtatis, tanto majoris terroris & horroris erit impijs.

Tribunal Chriſti.

Cum dicit (Tunc reddet unicuiq; ſecundum opera ſua) Primum obſervandum eſt, quod in hac vita non ſit retributio ulla veræ pietati vel impietati, Sed reſervatur ad tribunal Chriſti. Quia pij premuntur & calcantur, Econtrà impij florent & dominantur. Ergo pietas in hoc ſeculo non recipit mercedem ſuam, ſicut nec impietas ſuam pœnam & vindictam, Sed contraria omnia. Secundum, Qui vult eſſe pius, hoc ſtatuat, ut in futuro ſpem ſuam expectet, Quod ſi nolet facere, maneat impius ſicut cæteri, & relinquat Paulum, ſicut Demas, & diligat hoc ſeculum, &c. In ſumma, Pietas vel impietas non poteſt judicari pro tribunali Cæſaris. Quia mundus utrumq; ignorat, nec quid pium aut impium ſit intelligit, cum damnet pietatem & probet impietatem. Iudicat quidem mundus iſtas inferiores cauſas, id eſt, facta contra ſecundam tabulam, ut manifeſta homicidia, adulteria, furta, injurias, &c. Sed quantulum hoc eſt judicium reſpectu magnorum ſcelerum, quæ contra primam tabulam etiam manifeſte fiunt, & contra ſecundam tabulam, corde & ſecreto fiunt? **Es iſt ein bettleriſch Gericht/vnd nicht das A b c vom gericht Gottes**/ quia judicat de manifeſte probatis coram hominibus, id eſt, de extremo cortice arboris, &c.

Pietas hic non recipit mercedem.

Mundus ignorat quid pietas, quid impietas ſit.

Mundi judicium quale.

Dei judicium.

Tertium, Reddet unicuiq; ſecundum opera ſua, ſublimiter intelligitur, quod etiam illa opera ſit damnaturus, quæ in hoc ſeculo laudantur & canoniſantur, & econtra probaturus, quæ in hoc ſeculo damnantur, Q. d. Quia Mundus inique judicat de pijs & impijs, Ideo ego aliter judicabo, & reddam non ſicut cogitant homines, &c. ita fiet, ut Iohannem Hus, Conſtantiæ damnatum, probabit, Et Papam cum ſuis ſeſe juſtificantes, damnabit. Quia illi non reddiderunt Iohanni Hus ſecundum opera ſua, ſed contra quam meruit, Ideo ego quoq;

Reddet unicuiq;

Iudicium mundi iniquum de pijs & impijs.

Germana ſententia hujus dicti Reddet unicuiq; ſecundum opera ſua.

contra reddam ei ſecundum opera ſua & ſalvabo, Et illis ſecundum opera ſua, & damnabo eos. Ex iſtis patet, quam in tempeſtive Sophiſtæ hunc locũ depravent, & trahant ad juſtificationem, ſcilicet quod per opera juſtificemur vel damnemur, Cum Chriſtus non de juſtificatione loquatur, ſed de tribunali ſuo, in quo judicabit juſtos & impios. Non enim quomodo juſti fiamus hic docet, ſed quomodo examinandi ſint juſti & injuſti, num juſti aut injuſti fuerint.

De operibus. Sed quia Sophiſtæ non curant diſtinctam & propriam intelligentiam, in loco ſecundum materiam ſubjectam, Sed invento vocabulo, opera clamant, Ecce opera, opera, Ideo digrediamur & nos, & tractemus opera, Verum propter noſtros, non propter ipſos, Licet noſtri monendi ſint, ut locos hujuſmodi, ad juſtificationem non pertinentes, negent ad cauſam juſtificationis pertinere, & in hoc fortiter ſtent & perſeverent. Hoc ſtante, digrediantur ad Diſputationem communem de operibus (etiamſi hic non ſit locus) & ſic dicant.

Scriptura duæ partes. Primum, Scriptura duas habet partes, Altera eſt promiſſio, Altera lex. Hæc diſtinctio eſt certa & indubitata etiam adverſarijs. Deinde certum eſt, Promiſſionẽ nõ exigere ea, quæ nos debemus facere, ſed exhibere ea, quæ Deus nobis donat. Hac diſtinctione ſtante & conceſſa, ſequitur (ut oportet) neceſſario, quod omnia dicta ſeu allegata de operibus & præmijs pertineant ad Legem, non ad promiſſionem. Si pertinent ad Legem, neceſſario ſequitur, quod non doceant, quid Deus nobis promittat ſine lege, ſed oſtendunt quid nos debeamus facere. Oſtendendo autem quid facere nos debeamus, comprehendunt totam vitam qualis eſſe debeat. Vita autem tota eſſe non poteſt, niſi etiam includat cum operibus voluntatem, rationem & omnes vires & animæ & corporis. Exempli gratia, Præceptum de non occidendo, de non furando, &c. non ſolum opera exigit, ſed etiam cor & omnia membra, Vt Chriſtus exponit Matthæi 5. Hic nihil dicitur, quid Deus velit facere, Sed quid nos oporteat facere, Ideo promiſſio hic nulla, ſed ſolum lex eſt, quæ totum hominem exigit.

Dicta de operibus pertinent ad legem.

Lex exigit totum hominem.

Matth. 5.

Secundo, cum lex exigit ſic totum hominem, recte dicitur, Reddi unicuiq; ſecundum opera ſua. Quia neceſſario ſubintelligitur etiam reddi ſecundum cor, affectum, voluntatem & rationem, à quibus fluunt & pendent opera, tanquã cauſa & effectus, ceu unum compoſitum. Nam ſine corde ſeu ratione non fieret ullum opus, nec bonum nec malum. Quare illi ſunt vehementer deteſtandi, qui dicta Scripturæ ſacræ de operibus ſic urgẽt, quaſi ſine ratione & voluntate fieri poſſint, cum ratio & voluntas ſit potior, prior & major pars operum, & neceſſario includantur in omnibus dictis, quæ de operibus loquuntur. Hæc enim eſt fallacia compoſitionis & diviſionis, ſcilicet, cum dividunt ea, quæ debent eſſe compoſita ſeu conjuncta, nempe opera & rationem. Obtento igitur, quod opus neceſſario includat, imo prærequirat rationẽ ſeu voluntatem (hoc eſt, totum hominem) Tunc ſequitur prona conſequẽtia, Ante opus oportere perſonam ſeu rationem eſſe rectam & bonam. Quia niſi prior ſit ratio recta & bona, impoſſibile eſt opus rectum & bonum fieri.

Opera ſine ratione & voluntate ſive bona ſive mala non ſint.

Fallacia compoſitionis & diviſionis.

Opus prærequirit rationem.

Interroga nunc etiam Philoſophum, Vtrum recta ratio ſola & ſine operibus perſonam faciat bonã? Hic cogitur reſpõdere, Ante opera & ſine operib. præcedentibus oportere rectã eſſe rationẽ. Quia non ex operib. ratio, ſed ex recta ratione fiunt opera. Ergo ſola recta ratione ſine operib. fit perſona recta, tunc perſona recta per rationem fiunt opera. Ita fit, ut non opera recta faciant rationem rectam, ſed ratio recta facit opera, Et ratio ſine operibus & ante opera eſt recta, imo ſunt effectus rationis prius ante opera rectæ, igitur etiã in morali Philoſophia decerni oportet, Opus bonum ſine ratione nihil eſſe, Et hominem ſola ratione, ſine operibus, & ante opera, bonum fieri. Si hoc in morali Philoſophia valet, quanto magis in Theologia, ubi requiritur ultra rationem naturalem, donum cœleſte. Sicut enim in operibus moralibus neceſſario prærequiritur ratio recta, quæ hominem ante opera & ſine operibus bonum faciat, Ita multo magis in operibus Chriſtia-

Quæ opera vocentur bona à Philoſophis.

Opera bona nõ faciunt rectam rationem ſed e contra.

Opus bonum ſine ratione non valet.

In operibus pietatis requiritur fides.

Chriſtianis requiritur ante omnia fides, quæ perſonam faciat bonam. Nam quod eſt ratio in moralibus, hoc fides eſt in Theologia, Sicut in natura, Arbor eſt prior fructu.

Quæri enim & hic poteſt, An fructus faciat arborem, vel arbor fructum. Hic reſpondebitur ex natura, Niſi primum ſit arbor habens ſuum ſuccum, &c. non fiunt fructus. Ita in moralibus, Niſi homo ſit bonus, habens ſuccum ſuum, id eſt. rectam rationem, non ſequuntur bona opera. Ita in Theologia, niſi adſit ſuccus & pinguedo olivæ, hoc eſt, fides, & cognitio Dei, non fiunt opera fidelia. Stat ergo veritas, Arborem ſine fructu & ante fructum eſſe bonam, ſuo ſolo ſucco & natura. Stat veritas, Moralem hominem eſſe bonum, ſine operibus, & ante opera per ſolam rationem rectam. Stat veritas, Chriſtianum eſſe juſtum, ſine Charitatis operibus, & ante charitatem, per ſolam fidem.

Quid eſt ergo, quod urgent opera, & dicta de operibus? cum cogantur fateri, Nullum opus eſſe poſſe, niſi prior ſit efficiens ſeu operans ſine opere, Et opus neceſſario prærequirere perſonam, quæ ipſum faciat? Cur ergo ita pugnant contra nos, quod fidem ſine operibus dicimus eſſe, & facere perſonam juſtam, Poſtea ſequi opera, quæ non faciant perſonam juſtam, ſed fiant à perſona juſta, Cum fateri cogantur id ita fieri, tam in natura, quam in Philoſophia morali ſeu lege.

Opera non faciunt perſonam juſtam, ſed fiunt à perſona juſta.

Quando nunc arguunt Sophiſtæ, Deus reddit unicuiq; ſecundum opera, Item, Hoc fac, & vives. & ſimilia, Reſpondendum eſt, Hæc dicta eſſe nihil aliud, niſi præcepta Dei, quæ totum hominem totamq; vitam exigunt. Quia docent, quid nos facere debeamus, aut quid fecerimus. Sicut & S. Auguſtinus dicit, Talibus Scripturis nos admoneri, quid facere debeamus, non autem prædicari, quid poſſimus, aut quid fecerimus. Vitioſiſſimum igitur Argumentum eſt, Deus reddit ſecundum opera, Ergo opera juſtificant vel damnant, Et eſt vere fallacia compoſitionis & diviſionis. Peſſime enim dividunt, quæ compoſita ſunt, Siquidem illud verbum, opera, eſt compoſitum, includens fidem ſeu rationem fidelem, per quam fiunt opera, &c. At ipſi dividunt iſtud compoſitum, & ſola opera ſeu partem compoſiti opponunt fidei, & per opera volunt ſalvari. Et ipſe textus Evangelij hanc diviſionem vitioſam non patitur, quia conjungit opera cum perſona, & facit tale compoſitum ex operante & operibus, quod non ſit dividendum. Non enim dicit, Reddet cuilibet operi, ſed ſic dicit, Reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. Vnicuiq;, inquit, id eſt, qualis fuerit perſona operans, talem accipiet mercedem. Quare non opera, ſed operans recipiet mercedem. Operans vero eſt, qui ante opus, vel bonus vel malus eſt. Ergo argumentari ab opere ad operantem, eſt à parte ad totum argumentari, Sicut ſi argumenteris, Hoc animal habet duos pedes, ergo eſt homo, quia duo pedes ſunt pars hominis, non totus homo.

Quid reſpondendum ſit adverſarijs opponentibus dicta de operibus.

Vitioſum adverſariorum argumentum.

Fallacia compoſitionis & diviſionis.

Non opera, ſed operans recipit mercedem.

Si iſta ſubtiliora ſunt, quam ut intelligi poſſint à vulgo, tunc manendum eſt in iſta ſimplicitate, Quod Scripturæ de operibus & præmijs loquentes, ſunt Regulæ ſecundum quas tota vita agenda ſit. In quibus non quæritur, Quid ſit fides, quid Chriſtus, quod eorum officium? Sed tantum requiritur, ut eas habeamus, & ſecundum eas vivamus, Quia præcipiunt. At Scripturæ de promiſſionibus ſunt doctrinæ, in quibus quæritur, quid ſit fides, quid poſſit, quid faciat? Summa, Omnino alia res eſt, quando dicitur, Sic vivere debes, aut ſic vixiſti. Quia hæc doctrina comprehendit totum hominem & vitam, & docetur præceptis & lege. Item alia res eſt, quando dicitur, Vnde petenda ſit hæc vita, & quid ad eam pertineat? Statim dicitur, Eſto bonus, juſtus, &c. Hic non doceris aut quæreris, unde aut per quid juſtus fias, Sed ſimpliciter dicitur, Eſto juſtus, dilige, bene operare. Sed hæc longe diverſa quæſtio eſt, Per quid juſti fiamus? **Hie theilet ſichs / vnd wird vnterſcheiden alſo**/Quod fides juſtificet ſine operibus. Iuſtificata autem perſona fide, **ſo geſchicht denn das gantze auch**/ ſcilicet, quod juſtus es, & bona opera facis. Id eſt, ex fide primum juſtificatus, facis opera. Hic ſunt duo diverſa, fides & opera, Et tamen ſunt unum in omnibus præceptis, quia omnia præcepta utrunq;

Fides & opera diverſa ſunt & tamen unum.

Digitized by Google

requirunt. Sic fit fallacia in omnibus Argumentis, quæ ab opere contra fidem fiunt, Quia apprehendunt totum, & arguunt contra partem.

Amen dico vobis, Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem.

Chriſtus guſtavit mortem pro omnibus.

De iſtis quibuſdam non eſt unus, ille ipſe Dominus, qui non ſolum guſtavit mortem, ſed pro omnibus, ac ſi ſolus guſtare deberet, guſtavit mortem, & guſtando abſorbuit. Sentiunt fere omnes Chriſtum loqui de Iohanne Evangeliſta, & matre Maria, qui non ſunt mortui, ut creditur. Nam ita ſonat illud Chriſti Iohan. vult. Si volo eum manere, quid ad te? Adde quæ ſcribuntur in Legenda e- *Iohan. vl.*
jus. Credi autem poteſt, & ego verum eſſe puto, Chriſtum hæc verba dicere in Spiritus plenitudine, & exuberanti gaudio cordis, de glorioſa ſua reſurrectione, ſeu de virtute & efficacia reſurrectionis ſuæ, Quia ſciebat morti ſic eſſe vim domandam & opprimendam, ut quam plurimi in fide ejus fortiter morituri, mortem & terrorem ejus contemnerent. Sicut Petrus, Paulus, omneſq; Apoſtoli, & multi martyres illud cecinerunt in mortis contemptum, Mors, ubi eſt ſtimulus tuus? Imo ſemper & adhuc hodie multi moriuntur in Chriſto, quaſi ſuaviter & ſine dolore obdormiant, prorſus non ſentientes horrorem mortis.

Efficacia gloriæ reſurrectionis Chriſti.

Vt ſit ſententia, Per ME mors eſt abſorpta in victoria, ita ut etiam aliqui hic ſtantes, ſint ſine morte morituri, ſeu dormituri verius, ut qui mortis vim non ſint ſenſuri, Ac ſi diceret, Quam neſcitis vos omnes, quis ſit ille, quem vos hic auditis & videtis. Amen dico vobis, Ego ſum, per quem mors ita victa eſt, ut non modo ante & poſt, ſed jam nunc iſtorũ aliqui, quos videtis, ſint ſine dolore morituri, Vt ſciatis, in me ſita eſſe omnia, & ad me pertinere omnia cum reſurrexero. Ego ſum reſurrectio & vita, ut, etiamſi quis mortuus fuerit, tamẽ vivat. Ideo mox ſequenti Cap. etiam viſione manifeſta declarat, eos vivere, qui in ſe credunt, & ſine dolore mori, Vt Moſes & Elias, quos viventes exhibet in gloria Apoſtolis ſpectandos. Ideo iſta verba ſunt præfatio capitis ſequentis, & ab his erat incipiẽdum Cap. 17. Quia ea, quæ dicit verbo, oſtendit eis facto, id eſt, viſione clara & glorioſa, Etiamſi textus dicat, Poſt ſex dies demum factam viſionem, tamen inter hæc verba & viſionem nihil medium ſcribitur, Quaſi verbis prophetarit, quod poſt ſex dies oſtendere voluit. Sicut die aſcenſionis prædixit, induendos eſſe virtute ex alto, quod poſt decimum diem Spiritu dato declaravit.

Iſtud verbum (Aliqui de hic ſtantibus) poteſt dupliciter intelligi. Primo ut excludat totam turbam, ſcilicet, ut de Apoſtolis & fidelibus omnibus intelligatur, qui tunc corporaliter aderant, Etiamſi non tunc, ſed poſtea crediturí eſſent, Vt ſit ſenſus, Omnes iſti, qui in me credunt ex iſta turba populi, morientur ſine guſtu mortis, id eſt, vivent ſemper. Secundo, ut excludat aliquos de Apoſtolis & credentibus tunc, vel crediturís in eum, Quaſi dicat, Sunt aliqui hic inter credulos & diſcipulos meos jam factos, vel ex iſta turba futuros, qui nõ guſtabunt mortem, donec, &c. Vt ſit ſenſus, multi ex diſcipulis iſtis meis & futuris, dormient quidem in morte ſine dolore, Sed non omnes. Cæteri enim etiamſi ſint ſalvandi, tamen mortis horrorem ſunt ſenſuri, & meo exemplo guſtaturi, quia non æqualiter omnes mortem vincent, nec æquali conditione aut ſenſu morientur. Hic ſenſus mihi probatur. Quia & Prophetæ queruntur de timore mortis & doloribus *Sancti conquerentur de horrore mortis.*
inferni, Pſal. 6. & multis alijs. Quia in alijs & alij fortior eſt virtus Reſurrectio- *Pſal. 6.*
nis, ſecundum quod ſpirat Spiritus fidei menſuram, ſicut vult pro utilitate Eccleſiæ & fidelium ſingulorum.

Donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.

Quæſtio.

Quæſtio, Quid faciunt vel patiuntur interim mortui, donec veniat filius hominis? Certe de his, qui ſine dolore moriuntur, nec mortem guſtant, non eſt dubium, quin interim donec Chriſtus venerit nihil mali patiantur. Quia neceſſe eſt Chriſtum hic vera dicere, Mortem non guſtabunt, donec viderint,

Eſa. 57. viderint, &c. Idem teſtatur etiam Eſaias Cap. 57. Ante faciem calamitatis tollitur Iuſtus, intrant in pacem in cubilibus ſuis recti. Et hoc ſatis eſt ſcire de ſanctis, qui dormiunt in Chriſto. Nam quæ ſit iſta pax & ſecuritas ipſorum, nos non poſſumus intelligere, Et ſine verbo Dei, temerarium eſt aſſerere, quod nobis videtur bona conſequentia trahi. Non enim ſequitur, Petrus vivit, ergo comedit & bibit, Anima ejus vivit, ergo credit vel ſperat. Poteſt enim vivere, & neq; comedere neq; bibere, ſed dormire, vel aliud, quod neſciam, facere, Sic de alijs.

Duo ordines damnatorum & ſalvandorum ſecundum Papiſtas.

De ijs vero, qui non ſine dolore moriuntur & guſtant mortem, quid dicemus? Hic Papiſtæ facerent duos ordines, Vnum damnatorum, qui perpetuo manent in guſtu, ſeu potius ebrietate mortis, Id eſt, qui cum divite Epulone in inferno torquentur, Alterum ſalvandorum, qui in Purgatorium vadunt, guſtaturi mortem ad tempus, donec liberentur. Sed de Epulone nihil ad propoſitum noſtrum, quia hic de ſalvandis loquimur. Nam ſive damnati mox incipiant ſuum infernum, ſive in die judicij, nihil ad quæſtionem & ad nos, cum ſint judicati ſuo judicio æterno. De alijs vero, quia purgatorium probari non poteſt certa autoritate Scripturæ aut Patrum (quanquam Patrum autoritas in tanta cauſa non ſit ſatis) ſine periculo licet ſentire, Quod poſt guſtum mortis, ſoluto corpore, deſinant guſtare mortem, & requieſcant etiã ipſi tunc in pace & ſecuritate uſq; ad Chriſtum
Apoc. 14 judicem. Ad quod ſatis alludit illud Apoc 14. A modo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis. Loquitur enim de ijs, qui in Domino moriuntur, ſive cum guſtu mortis, ſive abſque guſtu mortis. In Domino enim mortui ſalvi ſunt. Quare ſi requieſcunt, ut textus dicit, Sequitur nullum eſſe Purgatorium, Niſi velis dicere eos, qui cum guſtu mortis moriuntur, non in Domino mori, ſed in Diabolo, & extra ac contra Dominum mori, ſicut ille Epulo. Si autem in Domino moriuntur (etiam cum guſtu mortis) certe requieſcunt à laboribus ſuis, multo magis à cruciatibus ſuis. Aut nega verba Apocalypſis.

Purgatorium à Lutbero aſſertum.

Purgatorium à me aſſertum jactant Papiſtæ & Antilogiſtæ, Et adhuc aſſero, Sed illud, quod in Pſalm. frequentatur, Vbi ſancti laudant Deum, quod ab inferno inferiori, de tenebroſis & umbra mortis, de manu inferi, de periculis inferni, de finibus & portis mortis, & quæ ſunt ſimilia, liberati ſunt, Sed non ſacrificijs, aut operibus Sacrificulorum, peſſimorum, impuriſſimorum, impijſſimorum hominum, qui ſuas Miſſas pro pecunijs ſcelerate vendiderunt, & operibus operatis Deum & homines deriſerunt, Deniq; hoc Purgatorium non eſt fictum purgatorium (quale eſt ipſorum) & humanis (ſint ſane etiam Patrum) opinionibus aſſertum, Sed res ipſa & nimium ſerium, his, qui cum Prophetis & Sanctis omnibus in ſchola Chriſti diſcunt hanc duram Lectionem, Deducit ad inferos & reducit, mortificat & vivificat. Sed ſatis alias de purgatorio Papiſtico & mẽdaci dixi. Nam Patres, quos jactant, non habuerunt cogitationes iſtorum peſſimorum hominum, nec docuerunt, multo minus ſperaverunt, fore aliquando, ut docerentur in Eccleſia.

Purgatorium Papiſtarum fictum.

Abraham & Lazarus vivunt, &c.

At Abraham & Lazarus certe vivunt, & Epuloni videntur, & invicem loquuntur? Reſpondeo, Vivunt utiq;, Sed qua lingua loquantur, quibus auribus audiant, quibus oculis videant, qualia ſint brachia & ſinus Abrahæ, quis intelligit? cum corpora ipſorum cum ſuis membris jaceant in ſepulchro redacta in pulveres, Deniq; quis novit, quale ſit illud tempus, cum non ſit hoc noſtrum ſub ſole tempus, ex quo ſunt translati. Quicquid ſit, hoc ſatis eſt noſſe, Abraham & Lazarũ eſſe in pace & quiete. Quare ex iſta viſione non probatur Purgatoriũ illorũ, qui obdormierũt in Domino. Dixi vero alias plura de hac re in Sermone, &c.

CAP. XVII.

ET poſt dies ſex, aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Iohannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſim, & transfiguratus eſt ante eos.

Situs montis Thabor.

Quod ad hiſtoriam attinet, certum eſt hanc rem geſtam eſſe in Galilæa, dum adhuc moraretur Ieſus in Capernaum, Et credibile eſt montem hunc eſſe montem Thabor, ut omnes dicunt, In quo & poſt reſurrectionē Diſcipulis, præcedens eos in Galilæam, apparuit. Eſt enim pulcherrimus mons, &, ut S. Hieronymus ait, in medio campo Galilææ mira rotunditate ſublimis, eſtq; confinium fere quatuor iſtarum tribuum, Naphtali, Sebulon, Iſaſchar, Aſſer, quæ tribus Galilæam terme continent, Et ſatis commendatur etiam in Scripturis ab amœnitate, ut Pſal. 89. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, id eſt, jucundiſſimi montes ſunt à te creati, Thabor & Libanus. Et victoria Deboræ & Barac contra Siſſera, celebris eſt Iud. 4. *Pſal. 89.* *Iudi. 4.*

Conciliatio Evangeliſtarum.

Quod Lucas dicit, Ieſum aſſumpſiſſe Apoſtolos illos tres fere poſt octo dies. &c. & Matthæus cum Marco poſt ſex dies, non ſunt contraria. Quia Matthæus & Marcus ſex intermedios dies tantum recitant, Lucas autem & ultimum diem, in quo Chriſtus concionatus eſt ante iſtos ſex dies, & primum poſt ſex dies, in quo clarificatio iſta facta eſt, ſimul comprehendit. Ordo autem rei geſtæ ſic habere videtur, Primum aſcendit ipſe cum tribus iſtis Apoſtolis ſolus, relictis alijs infra in loco campeſtri, Vbi aſcenſum eſt, more ſuo oravit, Interim tres Apoſtoli ſomno gravantur. Sed à colloquio Chriſti cum Moſe & Elia, vel etiam à claritate nimia evigilant, & vident & audiunt hæc omnia, ſed attoniti ex ſomno & rei novitate nihil dicunt, Poſt ubi Moſes & Elias diſparuiſſent, Luca ſolo referente, Petrus loquitur, Domine, bonum eſt nos hic eſſe, &c. neſciens præ ſtupore quid loqueretur, ut Marcus cum Luca teſtantur, Inter loquendum autem, nubes lucida obumbravit eos, & vox Patris de nube ſonat, Hic eſt Filius meus dilectus, &c. Tunc territi à nube & voce Apoſtoli ruunt in faciem. Quia Lucas à nube, Matthæus à voce territos fuiſſe ſcribunt. Poſt auditam vocem Chriſtus eos tangit, & ſurgere jubet, Surgentes autem & oculos aperientes, nihil vident niſi Ieſum ſolum, haud dubie jam claritate faciei ſuæ dimiſſa.

Ordo hiſtoriæ de transfiguratione Domini.

Reſurrectio magnopere, &c.

In hac Hiſtoria multa continentur, Primum oſtenditur mortuorum reſurrectio, & futura gloria ſeu claritas etiam corporum noſtrorum. Nam hoc admirabile fuit, quod Chriſtus in corpore adhuc mortali & paſſibili clarificatus eſt, & oſtendit immortalitatis claritatem, adhuc in ipſa mortalitate, Quid fiet cum mortalitas abſorpta, nihil niſi immortalitas & gloria erit? Secundo, additur huic facto per ſe admirabili, apparitio Moſi & Eliæ, qui etiamſi pro mortuis habeantur, tamē ſua illa apparitione oſtendunt ſe non eſſe mortuos, ſed in aliud quoddam vitæ genus translatos, Deinde oſtendunt etiam aliam eſſe vitam extra iſtam mortalem, ex qua ſublati ſunt, & tamen vivunt. Nam neq; Moſes, neq; Elias potuiſſent in hac mortali vita duraſſe, uſq; ad iſtam horam, in qua apparuerunt, cum jam tot centenarijs annorum fuerint extra mundum, ſeu hanc vitam, & tamen adhuc vivunt, & ſe vivos oſtendunt, nec unquam vere fuiſſe mortuos. Tertio, Duos fideliſſimos hic teſtes habemus, Moſen & Eliam, quod mortui non ſint mortui, quodq; morientes tantum migrent ex hac miſera & calamitoſa vita in aliam meliorem. Nam ſi Moſes & Elias ſimpliciter extincti in nihilum redacti eſſent, non hic apparerent.

Alia vita poſt hanc mortalem.

Mortui in Chriſto migrant in aliam vitam meliorem.

Mors.

Quarto, Docet ergo iſta apparitio, Mortem eſſe contemnendam, & habendam ſimpliciter pro migratione quadam ex hoc ergaſtulo, ad claritatem melioris vitæ, ſicut Moſes & Elias migraverunt potius, quam mortui ſunt, ut & alias ſcriptura mortem Somnum vocat, Summa ſummarum, Iſta apparitio oſtendit hanc vitam eſſe nihil ad futuram, quæ certiſſime veniet nobis huic ſeculo mortuis in Chriſto. Et magnis laudibus Deo gratias agere debemus, qui tanta benignitate nobis iſta revelare dignatus eſt, & tam pulchra, manifeſta, potenti apparitione nos certos voluit reddere de ſpe futuræ vitæ. Nam vide quid optimi inter Gentes quæſierint ſuis Diſputationibus, de animæ immortalitate & futura vita, & tamen nihil certi invenerunt. Soli filio Dei reſervata eſt hæc tam certa & clara

Gentilium diſputationes de immortalitate animæ.

appari-

apparitio,ut per ipſum ſolumMundo hæc ſpes vitæ futuræ certo promitteretur,& aperta iſta apparitione oſtenderetur. Hæc de morte vincenda per vitam, poſt oſtendetur etiam.

Peccatum victum.

Quinto, oſtenditur hac Hiſtoria peccatum eſſe victum. Quia conſequentia neceſſaria ſequitur, Vbi mors victa eſt, ibi & peccatum victum eſt, cum ſit
Rom. 6. mors nihil niſi ſtipendium peccati, Rom. 6. Sine peccato enim mors non eſſet, &c. Ablatis autem peccato & morte per Chriſtum, liberi ſumus à poteſtate Diaboli,& expectamus abſorpta iſta mortalitate,gloriam claritatis æternæ,&c.quam Chriſtus tum in corpore adhuc paſſibili & mortali exhibuit. Voluit autem iſtam apparitionem præcipue iſtis tribus Apoſtolis oſtendere, ut eos contra futurum ſcandalum Crucis & mortis ſuæ muniret,Sed parum effecit. Quia ſub horam tentationis Petrus omnia oblitus, negavit ſe noſſe, quis eſſet iſte homo, Similiter & omnes in eo ſcandaliſati ſunt. Tamen poſt reſurrectionem valuit apparitio iſta,ad fidem faciendam certiſſimam de Chriſto filio Dei vivi,& de Regno ejus ſpiritualiter intelligendo.

Quare apparitio iſta oſtenſa ſit tribus iſtis Apoſtolis.

2. Pet. 1. Vnde & Petrus in Epiſtola poſteriore confirmat Cõfeſſionem ſuam,Quod Ieſus ſit Chriſtus filius Dei vivi, allegans hunc locum, ſeu hanc clarificationem, dicens, Non doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis virtutẽ & adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quia totus Mundus plenus eſt doctrinis hominum de religione & cultibus divinis, Sed meræ fabulæ ſunt, doctæ tamen ſeu(ut Pauli verbo utar)ſpeciem ſapientiæ habentes, ad ſeducendum homines præpotentes, &c. Sed Spectatores Majeſtatis ejus fuimus,cum acciperet à Deo Patre gloriam & honorem, voce ad eum facta à magnifica gloria,Hic eſt filius meus dilectus. Quibus verbis nos docet, Chriſtum eſſe declaratum Regem & Dominum Dei filium, & hæredem omnium ab ipſo Deo Patre, Et hanc eſſe rectam & veram pietatis doctrinam & ſcientiam,ſcilicet docere & credere,Ieſum,ſcilicet iſtum hominem de Maria natum, eſſe filium Dei Chriſtum, Dominum & Regem ſuper omnia. Sicut
Pſal. 2. & Pſalm. 2. hoc unum præceptum Dei ſe prædicare dicit, Dominus Dixit ad me, Filius meus es tu. Qui hoc crediderit, ſalvus erit, Et extra doctrinam hanc unicam, nullam eſſe reliquam, Sed omnia meras fabulas, ad decipiendum doctas & ſpecioſas.

Traditiones humanæ fabulæ doctæ ad decipiendum.

Vera pietatis doctrina.

Et poſt hæc ſtatim invehitur Petrus in falſos Doctores futuros, qui hanc Confeſſionem relicturi, proprias Sectas inventuri, & ipſum hunc Dominum negaturi erant. Atq; negat humanas has traditiones à Spiritu ſancto venire, ſed eas eſſe proprias interpretationes Scripturæ, voluntate humana allatas, Et horribiliter tales falſos Doctores damnat & maledicit,ut totum Cap.2. oſtendit. Et graphice ac inſigniter eodem Cap. Romanum Epiſcopum exprimit. Nam hic præ omnibus alijs Scripturæ interpretationem non ſolum ſibi facit propriam & ſecundum voluntatem ſuam, Sed inſuper audet etiam horribiliter blaſphemare cum ſuis Dæmonibus, Se eſſe ſupra Scripturas, Et autoritatem Scripturæ pendere ex
2. Pet. 1. ipſius autoritate, ut legitur in Cap. Cuncta per mundum, &c. O horribilis furia. Sed Petrus ſuum fictitium & ſuppoſititium Succeſſorem hic per os mutum aſinæ ſuæ redarguit, velut Balaam inſipientem, dicens, Interpretationem Scripturæ non fieri propria Prophetia,nec voluntate humana unquã allatam eſſe prophetiã. Quare ſatis hic monemur,Papæ abominationibus oportere reſiſti,& eas ſicut Satanam fugere,& dicere ad eum, Abi poſt me Satan,ſcandalum enim es mihi, &c.

Falſi doctores.

Rom. Pontifex à S. Petro graphicè depictus.

Papæ abominationibus reſiſtendum.

Vult igitur iſta apparitio Chriſti idem oſtendere ipſa re & veritate, quod ſupra Cap. 16. Petrus eſt confeſſus,Ieſum ex Maria virgine hominem natum, eſſe Chriſtum filium Dei vivi(Chriſtus autem Regem & Sacerdotem ſignificat,id eſt, Dominum rerum omnium, Similiter & Mediatorem inter Deum & hominem) Et quia talis erat prædicandus per totum orbem terrarum, Ideo hic tribus Apoſtolis talis oſtẽditur,qui hoc eſſent teſtaturi,quod viderãt & audiſſent. Sicut &Io-
Matth. 3. hanni Baptiſtæ apparitio fere ſimilis facta eſt in Iordane,Sed nõ ita clarificata perſona

Chriſtus.

ſona Chriſti, & duobus, Moſe & Elia ſimul clarificaris. Quia decuit poſt Iohannem, Apoſtolis clariorem oſtendi apparitionem. Quare quod ſupra ſolus Petrus eſt confeſſus, quod Iohannes Baptiſta ſolus antea vidit & audivit, hoc oſtenditur tribus illis Apoſtolis præcipuis hac apparitione magnificentiſſima. Non ſolũ Petrus hic dicit (mox Satan appellandus) Sed Pater ipſe de cœlis teſtatur, quod Ieſus iſte homo ſit filius Dei, id eſt, hæres omniũ. Et nubes adeſt obumbrans, Tunc duo teſtes adſunt Moſes & Elias, non ſolum idem teſtantes, ſed etiam de exceſſu cum illo loquentes, quem erat impleturus Hieroſolymis, ut Lucas narrat. Hæc eo pertinent, quod Ieſus homo ſit docendus & credendus per orbem terrarum, vere Deus & homo, vere filius Dei & hominis, vere ille Chriſtus & Rex, Sacerdos & Dominus, promiſſus à Deo Patre per Spiritum ſanctum miniſterio legis (id eſt, Moſi) & Prophetarum (id eſt, Eliæ) In quo uno & ſolo ſit ſalus & vita, in cujus manu ſint omnia, quia filius & hæres, Vt beatus ſit omnis Simon filius Barjona, qui revelationi huic Patris credens, eum palam & publice fuerit confeſſus. Nam aliud nomen ſub cœlo non eſt datum hominibus, in quo ſalvi fiant, &c. Act. 4.

Doctrina Evangelij, &c.

Non hic agitur de lege, multo minus de traditionibus humanis, Sed de ſummo articulo ſalutis humanæ, ſine lege, ſine traditionibus, ſine operibus noſtris, id eſt, de revelato, audiendo, cognoſcendo, credendo, confitendo, Chriſto, filio Dei vivi, Et in confeſſione perſeverando ac moriendo. Ipſe enim eſt ſalus, vita & reſurrectio, &c. Ideo hic tota Trinitas apparet ad confirmationem omnium fidelium, Chriſtus Filius in forma glorioſa, Pater in voce, declarante Filium Dominum & hæredem, Spiritus ſanctus in nube lucida obumbrante, ſeu fidem infundente, Deinde duo teſtes, Lex & Prophetæ. Quemadmodum & Paulus hunc locum Rom. 3. tangit, dicens, Iuſticiam fidei in Chriſto oſtenſam nunc eſſe, quæ teſtimonium habeat in Lege & Prophetis. Sed uberiorem hujus clarificationis ſenſum tractat 2. Corinth. 3. ubi de revelata facie Chriſti diſputat, & de claritate Moſi, comparans eam claritati Chriſti. Sed res eſt non hujus loci, nec anguſtis annotationibus tractanda, ut quæ copioſam & plenã requirat tractationem, &c. Rom. 3. 2. Cor. 3.

Et interrogaverunt eum Diſcipuli, dicentes, Quid ergo Scribæ dicunt, quod oporteat prius Eliam venire? At ille reſpondens ait eis, Elias quidem venturus eſt prius & reſtituet omnia. Dico autem vobis, Elias jam venit, Et non cognoverunt eum ſed fecerunt ei quæ voluerunt,

Vetus opinio de adventu Heliæ, &c.

Vetus opinio de venturo Elia & Henoch poſt Antichriſtum ex hoc loco ſumpta (ubi Chriſtus ait, Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia, &c.) omnes Libros implevit, & per totam Eccleſiam vagata eſt. Ideo hoc loco tractanda eſſet ea quæſtio, ſi idonei eſſemus ultra autoritatem veterum aliquid ſtatuere. Primo, Non repugnamus his, qui opinionem hanc veterem ſequi volent, Expectent ipſi Eliam & Henoch, ſimul & Iohannem (de quo etiam dicunt, quod cum Elia ſit venturus) modo ſinant nobis quoq; liberum, hanc opinionem pro opinione habere. Et ſane credatur per hunc locum, Elias venturus, vel etiam per Malachiam & Syrach prophetatus, Tamen de Henoch & Iohanne nihil eſt in Scripturis. Quare manifeſtum eſt, eſſe hominum cogitationẽ de Henoch & Iohanne. Et per hoc ſuſpectum quoq; de Elia, cui ſociant iſtos duos, vel alterum illorum. Qui ſi non ſunt venturi, haud dubie nec ſocius ipſorum Elias venturus eſt, &c.

Chriſtus & Apoſtoli nihil prædixerunt de adventu Eliæ, &c.

Secundo, cum Chriſtus, Iohannes, Petrus, Paulus omnia prædixerint de fine mundi, quomodo ſint futura ſæviſſima tempora, Nihil tamen de adventu Eliæ prædicunt, ſed ſimpliciter adducunt extremum diem & horam poſt tribulationem ultimam, Et Paulus docet, ſpiritu oris Chriſti interficiendum Antichriſtum, & deſtruendum illuſtratione adventus ſui, Non eſt credibile, Chriſtum vel Apoſtolos fuiſſe tacituros de Elia venturo, & reſtituturo omnia in fine Mundi, cum an-

cum antea de eo per Malachiam tam clare prophetarit Spiritus. Quare ſtandum eſt his verbis Chriſti, Dico vobis, Elias jam venit,&c. Et verbis Angeli Gabrielis
Luc. 1. Lucæ 1. qui verba Malachiæ Prophetæ de Elia,ad Iohañem applicat,Sicut & verba Iſaiæ 7. applicat ad filium Mariæ virginis naſciturum, ſcilicet Ieſum Chriſtum.
Iſa. 7. Vt ſicut non eſt expectandus alius filius virginis, juxta Iſaiæ vaticinium Cap. 7. quam qui ex Maria virgine, Gabriele interprete,natus eſt, Ita non eſt alius Elias, juxta Malachiam expectandus, quam qui ex Zacharia & Eliſabet, eodem interprete Gabriele, venit & fecit, quæ Malachias prædixit.

Elias à Malachia depictus.

Et certe dubitare non licet, quin Gabriel, præſertim in legatione tanta Dei, recte & propriè intellexerit & allegaverit Iſaiam & Malachiam. Non enim falſiloquum aut flexiloquum licet eum æſtimare, qui virgini tantas res, tam certis verbis credendas offert. Quod ſi Gabrielis intellectus in his verbis ſuis, verus, ſimplex & ſyncerus (ſicut neceſſario eſt)nullus eſt alius præterea Elias ex Malachia expectandus,quam Iohannes,Sicut non eſt alius filius ex ALMA illa virgine, Iſaiæ 7.expectandus,quam Ieſus Chriſtus,Alioqui peribit ſimplicitas & veritas literalis ſenſus,& totius Scripturæ periclitabitur autoritas,Et tot erunt Eliæ & Chriſti,quot ſurrexerint novi Prophetæ. Licebit enim cuivis dicere allegorico ſenſu, Ecce hic eſt Elias,ecce hic eſt,Et ita nullus unquam Elias alius erit,qui certus eſſe poſſit, ſi Iohannes non eſſe ſtatuetur.

Gabriel rectè allegavit Iſaiam & Malachiam.

Reſtat ut verba Chriſti rectè intelligamus, quibus dicit, *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*, Quæ ſanè ſimpliciter videntur de alio quam Iohanne prophetare. Sed ad hæc reſponderi poteſt,vel oportet potius,quod Chriſtus ipſe mox eo contextu corrigit dictum ſuum, ſeu potius ſenſum eorũ, qui verba ſua de Elia Thesbite eſſent intellecturi, dicens,*Verumtamen dico vobis,Elias jam venit*. Hoc ſcilicet verbum,dico vobis,Elias jam venit,cur non æque expendimus, ac illud, ubi dicit,Elias quidẽ venturus eſt? Maxime cum Evangeliſtæ teſtentur, Apoſtolos hinc intellexiſſe,eum de Iohanne locutum fuiſſe,Id eſt, Iohannem eſſe Eliam illum,de quo interrogaverant ex Malachia per Phariſæos docti. Si ergo Chriſtus ipſe dicit,Eliam illum,de quo ex Malachia interrogaverant Apoſtoli,jam veniſſe, & feciſſe officium ſuum & paſſum eſſe,Quid eſt quod expectemus alium?

Iohannes eſt Elias.

Iam hoc etiam certum eſt,Quod Malachias non prædicit venturum Eliam illum priſcum,quem Scriptura vocat inſigni cognomine Thesbiten, Hic vero Elias non prophetatur Thesbites, ſed ſimpliciter Elias quidam Propheta. Ideo ex Malachia nihil poteſt definiri de Elia Thesbite,ad ſtabiliendam opinionem veterem. Qui ſumus,rogo,nos,qui addimus Thesbiten,cũ Scriptura non addat? Fallimus igitur nos ipſos illa additione, Quare Chriſto & Gabrieli credendum eſt, Malachiam de Iohanne prophetaſſe.Hæc ſunt ſolida & certa,Opinio autem eſt opinio. Eſt igitur Chriſti verbum ſic intelligendum, Elias quidam venturus eſt, Id eſt,Vera audiſtis,vera dixerunt Phariſæi, venturum eſſe Eliam, quia Scripturam oportet impleri. Ita oportet Eliam venire,& reſtituere omnia. Non enim præteribit unum jota à lege,&c. Sed hoc quod ita oportuit fieri & impleri, dico vobis, jam factum & impletum eſt, Vt intelligas Chriſtum hic non prophetare de alio Elia venturo,Sed repetere & confirmare verba Phariſæorum de Elia venturo ab Apoſtolis audita.

Elias quidem venturus eſt, &c.

Et cum veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens, Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt & male patitur. Nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam, Et obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Reſpondens autem Ieſus, ait, O generatio incredula & perverſa, quouſque ero vobiſcum? Vſq; quo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpavit illum Ieſus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.

De Lunatico.

Luna-

Lunaticus.

Lunaticus iſte fuit dæmoniacus, Marc. 9. & ſatis malo dæmone obſeſſus, ſcilicet ſurdo, muto, & ſeipſum lacerante & volutante, ſpumante & frendente. Quia diverſa ſunt dæmonum genera, ſicut & hominum. Quia regnum & politiam inter ſeſe habent uſque in diem judicij ubi Chriſtus omnia evacuabit, 1. Corinth. 15. Et quis novit, an multi ſimul iſtum obſederint hominem? Sicut ille Lucæ 8. unus appellatur, & tamen dicit ſeſe vocari Legionem. Ita poteſt & hic in unum hominem, magna aliqua Legio per numerum pluralem ſignificari. Et horribile eſt audiri, permiſſione Dei tantum audere & poſſe dæmones, ut unum homunculum, tot potentiſſimi, peſſimi, aſtutiſſimi ſpiritus occupent & divexent, Quaſi ſi unam cervam vel capream venentur multi Leones, ſeu lupi ſeu aliæ beſtiæ hoſtiles, Sicut vulgo dicitur, A novem crabronibus ſeu œſtris occidi equum. Hæc ſinit fieri illa infinita bonitas, & ob oculos poni, ut diſcamus metuere, & ad ipſius auxilium confugere. Quia ſine iſtis miſerijs & calamitatibus nos efficeremur ſecuri contemptores Dei & omnis benignitatis ejus. Ideo ſicut fames panem, ſitis aquam, facit precioſiora, Ita iſtæ iræ Dei & furores Satanæ faciunt nobis gratiorem miſericordiam Dei. Ideo cogitur Deus ita horribiliter iraſci, ut locum ſuæ miſericordiæ paret.

Legio. Potentia diaboli.

Ira Dei & furor Satanæ faciunt nobis gratiam Dei ſuaviorem.

Marc. 9.

Ideo & in Marco iſte homo tam diligenter depingitur, & ob oculos horribiliter ponitur, quot modis hominem dæmones cruciarint, Et additur deſperatio, quod nec diſcipuli potuerint eum liberare, Scilicet ut appareat ira ſupra modum irata, ſeu (ut Paulus ait) peccans ſupra modum peccatum, Et glorificetur Chriſtus in ſua potentia, qui ſolus talem ſpiritum potuerit ejicere. Et tamen Chriſtus utrisque tribuit culpam, arguens patrem & totam generationem incredulitatis, Deinde & Diſcipulos, Et quod mirabilius eſt, quod addit, Hoc genus Dæmoniorum non ejici, niſi jejunio & oratione, cum tamen ſimul dicat & patri hominis iſtius, Omnia eſſe credenti poſſibilia, Et Apoſtolis clarius, Nihil erit vobis impoſſibile. Ideo hic non ſine cauſa quæritur, Quomodo iſta duo concordent. Sunt enim veræ antilogiæ, cum dicat, Non ejicitur Dæmonium, niſi per jejunium & orationem, Et tamen ejici poteſt per fidem, Et propter incredulitatem non poſſe ejici. Hæc videntur fortiter pugnare, quia ſine jejunio per fidem ejici, & non per fidem, niſi jejunio, &c. ejici pugnantia ſunt. Et textus non dicit, quod ipſe Ieſus ejecerit hoc dæmonium per jejunium & orationem, ſed ſimpliciter per imperium & increpationem.

Pugnantia.

Quid ergo dicemus? Si per opera non juſtificamur, quomodo per ea faciemus miracula? Adde, quod dæmon nihil curat opera, ſed tantum Verbum & fidem, ut Petrus ait, Cui reſiſtite fortes in fide, &c. Reſpondetur, Si nihil habemus, demus gloriam Deo, & dicamus, Nos iſta neſcire, præſertim cum diſtincte Chriſtus de iſto genere definiat dicens, Hoc genus non ejicitur niſi jejunio & oratione. Hoc ſonat, Q. d. Alia genera dæmoniorum ejici poſſunt ſine jejunio & oratione, Sed hoc genus non poteſt, &c. quaſi manifeſte aſſerens diverſa eſſe genera dæmoniorum. Deinde cogitatio mea eſt, quod Chriſtus iſtis verbis voluerit ſignificare politiam inter dæmones, ſcilicet, quod quidam ſint deputati iſti peccato, alij alijs, Vt alij ſint ſpiritus ſuperbiæ, alij invidiæ, alij avaritiæ, alij fornicationis, Et ita ſinguli præfecti inter illos, ſingulis vitijs præſint, veluti Provincijs ſibi commiſſis. Igitur ſicut Italiæ ſpiritus, eſt ſpiritus ſuperbiæ, Germaniæ, ſpiritus crapulæ & ebrietatis, Græciæ, ſpiritus mendacij & levitatis, Galliæ, libidinis & perfidiæ, &c. Ita & in ſingulis hominibus, ſingula vitia habent ſuos ſpiritus, & præcipuè iſtum ſpiritum, cujus vitio homo iſte laborat.

1. Pet. 5.

Diverſa dæmonum genera.

Politiæ inter dæmones.

Mille ſpiritus.

Igitur dicere, Hoc genus non ejici niſi oratione & jejunio, Nihil aliud intelligo, quam oſtendi cujuſmodi vitijs iſtud genus præſit, ſcilicet crapulæ & ſegnitiei ſpiritus, ſeu acidiæ, Ideo oportere eos, qui credunt, cavere iſtorum dæmonum vicia, ſicut alibi dicit, Videte, ne graventur corda veſtra crapula & ebrietate. Hoc enim

Crapula. Acidia.

Luc. 21.

enim ad fideles loquitur, ne fiducia fidei inceptæ ſecuri ſtertant & crapulentur, quaſi iſta vitia ſint ſine periculo. Summa, cum non neget Apoſtolos potuiſſe ejicere, ſi fidem habuiſſent, Et incredulitatem eorum aſſerat fuiſſe cauſam, Certum eſt, aliud quiddam voluiſſe eum per orationem & jejunium ſignificare, quam quod rudis auditor ex verbis capit, Scilicet id quod dixi, quod vitium dæmonum voluerit oſtendere, Vel admonere fideles, ut ſibi caveant à crapula & acidia, certo ſcientes, opera talia non eſſe bona, ſed diabolica, Vt ſit eadem ſententia, quæ ſupra, Videte, ne graventur corda veſtra crapula, &c.

Cui iſta non faciunt ſatis, ſentiat quod vult, & credat hoc genus non ejici, niſi jejunio & oratione, Et fateatur hoc eſſe ſingulare cum iſtis dæmonibus, Sed hi poſtea reſpondeant, quomodo poſſit dæmonium ejici operibus orationis & jejunij, ſine fide? Quando enim dicit, Non ejici, niſi oratione, certe vi verborum excluditur, quicquid non eſt oratio & jejunium. Ergo & fides & charitas cum omnibus alijs virtutibus & operibus excluditur. Sed fidem excludi cum charitate, eſt impium, nedum abſurdum, Ergo ſi donandum eſt, ut oratione & jejunio per fidem & in fide ejiciantur, donandũ rurſus eſt, per fidem ſine operibus ejici. Nam clare ſequitur, Quod habens fidem, ut granum ſinapis, dicet monti, Cede, & tranſfertor illuc. Et multo clarius dicit, Nihil erit impoſſibile vobis, Ergo ſi nihil impoſſibile fidei ſinapis, etiam ejectio iſtorum dæmonum non erit impoſſibilis tali fidei. Quare neceſſe eſt, aliud intelligi in verbis jejunij & orationis, quam ſonant, Alioqui pugnantia docebit Chriſtus. Quare probabile eſt, Chriſtum voluiſſe ſimul docere ſobrietatem, ut ſupra dixi. *Verus intellectus verborum Chriſti.*

Iam quod dicit, Fidem ſicut granum ſinapis, multi (præſertim Munzer) exagitarunt. Supra Cap. 13. Regnum cœlorum comparavit grano ſinapis, Hic fidei comparat, Sed fides & Regnum cœlorum cum ſint ſimul & ſimilia faciant & patiantur facile idem de vtroq; intelligitur. Tamen iſtis nunc poſthabitis, hoc loco ſimplici grammatica accipimus, fidem etiam parvam & primam (modo ſit fides vera & certa) poſſe miracula facere in omnibus, Et præſertim in primitiva Eccleſia, ſeu tempore Apoſtolorũ, quando erat Eccleſia fundanda, & neceſſe erat Miracula fieri. Vnde & multi etiam minores Sancti in principio Eccleſiæ, fecerunt miracula, eadem & ſimilia Apoſtolis, qui majores erant. Sed poſtquam firmata fides & Eccleſia per orbem fuit, ceſſaverunt ſigna & tandem ſecutum eſt noviſſimum ſeculum, in quo Antichriſtus fecit miracula, etſi falſa & mendacia, ad deceptionem incredulorum, ut Paulus dicit, Theſſalon. 2. *Regnum cœlorum granum ſinapis comparatum.*

2. Theſſ. 2.

Si quis tamen volet philoſophari, poterit granum ſinapis tractare ſecundum naturam & formam, Scilicet, quod ſinapis eſt rotundæ figuræ, Ita & fides debet eſſe rotunda, id eſt, omnibus articulis credens (quantumlibet parva) Nam qui unum articulum non recte credit, in omnibus non recte credit, ſicut Iacobus dicit, Qui peccat in uno, fit omnium reus. Et ita, qui in uno Articulo fidei dubitat vel non credit (ſaltem pertinaciter) ſolvit rotunditatem grani, & ita nihil poteſt boni facere. Ita natura ſinapis eſt acris ſaporis, id eſt, fides debet eſſe crucifixa & tentationibus acta, ut cogatur clamare & invocare Deum. Ita fides rotunda eſt donum Spiritus gratiæ, Fides acris ſenſus ſpiritum precum excitat. Hæc fides nunc facit bona, olim etiam miracula, cum opus erat. Sicut ſcriptum eſt, Dabo eis ſpiritum gratiæ & precum. *Forma ſinapis.* *Natura ſinapis.*

Zach. 12.

Sequitur pulchra Hiſtoria, quomodo Chriſtus ſeſe geſſit erga Magiſtratum politicum, Primo finit fieri, ut Petrus à Publicanis requiratur de cenſu annuo, ut & occaſio fiat dicendi de duplici Regno, ſcilicet cœleſti & terreno. Ergo antequam Petrus refert, prævenit Chriſtus, & dicit, A quo accipiunt terreni Reges tributum? Et eſt ſententia, Scio Petre, nos eſſe Reges & Regum filios, Ipſe Rex regum ſum, ut nullo jure à nobis cenſus petendus ſit, Sed illi potius deberent pendere. Qui fit igitur (Mi Petre) ut à te petant, cum ſis Regis filius? Quid videtur tibi, an juſte petant ſeu exigant à te cenſum? Sed quia Chriſtus hanc Quæſtionem generali modo proponit, Etiã generaliter reſpondet Petrus pro ſua

ſimplicitate, dicens, Non filij, ſed alij ſolent pendere cenſum, Ignorans, quod Chriſtus ſuis verbis ipſum dixerit filium Regis.

Chriſti ſuavitas.

Ex quibus intelligere eſt, quam ſuavis fuerit converſatio Chriſti cum diſcipulis. Quia hic velut ludens jucunde jocatur cum Petro, velut cum infante, qui ſine dolo ſimplex eſt, & delectatur Chriſtus illius ſimplicitate infantili, Et tamen nihil levitatis hic vides, ſed merã gravitatem & majeſtatem in Chriſto, lætantem de ſimplicitate Petri. Es muß ja ein fein/ freundlich/ lieblich Geſellſchafft ſeyn geweſt inter Chriſtum & Diſcipulos ſuos, ut hic locus arguit, Tanquam ſi quis cum Filio infante, vel cum ſuaviſſimo ſodale nugetur, Niſi quod iſtæ nugæ Chriſti ſic ſunt ſeriæ, ut ſimul ſint ſuaviſſimæ, Ac ſi ſpectes, quanta ſit perſona, quæ ſic nugatur cum Petro, non poſſis non ſummo amore erga Deum affici, Qui dignetur (omiſſa Majeſtate) cum iſtis idiotis ſic jocari, ludere & veluti nugari uſq; ad ſuſpicionem levitatis. Non ſic feciſſet Caiphas, non Phariſæi, non cæteri Hypocritæ, Sed ſi audiſſent vel vidiſſent talia, mox rugata fronte dixiſſent, Ecce quam eſt ille bonus & magnus phantaſta, qui cum iſtis ruſticis ſic ludit, &c. Sed nobis ſunt iſta ſolatia & irritamenta fidei, ad amandum illum familiariſſimum & ſuaviſſimum Chriſtum, qui non aſpernatur ſtultos ſeu ſimplices.

Suaviſſima Chriſti converſatio cum diſcipulis.

Sed ne ſcandaliſemus eos, &c.

Hæc eſt ratio ab ipſo Domino reddita, Cur ſit obediendum Magiſtratui prophano, Ideo eſt ponderanda & obſervanda, tanquam ſententia prolata à ſumma Majeſtate, ſcilicet, quod Magiſtratus ſit honorandus, ne ſcandaliſentur, id eſt, ne poſſint Chriſtianos accuſare ſeditionis, ut qui nollent obedire poteſtati, ſed novum Regnum civile moliantur. Quo ſimul ſignificat Regnum ſuum non fore civile ſeu mundanum, Q. d. Petre, vade & ſcito, nos eſſe in alio Regno Reges & filios Regis, Sinito illis ſuum Regnum, in quo ſumus hoſpites, Ideo ſolvamus Hoſpiti debitum ſuum, ne dicant nos eſſe perfidos in eorum Regno, qui eorum bona comedamus, & non ſolvamus. Oportuit enim Diſcipulos admoneri ſæpius, ne ſperarent Meſſiam futurum Regem mundanum, Sed diſcerent aliud eſſe Regnum, Et hoc principaliter agit Chriſtus hoc loco, ut diſtinguat iſta duo Regna. Filij, inquit, Regni ſumus, ſed non hujus regni mundani.

Chriſti regnum ſpirituale.

Confirmat igitur hoc loco Magiſtratum quidem, Sed tamen non eum juſtificat, nec beatificat coram Deo, Imo ſeparat eum à Regno ſuo. Ideo quantum habent Reges ex hoc loco autoritatis & gloriæ in Mundo, tantum habent timoris & deſperationis, quod non pertineant ad regnum Dei, Ne inflentur, quod eorum ſtatus à Deo probetur. Sicut ſtatus Conjugij probatur, ſed non per hoc juſtificatur nec ſalvatur. Hoc dicendum eſt, quia mirè inflantur nunc etiam impij Principes, imo & noſtri Proceres quoq;, poſtquam audiunt Statum ſuum probari, quaſi ideo ſint futuri ſalvi, Non cogitantes, quod in iſto ſtatu nihil meliores ſint Turcis & omnibus Gentibus. Quia & ſub Turca coguntur Chriſtiani obedire Magiſtratui, ſicut hic Chriſtus Romanum Magiſtratum approbat, & tamen damnatus erat apud Deum idem magiſtratus. Sic & noſtri ſunt, ſi ſine fide ſunt. Sed hoc eſſet tolerabile & bonum, ſi Magiſtratus acciperet Drachmam etiam à pijs, Nunc vero fiducia approbationis à Deo perſequuntur etiam Deum ipſum à quo approbantur, Sicut Chriſtus à Romano Magiſtratu occiſus eſt. Deus enim benediceret Regnis, ut cenſus haberent in æternum, Sed quia contenti non ſunt hac benedictione, perſequuntur Benedicentem, & ita cogunt eum, ut eis maledicat, & deponat potentes de ſede.

Chriſtus confirmat politicum magiſtratum.

Magiſtratus perſequitur Deum.

Demittit autem ſponte ſeſe Magiſtratui, & dicit, Ne ſcandaliſemus eos, Q. d. In iſto Regno cum ſimus peregrini, & jure ipſorum cogimur vivere, ne videamur in eorum domo ſeditioſi eſſe, obediamus eis, & demus debita. Tamen ut oſtendatur, quod ego ſim Dominus omnium, etiam iſtius Regni, Vade & ſis Monetarius in ore piſcis, & profer ſtaterem ex ore ejus, O mirabilem Monetarium,

qui ſi-

qui ſine auro, argento, pauper mendicat, & oſtendit ſeſe vel in ore piſcis cujuslibet poſſe facere aureos montes, ſi velit. Ergo gratuita eſt ſubjectio iſta erga Magiſtratum, Tanquam ſi rex maximus mundi volens veniat, in domum leproſorum, & jure hoſpitij det obulum, Interim ignorante hoſpite, quantum Regem in ipſo ſuo Regno habeat.

CAPUT XVIII.

HOc caput eſt unum de principalibus. Quia continet ſaluberrimos locos de Regno Chriſti & clavibus, ſeu de remiſſione peccatorum.

Primo de Regno Chriſti movent Diſcipuli quæſtionem, Quis ſit major in Regno cœlorum, Hanc eorum ſtulticiam non ſolum benigne fert, ſed etiam arripit pro occaſione loquendi & docendi de Regno. Erat enim in iſto populo radicatiſſima opinio, regnum Meſſiæ fore temporale & mundanum, ita ut impoſſibile fuerit eam e cordibus omnium eximi. Ideo contra hanc opinionem hic agit potenter & prolixe, ut eradicet iſtum carnis ſenſum è cordibus diſcipulorum, & facit proſopopœiam advocans puerum, ut tenacius hoc ſpectaculo hæreant ea, quæ dicturus eſt. Q. d. Video verbis nudis non ſatis moveri veſtrum carnis ſenſum, ideo ſtatuo hunc puerum coram vobis, ut ejus poſtea & ſemper memineritis. Ecce hic eſt puer, Dicite, Num is ſit idoneus ad regnum mundi ſeu temporale, quod vos ſomniatis abſque dubio? Miſerum Regnum imo nullum regnum foret, quod à puero iſto regi deberet. At quam idoneus eſt iſte puer ad regendum regnum mundi, Tam ineptum eſt cogitare, Regnum meum eſſe de hoc mundo. Quia tale eſt Regnum, quod ego incipio, ut omnes mundi Sapientes, multo minus de eo intelligant, quam iſte puer de mundi regno intelligat. Ponenda erga eſt opinio & cogitatio de regno Mundi, quando de regno meo vultis loqui, Quia erit tale regnum meum, in quo vos oportet eſſe pueros, qui regantur, non regant, Sicut iſte puer in Regno mundi non regit, ſed regitur.

Qui ſit major in regno cælorum.

Summa, aliud Regnum ego ordior à Regno mundi, In quo vos non faciam Reges, ſapientes, juſtos, in hoc ſeculo, ſed Subjectos, ſtultos, peccatores, coram mundo, Sicut iſte puer rectus, ſtultus, & virgis ſubjectus eſt. Alia ergo cogitatio de meo Regno vobis neceſſaria eſt, quam illa vulgaris, Quia non reges ſed pueros vos faciã, non ſapientes, ſed ſtultos, non juſtos, ſed hæreticos & igne dignos, Sic enim & factum eſt, ut Chriſtiani ſint populus in flagella paratus, ut Pſalm ait. Cæditur enim & plagis exercetur etiam immeritus. Occultior hic Theologia eſt talis, Quod Chriſtus reſpicit ad peccatum originale, in quo Adam voluit (ſenſu Diaboli) Vir & ſapiens fieri, dum non ſubjectus verbo Dei manſit, ſed Iudex factus eſt verbi Dei credens, Deum talia non præcepiſſe, aut odio præcepiſſe, Hoc erat Deum judicare & ſe ſuper Deum extollere. Ideo hic docet Chriſtus oportere nunc contraria fieri, ut Adam ſapiens & vir, animo perverſe factus, fiat nunc puer & ſtultus, qui ergo & coram Deo ſeſe humilier, nihil ſcire aut ſapere velit, ſed libenter audire & ſequi docentem Deum, ſicut patrem & magiſtrum, quem antea voluit docere & ducere.

Pſal. 37.

Hoc eſt quod dicit, Niſi converſi fueritis, id eſt, **Ihr müſſet wieder Kinder werden/ Ihr ſeyd zu frühe weiſe oder Männer worden/** Sicut Iohan. 3. **Ihr müſſet anderweit geboren werden.** Nam hæc eſt Ebraica phraſis, Converſi fueritis & parvuli efficiamini, quam nos Germani per adverbium loco Verbi ſic efferimus, **wieder Kinder werden/** Vt alterum verbum converti, ſit adverbium, rurſum ſeu denuo, Per hæc nunc reſpondet, ſed indefinite, dicens, Majorem fore in regno ſuo, qui rurſum puer fuerit factus, Q. d. **Ach denckt nicht / wie ihr groß werdet / Sondern wie ihr klein werdet/ das groß werden wird ſich wol finden / wenn ihr klein worden ſeyd / Es gilt in dieſem Reich nicht groß werden / Sondern klein werden / Aber jederman wil groß ſeyn/ niemand wil klein ſeyn/ dieſelben gehören in diß Reich nicht.** Nam finge, omnes fieri ſicut parvulus

Ioh. 3.

Digitized by Google

iſte, Quomodo omnes ſunt majores in regno? Ergo vi verborum ſequitur, in Chriſti regno nullum eſſe majorem, ſed omnes eſſe æquales. Quia ſi pariter omnes erunt, ſicut iſte parvulus (ſicut poſt fuerunt omnes Apoſtoli) Ergo omnes ſunt pariter Majores, Ergo nulli majores, ſed omnes æquales. Quare in hoc Regno Chriſti, non cadit, nec locum habet cogitatio de Majoritate, ſicut in mundo, ſed de Minoritate ſimili iſtius parvuli, Tum erunt omnes magni, majores, maximi, quia erunt æquales, fratres, cohæredes, & omnium rerum ſimili gloria participes, &c.

Si manus te ſcandaliſat &c.

Hoc dicitur & intelligitur ſicut illud de Eunucho, qui ſeipſum caſtrare debet. Ita igitur manus & pedes & oculos excidere intelligitur, non ſeipſum corporaliter truncare, ſed cohibere per Spiritū ſeu fidem. Eſt duplex hic ſenſus, prior eſt de membris corporalibus, ſeu proprijs, hæc ſunt amputāda, id eſt ſpiritu cohercenda, ne manus, oculus, pedes, faciant, quæ peccatum poſtulat. Recte enim dicitur, illum non habere manus homicidij, qui opus homicidij cohercet in ſe, Ita oculos Adulterij non habet, qui adulteria odit. Hoc eſt vere amputare membra, cum ea non ſinimus eſſe arma iniquitatis ad iniquitatem Rom. 6. Sicut è contrario poſſes dicere eadem figura, ſi cœcus es, ſi cares manu & pede, rape ſeu accipe oculos, manus, pedes, id eſt, fac ut Spiritu oculos tuos videre jubeas caſta, Manibus beneficia, pedibus innoxia facias. Igitur de uſu membrorum, non de ſubſtantia loquitur. Quia Spiritus eſt uſus rerum. Quia quid eſt ſubſtantia ſine uſu, niſi mors & nihil? Quid eſt manus, quæ facit nihil aut poteſt? Inde ſpiritui ſancto vivificatio ſeu uſus. Nam vita quid eſt aliud, quam uſus ipſius rei, ſine quo res eſt mortua & velut nihil? Vt oculos non videns, eſt ſicut non oculus, Imo & inanimata, quod ſint ſine motu & uſu, quaſi nihil ſunt, ut terra non germinans, aut uſu aliquo ſerviens, eſt terra illa informis & vacua, Gen. 1. donec ornetur herbis & acquirat uſum. Rom. 6. Gen. 1.

Oculi. *Manus.* *Pedes.*

Poſterior ſenſus eſt de membris allegoricis ſeu Politicis, In quo ſenſu, oculi ſunt gubernatores, doctores, & omnis generis ſuperiores etiam parentes, Manus ſunt omnes, quorum adjutorio, favore, opera, opus habemus, ut ſunt omnes amici, uxor, propinqui, cives, ſocij, Pedes ſunt ſubditi nobis & omnia quæ gubernare debemus filij, familiæ, poſſeſſiones &c. Nunc concludit, Melius eſt his omnibus carere, ut ſalvus fias, & intres ſine illis in cœlum, velut monoculus, mutilus, claudus, quam ut cum iſtis omnibus, vadas ad infernum. Nihil enim tunc proderit, quod habeas talia omnia, ſcilicet utroſq; oculos, manus, pedes, Hoc eſt, propter nullum hominem eſt negligendus Deus. Sgnificat ſimul iſtis verbis, quam multi imo totus mundus, propter oculos iſtos & manus contemnat Regnum Dei, & potius ad infernum iſtis ſalvis vadant, quam iſtis neglectis ſtudeant intrare Regnum Dei. Nam tantus Doctor non loquitur de re parva, aut de paucis aliquibus hominibus, ſed de maximis rebus, ut ſunt, juſticia, ſapientia, Lex &c. & de optimis in mundo hominibus, Et tamen hi perdunt ſe propter talia.

Ideo etiam exclamat dicens, Veh mundo à ſcandalis, **Ach wie weit ſihet hie der Mann in die Welt / vnd klagt wie es daſelbs zugehe/** Scilicet, **daß auch die Augen vnd hende ergernis geben /** Non tantum privati oculi & manus (quod minimum eſt malorum) ſed etiam Eccleſiaſtici ſeu politici, ſcilicet quod illi, qui alios docere & regere debent, ipſi ſcandala ponunt, non ſolum exemplo (quod etiam minus eſt) ſed & verbo, dum docent Eccleſias & populos impia & perverſa dogmata, Et difficile eſt hos oculos eruere, manus amputare, id eſt, eos vitare, quia ipſi ſunt in regimine & volunt audiri, vel occidunt, qui reſiſtunt. Hos igitur terret iſtis horribilibus minis. At ipſi fortiſſime eas contemnunt, præſumentes ſeſe eſſe non ſcandaliſatores aut diſſipatores, ſed ædificatores & ſervatores, Et in obſequium Dei occidunt veros ædificatores, & ſervatores Eccleſiæ. Sed veh illis.

Neceſſe

Neceſſe quidem eſt ſcandala venire &c.

Neceſſitas non eſt coactionis, ſed conſequentiæ (ut dicitur) ſcilicet hoc modo, Neceſſe eſt habere oculos & manus, Id eſt, neceſſe eſt habere in officio & miniſterio aliquos. Quia Eccleſia non poteſt eſſe ſine miniſtris, ſicut nec corpus ſine oculis & manu. Miniſterium neceſſarium eſt, ſed inter iſtos neceſſarios miniſtros, ſeu neceſſarium miniſterium, impoſſibile eſt caveri, quin oriantur ſectæ,
1. Cor. 11. Sicut & Paulus dicit, Oportet hæreſes eſſe, &c. Es kan diß leben nicht anders ſeyn/ denn es müſſen böſe Engel vnd gute Engel in Eccleſia ſeyn/ Wie Apoc. ſagt/ Sicut etiam ab initio in cœlo fuit, Aber doch wehe den böſen Engeln. Ergo vita iſtos malos Angelos.

Et hoc eſt, quod ſolemus docere, ſcilicet duplex ſcandalum, ſcilicet operis & verbi, ſeu vitæ & doctrinæ. Scandalum vitæ eſt privatum ſeu perſonale ſcandalum, Scandalum doctrinæ eſt publicum & reale ſcandalum, Et de hoc publico ſcandalo (ut infinitis modis nocentiore quam privatum ſit) potiſſimum Chriſtus hic loquitur. Quia doctores impios maxime deſignat, quos & horribiliter odit, & eis tam ſeveriter minatur. Denn ſie ſind es/ die den rechten ſchaden thun/ Heiſſen gleichwol Paſtores, Patres, Ah heilige Väter der Kirchen/ etc.

ENARRATIO D. M. L. IN PSALMVM LI. MISERERE MEI DEVS, EX PRÆLECTIONIBVS EIVS, ANNO M. D. XXXI. Collecta, edita vero à M. Vito Theodoro.

Anno M. D. XXXVIII.

PSALMUS LI.

MIſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam, Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates meas.

Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, Vt juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me Domine Hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditu meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi læticiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur.
Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea juſticiam tuam.
Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.
Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem, Vtiq; holocauſtis non delectaberis.
Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.
Benefac Domine in bona voluntate Sion, Vt ædificentur muri Ieruſalem.
Tunc acceptabis ſacrificium juſticiæ, oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum Vitulos.

AD CHRISTI GLORIAM ET ECCLESIÆ VTILITATEM, EDIta eſt hæc Pſalmi LI. illuſtris Enarratio, Reverendi Patris D. Martini Lutheri.

PRÆFATIO D. MART. LVTH. in Pſalmum LI.

Eam enarrationem habes in Catalogo Anno 40. Argumentum Pſalmi 2. Iacobi 1.

Narravimus proximo vere Pſalmum ſecundum, de rege Chriſto, & ſpirituali ac cœleſti ejus Regno, quomodo in hoc mundo accipiatur, quomodo vexetur & laceretur per Reges ac populos, & tamen vincat & triumphet, Nunc autem inſtitui Enarrationem Pſalmi Miſerere, qui docet de Pœnitentia, non quod pollicear me poſſe huic Lectioni ſatisfacere, Fateor enim me illum Spiritum non totum apprehendiſſe, qui ibi loquitur; Sed tantum ut habeamus occaſionem & materiam cogitandi ac diſcendi, ut ego vobiſcum fiam diſcipulus, & expectem Spiritum, qui quidquid dabit, accipiemus cum gratiarum actione. Eſt autem multis modis hujus Pſalmi cognitio tum neceſſaria, tum utilis. Continet enim doctrinam de præcipuis noſtræ Religionis capitibus, de Pœnitentia, de Peccato, de Gratia & juſtificatione, Item de cultu, quem nos Deo præſtare debemus. Hi ſunt divini & cœleſtes loci, qui niſi magno ſpiritu doceantur, non eſt poßibile, ut aſcendant in cor hominis, Sicut videmus hanc doctrinam ab adverſarijs noſtris magno conatu, multis ac immenſis voluminibus agitatam, Et tamen nemo ex omnium eorum numero eſt, qui ſane intelligat, quid ſit Pœnitentia, quid peccatum, quid Gratia, Sed ſunt eis hæc vocabula ceu ſomnium quoddam, cujus veſtigia quædam in animo relicta ſunt, ſed totæ res ex animo atque oculis effluxit. Eſt autem hæc cauſa tanta cæcitatis & ignorantiæ, quod vera cognitio horum locorum non pendet ex cognitione & ſapientia rationis humanæ, Nec naſcitur, ut ſic dicam, domi noſtræ, in cordibus noſtris, ſed de cœlo revelatur & datur. Quis enim hominum ſic poſſet loqui de Pœnitentia & Remißione peccatorum, ſicut Spiritus ſanctus in hoc Pſalmo loquitur?

Cognitio Pſalmi LI. neceſſaria.

Pœnitentia Pſalmus.

Ac vulgo hic Pſalmus, Pœnitentiæ Pſalmus appellatus eſt, & celeberrimus eſt inter omnes, in templorum uſu & quotidianis precationibus. Et ſane intellexit aliquid, qui primus hunc titulum Pſalmo indidit, Sed reliqua turba, quæ eum aut decantat quotidie, aut orat, ut abſolvat injunctas ab Epiſcopis operas, prorſus nihil intellexit. Applicaverunt enim Pſalmum ad pœnitentiam operum, ſeu peccatum Actuale, quod ſic definiunt, eſſe dictum, factum aut cogitatum contra legem Dei. Sed hæc definitio longe eſt anguſtior, quam ut peccati magnitudinem, & vim ob oculos ponat. Altius enim peccatum inſpiciendum, & radix impietatis, ſeu peccati clarius oſtendenda erat, non ſimpliciter erat reſiſtendum in actibus elicitis, ut

Definitio actualis peccati.

Digitized by Google

tis, ut vocarunt. Ex hoc errore, quod peccatum non rectè intelligitur, alius error, ut fit, nascitur, ut neq; Gratia quid sit intelligatur. Accidit igitur, ut in erigendis pavidis conscientijs, in consolandis mentibus contra mortem & judicium Dei, essent ineptissimi. Quomodo enim consolari potest, qui, quid Gratia sit, non intelligit? Ergo ad illa stulta prolapsi sunt, ut hominibus oppressis conscientiæ doloribus suaderent cucullos, regulas, & similes nugas, quibus placari Deum credebant. Hæc autem manifesta testimonia sunt, quod neq; peccatum, nec Gratiam rectè intellexerunt, & simpliciter Theologiam rationalem, sine verbo Dei docuere.

Ad eundem modum de Pœnitentia quoq; docuere, ut homines colligerent totius anni præteriti transgressiones, & de ijs dolerent, ac satisfactione ea expiarent. Sed quæso, num Iudex ideo furem non suspendit, quod audit eum fateri furtum, & dolere videt? Et isti Deo sic satisfactum putant, scilicet, si ad hunc modum fingant dolorem, si aliter vestiant, aliter incedant, aliter vigilitent. Quare lectio hujus Psalmi præcipue ad hanc rem erit utilis, ut capita ista nostræ doctrinæ rectè discamus intelligere, & adversarios nostros, sic impure de gravissimis rebus disputantes, erudite & graviter possimus refutare. Nam meo exemplo comperi, cum aliquoties laboraret conscientia mea, quam nihil opis afferre possent profanæ ipsorum disputationes. Sæpius autem adhortatus sum Ecclesiam ad gratiarum actionem pro hoc ingenti dono Verbi, & pura doctrina, quod pulsis his ceu tenebris clarum verbi lumen illuxit.

Usus hujus Psalmi.

Vt igitur ad Psalmum veniamus, Proponitur hic doctrina de vera Pœnitentia. Sunt autem in vera Pœnitentia duo, cognitio Peccati & cognitio Gratiæ, seu, ut notioribus appellationibus utamur, timor Dei, & fiducia misericordiæ. Has duas partes David in hac oratione, ceu in illustri pictura spectandas proponit. Initio enim Psalmi videmus eum laborare ex cognitione peccati sui, ac gravamine conscientiæ, In fine autem consolatur se fiducia bonitatis Dei, Et promittit se alios quoq; eruditurum, ut convertantur. Sic plane apparet Prophetã singulari consilio in hoc Psalmo voluisse relinquere veram sapientiam religionis divinæ, explicatæ sanis verbis, & sano sensu, ut quid Peccatum, quid Gratia, quid tota pœnitentia esset, disceremus. Ac sunt hujus generis alij quoq; Psalmi, sicut Psalmus, Beati quorum remissæ, Item, De profundis clamavi. Nam in hac doctrina tradenda, artifex est David, Ita tamẽ, ut nobiscum in usu hujus doctrinæ maneat discipulus. Quia omnes homines, quantumvis illustrati Spiritu sancto, tamen manent discipuli Verbi, manent infra & citrà verbum, & experiuntur quod vix guttulam ex immenso Spiritus pelago haurire possint.

Argumentum & ordo hujus Psalmi. Pœnitentiæ partes.

Psal. 32. 130.

Dixi paucis Argumentum & ordinem Psalmi, jam etiam de Titulo dicendum est, Est autem nota historia ex secundo libro Samuelis cap. 12. Mihi igitur non est dubium, hunc Titulum occasionem dedisse Scholasticis, ut eum & de persona Davidis tantum, & de actualibus ejus peccatis intelligerent. Videtur enim solus David loqui in propria persona & proprio peccato adulterij & homicidij. At mirum est, quod non docuerunt etiam Psalmum hunc, tantum in hoc uno peccato orandum, Sed permiserunt exempli loco haberi & orari in omnibus alijs peccatis, Sicut Paulus dicit, Dominus Iesus fecit me in exemplum omnium credentiũ in se, cum tamen non omnes credentes fuerint persecutores Ecclesiæ, Sed Christus in Paulo suam longanimitatem, mansuetudinem, & infinitam misericordiam ostenderit, ne desperent alij in peccatis. Ad eum modum etiam hunc Psalmum, ceu exemplum orationis in omnibus peccatis proposuerunt, quamvis eum tantum de actuali peccato Davidis intelligerent, cujus titulus meminit.

2. Sam. 12.

Titulus hujus Psalmi.

Scholastici de actualibus peccatis Davidis hunc Psal. intellexerunt.

1. Tim. 1.

Sed nobis longius progrediendum est, nec resistendum in peccatis illis exterioribus, sed tota peccati natura, fons & origo intuenda est, Loquitur enim Psalmus de toto peccato, seu de radice peccati, non solum de externo opere, quod ceu fructus, ex arbore peccati & radice enascitur. Nam quod deprecatur se in peccatis conceptum esse, hoc profecto non tantum ad adulterium pertinet, sed ad totam Naturam peccato contaminatam, Et tamen non displicet, quod Davidis factum ceu exemplum proponitur. Nam in hoc facto plura, quam unum cum Bethsheba peccatum, videntur. Adjcit enim adulterio pessimum consilium, Pronunciat illum, qui ovem ademit vicino inopi, virum mortis esse, cum ipse suum peccatum in occiso Vria (homine sine dubio pio & egregia in Regẽ suum fide) item in erepta Cõjuge, non videret, Sed vellet adhuc sanctus & amans juris ac justicia videri. Hoc vero est duplicare peccatum. Deinde non Vriæ solum indigna cades per ipsum adornata est, sed perierunt alij Israëlitæ, Blasphemantur ne-

Psalmus de radice peccati loquitur.

Davidis peccatum multiplex.

tur nomen Domini, Et sic ultra quintum & sextum praeceptum progressus, etiam in primum, secundum & tertium praeceptum peccavit. Nec quartum praeceptum de officio erga parentes omisisset inviolatum si obstitisset cupito adulterio. Et sane blasphemiae peccatum Deus peculiariter ei objcit, Tu fecisti filios Ammon blasphemare. Nam ex clade sui populi, Gentium animi elati sunt contra populum & Deum Israel, ut clamarent, Deum Israel nihil esse, Deum autem Ammonitarum, esse Deum, ac vincere. Ergo insigne exemplum est David, sic ordine in totum Decalogum fere impingens, Et tamen peccata ista non agnovisset, nisi venisset Nathan, sed volebat adhuc justus & sanctus Rex haberi.

Blasphemiae peccatum exprobrat Deus Davidi per Nathã.

1. Sam. 12.

David omni genere virtutum excellit.

Ad hunc modum explicatum peccatum David, satis illustre gratiae & peccati exemplum est, Ac sane nisi sacra litera hanc historiam prodidissent, quis unquam crederet, virum tam sanctum eo usq; potuisse prolabi? Instituerat Cultum tabernaculi summa cura, per Spiritum sanctum, auxerat cultum illum sanctissimis Carminibus, gravissima bella cum insigni felicitate gesserat, Deus eum pronunciarat electum Virum esse, Habebat illustrissimam promissionem de futuro Semine, seu de Christo, quem Prophetae filium Davidis, item, Regem David appellarunt, Quid multis? Nulla causa fingi potest, cur non cum Mose & cum Samuele jure conferri possit, Et tamen Vir tantus prolabitur non in unum leve peccatum, sed in monstra plurium peccatorum simul, Et quod periculosissimum est, prolabitur in impœnitentiam, & altam securitatem, adeo, ut si Nathan non venisset, David forte peccasset in Spiritũ sanctum.

Lapsus Davidis explicatur prolixius.

Quod igitur tantus vir, repletus Spiritu sancto, summis bonis operibus divina sapientia, & prae aliis insigni Prophetiae dono illustris tã fœde labitur, nobis in exemplũ fit, ut habeamus consolationem, cum praeoccupati peccatis labimur, aut conscientia tanguntur sensu irae & judicij Dei. Hic enim in luculentissimo exemplo lucet bonitas, & misericordia Dei, parati ad remittenda peccata, & justificandos nos, Tantum ne addamus hoc operculum, ut negemus nos peccasse, Sicut Saulis historia ostendit, qui etsi peccarat contrà vocem Domini, tamen id condonatum esset, nisi addidisiet peccati defensionem, & dixisset, Implevi verbum Domini 1. Sam. 15. Idem cum secundo admoneretur, pertinaciter negat, imo, inquit, audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quã misit me Dominus. Audit igitur ex Samuele tristem sentẽtiam, Pro eo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te quoq; Dominus, ne sis Rex, Quasi diceret, Paratus quidem est Dominus remittere peccata, sed his, qui peccata sua agnoscunt, & tamen non desperant, sed credunt patere recursum ad illum Deum, qui promisit pœnitentibus remissionem peccatorum &c.

Exemplum Davidis agnoscentibus peccata consolatorii.

Iob. 15.

1. Sam. 15.

Deus remittit peccata iis, qui ea agnoscunt.

Ergo, etsi Psalmus loquitur de tota natura peccati & fonte, non tamen excludimus Historiam, quam ostendit titulus, nempe adulterium & cædem Uriae. Nam in his suis peccatis videt David ceu in speculo totius naturae impuritatem, ut cogitet, Ecce ego, qui sic administravi Rempubl. qui institui Ecclesiam & cultum Dei, qui in intellectu manuum mearum deduxi eos, Psal. 78. quomodo in tantam fœditatem, in tot ac tanta peccata prolapsus sum? Ex uno igitur peccato venit in cognitionem totius peccati, Quasi diceret: Si ego tantus vir sic, quasi de cœlo in infernum usq; prolapsus sum, an non magnum mihi & aliis hic lapsus documentum est, nihil boni esse in carne mea. Magna itaq; sapientia est, scire nos nihil esse, quam peccatum, Ne sic leviter de peccato sentiamus, sicut Papae doctores, qui definiunt, Peccatum esse dictum, factum, aut cogitatum contra legem Dei, Quin tu sic defini, secundum hunc Psalmum, Peccatum esse hoc totum, quod est natum ex patre & matre, antequam homo possit per aetatem aliquid dicere, facere, aut cogitare, Ex hac autem ceu radice nihil boni coram Deo enasci posse. Hinc nascitur divisio peccati. Nam tota natura primum per peccatum corrupta, & aeterna morti subjecta est, Deinde alia ceu species peccati est, quod homo habens Legem, potest agnoscere, cum scilicet furta, adulteria, cædes &c. committuntur. De hoc posteriore genere etiam civilia jura loquuntur, quanquam minus accurate.

Psal. 78.

Peccatum quid secundum Scholasticos.

Peccatum quid, secundum hunc Psalmum.

Naturalia esse integra.

Quod igitur Scholastici dicunt, Naturalia esse integra, magna ea blasphemia est, quanquam illa adhuc major est, quod etiam de Daemonibus idem judicant. Si enim naturalia essent integra, quid opus esset Christo? Deinde si homo naturaliter habet bonam voluntatem, Si habet intellectum verum, cui se voluntas, ut ipsi loquuntur, naturaliter potest conformare, Quid tandem illud est, quod in Paradiso per peccatum amissum, per solum filium Dei restitui necesse fuit? Et tamen sententiam hanc quidam, ut videntur, Magistri Theologi nostra a-

ſtra ætate defendunt, quod naturalia ſint integra, id eſt, quod voluntas ſit bona, etſi aliquando per malitiam vult, aut cogitat aliud quam quod rectum & bonum eſt, tribuunt id malitiæ hominum, non ſimpliciter voluntati ſicut in ſe eſt. Contra has periculoſas opiniones muniendus eſt animus, ne cognitio Gratiæ obſcuretur, quam impoſſibile eſt manere ſanam & integram, ſi ad hunc modum de natura hominis ſentiamus. Iam illud quoq; nullo modo tolerari in Eccleſia poteſt, quod docent Scholaſtici, Hominem poſſe facere Legem, quo ad ſubſtantiam facti, ſed non quo ad intentionem præcipientis. Nam ſecundum intentionem præcipientis requiri non ſolum opus, ſed habitum in corde, qui vocatur gratia, Perinde ac ſi dicam, Eum, qui manibus ac pedibus valet, recte poſſe obire ſuum munus, ſed id impediri eo, quod non ſimul indutus ſit nigra aut candida toga. Plane ad hunc modum dicunt, Deum exigere aliquid ultra Decalogum, nec contentum eſſe, ſi quis Decalogum impleat, ſed requirere etiam habitum. Hæc portenta omnia inde enata ſunt, quod, quid peccatum ſit, non recte norunt. Recitantur autem à me eo conſilio, ut videamus, quantum inter noſtram ſanam, & illam prodigioſam ac mendacem doctrinam Papæ interſit.

Impiè docent Scholaſtici, hominem poſſe facere legem.

Nos enim ſic dicimus, Naturalia eſſe extreme corrupta. Nam Adam, cum eſſet conditus habuit rectam voluntatem & intellectum, integre audiebat, videbat, integre curabat terrena in laude & fide Dei, Sed per lapſum poſtea corrupta eſt voluntas, intellectus, & omnia naturalia, Ita ut homo non amplius ſit integer, ſed incurvatus per peccatum, ut qui amiſit judicium rectum coram Deo, & omnia perverſe ſtatuit contra voluntatem & legem Dei, qui non amplius cognoſcit Deum, nec amat, ſed fugit & metuit, ac ſtatuit eum non Deum, hoc eſt, miſericordem & bonum eſſe, ſed judicem & tyrannum. Ex illa amiſſione noticiæ Dei, naſcuntur alia peccata infinita, quod homines, cum res ſecunda ſunt, ſecure peccant, ſicut adverſarij noſtri, qui perſequuntur Verbum, fiducia ſuæ potentiæ. Deinde credunt Deum ea eſſe voluntate, ut ipſi ſua diligentia & devotione eum poſſint demereri, & ſibi reconciliare. Hinc nata ſunt Monaſteria, Regula, cucülli, funes, Miſſa, peregrinationes, & ſimiles ſtulti cultus, quos natura deſtituta cognitione Dei, ſibi contra & præter Verbum finxit. Hæc an non certiſſima ſunt indicia, naturalia (quod ad Deum & Dei cultum pertinet) eſſe corruptiſſima? Sic in veteri Teſtamento idem comprobant varij Idolorum cultus, contemptus Prophetarum & verbi Dei, & ſimilia peccata, quæ Deus per Prophetas in ingrato populo damnat.

Naturalia extreme corrupta quod ad Deum pertinet.

Peccata infinita oriuntur ex amiſſione noticiæ Dei &c.

Sed ne in civilibus quidem poſſumus pronuntiare, Naturalia eſſe integra. Videmus enim quantus ſit Legum contemptus præcipientium recta, & quanta diſſolutio diſciplinæ, propter quam Leges & Magiſtratus divinitus conſtituti ſunt, Sic Medicus ſæpe decipitur in miſcendis pharmacis, & nonnunquam per imperitiam occidit decumbentem, Quin ipſum oculorum lumen, aures, & alia organa omnia conceperunt vitium ex peccato, neque ita ſunt ſana & integra, ſicut in Adamo ante peccatum fuerunt. Hæc ſenſuum corruptio manifeſta eſt, quid in ſpiritualibus eſſe putas? Sumus igitur per peccatum ſimpliciter averſi à Deo, ita ut nihil de Deo recte ſentiamus, ſed ſimpliciter ſentimus de ipſo, ſicut de Idolo. Cicero & alij in Republica magni viri, ſi res ſpectes, egregie functi ſunt ſuo munere, ſed ſi evolvas animos, videbis eos non alia re ad id excitatos, quam ſtudio gloriæ, Sicut teſtatur gnome illa celebris, Mentem tu ſola peruris gloria. Hæc vero an non etiam manifeſta nota eſt amiſſæ notitiæ Dei, cui per obedientiam ſervire debebamus, non noſtram quærere gloriam, Nunc autem diverſum fit, quod non Dei gloriam, ſed noſtram ipſorum gloriam quarimus in Deo & omnibus creaturis. Sic illi ipſi, quorum inſignis continentia & ſobrietas fuit, gloriam præcipuum habuere ſcopum, quem ſpectarent, non voluntatem Dei.

Naturalia ne in civilibus quidē integra pronuntianda.

Omnia membra in homine contraxerunt vitium ex peccato.

Cicero.

Non Dei, ſed ſuam gloriam quærit mundus.

Ergo peccatum noſtrum eſt, quod in peccatis nati ſumus & concepti, Hoc didicit David experientia propria, Ideo ſic definit, ut ſignificet peccatum eſſe corruptionem omnium virium, interiorum & exteriorum, adeo ut nullum membrum officium ſuum ita nunc faciat, ſicut in Paradiſo ante peccatum, Sed diſceſſimus à Deo, pleni conſcientia mala, morbis & morti obnoxij, ſicut pœnæ verba oſtendunt, Quacunq; die comederis de hoc ligno, morte morieris. Diſcimus autem hæc ex ſolo Verbo. Gentes verbo deſtitutæ, etſi in medijs his malis jacerent, nō tamen ea recte intellexerunt. Nam mortem judicarunt neceſſitatem aliquam naturalem, non

Peccatum corruptio eſt omnium virium ore.

Gen. 2.

Mors peccati pœna.

peccati pœnam esse. Sic de tota hominis natura non possunt judicare, quia fontem non norunt, unde hæ calamitates in humanum genus promanarunt. De hac peccati & totius naturæ cognitione Psalmus docet, & non tractat solum exemplum (pro quo tamen gratias agimus Scholiis, quod id nobis reliquerunt) sed complectitur totam doctrinam religionis spiritualis, de notitia Dei, item de notitia nostræ naturæ, Peccati, gratiæ &c. Quare sentiamus hunc Psalmum esse generalem doctrinam totius populi Dei, ab initio, quo factus est, usq; in hunc diem, quæ David, seu potius Spiritus sanctus in Davide, nos erudit ad cognitionem Dei & nostri. Magnifice autem utrunq; tradit, Nam & egregie primo peccatum, & deinde cognitionem Gratiæ, sine qua desperatio accidit, ostendit.

Cognitio peccati.

Porro hæc cognitio peccati non est speculatio aliqua, seu cogitatio, quam animus sibi fingit, Sed est verus sensus, vera experientia, & gravissimum certamen cordis, Sicut testatur cum dicit, Iniquitatem meam ego cognosco, hoc est, sentio, experior. Id enim Ebraica vox proprie significat, non significat, sicut Papa docuit, colligere se, quid feceris, quid omiseris, sed sentire & experiri intolerabile onus iræ Dei. Et cognitio peccati, est ipse sensus peccati, Et homo peccator, est qui conscientia premitur, & anxius hæret, nesciens quo se vertat. Non igitur agimus hic de cognitione hominis Philosophica, quæ definit hominem esse animal rationale, &c. Physica hæc sunt, & non Theologica. Sic Iureconsultus loquitur de homine, possessore & Domino suarum rerum, Medicus loquitur de homine sano & ægro, Theologus autem disputat de homine peccatore. Hæc hominis substantia est in Theologia, & hoc à Theologo agitur, ut hanc suam naturam peccatis corruptam homo sentiat. Id cum fit, sequitur desperatio, quæ in infernum dejicit. Quid enim homo in conspectu justi Dei faciat, qui sciat totam naturam peccato oppressam esse, nec quidquam relictum esse, quo possit niti, sed simpliciter in nihilum justiciæ esse redactum. Hæc cum in animo sic sentiuntur, tunc debet sequi altera pars cognitionis, quæ quoq; non speculativa, sed tota practica & sensitiva esse debet, Vt homo discat & audiat, quid sit Gratia, quid justificatio, quod Dei sit de homine, sic ad infernum lapso, consilium, quod scilicet per Christum statuerit hominem restituere &c. Hic iterum erigitur animus dejectus, & secundum hanc gratiæ doctrinam cum gaudio statuit, Si sum peccator in me, in Christo non sum peccator, qui nobis factus est Iustitia, sed sum justus & justificatus, per justum & justificantem Christum, qui ideo justificans est & dicitur, quod ad peccatores pertinet, & peccatoribus missus est, &c.

Cognitio gratiæ.

Cognitio hominis & Dei Theologica.

Hæ sunt istæ duæ Theologicæ cognitiones, quas David in hoc Psalmo tradit, Vt sit argumentum Psalmi, de cognitione hominis Theologica, & de cognitione Dei etiam Theologica, Ne quis de Majestate cogitet, quid fecerit Deus, & quam potens sit, Item ne quis cogitet de homine suarum rerum domino, sicut Iureconsultus, aut de homine ægro, sicut Medicus, Sed de homine peccante. Nam Theologiæ proprium subjectum, est homo peccati reus ac perditus, & Deus justificans ac Salvator hominis peccatoris, Quicquid extra hoc subjectum in Theologia quæritur aut disputatur, est error & venenum. Nam huc omnis Scriptura spectat, ut Dei benignitatem nobis commendet, qui hoc agit per Filium suum, ut naturam in peccatum & damnationem prolapsam, justicia & vita restituat. Hic nihil agitur de hac corporali vita, qui victus, quæ opera sint suscipienda, quomodo regenda familia, quomodo colenda terra &c. Hæc ante hominem in Paradiso creata sunt, & hominum in manus data, cum diceret Deus, Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli. Sed agitur hic de futura & æterna vita, de Deo justificante, reparante ac vivificante, & de homine à justicia & vita prolapso in peccatum & æternam mortem. Qui hunc scopum sequitur in lectione sacrarum literarum, ille cum fructu sacra leget. Gen. 1.

Ergo necessaria hæc Theologica cognitio est, ut homo se cognoscat, hoc est, ut sciat, sentiat, & experiatur, quod sit reus peccati, & addictus morti, Deinde etiam, ut contrarium sciat & experiatur, quod Deus sit justificator & redemptor talis hominis, qui sic se cognoscit. Aliorum hominum curam, qui peccata sua non cognoscunt, relinquamus Iureconsultis, Medicis, parentibus. Hi enim alio modo de homine disputant, quam Theologus. Nunc ad Psalmum venio.

Miserere

I.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.

HIc initio admonendi estis, quia Deum nominat & nullam Christi mentionem facit, ne putetis Davidem sicut Mahometistam aliquem, aut alium quendam gentilem hominem de Deo loqui. Loquitur enim David cum Deo Patrum suorum, seu cum Deo promissore. Quia populus Israël non habuit Deum absolute speculatum, ut sic dicam, sicut imperitum Monachorum genus speculationibus suis ascendit in cœlum, & de Deo absolute cogitat. Hunc Deum absolutum debent omnes fugere, qui non volunt perire. Quia humana natura, & Deus absolutus (docẽdi causa hac appellatione nota utimur) sunt inter se infestissimi inimici, nec potest fieri, quin à tanta Majestate humana infirmitas opprimatur, sicut scriptura aliquoties admonet. Quare nemo intelligat Davidem loqui cum Deo absoluto, sed loquitur cum Deo vestito & induto verbo & promissionibus suis, ne excludatur à nomine Dei Christus, de quo à Deo est facta promissio ad Adamum & alios Patriarchas. Hunc Deum non nudum, sed vestitum & revelatũ verbo suo, necesse est nos apprehẽdere, alioqui certa desperatio nos opprimet.

David loquitur cum Deo Patrum suorum.

David absolutus.

Et est perpetuo faciendum hoc discrimen inter Prophetas loquentes cum Deo, & gentes. Gentes enim loquuntur cum Deo, extra Verbum & Promissiones, secundum cogitationes cordis sui, Prophetæ autem loquuntur cum Deo, induto & revelato promissionibus & Verbo suo. Hic Deus tam clementi specie, & ut sic dicam, tam jucunda larva indutus, nempe, promissionibus suis, potest apprehendi, & cum gaudio ac fiducia à nobis conspici, ubi econtra Deus absolutus est, ceu ahæneus murus, in quẽ non possumus impingere sine nostro exitio. Ideo Satan hoc dies noctesq; satagit, ut nos ponat in occursum nudi Dei, ut obliti promissionum & beneficentiæ in Christo oblatæ, cogitemus de Deo ac judicio Dei. Id cum fit, periimus illico, prolapsi in desperationẽ. Hoc modo David cum Deo absoluto non loquitur, sed loquitur cum Deo patrum suorum, hoc est, cum Deo, cujus promissiones novit, & cujus misericordiam ac gratiam sensit. Si igitur Turca, Hypocrita, aut Monachus aliquis dicat, Miserere mei Deus, perinde est ac si nihil dicat, quia Deum, quem nominat, non apprehendit velatum taliperſona, seu specie, quæ nobis attemperata est, sed apprehendit & invadit Deum in sua absoluta potestate, ubi necessario sequitur desperatio, & Luciferi casus ex cœlo ad inferos. Hæc igitur causa est, cur Prophetæ sic innixi sint promissionibus Dei in orationibus suis. Quia promissiones includunt Christum, & faciunt Deum non judicem aut hostem nostrum, sed benignum & faventem Deum, qui damnatos vult restituere vitæ, & salvare.

Gentes loquuntur cum Deo nudo verbo.

Pij loquuntur cum Deo revelato promissionibus.

HOc primo monendum esse duxi, propter alios Prophetarum locos, Deinde etiam illud considerandum est, quomodo conveniat quod dicit, Miserere mei. Hic enim si personas spectes Deum, & peccatorem Davidem, inter quas res agitur, apparebit summa dissimilitudo, & contradictio immutabilis. An non enim hic totius naturæ sensus, an non hoc omnium hominum judicium est, quod Deus peccatũ odit? Sicut Iohannis 9. cœcus dicit, Scimus quod peccatores Deus non audit, Eos autem audit, qui eum colunt, & faciunt voluntatem ejus, Item in Decalogo est, Ego sum Deus zelotes, Quin per totum Mosen fere nihil est, nisi meræ comminationes contra malos & inobædientes, Et convenit cum lege Mosi sensus naturæ, quem nullo modo possumus exuere. Sic enim omnes homines judicant, Tu es peccator, Deus autem est justus, Ergo te odit, ergo infliget pœnas, ergo te non audiet. Hanc consequentiã tota natura impossibile est ut negare possit, Hinc sancti Patres qui in Psalmos scripserunt, fere exposuerunt, Iustus Deus, pro eo, quod juste vindicat ac punit non pro eo quod justificat. Inde mihi accidit

Miserere mei.

Cæcus Iohan. 9.

Iustus Deus.

Iuveni,

Iuveni, ut hanc appellationem Dei odiſſem, & ex illa hexi ſeu habitu adhuc hodie quaſi cohorreſco, cum audio Deum juſtum dici. Tanta eſt vis impiæ doctrinæ, ſi ea animi in prima ætate imbuantur, & tamen veteres Doctores fere omnes ſic exponunt.

Sed ſi Deus ſic juſtus eſt, ut puniat juſte, ſeu pro merito, quis poteſt ſubſiſtere in hujus juſti Dei conſpectu? Siquidem omnes ſumus peccatores, & afferimus ad Deum juſtam pœnarum infligendarum cauſam. Procul hinc cum tali juſticia, & tali juſto Deo, quia nos omnes, ſicut ignis conſumens, vorabit. Quia autem Chriſtum Salvatorem Deus miſit, profecto non hoc modo juſtus vult eſſe, ut puniat pro merito, Sed vult juſtus eſſe & dici, ut agnoſcentes peccata juſtificet, & eorum miſereatur. Quod igitur David peccator dicit, Miſerere mei Deus, perinde ſonat, ac ſi loquatur contra Decalogum, in quo Deus mandat, ne ſis peccator, & minatur peccatoribus pœnas. Quomodo enim convenit inter peccatorem, & Deum, qui eſt juſtus, verax, inimicus & hoſtis peccatorum, qui ſua natura non poteſt ferre peccata? Et tamen David, qui infra dicit, Agnoſco iniquitatem meam, Item, Peccatum meum coram me eſt ſemper, Hic David, inquam, Deum appellat, & dicit, Miſerere mei. Hoc vero eſt conjungere duo incompatibilia, ut loquuntur. Ergo ſtatim initio oſtendit David eam artem & ſapientiam, quæ eſt ſupra ſapientiam Decalogi, & vere cœleſtis ſapientia, quam neq; Lex docet, nec ratio ſine Spiritu ſancto cogitare, aut intelligere poteſt.

Miſerère mei Deus.

Sapientia vere cœleſtis.

Nam natura in univerſum hoc ſtatuit, & ſecum dicit, Non audeo elevare oculos ad cœlum, ſed terreor conſpectu Dei. Vtrumq; enim ſcio, me peccatorem eſſe, & Deum peccata odiſſe, Nunquid igitur orabo? Hic vero incipit certamen difficilimum. Nam aut animus in ſe propter peccati conſcientiam confuſus, ſtatuit orationem differendam, donec aliquam in ſe inveniat (ut ſic dicam) dignitatem, aut circumſpicit humana conſilia, & Sophiſticas conſolationes, ut prius cogitet de ſatisfactione, ut poſſit cum aliqua fiducia propriæ dignitatis accedere, & dicere, Miſerere mei Deus. Hæc perpetua noſtræ naturæ eſt ſententia, ſed longe perniciosiſſima eſt. Nam animi eriguntur in fiduciam propriæ juſticiæ, & ſtatuunt Deum poſſe placari noſtris operibus. Hæc blaſphema præſumptio eſt propriorum meritorum, contra meritum Chriſti, Deinde quia in peccatis nati ſumus, ſequitur nunquam nos oraturos eſſe, ſi non prius ſumus oraturi, quam ſentiamus nos ab omnibus peccatis puros eſſe.

Ergo excutienda hæc blaſphema cogitatio eſt, & in ipſis peccatis, ſeu, ut ſignificantius dicam, in ipſo mari peccatorum hoc medio utendum eſt, quo hic David utitur, ne oratio differatur. Quorſum enim attinet Verbum miſerendi, ſi iſti, qui orant, mundi ſunt, & miſericordia non opus habent? Sed ut dixi, acerrimum hoc certamen eſt, poſſe animum in ipſo peccatorum ſenſu excitare, ut clamet ad Deum, Miſerere mei, Aliquoties meo exemplo didici, qui hæc doceo, & alijs præcipio, Omnium fere operum difficilimum eſſe orare. Quare non profiteor me artificem hujus operis, Hoc autem confiteor, ſæpe in maximis periculis me admodum frigide hæc verba pronuntiaſſe, Miſerere mei Deus, quod mea offendebar indignitate, & tamen vicit tandem Spiritus ſanctus, qui ſuggeſſit, qualis qualis es, certe orandum eſt. Deus enim non propter tuam dignitatem, ſed propter ſuam miſericordiam orari vult, & exaudire.

Oratio nō differenda.

Orare eſt omnium operum difficilimum.

Vt igitur hæc recte intelligantur, Deum odiſſe peccatores, & amare juſtos, Diſtinctio facienda eſt inter peccatorem ſentientem peccata, & peccatorem non ſentientem peccata ſua, Orationem peccatoris non ſentientis peccata ſua Deus non vult, Quia hoc ipſum quod orat, non intelligit, nec vult. Sic Monachus, qui in ſuperſtitione ſua vivit, ſæpe canit & murmurat, Miſerere mei Deus, Sed quia in fiducia propriæ juſticiæ vivit, & immundiciem cordis non ſentit, tantum ſyllabas recitat, rem ipſam nec intelligit, nec optat, Ad hæc addit contraria orationi ſuæ, Petit ignoſci, petit miſericordiam, & interim ipſe, jam hoc, jam alio mo-

Deus amat juſtos, & odit peccatores.

Monachi oratio qualis.

by Google

alio modo quærit expiationem peccati, & ſatisfactionem. Hoc vero an non eſt palam Deo illudere ? Perinde ac ſi quis mendicus clamoſus importunis vocibus inſtat pro ſtipe, & cum eam aliquis offerat, ipſe ſuas opes, hoc eſt, mendicitatem ſuam jactet, & manifeſte oſtendat, ſe non indigere ſtipe.

Sic inimici Evangelij verba numerant, rem autem non modo non intelligunt, ſed reipſa contrarium faciunt, dum varios cultus ſuſcipiunt, dum quærunt remiſſionem Peccatorum impijs Miſſis, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum, &c. Tales peccatores qui peccatores ſunt, & tamen non ſentiunt ſe eſſe peccatores, ſed præfracta fronte perrumpunt, ſe juſtificant, Verbum Dei perſequuntur &c. Tales, inquam, procul arcendi ſunt ab omni miſericordia, & iræ dicta eis proponenda, quibus Deus non miſericordiam, ſed æternas minatur pœnas, Sicut eſt ſententia primi Præcepti, Ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem. Proponenda etiam ſunt exempla iræ, interitus Sodomorum, Diluvij ſuper omnem carnem effuſio, Direptio populi ſancti, & ſi qua alia horribilia ſpectra judicij & iræ Dei in Scripturis extant, ut deducantur inſenſati & impœnitentes peccatores ad cognitionem ſui, & ſerio incipiant implorare miſericordiam. Hi enim ſunt, de quibus dicitur, Deus peccatores odit, Deus peccatores non audit, &c.

Impœnitentes peccatores Deus odit.

Exempla dra.

Alij peccatores ſunt, qui ſentiunt ſua peccata, & iram Dei, ac terrentur à facie Dei. Hi arripiunt contra ſe comminationes in Verbo Dei propoſitas, & ex horribilibus iræ divinæ exemplis, ita dejiciuntur animo, ut propter peccata eaſdem pœnas ipſi quoq; timeant. In his terroribus cum animus malleo legis & judicij Dei ſic quaſi cõtritus eſt, tum vero locus, tempus & occaſio eſt hujus divinæ ſapientiæ arripiendæ, ut cor ſe erigat, & certo hoc ſtatuat, Deũ cum iraſcitur peccatoribus, iraſci ijs tantum, qui duri & inſenſati ſunt, Qui autem ſentiunt molem peccatorum ſuorum, de ijs dictum eſſe, Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum. Tum enim per Legem ſatis effectum eſt, & debent ceſſare fulmina illa irati Dei, ac lucere illa miſericordiæ lumina, in verbo Dei propoſita, Quod beneplacitum ſit Domino ſuper timentes eum, quod Deus cor contritum & humiliatum non deſpiciat, quod ſint aures ejus apertæ, & oculi ejus intenti in pauperem, ut eum de ſtercore erigat, ut foveat lichnum fumantem, ut quaſſatam arundinem iterum conglutinet &c. Hi enim ſunt iſte tenerrimus vermiculus (ſicut translatio Hierony. habet 2. Reg. 23. de Davide, quanquam in Ebræo non eſt) & moliſſimus flos, qui ad levem aurulam comminationis divinæ commovetur ac trepidat, Vbi illi alteri inſenſati peccatores in maximis procellis, ceu montes ferrei, ſtant immoti ad omnem pœnitentiæ prædicationem. Quare hoc unum in iſtis pavoribus conſcientiarum agendum eſt, ne ſic territi animi judicent ſecundum naturam & ſenſum ſuum, quia abriperentur in deſperationem. Sed ſicut diverſorum morborum natura, inter ſe diverſa remedia ſunt, Ita hi territi verbis Gratiæ erigendi ſunt, ſicut illi rigidi ſunt concutiendi ferreo ſceptro.

Pſal. 142.

Pſal. 51.

2. Reg. 23.

Terrili lege verbi Gratiæ erigendi, indurati terrendi.

Papa cum ſuis Doctoribus nihil ſani poteſt in talibus periculis conſcientiarum conſulere, ſicut meo exemplo expertus ſum. Omnes enim judicant ſecundum naturam, quæ dicit, Sum peccator, Deus autem juſtus eſt, ergo eadem me pœna manet, quæ alios peccatores. Hic natura reſiſtit, nec poteſt in illis nebulis iræ divinæ radios miſericordiæ intueri. Sed hic vera Theologia noſtra venit, & docet, Cum animi ſic ſunt territi, tum unam Theologiæ partem completam eſſe, quæ Lege & minis legis utitur, ut peccator ſe incipiat cognoſcere, & exuat ſecuritatem, in qua omnes, ante hanc iræ revelationem, naturaliter vivimus, Neq; hic reſiſtendum eſſe, ſed debere nos progredi ad alteram Theologiæ partem cognoſcendam, in qua tota Theologiæ cognitio impletur, quod Deus humilibus dat gratiam, Pertinere minas illas & horribilia exempla ad induratos & ſecuros peccatores, his Deum eſſe zelotem, & ignem conſumentem. Sed illos contritos & pavidos, eſſe populum Gratiæ, cujus vulnera alligare & ſanare velit Paſtor bonus, qui a-

Mitte legis & exempla ira induratis promiſſiones & exempla Gratia pavidis proponenda.

qui animam ſuam ponit pro ovibus, Ergo non debere tales obſequi cogitationibus cordis ſui, quæ propter peccata ſuadent non eſſe orandum, non eſſe ſperandam gratiam, ſed cum Davide animo confidenti clamandum eſſe, Miſerere mei Deus, propterea quod tales ſint Deo beneplacitum.

Hæc hujus Pſalmi Theologia eſt ignota ſcholis Papiſtarum. Nam hic Davidem vide, bene aperto ore in hæc Verba erumpentem, Miſerere mei Deus, & ſic cõjungentem res ſua natura diſſimilimas, Deum & ſe peccatorem, juſtum & injuſtum. Ingentem autem illum montem iræ divinæ, qui ita disjungit Deum & Davidem, tranſcendit fiducia miſericordiæ, & ſecum Deo conjungit. Hoc vero eſt, quod addit Theologia noſtra ad Legem. Nam appellare Deum, & dicere, Miſerere, non magni laboris eſt, ſed addere particulam, Mei, id vero eſt, quod omni ſtudio inculcatur in Evangelio, & tamen experimur, quam ægre à nobis præſtari poſſit. Nam hoc, Mei, fere omnes orationes noſtras impedit, cum contra deberet unica & ſumma orandi cauſa & occaſio eſſe.

Ergo primo exemplum diſcendum eſt, ut recte intueamur pronomen, Mei, & ſtatuamus id ſignificare peccatorem, ſicut poſtea manifeſte exponit, cum dicit, In peccatis conceptus ſum. Fatetur enim ibi hunc, Mei, eſſe maximum peccatorem. Ergo nos quoque hoc diſcamus, ut illæ turbæ cogitationum, quæ nos
Cæcus, Luc. 18. volunt compeſcere, nos magis excitent ad clamorem, Sicut de cæco legimus in Evangelio, qui increpatus magis clamabat. Experimur enim in nobis hanc cogitationum quaſi turbam, objurgantem nos, Quare vis orare? Neſcis quid tu ſis, & quid ſit Deus? Hæc cogitationum turba valde moleſta eſt ſpiritui, & plurimos impedit, Sed contemnenda eſt, & ob eam ipſam cauſam eſt orandum, quæ videtur nos ab oratione revocare, ut vi quadam per illam turbam ad Chriſtum perrum-
Recte orantes. pamus, & rogemus miſericordiam. Hoc qui faciunt, illi recte orant, Sed profecto magna contentione ſpiritus opus eſt. Nam propria experientia didici, his cogitationibus ſæpiſſime orationem mihi excuſſam eſſe, Dei tamẽ gratia ad eam cognitionem perveni, ut Satanæ telis ſuis me oppugnanti, non cederem, ſed erepta vi ſpiritus, arma in ipſum hoſtem converterem, & dicerem, Tu ideo ab oratione deterres, quia ſum peccator, Sed ego ob hanc unam cauſam mihi potiſſimum orandum eſſe video, quia ſum maximus peccator, & opus habeo miſericordia.

Idem faciendum eſt in ipſo æſtu tentationum, cum animi aut libidinis, aut
Orandum maxime in ipſa tentatione eſt. vindictæ cogitationibus tentantur. Ibi ſi quis ad orationem hortetur, ſtatim objicit animus impuritatem, Quaſi in iſtis ſordibus cogitationum, orationi non poſſit eſſe locus. Hic contra urge, nullo modo expectandum finem tentationis, donec libidinis, aut alterius vitij cogitationes animo penitus effluãt, Sed in eo ipſo momento, quo tentationem ſentis eſſe validiſſimam, & te ad orandum imparatiſſimum, ſecede in locum ſolum, & ora Dominicam precationem, aut quicquid tandem potes dicere contra Satanam & tentationem ejus, Tunc ſenties tentationem mitigari, ac Satanam terga vertere.

Quod ſi quis orationem exiſtimat differendam, donec animus purus fiat ab impuris cogitationibus, Is nihil aliud facit, quam ut Satanam alioqui plus ſatis
Exemplum & doctrina hujus Pſalmi tenenda. potentem, adjuvet ſua ſapientia & virtute. Hæc vero gentilis religio & Sophiſtica eſt, imo Satanæ doctrina. Contra quam exemplum & doctrina hujus Pſalmi tenenda eſt, in qua videmus, Davidem in ipſo totius ſuæ impuritatis conſpectu, & in
Petrus, Luc. 5. ſingulari carnis peccato, non à Deo fugere, ſicut Petrus ſtulte dicebat in navi, Domine exi à me, quia peccator ſum, Sed cum fiducia miſericordiæ prorumpit in orationem, & dicit, Domine, ſi ſum peccator, ſicut ſum, Miſerere mei. Quia enim vere ſentiunt noſtra corda peccatum, ideo magis debemus per orationem ad Deum accedere. Antea erat fugiendum, antea erat metuendus Deus, cum periculum eſſet, ne laberemur in peccatum, Poſt lapſum debet ſperari venia, & peti, non debet reſiſti in cogitationibus iræ & timoris, Nunc Satan hoc agit, ut iſte

ordo

ordo pervertatur,ut in peccatis petrandis ſimus ſecuri,& ſine timore Dei,& ut poſtquam patrata ſunt, maneamus in timore,ſine ſpe & fiducia miſericordiæ.

Sed Davidem, ut dixi,vide diſerte confugientem ad miſericordiam & dicentem,Miſerere mei Deus, Q. d. Scio me eſſe malum & peccatorem,te autem eſſe juſtũ. Quod igitur me erigo,& orare audeo,hoc totum facio,fiducia Verbi & promiſſionum tuarum. Quia ſcio te non eſſe Deum Mahometiſtarum aut Monachorum &c. ſed Deum Patrum noſtrorum, qui promiſiſti te redempturum peccatores,non quidem ſimpliciter peccatores, ſed peccatores Senſitivos, qui norunt & ſentiunt ſe eſſe peccatores,&c.Ergo nos quoq; audeamus dicere,Miſerere mei Deus,Sum peccator, tentatus à carne, ſanguine,ira, odio, Sed ſpes eſt in miſericordia & bonitate tua,quam promiſiſti fitientibus juſticiam &c.

Miſerere mei Deus.

Peccatores ſentientes.

Non poſſunt hæc ſatis apte dici,ſed neceſſe eſt accedere experientiam propriam,ea docet,quam magnus labor ſit,ſuperare iſtum quaſi montem propriæ indignitatis & peccatorum,qui inter nos oraturos & Deum eſt.Etſi autem hic maxime ſentitur infirmitas fidei, tamen etiam hæc conſolatio nobis tenenda eſt, quod non ſoli dicimus, Miſerere mei Deus, ſed idem nobiſcum dicit & orat Spiritus in corde noſtro,gemitibus inenarrabilibus. Hos gemitus ſicut nos neq; videmus,neq; plene intelligimus,ita clariſſime videt & pleniſſime intelligit Deus,qui etiam ſpiritus eſt.Fiducia igitur hujus interpellatoris etiam in media contentione certaminis ſeu tentationum,debemus Satanæ reſiſtere, & dicere, Si ſum peccator, quid tum ? Deus eſt miſericors. Si ſum propter peccata ad orandum ineptus, bene eſt, nolo fieri aptior. Nam proh dolor, plus ſatis ad orandum aptus ſum, quia nimium ſum peccator.

Rom.8.

Spiritus intercedit pro nobis &c.

Hæc hujus loci doctrina eſt,quod audendum eſt ſenſitivis peccatoribus(ut ſic appellem docendi cauſa)& quod Deus juſtus & homo peccator ſunt conciliandi,ne ſic in peccatis Deum metuamus, quin cum Davide canamus, Miſerere, Ne autem pronomen, Mei, aut nomen Deus, nos impediat, quin in medio horum ponamus verbum,Miſerere,per quod Deus & homo peccator conciliantur.Hoc niſi fiat, non ſolum hunc Pſalmum nunquam recte canere, ſed ne orationem Dominicam unquam recte orare poterimus. Quia hoc minus in hac vita futurum eſt,ut ſimul ab omnibus peccatis ſimus puri. Nam etſi actualia ut vocant,deſint,quod perrarum eſt, tamen non deerit originale peccatum. Quia aut ſemper ſumus in peccatis, ergo ſemper quoque orandum eſt, ſicut revera Chriſtianorum corda omni momento orant, cum vident omni momento ſuam indignitatem,& cupiunt eam condonari. Hæc perpetua Chriſtiani cordis ſuſpiria,cogitationibus,nonnunquam etiam negotijs perturbantur & teguntur, ne ea ſemper videamus. Vere igitur Theologica virtus eſt, hoc modo oratione obruere peccatum, & cum ſentimus noſtram infirmitatem,confugere ad Canticum hoc,Miſerere mei Deus.

Quomodo conciliandus Deus juſtus, & homo peccator.

Primum corda omni momento orant.

Theologica virtus.

Sed poſtquam diximus, quomodo conciliandi ſint Deus juſtus, & homo peccator,etiam hoc monendum eſt,ut recte conſideremus,VerbumMiſerere.Nam id ſi diligentius evolverimus, neceſſe eſt ut ſtatuamus omnem noſtram vitam concluſam & poſitam eſſe in ſinu miſericordiæ Dei. Quia enim nos omnes ſumus Mei,hoc eſt, peccatores, manifeſte & neceſſaria conſequentia ſequitur, Quicquid ſumus & vivimus,hoc totum eſſe meræ gratiæ,non juſticiæ aut meriti noſtri, Quid igitur inquies? An non Decalogus præſtari debet? Si autem præſtatur,an non ea juſticia eſt? Reſpondeo, Volumus Decalogum præſtare & ſervare, ſed cum larga, hoc eſt, vere Evangelica diſpenſatione,ſeu diſtinctione, Quia accepimus tantum primitias Spiritus,& gemitus ſpiritus in corde manent, Item caro noſtra,cum ſuis libidinibus & concupiſcentijs,hoc eſt,tota arbor cum fructibus etiam manet. Hæc cauſa eſt, cur Decalogus nunquam poſſit plene præſtari, Alioqui ſi Decalogus poſſet præſtari integer,quid opus eſſet juſticia illa,quam David per verbum Miſerere petit, hoc eſt, quid opus eſſet imputatione? Nunc, cum etiam in Sanctis remaneant peccati reliquiæ,nondum plane mortificatæ,utrunq; ſit, ut per Spiritum inhabitantem peccato reſiſtamus

Decalogus plene non ſervatur à Sanctis.

reſiſtamus, & obediamus Decalogo, & tamen per carnem & Satanam in peccatum impulſi, ſperemus remiſſionem peccatorum.

Sic obedientia erat in lege, ſacrificare, & tamen infra dicet Propheta, Sacrificium & holocauſta noluiſti. Sic enim erant ſacrificia, ne tamen tolleretur miſericordia. Ad eundem modum facimus Legem per Spiritum ſanctum, & tamen manet verbum, Miſerere, hoc eſt, nos manemus peccatores, & opus habemus gratuita remiſſione peccatorum per Chriſti meritum. Ergo, miſericordia eſt, tota noſtra vita in mortem uſq;, & tamen Chriſtiani præſtant obedientiam legis, ſed imperfectam, propter peccatum inhabitans in nobis. Quare hoc quoque diſcamus, ut verbum, Miſerere, bene extendamus, non tantum ad actualia peccata, ſed ad omnia beneficia Dei, quod ſumus juſti alieno merito, quod habemus Deum patrem, quod Deus pater amat peccatores ſenſitivos, in ſumma, quod omnis noſtra vita eſt miſericordia. Quia tota noſtra vita eſt peccatum, nec poteſt opponi judicio aut iræ Dei.

Pij præſtant obedientiam legis, ſed imperfectam.

Ideo non tantum dicit David, *Miſerere mei Deus*, ſed addit, *ſecundum magnam miſericordiam tuam*, ac ſimpliciter tacet omne meritum, & omnem juſticiam operum. Non dicit, ſicut ille in Evangelio, Bis jejuno in Sabbato, Non dicit, Miſerere mei ſecundum meritum condigni aut congrui, Quid enim hæc ad miſericordiam? Hypocritarum, monachorum, non Davidis ſunt iſta, jactare meritum & alia, Sicut de cujuſdam Regis fratre narratur, qui in extremo vitæ articulo dixit ad Deum, Serva mihi quod promiſiſti, quia reddidi tibi quod juſſiſti. Hanc vocem nolim meam eſſe in articulo mortis. Diverſum enim dicendum eſt, Ne intres in judicium Domine cum ſervo tuo, Item, Dele iniquitatem meam, Quod enim poſſumus jactare meritum hujus leviſſimi, ut videtur, beneficij, quod oculum ſanum ſervavit Deus? David tacet juſticiam ac meritum ſuum, & vult ſecundum magnam miſericordiam Deum agere, Hoc modo non ſolum ex juſticia propria, ſed etiam ex ira Dei ſe evolvit, neque ſibi aliud proponit ſpectrum, quam Deum miſericordem, gaudentem & ridentem. Statuit enim Deum habere magnam miſericordiam, propter quam nihil aliud velit nec cogitet, quam ignoſcere & benefacere.

Phariſæus Luc. 18.

Jactare meritum.

David tacet juſticiam & meritum ſuum.

Pſ. 143. 5b

Hoc ſpectrum Dei faventis & miſerentis, eſt vivificum ſpectrum, quo operit pronomen, Mei, & rejicit iram in angulum, ac dicit, Deus favet, Hæc non eſt rationis Theologia, quæ in peccatis ſuadet deſperationem, Sed David ſentit peccatum ac iram Dei, & tamen dicit, Miſerere mei Deus. Hanc doctrinam ratio neſcit, ſed ſacræ literæ tradunt, ſicut in hoc primo hujus Pſalmi verſu videtis. Sunt enim ſingula verba pure & caſte poſita, Sed ſunt verba Spiritus, habentia vitam, ex quibus ſpirituales diſcunt diſtinguere inter peccatorem & peccatorem, inter Deum & Deum, & diſcunt etiam conciliare cum homine peccatore, iram Dei, ſeu iratum Deum. Sed inquies, Hæc non ſic fiunt, propterea quod ego, ſic tuo verbo edoctus, iſta mecum ita cogitare diſco, Imo ſtatuendum eſt, quod ſicut credis, ſic etiam tibi fiet, Quia hæc fides non eſt ex tuo judicio ſumpta, ſed hauſta ex verbo Dei, Si igitur potes hoc apprehendere, & ſtatuere, Deo eſſe beneplacitum ſuper timentes eum, tunc revera ita tibi continget, Si non apprehendis, non es ſub beneplacito, ſed ſub ira, ſecundum Chriſti dictum, Sicut credis, ita fiet tibi. At cogitatio de ira Dei per ſe quidem falſa eſt, quia Deus promittit miſericordiam, Et tamen talis falſa cogitatio fit vera propterea, quia tu veram eſſe ſtatuis. Contra illa altera cogitatio, quod Deus faveat peccatoribus, ſentientibus peccata ſua, ſimpliciter vera eſt & manet, Ergo non eſt quod cogites, non ſic futurum propterea, quod tu ſic credis. Quin hoc ſtatue, quod res per ſe certa & vera magis certa & vera fit, te ſic credente. Sicut econtrà, Si credas Deum iratum eſſe, certo habiturus es eum iratum & hoſtem, ſed diabolica, idolatrica, & perverſa cogitatione. Quia Deo ſic ſervitur, ſi eum timeas, & apprehendas Chriſtum, objectum miſericordiæ.

Theologia rationis.

Sicut credis, ſic fiet tibi.

Cogitatio de ira Dei.

Cogitatio de miſericordia Dei.

Hæc eſt vera Theologia de vero Deo, & vero Dei cultu. Falſa Theologia eſt.

Theologia vera & falſa.

Deum

Deum esse itatum agnoscentibus peccata sua. Talis enim Deus nec in cœlo, nec usquam est, sed est Idolum perversi cordis. Quia verus Deus dicit, Nolo mortem
Ezech. 18. peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat. Hoc etiam præsenti Davidis exemplo & oratione comprobatur. Et principio admonuimus, non tantũ exemplum Davidis hic considerandum esse, sed Psalmum transferendum in generalem doctrinam, quæ pertineat simpliciter ad omnes homines, nullo excepto. Sicut Epi-
Rom. 3. 11. stola ad Romanos generaliter citat sententiam, Omnis homo mẽdax, Item, Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereretur. Ad hunc modum de Davide diximus, quod non solum suum peccatum, sed totius generis humani mortem & vitam complectatur. Ergo Deus omnibus hominibus talis Deus est, qualis Davidi fuit, hoc est, ignoscens peccata, & misericors in omnes, qui misericordiam rogant, & peccata sua agnoscunt.

Doctrina hujus Psalmi pertinet ad omnes homines.

Huc pertinet quod repetitione, seu potius amplificatione hac uti voluit, ut addat, *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Rogavit antea, ut Deus per misericordiam avertat oculos à suis peccatis, Hoc versu idem agit, & quidem majore contentione ac spiritu. Apprehendit enim Deum promissorem, & toto intuitu cordis vertitur in misericordiam. Quod non posset nisi adjutus spiritu, Deum promittentem apprehendisset, & sciret apud Deum re-
Psal 130. liquam esse spem remissionis peccatorum, pro peccatoribus, Sicut in alio Psalmo dicit, Apud te propitiatio est, ut timearis. Non quærit satisfactionem, non angulum, in quo se præparet ad gratiam, sed recto cursu tendit ad conspectum Dei, & ad misericordiam, quæ est ei nota non ex suo corde, non ex dictamine rectæ rationis (quia ratio in peccatis fugit à Deo, nec se potest attollere conscientia in eam lucem, ut credat reliquam esse Misericordiam, gratiam, favorem, apud Deum pro peccatoribus) Sed misericordia est ei nota ex promissionibus, quas ubiq; videt sparsas etiam in Legem & Decalogum. Etsi enim ibi Deus minatur peccatoribus, tamen retinet nomen misericordis Dei. Idem testantur promissiones ad Adamum, Abrahamum &c.

Deus promissor.

Ratio fugit à Deo in sensu peccati.

Idem nobis in nostris tentationibus est præstandum, ut quoties mordemur & vexamur in conscientia propter peccata, simpliciter sensum avertamus à peccato, & involvamus nos in sinum Dei, qui dicitur Gratia & Misericordia, nihil dubitantes, quin gratia & misericordia velit uti erga miseros & afflictos peccatores, sicut erga induratos peccatores vult uti ira & judicio. Hæc est vera Theologia, quam etiam hic Psalmi versus manifeste ostendit, cum inquit, secundum multitudinem misericordiarum tuarum iniquitatem meam dele.

Deus misericors erga afflictos, erga induratos iracundus.

Vocabulo Raf utuntur in quantitate discreta & continua, Sicut in Germanico quoq; dicimus, gros Gelt/ pro multa & numerosa pecunia, Deinde vocabu-
Raf. Hesed.
1 Tim. 6. lum Hesed etiam notũ est, Paulus sæpe beneficium seu εὐεργεσίαν vertit, ut 1. Tim. 6. ubi servis loquitur, quod debeãt colere heros suos, Addit causam, quia, inquit, sunt participes beneficij Evangelij, Nonnunquam etiam dilectionem vertit, In-
Hosea 6. terpres Græcus, Misericordiam fecit, sicut in illo loco Oseæ, Misericordiam volo & non sacrificium, hoc est, ut diligatis mutuo, ut benefaciatis alijs, Et sic hoc loco vertit, miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Alterum vocabulum Rahem significat, clementem animum induere, non velle respicere
Rahem.
peccatum alterius, sed ignoscere, indulgere, &c. sicut in illo loco, Miserebor cui misereor, hoc est, ignoscam, condonabo peccatum. Inde venit nomen Rahemim, quod noster vertit miserationem. Hæc est Ebræa Grammatica, cujus admonendi sunt imperitiores.

Vide autem jam, quam belle hæc duo David conjungat, ut primum Deus misereatur, hoc est, gratis nobis immeritis benefaciat, Deinde ut largiatur remissionem peccatorum, quam fide accipimus per Spiritum sanctum & promissiones, Quia, nisi gratis ignoscat Deus, nulla satisfactio, nullum remedium reliquum est nobis, Non per jejunia nostra, non per alia opera, non per angelos, nec ullam ali-

Salus unica, confugere ad misericordiam Dei.

am creaturam ſalus, ſed unica ſalus eſt, confugere ad miſericordiam Dei, quærere apud Deum beneficium & ignoſcentiam, ne reſpiciat ad noſtra peccata & tranſgreſſiones, ſed ut conniveat, & ſecundum miſericordiam & miſerationes ſuas nobiſcum agat. Hoc enim niſi faciat Deus, non ſumus digni, quibus ad unam horam vitam proroget, quibus det unam buccellam panis, &c.

Difficile eſt ſola miſericordia Dei uti.

Sed hic quoq; experimur, ſummæ artis & difficilimum eſſe, ſic conjungere illa duo & in miſericordiam Dei & miſerationes tantum oculos intendere. Neq; enim hæc verba domi noſtræ naſcuntur, ſed per Spiritum ſanctum afferuntur de Cœlo. Contrà hæ ſpinæ naſcuntur in cordibus noſtris, Ego ſum peccator, Deus eſt juſtus, & iratus mihi peccatori, Has ſpinas conſcientia non poteſt evellere, non poteſt peccatorem conſtituere coram Deo favente & ignoſcente. Spiritus ſancti hoc eſt donum, non noſtri arbitrij, aut virium noſtrarum. Nam cum abſq; Spiritu Dei eſt, aut indurantur corda in peccatis, aut deſperant, Vtrunq; autem eſt contra Dei voluntatem. Ideo David ex Spiritu ſancto per medium inter hanc Satanicam ſcyllam & charybdim navigat, & projicit ſe ſecurum, in ampliſſimam & infinitam illam miſericordiam Dei, & dicit, Multæ ac magnæ ſunt miſerationes tuæ Domine, ego autem ſum Peccator, qui male vixi, male vivo, & dum vivo, male vivam, Iam igitur ſi me volo coram te ſtatuere, neceſſe eſt, ut alias cogitationes afferam, quam cor meum mihi ſubjicit. Confiteor igitur peccatum meum coram te, multum eſt enim (ſicut in Pſalm. 25. dicit) Sed ſic confiteor peccatum, quod ſimul etiam confiteor tuam miſericordiam, & miſerationes tuas longe majores peccato meo, Item tuam juſticiam, qua peccatores juſtificas, infinitis modis ampliorem, quam ut deſperare debeam, ſicut dicit, Secundum multitudinem miſerationum tuarum. Quia autem dicit, magnam multitudinem eſſe miſerationum, ſimpliciter negat, & neſcit omnem, tum ſuam tum aliorum ſanctitatem. Quid enim poteſt eſſe conjunctionis multitudini miſerationum, cum humana ſanctitate? Si igitur eſt miſeratio ſic multa, nulla eſt ſanctitas apud nos, Et vere fictus terminus eſt, dicere hominem ſanctum, ſicut fictus terminus eſt, Deum eſſe lapſum in peccatum, quia hoc nuſquam eſt in rerum natura.

Pſal. 25.

Magna multitudo miſerationum Dei, &c.

Homo ſanctus.

Quare iſti nimis alti & inveterati errores, ac falſæ opiniones abjiciendæ ſunt, cum vocamus monachorum more, S. Hieronymum, S. Paulum, &c. quia in ſe peccatores ſunt, & ſolus Deus eſt ſanctus, ſicut Eccleſia canit. Quos autem nos Sanctos appellamus, ij ſunt ſanctificati aliena ſanctitate per Chriſtum, quæ eſt ſanctitas gratuitæ miſericordiæ. In hac ſanctitate convenit tota Eccleſia fidelium, & eſt nulla differentia. Sicut enim Petrus ſanctus eſt, ſic Ego ſum Sanctus, Sicut autem ego ſum ſanctus, ſic Latro à dextris Chriſti ſanctus eſt, Nec impedit quod Petrus & Paulus majora fecerunt, quam ego aut tu. Vtrinq; enim noſtra natura ſumus peccatores, & opus habemus miſericordia ac miſerationibus, Etſi Apoſtoli minus externorum peccatorum habuerunt. Tamẽ ſæpe in cordibus ſenſerunt præſumptionem, ſæpe faſtidium, ſæpe deſperationis cogitationes, ſæpe negationes Dei, & ſimiles humanæ imbecillitatis defectus, adeo, ut in homine nihil ſancti, nihil boni videas, ſicut Pſalmus dicit, Proſpexit Deus de cœlo ſuper filios hominum, & non erat, qui bonum faceret, ne unus quidem. Quod ſi inter filios hominum non ſunt boni, ubi igitur poſſunt eſſe alibi?

Solus Deus ſanctus.

Pſal. 14.

Ergo taceamus de ſanctitate & ſanctis, Sanctificatos autem ſcimus eos eſſe, qui ex peccatoribus inſenſatis fiunt peccatores ſenſati, qui non præſumunt de ſua juſticia, quæ nulla eſt, ſed incipiunt habere illuminatum cor, ut agnoſcant ſe & Deum, quod coram Deo malum ſit, quicquid eſt noſtrum, & condonetur gratuita condonatione miſerationum. In hunc ſinum opus eſt, ut nos & omnes Sancti nos recipiamus, aut neceſſe eſt nos damnari. Ideo autem miſit Deus Filium ſuum, ut has miſerationes mundo revelaret, & iſtam doctrinam, quam humana corda & ratio neſcit, invulgaret. Ac David eam hic nobis proponit, dum confitetur peccata, & tamen miſericordiam confitetur eſſe majorem.

Filius Dei revelavit mundo, miſerationes Patris.

Ergo

Ergo omnes homines hunc verſum canant cum Davide, & agnoſcant ſe eſſe peccatores, Deum autem eſſe juſtum, id eſt, miſericordem. Hæc confeſſio eſt ſacrificium acceptum & gratum Deo, ad quod nos David invitat. Vult enim hanc eſſe communem totius orbis doctrinam, ut cum Diabolus vel conſcientia nos accuſat propter peccata, nos quidem libere peccatum confiteamur, quod ſimus in multis & magnis peccatis, ſed non ideo deſperemus, quia etſi peccata noſtra multa & magna ſunt, tamen hic docemur, miſericordiam Dei etiam multam & magnam eſſe. Hac ratione ſe defenderunt contra Satanam omnes Sancti, ut quanquam eſſent peccatores, tamen hac cognitione ſunt ſanctificati, ſecundum Eſa. Notitia Chriſti juſtificabit multos. Eſa. 53.

Qua ratione defendant ſe omnes ſancti contra Satanam, &c.

Nos cum ſemel hæc audivimus, putamus facilia eſſe, & ſtatim diſci. Sed profecto hoc opus, hic labor eſt, ut aliquo modo hæc teneamus in tentatione. Neque enim de lana caprina lis eſt, agitur periculum æternæ mortis, & dimicamus de ſalute animarum noſtrarum. Deinde experimur non ſolum conſcientiam reclamantem, ſed etiam Satanam inſpirantem cogitationes mortis, propter peccata, quorum nobis ſumus conſcij. Ergo dicere ſe peccatorem eſſe, & tamen non deſperare, omnino divina virtus eſt, Ad eam autem non pervenimus hoc modo, ſi quemadmodum Adverſarij noſtri, peccatum extenuemus, Sed hoc faciendum eſt, ut ſicut Peccatum ſua natura maximum & graviſſimum eſt, ita etiam Gratiam ſeu miſericordiam immenſam & inexhauſtam eſſe credamus, ſicut David pleno ore hoc jactat, Secundum multitudinem miſerationum tuarum iniquitatem meam dele.

Sentire ſe peccatorem eſſe, & non deſperare &c.

Atque huc etiam facit ipſum vocabulum, Delendi, quo Propheta hic utitur, & Paulus Coloſſ. 2. Delens chirographum, quod adverſus nos erat, Item Petrus Act. 3. Pœnitentiam agite & convertimini, ut deleantur veſtra peccata. Significat enim verbum delendi, peccata in noſtra conſcientia ſcripta eſſe calamo legis. Ac optat Prophera, Sicut aboletur ſcriptura in tabella aliqua, ut ſic etiam aboleatur memoria peccati in corde ſuo & oculis Dei, Sic tamen, ne pereat Gratia, aut gratitudo, quia culpa ſic condonatur, ne tamen obliviſcamur gratiæ, Sicut Petrus dicit de illis, qui obliviſcuntur remiſſionem veterum peccatorum, & cumulant per incredulitatem & ingratitudinem nova peccata. Sicut videmus hodie mundum plenum eſſe contemptus Evangelij, & omnis generis licentiæ. In talibus peccatum non deletur, ſed altius inſculpitur. Ergo utrunq; complectitur David, ut peccatum aboleatur, & detur Spiritus ſanctus, per quem peccato poſſit reſiſtere. Quia autem tantum petit deletionem, manifeſtum eſt, quomodo fiamus juſti, ſcilicet, mera imputatione juſticiæ, cum per gratiam peccata delentur, & nos propter Chriſtum accipimur in gratiam. Sed confer huc Sophiſtarum & Scholaſticorum ſomnia, tunc videbis quam inepte de remiſſione peccatorum & juſticia docuerint.

Coloſſ. 2. Act. 3.

Dele iniquitatem meam. Delere. Culpa ſic condonatur, ne obliviſcamur Gratiæ.

2. Pet. 2.

Mundus hodie plenus contemptus Verbi.

II.

Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

HActenus petijt Gratiam & remiſſionem peccatorum, vel indulgentiam, ut velit Deus ipſi & nobis omnibus favere, ignoſcere peccatum & delere, ſecundum ſuam miſericordiam, Hæc enim prima pars eſt, ſeu primus gradus poſt agnitionem peccati, accipere gratiam, habere faventem & benefacientem Deum, ut ſimus in gremio miſericordiæ Dei, & habeamus fiduciam in illas certas promiſſiones nobis de gratia Dei donatas, Has promiſſiones ſicut nos in baptiſmo habemus, ita habuerunt ipſi in Chriſto promiſſo. In hoc verſu autem, ubi rogat ſe à peccato ablui, proponit nobis aliam peccati diſtinctionem, quam ſupra oſtendimus. Nam ſupra diviſimus peccatum, in peccatum ſenſibile (ut ſic dicam) & non ſenſibile, ſicut duo genera peccatorum fecimus, peccatores ſenſatos, & inſenſatos, ſeu veros peccatores & ſanctos ſive hypocritas, qui indurati & ſecuri, peccatum ſuum non ſentiunt. Hic oſtendit illud ſenſibile peccatum etiam duplex eſſe, ſeu duplici modo tractari. Eſt enim peccatum remiſſum per gratiam, & eſt peccatum reliquum in carne,

Primus gradus poſt agnitionem peccati accipere gratiam.

d by Google

Peccatum remissum per Gratiam.

Peccatum per Gratiam remissum,est,quod Deus propter Christum non velit nos deserere, quantumcunq; simus peccatores, sed quod velit misericorditer ignoscere nobis,qui peccato perditi & corrupti sumus.

Hoc peccatum per Gratiam remissum non satis est. Nam per infirmitatem subinde in peccata relabimur. Vellemus igitur non solum peccatum remitti, sed totum aboleri. Nam peccatum,sicut Augustinus loquitur,actu manet, reatu autem transit,hoc est,Res ipsa, quæ vere peccatum est, & remissa est,ac à Deo toleratur,ea manet in carne reliqua,nec dum plane mortua est,nisi quod per Christũ, sicut in Genesi dicitur, Caput serpentis contritum est, lingua tamen adhuc micat,& cauda minatur ictum. Nam peccatum,quia gratia & misericordia Dei super nos regnat, non potest nos damnare,non potest Deum nobis iratum reddere, Et tamen in justificatis reliquiæ peccati manent,ut concupiscentia,& alia vitia, quæ ceu feces reliquas,sive seminaria,Propheta in se intuetur,Et sicut supra pro remissione universaliter rogavit,ita hic orat pro istarum reliquiarum expurgatione,seu extirpatione.

Augustinus, Peccatum actu manet, reatu transit.

Genes. 3.

Peccati reliquiæ in Sanctis.

Psal. 117.

Hæc igitur secunda pars petitionis est,quæ,ut dixi,nobis secundam distinctionem peccati ostendit,quod Deus vult peccata delere, quo ad remissionem culpæ, & ad ipsam vim peccati,non quo ad rem,seu naturam peccati. Nam vis peccati,est accusare,damnare,mordere,lædere,non relinquere pacem cordi, abjicere iratum Deum,infernum,&c. Hæc vis peccati per misericordiam gratuitam tollitur, & tamen manent veræ hujus veneni reliquiæ. Ergo utrumq; verum est, Quod nullus Christianus habet peccatũ, &,quod omnis Christianus habet peccatum. Hinc nascitur illa distinctio,quod apud Christianos duplex est peccatum, Peccatum remissum, & peccatum reliquum,quod extirpãdum & abluendum est. Peccatum remissum est,quod fiducia misericordiæ contritum est, ne damnet, ne accuset,& tamen propter hanc carnem adhuc pullulat,& militat in carne nostra, ut efficiat similes fructus prioribus,ut simus securi, ingrati,ignorantes Dei, sicut prius fuimus. Hi sunt conatus reliquiarum peccati in nobis, quos etiam sentiunt Sancti,sed per Spiritum sanctum eis non indulgent.

Vis peccati per misericordiam Dei tollitur, &c.

Plus habet peccatum & non habet.

Peccatum remissum.

Peccatum reliquum.

Ergo Christianus postquam fide justus est, seu remissionem peccatorum accepit,non debet sic securus esse,quasi plane ab omnibus peccatis purus sit, sed tum demum ei perpetua hæc incumbit lucta cum reliquijs peccati,à quibus Propheta hic cupit abluí. Est quidem justus& sanctus, aliena seu extrinseca sanctitate,ut sic docẽdi causa appellem,hoc est,est justus misericordia & gratia Dei. Hæc misericordia & gratia non est aliquid humanum,non est habitus quidam aut qualitas in corde,sed est divinum beneficium,quod nobis donatur per illam cognitionem Evangelij propriam,quod scimus,seu credimus peccatum nostrum nobis per Christi gratiam & meritum remissum esse, & quod speramus propter Christum in misericordiam & miserationes multas & magnas,sicut Propheta hic dicit. Hæc autem justicia,an non aliena justicia est? quæ tota consistit in alterius indulgentia,& merum donum est Dei miserentis,& propter Christum faventis.

Peccat. cum reliquijs peccati, in pia.

Aliena justicia.

Hoc in similitudine clarum fit, Si quis in aula alicujus Principis capitale supplicium sit meritus,hunc si ex Gratia dimittat Princeps, an non dices ei culpam remissam,non proprio merito, sed gratuito beneficio clementis Principis? Meritum enim nihil est, quam supplicium mortis. Sed tali non satis est,commissam culpam condonari,vincula solvenda,præbendæ vestes, aliquid præ manu etiam dandum est unde utatur. Idem nobiscum quoq; accidit in negotio justificationis. Nam cum per misericordiam sumus liberi à culpa,tum etiam dono Spiritus sancti opus est, qui expurget in nobis reliquum peccati, aut saltem nos adjuvet,ne succumbamus peccato & concupiscentijs carnis, sicut Paulus dicit,Mortificantes spiritu facta carnis.Iam hoc nobiscum accidit,quod in ea securitate vivimus pleriq;,ac si toti essemus spiritus, & plane nihil carnis esset reliquum. Quare discendum est,carnem manere reliquam, & spiritus hoc esse officium, ut pugnet

Similitudo.

Rom. 8.

gnet contra carnem, ne caro ea perficiat, quæ concupiſcit.

Ergo Chriſtianus non eſt formaliter juſtus, nō eſt juſtus ſecundum ſubſtantiam aut qualitatem (docendi cauſa hiſce vocabulis utor) ſed eſt juſtus ſecundum prædicamentum ad aliquid, nempe, reſpectù divinæ Gratiæ tantum, & remiſſionis peccatorum gratuitæ, quæ contingit agnoſcentibus peccatum, & credentibus, quod Deus faveat & ignoſcat propter Chriſtum, pro peccatis noſtris traditum, & à nobis creditum. Hanc juſticiam poſtquam fide conſecuti ſumus, tunc neceſſe eſt hoc balneo ſeu lotione hac, de qua Pſalmus dicit. Nam peccatum nō quidem amplius damnat, ſed tamen remanet, vexat, & moleſte impedit, ne ſic rapiamur amore erga Deum, ne ſic pleno corde credamus, ſicut aut per ſpiritum vellemus, aut Deus exigit, ne ſic ſimus caſti, placidi, benefici, &c. ſed omnia quaſi membra ſuis vitijs laborant contra legem Dei. Hic niſi magno conatu nos oppoſuerimus & pugnaverimus, tunc periculum eſt, ne iſta vitia grandeſcant, & nos retrahant in veterem impietatem. Sicut plurima exempla noſtrorum hominum docent, qui nunc audito Evangelio, longe ſunt pejores quam antea, Sicut etiam Sectarum exempla teſtantur. Sic enim ſecuri ſunt, ac ſi non poſſit eos ſua ratio fallere, ac ſi ſint ſine carne. Illas diabolicas cogitationes, quas afferunt ad verbum Dei, admirantur & vulgant, quaſi oracula, hoc cum fit, nullus remedio locus eſt reliquus.

Credens eſt juſtus reſpectu divinæ Gratiæ, &c.

Reliquum peccati expurgandum.

Contra hanc ſecuritatem prodeſt orationem Davidis bene conſiderare, in qua poſtquam remiſſionem peccatorum, quo ad culpam, rogavit, & in miſericordia Dei lætatur, etiam hoc petit, quod reſtat, ut lavetur ab iniquitatibus, ut donetur ſibi Spiritus ſanctus, virtus & donum illud, quod intus in corde vivat, & expurget reliquum peccati, quod per Baptiſmum cœpit ſepeliri, ſed nondum plane ſepultum eſt. Atq; hæc eſt vita Chriſtiana, ſicut egregie deſcribitur ad Coloſſ. 3. ut quæramus ea, quæ ſurſum ſunt, tanquam mortui mundo, & quorum vita in Chriſto abſcondita ſit, Et 2. Cor. 7. Vt mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Significat enim reſtare in ſe & omnibus Chriſtianis hujuſmodi inquinamenta ſpiritus, hoc eſt, malas opiniones de Deo & carnis, hoc eſt, vitioſas cupiditates, & hoc noſtri laboris & ſtudij eſſe debere, ut adjuti ſpiritu, ea expurgemus. Qui autem ſibi toti ſancti & ſine vitijs eſſe videntur, hi inquinantur ſpiritu, ac amittunt fidem, & concipiunt opiniones, fidei quidem ſimilimas, ſed à Diabolo immiſſas, quibus paulatim ſecuri à Verbo in impietatem abducuntur.

Col. 3.

2. Cor. 7.

Chriſtiana vita.

Inquinamenta ſpiritus & carnis.

Cito igitur dixeris, Credo in Chriſtum, ſed res pleniſſimi laboris eſt, ut hæc fides in corde fixa & certa ſit ac maneat. Quia inquinamentum ſpiritus adeſt, Et nec ratio noſtra nec Satan ceſſant, qui hoc agunt conjunctis viribus, ut omiſſo Verbo, proprijs opinionibus nos gubernemus. Hinc oriuntur ſectæ & hæreſes, quæ acerbiſſimo odio nos oderunt, & tamen hoc ſuum odium non putant peccatum eſſe, ſed zelum interpretantur. Igitur non expurgant, non abluunt peccatum hoc, ſed augent quotidie, Nos autem curemus, ut quotidie lavemur, ut de die in diem fiamus puriores, ut novus homo reſurgat, & vetus corrumpatur quotidie, non ſolum ad mortē, ſed etiam ad ſanctificationē. Ad hanc Chriſtianorum quaſi palæſtram faciunt, quod non ſolum varijs calamitatibus corporalibus Eccleſiam Deus premi finit, ſed quod etiam hæreſes & ſectas permittit excitari, ut exerceatur ad retinendum Verbum & fidem, & expurgandas illas reliquias peccati. Nam ideo datur Spiritus ſanctus credentibus, ut cum larvis ſapientiæ noſtræ in cordibus noſtris pugnet, quæ ſe attollunt adverſus juſticiam Dei, Deinde ut nos excitet ad orandum, ad præſtanda officia humanitatis omnibus, maxime autem Fratribus, & ut ſic animus & corpus exerceatur, & de die in diem fiamus ſanctiores.

Fides in Chriſtum, res plena laboris.

Cur Deus Eccleſiam ſuam premi affligiique & hæreſes exoriri, &c.

Manifeſta igitur hæc confeſſio eſt, quod Chriſtiani ſint peccatores. Nam ubi requiritur lotio, ibi ſignificatur inquinamentum & ſordes. Sed noſtri Sophiſtæ quia tantum philoſophicam juſticiam intelligunt, ſeu qualitatem in mente, non poſſunt hanc diſcordantiam concordare. Ponūt juſticiam ceu qualitatē in corde, ea cum adeſt, ſentiunt totum hominem eſſe ſanctum in ſpiritu & carne. Cum igitur audiunt Paulum eſſe electū, & tamen eſſe peccatorem, propter reliquias pec-

poſſ. ſanctus indigens, ergo ſunt peccatores.

cati hærentis in natura, putant ſe Chimæram aliquam audire, quæ nuſquam ſit in tota natura. Damnant igitur nos pro hæreticis,& minantur incendia.

Sed reſpondeant nobis ad hunc Pſalmum tam nobilem,& notum vulgo, quid cauſæ ſit, cur David poſt miſericordiam & miſerationes, hoc eſt, poſt juſtificationem, petat hoc quoq;, ut mundetur? Nam David habens remiſſionem peccatorum, & exiſtens in Gratia, quem nullum peccatum accuſat, nec damnat, tamen adhuc eſt immundus,& habet adhuc immundum peccatum, cui nihil deeſt, cur non vere peccatum ſit, quam quod non poteſt eum damnare. Ergo David juſtus & juſtificatus adhuc habet peccatum, & pro parte adhuc eſt injuſtus. Ideo orat donum maximum Spiritus ſancti, ad has ſordes expurgandas. Ac ſane donum hoc ſatis probat, non eſſe ludum aut jocum hanc ablutionem. Nam hoc etiam cavendum eſt, ne illas peccati reliquias extenuemus. Si enim eas extenues, vileſcet etiam purgator, & donum purgandi, Spiritus ſanctus ſcilicet. Et Propheta diſerte illas reliquias vocat peccatum,& iniquitatem, quanquam non eſt id peccatum, quod antea fuit, quia caput ejus eſt contuſum per remiſſionem peccatorum. Ideo non ſimpliciter dicit Propheta, Lava me, ſed, Amplius, ſeu multum lava me, hodie, cras,& ita deinceps per omnem vitam, ab inquinamentis corporis & ſpiritus, ut de die in diem fiam fortior & certior, contra terrores Legis, donec fiam Dominus Legis & peccati, per plerophoriam tuæ miſericordiæ,&c. Hæc eſt doctrina hujus Pſalmi,& perpetua noſtra Schola, in qua nunquam perfecti Magiſtri evademus, non nos, non Apoſtoli, non Prophetæ. Omnes enim hic manemus diſcipuli, & omnes petimus, dum vivimus, amplius lavari.

David inſtar habet adhuc peccatum.

Peccati reliquiæ non extenuandæ.

Amplius lava me &c.

1. Cor. 6.

Hæ duæ ſunt partes juſtificationis, Prior eſt Gratia per Chriſtum revelata, quod per Chriſtum habeamus placatum Deum, ut peccatum amplius non poſſit nos accuſare, ſed conſcientia fiducia miſericordiæ Dei, ſit reducta in ſecuritatem. Poſterior eſt donatio Spiritus ſancti cum donis ſuis, qui illuminat contra inquinamenta ſpiritus & carnis, ut defendamur ab opinionibus diabolicis, quibus orbem terrarum ſeducit, ut vera cognitio Dei in diem creſcat. Item alia dona, caſtitas, obedientia, patientia, ut corpus noſtrum & concupiſcentiæ frangantur, ne eis obediamus. Qui hoc donum non habent, aut eo ſic non utuntur, ſed aut in carnis ſordes, aut ſpiritus labuntur, ut ſine diſcrimine dogmata omnia probent, apud hos dominatur caro, nec norunt tales, quid ſit hoc Spiritus ſancti balneum, quod David hic petit.

Duæ juſtificationis partes.

Donatio Spiritus ſancti cum donis ſuis, &c.

III.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

AVdivimus duos verſus Pſalmi, in quibus David poſtulavit, primo gratiam & remiſſionem peccatorum, Deinde etiam donum purificans & mundificans fæces, ſeu reliquias peccati. Nam hæc duo abſolvunt perfecte juſtum & ſanctum coram Deo, ſine omnibus noſtris præparationibus & ſatisfactionibus, & ſine iſtâ fictitia pœnitentia, quam hactenus docuimus in populo,& Papiſtæ adhuc docent. Quia tantum una juſtificationis cauſa eſt, ſcilicet, meritum Chriſti, ſeu gratuita miſericordia, quam corda Spiritu ſancto accenſa, fide apprehendunt. Quod ſi quis vult, numeret agnitionem peccati, tanquam cauſam ſecundam, ſeu, ut eruditi loquuntur, cauſam ſine qua non, quia ſic eſt cauſa, ut tamen tota res pendeat ex miſericordia Dei, ſeu ex promiſſione, quod ſcilicet Deus promiſit, ſe velle illorum miſereri, qui agnoſcunt ſua peccata, & juſticiam ſitiunt, Alioqui ſi de natura peccati loquaris, etiam peccatori ſenſitivo, ut ſupra appellavimus, nihil aliud debetur ſecundum omnem legem & naturam, quam pœna & indignatio ſumma. Quod autem tales pœnam & iram effugiunt, hoc totum eſt miſericordiæ Dei, qui promiſit, ſe eos, qui ſentiunt peccata & horrores judicij divini, velle refocillare gratuito remittendo peccatum.

Meritum Chriſti eſt cauſa juſtificationis.

Cauſa ſine qua non.

Nihil

Nihil igitur eſt,quod poſſit quoquo modo allegari pro merito. Quia nec agnoſcere peccatum aliquid eſt, niſi quantum promiſſio divina facit. Nam cum peccatum per Spiritum ſanctum arguitur ac revelatur, ut David non adulterium tantum,ſed univerſaliter totam naturam peccato deformatam,penitus animo intueatur,tunc ſi nihil quam noſtra ſatisfactio expectanda eſſet, opprimeretur David metu judicij Dei,& deſperatione,Sicut noſtra experientia ſæpe edocti ſumus. In monaſterijs proponebantur ſatisfactiones, & accurata peccatorum confeſſio, ſed non ideo in tranquillo erat conſcientia.Suadebatur cucullus,ſed ijdem in cucullo durabant animi dolores, quos antea eramus paſſi,nec proderat iterum abjicere cucullum. Hoc autem experimur,Dei benignitate,præſentiſſimum & certiſſimum remedium eſſe, Noſſe ſeu credere, quod Deus territis peccato ſuo velit ignoſcere,& quod jubeat ſperare tales remiſſionem peccatorum. Hunc promiſſionis locum oſtendit David ſuo exemplo,ſibi cauſam eſſe implorandæ miſericordiæ & doni quo purificetur.

Agnoſcere peccatum.

Experientia Luſteri.

Præſentiß. remedium contra horrores divini judicij.

Quare rationalis particula,qua hic utitur,non ponitur,quaſi cognitio peccati ſit prima cauſa,quæ mereatur remiſſionem peccatorum. Peccatum enim eſt peccatum,& meretur pœnam ſua natura,ſive agnoſcas, ſive non agnoſcas. Sed agnitio peccati eſt correquiſitum quoddam, quod Deus vult agnoſcentibus peccata ignoſcere,non agnoſcentibus non vult ignoſcere. Hæc promiſſio ſola cauſa eſt,& prima,media & ultima cauſa,hoc eſt,totũ eſt in juſtificatione. Ad hanc promiſſionem David intuetur,cum dicit,Quoniam iniquitatem meam cognoſco,Q. d. Non allego tanquam meritum aliquod,quod peccatum meum cognoſco, ſed quia tu promiſiſti gratiam agnoſcentibus peccatum,Ideo coram te profiteor, me peccatum meum agnoſcere,&c. Vocabulum Noſſe,in Ebræo longe ſignificantius eſt,quam in alijs linguis. Significat enim ſentire & experiri aliquid,quale ſit ſecundum ſuam naturam. Sic de Adam dicit Scriptura, Cognovit uxorem ſuam, hoc eſt,expertus eſt & ſenſit. Sic non novit Deus ſuperbos,hoc eſt,non curat,non promovet eos,&c. Eodem modo hic ponitur,Quoniam peccatum meum cognoſco,Q. d. In eum locum veni,ut tempus ſit miſerendi & juvandi,ſum enim factus ex inſenſato peccatore,peccator ſentiens,qui nunc peccatum & judicium Dei cognoſco, hoc eſt, vere ſentio. Porro hic ſenſus eſt ipſiſſima mors naturæ,niſi per Spiritum ſanctum ſubjiciantur cogitationes pacis, & cognitio miſericordiæ Dei, quod Deus tales peccatores non velit perdere.

Iniquitatem meam agnoſco.

Noſſe.

Adam cognovit uxorem ſuam, Gen. 4.

Hic opus eſt ſententijs,quas ſine dubio meditatiſſimas habuere S. Patres, quod dicit Dominus in Deuteronomio,quanquam ibi de corporali beneficio loquitur,Non propter juſticias tuas & æquitatem cordis tui poſſidebis terram gentium &c. Item,Ego Dominus,qui deleo iniquitatem tuam,Item,Vivo ego,Nolo mortem peccatoris,&c. Hic exemplis opus eſt,quod Deus, cum Ninivitæ pœnitentiam agerent,hoc eſt, cum agnito peccato humiliarentur, retractat ſententiam ſuam,& dicit,Non perdam eos,Item,quod Achab,cui minatus erat interitum familiæ,ignoſcit,& dicit ad Prophetam,Vidiſti ne Achab humiliatum? Ex his hiſtorijs naſcitur illa Theologica notitia Dei, quod Deus ſit Deus humilium, afflictorum,& pauperum,qui ſe agnoſcunt,quod ſint peccatores, & ſic timent Deum,ut tamen magis ſperent in miſericordiam ejus. Hujuſmodi Sententiæ & exempla S. Patres in lege ſine dubio habuerunt notiſſimas & chariſſimas.

Deut. 9.

Iſa. 43. Ezech. 33. Ion. 3.

Ninivitæ egerunt pœnitentiam.

3. Reg. 21.

Noſtri devotarij ſatis bonum ſimile ex Moſe uſurparunt,ubi jubet pignoris loco non ſimul inferiorem & ſuperiorem molam accipiendam eſſe, ne de victu periclitetur debitor. Hoc eo accommodarunt, Quod Deus nolit nihil,quam iram ſentiri,ſed quod velit ſenſũ iræ miſceri cum ſenſu Gratiæ,ſecundũ ſententiã, Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum,& ſuper eos, qui ſperãt ſuper miſericordia ejus. Ad hunc modũ David quoq; petit ſibi ignoſci,Quia,inquit,agnoſco iniquitatẽ meã. Quid hoc ad me? Deus poteſt dicere, Si agnoſcis peccatum, & ideo ex corde doles, habeas fructum operum tuorũ. Ad hunc modum reſpon-

Lorum in cap. Deut. 24.

Deus vult ſentiri ſuam iram, miſceri ſuam Gratiæ.

deret

deret Lex,& ſineret hominem in illo ſenſu peccati ita perire. Nam Iudex ſic ſolet,cum confeſſione culpæ pœnam conjungit. Sed Deus non vult eſſe Iudex,ideo Legem ſuſtulit prædicatione Evangelij, in quo teſtatur,ſibi ſatis eſſe pœnæ,ſi cor ſit affictum & deſperatum, quod antea in peccatis ſecurum erat, Non quod meritum aliquod ſit, agnoſcere peccatum,ſed quia ipſe promiſit ſe agnoſcentibus ignoſcere velle. Et tantum ſe iraſci iſtis peccatoribus, qui non ſentiunt peccata ſua,Sed aut præſumunt de viribus ſuis, & volunt juſtificari proprio merito, aut ſecure peccant ſecundum concupiſcentiam carnis,ſine timore Dei. Sed hi craſſi peccatores illis adhuc meliores ſunt, qui duplici operculo peccatum ſuum tegunt,quod & fidunt ſuis viribus, & miſericordiam repudiant.

Deus ignoſcit peccata agnoſcentibus ea.

Longe aliud David hic facit, qui petit veniam, ſed nullam aliam ob cauſam, quam quod eſt peccator,& videt ſuam infirmitatem, ſicut mendicus aliquis, qui accedit ad divitem aliquem,de quo opinionem liberalitatis concepit. Is dives,ſi quid dat mẽdico,non dat meriti alicujus cauſa,quid enim meretur,qui inopiam ſuam deplorat? ſed dat ex ſua quadã liberalitate miſericordia adductus.

Et peccatum meum coram me eſt ſemper.

Hoc eſt, incumbit cervicibus meis,premit me, non poſſum eo plene liberari. Sed hic cavete,ne intelligatis eum loqui de actuali peccato, ſed totam vitam, cum omnibus & ſanctiſſimis juſticijs ſuis proprijs,in conſpectu Propheta habet,& ſentit ſe iſtis omnibus nihil juvari,niſi accedat miſericordia,Sicut de Bernhardo admirandæ ſanctitatis viro narrant, Eum hanc quaſi ultimam vocem ediciſſe,Perdite vixi. Hoc vere eſt peccatum in conſpectu eſſe, non unum aut alterum malefactum,ſed totam naturam, & univerſale peccatum, cum omnibus viribus,cum juſticia & ſapientia carnis omni, quod hæc omnia in judicio Dei nihil ſint,& Bernhardus cum Davide, David cum omnibus Sanctis dicat, Ne intres Domine in judicium cum ſervo tuo.

Vox ultima Bernhardi. Perdite vixi.

Sadoletus de actuali peccato accipit,ſed non potuit alia ratione clarius oſtendere,ſummam veræ Theologiæ [a] inſcitiam. Neq; enim poſita hæc ſunt in eleganti oratione,ſed in uſu & experientia, quam Davidis & aliorum Sanctorum illuſtria in ſacris literis exempla oſtendunt,quorum Sadoletus nihil intelligit. Ego autem ideo diligentius hæc inculco, quia expertus ſum quam difficulter perſuadeantur ijs, qui in ſcholaſtica illa Theologia educati ſunt, Et opus habeamus hac cognitione non ſolum pro nobis,ſed etiam cum alij conſolandi ſunt in ſimili ſenſu peccati. Quando enim ſic in conſpectu eſt peccatum, tunc animus non audet ſe erigere,ſed ſibi perpetuo hanc cantilenam occinit, Peccator es, igitur odit te Deus. Hæc conſequentia vera eſt, in natura, in jure civili & foro,& omnibus humanis rebus. Ibi ſane maneat hæc conſequentia vera ut dicas,Peccator es in hoc & hoc peccato, igitur te odit Cæſar,Iudex,&c. Hoc autem ceu Satanæ venenum & peſtilentiſſimam peſtem caveas, ne hanc conſequentiam ex foro etiam ad tribunal Chriſti transferas. Ibi enim non ſequitur, Peccator es,ergo Deus te odit, Sed hoc ſequitur,Peccator es,ergo confide,quia tales peccatores, qui peccata ſua ſentiunt, vult Deus, Alioqui nemo hominum ſalvaretur,non Apoſtoli, non Prophetæ, Quia omnia concluſit Deus ſub peccatum,ſed ideo,ut omnium miſereretur. Si igitur agnoſcis,te habere peccatum,ſi tremis, ſi vexaris ſenſu iræ Dei, horrore judicij Dei & inferni,confide,Tu enim es, cum quo Deus vult loqui,cui Deus vult miſericordiam ſuã oſtendere,& quem vult ſalvare.Quia ſic ſonant promiſſiones ejus, quod ſit Deus pauperum,qui non vult mortem peccatoris,neq;enim eſt Deus furoris,ſed Gratiæ & pacis,Igitur vult ut peccator convertatur & vivat.Hæ conſolationes non ſunt levia verba,quæ decretis Patrũ,aut ingreſſura religionis(ut vocant)nituntur, ſed nituntur promiſſionibus divinis,& omnipotenti verbo Dei,ideo etiam corda eriguntur,& conſolationẽ firmam ac certã ſentiunt.

Iudicium Lutheri de Sadoleto.

[a] *Inſcitiam.*

Deus Gratiæ & pacis.

Sic David hanc cauſam affert,cur petat miſericordiam, Quia inquit, Peccatum

catum meum coram me eſt ſemper, hoc eſt, Peccatum meum me urget, non admittet quietem ullam, non pacem, non vino, non pane, non ſomno ſenſus iræ & mortis excutitur. In tali periculo nullum remedium aliud reliquum eſt, quam ut animus contra hunc ſenſum eluctetur, & dicat, Miſerere mei Deus. Hoc enim tempus, tuum tempus eſt, quod requirit divinam operationem & opem, qua peccatorem juves & conſoleris. Quid enim eſſet, Deum eſſe, ſi nihil ſciret quam occidere & terrere. Hæc Satan ſolet facere, item peccatum & mea ipſius conſcientia, Deum autem eſſe, eſt aliquid ſupra hæc poſſe & facere, ſcilicet, ut in talibus periculis conſoletur, erigat & vivificet, ut declaret ſe plus ſcire & poſſe, quam Satan, lex, & ego ſcimus & poſſumus. Si igitur Lex cor durum terruit & flagellavit, donec perduceret in ſenſum peccati, Veniat etiam Chriſtus ſecundum promiſſionem ſuam, & iterum ſic territum conſoletur & erigat, Nos autem eas conſolationes fide accipiamus, & non ſimus increduli divinæ revelationi. Iam ſequitur.

Peccatum meum coram me eſt ſemper.

IV.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Hic verſus à varijs eſt varie tractatus, & ſemper ſic judicatum eſt, hunc unicum ſcrupulum in hoc Pſalmo difficilimum eſſe. Quia autem Paulus in Epiſtola ad Romanos eum citavit, factum eſt, ut numeraretur inter difficiliores totius Scripturæ locos. Etſi igitur libenter alijs relinquo, ut abundent ſuo ſenſu, tamen bona ſpes me tenet, nihil nos à ſententia vera & germana aberraturos eſſe. Hoc autem inprimis Lectorem volo monitum, ut retineat hoc, quod in principio Pſalmi monuimus, quod ſcilicet David loquitur in perſona omnium Sanctorum, non ſolum in ſua perſona, ſeu in perſona adulteri. Quanquam non negem potuiſſe fieri, ut per occaſionem hic lapſus eum duceret in cognitionem ſui & totius humanæ naturæ, ut ſic cogitaret, Ecce ego, tam ſanctus Rex, qui tanto ſtudio & in Legem & cultum Dei ſancte ſervandum incubui, tam ſum per innatam carni malitiam & peccatum oppreſſus & victus, ut innocentem hominem cædi objecerim, & per adulterium eripuerim conjugem, An non hoc evidens argumentum eſt, naturam gravius peccato infectam & corruptam, quam unquam potui ſuſpicari? Qui heri caſtus eram, hodie ſum adulter, Qui heri habebam innocentes manus à ſanguine, jam ſum vir ſanguinum. Et ad hunc modum poteſt fieri, ut hunc generalem totius peccati ſenſum ex illo lapſu adulterij & homicidij acceperit, & inde concluſerit, Neq; arborem, nec fructus humanæ naturæ bonos eſſe, ſed omnia peccato ita deformata ac perdita, ut nihil ſani in tota natura ſit reliquum. Hoc primum volo admonitum Lectorem, ſi modo ſanam hujus loci ſententiam expetit.

Rom. 3.

Propheta inquitur in perſona omnium Sanctorum.

Secundo etiam Grammatica explicanda eſt, quæ aliquid obſcuritatis habet. Nam quod interpres reddidit per præteritum, præſens eſſe debet. Tibi ſoli pecco, hoc eſt, agnoſco me coram te nihil eſſe, quam peccatorem. Item, Malum coram te facio ſemper, hoc eſt, tota vita mea eſt mala & perdita propter peccatum, Non poſſum jactare coram te meritum aut juſticiam, ſed ſum totus malus, & coram te meum hoc nomen eſt, quod malum facio, quod peccavi, quod peccо, quod peccaturus ſum in infinitum. Ad hunc modum mutatio temporis præteriti in præſens, abducit nos ab actuali peccato, in peccatum univerſale. Sadoletus ſicut bene imperitus Theologus, & tamen vir eloquentia magnus, varie ſe torquet, & ſic transformat ſententiam, ut ne divinare poſſis quid velit, Particulam Soli, exponit, quod nemo id peccatum viderit, niſi Deus, Sed quis non videt, quam ea ſententia inepta ſit?

Tibi ſoli pecc.

Sadoletus.

Nos igitur hic primum Grammaticam reſtituimus, quod præterita illa ſint reddenda in præſenti, Deinde particula Soli, adverbialiter ponenda eſt, ut ſit propria & germana, atq; etiam ſimpliciſſima ſententia, Tibi ſolum vel tantum pecco. Coram te nihil ſum, niſi peccator, Coram tuo judicio, non meritum, non juſti-

Tibi ſoli pecc.

ciam

ciam aliquam jacto,ſed agnoſco me peccatorem, & imploro miſericordiam tuam. Vt ſit converſa univerſalis, quæ eſt apud Iohannem primo, Qui illuminat omnem hominem. Ibi enim totam humanam naturam peccato excæcatam dicit. Hanc ſententiam hujus loci Paulus quoq; comprobat in Romanis, qui ſtudio hanc ſententiam videtur citaſſe,ut oſtenderet,quomodo intelligenda eſſet. Nam in eo ipſo loco ponit hanc univerſalem, Omnis homo eſt mendax, ut ipſe ſit ſolus verus, Ad eum
vi. modum particula, Vt,hic,quoq; exponenda eſt. Neque enim hoc vult,Dei juſticiam augeri noſtris peccatis, ſicut Paulum calumniabantur homines profani,ſed ſimpliciſſime dicit. Ego tantum coram te pecco, ego tantum coram te malum facio, ut conſtet verum eſſe,quod tu ſolus ſis juſtus,& juſtificans peccatores, qui ſolus à peccato liberas,non imputando ea ijs,qui in tuam miſericordiam confidunt.

Hanc ſententiam Paulus clare oſtendit in ijs, quæ proxime hujus loci citationem præcedunt. Quare particula, Vt, non eſt operis noſtri, ut importet cauſam, ſed eſt tantum noſtræ confeſſionis,quod hæc duo confitemur, Omnes homines eſſe mendaces,ſeu peccatores;ut conſtet,ſolum Deum eſſe juſtum & juſtificare impium,
Juſticiarij non volunt haberi peccatores. qui eſt ex fide in Chriſtum Ieſum. Nam hæc perpetua cum ſuperbis juſticiarijs pugna eſt,quod non volunt eſſe peccatores,nec poſſunt ferre,ſi quis ipſorum Phariſaicam juſticiam damnet. Hoc autem quid aliud eſt, quam negare quod ſolus Deus ſit juſtus? David autem propria experientia edoctus, non juſticiam, non ſanctitatem aliquam,aut meritum ſuum prædicat, ſed contrarium dicit, Confiteor me eſſe peccatorem, neque aliud natura mea & vires meæ per ſe poſſunt, cum dono & Spiritu tuo deſtituor,quam ut peccem. Hoc confiteor de me,& de tota natura,ſeu de omnibus hominibus,ut tu ſolus ſis juſtus,ut nemo aliam juſticiam,quam tuam norit,quærat & comparet, &c.

Ad hunc modum hujus verſus hæc certa & germana ſententia eſt, quod David intuens in totam naturam, ſibi & omnibus hominibus propriam juſticiam adimit, & generali confeſſione nihil quam peccatum ſibi allegat & vendicat, ut Deo relinquatur iſte titulus plenus & integer, quod ſit ſolus juſtus. Non igitur efficitur ex hac ſententia, quod blaſphemi interunt, Si Deus juſtificatur ex noſtro peccato, ergo magis peccabimus, Sed hoc ſequitur, quod totus mundus ſit reus peccati, &
Deus ſolus juſtus eſt. Totus mundus reus peccati. quia ſolus Deus juſtus eſt, non poſſe mundum à peccato liberari ullis ſuis conatibus,ſtudijs,aut operibus, ſed eam gloriam juſtitiæ ſoli Deo relictam eſſe, qui eſt juſtus & juſtificat impium per fidem in Chriſtum. Ergo omnes, qui hanc naturæ ſuæ *Rom. 3.* infelicitatem ſentiunt & vident,non debent aliam formam aut viam juſticiæ quærere,quam per eum,qui ſolus eſt juſtus.

Conſtituuntur igitur hic illæ duæ principales totius Scripturæ ſententiæ. Pri-
Natura humana tota peccato perdita & damnata eſt, &c. ma, quod tota natura peccato damnata & perdita ſit, nec poſſit ſuis viribus aut ſtudijs ex hac calamitate & morte emergere, Altera, quod Deus ſolus ſit juſtus, Qui ergo à peccato volunt liberari, hi per confeſſionem peccati debent ad juſtum Deum confugere,& miſericordiam ejus exemplo Davidis,implorare. Apparet igitur Pſalmum hunc pulcherrimum Spiritus ſancti monumentum eſſe, relictum in Eccleſia,ad nos de maximis & graviſſimis rebus docendos,quas prior ætas neq; intelligere,nec ſane docere potuit,quod à verbo ad humana ſomnia diſceſſerit, Nos autem ex Verbo judicare & docere alios oportet. Id autem manifeſte arguit ſolum Deum eſſe juſtum. Ergo non politica, non œconomica Iuſticia nos liberabit,neq; ullæ ceremoniæ,ſed ſive ſit aliquis juſtus princeps,ſive juſtus maritus, quod ad adminiſtrationem externam attinet, tamen coram Deo neceſſe eſt eum dicere, Tibi ſoli peccavi,&c. tu ſolus es juſtus. Sed hæc mox pluribus diſputabimus.

Mihi quidem tantum videtur in hoc verſu poſitum eſſe,ut etſi eum jam breviter & fortaſſe craſſius expoſuerim,tamen propter eos, qui novi ad hanc doctrinam veniunt,neque ſtatim iſta poſſunt capere,volo paulò copioſius ea repetere quæ dixi. Hanc poſuimus primam ſententiam, quod Propheta non poſſit intelligi de actuali

peccato.

peccato. Quare Sadoletus & alij fruſtra laborant,qui eum interpretantur de adulterio,quod fuit ceu fructus illius perpetui, & una nobiſcum nati peccati,in quo vivimus & morimur. Secundo etiam hoc monui, neq; hiſtorice,neq; grammatice, ſicut verba ſonant,hunc verſum intelligi debere,quaſi Deus non poſſit juſtificari,niſi peccemus. Non enim agitur hic de peccato metaphyſice,nec hiſtorice,ſed Theologice & in ſpiritu agitur de illa cognitione,ut pronuntiemus & judicemus nos eſſe peccatores, Deum autem eſſe juſtum. Qui ad hunc modum ſententiam hanc non tractant, ij laborant,ſicut Paulus oſtendit,in abſurda & blaſphema quæſtione. Sectantur enim metaphyſicam ſententiam, & Theologicam negligunt,aut in eo errant,ut peccatum non intelligant, niſi fructum peccati ſeu actualia & civilia peccata, atque ideo in hypocriticam opinionem propriæ juſticiæ delabuntur. *Sadoletus.*

Iam cum hæc quoq; peccati pars ſit, quod peccatum in natura abſconditum manet, nec poteſt totum plene cognoſci,neceſſe fuit id divinitus revelari. Fit autem hæc peccati revelatio per Legem & per Evangelium ſeu promiſſionem, Nam utraque doctrina arguit peccata,quæ nos neq; intelligimus, nec credimus,nec ſentimus eſſe peccata,niſi cum admonemur verbo Dei. Ideo Propheta diſerte addit hanc particulam,Vt juſtificeris in ſermonibus tuis,Q.d.Omnes ſumus peccatores,Tu autem es juſtus,ſicut Verbum tuum pronunciat. Tibi igitur tribuo juſticiam,mihi autem & omnibus hominibus tribuo peccatum, Ita ut apud me non ſit juſticia, ſed apud te ſolum. Facio autem hoc informatus ſermonibus tuis, & Verbo tuo. Nam ſi abſq; Verbo eſſem, non poſſem habere hanc cognitionem,ut ſic de me & omnibus hominibus pronunciarem. Qui enim Verbo non credit,is neq; Deum ſolum juſtum, nec ſeſe tantum peccatorem eſſe confitebitur. Credo igitur Verbo tuo,& ſic ſtatuo, te melius noſſe meam & omnium hominum naturam, quam nos,& ſecundum Verbum pronuntio,nos eſſe peccatores, & quod ad naturam noſtram attinet, peccatores manere,ut tu ſis juſtus, & ut juſtificeris ac glorificeris, per hanc confeſſionem, quæ me peccatorem,te autem juſtum & ſanctum eſſe ſtatuit. *Peccatum abſconditum manet, nec plene cognoſcitur.* *In ſermonibus tuis.*

Eodem modo Spiritus ſanctus loquitur in Pſalm. 32. Dixi confitebor adverſus me injuſticiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Ergo hæc confeſſio ſive cognitio ad remiſſionem peccatorum eſt neceſſaria, ut credamus & confiteamur,nos peccatores eſſe, & totum mundum eſſe ſub ira Dei, Sic primum præceptum per ipſam promiſſionem arguit peccatum. Nam quod Deus promittit, Ego ſum Dominus Deus tuus, hoc eſt, Ego ſum, per quem tibi veniet ſalus contra mortem & peccatum, Hoc ipſum arguit hanc totam naturam morti & peccato obnoxiam eſſe. Quorſum enim pertineret alioqui promittere, ſe nobis Deum fore? Sic verbum Dei,hoc eſt,tam Lex quam Exangelium, ſeu promiſſio,clara & certa conſequentia arguit nos eſſe peccatores,& ſola gratia ſervari. Si enim Deus promittit vitam, ſequitur nos ſub morte eſſe, Si promittit remiſſionem peccatorum, ſequitur nos ſub peccatis eſſe & teneri. Iam ſtipendium peccati mors eſt. Ad hunc modum tum comminationes, tum promiſſiones omnes idem oſtendunt. Neq; enim ſunt factæ beſtijs,quæ in morte manent,ſed ad nos homines divina vox facta eſt & promiſſio ſalutis, contra mortem,peccatum & infernum. *Pſal. 32.* *Confeſſio peccati.* *Ego ſum Dominus Deus tuus.* *Rom. 6.*

Hæc dixi pluribus,ut appareat hanc ſententiam non Metaphyſicam,ſed Theologicam eſſe,de arguendo peccato per Verbum,ſicut Paulus clare dicit,Peccatum non noram, niſi per Legem, Non quod peccatum non habuerit, aut in mundo non fuerit,ſed quod peccatum neſcierit. Ergo non de eſſentia peccati, ſeu Metaphyſico peccato agit, ſed de cognito peccato, quod intelligitur ac ſentitur, quando ſcilicet vox Dei venit,& ſormones Dei, qui in cor noſtrum ſonant, Tu es peccator,tu es ſub ira Dei & morte. Hoc cum fit, tum demum incipit pugna illa, in qua David ſe fatetur victum ſuccubuiſſe, in qua pugna litigat humana natura cum Deo, An hoc verbum verum ſit, quod pronunciat omnes homines ſub peccato eſſe, Deum autem ſolum eſſe juſtum. Nam natura huic ſententiæ reclamat,nec ſtatim aſſentitur,quod omnia ſua opera in judicio Dei ſint mala & peccatum, ſicut Scholaſtici acerrime *Rom. 7.* *Peccatum cognitum.*

hanc ſententiam defendunt, Hominem habere rectum lumen rationis, & naturalia integra. Hoc autem eſt, non ſolum negare peccatum, quod divinitus revelatum eſt, ſed etiam negare ipſum Deum eſſe ſolum juſtum, qui nos pronunciat eſſe peccatores.

Fabula Sophiſtarum.

In hac contradictione perpetua vivit totus Papatus, & omnes Scholæ Sophiſtarum. Nolunt agnoſcere, ſe nihil niſi peccatores eſſe, ſed contendunt, Rationem habere ſuum lumen integrum, & ſi quid vitij ſit in natura, inferiorem tantum portionem corruptam eſſe, eam trahi libidine & concupiſcentia, ſed ſuperiorem portionem habere inextinguibilem & puram lucem. Hoc ſi quis de civilibus actionibus affirmaret, aliquo modo verum eſſet, ſed non ſimpliciter. Nam in illis quoque ſentimus, quantum per peccatum ademptum ſit naturæ. Sed cum de cognitione Dei, & peccati, ſeu humanæ naturæ agitur, nihil minus verum eſt. Ergo relinquitur, ſolius divinæ revelationis eſſe per Verbum, cognoſcere quod ſimus peccatores, & quod Deus ſit juſtus.

Duo genera hominum.

Cum autem Verbo ſic revelantur peccata, tunc duo hominum genera diverſa ſe aperiunt. Alij juſtificant Deum, & ei arguenti peccatum humili confeſſione aſſentiuntur, Alij Deum arguentem damnant, & mendacij arguunt. Atque hæc major mundi pars eſt damnantium & perſequentium hoc Verbum, quo arguuntur peccata, Neque vero hoc de Turcis tantum & Iudæis intelligi velim, qui manifeſto odio doctrinæ Chriſtianæ accenſi ſunt, ſed facit id Papa quoq; cum ſua Eccleſia.

Doctrina Sophiſtarum.

Quid enim aliud eſt, cum dicunt, Se poſſe ex dictamine rectæ rationis eligere & facere bonum, quam negare, naturam peccato corruptam eſſe? Deinde nota eſt illa vulgaris ſententia Scholarum, Quando homo facit, quod eſt in ſe, tunc Deus infallibiliter dat gratiam, Hoc an non eſt arguere Deum mendacij? dicentem in verbo ſuo, Omnes peccaverunt, Non eſt qui faciat bonum, ne unus quidem, Omnes declinaverunt, & inutiles facti ſunt, &c. Non enim arguit tantum illam fœdam libidinem, concupiſcentiam, avariciam, &c. Sed majora arguit, declinationem ſcilicet à Deo, quod natura tota non requirit, non curat Deum, quod eſt ſine fide in calamitatibus, ſine timore in rebus ſecundis, &c. Hæc probant rationem humanam una cum voluntate eſſe excæcatam, & averſam à bono & vero. Quia autem nos hæc docemus & defendimus, ideo damnamur ceu hæretici & rapimur ad ſupplicia. Atq; hoc eſt quod Pſalmus hic dicit, Deum non juſtificari ab impijs in ſermonibus ſuis, ſed argui & damnari.

Rom. 3.

Peccata que Verbum arguit.

Diſcamus igitur, peccatum eſſe ad hunc modum cum Deo litigare, & eum in Verbo ſuo arguere. Quare hoc potius faciendum eſt, ut etiamſi non intelligamus iſta plene, tamen credamus ei, qui nos creavit, pronuncianti de nobis. Ille enim ſcit, quale figmentum ſeu lutum ſimus, nos non ſcimus. Nam ſicut vas figuli, quod rimam ex colliſione, aut alia occaſione duxit, neſcit ſe habere rimam, figulus autem ſcit & videt. Ad eum modum nos quoq; noſtra vitia non novimus plene. Quare confiteamur noſtram infirmitatem, & dicamus cum reverentia, O Domine, ſum ego lutum tuum, tu autem formator & figulus meus, Quia igitur pronuncias me eſſe peccatorem, aſſentior Verbo tuo, & libens agnoſco & confiteor hanc impietatem latentem in carne mea & tota natura, ut tu glorificeris, ego autem confundar, ut tu juſtus, & vita, ego autem cum omnibus alijs hominibus peccatum & mors, ut tu ſis ſis ſummum bonum, ego autem cum omnibus hominibus extremum malum Hoc agnoſco & confiteor, edoctus ſic per promiſſiones tuas & Legem tuam, non per rationem meam, quæ libenter hanc impietatem tegeret, aut ornaret etiam, Sed plus mihi in eo eſt poſitum, ut tua gloria creſcat. Et qui ad hunc modum confitetur peccatum, is hunc verſum cum ſancto intellectu orat, Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis.

Impietas in natura latens.

Et vincas cum judicaris.

Hanc particulam addidit nobis ad conſolationem. Nam illud judicium divinum, quo omnes pronunciamur peccatores, & Deus ſolus juſtus, patitur inſtantiam & re-

& rebellionem,ut ſic dicam, à majore parte totius Mundi, ſicut ſupra de Turca, Iudæis, etiam Papiſtis oſtendimus, Quin in nosipſos quoq; pugnamus contra hoc judicium Dei,quod in ſermonibus ſuis,hoc eſt,tam per promiſſiones quam Legem, nos peccati arguit. Nam etiam in Sanctis manet ſenſus hujus blaſphemiæ, quod ſæpe indigne ferunt, omnia ſua culpari, Deinde etiam hic ſenſus in Sanctis eſt, quod tum demum ſibi videntur diligentius oraturi,credituri plenius,& laudaturi Deum, ſi viderent ſe puris manibus & ſenſibus eſſe, & carere omni peccato. Atq; hoc non eſt hominem eſſe, ſed Deum, ſeu Angelum.Ita luctatur contra Dei judicium peccatum, quod laret etiam in Sanctis. Etſi enim Spiritus Verbo regitur, & ei acquieſcit, tamen fatetur etiam Paulus aliam Legem eſſe in carne ſua, quæ contra Spiritum & Verbum pugnat.Hanc contradictionem perpetuam etiam Sancti in ſe animadvertunt & vident, quid nimirum eſt, ſi etiam illi contradicant, qui Verbum oderunt,& nituntur Ordinibus & miſſis ſuis ?

Rom. 7.

Quare nos,qui hanc confeſſionem amplectimur,hanc conſolationem,& ceu prærogativam habemus,quod etſi impugnamur à contradictoribus,tamen non ſuccumbemus.Nam non impugnamur ſoli,ſolis non contradicitur ſed impugnatur ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus,& contradicitur Verbo,hoc eſt,promiſſionibus & Legi divinæ. Igitur eventus erit optatus,ſecundum particulam hanc,Vt vincas cum judicaris. Sic ipſe Dominus noſter Chriſtus cogitur Papæ eſſe hæreticus, Ipſe Deus noſter promittens remiſſionem peccatorũ gratuitam per Chriſtum, damnatur à juſtis Monachis & ſanctis hypocritis,ceu nocentiſſima peſtis.Ratio & ſapientia carnis noſtræ damnat ſapientiam verbi Dei, Sed ſpera eventum optatum, & non ideo in tanta contradicentium multitudine deſponde animum,Ipſe Dominus vincet in nobis & in verbo ſuo,blaſphema ora,nolentium agnoſcere immundiciem ſuam,& conantium afferre ad Chriſtum propriam juſticiam.

Vt vincas, cum judicaris.

Hæc opinio propriæ juſticiæ,eſt acerbiſſima blaſphemia contra Deum.Quare nemo cogitet ſine cauſa à Chriſto dictum eſſe, Meretrices & publicani præcedent vos in regno Dei.Hi enim,quia in craſſis peccatis vivunt,humiliantur,& agnoſcunt ſe eſſe peccatores,Iſti autem in ſingulas horas,nova certamina cum Deo inſtituunt,quibus gratiam impugnant,& ſe defendunt.Hic ſi eſſemus ſoli,fortaſſe cogeremur cedere furori mundi & hypocritarum.Sed hic audimus conſolationem, Deum in ſermonibus ſuis damnari, non in noſtris ſermonibus & operibus. Sic Pontifex me excommunicavit & damnavit,Non ideo quod ſim infirmus & peccator,nam peccata mea poſſet ferre, ſicut fert ſuorum fornicationes, adulteria & nefandas libidinum ſpecies, Hoc autem damnat, propter hoc me & alios fratres excommunicat,quod docemus ſermones Dei, quibus arguuntur peccata, & cæcitas Papatus, Sed ne nos ipſi quidem hoc poſſemus,niſi eſſemus ita edocti ſermonibus Dei.Si igitur accuſamur & damnamur tanquam Hæretici, ſi noſtra doctrina judicatur eſſe noxia,propterea quod damnat ſapientiam humanam, & ſtudia, quæ nos ad placandum Deum ſuſcipimus, item ſi oriuntur malæ pugnæ, & perturbationes, habemus hic conſolationem, quod ipſe vincet, quia non nos ſoli,ſed ipſius ſermones,petuntur & damnantur.Igitur eos defendet,& ruebitur,contra adverſarios. Dat quidem Verbum, ut doceat & ſalvet, ſed ſi id nolunt accipere, non ideo conculcari ſinit Verbum,ſed potius conculcat hoſtes Verbi,ſicut res ipſa oſtendit.

Matth. 21.

Opinio propriæ juſticiæ.

Hæc conſolatio, quam textus præſens nobis oſtendit in contradictione, quæ fit per excommunicationem & perſecutionem falſæ Eccleſiæ & Tyrannorum, etiam ad animum noſtrum eſt transferenda. Sicut enim paulo ante dixi, etiam in carne noſtra manet talis contradictio, ſeu lis contra Deum & ſermones ejus. Hoc cum experimur,non debemus animo dejici,maneat tantum ſpiritus integer,& credat ac confiteatur ſe eſſe peccatorem,etſi tum nonnunquam blaſphemiæ tales contra judicium Dei ſentiuntur, tamen fiet,ut ſpiritus vincat, ſicut Deus, qui largitur ſpiritum,in tali judicio vincit. Sed victoria hæc etiam in ſpiritu intelligenda eſt, Re enim contrarium ſentitur, & videtur Deus cum ſpiritu noſtro vinci, caro autem &

In ſanctis etiam manet lis contra ſermones Dei. Pugna carnis in Sanctis contra ſpiritum, quemadmodum ſuperetur.

mundus vincere. Nam videmus,quod totus fere mundus nos damnat. Qui autem ſermonibus Dei aſſentiuntur, pauciſſimi ſunt, Deinde etiam in nobis & ſanctis caro ſic tumultuatur, ut quaſi extinguat ſpiritum, Sed eſto fortis contra hæc pericula,& crede te eſſe peccatorem, quem Deus velit pro filio habere,ſi confitearis te eſſe perditum. Nam hac confeſſione, qua te confundis, & tua vulnera medico aperis, Deum glorificas, & provocas ad proprie divinum opus, ut tanquam medicus ſanet ægrotam tuam mentem.

Iuſtitiarij blaſphemi.

Econtra qui hoc non faciunt, ſed ſibi vendicant aliquam juſticiæ laudem, hi luctantur cum Creatore ſuo, & blaſphemant ac negant eum, dicunt eum eſſe mendacem,& perſequuntur ejus gratiam & favorem, quo nos amplecti vult, imo ipſam vitam æternam perſequuntur,& ex Deo diabolum faciunt. Tanta impietatis humanæ eſt fœditas,cum non acquieſcimus verbo.Sed hanc etiam pij nonnunquam ſentiunt, cum à verbo & hac confeſſione diſceſſerunt. Quoties enim accidit, ut, ſi in manu mea eſſet, alium Deum crearem, qui ad me diceret. Ecce in tanta fidelitate docuiſti,tanta aſſiduitate oraſti,tanta cura plantaſti vineam meam, &c. eris igitur mihi propter hanc tuam diligentiam gratior. Talem Deum, qui operibus noſtris concilietur,natura libenter haberet, qui autem gratis ignoſcat,eum repudiat.Sicut exemplum adverſariorum noſtrorum teſtatur, qui nihil minus ferre poſſunt, quam quod dicimus,remiſſionem peccatorum ſeu miſericordiam ſola fide accipi. Sic filij Iſrael Deum remuneratorem operum quærebant, gratis autem ignoſcentem & accuſantem peccata, perſequebantur. Vult autem Deus ſecundum verbum ſuum egregie remunerari opera, ſed hoc vult ut præcedat, ut confiteamur nos eſſe peccatores,& fidamus ipſius miſericordiæ.

Secundum Deum verum Renati libenter haberent.

Duo genera hominum.

Sic ſunt duo genera hominum, quorum alij confitentur cum Davide, Deum eſſe juſtum,veracem,& ſanctum ſolum,Alij ſunt impij, & gigantum exemplo θεομαχῶν dicentes, Verbum tuum non eſt verum,nos non ſumus cæci,Eſt in nobis adhuc aliquid luminis erga Deum, cui ſi obediero, ero in gratia.Hoc eſt ex Deo mercatorem facere,& ad eum dicere,Si dederis,dabo. Atq; in hac ſententia omnes Scholaſtici Doctores conſentiunt. Notum eſt,quid Scotus dicat, Si homo poteſt diligere, quod minus bonum eſt,poteſt etiam diligere quod eſt majus bonum, At homo creaturam diligit, ergo multo magis diligit Creatorem ſuper omnia. Theologica profecto conſequentia,& digna Doctore tenebrarum in Eccleſia,Non videt, quod homo,cum creaturam maxime diligit eam minime diligit ſicut creaturam. Quis enim unquam fuit,qui puellam,qui aurum, ut puellam & aurum diligeret. Nam dilectio hæc libidine & avaritia vitiata eſt, neq; unquam in hac carne poteſt eſſe perfecte pura. Hujus generis innumeræ aliæ Sententiæ in Recentioribus extant, quæ oſtendunt hoc certamen, quod humana ratio contra ſermones Dei exercet. Porro nihil hic dicimus de œconomica & politica juſticia. Nam etiam illa ſtante, quam poteſt eſſe perfectiſſima,tamen manet ſententia hæc,Tibi tantum peccо,& malum coram te facio.

Argumentum Scoti.

Vt vincas,ſic Latine eſt, ut purus ſis.

Quod ad Ebræam Grammaticam attinet, verbum, quod Interpres reddidit, Vt vincas, proprie ſignificat, Vt purus ſeu mundus ſis, Q. d. Quando pronuncias homines eſſe peccatores, tunc mox ſequitur, quod judicaris & damnaris, Neque enim hoc judicium tuum ratio ferre poteſt,ideo hæreſin & diaboli dogmata appellat. Sed quid fit? Ipſi te damnant & conſpurcant ſententijs ſuis, tu tamen manes purus,mundus & juſtus,iſti autem deprehenduntur eſſe impuri,& ſic Ebraice ſonat textus, mihi tamen non diſplicet Interpretis ſententia. Nam clarius oſtendit hanc contradictionem & eventum, neq; etiam à ſententia abludit. Nam cum ponitur hæc ſententia, Tu inveniris integer, ſeu purus, bellè ſequitur antitheſis, Ergo iſti qui damnant judicium ſermonum tuorum,ſunt impuri & corrupti. Hoc autem eſt, quod Deus vincit,non illi,qui Deum arguunt.

Catachreſis huius verſus.

Hæc hujus verſus propria & germana ſententia eſt,Sed etiam Catachreſin,qua quidam hic utuntur, oſtendemus, ut ubiq; ſatisfaciamus auditori. Etſi enim

non

non quidem propria ſententia eſt,tamen neque impia eſt,& eſt plena conſolationis, qua ego ſæpe apud alios,& etiam in proprijs periculis uius ſum. Eſt autem ejuſmodi,
Apoc. 12. cum Satan vexat conſcientiam per Legem, ſicut in Apocalypſi eſt, quod accuſet Sanctos die ac noctu in conſpectu Dei,tunc utile eſt,ſe opponere Satanæ, & dicere, *Tibi ſoli pecc.* Quid ad te? tamen non peccavi tibi,ſed Deo meo,non ſum tuus peccator,quid igitur juris tibi in me eſt? Si igitur peccavi, & eſt vere peccatum quod accuſas (quia Satan nonnunquam vanis peccatis terret animos) Deo peccavi, qui eſt miſericors & longanimis, non peccavi tibi, non Legi,non conſcientiæ,nulli homini, Angelo nulli,ſed ſoli Deo. Deus autem non eſt Diabolus, non eſt devorator, aut carnifex, qualis tu es, qui terres & intentas mortem, ſed eſt miſericors ſuper peccatores, eſt integer & incorruptus,pius & juſtus,tali Deo peccavi, non peccavi tyranno aut homicidæ. Igitur tibi, qui mendacij pater & homicida es, non eſt jus aliquod in me, Deo jus eſt,qui eſt benignus & clemens,Ideo confitentibus peccatum ignoſcit. Illis tantum ſuccenſet,illis tantum minatur, qui ſuam immundiciem nolunt agnoſcere, & negant eum eſſe juſtum in ſermonibus ſuis.

Hæc eſt pia ſententia, & bona conſolatio contra ſpicula Diaboli exercentis conſcientiam, ſed eſt Catachreſis, nam Germanam ſententiam ſupra oſtendimus. Hoc autem Satan in conſilio habet,dum ſic vexat mentes, objiciendo peccata & impuritatem noſtram, & urgendo ad perpetuam mundiciem, ut faciat nos hujus Sententiæ obliviſci,quod ſolus Deus ſit juſtus & ſanctus, & clam à ſenſu peccati rapiat ad,ſatisfactiones, & fiduciam noſtrorum operum. Quare huic malo recte occurritur hoc modo, quo dixi,ut cum fiducia in Dei miſericordiam te Satanæ opponas & dicas,Omitte me, non ſum tua creatura. Si igitur peccavi, non peccavi tibi, ſed Deo meo,qui eſt juſtus & multæ miſericordiæ. Qui ad hunc modum confitetur ſe ſoli Deo peccaſſe,is habet Deum juſtificantem. Quia enim Deum glorificat illa confeſſione,quod ſit ſolus juſtus,Deus non poteſt non viciſſim eum glorificare juſtificando.Faciunt igitur hoc pij tantum,qui cœperunt renaſci,impij non faciunt.

V.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. Et in peccatis concepit me mater mea.

PVlcherrimo ordine progreditur Propheta in doctrina pœnitentiæ, imo petit miſericordiam,& ſubjicit cauſam, Quia ſum peccator, & agnoſco peccatũ meum, ut ſcilicet tu juſtus ſis, & nos omnes confundamur, Addit hujus notitiæ cauſam,ſermones Dei,nam per Verbum revelatur peccatum. Quæ autem jam ſequuntur,ſi cohærent cum ſuperioribus, ut ea illuſtriora reddant. Nam cauſam peccati oſtendit, & quaſi fundamenta totius negotij aperit,cur ſic confiteatur peccatum,& miſericordiam imploret, quia inquit, In iniquitatibus conceptus ſum. Quid poſſit dici clarius aut ſignificantius? Non dicit,Occidi Vriam,Non dicit, Commiſi adulterium, ſed totam humanam naturam ceu uno faſce complexus, addit. In peccatis conceptus ſum. Non enim de operibus quibuſdam, ſed de materia ſimpliciter loquitur,& dicit,Semen humanum,maſſa illa,ex qua formatus ſum, tota eſt vitio ſeu peccato corrupta, Materia ipſa eſt vitiata. Lutum illud, ut ſic dicam, ex quo hoc vaſculum fingi cœpit, damnabile eſt, Quid vis amplius? talis ſum ego,tales ſunt omnes homines,Ipſa conceptio, ipſa augmentatio fœtus in utero, antequam naſcimur,& homines eſſe incipimus,eſt peccatum. *In iniquitatibus conceptus ſum.*

Porro non loquitur de peccato conjugali,ſeu parentum, quod parentes accuſet peccati, De ſe dicit,Ego in peccatis conceptus ſum, Non dicit,mater mea peccavit cum conciperet me, neq; dicitEgo peccavi cum conciperer, ſed de ipſo rudi ſemine loquitur,& pronunciat id peccato plenum, & maſſam perditionis eſſe,ut ſit vera & germana ſententia, Sum peccator, non quia adulterium commiſi, non quia *Hic non accuſatur parentum aut ejus conceptus ſed maſſa formata accuſatur.*

Vriam objeci cædi, ſed ideo adulterium, ideo cædem commiſi, quia ſum peccator natus, imo conceptus & formatus in utero. Sic nos non ideo ſumus peccatores, quod jam hoc, jam illud peccatum deſignamus. Sed ideo iſta deſignantur à nobis, quia antea ſumus peccatores, Hoc eſt, arbor vitioſa & vitioſum ſemen, etiam fructum vitioſum afferunt. Nec poteſt ex radice mala aliud quam mala arbor enaſci.

Quæſtio, Cur conjugium inſtitutum &c.

Sed quærat aliquis. Cur eſt inſtitutum conjugium? Cur benedixit Deus conjugio? Cur ipſam prolem numerat inter benedictiones? cum maſſa illa, ex qua fœtus fit, ſit tota perdita & vitiata? Reſpondeo, Quanquam non cogatur nobis Deus rationem reddere, tamen poteſt non incommode hæc ratio dici, Deum non ideo velle creaturam ſuam interire, quod peccato vitiata ſit. Num enim ideo totum corpus abjicitur, quod caro leproſa eſt? Num ideo non dabit homini nato oculos, quia oculi nunc minus acres ſunt, quam Adæ in Paradiſo fuere? Neque enim dubium eſt, quin natura ſingulorum membrorum corporis longe præſtantior fuerit ante peccatum, quam nunc eſt, poſtquam peccato corrupta & vitiata eſt. Sicut igitur non ademit naturæ oculos, ſicut non ademit alia membra, nunc vitio languentia. Ita etiam non ademit multiplicationem, ſeu procreationem.

Natura præſtantior fuit ante peccatum, quam nunc &c.

Conjugium res bona, & a Deo inſtituta, &c.

Cæterum quidquid de conjugibus ſit, non eſt hic locus ea de re dicere. Nam conjugium eſt res bona & licita, & à Deo inſtituta, Neque tamen ideo negatur, patrem & matrem habere carnem corruptam, & ipſum ſemen non ſolum libidine fœda, ſed etiam contemptu & odio Dei plenum eſſe, Sic non negatur etiam peccatum, quod in procreando eſt. Quantillum enim ibi noſtra natura beſtijs præſtat? cum nulla notitia Dei, nulla fides in eo opere ſit, ſed tantum ex ratione dictante, quod hæc noſtra uxor ſit, & ex concupiſcentia ad procreationem proruimus. Tolerat autem Deus hanc vitioſam generationem propter conditionem ſuam, nec vult tollere ob hoc vitium creaturam, ſed diſſimulat vitium naturale, ſicut in Politia diſſimulat vitia politica. Quis enim non videt varios morbos & vitia varia legum & politiæ? Quæ enim Reſpublica eſt, in qua etiam, qui juſtiſſime omnia ordinãt & exequuntur, non ſæpe injuſta ſanciant & admittant? ſicut Proverbium teſtatur, Summum jus eſſe ſummam injuriam. Neq; hoc hominum tantum vitium eſt, ſed ipſæ leges quoq; non carent vitijs, etiam cum ſunt æquiſſimæ, Ideo opus habent æquo moderatore, qui eas aut laxet aut contrahat pro opportunitate negociorum.

Vitioſam generationem tolerat Deus.

Leges non carent vitijs, etiam æquiſſimæ.

Vitia quædam ferenda.

Tolerat tamen Deus vitia iſta, ut ſaltem aliqua Politiæ forma conſtet, ut educetur ſoboles, colatur terra, ut commutentur officia & merces &c. Nam vitia omnia ex rebus & legibus auferre, eſt ipſas politias & leges tollere. Tanto quorundam Iureconſultorum major inſania eſt, cum primum ad Reſpublicam & Aulas veniunt, volentium omnia reſecare ad vivum, & conantium Arithmeticam æqualitatem in omnibus conſtituere. Hoc qui faciunt, pacem turbant. Sed cur non etiam iſtam pulcherrimam ordinationem procreandæ ſobolis tollunt, quæ ſine vitio non poteſt eſſe? Atqui prudens Magiſtratus plus in eo laborare debet quomodo conſervet pacem, quam quomodo corriget leges. Nam qui hoc faciunt, illud autem negligunt, vere trabem negligunt, & ſunt curioſi de feſtuca. Diverſum autem videmus in Dei facto. Etſi enim videt conjugium vitiatum eſſe libidine, tamen non ideo conjugium tollit, non ideo liberorum procreationem adimit, Mavult vitium tolerare, quam conditionem ſuam tollere, Sic etiam prudens Iureconſultus in politia hoc inprimis ſpectare debet, quomodo paci & communi hominum tranquillitati poſſit conſuli, ut educatio & alia tum politica, tum œconomica officia conſerventur. Quod ſi qua occurrunt vitia, ea negligenda ſunt potius, quam ut vijs motis, publica pax perturbetur.

Res bonæ propter quædam vitia non ſunt damnandæ.

Ergo neque conjugia, neque aliæ res bonæ propter certa quædam vitia, ſunt damnandæ, Sed reſpiciendum eſt ad cauſam finalem. Ea eſt in conjugio, procreatio ſobolis, in politia eſt conſervatio pacis. Quod ſi in politia cauſa formalis (leges ſcilicet) vitioſa eſt, ſi eſt vitioſa cauſa efficiens, ſcilicet tyrannis (nam ſic jam appellõ) pronunciet ur ſecundum potiorem cauſam, nempe, ſecundum cauſam finalem.

cæteræ

cæteræ negligantur. Sic in conjugio, ſi cauſa efficiens, ipſi conjuges, mala eſt, ſi materia vitioſa eſt, tolerentur hæ vitioſæ cauſæ, ut ſervetur procreatio, pulcherrimum Dei opus & pleniſſimum admirationis, Sed hæc obiter diximus, Nunc redeo ad inſtitutum.

Cauſa peccati.

Hic igitur verſus Pſalmi nos de cauſa peccati docet, quare ſimus peccatores. Palam enim fatetur Propheta, ſe ſuo proprio, non parentum tantum vitio, vitioſum fuiſſe, dum geſtaretur adhuc embrio in utero, & dum adhuc formaretur, ita ut mater ſanguine ſuo in utero adhuc peccatorem aluerit, antequam edidiſſet partum. Idem ſentiendum eſt ſimpliciter de omnibus qui naſcuntur, & nati ſunt, & naſcentur in hunc mundum, excepto uno Chriſto. Nam quod Iohannes & alij in utero ſanctificati ſunt, non tamen hoc tollit, quod in peccatis non ſint concepti, ſicut etiam in adultis ſanctificatis Spiritu & fide, caro tamen vitioſa eſt.

Peccatum originis rationi incognitum.

Atq; hic locus de peccato originis, unus ex illis inſignioribus locis eſt, quos ratio neſcit, Diſcitur autem, ſicut alij, ex lege & promiſſionibus Dei. Solus autem Paulus ex Apoſtolis eſt, qui hunc locum ex profeſſo magna gravitate tractavit. Forte autem ideo à reliquis Apoſtolis prætermiſſus eſt, quod hæc doctrina per manus quaſi poſteris tradita ſit. Moſes quoq; attingit hunc locum in ſua oratione Pſalm. 90. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, Ibi enim non obſcure ſignificat, nos coram Deo eſſe in ira, & ferre mortem propter iram Dei, quæ inde excitatur, quod peccata noſtra Deo nota ſint. Horum peccatorum & iræ Dei cauſa hæc eſt, quod caro hæc in Paradiſo lapſu Adæ vitiata eſt, ut ſit perverſo timore & amore erga Deum & ſeipſum. Hæc doctrina, ſicut dixi per manus tradita eſt poſteris, Moſes tamen & David etiam literis eam mandarunt, & poſt eos Apoſtolus Paulus. Sine dubio autem hanc Sapientiam hauſerunt ex primo præcepto, & ex promiſſione Abrahæ facta & Adæ. Ex his enim manifeſtum fit, quia benedictionem promittunt, hanc naturam eſſe ſub maledictione, & ſub regno Diaboli, in quo ſunt tenebræ, odium Dei, diffidentia, &c.

Moſis Pſal. 90.

Continet igitur hic verſiculus cauſam, cur nos omnes debeamus confiteri, quod ſimus peccatores, ac omnia noſtra ſtudia coram Deo damnabilia, ſolus autem Deus ſit juſtus. Atq; hæc doctrina ſumme neceſſaria eſt in Eccleſia, neq; Papa nec Turca eam credit. Nam hoc poſſum teſtari meo Exemplo, me, cum multos annos Doctor Theologiæ fuiſſem, hanc doctrinam nondum ſciviſſe. Diſputabant quidem de peccato Originis, ſed dicebant in Baptiſmo ſublatum eſſe, & extra Baptiſmum in natura lumen eſſe reliquum, quod ſi quis ſequatur, dari infallibiliter gratiam, Quin docebant in Dæmonibus quoq; manſiſſe naturalia integra, & tantum gratiam eos amiſiſſe. Quis autem non videt, ſumme contraria hæc eſſe, dicere, Quod naturalia ſint integra, & naturam eſſe peccato corruptam. Voluntas eſt quidem res naturalis, ſed ipſi non ſimpliciter de velle diſputant, ſed de velle bonum, idq; vocant naturale, In eo error eſt. Manet voluntas in Diabolo, manet in hæreticis, hoc fateor eſſe naturale, Sed ea voluntas non eſt bona, neq; intellectus rectus aut illuminatus manet. Ergo ſi vere volumus de Naturalibus loqui ſecundum hunc Pſalmum, & ſecundum Spiritus ſancti modum, tunc vocemus Naturalia hoc ipſum, quod in peccatis & morte ſumus, quod corrupta & mala volumus, intelligimus & expetimus. Hæc enim cum præſenti Pſalmi loco conveniunt, & ex eo probari poſſunt.

Doctrina Sophiſtarum de peccato originis.

Hæc ſatis ſint de confeſſione peccati originalis, ſeu nobiſcum nati, quod tamen toti mundo abſconditum eſt, nec revelatur viribus, rationibus, aut ſpeculationibus noſtris, ſed potius obſcuratur, defenditur, & excuſatur. Ideo opus eſt verbo Dei de cœlo, quo reveletur hæc naturæ immundicies, ſeu vitium, Quin verbo credentes, confiteamur, hæc ſic habere, etiamſi tota natura reclamet, ſicut cogitur reclamare. Hæc hujus Pſalmi, imo totius Scripturæ ſeu Theologiæ difficilima doctrina eſt, ſine qua impoſſibile eſt Scripturam recte intelligi, ſicut Recentiorum ſomnia probant. Nunc ſequitur,

Peccatum originis toti mundo abſconditum, verbo revelatur.

Digitized by Google

VI.

Ecce enim veritatem dilexiſti, Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Turpis interpretis lapſus.

MVltis nominibus hoc loco Interpres,quiſquis fuit, culpandus eſt, Nam præterquam quod membra verſus inepte confudit,etiam impiam ſententiam generat. Quid enim eſt,quod vertit,Incertam ſapientiã. Abſit enim à Chriſtianis,abſit à Doctore eorum Spiritu ſancto,ut incerta & dubia doceat. Nam hic,ſi uſquam alibi,debet eſſe plena πληροφορία, certiſſima perſuaſio ſeu veritas & infallibilis lux,qua Deus per verbum & ſpiritum ſuum munit,confirmat,& certiſſimas reddit conſcientias noſtras. Quare abjiciamus iſtam incertam ſapientiam, quam imperitus Interpres ſignificat,&quæramus tum verba,tum ſententiam hujus loci propriam. Hactenus audivimus ſummam doctrinæ Chriſtianæ, ut ſcilicet agnoſcamus nos totos eſſe in peccato poſitos, imo eſſe peccatum etiam tum cum concipimur & formamur in utero matris. Qui igitur ad hunc modum agnoſcunt ſuam impuritatem,& rejiciunt ſe in miſericordiam, hos conſequi miſericordiam ideo, quia Deus hac confeſſione glorificatur,& promiſit confidentibus in ſe veniam. Poſt hanc doctrinam ſic abſolutam,nunc per antitheſin confutationem inſtituit, qua eos confutat, qui huic doctrinæ contraria aut docent, aut faciunt.

Tranſitio. Helleuus de peccato & gratia, nunc confutantur diverſum ſentientes aut facientes.

Propheta de Deo loquitur, qui verbo ſe patefecit.

Obſervandum autem hic quoq; eſt, quod ſupra monui, Prophetam non loqui de Deo abſoluto,ſed de Deo filiorum Iſrael,qui ſe certo Verbo, miraculis certis,etiam loco certo in Ieruſalem, revelarat, & cujus promiſſiones Patribus factæ extabant. Hic Deus non eſt Vagus Deus, ſicut Turcæ Deum colunt, ſed eſt Deus revelatus, &, ut ſic dicam, ſigillatus, qui certo loco, Verbo,& ſignis certis ſeipſum circumſcripſit, ut agnoſci & apprehendi poſſit, Ne vagentur ſtudia pietatis, ſicut apud Iudæos,qui relicto templo & verbo, deligebant ſibi montana & lucos,& tamen volebant videri quod Deo præſtarent cultum. De tali Deo non loquitur David,& operæ precium eſt id obſervare, Sed loquitur de Deo certo vel promiſſore, qui ſe revelavit Verbo & promiſſionibus,& ſignis externis, Talis Deus includit Chriſtum futurum, quia non ſimpliciter ſeu abſolute Deum intelligit David, ſed talem Deum intelligit, qui per Filium,ſecundum promiſſiones Patribus factas, ſalvaturus ſit mundum. Multum igitur intereſt inter Davidem,cum de Deo loquitur,& inter Turcam, Iudæum,aut Papiſtam. Hi enim de Deo vago loquuntur & agunt. Quia hos ſuſcipiunt cultus, qui ſunt ſine verbo Dei, nec hærent in externis ſignis,quibus ſe Deus in Chriſto revelavit, Hoc autem eſt plane amiſiſſe Chriſtum. Ego autem ideo hæc admoneo ſæpius,ne præ nimia religione Chriſtum admittamus,extra quem non eſt alius Deus colendus,aut quærendus.

Confutatio. Objectio.

Inſtituit igitur Propheta hic generalem confutationem, quaſi habeat in conſpectu aliquem, qui contra doctrinam jam traditam hæc objiciat,in genere damnas omnes, cum tamen conſtet,multos bonos & ſanctos eſſe, quorum vita & mores integri & ſine querela ſunt, Num ſolus tu ſapis? Sicut nobis hodie objiciunt in ſimili argumento,Num ſoli vos eſtis Eccleſia? Num ſoli habetis Scripturam? Omnis enim contentio eſt de nomine Eccleſiæ. Id nomen quia affert ſecum judicium de religione,de ſalute & vita æterna, ideo furioſe pro ea adverſarij dimicant, Non volunt videri quod errarint, aut impia docuerint. Et quanquam negare non poſſint manifeſtos abuſus, qui paulatim invaluerunt, tamen non ideo volunt de Eccleſiæ nomine cedere,Sic Turca pertinaciter retinet hoc nomen,quod colat verum Deum,Sic Synagoga, Sic noſtri adverſarij etiam vi & armis hoc defendunt,objiciunt cultus ſuos, & gloriantur,ſicut Paulus de Iudæis dicit, ſe habere zelum, & ſtudere vigilijs,eleemoſynis, ſacrificijs, orationibus, ceremonijs,aſperitate victus & alijs,pervenire ad promiſſiones Patribus factas. Hæc, inquam (objiciunt nobis) an non ſancta & bona ſunt? Cur igitur dicis omnes eſſe peccatores? Cur omnes pronuncias damnationi eſſe obnoxios?

Contentio de nomine Eccleſiæ

Reſpondet

Respondet igitur in hoc versu fides & Spiritus sanctus, Hanc esse sapientiam mundi, non esse sapientiam Dei, Ideo nihilominus veram manere hanc Universalem, Omnes esse peccatores, Mundus enim sic judicat, Esse sanctitatem si sordide vestias, si duro victu affligas corpus, & te maceres, si angulum aliquem quæras, semotum à frequentia hominum & turbulentis negocijs, atq; ibi aliquid insolitum instituas. Hæc mendacia & fucatam hanc sanctimoniam intelligit caro, & admiratur, Ideo fit etiam, ut aspera vita & insolitis moribus longe citius homines capiantur, quam sana doctrina & Verbo. Coram mundo enim nihil sanctum est, nisi quod quam longissime à communi consuetudine vitæ discedit. Hinc cœlibatus, hinc monasteria, hinc monstrosa illa vestitus & victus ratio, hinc innumeræ aliæ stulticiæ profluxerunt, non apud nos solum, sed & apud Iudæos olim, & hodie apud Turcas, qui prodigiosissima quæque comminiscuntur, & faciunt, ut singularem opinionem sanctitatis apud suos colligant. Quanquam nihil opus est à Turcis petere exempla. Cucullatum monachum inspice, & recte excute, ibi & miraberis, & ridebis ea, postquam de vera & Christiana sanctitate recte eruditus es, quæ adversarij nostri magnis titulis ornant, & prædicãt, imo propter quę conjugia & civilia officia negligunt, tanquam impedimenta suæ sanctimoniæ. Hi igitur sunt, qui cum audiunt Universalem hanc, quod omnes sint peccatores, plenis buccis objiciunt vitam & observantias suas, Num, inquiunt, omnes nos damnabis? Num nos objicies omnes Satanæ?

Solutio. Quid mundus sanctitatem appellet.

Exempla Papistarum, Iudæorum & Turcarum.

Ita, inquit Propheta, damno omnes vos, cum omni vestra sapientia, cum sanctitate & justicia vestra omni, Quia tu es Deus, qui diligis seu exigis absconditam veritatem. Ita enim sonant verba in Ebræo, Non diligis mendacium, hypocrisim, & fucum. Ergo vocabulum veritatis simpliciter præcidit & damnat, quidquid præsumitur extra hanc doctrinam, Item quidquid operum & justiciæ esse potest apud Turcas, Iudæos, Papistas, extra verbum Dei, istas omnes justicias & sanctitatem istam simpliciter vocat mendacium, quod non solum non diligat, verum etiam summe oderit & execretur Deus. Neque enim vocabulum, Veritas, ad verba tantum referendum est, sed in genere ad omnem vitam, ut quidquid dicimus, cogitamus, vivimus & sumus, sit certum & verax, quo non solum non fallatur mundus, sed ne nos quoque.

Deus diligit absconditam veritatem, &c.

Justicia hominum extra verbum Dei mendacium est.

In mundo quoque est veritas politica, quæ verbis & vita præstatur, Sed ea ejusmodi est, ut multa habeat admixta vitia. Sic Pomponius Articus, Aristides, Socrates fuere homines veraces, & sine fuco, Sic multi inter gentes fuere vere conjuges, qui fidem datam uxoribus egregie præstiterunt, Sic invenias, alicubi mercatorem veracem. Hanc politicam veritatem Deus requirit, & quotidiana exempla ostendunt, non impune esse, si quis aliquid contra civilem veritatem faciat, Sed neq; pura est hæc veritas, si spectes judicium Dei, hærent enim in ea multa fœda vitia, & Deus longe majorem veritatem requirit, ideo addit, Tu diligis eam veritatem, quæ in abscondito est. Q. d. Veritas politica, quæ in mundo est, potest præstari, & intelligitur saltem ab hominibus, Ideo Aristides, Pomponius, magni nominis fuere inter suos. Econtra audimus quotidianas querelas, de perfidia, mendacijs & fraudibus, quibus homines inter se utuntur.

Politica veritas.

Sed illa veritas, quam Deus diligit, ea non est ita expósita oculis, sed est in abscondito & latet. Ergo Mahometh etsi politice fuisset verus, tamen coram Deo fuit mendax. Ego etsi vere & sine fuco Monachus fui (pono enim me sæpe in exemplum, sicut Paulus se vere Pharisæum fuisse scribit) tamen coram Deo fui mendax, propter superstitionem & hypocrisin, quam non videbam. Latebat enim abscondita sub specie sanctitatis (sicut etiam veritas abscondita latet) donec per Verbum argueretur, & revelaretur veritas hæc abscondita. Ad tales respicit Propheta, cum dicit, Diligis veritatem in abscondito, Q. d. Illi alij fucati Sancti, qui incedunt in zelo Legis irreprehensibiles & sperant se diligi, qui pro justicijs suis parati sunt mori, & putant se ac studia sua esse Deo in delicijs, hi sunt, quos extreme odisti, divino & insuperabili odio. Quia tu tantum diligis absconditam veritatem, istos

Veritas quam Deus diligit.

Fucati sancti odit Deus.

hypocritas

mundo, Imo nos ipſi ſæpe contra hanc ſapientiam pugnamus, nec poſſumus in totum abjicere fiduciam noſtrorum operum, Sed ſentimus, etiamſi ſæpe erremus & labamur, tamen nos non errare in omnibus coram Deo. Alius ſe putat reprehenſione carere, quia ſit bonus maritus, alius, quia ſine dolo in contractibus agat omnia. Turca etſi dubitare cogatur de ſua Religione, tamen Deum non putat tam eſſe crudelem, qui omnes alias perdat, & nos Chriſtianos ſolos faciat ſapere, præſertim cum ipſi, quod ad externos mores attinet, ſatis aſpere vivant. *Turca.*

Hæc bono zelo dicuntur & cogitantur, ſed ſunt veritates in publico, in abſcondito autem ſunt mendacia. Tolerat autem Deus hanc politicam veritatem, & etiam ornat præmijs, propter publicam pacem, quia alioqui hæc ſocietas & vita non poſſet conſiſtere, Et tamen coram Deo, ac in judicio Dei, hæc politica veritas nos non ſublevat, Sed oportet adeſſe veritatem & ſapientiam illam occultam, ut confiteamur nos eſſe peccatores, & tamen erigamus nos iterum, cum mors, conſcientia, & ſagittæ Diaboli ſentiuntur & dicamus, Tu diligis veritatem in occulto, hoc eſt, diligis confitentes peccata, & credentes promiſſionibus tuis, quod talibus velis eſſe miſericors. Atque etiam in hac parte eſt ſapientia & veritas illa occulta, quod animi non poſſunt ſe erigere, ut in peccatis ſuis credant ſe diligi. Ad hunc modum & noſtra conſcientia & mundus arguunt, hanc ſapientiam in utranq; partem valde abſconditam eſſe. Niſi enim etiam in credentibus ratio huic ſapientiæ reſiſteret, nihil obſtaret, quin hæc vita nobis Paradiſus eſſet, plena gaudio & lætitia. Sed caro etiam in Sanctis manet caro, & reclamat Spiritui & verbo, ac ſentit, Deum peccatores non ſolum non audire, ſed etiam odiſſe. Hæc eſt ſapientia carnis, ut ſæpe jam dixi, militans contra hanc abſconditam ſapientiam ſpiritus. *Veritates in publico, ſunt in abſcondito mendacia.* *Veritas occulta.* *Sapientia carnis.* Rom. 7.

Eſt igitur hic verſus confutatio quædam, quod cæteræ quidem ſapientiæ & veritates in mundo, ſint manifeſtæ & publicæ, ac coram mundo fuco ſuo vendibiles, Sed coram Deo impiæ & mendaces, & ſtultæ, maxime ſi fiducia aliqua accedat, Hanc autem ſolam & veram veritatem eſſe, ſed abſconditam, confiteri quod ſolus ſit Deus juſtus, & nos peccatores, & quod peccatores agnoſcentes ſuam miſeriam, & confidentes miſericordiæ, non velit abjicere pro merito, ſed ex Gratia ſalvare. Extra hanc veritatem quicquid docetur, creditur, vivitur & geritur, tanquam ad ſalutem æternam meritorium aut promotorium, ut ſic dicam, eſt damnatum, Quia Deus tantum diligit ſapientiam abſconditam & cœleſtem. Sic enim dixi textum reddendum eſſe, ut non ſit incerta ſapientia noſtra, ſed certiſſima, & tamen myſtica, ſeu in myſterio abſcondita, quam ratio non intelligit, niſi à Spiritu ſancto illuſtretur. Ad hanc ſapientiam, ſi mundi ſapientias conferas, videbis eas incertas & fluctuantes eſſe inſtar maris. Quid enim in mundo ſtabile aut firmum eſt? Noſtra autem ſapientia ideo ſtabilis eſt, quia eſt extra mundum in Deo poſita & verbo ejus. *Vera ſapientia occulta.*

Sed hic id quoque monendum eſt, alteram hujus verſus particulam eſſe ceu precatiunculam. Naſcitur autem inde quæſtio, Cum hanc abſconditam Sapientiam jam ante habeat, cur eam petat. Nam qui poteſt canere, Tibi ſolum pecco, tu autem ſolus juſtus es, iſte profecto hanc Mundo abſconditam ſapientiam jam habet & novit, non ſolum quod ad cognitionem Peccati attinet, ſed etiam quod attinet ad cognitionem Gratiæ, nam alioqui deſperaret. Cur petit igitur? Cur dicit, tu abſconditam ſapientiam mihi notam facies, cum jam antea eam habeat notam? Reſpondeo. Pius plus peccati quam gratiæ, plus iræ quam favoris, plus judicij quam redemptionis ſentit, Contra, impius fere nihil iræ ſentit, ſed ſic eſt ſecurus, ac ſi nulla uſquam ira, nullus uſquam vindex juſticiæ Deus eſſet. Hoc autem in illis maxime accidit, qui aliquam religionis ſpeciem ſequuntur, ſicut Franciſcani impie gloriantur, ſuam religionem vitæ Chriſti ſimilimam eſſe, ideo in iſta ſecuritate nihil orant. *Cur, quem habet, abſconditam ſapientiam petat.* *Pius. Impius.*

Econtra pius, quanto ſentit magis ſuam infirmitatem, tanto in oratione magis eſt aſſiduus. Ingreditur enim ſimul cum iſta ſapientia continua oratio. Quia enim ſenſus peccati non ceſſat, ideo etiam gemitus & oratio non ceſſat, quia petitur perfectio *Oratio pij. Quia ſentit infirmitatem ſuam, &c.*

perfectio hujus ſapientiæ. Hæc oratio non eſt Battologia, ſed ardens deſiderium contra illam pugnam carnis, quam ſentimus, ut ſicut abundat ſenſus peccati, ita etiam abundet ſenſus gratiæ, & conſolatio Spiritus. Ideo etiam in Zacharia conjungitur Spiritus gratiæ & precum, Pij enim ſemper loquuntur quaſi ſint peccatores, ſicut ſunt etiam, Sed quia in veritate ſunt, diliguntur à Deo, & ſunt in gratia. Hic autem ſenſus gratiæ, quia infirmior eſt propter carnem, ideo etiam cum habent remiſſionem peccatorum, tamen remiſſionem peccatorum orant & gemunt, Contra, ſecuri peccatores dicunt, Ago tibi gratias, quod non ſum ſicut cæteri, ſicut ille apud Lucam.

Spiritus gratiæ & precum, &c. Zach. 12.

Luc. 18.

Hæc eſt cauſa, cur pius petat gratiam, qui jam cœpit eſſe pius, & habet guſtum hujus doctrinæ. Hic guſtus provocat majorem ſitim, nam animi nondum acquieſcunt in primitijs ſpiritus, ſed libenter haberent plenitudinem, ſicut Paulus dicit, Nondum apprehendi, necdum perfectus ſum, ſed ſector ſi apprehendam, ſicut apprehenſus ſum. Phil. 3. Ad hunc modum David hic etiam facit, Q. d. Scio te diligere iſtam veritatem quam in me cœpiſti, fac modo, ut certius apprehendam, & ne dubitem. Confitetur enim maliciam carnis noſtræ, quod etiamſi mundus cum moleſtijs & occupationibus ſuis non eſſet, tamen nos ipſi nobis adverſamur, & pugnamus contra hanc ſapientiam. Nec vult caro noſtra id credere, & ei aſſentiri, quod docemus & dicimus.

Phil. 3.

VIII.

Aſperges me Domine hyſopo & mundabor, Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Vult omnem veritatem abſconditam omnibus alijs prætulit, nunc juſtitiæ legis confutat.

HActenus in genere damnavit Propheta omnes juſticias, ſapientias, & veritates, & prætulit illam unicam veritatem, quæ eſt in abſcondito, ſeu ſapientiam, quæ eſt in myſterio, quæ confitetur peccata & ſperat miſericordiam Dei juſtificantis peccatores, ſicut Iohan. 1. eadem ſententia eſt, Quotquot eum receperunt, his dedit poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, Ibi in univerſum damnat, quicquid ratio, & quicquid vir, hoc eſt, quidquid omnes homines ſua natura, & viribus ſuis, ſine Spiritu Sancto præſtare poſſunt, & relinquit tantum fiduciam in nomine Ieſu, Huic generali confutationi jam ſubjicit confutationem ſpecialem juſticiarum legis, ſeu Moſi, quod aſperſiones Moſaicæ nihil ſint, nec Moſes recte aſpergat eos, quos vult ſanctificare, ſed alia longe potiore aſperſione opus eſſe.

Iohan. 1.

Varia aſperſiones legis. Exod. 24.

Habuit Lex varias aſperſiones, quæ fiebant cum hyſopo & lana, ſicut notum eſt ex Exodo, ubi Sacerdos, & omnia utenſilia ſacra aſperſione quaſi conſecrabantur. Ejus conſecrationis hæc fuit cauſa, ut non ſolum dicata ſacris uſibus, in profanos uſus non converterentur, ſed ut populus ſciret, in tabernaculo omnia ſancta & conſecrata eſſe, atq; ideo alia ſacrorum loca omnia profana duceret & fugeret. Hæc conſecratio vaſorum præcipua cauſa fuit, quæ apud Simias noſtras, hoc eſt, Papam Moſi exemplo conſecrantem templa & vaſa, nullum plane locum habet, præter hoc, quod ſtulta imitatione, non ex certo Dei verbo, inſtituta eſt. Aliud aſperſionis genus eſt, Numeri 19. ex cinere vaccæ ruffæ, quam vocarunt aquam expiationis. Vnde Simiæ noſtræ aquam benedictam in Eccleſiam invexerunt, quam ceu alterum Baptiſmum commendarunt hominibus ac tribuerunt ei vim aliquam ad peccata venialia abluenda, & fugandum dæmonem. Inde mille ſuperſtitionum formæ enatæ ſunt, quas deliræ aniculæ confinxere. Etſi autem creaturam benedicere ſimpliciter malum non eſt, Sanctificantur enim omnia Verbo, & Sanctis omnia ſunt ſanctificata, tamen ea inſignis impietas eſt, tribuere ſic ſanctificatis creaturis, ut aquæ, ſali, &c. aliquam juſtificationem. Quia ſi illa in lege divinitus mandata conſecratio non habebat fiduciam aliquam remiſſionis peccatorum, aut conſcientiæ conſolationem

Aqua expiationis. Num. 19.

Aqua benedicta.

Digitized by Google

lationem, sed tantum erat ritus ad externam sanctificationem institutus, ut esset differentia inter vasa sancta & profana, quid tribuemus Papistarum consecrationibus sine Verbo, sine causa omni conflictis? Istius populi religio tota, divina voce erat concluſa ad tabernaculum, in quo propiciatorium fuit. Ibi habebant certum testimonium verbi, Deum accepturum sacra, & auditurum preces eorum. Ad hunc locum magis commendandum hominibus, & ad abducendos animos ab idolatria, quam committebant, qui alio in loco sacra faciebant, & alijs utensilibus sacrorum utebantur, tum templum, tum vasa templi divino mandato jubebatur Moses consecrare.

Novi Testamenti alia longe conditio est. Non enim in isto monte tantum, sed in omni loco colitur & adoratur Deus in spiritu, Deinde sacrificia omnia consummata sunt uno sacrificio Christi, Nec nos in Cœna sacrificium, sed memoriam sacrificij per Christum facti retinemus, & quod tum Christus sacrificavit, nos secundum ipsius Verbum non sacrificamus iterum, sed distribuimus fidelibus. Igitur tum templa, tum vasa non sunt consecranda, siquidem non solum non habemus verbum Dei, quo hoc jubeamur, sed ne causa quidem est quæ in lege fuit. *Cœna Dominl.*

Loquitur igitur Psalmus in genere de lotionibus & mundationibus Mosaicis, Et simpliciter negat eas valere ad justificandum. Sed requirit aliam mundificationem, quæ non fit hysopo & aqua expiationis, sed per misericordiam Dei ignoscentis peccata. Hæc doctrina sine dubio plurimos offendit. Nam Prophetarum conciones clare ostendunt, quanta insania sacrificandi agitati sint, quod volebant per ea expiare peccata. Hinc etiam vigentibus adhuc sacris ex mandato Dei, tamen acerrimæ Prophetarum conciones contra sacrificia fiebant, in quibus Deus manifeste dicit, se illa sacra, quæ instituerat, non velle, sicut Esaiæ 1. & Psalmo 50. cernitur. Quia non erant hoc consilio à Deo instituta, ut per ea peccata tollerentur, hoc enim unius perfecti & consummati sacrificij Christi fuit, Sed primum pertinebant ad hunc populum discernendum ab omnibus alijs gentibus, ut constaret de populo, ex quo nasciturus erat Christus, Deinde profuit ista exercitia sic instituta esse, ne sibi fingerent proprios cultus. Ita enim est hæc natura, non potest esse sine cultu Dei. Cum igitur non habet Verbum, ea comminiscitur, quæ tum gentilium, tum Papæ exempla ostendunt. *Lotiones Legis non justificant.* *Esaiæ 1. Psal. 50.* *Conciones Prophetarum contra sacrificia.*

Iudæi igitur cum in templo, dum intus ad sacra destinato sacrificarent, norant se externum cultum Deo secundum Verbum suum præstitisse, Sed externus cultus non prodest ad salutem, Restabat igitur verus & certus cultus interior, scilicet fides in futurum Christum, seu in Semen benedictum, hic cultus erat & Deo gratissimus, & ad salutem necessarius. Iam major pars hoc cultu neglecto, sacrificijs volebat salvari. Contra hos Prophetæ clamabant, & cultum externum sine interno damnabant, ut docerent, Primo credendum esse in benedictum Semen, Deinde etiam illa externa exercitia legalis cultus præstanda esse. Ideo Propheta his omissis, imo abjectis asperſionibus Legis, aliam asperſionem & Hysopum alium petit à Domino. Hic sine dubio audivit ab alijs, Domine Rex, quid petis? vis ablui & mundari? Cur non ureris lotionibus à Mose præscriptis? Num eas contemnis ceu inutiles? Cur igitur divinitus sunt præceptæ? Non enim Mosi sed Domini mandatum est. Sed David palam ostendit lotiones illas inutiles & pollutas esse, si quis per eas animam seu cor velit purgare, posse mundari vestes, ut vivat populus in externa sanctimonia, sed ad puritatem cordis & bonam conscientiam alia asperſione opus esse. *Iudæorum opinio de cultibus externis a Prophetis damnata Interior cultus. Externus cultus sine fide damnatus.*

Ergo hæc manifesta est confutatio contra depravatores Legis, qui Lege volebant uti ad abluenda peccata, cum ea ablutio peccatorum promissa esset non in operibus legis, sed in Semine benedicto, quod credentes expectabant. Nam peccatorum remissio omnibus seculis fuit eadem, Christus enim hodie & heri, idem est etiam in secula. Igitur illi fiducia Christi venturi, nos fiducia Christi exhibiti, passi & glorificati, salvamur, & remissionem peccatorum accipimus. Ergo idem argumentum hic indicat David, quod Epistola ad Ebræos usurpat, cum sic disputat, Si *Remissio peccatorum ut Christo promissa.* *Heb. 9.*

ſacerdotium Leviticum ſatis eſt ad remiſſionem peccatorum, Cur promittitur aliud ſacerdotium, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech? Ita hoc in loco, Si aſperſio aquæ expiationis valeret ad abluenda peccata, non peteret David aliam aſperſionem. Quia autem petit aliam aſperſionem, & hyſopum alium, Ergo ſequitur univerſum cultum legis non ſolum inutilem, ſed etiam permitioſum eſſe, ſi quis addat opinionem juſticiæ. Relinquit igitur, ut laventur Iudæi ſecundum Legem, ſed legitime, & quatenus Lex permittit, ut ſcilicet populus ſit ſacer ſuo Deo, ſanctimonia externa, Sed non coram Deo in ſpiritu. Nam ad eam ſanctimoniam ſpiritus, quæ coram Deo ſanctimonia eſt, opus eſt alia aſperſione, quæ non eſt ex ſanguine vaccæ, aut aqua expiationis, ſed ex ſanguine Chriſti, & fide in Chriſtum.

In eo igitur poſita ſunt omnia, ut legitime utantur aſperſione Iudæi, aut expectent ruinam totius legis & ſalutis. Nam quod ſimpliciter ad opus attinet, poſſet ſervari adhuc aſperſio illa Moſaica, ſi hæc duo capita ſalva eſſent. Primum, ut crederetur in Chriſtum jam exhibitum, & non in Chriſtum futurum, ſicut ſub lege. Nam pij in lege ideo aſpergebantur, ut faterentur & teſtarentur ſe eſſe in fide veræ aſperſionis per Chriſtum futuræ. Secundum, ſi aſperſioni illi non tribueretur juſticia, ſed aſperſi ſentirent ſe non uno pilo meliores eſſe coram Deo poſt illam aſperſionem, quam ante. His duobus ſalvis, ſine periculo poſſet aliquis aſpergi, Sed Iudæi noſtri in utroq; peccant, & quod expectant Chriſtum tanquam non ſit exhibitus, & quod ſuis ritibus tribuunt juſticiam. Hoc autem eſt negare Chriſtum veniſſe in carnem, & blaſphemare noſtram cœleſtem juſticiam ex fide in Chriſtum. Hæc priuſquam admittamus, patiemur potius Moſen cum omnibus ſuis ritibus & ceremonijs perire.

Aſperſio ſanguinis Chriſti, quærenda, cum legis mundationes ſint inutiles ad juſticiam coram Deo.

Obſervanda igitur eſt hæc Davidis diſtinctio. Nam ſi illa juſticia, quæ in lege divinitus fuit mandata, non juſtificavit coram Deo, quid dicemus nos de Politica juſticia? Quid dicemus de alijs operibus & cultibus, quos ſine Dei mandato ſuſcipiunt homines, ſicut totus Papatus eſt in ἐθελοθρησκίαις, ut Paulus appellat. Quæramus igitur aſperſionem ſpiritus, & ablutionem interiorem, quam Petrus 1. Pet. 1. vocat aſperſionem ſanguinis Chriſti, quo omnes aſpergimur, qui audimus & credimus Evangelio Chriſti. Nam os ejus, qui docet Evangelium, eſt hyſopus, & aſperſorium illud, quo doctrina Evangelij ſanguine Chriſti tincta & conſignata, ſpargitur in Eccleſiam. Huic verbo qui non credunt, ſunt quidem aſperſi, ideo etiam ſanguis Chriſti & verbum Chriſti eos judicabit, ſed incredulitas facit, quo minus abluantur. Ad hanc aſperſionem pertinent Sacramenta, Baptiſmus, & Cœna domini, utrinq; enim aſpergimur ſanguine Chriſti. Nam & in Baptiſmo baptiſamur in mortem Chriſti, & in Cœna diſtribuitur Eccleſiæ ſanguis & corpus Chriſti. Sic in miniſterio Verbi audimus etiam hanc aſperſionem, quod Chriſtus ſatisfecerit pro peccatis mundi. Neq; hic aliud reſtat, quam ut ſicut audimus hæc in Verbo, & ſicut in Symbolis fidei noſtræ offeruntur & exhibentur nobis, ita firmiter credamus, & erigamus fiducia hujus aſperſionis animos noſtros.

Col. 1. Pet. 1.

Diſcrimen inter veteris & novi Teſtamenti Eccleſiam. Summa hujus verſus.

Neq; hic inter præſentem Eccleſiam fidelium & illos in Lege aliud intereſt, quam quod iſti hanc aſperſionem futuram credebant, nos credimus eam exhibitam & conſummatam eſſe. Atq; hæc ſumma eſt hujus verſus, quod David primum illas legis mundationes abjicit, tanquam inutiles ad juſticiam, Deinde petit aſpergi verbo fidei de Chriſto venturo, qui aſperſurus ſit ſanguine ſuo Eccleſiam ſuam. Hoc verbum orat, ut audire & credere poſſit, ſicut ſequentia clarius oſtendent. Hac fide ſervati ſunt Sancti in veteri teſtamento, ſicut nos quoq; ſervamur, Quanquam noſtra conditio longe melior eſt, quod hæc in clara luce videmus, Neq; tantum in Verbo audimus, ſed involuta ſymbolis accipimus, in Baptiſmo & cœna. Ideo Chriſtus dicit, Multi Reges & Prophetæ optarunt videre quæ vos videtis, Eadem tamen fides utrinq; eſt, qua ſalvamur, nos & illi. Quare ſi quis interroget, quomodo David poſſit petere hanc aſperſionem ſanguinis Chriſti nondum impletam,

Eadem fides Eccleſiæ præſentis & præteritæ ſub Patribus.

Luc. 10.

facilis

facilis responsio est, Eandem aspersionem semper in mundo fuisse, qua credentes à peccatis sunt abluti, nempe, aspersionem per sanguinem Christi, Tantum esse differentiam temporis, quod ipsis futura, nobis exhibita & præterita sit aspersio illa, Quam si qui per incredulitatem non accipiunt, non ea sanguinis Christi, sed incredulitatis culpa est.

Hæc doctrina facilis est, sed magni negocij est eam retinere, & sic obfirmare animum, ut nullam satisfactionem, opus nullum, non Legem, non justiciam aliquam coram Deo valere statuas, extra hanc unicam aspersionem. Varijs enim cogitationibus tentatur hæc fides. Nam & civilis justicia non potest contemni prorsus ab humano animo, Et Lex Mosi, quia divinitus est præcepta, eam relinquit in animis opinionem, quod is non possit Deo displicere, qui eam justiciam Legis ad Deum affert. Deinde caro nostra & ratio nobis nimium familiaris est, ut libenter ei assentiamur. Videmus civiliter plecti facinorosos, neq; fere quenquam meritas pœnas effugere, & credendum scilicet est, Deum, qui ista levia ita accurate judicio suo persequitur in terra, non eadem severitate in nostra peccata animadversurum esse, sed gratis condonaturum. Huc accedit Satan, singularis hujus doctrinæ hostis, & in hoc præcipue intentus, ut hanc doctrinam obruat.

Hanc doctrinam retinere ardum.

Lex Mosi.

Difficile igitur est in eo manere fixum, quod justificandi ratio in eo solum sit posita, ut audiamus Verbum de aspersione illa, & ei fide assentiamur. Nam caro in sensu peccati, sicut propter opus commissum dolet, ita etiam cogitat, quomodo alio opere id sarciat. Hanc naturam nostram, etiam usus & consuetudo confirmavit. Nam ea doctrina & in Ecclesijs omnibus & in monasterijs maxime usurpata est, ut homines cogitarent de satisfactionibus pro peccatis. Tanto juvenum hoc tempore melior conditio est, qui pravis istis opinionibus non ita sunt corrupti, sicut nos qui sub Papatu viximus. Multo enim facilius hoc possunt capere, quod David hic docet, nempe satisfactiones pertinere ad politiam & œconomiam, ne Mosen collocemus in cœlum, sed relinquamus eum apud Iudæos suos in terra, & in hac corporali vita. Vnus enim est, qui ascendit ad cœlos, qui etiam descendit, filius hominis & Dei, Christus Iesus. Hic est, de quo habemus mandatum, ut eum audiamus, Hic est, qui tulit peccata mundi, Hæc una satisfactio, hæc una ablutio seu aspersio est, qua salvamur, Et Principium salutis est, hæc cum audis, non esse incredulum revelationi divinæ, sed credere. Nam quod nova vita sequi debet, non pertinet id ad satisfactionem, sed ad debitum & obedientiam. Et quia eam Spiritus sanctus in nobis excitat, non potest statui ex ea meritum aliquod nostrum, ad placandum Deum, & expianda peccata, quæ jam per Christum docentur expiata esse.

Iustificandi ratio in qua consistat.

Ioan. 3. Matth. 3.

Christus, satisfactio, ablutio, expiatio nostra. Nova vita.

Sed ut dixi, difficulter hæc doctrina retinetur. Dum extra tentationem sumus, videtur esse facilis, Sed cum tempus pacis abijt, & sumus positi in cogitationibus iræ Dei, tum experimur, quanti negocij sit, hæc firmiter credere. Quare admoniti sint omnes, ne quid præsumant, Doceri & audiri possunt hæc, & credi quoque, sed in tentatione etiam perdurare, hoc singulare Spiritus sancti donum est. Adeo proclive est labi in cogitationes huic doctrinæ contrarias, de satisfactionibus, & similibus Satanæ præstigijs. Quare cum auditis satisfactiones, de ea satisfactione tantum affirmate, quod vera sit, quæ dicitur, & est satisfactio fidei, quod scilicet Christus Iesus portarit peccata tua. Hac satisfactione stante sola, & purissima, sine ullo additamento tuarum satisfactionum, licet affligere carnem & mortificare, licet sedulo exercere charitatem, servire vocationi, & omnia facere, quæ ex verbo Dei possunt suscipi. Hæc obedientia Deo grata & accepta est, quia fit debito fine, ut scilicet obediatur Deo, non ut instituatur satisfactio propria. Sed quid facit Monachus? Quid Turca? Quid Iudæus? Suscipiunt varia opera, multa instituunt, quibus conantur servire Deo, sed eo animo, & ea fiducia, ut expurgent peccatum, & placent Deum. Hoc vero quid aliud est, quam Christum negare, à Deo in hoc positum, vt satisfaceret pro nobis, & nos pro ea satisfactione eum audiremus, laudaremus & coleremus fide? Hoc quia non faciunt isti satisfactores, sed ideo

Doctrina fidei difficulter retinetur.

Satisfactio fidei.

Noua obedientia.

Monachus. Turca. Iudæus.

manent in monaſterijs,ideo juſticias,jejunia,preces ſuas retinent,quod ſperant Deum reſpecturum eos, ideo audient ſententiam Patris, qua jubebit eos in infernum abjici cum jejunijs & juſticijs ſuis, quibus nihil aliud fecerunt, quam ut filium Dei blaſphemarent.

Juſtitia coram Deo.

Ergo cum ad locum juſticiæ coram Deo ventum eſt,ibi ſimpliciter omnis Lex eſt abroganda tanquam inutilis per quam juſtificemur, & nihil admittendum eſt aliud,quam lex ſpiritus ſeu promiſſio, quod Ieſus Chriſtus eſt mortuus propter peccata noſtra. Hoc eſt verbum Gratiæ & promiſſionis, quo non exigitur aliquid à nobis ſicut in Lege,ſed offertur plenaria ſatisfactio per conſummatam victimam Chriſtum,quæ victima Moſi & toti Legi finem impoſuit. Ideo David imperfectam illam Legis aſperſionem tam libere abjicit, & petit aſpergi, non per ſacerdotem Leviticum, ſed per ipſum redemptorem Deum, ut mundetur conſcientia tali mundicie, quæ nive ſit purior.

Aſperges me hyſopo.

Hoc etiam admonendum eſt, quod Noſter vertit, Aſperges me hyſopo, in Ebræo eſſe, Expiabis vel abſolves me, Sed ſententia manet eadem, & poteſt tolerari verbum aſpergendo, propterea quod expiatio fiebat per aſperſionem aquæ,cui adjunctus erat cinis vaccæ ruffæ. Hæc aſperſio quia hyſopo fiebat, ideo hyſopum David nominat,ut clarum ſit ſe loqui contra legalem expiationem. Sed hic oritur Theologica quæſtio, Quomodo poſſimus fieri puriores nive,cum tamen reliquiæ peccati ſemper nobis adhæreant? Reſpondeo, Sæpe dixi hominem dividi in ſpiritum & carnem. Quod igitur attinet ad totum hominem,manent reliquiæ peccati,ſeu ſicut Paulus appellat,inquinamenta ſpiritus & carnis. Spiritus inquinamenta ſunt,dubitatio de Gratia,imperfecta fides,murmurationes contra Deum,impatientia,imperfecta cognitio voluntatis Dei, &c. Carnis inquinamenta ſunt, adulteria, concupiſcentiæ, homicidia, jurgia, &c. At inquinamenta ſpiritus per hæreticos, inquinamenta carnis per reliqua ſcandala in mundo cumulantur, ut & ſpiritus & corpus polluatur. *Num.19.*

Quomodo, reliquiæ peccati adhærentibus, ſimus nive puriores.

Inquinamenta ſpiritus & carnis. 2. Cor. 7.

Propter hæc inquinamenta igitur, etſi nunquam ſimus ita puri & ſancti, ſicut nos eſſe conveniebat, tamen conſecuti jam ſumus Baptiſmum, qui puriſſimus eſt, conſecuti ſumus Verbum, quod puriſſimum eſt, conſecuti ſumus etiam in verbo & Baptiſmo,per fidem ſanguinem Chriſti, qui profecto etiam eſt puriſſimus. Ergo ſecundum hanc puritatem, quam ſpiritu & fide habemus, ex Chriſto & Sacramentis ab eo inſtitutis, recte dicitur Chriſtianus purior nive, imo purior ſole & ſtellis,etiamſi adhæreſcant illa inquinamenta ſpiritus & carnis. Sunt enim tecta & obruta mundicie & puritate Chriſti,quam conſequimur auditu verbi & fide. Eſt autem diligenter notandum, quod hæc puritas eſt aliena puritas. Chriſtus enim ſua juſticia nos ornat & veſtit. Quod ſi Chriſtianum intuearis,ſecluſa Chriſti juſticia & puritate, qualis in ſe ſit, etiam cum eſt ſanctiſſimus, tum invenies, non ſolum mundiciem nullam,ſed diabolicam,ut ſic vocem,nigredinem. Porro quid Papa facit aliud in ſua doctrina, quam ut ſeparet nos à Chriſto,ut Baptiſmum,auditum Evangelij, ſeu promiſſiones Dei nobis adimat,& nos relinquat ſolos, Hoc vero eſt omnem puritatem homini adimere,& nihil relinquere niſi peccatum.

Credentes nive puriores per Chriſtum.

Quando ergo dicunt, Peccatum ſemper hæret in homine, quomodo igitur poteſt ablui,ut ſit nive candidior? Reſponde, Homo conſiderandus eſt, non qualis in ſe eſt,ſed qualis eſt in Chriſto, Ibi invenies quod credentes ſunt abluti & mundificati ſanguine Chriſti. Quis autem tam profanus eſt, ut neget ſanguinem Chriſti eſſe mundiſſimum? Quid ergo cauſæ eſt, cur dubitet fidelis homo de mundicie ſua? an quia ſentit adhuc reliquias peccati in ſe? At tota mundicia hæc aliena eſſe debet, nempe Chriſti & ſanguinis ejus, non debet eſſe noſtra, quam ipſi nobis circumdamus. An non in Oeconomia filius hæres eſt patris, qui tamen propter imbecillitatem geſtatur, tractatur, & regitur à ſervula? Hic ſi geſtationem reſpicias,nonne filius, qui hæres eſt, ſervulæ ſervus eſt, cui parere cogitur? & tamen non ideo deſinit eſſe hæres, eſt enim ex patrefamilias natus, non eſt ex ſerva natus. Ad eundem

Credentes mundificati ſanguine Chriſti.

modum

modum de Christiano quoque judicandum est,& huc defigendi sunt oculi, qualis è Baptismo sit retractus, non qualis è parentibus sit natus. Nam regeneratio est potior prima nativitate. Non enim est ex homine, sed ex Deo & promissione ejus, quam fides nostra amplectitur,sicut Propheta jam latius ostendit.

IX.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam,& exultabunt ossa humiliata.

NOn sine causa est quod toties repeto, In hoc Psalmo non solum exemplum justificationis in Davide experiri,sed ipsam veram doctrinam tradi, qua ratione & quomodo justificatio fiat in omnibus hominibus, Vt hic Psalmus sit ceu Regula generalis,quomodo peccatores fiant justi,Hujus Regulæ partem proximi duo versiculi proposuerunt, in quibus confutavit universas alias vias, quibus nituntur homines se purgare à peccatis, & se reconciliare cum Deo, vel per Legis opera,vel per alia electicia opera. Non solum enim requirit veritatem absconditam contra hypocrisin,sed etiam aliam aspersionem requirit,quam lex habebat. Hoc ut clarius possit intelligi,addit,Auditui meo dabis gaudium, Q. d. Sic aspergas me, ut des auditui gaudium,id est,ut habeam pacem cordis per verbum Gratiæ.Porro Emphasis est in nomine Auditui, quanquam Ebræus paulo aliter legit, Fac me audire gaudium,Sed sententia utrinq; est eadem. Hoc enim simpliciter vult, quod remissio peccatorum,quæ sola gaudium affert,contingat per solum Verbum,seu solum auditum. Nam si te usq; ad necem excarnifices, si sanguinem fundas, si quidquid est homini possibile, promptissimo animo subeas & tolleres, Tamen nihil proficitur, sed solus auditus affert gaudium. Hic unicus modus est,quo cor in conspectu Dei pacatur, Alia omnia quæ suscipi possunt,relinquunt in animis dubitationem,&c.

Hic Psalmus tradit doctrinam justificationis.

Fac me audire gaudium.

Signate igitur & per Emphasim hæc omnia intelligenda sunt,Nam ad confutationem supra institutam pertinent. Per Antithesin enim omnes diversas vias, quas homines perturbatis conscientijs ingrediuntur, damnat,quod etsi specie insignes sint,tamen hoc gaudium non afferant, quod affert auditus. Idem enim accidit perturbatis conscientijs, quod anseribus, quos cum persequuntur vultures, volatu conantur evadere,cum cursu id melius possint. Econtra cum infestant eos lupi, conantur evadere cursu, cum volatu id tuto possint. Ita homines, cum premuntur conscientiæ,jam huc, jam illuc cursitant, jam hoc,jam aliud opus instituunt. Ita sibi ipsis tantum cumulant pericula & labores inutiles, cum hic unus verus & certus modus sit sanandæ conscientiæ, quem David hic aspersionem vocat, qua auditur & accipitur Verbum. Tota enim ratio justificandi,quo ad nos, passiva est. Nos autem cum sumus sanctissimi, volumus active justificari, hoc est,nostris operibus, sed nihil hic à nobis agi, nihil suscipi debet, præter hoc unum, ut adhibeamus aurem, sicut Psal. 45. etiam monet, & eredamus ea, quæ nobis dicuntur. Hic solus auditus, est auditus læticiæ,& hoc solum est, quod nos facimus per Spiritum sanctum in justificationis causa. Sic Paralytico auditus læticiæ erat, cum diceret Christus,Confide fili,remissa tibi sunt peccata tua.Sic Davidi,lætitia erat audire ex Nathan,Non morieris,&c.

Similitudo de anseribus.

Verus modus sanandæ conscientiæ.

Psal. 45.

Paralyticus Matth. 9.

Est igitur summa summarum, Cum positus es in tristicia seu sensu iræ divinæ, ne aliam medicinam quæras, ne solatia alia admittas, quam Verbum, sive per Fratrem præsentem inspiretur, sive incidat monente Spiritu per Verbum antea auditum,sicut sunt sententiæ,Nolo mortem peccatoris,sed ut magis convertatur & vivat,Item, Vita in voluntate ejus, Item, Deus, est Deus vivorum, Item, Sic Deus dilexit mundum, ut daret unigenitum Filium suum, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hæ sententiæ & similes afferunt auditum lætitiæ, sive per alienum os, sive per Spiritum sanctum inspiratæ. Sed hæc quoq; est absconditæ veritas & sapientia,quam homines inexperti non possunt comprehendere,Ideo Papæ Doctores longe alias afferunt rationes, quibus animis perturbatis medeantur.

Solo verbo perturbatæ conscientiæ erigenda.

Ezech. 1. Psal. 30. Matt. 22. Iohan. 3.

Verbi vocalis efficacia.

Porro hic verſus inſigne teſtimonium eſt, quo miniſterium Verbi, ſeu verbum vocale ornatur. Quia enim auditum lætitiæ petit, manifeſte ſignificat Verbum ad conſolandos animos eſſe neceſſarium, ſive id per Fratrem afferatur, ſive Spiritus verbum olim auditum ſuggerat. Ergo pugnat hic verſus primo contra omnes, qui oderunt aut negligunt verbum externum, & rapiuntur ſuis ocioſis & inanibus ſpeculationibus. Deinde etiam contra eos pugnat, qui perturbati angoribus animi, verbum nolunt admittere, ſed aut increduli ſunt, aut à Verbo fugiunt ad opera, ſicut illi ad cogitationes ſuas, Vtrinq; erratur, & cogitando & faciendo. Hoc autem uno non erratur, ſi audias.

In Sacramentis & abſolutione ad verbum reſpiciendum.

Atq; hæc doctrina eſt, propter quam non ſolum nomen hæreſeos, ſed etiam pœnas ſuſtinemus, quod ſcilicet omnia tribuimus auditui, ſeu Verbo, ſeu fidei in Verbum (ſunt enim hæc idem) & non noſtris operibus. Quin in Sacramentorum uſu & confeſſione docemus ad verbum potiſſimum reſpiciendum eſſe, ut omnia revocemus à noſtris operibus in verbum. Nam in Baptiſmo eſt auditus gaudij, cum dicitur, Baptiſo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit, In Cœna eſt auditus gaudij, cum dicitur, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum. In Confeſſione, ſeu ut rectius appellemus, in Abſolutione & clavium uſu, eſt auditus gaudij, Crede, remiſſa ſunt tibi peccata tua per Chriſti mortem. Etſi igitur hortamur ad Sacramenta, & ad abſolutionem, tamen non docemus aliquid de dignitate noſtri operis, quod ex opere operato valeat, ſicut Papiſtæ de Cœna Domini ſeu ſuo ſacrificio ſolent, Sed revocamus homines ad verbum, ut caput totius actionis ſit ipſa vox Dei & ipſe auditus.

Doctrina Papæ de Sacramentis & contritionibus.

Contra, Papa, omiſſo Verbo, de forma & virtute Sacramentorum diſputat, Item, de contritionibus & attritionibus. Hac doctrina ſane ita ſum ego in Scholis corruptus, ut vix magno labore, Dei gratia, me ad ſolum auditum gaudij potuerim convertere. Nam ſi expectandum eo uſque eſt, donec ſufficienter conteraris, nunquam pervenies ad auditum gaudij. Id quod in monaſterio magno cum dolore ſæpiſſime expertus ſum. Sequebar enim hanc doctrinam de contritionibus, Sed quanto conterebar magis, tanto dolores & conſcientia inſurgebat major, nec poteram admittere Abſolutionem & alias conſolationes, quas afferebant ij, quibus confitebar. Sic enim cogitabam, Quis novit an talibus conſolationibus credendum ſit? Poſtea caſu accidebat, cum apud Præceptorem meum de his meis tentationibus, quas ſane plurimas & propter ætatem patiebar, cum multis lachrymis quererer, ut is ad me diceret, Fili quid facis? An neſcis quod ipſe Dominus juſſit nos ſperare? Hoc uno verbo (IVSSIT) ita confirmabar, ut ſcirem Abſolutioni credendum eſſe, quam ſæpe quidem antea audieram, ſed ſtultis cogitationibus impeditus, non putabam me Verbo debere credere, ſed audiebam, tanquam nihil ad me pertineret.

Exemplum Lutheri.

Adhortatio ad hanc doctrinam juſtificationis diſcendam.

Quare meo exemplo & periculo moniti, diſcite hanc doctrinam juſtificationis, quam præſens verſiculus oſtendit, quod Iuſticia non contingat, niſi ei, qui credit Verbo, ut diſtinguatis inter Verbum abſolventis & veſtrum propoſitum, ſeu contritionem, ſicut inter cœlum & terram. Nam contritio etiam cum ſumma & perfectiſſima eſt, tamen reſpectu juſticiæ eſt infimum quiddam, imo merum nihil, quo neque meremur aliquid, nec ſatisfacimus. Quale enim meritum eſt agnoſcere peccatum, & de eo dolere? Quare procul à tua contritione averte oculos, & in vocem Fratris abſolventis toto pectore intuere, ne dubites, quin illa vox Fratris in Sacramento, ſeu abſolutione, ſit divinitus dicta ab ipſo Deo Patre, Filio & Spiritu ſancto, ut ita totus pendeas ab eo, quod audis, non ab eo quod tu facis & cogitas.

Perverſitas doctrinæ Papiſtica.

Diverſum Papa facit, Adigit primo ad contritionem, & ex contritione poſtea vult ſtatuere, ſit ne verbum efficax an non? Quaſi promiſſio Dei non valeat per ſe, ſed habeat opus acceſſione noſtrorum meritorum, contritionum aut ſatisfactionum. Atque hanc doctrinam ſic retinent, ut nos ſaniora docentes, tanquam hæreticos

reticos damnent.&omni genere ſuppliciorum afficiant.Hinc in omnibus Bullis addita eſt hæc clauſula, Rite confitentibus & contritis, Quaſi certitudo abſolutionis pendeat ex certitudine contritionis,cum tamen cor nunquam poſſit ſtatuere,quando ſit ſatis contritum. Has indulgentias etiam magno auro vendidit Pontificum avaricia,Sed ô Chriſte,aufer indulgentias iſtas, & potius ſine,ut nobis irati ſint Pontifices, quam ut relinquentes certitudinem Verbi tui, nitamur contritionibus noſtris,ſicut ipſi docent. Certitudo enim omnis nobis in Verbo tuo eſt poſita,quo revelas totius orbis Peccata, tuo Sacrificio, Morte,& reſurrectione tua expiata & deleta eſſe.Hanc vocem cum audit cor, tum oritur gaudium, de quo David hic loquitur. Quomodo enim non gaudeat animus, cum audit tantam divinæ miſericordiæ eſſe magnitudinem, ut cum voluptate largiatur gratiam, & non ſpectet inſufficientem contritionem, ſed ſimpliciter ſuam miſericordiam & noſtram calamitatem conſideret.Hunc auditum ſequitur fiducia illa,ut dicamus, Sum baptizatus.Sumpſi corpus pro me in cruce traditum, Audivi Dei vocem ex miniſtro vel fratre, qua mihi annunciata eſt remiſſio peccatorum, Hac autem fiducia vincitur mors, & omnia alia mala.

Gaudium oritur ex verbo oritur.

Libenter hæc pluribus dico, ut ſciatis formam remiſſionis peccatorum non eſſe per opera, ſed per auditum. Canunt quidem & orant hunc Pſalmum quotidie intemplis Papiſtæ,ſed nemo eſt,qui intelligat quid ſit hoc gaudium, quo pij lætantur in Domino,nempe,certa fiducia miſericordiæ Dei, & conſcientia non dubitans de remiſſione peccatorũ. Hæc fiducia,ſeu cognitio,ſeu auditus ille ſi non adſit,nulla poteſt firma haberi conſolatio. Nam hoc quoq; propria experientia didici,quod poſt vigilias,ſtudia, jejunia,orationes, & alia duriſſima exercitia, quibus Monachus ego ad mortem uſq; me affligebam, tamen illa dubitatio relinquebatur in animo, ut cogitarem, Quis ſcit an Deo hæc grata ſint? Felices igitur vos Iuvenes, ſi modo grati fueritis Deo pro tanto dono,quod auditis jam ſanam & veram rationem, qua pervenitur ad juſticiam, ut poſſitis dicere in cordibus veſtris, Si non tantum oravi aut feci, quantum oportebat aut ſatis erat, quid ad me? Non enim ædifico ſuper hanc arenam. Si non perfecte contrivi, quid ad me id quoq;? Sed hoc ad me pertinet propric, & ſuper hoc ædifico, quod Deus mihi loquitur per fratrem, Ego abſolvo te in nomine & merito Chriſti. Hoc verbum credo eſſe verum, nec me fallet fides mea. Eſt enim ædificata ſupra petram ſermonum filij Dei, qui mentiri non poteſt, eſt enim veritas, &c. Ad hunc modum perfunduntur animi vero gaudio,& vera lætitia Spiritus ſancti,quæ tota conſiſtit in certitudine verbi,ſeu in auditu.

Gaudium plenum ex certitudine verbi.

Sed hic quoque de Antitheſi monendi eſtis. Videtur enim ad Moſen oblique reſpicere, cum dicit, Auditui meo dabis gaudium. Quaſi dicat, Iam ſatis diu Legem & Moſen audivi, qui habet gravem linguam, Tolle à me hunc auditum,Eſt enim auditus iræ Dei & mortis æternæ. Quare peto auditum lætitiæ, qui venit per verbum Gratiæ & remiſſionis peccatorum, Tunc fiet, ut exultent oſſa humiliata, hoc eſt, oſſa per ſenſum peccati contrita & concuſſa, quem ſenſum Lex Dei in animis efficit.Sed ſicut gaudium,de quo ſupra dixit, Papæ diſcipuli non intelligunt,ita neque hanc humiliationem oſſium quid ſit ſcire poſſunt. Nunquam enim audiverunt verba legis, nec audiverunt auditum mortis & deſperationis, ſed ſine experientia de his rebus diſputant, ſicut cæcus de pictura. Quare pertinet hæc quoque cognitio ad illam abſconditam ſapientiam,de qua ſupra dixit. Nam ego ſæpe à multis in Monaſterio rogavi,ut mihi dicerent, quid eſſent humiliata oſſa, Sed quia experientiam talium tentationum non habuerant, impoſſibile erat, ut de re ignota aliquid ſani & certi dicerent. Non enim omnes eaſdem tentationes patiuntur, ſed dat Deus iſta, ſecundum quod ſinguli ea ferre poſſunt, Et tamen neceſſe eſt hunc ſenſum legis & mortis experiri omnes, utcunq; alij plus, alij minus eum experiantur,quidam in ultimo articulo vitæ tandem eum ſentiunt.Fit autem ſecundum literam quoq;, ut in iſto ſenſu, oſſa humilientur, hoc eſt,ut robur corporis & vires

Antitheſis cum Moſe obſervanda.

Auditus ac Dei.

Auditus lætitiæ.

Humiliatio oſſium.

frangantur, & mirabiliter affligantur, ſicut in ſubitis periculis mortis, item in alijs magnis doloribus experimur.

Contritio haec oſſium, alia eſt, à Papæ contritione, nec tolliter niſi voce Nathan.

Sed hæc oſſium contritio longe alia contritio eſt, quam Papæ, qui jubet, ut meditemur peccata commiſſa, poſtea imponit ſatisfactiones, ſtultiſſimas peregrinationum, jejuniorum, eleemoſynarum, &c. Sed niſi ad veram contritionem accedat hoc, quod Nathan Davidi dixit (Abſtulit Deus peccata tua) impoſſibile eſt, quin oſſa maneam contrita. Nulla enim re poteſt ſanari hoc conſcientiæ vulnus, quam Verbo divinæ promiſſionis, quod ſcilicet credimus Deum noſtrum eſſe Patrem miſericordiarum, & omnis conſolationis, Item quod credimus, Eſſe Domino beneplacitum, ſuper timentes eum, & ſuper eos, qui ſperant in miſericordia ejus, Quod ſcimus ipſum velle ut ſperemus, &, niſi ſperes, pœnam æternæ damnationis ſubeundam eſſe. Cur autem juberet ſperare, niſi vellet ignoſcere? Cur objiceret Filium unigenitum tam fœdæ morti, niſi vellet nos per fidem in ipſum ſalvari? 2. Reg. 12.

Pharmaca quibus oſſa humiliata ſanantur.

Hæc atq; hujuſmodi alia dicta, ſunt iſta vera aſperſio, & pharmaca præſentiſſima, quibus ſanantur oſſa humiliata, & conſcientia erigitur. Qui autem dubitant de hac Dei voluntate, & reſpiciunt in ſuam indignitatem, quod ſanctitate non Paulo, non Petro ſint pares, hi nunquam poſſunt eſſe quieto animo. Quare quidquid uſquam juſticiarum ſeu peccatorum, ſive in te, ſive in toto mundo eſt, hoc totum procul ex oculis atq; animo ejice, & dic, Etſi ſum indignus, qui iſta tanta beneficia, ſcilicet remiſſionem peccatorum & gratiam Dei recipiam, Tamen Deus non eſt indignus, ut ei credam, quod velit peccata remittere, ſicut promiſit in Verbo ſuo. Nam hæc Conſequentia in Theologia non valet, Ego ſum turpis peccator & malus, Ergo Deus mentitur, qui promiſit peccatoribus remiſſionem peccatorum. Quin hanc Conſequentiam faciamus, ſicut contra David fecit, Potius ſum peccator, quam ut Deus ſit mendax, Quod autem miſericordiam ſpero, hoc facio fiducia Verbi ſui, quod de Chriſto prædicatur, &c.

Cur Prophetæ mala à Deo dicant.

Sed hic admonendus eſt Lector de proprietate, quam habet Ebræus. Sic enim in Ebræo legitur, Et exultabunt oſſa, quæ tu contriviſti. Eſt autem hic magnus ſcrupulus, cur Prophetæ ſingulari ſtudio hoc obſervent, ut pronuncient mala ab ipſo Deo venire, cum tamen verum ſit, Deum per ſe mala non facere, ſed uti medijs inſtrumentis. Nam ſic in Hiob dicit Dominus, Tu me coëgiſti, ut eum affligerem fruſtra, Hiob. 2. cum tamen hiſtoria clare oſtendat, Diabolum incendiſſe domum, occidiſſe liberos, ſuaſiſſe deſperationem & murmur contra Deum. Hæc, inquam, vere Diaboli opera ſunt, & tamen dicit Dominus, Ego afflixi eum. Ad eundem modum dicit hic David quoque, Tu contriviſti oſſa mea, cum tamen Deus nihil aliud fecerit, quam quod ſubtraxerit manum & Spiritum ſuum, & reliquerit Davidem exercendum ignitis telis Satanæ, quibus cor ita implevit triſticia & deſperatione, quibus ita perturbavit & confudit mentem, ut nullus pateret exitus. Hiob 2.

Lex.

Eſt enim pater mendacij & homicida. Tale inſtrumentum ſeu medium, eſt Lex quoq;, per quam accuſantur & damnantur peccata. Vtitur autem his medijs Deus ideo, ut humiliet nos & eximat præſumptionem noſtrorum operum, ut ſimpliciter diſcamus nos ſola gratia & benignitate Dei vivere.

Reſponſio.

Sed reſpondeamus ad argumentum, Cur iſta tribuuntur Deo, cum ea proprie non faciat, ſed utatur medijs ſuis, Satan occidit, Lex accuſat, & tamen Deo utrunque tribuunt ſacræ literæ. Ejus rei hæc cauſa eſt, ut retineamur in articulo fidei noſtræ, quod tantum ſit unus Deus, ne cum Manichæis plures faciamus Deos. Hi enim ponebant duo Principia, quorum unum bonum, alterum malum eſſet, In bonis currebant ad bonum Deum, in malis ad malum Deum. Vult autem Deus nos tum in ſecundis, tum in adverſis rebus in ſe uno habere fiduciam, Non vult nos inter eos eſſe, de quibus Eſaias dicit, Non eſt populus converſus ad percutientem ſe. Nam hoc ſolet natura noſtra, in ſubitis terroribus & periculis à vero Deo avertitur, quia credit eum eſſe iratum, ſicut Hiob, Es mihi factus in crudelem. Hoc autem eſt alium fingere Deum, & non manere in ſimplicitate fidei, quod ſit unus Deus. Neque enim

Duo principia Manichæorum.

Alium Deum fingere.

Eſai 9.

Hiob 30.

enim Deus est crudelis,sed est pater consolationis. Quia autem suspendit auxilium,
Isa. 45. ideo mox corda nostra ex Deo semper sui simili,& constanti, faciunt Idolum iratum. Hoc volunt Prophetæ prohibere,cum uno ore dicunt, Ego Dominus,qui creo bonum & malum, Ne cogitemus, cum Sol impeditur nubibus, omnino Solem è mundo sublatum, aut ex lucido corpore atrum & obscurum factum esse, retinet enim Sol lumen suum,sed nubibus impedimur nos,ne id possimus videre. Sic Deus est bonus,justus,& misericors,etiam cum percutit. Qui hoc non credit,is discedit ab unitate fidei,quod sit unus Deus, & fingit sibi alium Deum, qui sui sit dissimilis,jam bonus jam malus. Sed donum insigne Spiritus sancti est, credere Deum cum mala immittit esse propicium & misericordem.

X.

Averte faciem tuam à peccatis meis, Et omnes iniquitates meas dele.

Hic ut videtis,iterum clarum facit,se non de peccato adulterij tantum loqui, dicit enim, Omnes meas iniquitates dele. Ostendit autem nobis hic quoq; singularem experientiam,quam in hoc certamine spirituali experiuntur Sancti. Quando enim animus sensu peccati plene occupatus est, tunc ne justi quidem satis pacis habere possunt,sed manet cum auditu læticiæ mixtus dolor, qui non patitur,ut tantum de auditu læticiæ sumant,quantum satis est. Primitias enim habent,& tanquam guttulam extremi digiti,qua refrigerantur animi,plenitudinem gaudij non habent, sed pendent ceu ex tenui filo, ubi bene crasso fune opus erat, ad sustinendam molem corporis. Sic Sancti incipiunt tantum sentire hunc auditum, nondum hauserunt enim ad ebrietatem. Petit igitur David in hoc versiculo incrementum & perfectionem hujus auditus, qui ita impleat animum hac cognitione misericordiæ, ut nihil relinquatur,quod amplius perturbet.

Iterum ostendit, se non de solo adulterij peccato loqui.

Sententia hujus versus.

Hac petitione etiam nobis per omnem vitam opus est, ut crescat de die in diem magis noticia hæc & fiducia misericordiæ, sicut Paulus & Petrus hortantur ad hoc fidei incrementum. Videtis enim quantum in eo periculi sit, si statim uno aut altero Libello perlecto,nobis persuadeamus,nos Theologiæ Doctores esse, Ante oculos sectarum exempla sunt,qui cum vix unam guttulam sanæ doctrinæ hausissent tanquam Doctores orbis omnia implerunt falsis opinionibus,de Baptismo, de Cœna Domini,de obedientia erga legem Dei, de obedientia erga Magistratum, &c. Quia enim nunquam in his spiritus certaminibus versati sunt, neq; hanc doctrinam de fiducia misericordiæ Dei apprehenderunt,facile fuit Satanæ, eos subvertere pravis opinionibus. Quare nos his exemplis horribilibus moniti,petamus cum Davide hanc gratiam augeri,& dicamus, Averte Domine faciem tuam à peccatis nostris,& omnes iniquitates nostras dele, ut sit plena pax & plenum gaudium nostrum.

Fidei incrementum & nobis petendum.

Probat autem hæc ipsa petitio Iustificationis locum talem esse, qui nunquam possit perdisci. Qui igitur sibi persuadent, quod eum plene norint, hos verissimum est,nunquam cœpisse,ut eum discerent. Quia enim quotidie nova certamina, nunc à Satana,nunc à carne nostra, nunc à mundo & conscientia nostra oriuntur, quibus ad desperationem,ad iram,ad libidinem &ad alia vitia rapimur,quomodo possibile est in tanta infirmitate nostra, non sæpe concidere nos,aut saltem frangi. Deinde quot negocia vita hæc nobis objicit, quibus paulatim eo abducimur, ut obliviscamur hujus gaudij? Quare summa necessitas est, petere, ut Deus nos semper hoc auditu læticiæ perfundere seu aspergere velit, ne obruamur iterum tristicia illa, quam sensus peccatorum affert.

Iustificationis doctrina nunquam perdiscitur.

Nova certamina quotidie pia subeunde.

Intelligo igitur hunc versiculum de incremento illius pacis & justiciæ, qua vincitur sensus iræ Dei & peccati. Etsi enim justi vere habent remissionem peccatorum, quia habent fiduciam misericordiæ, & sunt propter Christum in gratia, Tamen non cessant conscientiæ morsus, & reliquiæ peccati, quibus infestantur. Hæc igitur ingens Spiritus sancti virtus est,credere gratiæ Dei,& sperare Deum esse propicium

De quo incremento hic versiculus intelligendus.

propicium & favere, Nec poteſt fiducia hæc retineri ſine acerrimis certaminibus, quæ in carne excitant, tum quotidianæ orationes perturbationem ac triſticiæ, tum
* nobiſcum nata imbecillitas, & diffidentia. Etſi enim hodie læto ſim animo ob hunc auditum læticiæ, tamen cras aliquid incidit, quo perturbor, cum aut in mentem venit ea me feciſſe, quæ fugienda erant, aut omiſiſſe, quæ præſtanda erant. Hæ procellæ & fluctus hi, nunquam ceſſant in animis. Advigilat autem Satan quoq; cum corda noſtra promiſſionibus Dei non bene munita eſſe ſentit, ut alia ſpectra iræ & perturbationum in nobis excitet, quibus corda ita liqueſcunt, ceu ſal conjectum in aquam. Quare neceſſaria hæc precatio eſt, quod orat, Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, Omnes, inquit, tam præteritas, quã præſentes, quam futuras, quotidie enim pecco, omnes, omnes dele, ne ruam in deſperationem, aut obliviſcar miſericordiæ tuæ. Hic iterum vides remiſſionem peccatorum non in eo eſſe, quid ego faciam, ſed in eo, ut Deus per miſericordiam deleat, ſicut Paulus de chirographo, qui intra nos eſt, etiam dicit.

Averte faciem tuam à peccatis meis.

XI.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Abſolutis præcipuis religionis noſtræ locis, de inceptis, quæ ad dona Spiritus pertinent ſequuntur. Gratia.

ABſolvimus principalem partem hujus Pſalmi, in quo præcipui noſtræ religionis loci pertractati ſunt, nempe, quid ſit pœnitentia, quid Peccatum, quid Gratia, quid Iuſtificatio, quæ Iuſtificationis cauſæ ſunt. Quæ jam ſequuntur, meo judicio, pertinent ad dona Spiritus, quæ remiſſionem peccatorum ſequuntur. Nam hanc diſtinctionem Paulus tradit. Aliud eſſe gratiam, & aliud eſſe donum. Gratia ſignificat favorem, quo nos Deus complectitur, remittens peccata, & juſtificans gratis per Chriſtum. Pertinet autem ad prædicamentum relationis, quod dixerunt Dialectici, minimæ entitatis, & maximæ virtutis eſſe, Ne putetis eſſe qualitatem, Sicut Sophiſtæ ſomniarunt. Pendet enim remiſſio peccatorum ſimpliciter ex promiſſione, quam fides accipit, non ex noſtris operibus aut meritis, ſed ex eo, quod Deus gratuito nos ad ſe revocat, per compunctionem legis, ut agnoſcamus eum largitorem eſſe gratiæ, Donum ſeu χαρίσματα ſunt, quæ à Deo reconciliato per Chriſtum, poſt remiſſionem peccatorum credentibus donantur. Ad hæc dona, meo judicio, proximi tres verſiculi pertinent. Nam ego conjungendos eſſe, cenſeo, propterea, quod ter repetit nomen Spiritus, Spiritum rectum, Sanctum, & Principalem.

Donum.

Omitto autem iſtas inutiles Scholarum diſputationes, loquatur ne de Spiritu efficiente, ſeu perſona divina, aut de dono ſpiritus. Quid enim iſta accurate diſputata ædificant? cum habeamus clarum verbum Chriſti, Venienus ad eum, & manſionem apud eum faciemus. Habitat ergo verus Spiritus in credentibus non tantum per dona, ſed quo ad ſubſtantiam ſuam. Neq; enim ſic dat dona ſua, ut ipſe alibi ſit, aut dormiat, ſed adeſt donis, & creaturæ ſuæ conſervando, gubernando, addendo robur, &c. Petit igitur Propheta, vt poſtquam juſtificatus eſt, & remiſſionem peccatorum accepit, vt iſte ſenſus miſericordiæ Dei altiſſime per Spiritum ſanctum infigatur animo. Ideo his verbis vtitur, Cor mundum crea in me Deus, Non enim loquitur de momentanea aliqua operatione, ſed de continuatione cœpti operis, Q. d. Tu cœpiſti in me opus tuum, quod fido miſericordiæ tuæ, Iam igitur quod cœpiſti, abſolue, Confirma Deus quod operatus es in me. Non enim qui cœperit, ſed qui perſeuerauerit in finem, ſalvus erit.

Spiritus ſanctus habitat in credentibus etiam ſubſtantialiter.

Cor mundum crea in me Deus.

Ioh. 14.

Matth. 24.

Sophiſtæ noſtri in eo errore ſunt, vt ſomnient ſatis eſſe ſemel cœpiſſe. Sic enim docent, Gratiam eſſe qualitatem latentem in corde, quam ſi quis habeat, tanquam gemmam incluſam in cor, eum reſpici à Deo, ſi cooperetur cum libero arbitrio, Item, Si quis habeat gratiam primam, etiamſi vix ſcintilla ſit, eum ſaluari. Sed nos de gratia aliter docemus & credimus, nempe quod Gratia ſit continua & perpetua operatio, ſeu exercitatio, qua rapimur & agimur Spiritu Dei, ne ſimus increduli promiſſionibus eius, & cogitemus atq; operemur, quidquid Deo gratum eſt & placet. Spiritus enim eſt res viva, non mortua. Sicut autem vita nunquam ocioſa eſt,

Sophiſtarum error de Gratia.

Gratia.

ſed

ſed ſemper dum adeſt agit aliquid, Nam ne in ſomno quidem vita ocioſa eſt, ſed aut augentur corpora, ut in pueris, aut alia in anhelitu & pulſu vitæ opera ſentiuntur, Sic Spiritus ſanctus nunquam ocioſus eſt in pijs, ſemper aliquid agit, quod pertinet ad Regnum Dei. Quare moneo, ut iſta vocabula Theologica aſſueſcatis recte intelligere, ne cum auditis vocabulum creandi, cogitetis de uno aliquo momentaneo opere, ſed de perpetua gubernatione, conſervatione, & augmento ſpiritualium actionum in corde fideli.

Spiritus ſanctus non eſt ocioſus in pijs.

Obſervanda autem hic eſt Antitheſis, quam Propheta oſtendit in eo, quod mundum cor petit. Reſpicit enim obliquis oculis ad illam larvam juſticiariorum, Q. d. Video multa baptiſmata in ſacris, & templo, item domi quoq; jam veſtes, jam parietes, jam corpora tota abluuntur, Sed ubi manet illa mundificatio cordis? Sunt enim corda polluta idolatrijs, vanis opinionibus de Deo, concupiſcentia & alijs vitijs, quæ inde naſcuntur, quod cognitionem Dei ſanam non habent. Hæc omnia belli iſti balnearores negligunt, & occupantur ea cura, ut corpora & veſtes niteant, Sed ô Deus, munda tu cor meum, ut tuam voluntatem agnoſcam qualis eſt, hoc eſt, bonam & propiciam, ut non phantaſticis cogitationibus de Deo abducat ad impias opiniones. Hoc eſt proprie mundum cor, de quo Chriſtus quoque dicit Matth. 5. Beati qui ſunt mundo corde. Transferenda enim eſt hæc cordis mundicia ad ſpirituales actiones. Etſi enim cor etiam polluitur libidinibus, ira, invidia, & alijs vitijs, tamen ea immundicies ejuſmodi eſt, ut ratio, & caro eam intelligat & damnet. Sic extant etiam inter gentes inſignes Conciones contra vitia, quibus profani homines turpiter indulgent.

Antitheton cordis mundi obſervandum.

Corda polluta peccatis.

Matth. 5. *Cor mundum.*

Sed Propheta orat contra immundiciem, quam ratio non intelligit, ut ſcilicet corda ſint pura & munda à vanis & falſis opinionibus de Deo, & ſentiant Deum eſſe benignum, faventem & miſericordem, qui non velit mortem Peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Quando enim cor ſentit Deum eſſe iratum, tunc ſtatim ſequitur idolatria, qua aut perſuademus nobis eſſe Deum alium, quam natura eſt, & quærimus alia remedia in verbo prohibita, aut plane deſperamus. Contra has cordis pollutiones, orat mundum cor, quod de Deo recte ſentiat, quod Deum diligat tanquam Salvatorem à peccatis, & largitorem vitæ. Videt enim hoc periculum, quod qui hanc cognitionem habent, tamen à Satana varie ſolicitantur ad falſas opiniones de Deo.

Immundicies cordis ignota rationi.

Mundum cor.

Summa igitur hæc eſt. Agnoſcit Propheta gratiam, quod habeat remiſſionem peccatorum, & faventem Deum, Orat igitur contra periculum, quod plerunq; Satan conatur excitare, ne transferatur in alias opiniones, Sed ut hæc cognitio benignitatis divinæ quotidie magis ac magis creſcat, ut in omnibus, quæ facimus aut ſuſtinemus, ſimus læto animo, & ſciamus nos eſſe propter Chriſtum in Gratia, & placere omnia quæ facimus, etiam illa, quod comedimus & bibimus pro neceſſitate corporis, quod facimus operas noſtras, & ut cor ſic maneat purum, in perpetua & ſana cognitione Dei & fiducia erga Deum per Chriſtum, ac ſtatuat omnia noſtra Deo placere, non propter meritum ſeu dignitatem aliquam noſtram, ſunt enim omnia polluta, ſed propter donum Fidei, quod credimus in Chriſtum. Neq; autem eſt in poteſtate noſtra, tale cor aſſumere, ſed eſt creationis divinæ, Ideo vocabulo Creandi ſpiritus hic uti voluit. Nam ea vana ſomnia ſunt, quæ de purgationibus cordis nugati ſunt Scholaſtici. Sicut autem non eſt noſtrarum virium, ſed divinæ creationis, tale cor mundum, ita quoq; non poſſumus hanc creationem conſervare contra Diabolum. Ideo videmus quam ſæpe polluamur ſubitis perturbationibus ac triſticia, &c. Quare nunquam ceſſare debet hæc precatio, de creatione & etiam conſervatione mundi cordis.

Incrementum fidei, &c.

Sophiſtarum nugæ de purgatione cordis.

Quod ſequitur, Et ſpiritum rectum innova in viſceribus meis, quod ad ſententiam attinet, idem eſt, cum mundo corde. Germanis quoq; fere idem eſt vocabulum Cordis cum eo, quod Ebræus Spiritum dicit. Nam quod Latine dicimus Animam, intellectum, voluntatem, affectum, hæc fere omnia Germani vocabulo

Spiritus rectus.

Cordis

Cordis reddunt. Sed Epitheton quod hic Spiritui addit Nachon, ſignificat proprie ſtabile, ſolidum, plenum, firmum, certum, indubitatum. Nos poſt multas cogitationes, deſperavimus de hoc vocabulo, ſignificanter Germanice reddendo. Cæterum perpetuo opponitur dubitationi & varietati opinionum. Proprie igitur eſt, Spiritus certus, ſeu rectus, qui cor ſtabilit contra dubia & varia dogmata, item contra Diaboli ſuggeſtiones, conantis nos ab ea fide abducere, quod Deus non ſit miſericors & propicius. Ac videtur Chriſtus idem vocare Spiritum veritatis, qui non ſimulet aliquid, quod non ſit, ſed certa faciat & doceat. Sic in libris Regum eſt de Salomone, Et ſtabilitum eſt regnum Salomonis, hoc eſt, ratum factum. Sic dicunt, fruges certas, quæ ſecundum ſpeciem ſuam certiſſimo modo proveniunt. Sic dicitur etiam, Certus ſpiritus, hoc eſt, certa & indubitata fides, quæ non vagetur opinionibus, ſicut pueri ſolent, ſed quæ creſcat, & fiat perſuaſiſſima, ſicut etiam Paulus dicit, Perſuaſus & certus ſum. Nam cum de Gratia & remiſſione peccatorum agitur, procul omnis dubitatio ejicienda eſt. Eſt autem hoc non noſtrarum virium, ſed Dei creantis.

Spiritus certus. Spiritus veritatis.

1. Reg. 2.

Rom. 8.

Juſtitia operum relinquit cor immundum.

Pertinet autem hæc particula quoq; ad confutandam larvatam juſticiam illam operum, quæ cor relinquit immundum, & ſpiritum incertum. Nam Monachus, qui multos annos ſingulari ſtudio Regulam ſuam ſervavit, & omnia fecit quæ potuit, tamen certitudine hac caret. Ergo hoc primum eſt poſt hanc cognitionem miſericordiæ petendum, ut hæc cognitio maneat certa, ut cor nihil dubitet de miſericordia Dei, neque vagetur alijs & alijs cogitationibus, quas aut corda ſibi fingunt, aut impiæ doctrinæ ferunt. Ad hoc donum neceſſaria eſt creatio & invocatio, quæ fit per continuum exercitium ſpiritualium certaminum, ſeu tentationum. Nam exempla ante oculos ſunt, quod multi nobiſcum coeperunt, qui omnes incredibili applauſu hanc doctrinam amplectebantur. Sed paulatim poſtea aut in alias opiniones per Sectas abducti, aut in manifeſtum contemptum & odium Evangelij prolapſi ſunt. Hujus calamitatis non alia cauſa fuit, quam quod hunc certum Spiritum non habuerunt. Sed cum ſibi viderentur pulchre eruditi in hac Theologia, per ſpiritum malum in eam ſuperbiam abducti ſunt, ut aut nova quærerent, aut per invidiam cogitarent de nobis opprimendis. Eſt igitur opus certitudine Spiritus, non ſolum propter Diabolum, ſed etiam propter carnem noſtram & mundum. Hæc enim conjunctis quaſi copijs hanc certitudinem doctrinæ nobis extorquere volunt. Sed cæteri omnia hæc docent longe melius, quam à nobis dici poſſit.

Certitudo ſpiritus.

XII.

Ne projicias me à facie tua, Et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Pericula pij imminentia deprecatur.

VIde inſignem humilitatem, quam anxie metuat ea pericula, quæ ijs imminent, qui juſtificati ſunt, & remiſſionem peccatorum habent. Nam ſine Spiritu ſancto non poſſet hæc orare, & tamen qui jam habet Spiritum ſanctum, hoc petit & ſuſpirat, ne projiciatur, ne deſeratur, ne peccet iterum & concidat, Q. d. Habeo carnem, quæ luctatur contra ſpiritum. Adſis igitur, & me ſuſtenta, ne denuo peccem, ſicut antea peccavi, cum à te deſertus eſſem. Ne ſic me projicias, & Spiritum tuum ſanctum ne auferas à me, hoc eſt, da perſeverantiam ut corpus in me ſanctificetur. Nam ſicut ſupra petivit Spiritum certum, hoc eſt, plerophoriam, ut Paulus vocat, & plenam cognitionem miſericordiæ Dei, ita hic petit Spiritum ſanctum non auferri, nec projici ſe. Quod ego refero ad ſanctificandam carnem, & ad mortificationem, ſeu ad novam obedientiam, quæ in juſtificatis ſequi debet, Vt maritus caſte vivat cum ſua conjuge, & ſuaviter cum vicinis, ut Magiſtratus diligenter faciat officium in adminiſtranda Republic. ne indulgeat peccatis ſubditorum, &c. Notum enim eſt, quid nova obedientia in juſtificatis ſecum afferat, ut cor quotidie creſcat in Spiritu ſanctificante nos, ut poſtquam pugnatum eſt contra reliquias pravarum opinionum de Deo, & contra dubitationem, progrediatur Spiritus etiam ad

Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

guberna-

gubernationem actionum corporis,ut ejiciatur libido, assuescat animus ad patientiam,& alias morales virtutes,&c.

Homini in Sophistarum Theologia instituto absurdum videtur, quod tam sanctus Propheta clamat pro donis Spiritus sancti, ac si nulla haberet. Sed nos tum experientia, tum talibus exemplis edocti scimus,quod nemo potest petere gratiam,nisi justificatus. Item quod nemo possit petere dona Spiritus,nisi sanctificatus. Quia enim primitias Spiritus acceperunt tales,ideo cupiunt & aspirant ad decimas quoq; accipiendas, & quia renati sunt ad Vitam,ideo cupiunt Mortem cum suis reliquijs plane abjicere,ac sperant,& quærunt perfectionem, à qua experiuntur quotidie,quam adhuc absunt longe. Ideo David orat, ne permittatur suis cogitationibus,sed ut servetur mundus corde & opere in oculis Dei. Facilis enim hic lapsus est, sicut ostendit parabola servuli apud Lucam, qui in conspectu Domini sic humilis & pius erat, ut consequeretur remissionem omnium debitorum, per misericordiam patrisfamilias, sed vix digressus ab hero, incidit in conservum, & fit immitis homicida ac crudelis.

Qui Gratiam & dona Spiritus sanctipetant.

Parabola de serv. Luc. 18.

Sed hic iterum admoneo, quod supra. Quia enim David ista petit à Domino, ideo manifeste nobis ostendit,non esse nostri operis, aut virium nostrarum, conservare ista dona,sed esse nos positos in eo periculo,ne projiciamur. Hoc projici tum fit, cum Dominus nos relinquit nobis,& subtrahit Spiritum suum, sicut scriptura dicit,Dimisit eos in sua desideria. Hoc cum fit,statim concidimus. Nam aut cupiditatibus nostris indulgemus,sicut David in adulterio,aut in præsumptionem aut desperationem prolabimur. Ideo dicit,Ne me projicias,hoc est,Ne deseras me Spiritu tuo sanctificante,nam hoc cum fit,vere projectus sum ac perij,Et Spiritum tuum sanctũ ne auferas à me, Fatetur enim Spiritum sanctum se habere, sed nondum perfecte aut totum,sunt enim tantum primitiæ Spiritus,post hanc vitam autem fiet,ut plenitudinem Spiritus consequamur, & fiamus,sicut ipse est. Sic cõjungenda sunt hæc duo, ut per Spiritum sanctum servemur ab omnibus inquinamentis,interius & exterius,spiritus & carnis, ut corda nostra fiant ceu purum habitaculum,ad quod non pateat reditus immundo spiritui, sicut Christus etiam docet in Evangelio. Iam sequitur de tertio dono spiritus.

Non nostri operis, conservare ista dona Spiritus.

Ne projicias me à facie tua.

Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

XIII.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, Et spiritu principali confirma me.

HOc jam tertium donum Spiritus sancti est,quod sibi petit conferri. Ac sane insignis est ordo, quem Propheta sequitur, Q. d. Sum jam justus gratia Dei, quia sum certus de remissione peccatorum, Deinde sum etiam sanctificatus, ambulo enim in obedientia & sanctimonia præceptorum Domini, ac quotidie augescit hoc donum spiritus, Nunc tertium restat,ut accedat magnus & fortis animus,qui hunc justificatorem & sanctificatorem confiteatur coram mundo,& nullis periculis à confessione se sinat depelli. Ideo Germanice reddidimus hunc versum sic,ut appareat eum rogare,lætum,& contemptorem omnium periculorum, animum. Nam lætitia hic proprie significat constantiam, seu animum imperterritum,qui non Mundum,non Satanam,non mortem deniq; metuat. Talem animum videmus in Paulo,cum læto, exultanti,& pleno spiritu dicit, Quis separabit nos à dilectione Dei? Idem mihi David hoc loco videtur petere, ut libere confiteri possit Deum suum,contemptis omnibus periculis mundi.

Petit confirmationem spiritus principalis ad libere confitendum.

Lætitia.

Rom 8.

Atq; hunc ordinem etiam res ostendit, sicut alio in loco Propheta dicit, Credidi propter quod & loquor. Nam cognitionem veritatis statim sequitur confessio, qua doctrinas diversas refutamus, Sed confessioni proximum est quod sequitur, Ego autem humiliatus sum nimis. Quare necessaria est confirmatio Spiritus principalis,ne in humiliatione ista concidamus animis,sed magno spiritu omnia pericula contemnamus. Impossibile enim est, ut mundus possit æquo animo ferre hanc generalem sententiam, Quod omnis homo sit mendax, maxime si

Fides. Confessio. Crux.

Psal. 116.

Digitized by Google

mendacia dicas, quæ ipſi pro veritatibus & ſummo Dei cultu prædicant, ſicut ſunt, totius Papatus doctrina & vita. Hanc ceu blaſphemiam Dei, ferro & igni conantur extinguere, Igitur non ſolum acerbiſſima odia, ſed etiam cædes & ſupplicia crudeliſſima propter confeſſionem hanc ſuſtinemus. Sed quid poſtea? Notitia hæc non patitur ut taceamus, & mundus non patitur ut loquamur, Neceſſe igitur eſt, ut confirmemur Spiritu, ne propter pericula à confeſſione diſcedamus.

Redde mihi lætitiam. Confirmatio ſpiritus principalis in Christo, &c.

Quod igitur dicit, Redde mihi lætitiam, ſignificat ſe iſtis periculis pene fractum eſſe. Quare orat lætitiam hanc reddi, quæ ſit lætitia ſalutaris Dei, hoc eſt, vult animum ſic confirmari, ne dubitet quin Deus in iſtis periculis, quæ confeſſio ſecum affert, adeſſe & ſalvare velit. Hæc fiducia ſic inſpirat animum, ut terrores omnes, & pericula omnia ſecure contemni poſſint, Sicut Dei gratia hoc inſigne donum ego quoq; ſum expertus, ut contra Cæſaris, Pontificis, Principum, Regum, & totius fere mundi voluntatem, docendo & ſcribendo Ieſum Chriſtum, Dominum & liberatorem meum liberrime confeſſus ſim, etiam inter mille pericula vitæ, quæ ab iratis hoſtibus & ipſo Satana quoq; mihi intentabantur. Sic ad Ieremiam dicit Dominus, Ponam faciem tuam æream, ut nihil cures, etiamſi quis in eam impingat. Ac ſane munus docendi in Eccleſia talem animum contemptorem omnium periculorum requirit, Quin in genere omnes pij ita ſe comparare debent, ut non detrectent fieri martyres, hoc eſt, Confeſſores, ſeu teſtes Dei. Neque enim vult Chriſtus latere in mundo, ſed vult prædicari, non intra parietes, ſed ſupra tecta, ut in mundo luceat Evangelium, ceu fax in alto monte, aut ſpecula quadam. Hoc autem cum fit, mox præſto ſunt omnis generis pericula, & vere hæremus, ſicut Germanico proverbio dicitur, inter januam & cardines. Neq; aliud eſt quod nos conſolari poſſit, quam quod promiſit Deus, ſe nos non deſerturum eſſe.

Dedi faciem tuam æream, &c. Ierem. 1.

Tertium donum pij.

Ergo hoc tertium donum eſt, quod implet Chriſtianos magna ſuperbia non quidem contra Deum, ſed contra ſuperbiam mundi & Diaboli, ut quanto ſe fortius iſti opponunt, tanto nos audentiores eamus contra. Id cum facimus, clamant nos inſanabiliter pertinaces eſſe, Neq; id negamus, ita enim requirit munus & vocatio noſtra. Ergo, inquiunt, es damnatus, Non ſequitur. Nam hic diſtinguendum eſt, Coram Deo enim ſic ſum humiliatus, ut etiam ad nomen ejus paveam, & quotidie inceſſabiliter rogem, donari Spiritum, augeri fidem, &c. Hic nihil niſi extremam inopiam meam agnoſco & deploro, Sed cum ad mundum reſpicio, video me infinitas tenere opes. Sicut igitur coram Deo me humilio, ita viciſſim contra Mundum magno & contemptore animo efferor, damnans doctrinas mundi ſicut errores, & vitam omnem ſicut peccata. Hinc oriuntur pugnæ, contradictiones, ſupplicia, excommunicationes, propter quas David hic orat confirmari Spiritu principali, Q. d. Niſi tu me confirmaveris contra pericula iſta, opprimar terroribus.

Nadib. Nedabah. Nadab.

Quod ad Grammaticam attinet, vocabulum Nadib ſignificat Principem, Inde eſt quod noſter interpres fecit, principali ſpiritu, Sed Nedabah ſine dubio eſt à verbo Nadab, & ſignificat voluntarium, ſpontaneum, ultro cupientem & volentem, magnoq; animo ſuſcipientem aliquid. Talis autem ſpiritus etiam eſt donum Dei, quo animum implet, ne terreamur à Satana & mundo, & qui non cogente lege aliqua, ſed gratuita beneficentia aliquid ſuſcipit, Quanquam etiam poteſt paſſive dici, munificus Spiritus, qui ex mera Gratia donatus eſt. Ita in his tribus verſibus exponit Propheta dona illa, quæ dantur juſtificatis fide. Primum eſt Plerophoria, ſeu certa fiducia miſericordiæ Dei. Secundum eſt ſanctificatio, qua mortificatur vetus homo cum paſſionibus ſuis, & ſurgit novus in nova & ſancta obedientia. Tertium eſt libera confeſſio, ut ſine diſcrimine, quicquid ſanæ doctrinæ non vult cedere damnetur, etiam Cæſares, Principes, Pontifices, cum toto mundo. Nunc deſcendit Propheta ad alia, quæ ex hoc principali Spiritu ſequuntur.

Duo fida inſtrumenta.

Docebo

XIIII.

Docebo iniquos vias tuas, Et impij ad te convertentur.

De fructibus ſeu operibus juſtificatorum.

HIc primum incipit Propheta de ſuis operibus loqui, poſtquam perſona ante juſtificata,& per Spiritum ſanctum renata eſt. Oportet enim arborem eſſe ante fructum,ſicut Chriſtus quoq; dicit Matth. 12. Aut facite arborem bonam,& fructum ejus bonum,Q. d. Fruſtra laboratur de fructu,niſi prius ſit bona arbor. Nam Phariſæorum fere eadem conditio & ſtudium erat, quod hodie in adverſarijs videmus,qui pleno ore jactant bona opera, & toti mali ſunt. Quomodo autem fieri poteſt,ut ex malo ſemine boni aliquid enaſcatur? Igitur induti cucullis, jejunantes,precantes,vigilantes,nihilominus veterem impietatem cordis retinuerunt.Sicut enim Horatius dicit,Cœlum,non animum mutant,qui trans mare currunt,Ita iſti veſtem,diætam,exercitia mutant, ſed animus idem manet. In Theologia vera igitur hoc primum agitur, ut homo fiat bonus per regenerationem Spiritus,qui Spiritus eſt certus,ſanctus & animoſus, Deinde fit, ut ceu ex arbore bona,etiam fructus boni enaſcantur.

Matth.12.

Igitur hactenus David tacuit de ſuis operibus, & tantum rogavit ea, quæ Deus debeat per Verbum & Spiritum ſuum efficere, His autem impetratis, redit ad ſua quoq; opera,quæ in regeneratione ſequi debent. Ea opera non ſunt,qualia impius Papatus ſuaſit,ſuſcipere vota peregrinationum,ingredi monaſteria,quod opus cum ſumma Chriſti contumelia vocarunt alterum Baptiſmum, Sed Deo ſic benefico & miſericordi agere gratias, & amplificare dona ejus, & per ea erudire alios quoque homines ad eandem gratiam. Sicut in Evangelio faciunt ij, qui à Chriſto ſanati ſunt. Nam etiam cum prohibentur à Chriſto,non poſſunt omittere,quin ejus beneficia prædicent, eum laudent,& alios quoque in eandem ſpem vocent.

Hæc ſunt principalia opera,quæ teſtantur arborem mutatam eſſe,ex ſterili in fœcundam,ex arida in ſucci plenam & florentem.Ad hanc vitam revocat Chriſtus diſcipulum, cum dicit,Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem me ſequere. Significat enim alia opera eſſe mortuorum opera,eos autem qui in Chriſto vivunt,debere eſſe in agnoſcenda & prædicanda miſericordia Dei, ut eam alij quoq; diſcant agnoſcere. Summa igitur hæc eſt, quod vita & ſalus noſtra tota ſit poſita in miſericordia Dei, quam per Verbum Deus revelat hoc modo, ut jubeat peccatores in ea ſperare propter Chriſtum. Hæc cognitio eſt juſticia, ſicut Eſaias dicit,Et noticia ejus juſtificabit multos.Hic nullum aliud noſtrum opus eſt,quam ut oblatam miſericordiam non recuſemus, ſed eam fide accipiamus, Sed hoc ipſum quoq; eſt donum Spiritus ſancti, quia fides non eſt omnium. Poſt juſtificationem, cum jam promiſſio remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ creditur, & fide poſſidetur, tunc proximum & perpetuum opus eſt, agere Deo gratias, & hæc ejus beneficia prædicare. Quia autem mundus omni vi ſeſe opponit,neque Satan etiam ceſſat,hanc prædicationem varijs incommodis objectis nobis excutere,Ideo petijt David in proximo verſu,Spiritum illum animoſum, qui contemnat pericula omnia, & magno animo det teſtimonium Chriſti, ſicut Lucas de Apoſtolis dicit.

Opera vivunt. rum in Chriſto.

Noticia Chriſti, eſt juſtitia, Eſaie 53.

Sacrificium laudis, eſt opus juſtificatorum.

Act.4.

Hic Spiritus,inquit,quoniam mihi datus eſt,ideo docebo iniquos vias tuas. Sed quid, ô David, ſi te audire nolint? Quid ſi Diabolus & mundus te perſequatur? Cur tam arduum & difficile opus promittis, quod iniquos velis docere vias Domini? Vbi ſancti manent? Num illos etiam docebis? Ita. Nam quos hic iniquos appellat,eos ſi larvis & perſonis ſuis induas, in quibus coram mundo obambulant,non fures,non adulteros, non homicidas tantum eſſe dices, ſed etiam ſapientiſſimos & ſanctiſſimos coram mundo, Reges, Principes, Sacerdotes,Monachos,in omni ſapientia & ſanctimonia, quam poteſt humanus animus ſine Spiritu ſancto intelligere & præſtare. Nam Emphaſis tota eſt in pronomine Tuas,Fa-

Docebo iniquos vias tuas.

Iniqui.

tetur enim eos, quos iniquos vocat, habere vias, in quibus eant, & ſibi pulchre in ijs placere, Sed non ſunt, inquit, viæ Domini, ſunt viæ humanæ, in quibus non poſſunt ſalvari, Igitur docebo eos tuas vias. Hic iterum ſignificat periculum, quod manet hos Doctores. Neq; enim mundus ſuas vias vult damnari ceu errorem, ſed defendit eſſe vias & juſticiam. Qui igitur vult Dei, non Papæ monachus eſſe, & aſperrimam Regulam vitæ ſubire, & ſuum ſacrificium Deo præſtare, is hoc agat, ut doceat iniquos vias Dei, Tunc fiet, ut non ſolum Diabolum cum interno, & mundum cum ſanctis, contra ſe provocet, ſed etiam ipſe ſibi contradicet ſæpe, & diſcet uſu, quid ſint vere bona opera, ſicut Chriſtus quoq; dicit, Feret fructum in patientia. Luc. 8.

Ad hunc modum iniquos expone, non qui coram mundo mali ſunt, ſed qui coram mundo ſunt ſanctiſſimi, ſicut Davidis tempore erant Levitæ, Prophetæ, Sacerdotes, Hos peccati arguere, & iniquos appellare, non obſtante eo, quod ſervabant legem Moſi, pleniſſimum periculi eſt. Eſt igitur ſita Emphaſis in ſingulis verbis, quod David verſatus in vero purgatorio, hoc eſt, oppreſſus doloribus peccati & iræ Dei, jam autem per fiduciam miſericordiæ juſtificatus, procedit in publicum, docturus in genere omnes de ineffabili miſericordia Dei, & ſimul reprehenſurus omnia bona opera & ſanctitates, quæ in mundo ſunt, ut in ſolam miſericordiam Dei ſperent, Ac hanc fiduciam ſolam ſtatuant eſſe veras vias ſalutis, Quicquid autem extra hanc fiduciam ſit, eſſe vias mortis, & damnationis æternæ.

Veræ vie ſalutis

Hæc doctrina nunquam abit ſine ingentibus motibus, Nam neq; Satanæ, nec mundo tolerabilis eſt. Hic enim non poteſt ferre, ut ſua damnentur, ille autem hanc felicitatem hominibus invidet, ut per ſanam doctrinam ſalventur. Igitur omni ex parte odia, inſidiæ, calumniæ, maledicta congeruntur, ad opprimendam hanc doctrinam, & Doctores hos. Sicut ego quoq; propria experientia hoc pulchre edoctus ſum. Initio etiam mali admittebant reprehendi leves abuſus, qui in Eccleſia non poterant diſſimulari, Nam Indulgentiarum tam indigna venditio proſtituebatur, ut pauciſſimi eſſent, qui non æquiſſimo animo ferrent, eas à me reprehendi, Sed cum poſtea progrederetur reprehenſio ad alia, quæ non ita deformata erant, & tamen erant impia, ibi demum cœpit totum Satanæ corpus ita commoveri, ut nuſquam viderer tuto conſiſtere poſſe. Sed non accidit hoc inexpectatum, Nam & ipſe prævidebam hunc motum, & inter alios, Epiſcopus Brandeburgenſis homo non malus, & mihi perquam familiaris, ita prædixerat, me plurimum negotij mihi accerſiturum eſſe, ſi Papam etiam attingerem. Ita paulatim intus pavores, & foris pugnæ concitatæ ſunt, ad quæ pericula vincenda, ſane opus fuit Spiritu principali ſeu animoſo, quo confirmabar.

Motus adverſus hanc doctrinam.

Hieronymus Epiſcopus Brandeburgenſis.

Sed quæras, Cur retinet appellationem iniquorum Propheta, & non potius ſanctos appellat, ſicut coram mundo judicantur? Reſpondeo, Sancti & juſti nulli ſunt in mundo, ideo etiam ſi qui ſpeciem ſanctitatis habent, tamen ſic à Spiritu appellantur, ſicut ſunt coram Deo, Et pertinet hoc ipſum ad confirmandos pios. Hi enim, quia hanc doctrinam de fiducia miſericordiæ Dei prædicant, damnantur tanquam hæretici. Nam hoſtes hujus doctrinæ ſibi judicium & nomen Eccleſiæ ſumunt. Confirmat igitur pios Spiritus ſanctus, ne iſta ſpecie & dignitate adverſariorum Verbi deterreantur, ſed ſciant à Spiritu ſancto pronuntiari, quod omnes, qui hanc doctrinam non habent, quantumcunq; ſint in ſpeciem ſancti & boni, tamen vere ſint iniqui & peccatores.

Cur iniquos appellet.

Addit autem, *Et impij ad te convertentur.* Hic altera cauſa oſtenditur, cur hoc opus pium & in oculis Dei precioſum ſit. Prima cauſa fuit, quod ſit pleniſſimum periculi, nec poſſit adminiſtrari, niſi animis prius ſpiritu conſtanti & forti confirmatis. Altera eſt, quod hoc opus etiam quod ad fructum attinet, ſit maximum, Ideo etiamſi pericula abſterrere poſſent, tamen utilitas incitare debet. Impoſſibile enim eſt, verbum Dei ſine fructu prædicari, Sed etſi non convertuntur omnes, tamen aliqui ſunt, qui ex peccatoribus fiunt creduli & ſalvantur. Poſitus

Et impij ad te convertentur.

Verbum ſine fructu non redit.

enim

enim eſt eventus miniſterij,non in hominum,ſed Dei arbitrio, Sicut dicit Salo-
Prov. 20. mon, Aurem audientem,& oculum videntem,utrunq; facit Dominus,hoc eſt,utrunque fit Deo donante,ut & ſint,qui ſane doceant,& qui ſane docentibus obtemperent. Ideo inquit David,Faciam hoc,quod poſſum facere,Docebo iniquos vias tuas, & impij convertentur,hoc eſt, docebo,quomodo convertendi ſint impij,& eventum committam Deo. Nam certum eſt,quod aliqui convertentur. Alij videntur idem docere, cum bona opera,confeſſiones,contritiones, & proprias ſatisfactiones docent,Sed hæ ſunt humanæ viæ, profectæ ex ſpiritu Diaboli,quibus de die in diem longius diſceditur à vijs tuis. Ego vero ſic docebo,ſicut ſcio me ad te rediiſſe, quod poſtquam peccatum meum, hoc eſt, totam naturam meam peccato corruptam cognovi,in miſericordiam tuam me abjeci, & non fui incredulus auditui lætitiæ. Hæc eſt via,& hic modus, quo ad te convertuntur impij,hanc viam docebo,Qui venit,veniat,qui non venit,faciat id ſuo periculo,&c.

Humana viæ.

Occulte igitur hic inſinuat,quod eadem docere velit,quæ ſupra in ſua perſona expertus eſt,Quod peccatores non velit docere, ſicut Papa, qui ſatisfactionem operum conſulit,Aut ſicut Iudæi,qui ſacrificia & traditiones ſuas proponebant, Sed quod velit univerſum genus humanum docere,quod omnia humana ſtudia coram Deo damnabilia ſint, ſi ſuſcipiantur cum opinione juſticiæ, ſecundum ſententiam,Non eſt bonus,ne unus quidem,non eſt qui faciat bonum,Rom.
Rom. 3. 3. Hac prædicatione occiditur ratio & omnis præſumptio humana.Nam cum peccatum nemo poſſit negare,quid poteſt dici horribilius, quam quod homo in ſe
Rom. 3. nulla præſidia habeat contra peccatum? Poſtquam ad hunc modum ira Dei prædicata, & homo in ſacrificium Deo mactatus eſt, tunc ſequitur auditus lætitiæ, non morieris,Nam Deus peccatoribus ſic mactatis non vult iraſci,ſed vult eos ſalvare,quia miſit Filium ſuum,ut peccata mundi toleret. Hæc vera doctrina eſt, & verus cultus,quo impij convertuntur. Alij qui peccatori ſuadent,confidenti de libidinibus ſeu ſcortatione, ut affligat corpus ſuum,& monaſterium petat,ubi cœlebs vivat,nihil aliud faciunt,quam ut converſum ab idolo Veneris, abducant ad idolum Abominationis, & geminent damnationem. Hoc eſt ex Scylla in Charybdim, ex pluvia in ipſum mare incidere, ubi uno peccato expulſo, ingrediuntur alia ſeptem,ſicut Chriſtus dicit de ejecto Dæmonio.

Eadem ſe velle docere alios, quæ in ſeipſo expertus ſit.

Doctores operum.

Hoc primum ſacrificium eſt,quod David juſtificatus vult Deo reddere, ut homines doceat vias Dei, hoc eſt,ut doceat, ſic ad Deum eſſe revertendum, ut primo agnoſcamus & credamus,quicquid homo fecerit ſine Spiritu ſancto, hoc totum eſſe peccatum,ſi ſuſcipiatur cum opinione juſticiæ,Quia perſona eſt peccatrix, ut hoc modo primum conteratur & occidatur peccator in conſpectu Dei, Deinde ut doceatur,quod Deus talis ſit, qui gratis velit ignoſcere propter Chriſtum. Nam ille Deus nuſquam eſt,qui velit peccatorem recipere,propter ordinē Minoritarum,propter peregrinationes,Miſſas,eleemoſynas,&c. ſed fingitur talis Deus ſine Verbo. Qui igitur ſic convertuntur, convertuntur ad idolum cordis ſui,non convertuntur ad Deum. Nam ille eſt unus & verus Deus, qui diligit contritos corde,& cui beneplacitum eſt ſuper timentes eum,& credentes in eum. Neceſſe igitur eſt,ſi vis converti,ut terrearis ſeu occidaris,hoc eſt,ut habeas pavidam & trementem conſcientiam. Vbi hoc ſic factum eſt,tunc oportet accipi conſolationem,non alicujus tui operis,ſed operis Dei, qui Filium ſuum Ieſum Chriſtum ideo in hunc mundum miſit, ut conſolationem gratuitæ miſericordiæ territis peccatoribus prædicaret. Hæc eſt via convertendi,aliæ viæ ſunt viæ errorum. Et hæc inquit Propheta,erit mea ſervitus,qua tibi gratias agam.

Sacrificium Davidis docere homines vias Dei.

Verus Deus.

Via converſionis.

Sed inquies,An non ad regenerationem pertinet etiam nova vita? Ita. Sed ſicut fructus non ſunt,niſi prius ſit arbor,Ita non poſſunt eſſe bona opera,niſi prius perſona ſit juſta & bona. Igitur vita æterna ſeu Gratia non venit ex merito operum,Sed quia jam juſti ſunt, & hæredes vitæ æternæ per Chriſtum,cujus meritum fide accipiunt, iſti bona faciunt,non eo fine, ut vitam æternam conſequantur,

De bonis operibus. Quo fine juſti bona opera faciant.

Quo fine ſolli bona opera faciat.

tur,quam jam jure habent alieno merito ,ſcilicet Chriſti,ſed ut grati ſint,& obedientes divinæ voci , ut gloria Dei , pariter doctrina & vita ſancta promoveatur. Hunc ordinem finium non intelligunt adverſarij, ſed pervertunt eum. Igitur neceſſarium eſt eſſe Davides,qui magno animo hanc doctrinam ſpargunt,non tantum in eos , qui ſunt extra gratiam , ſed etiam in eos , qui ſunt in gratia. Hi enim quia ſentiunt terrores & infirmitatem ſuam , cum ſingulari aviditate hanc doctrinam hauriunt , Alij extra gratiam etſi magna ex parte perſequuntur , tamen non omnino fructu caret prædicatio hæc.Ideo Spiritus tanquam in re ſumme neceſſaria urget ad hanc doctrinam latiſſime ſeminandam.Sed hic etiam monendum eſt,quod ſicut ij, quos iniquos vocat & impios, coram mundo videntur eſſe ſanctiſſimi,Ita converſio hæc à mundo judicatur eſſe ſeductio & hæreſis, ſicut noſtro exemplo didicimus. Sed conſolatur nos Spiritus ſancti judicium , qui non hæreſin,ſed converſionem appellat.

Converſio.

XV.

Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ , & exultabit lingua mea juſticiam tuam.

Sanguis.

HIc verſus eſt paulo obſcurior,& videtur etiam interrumpere ordinem,quem inſtituimus,ſed ſpero futurum,ut recte utrunq; explicemus. Quod igitur ad Grammaticam attinet,Sanguis ſignificat reatum ſanguinis, ſeu culpam ſanguinis effuſi.Quidam igitur per Synechdochen accipiunt ſpeciem pro genere, ut vocet ſanguinem omnia peccata, quibus meremur ſanguinem ſeu mortem, ut non ſolũ Vriæ cædem & etiam adulterium confiteatur David,& pro eo deprecetur , ſed in genere omnia peccata.Sed hic opponitur, quod antea in genere deprecatus ſit iſta &impetraverit etiam veniam.Quomodo igitur conſtabit ordo,ſi nunc denuo petat , quod jam conſecutus eſt? Reſpondeo , Profeſſus eſt,ſe docturum iniquos viam Domini , Iam non ſolum difficile, ſed etiam plenum ignominiæ eſt , docere alios, & tamen ſuſtinere crimen admiſſi publice peccati, ſicut dicitur vulgari verſiculo,Turpe eſt doctori,cum culpa redarguit ipſum. Sicut igitur David antea oravit,& impetravit Abſolutionem ab omnibus peccatis coram Deo,ita etiam hic orat Abſolutionem omnium peccatorum coram Eccleſia , ut Eccleſia ſciat eum abſolutum eſſe coram Deo,ne impediatur doctrina,quam inſtituit. Sic apud nos Sacramenta ſunt,quibus etiam in hoc utimur,ut ſciat univerſa Eccleſia nos agnoſcere peccatum noſtrum,& credere id nobis propter Chriſtum condonatum eſſe. Quare, ſalvo aliorum judicio, intelligo ego hunc verſum , de abſolutione externa coram Eccleſia,ut Deus ſanguines,id eſt,reatum ſic tollat , non ut amplius offendantur ij, quorum aures & oculi in peccatis Davidis offenſi ſunt. Quis enim non videt,quam in Doctore turpe ſit,eum eſſe reum adulterij & cædis?

Petit, ut ante coram Deo, ita nunc coram Eccleſia, abſolutionem.

Orat igitur,O Domine,libera me ab eo crimine,quod Sacerdotes mihi poſſunt objicere,Peccavi in te,Peccavi in Moſen quoq; ſeu Legem tuam, Iam tu mihi peccatum meum condonaſti, quod impleviſti animũ & cor meum fiducia miſericordiæ tuæ , per auditum lætitiæ, Da, ut etiam coram Eccleſia liberer,ne impediatur curſus Verbi tui,&c. Videtur autem quaſi de privato peccato dicere,hoc eſt, de cæde Vriæ & adulterio , ac ſane fieri poteſt , ut in exemplum recordetur privati,peccati Sed ut ſupra dixi,eſt ſpecies pro genere,& finitum pro infinito, ut omnem culpam & reatum tollat,quo poſſit prædicator coram Eccleſia confundi, ut non amplius offendantur homines conſcij peccatorum , quæ admiſerunt Doctores,ſed etiam confirmentur, ſicut Paulus 1. Timoth. 1. commemorat , ſe fuiſſe blaſphemum, & perſecutorem Eccleſiæ. Ea commemoratio non ſolum non offendit auditores ejus, ſed etiam magis confirmat & conſolatur, poſtquam ſciunt ea peccata ei divinitus condonata eſſe, Accenduntur enim ipſi quoque ad ſimilem ſpem remiſſionis peccatorum, ſicut Paulus dicit, voluiſſe Deum hoc ceu exemplum divinæ miſericordiæ proponere Eccleſiæ.

Cædes Vriæ.

1. Tim. 1.

1. Tim. 1.

Ad

Ad hunc modum mihi coram Ecclesia non est inhonestum, nec adimit fidem doctrinæ meæ, quod fateor me quoq; inter Papæ monstra fuisse, quod factus sum Monachus, & tum missis meis, tum toto vitæ genere Christum redemptorem meum non negavi solum, sed denuo crucifixi. Ita enim totus in fiducia mearum justiciarum vixi, ut si quis ea docuisset tum, quæ nunc Dei gratia doceo & credo, credam me eum laceraturum fuisse dentibus, Sed quod Dominus ex ijs blasphemijs me liberavit, & constituit in fidelem Præconem Verbi & justiciæ suæ, hoc coram Ecclesia jucundissimum est audire. Ad hunc modum David quoq; orat liberari à sanguinibus, hoc est, adsolvi à reatibus etiam coram Ecclesia, ut sicut à Deo absolutus est, ita etiam sit absolutus à lege, & libere coram Ecclesia possit erigere faciem, sicut jam de meo exemplo dixi, me Christum tum in Ordine, tum ante Ordinem crucifixisse. Hæc confessio peccati non efficit, ut contemnatur Verbum, sed auget fiduciam misericordiæ in auditoribus, & Christo quoq; grata est. Ideo addit Propheta,

Lutherus Monachus.

Et exultabit lingua mea justiciam tuam. Pertinet autem ad prædicationem Verbi, Q. d. Cum sic coram mundo absolutus, & coram te & hominibus justificatus fuero, tunc potero lingua mea exultare, hoc est, cum gaudio annunciare & prædicare tuam justitiam, hoc est, Gratiam, qua peccata condonas & misereris. Porro hoc vocabulum Iusticiæ magno sudore mihi constitit. Sic enim fere exponebant, Iusticiam esse veritatẽ, qua Deus pro merito damnat seu judicat male meritos, Et opponebant justiciæ misericordiam, qua salvantur credentes. Hæc expositio periculosissima est, præterquam quod vana est, concitat enim occultum odium contra Deum & ejus justiciam. Quis enim eum potest amare, qui secundum justiciam cum peccatoribus vult agere? Quare memineritis, Iusticiam Dei esse, qua justificamur, seu donum remissionis peccatorum. Hæc justicia in Deo grata est. Facit enim ex Deo non justum judicem, sed ignoscentem Patrem, qui justicia sua vult uti, non ad judicandos, sed justificandos & absolvendos peccatores. Hanc tuam justiciam, inquit, non justiciam hominum, aut Mosi, ego cum gaudio & lætitia prædicabo, etiamsi mihi hostes capiendi sint omnes homines, modo tu hoc facias, ut etiam coram Ecclesia me absolvas, ut sine pudore possim progredi in publicum, & non erubescere propter peccata, quæ Ecclesiæ quoq; nota sunt. Est autem illustre exemplum, pro consolatione illorum, qui sunt in ministerio Verbi, & tamen sunt reprehensibiles ex præteritis factis suis. Dixi enim in generali doctrina hic quoq; speciem pro genere esse positam.

Iusticia & misericordia Dei secundum Sophistas.

Iusticia Dei secundum Paulum. Rom. 3.

XVI.

Domine labia mea aperies, Et os meum annunciabit laudem tuam.

IN horis Canonicis fortasse bono consilio institutum est, ut earum initia ab hoc versu Ecclesia faceret. Nam quod attinet ad publicam confessionem & ad laudem Dei in Ecclesia, recte usurpatur, Sed in privatis orationibus eo minus hoc exordio est opus, quia ibi nullum à tyrannis periculum est. Et hic quoq; non agit Propheta de privato colloquio peccatoris cum Deo, sed agit de tota Ecclesia, de ministerio & ministris, ac toto populo Dei. Nam qui justificati jam sunt, hi nihil habent quod restet, quam ut cum Davide dicant, Credidi propter quod locutus sum, Item, Venite, & videte opera Domini, Item, Narrabo nomen tuum Fratribus meis. Idem hoc loco quoq; Propheta significat, ut postquam justificatus est coram Deo per gratuitam Misericordiam, quam fide apprehendit, item postquam coram Ecclesia sic à reatu absolutus est, ut peccata præterita non sint scandalo amplius, sed consolationi Ecclesiæ, Nunc petit, ut Dominus aperiat labia, ut sine timore libere possit misericordiam Dei prædicare in publico, non in angulis, sicut phanatici solent.

Psal. 116. 41. 22.

Petit, ut liberè misericordiam Dei publicè prædicare possit.

Quia autem petit à Domino aperiri labia, significat quam arduum opus sit hoc sacrificium laudis, quod in Psalm. 50. exigit. Est enim audacia super audaciam, vir-

Psal. 50.

Publica confeſſio opus maximè arduum.

am, virtus ſuper virtutem,& fortitudo ſuper fortitudinem, audere loqui in publico,& confiteri nomini Domini. Hic enim Satan imminet omni genere inſidiarum,ut hanc confeſſionem impediat. Eas inſidias omnes ſi oculis humanis poſſibile eſſet cernere,facile cauſa pateret,cur & Spiritu antea rogarit confirmari Propheta,& nunc ab ipſo Domino labia aperiri optet,non ad orandas horas Canonicas, ſed ad portandum nomen Domini coram Diabolo,Mundo,Regibus,Principibus,& carne univerſa. Hic enim variæ occaſiones ſunt,quæ labia premunt,nonnunquam metus periculi,nonnunquam lucri ſpes,ſæpe etiam amicorum conſilia interveniunt,quibus hoc ſacrificium Satan conatur impedire. Sicut ego quoque ſæpe expertus ſum,& tamen in magnis cauſis,ubi periclitabatur gloria Dei, Deus affuit,& aperuit mihi os contra iſta obſtacula.

Plurima ſunt quæ ejuſmodi confeſſionem impediunt.

Docet igitur hic de publica confeſſione & prædicatione ejus, qui jam eſt juſtificatus,ut diſcamus,quanta res ſit audere loqui quæ expertus ſis. Non ſolum enim Satan, ſed principum & Regum tyrannis, imo peccata & caro noſtra hanc confeſſionem voluit impedire,Contra ex altera parte urget Spiritus,ſicut Petrus dicit Actor. 4. Non poſſumus non loqui,quæ vidimus & audivimus. Hic ſpiritus hanc precationem multis gemitibus coram Deo orat,ut ipſe aperiat labia noſtra, ad annuntiandam laudem ejus. Atq; hic admoneo vos, ut quoties in ſacris literis occurrunt vocabula iſta, Annuntiare laudem Dei, juſticiam,&c. memineritis ſignificari ſimul extrema pericula. Quia dicere laudem Dei,eſt ſe objicere Diabolo,mundo, carni,& omnibus malis. Quomodo enim laudabis Deum,niſi prius reum facias ac damnes totum mundum cum omnibus juſticijs ſuis? Hoc autem quisquis facit, ſibi non odium ſolum, ſed etiam manifeſtum periculum accerſit, Sicut econtra,qui docent ordines,invocationem Sanctorum,merita,fraternitates & ſimilia, non Deum,ſed ſe laudant,ideo etiam facile tolerantur & admittuntur à mundo. Igitur dicit Propheta,Domine aperi tu labia mea,& da ut poſſim confidenter clamare,docere,erudire alios hoc,quod ego didici,quod tu ſolus ſis laudabilis & glorioſus in ſecula,qui gratis juſtificas impium,&c.

Act. 4.

Annuntiare laudem Dei, &c. res conjuncta cum extremis periculis.

Opera juſtificatorum præcipua.

Atq; hic audis,quis ſit ille juſtificatus,& quæ nam potiſſimum opera eligat, non jejunium,non abſtinentiam,non cilicium Iohannis,non Eremum, &c. quæ etiam aliquid ſunt,Sed ſi ad hoc ſummum opus conferas, ad prædicationem nominis Domini,ludus & jocus ſunt non ſolum in iſtis Papæ larvis,ſed etiam in vere Sanctis. Neq; enim Iohannes ideo tantus fuit,quia pellibus veſtijt,&c. non bibit vinum nec ſic eram,ſed quia erat plenus Spiritu, & audebat Phariſæos appellare, germina viperarum, Quia audebat Tyranno dicere, Non licet tibi habere uxorem fratris tui, Quia audebat coram toto populo teſtimonium dare Chriſto inter ſuos contemptores,Poſt me venit, qui prior me eſt, cujus calceos ſolvere non ſum dignus.Hæc ſunt quæ Iohañem commendant, & eum majorem faciunt inter natos mulierum. Eremum,pelles,cibum,potum, quivis etiam malus imitari poteſt,idq; ſine periculo,ſed docendi munus ſine periculo adminiſtrabit nemo, Et ſane patet, quod præmium Iohannes inde tulerit, cum ita turpiter ad arbitrium meretriculæ jugulatur. Ergo qui volunt magnum & dignum Chriſtiano homine opus ornare meritis laudibus, non laudent ſtulticias Papæ, non privata Sanctorum exercitia & afflictiones, ſed hoc laudent, confiteri nomen Dominicoram mundo. Hæc enim virtus virtutum, & ſummum ac difficilimum opus eſt.

Iohan. 1.

Quæ Baptiſtam commendent, & majorem faciant inter natos mulierum.

In Politia apparet,quam pauci ſint,qui magno animo Rempub. capeſſere, & pericula privata contemnere poſſint,& plerumq; accidit quod Cicero dicit,ut qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Rempubl. accedunt,metu graviſſimorum ſuppliciorum carere non poſſint. Et ſane Themiſtoclis,Ciceronis,Demoſthenis, & aliorum in Republ. magnorum virorum exempla ſatis teſtantur,etiam illud vitæ genus pleniſſimum periculorũ eſſe. Muliebre enim eſt,ſedere in angulo,& reprehendere aliorum res geſtas,Sed in Senatu & conventibus Principum verſari, & libere ſententiam dicere, etſi neceſſarium & utile erat,tamen pauciſſimi audent.

Cicero. Themiſtocles. Demoſthenes.

dent. Quanto majus & auguſtius eſſe putas, ſacra loqui & docere in conſpectu Dei & Angelorum, contra voluntatem non Principum & Regum ſolum, ſed etiam Diaboli & totius mundi? Hic majus periculum ſuſcipitur quam in Republica, quamvis ibi quoq; magno animo opus ſit, Sed hic etiam Spiritu Dei opus eſt, & digito Dei, quo diducantur labia, & ſolvatur os in laudem Dei. Ergo poſt juſtificationem & Gratiam, nullum aliud opus majus eſt, quam loqui veritatem de Chriſto. Corporalia exercitia, non homines ſolum præſtare poſſunt, ſed beſtiæ quoq; jejunijs & alijs poſſunt affligi, Et fertur Turcarum in corporalibus afflictionibus magna eſſe ſeveritas. At ſane inter Chriſtianos omnia exercitia illa ſuſcipienda ſunt, quæ pertinent ad frenandam ſeu mortificandam carnem, Sed audere ob nomen Chriſti periculum vitæ & fortunarum adire, ad id requiritur Spiritus principalis, & oratio hæc, Domine labia mea aperias. Iam rationem addit, quare poſtquam juſtificatus ſit, nihil poſſit nec norit facere, quam per prædicationem nominis Dei, agere gratias, & dicit.

Poſt juſtificationem nullum opus majus confeſſione de Chriſto.

XVII.

Quoniam ſi voluiſſes Sacrificium; dediſſem, Vtig holocauſtis non delectaberis.

HÆc eſt ratio cur velit annuntiare laudem Dei, Quia inquit, non placent tibi ſacrificia. Sed hæc an non hæretica vox eſt, dicere, ſtante adhuc lege & toto cultu, Non vis ſacrificium, holocauſtis non delectaris? Ego quidem ſæpe miratus ſum hanc Prophetarum audaciam, quod ſic contemptim de ſacrificijs contra legem Moſi & ritum ſui populi ſint locuti. Quod ſi Papa ſacra & ceremonias ſuas eo modo ex verbo Dei poſſet probare, ſicut Iudæi ſacrificia ſua, profecto nunquam auſus eſſem aliquid contra hiſcere, Nunc autem cum ſine Verbo, imo contra Verbum iſta inſtituerit & mandarit, ſummo jure damnamus eum. Sed quanto hæc noſtra victoria de Papæ Eccleſia & ceremonijs levior eſt illa, quam Prophetæ tulerint, quod legis ſacrificia ſic oppugnarint. Neq; enim hic Sacerdotibus ſicut Papæ deſuere ſcripturæ. Nam Papa præter nudum Eccleſiæ titulum, prorſus nihil habet, quo ſe & traditiones ſuas tueri poſſit, Iſti autem in Lege ſacrificia divinitus mandata eſſe norant.

Cauſam reddit cur Deum laudare ſeu confiteri velit.

Igitur David hic ſimpliciter contra Scripturam, & Moſen videtur loqui, qui manifeſtum teſtimonium habet, quod ex voluntate Dei populum ceremonijs inſtituerit. Notum enim eſt, quando ſtudio in Exodo, Levitico & Numeris præcipiantur omnia, quæ ad tabernaculum & ſacra attinebant, Nota ſunt exempla Patriarcharum Abrahæ, Iſaac, &c. qui omnes ſuam erga Deum gratitudinem ſacrificijs teſtati ſunt. Contra expreſſum igitur mandatum Dei & contra omnium Sanctorum exempla, ita ſimpliciter dicere, Tu non vis ſacrificia, ſpeciem habet certiſſimæ hæreſis. Prius autem quam explicentur iſta, hoc monendum eſt, Quod ſi Spiritus ſanctus in David damnat ſacrificia, divinitus juſſa, quo ore audebunt Monachi cucullos & Ordines, vota & raſuras jactare, tanquam ſanctitatem? Quo ore Pontifices ſuis traditionibus audebunt tribuere aliquam juſticiam, cum hæc omnia ſine verbo Dei ſint inſtituta? Ergo non ſolum contra Legem, ſed etiam contra Papatum, cum omnibus traditionibus ſacris, cultibus, hunc verſum à Spiritu ſancto ſentias poſitum eſſe, quod ſcilicet coram Deo non placeant.

David videtur contra Moſen & Scripturam loqui.

Quod igitur David deſcendit ad ſpeciem ſpecialiſſimam, & ſummum cultum Legis damnat, divinitus inſtitutum, manifeſtam in eo diſtinctionem facit omnium Religionum in mundo, etiam ejus, quæ à Moſe inſtituta & divinitus præcepta eſt, & ſeparat ab his religionibus omnibus hanc unam, quæ eſt per fidem in Chriſtum, qua peccata remittuntur, & donatur juſticia, cum vita æterna, ſine operibus & ſine meritis, tantum ideo, quia Deus miſericors eſt, & per Chriſtum ignoſcit. Hæc religio docet, non ſic inſtituenda eſſe opera & cultus, ut per ea Deus place-

David ſuch diſtinctionem inter omnes religiones, & fidem in Chriſtum, hunc omnibus tribuens juſtificationem.

placetur, Non ſacrificijs, non jejunijs, non obedientia politica, non œconomica, non deniq; ullo alio humano opere peccata expiari, Eſſe quidem per ſe ſancta & bona opera, & quæ Deo placeant, Sed ſi fiant alio fine, quam à Deo mandata ſunt, non ſolum non placari per ea Deum, ſed etiam offendi. Nam ſi holocauſta non placent, quanta ſtultitia eſt præſumere de ijs, quæ nos ipſi ſine verbo Dei elegimus? Ideo in Pſalm. 50. dicit, Non accipiam de domo tua vitulos, quoniam meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, Meus eſt orbis terræ & plenitudo ejus, Q. d. Fruſtra putatis me veſtris operibus placatum iri, nam ipſam animam, ſenſus & vitam veſtram omnem meo dono habetis. Si igitur indigerem ijs, quæ vos habetis, aut poteſtis, non ea darem vobis. Nam unde habet Monachus hoc, quod jejunat, quod orat, quod alia facit quæ vult? Nimirum ex eo, quod voluntatem & facultatem do hæc faciendi? Iam ſi ego iſta do, cur mihi ea reddis tanquam indigenti & poſcenti? Ergo nihil eſt reliquum, quod nos faciamus Deo, quam ut ei agamus gratias. Quidquid enim ſumus, vivimus & habemus, dona Dei ſunt, ſicut ad Rom. 11. quoq; dicitur, Quis prior dedit illi? Cum igitur omnia facimus, quæ poſſumus, nihil aliud facimus, quam ut reddamus quæ accepimus, Atqui in eo quid facimus ſingulare?

Locus ex Pſal. 50.

Rom. 11.

Hic reſpondent Iuſticiarij, Volumus aliquid mereri, & teſtari liberum arbitrium. Hoc vero eſt, Deo ſua reddere, tanquam non ſua, ſed tanquam proprie noſtra, Atqui etiam ratio hanc impietatem & ſtulticiam arguit, quod nihil eximij is faciat, qui non de ſuo, ſed de alieno liberalis eſt. Hoc igitur faciendum erat, ut Deo redderemus gloriam, agnoſcendo quod quæcunq; aut habemus aut poſſumus, ejus beneficio poſſidemus, quod ipſe ſit qui nos confirmat Spiritu ſuo, qui aperiat os, & impleat laude ſua, &c.

Etiam refutandis adverſarijs utili hic locus. Sadoletus.

Pertinet igitur hic locus, non ſolum ad nos conſolandos & docendos, ſed etiam ad refutandos adverſarios. Cum enim ad probandam juſticiam fidei hac ſententia Pauli utimur, Iuſtificari hominem ſine operibus Legis, ita cavillantur eam, quod ſint intelligenda opera ceremonialia, & non moralia, Sicut Sadoletus etiam facit in Commentario ad Romanos, in quo ſententiam Pauli ita torquet & retorquet, ut non ſolum Pauli ſententiam nuſquam attingat, ſed ne ſibi quoque conſtet ubiq;. Produnt autem hoc modo adverſarij doctrinæ noſtræ, quod ſint prorſus imperiti ſacræ Scripturæ, & ne puerilia quidem illa intelligant, quid leges ceremoniales ſint, ſeu opera ceremonialia. Nam quod ſic Paulum exponunt, Iuſtificamur ſine operibus Legis, id eſt, ſine ceremonijs, quia ceremoniæ ſunt abrogatæ, Ex eo nihil aliud *ſequatur, quam Moſi quoq; tempore ceremonias illas fuiſſe abrogatas, & liberum fuiſſe, circumcidi vel non, ſacrificare vel non, quia etiam Moſi tempore non juſtificabant, teſte hoc loco. At quis tam patiens eſt, ut hoc ferre poſſit ab homine Theologo dici? Nam ſi nunc non ſunt iſta ceremonialia ad juſticiam neceſſaria, quia abrogata ſunt, quid dicemus, cum redierimus retro ad Davidis tempora, cum nondum eſſent abrogatæ, ſed haberentur inter ſumma & ſanctiſſima opera, & neceſſaria eſſent? Num juſtificabant tum? Minime, nam hoc eſt, Sacrificia non voluiſti.

Iuſtificamur ſine operibus legis, quomodo interpretentur adverſarij.

* *ſequitur.*

Deinde non recte extenuantur ceremonialia, Nam præceptum de Sabbato etiamſi eſt ceremoniale, tamen ponitur in prima tabula, ante & ſuper omnia moralia opera. Ergo indigna Theologo, imo ſimpliciter erudito viro indigna cavillatio eſt, cum Paulus de operibus Legis loquitur, ſentire quod tantum de ceremonialibus loquatur, quaſi de operibus in inferiore gradu poſitis, quam moralia. Reſpice iſta tempora veteris Teſtamenti, & non ſolum neceſſitatem, ſed ſummam quoq; dignitatem ceremoniarum fuiſſe invenies. Etſi enim nunc ceremonialia aut libera aut abrogata ſunt, tamen in lege non fuerunt libera, ſed neceſſaria, & tamen etiam tum verum fuit, Sine operibus Legis juſtificatur homo. Ergo Paulus ſimpliciter loquitur de tota Lege, hoc eſt, tam de ceremonialibus quam moralibus operibus, quod per ea non detur juſticia, Sed quod juſticia tantum ſit appre-

Ceremonialia non recte extenuantur.

Ceremonialia in lege neceſſaria.

apprehendere misericordiam,quæ misericordia non imputat peccata, sed ignoscit peccata credentibus in Christum. Hanc sententiam defendit Paulus in Epistola ad Romanos,quam qui non animadvertunt, ceu caput totius disputationis, ne quidem umbram aliquam genuinæ sententiæ Pauli vident.

Hanc sententiam etiam David hoc loco ostendit, cum ante tempus novi Testamenti,suo tempore,quo sacrificia & templum in summo flore erant,disertis verbis dicit,Quod sacrificia nihil sunt,quia Deus ea non curet. Hoc enim est simpliciter omnem cultum legalem tollere,etiamsi divinitus præceptus & institutus esset,ac oporteret eum fieri. Neq; enim extenuanda est ceremoniarum dignitas, postquam mandato & verbo Dei videmus eas non comprobatas solum, sed etiam institutas & mandatas esse. Et tamen dicit David, Tu eas non vis,Item Esa. 1. Cap. Holocausta arietum & adipem pinguedinum nolui,Item Psalmo præcedenti, Non in sacrificijs tuis arguam te, &c. Hujusmodi Conciones sine dubio à sacerdotibus tanquam hæreticæ damnatæ, & ipsi Prophetæ propter eas occisi sunt.

Esa. 1. Psal. 50.

Sed etiam causa ostendenda,cur Sacrificia,quæ summus Dei cultus in lege erant, hoc modo damnarunt Prophetæ. Videtur enim res singularem difficultatem habere,quod per Prophetas damnantur,quæ divina voce jussa erant.Sed hujusmodi conciones Prophetarum non eo modo accipiendæ sunt,quasi simpliciter damnentur sacra & ceremoniæ,nam Prophetæ opinionem maxime respiciunt,cum qua ceremoniæ illæ ab impijs fiebant. Neq; enim finis sacrificiorum seu cultuum legalium erat,ut per eos justificarẽtur & placerent Deo. Hic finis à peccato Adæ reservatus est uni sacrificio Christi,cujus ceu umbra erant sacrificia Legis. Nam præterquam quod Deus voluit hisce sacrificiorum cultibus discerni suum populum à reliquis gentibus,& obedientiam testari,etiam symbola erant Sacrificia,futuri sacrificij Christi,quibus admoneretur populus futuræ redẽptionis.

Sacrificium Christi.

Iam maxima pars Iudæorum,sic depravantibus eos sacerdotibus,sacrificia cum hac opinione faciebant,ut per ea consequerentur remissionem peccatorum. Hoc autem erat sanguinem tauri æquare sanguini Christi, & brutum sacrificium æquare sacrificio filij Dei. Propter hanc impietatem, quam impiæ opiniones de sacrificijs legalibus confirmabant,Prophetæ tam graviter contra sacrificia concionati sunt,Non quod ad formalem, sed quod ad finalem causam attinebat. Fiebant enim sacra plerunq; in loco à Deo destinato & juxta præceptum Dei, ita ut nihil reprehendi posset,quod ad formam pertinebat,Sed finalis causa erat diabolica. Sic damnamus Missas adversariorum, non ideo quod simpliciter malum sit, uti Cœna Domini, Nam nos quoq; ea religiose utimur, Sed quod addunt impias opiniones,de opere operato,de applicatione pro vivis & mortuis,&c. Sic in Baptismo operi operato nihil relinquimus,sed dicimus requiri Fidem, qua accipiatur Gratia,quæ in Baptismo offertur. Sicut autem David suos adversarios habuit,quũ se ei ob hanc doctrinam opposuerunt,ita nos quoq; adversariorum calumnias,odia,excommunicationes, & alia, propter hanc doctrinam ferre cogimur.

Iudæi sacrificabant opinione meriti.

Igitur maneat hoc loco quoq; fixa & firmata nostra Theologia,qua sic docemus, In loco justificationis, cum de conscientijs erigendis,& tollendis peccatis agitur,neq; ceremonialia, nec moralia valere,Quia non eo fine sunt instituta, ut justicia per ea contingat,sicut Paulus in genere dicit,Non est data Lex, quæ vivificat,ergo per Legem non potest esse justicia,Gal. 3. Sed hic tantum valet misericordia,quam in sacrificio Christi Deus exhibuit,& Fides,qua misericordia illa seu sacrificium Christi apprehenditur,Sunt igitur ceremoniæ tam nostræ quam Legis olim,sanctæ & optimæ, sed in suo fine,Sunt moralia opera & optima,sed in suo fine, In hoc fine autem Iustificationis, non inutilia solum, sed prorsus nihil sunt. Quia hic finis solum pertinet ad sacrificium Christi,præ hujus dignitate omnes ceremoniæ Legis, omnia moralia opera nihil sunt.

Gal. 3.

Neq; ceremonialia neq; moralia ad justificationem sarsunt.

Non est data lex,quæ vivificet.

Sic ju-

Sic juſticia politica in ſuo fine eſt res ſuaviſſima & optima,ut conſtet pax & ſocietas mutua inter homines,Sed ſi ideo,quia bonus civis, caſtus maritus,juſtus mercator es,etiam coram Deo velis eſſe juſtus,hic ex ſuaviſſima re facis Abominationem,quam Deus non poteſt ferre. Ergo ſtatuamus nos ſola miſericordia eſſe juſtos, & manere hæredes vitæ æternæ, Poſtea teſtemur obedientiam noſtram ſancta & inculpata vita,quæ pertinet non ad juſticiam noſtram, ſed ad gratiarum actionem,& obedientiam,quam Deo noſtro debemus, ſicut filij in domo patris. Tunc fiet,ut ſicut ſacrificia in Lege Deo fuere ſuavis odor,propter fiduciam miſericordiæ,qua perſona prius juſtificata erat, Ita noſtra quoq; obedientia & ſancta opera placebunt,propter fidem in Chriſtum, in ſuo proprio fine, quod ſcilicet non fiunt ad juſticiam,ſed ad teſtimonium,quod grati ſimus, & gratuito juſtificati. Oportet enim arborem prius eſſe bonam,quam boni aliquid ex ea enaſcatur, Sicut poſtea cum Emphaſi dicit,Tunc acceptabis ſacrificium juſticiæ, cum ſcilicet prius ad hunc modum ædificati fuerint muri Ieruſalem. Sic Samuel quoq; ad Saul dicit,Irruet in te Spiritus ac mutaberis,tunc quicquid in manus venit,facito. Hic non unum aliquod opus proponit, ſed ſpiritu mutatum mittit quaſi in ſylvam operum, Quia enim jam eſt factus alius vir, ideo etiam ſequuntur alia opera.

Nova obedientia.

Samuel. Saul.

1. Reg. 10.

Hanc Theologiam adverſarij noſtri non intelligunt,ſed invertunt rem,volunt & docent, tam diu operari, donec mutentur & alij fiant. Sed oportet prius hominem ſeu perſonam mutari ad eum modum, quem hujus Pſalmi ordo proponit,& poſtea fiet,ut omnia recte fiant,ſive circumcidaris,ſacrifices, laves in Lege,ſive extra Legem in opere vocationis tuæ ſis,comedas,bibas, maritus fias,&c. Omnia enim placent,quia perſona jam placet, non quidem propter ſe, ſed propter ſacrificium Chriſti,& miſericordiam, quam fide apprehendit.Obſervanda igitur cauſa eſt, cur damnet David ſacrificia, nempe, propter locum Iuſtificationis, ſeu cauſam finalem. Hæc enim non ſolum ceremonialia,ſed etiam moralia opera vitiat,ſi non propria ſit. Quare indoctorũ in ſpiritualibus cavillationes ſunt, opera Legis apud Paulum interpretari pro ceremonijs. Nam ceremoniæ in Lege æque ſanctæ ac neceſſariæ fuerunt, atq; in novo teſtamento ſancta & neceſſaria ſunt moralia opera.Sicut tertium præceptum de Sabbato clare probat,quod cum ceremoniale ſit,tamen omnibus moralibus præponitur. Sicut enim hodie obligamur ad Leges Imperiales & œconomicas, item ad Legem fraternæ charitatis, ſic illi obligantur ad ceremonias. Nihil igitur eſt dicere, Ceremonialia jam ſunt mortua & abolita. Tum enim non fuere mortua,& tamen non juſtificabant, ſicut nos non juſtificant moralia,ſive politica ſint,ſive Decalogi propria. Hæc monenda fuere propter calumnias,quibus etiam docti homines nos conantur premere. Nunc redeo ad conſolationem.

Quare David damnet ſacrificia.

Pleniſſimum igitur conſolationis eſt, Deum non velle ſacrificia, ſed hunc ſummum cultum damnare & repudiare, ſiquidem fiat hoc fine, ut avertatur ira Dei,& nos juſti ſimus. Commendatur enim hic nobis miſericordia Dei, gratis condonantis peccata,& juſtificantis nos. Qui enim ſuis operibus juſticiam quærunt,nihil faciunt aliud, quam ut concentur ſibiipſis fieri Plaſmatores,ſeu creatores,contra Scripturam, Ipſe fecit nos,& non ipſi nos. Prima enim creatura, quod in hanc lucem nati ſumus,non eſt noſtra, ſed Dei,Et ſcilicet ſecunda creatura noſtra erit, qua naſcamur in æternam vitam? Ergo non falſa ſolum,ſed impia quoq; opinio eſt,ſentire quod Deus noſtris operibus ſic placari poſſit,ut vitam æternam nobis donet aut juſticiam. Nam ſi etiam præcepta à ſe opera non vult hoc fine fieri, ſed ea repudiat,quanto minus electitia accipiet, quæ ſine mandato Dei ſtulta ſuperſtitio ſuſcipit?

Quærentes juſticiam ſuis operibus, &c.

Pſal. 99.

Notanda igitur hæc ſententia eſt, qua contra Moſen, contra Legem,contra opera & religiones omnes dicit,Tu non voluiſti ſacrificium,ut ſcilicet ſtatuatur juſticia, quæ eſt per fidem in Chriſtum. Sed non tam Legi quam noſtro cordi

Deus ſacrificia non delectatur.

ſenten-

ſententia hæc repugnare videtur. Sic enim natura ſumus omnes,quod optamus nos aliquid ad Deum afferre poſſe, quo placetur,neq; poſſumus ſatis ſecuro corde nos totos miſericordiæ credere,Ideo & in malefactis deſperatio, & in benefactis ſemper occulta præſumptio ſentitur. Sed cur præſumimus in ijs, quæ aliunde habemus,& non proprie noſtra ſunt?Nam etiam ipſa confeſſio & gratiarum actio eſt donum aliunde acceptum, quanto magis iſta dona ſunt, de quibus agimus gratias. Fruſtrà igitur tentatur per opera reconciliatio,Quid igitur vult,ſiquidem ſacrificia non vult?

XVIII.

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

HIc locus dignus erat,qui ſcriberetur aureis literis. Hic enim vides, quale Sacrificium ſtatuat contra Sacrificia legis & totius orbis terrarum. Quia autem Sacrificium non eſt ſine Sacerdote, igitur ſacerdotium Legis ſimul abjicit,& inſtituit novum ſacerdotium cum novis ſacrificijs. Initio igitur faciamus hic diviſionem, quod duo ſint Sacerdotia, unum quod reprobat,& alterum quod probat. Sacerdotium quod reprobat eſt illud, quod habet holocauſta, & alia Sacrificia in Lege inſtituta, Sacerdotium autem quod probat,eſt illud, in quo non beſtiæ,ſed corda offeruntur contrita & humiliata. Hanc diviſionem initio obſervemus,ac credamus eam fieri non à Davide,ſed ab ipſo Spiritu ſancto. Nam infra pateſcet, quod nulla alia poſſit major contingere conſolatio,quam ſi ſcias ab ipſo Deo ſic pronuntiari,quod non indigeat ſanguine taurorum, nec alijs noſtris operibus, ſecundum illud,Fruſtra me colunt mandatis hominum, Sed Sacrificia divina & placentia Deo,eſſe ſpiritum contritum,& cor humiliatum.

Novi ſacerdotij cum novis ſacrificijs inſtitutio.

Leviticum ſacerdotium abrogatum.

Eſa. 29. Matth. 15.

Secundo,Non ſolum traditur hic illa Iudæis intolerabilis diſtinctio Sacerdotij & ſacrificiorum,ſed etiam proponitur tam jucunda & ſuavis deſcriptio Dei, ut vix uſquam ſuaviorem invenire poſſis. Speculative definiunt Deum ſimilitudinibus quibuſdam, quod Deus ſit Centrum, quod ubiq; eſt,& Sphæra quæ nuſquam eſt. Sed hæc Mathematica & Phyſica ſunt,quæ nos relinquimus alijs profeſſoribus. Nam Theologicam definitionem quærimus,ea non eſt definitio eſſentiæ divinæ,quæ incomprehenſibilis eſt,ſed voluntatis & affectus, quid ei placeat, quid non placeat. Neq; enim Principem novit, qui potentiam & opes novit, ſed qui affectus & conſilia omnia Principis intelligit. Sic ante oculos ſunt creatio mundi & potentia Dei,Sed hoc caput eſt,ſcire,quo fine Deus fecerit iſta, & quo conſilio.Hanc cognitionem præſens verſus Pſalmi cum ſingulari ſuavitate proponit,quod ſcilicet Deus ſit talis Deus, qui finaliter nihil faciat aliud,quam ut contritos,vexatos,perturbatos,reſpiciat ac amet, & quod ſit Deus humilium & contribulatorum. Hanc definitionem ſi quis animo complecti poſſet,is eſſet Theologus. Neq; enim Deus in majeſtate & potentia apprehendi poteſt. Ideo hæc definitio nobis voluntatem Dei aperit,quod ſit Deus non mortis,ſed Vitæ, non perditionis,ſed ſalutis,non hoſtis humilium & perditorum,ſed amator & adjutor, & ſimpliciter quod ſit Deus Vitæ,ſalutis,quietis,pacis,& omnis conſolationis & lætitiæ.

Theologica Dei deſcriptio.

Deus vita non mortis.

Conſolatur igitur Propheta omnes contritos, quod Deo non poſſit aliud Sacrificium gratius præſtari,quam ut terreamur,ac paveamus, & in iſto pavore ſtatuamus Deum eſſe faventem & placatum,&c. Hæc eſt ſapientia ſupra ſapientiam,hoc eſt,divina ſapientia, quia ſenſus humanus ſeu ratio ſic dictat, Sentio me peccaſſe,atq; ideo affligor animo, ergo habeo Deum iratum, ergo omnis gratia ſublata eſt,Sic ratio,& quicquid eſt infra Chriſtum,dictat,Deinde accedit Satan, qui animum ſua ſponte in deſperationem procumbentem impellit,aut ſubjiciendo exempla iræ,aut objiciendo eas ſententias,quibus Chriſtus & Spiritus ſanctus ſecura corda volunt dejicere. His augetur malum,& quaſi vires ſumit deſperatio.

Deo gratiſſimus cultus, terreri & credere.

Ratio. Satan.

Sapientia Spiritus ſancti.

... Spiritus ...

Sed quid nos docet ſapientia Spiritus ſancti? Ea proponit Deum non talem eſſe Deum, qui conterritos magis terrere, & contritos plus conterere velit, Sed qui amans ſit contritorum, afflictorum, & humilium, qui expectet & audiat gemitus ac voces calamitoſorum. Sed niſi Spiritus ſanctus hanc ſapientiam in corda infundat, etiamſi audiatur, tamen ſine fructu auditur. Neq; enim corda hanc ſpiritualem ſapiẽtiam poſſunt apprehendere, ſed cum oppreſſa ſunt amaritudine & triſticia, ne orare quidem audent. Etſi enim ego non magnam hujus periculi experientiam habeam, tamen ſemel atq; iterum didici, quam difficile ſit in hac lucta dicere, Domine adjuva me. Quia corda in ſenſu iræ Dei nihil vident, nec norunt, quo ſe conſolari aut erigere poſſint, adeo abſorpta ſunt deſperatione.

Quo modo consolandi in extrema desperatione erigenda.

Quare vos, qui eſtis olim futuri Doctores Eccleſiæ, hortor & moneo, ut cum animi in extrema deſperatione ſunt, ſic eos doceatis, ut ſe erigant, & ſperare audeant. Quia hic ſcriptum eſt, quod corda ad hunc modum contrita & humiliata, ſint Deo gratiſſimum ſacrificium, quod anteferat omnibus cultibus. Hunc cultum expectat ab omnibus, & propter hunc cultum præſtandum, mittit peſtes, famem, gladium & omnia pericula, ut afflicti ſperemus divinum auxilium. Percutit enim ut convertat, nos autem accipimus percuſſionem, ut avertamur, & fugiamus ab eo, Affligit ut dicamus, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, Nos autem, ſicut ſub Papa, aut in monaſteria currimus, aut quærimus alias vías, quibus nobis ipſis medeamur. Hoc eſt, quod Eſaias dicit, Et non eſt converſus populus ad percutientem ſe. Sic in univerſum ſolet ratio, deſtituta Verbo & ſpiritu, vult fugere Deum, ſicut Petrus in navi, qui jubet Chriſtum exire, quia ipſe non poterat exire, quod ſi vicinus fuiſſet littori, ſine dubio proſiliiſſet in mare. Atqui ſicut Spiritus hic docet, Cor ſic contritum, eſſe ſacrificium Deo, Ita docet etiam Chriſtus ibi, ne Petrus timeat.

Esa. 9.

Ad quos hæc Theologia pertineat.

Eſt igitur clariſſima ſententia, quod Theologia noſtra non pertineat ad præfractos & ſecuros, Hi inſenſati prorſus ſunt, & nihil hujuſmodi ſpiritualium rerum nec vident nec intelligunt, ſicut ſunt, qui hanc doctrinam ſic pertinaciter perſequuntur, tam Doctores quam Magiſtratus & Principes. Sed pertinet hæc Theologia tantum ad conſolandos afflictos, miſeros, & deſperatos. Hi languent & decumbunt, quia habent animos fractos & contuſos, Igitur etiam admittunt medicum Chriſtum, docentem quod iſte non ſit morbus ad mortem, ſed ſit Deo jucundiſſimum ſacrificium. Hæc medicina eſt, quæ ſolvit dolores illos inenarrabiles, Nec ullum aliud remedij genus eſt reliquum. Sed mundus & adverſarij noſtri, quia hæc non intelligunt, rident ea tanquam ſtulticiam, Sed Spiritui ſancto non eſt ſtulticia, ſed ſumma ſapientia, ut in tempore deſperationis maxime ſperemus miſericordiam, contrà in tempore præſumptionis & ſecuritatis maxime timeamus. Hunc cultum præfert Propheta ſacrificijs, Et nos quoq; docendo invitat, ut cum Deo gratiſſimum ſacrificium præſtare volumus, non hecatombas, non holocauſta inſtruamus, Sed ut canamus hoc carmen, Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, hoc eſt, ut credamus Deo placere vexationem & afflictiones noſtras, & confidamus ejus miſericordiæ.

Cor contritum et humiliatum etc.

Cor contritum & humiliatum, Deus non deſpicies. Contritum & humiliatum dicit, non fictè, ſed revera comminutum, quod præ deſperatione quaſi moritur. Tale cor, inquit, tu non odiſti, ſicut nos ſomniamus, ſed accipis cum voluptate. Videmus igitur noſtram Theologiam eſſe Verbum vitæ & juſticiæ, quia pugnat & erigit contra Peccatum & mortem, nec etiam poteſt exerceri, niſi in peccato & infirmitate, Eſt quoq; verbum læticiæ, cujus virtus non poteſt conſpici, niſi in triſticia & afflictionibus. At nos ſic ſumus, ut optemus quidem verbum Vitæ & lætitiæ habere, ſed tentationes mortis & triſticiæ optamus abeſſe, Belli profecto & ſuaves Theologi. Diſcendum igitur eſt, quod in media morte, in morſu & pavoribus conſcientiæ, in medio dentium Diaboli & inferni verſandum ſit Chriſtiano, & tamen verbum Gratiæ retinendum, ut dicamus in talibus pavoribus,

Tu Do-

Tu Domine faves mihi,quia ſcriptum eſt,Deum non aliud ſacrificium gratius habere,quam contritum cor, nec aliud acceptius ſacerdotium, quam quo offeruntur humiliata corda. Papa cum ſacrificat in pompa Regibus digna, ſordet in oculis Dei, & eſt abominatio præ uno peccatore dicente, Deus eſto mihi propitius, ſicut Publicanus Lucæ 18. Is eſt verus Papa,& verus ſacerdos,ac Deo gratus. Offert enim Deo ſacrificium acceptiſſimum, animum contritum, & tamen ſperantem in ejus miſericordia.

Publicanus, Luc. 18.

Pleniſſima igitur conſolationis eſt hæc Dei ſeu deſcriptio, ſeu definitio, quod Deus in ſua propria forma ſit talis Deus, qui amet afflictos, qui miſereatur humiliatorum,qui ignoſcat lapſis,& foveat languidos. Num enim poteſt ulla ſuavior Dei imago deſcribi? Cum igitur Deus revera talis ſit,tantum de eo habemus, quantum credimus. Deinde hic verſus ſimpliciter abjicit omnes alios cultus, & opera omnia, & nos revocat ad ſolam fiduciam miſericordiæ & benignitatis Dei, ut credamus Deum nobis favere, etiam cum videmur nobis deſerti & calamitoſi eſſe. Sic cum Nathan Davidi objiceret, Tu es ille vir mortis, humiliabatur David,& inſtruebat ſacrificium hoc, Deinde cum audiret, Non morieris,ibi abſolvebat ſacrificium. In media enim ira ſpem miſericordiæ, & in medio ſenſu mortis ſpem vitæ,concipiebat. Ex hac experientia verſiculus hic natus eſt,quo docemur de ſacrificio Deo accepto,quod eſt in morte & ira Dei, vitam & Gratiam ſperare. Hæc Theologia per experientiam diſcenda eſt, ſine experientia non poteſt intelligi, ut ſciant pauperes ſpiritu, ſe tum in gratia eſſe, cum maxime ſentiunt iram Dei,ut & in deſperatione ſpes miſericordiæ,& in ſecuritate timor Dei retineatur, ſicut alio in loco eſt, Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum,& ſuper eos, qui ſperant in miſericordia ejus. Secundum hunc verſum enim Deus definitive nihil aliud eſt, quam Gratia & favor, ſed reſpectu humilium & afflictorum,&c.

Epilogus de Deo & cultib. Levitici cultus abrogati.

Exemplum Davidis, 2. Reg. 12.

Pſal. 145.

Sed etiam negative hæc ſententia tractanda eſt,Quia enim Deo gratum eſt ſacrificium,ſi contriſtati & contriti ſperemus miſericordiam, ergo prohibet,tanquam ſummam impietatem,deſperationem. Vult enim in fide ſuſtineri tribulationem, non vult addi deſperationem. Par enim peccatum eſt,præſumere de propria juſticia,& deſperare propter propriam indignitatem. Media via tenenda eſt, alioqui ex ſacrificio gratiſſimo redditur ſumma abominatio. Maneat ſacrificium ſacrificium,& non fiat exitium, exitium autem eſt deſperare. Sic igitur feramus crucem & afflictiones ſinguli, ne tamen opprimamur triſticijs, & in deſperationem abeamus. Hoc enim eſt Deo eripere divinitatem, quam in miſericordia ſua maxime oſtendit,ſicut etiam hujus verſiculi definitio probat. Dicuntur & docentur hæc quotidie,ſed cum ad praxin ventum eſt,pauciſſimi ea præſtant,Sed,ceu ignavi milites,ad primum ſenſum tentationis fere deſerimus ſigna. Conſiſtendum autem erat fiducia miſericordiæ etiam tum, cum videmur opprimi doloribus, & abſolvendum ſacrificium, quod tantopere nobis commendat Spiritus ſanctus. Hic enim etiam infirmis locus eſt,tantum ne prorſus ſtationem relinquant. Neq; enim quiſquam Magiſter hujus artis eſt,ſed manemusomnes diſcipuli,ſicut Paulus quoq; dicit,Non quod apprehenderim,aut jam perfectus ſim,ſed ſector,&c.

Vt ſpes docetur, ita deſperatio prohibetur.

Sacrificium non fiat exitium.

Phil. 3.

XIX.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Zion, ut ædificentur muri Ieruſalem.

AVdivimus hactenus per totum Pſalmum locum Iuſtificationis & pœnitentiæ, cum fructibus ſequentibus, magna copia tractatum, & graviſſimis ſententijs, affirmativis & negativis,Affirmativa fuit, Cor mundum crea in me Deus, Quia enim novam creationem poſtulat,plane nihil relinquit libero arbitrio,Negativa eſt, Quoniam ſacrificium non voluiſti,Significat enim nullis noſtris operibus nos

Poſt traditam doctrinam de pœnitentia & Gratia,addit precationem, ut ad nyum transferantur iſta & conſerventur.

bus nos pervenire poſſe ad placandam iram Dei, & impetrandam Gratiam, ſed ſimpliciter in eo conſiſtendum eſſe,quod Deus ſit miſericors,&c. Nunc diſcedit Propheta à doctrina & addit precationem,Q. d. Oſtendi hactenus rationem juſtificationis,quis veræ pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum modus ſit, Nunc nihil reſtat, quam ut oremus hanc cognitionem ſpargi in totum populum & exerceri. Neq; enim deerunt falſi Doctores, qui Legem & ſua ſacrificia eo modo prædicant,ut hæc doctrinæ pars de gratuita miſericordia Dei plane negligatur. Quare oratione opus eſt,ut contra tales ſana doctrina in populo retineatur. Neque enim ſentiendum eſt,quod oret pro ædificio temporali, Florebat enim tum Ieruſalem,& erat inſtructiſſima tum legibus,tum optimis Principibus, & tamen optat David muros ejus ædificari,non à talibus ædificatoribus, qui materiam,ligna, lapides,calcem tractant,ſed à Domino. Stabant muri,& tamen orat,ut ædificentur. Ergo etſi illam ſtantem Ieruſalem ſignificet,tamen de allegorica Ieruſalem loquitur,ſeu Synecdoche utitur,& cum civitatem nominat,populum ſeu Eccleſiam in civitate & toto regno intelligit, ut ſicut civitas ſatis munita eſt muris contra impetum hoſtium, ita etiam muniatur in ſpiritu contra vim Diaboli, & ſpirituales inſidias. Neq; enim defuturos eſſe deſtructores, qui homines impellant ſecundum Decalogum benefacere,& de fiducia miſericordiæ nihil doceant. Ita fieri ut abducantur ad fiduciam propriæ juſticiæ. Contra hos,inquit, tu ædifica,ut te vere cognoſcant,& intelligant,hoc eſt, ut ſciant nos ſola Gratia & miſericordia tua juſtos eſſe.

Ædificare muros Ieruſalē.

Hoc eſt ædificare muros,ut firmi ſint,ſi hoc modo homines diſcant confidere miſericordia Dei,& accipere gratiam. Nam qui ſemel cœperunt, quotidie magis ac magis creſcunt. Neq; enim ſatis eſt incipere in hac cognitione,Sed quia Satan,poſt acceptam Gratiam,contra pios furit cum omnibus ſuis miniſtris angelicis & humanis,ideo neceſſe eſt ſtare in acie, neceſſe eſt etiam muniri & confirmari animos magis ac magis, ut ſicut Satan non ceſſat infeſtando, ita nec is ceſſet defendendo & muniendo,qui cuſtodit Iſrael. Continet igitur hic verſiculus petitionem pro Gratia donanda & conſervanda. Tribuit autem hic quoque omnia benignitati Dei, non ſuis meritis aut ſtudijs,ut ſcilicet ſecundum ſuam bonam voluntatem Deus hanc Gratiæ cognitionem conſervet. Deinde ut etiam ædificet muros,hoc eſt,ut animi firmi ſint, & bene muniti in hac cognitione, ut tempore pugnæ perſtent contra Diabolum. Populo autem ſic erudito, juſtificato, conſervato & defenſo contra omnes errores & Satanæ inſidias.

Petitio pro gratia conſervanda.

XX.

Tunc acceptabis ſacrificium juſticiæ, oblationes,& holocauſta,Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

HOc eſt,Tunc ſacrificia,quæ prius damnavimus,laudabimus, & placebunt tibi. Nam in genere recte intelliges ſacrificia, ſive ea, quæ fiebant ſecundum Legem,ſive ſpiritualia ſacrificia,utraq; ſūt ſacrificia juſticiæ, quia tota vis eſt poſita in bonitate Dei & beneficio divino. Nam cum homines ſic confidunt miſericordiæ,tunc ſi bos offertur,placet Deo, & eſt ſacrificium juſticiæ, Sin bos deeſt, placet bos labiorum,ſicut Oſeas appellat,ergo in genere intelligo ſacrificia. Vocantur autem ſacrificia Iuſticiæ,non quod juſtificent,quia perſona jam antea fide ſeu miſericordia juſta eſt,ſed quod à juſtificatis, ſeu juſtis,ſeu ab ipſa juſticia fiunt. Quando enim populus eſt juſtus,& cognoſcit,quod ſola Gratia Deo placeat,non aliqua ſua dignitate aut meritis, tunc quicquid ſecundum Verbum Dei facit, recte vocatur aut ſacrificium,aut opus juſticiæ,etiam illa corporalia, Vt cum vinum bibit, bibit Vinum juſticiæ, cum induit tunicam, induit tunicam juſticiæ, cum familiam regit, regit familiam juſticiæ, ſi gerit bellum, ſi adminiſtrat politiam, ſi vivit, ſi moritur, omnia illa ſunt opera juſticiæ, quia perſona eſt juſta.

Sacrificia Juſticiæ.

Oſee 14.

Ad

Ad hunc modum altare intellige, ſive illud, quod eo tempore erat in templo Ieroſolymis, ſive Allegoricum templum, quod hodie eſt per totum orbem terrarum. *Altare.*

Ergo duplex Sacrificium nobis proponit Propheta. Primum eſt, quod vocavit Cor contritum, cum ſcilicet ſentitur ſpiritus contribulatus, & cor humiliatum, quod luctatur cum cogitationibus iræ & judicij Dei. Hic vide ne addas deſperationem, ſed confide, & crede in ſpem contra ſpem. Chriſtus enim eſt medicus contritorum, qui lapſos vult erigere, & linum fumigans non extinguere, ſed fovere. Si igitur es linum, noli ipſe te extinguere, hoc eſt noli deſperationem addere. Si es calamus contritus noli te amplius conterere, aut Satanæ conterendum dare, ſed da te Chriſto, qui eſt Philanthropus, & amat conquaſſatos & contritos ſpiritus. Hoc eſt primum & potiſſimum ſacrificium. Deinde cum ita cognoſcis Deum eſſe juſtificatorem peccatorum, ſi canis unum Deo gratias, tunc addis alterum ſacrificium, nempe ſacrificium retributionis ſeu gratitudinis pro accepto dono, quod ſacrificium non eſt meritum, ſed confeſſio & teſtificatio Gratiæ, quam Deus tuus ex mera miſericordia tibi largitus eſt. Itaq; holocauſta in lege, à ſanctis & juſtis exhibita, eo fine offerebantur, non ut juſtificarentur per ea, ſed ut teſtarentur ſe accepiſſe miſericordiam & conſolationem. Sic bos immolatus eſt teſtis gratiæ, ſeu ut ita dicam, operaria vox gratitudinis, ſeu gratitudo manualis, qua manus effundit gratitudinem tanquam realibus vocabulis. I. *Duplex ſacrificium.* *Chriſtus contritorum medicus.* II. *Sacrificium gratitudinis.*

Hæc altera ſpecies eſt ſacrificij. Nam ſacrificium primum, eſt ſacrificium mortificationis, ut neq; efferamur ſecundis rebus, nec adverſis deſperemus, ſed ut timore Dei moderemur ſecuritatem, & in ſenſu iræ & judicij Dei, ſpem retineamus miſericordiæ, ne vel capite in cœlum, vel pedibus in terram impingamus. Alterum ſacrificij genus eſt gratiarum actio. Hoc non tantum conſiſtit in lingua, ut confiteamur fidem noſtram, & prædicemus nomen Domini, ſed in omnibus vitæ actionibus. Appellatur autem ſacrificium Iuſticiæ, quod ideo placet, quia perſona juſta eſt, & illud ſacrificium humiliationis, & contritionis præceſſit, quod medium ſervat inter præſumptionem & deſperationem. Eſt autem medium non mathematicum, ſed phyſicum. Etſi enim impoſſibile eſt in hac infirmitate noſtra ſic vivere, ut nuſquam vel ad dextram vel ſiniſtram impingamus, tamen conatus requiritur, ut cum ſentimus vel ſecuritatem vel deſperationem, non indulgeamus, ſed reſiſtamus ei. Sicut enim cum Sagittarijs ſcopus propoſitus eſt, etiam ijs locus datur, qui non omnino aberrant à ſcopo, etſi medium ſeu punctum Mathematicum non attingant, Ita hoc ſatis eſt Deo, ut pugnemus cum ſecuritate & ſuperbia ſpiritus, item cum deſperatione. Quod ſi aliquid lætitiæ deeſt in afflictionibus, ſive timori in proſperis, id non imputatur Sanctis. Habent enim mediatorem Chriſtum, per quem fit, ut pro vere Sanctis reputentur, etiamſi vix habeant primitias ſanctitatis. Fiunt enim per Chriſtum decimæ, quæ in ſe non plus ſunt quam primitiæ. *Sacrificium mortificationis* *Sacrificium laudis.* *Sacrificium juſticiæ.*

Summa igitur totius doctrinæ hujus eſt, ut afflicti ſe erigant per Chriſti meritum, ſeu per miſericordiam Dei, Et qui ſine afflictionibus ſunt, ut ambulent in timore Dei, & ſecuritatem ejiciant. Ad hanc doctrinam neceſſaria eſt precatio, quæ Pſalmum hunc concludit, ut Dominus ædificet Eccleſiam ſuam, tunc ſequentur ſacrificia Deo grata & accepta. Id quod nobis omnibus largiatur Deus & Redemptor noſter Ieſus Chriſtus Epilogus.

AMEN.

Digitized by Google

PRÆFATIO D. MARTINI LUTHERI, IN EPISTOLAM S. HIERONYMI ad Evagrium de poteſtate Papæ.

ANNO M. D. XXXVIII.

MVlta ſunt in Libro, quem Decretorum Gratiani vocant, præclara ex Patribus collecta, in quibus cernere eſt, utcunq; ſtatum veteris ſeu primitivæ Eccleſiæ, longiſſime diverſum à ſtatu ſequentis, præſertim Romanæ, Quæ ſibi poſt per Scharioticos Pontifices, univerſalis Eccleſiæ nomen arrogavit, Si tamen Eccleſiam licet appellare, qui hoc ſacrilegum Idolum auſa eſt ſtatuere impudentiſſima facie. Sed Gratianus Pontificibus jam tunc tyrannidem in Eccleſiã Chriſti vendicantibus, adulantior vel obſequentior quam oportuit, optima dicta & Decreta Patrum, vel antr-quat vel ad arbitrium Romanorum Pontificum depravat, pia (ut apparet) intentione, ſed peſtilentiſſimo exemplo. Nam inde Papa ita ſuperbivit, ut jura negarit ſibi nata, Nihil non arrogarit ſuo nihiliſſimo fulmine, Denig, ita crevit tandem tumor ejus in immenſum, ut his annis crepuerit medius, ſicut anteceſſor ejus Iudas, diffuſaq; ſint viſcera omnium ſcelerum & abominationum ejus, ita ut fœtorem ejus univerſa terra jam non poſſit amplius ſuſtinere.

Sic & hæc S. Hieronymi Epiſtola, inter cetera opuſcula ejus, recepta quidem eſt, & hactenus conſervata, Sed & ipſa antiquata, non autem depravata. Nam clarior & apertior eſt, quam ut ullius depravationi locum præbeat. In qua etſi forte S. Hieronymi autoritas magna non ſit, tum apud latrones tyrannidis Romanæ prorſus nihil, Tamen viſum eſt eam hoc tempore in publicum ducere, & ſingulariter inſpiciendam proponere, ut habeat juventus præteritarum rerum imperita teſtimonium de veteris Eccleſiæ ſtatu, adverſus reliquos deſenſorculos & patrunculos, frigidos ſane & elumbes meretricis iſtius Romanæ, de cauſa ſua non leviter periclitantis.

Nam hic vides, tempore Hieronymi (ſicut & Ambroſii & Auguſtini) nullum fuiſſe Archiepiſcopum in Eccleſia, nullum Patriarcham, nullum Primatem, nullum Metropolitanum, multo minus Papam ſeu œcumenicum Pontificem, Sed omnes erant Epiſcopi inter ſeſe æquales. Deinde ipſi Epiſcopi idem qui Presbyteri, & econtra, denig, Epiſcopum Eugubij non longe à Roma oppiduli, æqualem eſſe dicit ipſi Romano Epiſcopo. Heu quantus hæreticus futurus, ſi hodie viveret vir ſanctus, Et mirum quod non millies eum damnent, ultra tartara cum omnibus ejus ſcriptis. Fuit & vocabulum Papa commune nomen Epiſcoporum, Sic S. Hieronymus vocat S. Auguſtinum ſanctiſſimum Papam & Cyprianum vocabant Papam in Eccleſia Carthaginenſi. Quare evidens eſt, totam illam Hierarchiam Papalem eſſe doctrinas hominum ſeu dæmoniorum verius, per hypocritas falſiloquos introductas. Omnes (inquit S. Hieronymus) merito & ſacerdotio ſunt æquales, Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum facit.

Et quod mirandum eſt, Eo tempore nec differentia donorum & gratiarum ſpiritualium (quibus tamen maxime debebatur dignitas præcellentiæ ſeu ſuperioritatis) faciebat ſuperiores Epiſcopos. Nam S. Martinus inter Epiſcopos Galliæ haud dubie ſanctiſſimus virtute ſpiritus & miraculis clarus, Tamen inter Epiſcopos cæteros tenebat ſuum locum, nec voluit ſanare quendam ægrotum, niſi ab alijs juſſus & fere coactus. Et S. Auguſtinus inter Epiſcopos Africæ doctiſſimus & facundiſſimus, locum ſuum tenuit inferiorem, veluti junior, & tamen in Synodis cogebatur publice docere vel orationem habere, quod erat vel Carthaginenſis, ſi loci dignitas aliquid valuiſſet, vel alicujus ſenioris Epiſcopi. Erant iſti viri ſanctiſſimi, reipſa, quod vocabantur, id eſt, vere Epiſcopi, non ſuam quærentes vel gloriam vel dignitatem, ſed animarum ſalutem & Eccleſiæ utilitatem. Noſtri hodie Epiſcopi quid ſunt? Mortua larva, & figura, atq, utinam tales eſſent, Ac non etiam vaſatra & furoris Dei eſſent, in perniciem Eccleſiarum.

Quid

Quid putas fuiſſet dicturus Sanctus Hieronymus, ſi vidiſſet hodiernos Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales? Quid ſi Papam vidiſſet non ſolum nullum parem Epiſcopum ſe-rentem, ſed omnes ſibi, ut Domino ſubjici cogentem, pluſquam Sicula Tyrannide, Eccleſiam ſuis peſtilentibus doctrinis opprimentem, Omnium Eccleſiarum, & terrarum opes rapientem, furantem, dolis, fraude & omni mendaciorum genere extorquentem, Colla Regum (& quidem Chriſtianorum) pedibus conculcantem, Oſculandos eiſdem pedes ſuos offerentem, Gladium utrunq; ſibi toto orbe arrogantem. Pompa & ſplendore cunctos Reges ſuperantem, bellis & ſeditionibus orbem Chriſtianum vexantem, Verbum Dei non ſolum negligentem, ſed prorſus ignorantem, perſequentem, extinguentem, Chriſti omnia blaſphemantem, oves Chriſti ma-ctantem, Breviter, horrenda crudelitate & Satanica malicia, in rebus, honoribus, corporibus, animabus fidelium ludentem, ſallentem, ridentẽ, exultantem, & inſatiabiliter adhuc ad majo-ra & pejora hiantem, Certe non hominem naturaliter viventem, ſed Satanam in ſpecie homi-nis furentem eſſe credidiſſet, & ſtupefactus in ſilentium & lachrimas ſeſe dediſſet uſq; ad mortem. Nam quiferre non poteſt, ut Romanus Epiſcopus Eugubienſi Epiſcopo ſuperior ſit, Quid quaſo in Papa inventret, quod non uſq; ad mortem execraretur?

Et hac omnia nos miſeri, portenta ſacrilega & abominanda adacti ſumus adorare, veluti jure divino firmata decreta, incurſuri alioqui indignationem omnipotentis Dei, & be-atorum ejus Apoſtolorum Petri & Pauli, & tolerabilius peccatum fuit negaſſe, blaſphemaſſe, riſiſſe etiam (uti faciunt ipſi Romani) omnes Articulos fidei, quam de hoc jure divino Papa ſub-dubitare, denig; cogitare de Papa aliud, quam eſſe eum ſanctiſſimum, aeterna damnationis peccatum fuit. Teſtis eſt mea & multorum bonorum hominum conſcientia, quae iſtis abomi-nabilibus monſtris horribilem in modum captiva fuit, Sed Chriſto gratia ſuaviſſimo Redem-ptori, qui nos denuo ſuſcitavit ſecum a mortuis, oſtenditq; nobis Iſchariothem diffuſis viſceri-bus ruptum, fœtentem & execrabilem, ideoq; nunc contemptum, derelictum & omnium riſui, ludibrio & ſibilo expoſitum, Amen, Amen. Domine juſta & vera ſunt judicia tua, Tu igitur Domine ſervabis nos & cuſtodies nos à generatione hac in aeternum, Quia impij in circuitu ambulabant, dum exaltati fuerunt viliſſimi filiorum hominum, Pſalmo XI. Amen.

ANNVS CHRISTI
M. D. XL.

ENARRATIO D. M. L. IN PSALMOS GRADUUM SUMMA FIDE
COLLECTA A M. VITO THEODORO, & edita, ANNO M. D. XL.

PRÆFATIO D. M. L. IN Pſalmos Graduum.

Sacrarum literarum tractatio ideo inſtituitur, ut non ſolum doceantur homines, ſed cultus præſtetur Deo.

SÆpe antea oſtendi in exordijs mearum lectionum, quo conſilio ſacrarum literarum enarrationem inſtituamus, Non quod nova aut ignota aliis cupiamus adferre, Ita enim noſtra Theologia, & latinis literis, & vernacula lingua celebrata eſt, ut magis exhortationibus, quam doctrina opus eſſe videatur, ſed quod diligens verbi Dei praedicatio eſt proprius cultus novi Teſtamenti, longe gratior Deo, ſanctior & melior, quam omnes cultus, & ſacrificia omnia veteris Teſtamenti. Ideo etiam cum Lex adhuc viguit, ſancti Prophetae procul abjectis holocauſtis & aliis Legis ſacrificijs, ſacrificium laudis commendabant. Debemus autem nos hunc cultum ideo majore ſtudio & diligentia praeſtare, quod poſt tantam caliginem, in qua viximus divina ſapientia iterum nobis, ceu Sol in meridie, orta eſt & illuxit.

Sicut igitur audire ſermonem ſacrum ante hoc tempus ſervitus quadam æſtimabatur, quæ ſicut aliæ opera ab hominibus præſtaretur, ita nunc diverſum ſtatuendum eſt, nempe quod qui docent, legunt, ſcribunt, audiunt ſacra, ſint veri ſacerdotes Dei, qui Deum ſuum merito & grato honore afficiunt. Hæc igitur debent nos accendere ad aſſiduam tractationem verbi Dei. Quanquam etiam hoc verum eſt, non ita plenam nos poſſe habere ſacrarum rerum cognitionem, quin opus nobis ſit, quotidie eas denuo diſcere, experiri, & in ijs confirmari, propter continuas vexationes Satanæ, quibus nos exercet, ut ſicut non ceſſant occaſiones ruinæ, ita nos quoq; non ceſſemus ab aſſidua meditatione verbi Dei, ad ædificationem noſtri & Eccleſiæ. Nihil enim æque perniciоſum eſt, quam quod multi hodie faciunt, ut poſt levem cognitionem hujus divinæ ſapientiæ, ſtatim ſe Magiſtros factos putent. Quia enim hæc non in eo poſita ſunt, ſi quam optime de ijs diſſerere poſſis, ſed in uſu & experientia, quam non ratio humana, ſed Spiritus ſanctus gubernat ac regit. Profecto longe falluntur, qui in nuda cognitione acquieſcunt, quæ nunquam eſſe poteſt integra ſine uſu. In veteri Teſtamento ſolus Decalogus præſcriptus erat, in quo diſcendo & exercendo, Deus populum ſuum volebat occupatum eſſe, Sed quis unquam etiam inter Sanctos extitit, qui gloriari poſſet, ſapientiam in Decalogo per Spiritum ſanctum propoſitam, ſe conſecutum eſſe? Et nos qui in novo Teſtamento totam Scripturam habemus propoſitam, gloriabimur ſcilicet, de plena cognitione?

Necessaria quotidiana verbi tractatio, propter pericula tentationum.

Periculoſum eſt præſumere, quod hanc doctrinam teneas.

Quare excutiamus iſtam philautiam, & humiliemur nos coram Spiritu ſancto, ac fateamur, hanc infinitam ſapientiam eſſe, quæ non poſſit exhauriri, etiamſi vitam omnem in diſcenda Scriptura deponamus. Etſi enim aliquam cognitionem habemus, Dei gratia, tamen quia quotidie quaſi nubibus tentationum obruimur, ſemper ad hunc fontem, imo ad ignem hunc recurrendum eſt, ut rurſus caleſiamus, neq; aut Satanæ, aut carni noſtræ indulgeamus, ut obruantur primitiæ Spiritus. In Scholis Acediam vocarunt (quam corrupto vocabulo Accidiam indocti dixere) Ea proprie eſt faſtidium hoc Verbi, quod ex præſumptione ſcientiæ naſcitur, & hodie in vulgo nimis commune eſt, Contra hoc vitium Moſes jubet acuendam eſſe legem poſteris, hoc eſt, quotidie urgendam & exercendam etiamſi notiſſima ſit, Semper enim exſplendeſcet aliquid, quod antea nos latuit, ſemper aliquid adlubeſcet, quod antea cen inſipidum negleximus.

Acedia.

Deut. 6.

Ergo etiam hanc ob cauſam enarrabimus Pſalmos, ut & faſtidium hoc Satanicum excutiamus, & Spiritum uſu ſacrarum rerum confirmemus, & cen alamus. Quanquam hoc ſummum eſt, quod certo ſcimus, Deo hunc cultum præcipue placere, cum tractamus Verbum ſuum, docendo, legendo, ſcribendo, audiendo, &c. Hoc unum debebat nos continere in aſſiduo verbi ſtudio. Quid enim aliud eſt tractare Verbum, quam aſſiduo ſacrificare, aſſiduo Deum colere, aſſiduo exerceri in impletione primi, ſecundi & tertij præceptis? Nimis magnus, proh dolor, eorum eſt numerus, qui Deum aſſiduo blaſphemant, cum aut diverſa docent, aut gladio ſanam doctrinam perſequuntur. Quare magna neceſſitas eſt, ut nos, qui numero longe ſumus inferiores, Deo noſtro ſerviamus, eumq; laudemus, qui & hanc vitam dedit, & futuram promiſit. Tum etiam periculum noſtrum nos admonet, ne ſaturi acedia & faſtidio etiam non animadvertentes, occupemur. Nam faſtidium contemptus ſequitur, contemptum autem punit Deus ſic, ut Verbum plane tollat, ſicut Papatus inſigne documentum eſt ad omnia tempora, in quo hæc ſic videmus contigiſſe.

Tractatio Verbi.

Pœna contemptus Verbi.

Expoſui cauſas, cur enarrationem Pſalmorum graduum ſuſceperim, ut ſcilicet hanc horam conſecremus noſtro Redemptori, & ei ſacrificemus, ac pro noſtris viribus primum, ſecundum & tertium præceptum, prædicatione miſericordiæ Dei, recte impleamus, cum alioqui totus Mundus contra hæc præcepta blaſphemando Deum peccet, Et libenter quoq; vos exhortatus ſum, contra acediam & faſtidium. Si enim aliquod doctrinæ noſtræ periculum imminet, ab hoc vitio imminet. Hæretici & ſectæ, etſi multum noceant, tamen hoc agunt, ut nos cogant ad ſacrarum literarum diligentem cognitionem, Sed hæc peſtis, faſtidium Verbi, in nobisipſis naſcitur, & eo plus periculi affert, quanto minus obſervari à nobis poteſt. Tum autem certa Satanæ victoria eſt, cum nos ſtertere & ſecuri ac ſaturi eſſe experimur.

Epilogus.

DE TITV-

DE TITVLO PSALMORVM GRADVVM.

PRimum quæſtio hic eſt de titulo Pſalmorum, cur inſcripti ſint Pſalmi graduum, ſeu ut alij vertunt, Aſcenſionum. Sunt autem variæ interpretum opiniones, quas non eſt operæ precium hic omnes recenſere. Lyra narrat ſic dictos, quod Levitæ ſeu ſacerdotes eos decantaverint in aſcenſu, ſeu gradibus templi. Nam in hiſtoria Regum ſcribitur, quod ad templum per gradus aſcendebatur. Hos fingit quindecim fuiſſe, & in ſingulis ſingulos Pſalmos cantatos eſſe. Hoc verum ne ſit, nec ne, haud multum laboro, mihi tamen non videtur veri eſſe ſimile. Hoc quidem negari non poteſt, ebraicam vocem ſignificare gradus, ſeu adſcenſiones. Maneo igitur quantum fieri poteſt, in ſimpliciſſima ſententia, & judico ſic dictos, quod in gradibus, ſeu editiore loco à Levitis ſeu ſacerdotibus cantari ſint ſoliti, ſicut apud nos, qui publice in templo præcinit, aut concionatur, fere eſt in aliquo editiore aut ſuperiore loco, unde facilius ab omnibus conſpici, & exaudiri poſſit. Neq; enim hos Pſalmos à multitudine, quæ erat in templo, aut à reliquo choro, ſed per certos, qui præcinerent alijs, è ſuperiore loco cantatos, aut ſaltem inchoatos eſſe judico, ſicut quidam alij Lamnazeah titulum habent, hoc eſt, præcinentis, de quo alibi diximus. Verum quis poſſit omnes illorum ritus noviſſe, præſertim poſt tantum intervallum temporis, quo ex uſu & memoria hominum deceſſere?

Cur Pſalmi graduum inſcribantur.

Lyra.

Lamnazeah.

Cum igitur in tanta multitudine Pſalmorum, vigente adhuc Lege, alij alijs Ceremonijs cantari ſint ſoliti, pro ratione temporis & loci, nonnunquam etiam pro eo, ut conſuetudo obtinuerat, Sufficiat nobis hoc ſtatuere, quod titulus hic non ad doctrinam aliquam, ſed tantum ad ceremoniam cantantium pertinet, qualis qualis tandem ceremonia iſta fuerit. Apud nos, Schola Pſalmos, quidam è pueris primos verſus, Miniſter precationes decantat, Deinde mane aliquid ex Pauli Epiſtolis aut Evangelijs, veſperi Pſalmi leguntur. Neq; enim quæ publice fiunt, ſine ceremonijs poſſunt fieri. Ad eum modum in iſto populo juſto ordine, & certis ceremonijs omnia geſta ſunt. Nam erant viginti quatuor ſacerdotum vices, Fieri igitur potuit, ut alias per chorum ſine populo, alias per partem, nonnunquam etiam alternis canerent, deinde populus aliquid ſuccineret. Hæc certo ſciri nequeunt, poſtquam omnino interciderunt, & quia ad intelligendos Pſalmos parum faciunt, æquo animo ferendum cenſeo, quod iſta non plane ſciri poſſunt.

24. Vices ſacerdotum.

Quare etiam hoc omitto, cur & quindecim numero ſint, & his potius quam alijs, titulus hic ſit præfixus. Etſi enim multum laboremus, tamen res manet incerta, & cum nulla hujus rei ſingularis utilitas ſit, fruſtra laboratur. Hoc tamen etiam admonere volui, quoſdam exponere Pſalmos aſcenſionum, pro eo quod eſt Completionum, quod in fine ſint cantati, cum jam populus dimittendus, & Sacra completa eſſent. a At ſane quia breves ſunt, & ſemper inſignes doctrinas proponunt, apti fuerunt concluſioni, Sed relinquo hic quoq; ſuum judicium Ebræis.

Pſalmi aſcenſionum.

a *Alij.*

DE ARGVMENTO PSALMI CXX.

IVdico hunc Pſalmum eſſe invocationem divini auxilij adverſus malas linguas, ſive contra damna, quæ malæ linguæ, hoc eſt, hæretici Eccleſiæ afferunt, cum docent contra ſanam doctrinam. Hæc enim tentatio quaſi in prima claſſe collocanda eſt, cum doctrina petitur. Habet enim Diabolus duplicem viam, qua Eccleſiam aggreditur & infeſtat, hæreſes, & vim ſeu gladium. Ideo Chriſtus quoq; eum mendacem & homicidam appellat. Hinc fit, ut precationes in Pſalmis fere conſummentur in his duobus capitibus, ut aut contra Satanam homicidam, aut contra Satanam mendacem orent, hoc eſt, aut contra peſtilentem doctrinam, aut ſub cruce & perſecutionibus, contra Tyrannos.

Oratio contra falſam doctrinam.

Pſalmi duplicem contra Satanam orant.

Porro

Satan quomodo homicida. & quomodo mendax.

Porro homicidium varium eſt, quo Satan Eccleſiam adfligit, Alios ſenſu mortis,alios calumnijs,alios injurijs inimicorum, odijs, periculis & alijs calamitatibus exercet,Hæc omnia ad vim pertinent. Ad mendacium autem pertinent, quæ per ſuos miniſtros, maxime intra ipſam Eccleſiam, facit per falſa dogmata, quibus perturbat conſcientias,Itē per tentationes interiores cum fatigat pios venenatis ſuis telis deſperationis,diffidentiæ,blaſphemiæ,& ſic ſub nomine Dei occidit & ad infernum abripit. Hæc enim omnia complectitur mendacium. Atq; de his periculis videmus Eccleſiam non ſolum in Pſalmis,ſed in omni Scriptura acerbiſſime conqueri,quod petatur vi,dolo,ſectis,hæreſibus,&c.

Hic autem Pſalmus,ut dixi,meo judicio, proprie pertinet ad alteram tentationem,de peſtilenti doctrina,Quanquam & alteram attingit,Non enim poteſt fieri,quin mendaces doctores etiam crudeles & ſanguinarij ſint,ſtudio defendendæ impietatis, Et Diabolus ideo mendacium diſſeminat, ut occaſiones cædium exuſcitet, Sicut oſtendunt exempla tum reliqua Eccleſiæ, tum illud primorum parentum in Paradiſo,mendacio enim decepit eos Satan,ut morte perirent.Quia autem ſimiles tentationes hodie Eccleſia patitur, quod undiq; petitur & oppugnatur mendacibus & calumniatricibus linguis, ac ſuſtinet acerbiſſima odia cum omnis generis periculis, tantum ideo, quia puram doctrinam retinet,& in illuſtrando verbo occupatur. Ideo nobis hodie quoq; opus eſt oratione adverſus illas noſtrorum temporum peſtilentes linguas, ne noceant tantum,quantum volunt. At magnum beneficium eſt,habere etiam præſcripta à Spiritu ſancto verba, quibus in hoc periculo pij uti poſſunt,Sed nunc ad Pſalmum veniamus.

PSALMUS CXX.

Ad Dominum cum tribularer clamavi,& ipſe exaudivit me.

In hoc Pſalmo doctrina & exemplum adverſus linguam mendacem imitandum proponitur.

REctius redditur verſus per præſentia,*Ad Dominū in tribulatione clamo,& ipſe exaudit me.* Quanquam enim Ebræi quoq; diſcrimina habent trium temporum,tamen quia præteritum eſt prima vox,ſeu thema verbi,lucis cauſa ſæpe rectius redditur per præſens,Vt non ſolum ſit deſcriptio facti præteriti, ſeu exemplum,ſed etiam doctrina,in qua oſtenditur, quid nobis agendum ſit in iſtis tentationibus mendacis linguæ, cum ſcilicet ſentimus & experimur, nos fruſtra cum hæreticis conflictari,nec poſſe fieri,ut reducantur in viam. Nam hoc diuturna experientia didicimus,verum eſſe quod Paulus dicit, tales eſſe ſuo judicio damnatos,ideoq; poſt unam & alteram correptionem ſeu admonitionem ſinendos ac vitandos eſſe, quod ita capti ſint opinionibus, ut non poſſint ab eis deduci.

Impiorum dogmatum autores convinci poſſunt, reverti non poſſunt. Exempla.

Atq; hoc præſertim in autoribus hæreſium,ſeu impiarum doctrinarum experimur,ijs nihil dici aut fingi poteſt,quo emendentur. Non quidem ſpes deſit, futurum, ut cedant veritati,ſicut certum eſt eos convinci poſſe, ſed non convertuntur. Etſi enim jam uno loco impium os obtures, ſtatim inveniunt quod remurmurent, Sicut non ſolum Arij & aliorum hæreticorum hiſtoriæ oſtendunt, ſed etiam nos noſtri ſeculi exemplis teſtari poſſumus. Ergo impoſſibile eſt,compeſcere perpetuo os hæreticorum. Hoc autem poſſibile eſt, ut eos convincamus & redarguamus,Item ut noſtros ab eorum errore,ceu præſentiſſimo veneno,præſervemus. Debet enim Epiſcopus inſtructus eſſe,non ſolum ad docendos ſimplices,ſed etiam ad redarguendos perverſos. His contenti ſimus ut noſtri prænoti,in ſana doctrina perſiſtant, Vt autem autores hæreſium convertamus, hoc non ſperemus. Quoties Chriſtus Phariſæos non ſolum aperta Scriptura,ſed etiam Dei digito & miraculis convicit? & tamen permanebant in ſua impietate. Arius coram Probo manifeſte concluditur, & tamen poſtea errorem ſuum majore fiducia & ſucceſſu propagat. Quid de Papiſtis noſtris dicemus? an non eadem in eis experimur?

Phariſæorum.

Ergo

Ergo eos, qui non errore, ſed voluntate peccant, & converti nolunt, relinquamus, poſt unam ac alteram admonitionem, & pugnemus contra eos exemplo Davidis oratione, ſicut etiam pro noſtris nobis orandum eſt, ne decepti ſpecie ſeducantur. Præter hoc nihil reliquum eſt quod agamus. Nam autor hæreſium Diabolus ita lubricus, & mille modis Proteus eſt, ut non poſſit certo conſtringi, aut capi. Vna rima obſtructa, decem alias invenit, quibus elabatur, & ceu ventus concluſus, omnia quærit, penetrat omnia, ut poſſit elabi. Contra hunc præcipue pugnatur, quando cum hæreticis res eſt. Itaque diſputando nihil proficitur, etſi diſputandum eſt, & diſputationibus miniſtri Satanæ convincendi & redarguendi ſunt, propter reliquam Eccleſiam, Sed cum verbo externo etiam conjungenda eſt Oratio, qua malignus Spiritus maxime premitur & urgetur. Hæc repreſſit Arium, Manichæum, Sabellium, hæc Phariſæos & incredulam Synagogam contudit, hæc noſtri ſeculi impiarum opinionum autores fregit, quamvis eſſent ferociſſimi. Ita enim fit, ut qui exhortantes & redarguentes nolunt audire, cogantur ſentire nos orantes & clamantes ad Dominum, pro ſanctificatione nominis ipſius, & adventu regni ejus.

Admonitio ſolentur relinquendi & adverſus eos orandum.

Contra Satanam pugnandum quando cum hæreticis res eſt. Vis orationis adverſus hæreticos.

Hæc eſt via unica ad victoriam, ut etſi ad tempus videantur ſuperiores, tamen eradicentur tandem peſtilentes linguæ. Itaq; ſapienter agendum eſt & caute in hoc periculo, ac omnis abjicienda fiducia ſapientiæ noſtræ, etiamſi verbum Dei ſit, quod pro nobis habemus. Non enim pugnamus contra carnem & ſanguinem, ſed contra nequitias ſpirituales. Quod ſi agendum tantum eſſet cum carne & ſanguine, ſic noſtra vellemus munire & firmare rationibus, ut nihil poſſet contra dici, Nunc autem hoc experimur, cum rationibus & Scripturæ autoritate convicti ſunt, tamen pertinaciter retinent errorem ſuum, & in hoc unicum incumbunt, quomodo eum defendere, & quam latiſſime propagare poſſint. Itaq; ſoleo peccatum eorum comparare cum peccato Iudæ. Is non potuit excuſare conſilium proditionis, quod contra Chriſtum ceperat, & tamen pergebat id exequi, ſic enim urgebat eum Satan. Ad hunc plane modum Satan autores impiorum dogmatum ſemel apprehenſos, non dimittit, nec quieſcere patitur.

Eph. 6.

Natura impiorum Doctorum

Peccatum Iudæ.

Ergo oratio addenda eſt, ergo oratione potiſſimum pugnandum eſt, ſicut David hic pulcherrimo exemplo & pleno conſolationis facit, ac dicit, *Ad Dominum cum tribulor, clamo.* Quaſi dicat, In hoc periculo impiæ doctrinæ, fruſtra conabar hoc ut converterentur, & errorem agnoſcerent Pſeudoprophetæ. Satan enim, qui corda eorum poſſedit, ita lubricus eſt, ut non poſſit capi. Ad hæc ego inferior eram, ſi numerum ſpectes, nam minor pars à me ſtabat, Contra illi qui me impugnabant, & numero plures erant, & viribus pollebant. Quid igitur facerem miſer? Hoc ſcilicet, Poſtquam pro dono meo verbum Dei diligenter inculcavi, poſtquam meos præmonui, illos autem admonui de errore, aſcendo ad Deum meum per orationem, & coram ipſo pronuncio adflictionem meam, Ac certus ſum futurum, ut me exaudiat.

Oratione pugnandum eſt contra hæreticos.

Sic proponit nobis exemplum ſuum David, quid ipſe ſit ſolitus facere. Atque hæc quidem dicuntur facile, ſed experientia teſtatur non ſine difficilimis conatibus præſtari. Primum enim iſta incommoda, quæ à Patre mendacij per impiam doctrinam excitantur, non poſſunt ſpectari ſine ſummo dolore animi, Ad eum dolorem etiam accedit quædam deſperatio medicinæ, quod horribilior ſpecies eſt impiæ doctrinæ graſſantis, quam graſſantis flammæ, aut exundantis fluminis, quod omnia ſubito proſternit ac dejicit. Vtrinque igitur adflictatur cor, & metu futuræ calamitatis, & ſenſu præſentium incommodorum. Adhæc ſi accedat etiam interna tribulatio, ut cor ſentiat Deum iratum eſſe, ibi demum impoſſibile videtur poſſe orare, Ac ſane homo inexpertus & præſumens de Verbo, & doctrina ſua, nihil ſibi parabit, quam inutilem laborem & infinitam moleſtiam. Non enim docere ſatis eſt, non eſt ſatis redarguere & convincere, Sed oportet ut Deus incrementum addat, ut non ſolum nos cum fratribus noſtris in ſana doctri-

Oratione adverſus hæreticos pugnare difficillimum.

na con-

Digitized by Google

na conſervemur,ſed ut diverſa docentes,extirpentur ac intereant.

Hoc autem ſolum oratione perficitur, Ea autem quam non ſit facilis, jam oſtendimus. Docere Verbum,audire Verbum,ſunt etiam opera magna & divina, quæ requirunt Spiritum ſanctum,Sed uſus fidei, nempe ſic ſe convertere ad Dominum ac orare & præſumere,quod oratio placitura ſit, & Deus eam ſit auditurus,longe difficilima res eſt, propterea quod conſcientiæ timidæ fere repugnant huic fiduciæ, & de medicina deſperant,præſertim ſi accedat conſcientia peccati ſeu indignitatis. Ibi enim fere accidit,ut animus prius ſecum diſputet, An oratione aliquid poſſit proſici, præſertim ad hanc quæſtionem qui deducuntur, nunquam orabunt, ſi id ex ſenſu ſuæ dignitatis metientur. Quin hoc faciendum eſt, ut qualis tu ſis,hoc in loco,negligas,& in promiſſionem potius,in neceſſitatem orandi,in periculum & cauſam ipſam intuearis. Ita enim fiet,ut etſi ab oratione tua conſcientia te revocet,tamen periculi magnitudo ad orandum cogat. An enim (exempli cauſa ſic loquor)ſi quis ſcortatus eſt, & inter eundum caſu de ponte in flumen labitur, in tanto periculo ideò non orabit, quia conſcientiam peccati habet? Imo,quanto periculum & neceſſitas major eſt, tanto ad orandum debet animus eſſe excitatior & promptior. Ad hunc modum in hoc periculo quoq; faciendũ eſt,ut quales quales ſimus nos,magis illuc reſpiciamus,quod Satan per impios Doctores tantũ malorum excitat,quam quod nos indigni ſimus,qui exaudiamur.

Vſus fidei.

Quomodo animi ad orationem ſint excitandi.

Huc etiam facit promiſſio,quod in Chriſto non ſolum habemus promiſſionem exauditionis, ſed ipſa verba, ipſas ſyllabas & literas, quas debemus orare, Chriſtus præſcripſit,Imo etiã mandatum accedit ut nõ noſtri arbitrij ſit orare, vel non orare ſed eſt præceptũ opus.Hæc cum cogitamus,& poſtea accedit etiãneceſſitatis ſeu periculi conſideratio,tũ acuuntur animi & excutitur illa propriæ dignitatis tentatio,& cõſcientia quaſi abſorbetur.Sicut in ſubitis periculis quoq; fit,cũ aut obruitur aliquis in itinere à graſſatoribus, aut cum periculo in aquam mergitur,&c. Ibi priuſquam quiſquam de ſua dignitate cogitat, prorumpit aut in verba, aut cogitationem hanc,O Deus adſis. Hic enim verum eſt, quod Medici dicunt,appetitum provocari acribus condimentis. Neq; enim melior orandi Magiſter eſt quam neceſſitas. Sed dum nos ſecuri, & quaſi oculis capti obambulamus,nec ſenſu præſentium malorum tangimur,non mirum eſt,ſi oratio noſtra aut nulla ſit,aut plane langueat. Mihi quidem hoc accidit, ut ſentiam me nunquam orare melius,quam in tribulatione. Ea eſt hoc acre condimentum,quod etiam in Davide famem,ut ita dicam,& appetitum orandi excitat, ſicut dicit,*Cum tribulor, clamo.*

Tribulatio docet orare.

Et

Ergo diſcamus ex hoc verſu, Davidem hoc remedio eſſe uſum in periculo falſæ doctrinæ,ut primum docendo ſe & ſuos erigeret, deinde oraret. Idem nobis faciendum eſt,tantum fiducia cauſæ ſeu neceſſitatis,quam etiam oratio Dominica nobis oſtendit. Quia enim polluitur nomen Domini,quia conſcientiæ perduntur,quia confeſſio Evangelij periclitatur,magna profecto cauſa eſt, ut dicamus, Sanctificetur nomen tuum, ut ſit finis abominationum & blaſphemiarum, Adveniat regnum tuum,quod per regnum Satanæ quaſi opprimitur,&c. Qui ad hunc modum orat,is ſic orat,ut facile cœlum gemitibus ſuis impleat, Cum alioqui extra tribulationem vix impletur os noſtrum, Sicut Papiſtarum orationes & cantica ſunt,Qui cum in ſumma ſecuritate vivant,quomodo orare poſſunt? Hanc cauſam oſtendit David,cum dicit,*Cum tribularer clamavi.* Oportet enim eſſe neceſſitatem urgentem,quæ impellat, Sicut ſunt noſtra & fratrum noſtrorum Salus, mors æterna,peccata noſtra,incommoda noſtra, gloria Dei, regnum Dei, Item pax,bellum, & cætera quæ omnia pulcherrimo ordine in oratione Dominica propoſita ſunt,& vere ſunt tribulationes,quæ docent nos orare,Imo,ſi boni æſtimatores horum periculorum ſumus,etiam nos cogunt & urgent. Hæc conſideremus,& perrumpamus per nubes illas,quæ nobis conſpectũ Dei faventis adimunt, & ſtatuamus orationem eſſe ſacrificiũ gratiſſimũ Deo,& talem cultum,quem ipſe

Neceſſitas orandi propoſita in oratione Dominica.

à nobis

à nobis exigit. Quidam de medio cogitant, & fratrum orationibus nituntur, Id ſane non eſt reprehendendum nam plurium oratio eſt fortior, Sed neceſſe eſt, ut tu quoq; ores, & fias pars Eccleſiæ, quæ uno ore dicit, Pater noſter. Neq; enim hujus aut illius tantum, ſed tuus quoq; vult eſſe Pater.

Oratio eſt cultus Dei.

Diſerte autem additum eſt, Ad Dominum, contra illas cogitationes, quæ & me olim exercuerunt & adhuc hodie, ſi qui inter Papiſtas ſunt ſimplices, exercent. Sic enim cogitabam, Peccator ſum, non igitur poſſum orare ad Deum, mihi propter peccata ſuccenſentem, Quæram mediatores, quibus propitius eſt, Mariam, Petrum, Annam, &c. Conſcientiæ enim pavidæ audito nomine Dei, terrentur. Et ſane magna eſt majeſtas, Sed non tam magnam fingere tibi debes, ut ideo orare nolis. Si enim Majeſtatem conſideras, cur non in hoc conſideras, quod ipſa Majeſtas præcepit, ut orares? Profecto non ita puſillus aut nihil es, quin te autoritas præcipientis liget. Hoc mandatum intuere, & committere te ejus gratiæ, qui id mandavit, dic, Domine non eſt arbitrij mei, oremne an non orem? (ſicut Monachi ſomniabamus) Tu præcepiſti, agnoſco igitur me debere parere tibi. Si indignus ſum, at præceptum & voluntas tua digna eſt, cui paream, promiſſio tua digna eſt, in qua confidam. Oro itaque in dignitate non mea, non Mariæ, non Petri, ſed in dignitate nominis Ieſu, & Dei præcipientis & mandantis.

Quomodo occurrendum ſit talibus cogitationibus, cum animus non audeat ad Deum clamare.

Hanc rationem orandi totus Papatus ignorat, & poſſum exemplo meo affirmare, Sicut ego in Monachatu nunquam unam orationem Dominicam vere oravi, ita quoq; adhuc hodie Papiſtas ne unam quidem ſyllabam in fide orare. Hoc forte factũ eſt, ut Deus audiret gemitus inenarrabiles cordis mei, ſicut credo alios multos fuiſſe, qui iſtos gemitus etiam habuerunt, quanquam eos non agnoverunt. Sed extra hos gemitus nulla pars orationis recte aut intellecta aut pronunciata eſt, ut debet, & ut, Dei gratia, nunc oramus, ac reliquos quoq; docemus orare.

Oratio Papiſtarum.

Extat ſententia cujuſdam Eremitæ, inter Monachos celebris, qui dixit, Nullum eſſe tantum laborem, ſicut eſt labor orandi. Id quidem verum eſt, ſi reſpicias ad orandi legem ſine fide, quæ tradita fuit ſacrificulis, Sed magis verum eſt, cum loquimur de oratione in fide, ut cor reluctetur conſcientiæ & deſperationi, ac audeat fiducia miſericordiæ Dei. Quanquam difficultatem hanc mitigat non ſolum promiſſio orantibus facta, item mandatum, ſed etiam neceſſitas, quæ nos urget. Quod autem ad ipſam rem attinet, oratio ſine fide vere eſt impoſſibilis. Hæc enim duo orationem faciunt efficacem, promiſſio Dei & tribulatio, In his exercete vos, & aſſuefacite vos etiam ad clancularias preces in cubiculo, ſicut Chriſtus præcipit. Quod ſi Satan eam orationem, ſicut ſolet, conatur impedire, diſcite oculos claudere, & dicere, O Domine, ecce hic tribulatio & anguſtia. Ego hic periclitor, ille Frater meus ſic periclitatur, ſic vexatur à Satana, non patitur tempus, ut de me cogitem, ſim ne bonus an dignus, adjuva me, in tempore ſecundum Verbum tuum, &c. Hoc modo conſiderata cauſa & promiſſione vincitur Satan. Et ad hanc rationem orandi invitat nos David ſuo exemplo, non ſolum in periculo impiæ doctrinæ, ſed in omnibus tribulationibus. Ac placet Deo, ſi hic fiducia miſericordiæ & promiſſionis, bene ſis impudens, ſecundum hoc; quod ſequitur, *Et ipſe exaudivit me*, Q. d. Hoc modo declarat Deus ſibi gratam eſſe orationem noſtram, quam ſuſcipimus fiducia promiſſionis & miſericordiæ ejus, quod eam exaudit.

Nihil difficilius eſt quam orare.

Promiſſio & tribulatio faciunt orationem efficacem.

Atque hic vide, ut hoc nomen Dei diligenter diſcas, quod David hic ei tribuit, *Auditor precum*, Ac cave, ne, cum oras, per diffidentiam hoc nomen ei eripias, ſicut plerunq; facimus. Nam ſicut Germanico proverbio dicitur, Finem commendare omnia, ſi bonus ſit, Ita plæriq; in concludenda oratione peccant, ac orationem vitioſam reddunt. Cum enim addendum eſt Amen, dubitatio, quæ in cordibus eſt, Amen mutat in negativam, quod nihil ſit. Contra hanc dubitationem David hic nos confirmat ſuo exemplo, & præter Promiſſiones, quas habemus, proponit ſuam experientiam, ut nos ad orandum in fide excitet, ut ſtatuamus Deum certo nos auditurum eſſe, Siquidem eſt auditor omnium gemituum eorum, qui in fide orant.

Deus auditor precum.

Digitized by Google

Quod ſi non tam cito audit, audiet ſuo tempore, Si non audit eo modo, quo tu vis & optas, audiet meliore, Si non per hanc perſonam, quam tu optas, faciet per commodiorem, &c. Sic dicit Bernhardus alicubi, nec memini me quidquam legiſſe in omnium Recentiorum ſcriptis, de oratione aut pulchrius, aut magis pie dictum, Fratres, inquit, nolite dubitare de oratione veſtra, ſed ſcitote, quando verbum per os erumpit, tunc oratio veſtra ſcripta eſt in oculis Dei, & aut fiet, quod petitur, aut expedit non fieri. Quid potuit dici magis Chriſtianum? Quid conſolatione plenius, quam quod Deus tanquam Rex quidam munificentiſſimus, ad omnes ſupplicationes nihil aliud reſpondet, quam fiet quod petitur?

Bernhardi ſententia.

Deus non ſemper dat, quod petimus.

Sed inquis, Sæpe fit diverſum. Quoties oratur pro gravida & parturiente fœmina, quæ in partu moritur? An enim Iacob non putas oraſſe pro ſua Rahel, in tali periculo occumbente? Sic oravit David maxima ſpiritus contentione, pro filio ex Bathſeba, ſed oratio fruſtra fuit, Ejuſmodi etiam inter Sanctos innumera quotidie exempla videmus. Reſpondeo. Vtcunque ſit, hoc primum ſtatuendum eſt, Deum eſſe auditorem precum, Hic titulus Deo nunquam eſt adimendus. Sicut in hac fide prima pueritia pulcherrime orat, quæ ſic de Deo credit, quod audiat & largiatur omnia, Hanc fidem ſine dubitatione in pulcherrima plerophoria pueri retinent. Quare eorum orationem & probo maxime, & ſæpe mihi ad exemplum propono. Quamquam enim pueri formam orandi, & verba à nobis diſcunt, tamen nos recte ex ipſis diſceremus orationis efficaciam, propter noſtræ naturæ perverſitatem, & malam inſtitutionem quoque. Ergo hoc primum ſine exceptione eſt ſtatuendum, quod noſtra oratio ſit exaudita.

Deus auditor precum.

Oratio pueroru.

Quando Deus exaudiat ſuos.

Secundo, exauditio ſic eſt definienda, non ut Deus ſemper faciat, quod nos optamus, ſed ut faciat quod nobis eſt utile. Nam Deus cum bonus ſit, nihil poteſt dare, niſi quod bonum eſt. Nos autem ſæpe pro liberis, ſæpe pro amicis, ſæpe pro nobis ipſis oramus, non quod eſt bonum, ſed quod nobis bonum eſſe videtur. In talibus Deus etiam tum exaudit, cum non facit quod nos petimus. Itaq; in oratione Dominica prius pro ſanctificatione nominis, pro adventu regni Dei, pro voluntatis ſuæ impletione oratur, quam de noſtris & vitæ noſtræ commodis, ut ſcilicet in talibus Deus non faciat, quod nobis videtur eſſe bonum, ſed quod vere ſit bonum. Recte igitur traditur diſcrimen rerum petendarum, ut in ijs, quæ ad gloriam Dei & ſalutem noſtram pertinent, ſine conditione ſtatuamus nos exaudiri, Contra in ijs quæ ad hanc præſentem vitam pertinent, etiam ſperemus liberationem, Sed cum reſignatione noſtræ voluntatis in voluntatem Dei, ut in talibus Deus faciat ſecundum quod ipſi videtur, & nobis utile eſt. Ipſe enim ſcit, quid ſit bonum, nos non ſcimus, Sicut Paulus quoq; dicit. Ad hunc modum ſalvandus Deo noſtro fideli & bono eſt titulus, quod ſit auditor precum, Sicut hic David de eo concionatur. *Rom. 8.*

Diſcrimen rerum petendarum.

Domine libera animam meam à labijs iniquis & lingua doloſa. II.

Propoſitio Pſalmi.

Hæc eſt propoſitio Pſalmi. Orat enim pro doctrina & ſancto Verbo, adverſus hæreticas linguas. Dixi autem initio, Pſalmum hunc non tantum eſſe accipiendum pro exemplo, ad imitationem ſeu doctrinam, ut diſcamus, quid in hoc periculo fecerit David, & nobis quoque ſit faciendum, Sed etiam accipiendum eſſe pro conſolatione, contra ingens illud Scandalum, quod ubicunque ſana doctrina efflorescere incipit, ibi mox fures & latrones exoriuntur, ſanæ doctrinæ hoſtes, à Satana excitati. Ne ſcilicet nobis videatur novum eſſe, quod orto Evangelio, Anabaptiſtæ & ſimiles peſtes religionis exorti ſunt, Sed ut vigilemus, excuſſa ſecuritate, cum videamus eum, qui nos tentat, neq; dormire, nec ceſſare, & pugnemus contra ſpirituales nequitias, cum quibus ſemper Sanctis bellum fuit. Habel hoſtem habuit Cain, Iſaac Iſmaëlem, Iacob habuit hoſtem Eſau. Hujus inimicitiæ autor Satan eſt, qui Deum & verbum ejus perſequitur, non cæde ſolum, ſed mendacio quoque. Hæc ſcire, magna conſolatio eſt, ne in talibus periculis deſpondeamus animum, Sed cum primum ad miniſterium verbi vocamur, contra hoc periculum nos confirmemus,

Conſolatio eſt, q̃ ad videmus priorem Eccleſiam etiam ab hæreticis vexatam eſſe.

Habel. Iſaac. Iacob.

& ſummo

Digitized by Google

& ſummo ſtudio caveamus ſecuritatem, quam mendaces linguæ & doloſa labia non permittunt. Itaq; contra mendaciter dialecticantes, & doloſe rhetoricantes, debemus parati eſſe, non ſolum ut ſtrenue reclamemus, & objurgemus eos, ſed etiam ut diligenter oremus, ac meminerimus à Davide nobis oſtendi hic Dominum liberatorem, qui ſolus in tali periculo nos ſervare & perdere adverſarios poſſit. Conjungi enim debent, exercitium verbi aſſiduum, & oratio. Ebraiſmus eſt, Libera animam meam, id eſt, me ipſum.

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? III.
Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis. IV.

Hi verſus cum facilem ſententiam habeant, varie tractati ſunt à Patribus, propter ineptam verſionem. Ac præcipue Auguſtinus bene hic ſe macerat, Quid dabitur tibi, exponit, id eſt, quo remedio liberaberis? Et reſpondet, Appone vel da mihi ſagittas, hoc eſt, Evangelium, & cum hoc carbones, hoc eſt, exempla Patrum. Hæc multis diſputat, ſed nos ea ſinamus valere quantum valent. Etſi enim propria non ſunt, tamen neq; hæreticum, nec noxium eſt, in loco non proprio bonam ſententiam per catachreſin afferre. Sunt, ut ſic dicam, hæ tolerabiles ineptiæ Sanctorum, nos tamen, ſicut interpretes decet, propriam ſententiam ſequemur. Sic igitur reddendi ſunt hi duo ſequentes verſus: *Aliena Auguſtini expoſitio.*

Quid poterit in te lingua doloſa? aut quid efficiet?
Eſt ut acutæ ſagittæ potentis, ut ignis in juniperis.

Interrogatio eo pertinet, ut ſe excitet, & quaſi occaſionem inſtruat, accuſandæ linguæ doloſæ. Sicut profecto graviſſime deſcribit duabus inſignibus ſimilitudinibus, quam peſtilens res ſit, impia doctrina, & quid de ea Deus & ſpirituales homines judicent. Primo comparat eam ſagittæ, non obtuſæ ſed acutæ, deinde quæ ejaculatur, non ab imbelli, ſed à robuſto, ut utrinq; periculum ſit, & ab ipſa ſagitta ad penetrandum apta, & ab eo, qui telum magna vi torquet. Igitur Diabolus hæreticorum pater hic nobis proponitur tanquam miles exercitatus & potens, qui contra Eccleſiam à conditione humanæ naturæ pugnavit, & quanquam ſæpe ſit victus, non tamen ceſſat, ſed redit gravior, & cautior, & quando iſti inſtructiores, ſanctiores & doctiores ſunt, cum quibus belligeratur, tanto ipſe incumbit fortior, tanto aggreditur eos atrocius. *Propria hujus expoſitio. Vis mendacii linguæ duabus ſimilitudinibus expreſſa. I. A Sagitta. Pictura Diaboli & impiorum doctorum.*

Igitur Spiritus ſanctus loquitur hic ſecundum carnis ſenſum, hoc eſt, ſecundum cogitationes, quas in periculo hoc habent Sancti, & vocat impium Doctorem, ſagittam in manu potentis. Si enim ſpectes adverſariorum multitudinem, audaciam, glorias, ſtudia, conatus, pertinaciam, ingeniorum celeritatem, vafriciem, qua eludunt aut calumniantur ſancte dicta, videntur oppreſſuri Eccleſiam quæ multis modis inferior & infirmior judicatur. Satan itaq; ceu telum, quod nulla arma ſuſtinere poſſunt, videtur triumphaturus eſſe, ſed ſi finem expectes, contrarium experieris. Sicut enim Eccleſia propter infirmitatem, cum multitudinem hoſtium, ac ſuorum paucitatem conſiderat, turbatur, ac ruinam metuit, Ita Satan inflatur ſucceſſu, cum videt ad primum conatum omnia procedere. Nam doctrina impia ſerpit ut cancer, & maxima incrementa in horas ſumit, ita, ut in bene conſtitutis Eccleſijs, qualis, Dei gratia, hæc noſtra eſt, ſi cui fanatico locus docendi permittatur, ſubito omnia ſubvertantur. Sic perrumpit ſagitta hæc. Cur? quia impellitur à Satana, & vulgus eſt ceu officina Satanæ, propter faſtidium & contemptum quotidianum. Quia autem hæretici à veteri & quotidiana ratione docendi diſcedunt, & ſemper
Num. 19. nova afferunt, fit quod Moſes dicit, ut ebrius apprehendat ſitientem, & ſagittæ iſtæ vi perrumpant. *Vulgus officina Diaboli.*

Porro in Scriptura uſitatus quoq; tropus eſt, ut ſagittæ appellentur verbum.
Pſal. 45. Sicut patet ex Pſalmo 45. & mala lingua proverbiali figura dicuntur ſagittæ ex aliena pharetra, aut ſermones aut conſilia ab alijs ſuggeſta. Proprie autem falſæ doctrinæ hoc nomen convenit, quæ, ut dixi, facilime penetrat. Sic Muntzeri *Muntzeri ſermo diaboli.*

Digitized by Google

sagittæ erant seditiosæ voces, quibus justa imperia abolere nitebatur, incendebat animos simplicium exemplo Gedeonis, Iosua & similium, qui divino mandato Philistæos ejecerunt è terra, Commemorabat magistratuum vitia, quod aut Verbum persequerentur, aut secundum verbum non viverent, Igitur docebat, nullam eis deberi obedientiam, non deberi censum &c. Hæ sagittæ simplicium animos confodiebant. *Anabaptistæ.* Anabaptistarum sagittæ erant, Baptismum esse efficacem in credentibus, Pueros non credere, Ergo non baptisandos esse. Item, Prius docendos esse homines, quam baptisandos secundum sententiam, Ite, docete & baptizate omnes gentes, Pueros, antequam doctrinam possint intelligere, baptizari. Ergo rebaptizandos esse. Quidam dignitatem Baptismi elevabant, quod aqua nihil faceret ad remissionem peccatorum, quam tamen Christus immediate conjungit cum Spiritu in regeneratione Iohan. 3. Hujusmodi sagittis confixa imperitorum pectora, quantumvis stultos errores, complectebantur. *Iohan. 3.*

Sacramentarij. Idem nobis usu venit cum Sacramentarijs, hi etiam sagittas suas habent, quibus multorum corda sauciarunt. Etsi autem cordatis imponere non possint, qui sciunt in nullius hominis judicio, sed simpliciter in verbo Dei esse acquiescendum, tamen quia sagittæ acutæ sunt, incautos & imperitos vulnerant. Congerunt similitudines. Ego sum Petra, sum Vitis, sum Via, postea volunt ad eundem modum intelligi verba Christi, Hoc est corpus meum, id est, signum vel figura corporis, Hæc pingunt & ornant Patrum sententijs. Augustinus definit Sacramentum esse sacræ rei signum, Igitur hic est Sacramentum corporis Christi, hoc est, signum, non ipsum corpus. Sed quæso te, quid dicturi erant, sicut hanc Augustini sententiam non haberent, aut Sacramenti appellatio Cœnæ Domini nunquam esset indita? Sicut etiam in profanis Scriptoribus videmus, quam longe aliter appellatione Sacramenti usi sint.

Hæc fere præcipua sunt, quæ miseri ad verba Christi evertenda afferunt. Nam quod Patrum testimonia converrunt, & magno conatu nituntur ostendere, veterem Ecclesiam sic sensisse, Quem hæc ita moveant, ut ideo à Christi verbis discedat? Cum præsertim non hoc solum probare possimus, Veteres, etiam eo modo, quo nos, de Sacramento esse locutos, Sed, si quis simpliciter veterum autoritate nitatur, cum necessario multa probaturum, quæ manifeste cum sana doctrina pugnant. Periculosa itaq; hæc via est, ideo Christi verba depravare, quia veteres de ijs aliter videntur esse locuti, quam nos solemus, qui dicimus Christum, sicut verba sonant, cum panem dedit, dedisse Corpus suum, & cum vinum dedit, dedisse sanguinem suum. Ita enim nobis de his verbis judicandum est, sicut judicarunt Apostoli, cum hæc verba ex Christo audirent, *Accipite, Comedite, Hoc est Corpus meum.* Non est cogitandum, quid ille aut alius dixerit, cum res nondum venisset in disceptationem. Longe enim aliter videmus locutos Patres in disceptationibus & extra disceptationes. *Hoc est corpus meum, &c.*

Origenes. Augustinus. Hieronymus. Deinde illis ipsis temporibus Patrum, quorum autoritate nituntur, bona pars sanæ doctrinæ depravata fuit, sicut testantur Origenis in græca, Augustini & Hieronymi in latina Ecclesia libri. Quod autem hæc nostra sententia Sophistarum argutijs implicita, & ridiculis quæstionibus prophanata est, quas Sacramentarij lascive exagitant, quid ad nos? qui sine disputatione retinemus Christi verba, & ea merito præferimus omnium hominum opinionibus & judicijs, etiam veteris Ecclesiæ, sicut ipsi veterem Ecclesiam appellant, Cum tamen fateri cogantur multa Veterum dicta nostram sententiam probare. Ea quoniam Sophistice interpretantur, hoc ipso ostendunt, quam nobis facile sit, si hoc modo liberet, idem facere in interpretandis ijs, quæ ipsi adducunt. Sed accidit eis, quod Græcus Poëta dicit, ἀδικῶ λόγῳ πεσὼν ἐς αὐτῷ φαρμάκων δῆτα σοφῶν. Et tamẽ non bene munita corda ceu sagittæ penetrant, Decipiuntur enim simplices magnifica specie & fuco, quo sua pingunt homines obstinati. Quare opus est, ut cum doctrina sana etiam orationem conjungamus, ad extinguenda ignita tela maligni, sicut Paulus imitatione hujus loci videtur appellasse Eph. 6. Hæc est prima similitudo de sagittis in manu potentis, quæ exemplis his facile intelligi potest. *Eph. 6.*

Altera

Digitized by Google

Altera ſimilitudo etiam illuſtrem efficaciæ ac celeritatis ſignificationem habet. Sed hic Ebraica Grammatica nobis opus eſt, neque enim vocant carbones adu-
ſta ligna, etiam cum extincta ſunt, ſicut nos noſtra lingua ſolemus, ſed ipſam flam-
Pſal. 18. mam, Sicut Pfalmus 18. Fulgura cum carbonibus vocat à colore, quod videntur eſſe meræ flammæ. Iuniperi autem ſimilitudine ideo utitur, quia habet ea arbor præter
denſitatem foliorum etiam pinguedinem magnam, Itaq; facile ab igni arripitur, & luculenter ardet. Eſt igitur ſententia, Quod iſta tela ignita magnum incendium excitant. Neq; enim mittuntur in aquam, ſed in materiam quæ facilime inflammatur, Sicut Scriptura alibi quoq; loquitur de magno incendio, ſicut ignis ſpinarum ſub ollis, Cum ſignificare vult eiuſmodi flammam ſeu incendium, quod facilime & late ſpargitur. Sententia igitur hæc eſt, quod homines à ſana doctrina avertuntur per ejuſmodi mendacia, quæ valde ſunt efficacia, ſicut is qui primus diſputationem de Cœna Domini movit, cum particula rẽra ejuſmodi ignem excitavit, qui ne hodie quidem recte ſopitus eſt. Poſtea acceſſerunt alij, qui quaſi oleum affuderunt, ut ignis illorum telorum, magna celeritate in vulgo, tanquam in ſilua juniperorum
curreret.

Iuniperus.

Eſt igitur hæc pictura querela quædam, quod Hæreticorum lingua tanto ſucceſſu & tam ſubito omnia pervagatur, Sicut Paulo accidit, qui cum poſt maximos labores multas Eccleſias feliciter inſtituiſſet, ſtatim poſtquam torſum vertit, tota Aſia à Pſeudoprophetis ſubverſa eſt. Hujus mali quæ cauſa eſt, præſertim cum ignis Spiritus ſancti adeo tarde accenditur? Hæc nimirum, quod hæretici à Verbo diſcedunt & ea afferunt quæ rationi convenire videntur. Hæc eſt pinguedo illa, quæ facile ignem capit, & quæ in natura ſua habet fomenta ignis. Itaq; libenter fovet illa tela, & ea habet pro dulciſſimis remedijs, imo pro igni de cœlo miſſo. Ergo hæc eſt omnium ſeculorum calamitas, ut quæ pij doctores multo labore ædificant, illi ſubito evertant, inveniunt enim operculum dignum tali olla. Nam caro libenter audit & accipit quæ intelligit. Quia autem Verbum docet ea, quæ in cor hominis non venerunt, ideo ratio cito avertitur à Veritate, & amplectitur quæ ſibi placent & veriſimilia eſſe videntur.

Ignis hæreticorum eſt celerior, quam ignis Spiritus ſancti.

Docentur autem hæc in noſtram conſolationem, quod lingua doloſa nunquam ſine incendio movetur, ſicut etiam color linguæ, eſt color ignis. Hic igitur ignis bonus eſt, quando verbum Dei & fidem docet in Eccleſia, Contra eſt ignis malus, quando diſcedit à Verbo, & docet quæ rationis ſunt. Hæc videre & ferre cogimur, quod ſi quis ſe opponit & eos admonet, hunc rident, & capitali odio perſequuntur ac quotidie in pejus proficiunt. Conſolemur itaq; nos his exemplis, quod hæc ſic prædicta, ſcripta & picta ſint, iſto Pſalmo teſte, Et agamus Deo gratias, ſaltem pro iſto populo, quem adhuc retinemus, Deinde etiam pro dono, quod poſſumus judicare, tales doctrinas eſſe Satanæ ſagittas, quantumvis ſint ſpecioſæ, & conveniant cum ſapientia & juſticia carnis, Item quod ſint ignis vehemens, qualis in Iunipero ſolet eſſe, ad quem reſtinguendum omnem operam omnes conferre debemus.

Ignis bonus. Ignis malus.

Hæ ſunt ſpirituales iſtæ pugnæ, quas mundus neſcit, longe majores quavis corporali lucta, ubi committuntur fere pares cum paribus, hoc eſt, homines cum hominibus. Hic non ſolum pauciores cum pluribus inſtructiſſimis malicia & potentia committimur. Sed etiam cum Satana & ſpiritualibus nequitijs, à quibus illi urgentur pugnamus. Itaq; opus nobis eſt auxilio Dei, & præſidio Angeli Michaël, qui illos dejiciat, ſicut in Apocalypſi eſt. Atq; hæc eſt cauſa, cur oratio & gemitus piorum in tali periculo ſint neceſſarij, ut dicamus, O Domine nos quidem libenter docebimus, Sed tu quoq; nos adjuva. Spem hanc habemus in tanto ſucceſſu, & tanta celeritate propagandæ impiæ doctrinæ, ut quod cito fit, etiam cito pereat, Deinde nulla unquam hæreſis ad extremum vicit, Sed manſit victoria verbi. Cain, Iſmaël, Arius, Manichæus & alij omnes periere, ſic periere gentes & Iudæi reſiſtentes Evangelio, Papatus nunc etiam ruit, verbum autem Domini manet in æternum, ſe-

Magnitudo periculi, quando cum hæreticis agendum eſt.

cundum auream illam ſententiam Pſalmi, Sæpe expugnaverunt me inimici mei, *Pſal. 129.*
SED NON PRÆVALVERVNT MIHI.

Doloſæ linguæ tempore Davidis.

Sed hic forte in mentem venit, quæ fuerint iſtæ hæreſes, ſeu doloſæ linguæ tempore Davidis, contra quas hoc loco orat. In regno erat Ahitophel, erat Semei, erant alij multi, qui ei maledicerent, & vafris conſilijs incenderent ſubditorum animos contra eum, Sed ſatis apparet, Davidem de graviore periculo loqui. Hic igitur quæritur, quale id fuerit? Etſi autem, Hiſtoriæ ſacræ ſatis oſtendunt, quantum ſemper negotij fuerit veris Prophetis cum falſis doctoribus, ſicut Ieremiæ Hiſtoria docet, tamen David ipſe ſatis hinc inde in Pſalmis oſtendit, de qua re maxime ei dimicandum fuerit. At quinquageſimus Pſalmus pulchre huc facit, in quo concionatur *Pſal. 50.* David contra meritum, quod ex ſacrificijs ſperabant increduli Iudæi. Sicut enim hodie, ita omnibus ſeculis fuit, ut homines ſuis operibus ſperarent ſe juſtos fore. Hæc opinio augebat mirum in modum ſacrificia in populo Iſraël, de quibus teſtimonia extabant, divinitus mandata & approbata eſſe. Confidebant enim iſtis ſacrificijs peccata deleri, etiamſi corda impura & ſine fide eſſent. Sicut noſtri adverſarij ſacrificium ſuum Miſſæ hoc nomine prædicant, retinent & defendunt, quod per ſe, ex opere operato valeat.

David itaq; contra has ſagittas graviter docuit, nihil magni Deo præſtari immolata bove, cum non ſolum bovem creaverit & donaverit Deus, ſed ſimpliciter ſit Dominus omnium, nulla re indigens, nedum bove, Qui igitur recte velint ſacri- *Pſal. 50.* ficare, hos debere agnoſcere peccata ſua, & bonitatem Dei, promittentis benedictionem per Semen benedictum, & pro hoc agere gratias, laudare Deum, ejus nomen invocare, & prædicare, &c. Sic hanc hæreſim operum eo in loco David graviter refutat. Hujus pleræq; aliæ fuerunt ſimiles. Neq; enim, ſicut in Ieremia quoq; videtur, hoc ſolum accidit, ut gentium Deos Iudæi colerent, ſed relicto templo, currebant ad ea loca, in quibus Patres olim ſacrificarant, cum Dominus ſacrificiorum & orationis locum deſignaſſet tabernaculum conſtitutum in Ieruſalem. Quidam deligebant ſibi proprio conſilio lucos & colles, in quibus ſacrificabant.

Hæc omnia, quia erant contra voluntatem & verbum Dei, magno autem ſtudio ab idolatris fiebant, neceſſe fuit ut pij contra docerent, ne homines aut ſibi deligerent rationem colendi Dei, aut aliam rationem juſticiæ ſequerentur, quam quæ *Agnus Dei.* per ſanguinem filij Dei obventura eſſet, quem Iohannes ideo Agnum appellat, quod eſſet futurus hoſtia ſeu victima, qua expiarentur peccata totius mundi. Ita videmur eadem ſemper fuiſſe certamina de ijſdem rebus, inter falſam & veram Eccleſiam, eadem quoq; pericula. Quare ijſdem remedijs nobis quoq; utendum eſt, ut primum per ſanam doctrinam vindicemus Chriſto gloriam ſuam, & homines hortemur ad ſtudium Verbi. Deinde, ut cum Davide oremus contra linguas doloſas, & labia iniqua. Iam ſubjicit Propheta querelam precationi. v.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Kedar, multum incola fuit anima mea.

Præterquam quod hæc male verſa ſunt, etiam verſuum ordo confuſus eſt, Quare ſic reddemus textum, *Heu mihi quod advena ſum in Meſech, quod habito in tabernaculis Kedar.* Hunc verſum expoſuerunt de deſiderio reſolutionis ex iſto corpo- *Querimonia de mort.* re, quaſi peteret diſſolvi & cum Chriſto eſſe, ac tribuerunt hoc votum proprie Monachis, Sed non impropria ſolum, verum etiam inepta & abſurdiſſima hæc ſunt. Sententia enim hæc eſt, Commemoravit hactenus periculum ſuum & Eccleſiæ, ac petijt liberationem. Nunc querelam ſubjicit, quod Eccleſia ſit in medio hoſtium, impugnantium doctrinam vi & dolo. Sic igitur dicit, In hoc periculo nihil eſt, quod poſſim præſtare, quam hæc tria, Primum, quod ſumma cum fide doceo. Secundum, quod maximo ſtudio oro. Tertium, quod patior. Doceo, ut Verbum maneat in publico, Oro, ut Verbum conſervetur & vincat, Interim autem donec vincet, ferendum eſt quidquid accidit. Qui hoc non vult facere, neceſſe eſt ut ſuccumbat. Sic noſtro

noſtro tempore ſuſtinuimus Sacramentarios, Anabaptiſtas. & Epicuræos, Suſtinuimus quoq; oppreſſionem Verbi factam vi & dolo, Et inter nos quoq; multi ſunt, maxime nobiles Centauri, qui ſecuriſſimo animo non ſolum contemnunt totum miniſterium, ſed etiam optarent abolitum eſſe. Hæc ſane acerbiſſima ſunt omnibus pijs, qui ea videre & ferre coguntur, nec mutare poſſunt, Ideo dicimus cum Davide, Hei mihi, ſum incola Meſech. *Exempla noſtra ætatis.*

Kedar eſt Arabia, quæ Iudæis ad Meridiem fuit, Meſech, ſunt qui dicant Italiam eſſe, ſed mihi videtur eſſe populus, qui Iudæis ad Septentrionem fuit, ſicut hodie ſunt orientales Tartari. Porro uterq; populus ferox, barbarus, crudelis, & ſine omni humanitate eſt, præterquam quod ad fugam aptus eſt, & in tabernaculis ſeu plauſtris, Nomadum more, vivit. Per metonymiam itaq; hic populus ſignificat hoſtes Eccleſiæ, quos & Eccleſia tum habuit, & poſtea in novo Teſtamento habitura erat. Malo enim in genere exponere, quam ut tanquam prophetiam ad noſtra tempora accommodem. Quanquam verum eſt, Eccleſiam hodie habere hoſtes Kedar & Meſech, hoc eſt, Turcam & Tartaros, cultores Mahometis. Sententia igitur eſt, Cogor me conſolari ſpe & patientia, Libenter vellem Eccleſias eſſe pacificas, & paſtores inter ſe conſentientes, Sed hoc non fit, Itaq; cauſam totam commendabo Deo per orationem, & docebo fideliter, Interim ferenda ſunt ſcandala iſta, ut in bono vincamus malum. Videmus igitur miſerrimum genus vitæ eſſe, docere, quia ibi præter alias calamitates, quæ in Doctores ab infidelibus congeruntur, etiam hoc ferendum eſt, quod falſi Fratres doctrinam corrumpunt, & Eccleſiam perturbant. Sed propter Dominum in cœlis ferimus iſta, & canimus cum Davide, Quod habitamus apud Meſech & Kedar, rapaces & feroces populos. *Kedar & Meſech, ſignificant hoſtes Eccleſiæ.* *Falſi Fratres.*

Cum bis qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis. VI.

Dixi ſupra, verſus quoq; confuſos eſſe oſcitantia interpretis, Sextus itaq; verſus ſic habet, *Longa eſt anima mea hac mora, inter eos, qui oderunt pacem.* Hic aperte ſignificat, quid eum mordeat, nempe, quod non ſolum inter fures & latrones vivere, ac eos pati, ſed longo quoq; tempore pati cogatur. Sic enim ſolet malignus ſpiritus, quos magnitudine vel multitudine tentationum vincere nequit, ſuperat tædio. Itaque multi inexperti bellorum ſpiritualium, in principio quidem pugnant fortiter, ſed in fine languent ac deficiunt. De hoc periculo etiam David queritur, Longa, inquit, mihi hæc mora eſt, inter eos, qui pacem oderunt, hoc eſt, qui perturbant Eccleſias, nec prius à ſcribendo & clamando ceſſant, quam dederint turbas aliquas. Duplex igitur incommodum eſt, quod tales & potentes ſunt, ſicut ſupra dixit, & etiam ſunt aſſidui, qui ſaltem pertinacia cogitant vincere. Sic Hiob non unum calamitatis genus fregit, ſed cum nuncius nuncium, calamitas calamitatem urgeret, & excideret, paulatim cœpit animus perturbari. Hæc Satanæ eſt malignitas. Itaq; abjiciamus prorſus ſpem pacis, dum hic vivimus, & certi ſimus, ſi hodie vincimus unum genus tentationum, cras ſecuturum aliud, Si hodie Anabaptiſtæ, Sacramentario, Muntzerano, unum argumentum ſolvis, cras excogitat & affert alia decem. Eſt enim Satanæ pectus fœcundiſſimum mendacijs. *Querimur de duratione crucis.* *Fallit impatientes.* *Hiob.*

Sed hic vide mundi vafriciem, Spiritus ſanctus Hæreticos vocat oſores pacis, Hoc ipſum nomen in nos detorquent, Tu, inquiunt, es, qui perturbas Iſraël, Antequam enim tu orireris, florebant religionis ſtudia, erat pax, nunc quid eſt præter horribiles turbas? Ad hunc modum perturbatores Eccleſiarum accuſant veram Eccleſiam, ſe autem vocant amatores pacis & concordiæ. Hoc ferendum eſt. Itaque oportet nos eſſe contentos conſcientiæ noſtræ teſtimonio, quæ coram Deo nos excuſat, quod quæramus pacem Eccleſiarum, quam illi plane tollunt, ſicut ſequitur, *Vafricies mundi.* *Pij coguntur ferre arma turbata pace.*

Ego ſum pacificus, ſed cum loquor, ipſi belligerantur.

Hoc eſt conſcientiæ meæ teſtimonium, quod ſum pacificus, & quæro pacem. Vnde igitur turbæ & bellum hoc? à me quidem, ſed ſine mea culpa. Si enim ego *Qua ſit vera cauſa turbarum in Eccleſia.*

Digitized by Google

tacerem,& iſtos perturbatores ſinerem, prout libet,loqui & agere omnia, maneret pax,nihil contra me moverent. Sed quomodo poſſumus tacere, quæ vidimus, quæ audivimus, quæ denique juſſi ſumus prædicare, non in cubilibus,ſed in tectis? Sic enim dicit Chriſtus,Ite,prædicate Evangelium omni creaturæ,Item,Nemo abſcondit lumen ſubter modium.Hæc faciunt,ut Verbum in noſtro ore ſit ceu ignitus carbo,qui non poteſt teneri,ſed cogit ad aperiendum os. Hinc igitur illæ turbæ oriuntur, quod tollunt mandatum Dei, & nos tacere volunt, Sed cur ipſi non potius ſequuntur noſtra? Sit igitur in tali periculo hæc noſtra conſolatio,quod ſumus pacifici, etſi ipſis occaſionum turbarum dediſſe judicamur. Non facile eſt ſuperare ſcandala illa, cum aut Satan, aut ſapientes homines ea exaggerant, & cauſam in nos rejiciunt, quod nos ea excitaverimus pertinaciter reſiſtendo,cedendum fuiſſe potius, quam ut ſic animi exacerbarentur. Sicut Eraſmus in Diatribe ſua diſputat.Eſſe pleroſque morbos, quos præſtet omnino non tangere, quam cum tanto periculo medicinam tentare. Sunt hæc ſapienter dicta, Et nos ipſi videmus ſatis incommoda talium ſcandalorum,videmus contemptum graviſſimum verbi, videmus licentiam & diſciplinæ diſſolutionem,quæ ſub Papatu tanta non fuit.Sed quid iſta ad nos? Quod enim loquimur,quod pugnamus Verbo,facimus juſſi,nec licet nobis detrectare autoritatem jubentis Domini. Hic igitur fit,quod Chriſtus in Evangelio dicit, In pace eſſe domum, cum Fortis eam ſolus tenet, Sed, cum venit Fortior, tum moveri turbas. Cur autem Fortis non potius cedit Fortiori?

Mar. 16.

Luc. 11.

Eraſmi Diatribe.

Doctrinæ cauſa turbatum, ſiquidem eam impii ferre non poſſunt, At contra nequit tacere poſſumus.

Ergo hæc noſtra eſt conſolatio,quod quantumvis plurimum turbarum in Eccleſia eſt, nos tamen conſcientiæ noſtræ teſtimonio nitimur, quod nihil aliud facimus quam quod loquimur. Id autem facimus non noſtra voluntate, ſed juſſi legitima vocatione. Ergo non vitam,non opera noſtra accuſant,ſola doctrina culpam ſuſtinet, quæ non noſtra,ſed Chriſti eſt. Si igitur indignantur ideo,quid ad nos? Oportet enim nos loqui,oportet confiteri Deum patrem, Filium ejus Chriſtum Ieſum,& ſanctum ſpiritum, Oportet ut homines pure doceantur, non ſolum de uſu Sacramentorum,ſed etiam de ſubſtantia,quid vere ſint,quid non ſint. Niſi enim hæc doceantur & explicentur, quid remanebit de regno Chriſti? Quare potius quam aliquid regno Chriſti & gloriæ ejus decedat,ruat non ſolum pax, ſed cœlum & terra. Hoc periculum ſapientes iſti non vident. Itaque tanti faciunt iſtam neceſſariam jacturam tranquillitatis,quæ ſub Papatu fuiſſe viſa eſt. Nos contra amplificemus gloriam Dei, & fructus qui naſcuntur ex pura prædicatione,& contemnamus iſtas voces quibus nimis moleſte nos onerant Epicuri iſti, qui nihil quam pacem & tranquillitatem laudare poſſunt, Videte,inquiunt,quot ſubito mala emerſerint, Vnde? Nimirum ex doctrina Evangelij. Nam ante eam nihil tale fuit, non fuerunt Sacramentarij,non Anabaptiſtæ, non ſeditioſi, nunc iſta ſic invaluerunt,ut nullus eorum videatur finis fore,Quid igitur ſuadetis ut faciamus? Tacete. Ad hoc conſilium decurrunt iſti admiratores tranquillitatis & Epicuri.

Turbatio ſummo Papatu.

Sed aperi tu oculos,& non ſolum intuere in iſta incommoda externa,ſed vide etiam quæ fuerit turbatio in Papatu, quot & quanta monſtra impietatum fuerint. Nuſquam unum verbum purum audiebatur, de Peccato,de gratia,de merito Chriſti,& de fide,de exercitijs Sanctorum operum,de magiſtratu,de alijs vitæ generibus. Omnia erant conſpurcata peſtilentibus gloſſis. Ad hæc quanta fuit prophanatio Miſſarum? quanta impoſtura Indulgentiarum, Purgatorij, & ſimilium; ad quæſtum excogitatarum abominationum? Mihi quidem intuenti in regnum Papæ,quale fuit ante prædicationem Evangelij noſtri, videntur homines ſtudio & ex compoſito ab impijs doctoribus objecti Satanæ,& æternæ damnationi. Nam quod ad miniſterium attinet,tota doctrina jacuit,præter textum Scripturæ,qui negligebatur,& adminiſtrationem Sacramentorum, quanquam alterum non ſolum mutilatum fuit, ſed nunquam de vero ejus uſu recte homines edocti ſunt.

Plerum præſtet eſſe turbatos de in Eccleſia, an ei Papatu tranquillitate.

Hic igitur judica, utrum præſtet. Sunt enim turbæ iſtic,ſunt hic quoque turbæ. An non igitur mille modis præſtat retinere loquelam ſeu verbum Dei, quam amiſſo

Digitized by Google

amiſſo verbo,retinere pacem, etiamſi ſit, ut ſic dicam, cœleſtis pax? Ego quidem ſine verbo,ne in Paradiſo optarim vivere, At cum verbo, etiam in inferno facile eſt vivere,Sicut in hoc mundo,quaſi in inferno vivimus,& tantum nos conſolamur ſpe, quam verbum Dei nobis oſtendit, atq; hac ſpe vincimus omnis generis incommoda & cruces. Aſſueſcendum itaq; eſt,ne cum Epicureis tantum intueamur in viſibilia ſcandala,& ſcandala inviſibilia(quæ tamen maxima ac æterna ſunt)negligamus, ita fiet,ut iſtæ turbæ per Sectarios excitatæ leviores eſſe videantur.Optabile quidem erat,nihil turbarum eſſe,ſed cum id obtineri non poſſit,præſtat mille Anabaptiſtas, mille Sacramentarios,mille ſeditioſos excitari, quam ut ſimul per omnes Eccleſias ſit confuſio & impura doctrina.Nunc enim etſi eſt confuſio,tamen quædam Eccleſiæ recte ſunt conſtitutæ, quæ ſub Papatu & in iſta pace non erant. Nunc ſaltem in certis locis docetur pure, Sacramenta pure adminiſtrantur, cum illis temporibus nuſquam aut doceretur,aut Sacramenta adminiſtrarentur pure.

Qui ſanam doctrinam propagant, ſuũ ſunt pacifici.

Retineamus igitur hanc conſolationem,quam nobis hic oſtendit Spiritus ſanctus,& qua inprimis opus habent omnes,qui ſane docent, Quod ſcilicet non ſumus cauſa ſcandalorum,odij,turbationum,& ſeditionum, Oportet quidem venire ſcandala,oportet ut ſint Luciani,contemptores religionis, perturbatores Eccleſiarum, Sed beati,qui horum malorum non ſunt cauſa, qui ſunt Doctores pacis, qui pacem & charitatem omni ſtudio quærunt.In hoc numero, Dei gratia, nos hodie ſumus, utcunq; de nobis æſtimet mundus. Quod ſi animus fuiſſet,augere aut fovere turbas,quam facile nobis fuiſſet cum ijs ſentire, qui noſtram doctrinam aut impugnant,aut nova afferunt? Sed noſtra cura unica fuit & adhuc eſt,ut homines ſyncere & pure docerentur,de merito Chriſti & gratia. Item de Gratiæ quaſi pignoribus & ſignaculis, quæ Sacramenta vocamus. In hoc ſtudio quoq; precabimur Dominum,ut nos uſq; ad ultimum ſpiritum conſervare dignetur,Amen.

Ad hunc modum pingit Pſalmus hic hæreticos & veræ Eccleſiæ fortunam, ut ſcilicet armemus nos contra hæc pericula, & agamus Deo gratias pro hac ſancta conſolatione,quod quidquid tumultuum excitatur, id non imputat ijs, qui docent, ſed verbo, Verbum autem eſt non noſtrum, ſed Chriſti, Itaq; poſſumus ſecuri eſſe, quicquid tandem ex ſana doctrina ſequitur, Qui amant pacem, taceant ſane, Nos autem loquamur cum fiducia magnalia Dei,& non erimus inobedientes in vocatione noſtra.Si excitantur malæ linguæ & turbationes, cum Davide contra eos orabimus,& ſecuri Deo commendabimus Eccleſiam ſuam. Is Verbum ſuum ſervabit Eccleſiæ ſuæ,& impias linguas eo incendio extinguet, quo ipſi putant Eccleſiam conflagraturam eſſe,Amen.

PSALMUS CXXI.

Levavi oculos meos in montes.

Tranſitio, ut præcedentis Pſalmo pro conſervatione ſanæ doctrinæ, ora-vit,ita hoc docetur fides.

PRæcedens Pſalmus fuit Oratio pro conſervatione ſanæ doctrinæ adverſus linguas Hæreticorum & impias opiniones, hæc enim maxima & principalis pugna Satanæ eſt contra Eccleſiam. Hunc autem Pſalmum judico eſſe compoſitum pro exhortatione fidelium. Continet enim doctrinam fidei, Fides autem eſt noticia rerum inviſibilium & expectandarum, quæ hæret in promiſſione & verbo Dei. Quia autem verbum Dei eſt ſuper omnem captum hominis, & quæ promittit, aut abſurda aut impoſſibilia, aut etiam incredibilia rationi videntur, ideo opus eſt ijs, qui cœperunt credere, aſſiduis exhortationibus, ut extimulentur adverſus carnem, quæ militat contra fidem & Verbum, ne ſpiritus quaſi aggravatus iſto pondere carnis, plane nihil cogitet de inviſibilibus,ac totus mergatur in rebus præſentibus & viſibilibus. Noſtra enim vita inter perpetuas procellas agitatur, tanquam qui in mari navigant. Quotidie enim infeſtamur ventis tentationum, cum aut divitijs aut paupertate,aut gloria, aut ignominia, aut triſticia,aut lætitia perturbantur animi.

Verbum Dei.

Inde

Digitized by Google

inde ſequuntur paſſiones graviores, nempe, aut ſecuritas aut deſperatio. Ergo his flantibus procellis, neceſſe eſt ut reſiſtatur exhortatione Verbi, & ut urgeatur fides in verbum.

Ad hunc modum intelligo hunc Pſalmum, quod ſit quaſi doctrina, qua monemur in hac vita, Fidem aſſiduo exercendam eſſe exhortationibus, ne occupati curis hujus ſeculi obliviſcamur æternorum bonorum.

I. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

Quod dicit de montibus auxiliaribus, includit antitheſin, ſicut omnis doctrina fidei & promiſſio, antitheſin ſecum affert, ſi carnem conſideres. Promittitur pijs futurum, ut Dominus ipſis adſit, Sed ſi ſpeciem conſideres, etiam Chriſtus in Cruce videtur deſertus eſſe. Ad hunc modum etiam per hunc totum Pſalmum bella antitheſis indicatur, Q. d. Propheta, Ingruentibus tentationibus & examinibus Fidei, unus huc alius illuc currit, quæruntur varia ſolatia, auxilia varia, Si amicis judicatur opus eſſe, curritur ad amicos, ſi principe, ad principem. Sic videas in meo populo alios in Bethel, alios in Gilgal, alios in Bethaven currere, tanquam ad ſalutares montes, Sicut ſub Papatu quidam Romam, alij Compoſtellam, alij alio currebant. Sunt enim infinita patrocinia & ſolatia, quæ cor in difficultate poſitum, credit & quærit, Et quod mirum eſt, omnia alia patrocinia & ſolatia facilius ac citius admittit, quam unicum & verum patrocinium ſolius Dei. Ergo hæc laus eſt fidei, quod in periculis reſpicit ad unicum montem ſalutarem, qui eſt in Ieruſalem, relictis aliorum montium præſidijs. Ad hunc modum obliquis oculis quaſi intuetur impios, qui deſerta Fide, & vero patricinio miſericordiæ divinæ, quod tum in Ieruſalem erat, quærebant ſalutem in alijs montibus.

Simile eſt, quod in Papatu vidimus, Ibi erant variæ Monachorum ſectæ, unus Auguſtini, alius Benedicti, alius Franciſci regulam amplectebatur, Nihil autem votis illis quærebatur aliud, quam ſolatium pro ſalute æterna impetranda. Metus iræ Dei, & affectus conſcientiæ, videbatur per ſolatia illa poſſe curari. Hæc perpetua naturæ humanæ eſt conſuetudo omnibus temporibus. Dicit igitur David, Alij deferunt templum, abhorrent à monte Zion, Ego autem maneo in via ſimplici veræ religionis & fidei, quæ eſt in monte ſalutari, quem ipſe Dominus conſtituit. Vocat autem montem ſalutarem, ut rejiciat & damnet alios montes, qui ſpeciem quidem auxilij habent, ſicut ſunt viſibilia auxilia in idolatricis cultibus, ſed tamen verum auxilium non habent. Sic Iudæi dicebant, Baal præſentius juvare, quam Dominum in templo. Itaque apud Ieremiam clamant, Reginæ cœli ſacrificabimus, ſermonem autem tuum non faciemus. A quo enim die ceſſavimus immolare Reginæ cœli apprehendit nos gladius, fames, &c. Ita relicto templo, & vero cultu ad impietatem devolvebantur. Ierem. 44.

Alij alio pro ſolatio quærunt, Ego ad montem ſalutarem reſpicio. Mons ſalutaris.

Sed cur inquis, facit hoc Deus, ut idolatria & impij cultus felices ſint? Nimirum ideo, ut tentet nos, an fides noſtra vera ſit, an ſecundum Decalogum vere credamus & colamus unum Deum. Felix quidem eſt idolatria, ſed ad tempus, Sic Achas, Dij regum Syriæ auxiliantur eis, placabo igitur ego quoque eos, & mihi aderunt. Sed quid textus dicit? Dij Syriæ fuerunt ei ruina & univerſo Iſraël. Hic finis eſt iſtorum falſorum patrociniorum, Sic auxiliatur hominibus aurum, ſeu Mammon, Eſt magnus Deus, qui ſæpe liberat, exhilarat, inflat, ſuperbos facit, Sed quamdiu? ſcilicet, dum hic vivimus, In morte autem non deſerit ſolum cultores ſuos, ſed in infernum demergit. Quidquid igitur humanorum & viſibilium ſolatiorum eſt, omnia incerta ſunt, & deſtituunt hominem, & tamen mirabiliter vexant corda, & in eas deducunt tenebras, ut nihil curent Deum, qui Deus eſt æternus, nec titillat vanis ſolatijs, ſicut Mundi patrocinia, ſed implet æterno gaudio, ubi econtra mundi gaudium vix puncto temporis durat. Sic enim dicit, *Vos iterum videbo, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo auferet à vobis.* Diſcamus igitur manere apud Deum noſtrum, & inviſibilia illa ſolatia. Quod ſi aliquid patiendum eſt, ſi deſolati & ſine gau- Ioan. 16

Idolatria eſt fides ad tempus.

Hominum fides incerta.

Digitized by Google

ſine gaudio eſſe videbimur, Erit cum Deus ſe oſtendet retinere curam noſtri, & ipſi nos judicabimus paſſiones hujus vitæ, non eſſe ſimiles gloriæ in nos revelandæ, ſicut
Rom. 8. Paulus conſolatur.

Hæc igitur ſententia eſt hujus verſus, quod fides ſit noticia rerum inviſibilium, & tamen expectandarum, ne ſcilicet exiſtimemus eam eſſe puram ſpeculationem, qualis eſt Thomæ de Angelis. Sunt res expectandæ, quas experimur, nempe, bona Conſcientia, lætus animus, invicta fides, quæ contra paupertatem, invidiam, ſcandala mundi, contra errores, & ipſam etiam mortem conſiſtit. Ad hunc modum fidei natura diſcenda eſt, quod ſcilicet ſit voluntas, ſeu noticia, ſeu expectatio pendens in verbo Dei, quod verbum oſtendit, & monſtrat inviſibilia auxilia, quæ certa quidem & infallibilia ſunt, ſed tamen expectanda, quæ etſi tardabunt, tamen venient. Non ſignandus eſt eis locus, non tempus, non perſona, ſunt enim inviſibilia, & tamen certa. Huc proprie pertinent verba Pſalmi, *Levo oculos meos ad montes, unde mihi auxilium venit.* Hic oſtendit ſe carere auxilio, & tamen ipſe auxilij reſpicere in montes, & expectare inviſibile patrocinium. *Fides.* *Natura fidei.*

Ad hunc modum nobis quoq; faciendum eſt, Non video quid edam, quid bibam, unde tolerem ſumptus, non video quomodo periculum ignominiæ evadam, Cor igitur palpitat, tanquam deſtituti ſimus omni auxilio. Hic ſentiendum eſt, auxilium certo eſſe præparatum, etiamſi neſcimus, quando futurum ſit, Ergo credamus & expectemus. Sed hic diſcitur, quam difficile ſit credere, cum contra, quæ videmus, audimus, ſentimus, aliquid nobis conſtituendum eſt. Ego ſæpe in graviſſimis periculis fui, cum totus quaſi mundus in meũ caput conſpiraſſe videretur. Neq; enim ceſſabat hoſtis meus & Chriſti mei, Papa, concitare contra me, quidquid uſquam potentiæ & terroris erat. Hic mundus & ratio potius conſuleret ut tacerem, quam ut cum tanto periculo docerem. Nuſquam enim videt auxilium Domini, quod inviſibile, & ab oculis mundi eſt abſconditum, Igitur tantum cogitat, quod videt, ſcilicet interitum. Taceo autem hic de meo animo, de fide & ſpe, quanquam etiam ſæpe periculis his turbatus ſum, hoc tandem res oſtendit, auxilium inviſibile & abſconditum à meis & totius mundi oculis, apparuiſſe, ut non ſolum nihil mihi accideret ab hoſtibus meis potentiſſimis, ſed ut quotidie per novas occaſiones verbum Evangelij latius & fortius propagaretur. Cum igitur caro inviſibilia ſpectare non poſſit, aſſuefaciamus nos, ut in omnibus periculis fides dicat, *Levabo oculos meos in montes*, ibi eſt auxilium certũ & paratum, quantumvis id non videam, & caro ſeu ratio diverſum videat & expectet. Sic pulchre pingunt hæc verba fidei formam, qualis ſit, & quid ſit. *Experientia Lutheri.*

Sed quæritur hic, Quare dicat, ad montes, & non, ad Deum? Deinde cur in plurali loco loquatur, & non unum montem dicat. Hæc enim pluralitas videtur patrocinari idolatriæ? Ad primam quæſtionem ſic reſpondeo, Hunc locum & ſimiles (ut, Mittat tibi auxilium de Sancto) pertinere proprie ad noſtram Theologiam, quæ docet, quod Deus velit audire, coli, expectari, invocari, ſecundum Verbum ſuum, & non ſecundum noſtras cogitationes. Sic dicit in Deutero. In quocunq; loco fecero ego memoriam nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi. Erant igitur omnes Iudæi afflicti, in quocunque loco ſeu regione eſſent, ad templum Ieroſolymitanum, ut etiam domi ſuæ orantes, verterent oculos ad Zion. Placuit quidem Deo oratio bonorum in Babylone procul à templo & Ieruſalem, ſed ita, quia cantabant & orabant ad illum Deum, qui in monte Sion habitarat, atque ibi ſuum tabernaculum fixerat. Atque hæc cauſa fuit, cur damnarent Prophetæ ſacrificia, & reliquos cultus in alijs locis inſtitutos aut factos. Neque enim ſatis fuit dicere, O Deus, qui ex Ægypto populum tuum eduxiſti, Sic enim nominabat Deum Hieroboam quoque, vero Dei vocabulo, & orabat fortaſſe plus, aut ardentius quam qui in Ieruſalem & templo erant. Sic enim ſolet hypocriſis, & idolatria multo eſt ardentior quam vera pietas. Cur autem non placuerunt Deo tales orationes? Ideo, ſcilicet, quia alij montes non erant electi, non habebant verbum Dei. Nolebat itaq; Deus audire preces, niſi in illo uno loco, ut ſaltem oculis & corde verterent ſe Ieroſolymã, ſi corpore non poſſent ibi eſſe. Itaq; Daniel in Babylone oraturus, vertebat ſe le-

fol. 10. *Cur dicat ad montes, & non ad Deum?*

vid. 10. ver. 16.

Cur damnent Prophetæ ſacrificia & cultus in alijs locis inſtitutos.

Digitized by Google

se Ierosolymam, non tamum quod Salomo in oratione sua orarat, si quando pulsi in exilium, ad istum locum orantes se verterent, ut exaudiret eos Deus, & reduceret in terram, Sed quia Deus simpliciter vult orari in loco, quem ipse elegit, ut omnes arbitrarias devotiones & vagas prohiberet.

Mons noster.

Nos in novo Testamento sumus liberati à vinculo externorum locorum, sicut Christus dicit, Erit tempus, cum neque in hoc nec illo monte adorabunt. Est autem noster spiritualis locus Christus Iesus, quia Deus constituit se nihil velle audire, nisi per hunc secundum illud Christi, Quidquid Patrem rogaveritis in nomine meo. Per hunc igitur offerimus Deo vitulos labiorum nostrorum. Neq; enim extra Christum quidquam est quod credamus, speremus, aut impetremus. Hæc est principalis nostræ doctrinæ pars, igitur firmiter tenenda est. Multi fuere, qui volebant Deo placere extra Christum. Sic Arius, etsi Christo divinitatem adimeret, tamen volebat videri, quod haberet propitium Deum. Nostri Monachi credunt se Deo placere per vota & suas monasticas observantias. Hi omnes levant oculos suos non ad montes, ad quos David respicit, hoc est, non spectant in solum Christum, cum tamen sit hoc constituendum, Christum solum esse nostrum unicum locum, nostrum tempus, & omnes circumstantias, quæ requiruntur ad orationem. Vt sicut Iudæi nullum Sanctuarium habebant, quam illud in Ierusalem, ita nos quoq; nullum Sanctuarium habemus, quam hoc unum, IESVM Mariæ filium. *Ioh. 4. Ioh. 16. Ebr. 13.*

Silo. Gibea.

Hoc modo soleo respondere ad priorem quæstionem, quod David figit orationem ad locum sanctum, constitutum in Ierusalem, in quo erat memoria nominis Dei, quam ipse sibi fecerat. Ante id tempus fuerat in Silo & Gibea, ubi tabernaculum fuerat, In his locis audiebat preces, accipiebat sacrificia, In alijs locis autem neque preces, nec sacrificia accipiebat. Erat enim ibi non memoria nominis Domini, quam ipse sibi fecerat, sed memoria nominis idolatriæ, quam impij Iudæi sibi ipsis fixerant. Nunc autem in novo Testamento, habitat nomen Dei in Christo, & Ecclesia, quæ unum cum Christo corpus est, ubi sunt verbum Dei, Baptismus, Cœna Domini, & exercitium obedientiæ erga Deum.

Cur pluralis numero, montes, dixerit.

Ad secundam quæstionem sic respondeo, Quod etsi videtur prophetare de Ecclesia novi Testamenti, in qua multi montes sunt, non unus aliquis, hoc est, Deus in Christo ubique audit fidelium preces, nec est alligata oratio & cultus Dei uni certo loco externo, Tamen fieri potest, ut plurali numero utatur Prophera vel reverentiæ gratia, vel quia gemini montes erant in urbe Ierusalem, mons Sion versus meridiem, & mons Morija, in quo templum fuit. Sicut autem dixi antea, numerus pluralis Antithesin quoque ostendit, Q. d. Idolatræ currunt ad suos montes, Sed ego manebo apud meos montes, hoc est, in unico illo monte templi, qui est mihi loco omnium.

Mons Sion. Mons Morija.

Vnde venit auxilium mihi, fidei vox est.

Quod autem addit, *Levo oculos meos ad montes, unde auxilium mihi*, plane fidei vox est. Caro enim putat ab istis montibus venire Diabolum, crucem & omnis generis incommoda, Igitur vocat, non auxiliares, sed desolatorios montes, cum videt se propter Religionem premi odio Mundi, paupertate, tentationibus carnis, pavoribus, &c. Hæc videtur esse desolatio, projectio à facie Dei, & descensus ad inferos. Contra hoc carnis judicium pugnat fides, & judicat non secundum hoc, quod sentit ac videt, sed secundum Verbum quod Deus loquitur, id jubet credere invisibilia, & plane, ut sic dicam, fieri invisibilem, ut in paupertate credas divitias, in tristicia læticiam, in desolatione auxilium, in abjectione certissimam & æternam gratiam. Sicut David hoc in loco facit, est oppressus malis, nec in ijs sentit auxilium, Et tamen dicit, *Levo oculos meos ad montes, unde auxilium mihi venit.* Levandi igitur oculi sunt, non figendi in præsentia incommoda. Id enim est assentiri oculis & auribus, id est, audire carnem tuam, occinentem de ira Dei, de desertione, de magnitudine periculi, unde non sit exitus, Levandi igitur sunt oculi ad montes Dei, & arrigendæ aures ad vocem Domini, quæ dicit ac promittit, venturum auxilium de istis montibus, quod etsi invisibile est ad tempus, tamen est certum & paratissimum. Qui in opibus,

Digitized by Google

opibus, gloria, dignitate conſtituti ſunt, hi non ſunt in inviſibilibus, igitur facile efferuntur animis, Sed qui his deſtituti laborant in corpore & animo, hi levare debent oculos, ut auxiliũ quod inviſibile eſt, eis fiat viſibile, ſecundum quod in verbo promittitur.

Sunt igitur hæc verba hominis experti in ſpiritualibus, qui ſenſit, quod nos ſentimus, quod ſcilicet ſenſus noſtri gravantur, cum in deſertione non videmus auxilium, cum non divitias, ſed paupertatem, non gloriam, ſed ignominiam patimur. In his incommodis, cor eſt ceu graviſſimum pondus, quod oculos & caput deprimit, ut præter terrena nihil cogitet, nec videat. Hortatur itaq; ſuo exemplo, ut tum levemus oculos, & reſpiciamus ad inviſibilia, quæ Verbum promittit, quod ſint paratiſſima. Ad hunc modum explicat Pſalmus hic naturam fidei, Nunc ſequitur quaſi expoſitio, de quibus montibus loquatur.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.

De quibus montibus loquatur. Mons Morija.

Loquor de montibus, non quos oculi carnis vident. Quis enim aut tam acutum cernat, aut tam poſſit eſſe ſapiens, qui oculis videat, quod Mons Morija ſit mons ſanctus? Cumulum terræ oculi vident, ſanctitatem non vident, quæ in eo poſita eſt, quod verbum Domini ibi eſt, quod Deus dixit, ſe ibi habitare velle. Quod memoriam ſui nominis in eo loco conſtituit, Quod ibi & non in cœlo velit inveniri. Qui enim ab hoc loco aberravit, etiam in cœlo Deum non potuit invenire aut apprehendere. Sicut poſtquam Deus in Chriſto homine ſe revelavit, recte dicimus & credimus, quod quicunq; hunc hominem ex Maria natum, non apprehendunt, ſimpliciter Deum non poſſunt apprehendere, Sed etiamſi dicant ſe credere in Deum, conditorem cœli & terræ, tamen revera credunt in idolum cordis ſui, quia extra Chriſtum non eſt verus Deus. Ergo David intuetur montes iſtos Ieruſalem, non carnis oculis, ſicut vacca ſtabulum ſuum, ſed oculis ſpiritus, quod Deus per verbum ſuum ibi habitat. Itaque iſti montes non ſunt amplius lutum aut terra, ſed ſunt Dominici montes, & plenitudo divinitatis, ita ut extra hos montes nihil Dei poſſit inveniri. Ergo recte dicit, auxilium ab his montibus, hoc eſt, à Deo ibi habitante. Sicut nos Chriſtum credimus eſſe thronum Gratiæ, in quo inveniuntur omnia, extra eum autem invenitur nihil.

Extra Chriſtum non eſt verus Deus.

Quæ ſubjiciuntur cœlum & terra, opponitur omnibus bonorum præſidijs.

Quod autem non ſimpliciter Dominum dicit, ſed epitheton addit, *Qui fecit cœlum & terram*, ſignificat Antitheſin, ad refutanda alia præſidia, quæ homines quærunt. Mammon etiam Deus eſt, hoc eſt, tanquam Deus colitur ab hominibus, & juvat homines aliquando, Sed quid prodeſt in annonæ penuria? Nemo ſane ventrem eſurientem exatiabit pecunia, Sic quid prodeſt in ſiccitate? quid prodeſt in morbo corporis? Si igitur Mammon in his corporalibus malis juvare non poteſt, quid faceret cum conſcientia perturbatur peccatis & morte? Eſt igitur Mammon factor lætitiæ uſq; adeo particularis, ut non poſſit eſſe particularior, tantum delectat oculos, ſicut picta tabella, adeo ut etiam in proverbium apud Germanos abierit, Sermones de pecunia triſtes eſſe, ubi econtra nugæ de leviſſimis rebus magis exhilarant. His igitur & ſimilibus auxilijs, quæ mundus quærit, opponit David Dominum, qui non ſolum aurum & argentum fecit, qui non ſolum fruges, aquam, ſed cœlum & terram fecit, hoc eſt, Angelos, homines, & univerſam creaturam, & præter hæc remiſſionem Peccatorum, fidem, juſticiam, læticiam & pacem cordis, cum ipſa vita æterna. Hic eſt, inquit, auxilium meum omnipotens & certum, de quo dubitare non poſſum, quod uno momento oculi me fallat. Ab hoc Domino peto auxilium, qui poteſt dare non tantum ſanitatem paucorum annorum, ſed æternam vitam cum ſecuritate conſcientiæ, & poſt hanc vitam. In hac autem vita largitur contemptum mortis, & omnium furiarum mundi.

Mammon.

Ad hunc modum inflammat ſe Propheta, & acuit fidem ſuam, nobis in exemplum, ut nos quoque noſtra dona & ſpem noſtram amplificemus. Si enim ruſtici poſſunt amplificare numos ſuos, qui ad momentum durant, & in leviſſimis peri-

culis juvare non poſſunt, ſi poſſunt efferri & inflari propter opes, Cur nos etiam non inflaremur fiducia tanti Dei, qui cœlum & terram creavit, qui omnia habet in ſua manu, quibus opus eſt ad hanc vitam & futuram? Sed quia inviſibilia hæc ſunt, ideo à nobis fere negliguntur, Diſcendum autem eſt ut etſi jejunandum & carendum aliquandiu hoc auxilio eſt, tamen ſperemus certo venturum eſſe.

III. *Non det in commotionem pedem tuum, neq; dormitet qui cuſtodit te.*

Rectius leguntur hæc in futuro, Non dabit ut moveatur pes tuus, neque dormitabit qui cuſtodit te. Cohæret autem hic verſus cum ſuperioribus. Quia enim inſtituit Propheta exhortationem ad Fidem, hoc agit, ut his ceu promiſſionibus inſtet, urgeat & hortetur ad retinendam illam fiduciam in auxilium divinum. Eſt autem ſumme neceſſarium adhortari & urgere non ſolum alios, ſed etiam noſipſos, propter illa viſibilia & inſtantia pericula ac vexationes. Quia enim ea, quæ contriſtant, præſentia ſunt, contra, quæ conſolantur, ſunt abſentia, Ideo opus eſt, dum durant præſentia, quæ vexant, ut Verbo excitemur ad perſeverantiam & patientiam. Eſt enim hæc experientia conjungenda cum doctrina. Nam oculi noſtri multo ſunt obtuſiores, quam ut poſſint ad inviſibilia iſta pertingere, & finem præſentium afflictionum videre. Hinc fit, ut natura ſemper circumſpiciat de modo, quo liberari poſſit, & dum eum non videt, ſicut eſt abſconditus & inviſibilis, cruciatur. Opus igitur eſt exhortationibus, ut iſta (liceat enim ſic loqui) naturalis brevitas ſeu anguſtia cordis noſtri dilatetur, magnificetur, ac prolongetur. Hoc poteſt is, qui videt finem noſtrarum tentationum. Ejus Verbum eſt audiendum, noſtrum cor non eſt audiendum, quod tantum ſentit & videt principium tentationum, & doloris finem non videt.

Quod exhortatio ad fidem ſignificat perſeverantiam adeſſe.

Rhetoricatur igitur Spiritus ſanctus jam, ut exhortatio fiat illuſtrior. Atque hic primum monendum eſt, niſi contrarium fieret ac ſentiretur, fruſtra eſſe hanc exhortationem. Si enim ſtatim cum tentatione finis etiam adeſſet, aut mox, cum egere incipimus, Dominus daret, quorſum eſſet opus, promittere aliquid? Ergo neq; doctrina neceſſaria eſt in ijs, quæ ante ſcimus, nec exhortatio, ubi ſumus extra periculum & tentationẽ. Quod igitur dicit, *Non dabit Dominus in commotionem pedem tuum*, manifeſte ſignificat hanc ſolicitudinem, quod animi in tentatione periclitantur, ne prorſus pereant, & deſerantur. Hic igitur exhortatione eſt opus, ut fides non plane extinguatur.

Dictum militis cuiuſdam.

Ratio judicat ſe deſeri, & experitur, quod quidam homo militaris dicere ſolebat, Nemini plus periculorum & incommodorum accidere, quam qui Deo & Cæſari fideliter ſervirent. Hoc cum ita ſit, Verbum fidei adhibendum eſt, id primum pronunciat, Omnes qui in Chriſto volunt pie vivere, perſecutionem pati, Proponit 2. Tim. 3.

Exemplum Chriſti.

Chriſtum exemplum, qui per Crucem intravit ad gloriam, Monet nos oportere Rom. 8.
conformes fieri imagini ejus, hoc eſt, ſimul pati, ſi etiam volumus conglorificari. Ergo parata ſunt incommoda & cruces. Deinde etiam hoc oſtendit Verbum, quid faciendum, & quæ remedia quærenda ſint in talibus afflictionibus, quod ſcilicet ſit

Remedia in afflictionibus.

Verbo attendendum, hoc diſtinguit tentationem in initium & finem, hoc eſt, promittit tentationem non fore æternam, ſicut judicat cor noſtrum. Deinde de initio Iohan. 16.
ſic judicat, quod tentatio ſit momentanea. Sic Chriſtus appellat modicum, & confert ſuorum afflictiones cum partu, ubi arctiſſime mors & vita ſunt colligata. Quæ enim jam deſperarat de ſua & fœtus vita, ſtatim edito fœtu, omnium dolorum obli- Rom. 8.
viſcitur. Sic Paulus pronuntiat, Neutiquam ſunt condignæ paſſiones gloriæ, quæ in nos revelabitur.

Judicium verbi de afflictionibus ſequendum eſt, &c.

Hoc judicium Verbi ſequendum eſt, & non tuus ſenſus, qui malum judicat eſſe infinitum, & vere ex Mathematico puncto infinitam ſphæram, ſeu lineam infinitam facit. Adeo eſt noſtra ratio indocta in divina & cœleſti illa Mathematica. Quod Deus momentum, punctum, guttulam, ſcintillam eſſe judicat, hoc ipſa æternitatem, infinitum mare, incendium eſſe definit. Atqui, inquis, Ego ſic ſentio & experior. Sit ſane

Digitized by Google

Sit ſane ita, Sed utrum putas? an tu rectius ſentias, an vero Deus certius & melius videat? Ergo hoc faciendum eſt, ut non judicemus ſecundum hoc, quod ſentimus, ſed ſecundum quod pronuntiat & judicat Verbum, ſeu ipſe Deus in verbo ſuo.

Hiſtoria de Iuliano & Athanaſio.

Ad hunc modum oſtendunt Hiſtoriæ, Cum Iulianus perſequeretur divum Athanaſium, & exitium ei minaretur, dixiſſe Athanaſium, Eſſe periculum id ſimile nubeculæ, quam paulatim Sol conſumit. Quid potuit quæſo dici contemptius de vi tanta, quam moliebatur caput Imperij Romani, quam rectius mari & infinito incendio comparares? Sed ſicut Athanaſius dixit & credidit, ita quòq; factum eſt. Nam Iulianus paulo poſt in ſolitudine quadam in Perſis trucidatus eſt, Athanaſius autem manſit incolumis. Hujus exemplo nos quoq; diſcamus noſtra pericula æſtimare, & ſpectare Verbum promittentis, ne ex nobis & ſenſu noſtro, ſed ex promiſſione Domini pendeamus. Mors, peſtis, fames, odium, quo mundus nos odit, ignominia, & alia ſimilia mala, ſunt ſane mala, & recte comparantur ingenti ac horribili tempeſtati, Hic ſi rationem adhibemus in conſilium ſuccumbimus, Sed levandi ſunt oculi in montes, & audienda vox, Ego ſum Dominus Deus tuus, Ergo magnifica Verbum & auxilium meum. Hoc cum fit, vileſcit illa magnitudo periculi, & augentur contra in corde verbum Dei, & promiſſor, ut dicas, Veniat ſane tempeſtas illa quantumvis ingens, hic eſt Deus, hic eſt ejus verbum, Sic redigitur omnis furor Diaboli, etiam Peccatum & mors in nihilum, & fit unum modicum punctulum, quod antea videbatur infinita moles eſſe.

Ego ſum Dominus Deus tuus.

Sic igitur debemus diſcere diſtinctiones Spiritus ſancti, Moritur tibi pater, filius, uxor, amittis rem, gloriam, ſanitatem, fiduciam cordis, etiam Chriſtum interdum, Sunt ſane illa magna, Sed cave, ne ex hoc tempore hujus ſenſus facias ſphæram, & ex puncto hoc lineam infinitam. Quantumvis enim magnum eſt malum, Deus certe infinitis modis major eſt. Si igitur ille adhuc ſtat, ſi non perijt, ſicut perire nequit, Quid magni eſt, quod uxor, quod liberi tibi perierint? Quid magni eſt, quod tuum corpus & vita tua perit? Quid enim ea eſt, ſi eam ad Deum & ejus Gratiam compares? Nimirum omnia quæ habemus & ſumus, vere ſunt punctum mathematicum, collata ad Deum & ejus opes, quas in Verbo promittit. Ergo in hæc intueamur, & diſcamus in tentatione recte dividere ſeu diſtinguere, nempe, quod afflictio & crux in ſe, hoc eſt, quo ad carnem & ſenſum cordis noſtri, eſt quiddam infinitum. Si enim Chriſtus & Deus nihil eſt, etiam leviſſimum malum à nobis non poſſet vinci, ſed opprimeret nos. Ad hunc modum quævis calamitas eſt infinita.

De cruce ſecundum eſt judicium ex verbo, non ex ſenſu carnis.

Sed an non mendacium eſt, quod Deus & Chriſtus nihil ſit, aut nunquam ſit? Si igitur vivit & eſt Deus & Chriſtus, ſicut eſſe neceſſe eſt, Non eſt abſolute judicandum ſecundum cor noſtrum de cruce, ſed ſecundum prædicamentum relationis, hoc eſt, conferendum cum Dei auxilio, Ita fiet, ut prædicamentum quantitatis totum abſorbeatur. Tentatio magna eſt in carne morbus, intolerabile eſt mori, projici in ignem, &c. magnum eſt amittere uxorem, liberos, ſi tantum in te intueris, Sed comparative hæc intuenda ſunt, reſpectu Dei omnipotentis, quod etſi amiſimus hæc, tamen Deus adhuc regnat ac vivit, qui etſi ad modicum affligi ſinit, tamen
Eſaiæ 54. nos beare vult. Sic in Eſaia dicit, Ad momentum dereliqui te. Hoc momentum carni videtur infinitum quiddam. Sed ut dixi, carnis oculi fallunt. Igitur judicium faciendum eſt ex promiſſionibus rerum inviſibilium, & videndum quid Deus in Verbo ſuo dicat.

Exercitium fidei.

Hoc eſt fidei exercitium, de quo David hoc in loco nos admonet, ut diſcamus reſpicere ad promiſſionem & Verbum, ac judicare ſecundum oculos ſurſum levatos, non ſecundum præſentia. Experimur autem hic Theologiam eſſe infinitam ſapientiam, quæ nunquam plene apprehendi aut perdiſci poteſt. Videmus enim mutationem, quam ſubiti caſus afferunt, Hodie recte valeo, cras morior, Id periculum facit, ut cœlum & terra anguſtiora eſſe videantur, quam ut nos poſſint capere, & tota creatura ſit nobis quaſi infernus. Sic caro ſolet, quam etiam inſpirat Satan, ut non Deum, non vitam videat, ſed infinitum malum eſſe judicet.

Atqui hoc non judicium, ſed mendacium carnis noſtræ & Diaboli eſt, contra quod pugnandum eſt, & credendum, quod etiam in morte noſtra Deus maneat, & noſter rex Chriſtus vivat, in cujus conſpectu mea mors cum omnibus tribulationibus & periculis ſit unum nihil. Quid enim mors? quid liberorum amiſſio, & ſimilia ſunt, ſi ad Deum conferas?

Theologum a ſolis ſieri ex experientia & uſu.

Sed hanc artem quis ſatis didicit? Loqui & docere aliquo modo poſſumus, ſed experimentis & uſu oportet fieri Theologum, ut cum Davide affirmemus, *Non dabit pedem tuum in commotionem*, hoc eſt, non ſinet te ſubverti. Caro enim reclamat, quia ſentit non ſolum moveri pedem, ſed ſe prorſus conculcari. Vide Filium Dei, quid paſſus eſt, Vide Iohannem Baptiſtam, Mariam, Apoſtolos, Prophetas, quid paſſi ſunt, Vide hodie Eccleſiam quid quotidie patiatur. Hæc experientia proverbio locum fecit, quo dicitur, Quo quiſque nequior, eo felicior. Itaque mundus metu horum periculorum diſcedit ab Evangelio. Ita contrarium apparet ab eo, quod in hoc loco David promittit. Videtur enim Dominus dare pedem in commotionem, Sed videtur tantum, revera non facit, ac videtur carni. Contra ſpiritus & fides judicant hanc eſſe exaltationem coram Deo, & gloriam, Iudicant mortem, quæ ob confeſſionem Evangelij ſubitur, eſſe initium melioris & æternæ Vitæ, Ignominiam judicant eſſe inæſtimabilem gloriam in oculis Dei. Hoc eſt fidei judicium, etſi caro aliter ſentit, ſed ex ſenſu carnis non eſt faciendum judicium. Quorſum enim pertineret doctrina Verbi, & hujuſmodi exhortationes & promiſſiones? igitur malum eſt convertendum in bonum, & ubi caro concludit ſe dari quotidie in conculcationem luti, Ibi fides ſecundum Verbum pronunciare debet, æquari ſe Filio Dei, & conformem fieri Chriſto. Credenda enim ſunt hæc tanquam inviſibilia, & etiam inſenſibilia, non videnda & ſentienda.

Quo quiſque nequior, eo felicior.

Iudicium fidei.

Qui autem non volunt credere, ſed ſequi ſenſum, hi punctum gloriæ & deliciarum hujus mundi eligunt, Sed quam miſera eorum erit conditio, cum poſt momentum illud vaniſſimi gaudij, excipientur æternis doloribus & lachrymis? Quanto erat melius cum Lazaro ægrotare & egere ad modicum, quam cum Divite hic abundare, & iſtic torqueri in æterna flamma? Pertinet igitur hæc doctrina ad eos, qui credere volunt, & non ſentire, ut diſtinguant inter pericula ſua & Deum, & ut oculos non tantum defigant in calamitatem præſentem, ſed levent ad auxilium inviſibile, & in Verbo promiſſum. Nam pericula illa quibus credentes expoſiti ſunt ſane movent pedem, Sed fides facit, ut pes non moveatur ad lapſum, ſed ut quaſi tranſiliamus ſcopulos illos periculorum, & conferamus punctum afflictionis, cum alijs quæ infinita ſunt, ſicut eſt ipſe Deus, ejus potentia, Gratia, denique æterna vita, quam promiſit credentibus in Chriſtum.

Lazar. Divit. Luc 16.

Hæc ſcire neceſſe eſt, ut nos & Fratres noſtros conſolemur, dum propter Verbum odio habemur, contemnimur, ſpoliamur, occidimur. In his malis quo curremus? Vincunt enim omnem virtutem rationis & naturæ noſtræ, Huc ſcilicet, ut dicamus, Deum eſſe majorem, quam ſunt incommoda noſtra; Non ideo Deum mori & perire, ſi nos pereamus. Itaque confidendum eſt ex animo in ejus bonitate & potentia, & exaltandus ſenſus ſpiritus (ut ſic dicam) ſuper ſenſum carnis & cordis noſtri. Hoc qui non volunt facere, fruantur ſane ſuis voluptatibus, hoc tamen expectent futurum, ut feces calicis epotent, cujus partem tantum pij bibunt, ſicut Propheta loquitur Pſalm. 75. Quanquam etiam pijs hoc ſæpe contingit, ut adjuventur corporaliter. Neque enim ſic ſuos prorſus negligit Deus, ut nunquam in hac vita oſtendat ſe eos reſpuere, Sic David pulſus regno, regno reſtituitur, Ezechias implicitus lethali morbo, revaleſcit, Populus Iudæorum diſſipatus inter gentes, reducitur. Sed hic quoq; fidei ſuus locus eſt, ut auxilium id expectetur. Neq; enim ſtatim adeſt, cum eo nobis opus eſt, aut nos id adeſſe optamus. Sicut autem Sancti in talibus periculis adjuvantur, Ita etiam impij non ſemper florent, ſed etiam in hac vita ſæpe horribiles impietatis ſuæ pœnas dant.

Deum majorem eſſe quam noſtra incommoda ſunt.

Impij feces calicis non bibunt. Sæpe adjuvantur etiam corporaliter.

Pſal. 75.

Impijs tamen interim dant & in hac vita.

Inſultat nunc Nobilitas noſtra miſeris paſtoribus Eccleſiarum, & omnia ſtudia

Digitized by Google

ſtudia literarum illiberaliter contemnit & odit, mihi autem dubium non eſt futurum eſſe, ut unus pius & fidelis paſtor, centum talibus nobilibus anteferatur. Sic Papatus longo tempore floruit, ſed experimur multum de veteri potentia & opibus etiam deceſſiſſe, & manifeſtas pœnas impietatis eis imminere. Ita etiam corporaliter ſeu temporaliter exercet Deus judicium ſuum, pro pijs contra impios. Tanto nos debebamus fortius niti verbo, & ſperare auxiliũ levatis oculis ab hac ſenſibili miſeria, ad inviſibilem opem. Quæ ſequuntur in Pſalmo, habent prorſus eandem ſententiam, voluit enim Spiritus copioſe conſolari & exhortari Eccleſiam.

Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael. IV.

Hæc quoq; ſunt verba mendacia ſecundum carnem, Num enim hoc eſt cuſtodire, cum in carcerem conjicimur, & tradimur lictori cremandi? cum excrcemur à Satana & mundo varijs incommodis? Imo cum ipſe Chriſtus affigitur cruci? cum Baptiſta ad arbitriũ meretriculæ truncatur capite? An non extrema barbaria eſt hanc appellare cuſtodiam, ubi ſumma deſertio eſt? Caro itaq; antiphraſes eſſe judicat, ut per Deum cuſtodem, intelligas deſertorem. Igitur ſunt hæc verba Spiritus & fidei, non carnis nec ſenſus. Secundum carnem enim non cuſtodivit Deus patriarcham Iacob, cum periret Ioſeph crudelitate Fratrum, & tamen poſtea res oſtendit ſic cuſtoditum eſſe, ut Ioſeph tantum non rex Ægypti fieret.

Conſolatio ſimilis in precedenti adverſum eremum.
Chriſtus.
Baptiſta.
Deus cuſtos.
Iacob.
Ioſeph.

Sic non cuſtodit nos Dominus quin moriendum ſit, quin videamus funera uxoris, liberorum, parentum, quin divexemur quotidie à Satana, quin varijs injurijs afficiamur ab ingrato & malo mundo. Hic ubi apparet cuſtodia? ubi apparet Deum ſuper nos vigilare? Igitur levandi oculi ſunt ad montes, ubi mandavit Verbum, ibi auſcultandum eſt, quid loquatur de ſancto templo ſuo, Nempe, quod non ſit ſomnolentus deſertor, ſicut judicat caro noſtra, Sed cuſtos & vigil qui pro nobis excubat. Hoc verbum fides amplectitur, & ſecundum hoc Verbum judicat, quantumvis caro reclamet, & ſecundum ſenſum ſuum exiſtimet Deum nec videre, nec audire, ſed eſſe ſimilem ijs, de quibus Pſalmus dicit, Aures habent & non audiunt, oculos habent & non vident. Itaque laudat ſuum Deum Mammon, ut ſemper in parato ſit pecunia, & quicquid ad vitam opus eſt, Hoc punctulum admiratur & amplectitur caro, nec videt, quid futurum ſit, cum moriendum & opes relinquendæ ſunt. Itaq; cuſtodem hunc, qui in fide & in Verbo cuſtodit, negligit.

Deus cuſtos qui pro nobis vigilat.
Pſal. 115.

Nos igitur, qui ſumus credentes, & iſtam mundi miſerabilem cæcitatem videmus, certo ſtatuamus illam fidei, & abſconditam cuſtodiam ſuper nos eſſe omnipotentem, Huc enim nos Scriptura ſancta deducit, ac docet regnum Diaboli eſſe regnum peccati, mortis, & mendacij, Stante autem hoc principio, ſequitur, Diabolum omni momento ſolicitare homines ad peccatum, occidere, & ſeducere, aut ſaltem conari, ut peccemus, moriamur, erremus. Sic ſumus ſemper in morte, ſemper ſumus in periculo impiarum opinionum & peccati. Quid autem nos facimus in iſtis Satanæ conatibus? Docemus, ſcilicet, ſcribimus, legimus, dormimus, edimus, bibimus, exercemus alia officia corporis & ſenſuum. Hic Theologia noſtra nos docet, per noſtram experientiam, niſi vigilaret Deus, cum ego dormio, niſi eſſet ſolicitus, cum ego nihil curo, niſi defenderet & cuſtodiret me, cum ego ſecurus ſum, Fieret omni momento, ut moreremur, amitteremus loquelam, oculos, aures, manus, pedes &c. Quod igitur hæc nonunquam accidunt, ut præter ſpem, uxor, liberi, amici, moriantur, aut implicentur magnis periculis, argumento eſt, quod Diaboli regnum, eſt regnum mortis & peccati. In hoc regno quia vivimus, dum in mundo ſumus, accidit, ut etiam nolentes ſæpe in peccata conjiciamur. Sic David homicida & adulter fit, ut diſcamus regnum Diaboli eſſe in hoc mundo, ad peccandum & occidendum. Quod igitur adhuc ſpiramus, quod non quotidie in gravia peccata incidimus, eſt illius Cuſtodis, de quo hic David loquitur, Hoc concludit Theologia & pij credunt. Experiuntur enim ſuo & totius Eccleſiæ exemplo, non quieſcere prius Satanam, quam aut animam aut corpus occiderit, Animæ exitium quærit

Fides & abſtendita cuſtodia.
Regnum Diaboli.
Deus cura eſt de nobis.
David.

Animal corpori exitium quærit Diabolus.

per mendacia, per impiam doctrinam & cultus impios, Corporis exitium quærit infinitis conatibus, quos videmus quotidie in nobis & alijs. Quod igitur illa aut non fiunt, ſicut conatur, aut non tam crebro fiunt, eſt beneficium non Satanæ, ſed hujus Cuſtodis noſtri & vigilis.

Servamur à morte & periculis beneficio Christi.

Sic experientia quoq; nos eo deducit, poſtquam hoc principium poſitum eſt, quod regnum Diaboli ſit regnum peccati & mortis, ſervari ſuos ſine intermiſſione à Morte & alijs periculis, tum corporalibus tum ſpiritualibus, beneficio Chriſti, in cujus Regnum per Baptiſmum & fidem translati ſumus. Hinc oriuntur illæ magnificæ prædicationes Prophetarum, quibus canunt, Miſericordia Domini plenam eſſe terram Miſericordiam ejus durare in æternum & infinitam eſſe, &c. Nonnunquam ſane ſuccedit conatibus Satanæ, ut ſubitis periculis homines obruat & perdat. Tales caſus nobis debebant eſſe argumenta & exempla eorum malorum, quæ ſingulis horis quidem optaret facere, ſicut conatur, niſi impediretur cuſtodia noſtri Vigilis in cœlis. Nam quod ad potentiam hujus hoſtis attinet, credo eum una hora poſſe occidere, quicquid hominum in terra vivit. Si igitur hoc poteſt, & conatur facere, cur non fit? Nimirum quia noſter cuſtos vigilat. Sed credenda ſunt hæc, ideo addit particulam, Ecce, ut appareat Prophetam in eo eſſe, ut hanc cuſtodiam bene inculcet animis noſtris.

Misericordia Dei.

Psal. 33. 99. 105. 137.

Potentia Satanæ.

Ecce.

Sed hic monendum eſt. Deo tribui hanc cuſtodiam Vitæ noſtræ, regnorum, pacis, urbium, cum tamen eam faciat mediantibus primum Angelis, deinde principibus, parentibus, familia, &c. Fit autem id ideo, ut ſtatuamus iſta media nihil valitura eſſe in cuſtodiendo & curando, niſi ſupremam curam horum negotiorum ſuſciperet Deus. Vtitur itaque miniſterio Angelorum, & principum, ſicut pane & vino. Nam ſicut panis & vinum per ſe vitam non conſervant, alioqui nemo moreretur, & tamen propter Dei ordinationem & naturæ noſtræ conditionem, ad conſervationem vitæ ſunt neceſſaria, Ita quoq; Angelorum, principum, & aliorum mediorum cuſtodia per ſe nihil eſſet, niſi cuſtos Iſraël vigilaret & cuſtodiret. Hanc cuſtodiam quia Verbum revelat, & ſpiritus credit, caro non videt. Itaq; ſecundum Antiphraſin exponit verba hæc, Cuſtos Iſraël, id eſt, deſertor non dormitat, id eſt, non ſolum altiſſimum ſomnum dormit, ſed prorſus omni ſenſu caret & eſt nihil. Ratio enim tantum judicat ſecundum puncta & principia malorum, non ſecundum Verbum & promittentem Deum. Quia autem Prophetæ norunt quam difficile ſit ita credere, ideo tanta copia contra incredulitatem & judicium carnis exhortantur. Hodie videmus fere contemni iſta, Iudicant enim fidem tantum eſſe cognitionem ſeu notitiam aliquam hiſtoriæ, Sed fides proprie eſt, quæ in extremis malis durat, & retinet Verbum vitæ, atque ſic ſuperat omnem vim Diaboli, omnes pavores, & pericula omnia, per quæ cum gloria & fiducia penetrat ad immortalem vitam.

Quomodo hæc cuſtodia Deo tribuatur, cum tamen Angelorum & miniſterio ad eam utatur.

Angelorum cuſtodia.

Cuſtos Iſrael non dormitat.

Fides.

V. *Dominus cuſtodiat te, Dominus protectio tua, ſuper manum dextram tuam.*

Deus eſt umbra ſuper manum dextram, &c.

Etiamſi miniſterio Angelorum defendimur, tamen ipſe Dominus inquit, cuſtodit te, & eſt umbra ſuper manum dextram tuam, hoc eſt, ſuper tuas res, quas geris. Ita enim ſimpliciſſime expono, Nec probo illam ſententiam, quod Dominus ſit ſuper dextram ſecundum ſpiritum, Diabolus autem ſuper ſiniſtram ſecundum carnem. Simpliciter enim ſignificat, Dominus gubernat res tuas, Si doces Eccleſias, ſi facis opus vocationis tuæ, ut pares victum tibi & familiæ, multa occurrunt incommoda, adverſarij te premunt, vicini invident, &c. Hic erige te & crede, quod omnes res tuas, quas tu geris & pateris, gubernat Dominus ac te protegit. Sed hic iterum memineris, quod ſupra dixi, fruſtra iſta dici, & doceri, ſi non deſereremur, Igitur eo ipſo quod docet de Cuſtodia, & promittit de gubernatione, fatetur ſentiri deſertionem & neglectum, quaſi Deo non ſimus curæ. Pertinet igitur ad conſolationem, quod hoc modo Deus oſtendit ſe ſcire noſtra incommoda & tribulationes

ones noſtras,ac jubet ut credamus,ſe eſſe noſtram umbram,quæ tegat nos. Quanto autem Deus eſt major quam pericula noſtra,etiamſi extrema ſint? Igitur habeamus in ipſo læticiam & fiduciam, qui promittit, ſe noſtri curam habiturum, in omnibus quæ gerimus.

VI.

Per diem Sol non uret te, nec Luna per noctem.

Non ſunt hic quærendæ peregrinæ ſententiæ. Lumen lunæ vehementer nocet, afficit enim corpora, non ſolum frigore, ſed humore quoque, De ſole conſtat, quam debilitet corpora, Significat igitur in genere per Lumen ſolis & lunæ,omnes tentationes & pericula omnia, quod in illis velit nobiſcum eſſe, nos juvare & liberare, etiamſi ad punctum videamur ſoli æſtum hunc ferre. Si enim ſoli eſſemus,tentatio eſſet æterna, neque enim in nobis tantum præſidij eſt, ut poſſimus durare perpetuo, Nunc patitur Deus,ut principium furoris Satan in nos evomat, Hoc autem non patitur, ut tantum noceat, quantum cupit nocere. Quia igitur habemus hanc umbram, debemus initia dolorum patienter ferre, certi quod etiam cum morimur, tamen vita noſtra ſine periculo in Chriſto abſcondita ſit, & ſuperatura ſit conatum Satanæ.

Lumen ſolis & lunæ.

Dolor.

VII.

Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus.

Quod proximus verſus per Allegoriam dixit, hoc nunc ſimpliciter & ſine figura dicit. Anima vitam ſignificat. Etſi itaque occideris propter Verbum, tamen non morieris, Quia Dominus cuſtodit animam tuam. Secundum faciem & ſenſum carnis moreris, ſed non ſecundum veritatem, quia vita tua vivit, nempe Deus,&c.

Anima.

VIII.

Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & uſq; in ſeculum.

Hoc eſt,quacunque iter facis,domi,in agro,ſemper tecum ero & cuſtodiam te. Egredi ſignificat ire ad operas, Regredi ſignificat ab opere ad quietem ire. Sententia igitur eſt,Quicquid facis,ſemper tecum erit Dominus, nullo loco,nullo tempore,re nulla,non facto,non perſona, non opere ullo perire te finam,ſed ſemper adero cuſtos tuus, qui ſum Deus cœli & terræ. *Ad hunc modum docet Propheta per hunc Pſalmum fidem, non tanquam mortuam affectionem vel qualitatem, ſicut Sophiſtæ, ſed tanquam maximum opus & motum Spiritus ſancti, quo judicamus ſecundum Verbum, contra quam ſentimus, videmus, & experimur, item quo vincimus omnis generis pericula. De hac fide nihilo rectius diſputant & judicant Papiſtæ, quam cæcus de colore.*

Egredi. Regredi.

Epilogus.

PSALMUS CXXII.

Lætatus ſum.

ETſi hi Pſalmi nomen autoris non habent additum, Tamen ipſa orationis forma ſatis oſtendit Davidis eſſe,optimi & ſummi Poëtæ. Sunt enim Pſalmorum ſcriptores etiam alij, ac habent inter eos non poſtremam laudem filij Korah, Aſaph obſcurior eſt, Salomo nimis eſt figuratus,& quaſi novator verborum,Sed David ad ſermonem & ſapientiam Moſi accedit proxime,& mire ſuavis atque elegans eſt. Itaque recte habetur Pſalmographorum Princeps. Accidit enim hic, quod Paulus in Corinthijs diſputat, etſi enim unus & idem Spiritus per Sanctos Prophetas locutus eſt,tamen quia diverſis Organis utitur, etiam cum eadem dicit,diſſimili oratione utitur. Sic idem Evangelium omnes Prophetæ prædixerunt, Sed quanto alacrior eſt Eſaias reliquis Prophetis? Sic inter

Davidem hujus Pſalmi autorem eſſe, a doctis arguit.

Filij Korah. Aſaph. Salomo. David.

Eſaias.

Augustinus. Hieronymus.

Ecclesiasticos Scriptores,quos habemus,etsi eadem tractant, tamen quantũ differt ab Augustino Hieronymus? Ita idem Spiritus idem operator,attemperat se diversis formis & qualitatibus Organorum,& tamen in uno Davide videmus,quam omnia sint absoluta, & non solum mira elegantia verborum, sed etiam rerum gravitate condita.

Argumentum Psalmi,est gratiarum actio pro dato verbo.

Hic igitur Psalmus hoc autore plane dignus est,Est enim gratiarum actio pro dono verbi Dei. Hæc tanto est rarior virtus,quanto Verbum in mundo contemptius est, non solum apud homines indoctos,sed etiam apud eos, qui sapientiæ & doctrinæ laudem sibi vendicant. Itaq; sæpe audiuntur blasphemæ voces, quibus hoc donum Dei summum infamant, cum non solum contemptim loquuntur de Evangelio,sed etiam salutari doctrinæ imputant,quicquid Satan per sua membra incommodorum excitat, sicut sunt Seditiones, sectæ, avaritia,libido,& similia. Est igitur inter rarissimas virtutes hæc numeranda, quod saltem aliqui sunt, qui reverentur Verbum, qui libenter audiunt conciones, qui libenter de Deo & factis ejus fabulantur.

Gratiarum actio pro verbo, rara virtus.

Sentiemus ergo hoc Canticum esse scriptum non canibus & porcis istis, Papistis,hæreticis, ac persecutoribus Verbi, sed electis animabus ac pijs mentibus, quæ summe gaudent de præsenti visitatione, qua oriens ex alto visitat nos in umbra mortis positos, per viscera misericordiæ suæ, sicut Zacharias canit. Nam cum Verbum omnes habeant,& omnium aures ac pectora pulsentur prædicatione Evangelij, quæ debet esse publica,non abscondita in angulis, magna inter homines differentia nascitur, quod alij Verbum tantum habent,alij cognoscunt & sentiunt se habere, atque ideo gaudent & gratias agunt,cum alij magis opibus & voluptatibus suis, quam Verbo afficiantur. Itaque Paulus hoc ipsum pro maximo dono reputat, non solum habere dona, sed dona quæ habes,cognoscere,hoc est, ijs uti, ijs affici, & pro eis agere gratias. Luc. 1.

Donum verbi inter omnia dona, amplissimum

Inter omnia vero dona,donum verbi Dei amplissimum est. Si enim hoc auferas,plane, quod dicitur, solem è mundo sustulisti. Quid enim erit mundus, sublato Verbo,quam infernus, & merum Satanæ imperium, utcunq; sint in eo divites,Iureconsulti, Medici? &c. Hi enim quid possunt aut faciunt sine Verbo? quod Verbum solum conservat lætam conscientiam, propitium Deum, & universam religionem (ex Verbo enim omnis religio ceu ex fonte profluit)imo universum quoq; mundum conservat. Neq; enim unum momentum staret mundus sine Verbo & Christo. Etsi igitur in mundo multa & magna Dei sunt dona, condita in usum hominum, Tamen unicum donum, quo alia omnia continentur & servantur,est Verbum quod annuntiat Deum misericordem esse, promittit remissionem peccatorum & vitam æternam. Quæso autem te, si his carendum esset, an etiam vita hæc esset vita æstimanda? Sed sunt hæc spirituales res,& cognitio de cœlo revelata,quæ quia in corde nostro non nascitur,ideo etiam tam difficulter apprehendi potest. Sed nunc de Psalmo agemus.

Tabernaculum Mosi.

Promissio ubi Tabernaculum ibi Dominus &c.

Eo tempore,quo hic Psalmus est scriptus, nondum erat conditum Templum, sed stabat adhuc tabernaculum Mosi. Quod etsi non uno certo loco, nec in tribu eadem fixum erat(nam & in Silo fuit,& in Gibeon)tamen habebat certam promissionem, ubicunque esset,ibi Dominum fore, auditurum preces, accepturum sacrificia & propitium futurum,sicut dicit textus, Vbicunq; ego fecero memoriam nominis mei,&c. Exod. 20. Cum igitur in Ephraim esset in civitate Silo, invocabatur ibi nomen Domini, audiebatur verbum Dei, colebatur Deus ibi fide, orationibus, sacrificijs, &c. donec tandem crescente impietate & idolatria, Arca de Silo in exercitum contra Philistæos deportata,& à Philistæis capta est. Sed cum Philistæi varie affligerentur ob hanc prophanationem, translata est Arca ad Gabaonitas. Ibi cum fuisset aliquandiu,tandem transtulit eam David in suam civitatem,sicut est 2. Regum 6. Atq; ibi incidit ei cogitatio de ædificanda domo Dei. Iudicabat enim indignum esse, ut habitaret ipse in cedrino domo,Dominus autem & Rex cœli habitaret sub pellibus,

Arca à Philistæis capta.

Arca translata in Ierusalem.

2. Reg. 6.

Ac pro-

Digitized by Google

Ac probabatur initio consilium ejus Prophetæ Nathan. Sed revelatione divina admonitus Nathan est, ne David ædificaret, Servari enim hoc opus filio ejus, qui pacificus esset, & non bellator sicut David, Simul addita est illa magnifica promissio de
2. Reg. 7. æterna posteritate Davidis, & vero ejus filio Christo. 2. Reg. 7. De priore igitur promissionis parte, videtur mihi hic Psalmus à Davide esse compositus, quo sibi & toti populo gratulatur ex animo, certum & firmum locum veri cultus Dei in Ierusalem.

Porro hoc certo statuendum est, quod verbum Dei, non solum templum, sed Ecclesiam & veros cultus facit, Templū contra neq; facit Ecclesiam, nec cultus, secundum sentētiam, Quocunq; loco ego fecero memoriam nominis mei, ibi ad te veni-
Exod. 20. am, & tibi benedicam. Hic nihil refert, sive ex auro, sive ex ligno sit templum, sive sit tabulum, sicut in Bethlehem, sive regia domus in Ierusalem. Nam ista externa nihil sunt, nec æstimantur à Domino, sicut ad Nathan dicit, Nunquid locutus sum ad unam de tribubus Israel, dicens, Quare non ædificasti mihi domum cedrinam? Sic Iacob ex lapide, quo pro pulvinari erat usus, altare condit, & vocat domum Dei, quod ibi Dominus se revelasset. Templum igitur est, ubicunq; Deus se revelat per Verbum suum, sive id sit ex auro, sive ex luto. Quanquam igitur ipsam domum,
1. Reg. 7. quam postea Salomo ædificavit, etiam complectitur David, tamen potissimum agit de fructu templi ædificandi, quod ibi docturi Ecclesiam, oraturi, & sanctificaturi sint. Hæc est illa lætitia, quam in hoc loco audiemus magnifice prædicari, quod lætatur, dum agnoscit illud inæstimabile donum, quando Dominus dat, ut possit ejus Verbum audiri, quando revelat faciem suam, & facit nos recte sentire de sua erga nos voluntate. Hoc donum cum adest, pelles tabernaculi Mosaici preciosiores sunt omni auro & gemmis, Contra cum abest, nihil interest inter Mosi tabernaculum, & alia gentilium templa.

Verbum Dei facit templum, &c.

Gen. 28.

Templum quid?

Theologistæ nostri multa disputant de definitionibus personalibus divinitatis, &c. Sed illa omnia rationis sunt humanæ, quæ sine Verbo & vera Dei noticia cogitantur, nunquam eo deveniunt, ut aut doceant aut cogitent, quid Deus nobiscum agat. Hinc sunt istæ horrendæ sententiæ inter ipsos notissimæ, Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit, & similes, Sed quæso quid hoc est de Deo disputare, si nescias, quid de te cogitet, aut constituat? Hoc vero est Deum sic concludere & abscondere, ut nusquam eum nec audias, nec videas. Verbum itaq; est, ex quo statuere possumus de voluntate Dei quid nobiscum gerat, quid ei placeat, quid velit, &c. Qui ad hanc cognitionem non veniunt, sunt Theologi haud multo meliores, quam asinus cytharœdus, Itaq; illam ignorantiam & fœdam inscitiam secuta sunt alia æque absurda, ut crederent se Deo placituros, si hunc aut alium ordinem vitæ monasticæ susciperent, Si hujus aut illius sancti patrocinium peregrinationibus compararent, &c. Hoc chaos infinitorum errorum & malorum sequitur, ubi non est Verbum & vera Dei notitia, quæ tantum ex Verbo sumi potest, Hoc amisso, nescitur quid Deo placeat aut displiceat, sequuntur igitur illa monstra idolatriæ, quæ in Papatu experti sumus.

Sophistarum cavillus de Deo & ejus voluntate. Voluntas Dei ex verbo cognoscitur.

Furtum, quod lege divina in 7. Præcepto prohibetur, judicatur parvum esse malum, si conferatur ad reliqua, ad cædem, libidines, seditionem &c. Sed tamen finge hoc præceptum non esse positum, quanta sequetur tempestas maximorum incommodorum? vita nostra erit similis furori luporum & ursorum, rapientium & vastantium quicquid possunt, aut, ut fœdius aliquid dicam, erit inter nos vita qualis porcorum est, qui cum ad cibum adhibentur, si possent singuli tantum vorare, quantum omnibus satis est, facerent, nulla habita ratione reliquorum. Quod igitur nostræ res in tuto sunt, & quanquam caveri pericula omnia non possunt, tamen quod non omnia nostra periclitantur, beneficium est 7. Præcepti.

Commoda seu beneficia ista.

Sed ascendamus ad majora, Qualis nam futura esset vita, si uxores nostræ non tutæ, non certi liberi essent, si magistratui liceret resistere? an non vitæ hæc esset perpetuus infernus? Quod igitur conjugia, quod Respub. & leges sunt, in quibus

tuto

tuto tranquillam agimus vitam, hæc omnia ſunt beneficia verbi Dei, quod in ſecunda tabula propoſitum eſt. Quid autem eſſet, ſi prima tabula non eſſet, ſi non eſſet Sabbatum, non Eccleſia, non locus, ubi doceretur Verbum, ſi non eſſet notitia Dei, ſi non invocatio, ſed ſinguli haberent ſuum Idolum ſeu Diabolum, quem adorarent? Hæc ſunt infinitò majora mala quam illa ſecundæ tabulæ, ſed minus reputantur quia ſunt ſpiritualia. Quod ſi haberemus oculos ſpiritus, & videremus quantum quotidie animarum per Papam, & Mahometen perdatur, pro quibus tamen Chriſti ſanguis fuſus eſt, longe gravius doleremus, quam ſi omni hora bonorum, imo etiam vitæ noſtræ periculo expectanda & ſubeunda eſſent.

Collatio commodorum ſecundæ & primæ tabulæ.

Debemus igitur lætari primum de illis exiguis bonis, quæ per ſecundam tabulam habemus, quod manet tutela rerum & corporum. Sunt enim exigua dona, ſi compares cum illis primæ tabulæ, quod Deus ſe revelat quid de nobis facturus ſit, quod dat Verbum, donat fidem & Spiritum, audit orationes, per Verbum quotidie Eccleſiam auget, &c. Hæc tanta ſunt, ut nulla lingua poſſint pro merito amplificari & ornari, quod animæ liberantur à Tyrannide Satanæ, & ſervatur pax cordis, bona conſcientia, pura Dei agnitio, per quam plures erudiuntur ad vitam æternam. In hæc David conjicit oculos, hæc ſecum perpendit, Itaq; movetur ad gratiarum actionem, quam affectus lætitiæ ei exprimit. Nam illi demum vere ſunt grati, qui exoſculantur dona Dei, & lætantur in donante, Alij, qui hanc lætitiam non ſentiunt, etſi hunc Pſalmum organis & ſymphonijs ornant, tamen ſunt & manent ingrati, neq; enim intelligunt hæc beneficia.

Dona ſpiritualia quæ Deus per verbum dat

Hæc ideo libentius commemoro, ut muniant ſe ſinguli contra ſummum vitium & caput omnium malorum in Eccleſia, nempe, contemptum Verbi aut faſtidium. Hoc enim eſt apoſtatare à Deo, ſicut Eccleſiaſticus dicit, Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo. Nam cum homines hoc morbo ſpiritus laborant, non eſt poſſibile, ut una cogitatio vera & pura de vita æterna, de remiſſione peccatorum, & ſpirituali vita poſſit exiſtere in animis. Videmus autē, proh dolor, hoc malo nihil eſſe communius in mundo, Nobilitas, quæ vocatur, quam ſecure Verbum & ejus miniſtros contemnit? Hos imitantur etiam ruſtici, pluris facientes numos ſuos, quam omnes concliones Evangelij. Hos ſpectare cogimur ſicut Lot Sodomitas ſuos, ſuperbe inſultantes, & ſecure facientes quicquid libebat.

Contemptui verbi fugiendus

Nobilitas verbum contemnit.

Lot Gen. 19.

Horribile eſt Davidem labi in adulterium & cædem, Sed quanto horribilius eſt hoc modo impingere in primam tabulam, ſicut Angeli impegerunt, qui ideo de cœlo præcipitati ſunt, David autem pœnituit & in viam redijt. Tanto autem plus periculi eſt omnibus pijs ab hoc malo, quanto facilior hic lapſus eſt. Ita enim tacite obrepit venenum hoc, ita illabitur ſenſim, ut pene effugiat ſenſum. In monaſterijs Acediam vocabant, cum quis ſomno indulgeret, & tardior veniret ad cultus, qui tum in templis erant, Nos ſi vocabulum Acediæ recte interpretari volumus, accommodabimus id proprie ad faſtidium & contemptum Verbi, cum Verbum auditur, docetur, diſcitur negligentius. Hoc vitium ſequuntur contrarij affectus ijs, qui in pijs ſunt. Sicut enim pij toto animo feruntur ad gloriam Dei amplificandam, ita hi infernali ardore accenduntur ad propagationem, tum dogmatum, tum cultuum impiorum, Sicut in ruſticis quoq; experimur, Hi enim affectum & cor quod ad Deum ſuum afferre debebant, afferunt ad Mammona, & cum ſumma voluptate verſantur in perditione & damnatione ſua. Ita quidem conjuncta hæc ſunt, ut qui hoc vitio occupati ſunt, ſimul in regno Diaboli ſint, & tamen ſint læti quoq;. Sed ſequetur tandem cataſtrophe, qualem hiſtoria Sodomitarum oſtendit.

Lapſus Angelorum.

Acedia.

Precabimur itaque Deum, ut nos à vitio hoc ſervet, & diſcemus hunc Pſalmum cum lætitia canere, & Deo gratias agere, & exultare de iſto inenarrabili dono, quod dedit nobis puram cognitionem ſui, in qua revelatur Chriſtus, victima pro peccatis noſtris, & certa ſpes vitæ æternæ. Hoc Verbum ruminemus & acuamus nobis, neq; unquam nobis videamur id ſatis exhauſiſſe, Habetur quidem abunde ſcriptum in Libris Latinis & Germanicis, adeo ut hæc Verbi vulgatio in pleriſq; faſtidium hoc

Verbum ruminandum & acuendum.

Digitized by Google

dium hoc excitaſſe videri poſſit, Sed profecto non eſt ſatis centies audiſſe & legiſſe millies, ſicut tandem experimur in periculis tentationum. Quare exhortemur nos ipſos contra hanc peſtem, Acediam, & excitemus nos ad laudatiſſimam virtutem, quæ vocatur reverentia Verbi. Neq; enim quieſcit Satan. Nunquam autem eſt inſtructior, quam cum nos faſtidio Verbi, & præſumptione ſcientiæ hujus impleri ſumus. Sed accedamus tandem ad Pſalmum. *Reverentia Verbi.*

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.

Similis ſententia eſt in Pſalm. 60. Deus locutus eſt in Sanctuario ſuo, Lætabor. Vterq; verſus habet comparationem cum alijs regnis in mundo ampliioribus & opulentioribus, Q. d. Ego ſum Rex, & habeo regnum parvum & infirmum, ſi cum vicinorum potentia compares, Sed hoc habeo, quod alij Reges & Regna omnia in mundo non habent, quod Deus in meo regno loquitur in Sanctuario ſuo. Ergo meum regnum, eſt Dei regnum, eſt regnum cœlorum, ideo lætor, &c. Ita in hoc loco, Lætatus ſum, Cur? Quia dictum eſt mihi, quod ingrediemur domũ Domini, hoc eſt, promiſſum eſt mihi, quod ſimus iſte populus, qui ingredietur domum Domini. Hoc an non exhilararet cor meum? Nam cum alias gentes inſpicio, video omnes ſine diſcrimine ire in domum Diaboli, & Idolorum templa, video non habere eos primæ tabulæ donum, nempe, verum Deum & certum ejus cultum, utcunq; habeant, natura duce, cognitionem aliquam ſecundæ tabulæ, certe de prima tabula plane nihil habent. Quid eſt autem ſecunda tabula ſine prima? Eſt enim brevis temporis ſecunda tabula, ceſſant parentes, ceſſant noſtra corpora, uxor, liberi, res familiaris, &c. Res autem primæ tabulæ, nempe, Deus, Verbum & cultus ejus non ceſſabunt. Habeo igitur ſatis cauſæ, ut gaudeam, quia promiſſionem habeo, quod iturus ſum cum meis in Domum Domini. *Psalm.* *Cauſa ſui Regni cum vicinorum potentia Regum.* *Res primæ tabulæ.*

Ita verba ſimpliciſſima & mire humilia ſunt, Sed ſi evolvas ea, apparet in eis ſumma majeſtas, quam quia Papiſtæ noſtri videre non poſſunt, ita oſcitanter canunt, legunt, & orant hunc Pſalmum & alios, ut nulla tam abſurda fabula ſit, quam non majore alacritate recitare, aut audire poſſe videantur. Itaq; evolvenda iſta ſunt, & ponenda in conſpectum fidelium. Nihil videtur magni dicere, cum dicit, *In domum Domini ibimus*, quia tantum cogitamus de lapidibus, lignis, & auro, cum audimus domum, Sed domus Domini longe aliud ſignificat, nempe, habere facultatem ſeu donum Verbi præſentis, & eſſe in loco, in quo licet audire, videre, invenire Deum præſentem, quia Verbum ejus & verus cultus ibi invenitur. Falſa igitur eſt definitio, quam Scholaſtici de templo afferunt, eſſe domum conſtructam ex lapidibus & lignis, ad honorem Dei. Hoc ne ipſi quidem intelligunt quid ſit. Neq; enim Salomonis templum ideo fuit pulchrum, quod erat ornatum auro & argento, ſed verus ornatus fuit, quod ibi audiebatur verbum Dei, quod Deus ibi invocabatur, & inveniebatur propitius, ſalvans, dans pacem, ignoſcens, &c. Hoc eſt recte inſpicere templum, non ſicut vacca fores ſui ſtabuli inſpicit, aut larvarum Epiſcopi inſpiciunt templa, cum ea conſecrant. *Domus Domini quid.* *Templum.*

Tenenda igitur hæc definitio eſt, quod habere domum Domini, idem ſit, ac ſi dicas, habere Davidem illam gratiam, & donum illud, ut ſciat, quo eundum ſit tempore neceſſitatis, quo eundum ſit cum optat audire & cognoſcere, quid Deus velit, quid cogitet de ſuo populo, &c. Templum enim locus fuit, in quo eſſe, invocari, orationes audire, coli deniq; Deus voluit, & alibi nuſquam per totum orbem terrarum. Hæc igitur ſunt digniſſima gaudio & lætitia, habere acceſſum ad Deum in tempore periculi, & audire conſolationem, qua dicit ſe eſſe Deum noſtrum, qui adjuvare, in periculis nos liberare, condonare peccata, ad extremum etiam vitam æternam donare velit. Pro hoc dono, inquit David, gratias Deo agimus, & lætamur, quod veniemus in iſtum locum, ubi illa omnia fiunt, & Deus operatur per Verbum, Verbum enim eſt ſolum, per quod Deum cognoſcimus, & Deus nobiſcum agit, Id Verbum apprehendit fides. *Habere domum Domini.*

Ita

Domus Domini complectitur primam & secundam tabulam.

Ita complectitur David vocabulo, domus Domini, primam tabulam, quæ nobis proponit Deum, nomen ejus & verbum, cui dicatum est Sabbatum, ut in eo ab alijs feriemur, & audiamus Deum nobiscum loquentem. Habita autem prima tabula, fiet, ut etiam habeas uxorem, parentes, tutelam corporis, Magistratum & omnia, secundum versum, Beatus vir qui timet Dominum. Hoc est ire in domum Domini, & ideo lætari, ac gratias agere. Est enim donum inæstimabile & incomprehensibile impijs, Pij autem illi soli sciunt, quid sit Verbum, & quid in Verbo habeant, At requirit id quoq; Deus, cum toties præcipit in Lege, ut populus conveniat, ut lætetur, ut epuletur coram Domino, ut exultet, scilicet, in suis donis, & lætetur quod sic obruitur quasi misericordia & beneficijs Dei. Huc etiam nos David exemplo suo vocat, ut cum reverentia, & quasi stupore quodam lætemur.

II.

Stantes erunt pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.

In secundo versu definitur eorum locus. Atrium.

Est eadem sententia, nisi quod hic locum definit, Ierusalem scilicet esse, cui sit donatum Verbum & præsentia Dei, Q. d. Ante in Ephraim fuit hoc donum, nunc autem est in meo regno. Appellatio Atrij, notum est unde sit sumpta, Habebat enim & Tabernaculum atrium, & Salomo in templo atria faciebat, in quibus consisteret Ecclesia seu populus, cum sacra fierent. Merito igitur prædicatur Ierusalem, quod sit sancta. Quia habitat in ea Dominus, Quia colligitur ibi populus ad audiendum verbum Dei, Quia sacerdotes ibi constituti sunt, qui autoritate divina benedicant Populo, sicut est benedictio Num. 6. in Mose. Quid igitur huic Ierusalem potest deesse, in qua locus, personæ, ritus, & Verbum sunt, divinitus donata ad salutem populi. In Papatu cum Verbum nusquam esset, vidimus quanto studio & conatu homines quæsiverint certas personas, signa, loca placandi Dei. Hinc instituta sunt non opera solum varia, sed etiam loca certa, ut peregrinationibus visitarent Romam, Hispanias, & nescio quæ alia loca. His signis nitebantur miseræ conscientiæ nihilo felicius, quam qui Euboicas seu nocturnas faces sequuntur in mari aut desertis locis. Nunc autem Dei gratia, scimus locum, personam, & signa esse parata, nempe Christum, qui Ecclesiæ suæ certa gratiæ Sacramenta constituit, Baptismum, & cœnam Domini. Habemus itaq; Deum loco & persona, & signis certissime descriptum, ubi omnia inveniuntur, quibus ad corporis & animæ salutem opus est. *Num. 6.*

Quanta in Papatu tenebræ omisso verbo.

Stantes pedes quid.

Quod Propheta utitur verbo, Stantes, significat perseverantiam seu durationem, quod Deus ista non tantum donare, sed etiam conservare & tueri velit, Vt sit antithesis contra hostes Verbi, qui Verbum conantur quidem opprimere, sed Dominus dat operarios, ut etiam nobis oppressis seu mortuis, Verbum maneat. Hoc enim solet fieri, quod proverbio dicitur, Vbicunq; Dominus erigit templum, ibi Satan erigit capellam (utar enim Germanica & usitata appellatione) Neq; enim pater mendacij & homicida potest aliud, quam ut persequatur Verbum. Ideo ostendit faces Euboicas, quales hodie sunt Anabaptistarum, Sacramentariorum, olim Arij, Manichæi, & aliorum dogmata, quæ à verbo abducunt ad proprias opiniones. Hic quid faciamus aliud, quam ut oremus ad Dominum, ut stantes faciat pedes nostros, ut pergat dilatare Verbum, etiam repugnantibus portis inferorum. Duplex enim hoc donum est, Primum, cum dat Verbum, Secundum, cum Verbum conservat & defendit contra Tyrannos & falsos Fratres. Postquam igitur Verbum nobis contigit hodie, addamus quoq; hanc precationem, ut Dominus perficiat, quod operatus est in nobis, ut sint pedes nostri stantes in atrijs, ubi est invenire Deum, & audire vocantem, docentem, consolantem, juvantem, &c. *Lib. 2.*

III.

Ierusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

Ædificari Ecclesiam, est operari, & tamen cessare.

Non possum non reprehendere Interpretem, quod adeo non curaverit sic reddere textum, ut intelligeretur. Sic enim reddenda erit sententia, *Ierusalem ædificatur, ut sit Civitas, in qua conveniatur, scilicet, ad cultum Dei.* Est autem expositio seu amplificatio proximi versus, Q. d. Ierusalem nomino, eam scilicet civitatem, quæ ædificatur,

Digitized by Google

tur, hoc est, quæ floret & crescit. Nam florente religione & verbo Dei, necesse est
Matth. 6. 1. Cor. 12. florere Rempub. quoq; secundum sententiam, Primum quærite regnum Dei, & omnia adjicientur vobis, Sic tamen, ut maneat etiam illud verum, quod Christus Paulo respondet, Virtus mea in infirmitate perficitur. Nam cum Mundus non cesset variis injurijs onerare Ecclesiam, fit tamen, ut quanto magis conentur adversarij destruere, tanto plus Verbum ædificet. Destruere igitur, vastare, & evellere Ecclesiam, nihil est aliud (si Dei consilium, & deinde eventum consideres) quam ædificare, plantare, rigare, augere Ecclesiam. Domitiani, Maximini, Decij, quanto conatu nitebantur nomen Christi delere? Sed Verbum & Ecclesia, sicut palma, quanto premebatur gravius, tanto indies majora incrementa sumebat, Sicut etiam figura populi Israel in Aegypto ostendit. Sic enim dicit Moses Exod. 1. Quanto eos Ægyptij
Domitiani Maximini.
Exod. 1. opprimebant magis, tanto magis multiplicabantur & crescebant. Sic insignis veteris Ecclesiæ sententia est, Sanguine martyrum rigari Ecclesiam. Ratio hujus mirabilis ædificationis & incrementi hæc est, Quod ubicunque fiditur Deo, & habetur Verbum, ibi necesse est esse victoriam, etiamsi Sancti vastentur, occidantur, & pereant, etiamsi ipse Deus videatur eos deseruisse, & simul cum Sanctis opprimi. Ita enim solet Deus, cum infirmissimus est, tum est potentissimus, & cum obruitur in suis, tum maxime in suis vivit, exaltatur, & minuendo crescit.

Ierusalem in medio hostium posita.

De tali ædificatione hic quoque David loquitur, quod etsi Ierusalem in medio tot hostium & religionum posita esset, tamen ibi vigeret Verbum & floreret religio. Quis igitur contra nos, cum Deus sic nobiscum sit? An hoc non est ædificari Ierusalem? ad quam Reges venerunt, sed transierunt, sicut dicit Psal. 48. nec
Psal. 48. potuerunt eam lædere. Nostra quoque experientia hodie didicimus, adversarios Verbi quanto plus fecerunt, tanto minus efficere contra Verbum, imo Verbum tanto propagari latius. Sic etsi Sectarij videantur Ecclesiæ multum nocere, tamen occasione eorum apud nos quotidie Verbum fit illustrius & purius. Sicut Augustinus dicit libro Confessionum 8. Improbatio hæreticorum facit eminere quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina. Nisi enim ita excitaremur & cogeremur quasi ad inspiciendos & exercendos thesauros nostros, ignavi sterteremus, & marcesceremus ocio, Sic hostis noster perpetuus Satan, cum assiduis tentationibus suis, quid aliud efficit, quam ut inquiramus Verbum studiosius, ut discamus orare, fidere, sperare. Vulgo dicitur, optimum condimentum esse famem. Igitur afflictiones Christianorum sunt quoque salus Ecclesiæ, crux & oppressio est exaltatio & triumphus Ecclesiæ. Faciant igitur hostes Ecclesiæ quicquid libet, certum est, quo plus opprimimur, eo magis erigimur. Christus enim Dux noster & Caput nostrum vere nulli malo cedit, habet enim infinitam potentiam, qua dejectos erigit, mortuos vivificat, oppressos facit, ut opprimant. Quia enim Deus est, hoc ejus proprium est officium, ex nihilo facere omnia, & ex eo quod est, facere nihil.

Quanto magis verbum opprimitur, tanto magis crescit. Augustini dictum.

Satan perpetuus Ecclesiæ hostis.

Officium Dei proprium.

Ad hunc modum prædicatur hic Ierusalem. Hoc enim est donum super omnia dona, relinquere certum locum, personam, signum, sonum certum Divinitatis præsentis, ne in nostro arbitrio sit, quærere locum, personam, signum, &c. Hoc enim cum fit, ut nos statuamus, Deum recte hoc loco & cultu inveniri ac coli, actum est, Sed cum ipse venit & dicit, Hæc est requies mea, hic habitabo, hic loquar, hic erit Verbum meum & Spiritus meus, Tum omnia salva sunt, tum in speciem levissima quoq; opera, sunt præstantiora omnibus thesauris mundi, tum circumcisio pudendi membri, est gratissimus cultus, levare de terra stipulam, si Deus verbo jubeat, majus & excellentius opus, Deo quoq; gratior cultus est, quam omnia omnium Monachorum & totius Papatus opera, sine verbo Dei suscepta.

Donum super omnia dona, religiones & cultus Dei verbo constitutos esse.

Verbum Dei commendat omnia.

Hanc sapientiam gentes non habuerunt, Ideo facile eis fuit contemnere Ierusalem, & cum viderent certis temporibus anni ad eam concurrere Iudæos, dicere, Cur illo potius, quam ad alias civitates currerent. Sicut Naaman Syrus, putabat initio Damasci aquas nihilo deteriores esse Iordane, Sed de ijs non habebat vocem

Naaman Syrus, 4. Reg. 5.

Digitized

Domini, ut in eis lavarat contra lepram. Sic Baptiſmi aquam prophani homines judicant nihil differre, ab alia aqua. Sic quidam noſtro tempore eloquentia & doctrina præſtantes, omnes ceremonias ridebant, non ex ſacris literis, ſed Lucianico more & ex ſtulticia cordis ſui, interrogati cur id facerent, nihil afferebant melius quam quod Cato dicit, Si Deus eſt animus, ergo eſt pura mente colendus. Inde aſſuebant non ſolum indoctum ſed etiam impium hoc conſequens, Ergo Deus non colitur externis rebus. Hoc ſane non eſt evertere traditiones, quod tamen conabantur ſapientes iſti, Sed præbere occaſionem infinitis ſuperſtitionibus, erroribus & impietatibus, ut tandem non ſolum traditiones iſtæ pontificiæ, Sed etiam Chriſti verbo inſtitutæ ordinationes, rideantur, aut ſaltem non tanti fiant, quanti debebant à nobis fieri, Sicut haud ſcio an non & Anabaptiſtis & Sacramentarijs hujuſmodi imprudenter dicta, occaſionem dederint, contemnendi Baptiſmi, & multorum aliorum errorum excogitandorum.

Verum eſt idem Catonis dictum, cæteris paribus, Sed dic tu mihi, ubi eſt ea pura mens, de qua dicit? aut quid ea eſt? Hic alius moderationem affectuum, alius imaginationes de Deo ſeu ſpeculationes, alij alia reſpondent. Ergo nihil hoc eſt dicere, externis Deus non vult coli, Sed qui impias ac ſtultas traditiones, ſeu ceremonias volunt evertere, oportet ut veniant pulchre inſtructi verbo Dei, & ut Verbi inprimis rationem habeant. Qui verbum non conſiderat, neceſſe eſt ut præferat Romam tanquam potentiorem urbem, Ieroſolymis. Neceſſe eſt ut ſtatuat Græcos ſapientiores eſſe barbaris Iudæis, ſic enim eos cenſebant Gentes. Sed quid quod Roma quantumvis potens caret Verbo & promiſſionibus Dei? Quid quod Græci cum alijs Gentibus, quæ ſapientiæ laudem habent, etiam carent Verbo & promiſſionibus Dei? Ergo pura mens, quam cogitant & de qua diſputant illi, ergo religio, & omnia quæ habent, ſunt prophana, quia ſunt ſine verbo Dei.

Sic Papatus non poteſt everti, in aqua benedicta & ſale benedicto, ſicut ſapientes illi putabant, qui nihil aliud poterant afferre, quam ſalem eſſe ſalem, aquam eſſe aquam, Ergo nihil poſſe facere ad benedictionem animi, Item raſuram in monacho eſſe raſuram capitis, ergo ad pietatem nihil poſſe facere. Hoc eſt ridere monachatum, & benedictionem illam Papatus, ſed non tollere. Sic autem tolluntur iſta, cum quæro, ubi ſit promiſſio Dei, raſuræ, ſali illi, & aquæ additæ? Vbi ſit quod David dicit, Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi? Oportet enim, ut habeas dicentem de cœlo, hoc eſt, jubentem & promittentem Deum, hunc ſi non habes, fruſtra eſt quidquid tu inſtituis. In oculis tuis habet ſpeciem ſic radi, habet ſpeciem ſali & aquæ benedici, Sed tu non es, de quo Scriptura dicit, Ipſe dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt. Sic Iudæorum ſacerdos habebat veſtitum ſuum, Gentium ſacerdotes fortaſſe veſtierunt aut ſplendidius aut ſimplicius. Hic non refert, quid ratio judicet, Sed hoc conſiderandum eſt, quod Iudæi divino mandato veſtiunt ſacerdotem ſuum, Gentes non verbum Dei, ſed ſuam rationem ſequuntur. Sic Papatus fere nihil eſt quam nugæ illæ ungendorum ſacerdotum (ſicut ipſi vocant, cum in novo Teſtamento id nomen nemini niſi uni Chriſto tribuatur) veſtium, templorum, vaſorum, Vngebantur autem in lege quoque ſacerdotes, veſtes, templum, vaſa templi, Sed noſtri ungunt ſine mandato Dei, illi faciebant cum mandato. Hinc Iudæorum unctio fuit in conſpectu totius Eccleſiæ & Angelorum, præſtantiſſima res, cum pontificiæ iſtæ unctiones quovis ſtercore & oleto, in oculis Dei & Eccleſiæ fœdiores ſint.

Ergo non ita ſimpliciter pronunciandum eſt, Deus exterius non colitur, nec ideo omnia ridenda ſunt in cultu Dei, quæ externa ſunt. Cum enim Deus de feſtuca loquitur, tantum momenti ad feſtucam affert Verbum, ac ſi de ſole ipſo loqueretur. Prophanus itaq; ſermo eſt, aquam Baptiſmi tantum dicere eſſe aquam, cum aqua Baptiſmi habeat additum Verbum, & ſimilis ſit ferro candenti ſeu ignito, quod ſicut revera ferrum eſt, ita etiam revera eſt ignis, & omnia facit, quæ ignis ſolet. Sed Verbum in aqua vident & norunt ſoli pij, vacca aut canis tantum aquam, videt,

Digitized by Google

videt. Hos caninos & vaccinos oculos ad ſacra afferunt tales diſputatores, qui de ceremonijs tantum judicant, ut eas vident, non etiam aures afferunt, ut audiant, an habeant promiſſionem aut mandatum Dei.

Prædicat igitur David ſuam Ieruſalem. Si muros & alia ædificia ſpectes, Roma longe nobilior & dignior eſt, ad quam ſpectandam homines confluant. Sed ſi Verbum ſpectes, videbis illam Ieruſalem terrenam eſſe poſitam in gremio Dei, & omnes ejus lapides omni auro & gemmis eſſe precioſiores. Sic ſi ſequaris oculos, Mariam gravidam eſſe, & uterum geſta re vides, ſicut alias juvenculas fœminas, Quid enim aliud oculi judicarent? Sed cum Verbum ſequeris, quod dicit, ex Spiritu ſancto eſſe gravidam, & habere in utero Filium Dei, per quem cœlum & terra condita ſunt, An non hic ingens diſcrimen oſtenditur, inter Mariam gravidam, & alias mulierculas gravidas? Hic omnia ſunt humana, iſtic autem omnia divina ſunt, & recte dicitur jam Maria ſanctificatum templum Dei, in quo ipſe Deus habitat corporaliter, uterus & latera ejus recte dicuntur cœleſtia latera eſſe. Sic inter Eccleſiam & Gentes etiam ingens diſcrimen eſt, non ſane quod attinet ad externam ſpeciem (nam ſecundum eam forte præferas gentes) ſed Eccleſia habet Verbum, ſecundum id judicandum eſt, cum baptizat, cum docet, cum cœnam Domini diſtribuit, cum conſolatur, objurgat, abſolvit, excommunicat, &c. Gentes de ſua religione & omnibus operibus ſuis. Verbum non habent.

Roma. Ieruſalem.

Maria gravida &c.

Eccleſia.

Sic Ieruſalem ſuam laudat, quod ædificatur primum ſpiritualiter, quia ibi eſt Regnum & ſacerdotium, Verbum & cultus Dei, Deinde etiam corporaliter, quod habet muros & domos, pacem, leges, &c. Se ded hoc principaliter non loquitur, Ideo addit, *Ædificatur ut civitas, in participationem omnium ſimul*, hoc eſt, ut conveniant ibi homines ad cultum Dei, Neq; enim fuit locus in toto mundo, nec in illo populo ſancto locus eſt, in quo oportuit Populum congregari ad cultum Dei, quam in illo uno loco, in Ieruſalem, idq; non autoritate humana, ſed divina, Deo ipſo ſic jubente & ordinante. Eſt enim quaſi expoſitio illius in Deutero. Vbi fecero memoriam nominis mei, Q. d. Ille locus eſt Ieruſalem, in quo oportet congregari populum Dei, ubi Deus ſedet, quo confluunt omnes in omnibus neceſſitatibus invocaturi eum, aduturi eum, ſacrificaturi ei, &c. Hinc vides unde ſit, quod etiam alijs in locis orantes tamen ora verterunt Ieruſalem verſus, quia noverant illum locum ad id electum, ut Deus ibi audiret preces ſuorum. Hæc eſt gloria hujus loci, cui nulla mundi gloria potuit par eſſe. Ideo in Matthæo ſancta dicitur, & hic tam magnifice prædicatur à Davide, quanquam propter peccatum poſtea à gentibus prophanata ſit. Sed cur congregantur ibi populi?

Ieruſalem ædificatur ſpiritualiter & corporaliter.

Exod. 20.

Daniel. 9.

Ieruſalem civitas ſancta.

Illuc enim aſcendent tribus Domini, in teſtimonium Iſraeli, & ad confitendum nomini Domini. IIII.

Quia res de quibus Propheta dicit, abſconditæ ſunt à judicio rationis, ideo Latinus interpres non potuit eas clare reddere. Eſt autem plane eadem ſententia cum eo, quod in Exod. eſt, Vbi ego memoriã nominis mei fecero, ibi ad te veniam. Significat autem memoria totum cultum cum Verbo, hoc eſt, prædicationem Promiſſionum & Legis, exercitium Sacerdotum, non in ſacrificijs tantum legalibus, ſed in ſummo ſacrificio prædicationis nominis Dei, in quo proponebantur conditiones ſpirituales de victoria Mortis & peccati, & temporales de regno & politia. Hæc dona prædicat, cum de aſcendendo dicit, Ac facit antitheſin, Cæteræ civitates poſſunt florere opibus & potentia, magis quam mea Ieruſalem. Sed hæc eſt, ad quam aſcendunt Tribus, non ſimpliciter, ſicut etiam in alijs populis poſſunt eſſe tribus, ſed Domini tribus, quas ipſe Dominus delegit, ut eſſent ſuus populus, & ipſe eorum Deus, præ reliquis populis in univerſa terra. Porro non excludit hic Proſelytos, qui ſe ex Gentibus aſſociaverunt huic populo. Dicit enim ſimpliciter de aſcendentibus ad audiendum Verbum, & invocandum Deum, ſicut oſtendunt quæ ſequuntur.

Memoria nominis Dei.

Tribus Domini.

Proſelyti.

Præcipui cultus Dei, prædicare Verbum & orare.

In teſtimonium Iſraeli, & ad confitendum nomini Domini. Hæc duo nihil aliud ſignificant, quam quod ſit locus in Ieruſalem divinitus deſignatus, ubi doceatur Verbum & oretur. Erant autem hæc aureis literis ſcribenda, quod David non de alijs cultibus Dei dicit, quam de hiſce duobus. Non dicit templum ad id divinitus deſignatum, ut ibi mactentur victimæ, ut ibi offeratur incenſum, ut oblationes & libamina fiant, ut ſinguli donis ſuis ſe oſtendant Deo gratos eſſe, Horum nihil meminit, quanquam in ſolo templo ut fierent præcepta erant, Tantum meminit prædicationis & gratiarum actionis. Hoc ſine dubio à Sacrificulis tanquam nocentiſſima hæreſis, in hoc populo damnatum eſt, non aliter loqui de cultu Dei. Sicut noſtri Papiſtæ non pollunt ferre, cum docemus, extructiones templorum, anathomata, ornatum auri & argenti, non eſſe cultus Dei. Itaque ſi David de noſtris templis ſic hodie concionaretur, ſicut tamen de ſuo templo facit, damnaretur & cremaretur ſicut hæreticus, quod pompam illam omnem tabernaculi, omnes externos cultus ſic negligit, ac ſi non videat, & quanquam non reprehendit, tamen pronuntiat hoc religionis eſſe caput, audire & invocare Deum. De Papiſtis noſtris certum eſt, quod monaſteria & alia templa non ideo ædificant, nec ædificari docuerunt, ut iſtic verbum Dei audiretur. Præcipuum fuit, ut ibi miſſaretur, & ipſi congregarent magnas opes, dum irritant oculos ornatu iſto magnifico, de quo Daniel videtur prophetaſſe, cum in 11. dicit, Colet Deum ſuum Moaſim in auro & argento.

Summus cultus audire & invocare Deum.

Dan. 11.

Ornatus templorum.

Poſſunt quidem templa ornari honeſte, ſed debet ea res habere modum. Hoc autem præcipuum eſt, quod David de ſuo tabernaculo prædicat, & nos in noſtris templis præcipue debemus ſpectare, quod tribus aſcendunt ad teſtificandum Iſraeli, hoc eſt, ad docendum & audiendum verbum Dei. Habent enim Ebræi multa verba, quibus ſignificatur miniſterium docendi, ſeu doctrina, Sicut etiam multa verba habent, quæ iraſci & gaudere ſignificant. Eloqui, promittere, confiteri, ſedere, judicare, teſtificari, docere, hæc omnia fere ſignificant idem, quod nobis, Verbum prædicare ſeu concionari, At Verbum teſtificandi, habet pulchram etymologiam. Nam Doctores ſunt quaſi teſtes populo rei incognitæ, quæ non videtur nec ſentitur, ſed tantum creditur, Deinde teſtes etiam ſunt qui audiunt Verbum, nam dum audiunt, teſtificantur contra Diabolum & regnum mundi, contra Peccatum & mortem, deinde etiam contra ſeditioſos, adulteros, homicidas, Fratres falſos, &c. pro gloria Dei, pro regno Dei, pro pace, obedientia, caſtitate, charitate, &c. Deus enim eſt inviſibilis. Dum igitur audiuntur qui docent, Deus auditur. Neq; enim poteſt audiri, niſi per teſtes, & ſicut Paulus appellat, legatos ſuos. Sic enim dicit, Legatione Dei fungimur. Sic res de qua in Eccleſia docentur homines, etiam eſt inviſibilis & abſens, ergo ſolo teſtimonio Verbi apprehenditur. Sic totum Evangelium eſt teſtimonium, loquitur de perſona & rebus abſentibus, & eſt fidei prædicatio. Hæc propter rudiores dico de vocabulo teſtificandi.

Teſtificari quid

Doctores ſunt teſtes.

Auditores etiam teſtes ſunt.

2. Cor. 5.

Teſtimonium Iſraeli.

Hoc igitur eſt, quod David gloriatur ſuam Ieruſalem in hoc ædificatam eſſe, ut prædicetur ibi Verbum fidei, ut doceantur homines de voluntate Dei, ut ſciant quid Deus cogitet facere cum ſuis, quomodo minetur impœnitentibus impijs. Hanc prædicationem vocat teſtimonium Iſraelis, hoc eſt, tale teſtimonium, quod prædicatur populo Iſraelitico iſtic congregato. Diſtinguit enim hunc populum ab omnibus alijs gentibus, ſicut in alio Pſalmo, ubi dicit, Non fecit taliter omni Nationi. Ergo nos quoq; hoc beneficium agnoſcere, & ſummi boni loco habere debemus, quod in noſtra VVittemberga & alijs locis, ſicut tum in Ieruſalem, docetur verbum Dei pure, quod audiuntur promiſſiones Dei, quarum ſpe & fiducia nituntur pij. Item minæ, quibus impij vocantur ad pœnitentiam, pij autem retinentur in timore Dei, & mortificatione veteris hominis, adjuvante eos Spiritu ſancto, quem per & propter Chriſtum effundit Pater in eos, qui teſtimonium hoc accipiunt.

Psal. 147

Docere, audire verbum pars unus veri cultus

Hæc eſt una pars veri cultus Dei, ut diſcamus quæ ſit potiſſima ratio ſervi-endi Deo, & præſtandi Deo eum cultum, quo maxime delectatur, nempe, docere verbum Dei, & audire Deum per teſtes ſuos. Atq; hæc etiam eſt cauſa, cur

Diabolus

Diabolus nihil æque cupiat impedire,quam prædicationem Verbi,& auditum Ver-
Ps. 120. bi. Ideo excitat, ſicut in 120. Pſalmo audivimus, Labia iniqua & linguas doloſas, Commovet Mundum,ut gladio & vi conetur opprimere pios,tandem apud & contra nos ipſos,contemptu & faſtidio hunc cultum conatur abolere,ubi econtra æquo animo patitur ædificari templa, & ornari. Scit enim non infringi talibus vires & potentiam ſuam,Sed cum prædicatur de vita æterna, remiſſione peccatorum, & juſticia per Chriſtum nobis donata,hæc doctrina deſtruit regnum ejus.Itaq; tantopere ſævit,& omnia conatur,quæ putat impedire poſſe curſum Verbi.

Confiteri nomini Domini ſeu gratiarum actio altera pars cultus divini.

Altera pars cultus Dei,eſt Confiteri nomini Domini. Hoc activum eſt,illud paſſivum. Primum enim eſt accipere Verbum,ſeu doceri Verbo,Hoc etſi in mundo contemnitur, tamen Deus tanti fecit,ut vaſa omnia, & ratio veſtiendi tota,quæ in lege & Templo fuit, hujus miniſterij eſſent figuræ quædam & typi. Poſt hæc proximum eſt,cum Verbum audivimus, ut etiam Deo agamus gratias. Hunc cultum ſecundum facit David, cum prædicat ſuam Ieruſalem. Atque hic iterum memineris, eum tacere de ſacrificijs & mactationibus,Non quidem, ut ante dixi, reprehendit ea, ſed habet Spiritum diſtinctionis, & reliqua omnia æſtimat tanquam paleas aut teſtas, & prædicat Smaragdos hos,Verbum & ejus fructum, gratiarum actionem. Quod ſi mactationem taurorum & ſimilia nominaſſet,non fuiſſet ea ſingulorum facultas,ut hoc genere officij Deo poſſent ſervire. Itaque hoc exigit, quod omnes habent & poſſunt ſine magnis ſumptibus.& tamen pauciſſimi faciunt. Ædificationem templi per Salomonem futuram non damnabat, ſed optabat maxime, Hic autem cauſam vides cur optarit,ut ſcilicet primum ibi doceretur Verbum,deinde ut Deus ibi acciperet noſtras orationes, gratiarum actiones & laudes, de acceptis beneficijs.

Quare dicat ad confitendum nomini Domini.

Sed cur utitur hac figura docendi,ut potius dicat, *Ad confitendum nomini Domini*, quam, ad confitendum Domino? Ideo quia nihil ibi habebant, quam nomen Domini, & nudum verbum. Deus non videbatur perſonaliter, ſed fecerat ibi memoriam ſui nominis, Verbo, & promiſſione, unde etiam appellabatur Domus Domini, quod Deus verbo ſuo teſtatus erat, ſe ibi habitaturum eſſe. Ad hunc modum in novo Teſtamento Baptiſmus recte dicitur baptiſmus, ſeu aqua Domini, quia habet additum verbum Domini, quod Deus ibi eſſe & efficax eſſe velit. Sic vocale verbum recte appellatur verbum Domini, licet ab homine pronuntiatur, quia Dominus promittit ſe velle cum Verbo eſſe, & per id operari. Ita definit David præcipuos & ſummos Dei cultus eſſe, docere ac audire Verbum, & pro eo agere gratias.

Opera ſecunda tabulæ.

Poſt hæc ſequuntur etiam opera ſecundæ tabulæ, ut egentes ſinguli pro ſua facultate juvent, ut inprimis opibus ſuis potentes ad hoc utantur,ut miniſtri Eccleſiarum vacare miniſterio poſſint.Hæc opera poſtea etiam ſuas promiſſiones habent,
Sarah. 25. quod Dominus dicit, Quicquid minimo inter ſuos fecerimus, hoc ſibi fieri, & Prophetæ mercedem habiturum,qui Propheram acceperit benigne. Contra judicium impiorum ideo gravius erit, quia omnia ipſorum faciunt ad oppreſſionem Verbi. Ad hunc modum diligenter diſcernendi ſunt cultus, ſeu partes religionis principales,à minus principalibus,ut in ordine & loco ſuo proprio ſingula collocentur.Hoc enim eſt pure & recte docere, & non confundere omnia, ſicut indocti atque impij Papiſtæ faciunt.

Hactenus donum datis Verbi prædicavit, ergo pro eo gratias agit, tum ab ejus contemptu deterret.

Hactenus audivimus,quomodo Propheta celebret inenarrabile donum & beneficium Dei, Verbum ſcilicet,& pro eo agat gratias. Hoc enim demum eſt donum, quod agnoſcitur & ſcitur eſſe donum Dei. Totus mundus, ſicut videmus, abundat, & quotidie fruitur beneficijs Dei uſq; ad ſatietatem,& tamen manet hæc cæcitas in cordibus,quod non credunt eſſe dona Dei. Itaq; non aliter ijs fruitur mundus,quam porci cibo & potu. David autem videt ſibi donatum eſſe Regnum, in quo floret purum Verbum, & religio pura.Hoc donum intelligit, Ideo ſic lætatur,& prædicat ſuam Ieruſalem, quod ſit civitas congregationis, hoc eſt, locus divinitus ad id de-

id designatus,ut istuc homines conveniant ad audiendum verbum Dei, & agendas Deo gratias, extra quem locum Deus non possit inveniri. Nam gentes non quidem hoc voluerunt ut falsis dijs seu idolis servirent, sed cum Verbum Dei & hunc auditum, de quo David hic loquitur, non haberent, non potuerunt Deum invenire. Hinc facile intelligitur quam horribile peccatum sit, contemnere aut fastidire Verbum. Superat enim omnes Thyestes, & quicquid in omnibus Tragœdijs horribile est, quod homo tam nihili & infirma creatura, in eam superbiam extollitur, ut cum loquatur majestas divina, & nos amicissime ad audiendum invitet, tamen audire nolit. Et tamen videmus hoc peccato nihil esse vulgarius, inter omnes hominum ordines.

Contemnere & fastidire verbum summum peccatum.

Causa contemptus verbi.

Fit autem hoc propter larvam illam, quod Deus amplius non loquitur in majestate, sicut semel locutus est in monte Sina, ubi examinabantur homines terrore, & tamen quantulum intervallum erat, cum obliti Domini, contra ipsum & Mosen murmurarent. In hac majestate non loquitur amplius, sed loquitur per Doctorem, per Patrem, Fratrem, Præceptorem, itaque contemnitur. Quod igitur Sodoma igni cœlitus immisso conflagratũt, horribile est, Quod totus mundus Diluvio interierit, etiam horribile est, illa quotidiana scelerum exempla, ut sunt parricidia, sine ingenti animi perculsione, ne quidem audiri possunt, Sed utcunque hæc omnia sint, gravius & horribilius hoc est, contemnere Deum nobiscum loquentem, id quod fere totus Mundus facit, non ij tantum, qui persequuntur Verbum manifesta vi, sed etiam qui inter nos sunt, & initio magno applausu exceperunt hanc doctrinam. Quotus enim quisq; est, qui non plus operæ impendit in stultissimas fabellas, quam in sacras conciones? In studium pecuniæ, quam in studium Verbi?

Sodoma, Gen. 19.

Summa hujus Psalmi.

Hortatur itaq; nos David hoc Psalmo ad gratitudinem & agnoscendum hoc beneficium summum, & dehortatur ut caveamus à contemptu Dei. Quanquam autem nemo est, qui hoc nomen habere velit, quod sit contemptor Dei, Tamen certum est, contemptores Dei esse omnes, qui verbum Dei contemnunt seu religionem, Qui nostro seculo turbant Ecclesias novis dogmatibus, pleno ore jactant se quærere gloriam Dei, sed sunt omnes in hoc peccato. Pluris enim faciunt suas cogitationes, quam verbum Dei. Quanto autem optabilius est, ferre Pestem, famem, gladium, quanto etiam est tolerabilius Davidem homicidam fieri & adulterum, modo maneat reverentia erga Verbum, quam pœnitentia necessario secum affert, quam eo prolabi, ut verbum contemnatur? Hæc enim est ira super iram, sicut econtra gratia super gratiam est, cum Davide habere Verbum, & agnoscere quantum sit donum.

Contemptores Dei.

Reverentia erga Verbum.

Querela de contemptu Verbi

Nunc quidem magna copia obtruditur Verbum mundo, docetur in templis, scribitur in libris, proponitur in Psalmis & canticis, etiam in parietibus pingitur, Sed quid fit? Magistratus occupatur alijs, & ridet hanc nostram solicitam curam propagandi Verbi, maxima pars Principum & Regum impie persequuntur & execrantur, cives negligunt, rustici magis amant loachimicos numos, quam omnes conciones & Pastores, nos ipsi denique stertimus. Hæc an putas Deo placere posse? Post cum premimur à Turcis, cum annonæ caritas aut bellorum metus est, queru-
lamur. Sunt sane satis magna mala, quibus hodie premitur mundus. Sed quid sunt ad hoc quod crucifigis Dei Filium, & conspuis Salvatorem tuum securissimo animo? Quid enim aliud est verbum Dei quod propter salutem tuam revelatur & offertur, irreligiose accipere, & præferre pacem, pecuniam, & alia levissima hujus vitæ commoda? Hoc qui faciunt, & tamen securo animo tantum peccatum negligunt, negligant etiam pœnam, quod vastantur à Turca, spoliantur & occiduntur, Sed hoc non facimus, nostra pericula valde amplificamus, Cur igitur non etiam amplificamus pericula regni Dei? Cur non etiam ploramus in contemptu Verbi, sicut ploramus ob Turcæ tyrannidem? Nam hoc definitum est, ut peccata ferant stipendium suum, Mortem & alias pœnas, quas Deus infligit. Sic Paulus, Noluerunt verbum veritatis, igitur immisit Deus in eos vehementes errores, qui magna vi hominum animos

Pœnæ certe sequuntur contemptum Verbi.

2. Thess. 2.

Digitized by G

animos dementant. Item Psalmus, Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis.

Psal. 109. Ut summatim igitur dicam quod res est, Sicut est summa lætitia & summum bonum audire & nosse Deum loquentem nobiscum, annuntiantem Gratiam & pacem, Ita nihil tristius, nihil pejus est, quam videre contemptum Verbi, quam Deum, cupientem nobiscum loqui, aversari, & conspuere tanquam stercus. Nullus homo potest ferre tantum contemptum sui, quantum Deus fert quotidie. Est enim patiens, & expectat conversionem seu pœnitentiam, sed tandem punit gravissime, sicut exemplo est ruina Synagogæ, & excidium Ierosolymorum. Aperte enim Christus hanc causam tantorum malorum indicat, quod non agnoscat tempus visitationis suæ. Discamus igitur nos, hisce exemplis moniti, summum esse donum, audire Deum loquentem, & nobiscum, tanquam cum filijs matrem, suaviter confabulantem. Hoc enim prædicat David, cum commemorat de tribubus ascendentibus, ubi testificatur Israëli, hoc est, ubi Verbum docetur, & hi, qui id audiunt, addunt Amen, ac Deo gratias agunt. Hæc est civitas, quæ ornanda erat Smaragdis, hic est populus, de quo dicit Christus, Beati sunt qui audiunt verbum Dei, & custodiunt id in bono corde, Hic est regnum cœlorum, hic paradisus, hic apertæ januæ cœli. Nunc sequitur,

Contemptus Verbi, nihil majus malum potest.

Quia illic sedent sedes in judicio, sedes domus David. V.

4. Reg. 2. Augustinum torsit Ebraismus, sicut satis ridicule dicitur ipsas sedes seu sellas sedere, Sed usitata figura est, ut dicant, sedere pro manere, Sicut 4. Reg. 2. dicit Elias ad Elisæum, Sede hic, id est, mane hic. Poterat igitur Latine verti, *Istic sunt, manent, inveniuntur sedes ad judicandum*, hoc est, Dominus benedixit huic loco, ut ibi sint judices. Hoc potest intelligi simul de politia & Ecclesia, quanquam principaliter de Ecclesia dicit. Est autem usitata phrasis, ut judicare usurpent pro docere. Sententia igitur est, Hæc est gloria hujus populi, quod in ista Civitate invenitur cathedra seu sedes, in qua docetur verbum Dei, instituunturconscientiæ, reguntur homines Verbo ad salutem. Sic Psalmo primo, impij non stabunt in judicio, hoc est, non perseverant in doctrina fidei, sed fingunt sibi suas opiniones, ideo dissipantur ficut paleæ. Puto autem Ebraica consuetudine adhuc hodie usurpari appellationes illas, sedes Romana, Moguntina, Trevirensis, &c. Ac sane fuerunt in his locis sedes Domini, Nunc propter impiam doctrinam & idolatriam, sunt sedes Satanæ & cathedræ pestilentiæ.

Sedere. *Judicare. Sententia hujus loci.* *Impij non stabunt in judicio, Psal. 1.* *Sedes Romana*

Hæc igitur genuina sententia est. In hoc loco impletum est verbum Domini, promittentis facturum se memoriam nominis sui. Hic enim est, hic habitat Deus. Itaque est hic vita, salus, remissio peccatorum, justicia extincta & abolita tyrannis Satanæ, &c. Hæc enim omnia dicit, cum vocat sedes judicij, hoc est, administrationem veritatis, ministerium fidei, vocem majestatis divinæ, cum populo suo loquentis, &c. Nam, sicut dixi, judicium significat puram doctrinam, quæ de gratia Dei, de bonis operibus, de magistratu, de legibus civilibus recte docet homines. Hæc ubi est, ibi sunt sedes judicij, Sicut hodie de nostra VVittemberga etiam gloriari possumus, propter sanam doctrinam, qua homines recte docentur ex Verbo, de Iusticia, de peccato, de gratia, de fide, de obedientia parentum, &c. Hæc doctrina est ceu sol, quo illuminantur Ecclesiæ. Contra, ubi Verbum non est, ibi sunt sedes iniquitatis & Satanæ. Verbum enim constituit & facit sedem, non fit à sede, sicut Pontifices impie disputant.

Sedes judicij. Judicium quid. *Sedes Satanæ.*

Quod autem repetit, Sedes domus David, hæc causa est, quod respicit ad promissionem Davidi factam, quod sedes tabernaculi seu Templum, à Filio ejus in Ierusalem sit ædificandum, ubi judicabitur, hoc est, conscientiæ consolabuntur, terrebuntur, instituentur verbo Dei. Hæc sunt, quæ tantopere prædicat David. Quod autem in mundo tanti non fiunt, sed contempta hæc sunt, ratio est, quia non habemus tales oculos, quales David habuit, alioqui fieret, ut sicut nunc rustici pastores suos tantum non pedibus conculcant, ita cum summa reverentia eos adorarent.

Sedes domus. David propter promissionem Davidi sedem addit.

An non enim ſuſpiciendus & colendus eſt Frater, per cujus os Deus tibi loquitur,& te vocat ad æterna bona? Sed homines hæc non conſiderant,magis admirantur numos,& ſplendorem mundi, quam iſtos radios divini luminis & pulcherrimas ſtellas,ſicut Daniel appellat.Nos autem decet diſſimiles eſſe mundi, & agnoſcere cum Davide hæc dona,& orare,ut Deus potius Peſte,fame,gladio, ſeu bellis nos affligat, quam ut ſinat in talem contemptum Verbi & miniſtrorum ejus nos prolabi,qualem in præſenti mundo experimur & patimur. Dan. 11.

VI. *Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, Abundent qui te diligunt.*

Hortatur ad orandum pro conſervatione Ieruſalem.

Vidit David primum in ſpiritu illum horribilem contemptum Verbi, ſeu miniſterij, Deinde etiam hoc vidit, gloriam hujus doni non poſſe conſervari humana virtute aut diligentia, Ideo convertitur ad excitandos animos ad orationem, pro conſervatione hujus doni,Q. d. Eſt quidem hic ſedes divini judicij,ſed quam pauci ſunt,qui eam merito honore, & favore proſequuntur, major pars mundi odit, & everſam eam cupit.Itaq; ſaltem vos, puſillum gregem hortor, ut vos faveatis,ut rogetis ac precemini ei pacem, ut pacifice & amanter eam ſalutetis, & dicatis, Benedicat te Deus ex Sion, &c. Hoc enim eſt rogare, quæ ad pacem ſunt, optare, ut Satan curſum & fructum verbi non impediat.

Rogare quæ ad pacem ſunt quid.

Cauſa exhortationis.

Cauſa exhortationis hujus hæc eſt, quia florente hac civitate,habetis Deum loquentem, ſalvantem,dantem victoriã contra omnes Satanæ conatus, contra peccatum,pavorem conſcientiæ,&c. Quis igitur pro his donis conſervandis non oret? Et tamen experitur David Reges Syriæ,Ægypti,Ammonitas, & alios vicinos populos,nullam peſtem ſic odiſſe, ſicut Ieruſalem, & cultum Dei,qui in Ieruſalem fuit.

Orat igitur & optat,ut omnes habeant tales oculos quales ipſe habebat.Sicut nos hodie ſummis conatibus hortamur Pontifices & Epiſcopos, quoniam Eccleſiæ bona habent, ut ijs uti velint ad propagationem veri cultus & Verbi, Sed experimur diverſum eos facere & moliri, nempe, quomodo Verbum & omnes Eccleſias noſtras funditus extirpent. Itaq; manet hoc votum paucorum, qui intelligunt donum Verbi,& id opibus & potentiæ mundi anteferunt.

Pax. Pax vobis.

Porro Ebraiſmus eſt,Rogate quæ ſunt ad pacem,Pax enim ſignificat,quod bonum,ſalutare,utile eſt.Hinc ſalutatio,Pax vobis, hoc eſt,bene valeas,ſalvus ſis. Habet autem pulchrum affectum hic verſus, Q. d. David, Ah cur hanc civitatem odiſtis, in qua nobiſcum Deus habitat, nobiſcum loquitur, omnem benedictionem dat ſpiritualem & corporalem? Sed hæc ipſa cauſa eſt, cur Satan & impij eam oderunt,quia Verbum & verum cultum Dei non poſſunt ferre. Mallet Satan immolari à parentibus liberos, mallet pro Deo adorari mammonam,mallet alia ſcelera deſignari.Contra hæc,quia Verbum monet & ſervat,ideo id odit & execratur.

Viciſſim bene precatur iis,qui bene cupiunt Verbo,&c.

Quod addit votum, Abundent qui te diligunt, facilem ſententiam habet. Optat enim ijs, qui favent Verbo, & huic ſedi judicij, omnem benedictionem, ut Deus viciſſim ipſis velit benefacere.Atq; hoc votum etiam valde eſt neceſſarium. Experimur enim eos, qui ſanam doctrinam amplectuntur, varie periclitari, Imo quia hodie in nos quidam non ſæviunt, ſicut Pontifices & Epiſcopi vellent, ideo in periculo ſunt ipſi quoque, & experiuntur parum æquas aliorum voluntates, Taceo de ijs, qui docent Verbum & propagare ſtudent, hi omnibus anathematis ſubjiciuntur.Non obſcura Pontificum & Epiſcoporum eſt voluntas,quod æquiore animo ferrent Turcæ imperium,item Diaboli & omnium furiarum,quam quod nos coguntur videre incolumes.Igitur opus habet Eccleſia omnibus temporibus hac precatione, ut Dominus eos abundare faciat, & omnibus bonis cumulet, qui Verbum & cultum Dei diligunt,aut quocunque modo ei non adverſantur.

VII. *Fiat pax in virtute tua,& abundantia in turribus tuis.*

Servanda Eccleſia piorum precibus.

Quod Latinus vertit, In virtute tua, rectius ſic vertitur, Sit pax intra muros tuos. Poſtquam enim Propheta exhortatus eſt omnes, quotquot fovent & favent Ieruſalem,

Digitized by Google

Ieruſalem, ne maledicant ei, nec oderint aut perſequantur eum, Vertitur nunc ad ipſam civitatem, & non ſolum ei bene precatur, ſed formam [illegible] alijs quoq; oſtendit. Summa autem eſt, quod rogat, ut floreat Religio, ac deter[illegible] miniſterium Verbi, & ipſi miniſtri adverſus Pſeudoprophetas, Item, ut maneat concordia inter Doctores, Deinde ut politia quoq; & omnia, quæ ad eam pertinent recte gubernentur. Quam autem neceſſaria hæc oratio ſit, docet quotidiana experientia. Vbi enim hæc duo ſunt, nempe pax politica, & Eccleſiæ concordia, ibi nihil eſt, quod poſſit requiri amplius, Ideo Diabolus tanto conatu ſe opponit, ut hanc pacem utrinque turbet. Hinc tantus in iſto populo Pſeudoprophetarum numerus fuit, & tanta ſemper ſeditioſorum multitudo, ſicut teſtantur hiſtoriæ. Itaq; uſu edoctus David, hæc duo orat, ſine quibus mundus vere deſertum eſt, & ſterilis arena.

Eccleſiæ concordia.
Pax politica.

In proximo eſt exemplum eorum temporum, quibus ſub Papa ante hanc lucem Evangelij viximus. Ibi cum Verbi ſana doctrina deeſſet, quid potuerunt quæſo præſtare omnes Theologi, Monachi, Sacerdotes, Iureconſulti, Medici? Quem verſum in toto Pſalterio recte intellexerunt? Itaq; factum eſt, ut ne quidem manifeſtis impietatibus & idolatrijs potuerint reſiſtere, quales fuere in locis peregrinationum, ubi palpabilia monſtra & manifeſtas nugas approbarunt, & coëgerunt vulgus, ut adorarent eas. Si quis uno Verbo contradiceret, à Monachis proclamabatur hæreticus Adeo verum eſt, quod amiſſo Verbo, mundus totus in denſiſſimis tenebris oppreſſus jacet, nec poteſt aliud quam abuti donis Dei. Magnum ingenium fuit in Scoto, Thoma, & alijs, Sed an non eo dono in totum abuſi ſunt ad impietatem? Sic Iureconſulti abuſi ſunt egregio dono Legum politicarum, ad cupiditates ſuas & contemptum Creatoris, Sic Medici inter reliquos pietatem fere plurimum contempſerunt, & admirati ſunt illas ſuaves Epicuri opiniones, Ede, bibe, lude, poſt mortẽ nulla voluptas. Sic neceſſe fuit ſine Verbo prolabi homines, aut ad manifeſtam impietatẽ cum ſumma ſecuritate conjunctam, aut ad deſperationem. Hoc cum ſit, quid proſunt opes? quid ingenium? quid magna potentia, & alia quæ mundus admiratur, & quærit? Hoc videt David, & tanquam inſignis Poëta, claudit poëma ſuum voto, ut hæc Ieruſalem habeat pacem, ut ſerventur fideles miniſtri in Eccleſia, & pij Principes in Politia.

Amiſſo verbo mundus in tenebris oppreſſus jacet.
Scotus.
Thomas.

Hoc votum fere accidit, ut maneat votum, rariſſime enim videmus impleri. Nunquam enim fit, ut totus populus corrigatur, Dixit itaq; David, *Fiat pax in muris tuis*, Sed non eſt factum. Neq; enim humanis viribus iſta poſſunt retineri. Sic ſi res noſtri arbitrij, & virium noſtrarum fuiſſet, nunquam eſſemus paſſi, ut ſectæ, noſtræ doctrinæ contrariæ, invaleſcerent, Sed gubernantur iſta ſic divinitus, ut tamen Satan etiam non quieſcat. Itaque oratio neceſſaria eſt, & quicquid oratio hæc non impetrat, hoc nulla ſapientia humana poteſt impetrare. Præterquam igitur, quod eſt perſiſtendum docendo, laborando, conando, etiam oratio adjungenda eſt, ſi modo hic fructus pacis debet ſequi, Et tamen fieri ut ſequatur, non tanquam circumferentia, ſed tanquam centrum, hoc eſt ſemper major pars reluctabitur, Puſillus autem grex, ſicut Chriſtus loquitur, hanc pacem amplexatur & amat, Sicut etiam in Politia nunquam fit, ut omnes ſequantur autoritatem legum, ſatis eſt ut aliqui ſint, reliqui pœnis cohibendi ſunt.

Fiat pax in muris tuis.

Luc. 12.

Propter fratres meos & proximos meos, tibi pacem loquor. VIII.

Hic ſignificat David communem querelam omnium illorum, qui præſunt, tum in Eccleſia, tum politia, tum œconomia, quod ſemper major pars ſita eſt tota perverſa & mala, ut ſæpe ad deſperationem animi bonorum concitentur. Qui docet Eccleſias, cum ſummo ſtudio cogitat mederi vitijs hominum, videt majorem partem magis irritari, Pius Magiſtratus, cum officium ſuum ſumma diligentia facit, Invenit, qui ſtudioſe ſe opponant, & diverſum moliantur, Sic in œconomia accidit, quoties fallunt ſervitia, quæ tu putaras ſumma fide factura officium? Hæc cum experiuntur homines, concitantur ad furorem & impatientiam, Qui Eccleſias docet, cogi-

Communis querela omnium qui præſunt.
Doctor.
Magiſtratus.
Paterfamilias.

cet, cogitat de alio vitæ genere. Magiſtratus in tanta difficultate omnem curam Reipublicæ vult abjicere. Oeconomus laudat Monachorum vitam, quæ tali moleſtia carere videtur, qualem ſuſtinent, qui uxorem, liberos, familiam alunt. Hæc impatientia nobiſcum quaſi naſcitur, Et tamen non poteſt aliter fieri. Habemus enim noſtem Satanam, is neq; dies nec noctes ceſſat ſeminare in Eccleſia diſcordias & pravas opiniones, in politia inobedientes & ſeditioſos cives, in œconomia, negligentem & perfidam familiam.

Ferenda mala propter Electos.

Hic igitur cum Davide adhibenda erat patientia, & non reſpiciendum ad majorem partem, quæ ſemper mala eſt, ſed ad Fratres & proximos. Sic Paulus 1. ad Timoth. 2. dicit, Omnia ſuſtineo & fero propter electos. Hi enim niſi eſſent, quis in Eccleſia docere cuperet? Hos autem tanquam gemmas ſparſit Dominus in profundiſſimum lutum, Itaque non cogites te gemmis tantum velle prædicare, quod quidem optabile eſſet, Sed ratio id non fert, cum hæ ſint in medio luto poſitæ. Sic cum poſitus ſis in Magiſtratum civilem, in Oeconomum, hoc primum cogita, non futurum, ut omnia ſint gemmæ, aurum, argentum, Satis tibi ſit, cum ſicut in fodinis ſolet, unam venulam argenti in toto monte conſpicis, ſatis ſit, cum unam & alteram gemmulam invenis in maxima luti mole. Major enim pars in Eccleſia ſemper hæretica & impia eſt, Minor pars in politia eſt obediens & amans virtutis. Itaq; fit, ut omnia ſint pleniſſima moleſtiarum, cum pulcherrimis conatibus & conſilijs peſſimi quiq; cum ſucceſſu repugnent.

Sed noli ideo deſerere locum & ſtationem in quam te collocavit Dominus, noli ideo fieri inobediens Deo, & abjicere curam tibi mandatam. Hoc cogita, Deus dixit ad me, ut ſim Princeps, poſuit me in rectorem populi, familiæ, &c. Hanc vocationem non deſeram. Sic enim peccarem contra Deum meum, cui obedientiam debeo. Sed etſi major pars ſit mala, tamen faciam officium propter Electos, propter Fratres & proximos meos, orabo pro pace, hortabor meos, faciam quantum poſſum, non propter vulgus, ſed propter Fratres, qui debent fieri participes noſtræ doctrinæ. Sunt inter nobiles, inter ruſticos, inter cives, inter adverſarios, aliqui boni, aut ſaltem non plane perverſi, propter hos loquar coram Deo & hominibus, quod eſt optimum, &c.

Conſolatio pro magiſtratu Eccleſiaſtico & politico.

Ad hunc modum expono hunc verſum, ut ſit conſolatio pro Magiſtratu politico & Eccleſiaſtico, contra illam multitudinem pravorum hominum, & moleſtias, quas pijs pariunt. Noſtri monachi horum plane nihil intelligunt. Aliam moleſtiam enim non norunt præter illam, quam ipſi ſibi conciliant, ob neglectum matrimonium, nempe, æſtum libidinis, illas autem Eccleſiaſticas & politicas moleſtias non ſentiunt. Quia enim Princeps mundi eis non adverſatur, ſed largitur omnia, facile eis eſt regere. Nunc autem cum per Verbum Eccleſiæ purgantur, & Magiſtratus recte docetur de ſuo officio, furit Satan ſicut potens in atrio, cum venit potentior & fortior. In his moleſtijs animus obfirmandus eſt, & cogitandum, Sicut iſta jubente Satana non cœpta ſunt, ita etiam eo reluctante non abjicienda eſſe, aut deſerendam vocationem, Sed ſerviendum eſſe primo ipſi Domino noſtro, Deinde etiam Fratribus & proximis noſtris, quos ſæpe nec videmus, nec novimus, Propter hos Eccleſiæ doceri, Reſpublicæ autem regi debent, non propter mundum, is non dignus eſt, ut fur ſuſpendatur, aut plectatur capite homicida, Sed Dominus in cœlis, & Fratres ac proximi in terra, ſunt digni hoc officio Magiſtratus, ſicut ſubjicit.

Propter domum Domini Dei noſtri, quæro bona tibi.

Cauſa precandi.

Prima ratio, cur oret & bene precetur eſt, ut ſerviat Fratribus, non ingrato & perverſo mundo, Secunda eſt, ut etiam Deo ſerviatur, & conſervetur domus illa, in qua Deus loquitur, audit preces &c. Hoc debet ſatis lucri eſſe pijs, ſi qui mali contemnunt, aut etiam nocere pijs conantur, erit cum dabunt ſui contemptus & impietatis ſatis magnas pœnas, Nobis hoc ſatis ſit, quæſiviſſe ſalutem proximi, & conſervationem cultus Dei. Neq; enim domum hic intelligere debes, lapides & ligna, ſed cultum Dei, qui in iſta domo exercebatur. Neq; enim fuit talis domus, in qua nihil

Digitized by Google

nihil ageretur, Homines ibi orabant, docebatur ibi verbum Dei, Deus autem audiebat preces, & dabat oracula ſicut ſupra quoq; dictum eſt. *Domus Dei mei.*

Sed cur addit Dei noſtri? Ideo ſcilicet, ut intelligatur de tali Deo loqui, qui hunc populum circumciſum, fecerat ſuum populum. Hæc quoq; cauſa eſt, cur non, ſicut Mundus, quærat malum huic populo, aut frangatur iſtis moleſtijs politicis & eccleſiaſticis, Sed poſtquam vocatus eſt in Regem & Prophetam hujus populi, perdurat & conſolatur ſe his duobus, quod ſerviat primum fratribus, deinde Domino ſuo, quod non ſit inutilis ſervus, ſiquidem fructificat Deo, ut glorificetur, & proximo, ut ſalvetur. Ad hunc modum nobis quoq; eſt cogitandum, ut ſi non omnes ſint boni, obedientes, ſufficiat nobis ſaltem aliquos eſſe bonos, Si non omnes Eccleſiæ accipiant doctrinam noſtram, ſufficiat nobis ſaltem aliquas eſſe, in quibus fructificatur Deo & fratribus, Hoc enim nunquam fiet, ut omnes boni fiant. Qui hoc non poteſt ferre, fiat monachus, ſcilicet, & plane nihil moleſtiarum patietur. Ergo meminerimus orandum eſſe propter Fratres & domum Domini, cum Davide, qui, ſicut hic Pſalmus oſtendit, probe intellexit virtutem & gloriam Verbi, Ideo non agit gratias, non exhilaratur, propter auri & argenti copiam, quæ tamen ei non defuit, ſed propter Verbum & cultum Dei. Hæc cum adſunt, facile omnia alia incommoda ſarciri poſſunt. Nam ſic Deus manet, & Fratrum ſalus quæritur, hoc quid volumus amplius? Contra cum verbum non adeſt & nulli veri cultus Dei adſunt, amiſimus ſimul Deum, miſericordiam & ſalutem Eccleſiæ ſeu Fratrum, & nihil reſtat quam ſacrilega multitudo, quæ damnatur. *Dei noſtri.* *Virtus & gloria verbi.*

Adhortatur igitur nos David in hoc Pſalmo, ut diſcamus verbum colere, & ejus ſucceſſum per fidelem orationem quærere, & non turbare, etſi major pars eſt impia. Sint igitur alij ſuo periculo impij, nos autem agamus Deo gratias, quod dat pacem & pios doctores, qui verbo gubernant Eccleſias. Vbi enim hæc non ſunt, ibi neceſſe eſt eſſe perturbatas conſcientias, Idolatriam, impietatem, cædes, adulteria, & ſimilia monſtra, quæ Dominus Ieſus avertat ab Eccleſijs noſtris, & ſervet nobis iſtas reliquias, qui colunt Sacerdotium & regnum. Hæc enim duo vocabula, uſu quidem vulgata ac nota ſunt, ſed longe plus in ſe habent, quam mundus & adverſarij noſtri intelligunt. Itaq; pro conſervatione harum rerum, quas non intelligunt, orare non poſſunt. *Epilogus Pſalmi.* *Sacerdotium. Regnum.*

PSALMUS CXXIII.

Ad te levavi oculos meos.

ESt hic Pſalmus, ſicut videtis, ſatis brevis. Ideo aptum exemplum eſt, quod oſtendit vim Orationis non eſſe poſitam in multiloquio, ſed in Spiritu. Nam etiam pauca verba magna rerum pondera complecti poſſunt, accedente ſpiritu & inenarrabilibus gemitibus cordis, Præſertim cum neceſſitas ejuſmodi incumbit, ut non ſit ſpacium longioris orationis meditandæ. Extant quidem orationes copioſæ & prolixæ in Pſalmis, & inter reliquas Propheticas, inſignis eſt illa Danielis nono, Sed omnis oratio tum ſatis longa eſt, quando affectus eſt vehemens, & intelligit præſentem neceſſitatem, quæ Sanctis objicitur, non de leviculis rebus, quales mundus maximas judicat, cum aut periclitandum eſt de victu, aut alijs ſimilibus rebus. Sed cum opprimitur Eccleſia Tyrannorum armis, cum prophanatur nomen Domini impuris dogmatibus, & ſi qua ſimilia ſunt, quæ ad gloriam Dei, ac ſalutem animarum proprie pertinent, Hæc pericula fere non poſſunt oratione dici, Ideo tum vere orant Sancti, quando cum dolore animi, & anxio ſpiritu iſta in mundo vident & experiuntur, ac de ijs ſerio cogitant. *Exemplum brevis orationis.* *Oratio ſatis longa.*

Ad hunc modum hic Pſalmus eſt oratio contra ſuperbos & ſecuros, ſicut oſtendit poſtremus verſus. Hi autem ſunt, non tantum inter eos, qui impia dogmata ſequuntur, *Summa Pſalmi. Superbi & ſecuri qui ſint.*

quuntur, ſed etiam inter eos, qui volunt gloriari de Verbo & ſana doctrina, qui gaudent titulo, quod populus Dei & Eccleſia ſint, quiq; nobiſcum participes haberi volunt nominis & gloriæ Chriſti, & tamen ſunt, ſecuri ſpiritus, qui aut rident, aut moleſte exercent ſyncere docentes. Talium magna copia fuit in populo Iſrael. Habebant enim Regnum & cultum, verbo Dei per Moſen inſtitutum, habebant miniſterium copioſum in tanto numero Prophetarum & Doctorum.

Contemptus piorum.

Sed quomodo Propheras tractare ſoliti ſint, oſtendunt hiſtoriæ. Cum Eliſa 3. Reg. 9. filium Prophetæ ad Iehu mitteret, reliqui dicunt, Quid venit ille inſanus ad te? Ac Pſalmi & conciones Prophetarum ſatis arguunt cum de fide & juſtificatione coram Deo populum docerent, à multitudine deriſos, imo etiam ut hæreticos damnatos eſſe, quod ſacrificijs & cultui legali aliquid viderentur detrahere. 3. Reg. 9.

David.

Sic David ſub Saule ſeditioſus judicabatur, & ſuſtinebat crimen Regni perfide affectati, Poſtea cum arcam Domini transferret Ieroſolymam, & ſignificaret gaudium ſuum optimo animo, excipitur ab uxore Michal his vocibus, Quam glorioſus fuit hodie rex Iſrael? qui ſe nudavit in conſpectu ancillarum & ſervorum ſuorum tanquam ſcurra aliquis. Non autem cogitabimus Michal ſolam fuiſſe, quæ hoc modo Regis factum calumniata eſt, fuerunt ſine dubio alij in aula, ſapientia & dignitate præſtantes, qui idem judicarent. Sive enim rex, ſive princeps, ſive Eccleſiarum doctor ſis, ſi Verbum ſerio amplecteris, mundus te judicabit inſanum & fatuum. Hoc in mundo ſemper ita fuiſſe oſtendunt hiſtoriæ, & docent nos idem noſtra ſecula.

Michal, 2. Reg. 5.

Davidi exemplo nobis utendum adverſus Papam. Falſos fratres & hæreticos. Seruos.

Vtile igitur exemplum nobis hic Pſalmus proponit, quoniam videre & experiri illam ſuperbiam & ſecuritatem cogimur, ut cum Davide oremus contra ſuperbos, hoc eſt, Primum contra Papam & totum ejus regnum, Hi enim ſecuriſſimo animo nos non ſolum contemnunt, ſed damnant quoq;, Deinde contra falſos fratres & novorum dogmatum, aut veterum errorum patronos, quos ita videmus plenos odio noſtri, ut ne quidem recte dicta ſine calumnia abire ſinant, Poſtremo contra ſecuros in noſtris Eccleſijs, ſicut hodie ſunt nobiles, & numati ruſtici. Hi enim omnes eo ſibi videntur beati eſſe, quod nos ridere, vexare, & plagis quoq; cum licet, excipere poſſunt, qui Eccleſias ſtudemus vere & pie docere. Contra hos hæc oratio humilium & vexatorum filiorum Dei eſt oranda, qui pro fatuis, ſeditioſis, hæreticis, & probroſis hominibus à mundo habentur. At retinenda ſimul hæc conſolatio eſt, quoniam Spiritus ſanctus nobis hanc orationem per Davidem ita præſcripſit, futurum, ut exaudiantur, & ex contemptis reddamur glorioſi in regno Dei. Sed longa nobis hæc mora eſt, & dolet fere, quod Deus tam diu patitur nobis à malo & ſecuro mundo inſultari. Ideo neceſſarium eſt Chriſti mandatum, ut poſſideamus animas noſtras in patientia. Sed veniamus ad verba Pſalmi tandem.

Oratio filiorum Dei, &c.

1. *Ad te levo oculos meos, qui habitas in cœlis.*

Affectus animi anxij & deſtituti omni auxilio.

Hic eſt vehemens gemitus animi anxij, & undique circumſpicientis, ac quærentis fautores, amicos, conſolatores, laudatores, ſed nunquam invenientis, Quo igitur, inquit, miſer & contemptus ego confugiam? Deſunt vires, quibus me tueat, deeſt ſapientia & conſilium in tanta multitudine adverſariorum meorum. Ad te itaq; venio mi Deus, Ad te levo oculos meos, qui in cœlis habitas. Sic Deum, ut Scholaſtici loquebantur, in individuo vago, ſeu generali appellatione, Habitatorẽ cœli vocat, Vt ſignificet omnia plena eſſe deriſoribus, & pios conculcari ab omnibus qui habitant in terra, in aëre & nubibus, eſſe καθάρματα ſeu purgamenta totius mundi, Vnum igitur habitatorem cœli eſſe reliquum, à quo ſperet auxilium & opem.

Habitator cœli.

Hanc periculi magnitudinem affectus iſte exprimit, quod circumſpectis omnibus, nullum neque auxlium, nec conſilium ſe invenire dicit, quam illum qui in cœlis habitat. Hæc tentationem valde augent, Itaque talibus verbis in tentatione orat, quæ fortaſſe ipſe eo tempore non ſatis plene intellexit, Sicut Paulus quoque dicit. Nos neſcire quid oremus. Spiritus quidem novit & intelligit verba iſta, ſed homo non

Rom. 8.

Digitized by Google

non pôteſt ex ſatis pro magnitudine ſua concipere in tempore tentationis, dum fides adhuc infirma eſt & luctatur, Poſtquam autem hoc datur quod volumus, & oratio exaudita eſt, tum fides habet ſuum robur, & nos tum tentationem, tum orationem, qua in tentatione ſumus uſi, plenius intelligimus. Opponit itaq; David in hoc verſu Habitatorem cœli, habitatoribus terræ & aëris, hoc eſt, Satanæ & Mundo, & erigit ſe, quod quanquam mundus magnus & potens eſt, tamẽ Deus ſit major. Quid igitur ſi mundus te ridet & vexat? Huc potius reſpice, quod Deus cum omnibus Angelis & Sanctis ſuis te intuetur, te prædicat ac laudat. Hoc verſus iſte ſignificat, verbis, ut videtis, ſatis humilibus, ſed plenus omni copia conſolationum, ſi quis modo crederet. Spiritus certe, qui hæc verba dat, & ſuſcitat gemitus hos, in adflictorum cordibus, intelligit quanta gravitate hæc orentur.

Habitatorẽ cœli & terræ opponit habitatorem cœli.

Porro in ſecundo Pſalmo Graduum diximus, Sanctos in veteri Teſtamento, cum orarunt, non ſimpliciter oraſſe ad Deum cœli, ſicut Turcæ & Iudæi adhuc hodie orant, ſed vertiſſe ſe corpore & animo ad templum in Ieruſalem. Itaq; quod hic dicit. Ad te Domine levo oculos meos, qui habitas in cœlo, ſic intelligendum eſt, ut & corde & geſtu fateatur illum cœli Habitatorem, habitare vere in tabernaculo in Ieruſalem. Hoc eo conſilio hic repetendum & admonendum eſſe duxi, ut prohibeam cogitationes, quæ aſcendunt propria temeritate ad nudum Deum, & pingunt Deum in cœlo eſſe invocandum. Nam is locus tenendus eſt, in quo Deus vult adorari. Is fuit locus tabernaculi, tempore Legis, & recte dicitur cœlum, ſicut miniſtri ejus loci & cultuum dicuntur ſtellæ, & populus, exercitus cœli, ſicut Eſaias 40. & Daniel 8. 11. loquuntur. In novo Teſtamento diximus non eſſe aliquem corporalem locum, ſed plenitudinem divinitatis eſſe, & inveniri in uno homine & Deo Chriſto. Ejus populus ſeu credentes appellantur regnum Dei, ſicut Paulus dicit, Regnum Dei in vobis eſt. Ideo ſcilicet, quia Chriſtus Rex cœli in Sanctis per Spiritum & verbum ſuum regnat. Sic Paulus in Colloſſenſibus dicit, nos eſſe in cœleſtibus, non quod corpore ſimus in cœlis, ſed quod ille Rex, qui regnat, vivit, loquitur, operatur in nobis, eſt Rex cœli, &c.

Quomodo intelligendum, quod ad Habitatorem cœli & non templi ſerua.

Cœlum. Stellæ. Exercitus cœli.

Eſai 40. cap. 8. 11.

Regnum Dei.

Hoc ideo neceſſarium eſt ſcitu, ut maneamus in recta, ſed tamen anguſtiore ſemita, nec putemus Davidem oraſſe ſpreto templo. Qui enim hoc faciebant, erant ſacrilegi & apoſtatæ, ſicut à Prophetis appellantur, Quare addamus hanc gloſſam, cum David dicit. Qui habitas in cœlis, ut idem ſit, ac ſi dicat, Qui habitas in Zion ſeu Ieruſalem. Sic apud nos nulla eſt oratio extra Chriſtum, ſed quicquid oramus, oramus in nomine & fiducia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ita eſt habitator cœli, ut tamen ſecundum Verbum & Spiritum ſit nobiſcum in terra, & regnet in manu, lingua, & omnibus membris noſtris. Omnia enim Sanctorum opera ſunt opera Chriſti in eis regnantis. Neq; enim ſeparandum eſt cœlum à terra, ſicut David non ſeparat cœlum & Zion ſeu Ieruſalem. In Chriſto enim cœlum & terra conjuncta & idem ſunt, In Chriſto omnia impleta ſunt, & poſſidentur omnia. Itaq; qui Chriſtum habet & credit, habet cœlum & terram, & quicquid in eis eſt, Sicut tempore veteris Teſtamenti, Deus omnia collegerat ad locum tabernaculi.

Extra Chriſtum nulla oratio.

Opera Sanctorum.

Fanatici ſpiritus ſemper fingunt ſibi proprias religiones, Sicut Iudæi quærebant valles, lucos, amœna flumina &c. Hi etiam volebant videri, quod levarent oculos ad Deum habitantem in cœlis, ſed fallebantur. Quomodo, inquis, An non cœlum id eſt, quod ſupra caput eſt: Recte. An non ea ſedes eſt Dei? An non Deus ibi invenitur? Non, Quia Deus ſic eſt habitator cœli, ut verbo ſuo dixerit, ſe in loco tabernaculi habitaturum eſſe. Ibi quære eum Saul, Ahab, Baeſa, Ierobeam, Ibi [illegible] Verbum ſuum eum invenies, Alibi nuſquam, neque in cœlo, nec in terra [illegible]venies. Turcæ etiam orant ad Deum, cœli & terræ Creatorem, ſed non inveniunt, quia in Chriſto Deum non credunt nec quærunt. Sic Papa orat ad Deum Auguſtini, Franciſci, Petri, Pauli &c. Sed talis Deus nuſquam eſt. In Chriſto enim placuit habitare omnem plenitudinem, In eo, qui orat, invenit Dei aures apertas, qui extra Chriſtum orat, huic Deus aures non præbet. Hinc facile eſt ju-

Aliorum voluntariorum religionum quid errent.

Extra Chriſtum Deum non invenitur.

dicare de Papiſtarum orationibus, quæ omnes fere in genere nituntur non ſolius Chriſti nomine, ſed meritis & interceſſionibus Sanctorum. Impoſſibile igitur eſt, ut vel hunc vel alium Pſalmum poſſint recte orare. Amiſſo enim aut poſthabito Chriſto, amiſſus eſt Deus cum omni creatura, cum Scriptura & omnibus alijs, quæ ſunt.

In nomine Chriſti ſolum orandum, aut fruſtra oratur.

Ergo hoc epitheton eſt Dei, non glorioſi in majeſtate, ſicut judicant Papiſtæ, ſed revelati, non (ut ſic loquar) Dei ſpeculati, aut per nos reperibilis, ſed manifeſtati per ſuum Verbum, in quo ſe revelat talem habitatorem cœli, qui habitare velit ad Aream in tabernaculo. Eſt quidem revera cœli habitator, Sed non mihi, cui per verbum ſuum dicit aliud, nempe, quod tum in templo, nunc in homine Chriſto inveniri & eſſe velit. Hanc Regulam orandi & colendi Deum, neſciunt Idolatræ Iudæi, Turcæ, Papiſtæ, & omnes voluntariarum religionum autores, qui putant ſe Deum velle invenire, & colere, ſecundum quod ipſis cor dictat. Tales cultores Deus non novit nec accipit, ſicut ipſi Deum non noverunt. Neq; enim Deus nudus à nobis apprehendi poteſt, Circumſtantiæ autem, tempus, locus, perſona, non ſunt ſumendæ ex noſtra ratione, ſed ſimpliciter ex verbo Dei. Qui ad hunc modum habet Deum deſcriptum circumſtantijs in Verbo ſuo propoſitis, is poſtea ſine periculo eum poteſt appellare ſecundum majeſtatem ſuam, Habitatorem cœli, Deum habitantem lucem inacceſſibilem, Creatorem cœli, &c. ſicut aliquando Prophetæ & Apoſtoli ſolent.

Regula orandi & colendi Deum.

II.

Ecce ſicut oculi ſervorum reſpiciunt ad manus dominorum ſuorum, Sicut oculi ancillæ ad manus dominæ ſuæ, Ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Vtitur Propheta duabus ſimilitudinibus, quibus incendit affectum ſuum, & ſimul orationem quoq; facit ardentiorem. Q. d. Differt Dominus auxilium, ſinit in noſtro conſpectu florere ſubſannatores illos, & ſecure ſuperbos contemptores, qui gloriantur ſe eſſe filios Iſrael, & ſedent in cathedra Moſi, ideoq; timentur ac honorantur. Longa ſane nobis & moleſta hæc mora eſt, Sed tamen faciemus, quod probi ſervi, & probæ ancillæ ſoleut, ut in hoc contemptu & alijs periculis, ipſi nos non vindicemus per impatientiam, ſed reſpiciamus ad Dominum, & expectemus ejus manum. Sic confitetur ſanctus vir Deum differre auxilium, & protrahere moram, nec definire modum aut tempus, quo juvare velit, ſed ſinere Sanctos in eo ſenſu, quaſi modus & tempus ſint infinita, ut videantur quaſi inter cœlum & terram pendere medij. Hæc gravia ſunt & mirum in modum aggravant tentationem. Quare tenenda conſolatio eſt, quam Propheta hic oſtendit. Quod ſcilicet tentationis erit finis, Sed non ſecundum noſtram definitionem, ne ſcilicet Deo tempus, aut modum præſcribamus. Deus enim ſicut in natura ſua, ſic etiam in modo agendi & virtute ſua, eſt infinitus, itaq; non patitur à nobis circumſcribi. Proponitur igitur nobis hic exemplum patientiæ, quod expectanda ſit manus Domini, & non dubitandum de auxilio divino, & manu Domini affutura. Cum enim prima ſyllaba, ſeu potius primus gemitus orationis incipit, annuit Deus & reſpondet nobis, fiat, Non tamen debemus ſtatuere, ubi, quomodo, quando, per quos, ſit daturus quæ petimus. Hæc enim relinquenda ſunt Deo ut ipſe definiat, Nobis hoc agendum eſt, quod noſtri officij eſt, ut ſcilicet oremus, &, ſicut ſervus, reſpicjamus ad manum noſtri Domini.

Conſolatio, cum auxilium in tentatione differtur.

Exemplum patientiæ.

Ad hunc modum docet nos David ſuo exemplo, & monet, ut etiam expectemus, non remittamus brachia, nec avertamus oculos à Domino, ſed ut urgeamus, inſtemus, perſeveremus, ſicut Chriſtus quoq; monet in ſimilitudine illa mulierculæ & injuſti judicis, qui etſi neq; Deum nec homines timeret, tamen improba aſſiduitate vincitur, ad cognoſcendam cauſam. Si enim homo peſſimus tam malus non eſt, quin ſuperetur improbitate orandi, Quid non de Deo ſperabimus, qui ſe ultro ad audiendas preces offert, nos autem etiam mandato ſuo cogit ad orandum? Imo, ut dicam, quod res eſt, qui ad largiendum eſt promptior, quam nos ad accipiendum?

Similitudo de vidua importuna Iudice. Luc. 18.

Tauleri dictum.

Nam

Digitized by Google

Nam illa mora,qua auxilium differt,non hoc agit,ut oſtendat ſe nos non auditurum eſſe, ſed ut exerceat fidem noſtram, & nos diſcamus cognoſcere varias & multiplices rationes auxilij divini, tam longe poſitas ſupra hoc, quod capere & intelligere poſſumus. Statuamus ergo rem, quam petimus, differri,non negari, nec patiamur nos unquam eo adduci,ut moram hanc interpretemur, eſſe neglectum. Vult enim Dominus ita nobiſcum agere, ut nomen ſuum retineat, quod David in alio loco ei tribuit, quod ſcilicet ſit adjutor in opportunitate. Hæc opportunitas definitur ab ipſo,à nobis non poteſt definiri.

Sed obiter hoc quoq; admonendum eſt, quod Spiritus ſanctus hoc in loco probat œconomiam, quod liceat habere ſervos, & ſimul ſignificat bonum vitæ genus eſſe ſervire,ſi tamen accedat fides. Siquidem ſervi hic inducuntur pro conſolatione ſervorum Dei,& probatur in eis patientia,& fides,quam habent de Dominis, quod non ſtatim ad primum aſperum verbum fugiunt, neque ita ſeveritate Dominorum terrentur, ut omnem de eorum benignitate ſpem abjiciant, Sed reſpiciunt ad manum eorum,& expectant miſericordiam.Sed profecto loquitur David de melioribus ſervis & ancillis,quam hodie ſunt.Nullum enim genus hominum eſt,quod fallacius, negligentius, & impatientius ſit, etiam cum juſtiſſimæ cauſæ ſunt objurgandi. Quare qui volunt boni eſſe, meminerint exempli & regulæ, quam Spiritus ſanctus hic dicit à bonis ſervis ſervari,quod non impatientes, non difficiles ſunt,ſed fideliter officium faciunt,& reſpiciunt ad manus Dominorum ſuorum.

Œconomia,ſeu eſſe ſervire impij,approbata.

Servi & ancillæ noſtri tempore.

Præcipue autem hoc in loco obſervandum eſt pronomen, quod non ſimpliciter dicit, oculi noſtri ſunt ad Dominum Deum,ſed addit, *Ad Dominum Deum noſtrum*, hoc eſt, ad eum Deum, qui manifeſtavit & revelavit ſe nobis in verbo ſuo. Nam abſque hoc ſi eſſet,non eſſet noſter Deus. Sic Dij Gentium & Idola, quæ ſinguli ſibi fingunt, dicuntur quidem noſtri Dij, tanquam à nobis ficti & facti, ſed non ſunt veri Dij. Hic autem Deus,eſt noſter Deus, qui ſe nobis revelavit in verbo ſuo, & promiſit quod velit eſſe noſter Deus,&c. Ergo Carthuſianus monachus non habet Deum, quia fingit ſibi Deum ſecundum ſuas cogitationes, quæ ſunt cogitationes Satanæ & alienæ à verbo Dei. Sic enim de Deo cogitat, futurum ut reſpiciat cucullum ſuum, ut delectetur ſi tam diu ſtet in templo,ſi non veſcatur carnibus, ſi non prodeat in vulgus, &c. Sed Deus revera talis non eſt, ſed ſimpliciter eſt hoc Idolum cordis ipſius,& humana opinio ſine verbo,imo etiam contra Verbum concepta,& plantata à Diabolo.

Dominus Deus noſter.

Dij & Idola Gentium.

Monachus adorat Idolum cordis ſui.

Ad hunc igitur modum ſemper accipe, Deus noſter,hoc eſt, qui ſe in verbo ſuo revelavit, quem non finximus nos, ſed qui ipſe ſe finxit & pinxit in verbo, quomodo velit coli,adorari,timeri,&c. Hic verus Deus noſter videtur quidem ſæpe eſſe alienus Deus,qui nos non reſpiciat,nec curam noſtri agat.Ideo impij homines ab eo diſcedunt,quærunt præſidia ſanctorum Iacobi, Petri, nonnunquam etiam Satanæ & magicarum artium, quia hæc, cum Deus noſter auxilium differre ſoleat, præſentius juvant, Sed noſter Deus ideo ſolet differre auxilium, ut nos probet & exerceat, ac ſic deducat nos primum in cognitionem noſtri,ut agnoſcamus pravitatem cordis noſtri, quam facile patiamur nos abduci à vero Deo, Deinde ut deducat in cognitionem ſui,ut diſcamus quomodo velit nos juvare,item quomodo poſſit, longe meliore & faciliore modo ac via, quam unquam cogitare humana ratio potuit.

Deus noſter.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione.

Hæc eſt Pſalmi propoſitio, & cauſa cur oret, nempe contemptus hominum ſuperborum & ſecurorum, quem nos hodie quoque nimium ſentimus, nec poſſemus ſuperare, niſi hujuſmodi exemplis & conſolationibus revocaremur ad patientiam. Non autem conquerimur tantum de noſtro malo, majus hoc eſt, quod animos piorum exerceat, quod ſcilicet videmus illo contemptu Verbi & miniſtrorum,pau-

Propoſitio Pſalmi.

Contemptus verbi privabit Ecclesias ministris.

rum, paulatim futurum esse, ut nemo Ecclesiarum administrandarum munus susceperit. Quis enim adolescens ingenio præditus, simul ætatem & substantiam ideo volet perdere, ut tandem pro labore & pio studio nihil quam odium & contemptum reportet? Sic qui jam in ministerio sunt, cum vident & dignitatis & lucri plus esse in alijs professionibus, contemptu hoc eo adiguntur, ut cogitent de abdicanda cura Ecclesiarum, & privata vita minus molesta & quæstuosiore suscipienda. Sic contemptus iste Ecclesias gubernatoribus privabit. Quid autem inde secuturum sit, si ministerium ruat, facilis conjectura est, nempe quod simul necesse est ruere gloriam & regnum Dei, & salutem hominum.

Admonitio ad vitium contemptum verbi.

Opus igitur est cohortationibus, ne patiamur nos isto contemptu vinci, sed sinamus tales contemptores suo periculo ridere & secure superbire, Nos autem cogitemus Deum habitatorem cœli adhuc vivere. Quare tanquam fideles servi, strenue urgebimus officium nostrum, spe promissionis, quod ipse est Sacerdos in æternum, & ponet Inimicos scabellum pedum suorum. Qui hunc sacerdotem de sede sua pellere poterit, illi erit impune risisse Verbum & ministerium. Docent nos quoq; veterum Prophetarum historiæ, fuisse similem eorum fortunam, Et caput nostrum Christus quomodo quæso à superbis Pharisæis irrisus & tractatus est? Quare non offendamur hoc contemptu, ponamus frontem nostram ceu petram contra superbos, & faciamus officium nostrum docendo, Deinde etiam oremus, ut Dominus ministerium conservare velit, quod certe hoc modo videtur ruiturum esse. Sed etsi hic VVittembergæ, Noribergæ, & in alijs locis ruet propter ingratitudinem, tamen non ubiq; ruet. Nolebant Apostolos Iudæi, Gentes igitur eos admiserunt, Sic etsi ea loca in quibus nunc Evangelium docetur, hanc doctrinam propter ingratitudinem amittent, tamen excitabit Deus alibi Doctores & auditores, ut huic Sacerdoti regnum suum maneat. Isti autem, qui pios Doctores ita contempserunt, punientur seductoribus, sicut ante oculos multarum magnarum civitatum exempla hodie sunt. Boni & fidelis servi est, non frangi, sed durare etiam dum, cum sentit se repletum esse despectione, & quasi rapitur ad deferendam vocationem, Vtitur enim Propheta figura sumpta à poculo sic repleto, ut nihil amplius possit affundi, ut significet istam nauseam, quam parit contemptus.

Prophetæ exempla.

Psal. 110.

IIII.

Quia multum repleta est anima nostra opprobrio abundantium, & despectione superborum.

Offendiculum ex successu contemptorum.

Hoc auget dolorem, quod qui tales sunt contemptores, videntur impune id facere, Siquidem abundant omni copia rerum, & in mundo magni & clari sunt, Ideo etiam exemplo nocent, quod alios in eundem contemptum trahunt. David & alij etiam fuere divites & opulenti, sed videmus eos tot calamitatibus & malis, tum domesticis tum externis vexatos, & exercitos esse, ut eis minime liberet aut superbis aut securis esse. Sed impiorum alia conditio est, hi quasi præmium securitatis suæ ferre videntur, opes, dignitates, autoritatem, &c. Contra sancti afflicti & calamitosi sunt, & habentur à securis istis pro fatuis & stultis. Sicut summorum Prophetarum exempla testantur, & nos hodie experimur, Cum summo studio homines conamur abducere, ab avaritia, securitate, & alijs vitijs, rident nos, & cum audiunt de judicio Dei, & futuris pœnis, existimant nos recitare Fabulam, qualem Æneas narrat de inferis apud Virgilium. Quod si exercerentur ipsi quoque calamitatibus, & haberent, sicut Psalmus nonus precatur, Magistrum, qui doceret eos esse homines, aliter sentirent. Sed quia hoc non fit, & occasiones securitatis & contemptus sibi videntur habere, ferendi sunt, & contra eos cum Davide orandum est.

Psal. 9.

Summa totius Psalmi.

Sic hic est Psalmus tum exemplum, tum consolatio, ne à studio & confessione Verbi seu ministerio patiamur nos abduci, propter securos contemptores, Sed ut potius nos potentia & promissionibus Dei consolemur, & cogitemus, quando nos securissime rident sapientes mundi, hæretici, Pontifices, Pharisæi, vicissim

eos

Digitized by Google

eos rideri ab Angelis, & toto cœtu Sanctorum. Nos autem si fortiter perstiterimus in nostro officio, coronam ab ipso Christo impositam, portaturos esse. Hæc spes retinenda est piis Doctoribus, & interim contemptus ille ferendus & devorandus est, donec experiantur impij, quem riserint, Amen.

PSALMUS CXXIIII.

Nisi quia Dominus erat in nobis.

Argumentum Psalmi.

HVnc Psalmum primum affectus fidei in Theologia, secundo proprietas in Grammatica arguit Davidis esse. Hæc enim duo præcipua sunt, quæ habet præ alijs, qui Psalmos scripserunt. Est autem hic Psalmus gratiarum actio pro dono & misericordia Dei, quod conservat Regnum & Sacerdotium, vel, ut clarius dicam, totum populum Israël. Sicut enim scitis, & Moses ad populum loquitur Deuter. 7. Non quia vincerent numero cunctas gentes, junctus est eis Dominus, cum potius omnibus populis essent pauciores, sed quia Dominus elegit eos, & custodivit juramentum, quod juravit Patribus eorum. Testantur autem historiæ & satis id ex descriptione terræ Sanctæ ostendi potest, fuisse hunc populum positum in medio gentium, tanquam ovium caulam in vastissima sylva. Cingebant eos reges Syriæ, Ægypti, Ammonitarum, Ismaëlitarum, Moabitarum, &c. qui omnes unanimiter extremo odio eos persequebantur, accendente Satana odium eo consilio, quod optabat cultum & verbum Dei oppressum esse. Etsi autem populus Israël satis numerosus fuit, tamen respectu vicinarum gentium, fuit tanquam una aliqua Civitas, collata ad amplissimum regnum. Hoc periculum videt David, & Deo agit gratias, quod suum populum contra furorem tot leonum & draconum servat, ut quamvis acerrimo odio eum oderint, & omnes simul extinctum, & radicitus vastatum cupiant, tamen frustra id conentur. At sane magnum miraculum est, si quis hoc recte æstimet, potuisse hunc populum manere, tot Diabolis contra eum furentibus. Sed postquam res perijt, & hæc tantum in Libris scripta leguntur, videntur levicula esse, nec satis movent animos.

Deut. 7.

Populus Israel tanquam ovis in medio luporum.

Summa igitur Psalmi est, quod hortatur suos ad gratiarum actionem, & laudem Domini Dei sui, conservantis, defendentis & liberantis istum parvum populum, contra insidias & vim tot populorum & regnorum in circuitu, odientium & persequentium. A nobis quoq; recte canitur, non solum contra nostros adversarios, qui palam oderunt & persequuntur Verbum, sed etiam contra spirituales nequitias. Scimus enim ex Evangelio, quod insidiantur nobis septem dæmones, ubi antea ab uno tantum periculum erat. Hi non cessant totum mundum contra nos concitare, juxta secundum Psalmum ut vere nullus tam contemptus Magistratus sit, qui non palam ostendat, se Evangelio adversari. Sed, ut dixi, tolerabile esset, si solum mundum sustineremus hostem, & non etiam Satan cum omnibus angelis suis & inferorum portis contra nos sæviret. Sed ne sic quidem satis molestiarum & periculorum est, accedit etiam tertius hostis, qui est contra nos, quem ubique nobiscum circumferimus, alimus, & delicate habemus, nempe sanctissima illa domina, Caro, vetus meretrix, quæ assidue nos vexat peccatis, tollit quietem, impugnat fidem, militat deniq; in membris nostris contra spiritum.

Summa hujus Psalmi.

Adversus quos nobis eruendus hoc Psalmus.

Luc. 11.

Joel. 2.

Periculaprofitentium Evangelium.

Cum igitur hæc pericula Ecclesia sustineat, canamus nos quoq; in Christi laudem hunc Psalmum, quod nos sua membra assidue conservat ab istis hostibus omnibus. Ingratitudo namq; extrema esset, hoc miraculum non agnoscere, quod Ecclesia consistit, quod sunt qui Christum vere docent, confitentur & credunt, utcunq; Satan sæviat, utcunq; mundus & falsi Fratres insidientur, utcunq; deniq; Caro nostra, tanquam indomita bestia, reluctetur Verbo & fidei. Hoc igitur est beneficium, quod David hic prædicat, Et optat, ut id sui quoq; discant intelligere, & pro eo agere gratias. Ideo dicit,

I. *Nisi Dominus fuisset nobiscum, sic dicat Israel.*
II. *Nisi Dominus fuisset nobiscum, cum exurgerunt homines contra nos.*
III. *Vivos nos deglutivissent, cum irasceretur furor eorum contra nos.*

Optat David, ut sic dicat Israel, ergo significat Israelem aliter canere.

Hic vides statim in ipso exordio, quo modo se vertat ad populum, & hortetur, ut hæc verba, una canere, & miraculum hoc intelligere, ac Deum laudare, eiq; gratias agere velit, pro isto regno sic mirabiliter conservato. Est autem non solum doctrina, ut sic faciant, sed quoque votum, seu oratio, qua precatur & optat, ut hoc faciant, Ac significat sane oratio hæc seu affectus Israelem ejusmodi esse, ut sinat Davidem canere quæ velit, ipse autem canticum hoc plane pervertat, & tribuat ista beneficia non Domino Deo suo, sed regibus Aegypti, Syriæ, socijs Edomeis, &c. ac dicat, Nisi rex Aegypti esset nobiscum, Nisi rex Syriæ esset nobiscum, vivos deglutivissent nos inimici nostri. Notum enim est ex historijs, quantum semper auxilijs Gentilium & vicinorum Regum confisi sint.

Ad usum primi præcepti deducit, quod Dominus defendat, non arma.

Est igitur hæc Davidis vox, vox fidei, qua urget primum præceptum, & conatur per experientiam populum suum deducere ad practicam primi Præcepti, ut doceat, Non gladij, non arcus, non murorum, non sociorum beneficium esse, quod vivunt, spirant, salvi & tuti sunt, ac pace fruuntur, sed solius Domini. Hoc caro non credit, ideo Canticum hoc adhuc hodie mutat, & alijs verbis canit, sicut etiam nostri homines facto probant. Istæ munitiones & aggeres, quibus hanc urbem cingunt, quid aliud loquuntur, quam quod stolidi homines his præsidijs nituntur, & firma satis putant, quibus defendamur contra vim hostium? Sed si præsidium divinum non esset, de quo David canit, una hora doceret munitiones istas ne quidem muscæ impetum sustinere posse. Quia etsi Munitiones, propugnacula, gladij, machinæ sunt, quibus contra hostes possumus uti, tamen verbum Domini docet, Non in curribus, nec in equis, non in arcu, nec gladio, non in tibijs viri & fortitudine equi esse salutem, Sed sicut David dicit (qui etiam regnum habuit, qui fudit Goliad, qui ursum & leonem occidit) Dominus qui me liberavit à leone & ursu, etiam à Philistæo hoc me liberabit, 1. Samuel. 17. Item sicut hic dicit, Nisi Dominus esset nobiscum, &c. *Psal. 20.* *1. Sam. 17.*

Successum rerum gerendarum viderunt Gentes, sed causam ignorarunt

Dominus igitur cum armis & gladijs nostris utitur, imo cum ea regit & gubernat, tunc sunt felicia, cum non gubernat, etiam obsunt. Id quod Gentes etiam intellexere, quæ tamen nihil quam fiduciam propriæ sapientiæ & virium habuere, & tamen senserunt nec sapientiam, nec vires per se valere. Ideo tribuerunt omnia Fortunæ, eam dixerunt esse gubernatricem eventus in bello, ac non tantam industriæ & virtutis in Imperatore deligendo rationem habuere, quantam fortunæ & felicitatis. Sic rem habuere quidem usu edoctæ, sed causam non intellexerunt, quam nobis ostendunt sacræ literæ, dicentes, quod Deus est, qui dat salutem Regibus. Sicut David hic etiam testatur, tantum Domini beneficium esse, quod populus iste tam varie afflictus, tamen non possit opprimi, sed vincat. Hic cum victoriam non donat, frustra sunt arma, Cum donat, etiam frustra est quicquid mundus armis & omni vi contra molitur. Ad hunc modum decurrit ad primum præceptum, & excludit simpliciter quicquid non est Deus, nempe exercitus, gladios, arma, munitiones, sapientes homines, industrios, fortes, pecuniam, quam nervos belli appellant, ac dicit omnia illa conjuncta, non potuisse servare hunc populum, sed Dominum servasse.

At David scit Deum esse, qui det salutem Regibus.

Psal. 144.

Hæc nobis quoq; discenda sunt, ut sciamus, quibus præsidijs vere & tuto niti possimus, Alij qui diversum canunt, eos sinamus sua spe frui, dum discant & experiantur eam frustra esse. Sicut Pontifex canit, Nisi rex Galliæ esset nobiscum, &c. Sic nostri Episcopi canunt, Nisi dux Georgius esset nobiscum, &c. Hi enim sunt, in quorum opibus, potentia, & armis impij homines confidunt. Canant igitur quamdiu libet, fiet tandē, ut deficiat vox eorum, & cantus tam alta voce cœptus, exeat in asininam raucedinem. Nos quidem pauci & contempti sumus, contra illi gloriosi, multi, divites, & magni, Sed erimus, Dei beneficio, superiores, & manebimus invicti, Si modo Domi-

Digitized by Google

do Dominum nobiſcum habemus, & non nitimur humanis præſidijs,ſed Domini auxilio.Impoſſibile enim eſt credentem deſeri. Sic inculcat David primum præceptum in hoc verſiculo.

Eſt igitur hic grandis Synecdoche, in vocabulo Iſraël. Major enim pars populi cecinit (ſicut dixi iam canere Papiſtas noſtros) Niſi rex Ægypti,niſi rex Syriæ eſſet nobiſcum, Deo protectori vero & unico, laudem protectionis non tribuerunt. Hoc enim non totus Iſraël,ſed ſeptem millia, quæ Dominus ſibi reliqua fecit, faciunt,Alia tota multitudo tribuit id opibus,potentiæ,induſtriæ,viribus humanis.Ideo hortatur David,& repetit, Niſi Dominus eſſet nobiſcum, dicat nunc Iſraël. Quid autem opus eſſet repetita exhortatione, ſi omnes ſua ſponte agnoſcerent hoc Dei beneficium, & non major pars eſſet, quæ huius beneficij alias cauſas eſſe putaret? *Iſrael.* *Niſi Dominus eſſet nobiſcum.*

Sed hic David ſe oſtendit Rhetorem quoq; eſſe. Dialectice dixit, Eſſe Deo agendas gratias pro conſervatione & defenſione huius Regni. Nunc Rhetorice amplificat periculum, cum dicit, Homines inſurgunt contra nos. Eſt enim Emphaſis in vocabulo, Homines, Q. d. Nos Iudæi ſumus quaſi vltima fex orbis,& minima hominum portio, Inſurgunt autem contra nos homines, hoc eſt, Reges, Principes, divites, ſapientes, & quicquid in hoc ſeculo potens & magnum eſt, hi omnes non adverſantur nobis, nec oderunt nos communi modo, Sic contra nos inſurgunt, ut conentur plane nos delere & opprimere. Si enim ad orientem, ad Aquilonem, ad Septentrionem & Meridiem te vertas, & conſideres quot & quam ampla Regna nos cingant, quam omnia capitali odio contra nos incenſa ſint, Plane judicabimur ſimiles oviculæ,quam centum lupi circumſtant, & omni momento irruere & vorare eam conantur. Quod igitur ſumus incolumes, & noſtrorum hoſtium conatus vani ſunt,hoc agnoſce,ô Iſraël, Dei beneficium eſſe,qui tam parvum gregem, tam magnifico miraculo defendit & ſervat. *Homines inſurgunt contra nos*

Ad hunc modum cum nos hodie nobiſcum rationem inimus mirabilis gubernationis divinæ, cogimur fateri tantam eſſe Satanæ potentiam, ut unus ejus angelus uno momento,omnes nos,qui Chriſtum docemus & confitemur,poſſet occidere,& totum orbem involvere cædibus.Iam palam eſt,multos eſſe Principes,quorum ſtudia omnia ſpectant ad nos opprimendos. Hos accendunt & adjuvant impia turba Papæ,Pontifices,Epiſcopi,Monachi,&c. Contra hos tantos viros, quid dicemus aliud eſſe', quo ſervamur & defendimur, quam quod Dominus concluſit ſuper nos firmiſſimam manum, quæ, ceu æneus murus, ſtat immota, & excipit ac depellit tum Mundi, tum Satanæ violenta jacula, quibus omnibus momentis petimur. Quod igitur vivimus, quod docemus jam verbum Dei,quod vos id auditis,quod in Eccleſijs eſt locus, in quo baptizamus, quod miniſtri ſunt, qui Sacramenta adminiſtrant,& verbo gubernant Eccleſias, hæc omnia certum eſt Satanam non poſſe ferre. Quare portas inferorum commoyet,& tamen cogitur ferre, propter potentiam regis noſtri Chriſti,qui ſedet ad dexteram Dei,humanis viribus nullo modo poſſent hæc defendi & retineri. Quod ſi nonnunquam ſuccedit conatibus Satanæ,ut Eccleſias perturbet, Doctores occidat,& ſimilia faciat,hæc fiunt,ut Deus oſtentat nobis, quid omni momento Satan poſſet facere,niſi ei divina potentia obſiſteretur,ut ſcilicet ambulemus in timore Dei,& cum Davide agnoſcentes hoc beneficium, aſſidue id à Deo rogemus. *Potentia Satanæ.*

Diſcamus igitur cum Davide canere,Niſi Dominus eſſet nobiſcum,cum homines contra nos inſurgerent, deglutiviſſent nos. Non enim Vires,non opes, non ſapientia,non juſticia noſtra, nos ſervant,Sed virtus & potentia omnipotentis Dei, quæ nobis proponitur in primo præcepto, ut in Deo habeamus poſitam fiduciam omnem,De nobis autem & noſtris viribus deſperemus,ac nos projiciamus in certiorem ac meliorem potentiam,quæ eſt divinæ virtutis. Cum enim ſentimus nos eſſe infirmos, non debemus ideo deſperare, ſed reſpicere ad Chriſtum, & ſperare, quia Chriſtus eſt omnipotens ſicut conſolatur in Iohanne,cum dicit,Confidite,Ego vici mundum *Virtute omnipotentiæ Dei ſervamur.* *Ego vici mundum.*

mundum.hoc est,non respicite ad vos,an possitis vincere mundum, ad me respicite, & sentite meam victoriam esse vestram. Ergo in tentationibus cum à Satana vexamur, ideo confidamus, quia Christus dicit, Ego eis do vitam æternam,& nemo eos rapiet de manu mea, Iohan.10.

Iohan.19.

Iohan.10

Deo confidendum, & tamen media ab ipso condita non negligenda sunt.

Interim tamen non sunt omittenda aut negligenda, quæ sunt nostri officij in Ecclesia, retinenda est spes auxilij divini, & tamen quantum possumus debemus Ecclesijs adesse docendo, exhortando, consolando, orando. Sic Magistratus politicus debet spem auxilij divini retinere. & tamen hoc non committendum est, ut aut non muniat infirma loca, aut noctu sine excubitoribus portas non claudat. Sic Paterfamilias de labore & industria nihil debet remittere, & tamen debet sentire quod alius Psalmus jubet, Nisi Dominus ædificaverit domum, frustra laborat, qui eam ædificat. Hæc enim non solum licita,sed præcepta etiam media sunt, per quæ vult œconomiam, politiam, & Ecclesiam conservare. Vbi autem hæc media infirmiora sunt,quam ut sustinere pericula possint, ibi Deus potius quam relinquat confidentes in se per miraculum solet ostendere potentiam suam. Sic in Ecclesia visibilis Dei potentia est, quam exercet per Pastores pios, qui per sanam doctrinam scandalis medentur. Hoc medium per se infirmius est, quam ut scandala prorsus tolli possint, Ergo Deus secundum illam visibilem potentiam, etiam ostendit suam potentiam invisibilem, quod Arium subitus casus opprimit, Cerinthum opprimit balneum, Aliorum alij exitus sunt, quibus Deus Ecclesiæ ostendit se palam improbare impia dogmata.

Psal.127.

Arius. Cerinthus.

Periculum Ecclesiæ & piorum.

Ad hunc modum pingit David hoc in loco periculum Ecclesiæ & piorum, quod totus mundus contra eos insurgit, nec id tantum, sed etiam furiose irascitur, ita ut intelligas facultate nocendi etiam voluntatem, studium,& ardorem nocendi conjunctum esse. Sic undiq; omnia pleniſſima periculi sunt. Satan circumit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret, Principes mundi insurgunt & furiose irascuntur, Ad hæc in carne & conscientia nostra hærent horribilia peccata. Quod igitur non omnibus momentis,aut in desperationem prolabimur,aut alia via perimus, ideo fit, quia major est, qui in nobis est, quam cor nostrum & totus mundus, Sicut David confitetur, Nisi Dominus esset nobiscum, inimici nostri vivos deglutivissent nos. Nunc addit insignem similitudinem,qua amplificat illam magnitudinem periculi & potentiæ Impiorum.

1.Petr.5.

1.Iohan.4.

IIII. V.

Aquæ obruissent nos, fluvij transissent super animam nostram.
Transissent super animam nostram aquæ nimis altæ.

Nota est, sed mire apta & significantissima similitudo. Horribilis est species incendij grassantis, sed longe vincit flumen exundans & cum impetu ruens. Nulla enim potentia,nullis viribus potest cohiberi,Sicut igitur,inquit,flumen cum magno impetu fertur,& quicquid obviam venit,evellit & dissipat, Ita etiam est furor hostium Ecclesiæ, humana vi non potest cohiberi. Quare discamus uti præsidio & ope Domini. Quid enim est Ecclesia, quam navicola alligata ripæ, quæ impetu aquæ abripitur? aut frutex ad ripam hærens,quam sine ullo conatu diluvium evellit? Talis Davidis tempore fuit populus Israel, collatus ad vicinas gentes, Talis hodie est Ecclesia collata ad adversarios, Tales sumus singuli, collati ad potentiam maligni spiritus,Sumus tanquam fruticulus temere natus,& parum firmiter hærens,Ipse autem est sicut Albis exundans,& magno impetu omnia late sternens. Nos sumus sicut aridum foliolum leviter hærens in arbore, Ipse est tanquam vehemens Boreas, magna vi etiam arbores evellens & prosternens. Hic quomodo possumus nostris viribus nos sustinere,aut tueri?

Ecclesia in mundo.

Discendum igitur est, ut nos conjiciamus fide in Verbum, Nam victoria nostra aliud nihil est, quam fides. Etsi etiam munitiones & arma habent suum locum, tamen in eis nihil præsidij est, nisi adsit fiducia in Deum,quam primum præceptum nobis proponit. Ibi enim nobis ostenditur, Deum velle esse nostrum Deum. At

1.Iohan.5.

Fides in Deum.

scimus

Digitized by Google

ſcimus eam Dei eſſe potentiam ut nihil referat, ſive validus ventus, ſive magna vis fluminis quantumvis humilem caſam in patenti campo poſitam invadat. Hæc ſit fiducia noſtra, & ſumma auxilij noſtri, quod Deus eſt noſter defenſor, ne flumina & torrentes abripiant nos. Hanc defenſionem & conſervationem impij neq; norunt, nec credunt. Tribuunt enim omnia ſuis viribus, conſilijs, opibus, Sed Salomo etiam his præſidijs inſtructiſſimus Rex fuit, Sicut Scriptura ſapientiam & opes ejus magnifice commendat, & tamen canit, Niſi Dominus ædificaverit domum, fruſtra laborant qui ædificant eam, Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam. Quod vertimus, aquæ nimis altæ, in Ebræo eſt, aquæ ſuperbæ, tumidæ, impetuoſæ, quæ ſuſtineri non poſſunt. *Salomo.*

Hactenus David erudivit & ſimul exhortatus eſt ſuos ad agendas gratias. Nam docuit nos quis ſit conſervator noſter, & quo in periculis confugiendum ſit, cuijetiam acceptum ferendum ſit, quod vivimus, quod dormimus ſecure, quod fruimur ſanis oculis, auribus, manibus, & quod fruimur uxore, liberis, & alijs, quæ Dominus nobis largitus eſt, ut ſcilicet ſuper hæc omnia ſcribamus hunc verſiculũ, NISI DOMINVS FVISSET NOBISCVM. Neque enim noſtri conſilij, aut virium noſtrarum eſt, quod nos & noſtra ſalva ſunt, Sed eſt virtus omnipotentis Dei, qui facit nos durare in medio inundationis aquarum ſuperbarum, ſicut in proximo exemplo noſtræ experientiæ eſt, ut hunc verſum merito cum Davide canamus.

Commoverat Pontifex Romanus Clemens maria omnia, quaſi obſorpturus eſſet uno ſpiritu omnes Eccleſias, Diabolus quoque extrema conatus eſt, & multa millia diabolorum miſit Auguſtam, qui inſtigarent Principes ad nos opprimendos. Sic erant ibi inundationes, Sed Dominus Pontificis & Satanæ impias cogitationes voluit eſſe irritas, & prohibuit ne fierent. Ita manifeſto miraculo, quod communem modum excedit, ſervati nos ſumus, Adverſarij autem noſtri, quod Pſalmus ſeptimus dicit, peperierunt vanitatem. Hæc eſt noſtra experientia, quam proximo anno vidimus. Quod igitur poſt illas machinationes & practicas impiorum, nos rebus noſtris in pace fruimur, quod adhuc hodie docemus Evangelium, & diabolus cogitur tacere, ac mundus quieſcere, hoc totum fit beneficio Domini, non noſtra ſapientia & virtute. Quare cum Davide merito canimus, Niſi Dominus fuiſſet nobiſcum, cum exurgerent homines Auguſtæ contra nos, certe vivos deglutiviſſent nos. Non enim obſcurum eſt, quam cruenta conſilia agitaverint viri ſanguinum, & doloſi Epiſcopi. Hæc igitur ſunt communia miracula, quæ nemo videt, niſi David, & ij, qui habent cognitionem primi præcepti, in quo Deus dicit, Se velle eſſe Deum & defenſorem noſtrum, qui velit facere miſericordiam in millia, his qui diligunt eum. Nunc ſequitur gratiarum actio. *Comitia Augustana.* *Comitia pericula nemo videt.*

Benedictus ſit Dominus, quod non dat nos prædam dentibus eorum. VL

Hic non exhortatur, ſicut ſupra, cum diceret, Sic dicat Iſrael, Sed gratias agit pro ijs beneficijs, pro defenſione & conſervatione, quæ hactenus commemoravit. Porro verbum recte legitur in præſenti, non in præterito, ſicut Latina verſio habet, ut ſcilicet ſignificetur aſſiduitas perpetua, qua ſine interminſione cuſtos Eccleſiæ vigilat, ut ſalvi & tuti ſimus ab inſidijs Dæmonum & impiarum gentium, quæ tanquam famelicus Leo, prædæ inhiant omni momento, & optant lacerare & vorare Eccleſiam. Hæc pericula carnalis Iſrael non videt, ſed vivit ſecurus, ac nunquam de hoſte cogitat, ſicut fere vulgus ſemper ſolet, præſertim cum opes & potentia accedunt. Ibi putant homines ſe in medio roſarum habitare, Deo non gratias agunt pro tutela hac & alijs donis, quibus cumulantur, ſed putant fieri quadam naturæ conſuetudine, quod pace fruuntur, & poſſunt augere rem ſuam. Atqui propter electos, tantis beneficijs mali fruuntur, Poſt cum aut peſtis aut bellum ingruit, & Satanæ conceditur poteſtas graſſandi in homines, tum demum diſcunt intelligere, Dei potentia ſe hactenus ſervatos & defenſos eſſe. Nos igitur ſimus cauti, ne tali ſecuritate beneficia Dei negligamus, ſed cum Davide cantemus, & gratias agamus *Gratias agit.* *Vulgus abutitur beneficijs Dei.*

agamus Domino Deo noſtro, qui nobiſcum eſt, & impedit, ne famelici leones, qui acuerunt dentes ſuos ad nos vorandos, nobis nocere poſſint. Abſque hac divina tutela, non eſt ratio qua poſſit Satanæ & ejus membris obſiſti, ne uno momento quidem.

VII. *Anima noſtra evaſit, ſicut avis ex laqueo aucupis, Laqueus ruptus eſt, & nos liberati ſumus.*

Etſi, ut ſupra dixi, præterita hic ſint, tamen recte intelliguntur de continuatione periculorum, quod Satan ſine intermiſſione nos ſectatur, & inſidijs excipit, ex quibus nos Dei beneficio, ſicut jam capta avis, ex laqueo rupto evadimus. Sic enim Satan imminet noſtris cervicibus, ut jam jam arrepturus nos eſſe videatur, & tamen auxilio Domini, etiam cum jam capti videmur, elabimur. Sed hic admonendi eſtis, ut illam ſingularem proprietatem, qua adverſarios verbi Spiritus ſanctus, tanquam optimus pictor, pingit, obſervetis. Periculi magnitudinem ſupra ſatis ſignificanter expreſſit, cum iſtam hominum iram & furorem comparavit inundantibus aquis, & magna vi, magnoq; impetu ruentibus, Non ideo ſolum, ut oſtenderet, quid adverſarij cogitent, ſed etiam ut nos admoneret noſtri, quod in hominibus tantum virium non ſit, ut ſuſtinere illa, aut nos contra tantum furorem humanis viribus defendere poſſimus, ut ſcilicet in talibus periculis non ſolum obliviſcamur humanorum præſidiorum, quæ videntur opponi poſſe, ſed etiam plane de ijs deſperemus, & nitamur tantum eo, quod initio dixit, Niſi Dominus eſſet nobiſcum.

Diluvium aquarum.

Hic autem non ſolum periculum, ut videtur, pingit, ſed ipſos autores periculorum, hoc eſt, hoſtes verbi, & adverſarios Chriſti, Hos primum comparat beſtijs, prædam arripientibus ore ſeu dentibus. Nam inter reliquas beſtias hæ truculentiores, ſæviores, & efferatæ magis ſunt, quæ dentibus lacerant, ſicut lupi & leones, præſertim cum etiam fame incitantur. Significat igitur Spiritus ſanctus, in adverſarijs Verbi, eſſe ſingularem truculentiam, feritatem, crudelitatem, ſævitiam, quæ exaturari non poſſit, niſi laceratis & occiſis verbi confeſſoribus, Sicut famelicus lupus, qui in oves incidit, non exaturatur, niſi occiſis & laceratis ovibus. Hæc prima pars eſt hujus picturæ, ſicut paſſim ſine figura, Scriptura vocat ſanguinarios, crudeles, veloces ad effundendum ſanguinem, Et teſtantur idem omnes hiſtoriæ populi Iſrael, & Eccleſiæ inter Gentes.

Dentes furorum.

Adverſarij verbi crudeles.

Sed hoc cor tam ſævum, immite & crudele, non oſtendunt Adverſarij verbi, ſed tegunt, & ornant ſimulatione officiorum concordiæ quærendæ, ſanandarum diſcordiarum, &c. ſicut hæc altera ſimilitudo de Aucupe pulcherrime oſtendit. Auceps omnia ſimulat, quæ poteſt, proponit eſcam, habet chorum avicularum tanquam in læta re ſecure canentium, Ipſe quoque auceps aliquid accinit, ita ut ſi ſpeciem conſideres, omnia ſint amiciſſime inſtructa, Sed in his ſimulatis officijs, quis neſcit quale periculum ſtruatur miſeris aviculis? Laquei enim latent, qui etſi aperti eſſent, tamen non haberent illam horribilem ſpeciem, quam vel ſtricti gladij, vel nudi luporum dentes exhibent. Sed cur omnia hæc inſtruuntur ab aucupe? Nonne ut aviculis captis obtorqueat collum, & eas ſtrangulet? Sic ſignificat hæc figura belliſſime, aſtum, calliditatem, dolos, & inſidias, quibus ſævitiam & crudelitatem ſuam adverſarij Verbi tegunt, cum revera aliud nihil agant, quam quomodo nos capiant & occidant.

Laqueum aucupis.

Hujuſmodi aucupium Satanicum perpetuo exercent, & cum ſumma crudelitate extremam calliditatem conjungunt, ſicut manifeſtis exemplis declararunt. De VVormatienſi Edicto nihil dico, Auguſtanorum vero Comitiorum ſupra meminimus. Ibi Satanæ aucupes, Pontifex & Epiſcopi, tanquam in aucupio, Carolum generoſum illud & pacis amantiſſimum pectus, tanquam noctuam ſuo aucupio aptam, Auguſtam accerſiverunt, non concordiæ ſtudio, quam ſimulabant, ſed ut noſtri advolantes opprimerentur. Sicut etiam noſtros dimiſerunt, cum hac ultima reſponſione, Se conjuncturos non ſolum vires & opes, ſed ſanguinem etiam, ad noſtram doctrinam

Hoſtes verbi crudeles & calidi ſunt.

Digitized by Google

ctrinam opprimendam. Ibi tandem patuerunt doli & crudelitas istorum aucupum Satanæ,quibus tamen clementia & bonitas Cæsaris occurrit, Deo sic rumpente laqueos & nos liberante. Conveniunt itaq; hæc, experientia nostra,& Spiritus sancti aptissimæ picturæ, quibus pingit adversarios,quod juxta crudeles & callidi sint, nec possit esse contra eos aliud præsidium,quam quod Dominus rumpit laqueum,& pios liberat,secundum sententiam, Nisi Dominus esset nobiscum.

Porro hujusmodi pericula & liberationes,etiam privatim experimur. Quoties accidit, ut serventur, qui jamjam videntur morbo victi? Quoties in aquis præter spem emergunt aliqui? Quoties accidit, ut periculose lapsi tamen non lædantur? Hæc recte tribuimus patrocinio bonorum Angelorum, quo nos servant ab insidijs Satanæ,ex mandato Dei, Servamur enim sine consilio nostro,imo tum ubi desperare nos cogunt omnes vires & omnia consilia nostra. Hæc privata sunt, sed sunt tamen signa istius publicæ consolationis, cujus hic meminit David, quod Deus tum adest & servat,cum jamjam videmur perituri. Sic Psalm.94. Nisi Dominus adjuvisset me,paulominus habitasset in inferno anima mea. Nam hoc experimur in ijs,qui tristiciæ spiritu oppressi sunt,cum jamjam desperaturi esse videntur,quasi in ultimo puncto affulget consolatio,&c.

Custodia bonorum Angelorum, in privatis est signum publicæ consolationis de qua hic.

Psal.94.

Sic igitur est vita nostra exposita laqueis Diaboli,& nos sumus ceu stultæ aviculæ,quibus Satan tendit retia,non solum ut vitam nobis adimat,sed ut conjiciat in peccata,& alijs calamitatibus involvat. Si occidere potest, facit, si non potest, saltem ad casum periculorum impellit. Est enim pater mendacij,& homicida. Quod igitur non seducimur, sed defendimur à mendacio & peccatis ac vita incolumi fruimur,sunt Dei dona. Ideo autem fit aliquando ut Satan efficiat, quod vult & noceat aut corporibus aut animabus, ut Deus nos admoneat periculorum talium, & excitet ad fidem ac orationem,ut contra hosce infinitos & innumerabiles laqueos imploremus ejus auxilium,& servati agamus ei gratias.

Quod à Satanæ insidijs defendamur Dei donum est.

Idem. 8.

Adjutorium nostrum est in nomine Domini,qui fecit cælum & terram.

Hæc est conclusio gratiarum actionis, quæ continet insignem sententiam, quod contra Peccatum,mortem,& alia pericula nulla sit salus,quam nomen Domini,hoc nisi esset,inquit,rueremus in omnis generis peccata,in blasphemias,errores, item in pericula omnia, Sed adjutorium nostrum est in nomine Domini,defendentis contra hæc & servantis fidem & vitam nostram contra Satanam & mundum. Sicut autem superiora ita hic quoq; versus probat,quod Deus sinit Sanctos suos tentari, & in tentatione tanquam in aquis sic periclitari, ut videantur perituri esse. Consolatur autem, quod tandem non sit deserturos suos, ut scilicet in his tanquam exemplis discamus cognoscere voluntatem divinam,& quærere salutem apud Dominum,qui ideo suos exercet in fornace Ægypti,ut occidat veterem hominem cum fiducijs & spebus,quas habet in sua justicia & viribus suis.

Nomen Domini servat adversus peccatum, &c.

Huc pertinent omnes experientiæ istæ. Neque enim unquam futurum est,ut quis speculative & docendo tantum fiat Christianus, practica requiritur, hoc est, Crux,quæ redigat carnem in nihilum,ut homo de auxilio suo desperet, & se rejiciat in auxilium divinum, idq; patienter & cum spe expectet. Hæc enim est voluntas Dei,neq; est ut nos alium Deum nobis fingamus, quam qui velit adjuvare laborantes, & oppressos desperatione,atq; alijs calamitatibus. Hanc doctrinam nosse, est quædam victoriæ pars. Nam qui eam nesciunt, hi mox ingruente tentatione hoc ipsum faciunt,quod Satan quærit ac optat,ut aut desperent,aut aliena præsidia quærant, Ergo discamus ex hoc Psalmo, Deum sic agere cum suis Sanctis, ut exerceat eos & sinat flumina irruere super eos, Item ut laqueos,ac insidias sinat poni, ac omnia tentet,Non quidem ut perdat nos,Sed ut ostentat nos nobis ipsis,& doceat in suam salutem sperare. Beatus vero qui ista hoc modo intelligit. Caro enim intuetur in potentiam & multitudinem adversariorum,& suam solitudinem ac infirmitatem, ut vero in Deum speret,& ejus auxilium expectet,id non facit.

Sine praxi fœ cruce nemo Christianus fit.

Cur Deus subjectos suos crucet.

Quare

Adjutorium meum in nomine Domini.

Quare neceſſaria eſt hæc concluſio, *Adjutorium meum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Brevis ſententia eſt, ſed & doctrinam & conſolationem graviſſimam proponit, qua præſertim his ultimis temporibus nobis maxime eſt opus. Videmus enim quo furore Papa & major pars principum doctrinam Evangelij perſequantur, Ad hanc quaſi molem mundi, quid quæſo nos ſumus? Imo etſi nulla hominum vis timenda eſſet, quid ſumus nos contra tot dæmones & portas inferorum? Et tamen experimur, etiam cum arripimur & opprimimur, tamen ad extremum nos non deſeri, ſed tutos eſſe fiducia ejus auxilij, quod eſt in manu Domini.

Brevitas adjutorii.

Sed ad hanc ſapientiam impoſſibile eſt nos venire, ſine aſſiduis afflictionibus, quibus frangi fiduciam carnalium præſidiorum neceſſe eſt. Vexatio enim ſecundum Eſaiam, dat hunc intellectum, ut clamemus, O Domine actum eſt, ſuccurre tu nobis. Sic in ultima hora, quando mors ingruit, tunc neque Cæſaris nec Regum opes & potentia, neque juſticia, neque quicquam aliud eſt, in quo animus poſſit acquieſcere. In hoc autem ſolo auxilio manus Domini recte & ſecure acquieſcitur, qui tum dicunt, Adjutorium meum in nomine Domini, iſti feliciter moriuntur & ſunt extra periculum. Sic pertinet hic Pſalmus ad primum Præceptum, ut diſcamus quid

Habere Deum.

ſit habere Deum, nempe, acquieſcere in fiducia miſericordiæ & auxilij Dei in omnibus periculis.

Sunt igitur hæc verba vincentis & triumphantis fidei, Adjutorium meum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram, Q. d. Deus meus & adjutor meus, eſt factor cœli & terræ, Hujus Dei ſimilem oſtendite mihi vos adverſarij mei. Quid igitur ad hunc Deum ſunt veſtri laquei? quid minæ, potentia, conſilia? &c. Sic opponit magnitudini periculorum, inundationibus & diluvijs illis tentationum, illum æternum Deum, & abſorbet tanquam uno ſpiritu univerſas furias totius mundi & infe-

Mundus.

rorum, ſicut abſorbetur à magno incendio guttula aquæ, Ac revera quid eſt mundus cum omni potentia, armis & opibus, ſi eum ſpectes qui cœlum & terram fecit? Fremat igitur ac indignetur, modo nobis hoc adjutorium maneat, etſi aliquid ferendum & devorandum eſt, tamen vincemus tandem, Amen.

PSALMUS CXXV.

Qui confidunt in Domino.

Idem fere hujus Pſalmi argumentum cum ſuperiore. Doctrina fidei.

PRæcedens Pſalmus fuit gratiarum actio, & ſacrificium laudis, quod Sancti experiuntur ſe fideliter & oportuno tempore adjuvari, Hic Pſalmus, qui ſequitur, plane eodem argumento eſt. Pertinet enim ad doctrinam Fidei, & exhortatur ad fidem & ſpem in Domini auxilio repoſitam, quam magnificis promiſſionibus ornat & commendat. Porro ex ſuperioribus facile eſt eum intelligere. Omnis enim ſapientia hæc in eo eſt poſita, ut ex oculis removeamus, quicquid caro poteſt comprehendere, & ſecundum Verbum, diverſum ab eo quod ſcimus, ſentimus & videmus, ſtatuamus. Proprie igitur eſt contra Philoſophiam & rationem humanam. Neceſſe eſt, inquit Ariſtoteles, habentem intellectum, phantaſmata ſpeculari. Sed hic diverſum fit. Nam Chriſtianum neceſſe eſt plane nihil ſpeculari, & tamen intellectum habere & ſapere, ſiquidem videt, audit & experitur contraria. Qui decumbit in lecto morti vicinus, is ſecundum rationem ſuam, aliud nihil poteſt ſpeculari, quam phantaſma mortis, Atqui Chriſtianus, omiſſo eo phantaſmate, ſcit ibi veram vitam eſſe. Atqui, inquis, mortem videt, ſentit & experitur, vitam non ſentit. Recte, Sed quia in Verbo hæret, & ſecundum Verbum, non ſecundum ſuum ſenſum judicat, ideo nihil aliud in ipſa morte quam vitam videt, &

Potentia Verbi.

in ipſis tenebris nihil quam clariſſimam lucem. Sicut enim Deus ex nihilo facit omnia & ex tenebris lucem, Sic etiam facit Verbum ejus, ut in ipſa morte nihil ſit quam vita. Ergo qui adhærent verbo promittentis Dei, & id ſequuntur, hi tandem experiuntur, quod David alibi dicit, Dixit Deus & facta ſunt, mandavit & creata ſunt, Sed priuſquam ad hanc experientiam perveniatur, aliquid ferendum eſt, Ideo exhortatione tali eſt opus, qualem hic Pſalmus proponit.

Qui

Digitized by Google

Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebuntur, ſed in æternum permanebunt.

Quod utitur ſimilitudine montis Sion, inde fit, Quia Ieruſalem (in qua erat Sion) cum templum iſtic ædificatum eſſet, habebat promiſſiones Dei inſignes, quales paſſim in Prophetis obviæ ſunt, quod eſſet duratura invicta contra omnes calamitates, propter Deum inhabitantem, & quaſi civem, qui in ea habebat focum ſeu caminum ſuum, ſecundum promiſſionem ubi dicit, Hæc eſt requies mea. Itaq; alius Pſal- *Sion.*
mus gloriatur, Congregati ſunt ibi Principes, viderunt eam, & tranſierunt. Sicut in- *pſal. 32.*
ſignis eſt clades Aſſyriorum ſub Ezechia, item aliorum Regum, ſicut hiſtoriæ oſten- *Sanherib.*
dunt, quæ commemorant Ieruſalem in extremis periculis manſiſſe incolumem, non virtute aut conſilio civium, ſed Dei habitantis in ea, & ſic ornantis ac defendentis ſuam Rempublicam. Ad hunc modum, nomine montis Sion hic utitur Propheta.
pſal. 48. Sic igitur, inquit, mons Sion & ſancta noſtra urbs Ieruſalem non commovetur, ſed manet incolumis & emergit ex ſummis periculis. Ita qui ſalvus fieri, vivere, ſanus & incolumis eſſe vult, contra omnia pericula mundi & portarum infernarum, is confidat ſeu ſperet in Domino.

Hunc Doctorem diligenter conſidera, Non præcipientem opus aliquod, ſicut in Papatu, Monachatus, peregrinationes, jejunia, & alij ſtulti cultus in periculis, hominibus propoſiti ſunt, Sed ſimpliciſſima via ducentem ad Deum & ad primum præceptum, ac pronunciantem, hanc eſſe ſummam ſalutem, Confidere ac ſperare, Hoc cultu Deum unice delectari. Hæc enim eſt natura Dei, ut jamvante dixi, ex nihilo creare omnia. Itaque in morte vitam, in tenebris lucem creat & oſtendit. Idem fides ſua natura & propriiſſima proprietate credit. Quando igitur Deus talem hominem invenit, convenientem cum ſua natura, hoc eſt, qui credit in periculis auxilium, in morte vitam, in inopia opes, in peccatis juſticiam, idq; tantum propter miſericordiam Dei ſeu Chriſtum, talem hominem Deus neq; odiſſe nec deſerere poteſt. Eſt enim verus Dei ſervus & cultor, dum confidit in miſericordia Dei. Hoc cultu Deus unice delectatur, quia gaudet ex nihilo facere aliquid. Sic creavit mundum ex nihilo, Sic erigit pauperes & oppreſſos, ſic juſtificat peccatores, ſic vivificat mortuos, ſic ſalvat damnatos, &c.

Iubet ſperare non hoc aut illud opus facere, ſi vitam ſervare.

Natura Dei.

Verus Dei ſervus.

Ergo hæc Regula retinenda eſt, Qui conſentit naturæ Dei, & obtemperat ejus voluntati, expectando aliquid, ubi nihil eſt, ille eſt qui Deo placet, & qui non commovebitur. Sed hic cautela opus eſt, ne nobis fingamus falſam ſpem, pugnantem cum Verbo & vocatione noſtra, Sicut ſi quis neglecto ponte, pedibus tranſire Albim velit, fiducia Dei, is profecto mergeretur, Sic ſi quis Verbi miniſter, neglecto miniſterio, fiducia Dei, militare velit, & ſe immiſcere armis, ſtulte faceret, & merito periret, in periculo, quod amavit. Hoc enim primum eſt, ut quiſq; ſit certus de vocatione, doctrina, & vita ſua. Hanc cum urges, & facis officium, ac cum pericula ſeſe oſtendunt, ibi confide & ſpera, & ſpes tua non erit fruſtra. Sic qui in conjugio vivit, & certo vitæ genere, is habet vocationem ſuam, Hanc cum vel Satan impedit, vel vicini, vel familia, vel etiam propria animi imbecillitas, non debet cedere, nec frangi animo, Sed ſi quid incommodi objicitur, expectet Dominum. Quod ſi Dominus ſuo tempore non fert auxilium, arguat me & Davidem mendacij. Hic enim, nempe in operibus vocationis, Deus mandavit ſpem & fiduciam ſui auxilij. Sed cum opus eligitur extra vocationem, de quo certus eſſe non potes, quod Deo placeat, ibi ſpes nulla eſt, ſed potius præſumptio & tentatio Dei, itaq; non poteſt eſſe felix.

Spes non debet diſcedere à vocatione.

Mortua ſpes.

Theologus ſperet.

Ergo fiducia hæc in Dominum, requirit, ut ſis in eo loco, opere, inſtituto, quod vocationis tuæ proprium eſt. Sic qui vocatur ad Eccleſias docendas, certus eſt, ſe eſſe in tali vitæ genere, in quo Deus vult, ut diligenter officium faciat. Sed hoc Satan varie impedit, Incendit odio miniſterij ruſticos & cives, deinde etiam commovet fanaticos ſpiritus. Hic memineris vigere tuum officium, & ſperare opem, nec te defatigari ſinas, ſiquidem ſcis Deum hoc velle. Quod ſi vitæ periculum

subeundum sit, ne id quidem recusa, non enim patietur Deus spem tuam frustra esse.

Magistratus officium.

Si qui in Magistratu sunt, hi norunt Dei mandatum esse, supplicio afficere improbos, ne licentia crescat, & ut boni in tuto sint. Hoc cum sedulo Magistratus conatur facere, non potest cavere odia & inimicitias. Hæc qui considerare volunt resiliunt, & malunt discedere ab officio, quam tot odia sustinere. Sic hisce quasi spectris periculorum vocationem sibi patiuntur ob imbecillitatem animi excuti, & malunt retinere hominum favorem, quam Dei voluntati obsequi. Hoc si spectare præcipue vellet Doctor Ecclesiæ, fane posset sic dissimilare pleraque & moderari orationem, ne à quoquam reprehenderetur. Sed nullo modo hoc licet, quin postquam certus es te vocatum esse ad Magistratum gerendum, exerce officium tuum, sine ullo metu periculi, Si quid autem incidit, commenda te Deo, & cogita si Deus te vult hoc modo perire, ut feras æquo animo. Hanc spem si singuli ad suum vitæ genus afferrent, longe gererentur omnia felicius, Nunc pauciſſimi sunt qui hoc faciunt, major pars potius ab officio discedere malunt, quam hoc modo sperare, & subire periculum. Ideo tanta passim incommoda tum in Ecclesia, tum Politia ingruunt, tanquam manifestæ Pœnæ hujus tum diffidentiæ, à qua hic Psalmus nos dehortatur, tum inobedientiæ.

Videndum ergo est, ut articulus de fide misericordiæ Dei, & auxilij divini, non contaminetur per præsumptionem.

Videndum ergo est, ut articulus de fide misericordiæ Dei, & auxilij divini, non contaminetur præsumptione, seu tentatione Dei, quæ existit in falsa vocatione, ibi enim necesse est ruere & perire. Sicut econtra qui in obedientia & vocatione sua sperat & confidit, manebit immotus, sicut mons Sion, etiamsi omnia conetur Satan & tentet. Nocebit quidem & contristabit, ac rem eo deducet, ut videaris tibi desertus ab omni creatura, & tamen ad extremum victus discedet, si confisus fueris in Domino. Sic Augustæ in proximis Comitijs, in tanto consensu Principum, causa nostra videbatur plane corruisse, & tamen adhuc vivimus, & fruimur optabili pace, contra Satanæ, Pontificis, & omnium Verbi hostium voluntatem. Hisce certaminibus assuescendum est, ut non frangamur statim animo, cum videmus inclinari causam nostram. Sed quanto plus periculi est, tanto spèremus pertinacius, ita fiet tandem, ut victi vincamus, & victor nobis det manus.

Hoc est quod Psalmus canit, Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebuntur, sed in æternum permanebunt. Profecto insignis promissio, quod certum sit, nos mansuros. Si igitur non manemus, nostra ea culpa est, quod non perstamus in fide. Necesse enim est, promissionem hanc veram esse. Sicut enim impossibile est, ut Deus seipsum neget, & non sit Deus, sic impossibile est, ut deserat sperantes in ipsum. Sed non oportet offendi mora, quæ intercedit, Neq; enim Dei potentia prius potest habere locum, quam nos ad extremum usq; simus, ut Scripturæ verbo utar, exinaniti, & exuti omnibus præsidijs. Ad hunc modum cum navicula jam tota obruta videtur fluctibus, tum Dominus se revelat, & pereuntem jam, PEREVNTEM, inquam, servat, sicut geminæ Evangelij historiæ, una de navicula, altera de Petri periculo, testantur. Quamdiu autem periculum videtur nostro consilio depelli posse, non opus est auxilio divino.

II.

Synechdoche in nomine Populus.

In circuitu Ierusalem sunt montes, sic Dominus est in circuitu populi sui ex hoc tempore usq; in æternum.

Primum observa illam fortissimam Synechdochen, qua David utitur, cum dicit, Dominus est in circuitu sui populi. Nam ubi millies centena hominum millia sunt, inter hos vix septem millia sunt, qui Deum habent, seu credunt, & tamen propter hæc septem millia, totus numerus vocatur populus Dei. Sic etsi in Ierusalem major pars perdita & impij essent, tamen Ierusalem appellatur sancta, non solum propter paucos Sanctos inhabitantes, sed verius propter ipsum Deum inhabitantem. Sic cum solus Lot una cum duabus filiabus Sodomis esset justus, non potuerunt tamen Angeli Sodoma mergere incendio, dum Lot ibi esset. Ad hunc modum ubi qua-

Ierusalem civitas sancta.

tuor,

Digitized by Google

tuor,quinque,decem Sancti ſunt,tota civitas reputatur ſancta. Hi enim ſunt illæ nobiles gemmæ Dei, & angulares ac electi lapides, quas Deus tanti facit, ut multa millia hominum præ eis ducat nihil eſſe, imo propter eos etiam immeritis benefaciat.

Hunc populum igitur dicit ſic cinctum eſſe præſidio Dei,ſicut Ieruſalem mon-
ab.2. tibus. Sic in Zacharia eſt prophetia de civitate,cujus murus ſit ignis. Hæ figuræ pingunt Eccleſiam Dei,illum infirmum popellum,imo verius puſillum gregem,eſſe invictum contra Satanam & omnia pericula, Hanc promiſſionem debebamus includere animis noſtris, qui hodie habemus verbum Dei, apud quos Deus loquitur & creditur. Vbi enim hæc ſunt, ibi omnia ſunt munitiſſima, non montibus & æneis muris,ſed ipſo Domino.Hanc munitionem, hoc propugnaculum,quis deſtruet aut evertet? Sed ſunt hæc omnia æſtimanda,non ſecundum hoc, quod videtur & experimur,ſed ſecundum verbum & fidem.Ideo longe facilius eſt docere quam credere, quod nos qui habemus Verbum, & credimus, ſimus ſepti præſidio Dei. Quod ſi aheneos & igneos muros circa nos videremus, ſecuri eſſemus.& inſultaremus Satanæ. Sicut nemo eſt qui non magis ſe tutum credat, cum equitum turma in comitatu eſt,quam cum ſoli per loca infeſta iter facimus.Sed fidei eſt,non eo niti quod vident oculi,ſed quod verbum oſtendit. Itaq; hæc etſi non videntur, tamen credenda ſunt, & tam certa æſtimanda, ac ſi oculis cernerentur, neque enim Deus mentiri poteſt. Hoc igitur unum deeſt, quod non habemus oculos ſpiritus, ſed tantum ſequimur oculos carnis. Alioqui nihilo eſſemus magis pavidi, quam qui intra muros inexpugnabilis arcis intrepide expectant irritos conatus hoſtium. Ergo dubitandum non eſt,quin ſimus donec credimus,circumſepti montibus ignitis,hoc eſt,plane invicti. Sed beatus qui credit.

Eccleſia multa contra Satanam ert.

Ipſe Deus eſt murus credentium.

Nam ſi hæc cuſtodia non eſſet, res declarat, quanta Satanæ & mundi tum malicia, tum potentia ſit. Quid autem ſumus nos, qui hodie retinemus & profitemur Verbum, contra tantam multitudinem hoſtium, qui de nobis opprimendis atque occidendis omnibus momentis cogitant? Quod igitur ſervamur, beneficium eſt horum montium, quibus ſepti & cincti ſumus, ne nocere Satan & mundus nobis poſſint. Hi montes ſunt Angeli,non privati cives,ſed omnibus montibus mundi potentiores & excelſiores,qui ſi non ſingulis momentis in nos intuerentur, & nos defenderent, longe atrociora nos manerent, Hoc teſtabuntur omnes ij, qui norunt & credunt Satanam eſſe mendacem & homicidam. Hic cum non videre, non audire, non ferre pios poſſit,ſed cupiat extinctos & deletos eſſe,an non manifeſtum ſignum hujus defenſionis eſt, quod tamen pij quotidie docent, baptizant, conſolantur, & alia ſimilia faciunt? Hoc nonnunquam fit,ut in nos, ceu per feneſtram jaculetur, ac lædat nonnihil,ſed nocere non poterit.

Experientia hujus anmiſſ.

Cuſtodia angelorum.

Videtur ſimilitudo ſumpta ex hiſtoria de Eliſæo, quæ eſt 2. Reg. 6. Eum cum
cf. 4. reg. 6. Rex Syriæ comperiſſet in Dothan eſſe, mittit iſtuc magnam multitudinem, ut orbe obſeſſa,Eliſæum caperent.Cum itaq; Propheta mane cum puero inſtitutum iter ingrederetur, videt Puer inſidias, ac tanquam in manifeſto periculo trepidat. Conſolatur eum Propheta, & monet ne trepidat,majora ſe auxilia habere,quam ut iſthæc hoſtium multitudo aliquid incommodi afferre poſſit. Sed ſervulus cum hoſtium copias videret, & auxilia, de quibus Propheta dicebat, nuſquam oculis cerneret, non potuit pavorem, quem præſens periculum concitarat, excutere, donec Propheta Dominum oraret, ut ſervuli oculi aperirentur. Ibi dicit textus, vidiſſe eum montes vicinos,plenos ignitis curribus,& equitibus circumdantibus Eliſæum,ac defendentibus.Præſidium igitur hoc,quod tum apertis oculis Prophetæ ſervus vidit,Propheta autem credidit etiam,cum non videret,dicit Pſalmus,eſſe circa omnes,qui confi-
34. dunt in Domino, ſicut etiam Pſalmus 34. Angelus Domini circumvallat timentes eum. Sed oculi noſtri clauſi ſunt, & miracula hæc non vident, quæ tamen quotidie ſentimus.

Eliſæi hiſtoria.

Non igitur fallit promiſſio hæc,tantum ne nos fallamur. Itaq; ſi crederemus,

dormiremus,viveremus,moreremur ſecure,imo quod plus eſt,etiam ſecure pateremur.Sic enim cogitaremus,Si quid patior incommodi,certum eſt me id pati magno Dei conſilio, non temere, ſed ex certa ratione, quam ego non video, nec fortaſſe nunc intelligo. Si itaq; Satan murum perfodit in una parte,non tamen ideo murum totum evertit. Sic cogitaremus in periculis, & conſolaremur nos bona Dei voluntate erga nos, Sed de nobis exemplum capiamus,quam pauci id faciant. Si centum millia militum haberemus,magno animo aggrederemur Turcam, ſed ut niteremur promiſſione hac,etiam tum cum numerus militum non tam magnus ſit,hoc non fit. Sic privatim quoq; pavemus & perturbamur in periculis, ſecuritatem autem illam, quam fides affert, nunquam experimur. Sic ſcilicet ferimus pœnas incredulitatis noſtræ, quam fovemus, etſi tam copioſis & gravibus ſententijs Scripturæ ab ea avocemur.

Dominus eſt credentium murus.

Porro non ſatis eſt muris igneis,hoc eſt,angelorum cuſtodia & excubijs nos defendi,ipſe Dominus vult eſſe murus noſter, ut in circuitu per Dominum ſimus ſepti & defenſi. Supra nos eſt Dominus nobis,cœlum à lateribus eſt nobis murus, infra nos eſt nobis pavimentum ſolidum,in quo ſubſiſtimus,ſic undiq; circumcirca ſepti ſumus. Quod ſi Satan per has munitiones forte jaculum in nos torquet, neceſſe eſt prius ipſum Dominum ſauciari quam te. Sed ô noſtram incredulitatem, quod hæc fruſtra audimus. Docenda tamen & diſcenda ſunt,ſi forte uſus veniat, ne plane ſimus deſtituti conſilio. Nam certum eſt venturam horam,qua aut experiri iſta, aut perire neceſſe eſt.

O deteſtanda incredulitas.

Populus Dei.

Sed Emphaſin quoq; obſervabis,In circuitu populi ſui.Populum enim Dei vocat,qui habet Deum,hoc eſt, qui confidit in Deum & credit Deo. Ergo ille ſimpliciter non eſt Dei populus, qui ſacrificat in Ieruſalem, & incedit in lege ſeu ritibus Moſi,ſed is, qui jam ante populus Dei eſt factus, etiam hæc legalia obire & facere poteſt in gratiarum actionem. Longe enim auguſtius & amplius eſt, eſſe Dei populum,quam iſta legalia facere,Sicut etiam nobis teſtatur noſtra conſcientia. Veretur enim ſe in hanc quaſi ſuperbiam attollere, ut glorietur quod ſimus filij Dei,& ſervi Ieſu Chriſti.Et tamen primum præceptum utrunq; nobis tribuit,cum Dominus dicit, Ego ſum Deus tuus. Specifica igitur differentia populi Dei eſt, non quod facit opera legalia,aut etiam opera ſecundæ tabulæ,hæc enim ſimulari poſſunt & fallere, ſed quod credit & habet Deum, hæc nota non fallit. Quod addit,*Ex hoc tempore uſq; in æternum.* Non proprie æternitatem ſignificat, ſed incertum tempus. Nam etiam promiſſiones corporales fuiſſent æternæ,ſi populus ſervaſſet mandata Dei,Sed quia conabantur per incredulitatem, promiſſionem de Chriſto eradicare, ideo etiam corporales promiſſiones amiſerunt.

Nota populi Dei.

III.

Quia non permanebit Sceptrum impiorum ſuper ſortem juſtorum,ne extendant juſti ad injuſticiam manus ſuas.

Populus Dei ſecundum ſpiritum munitus, ſecundum carnem autem laceratus & proſſus eſt.

Hic vides manifeſte concedere Davidem populum,qui in tam firmis munitionibus & præſidijs ſedet,ſecundum carnem vexari,& expoſitiſſimum eſſe periculis, etſi ſecundum Spiritum ſit munitiſſimus, Ibi altiſſimis montibus eſt ſeptus,quos Satan non poteſt tranſilire, Sed ſecundum carnem vetus homo exponitur omnibus jaculis mundi & Satanæ. Ideo ſcilicet,quia Deus vult hoc modo vexare carnem, ut mortificetur peccatum & inſipientia carnis, ac paulatim creſcat ſpiritualis ſapientia, & interior homo. Hæc cauſa eſt, cur ſecundum carnem ſimus tanquam lacera ſepes, & tanquam civitas, cujus muri diſiecti ſunt, ut ad eam ex omni parte ſit aditus. Itaque nullum hominum genus tam abjectum eſt, quod non putet ſibi omnia licere in miniſtros Eccleſiarum. Hinc injuriæ, Blaſphemiæ, maledicta, ſupplicia,cædes denique Sanctorum exiſtunt. Neque enim caro habet muros,quibus defenditur, ſed Spiritus. Itaque caro omnibus ventis & procellis expoſita eſt, & conculcatur atque atteritur ab impijs, ſicut in Eſaia eſt Cap. 51. Dixerunt animæ tuæ incurvare, ut tranſeamus, poſuiſti itaq; corpus tuum ut terram,& quaſi viam tranſeuntibus.

Eſaiæ 51.

Digitized by Google

euntibus. Hæ Vexationes ſuſtinendæ,& per patientiam ſuperandæ ſunt, ac cavendum eſt,ne per externam vexationem infirmetur homo interior,Sed retinenda hæc fiducia eſt, ut ſtatuamus Dominum nos non deſerturum,ſed eſſe nos in ſinu Patris, & habere circa nos munitiones firmiſſimas,ut etſi eripiantur, opes, uxor, liberi,deniq; ipſa vita noſtra,tamen Chriſtus noſter nobis non eripiatur,per quem ſic muniti erimus,ut etiam cum tentatione eventus & finis ſecuturus ſit, ſicut Pauli ſententia
1.Cor.10. teſtatur in Corinthijs.

Ad hunc modum videmus cujuſmodi conſolationes Spiritus ſanctus ijs proponat, qui credunt verbo Dei. Quia enim aliam vitam coguntur expectare quam hæc præſens ſit,ſive totam,ſive per partes conſideres. Ideo hic omnia ſunt plena pe-
2.Tim.4. riculis, Mors ſuccedit morti, ſicut Paulus dicit, quotidie morimur, tentatio excipit tentationem, donec tandem per mortem carnis,omnia pericula conſumantur. Pertinet autem dic verſiculus ad conſolationem,ut ſtatuamus nos quidem multa paſſuros eſſe,ſed ſic,ut tandem fiamus ſalvi & liberemur,ſi non ſtatim,at ſaltem in futura & æterna vita. Quid enim aliud nobis poſſumus polliceri in hac diligenti angelorum cuſtodia,imo, in cuſtodia ipſius Dei, qui eſt in circuitu populi ſui? Sed ut ſupra diximus, fide hic opus eſt,ut judicium faciamus, non ex præſentibus caſibus & tentationibus, ſed ex Verbo promittentis. Quorſum autem promiſſionibus opus eſſet, ſi nullæ eſſent tentationes? Hæ ſive ſint intus in ſpiritu, ſive foris in carne,tamen futurum eſt, ut tandem victoria noſtra ſit per Chriſtum, ſicut hic verſiculus pleniſſimus conſolationis, promittit.

Pij multa quidem patiuntur, ſed tandem liberantur.

Porro promiſſio hæc utrinq; incredibilis eſt,tum nobis,qui patimur,tum etiam his, qui nos perſequuntur & affligunt. Si enim ſenſum conſideres, quid æque poteſt judicari falſum eſſe? contrarium enim verum eſt. Nam Chriſtum conſidera, An non ita relictus eſt in cruce, ut virga ſeu ſceptrum impiorum ſuper eum maneret? Sic Prophetæ, ſic Apoſtoli,ſic alij ſancti martyres. Res igitur, ſi oculos ſequamur longe alia eſt quam verba ſonant. Promittunt enim non fore ut Sceptrum impiorum dominetur pijs, & tamen omnes hiſtoriæ & exempla omnia teſtantur hoc fieri. Revocat igitur nos Spiritus ſanctus ad ſuum Verbum & ad ſuas cogitationes, ac jubet conſiderare,non quid nos patiamur aut videamus,ſed quid ipſe in cœlis cogitet. Hoc autem artis eſt, ſic poſſe ſe abripere à tentationibus & transferre in voluntatem Dei, atq; ibi acquieſcere. Qui hoc non norunt, hi nihil in Theologia norunt. Quid enim eſt hoc noſſe, ſi neſcias Deum talem eſſe Deum, qui non paſſurus ſit opprimi juſtos ab impijs? Quia enim dicit, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, profecto hoc faciet,ut quod ſuum eſt,non ſinat ſibi neq; per mundum,nec per inferorum portas eripi. Si igitur ipſe manet, manebunt etiam qui ſunt ejus. Hæc ſtatuere, & ad hunc modum inviſibilia apprehendere, eſt vera & Theologica ſapientia, quam hic verſus nobis proponit, ut ſtatuamus hanc propoſitionem de inviſibili conſilio Dei, Deus impios odit,juſtos diligit,Ergo impios damnabit & perdet, juſtos autem liberabit & ſervabit. Videmus autem hoc, quod in Pſalmis & Prophetis optimum eſt, manare ex promiſſione primi præcepti, Ego ſum Deus tuus.

Sceptrum impiorum in ſpeciem videtur manere

Sapientia Theologica.

Iam diſcendum eſt, ut verſiculum hunc recte diſcamus applicare. Debet enim Theologia prorſus eſſe practica. Vexamur varie à Pontificibus, ab impijs principibus & alijs, qui verbum Dei & noſtram doctrinam oderunt, Sed hæc puerilia ſunt ſi cum illis vexationibus conferas, quas in conſcientia noſtra excitant Satan, peccatum noſtrum,& infirmitas noſtra. Diſcendum itaque eſt,ut de his omnibus ſtatuas, quod ſint virga ſeu Sceptrum impiorum, & opponas Dominum, revelantem hic in Verbo ſuam voluntatem,ac pronunciantem, quod non paſſurus ſit, ut ſuper ſortem juſtorum maneat Sceptrum impiorum. Hoc cum ille Princeps promittat,qui omnia habet in manibus,quid requirimus amplius? Si enim patiendum aliquid eſt, certa eſt voluntas ejus, quod vexare ſinit,ſed non ſinit conculcare & perdere, Sic utendum erit his conſolationibus ſuaviſſimis.

Applicatio huius conſolationis

Quod ad Grammaticam attinet, nota eſt phraſis, quo modo utatur Scriptura

Virga quid.

vocabulo virgæ. Pueri in prima ætate corriguntur virga, cum autem adoleverint, baculo, Quod ſine ſic quidem meliores fiunt, ſequitur tandem virga ferrea. Hinc fit, ut virga ſignificet omnem poteſtatem, ſeu gubernationem ad emendandos & corrigendos homines, Sic Pſalm. 110. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Si- Pſal. 110.
on, hoc eſt, regnum tuum. Significat enim ibi talem virgam, qua gubernantur regna

Tyrannis impiorum in pios.

& populi. Ad hunc modum concedit hic Spiritus ſanctus dominationem ſeu tyrannidem impijs in pios, quam pij coguntur ferre, Sicut nos cogimur non videre ſolum, ſed etiam ſuſtinere tyrannidem Pontificum & Epiſcoporum, occidentium Chriſtianos, & omni crudelitatis genere graſſantium, Item cogimur ſuſtinere tyrannidem Satanæ, vexantis & pavefacientis noſtrum cor, & omnium Fratrum credentium in

Virga impiorum.

Chriſtum. Hanc dominationem ſeu tyrannidem, vocat Spiritus virgam impiorum, & conſolatur, Si vivit Dominus, Tyrannis iſta cadet, non quieſcet ſuper ſortem piorum.

Sors juſtorum.

Sors portionem ſignificat, Sors juſtorum, hoc eſt turbula piorum, congregatio Luc. 12.
piorum, Sicut Chriſtus vocat puſillum gregem, & Paulus, Pauperes ſanctos, Super hos, inquit, etſi Tyranni dominentur, tamen dominium eorum non durabit, Perſecutores Evangelij etſi premunt fideles, tamen non facient id perpetuo, neq; iſte conſiliorum eventus erit, quem ipſi cogitant. Nam cogitant quod velint eradicare hanc doctrinam, Hoc non facient. Vos igitur, dicit Spiritus, interim patimini, & ſcitote meam voluntatem eſſe, ut ſerventur omnes, qui credunt, Ergo habetis quod in media tentatione ſperetis, &c.

Deus non tantum verbo ſed etiam opere confirmatur.

Sed vide quam mirabilem ἀιτιολογίαν ſeu rationem Spiritus ſanctus attexat, Hoc, inquit, cogitur Deus facere, ut auxilietur pijs, alioqui futurum eſſet, ut amitteret Eccleſiam ſuam, & juſti ad injuſtos extenderent manum ſuam. Sic in Ieremia, antequam populus traditur in manus Babyloniorum, promittitur ei futurum, ut poſt annos ſeptuaginta redeant Ieroſolymam, ut ſcilicet retinerent fiduciam miſericordiæ, & non deſperarent penitus, ac in gentilitatem tranſirent, Sic in Pſalmo 85. Ne Pſal. 85.
convertantur ſancti ad ſtulticiam, hoc eſt, ne blaſphement, aut impatientes fiant. Hæc cauſa eſt, cur Deus promiſſionem Verbi & executionem facti cogatur conjungere, alioqui enim futurum eſſet, ut pij deſperarent. Videmus quam multos exercet fortuna, cum homines, opes, liberos, & alia quæ chara habent, amittunt. Niſi igitur primum Verbo erigerentur animi, deinde etiam facto adjuvarentur, multi dicerent non eſſe Deum. Itaq; neceſſe eſt, ut Deus ſe oſtendat eſſe Deum, non tantum Verbo, ſed etiam factis. Sic David habebat maximas promiſſiones, & tamen à Filio exuitur regno, Hæc ejuſmodi tentatio fuit, quam fortaſſe nullus noſtrum ſuſtinere poſ-

David regno ſpoliatus à filio.

ſet. Nam à Filio ſpoliari regno, & Regem nudis pedibus & capite nudo fugere, graviſſimum eſt. Promiſſiones itaq;, quas habuit ampliſſimas, non erexiſſent animum ejus, niſi Deus ipſo facto cum eduxiſſet ex hoc periculo. Sic, ſi contra Papam & adverſarios Verbi tantum promiſſiones eſſent, & non etiam reipſa Deus nos contra eos defenderet, frangeremur animo, & ſolicitaremur ad deſperationem. Vtrunque igitur facit Dominus, verbo erigit & executione facti liberat, ut ſecundum Paulum 1. Cor. 10.
tentatio non ſuperet vires, & finem ſuum habeat, noſq; uſu diſcamus, primum præceptum eſſe verum.

Quod itaq; dicit, Ne juſti extendant manus ſuas ad injuſticiam, idem eſt, ac ſi dicat, Ne juſti deficiant, Deo enim utrunque curæ eſt, primum ut fideles ferre poſſint tentationem, hoc facit promiſſionibus & Verbo, Secundum, ut tentatio non ſit perpetua, ſed habeat finem ſuum. Hoc nos quoque expectare debemus, ut poſt promiſſiones quas habemus certas de Dei benevolentia erga nos, & æterna vita, etiam expectemus futurum, ut liberemur & adverſarij noſtri pereant, etſi nulla veſtigia videmus, qua via Deus id facturus ſit. Hoc eſt, quod hic verſiculus dicit, Deum tam eſſe ſolicitum pro ſuorum liberatione, ut videatur metuere ne deficiant, & ipſe

Deus non eſt ſine populo.

non habeat populum, & ſic nullus Deus ſit. Deus enim eſt Deus vivorum, & oportet ut habeat populum, Ergo ſemper neceſſe eſt manere aliquos ſuperſtites, qui eum

laudent

laudent & colant. Hos ſi neceſſe eſt manere,hoc quoque neceſſe eſt, ut faciat finem tentationis.

Sed hic cavendum eſt, ne hujus liberationis tempus nos definiamus. Deus enim ſinit nos tentari uſq; ad extremum, ut prius omnia conſilia,& fiducia omnis puriſſime exhauriatur, ac nos vicini ſimus deſperationi. Ad hunc locum cum ventum eſt,ut nihil quam deſperatio ſit reliqua,tum mittit ſalutem,in ipſa Morte oſtendit vitam,in ipſa damnatione ſalvat, In ſumma ex nihilo facit omnia,& cum res deploratiſſima eſt,reſtituit omnia in integrum. Hoc Deus hujus mundi non poteſt. Igitur ſunt hæc vere Dei opera, ut tum cum te plane attritum & perditum eſſe ſentis, ſis incolumis,& fulgeas tanquam clarus Lucifer. Ideo noſter Deus eſt ſolus Dominus,& nos quia ſive vivimus,ſive morimur, ſumus Domini. Itaq; mors & vita nobis ſine diſcrimine accidit, ſiquidem Deus noſter utrunq; poteſt,Si ducit ad inferos,reducit,Si occidit,iterum vivificat &c. Hæc facile dicuntur,Sed in uſu diſcimus,quam longe ſint poſita ſupra & extra rationem ac vires hominum,& quam nos ægre poſſimus credere, Deum ex nihilo facere omnia, eſſe ſolicitum pro nobis,ſive affligimur in carne, ſive in ſpiritu, citius cogitare de redemptione quam nosipſos. Inculcanda itaque hæc ſæpe ſunt, ut diſcamus ſapientiam cœleſtem, quam primum Præceptum nobis proponit, quod Deus noſter ſit talis Deus, qui ſoleat ex veteribus facere omnia nova,ex pauperibus divites, ex contemptis glorioſos. Atque hoc poſterius quidem omnes libenter haberemus, Sed non poteſt fieri,niſi prius præceſſerit contemptus & inopia.

Propria Dei opera.

Cœleſtis ſapientia.

Eſt igitur hæc inſignis promiſſio & conſolatio. Q. d. Dolet vobis virga peccatorum, ſed ſperate & durate, qui eſtis populus meus, non enim patiar ſic invaleſcere tentationem,ut omnem fiduciam & ſpem vobis excutiat. Procellæ orientur,& videbitur,quaſi Naviculam veſtram jamjam fluctus oppreſſuri ſint,Sed non permittam,ponam modum & finem virgæ impiorum. Si accuſat vos Satan & conſcientia veſtra, tanquam injuſtiſſimos, non tamen deſtituet vos mea juſticia. Ad hunc modum docent tentationes uſum & tractationem primi Præcepti,quam ſine tentatione nemo ſciet.

Porro docemur hic quoq; de magnitudine periculi,quod in eo eſt, ſi per impatientiam diſcedamus à verbo & fide, Siquidem Deus tanto ſtudio hic ſignificat ſe cavere,ne id accidat. Certum enim eſt,qui à Verbo diſcedunt,eos longe pejores eſſe quam fuerunt antea, Sicut Chriſtus quoque in Evangelio concionatur, ſeptem ſpiritus nequiores invadere tales. Durandum igitur & perſeverandum eſt,ac ferenda potius extrema omnia, quam ut ab Evangelio deficiamus, & arripiamur ſeptem nequioribus ſpiritibus. Ac retinenda hæc fiducia eſt, quam verſiculus ille nobis commendat, quod Deus nos, cum tali animo ſumus,non ſit deſerturus,ut relabamur ad impietatem iſtam. Manifeſta enim hic eſt promiſſio, & deſcriptio divinæ curæ & proviſionis Dei de nobis,quod ſcilicet cogitet de fine tentationis, ſi tantum perſeveremus. Quod ſic Poeta dixit,Durate & voſmet rebus ſervate ſecundis. Quãto magis Chriſtiani ſe cohortari ad perſeverantiam debent,ſive ſint pericula in carne,ſive in bonis, ſive in conſcientia. Siquidem habemus Dominum, qui poteſt ſervare in ipſa morte, in inferno & medijs peccatis. Ad hunc modum primum Præceptum diſcendum &c.

Periculum defectionis quam magnum ſit.

Bene fac Domine bonis & rectis corde. IIII.

Conſolationi ſubjicit orationem & Prophetiam ſimul. Porro oratio hæc etiam tacitam querimoniam continet. Quia enim orat,ut rectis & bonis benefaciat Dominus tacite queritur, bonis hic male eſſe, rurſus malos abundare benedictionibus. Sicut hodie videmus Pontifices, Epiſcopos, & alios Verbi hoſtes, cum maximis dignitatibus etiam maximas opes tenere. Sic Romani olim potentia, quam habebant, contra Sanctos & Eccleſiam utebantur. Hoc magnum eſt ſcandalum. Ideo hac oratione Eccleſia opus habet, ut Deus etiam bonis benefaciat, qui in

Bonis hic male eſt, &c.

ipſum confidunt, & gloriam ejus ex corde quærunt, ne hoc ſcandalo offenſi, declinent ad impietatem. Hæc oratio promiſſionem & prophetiam includit, futurum eſſe, ut ſicut oratur pro benedictione juſtorum, ita eventus tandem reſpondeat.

V. *Declinantes autem ad prauas vias ſuas ducet Dominus cum operarijs iniquitatis, At pax ſit ſuper Iſrael.*

Declinantes. • Declinantes vocat eos, qui non perſeverant, ſed aggregant ſe ad virgam impiorum, aut lucri ſpe, aut aliarum commoditatum. Sicut hodie faciunt, qui ideo Evangelium deſerunt, ut retineant amplas Præbendas & Canonicatus. Hi non perſeverant in promiſſionibus Dei expectandis, ſed ob molliciem declinant ad viam pravam, & vincuntur ſcandalis, hoc eſt, miſeria & calamitatibus piorum. Hos, inquit, ducet cum ijs, qui operantur iniquitatem, nempe diſcipulum cum Magiſtro, ut una pereant. Sed hanc comminationem pauci curant, cogitant ſe bene poſſe ſalvari, etſi non profiteantur doctrinam noſtram, dum modo retineant ſuaves & bonos dies, ſed in judicio Dei aliud experientur.

Verus Iſrael. Hi autem qui perſeverant & ſunt verus Iſrael, hi pacem habebunt, hoc eſt, omnia ſalva, quantumcunque videantur eſſe afflicti. Sic videmus Prophetas, in hoc articulo fidei, & uſu primi Præcepti fuiſſe exercitatiſſimos ac probe munitos, contra illos, qui ſcandalis offenſi, maluerunt corporalia commoda quam promiſſiones Dei amplecti & expectare. Ac ſine dubio David, Ezechias, & ſimiles ſancti Principes uſu didicerunt quam facile declinent homines. Igitur hortatur David hoc Pſalmo ad fiduciam in Deum, & monet ne offendamur, ſi multi quotidie declinent, habituros enim eos ſatis grave & durum judicium. Diſcamus igitur ſtare & perſeverare in fide, quod ſi mora videtur longior eſſe, cogitemus Dominum certo promittere, quod nos non ſit derelicturus, Amen.

PSALMUS CXXVI.

In convertendo.

CErtant Theologi inter ſe, quæ nam ea ſit captivitas, de qua hic Pſalmus loquitur. Alij enim Babylonicam, alij, ut Iudæi, Romanam intelligunt, Quidam putant in genere accipiendum de omnibus captivitatibus & redemptionibus hujus populi, ſecundum promiſſionem, quæ eſt Deut. 4. quæ promittit futurum, ſi quando propter peccatum captivi abducti fuerint, & poſt pœnituerint, ut iterum miſereatur eorum Dominus & deducat eos in terram ſuam. Hac catachreſi, qui volunt uti accommodabunt Pſalmum ad omnes captivitates. Sed mea ſententia rectius Pſalmum hunc intelligunt, qui eum interpretantur de illa maxime generali redemptione generis humani per Chriſtum facta. Nam Propheta longe graviore oratione utitur, quam ut iſtis particularibus & unius temporis captivitatibus conveniat. Quid enim magnum eſt, hunc quaſi pugillum populi Iudaici liberatum eſſe, præ illa ſplendida & maxima liberatione, qua univerſum genus humanum liberatum eſt, non à temporalibus hoſtibus, ſed æternis, à morte, Satana, & inferno? Quare ſtatuimus hunc Pſalmum eſſe Prophetiam de redemptione per Chriſtum futura, & invulgatione Evangelij, per quod regnum Chriſti propagatur, Mors & Satan vincitur, & abolentur omnia mala. Stante hac generali ſententia, poſtea liberum eſt, Pſalmum applicare cuilibet liberationi, tum corporali tum ſpirituali.

Deut. 4.

Pſalmus hic Prophetia eſt de redemptione per Chriſtum facta.

Promiſſio Iudeis facta, non gentibus. Porro notum eſt ex Prophetis, verbum Evangelij & ipſum Chriſtum, ex Sion venturum, hoc eſt, ex eo populo, cui, ſicut Rom. 3. eſt, credita erant oracula Dei, ſicut etiam Paulus hoc beneficium Verbi magnifice prædicat, cum dicit, Non fecit taliter omni nationi. Etſi enim promiſſio complectebatur gentes quoque, tamen promiſſio gentibus non eſt facta, ſed Iudæis tantum. Cum igitur promiſſio hæc Iudæorum ſit propria, ſequitur ipſis opus fuiſſe Chriſto, contra ſpiritualem captivitatem, quæ

Rom. 3.
Pſal. 147.

Digitized by

quæ eos tenebat, ſtante adhuc & florente regno ipſorum. Neq; enim Moſes aut Prophetæ redemerunt eos, & tranſtulerunt in regnum æternum. Itaq; Pſalmus 14. cum ſcilicet regnum ſub Davide in flore eſſet, optat, Quis dabit de Sion ſalutare? Mira oratio, ſtante regno & ſacerdotio in ſummo flore, hoc flagitare, Sed reſpondet, Cum Dominus converterit captivitatem populi ſui, exultabit Iacob & lætabitur Iſrael. Hic audis, hunc populum nondum ſalvum, nondum neq; liberatum nec redemptum fuiſſe, cum Lex & cultus Legis vigerent. Quin lex tenebat eos captivos ſub Peccato, morte, & diabolo. Ideo inquit, Cum hanc captivitatem Dominus ſolverit, exultabit Iacob, Sic Pſalmus 68. Aſcendit in altum, captivam duxit captivitatem, Ibi quoq; de captivitate loquitur, de qua hic Pſalmus agit, nempe de captivitate peccati & mortis, quæ durabat in eo populo, quantumvis Legem & cultus divinitus inſtitutos haberet. Quare omiſſis particularibus captivitatibus interpretabimur hunc Pſalmum de captivitate generaliſſima totius generis humani, ac de liberatione, quæ facta eſt per Chriſti ſanguinem, & annuntiatur in Evangelio.

Locus ex Pſal. 14. Durante lege populus Iudaicus neq; ſalvus neque liberatus.

Pſal. 118.

Captivitas peccati.

Cum liberaverit Dominus captivos Sion, erimus ſicut ſomniantes. II.

Sunt grandia verba, non Comica & exilia, Itaque vocabulum, Sion, emphaſin habet, ut intelligas eum loqui de populo, qui habet promiſſionem de Chriſto. Nam redemptio & ſalus primum exhibita eſt populo Sionico, & filijs Abrahæ ſecundum carnem. Hi tenebantur concluſi Lege, & per Legem erant captivi Mortis & peccati. Quod ſi hic populus de captivitate queritur, & ſuſpirat ad liberationem, quid de Gentibus judicabimus, ſine lege, ſine Dei cultu viventibus in idolatria & cupiditatibus ſuis? Non igitur potuit magis generalem & graviorem captivitatem ſignificare, quam cum dicit ſuum populum Sion hanc redemptionem expectare, qui ſecundum externam faciem ſanctiſſimus erat, & ſub Davide ac Salomone florebat pulcherrime.

Grandiloquentia in hoc Pſalmo.

Si populus in Sion liberationem expectat, quid Gentes?

Sed vide quomodo pingat gaudium, quod liberationem hanc ſecuturum eſt, Erimus, inquit, ſicut ſomniantes. Novo enim vocabulo exprimit rei magnitudinem, ut ſignificet tantum gaudium & tantam futuram lætitiam, ut cor humanum non poſſit eam capere. Q. d. Cum audiemus, imo, cum experiemur & ſentiemus illam liberationem à Peccato & morte, præ gaudio quaſi ſtupidi & inſenſati erimus. Ita enim ſolet evenire, leviores affectiones faciunt vel gaudium vel mœrorem, Sed magnæ, ſtuporem inducunt, ſicut ille Ægyptius apud Herodotum teſtatur, qui cum à Cambyſe interrogaretur, Cur nunc in amici caſu fleret, cum antea ſiccis oculis & filium euntem ad mortem, & filiam contumelioſe tractatam ſpectare potuerit? reſpondit, Amici calamitatem admittere lachrymas, ſed domeſtica mala majora fuiſſe, quam ut potuerit in ijs flere. Sicut igitur magnus dolor quaſi viam præcludit lachrymis, ita quoq; eximium gaudium, cum ſubito expectatio & ſpes ſuperantur, ita obruit animos, ut ipſi ſe videantur ignorare & dubitare, Sint ne vera, quæ acciderunt, an ludantur quaſi ſomnio quodam.

Pſalmus quodd ſecuturi hanc liberationem.

Magna affectiones ſtuporem inducunt.

Significat igitur figura hæc illam inenarrabilem Gratiam, qua redempti ſumus ſanguine filij Dei, non parcentis ſibi & vitæ ſuæ, ut nos eſſemus liberi à poteſtate Satanæ, ab ira Dei, à mundi furore & noſtra puſillanimitate. Ac profecto cor humanum longe eſt anguſtius quam ut iſta capere poſſit, Quanto autem plus capit, tanto fit homo alacrior & animoſior, in omnibus periculis, Quanto autem minus, tanto magis fatigatur terroribus, donec tandem, ſicut Iſraelitæ in deſerto, reſpiciat ad Ægyptum & quærat juſticiam operum, in qua tandem nihil inveniet, quam laborem & dolorem. Quare conandum eſt, ut cæteris ſtudijs poſthabitis, cor noſtrum in redemptione hac acquieſcat, & nos quoq; partem aliquam hujus guſtus conſequamur, quem Propheta vere comparat jucundiſſimo ſomnio.

Inenarrabilis Gratia ſignificat. figura ſomniantium.

Porro qui hic vult rhetoricari, habet ampliſſimam materiam, ſi amplificet hoc beneficium Chriſti, ſeu liberationem hanc à Perſona Redimentis, à perſona redemptorum, à multitudine, ab ipſis rebus, ſeu periculis, à potentia Diaboli, à magni-

Beneficium Chriſti, quomodo amplificandi

magnitudine & horrore mortis, à potentia peccati,&c. Hæ enim res totum genus humanum devoraverunt, nec potuerunt nisi per filium Dei vivi ab ijs liberari. Hæc est magnifica illa & inæstimabilis redemptio,quæ animam præ gaudio stupere facit. Qui igitur gaudium non sentiunt,hi vere beneficium hoc non acceperunt,sed Verbum est in eorum corde tanquam spuma.

II. *Tunc replebitur os nostrum risu & lingua nostra exultatione.*
Tunc dicent inter gentes, Magna fecit Dominus cum istis.

Risus vox Evangelij.

Collatio Legis & Evangelij.

Sicut dixi,Psalmus hic singularem grandiloquentiam habet,ideo crebris figuris utitur. Nam risum vocat hic vocem Evangelij, sicut revera Evangelium nobis aliud nihil esse debet quam risus & ovatio,præsertim si cum lege id comparemus.Lex enim terret & occidit,pertinet enim proprie ad conterenda & mollienda saxea corda impœnitentium, sicut Ezechiel loquitur. Hi enim sunt hoc quasi ferreo sceptro confringendi, & abripiendi in infernum, sicut precatur Psalmus 10. Convertantur peccatores in infernum,nempe,omnes gentes, quæ obliviscuntur Dei, Quia enim habent cor ferreum,& sicut Propheta dicit, æneam frontem, terrendi sunt fulminibus Legis, hoc est,deducendi ad timorem Dei, & pavoribus mortis implendi, sicut accidebat populo Israel ad montem Sina,cum voce Domini Lex promulgaretur.Sed qui habent cor carneum,hoc est,cor tenerrimum,sine ossibus & duricie,ac meram pulpam carnis,hi non sunt Lege occidendi,sed vivificandi & erigendi altero doctrinæ genere, quod Spiritus sanctus hic vocat risum & ovationem, nempe Evangelio. Hoc est quod Paulus monet, de Verbo recte secando,ut duris dura,fractis autem & mollibus mollia proponantur, ut qui sine timore sunt securi, incipiant timere, qui autem plus satis timore oppressi sunt,incipiant fidere & sperare. Psal. 10. 1. Tim. 1.

Qui Evangelio erigendi.

Praxis distinguendi Legis & Evangelij, non ita vulgata.

Hæc satis vulgata differentia est Legis & Evangelij,sed usu tamen non ita vulgata est. Sic enim sumus infirmi, ut facilius sequamur sensum de Peccato & morte, quam istum risum & læticiam Evangelij. Nam ut de me dicam, non ita percellitur cor Redemptione & vita donata per Christum, sicut cor terretur uno verbulo Legis, seu una cogitatiuncula de Peccato & judicio Dei. Hoc inde accidit, quia hæc Legis & Evangelij differentia usu non satis potest disci, Scribitur quidem & docetur,Sed corde non ita sentitur, alioqui fieret,ut territa corda,omnem tristiciam animo ejicerent,quia,ut audivimus,ad tales pertinet vox risus & gaudij,non vox terroris & tristiciæ. Sed sentimus hic etiam adversarium Satanam, qui de Lege acutissime nobiscum disputat, & ejusmodi utitur argumentis, quæ negare non possumus. Fateri enim cogimur nostra peccata,quæ etsi coram hominibus nonnunquam tegimus,tamen conscientia,quasi mille testes,contra nos pronuntiat,nec patitur eorum oblivisci,aut ea tegi. Oritur itaque sæpe dubitatio etiam de sanctis operibus, taceo de ijs,quæ manifeste flagitiosa sunt.

Quomodo Satan lege terrens refutandus.

His tanquam aculeis mollia corda Satan transfigit,& gravissime sauciat,tantum ideo,quia distinctionem hanc usu & praxi non ita habemus notam,sicut est nobis speculative nota. Nam si praxin haberemus, distingueremus inter doctrinam Legis & Evangelij, item inter discipulos Legis & Evangelij, & refutaremus Satanam hoc modo, Quod Satan tanquam mendax spiritus, mendacijs corda involuit & implicat. Siquidem ubi sunt corda saxea,ea non occidit, sed palpat,ut magis indurentur,ac implet promissionibus & spe,quæ ad talia corda non pertinent. Hæc sophistica sunt, confunduntur enim mendaciter doctrinæ genera. Contra ubi corda plus satis sunt territa, ibi erigenda erant promissionibus Dei, at Satan tum maxime ea terrere nititur, & in hoc incumbit, ut jam antea fractos animos penitus conterat. Laborandum itaque est Christiano, ut assuescat in corde suo distinctionem hanc pure facere,& Satanæ respondeat, Abi Satan cum mendacijs tuis,Quando sum sine timore Dei securus & durus, tum veni & inculca mihi Legem, tum te audiam libenter, nam is locus est docendæ Legis, Sed postquam nunc cum Lege venis quando cor meum jam ante Morte & peccato pavefactum est,te non audiam.

Non

itized by Google

Non enim ad me pertinet tua doctrina, ſed riſus & ovatio non terror & mors, Abi igitur,&c.

Sic reſpondendum erat terrenti Satanæ,Sed experimur, cum maxime hoc reſponſo opus erat,animum non poſſe ſic reſpondere,utcunq; ſæpe hæc audiverit. Ratio eſt, Quia naturaliter fit,ut plus nos terreat hiatus inferni apertus, quam cœlum apertum exhilaret, ut plus triſticiæ afferat una cogitatio de peccato noſtro, quam omnes conciones fere de merito Chriſti. Quare ſudandum eſt, ut praxin hanc ſaltem aliquo modo diſcamus, & nos erigamus his verbis, quod ſcilicet Evangelium ſit riſus & ovatio,quæ proprie pertinet ad captivos,hoc eſt, ad ſentientes captivitatem peccati & mortis,ad corda carnea,pavefacta ſenſu iræ & judicij Dei. Hi ſunt diſcipuli, in quorum cordibus plantandus eſt riſus, & qui ſoli audire debent vocem exultationis in tabernaculis juſtorum,Idq; autoritate Spiritus ſancti, quam hic verſiculus oſtendit. Significat enim hunc populum eſſe in Sion,& ſecundum externam regni & ſacerdotij ſpeciem belle florere. Sed ſi quis ſpectet,qualis ſit ſecundum ſpiritum,videbit eſſe in miſera captivitate, Ideoq; linguam eſſe plenam triſticia & fletu ob cor ſenſu peccati & mortis pavefactum.

Praxis hæc diſcernenda Legis & Evangelij diſcenda.

Hæc eſt Moſi lingua, ſeu os Moſi plenum abſynthio,& amaritudine mortis, quo debet occidere eos, qui nimium vivaces & ſecuri ſunt, ac contemnentes Dei. Qui autem captivitatem ſuam intelligunt, horum os debet impleri & riſu & exultatione, hoc eſt, per Evangelium debet eis prædicari redemptio à peccatis & morte, per Chriſti ſanguinem parata. Hæc eſt Spiritus ſancti ſententia,ut talium os impleatur riſu,hoc eſt,nihil aliud prædicet & ſonet,quam ſummam læticiam,& voces triumphales de Chriſto vincente Satanam & mortem, & exolvente peccata noſtra. Nam quod dicit, Os noſtrum erit plenum, non hoc tantum ſignificat,quod ibi erit vox & ſonus quidam,ſed quod os ſimpliciter aliud nihil ſonabit, quam riſum,& illas Evangelij conſolationes. Sic lingua noſtra,id eſt,prædicatio,erit plena exultatione, hoc eſt,totum miniſterium erit conſolatorium.Hoc primum Iudæo eſt dictum,Nam riſus ille primum offerendus fuit illi populo habenti promiſſiones, Iam ad Gentes venit,quas etiam vocat ad communionem hujus riſus.

Os & lingua Moſi.

Tunc dicent inter Gentes, Magna fecit Dominus cum iſtis. Gentes nominat, quæ naturaliter oderant & faſtidiebant Iudæos, nec quicquam minus quam religionem eorum poterant ferre,Hæ,inquit,prædicato iſto riſu admirabantur, & prædicabunt magnalia Dei.Hoc miraculum ſcilicet efficiet ille riſus prædicatus per os & linguam noſtram. Porro Gentes hoc nullo modo facerent, nec haberent pro beneficio,niſi ipſi quoque ejus beneficij eſſent participes. Cum igitur Spiritus ſanctus dicat, nos prædicatorus & admiraturos hoc beneficium ſoluræ captivitatis Iudæorum, manifeſte ſignificat etiam hujus liberationis participes fore, ſicut Chriſtus in
9. Evangelio dicit,Qui in nomine meo facit virtutem, non eſt contra me, ſed pro me. Ad hunc modum dicit, Gentes quoque illam redemptionem de Morte & peccato prædicaturus eſſe,ſicut idem teſtantur aliorum fere omnium Prophetarum teſtimo-
8. nia. Zacha.8. eſt,quod decem viri ex omnibus linguis Gentium,apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes, Ibimus vobiſcum,audivimus enim,quoniam Deus vobiſ-
23. cum eſt. Hic locus quaſi ex hoc Pſalmo videtur tranſcriptus eſſe. Sic Eſaiæ 2. Confluent ad montem Domini omnes Gentes,& ibunt populi multi & dicent, Venite adſcendamus ad montem Domini,& ad domum Dei Iacob,& docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus,&c.

Gentes participes per hujus redemptionem.

Hæc ad noſtram conſolationem pertinent,qui ſecundum carnem non ſumus ſemen Abrahæ,quod quanquam promiſſio nobis non facta eſt,tamen poſtquam impleta eſt,nos ejus reddimur participes,ſed tamen per Iudæos,ſecundum promiſſionis verba, In Semine tuo benedicentur omnes Gentes, Et Chriſtus, Salus ex Iudæis
22. eſt. Certũ igitur eſt,nos Gentes pertinere ad illam redemptionẽ,etiamſi nobis non
4. debebatur. Nobis enim non fuit promiſſa,ſed ex miſericordia contigit per riſum illum prædicatum,non ſolum in Zion,ſed in Gentibus etiam,quæ prædicabunt & habebunt omnia cum populo ſancto,ſicut ſequitur. Magna

Gentes quibus non erat promiſſa ſed tamen promiſſæ benedictione, &c.

Digitized by Google

III.

Magna fecit Dominus nobiſcum, ideo facti ſumus lætantes.

Una Eccleſia ex Judæis & Gentibus collecta.

Hic vides unam Eccleſiam conſtitui ex Gentibus & Iudæis, una voce prædicantibus beneficia Dei, ut, ſicut Paulus Rom. 15. ait, unanimiter uno ore glorificetur Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hoc enim quod canit Eccleſia Iudæorum, Magna fecit Dominus nobiſcum, idem etiam canit Eccleſia gentium, & ſequitur idem fructus utrinque, & verum ſignum populi Evangelij, nempe, quod ſunt populus exultationis & lætitiæ, ſicut dicunt, Ideo facti ſumus lætantes. Iam ipſi cogitate & videte quam horribilis abominatio fuerit regnum Papæ, in quo nihil audiebatur, videbatur, docebatur, legebatur, nihil exercebatur aliud, quam traditiones humanæ, quæ ſua natura aliud non poſſunt, quam afferre triſticiam, & affligere corda. Regula enim parit regulam, obſervatio obſervationem, & fiunt, quod deterrimum eſt, iſta omnia laquei conſcientiæ, non manent ſimpliciter onera corporis, ſicut debebant, ubi utiliter inſtituuntur. Itaq; in regno Papæ non fuit una gutta hujus doctrinæ, quæ pareret gaudium & lætitiam. Si igitur ibi ſunt pavida corda, non inveniunt conſolatorem, Si anguntur & dubitant, non poſſunt diſtinctionem facere, de qua ſupra diximus. Rom. 15.

Regnum Papæ horribilis abominatio.

Admonitio ad gratiarum actionem pro doctrina Evangelij.

Quare debebamus Deo pro hoc immenſo beneficio Gratiam, quod ſcimus nunc doctrinam Evangelij proprie eſſe doctrinam ſalutis & conſolationis. Quantum igitur quiſque in ſuo corde ſecundum hoc Verbum gaudij ſentit, tantum etiam habet vitæ & ſalutis. Si autem adhuc ſentis triſticiam, ſignum id eſt, quod Diabolus nondum deſijt te vexare. Quare cor ad illum uſum eſt inſtituendum, ut ſcias Lege eſſe utendum, contra impœnitentes & induratos. Ibi enim eſt in legitimo & proprio uſu, Sed eſt in uſu illegitimo & improprio, cum exercet & vexat animos jam antea territos. Quare animi territi Legem audire & admittere non debent. Ad hos enim pertinet riſus & oratio, hoc eſt, prædicatio Evangelij, ſeu remiſſio peccatorum in Chriſto donata, Hac etiam ſanctificamur, Lege non poſſumus ſanctificari, ſed magis rei efficimur, ſicus Paulus dicit in Romanis 7.

IIII.

Convertе Domine captivitatem noſtram, ſicut aquas ad Auſtrum.

Postvaticinium de redemptione per Chriſtum Judæis & Gentibus communi, ſubjicit de oratione.

Hactenus Propheta vaticinatus eſt de regno Chriſti, & redemptione per Chriſtum efficienda, ac invulgenda poſtea in univerſum genus humanum, & totum orbem terrarum, ſic ut ex Iudæis & Gentibus fiat una Eccleſia, in qua nihil prædicetur, quam riſus & exultatio, laus & gratiarum actio, Iam pergit deſcribere eandem Eccleſiam, & oſtendit quid ſequatur ad illum fructum redemptionis, & ad illam communionem Iudæorum & Gentium, Nempe, quod neceſſaria ſit oratio, ſicut etiam Zacharias conjungit cum Spiritu gratiæ, Spiritum precum, hoc eſt, cum redemptione illa per Chriſtum facta, orationem fidelium & jam redemptorum. Etſi enim redemptio eſt facta & nos vere redempti ſumus ſanguine Filij Dei, tamen neceſſe eſt, ut quotidie pro redemptione oremus, ſicut Chriſtus quoq; in oratione ſua jubet orari, Vt ſanctificetur nomen Dei, quod tamen conſtat eſſe ſanctum & ſanctificatum, Vt veniat regnum Dei, quod tamen venit & eſt, &c. Item Chriſtus dicit, Pater glorifica nomen tuum, ac reſpondet Pater, glorificavi id & glorificabo adhuc amplius, Item Paulus, Non arbitror me apprehendiſſe, &c. Zach. 12. Phil. 3.

Cauſa cur opus ſit oratione.

Hoc enim eſt quod etiam ſupra monui, beneficium Evangelij & inæſtimabile illud donum redemptionis noſtræ, & vitæ æternæ facile dici quidem, ſed difficillime credi. Quia habemus in hac vita non decimas, ſed tantum primitias Spiritus, plenitudo autem carnis fere tota adhuc vivit, & eſt incolumis. Ingredimur quidem in regnum Dei, ac, ut ſic dicam, uno pede certi ſumus de promiſſione conſequenda, ſed non ſic ſubſiſtendum eſt, etiam alter pes trahendus, hoc eſt, quotidie creſcendum & proficiendum eſt in hac agnitione gratiæ & fide. Ideo Zacharias dicit, effundi Spiritum precum, qui augmentum hoc requirat, & Paulus dicit, Spiritum gemere gemitibus inenarrabilibus, imo univerſam creaturã ingemiſcere, pro liberatione filiorum Dei. Igitur donec habitamus in hoc corpore, quod nos gravat & remoratur Zach. 12. Rom. 8.

quo

quo minus poſſimus iſta plene apprehendere, habemus non ſolum Spiritum gratiæ,ſed precum quoq;,ut ſciamus quidem nos eſſe in Gratia,propter Chriſtum in quem credimus,& tamen aſſidue oremus,ut quod Deus in nobis cœpit,perficiat.

Deterret à perſuaſione doctrinæ fidei.

Nemo igitur tam ſit arrogans, ut æſtimet, cum hæc ſemel audivit,ſe eſſe Theologum,& plene ſcire iſta.Hæc enim arrogantia facit phanaticos ſpiritus, qui ſicut canis Æſopicus, umbram ſectantur,& quod verum eſt,amittunt. Verbum quidem, Baptiſmus,deniq; ipſe Chriſtus,plena, perfecta & integra ſunt, Sed nos hic non de rebus ipſis agimus, ſed de apprehenſione rerum. Sic vita æterna vere
Ioan.14. eſt perfecta, Sicut Chriſtus dicit,In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, Sed in his manſionibus nos dum hic vivimus, nondum conſedimus, ſpe tantum eas poſſidemus,& vexamur interim peccatis,deſperatione, curis,laboribus,&c. Ac nonnunquam fides ſatis firma eſt, Sed rurſum accidit ut ſit infirmiſſima, ibi immergimur tanquam in profundiſſimum lutum, ex quo eluctari non poſſumus, quin undiq; commaculemur. Talis eſt vita Chriſtianorum, qui jam primitias ſpiritus acceperunt, Hi uſu diſcunt,non iſta poſſe ſic plane apprehendi,quin ſæpe fiat,ut labuntur,periclitentur,& allevatione opus habeant,ſicut Chriſtus Paulo reſpondit,Virtus mea in infirmitate perficitur.Infirmitas eſt noſtra,& manet noſtra, dum vivimus, virtus autem eſt ſolius Chriſti.

Vita Chriſtianorum.

Præpoſtera Papiſtarum opinio de Sanctis excutienda.

Hoc in Papatu ignoravimus,Nam & de Sanctis,etſi hiſtoriæ ſacrarum literarum diverſum oſtendunt,credidimus,eos fuiſſe puriſſimos, & de nobis cogitavimus,ſi quis unum,ut ſic dicam,gradulum Gratiæ haberet,ſalvum eſſe. Ac ſane non nego hoc poſtremum,& tamen verum eſt, præſertim in pugna & tentationibus,tales ſæpe labi,& ſcintillam Spiritus penitus extingui, ſicut Davidi accidit in adulterio. Quare excutienda hæc eſt Papiſtarum opinio, qua animi redduntur
Matth.24. ſecuri,ac putant ſatis eſſe,cœpiſſe hæc ſemel. At Chriſtus dicit, Qui perſeveraverit in finem,hic ſalvus erit. Quod ſi quis poſt Baptiſmum aquæ & Spiritus ſtatim extingueretur, is ſalvaretur, Sed quia vivimus longius, non poteſt aliter fieri, quam ut ſæpiſſime impugnemur à Diabolo,qui conatur ſpem, fidem, & optimas virtutes,quæ in nobis per gratiam Dei ſunt,convellere & labefactare. Habet autem Satan hic eam prærogativam,quod Gratia in nobis cœpta, nondum autem impleta & perfecta eſt, Res quidem integræ & perfectæ ſunt, Sed nos nondum ſumus integri & perfecti,Ideo non poſſumus res integras & perfectas integre & per-
Ad 3. fecte apprehendere,ſicut Paulus loquitur. Ideo autem invadit Satan hæc initia, quod metuit ne perficiantur,& pugnat contra ſpem,fidem,& charitatem.

Eccleſia in infirmitate ſua orat.

In hoc periculo Eccleſia ſe confert ad orationem, & dicit,Ne inducas nos in tentationem, Item, Da victoriam, ne deficiat fides mea,ne confundatur ſpes mea,perfice bonum opus,quod cœpiſti in me,&c. Tales ſunt Chriſtiani, qui habent perfectam redemptionem,& certam ſpem vitæ æternæ & remiſſionis omnium peccatorum,& veram liberationem à Diabolo,morte,& inferno. Has res habent,nec in rebus ullus defectus eſt, Sed in me,& te eſt defectus, quod iſta nondum plene apprehendimus. Nam caro & ſanguis, ac peccati reliquiæ adhuc vi-
Rom.7. vunt,ideo S. Paulus clamat, Video aliam Legem in membris meis, repugnantem legi Dei. Hæc cauſa eſt cur Chriſtianus non poſſit eſſe ſecurus. Videt enim ſe omnia pericula nondum ſuperaſſe,quæ quotidie hoſtis excogitat. Quod autem ad Chriſtum attinet,quem fide apprehendit,verum eſt,quod habet omnia. Nam in Chriſto,Diabolus proſtratus,Lex impleta, ira Dei ſubmota, peccata exoluta, & mors ipſa devicta eſt. Sic ſunt hæc,cum in Chriſtum,in quem credimus,reſpicimus, Sed cum poſtea ad nos reſpicimus, cogimur fateri nos nondum eſſe puros, quia fides nondum perfecta eſt,quæ iſta dona perfecte apprehendere poſſit. Igitur in pugna formidamus,cedimus hoſti,patimur nobis excuti ſpem, commovemur ad triſticiam,impatientiam,&c. Sic Chriſtiani ſunt bellatores & veri milites Dei, qui in acie ſtant, nec poſſunt eſſe ſecuri, ideo orant ſolicite & implorant Dei auxilium. Contra, qui ſecuri ſunt, nihil orant, Sentiunt enim Diabolum

Chriſtiani non ſunt ſecuri.

Pius, quod ad Chriſtum attinet habet omnia, ſed quod ad ſe attinet, &c.

procùl abeſſe, & fidem etiam non ſentientes amittunt, & poſtea in tentatione ſunt tanquam aridum folium.

Oratio eſt ſemper continuanda in Eccleſia.

Hoc dicit hic verſus, nempe quod in Eccleſia ſemper ſit continuanda oratio, ſi non ore, at corde & gemitibus ſecundum præceptum Pauli, Abundet verbum Dei inter vos, ut non tantum docendo publice & privatim quotidie acuatur, ſed etiam orando, & ut Moſes in Deut. dicit, meditando, ſive cum ſtamus, imus, vigilamus, edimus, &c. Non quidem ideo, quod in re ſit dubitatio aliqua, ſed quia Adverſarius noſter tanquam leo circumit, quæreus quem devoret. Nos autem ſumus infirmi, geſtantes theſaurum hunc in teſtaceis vaſis, Imo aggravati adhuc carne peccatis plena, in qua fides eſt ceu ſurculus, qui nondum pervenit ad maturitatem, & facile à ventis commoveri, aut extingui etiam poteſt. Hoc neſciunt, qui, antequam in pugna periculum faciunt, ſe Chriſtianos eſſe, & credere putant. Hi aut hæretici ſunt, apprehendentes temere omnia, aut plane prophani redduntur, ſicut jam vulgus eſt, quod quidem doctrinam noſtram verbis aliquo modo referre poteſt, ſed inclinatum, tanquam porcus in ſtercus, vere Verbum nihil curant, ſed etiam deteriores nunc ſunt, quam ante fuerunt. Hi non intelligunt quod neceſſarium ſit quotidie creſcere, ut in pugnis quotidianis contra ſagittas Satanæ conſiſtere poſſimus, impellentis ad contemptum Dei & hominum. Vigilandum itaq; eſt & orandum, ſecundum præceptum Chriſti. Col. 3. Deut. 6.

Hæc oratio in perſona Chriſtianorum, quotidie precantium ut amplius liberentur, intelligenda.

Ad hunc modum intelligo orationem hanc non in perſona Prophetæ, quaſi oret pro revelatione redemptionis futuræ, ſed in perſona Chriſtianorum, qui quotidie neceſſe habent hunc verſum orare, & dicere, Domine redemiſti de captivitate, redime amplius, Remiſiſti peccatum, remitte amplius, Occidiſti Diabolum, occide amplius, Suſtuliſti Legem, tolle amplius. Poſtulandum enim hoc eſt, quod jam ante habemus, donec fiamus perfecte puri, id quod fiet mortuo hoc corpore noſtro, in quo peccatum hic regnat. Sententia igitur eſt, Domine converte captivitatem noſtram, hoc eſt, nos qui incepimus eſſe initium novæ creaturæ, redime, ut ſicut redemptio per Chriſtum plene & perfecte facta eſt, ita nos plene & perfecte eam apprehendamus & ſentiamus. Multa enim ſunt in hac vita, quæ huic redemptioni adverſantur, quare opus eſt nos ſic defendi, ne relabamur in captivitatem, ne fides noſtra per Satanam evertatur. Caro enim eſt infirma, at Satan eſt potens, niſi igitur nos defenderit & ſervaverit Deus, fruſtra incepimus redimi. Ad hunc modum ſemper orandum eſt, ut augeantur in nobis primitiæ Spiritus, & renovemur de die in diem, donec vetus homo totus aboleatur per mortem. Tunc enim futurum eſt, ut captivitas perfecte convertatur, ſicut torrentes ſeu aquæ auſtri exiccatæ ſunt, Sive mare rubrum, ſive Iordanem intelligas, parum enim refert. Similitudo enim hæc eſt, Sicut per manum tuam mirabiliter feciſti, ut mare exiccaretur à ſicco vento, Ita penitus exicca quicquid eſt captivitatis in nobis, ut perfecte abſumatur, ſicut torrentes, qui per hyemem inundant, per æſtatem autem toti exiccantur. Significat enim ſimpliciter ſiccitatem, ſive eam intelligas, quæ in mari rubro & Iordane fuit, ſive quæ in torrentibus ſolet accidere. Rom. 8. Pſal. 1.

Similitudo à torrentibus auſtri.

Cur Chriſtiani aſſidue orandum, &c.

Hoc igitur eſt, quod moneo, ut aſſuefaciamus nos ad aſſiduam orationem & meditationem Scripturæ ſanctæ. Qui non pugnaverunt contra Satanam, neſciunt quam Spiritus precum ſit neceſſarius. Paulatim enim creſcit negligentia & ſecuritas, ſicut rubigo in ferro, & Verbum paulatim quaſi de manibus delabitur, priuſquam ſentiamus, Hoc cum fit, jam dimidium victoriæ Satan abſtulit. Non enim dormit, ſed obſervat omnia momenta, & tum adoriri ſolet, cum cor vacuum Verbo ſenſerit, Ibi facile tanquam ex ſcintilla ingens incendium in conſcientia excitat, Id priuſquam reſtingui poſſit, & Chriſtus ac Verbum iterum apprehendi, aut doloribus & cruciatibus oppreſſi aut penitus enecati ſumus. Eſt enim homicida, & omnia conſilia ſua inſtituit ad nos occidendos. Neceſſarium igitur eſt Verbum ruminare, & orare, ſive cum ſurgimus, ſive cubitum imus, ne nos Deut. 6.

vacuos

Digitized by Google

vacuos & imparatos hoſtis inveniat, & redemptionem hanc penitus nobis excutiat.

Ego etiam Theologus ſum, qui mediocrem uſum & peritiam ſacræ Scripturæ varijs periculis ſum conſecutus, Sed non ita efferor hoc dono, quin quotidie una cum pueris Catechiſmum, hoc eſt, Decalogum, Symbolum & decem præcepta, mecum orem, & intento corde inſpiciam, non tantum verba tranſcurrens, ſed etiam obſervans quid ſingula verba ſignificent, Et ſane, cum hoc non facio, & alijs negocijs occupor, ſentio inde certum incommodum. Verbum enim à Deo in id datum eſt, ut id nobis acuamus, ſicut Moſi dicit, & exerceamus, Sine hoc exercitio animi noſtri contrahunt quaſi rubiginem, ut ipſi nobis ipſis excidamus. Videmus, & quotidiana vita ſatis magnum documentum eſt, quo homines cadant, & quibus excipiantur periculis. Sed hujus rei quæ alia cauſa eſt, quam quod ſecuri ſunt, non orant, Verbum non audiunt, nec ruminant, contenti eo ſunt, quod in libris habent & legere poſſunt. His paulatim inſerit Satan contemptum Verbi, deinde aut in ſubitam deſperationem, aut alia pericula conjicit. Quid enim reliquum eſt, Verbo amiſſo, quo homo contra hunc hoſtem ſe munire & defendere poſſit? Theologi igitur eſt, aſſidue diſcere, aſſidue exerceri in Verbo & oratione, non tantum quia res ſunt maximæ, quæ animo plene includi non poſſunt, ſed etiam, quia adverſarius noſter non ſemel tentat, ſed aſſidue, Ergo aſſidue Verbo contra eum pugnandum & orandum eſt. Ita ad populum Chriſti & Eccleſiam, ſeu redemptos & ſanctificatos pertinet oratio. Increduli enim & impij non orant. *Exempla D. M. L.*

Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. V.

Pſal. 14. Hoc etiam unum eſt de ijs, quæ proprie ad redemptos pertinent, quod ſubjiciuntur multis tentationibus, ſecundum ſententiam, per multas tribulationes oportet in Regnum cœlorum intrare. Itaq; Theologia recte vocatur profeſſio ſanctæ crucis. Sic Chriſtum oportuit pati, caput Eccleſiæ, & Prophetæ per Spiritum ſanctum, ſicut Petrus dicit, prædixerunt paſſiones ejus, & poſt eas etiam glo-
1. Pet. 1. rificationem, 1. Pet. 1. Ac quomodo poſſet fieri, ut Chriſtiani non paterentur, cum nullum in mundo officium ſit, quod ſit ſine cruce? Magiſtratum eſſe, & regere alios, an non miſerrimum genus vitæ eſt, adeo ut Demoſthenes ſapientiſſimus vir, poſt tot in Athenienſi Repub. pericula & moleſtias, dixerit, Si geminæ viæ eſſent propoſitæ, una quæ ad inferos, altera quæ ad Rempub. duceret, ſe malle eam, quæ tendit ad mortem & ad inferos, ingredi. Itaq; Bias id genus vitæ certiſſimam Regulam eſſe cenſuit, qua judicari poſſit de ſingulorum ingenijs, Magiſtratus, inquit, oſtendit virum. Neq; enim, niſi vir ſis, & vere invictum habeas animum, pericula & labores omnes ſuſtinere poteris, quos hæc vita ſecum trahit. Quam multi ſunt, qui priuſquam invidiam ſubeant, & offendant alios, à juſto & vero declinant? Ideo fit, ut pauciſſimi in Magiſtratu boni ſint, Si qui autem ſint boni, fere ingratitudinem & extrema pericula pro laboribus reportant. Nam juſta adminiſtratio ſemper odium & invidiam concitat. Sic ſi uxorem ducas, quæ ibi moleſtiarum moles objicitur? qui ut Baſilij verbis utar, τὰν φερνίδων θῆρας maritum excipit? ſive familiam, ſive liberos, ſive alia domeſtica incommoda, ſive etiam vicinorum injurias conſideres. Quid multa? nullum vitæ genus invenies, quod non ſit pleniſſimum omnis generis moleſtiarum, niſi velis injuſtus eſſe. Si autem hoc ſerio conatus fueris, ut juſte & ſancte vivas, non poterit abeſſe, quin ſtatim Satan crucem objiciat, & te vexet.

Crux propria nota redemptorum. *Theologia.* *Profeſſio S. crucis.* *Nullum genus vitæ ſine cruce eſt.* *Magiſtratus.* *Conjugium.*

Sunt autem hæc, ut videmus, temporalia, Quanto igitur magis in Eccleſia idem accidet, ubi cum Diabolo pugnandum eſt de juſticia & vita æterna? Nam ſi Satan juſticiam civilem ferre non poteſt, quomodo pateretur æternam juſticiam, qua ipſe in æternum ſe periturum novit? Chriſtiani igitur habent acerrimos hoſtes dæmones, qui eos perſequuntur ac fatigant dies & noctes. Quare eorſũ miſer-

Eccleſia. *Plenum odij & inviæ.*

rima vita est, præ omnibus hominibus, sive respicias ad ea, quæ patiuntur in carne, sive in conscientia. In civilibus negotijs invenitur saltem aliqua species lætitiæ & voluptatum. Sed qui volunt Christiani esse, hi sunt & manent in Peccatis, quæ tum corpus, tum conscientiam coram Deo ream agunt, Coram mundo autem sunt vermes, abominatio, & καθάρματα, subjecti odijs dæmonum & totius mundi, ideo omni genere suppliciorum in eos mundus sævit. Qui igitur veram imaginem Christiani oculis intueri vult, Hiob intueatur, dæmonibus, cruciatibus corporis, & fœdis ulceribus obsessum & oppressum. Quid faciemus igitur? Si volumus & optamus consequi vitam æternam, hæc ferenda sunt. Si volumus confiteri redemptionem & redemptorem nostrum Christum Iesum, sciamus paratos fore, qui justiciæ & vitæ nostræ æternæ insidientur.

Hiob imago fit hominis.

Confirmandos animos ad tentationem.

Præparemus igitur, sicut Syrach monet, animam nostram ad tentationem, & præbeamus tergum nostrum aratoribus, sicut Psal. 129. dicit, Quisquis enim profitetur se baptisatum esse, & censeri nomine Christi gaudet, statuat se non esse meliorem Christo Domino suo. Oportet enim conformes fieri imagini Filij Dei. Si Christus gestavit spineam coronam, non speremus futurum, ut nostro capiti serta & rosæ imponantur. Nos quidem quærimus pacem & quietem, nec ullam damus occasionem justam mundo sæviendi in nos, Sed Satanæ odium hoc modo non placatur, sed incenditur magis.

Psal. 129.

Rom. 8.

Miserabilis imago Christiani.

Videte igitur nunc miserabilem illam formam Christiani, qui tamen redemptus est, Est plenus peccatis, tristicia, morte, ideo totus sibi ipsi displicet, Deinde est ceu Lazarus ante fores divitis, Est ceu Hiob infinitis periculis & malis oppressus. Hic dicas, Quis igitur optet Christianus esse? Audi igitur quid Petrus dicat, 1. Pet. 4. Fratres, ne miremini fervorem seu tentationem, quæ in vobis sit, ad tentandos vos, quasi novi aliquid vobis contingat, sed tanquam communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Hæc enim est Christi, Ecclesiæ, & omnium Fratrum imago, ut patiantur. Sed noli ad passionem & tribulationes tantum respicere, etiam ad fructum respice, qui sequi solet, quod scilicet, qui in lachrymis seminant, in exultatione metent. Hac consolatione quid potest suavius objici ijs, qui crucem Christi portant & secundum spiritum à Dæmonibus, secundum corpus autem à mundo vexantur? Satan enim oppugnat fidem, & facit nos murmurare contra Deum, aut tristitia ita opprimit, ut quid agamus, aut ubi simus, nesciamus, & tamen verum est quod simus sancti & redempti. Sed redemptio est abscondita, tentatio autem sentitur in spiritu & in carne. Deinde accedunt temporalia, verbi adversarij calumniantur nostra, & mendaciter deferunt, ac mille occasiones quærunt nocendi nobis.

Fructum crucis.

1. Pet. 4.

Hæc cum sentiuntur, tunc cor palpitat, & clamat cum Davide, Miserere nostri Domine, miserere nostri. Hoc totum vocat Spiritus sanctus, Seminare in lachrymis, ire & flere, ac mittere semina. Aliter fieri non potest, quam ut Christianus sit seminator talis, qui sementem faciat non in risu, sed in acerbissimo luctu & lachrymis.

Psal. 125.

Seminare in lachrymis.

At inquis, Vbi manet risus, qui prædicatur redemptis illis, de quo David paulo ante dixit? In Spiritu. Quantum enim habes fidei, tantum etiam habes risus, Sed nonnunquam risus excutitur, non tamen omnino deseremur, quia promissio est, futurum ut in exultatione metamus. Porro non est ut intelligamus verbum seminandi tantum de officio docendi, sicut eo utitur Paulus, Qui seminant vobis spiritualia, Sed significat totum vitæ genus omnium piorum, & actiones omnes, quas suscipiunt ratione vocationis. Sunt enim tanquam semina in futuram vitam, quam spe habemus ac possidemus. Sumus enim salvi, & victores Mortis, sed in spe, Interim autem dum hac vita fungimur, sumus in lachrymis, sicut Christus dicit, Mundus gaudebit, vos autem plorabitis, Sed tristicia vestra, inquit, vertetur in gaudium. Hoc expectandum est, & tristiciæ ac vexationes hac spe tolerandæ & vincendæ sunt. Sumus enim in oculis Dei tanquam feræ, quas venationi-

Risus in spiritu comitatur fide.

Seminare quid.

Iohan. 16

bus si-

Digitized by Google

bus ſinit exerceri, ut nuſquam tuti eſſe videamur, Chriſtianus enim ſine afflictionibus nihil valet. Sic videmus quomodo Petrum, Paulum, & alios Sanctos perſequi ſinat à venatoribus, hoc eſt, à Synagoga, Cæſaribus, Principibus, ut ſcilicet diſcant in ſeſe eſſe humiles & patientes, & non ſuperbiant.

Conſolatio adverſus afflictiones.

Cum igitur omnes, qui pie volunt in Chriſto vivere, perſecutionem oporv. 14. teat pati, retinenda eſt hæc conſolatio, qua vexationes illas quaſi condiamus, nempe quod Spiritus ſanctus hic quidem vaticinatur futurum, ut ſeramus in lachrymis, ſed confidendum eſſe. Quo enim lachrimæ ſunt uberiores & acerbiores, hoc riſum & lætitiam majorem parient, Sicut etiam contrarium exemplum oſtendit, Mundus ſeminat in riſu, ſed poſtea in æterna triſticia & doloribus metit, Nos autem modicum hic tentamur. Suſtineamus igitur & ſperemus futurum, ut æternum gaudium metamus, pro iſta modici temporis laborioſa ſatione.

Mundus ſeminat in riſu.

Deinde etiam in hoc conſolatio eſt, quod etſi tota vita eſt triſtiſſima & vere ſeminatio in lachrymis, tamen Deus interim nullam tentationem ſinit eſſe perpetuam, Sed ſicut vices ſunt tempeſtatum, ita ſemper illa nubila ſequitur ſerenitas, & recreatio poſt labores, Sic experimur cũ animi cogitationibus deſperationis, diffidentiæ, impatientiæ coram Deo & mundo ad unum, duos, tres dies, aut amplius vexati ſunt, poſtea ſequitur, ut animi conſolatione aliqua ſpirituali iterum erigantur. Sicut enim parentes filijs virga caſtigatis, poſtea iterum blandiuntur, & ſaccaro aut alijs illecebris, ad ſe alliciunt, Ita Deus quoq; nobiſcum agit, nc, ſi nulv. 3. la eſſet refocillatio, perpetuum ab eo fugeremus. Itaq; Paulus quoq; monet liberos ſic caſtigandos eſſe, ne tamen fiant putillo animo, hoc eſt, alieno à parentibus. Et moderati parentes ſolét miſcere ideo virgam blanditijs & munuſculis, quæ arguant amorem, ne dum plagas ſentiunt liberi, prorſus nullam exiſtiment veniæ locum relictum eſſe. Ad hunc modum ſolet Deus quoq;. Si enim tentationes eſſent perpetuæ, quis eas ferret? Miſcentur itaq; conſolationibus, ut intelligamus Deum non velle totos nos abſorberi triſticia, Corrigere vult, ſicut Pſalmus dicit, ſed non morti tradere, Impelli ſinit, ſed etiam manum porrigit qua nos ſuſcipit, ducit ad inferos, ſed reducit quoq;. Contra Satan & Mundus infinito odio & inv. 137. ſatiabili ira ardent, hi dicunt, Exinanite, exinanite uſq; ad fundamentum. Talis non eſt Dei ira, qui corripit ad ſalutem.

Alia conſolatio tentationem nõ fore perpetuam.

Diſcamus igitur hæc, quod tentationes nobis ſint perferendæ, & ſeminandum in lachrymis, ne ſcilicet cum tentatio ingruit, tanquam nova & inuſitata re offendamur ac deſperemus, ſed retineamus hanc conſolationem, habere nos meſv. 10. ſem in vita æterna, quam cum gaudio facturi ſumus, Præter hoc, quod etiam in hac vita tentationes ita temperantur, ut ſuſtineri poſſint, ſecundum ſententiam Pauli, Fidelis eſt Deus, qui non ſinit nos tentari ſupra quam poſſumus, Sed cum v. 12. tentatione etiam facit ἔκβασιν ſeu evaſionem. Hoc quidem accidit, ut nobis videamur non amplius ſuſtinere poſſe, ſed virtus Domini perficitur in infirmitate.

Epilogus de cruce, & adverſis eam, & conſolatione.

Euntes eunt & flent portantes precioſum ſemen, Et venientes venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos, VL

Quomodo potuit clarius pingi conditio Eccleſiæ, & iter, quod ambulat ſub ſancta cruce? ut ſcilicet muniamus animos noſtros, ne amittamus riſum illum, quem fide apprehendimus, ſed creſcamus per crucem, & riſum illum ſentiamus augeri. Neq; enim fides & Chriſtianorum vita ſunt hypocriſis, qualis monachorum eſt, Qui etiam ad perfectionem conantur pervenire ſpeculationibus iſtis unionis ſpiritualis, ſicut ipſi vocant, Sed, ſicut meo exemplo didici, fruſtra. Neq; enim, cum ſerio id agerem, ullum unquam guſtum ex talibus ſpeculationibus ſenſi. Sunt igitur nihil quam periculoſæ fabulæ & hypocriſis. Hæc autem eſt vita Chriſtiana, quæ hic deſcribitur exerceri Cruce ac tentationibus, & apprehendere verbum. Hæc eſt vera & practica unio noſtra cum Deo, in qua unione quotidie creſcendum eſt propter carnem, mundum, & Satanam quotidie tentantem.

Eccleſiæ conditio ſub cruce ut riſum verbi amittat.

Vita Chriſtiana.

Nisi enim in his periculis recursus patear ad Verbum & orationem, succumbimus. Ideo crux est medium, quo Deus nos exerceri, non absorberi vult, ut quotidie magis ac magis purificemur.

Porro quod ad textum attinet, parum refert sive exponas hunc versum, quod sit repetitio primi versus, sive distinguas, Quod loquatur de consolatione hujus vitæ, Superior autem de consolatione futuræ vitæ. Mihi tamen proprie etiam hoc videtur significare voluisse, quod tribulationes non semel tantum fiunt. Etsi enim intercedat consolatio, tamen tentatio alia aliam excipit, ita ut tota vita sit continuatio quædam tentationum. Sic in Ecclesia una hæresi devicta & extirpata, subnata est alia, uno Tyranno oppresso manu Domini, secutus est alius, Sic privatim una desperatione victa, succedit alia, &c. Hanc continuationem etiam geminatione illa videtur significare Propheta, quod dicit, Eundo eunt. Nullus enim lachrymarum finis est, antequam descendamus in sepulchrum, etsi tempus respirandi conceditur.

Eundo eunt.

Quod vertunt, precioſum ſemen, viderint isti, qui Ebraicæ linguæ magistri sunt. Nam nimis remota ea figura est. Mihi magis videtur significare protractionem, ut exprimat continuationem tentationum, de qua jam dixi, seu Epitasin. Alioqui Mesech sunt, sicut supra diximus, tracturi, sed hoc nihil ad hunc locum. Sententia igitur est, Portant prolongatum seu dilatatum semen, hoc est, laboriosam vitam agunt, de die in diem exercentur novis periculis & calamitatibus, sine cessatione, Vt sit protractum semen, idem ac si dicas, continuatas, successivas, seu alternatas tentationes. Sed hujus continuatoris quis est finis? Ille scilicet, quod æternum gaudium possidebunt, sicut Epistola ad Ebræos egregie dicit, Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris (hic audis lachrymas) postea autem fructum paratissimum justiciæ reddet exercitatis per eam. Hic audis quod venientes, venient cum exultatione. Si igitur protractum & prolongatum semen est, non tamen est æternum, gaudium autem æternum erit. Sic regnum Christi non est positum in potentia mundi & opibus, Sed in redemptione æterna, quam cogimur obtinere magnis vexationibus & crucibus infinitis, in quibus tamen sustentamur Verbo & oratione, donec salvemur, Amen.

Mesech.

Ebræ. 12.

Regnum Christi.

PSALMUS CXXVII.

Nisi Dominus ædific.

Quod contra institutum nostrum duos ex Psalmis Graduum, nempe 121. cum 130 quorum ille ante 34 hic vero 38. ab initio extet, cum reliqui eosdem ordine Psalmi in unum annum cogimus, Idco factum est, quod omnes unius generis sunt partes, quodque ab Autore eodem tempore expositi sunt.

Salomonem autorem esse hujus Psalmi verisimile est, quod ut in omnibus libris fuit, ita hic quoq; de politicis tractat. Collatio Politicorum Salomonis & Philosophorum.

HAbet hic Psalmus titulum Salomonis, & sane verisimile est Salomonem autorem ejus esse. Videmus enim in omnibus Salomonis libris, quod verè est Doctor politicus, nec tractat principalem Articulum patris sui David, de Iustificatione, vel de Christo hærede & nepote Davidis, Sed ea tractat, in quibus versatus & à Deo constitutus fuit, nempe politica. Id autem facit eo modo, ut nullus Philosophus unquam sic de Politicis docuerit. Transfert enim totam politiam ad Fidem, & quicquid vel in Repub. vel in Oeconomia geritur, id refert ad divinam administrationem, quod alij scriptores, sive Philosophi, sive Oratores, fuerunt, non faciunt. Quanquam enim Leges dicant, & rationes præscribunt, quibus recte administrari Respublica, & familia pulchre gubernari possit, tamen non sciunt unde successus petendus sit, ut illa, quæ recte consulta sunt, succedant, sed experiuntur se successu destitui. Nam materialem & formalem Causam solum, tum Politiæ, tum Oeconomiæ norunt, Finalem autem & efficientem causam non norunt, hoc est, nescIunt unde veniant Politia & Oeconomia, & à quo conserventur, item quo tendant.

Aristoteles igitur in Ethicis & de Republica, item Xenophon, Plato, Cicero, & alij, quanquam de Republica præclare scripserunt, tamen veram efficientem, & finalem causam non attingunt. Causam enim finalem optimam & præcipuam, putant esse Pacem Politicam, honestum, gloriam, &c. Efficientem autem causam constituunt Virum sapientem, seu prudentem Magistratum, vel, ut ipsi loquuntur, virum

Digitized by Google

virum & civem bonum. Sed Salomonem audiemus aliter & proprie magis disputantem. Philosophi igitur formalem causam recte tenent, quomodo sit gerenda Respublica, quod alicubi Iusticia commutativa, alicubi distributiva sit sequenda, quod secundum hanc puniendi Sontes, defendendi insontes sint, secundum illam constituendi Contractus, &c.

Hanc causam pulcherrime & optime tractant, Sed hæc non satis est. Nam cum hæc ita instituta sunt, requiritur etiam successus. Videmus sapientissimos viros graviter commoveri, cum pulcherrimis suis Consilijs successum deesse vident. Leges enim habent justissimas & honestissimas, & summa vi in id incumbunt, ut leges illæ serventur, Sed in efficienti & finali causa hærent. Quia enim statuunt finem, Gloriam, pacem, opulentiam, hæc autem non semper eveniunt, sæpe etiam diversum accidit. Manifestum ergo est, hos eventus non esse causam Finalem. Econtra alius quispiam, quo est pejor & negligentior, eo est fortunatior, ea res magis commovet bonos ad impatientiam, Quare in hoc omnia sunt, ut sciamus unde ista sic fiant, quod boni plerunq; pessime habent, econtra pessimi optime. Sicut multi dissoluti & maligni œconomi florent, optimi autem egent.

Ergo apparet, quod non possunt Philosophi & Gentes de Rebusp. & œconomia sic dicere, ut Spiritus sanctus. Nam ipsi tantum habent & sequuntur rationem, Salomon autem & Spiritum sanctum habet, qui eum de finali & efficiente causa Imperiorum & œconomiæ docet, Habet item rationem & experientiam, quia & Rempub. & domum gubernavit. Quare non tantum ex Spiritu sancto loquitur, sed etiam ex experientia, quod est in maximis causis versatus, & magnum gravissimarum rerum usum habuit. Debet autem hoc nomine commendatior nobis hic Psalmus esse, quod eum vir tantus de Politia & de re familiari composuit. Qui quanquam brevis est, nam sex tantum versiculi sunt, tamen est singulari Doctrina refertus, ac Formalem, item materialem causam non urget. Videt enim jam adesse domos, constitutas esse Respub. ac munitas optimis legibus ac Magistratibus. Sed sunt ne satis? Minime. Duæ enim principales causæ adhuc desiderantur. Nam quod ad formalem causam attinet, fieri potest, ut Leges meliores fuerint apud Gentes, quam apud Iudæos, Et fieri potest, ut Magistratus quidam Gentium fuerint meliores ijs, qui in populo Dei fuere. Sed hæc tantum sunt materia & forma.

Commendatio hujus Psalmi.

Quare eo perveniendum est, ut principales causæ Rerumpub. & œconomiæ cognoscantur, quis sit, qui faciat Rempub. & domum, item quare faciat. Has Gentes & ratio non vident, sed ratio tantum in Materiam, & formam intuetur, & quia causam Efficientem non novit, conatur ea gubernare secundum eum Finem, quem ipsa constituit ex sua virtute, quasi ipsa sit, quæ tantas res possit constituere, Fit igitur, ut impingat, & fallatur. Sic Demosthenes accedit ad Rempub. quam invenit bene institutam Legibus & moribus, Irruit igitur tanquam illotis manibus & pedibus, & conatur fieri causa efficiens Atheniensis Reipub. hoc est, vult eam gubernare tanquam sapiens vir suis consilijs. Ad quem finem? Ut scilicet publicam Pacem stabiliat, & sibi ac patriæ Gloriam & tranquillitatem pariat, & omnia sic eveniant, ut à se prudenter excogitata & deliberata videt. Sed Deus, quia superba consilia odit, diversum facit. Ergo in materia & forma nihil vitij est, In fine autem & efficiente causa sapientissimus vir fallitur.

Efficiens & finalis principales causa politiæ & œconomiæ cognoscendæ.

Gentes hic gravissime impegerunt & deceptæ sunt.

Idem in Romana Repub. Ciceroni, summo viro, idem Iulio Cæsari evenit. Fit igitur, ut cum neq; Efficientem causam cernant, nec Finalem attingant, ut clamitent, Omnia casu & fortuna ferri, quæ rectis consilijs fere semper adversentur. Quia enim neque Virtute, nec sapientia, nec diligentia eum Finem quem optabant, attingere possunt, & vident quoque insciticm & malitiam hominum Rebusp. plus nocere, quam nonnunquam rectis consilijs adjuvantur. Finxerunt tertium & medium quiddam, Fortunam scilicet, quæ incerta causa esset, & alibi recta consilia successu juvaret, alibi impediret, Ac coacti sunt dicere,

majorem rem esse administrationem Rerumpubl. quam quæ humanis consilijs regeretur. Nam præter consilia etiam fortunam requiri, quæ divinitus jam huic, jam illi contingeret, Atq; hæc est ratio, cur summi viri inter Gentes neq; de œconomia, nec de Politia recte docere potuerunt.

Salomon usu & Spiritu sancto doctus, recte de utroq; causarum genere docet.

Ergo subit hic Doctor, qui habet alium Spiritum, cum experientia conjunctum, & docet, unde, & quo, hoc est, quæ vera causa efficiens, tam politiæ, quam œconomiæ sit, & quis earum sit finis. Nam utranq; complectitur, & docet, ut si quis velit vel domum, vel Rempub. feliciter gubernare, ne is se Principalem causam constituat, alioqui fore, ut evertat omnia. Tot enim pericula, tot molestiæ & curæ in utroq; genere vitæ occurrunt, quæ ita perturbant animum, ut defatigatus ac desperans, omissis omnibus indignetur, & Satana duce se in has molestias præcipitatum dicat, Et merito. Quare enim præsumit de eo gubernando, quod est supra vires suas? Sic Demosthenes jactatus in Rempub. varijs casibus, tandem dixit, Si duæ viæ propositæ essent, altera ad Rempub. altera ad Inferos, se citius eam ingressurum, quæ ad Inferos duceret, quam alteram. Sic in œconomia, qui conjugium ingreditur, omnia sibi expedita & suavia promittit. Putat enim se certam rationem & uxoris assuefaciendæ, & educandæ sobolis, ac gubernandæ familiæ secuturum. Hæc cum in experiundo diversa accidunt, & vel uxor minus est morigera, vel liberi ingrati & inobedientes sunt, familia est negligens, vicini graves & molesti (sunt enim infinita conjugij onera) ibi indignantur, & sero quæri incipiunt, Hoc si scissent, nunquam ducturos fuisse uxorem, Suaviorem Monachorum vitam esse, qui carent his molestijs, &c. Talibus vocibus deplorant conditionem suam stulti homines, Quasi vero, si Monachus fias, omnia incommoda simul abjeceris, imo etsi in monasterium te abdas, tamen non carebis omnibus molestijs. Quia sicut sub cœlo & in terra es, quocunq; in loco sis, ita vel sub œconomia vel Politia necesse est ut vivas, ubicunq; tandem vivas, aliter non potest fieri.

Quare compara te, ut vincere & devorare molestias istas possis, & eas in aliam causam extra te rejicere discas, quæ sit robustior quam tu es. Solus autem Spiritus sanctus Doctor ille est, qui docet & monet, ut rejiciamus nos totos in sinum divinæ Majestatis, & confidamus illi, & in nomine ejus ducamus uxorem, curemus familiam, gubernemus Respub. figamus Leges, &c. Quæ si succedunt, bene est, si non succedunt, etiam bene. Quia illa est voluntas Dei, ut cum semel, vocante Deo, vel ad Rempub. vel œconomiam sis ingressus, tamen illo invocato, in ea perstes & perdures.

Papistæ hac Psalmi doctrina, ad Deum autorem referendam finem, ignorata, & politiam & œconomiam fere everterunt.

Atq; hæc est doctrina principalis hujus Psalmi, quem Papistæ in omnibus templis canunt, & tamen omnium minime res, de quibus agit, intelligunt. Fugiunt enim & œconomiam, & politiam, & tamen in utranq; immersi sunt. Nemo enim magis politicus vel œconomicus est. Nam Papa & Monachi etiam magnos Monarchas & Principes, impudentissime gubernaverunt, & ab Officialibus conjugiorum causæ judicatæ sunt, tum Confessionibus tam domos privatas, quam Imperia & Magistratus rexerunt. Ita autem accidit, ut per homines imperitos utrunq; vitæ genus pene extinctum sit. Nam eos, qui in Politia vivebant & conjugio, damnabant tanquam status seculares, & consulebant, ut vitam Monasticam potius sequerentur. Sicut Philosophi gentium, qui privatam vitam, hoc est, extra conjugium & Politiam positam tanquam optimam prædicabant. Deinde tales Leges præscripserunt, quas nec ipsi servaverunt.

Sic & Philosophi.

Consolatio piorum adversus errores.

Contra hanc stultam & impiam vitam Papistarum & Philosophorum, consolatur nos Deus in Scriptura sancta, in qua videmus, quod nullus Sanctus unquam extiterit, qui non versatus fuerit vel in Politia, vel œconomia. Maximos enim viros intrusit Deus in aulas Principum, Eliam, Elisæum, Esaiam, Danielem, &c. Taceo jam de sanctissimis Regibus, Davide, Salomone, Ezechia, & alijs. Quin Iohannem Baptistam quoq; oportuit aulicum fieri, & regium consiliarium, sicut *Marc. 6.*

Digitized by Google

ſicut textus dicit,Herodes multa faciebat,audito Iohanne. Sic omnes Sanctos ſuos conjecit vel in Politiam,vel œconomiam, excepto uno Chriſto,qui erat ſapientia Patris,is nec uxorem duxit,nec gubernavit Politiam. Quia oportuit eum aliquid ſingulare eſſe præ reliquis,& tamen utrunq; vitæ genus honoravit, nempe nuptias & Magiſtratum.

Monachorum vita diabolica, quod fugiunt politiam œconomiam.

Monachorum igitur vita vere eſt diabolica, quod & œconomiam & Politiam fugiunt. Ac ſapiunt quidem. Quis enim non longe malit aliquo in Solitudinem fugere,& ſibi vivere,de alieno victitare,frui ocio,pace, quiete, voluptate, & alijs bonis,cum opinione ſanctitatis, quam in mundo jactari inter illas miſeras & calamitoſas curas,quibus humana hæc vita pleniſſima eſt? Hoc vere eſt decerpere,quod eſt lautiſſimum,& relinquere alijs fæces, relinquere alijs graviſſimos labores educandorum liberorum,gubernandæ domus,adminiſtrandi Imperij, &c.

Monachi ſe de quam merendam tuerunt.

Sed ex hac ignavia meritum præmium ferunt,quod ſunt homines imperiti,qui nullam rerum humanarum cognitionem habent, Sicut Hypocriſi & nugacibus ſuis ſpeculationibus Mundum perturbarunt,& perplexos reddiderunt,tam eos qui in œconomia præerant, quam in Politia, Imo fecerunt,ut inviti ſuſtinerent officia,ad quæ divinitus vocati erant, hi qui vel in conjugio vel Politia vivebant.Si quis enim vel Oeconomus vel Magiſtratus accedebat ad eos,& de illis incommodis domeſticis vel publicis querebatur, non ſolum non conſolati tales ſunt ad ferenda onera illa,Sed quaſi Phanatici ab his optimis vitæ generibus, ad Monaſticen eos vocabant,Donec eo tandem ventum eſt,ut mortuos Cucullo indutos ſepelirent. Neſciebant iſta genera vitæ conjugium & Magiſtratum, à Deo creata & condita eſſe. Neſciebant quod oporteret tales ad Conſtantiam & patientiam potius adhortari,nempe,quod eſſent divinitus conſtituti in conjugium & in Rempub. placere igitur Deo officium ipſorum, neq; deſerenda eſſe hæc vitæ genera,Sed ſi qua aliter quam vellent,evenirent, paterentur ea incommoda propter Deum,& Deo commendarent omnia. Hoc vere fuiſſet docere & conſolari mentes. Sed Papiſtæ neq; ante hoc tempus id potuerunt,nec hodie poſſunt facere. Ratio eſt,quia ſunt poſiti extra Officium, uſum & experientiam harum rerum & tantum ocioſe de his cogitant, præterquam quod ſunt quoq; deſtituti Spiritu ſancto. Salomon autem utrunq; habet, & maximam experientiam Politiæ ac œconomiæ,& Spiritum ſanctum. His Doctoribus didicit non poſſe res adminiſtrari humana ſapientia,ſed omnia divinitus gubernari.

Naamã Syrus.

Naaman Syrus non tantum afferebat ad Rempub. magnam Sapientiam,ſed textus dicit,quod Deus eum dedit in ſalutem Syriæ, hoc eſt, magna illa ſapientia infelix erat futura,niſi divinitus eſſet donatus ſucceſſus. Sic ſi quis magnus & bonus eſt futurus Princeps, non habet id Naturæ dono,neq; ex inſtitutione aut doctrina,ſed donum Dei eſt. Hoc autem poſtea docet experientia ac uſus,res ſæpiſſime aliter cadere,quam animo prævideris. Idem marito accidit. Quoties enim fallunt conſilia? Verum igitur eſt,quod vulgo dicitur,Homo proponit, Deus autem diſponit,Et quod Salomon dicit Prov. 16. Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus. Inſtituis tecum Conſilia,qua ratione rebus tuis mederi velis. Res aliter cadunt, & his ipſis conſilijs,quibus tantum confidebas, corrumpis Cauſam tuam præter opinionem tuam & aliorum. Parit autem hæc res ingentem impatientiam. Quare diſcas,quod Sapientia & conſilijs tuis ne tuum quidem corpus poſſis regere, quomodo ergo regeres aliorum Corpora & voluntates in una aliqua domo,civitate,ducatu,imperio? Diſce ergo quod ſicut Ieremias dicit, Via hominis non eſt ejus. Ita hoc ipſum corpus,quod ſuſtines & circumfers, non eſſe in manu tua.

Princeps.

Merum.

Prov. 16.

Ier. 10.

Doctrina de politia & œconomia neceſſaria.

Hoc vere eſt docere de politia & œconomia, oſtendere ſcilicet cauſã efficientem & finalem. Eſt autem eo magis neceſſaria hæc doctrina,quod omnes vel in Politia vel in œconomia ſumus. Etſi enim non ſis maritus,tamen neceſſe eſt te eſſe in aliqua œconomiæ parte. Nam aut es Filius, aut ſervus, aut habes liberos, ſervos,

ſervos,vicinos, aut alia quadam conditione in domo vel ſocietate hominum es. Caveri autem non poteſt quin multa moleſta tibi accidant. Diſcendum ergo eſt, quomodo in iſtis Vitæ generibus ſit verſandum,unde iſta ſint,& quis eorum finis eſſe debeat. Longe autem maxime hac cognitione opus eſt ijs,qui in aliquo ſuperiore vitæ gradu ſunt,& vel Rempublicam vel domum gubernare debent, ut ſciant quis ejus gubernationis ſit finis.

Idem argumentum hujus Pſalmi cum Eccleſiaſte.

Pertinet igitur Pſalmus hic proprie ad Eccleſiaſten Salomonis, & non ſolum doctrinam eandem,ſed verba quoq; fere eadem habet. In Eccleſiaſte dicit, Vidi vanitates,quod nec in Oeconomia, nec in Politia ſuccedebat, ſed afflictio ſpiritus in utraq; erat. Quare nihil eſt melius,quam lætari in Deo, & cum gratiarum actione frui donis præſentibus,quæ largitur,& facere quantum poſſis. Hic igitur Pſalmus videtur quaſi compendium & Epiphonema ejus libri eſſe,quo docet,& quæ ſit efficiens Cauſa Politiæ & œconomiæ ſive Reip. ſive rei familiaris,& ad quem Finem gubernatio iſta tendere debeat, Nempe quod tantum ſimus Miniſtri & cooperatores Dei,nec ſimus cauſa efficiens, ſed Inſtrumentalis cauſa, per quam Deus operatur & facit illa. Sicut ſapientia dicit, Per me regnant Reges. Sic Pater eſt inſtrumentum generandi, Deus autem eſt fons Vitæ & autor. Sic Magiſtratus tantum inſtrumentum eſt, per quod Deus pacem & jura conſervat. Maritus & uxor in Domo inſtrumenta ſunt, per quæ Domus & res familiaris augetur. *Prov. 8.*

Magiſtratus, Maritus & uxor ſunt inſtrumenta &c.

Hæc ſcire magnam conſolationem affert. Si enim res aliter cadunt, nec pertinginus ad finem præſtitutum,poſſumus dicere, Ego tantum inſtrumentum quoddam ſum.nec ſunt iſta in manu mea, ſed gubernantur ab alia majore Potentia & ſapientia. Si igitur Vxor moritur,ſi moriuntur liberi,ſi turbatur Pax,aut aliud quiddam incommodi accidit,dic,Non ſunt iſta in manu mea, inſtrumentum ſum,quantum omnino poſſum facio,laboro,curo,mando, vigilo,Tu Domine,in cujus manu omnia hæc ſunt,da ſucceſſum, alioqui fruſtra eſt omnis Conatus, labor omnis,&c. Niſi enim adſit prima Cauſa,ſecunda cauſa per ſe nihil agit. Sic docet Pſalmus de cauſa efficiente.

Cauſa finalis œconomiæ & politiæ gloria & cultus Dei.

Eodem modo de Finali cauſa docet, ut intelligas omnia eſſe donum Dei, & pertinere ad gloriam & cultum Dei,non ad noſtram Pacem,voluptatem,gloriam,&c. ut dicamus. Hoc fecit Dominus,is dedit hunc felicem finem,Ei ſit laus & gloria in ſeculum,ego tantum inſtrumentum fui,Ejus igitur eſt Donum,non meum opus. Agrum debeo colere,poſſum eſſe inſtrumentum, ſed quod proveniunt Fruges, hoc Dei donum eſt, non labor meus. Si enim noſtrum opus eſſet,nunquam perirent ſegetes exundationibus,æſtu,imbribus,&c. Sic in conjugio tum demum apparet liberos donum Dei eſſe,quando uxor non parit. Harum cauſarum cognitio neceſſaria eſt Chriſtiano,quare jam ipſum Pſalmum audiamus.

I. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam.*

Noſter labor non eſt cauſa efficiens ſperatæ felicitatis.

Sunt grandia verba,quibus in univerſum damnat Laborem noſtrum,quod non ſit cauſa efficiens eorum commodorum,propter quæ ſuſcipitur. Adhibe autem huc omnes omnium Gentium hiſtorias,ſacras,græcas,latinas,barbaras,& videbis,quod Deus hoc multis dederit, ut laudabiliter ordinare Politiam & œconomiam inciperent,verum quia Succeſſus non eſt ſecutus,fracti ſunt animis,nonnunquam pro ſummo in Rempub. ſtudio,extremam ingratitudinem ſunt experti. Quot ſummi viri in Athenienſi Republica? quod in Republ. Lacedæmoniorum? quot in Romana ab ingratis civibus damnati & proſcripti ſunt? Adeo ut hæc communis omnium fortuna ſit,ſive in privata,ſive in publica vita, qui honeſte agere & ſummo ſtudio conſulere rebus volunt, ut Invidia & inſidijs aliorum impediti,non poſſint hoc efficere,quod conantur. Satan enim tot impedimenta, tot adverſarios,tanta odia, & tam varias inſidias in bonos viros concitat,ut aut vi-

Multi gubernatores de Republ. bene merti damnati ſunt.

Digitized by Google

ſi im-

ßi impatientia abjiciant illam curam Reipublicæ, aut indignitate moti crudeliter ſæviant in eos,quos ſibi obſtare vident,& ſic peccant vel Deſperatione, quod abjiciunt omnia,vel Præſumptione,quod perrumpere nituntur. Hi laudabiliter quidem incipiunt, & delectantur Conſilijs ſuis,quæ cum vident carere Succeſſu, ſequitur vel furor vel deſperatio.

Quare nos diſcamus media via incedere,Et ſi Deus nos vocavit ad familiam gubernandam,dicamus,Domine dediſti uxorem,domum,liberos,his tua autoritate præſum. Faciam igitur quantum potero, ut omnia rectiſſime gubernentur,Si non omnia ita ſuccedunt,ut ego volo,ſcribam,PATIENTIA,ſecundum illud vulgare verbum Monachorum,Mitte vadere,ſicut vadit, quoniam vult vadere,ſicut vadit,Sin ſuccedit ex ſententia,dicam,Deo gratias. Domine non eſt opus meum,non labor meus,ſed donum tuum. Idem faciat is,qui ad Rempub.vocatus eſt, in qua ob magnitudinem moleſtiarum & laborum, longe magis hoc ſancto Conſilio opus eſt,Qui autem eſt animo ita inſtituto,is Conjugio,item adminiſtratione Reipub. cum pace frui poteſt, & manet quietus in pace, & tranquillitate Cordis,etiam cum ſumma pericula imminent. Hoc non faciunt pertinaces & capitoſi illi, qui ſimpliciter dicunt, Sic volo,ſic jubeo. Poſt ubi diverſum accidit, non volunt Patientia mala illa vincere,Sed aut Reſpub. & domos furioſe perturbant,aut dicunt,ſe non poſſe ſuſtinere Moleſtias & labores illos, & diſcedunt ab officio. Inde fit Anarchia,ut omnia ſinant ferri ſuo arbitrio,non legibus,non pœnis licentiam improborum compeſcant. Hoc Satanæ conſilium eſt, ut per hanc difficultatem, quæ in utroq; genere vitæ eſt, omnia ad Anarchian relabantur, aut ad Tyrannidem,quando ne latum quidem unguem diſcedi à ſuis conſilijs volunt, Nemo autem media via incedat.

Vocatio ad gubernationem media via incedendum.

Anarchia.

Quare ego ſæpe doceo & hortor,ut & Magiſtratum & conjugium incipiatis ab invocatione Dei & oratione, Vt,qui uxorem velit ducere,ante omnia ſerio ad Deum clamet,& imploret ejus auxilium,ut & uxorem bonam donet,& poſtea totam vitam gubernet. Quando enim hoc non fit,ducit aliquis uxorem ea ſpe, quod talem ſit habiturus vitam,qualem Amor recens fingit. Poſtea cum experiundo res aliter cadit,ut aut vitij aliquid in uxore hæreat, aut quædam alia objiciatur moleſtia, tunc aut fit Leo in domo ſua,ut Salomo ait,& pœnitet eum facti, aut neglecta domo,ipſe hac,uxor alia via abit,& diſſipat omnia, Quia enim cogitaverat omnia pulcherrime ſucceſſura,cum diverſum accidit indignatur, & accuſat conjugium,Sed male. Tua enim culpa eſt,non rei familiaris, ſed tuæ inſipientiæ, quia vis eſſe efficiens Cauſa œconomiæ,cum id tibi non ſit conceſſum, tantum debebas eſſe cauſa inſtrumentalis.

Conjugium inſtituendum ab invocatione, &c.

Quare potius te ſubmitte alteri Magiſtro,& dic, Domine mi, doce tu me, ut recte adminiſtrem domum,Politiam,&c. Guberna tu,adſis tu mihi,ne qua impingam. Faciam enim quantum in me eſt,Si ſuccedit,agnoſcam Donum tuum, & tibi agam gratias.Si non ſuccedit,patiar æquo animo. Tu enim es prima Cauſa, ego ſum ſecunda cauſa,tu es Creator,& fac totum,ego tantum ſum Inſtrumentum. Si hoc animo gubernaremus,recte omnia ſe haberent. Nunc autem,ſive Magiſtratum,ſive novos maritos intuearis,videbis ſummam Præſumptionem. Ita enim inſtituunt omnia,ac ſi impoſſibile ſit aliud evenire,quam ipſi cogitant, Incedunt tanquam ſint prima & efficiens Cauſa, & præſtituunt finem pro gloria & libidine ſua. Sed Deus dicit,Aut non ſic facies,aut impinges,Et merito. Quia ſunt ſacrilegi & blaſphemi,quod id invadunt,quod erat primæ Cauſæ. Cum enim vel calamus Scribam docere vult, quomodo pingendæ ſint literæ, vel ſecuris Fabrum, quomodo incidenda ſit arbor,Nihil rite fiet. Plane idem hic fit, quando nos volumus gubernare quod ſolius Dei eſt.

Pij mariti & magiſtratus quomodo ſe gerere debeant.

Expedit autem vobis,ut exempla hujus ſtulticiæ conſideretis,quæ abunde multa ſuppeditant omnes aulæ Principum, civitates omnes,& domus fere ſingulæ. Omnes enim ita incedunt. Ego ſum autor & Magiſter hujus œconomiæ, hujus

Digitized by Google

hujus politiæ,&c. Merito igitur ſunt inquieti,& indignantur, quod non ſuccedunt omnia, Deinde ulciſcuntur dolorem ſuum, Et plane ſunt ejuſmodi, apud quos nihil neq; Humanitatis,neq; conſilij, nec auxilij invenias, Sed aut eſt Anarchia,aut Tyrannis,& in neutra parte eſt bonum opus,ſed utraq; ſunt noxia. Sic in conjugio,ſi neq; maritus uxori, nec uxor marito aliquid vult concedere, præterquam quod Concordia conjugalis diſſipatur,etiam hoc accedit,ut aut maritus in Tyrannum mutetur,aut negligat omnia.

In diſſolutate magiſtratu & conjugio quid faciendum.

Quid igitur faciendum eſt ? Papa reſpondet & conſulit, deſerendam eſſe Politiam, & fugiendum aliquo in Solitudinem,aut monaſterium aliquod. Non, dicit Spiritus ſanctus,hoc non eſt Dei conſilium,ſed Diaboli, Quin ſic fac,cogita te eſſe inſtrumentum,& crede eſſe adhuc alium Magiſtratum, vel patremfamilias principalem qui vocatur DOMINVS, is niſi fuerit principalis cauſa,tum fiet, quod Pſalmus hic dicit,ut domus non ædificetur, & nec Politia,nec œconomia ſit felix. Sic de finali cauſa,Si omnia voles ad certum Finem à te præſtitutum referre,& exiſtimas non fore,ut fallant te Rationes tuæ,erras,ſicut docet experientia. Aliquis accedit ad Rempub. ad augendam potentiam & dignitatem ſuam,& contrarium accidit. Alius ſperat ex conjugio Voluptates, quærit uxorem pulchram,juvenculam,morigeram,contrarium autem evenit,Recte. Cur enim ingrederis Politiam & œconomiam,tanquam Deus aliquis,& putas tuam Sapientiam,potentiam tuam ſatis eſſe ad illas res gubernandas,nec eſſe opus,ut aliquando oculos leves ad illum,qui ſupra eſt,& implores ejus opem. Cum igitur diverſum poſtea experiris,diſcis hunc Pſalmum canere,*Niſi Dominus ædificaverit domum,fruſtra laborat,qui ædificat eam.* Antea non putabas eſſe alium Dominum,præter te, quo opus eſſet ad gubernandam domum.

Alij qui ad hanc cognitionem non perveniunt,ij aut quotidie bella cum uxoribus gerunt,aut deſertis uxoribus fugiunt,Iure,juſte, ſancte. Cur enim cum eſſes ſtercus, es ingreſſus, tanquam Deus aliquis,& gubernationem illam cœleſtem & ſupernaturalem,naturali affectu cœpiſti ? Merito igitur fit, quod impingis.Quare non ſic potius dicis,Domine,dediſti mihi uxorem, liberos, familiam, Adſis ope tua,gubernes tu,alioqui fruſtra erit conatus meus &c. Quia autem & ſacræ literæ nos hæc docent,& experientia cum ijs conſentit, quod ſine ope divina fruſtra ſint omnia quæ ſuſcipimus,ideo diſcere hæc debebamus.

Quare fruſtra laborent ædificantes.

Spiritus ſancti rationem ſequentes ſervantur.

Fruſtra,inquit,laborant,qui ædificant eam. Ratio eſt,quia aut Tyranni efficiuntur, aut redduntur deſperati, & deſerunt officium,tunc perit tam politia, quam œconomia. Quæ autē hæc amentia eſt,ſic regere,ut vel Familia,vel tu pereas? Quin potius eam rationem inimus,quam hic docet Spiritus ſanctus,ut utraq; maneant, tu, & familia. Id autem fit, non ſi Monachus fias,ſed ſi diſcas agnoſcere principalem Cauſam,& verum patremfamilias Deum,eumq; invoces,& confidas ei,ac dicas,Tu Domine creaſti me, ut eſſem paterfamilias,dediſti quæ pertinent ad domum,Sed majus id onus eſt quam quod ego ſuſtinere queam, Succedas igitur in meum locum, cedam enim tibi humiliter, & ſis tu Paterfamilias. Tunc Deus exaudiet,& dicet,Faciam,modo tu ita te pares, ut Patientia vincas, ſi qua minus cedunt ex ſententia,neq; deſperes,aut Monachus fias, deſerto hoc vitæ genere,ad quod te vocavi. Quia enim me invocas,& illa, quæ dedi,agnoſcis tanquam dona mea,Ideo libenter conſervabo te,& familiam tuam. Si qua tamen moleſta accidunt,ferendum eſt aliquid, non ideo metuendum eſt,fore ut omnia corruant. Quæ œconomia fuit miſerabilior Davidis œconomia ? & tamen permanſit donec ex ea natus Chriſtus. Quare tu quoq; mihi tanquam Creatori & gubernatori illa commenda,ſi qua deeſſe videbuntur.

Fruſtra laborat, qui ſine Domino laborat.

Sic docet hic verſus principaliter de Oeconomia,Et notate Epitafin,FRVSTRA LABORANT. Efficitur enim vel Tyrannis, vel Anarchia, & vel deſerent officium,vel impingent & præſument. Vtrinq; autem magna ſunt pericula & damna. Nam vel ſe ipſos deſtruunt,vel omittunt ſua, quia volunt laborare ſine Domino,

zed by Google

mino, hoc eſt, ſua ſapientia gubernare illa, & eſſe principalis cauſa. Ideo impingunt Cicero, Iulius, & alij ſapientiſſimi viri, qui tamen, ſi ſucceſſiſſent omnia, fortaſſe in Tyrannidem eſſent lapſi, quod in magno ſucceſſu haud vere unquam Tyrannis abeſt. *Cicero. Iulius Cæſar.*

Quod ad Grammaticam attinet, ſcitis, opinor, Aedificare non ſignificare hoc loco congerere ſtruem lignorum & lapidum, ſed ſignificat totum corpus Oeconomiæ, nempe, regere, gubernare, ducere uxorem, procreare ſobolem, educare liberos, familiam regere, alere, parare opes, &c. ut ſit Ædificium res domeſtica bene conſtituta, ubi ſint optimi parentes & fœcundi, qui in pulchra pace vivunt, & habent obſequentes liberos, ex quibus boni adoleſcentes & viri optimi fiunt. Hæc eſt domus ædificata ex parentibus, liberis, & familia bene conſtituta, nempe pulcherrimum Dei donum. Alioqui vere ſic vivitur, ut etiamſi multa bene præcipiat Paterfamilias, tamen nemo ſit qui obtemperet. Ea eſt domus ruinoſa, &c. *Ædificare.* *Ædificium.*

Sic, Laborare eſt ſe fatigare, & Viribus, ſapientia, voluntate ſua omnia gubernare velle, ut nihil uſquam peccetur, ut familia ubique officium faciat ſtudioſe, ut res familiaris nulla in parte detrimentum accipiat, &c. Hæc, inquit, ſic conari, eſt fruſtra laborare, aut deſperatione quadam omnia abjicere. Quæ igitur inſtituenda ratio eſt, ne fruſtra labores? Nempe hæc, ut quantum omnino conſilio & viribus potes, facias, Deinde omnia commendes Deo, ac ei confidas, qui te fecit maritum, dedit uxorem, liberos, domum, &c. Si ſuccedunt omnia bene, age gratias Deo pro donis ſuis. Sin alicubi diverſum evenit, vince Patientia malum, & cogita, quod Deus tentat te, an ſentias Eum verum patrem familias eſſe, in cujus manu ſucceſſus eſt, an vero tibi id tribuas & tuis conſilijs? Eſt igitur hæc doctrina Spiritus ſancti, quod nec domus ædificari, nec Civitas cuſtodiri poſſit Induſtria, ſapientia, potentia, viribus humanis. *Laborare.* *Vt labor noſter ſucceſſum habeat, quid faciat.*

Sed fruſtra prædicantur hæc, & vere Surdo narratur fabula. Mundus enim tanquam captus auribus & oculis, ſuo modo agit, nempe plane contrarium ab hac Doctrina. Quare Oraculum hoc pro paucis illis erudiendis canitur, qui pij ſunt, & credunt in Chriſtum, qui ſe in Domino erudiri patiuntur. Alij ſectantur præſentia, & putant res illas ſuas eſſe, & ſua potentia ac ſapientia gubernari poſſe. Ideo quoq; accidit, ut nihil inde habeant niſi perniciem, curam fruſtraneam, & ſolicitudinem perpetuam. Id quanquam experiantur & audiant, tamen non ſapiunt. Sequitur ſecundus verſus. *Præter paucos pios nemo hoc audit.*

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. 11.

Sicut ſupra domum appellavit rem familiarem, & quod nos dicimus conjugium, ſeu œconomiam, Ita hic civitatem appellat Rempub. ſive ſit Regnum, ſive Ducatus, ſive Civitas, ſive quæcunq; Reſpublica, vel magna vel parva. Quanquam autem hæc ſecundum carnem in noſtra Poteſtate eſſe videntur, tamen revera longe ſupra nos ſunt poſita, & eſt erudiendus pius animus, ut ſciat ſe in illa Gubernatione, vel privata vel publica, eſſe tanquam inſtrumentum divinum. Itaq; ad Deum eſt reſpiciendum, & ſtatuendum, quod ex ipſius Gubernatione eventura ſint omnia, ſupra & ultra quam nos cogitare poſſumus. Hoc qui non vult credere, is feret præmium hic propoſitum, nempe, quod omnes Conatus, conſilia, ſtudia, labores omnes erunt fruſtra. *Affiducia ſua ad divinum gubernatorem vocat omnes piorum.*

Diſerte autem dicit. Niſi Dominus CVSTODIERIT Civitatem, non dicit, ædificaverit, ſicut ſupra de domo dixit. Quia cum gubernatio domeſtica & privata bene eſt conſtituta, tunc etiam bene habebit Reſpublica. Oeconomia enim fons eſt Reipub. Si enim deſint Pater & mater, uxor & maritus, qui progenerent ſobolem, & educent, non poterit conſiſtere Reſpublica. Ex domo igitur propagatur Civitas, quæ nihil aliud eſt, quam multæ domus & familiæ. Ex Civitatibus fit Ducatus, ex Ducatibus Regnum, quod illa omnia conjungit. Harum *Oeconomia eſt Reipub. ortus.* *Domus.*

Digitized by Google

Oeconomia à Deo creata in Paradiſo.

omnium Oeconomia fons eſt,à Deo creata in Paradiſo,ubi dixit, *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum.* Item,Creſcite & multiplicamini. Ergo non docet Salomon in hoc Pſalmo, quomodo ſint conſtituendæ Reſpub. & ordinandæ leges. Hæc enim jam ante ſunt in Natura, neq; ſunt primum nata aut oſtenſa à Iuriſconſultis, ſed nata ex fonte humanæ Rationis & divina Sapientia. Neq; enim Iura fecerunt ſapientiam humanam,aut ingenium,Sed econtra humana ſapientia ſeu ratio peperit Leges & Iura. Sicut omnes aliæ artes,quas habemus,ex humano ingenio ſunt natæ ſeu ex ratione. Sicut autem Creator eſt prior creatura,ſic ratio prior eſt artibus,Geometer prior eſt & quaſi pater Geometriæ. Et jura non pepererunt civilia jura,ſed juſti homines pepererunt jura.

Artes omnes nata ſunt ex ratione.

Salomon non docet de legibus ferendis, ſed eas à Deo approbari.

Salomon igitur tanquam Theologus non diſputat de Legibus ferendis, nec de a rebus inſtituendis. Hæc enim in Paradiſo quaſi plantata ſunt divinitus in naturam. Sic enim textus dicit,*Creavit Deus hominem ad imaginem ſui.* Deinde hanc imaginem exponit, *Dominamini piſcibus maris,&c.* Hic textus manifeſte oſtendit implantatum divinitus homini Ius & ſcientiam rerum,agriculturam,medicinam, & alias artes. Deinde ingenioſi homines ea,quæ natura habebant,& uſu ac diligenti cogitatione acuerant,mandarunt literis,ſicut videmus. Hæ ſunt vires Sapientiæ humanæ concreatæ & implantatæ in Paradiſo,id quod planum eſt. Quare Spiritus ſanctus illa non curat,tantum approbat tum Leges,tum artes illas tanquam pulcherrimum & nobiliſſimum hujus Vitæ Theſaurum,& dicit,Hæc omnia ſunt mea creatura.

a Publicis.

Gen. 2.

Vires humanæ ſapientiæ,&c.

Deus à fiducia carnali abſtrahit.

Deinde vult noſtram cæcam & lapſam Naturam erigere, & vocare à Fiducia carnali,ne quid ſupra vires tentemus,aut nobis ſumamus. Quia lapſu Adæ ſic corrupta eſt Natura,ut dona Dei non videat eſſe dona,ſed Iureconſultus aut alius politicus vir putat ſe omnia ex ſeipſo habere,nec reſpicit ſurſum, nec glorificat Deum largitorem talium donorum,ſed dicit,Hæc ego feci. Ex hoc Feci, verè fiunt fæces.Ergo cum conditæ ſint Politiæ & œconomiæ,cum leges & artes divina ordinatione cum homine concreatæ ſint,Natura ferè his abutitur,in eo quod dicit,Ego faciam, ego gubernabo,& perducam iſta dona in hunc finem,quæram inde meam Voluptatem,gloriam,pacem,&c. Hac præſumptione Deus ſumme offenditur,quare non addit ſucceſſum,& merito. Sicut enim ſolem condidit,ut eo fruereris,non ut eum pro tuo arbitrio regeres. Sic dedit agrum ut eum coleres, non ut pro tuo arbitrio ferret quid,& quantum tu velles, ſed quid & quantum ipſe donaret. Sic dedit Rempub.,rationem,uxorem,familiam & reliqua. Sed hoc perpetuum eſt vitium humanæ naturæ,quæ peccato Adæ ſic eſt corrupta, ut dona Dei non agnoſcat. De dono debebat cum gratiarum actione dicere,Hoc accepi,ſed ſuperbe & blaſpheme dicit,Hoc feci,Debebat dicere,Hæc Dominus Deus meus dedit & conſervat,ſed dicit, Hæc ego homo peperi, & gubernabo mea Sapientia.

Niſi Dominus, non homo, aut nos.

Quare particula DOMINUS,in primo & ſecundo verſu cum Epitafi eſt legenda,ut reſpiciat Antitheſin.Niſi Dominus ædificaverit,cuſtodierit,&c.Dominus dicit,non homo, aut nos. Non enim nos ſumus,qui generamus filios, qui gubernamus uxores & familiam, ſed Dominus. Sicut textus in Geneſi quoq; probat, *Adduxit ea ad Adam Dominus,ut videret,quid vocaret ea,&c.* Adam quidem vocavit creaturas omnes,& accepit Dominium,ſed accepit à Deo, Ipſe nec creavit eas,nec ad ſe adduxit,ſed creatas & adductas nominavit, & poſitus eſt Dominus, ſic tamen ut gubernaretur à ſuperiore Domino. Ita hic Pſalmus dicit, Dominus eſt,qui ædificat domum,qui dat uxorem,liberos,victum, qui civitatem cuſtodit, pacem publicam donat, leges tuetur, &c.

Gen. 2.

Quare voces,*Niſi Dominus*,grandioribus literis ſunt ſcribendæ. Quia natura humana maxime contra eas pugnat,idq; vitio lapſus Adæ, quod omnia in nos transferimus,quæ à Deo accepimus,quæq; Deo tribuenda ſunt, arripimus tanquam noſtra. Et Satan quoque Naturam ſua ſponte huc inclinatam,magis impellit. Fit igitur,ut & infelices ſimus,& nunquam ſimus quieti. Si enim abſque hoc

vitio

vitio Præſumptionis eſſemus,plus quietis & fortunæ haberemus. Deus enim diceret,Tu habes me pro Creatore & donatore,ego igitur tibi benedicam. Qui autem hoc non facimus, ideo varijs ærumnis & calamitatibus nos obruit,emittit in nos Diabolum,& quaſi recludit Infernum,ut in œconomia excitentur turbæ, in politia bella & cædes. Quia enim monentem per Verbum audire nolumus,pœnis & calamitatibus noſtris docere nos vult, ut Phrygum more, icti ſapere incipiamus, & diſcamus nos non eſſe dominos rerum iſtarum.

Quod,quæ Dei ſunt,nobis tribuimus,varia plectimur.

Sic Cicero ad extremum cantabat illud,O me nunquam ſapientem, & aliquando tamen, id quod non eram,fruſtra exiſtimatum, quantum te populo Romane de me fefellit opinio, &c. Sic enim gubernabat conſilijs ſuis Rempub.Romanam,ut plecteretur tandem capite. Hoc eſt vitium noſtrum, & non Creatoris, quod habemus ex primo & originali Peccato Adæ, dum non agnoſcimus Donantem,& gubernantem Dominum,ſed omnia agimus ſine timore, fiducia propriarum virium. Sic in Oeconomia dat ſuperbo cuidam juveni formoſam uxorem,quæ aut fit adultera,aut ad omnes res domeſticas eſt inepta,& eſt perpetuum quoddam onus mariti. Idem in politia principibus accidit, ut nullis conſilijs evolvere ſe ex periculis poſſint,Et recte. Cur enim nolunt Dominum habere largientem,ſed ipſi volunt eſſe ædificatores. Sed mundus hæc etſi audit,tamen non curat nec credit.

Ciceronis vox.

Quare ſolis pijs hæc dicuntur,*Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra laborat,qui cuſtodit eam*,Q. d. Dominus eſt cuſtos,qui ſi non adeſt,infelix eſt, quicquid in Reſpub. agitur. Ego cum diſcerem Erfordiæ, audivi hanc vocem Martini Sangerhauſen viri periti,celebrari,Erfordiam manſuram invictam, quod ad opes & munitiones attineret,ſed defuturos potenti & opulentæ Reipub. homines. Sapientiſſima vox fuit,qua teſtatus eſt,Reſpub. opibus & potentia non teneri,ſi deſint moderatores periti.Ædificent igitur homines,& ſi fieri poſſit,ferreis muris muniant Vrbes,colligant auri montes,fruſtra ſunt hæc omnia ſine gubernatore.

Martinus Sangerhauſen.

Primum igitur hoc det Deus,ut cives ſint boni,Deinde ut ij, qui præſunt, quoq; ſint boni & periti viri,Item,ut Principes ejuſmodi ſint,qui colant ac metuant Deum. Hæc vera & ſolida munimenta Imperiorum & Rerumpub. ſunt, quæ cum divinitus contigerunt,tum etiam de muris & vallis cogitari poterit.Sed hoc quia non fit,ideo Regna & Imperia ruunt,unum poſt aliud. Et ego plane in ea opinione ſum,Monarchias longe diutius fuiſſe duraturas, ſi Monarchæ hoc unum pronomen EGO omiſiſſent,Hoc eſt,ſi nõ fiducia Potentiæ & ſapientiæ ſuæ ſuperbiviſſent. Iam cum Monarcha Babylonis Nabuchodonoſor, præſumptione virium ſuarum inflatus dicit,Ego hoc feci,ſeptem annis tanquam Beſtia herba veſcitur,& in agris errat. Sic Perſarum,ſic Græcorum, ſic Romanorum Monarchia ob præſumptionem vaſtata eſt,Cum canerent,Ego feci,mox ſecutum eſt illud, Ego perij. Circumſpice hic omnia Regna,Principes & Reſpub. omnes, quando rebus geſtis addiderunt hanc vocẽ,Hoc ego feci,corruerunt. Quia excludunt per hanc ſuperbiam Deum tanquam ſtultum, & ſe in ejus locum collocant. Fit igitur ut Conſilia humana,potentia,& vires noſtræ deficiant. Sic hodie non deeſſent nobis muri,non alia munimenta,ſi non deeſſent Homines. Horum maxima penuria jam eſt,& qui præſunt,hi præſentem Fortunam non poſſunt ferre, ſed inſoleſcunt Potentia & opibus,munitionibus fidunt,quas habent,quaſi vero difficile ſit Deo diſſipare etiam ferreos muros,& montes auri.

Vera Rerump. munimenta.

Nabuchodonoſor.

Dan 4.

Cauſa vaſtationis Monarchiarum.

Neq; autem hæc eo dico,quod non ſint muniendæ Vrbes, & paranda præſidia contra vim,quod non ſint conſtituendæ Leges & retinenda diſciplina publica. Hæc recte fieri & debere fieri dicimus,Non damnamus Iureconſultos,non damnamus milites,ſed additamentum illud,quod aſſuunt, damnamus, quod ſcilicet in frontibus ſuis pingunt,EGO. Hanc additionem neq; vult ferre, nec poteſt ferre Deus,nec debet etiam ferre. Mundus autem quia non poteſt omittere,ideo Monarchia poſt Monarchiam,Princeps poſt Principem,Reſp.poſt Remp.corruit.

Non urbes,non præſidia, non leges,non diſciplina damnantur, ſed arrogantia ſũ Ego.

Digitized by Google

Sennaherib. Sic Sennaherib apud Esaiam gloriatur de manu sua invicta contra omnes Deos, *Esa. 37.*
Sequitur igitur nobilis illa cædes, qua opprimitur. De Cyro autem dicit textus,
Cyrus Esa. 45. Apprehendi manum ejus, ut aperiam januas ferreas. Nulla enim tanta Vis, nulla tanta munitio est, quam non expugnet Deus. Quam difficile putas ei esse, Venetias potentissimam Rempub. ad extremam paupertatem redigere, vel Bello, vel fame, vel peste, vel etiam exiccando mari?

Paranda igitur sunt illa Præsidia, est ædificanda domus, ducenda uxor, instituenda œconomia, &c. Hæc non damnat Spiritus sanctus, sed vult ne addamus peccatum originale. Quare serva creaturam, ac utere ea, tolle autem tuum vitium Originis, quo Deum offendis. Creaturæ sunt, Vxor, liberi, familia, Leges, opes, &c. Sunt res bonæ, & verè Dei Dona, quorum usum nobis concedit Deus. Verum tu addis his tuum peccatum Originale, & vis ea gubernare sapientia tua, contempto & non invocato, non credito Deo, qui ea tibi concessit, vis simpliciter incedere in hac præsumptione, ego sum qui ista rego. Merito igitur fit, ut & uxor, & liberi, & familia sint inobedientes. Proficiat vobis Domine Rector, qui volebatis ista gubernare, Deo non prius salutato.

Idem accidit in Politia. Dicit igitur Psalmus, Nisi DOMINUS custodierit,
Sine Domino aut nullus successus, aut cujus tristis sit exitus. &c. Pone igitur nomen, Dominus in prædicamentum Relationis, contra nostrum Originale peccatum, & contra naturalem præsumptionem nostram, Q. d. Ego quidem sic dico, infeliciter custodiri Civitatem, nisi Dominus custodiat. Sed est alius quidam Dominus, qui vult gubernare ista, nostra scilicet Sapientia & præsumptio, quæ contempto Deo, præsumit gubernationem tantarum rerum, & ex-
Impiorum successus. cludit Dominum, Et quidem succedit aliquando, Sed ea duplex Ira est, quando Deus impijs dat successum. Est enim Scandalum, quod & pios offendit, & infinitos alios illaqueat, qui spe eadem efficiendi accedunt, sed frustrantur. Sic Au-
Augustus. gustus Rempub. bene constituit, & evasit illos tragicos casus Regum, quod ad ipsius Personam attinet, quanquam quod ad domesticos attinet, infelicissimus fuit. Ejus exemplo alij postea Rempub. capessunt, & existimant se idem præstare posse, Sed vide quam paucis successerit, ut verissimum sit illud Iuvenalis,

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.

Commemoro autem hæc ideo, ut discamus, nos non esse Rectores rerum istarum sublimium, Politiæ & œconomiæ, multo minus autem Ecclesiæ, ubi omnia infinito sunt majora & difficiliora.

Custodire. Declaratio gubernande civitatis. Custodire, conservare est. Non autem loquitur hic, sicut supra etiam admonui, de condendis Legibus, Nam has, quia ratio ferre potest, præsupponit in Repub. esse, Sed admonet & erudit Magistratus, ut invocent Deum, & cum timore administrent negocia, Vt, sicubi non succedunt consilia, sentiant Deum id facere ad frænandam Superbiam, ne fidant sua Sapientia & potentia. Esset enim Occasio infinitorum malorum, si succederent omnia. Nunc autem cum fallitur Sapientia, & frustratur potentia, discunt propria experientia, alium esse Dominum invocandum, & præficiendum Rebusp. qui adsit ac gubernet, ac sapienter cogitatis addat Successum, ut ita confugiant ad Orationem, & dicant, Adsis ô Domine, ipse gubernes, &c. Deinde sciant, se habere Promissionem largam, quod Dominus invocatus velit exaudire & adesse. Particula igitur, *Nisi Dominus custodierit*, posita est cõtra illos, qui non invocãt, sed ipsi suaSapiẽtia & viribus suis ædificare domũ, custodire civitatẽ volunt. His dicitur, quod frustra laborabunt & custodient.

Reges, principes etc. Propheta appellat Custodes. Custodem vocat Regem, Principem, Magistratum. Parvo enim vocabulo res grandes & summas in Mundo complectitur. Est enim Deus magnus Dominus, qui amplum Os habet, & exilibus verbis ac tenuibus, res nobis maximas effert. Reges igitur & Principes Custodes appellat, qui constituti sunt ad gubernandas Respub. Sed frustra vigilant, inquit, nisi Dominus ipse adsit, nec perveni-
Frustra laborant unt labore & sudore suo quo volũt, Sed si Dominus absit, nihil aliud inde habent,

quam

Digitized by Google

quam quod ſe fruſtra crucifigunt & flagellant. Quod Propheta ſuis verbis dicit, Fruſtra laborare. Sic ego cum eſſem adoleſcens, vidi quoſdam, qui diu noctuq; aſſiduo labore ſe fatigabant, neq; tamen inde ſuppeditabat, unde tolerarent Vitã, nullum otio, nullum ludo tribuebant tempus, & tamen miſere a agebant cum uxore & liberis. Hos cum alij Patresfamilias lautiores viderent, & dolerent vicem eorum, admonebant eos, nunquam fore, ut labore iſto aſſiduo diteſcerent, Adhibendam induſtriam ad laborem eſſe, in ea plus poſitum ad parandas opes, quam in labore. Nam Oeconomus in quo paululum modo induſtriæ eſt, melius uti uno aureo, quam alius duobus, poteſt. Natura enim ſic comparatum eſt, ut induſtria ſit felicior.

a Egebant.

Labor ſine induſtria infelix.

Sed illi ipſi, qui hoc conſilium dabant illis egentibus, non videbant, Induſtriam quoq; donum Dei eſſe, & divinitus homini donari. Sicut apparet quod mulier perita œconomiæ & induſtria, ijs ſumptibus totum annum cum familia ſua vivit, qui alij non induſtriæ vix ſuppeterent ad ſemeſtre. Ideo autem tantum momenti in induſtria eſt poſitum, quod obſervat Perſonas & loca, & tempora, neque quidquam temere agit. Hæc qui non obſervant, vel in œconomia, vel Politia, neceſſe eſt ſæpe falli. Nihil igitur mirum eſt, ſi etiam magnæ Opes non ſufficiant omiſſo homini & negligenti, non obſervanti tempus & locum opportunum. Illi igitur, ſicut dixi, hoc conſilium dabant, Induſtriam labori addendam eſſe, quia labor ſine induſtria ſit infelix.

Induſtria Dei donum.

Salomon autem magis proprie loquitur, & non Induſtriam, ſed Dominum dicit eſſe cauſam. Nam hoc ipſum donum Dei eſt, per induſtriam adminiſtrare Rempub. vel parare aliquid, ne temere irruas, ſed expectes occaſiones omnes. Tale ingenium erat laudatiſſimi Principis Friderici Saxoniæ Ducis, Electoris. Is erat vir vere induſtrius, qui non dicebat, non faciebat omnia, quæ poterat in præſens dicere & facere, ſed expectabat Tempus, perſonam, locum commodum, Diſſimulabat multa, ſuo autem tempore & loco, uno verbo plus efficiebat, quam multi alij ſine hac induſtria, potentia, & viribus ſummis. Tales ſunt induſtrij homines, qui poſſunt diſſimulare, & expectare opportunum tempus, quo unum Verbum magis ferit, quam alio tempore multi Gladij ferirent. Eſt autem hæc ſapientia humana, & non divina, Quare etiam non ſatis eſt ad tantas res gerendas, ſed adhibenda eſt ad eam Oratio, ut Dominus adſit, & vigilias obeat, alioqui fruſtra vigilabit, quantumvis magna induſtria.

Deus propria cauſa felicitatis.

Princeps Fridericus Saxonia Elector.

Induſtrij homines.

Sic ducem Fridericum quanquam ſapientiſſimum virum multa fefellerunt, quæ cavere non potuit, quæ res etiam vehementer eum ſæpe commovit. Forte enim non fuit in eo primis temporibus hæc Sapientia, ut diceret, Domine adſis, & adjuva laborantem, Nam Monachi, qui tum Principum animos ceperant, nihil tale docere poterant, Poſtquam autem ex hac noſtra doctrina didicit, Magiſtratum divinitus eſſe inſtitutum, mirabilem ex ea re voluptatem cepit. Noſtri homines hodie audiunt quidem, & ſciunt hæc, & tamen incedunt ſecundum peccatum Originale, & ſecundum affectus & fines ſuos, quos ſibi conſtituunt. Fiet igitur, ut aliquando ita ſe involvant ſuis conſilijs, ut inde ſe expedire non poſſint. Eo autem majus peccatum hoc eſt, quod hanc divinam ſapientiam, quam audiunt, ita ſuperbe contemnunt. Data enim eſt hæc Lux, ut homines eam cognoſcant, & inde meliores fiant, ſed fiunt deteriores, & duplo arrogantiores. Fiet igitur aliquando, ut Pœnam ſatis gravem luant ſuæ præſumptionis, ſicut textus minatur, FRUSTRA vigilat, id eſt, ſe & alios homines fruſtra affligit. Quia enim volunt omnia gerere ſuo Conſilio, neq; rogant à Deo auxilium, Ideo cum non ſuccedit, furunt. Sciunt ſe eſſe Magiſtratus, & conſtitutos in officio, inde exiſtimant ſe omnibus terrori eſſe, & urgent conſilia ſua, ſic fit, ut impingant.

Expende iſta Lector diligenter, &c.

Sic erudit nos hic Pſalmus de Principali Cauſa, qua gubernantur conſilia & negocia omnia, & prohibet, ne Cauſas confundamus, ne ex prima cauſa faciamus ſecundam, aut plane nullam cauſam, Alioqui dicit, futurum, ut ex ſecunda

Quæ ſit principalis cauſa conſiliorum & negotiorum omnium oſtendit Pſalmus, &c.

Deus adest suæ creaturæ, &c.

causa nulla fiat causa. Non enim fecit, & abijt, dixit quidam Philosophus de Deo, & recte. Neq; enim sic fecit Conjugium & Politiam Deus, sicut Architectus navim, qui postquam absolvit opus, ab eo discedit, & nautæ regendam navim committit, Sed adest creaturæ suæ Deus, & gubernat tam Politiam quam œconomiam. Hoc nesciunt homines, & opinantur Deum non curare, quæ agimus, sed permittere ea nobis. Contra hanc falsam opinionem erudit nos Salomon, ut timeamus Deum, & discamus tranquillo animo regere & invocare Deum & dicere, Domine tu me constituisti maritum, adjuva igitur me, aut si soli mihi regendus erit currus, ita immergetur in lutum, ut inde nequeat retrahi, &c. Item monet ne præsumamus de nostra Sapientia, potentia, munitionibus & opibus. Plenæ sunt omnes Historiæ exemplorum, tum nostra experientia quotidiana idem testatur, Præsumptionem esse infelicem, & tamen Mundus manet Mundus, nec credit. Quare solis pijs hæc prosunt. Mundus autem, siquidem audire & parere non vult, sane collidatur, dum experitur, se frustra vigilare, frustra laborare, ac conteri in laboribus. Recte, juste, jure. Quia hic est scriptum, *Nisi Dominus*, Id abjiciunt. Deus igitur custodiam & ædificationem ipsorum quoq; abjicit, Sic tantum remanet, FRUSTRA.

Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Oportune accidit, ut, quemadmodum res, quæ in hoc Psalmo docetur, ita quoq; versio Psalmi esset obscurissima. Neq; enim digni fuerunt Papistæ, qui sententiam bene redditam haberent, cum tam longe à re abessent, Quare sic verte, *Frustra est vobis ante lucem surgere, sero cubitum ire, & magno labore parare victum.* Hoc enim significat panis. Hiero. vertit panem Idolorum, Sed nihil aliud est,

Panis afflictionis.

quam quod nostra lingua dicimus, Er isset jhm sawer worden/Ebræi vocant panem afflictionis seu doloris, Sententia igitur hæc est, Quod tam in Oeconomia quam Politia curæ, studia, assidui labores frustra sint, nisi benedicantur superne. Voluit enim nimium Conatum & laborem, curam & solicitudinem nimiam his figuris significare, Mane surgere & diu sedere, hoc est, satigari diu noctuq;, Q. d. Tuæ vires & studium tuum non faciet, sed benedictio Domini facit divites. Non dabit Deus Successum ex laboribus vel propter labores tuos, sicut neq; sine labore ociosos vult ditare, Sed laborandum est, & tamen sunt omnia relinquenda & commendanda Deo benedicenti.

Sententia hujus versus.

Mane surgere &c.

Labor non prohibetur. Spiritus & caro, Fides & opera distinguenda.

Videtur autem hic textus sonare quasi laborem prohibeat, contra illud Genes. 3. *In sudore vultus tui comedes panem tuum*, Et illud Pauli, *Qui præest, præsit in solicitudine, Rom. 12.* Hic contrarium videtur dici. Siquidem pronunciat, quod Labor, mane surgere, curare, frustra sit, cum tamen alijs in locis damnetur otium & ignavia. Hic opus est, ut distinguas Fidem & opera, vel Spiritum & carnem. Corde debes confidere in Deum, & invocare Deum. Quod si uxorem duxisti, aut ad Rempub. accessisti, bene, pertinet ea res ad externum hominem, ad carnem, non ad spiritum, ad opera, non ad fidem. Ibi est laborandum, & exercendus vetus homo, ut mane surgas, sero cubitum eas, hoc est, ut sis solicitus secũdum veterem hominem, quomodo pares victum, administres Rempub. Leges condas, præsidia & munitiones compares. Si Bellum imminet, cura quomodo te pares contra hostes, instruas arma & acies, Sed hoc tantum secundum externum hominem, Hoc

Externus homo laboravit, internus vero à Domino pendebit.

est, ut animus sit vacuus & liber. Cura enim & solicitudo non debet ultra externum hominem procedere, hoc est, externus homo non debet esse ociosus aut ignavus, sed sedulo facere officium, laborando, cogitando, inveniendo, curando, tanquam instrumentum, ut manus laborent, Cor autem à labore sursum ad Dominum spectare, & opem rogare debet, Vt dum externus homo Labore occupatur, Cor seu novus homo loco curarum preces ponat, & dicat, Domine sequor Vocationem tuam, faciam igitur omnia in tuo nomine, tu guberna, &c.

Hæc

Digitized by Google

Hæc conſolatio tanta eſt, ut verbis non poſſit dici. Quia etſi male cedit res, es tamen quieto animo, & dicis, Deo ſic placuit, Feci quod in me fuit. Si aliter cecidit, quam putaram, fit ſine mea culpa, qui non ſum principalis Cauſa, ſed tantum Inſtrumentum. Sicut enim cum forte accidit, ut dum opus facis, manum ferro vel alia quadam re lædas, nihilominus manet manus, quæ ante fuit, nec ideo abjicitur, Sic etſi familia inobediens eſt, commenda rem Deo, & fac quantum potes, tunc utrunque facis approbante Deo, ut & mane ſurgas, & non mane ſurgas, ut labores, & tamen non fruſtra labores. Secundum veterem enim hominem veſceris pane doloris, cor autem eſt tranquillum & quietum, in Spe auxilij & benedictionis divinæ.

Inſtrumentum.

Hæc etſi quotidie docemus, tamen tanta jam hominum Avaritia eſt, ut nullus finis cumulandarum opum ſit, quo jure, quaque injuria. Ac ne jumentis quidem Feſto die conceduntur ſuæ feriæ. Cum autem in templum ad verbum Dei audiendum eundum eſt, ſupputant accurate tempus, & jacturam operarum, quam faciunt, æſtimant, ac potius cultum Dei, quam laborem omittunt. Nec vident dum Verbum negligunt, ſe decies majorem jacturam rerum ſuarum facere. Quod ſi id in præſentia non fit, accidet tamen aliquando, ut magno labore cumulatæ Opes, aut furto, aut bello, aut incendio, Deo olim pœnas expetente, pereant, aut non perveniant ad hæredem, quem ipſi deſtinant. Atqui in Papatu hæc perſuaſio in animis hominum fuit, ut crederent, audita Miſſa eo die melius ceſſura omnia, ſed hoc reprehendendum fuit, quia non confidebant in gubernatorem Deum, ſed in opus ſuum, & tamen reſpondebat eventus, Satana adjuvante impietatem hanc. Inde hunc verſiculum in omnibus parietibus ſcribebant, *Nec unctura retardat, nec tardat Miſſa dictata.* Addebant fabulas, quibus ſuperſtitionem hanc augebant, Multos una feciſſe iter, qui cum forte in pagum quendam tempore Miſſæ veniſſent, unum ſubſtitiſſe, & audiſſe Miſſam, alios ſtudio properandi neglexiſſe pium (ut tum judicabatur) Dei cultum, & incidiſſe in Latrones, & occiſos eſſe, Illum autem, qui Miſſam audierat, tuliſſe præmium piæ moræ, quam fecerat in templo.

Avaritia hominum.

Aegre.

Hæc publice docuerunt in Papatu, quæ ego recito eo, ut noſtram infidelitatem magis cernamus, qui non poſſumus Deo tribuere, quæ illi operi ſuo tribuerunt. Fiet igitur in pœnam Peccati, ut Mundus ad majorem redigatur inopiam, & major de die in diem omnium rerum penuria fiat. Sicut videmus etiam majorem omnium rerum caritatem jam eſſe, quam præteritis temporibus fuit. Quæ eſt cauſa? Nimirum, quod mane ſurgimus, & tardamus ſeſſionem, ac panem doloris comedimus. Delectamur ſolicitudine, curis, labore, & negligimus interea Deum & verbum ejus. Fiet igitur ut Deus cumulet abunde curas, labores & moleſtias, Sic enim volumus.

Cur major nunc omnium rerum caritas ſit.

Sed redeo ad textum Pſalmi, in quo videtis Oeconomiam & Politiam nobis commiſſas eſſe, Sed ſic, ut ſciamus nos inſtrumenta eſſe divinæ Majeſtatis & Organa ſeu cooperatores, non autores, principia, vel cauſas primas iſtarum divinarum rerum. Ideo non ſatis ei fuit affirmative dicere, Ipſe Dominus gubernat & facit Civitatem, Ipſe Dominus ædificat domum, & conſtituit familiam, Sed ponit etiam negativam, Vos non facitis. Hoc enim eſt boni Doctoris. Sed ſicut dixi. Mundus negativam non poteſt ferre, Vult dicere, Ego hoc volo, ego hoc feci, ego hoc faciam, vult eſſe gubernator Rerumpublicarum & vicem Dei obire. Fert igitur meritum fructum, quod vana tentat, quod fruſtra ſunt labores, & ſtudia omnia. Sicut dicit Pſalmo 78. Defecerunt in vanitate dies eorum, id eſt, prius mortui ſunt, quam hoc perficerent, quod conabantur. Quia enim nolunt credere, Deum gubernare omnia, ideo experiuntur vanitatem & fruſtraneum laborem, & merito. Cur enim nos, qui ſumus ſecundæ Cauſæ, imo organa conſtituta, præſumimus eſſe prima & principalis cauſa? Perinde ac ſi ſecuris præſumat eſſe Faber, aratrum præſumat eſſe agricola, calamus ſcriba, &c. Maneat igitur unuſquiſque noſtrum in

Oeconomia & Politia nobis commiſſa ut inſtrumenta, non autorum.

Pſal. 78.

Defecerunt in vanitate dies eorum.

Digitized by Google

ſuo Ordine & conditione, & ſciamus Deum hoc à nobis exigere, ut dicamus, Credo in unum Deum, hoc eſt, Deus vult manere Deus, creator & factor omnium, nos autem vult habere Cooperatores, ſeu potius inſtrumenta, non autores. Quia autem poſtulamus eſſe autores, fit ut inde habeamus vanitatem & panem afflictionis.

Labor non prohibetur, ſed præſumptio damnatur, &c.

Porro phraſis hæc dilatanda eſt, & tranſferenda ad omnes Ordines hominum, ac non tantum ad opifices, qui mane ſurgunt ad faciendum opus, Non quod ſit malum mane ſurgere, & ſero cubitum ire, non quod ſit malum tota die labore occupari, Nam hæc exiguntur divinitus ab omnibus, contra Ignavia & ocium eſt maledictum, Sed diſtinguendus eſt labor & præſumptio. Laborem non damnat, ſed diabolicam Præſumptionem damnat, qua nos non contenti labore, inſuper arripimus divinam curam & ſolicitudinem, quam ipſe pro nobis habet, & vult nobis extorquere Majeſtatem divinam, quam per illam curam invadimus, non vult nos omittere laborem, Hæc enim tentatio nobis naturaliter adhæret, quod ambimus & invadimus Majeſtatem divinam. Hoc malum in Paradiſo primum cœpit, cum Satan ad Hevam diceret, Eritis ſicut Dij, & perpetui huic Carni adhæret, nec poteſt ita vitari, ut conveniebat, etiamſi id doceamur, & doceamus, Sed volumus & affectamus Dij eſſe. Hic ergo vere eſt hæreditarius creaturæ morbus.

Hæreditarium malum affectare divinitatem.

Contra hanc Præſumptionem & curam, quæ proprie ad ipſam Majeſtatem pertinet, pugnat Spiritus ſanctus, cum dicit, Non eſſe noſtri operis, iſta gubernare, ſed Dei, nos autem tantum Inſtrumenta eſſe. Sed nihil proficitur apud impios, Quin pij quoque in hoc peccant ſæpiſſime, Nos enim non contenti noſtra Sorte, volumus quoq; gubernatores eſſe, & conſtituere Modum, medium, & finem nobis commodum. Maceramus igitur nos vanis curis dies ac noctes, ſicut exempla totius mundi oſtendunt. Alius conſtituit ſe hanc puellam ducturum in uxorem, & ſuas ſecuturum rationes in conjugio, Alius exactiſſimam formam adminiſtrandæ Reipub. animo concipit, in qua nihil deſideres, priorum inſcitiam reprehendit, ſuam ſapientiam admiratur & prædicat alijs, Sed in experiundo longe turpius fallitur, quam priores. Sic Paterfamilias, de quo dixi, in experiundo longe aliam rationem invenit, quam ipſe cogitarat. Nunc decumbit uxor, nunc liberi moriuntur, nunc alia accidit calamitas. Recte & laudabiliter, ut ſcilicet videas Deum vindicare Majeſtatem ſuam, quam tu conſilijs tuis ei eripere conabaris. Quod ſi nihil incommodi hominibus ſic præſumentibus accidit, manifeſta ea eſt Occaſio maximorum incommodorumquæ ſecuris hominibus impendent.

Quod ex impijs nemo ex pijs pauci, nec ſine votis hoc audiunt, fit ut e votis plurimum fallant, Principes.

In ſumma nullum vitæ genus eſt, in quo non plurima aliter eveniant quam putaras. Adverſarijs noſtris quam multa præter ſpem acciderunt? quid eorum, quæ certa putarant, confecerunt? Sic ſingulis Magiſtratibus, ſingulis familijs accidit, ut non ubiq; hoc efficiant, quod deſtinarunt. Quid igitur habent ex ſuis multis & varijs Conſilijs, quam vanitatem, quod ſe ipſos fruſtra affligunt, & ſic tranſigunt vitam ſuam, ut pauciſſimas horas quieto animo hilare traducant. Sic invenies aliquos Principes beatiſſimos, ſi quiete ijs donis frui poſſent, quæ contigerunt. Sic autem quiete ijs fruerentur, ſi Deo omnia commendarent. Sed quid faciunt? Amiſſa hac felicitate, quam habent in manu, præſumunt ea, quæ non ſunt ſuarum virium, nec ſibi mandata, ijs curis ſe conficiunt uſq; ad mortem, Et merito. Cur enim arrogant ſibi res non commendatas à Deo, & ijs, quæ habent, non quiete fruuntur? Sicut Salomon dicit Eccle. 5. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, ut cui dedit Deus divitias, & ſubſtantiam & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus ut comedat ex eo, &c.* Si enim eſſemus contenti ijs, quæ habemus, & frueremur donis Dei, lætaremurq; cum uxore, liberis, familia, cum gratiarum actione, ac faceremus officium noſtrum in bona Conſcientia & pace, quid eſſet nobis felicius? Sed facimus quæ verſus hujus Pſalmi vetat, Mane ſurgimus, affligimur, & cum dolore comedimus panem. Eccle. 5.

Hæc eſt vita humana per totum orbem Terrarum, ſicut Spiritus ſanctus

hic

hic teſtatur. Ratio eſt, quia nemo ſua ſorte contentus eſt, *Nemo ſua ſorte contentus vil.*

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Donum quod Deus nobis fruendum dedit, diſplicet. Circumſpicimus igitur aliud, in ejus cogitatione excruciamus nos, quomodo id poſſimus conſequi. Ac noſtra bona non inſpicimus, ſed ſicut Poeta inquit:

Fertilior ſegés eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Quid autem habemus inde? nempe vanitatem vanitatum, panem doloris, & fruſtraneos conatus, ſeſſiones & ſurrectiones fruſtraneas.

Ergo ſoli pij hoc poſſunt, ut præſentibus contenti vivant. Quia ſciunt Deum eſſe gubernatorem & largitorem omnis boni, ſpiritualis & corporalis. Laborant igitur in ſimplicitate, & labore partis fruuntur tanquam donis Dei, neq; ſe autores eorum eſſe præſumunt. Quare pacem habent, & ſi quid mali incidit, poſ- *Iob 1.* ſunt id ſuperare, dicentes cum Hiob, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Sic & præſentibus bonis frui, & mala omnia vincere poſſunt, Caro neutrum poteſt, præſentia non intuetur, ſed tantum in futura eſt intenta, de ijs dum ſpeculatur, amittit etiam præſentia, Sicut canis Æſopicus, qui dum umbræ inhiat, carnem quam rictu tenebat, amittit una cum umbra. Iuſte. Quis enim hoc Iudicium condemnare auſit? Canis igitur ille eſt pictura totius Mundi. Ibi videas unum Patremfamilias, cui Deus dedit uxorem, liberos, familiam, rem, &c. Hæc eſt caro in rictu canis. Quid igitur facit? Præſentia Dei dona non curat, nec ijs fruitur, ſed interea macerat ſe alijs inanibus curis rerum non præſentium, quas nunquam conſequitur, nec diſſimile patitur ab ijs, qui in ſomnis conantur effugere, & tamen nec pedem loco movere poſſe ſibi videntur.

Pij præſentibus ſunt contenti.

Canis Æſopicus.

Sed non poſſunt hæc diſci ex Libris, experientia autem eſt unica gloſſa, quæ hunc Pſalmum interpretatur. Nam ego quoq; & intelligo hæc, & docere etiam alios poſſum, ſæpe tamen accidit, ut ipſe quoq; vanis conatibus & ſtudijs me fatigem. Ratio eſt, quod illa Divinitas ſemel affectata in paradiſo, non poteſt plene abjici, ne in Sanctis quidem. Si autem accidit, ut quanto plus hujus Originalis veneni habeas, tanto minus habeas quietis & pacis, ſecundum illud Auguſtini, Iuſtiſti Domine, & ita fit, ut omnis Inordinatus animus ſit ſui ipſius Pœna. Sicut enim Ebrietas ſuam pœnam ſecum affert, cruditatem & dolorem capitis, ita quoq; inordinatus animus, qui ſe curis exercet & fatigat, affert panem Doloris & conatum fruſtraneum, Exemplum videmus etiam in magnis Principibus.

Experientia Magiſtra hoc diſcimus.

Auguſtini dictum.

Hoc eſt quod dixi, non tantum de Opificibus, ſed de tota maſſa Generis humani in omnibus officijs accipiendam eſſe hanc ſententiam, quod fruſtra ſit mane ſurgere, hoc eſt, vehementer eſſe curioſum & præſumptuoſum, in quocunq; genere officij. Sic Magiſtratus mane ſurgit, cum ſolicitus eſt, ut omnia gerantur ſecundum deſtinatum animo Finem, ſecundum ſua conſilia & voluntatem ſuam. Sic per omnia alia vitæ Genera mane ſurgere eſt, nullum habere vacuum tempus à Curis & conſilijs, niſi eo pervenias quo conſtituiſti, Sed hoc eſt fruſtra. Hujus rei exempla infinita vidi, & vos quoq; videbitis, ſi vixeritis. Iuventus enim, quia experientia carét, nondum intelligit hæc, ſed fiet tempore, ut in omnibus generibus vitæ, in ruſticis, indoctis, doctis, Principibus, Regibus videatis, quod mane ſurgunt, hoc eſt, valde ſunt ſolliciti, & præſtituunt ſibi fines, ac ſe Cauſas efficientes conſtituunt, & omnia pro ſua ſapientia volunt gubernare, Sed fruſtra.

Fruſtra eſt mane ſurgere.

Viderunt hoc Gentes quoq;, Ideo dixerunt, Fortunam dominari in omnibus. Si enim Sapientia ſatis eſſet ad res bene gerendas, Cicero & Demoſthenes non eſſent falſi ſuis ſapiétiſſimis & honeſtiſſimis rationibus, Si a ſapientia & robur, Hector apud Poëtam Trojam, Cæſar Iulius Romanum Imperium, ſervaſſent. Non enim Sapientia, non potentia, non cura, non ſolicitudo, ſummis viris defuit, Non defuit mane ſurgere, & tarde cubitum ire, non panis Doloris, & tamen miſere perierunt omnes, ac falſi ſunt. Coacti igitur ſunt dicere, Fortunam dominari

Gentes eventum incertam ad fortunam retulerunt. a potentia.

Digitized by Google

dominari in rebus, Item, Caſu omnia ferri. Quia quo ſapientiores fuerunt, eo fere ſtultius adminiſtrarunt omnia, & major felicitas Tyrannos ſæpe ſecuta eſt, quam ſummos in Repub. viros, ſicut ex Ariſtotele quoq; citarunt, Ibi majorem eſſe fortunam, ubi intellectus eſt minor. Quanquam enim Ariſtotelis alia ſit ſententia, verum tamen eſt, quod ſumma ſapientia evertit ſumma Imperia, Sicut proverbio quoq; dicitur, Sapientes viros non leviter peccare.

Sapientes non leviter peccant.

Quanquam igitur Gentes non illuminatæ verbo Dei, ſed tantum Experientia doctæ, faterentur res non gubernari Sapientia & potentia, Sed fortuna, tamen non abſtinuerunt à Præſumptione ſuæ ſapientiæ & potentiæ, ſed gubernare Reſpub. proprijs conſilijs voluerunt. Poſt cum res aliter cederet, agnoſcebant errorem, & Fortunæ tribuebant omnia. Nos non debemus Fortunæ illa tribuere, niſi fortunam voces, quando ſapientibus & potentibus, ac mane ſurgentibus aliter cedunt ſua conſilia, quam præſumebant, ſed judicio Dei, qui præſumptionem ſic punit. Quare enim homines præſumunt eſſe Sapientes & potentes in ijs rebus, quæ ſunt poſitæ ſupra Sapientiam & potentiam humanam, ac quæ reguntur divinitus? Cur non ibi utuntur Sapientia & potentia ſua, ubi Deus voluit, nempe in rebus infra ſe poſitis, de quibus dicit Gen. 2. Merito igitur falluntur, & clamant, Fortuna omnia fieri. Sed nimis ſero, poſt perditas ſcilicet Reſpub. & everſa Imperia. Stultorum enim hoc carmen eſt, dicere, Non putaram, & accuſare fortunam.

Fortuna. *Gen. 1.* *Non putaram.*

Neq; enim fortuna facit, ut fallant conſilia noſtra, ſed tua ſtultitia & ignorantia Dei & tui. Primum, quod non intelligis quis tu ſis. Deinde quod non vides, quod ſit mandatum Dei, & quatenus te voluerit præeſſe rebus. Altius incipis Carmen, aſinorum more, ergo male deſinis. Hoc poſtea cum vides, clamas, Nullus eſt Deus, Nulla eſt Providentia divina. Quia ſapientiſſimi Principes non perficiunt hoc, quod ſapientiſſime conſtituerunt, Potentiſſimi Reges non efficiunt hoc quod poſſunt. Iniquus igitur eſt Deus, aut plane nullus, quia alioqui reſpiceret ſapientes viros, & omnia ſic gererentur, ut deſtinavimus. Egregiæ vero voces, Quaſi vero Deum, talem Deum eſſe conveniat, qui cum videat te Patremfamilias ſapienter inſtituiſſe omnia, accedat, & dicat tibi, Domine Paterfamilias, recte conſuluiſti omnia, ſapientiſſimus vir es, qui gubernare poſſis, etiam ſine me. Vbi autem interim manet gloria & majeſtas divina? Vbi manet ipſe Deus, ſi tu omnia proſpicis, gubernas, & efficis? Si tua ſapientia & potentia facit omnia? nempe divina ſapientia & potentia hoc modo in nihilum redigitur.

Conſilia cum fallunt conſilium. *Blaſphemia veri præſumentium.*

Quin potius deſtruantur Conſilia tua, diſſipetur Potentia & ſapientia tua, ut experientia diſcas, Quod quo quiſq; eſt ſapientior, eo minus efficit hoc quod vult, eo eſt ſtultior & infelicior. Econtra ubi nonnunquam minimum ſpei eſt, ibi facillime ſuccedit, ut intelligas Sapientiam & potentiam, qua tu fidis, nihil eſſe, nihil poſſe, ſed potius nocere. Non quod damnet Sapientiam & potentiam Deus, ſunt enim dona Dei, quæ dat hominibus, Sed hoc damnat, quod homines ſapientes & potentes fiducia horum donorum, excludunt Deum à gubernatione rerum, & ipſi per ſe omnia conantur regere. Sic Cicero, Iulius, Brutus conſilia Reipub. bene conſtituendæ ineunt, cogitant, ſic faciam. Quis? Ego Cicero, Cæſar, Brutus. Qua re facies? Mea Sapientia, mea potentia. Hanc præſumptionem & arrogantiam non vident peccatum eſſe. Poſt cum ſapientiſſimas ſuas Cogitationes falli vident, blaſphemi fiunt, & putant nullum eſſe Deum, aut Deum iniquum eſſe, qui Virtuti non honorem habet, & Sapientiæ non addit ſucceſſum. Ideo autem infelices ſunt, quia excedunt limites ſuæ ſapientiæ, neq; eo ſunt contenti, quod ſunt conſtituti Domini ſuper Pecora campi, Piſces maris, volatilia cœli & ſuper terram, quarum rerum dominium homini conceſſum eſt, Geneſ. 1. Sed volunt etiam gubernare per ſe, hominem ſibi ſimilem, domum, uxorem, liberos, regna, Imperia, idq; autoritate & ſapientia propria, non ſalutato Deo, non invocata ad id ope divina.

Quo quiſq; ſapientior, eo minus habet ſucceſſus. *Non ſapientia, ſed quod fiducia ejus doni Dei à Gubernatione excludatur, damnatur.*

Ergo hic verſus eſt idea & imago totius mundi. Quid enim aliud eſt totus Mundus,

Idea totius mundi, frustra mane ſurgentium.

Mundus, cum omnibus ſuis ſtudijs, quam fruſtra mane ſurgere? Inſpice Principes, inſpice Magiſtratus, inſpice patresfamilias & œconomos,& videbis mane ſurgentes,ſed fruſtra. A ſummo igitur ordine uſq; ad infimum omnes canunt hoc carmen, Monarcha æque, ut ancilla in domo,Ego mane ſurgo,& fatigo me, ac manduco panem doloris.Pauciſſimi ſunt divinitus illuminati,qui hanc gratiam habent,ut agnoſcant ſe eſſe Inſtrumenta,Deum autem gubernatorem,& qui donum exiſtiment,Succeſſum, non opus ſuæ ſapientiæ & conſilij. Reliqui omnes incedunt in præſumptione,& quaſi ipſi ſint Magiſtri rerum,ſuo operi tribuunt omnia,Inde fit,ut impingant. Sic Cicero,Demoſthenes,alij ſummi viri in Repub.non peccaverunt in eo,quod fuerunt ſapientes,Sicut in regno Iſrael Achas & Achab, quos apparet fuiſſe politicos viros,Sed in eo peccaverunt,quod cogitabant res illas & Imperium illud ſuæ ſapientiæ ſubjectum eſſe. Cicero videbat ſe eſſe unicum Oratorem in Romana Repub. & videbat,quid oporteret fieri,quomodo gubernanda eſſent omnia.Quia autem erat vacuus timore Dei, & ſuis conſilijs omnia tribuebat, excluſo Deo, ideo voluit ei Deus ipſa experientia oſtendere,non ſatis eſſe bene conſulere,neq; ſufficere humana ingenia ad tantarum rerum Adminiſtrationem, ſed requiri benedictionem Dei de cœlo. Quare Cicero ſuis conſilijs non ſolum Rempub. non ſublevavit,ſed & ſibiipſi & Reipub. exitium acceriſivit.

Exempla Demoſthenis. Achæ. Achab. Ciceronis.

Idem fit in divitijs & opibus. Opes non ſunt malæ, ſed ſunt donum Dei, ſicut ſapientia. Favet igitur & concedit nobis Deus earum uſum ac poſſeſſionem, Sed quod dives vult addere,Hæc mea ſunt,hæc paravi induſtria & labore meo,& intuetur eas tanquam ſuum partum,hoc eſt malum,& eſt affectatio diabolica Divinitatis, quam decepti à Diabolo parentes noſtri in paradiſo induerunt,ac poſtea nos ab eis procreati omnes nobiſcum afferimus. Quam igitur impoſſibile eſt exuere Carnem hanc, quam circumferimus nobiſcum, tam etiam impoſſibile eſt, illam affectationem Divinitatis totam abjicere. Sancti tamen contra eam pugnant, & de die in diem magis eam mortificant, donec tandem tota per Mortem una cum vita aboleatur.

Quod in ſapientia idem peccatur in divitijs.

Affectatio di vinitatis.

Pij igitur,quibus contigerunt opes, dicunt. Habeo aurum,habeo argentum, non autem eſt meum opus,ſed tuum donum Domine,quod tu dediſti per meum laborem. Quantumcunq; autem laboraſſem,niſi tu dediſſes,nihil haberem,&c. Mundus autem diverſum dicit, Habeo uxorem formoſam, habeo liberos ſuaves. Cujus beneficio? Meo nimirum. Dignus enim ſum,qui tales habeam, Atqui,inquit Deus, tu cum hæc præſumis,mentiris. In ſignum ejus rei faciam, ut moriantur Liberi, aut corrumpantur, ut Vxor aut ægra decumbat, aut fiat adultera, aut rem familiarem diſſipet,&c. Alius habet magnifice extructas ædes,Eum ſi quæras,Vnde hæc habes, cujus opera? cujus virtute paraſti eas? Reſpondet,Mea.Non,Et,ut id videas verum eſſe,incendio perire eas ſinam,aut tu, priuſquam ijs pro libitu fruaris,morieris. Alius in pace gubernat Rempub. ducatum, regnum. Cujus virtute? Mea, inquit. Non Et,ut videas id verum eſſe, permittam excitari Seditionem, bellum, aut aliam turbam,ut mireris,& dicas,Quis vel ſuſpicari potuit hæc futura eſſe?

Pij agnoſcunt opes eſſe Dei dona.

Abuſus donorum Dei in mundo.

Contra hanc præſumptionem docet nos Pſalmus, ut dicamus, Vxor, liberi, familia,opes,pax,regnum, &c. ſunt dona Dei, ijs fruar cum gratitudine. quam diu Domino placuerit, & quam diu Dominus dederit. Si moritur uxor aut liberi, ſi aliquid publice turbatur, Domine Deus, eram poſſeſſor horum donorum,tu ea dediſti,idem tu abſtuliſti quoq;.Libenter igitur feram hanc jacturam,tamen alioqui non potuit æterna hæc eſſe poſſeſſio, &c. Animus ad hunc modum inſtitutus etiam Adverſa bene fere pot eſt,quæ impij cum maximo dolore ferre coguntur.Sed Mundus non audit,ideo experitur hoc quod Pſalmus dicit,Vanum eſt vobis mane ſurgere,& ſunt ſibi ipſis Carnifices & Diaboli, qui ſe ipſos affligunt, & fruſtra. Merito, Cur enim non audiunt? Intuere igitur in omnia Regna,in Reſpub.omnes,quarum hiſtoriæ extant,Romanam,Athenienſem,Lacedæmoniorum,Thebanorum,&c. & invenies imaginem veriſimam hujus verſus.

Pius opum & potentiæ uſus.

Cum

etiam in aliis, ut cives dicerent, Ecce hunc ſumus ſecuti, hic geſſit illas res,&c. Sicut teſtatur verſiculus Ciceronis.

O fortunam natam me conſule Romam.

Hæc an non arrogantiſſima vox fuit,& digniſſima quæ exagitaretur? Ad extremum itaque canebat aliam cantilenam, ſicut apparet in Epiſtola ad Octavium. Hoc autem eſt ex divino Dono,facere opus ſuperbiæ humanæ,ſeu potius Satanicæ. *Vox Ciceronis arrogans.*

Si igitur jam Cicero & Demoſthenes rogent,cum ſapientiſſima conſilia eos fefellerint,quid faciendum ſit? Sit ne omittenda ſapientia,& abjiciendum Imperium, &c? Reſpondet Salomon,Non,Sed debetis imperare,gubernare rempub. conſiliis. Sic Oeconomum jubet ducere uxorem,quærere opes,colere agrum,&c. Sed ſic, ut ſtet hoc,Dabit dilecto ſuo per ſomnum,ut verbum (Dabit) maneat,hoc eſt, ut quidquid obvenit, donum eſſe agnoſcatur. Item, quod dabit ei,qui eſt dilectus,& dabit quaſi per ſomnum, ut ſit Donum,donatum amico, & facile natum. Hæc eſt ſumma breviſſime expoſita,quam poſtea latius explicabit per partes,ut quidquid inſpexeris, teipſum, vitam tuam,corpus tuum, uxorem, liberos, pacem, ſucceſſum,&c. agnoſcas eſſe donum Creatoris,nemini datum niſi dilecto ſuo. *Non abjiciendæ ſapientia, neq; imperia deferenda,ſed Dabit,adjungendum.*

Facies igitur & Idea mundi eſt in præcedenti verſu, ubi non ſunt dilecti, ſed dementati homines, nativa divinitate & carnali,qui omnia ſuis conſiliis volunt regere & efficere. Hi nullum habent donum, quia etſi habent, tamen non agnoſcunt tanquam donum,nec dicunt,Hæc Deus dedit. Ac licet Cicero & alij Philoſophi interdum illas res dona Dei eſſe ſignificent,tamen non credunt, ſed ex ſe Deos quoſdam faciunt,ac creatores,qui ſuis conſiliis munierint Reſpub. Imperium propagarint,imminentes turbas caverint,&c. Hac præſumptione provocant Deum, ut immittat Annibalem aliquem,aut Pyrrhum,aut inteſtinum bellum excitet per Syllam, Pompejum, aut conjurationem nefariorum hominum per Catilinam, ut ſic agnoſcant, ſe non eſſe gubernatores tantarum rerum. Sic habent etiam impij dona Dei, etſi non intelligant eſſe dona. Nos autem debemus id diſcere,ut,ſi duxiſti uxorem, præfectus es Reipub. aut alicui alij negocio,Bene,eſto prudens,audi verbum Dei, & intellige quid ſis,quid non ſis, Vxorem,liberos, familiam, opes,&c. orna hoc titulo, quod Dominus ea dedit, hoc eſt, ſentias ex corde eſſe dona Dei, quæ Deus dedit, neq; aliud pro iis exigit,quam ut grato animo agnoſcas eſſe ſua dona. Verum hoc ipſum agnoſcere etiam eſt donum Dei,ſicut dicitur Sap. 8. *Scivi quod aliter non poſſem eſſe continens,niſi Deus id daret.* Hoc autem ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cujus eſſet hoc donum. *Facies & Idea mundi.* *Pij contra, quã mundus & impij, donum & civitatem Dei dona agnoſcunt.* *Sapient. 8.*

Qui igitur certo ſtatuit uxorem, liberos, Magiſtratum,&c. eſſe dona Dei, is non inflatur ſucceſſu,quia ſcit donum Dei eſſe,non ſuum opus,non virtutem & gloriam ſuam. Sic maritus ita inſtitutus habet puram læticiam in uxore & liberis, quia ſentit ea Dei dona, & fruitur iis cum gratiarum actione,quam diu Deus conceſſerit. Si iterum aufert ea Deus,æquo animo fert,non laborat,non edit panem adflictionis, ſed dormit,Quia eſt ille dilectus,cui favet Deus,& vivit ac ſi dormiat, eiq; tanquam dormienti rete trahitur,ſicut de Timotheo dicebant. Nam viderunt Gentes quoq; Fortunam dominari, ſicut Poëta dicit, Fata regunt orbem, Cauſam tamen neſcierunt, cur ſic fieret, quod ſapientiſſimi fallerentur, & aliis qui nullam ſapientiæ laudem ſingularem haberent,omnia cederent ex ſententia. *Pius maritus.* *Fata regunt orbem.*

Cum primum Imperium ad Carolum Cæſarem noſtrum invictiſſimum delatum eſſet, mira erat omnium de eo deſperatio, Papa, Gallus, Veneti ridebant nos, admiratione ſuæ ſapientiæ,Cujus nihil in Carolo ſimile videbatur. Quid autem fit? Sapientia illa admirabilis,de qua hoſtes Imperij gloriabantur,turpiter confunditur, Carolus ubiq; triumphat. Clamant igitur & convitij loco objiciunt ei fortunam, quod habeat iſtas Glorias non ex ſe,ſed quaſi dormienti cuncta obveniant. Verum tu vide,vnde iſta fortuna ſit,& invenies eſſe donum Dei. Id quia Carolus intelligit (ut ſpero) & teſtantur id tum facta tum dicta ejus, ideo diligitur à Deo, &,ſicut Pſalmus dicit,Dilecto dantur omnia quaſi per ſomnum. Quod ſi aliquando (quod Deus

prohibeat) ſiniſtre aliquid acciderit, ſi eſt Chriſtianus, dicet, Dominus dedit tam din ſucceſſum, jam aufert, ſit nomen Domini benedictum.

Pius habet domi Deū.

Sic pius fruitur rebus & dominio illo conceſſo à Deo, Gen. 2. Edit, bibit, dormit, delectatur uxore, liberis, opibus, cum gratiarum actione, dicens, Domine Deus, tuum eſt donum, tuum fuit donum, Si eripis, iterum eſt tuum, &c. Sic eſt animus vere & pie quietus & tranquillus. Impij autem habent panem Afflictionis, & ne noctu quidem dormiunt, Pius autem non ſolum noctu, ſed in toto tempore vitæ ſuæ dormit, hoc eſt, eſt ocioſo animo, & in regno quaſi in molli lecto quieſcit, ſummam gubernationem concedit Deo, ac fruitur donis ejus, & ſcit ſe eſſe inſtrumentum Dei, atq; ita omnia habet tanquam per ſomnum in ocio, dans Deo gloriam, & nihil faciendo facit omnia, ac faciendo omnia, nihil facit. *Gen. 2.*

Pauis afflictionis impiorum.

Principalis gubernator politiæ Deus. Somnus.

Sic poſtquam ſupra ſatis damnavit præſumptionem ſapientiæ & virium humanarum, docet tandem veram cauſam, & principalem Dominum & gubernatorem politiæ & œconomiæ, ſcilicet, ipſum Dominum. Eſt autem mira brevitas, Dat amico ſuo per ſomnum. Somnus vero, de quo dicit, referendus eſt ad ocium & quietem animi, vel conſcientiæ, non ad ocium carnis & corporis. Laborandum eſt corpore & ſudandum, ſed in læta conſcientia, ac fiducia Benedictionis divinæ, ſicut in Geneſi ſcriptum eſt, Omnia noſtra conſtare benedictione divina, non noſtra cura. Iam pergit, & quæ breviter expoſuit, latius explicat, eo ordine, quem ſupra ſervavit, ut primum de Oeconomia, poſt de Politia dicat.

Quæ ſit ſententia hujus verſus.

Liberi donum Dei.

Fructus ventris.

Ecce filij hæreditas Domini, & fructus ventris eſt merces. Eſt mirabilis obſcuritas in hoc verſu, vitio Interpretis, nec poſſibile eſt intelligi eum ab homine Latino. Non ſolum enim vocabula, ſed & phraſis eſt divina, qua Spiritus ſanctus & ſcriptura utitur. Sententia igitur hæc eſt. Ecce hæc eſt ſapientia, regula & modus recte ſentiendi de Oeconomia, quod filij ſint hæreditas divina, id eſt, Dei donum, & quod fructus ventris, hoc eſt, quicquid ex ventre naſcitur, eſt Merces, id eſt, donum Dei. Non eſt autem valde inepta ſententia, ſi primo loco differentiæ cauſa, Filios accipias maſculinum ſcilicet genus, ſecundo fructum ventris, id eſt, Femellas omnium animantium, potiſſimum tamen hominum. Redit enim res eodem, nempe, quod patrem & matrem eſſe, non ſit humani operis, ſed divini, Et quanquam maritus generet per uxorem, uxor autem imprægnetur per virum, tamen utrunq; ſit donum Dei, & benedictio divina, ſicut textus dicit, Creavit Deus maſculum & fœminam, Creavit dicit, ut ſignificet, quod non ſint ſui ipſorum Rectores & fictores, ſed quod tam maſculus quam fœmina ſint Dei creaturæ. Deinde addit, Et benedixit eis, Creſcite & multiplicamini. Ex hoc Geneſis loco manat hic verſiculus Pſalmi, Nam quod Deus dat liberos, hoc non eſt operis noſtri, ſed eſt benedictio divina. Quanquam autem mundus hoc experitur, tamen neq; intelligit, nec obſervat. Quia enim illa procreatio ſobolis eſt quotidianum beneficium, ideo vileſcit. Sic mundus tanquam porci, in cœno ſtudiorum ac voluptatum ſuarum volutatur, & hæc ſumma Dei beneficia, in quibus vivit & ambulat, neq; agnoſcit, nec miratur.

Creavit Deus maſculum & fœminam.

Creſcite & multiplicamini.

Homo peculiari benedictione à Deo ornatur.

Obſervandum autem hoc quoq; eſt, quia non ita promiſcue benedixit Deus homini, ſicut aliis beſtiis benedixit, ſed peculiari benedictione hominem ornavit, ut eo facilius credamus, donum Dei eſſe, habere filios & filias, Neq; ſibi arroget Maritus, quaſi ipſe fœcundet uxorem, nec uxor ſibi arroget, quaſi concipiat naturali & propria quadam ſua virtute, Sed diſcant eſſe hæc opera vere divina. Ideo etiam accidit nonnunquam ut ſanæ & formoſæ mulieres robuſtis & ſanis maritis conjunctæ in magnis opibus & delitiis, tamen ſint ſteriles, ut videlicet oſtendat Deus, Benedictionis ſuæ, non humanæ virtutis aut naturæ eſſe parere & gignere. Contra, alius, qui vix contra famem ſe defendere poteſt, plenas ædes ſobole habet. Recte igitur dicunt Germani noſtri, cum de liberis loquuntur. Vnſer HErr Gott hat mir ein Kind beſcheret/ Deus largitus eſt mihi liberos. Hoc verbum quanquam omnibus in ore ſit, pauci tamen ſunt, qui admirentur iſtam Benedictionem aut intelligant, propterea quod obſcurata ſit miſera illa voluptate, & aliis fœditatibus carnis, nempe,

Conjuges ſteriles.

Deus largitur liberos.

Calami-

Calamitatibus,periculis,ſudoribus, laboribus,&c. Hæc ita obſcurant Benedictionem divinam,ut non benedictio,ſed maledictio potius videatur. Nam cum aut filij ſunt inobedientes, aut uxor immorigera, aut moriuntur parentes, & relinquunt liberos orphanos,aut moritur uxor,&c.videtur maledictio ſuperare benedictionem. Ideo revocat nos Scriptura ſancta ad ſe,& jubet nos intueri ipſam rem,& ſubſtantiam conjugij, quæ eſt benedictio divina, ut dum in eam inſpicimus abſorbeamus quicquid eſt calamitatis & miſeriarum in conjugio. *Subſtantia conjugij.*

Cernitur autem hoc in loco infirmitas & incredulitas noſtra.Ejuſmodi enim ingenio ſumus omnes,ut uno incommodo plus moveamur, quam centum commodis aliis.Sicut videmus.Si cui corpus ſanum contingit,magis dolet de uno Vlcere in genu aut cubito exorto, quam lætetur de totius corporis reliqui incolumitate, iuxta Germanicum proverbium,Si quem in humeris tuis Romam usq; deferas, & leviter modo,cum de humeris deponis,offendas,omnem gratiam perire. Sicut cernimus in ingratis liberis quoq;, quos maximis laboribus & ſumptibus poſtquam ediderunt parentes,aut mortem parentum expectant,& optant,aut inobedientes fiunt, obliti omnium beneficiorum. Ad hunc modum in conjugio quoq; fit, ut obſcuretur Benedictio maledictione. Quare Spiritus ſanctus benedictionem pulchre amplificat,ut in Dominum potius & in aurorem ac creatorem reſpiciamus, quam in illas moleſtias, quibus ſanctiſſimum vitæ genus obruitur. Hoc igitur verbum nobis inculcemus,& in eo hæreamus,quod in Geneſi legitur,Et benedixit eis. Hoc verbo confirmemus nos contra illa mala, & dicamus, Si eſt benedictio Dei hoc noſtrum vitæ genus, Lætabor in benedicente Domino, ſive bene ſive male cedat, & credam ei placere hoc opus. Scio enim dona ejus eſſe,uxorem,liberos,domum,familiam, &c. ut hunc titulum, Donum Dei eſt, omnibus quæ habes & poſſides inſcribas,& immiſcendo benedictionem ac Majeſtatem divinam tuo vitæ generi, abſorbeas omnes calamitates,pericula & moleſtias omnes. *Infirmitas & incredulitas noſtra in conjugio. Ingrati liberi. Quomodo adverſus eam infirmitatem pugnandum. Donũ Dei eſt.*

Gentes autem, & qui carent verbo Dei, nihil minus quam hoc ſtatuere de conjugio poſſunt,Sed exiſtimant conjungi maritum & fœminam caſu, ac liberos eis naſci,ſicut porcis. Eos cum habent, educant in magnam ſpem opum & honorum, Verum plerunq; accidit,ut ſummorum hominum liberi maxime degenerent. Sicut multa exempla oſtendunt,non ſolum in Hiſtoriis ſacris & Gentium,ſed etiam in hac quotidiana vita. Spiritus ſanctus igitur nos revocat ad verbum Dei, quod in Geneſi eſt,ut diſcamus noſtra corpora,non eſſe noſtra. Sed ſi es maſculus, ut ſentias quicquid in te eſt maſculinum,eſſe donum Dei,ſic liberos eſſe Dei donum,non tuum opus. Tu igitur mane creatura Dei, & perſuade tibi, Deo placere tuum maſculinum corpus,& vitam tuam,tum potes ſine moleſtia ſingulari iis,quæ Deus dedit; ſcilicet vita,uxore,liberis,opibus frui,& cum bona conſcientia. Et ſi qua incidunt moleſta, ea quoq; ſuperare potes comparatione reliquorum donorum, quæ multo plura in tuo vitæ genere invenies quam incommoda. *Carentes verbo quomodo de conjugio ſentiant. Et benedixit eis. Gen. 1.*

Porro vocat Filios,non ſolum fructum ventris, ſed quicquid ad liberos alendos,educandos,veſtiendos & curandos requiritur. Nam qui dat liberos, etiam una dat & creat,quo alantur,alioqui non poſſent diu durare filij. Dat igitur illa Deus huic opulenter, illi minus opulenter,ita tamen, ne quiſquam fame pereat, niſi cum peculiariter tentat aliquos. Generali autem actione divina & communi afferunt nati liberi ſecum Victum & amictum,ne per inopiam pereant. Quanquam aliquoties accidit, ut præ Famis impatientia natos vorarint matres, non tamen uno & altero exemplo tollitur regula. Hæc enim fuerunt ſingularia exempla iræ Dei & plagæ divinæ. Aliud autem eſt loqui de Deo irato & immittentes plagas,aliud loqui de Deo gubernante & regente nos. Quare videmus liberos eorum,qui aqua & pane miſere victitant,optima eſſe habitudine corporis,& nitidiſſimos. Econtra multorum liberos,qui in maximis opibus ac deliciis vivunt, quaſi umbras incedere & fœde palleſcere. Quare hoc? Quia filij ſunt donum Dei, quos ipſe Deus creavit. Dat igitur una etiam illa,quibus carere filij non poſſunt, Sicut oſtendit nobis prima hominis creatio. *Filij quid. Exempla ira Dei. Liberi donum ſunt Dei.*

Digitized by Google

creatio. Priuſquam enim Adam fingitur ex terra, ipſe Deus conditor terram ei inſtruit tanquam domum in qua habitet, Nec eam domum relinquit vacuam & inanem, ſed omni genere opum & deliciarum ornat, ut nobis poſteris Adæ oſtenderet ſe Patrem noſtrum fore, & gubernaturum nos, ac abunde ſuppeditaturum omnia, modo credamus.

Fœtus in utero alitur a ſolo Deo.

Sic dum adhuc in utero matris vivit fœtus, alitur ſine ullo ſuo opere & cura, à ſolo Deo. Quid enim faceret fœtus, qui ſine ullo ſenſu jacet? poſtquam jam partu eſt editus, paratam habet cellam. Vbera matris, tanquam fontem ad hoc inſtructum, paratam habet coquinam, balneas, lintea, & alia quibus habet opus. Et adſunt non ſolum mulierculæ, quæ ſua opera infantem curent, ſed Angeli quoque, ſicut multa clariſſima exempla oſtendunt. Vnde hæc omnia? Nimirum, quod Deus dona ſua ipſe conſervat, & quibus conſerventur, abunde donat. Quare Filios hoc loco non ſimpliciter accipies pro liberis, pro carne, cute & oſſibus, ſed pro omnibus, quæ ad liberos pertinent.

Maritus, uxor, ſic ſignificent.

Ad eundem modum Maritus & uxor non ſunt intelligenda nuda corpora, ſed habitaculum, focus, cibus, potus, & omnia, quæ ad œconomiam requirunuur. Hæc autem ſunt Dei dona, ſiva ea habeamus opulenter, ſive tenuiter, nam non eodem modo diſtribuit ea Deus. Sunt tamen eo ipſo etiam, cum parce contigerunt, ſatis magna & ampla, quod Dei dona ſunt. Sicut enim dona Principum, quantumvis tenuia, magis æſtimamus animo quam precio, Ita quanquam exiguum donum tibi Deus contulit, ut te & tuos miſere alere poſſis, ſufficiat tamen tibi voluntas divina & benedictio divina, quod certo ſcis Deum tibi favere, & illa dona contuliſſe. Quæ cum iterum eripit, æquo animo id ferre potes, quia ſcis non tua, ſed Dei fuiſſe. Sic quieto animo es & ocioſo, ſive abundes ſive egeas. Et cum ſic Deum ſuis beneficiis quaſi induis, & ut ſic loquar, incorporas, fiunt ampliora & majora illa beneficia, quantumcunq; ſint parva in ſpeciem.

Atque hæc ſufficiant de ſententia Prophetæ, Reſtat ut Grammaticam quoq; nonnihil attingamus, quæ propter Ebraicam phraſin paulo eſt obſcurior, Nam quod

Hæreditas Domini, filij, &c.

Ebræus dicit, Hæreditas Domini, filij, Latinus ſic diceret, Filij ſunt donum divinum, Et merces fructus ventris, Latine poſſet dici, filij ſunt largitio divina. Nam vocabulum Hæreditatis valde late eis patet. Hæreditatem vocant terram diviſam in populum per Ioſua, Inde translata vox eſt ad omnes donationes. Terra enim Canaan ſimpliciter donabatur populo Iſraël, Hinc omnes alias Poſſeſſiones, proprietates & dona, vocant hæreditatem. Sic in Pſal. Lex tua eſt hæreditas mea, hoc eſt, donum à te mihi donatum, Mein höchſtes Erbgut. Nos paulo aliter utimur nomine hæreditatis, pro re à parentibus nobis relicta. Sed Ebræis eſt donum & portio divinitus donata. *Pſal. 119.*

Merces.

Nomen mercedis eſt Ebræis valde uſitatum, Ieremiæ 31. *Merces eſt operi tuo,* Et in Hiob. *Hæc eſt merces eorum, qui ſeminant in ventum, Et Pſalmo 109. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, &c.* Significat autem donum præmium operæ, largitionem divinam. Sic eſt apud Eſaiam cap. 40. & 62. Sic Paul. 1. Corinth. 15. *State, quoniam non eſt inanis labor veſter.* *Ierem. 31. Pſal. 109. Eſ. 40. 62. 1. Cor. 15.*

Oeconomia Chriſtiana.

Hæc eſt igitur doctrina domeſtica Spiritus ſancti, & vera œconomia Chriſtiana, credere liberos & omnia alia eſſe divinum donum. Hæc cognitio quando eſt certa, quod accipimus omnia tanquam de manu largientis Dei, tunc ſtatim per pulchram conſequentiam, quam Dialectica Spiritus ſancti nos docet, diſcemus, quomodo pericula, calamitates & miſeriæ omnes ferendæ & ſuperandæ ſint, ut ſive uxor, ſive liberi moriantur, ſive alia mala in nos ingruant, cum Hiob dicamus, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Ratio enim illuſtrata per verbum, benedictionem agnoſcit, & gratias agit, In adverſis autem Dei voluntati non repugnat. Non quod ſine dolore carnis amittamus Dei dona, neq; enim conſolamur carnem, ſed ſpiritum, ſed ſancti quoque ſentiunt illa mala, & eis afficiuntur, non tamen ſuperantur, Sicut Iacob amiſſo Ioſeph graviter angebatur, non tamen deſperabat,

Iacob graviter

ſperabat, non blaſphemabat, ſed ferebat calamitatem, quia videbat eum fuiſſe donum Dei,& rurſus ereptum eſſe. Qui igitur ſic inſtructus eſt, illi nunquam quicquam deſit. *angitur amiſſo Ieph.*

Verum non ſatis eſt ex libro hanc doctrinam diſcere, ſed requiritur uſus & experientia,ſine qua hæc œconomia nunquam diſcetur. Sicut videmus in iis,qui nihil ſpectant niſi Fortunam & caſum,Hi dum incidunt in conjugium eo animo, ut Voluptates ſuas alant, ut liberos ſua ſapientia provehant ad magnas opes & dignitates,omnia diverſa experiuntur,ut ipſi cum ſuis Liberis,uxore ac facultatibus pereant,quia ignorant Benedictione divina opus eſſe. Contra, qui iſta Dona tanquam benedictionem Dei accipiunt, hi, etiamſi adverſa fortuna ſit, tamen tranquillo & ocioſo animo ſunt. *Vſus ad hanc doctrinam niſi accedat, non diſcitur.*

Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum. V.

Eſt militaris ſimilitudo,& ſubobſcura,Pertinet autem ad politiam. Arcus in manu robuſti jaculatoris,non fruſtra torquetur,ſicut David de Ionatha dicit, Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum,hoc eſt,non aberravit, 2. Samuel. 1.ſed ferit & penetrat. Hinc Eſaias Apoſtolos ſagittas vocat,item Zacharias. Sententia igitur eſt,Divtnum donum eſt,domi in pace ſine ſeditione regnare,& foris vincere. Neq; eſt ſine hoc dono felix gubernatio omnis,nec victoria belli. In Repub enim ſemper plus eſt hoſtium quam amicorum, Deinde ſemper major pars eſt mala, & fere vincit meliorem, niſi Deus adſit. Quare ſimpliciter divinum Donum eſt, ſtatum Reipub. vel domi vel foris felicem eſſe. *Similitudo miſſilium.* *Sententia verſus.*

Latinus fecit, Filij excuſſorum, ſed eſt, Filij juventutis, qui debent armis Rempub. tueri,& bella gerere. Hi ſunt tanquam ſagittæ,quæ feriunt, quia divinitus mittuntur & donantur.Senes enim non ſunt apti bellis,ſicut docet verſiculus vetus. *Filij juventutis*

Ἔργα νέων, βάλλε δὲ μέσων, ἀρχαί τε γερόντων, hoc eſt,Labores in Repub.obire debent juvenes, Qui autem medij ætate ſunt, debent conſulere, Qui in extrema ætate ſunt,votis Rempub. juvare debent. Sicut igitur ſupra in œconomia filios maſculos poſuit, ita hic ponit juvenes, ut utrumq; complecteretur,alere & defendere, Nehren und wehren/Hæc enim duo ad hanc vitam civilem & corporalem ſunt neceſſaria.

Sed audi quomodo defenſionem publicam honeſtiſſimo titulo ornet, quod donum divinum vocat Iuvenes, quos Deus facit victrices ſagittas, quæ ſic irruant in hoſtes, ut victoriam reportent. Nam hoc Gentes quoque experientia docuit, Victoriam non ſequi vires & potentiam,ſed divinitus donari,& plus momenti in induſtria ac conſiliis, quam in armis eſſe. Ita ſæpe accidit,ut parva manu maximi exercitus ſint fuſi.Non quod ideo non ſint comparanda Arma,& cogendi exercitus,ſed quod, cum neceſſitas bellandi Magiſtratui incumbit,ſive multos,ſive paucos milites habeat, non ideo aut præſumere aut deſperare debet, ſed intueri vocationem, quod ex officio cogatur pugnare, & quærere victoriam, ac rogare de cœlo, & dicere, Domine,apud te eſt virtus & victoria,adſis tu mihi,&c. Sicut econtra, ſi hoſtibus numero & viribus ſis ſuperior, non ideo promittes tibi certam victoriam, ſed rogabis eam à Deo,Domine,tua eſt victoria,eam ſi daturus es,agam tibi gratias, Sin ulturus es clade peccata noſtra,ecce adſum. *Defenſio publica, donum divinum.* *Victoria divinitus donatur.*

Talis fiducia ſi vel in ſolo Duce ſit, qui agnoſcit vocationem ſuam, & auxilium à Deo requirit,haud dubie victoriam conſequetur.Sicut Iephta,is erat in officio, libenter una cum ſuis vixiſſet in pace, ſed Ammon id non ſinebat,Iephta igitur proponebat Deo neceſſitatem pugnandi,ſibi impoſitam, & rogabat opem contra hoſtes,& ſic vincebat. Agnoſcebat enim victoriam non ſuum opus, ſed Dei donum eſſe. Sic David varias & præclaras victorias, aliam poſt aliam ex hoſtibus reportavit. Vnde? Habebat arma,equites,pedites, Sed illa,inquit, nihil ad victoriam comparandam valent,ideo à Domino eam rogabat & expectabat, Hanc fidem ſequebatur certa victoria. Salomo igitur hoc verſu docet, victoriam vere eſſe donum Dei, Et,ſicut ſagittæ cum impetu jactatæ & contortæ penetrant, Ita quoque in bello valere Iuvenes divina benedictione, non propria virtute, nec præſumptione. Ebraiſmus *Iephta.* *Davidis victoria.*

Digitized by Google

Filij juventutis. ilmus eſt, Filij juventutis, id eſt, juvenes, ſicut filium mortis, vocant deſtinatum morti, &c. Iam concludit,

Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.

Conſolatio pij Magiſtratus. Verte ſic, Beatus vir, qui implevit pharetram ſuam talibus, non confundetur, ſi quando cum hoſtibus in porta res erit, q. d. Is eſt beatus Princeps, ea eſt felix Politia, quæ habet hanc benedictionem & intelligit eam eſſe donum Dei, Ibi neceſſe eſt eſſe victoriam & pacem, domi & foris. Quanquam autem accidit, ut quidam pereant & occidantur (ea eſt quaſi ſcabies & puſtulæ in cute) tamen corpus ſalvatur, & paratur victoria. Vix enim unquam victoria omnino incruenta contingit, ſed quo plus periculi fuit, eo plus gloriæ militibus accedit, & plus gaudij eſt in victoria difficili, quam doloris in ſanguine. Sic neq; Oeconomia omnibus incommodis caret, *Oeconomia.* nec ulla omnino totius vitæ pars. Sed non eſt putandum incommodum, quod cutis (utor enim libenter hac ſimilitudine) leviter ſcabie infeſtatur, totum autem corpus bene habet. Quare ſtat hoc, Beatos eſſe, qui hujuſmodi juvenes defenſores habent, licet quidam pereant, hoc eſt, beatos eſſe, qui hoc donum habent, & norunt eſſe donum Dei.

Loqui in porta, quid. Loqui in porta, Ebraiſmus eſt. Non enim tantum ſignificat loqui, ſed politice loqui, hoc eſt, Leges condere, per leges gubernare, edicta proponere, cohercere nefarios, &c. q. d. Vbi tales ſunt Iuvenes, ij ſciunt in porta loqui, hoc eſt, in Reipub. negociis recte verſantur, ſunt Gubernatores, conſtitutores, conſervatores Reipub. & legum. Sed audi quid addat, nempe, quod tales non ſolum habent Hoſtes impugnantes, ſed etiam inimicos odientes. *Magiſtratus habet inimicos ergo odia ferenda.* Quare oportet, ut Magiſtratus diſcant ferre illa odia, Alioqui ſi odiis deterriti, gratiam hominum venari volent, ad Anarchiam res delabetur. Sicut videmus in aulis Principum, ibi quia omnes volunt in gratia eſſe, ideo nihil reprehendere, nihil damnare audent, ne in odium Principum incurrant. At cur Magiſtratum ambiunt? cur in aula vivunt, ſi non Labores, & tantum præmia ac gloriam ſpectant? Hinc fit, ut nullo uſquam juſta Imperij ſpecies ſit, & peſſime adminiſtrentur omnia. Atqui ſi qui offenſas & odia hominum ſubire nolunt, abſtineant à Magiſtratu.

David. Abſolon. Quis unquam ſanctius adminiſtravit regnum quam David? & tamen, cum ſeditioſus filius Abſolon eum criminaretur apud vulgus, facile invenit, qui ei crederent. Cur hoc? Quia David erat ſanctiſſimus Rex, nec connivebat ad ſubditorum peccata, ſed in ea acerbe pro merito animadvertebat, ea res primum ei odium & invidiam conflavit ad vulgus. Deinde cum Filius dux Seditionis & autor accederet, facile pertrahi ad defectionem potuerunt. Neq; enim poteſt aliter fieri, quin improborum odia in ſe concitet, qui officium ſuum ſtrenue in Magiſtratu facit. Sapiunt igitur noſtri, qui honores & Magiſtratus ſine labore retinere cupiunt, ſed cum magno Reipub. periculo.

Quare hanc particulam, In porta loqui cum inimicis, non ſic nude accipies, tanquam de re ocioſa. Significat enim Leges condere, & eas poſt exequi, urgere carcere, vinculis, & pœnis improbos, irritare in ſe furorem malicioſorum hominum, &c. Vt qui in Repub. præeſt, ſic præſit, ut nunquam metu graviſſimorum Periculo-*Regere, quid.* rum, quod ad audaciam improborum attinet, careat. Quia regere nihil aliud eſt, quam odiis ſe gravare, & immiſcere ſe in iſtam beluam dentatam & fæviſſimam. Sicut Æſchines quoq; dixit, cum à Repub. Athenienſi diſcederet, ſe gaudere, quod liberatus ſit à Repub. tanquam à rabioſa cane. Et Bias dixit, Magiſtratus oſtendit virum. *Regere graviſſimum.* Quot enim hodie ſunt Reſpub. quæ ſuos cives, quot Principes, qui nobilitatem ſuam in officio retineant? Eſt enim omnium operum humanorum longe graviſſimum, regere. Sicut autem ſi quis ideo uxorem ducit, ut libidinem & voluptates ſuas expleat, longe fallitur, & nunquam cogitaris moleſtiis involvitur. Ita quoque qui ad Magiſtratum accedunt, ſpe Præmiorum & gloriæ adducti, omnia diverſa inveniunt

ſi modo,

ſi modo facere officium volent. Fit igitur,ut fracti magnitudine laborum & impatientia,indignentur,& abjiciant omnia.

Quare diſcendum eſt,in adminiſtratione hæc omnia ineſſe vitia,Odia,rebellionem,ſeditionem,inobedientiam,ingratitudinem,mille pericula,turbatores Pacis & ocii,qui vitæ,fortunis,& dignitati tuæ inſidientur. Hic quid faciet igitur Magiſtratus? nimirum hoc primum,ut ſciat Magiſtratum eſſe ordinationem,ac ſtatuat ſe voluntate Dei acceſſiſſe ad Rempub. Deinde poſtquam hoc conſtituit,ut quoq; confirmet animum,& obfirmet contra omnia pericula,ac faciat Officium ſuum,ſive indignentur cives,ſive non. Tunc fiet,ut Deus addat benedictionem, & aſſiſtat tibi, & non inimicis, Sicut hic dicit, Non confunderis, etiamſi tibi loquendum ſit cum inimicis,& inobedientibus ac ſeditioſis civibus. Item Pſalm. 144. Qui ſubdit populum meum ſub me. Item Pſalm. 7. Tu es judex populorum, q. d. Non eſt mearum virium, Prudentiæ aut ſapientiæ meæ, hunc populum regere. Dominus igitur eſt,qui dat obedientes cives, & conſervat populum, qui naturaliter odit Magiſtratus. Omnes enim volunt eſſe liberi, & ægre ferunt Legum vinculis licentiam conſtringi. Sicut in Nobilitate hodie videmus, quæ ſimpliciter omnia ſibi vult impune licere. Si quis Princeps cohibere eos vult,deficiunt.

Vitia in adminiſtratione.

Conſilium pio Magiſtratui ſequendum.

Pſal. 144.
Pſal. 7.

Nobilitas.

Contra hæc pericula conſolatur Magiſtratum hoc in loco Spiritus ſanctus, Cùm leges condideris, inquit, non confunderis. Quia Deus dabit tibi juvenes, qui poſſunt juvare. Vnus enim & alter bonus in Repub. vir ſæpè totam reliquam civium multitudinem in officio retinent gravitate ſua,& ſeveritate. Alii autem,qui ad omnia connivent, ne ſibi conflent invidiam,non Magiſtratus, ſed pictæ quædam ſtatuæ Magiſtratuum,& picti ſunt Principes, ad nullam rem idonei.

Habetis Pſalmum Politicum & Oeconomicum quomodo in utroque genere vitæ inſtituendus ſit pius animus, ne vel ſucceſſu nimio in ſecuritatem prolabamur, vel adverſa fortuna fracti diſcedamus ab officio. Quod utrunque impiis accidit,qui ſine timore Dei vel in conjugium vel Politiam irruunt. Quia enim neſciunt divinitus hæc regi, ideo ſuis conſiliis moderari volunt omnia. Hinc fit ut aut periculoſe impingant, aut eo uſque ſecuritatis progrediantur,ut revocari ad ſana conſilia non poſſint. Quare danda eſt nobis opera, quos aut jam in hæc vita genera conjecit Deus,aut olim conjiciet, ut quàm hæc doctrina omnibus eſt neceſſaria & utilis, tam eam ſtudioſe diſcamus. In ea re & nobis ipſis & Reipub. quoq; plurimum profuerimus. Tum Deo quoque probabitur officium noſtrum,qui, ſicut promiſit,addet ſucceſſum,& re comprobabit beneplacitum ſibi eſſe ſuper metuentes eum,& ſuper omnes qui ſperant in miſericordia ejus, Amen.

Epilogus.

PSALMVS CXXVIII.

Beati omnes.

IN præcedenti Pſalmo docuit Propheta de utroque vitæ genere, hoc eſt,de Politia & Oeconomia, Idem fere hic quoque agit, ſed alio modo. Etſi enim hic quoque conjungit cum Politia Oeconomiam, & utrique benedictionem ac pacem precatur,tamen magis ad Oeconomiam ſeu conjugium reſpicit in hoc Pſalmo, quod ea ſit ceu fons & origo politiæ. Quos enim domi educamus & inſtituimus pueros, eos poſteritas eſt olim habitura Reipub. gubernatores. Ita enim accidit,ex domibus ſeu familiis civitates, ex civitatibus provinciæ,ex provinciis regna conſtituuntur. Rectè igitur dicitur œconomia fons politiæ,quod turbatis œconomiis non poſſunt conſtitui imperia, nec civitates,ſicut individuis ſublatis,neque ſpecies, nec genus conſiſtere poteſt. Quare faciemus huic Pſalmo titulum, quod ſit ceu Epithalamium, & nuptiale carmen, quo Propheta & cõſolatur conjuges &eis omnia felicia precatur,& promittit à Deo.

In Pſalmo præcedente, ita hic quoq; de politia & œconomia, ſed diverſo modo.

Oeconomia fons politiæ.

Argumentum Pſalmi.

Digitized by Google

Possunt autem hæc postea ad Politiam tanquam a specie ad genus transferri. Quia sicut conjugio Deus benedicere vult, propterea quod conjugium est divina ordinatio, & vitæ genus Deo gratissimum, Ita quoque Magistratus divinitus institutus est, & certam habet promissionem divinæ benedictionis.

Scriptura sacra docet, Mundum vituperat contraria.

Apparebit autem in hoc Psalmo, quam bonus tum Poëta, tum Orator sit Spiritus sanctus, qui omnes dicendi & persuadendi regulas optime novit. Diligentissime enim ea dissimulat, quæ in hoc vitæ genere molesta aut odiosa sunt & ea tantum multo studio diligit & colligit, quæ ad persuasionem aptissima, & in conjugio sola & vere bona sunt, Mundus diversum facit. Nam vera bona conjugij non solum ignorat, sed etiam si qua videat, obruit ea præsentibus molestiis. Ideo nihil mirum est cum de hoc vitæ genere homines impij loquuntur, quod aliis verbis utuntur, quam Spiritus sanctus solet. Sequuntur enim tantum sensum carnis, & tam in politia, quam œconomia nihil aliud vident, quam quæ difficilia, molesta, aut laboriosa sunt. Nec id solum, sed quæ sunt vere divina bona in his vitæ generibus, ea propter illa carnis levia incommoda non animadvertunt. Hinc nata sunt illa dicta, Nulla civitas sine malo, hoc est, sine mulieribus, Item, Vxor malum necessarium, & si qua similia sunt convicia in istum sexum, quæ apud Græcos sunt plurima, Sic citatur contumeliosa sententia cujusdam Græci Poëtæ, Γυναῖκα δαπάνη, πρᾶγος ἀναγκαῖον, ἢ κακόν, Et quidam Romanus quoque dixit, Si fœminis carere possemus, magna careremus molestia. Ratio hujus judicij hæc est, quod originali peccato caro sic est vitiata, ut illas pœnas peccati non possit æquo animo ferre, sed tantum quærat, quæ suavia sunt, molestias autem & labores fugiat. Ideo conjugium & politica officia aut omnino vitat, sicut Epicurei, aut iis tantum abutitur ad suas voluptates. Adeo excæcata est per peccatum originis, cupiditate voluptatum, gloriæ & opum. Necesse igitur fuit addere pharmacum corruptæ naturæ, & lascivientem carnem his molestiis quæ tum in conjugio, tum magistratu sunt, aliquantulum reprimere.

Antithesis judicij humani & Spiritus sancti.

Cum ergo in scriptura sacra legimus ista conjugij encomia, debemus Antithesin facere judicij hominum, & hanc addere correctionem, quod ista sint vera, secundum Spiritum sanctum, sed secundum carnem non sint vera. Sic cum infra dicit de pio marito, Beatus es & bene tibi erit, Caro diversum sentit, & judicat conjugem esse miserrimum, & esse ei pessime, quod duro labore victum cogatur quærere. Quia mundus ea non intelligit, quæ sunt spiritus sancti, & ista bona, quæ vel in œconomia vel politia sunt non videt, sed tantum hæret in creatura, Deum condentem, regentem, & benedicentem creaturæ, non videt.

Contra Spiritus in Creatorem rerum intuetur, & benedictionem Domini, quantumvis variis afflictionibus obrutam, magnifice extollit, Alia incommoda aut prorsus dissimulat aut extenuat egregie, hoc mundus non potest facere. Ideo vide-

Mundus magistratus & conjugium fugit.

mus in historiis, homines quanto fuerunt sapientiores, tanto cavisse diligentius, ne ad publica negocia & administrationem politicam accederent. Idem in conjugio accidit, juventus difficilime sibi patitur id imponi jugum, sicut senex apud Comicum ait, Omnes qui amant graviter sibi uxorem dari ferunt. Et si qui amore compulsi, colla huic jugo submittunt, cum postea non fluunt ad voluntatem, sed alia atq; alia incommoda incidunt, quæ amore excæcati non prævidere, Tum demum querelæ & nimis sera reprehensio facti sequitur, Et fit, ut multo facilius omnia vitia in scorto vel adultera tolerent alij, quam maritus in uxore. Sicut econtra uxor quoq; nisi insigniter proba sit, facilius ad adulteri peccata, quam leves mariti offensiones connivet. Quia natura vincula ista non potest æquo animo tolerare, nisi animi edocti verbo, & Spiritu illuminati, respiciant ad creatorem, qui tum politiam tum œconomiam instituit & vult utraq; ab hac misera carne administrari. Qui hanc cognitionem non habent, aut leviter admodum meditatam tenent, ij facile commoventur ad impatientiam, cum minus recte succedunt omnia.

Pij monendi, ut aliter quam

Ergo etiam piorum animi erudiendi, exhortandi & erigendi sunt, ut aliquid spectent ultra illa incommoda, quæ prima incurrunt in oculos, & rejectis judiciis sapientum

Digitized by Google

ſapientum mundi,reſpiciant ad vera & ſumma bona, quæ Deus in hæc vitæ genera abdidit;atq; ea alte animo ineludãt,tunc fiet,ut & facilius tolerent moleſtias illas,& Deo libenter pareant varie tentanti, Atque in hunc uſum hoc Epithalamium nunc interpretabimur, ut & videas iſta ſpiritualia bona,quæ Deus in conjugio abſcondit, poſſimus,& admirari, ne fiamus mundo ſimiles,videnti opera Dei,& tamen non intelligenti,audienti benedictionem divinam & ſuaviſſimas promiſſiones, & tamen non credenti.

mundus, de hâc vita generibus conſultans.

Beatus omnis, qui timet Dominum,qui ambulat in viis ejus. I.

Hic primum vide,quod Propheta non ſtatim irruit in promiſſiones conjugii, tanquam propter conjugium ſimpliciter obtingant.Sed incipit à prima tabula & beatum prædicat,qui Dominum timet. Facit autem id ideo,ut ſignificet mundum non intelligere quid ſit conjugem fieri, ſeu uxorem ducere. Ideo etiam ſi quæ moleſtiæ incidunt,non poteſt eas æquo animo ferre, ideo etiam non beatus, ſed miſer eſt. Qui autem Dominum timet,is ſive ad politiam accedit vocatus, ſive uxorem ducit,Beatus eſt,utcunque cedat vel conjugium vel Magiſtratus. Poteſt enim fieri, quòd etiam iſtis,qui timent Dominum,non bene cedat conjugium, ſed conjungantur aut cum malis, aut cum moroſis uxoribus, aut alia quædam incommoda eos premant,qualia ſunt,bonæ uxoris præmatura mors,aut liberi degeneres, aut matrimonium ſterile & infœcundum. Hic ſi pius ſit animus & timens Dei, facile vincet illa incommoda, & ſic cogitabit, Ecce,contigit tibi uxor multis modis incommoda,cum qua alius nullum diem quiete poſſet vivere, Sed Deus tibi hoc largitus eſt, ut & agnoſcas Deum eſſe creatorem & patrem tuum,& diſcas voluntatem ejus patienter ferre,&c. Hoc dono levi compenſatum eſt matrimonium triſtius, ſiquidem non ad matrimonii ſolum moleſtias ſuperandas, ſed ad alia quoque mala vincula donum hoc prodeſt.

Ne propter conjugium quis putet contingere promiſſiones, hortatur ad timorem Domini.

Etiam qui Dominum timent ſæpe infelices ſunt in conjugio

Ergo ſic incipit Propheta Epithalamium hoc,Si vis eſſe felix & beatus,& adjeciſti animum ad conjugium, hoc experieris, Deus tibi dabit uxorem, dabit domum,dabit liberos & alia, Sed hoc primum da operam, ut Deum timeas, & in nomine Dei id vitæ genus incipias. Hæc utilis doctrina eſt quam ſtatim initio tradit Spiritus ſanctus,ut is,cui non datum eſt ut contineat,incipiat matrimonium à primo præcepto,& divinam imploret opem, ac in conſpectum Dei prodeat & dicat, Domine Deus, tu dicis ad me in verbo tuo,quòd ſis & eſſe velis Dominus & Deus meus, Creaſti igitur me maſculum,& creaſti fœmellam, Hæc tua creatio & hoc opus tuum eſt, ego me ſic non feci, nec fortuito ita ſum factus, Adde igitur creaturæ tuæ ſucceſſum,& da ut ſim felix maritus,ut ſim uxor felix, &c. ut ſic incipiamus in timore Dei,non ſimus ſecuri, aut præſumentes, nec ſicut ruſtici & imperiti homines temere in hoc vitæ genus irruamus,ſed invocemus illum,qui ad id vitæ genus nos creavit,tunc fiet,ut feliciter eveniant omnia.

Conjugium ſuſcipiendum à timore Dei & gubernatione.

Longè igitur alio modo Epithalamion ſuum Spiritus ſanctus orditur, quàm alii Poëtæ. Hortatur enim,ut invocemus primum Deum & fiduciam miſericordiæ ejus animo concipiamus. Non enim Deus invitus audiet, ſi appelles eum Creatorem tuum,ſed viciſſim agnoſcet te creaturam ſuam eſſe, nec negabit, ſe tibi dediſſe ut eſſes maſculus,aut eſſes fœmina. Præſumptionẽ prohibuit,nec vult privato conſilio hoc vitæ genus incipere,ſed vult,ut tua conſilia tibi ſint ſuſpecta.& quòd ea Deus non ſit fortunaturus,niſi ipſum in conſilium adhibueris. Recte igitur dicit: Beatus vir qui timet Dominum. Nam exempla quotidie ſunt ob oculos, quòd ſæpe vehementiſſimus amor initio inter conjuges eſt,qui poſtea facilimè extinguitur,ut aut vivant inter ſe hoſtiliter,aut alter alterum deſerat, Nonnunquã ita immerguntur voluptatibus aut opibus,ut planè ſine omni Dei metu vivant,eą duplo major eſt infelicitas & miſeria. Sed merito hæc eis accidunt,Cur enim non addunt timorem Dei?

Timere Dñm opus eſt, Deum enim præſumptionem odit.

Diſce igitur hîc,ut vivas in timore Dei,qui te creavit,ut poſſis eſſe maritus, vel uxor,& vult etiam conjugium tuum gubernare. Quod ſi eum gubernatorem non adhibueris,& ipſe uxorem & familiam pro tuo arbitrio ſine oratione ad Deum, guberna-

Digitized by Google

gubernare voles,fiet ut aut evertas omnia,aut perpetuo ſucceſſu dementatus in graviora mala incidas. Vult timeri & coli Deus,hoc eſt, vult, ut confiteamur nos nihil poſſe feliciter incipere, aut gubernare, ſine ipſius auxilio & conſilio. Hanc doctrinam utile eſt inculcare juventuti,ut ſi qui futuri ſint conjuges,diſcant iſta & ſequantur. Ratio eſt.quia conjugium in mundo & in carne, hoc eſt, in medio inter dæmones verſatur, Caro cito faſtidit uxorem, Sicut quidam nequam ſenex dixit ad ſponſum ſubinde in nuptiis reſpicientem ad ſponſam, Amice,ne ita reſpicias ſæpe, fiet non poſt multos menſes, ut magis cupias cum famula, quam cum conjuge cubare. Hujus rei quæ cauſa eſt? Hæc ſcilicet quod conjugium verſatur in carne, quæ tota peccato eſt corrupta. Hanc poſtea accendit Satan vel odio ex leviſſimis offenſionibus, vel zelotypia. Niſi igitur reſpicias ad voluntatem Dei, non poteſt eſſe conjugium aut ſtabile, aut jucundum diu.

Juventus de conjugio recte edoceri debet.

Oratione opus eſt conjugibus, propter periculo ſam.

Ergo debet juventus recte de conjugio edoceri, ut ſi quis ducit uxorem, poſſit cum ea vivere in favore & benedictione divina,ac dicere, Domine, dediſti ut eſſem maſculus, dediſti etiam hanc uxorem, Sumus autem ambo in mundo & carne hac infirmiſſima, & inter medios dæmones turbatores conjugalis amoris, Da igitur benedictionem tuam,ut etiam ſi quæ offenſiones incidunt,eas tua benedictio,& admiratio donorum, quæ in hoc conjugio ſunt, vincat,&c. Hæc ratio eſt,cur à timore Dei carmen hoc incipiat,ut præſumptionem nobis adimat, ne cogitemus omnia eo modo eventura, quem nos animo concepimus. Non enim ita fiet,aut ſi fit, fit cum majore malo, nempe ad ſuppreſſionem verbi & cognitionis Dei. Media autem via eſt,Deum timere,& ei confidere,& in nomine Dei,cum humili oratione,in omnem eventum, conjugium incipere.

Conjugium ſub Papatu deformatum.

Sub Papa egregie deformarunt conjugium. Nam appellabant ſtatum ſecularem, & conjuges docebantur,ut inter peccata in confeſſione etiam conſuetudinem iſtam conjugalem enumerarent, Inde inter Sophiſtas diſputatio fuit, de peccato veniali inter conjuges, & mortali in copula carnali,ut vocabant. Sed fuerunt iſtæ inutiles & ſtultæ,partim etiam impiæ diſputationes,quibus occaſionem præbuiſſe Auguſtinus videtur,cum alicubi de peccato veniali dicit,id eſſe ſimile peccato conjugum,pro quo oratur,Dimitte nobis debita noſtra. Verum quidem eſt, debet iſta conſuetudo conjugum eſſe moderata, ad extinguendum fervorem carnis, Et ſicut modus in cibo & potu ſervari debet, ita etiam pij conjuges carni non debent indulgere nimium. Nam ille fervor carnis & fœda libido,qua caro æſtuat,ex peccato eſt. Ideo in pœnam libidinis hujus admixtum eſt abſynthium plurimarum curarum & ſolicitudinum,pro victu,pro liberis,pro adminiſtratione negociorum communium, Item offenſiones familiæ,vicinorum,&c. Hæc tanquam ſal aſpera ſunt, ut macerent petulantiam carnis. Cujus infirmitati Deus conſulere voluit, per conjugium non voluit excitare ardorem carnis, Ideo voluit etiam membra apta eſſe procreandæ ſoboli, ſicut ad alios uſus alia membra creavit, ad alendum fœtum ubera,ad geſtandum brachia,&c.

Conſuetudo conjugum debet eſſe moderata.

Pœna libidinis.

Conjugium ut felix ſit, timeant Deum conjuges, orent, & in viis ejus ambulent.

Ergo hæc prima doctrina,ſi modo conjugium debet eſſe felix & jucundum, & quod Deo placeat, ut conjuges timeant Deum, hoc eſt,ut ponant præſumptionem ſuorum conſiliorum,& incumbant in humilem orationem,qua petant, bonam conjugem,pudicam,& morigeram,item ſucceſſum in aliis rebus, & cum poſtea aliquid accidit præter voluntatem,ut æquo animo ferant,falli ſpem & cogitationes ſuas. Non ſolum autem hoc requirit,quod in primo Præcepto requiritur, ut ſuum cultum Deo exhibeant, hoc eſt, Deum timeant, & ejus bonitati fidant, hæc enim reverentia eſt,quam Deo debemus,Sed addit,Beatus qui ambulat in viis ejus,hoc eſt,qui etiam ſecundæ tabulæ opera præſtat, qui obedit parentibus & magiſtratui, qui non facit cædem,non lædit alios,qui ſe non polluit ſcortis & adulterio,ſed uxorem ideo ducit,ut poſſit caſte vivere, & cavere talia peccata.

In viis Domini ambulare.

Refutatio falſi argumenti Hieronymi.

Cecinerunt & adhuc hodie canunt hunc Pſalmum Papiſtæ, ſed non intelligunt. Sequuntur enim Hieronymum,qui ſatis irreligioſe & inerudite contra conjugium

Digitized by Google

jugium infert,Si conjuges beati ſunt, ſequitur Iſaac ante annum quadrageſimum, & alios ſanctos,qui uxores non habuerunt,non fuiſſe beatos hac beatitudine. Sed nos ſcimus Pſalmum non loqui de privilegiatis, ſicut Ieremias mandatum habuit non ducendæ uxoris & Iohannes Baptiſta etiam certo conſilio à conjugio abſtinuit, ſicut Chriſtus quoque. Hi navigent ſuo vento, & teneant curſum ſuum divinitus datum,Cæteri autem,qui dono hoc carent, & ſunt ſine privilegio iſto ſummorum hominum, diſcant hoc carmen,hoc eſt,in timore Domini fiant conjuges, & ambulent in viis Domini,Ac ſciant ſe in hoc vitæ genere ita poſſe vivere,ut & Deum timeant, & ambulent in viis ejus,contra vanam & impiam perſuaſionem Monachorum & totius Papatus, qui fingunt conjugium tanquam vitæ genus,quod cum religione aut pugnet aut non valde conveniat.

II.

Laborem manuum tuarum comedes,beatus tu & benè tibi erit.

Conjugibus mandatus eſt labor.

Hoc etiam docendi ſunt conjuges, ut laborent, Quia juris naturalis eſt, ut maritus alat uxorem & liberos,Poſtquam enim hoc ſciunt conjuges, quòd debeant timere Deum creatorem ſuum,qui fecit ipſos, & addidit benedictionem tanquam creaturæ ſuæ,debet hoc ſecundum eſſe,ut tale aliquid inſtituant,ne ocientur. Sicut etiam admonuit Heſiodus: οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα. Vult enim primum certam deligi ſedem,ubi cum uxore & liberis habitare poſſis.Deinde uxorem quæri,Sed ita,ſi habeas bovem aratorem,hoc eſt,ſi habeas, quo te & tuos alere poſſis. Etſi enim neq; ſtudium noſtrum,nec opera ſatis ſit ad alendam familiam, tamen Deus noſtro ſtudio & opera noſtra tanquam medio utitur, per quod nobis vult benedicere.Sic corium non ſutori,ſatio non agricolæ,Doctori non prædicatio dat unde vivat,& tamen Deus per hæc ſeu potius cùm his dat victum. Vult igitur omnem maritum vivere in ſudore vultus ſui,& exerceri labore,ad premendam carnem, & mortificandas cupiditates carnis. Nam qui in ocio vivunt,ambulant non in Domini,ſed in diaboli viis. Non enim ſunt, nec vivunt in ordinatione divina, ſiquidem laborem ordinavit Deus.

Atque hîc vide Spiritus ſancti conſilium. Labor eſt etiam unum de incommodis vitæ conjugalis,ſed quam belle abſcondit hoc incommodum, cùm primum ſe mandatum Dei eſſe oſtendit,& poſtea promittit Deum per laborem,quâtumvis dura & incommoda res eſſe videatur,velle benedicere. Hoc verè eſt abſynthium lacte caro miſcere. Sicut etiam Ieſus Sirach laborem hoc nomine ornat, quod dicit eſſe conditum à Deo & beneplacitum in oculis Dei. Eſt autem hac quoq; admonitione opus propter noſtram corruptam naturam. Verum enim eſt, quod Comicus dicit: Omnium hominum ingenium à labore proclive eſſe ad libidinem. Ideo etiam quarundam barbararum gentium mos fuit,proſtituere uxores & liberos, tantum ut poſſint in ocio vivere.

Laborii mandatio promiſſa benedictione diſcernitur à ſpiritu ſancto.

Monet igitur hoc Epithalamion ſponſum & ſponſam in nuptiis,primum ut timeant Dominum,& credant ei,nec præſumant de ſua opulentia aut ſapientia,Deinde ut ſciant hoc habituros incommodi, ut laborent,& labores manuũ comedant. Quod igitur libido in carnem ſparſa eſt, quæ conjuges conjungit, id non eſt principale vinculum,ſicut etiam cito diſſolvitur aliis incommodis. Hæc autem vera vincula conjugii ſunt,ſcire quod etiam iſte labor manuum & ſolicitudo pro familia,ſint ſacrificium Deo gratum,quod uxor cùm præbet mammam infanti, maritus cùm ad ſudorem uſque corpus defatigat laboribus domeſticis, Deo talem cultum exhibeant,qui omnium Monachorum cultibus, & quantumvis aſperis ſtudiis longè præſtet. Quid enim dicat Propheta,quæſo vide? Beatus es tu, & bene tibi erit.

Dei timor fides & labor præcipuum conjugium.

Vera conjugii vincula.

Hæc an non eſt ſatis magna & ſuaviſſima commendatio laborum & totius conjugii? Es maritus,inquit, & laboras ut te & familiam poſſis honeſtè alere, Audi quid iſte tuus labor ſit,Eſt res ſanctiſſima,qua Deus delectatur, & per quam vult benedictionem ſuam tibi donare. Hoc encomium laboris debebat ſcribi in omnium opificum inſtrumentis, in fronte, & in naſo ſudante ex labore. Mundus enim laborem non judicat benedictionem eſſe,ideo eum fugit, & odit. Hinc illæ querelæ

Commendatio laboris & conjugii.

Digitized by Google

querelæ & diræ imprecationes, quas per impatientiam impii conjuges effundunt, cùm jam ad hoc, jam ad aliud negotium rapiuntur. Sed pii & qui Dominum timent, animo alacri & læto laborant. Quia agnoſcunt mandatum & voluntatem Dei, Sic pius agricola in curru & aratro ſuo, ſutor in corio & acu, faber in ligno & ferro ſcriptum videt hunc verſum, Beatus es, & benè tibi erit. Mundus invertit, & dicit, Miſer es, & malè tibi erit, Siquidem iſta ſemper toleranda & ferenda ſunt, Felices autem ſunt, qui in ocio vitam tolerant, & ſine labore habent unde vivant, ſicut Martialis commendat rem non partam labore, ſed relictam. Talia convitia ſpargit Diabolus in conjugium, magis quam in Magiſtratum politicum. Quia etſi ibi quoque ſunt incommoda aliqua, tamen illa facile devorant homines ambitioſi, ob gloriæ & dignitatis acceſſionem.

Beatus es, & bene tibi erit.

Opus igitur eſt hac conſolatione contra ſcandalum hoc mundi, ut conjuges ſciant Deum hoc vitæ genus ordinaſſe, in quo ſudent ac laborent, & ferant peccati originalis maledictionem, in Paradiſo inflictam. Deinde, ut præter id, hoc etiam ſciant, Spiritũ ſanctum hic pronunciare, beatos eos eſſe, qui officiũ faciunt & ſtrenue laborant. Hæc tanta ſunt, ut facile pii moleſtias laboris ſint toleraturi. Quid enim amplius vis? Primùm audis Deum velle per laborem, victum & alia ad tuendam vitam neceſſaria per benedictionem ſuam largiri. Deinde etiam tuo labore delectari, eumq; approbare, ac ſacrificii & gratiſſimi cultus loco habiturum eſſe. Siquidem non ſimpliciter labor eſt, ſed opus obedientiæ ſeu vocationis. Hæc impii neſciunt, ideo aut ſectantur ocium, aut impatientiſſime ferunt laborandi neceſſitatem. Quia non vident oculis Spiritus ſancti, ſed ſimpliciter ſecundùm oculos carnis judicant, qui oculi nihil præter incommoda & moleſtias vident, & merito. Sed Spiritus pios erigit & conſolatur, quod & Deus per laborem velit benedicere (Ocioſis enim etiamſi quid dat, dat eis in perniciem) & quod ſudor iſte ac labor Deo placeat. Hoc duplex commodum eſt, pro uno incommodo, quod caro tantum videt.

Conſolatio pro conjugibus.

Sed eſt hic etiam admonendum, Laborem dici non tantum cùm fatigantur membra, ſed etiam ſolicitudinem & curam. Nam Propheta ejuſmodi vocabulo utitur, quod non ſolum ſic ſignificat laborare, ut aliquid agas manu, ſed incommoda etiam complectitur, quæ inter laborandum patimur. Cujuſmodi in œconomia plurima occurrunt. Sæpè cùm maritus magno conatu facit officium, moleſta eſt uxor & lites movet, liberi implicantur morbis, familia non ſolum negligentia peccat, Sed ſæpe perfida eſt, & clam pecunias aut ſupellectilem furatur. Magiſtratus quoque difficilibus temporibus enecat exactionibus, & ſervitute. Hæc nos non labores, ſed moleſtias vocamus, & tamen Propheta utrunq; complectitur vocabulo laboris, ut ſive agendo, ſive patiendo nobis afflicti eſſe videamur, æquo animo id feramus, & cogitemus Deum hanc vitam non condidiſſe ad voluptates, Ideo enim ad mulierem dixit: Multiplicabo ærumnas tuas dum gravida es, in dolore paries filios tuos. Nam & tempus ante partum pleniſſimum eſt maximarum moleſtiarum, Ipſe partus autem quantillum à morte differt? Sic viro dixit: Maledictus ſit ager propter te, in dolore comedes fructus ejus, omnibus diebus vitæ tuæ. Hic audis non diem, non annum unum dolori & labori, ſed omne vitæ tempus deſtinatum eſſe.

Labor quid ſignificet.

Ergo inquis, cum hæc ſic ſint, præſtat vivere cœlibem vitam & ſcortari. Fac periculum, & vide an ſic te evolvere ex his incommodis poſſis, Imo magis te involves & gravioribus periculis onerabis. Nam hoc modo iratum Deum, & malam conſcientiam tibi comparabis, ac ipſe damnabis te & vitam tuam. Dum enim ſectaris gaudium carnis, & voluptates, incidis in amaritudinem ſpiritus, quæ quid ſit, ſuo tempore experieris. Nam una guttula malæ conſcientiæ, ut ſic dicam, totum mare mundani gaudii abſorbet. Quid fiet, ubi per impiam tuam vitam, non unius diei, ſed multorum annorum malam conſcientiam ſuſtinere cogeris? E contra, ubi eſt læta conſcientia, & certa de favore ac benedictione Dei, ibi etiam eſt æterna lætitia, quæ illas guttulas humanorum incommodorum & moleſtiarum, ita haurit & abſorbet, ſicut ſol meridianus rorem.

Objectio. Sentio.

An

An non igitur turpe eſt, illas guttulas ac ſcintillas laboris ſic metuere & fugere, cum videas Deum eas melle & ſaccaro ſuaviſſimo condiiſſe, nempe, quod hic in Pſalmo omnibus ſic laborantibus & ferentibus communes conjugii moleſtias dicit. Beatus es,& bene tibi erit? hoc eſt,quòd in iſto vitæ genere es, quòd laboras, quòd varie tentaris,& jam hanc, jam aliam moleſtiam devoras, hoc non ſolùm mihi placet,ſed tibi quoq; utile eſt, ut hoc modo caro mortificetur, & peccatum originale vexetur,& tu in conjugio,tanquã ſchola,hanc perfectiſſimam Philoſophiam diſcas, ut Dei voluntatem patienter feras,& mille occaſiones declarandæ patientiæ & dilectionis habeas,quas extra conjugium in vita cœlibe non haberes. Qui hoc modo in conjugio vivunt,etiam cùm calamitoſiſſimi ſunt, tamen vere beati ſunt, Et contra qui hoc modo non vivunt,vere infelices ſunt. Nam labores & moleſtias,quibus ſimpliciter hæc vita carere non poteſt,eo modo ferunt,ut dolorem dolori addant. Hinc inter ipſos conjuges oriuntur lites. Hinc oritur faſtidium,ut una ire,colloqui, edere, bibere pigeat,hæc planè diabolica vita eſt. Ergo hæc exhortatio diligenter diſcenda & exercenda eſt,ut laborem & omnes moleſtias æquo animo feramus, & per patientiam vincamus,contenti hoc dono, quod ſcimus Deo noſtrum vitæ genus gratum eſſe,& ideo ipſum benedicturum eſſe nobis. Hoc modo cum bona ac læta conſcientia familia regi,& omnia incommoda devorari poſſunt.

Beatus es & bene tibi erit?

Pii conjuges calamitoſi, tamẽ beati.

Vxor tua erit, ut vitis frugifera in lateribus domus tuæ, & filii tui, ſicut plantulæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. III.

Audivimus duo præconia ſancti conjugii, ubi conjuges Deum timent, & in viis ejus ambulant, quod ſcilicet Deo grata ſit hæc vita, & ipſe ſit ei benedicturus. Quare tolerandas eſſe æquo animo moleſtias & labores,quos Deus ideo huic generi vitæ addidit,ut vitium & morbus naturæ paulatim ſanetur, dum per hujusmodi moleſtias premitur,humiliatur,& cohercetur. Nam quod Monachi philoſophati ſunt fugiendos labores,& tranquillitatem ac vitam ſolitariam expetendam eſſe, hic Pſalmus ſatis arguit,id Deo non placere. Hoc autem placere,ut in laboribus & moleſtiis jactemur,& cogitemus nos divinitus eſſe poſitos ad ferendos illos tum activos tum paſſivos labores,quos ſane tum conjugium ſecum affert, ſicut dicit: Labores manuum tuarum manducabis. Non dicit,in ocio vivendum & alienarum manuum labores manducandos eſſe,Sicut Papæ ſancti faciunt,hoc eſt,Epicurei & delicati illi martyres.

Vita conjugum Deo grata & benedicta.

Porro ſupra attigi, Hieronymum, & poſt eum,alios quoq; diſputare de hoc Pſalmo,cur David tantopere commendet beati viri vitam,ſi uxorem habuerit, cum tot in ſacris literis ſint ſancti,qui cœlibes vixerunt,qualis forte fuit Elias,Eliſæus, & ſimiles,quanquam de his affirmari id certo non poſſit,de Ieremia poteſt, In novo autem Teſtamento longè ſpecioſius exemplũ eſt,omnium fere Epiſcoporũ, præſertim ſi poſteriora tempora ſpectes,imo etiam quorundã conjugum, ſicut de Rege Henrico & Kunegunde commemorant,qui abſtinuerunt à copula carnis, ut loquuntur,& vixerunt caſti. Tales igitur omnes an non ſunt beati,dicunt,cum Spiritus ſanctus hic tantum conjuges beatos prædicet? Hieronymus hic ſe ad allegoriam vertit,& ſequitur ſuum magiſtrum Origené,& ex uxore facit Eccleſiã, ſicut poſtea celebris hæc ſententia fuit,cùm Paulus dicit, Epiſcopus ſit maritus unius uxoris,ut exponerent,id eſt,unius Eccleſiæ,Item,habeat filios honeſtos & obedientes,hoc eſt,diſcipulos ſeu auditores honeſtos. Ad hunc modũ reſpondent iſti. Quidam cum vident quam hoc ridiculum ſit,eo decurrunt,ut dicant Propheram locutum eſſe pro ratione ſuorum temporum,quibus frequentior conjugii fuit uſus,Sed ne hoc quidem ſatis facere poteſt ingenioſo homini.

Sententia Hieronymi graviter refutatur, contumelioſe tractantis conjugium.

Rex Henricus.

1. Tim. 3.

Hieronymus.

Quomodo Pſalmus commendet conjugium.

Sic itaq; reſpondemus,Pſalmum hoc ſolum agere, ut erudiat homines pios de hoc genere vitæ divinitus inſtituto,non hoc agere ut cogat aut præcipiat pariter omnibus,quod oporteat uxorem ducere, ſed ut qui duxerunt, aut ſunt ducturi,intelligant quid habeant,cùm uxores habẽt,ita ut libertas ſua maneat tum

Matth. 19.

Ad conjugium non cogimur qui conjugio carere poteſt.

cœlibatui,tum conjugio. Quis enim ad conjugium cogat non indigentem conjugio? Qui tales ſunt,ut hoc Verbum poſſint capere,maneant cœlibes, & glorientur in Domino,Sicut qui non vocantur ad Rempub. privati manent, qui non vocantur ad miniſterium Eccleſiarum,manent inter auditores. Par omnino hic ratio eſt, cùm per infirmitatem naturæ ſuæ non cogantur ad conjugium, ſed ex eorum numero ſint,qui conjugio carere poſſunt,rectè faciunt,quod conjugio abſtinent, & iis moleſtiis ſe non onerant,quibus carere poſſunt. E contra,qui non ſic robuſti ſunt dono Dei,ſed ſunt propriæ infirmitatis ſibi conſcii, quod non ſimul caſte & extra conjugium poſſint vivere,hi pluris facere neceſſitatem ſuam debent,quàm incommoda & moleſtias conjugii.

Cum conjugium laudatur, cœlibes nõ damnantur ſi ſancte & caſte vixerint.

Nunc facilis reſponſio eſt ad diſputationem illam,ſi prius ſtatuas Pſalmum tantum ornare & commendare donum hoc,non urgere & cogere ad conjugium,ne inſaniamus ſicut primus phanaticus ſpiritus,qui in ſchola noſtra extitit,is ex loco Pauli ad Timotheum hoc volebat evincere,Non poſſe paſtorem eſſe, niſi etiam maritus eſſet,q.d. non poſſe eſſe Principem,aut Magiſtratum,niſi uxorem habeat. Hæc neque Pauli ſententia eſt,nec Pſalmi hujus, in quo Spiritus ſanctus laudat conjugium, & docet,qui in eo ſunt,quomodo rectè eo poſſint uti. Cæterum unus Spiritus aliis ſic,aliis aliter diſtribuit dona ſua. Sumus quidem in uno corpore, & ornamur ab uno & eodem Spiritu,ſed non eodem modo. Itaque,qui ſine conjugio non poſſunt caſte vivere,uxorem ducant, & ſciant ſe habere inſigne & excellens donum à Deo conditum,ad infirmitatem ſuam medicandam,ſicut ſcriptura fœminam vocat adjutorium viri. Qui autem caſtitatis donum habent,vivant cœlibes,ut ita, quanquam donis ſumus diſpares,tamen ſinguli in noſtris donis ſerviamus Deo, & vivamus ſine ſcandalo,ad utilitatem proximi. 1 Tim. 4. 1 Cor. 12.

Simile.

Hæc itaque vera eſt ſolutio,quod Pſalmus hoc vitæ genus commendat. Non itaq; negat nos eſſe beatos, qui extra conjugium ſancte & caſte vixerunt, ſed hoc manifeſte prohibet,ne conjugium vituperetur,Oculus ſane præſtantius eſt membrũ quam auris,& tamen non poteſt nec debet officium aurium aſpernari. Sic ineptum eſſet ita laudare Theologum profeſſionem ſuam,ut profeſſionem Legum damnaret, ſic & Iureconſultus non debet cum contumelia Medicinæ, Poëta cum contumelia Rhetorices,profeſſionem ſuam ornare,Diverſa ſunt dona.Hoc igitur faciendum eſt, ut unuſquiſq; in ſuo dono laudet & honoret Deum,atque eo utatur ad Reipub. utilitatem,& ſinat alios quoque in ſuo genere pro viribus adjuvare Rempub. Theologus ſane major eſt Grammatico & Aſtronomo, ſed non ideo Grammaticũ & Aſtronomum contemnere,multo minus in eum contumelioſus eſſe debet. Ament inter ſe tanquam fratres,& ſint pia familia ſummi Patrisfamilias, ac ſinguli in ſuo vocationis genere ſerviant Domino. Hoc non norunt, qui putant, cùm David conjuges laudet,ac beatos prædicet,alios,qui extra conjugium ſancte vivunt, negare beatos eſſe. Nam ſpiritus ſanctus pure laudat dona Dei,ſine contumelia aliorum donorum, nec ſic prædicat conjuges beatos eſſe,ut eos damnet,qui in conjugio non vivũt. Sed cum conjugium in mundo varie vituperetur,& obſcurentur ejus veræ laudes,primũ ſenſu carnis,deinde etiam ſuggeſtionibus Diaboli, & ſuggillationibus mundi, vult Spiritus ſanctus hoc donum, ſic contemptum ab iis,qui id habent,extollere & amplificare,ita tamen,ne aliis donis aliquid detrahat. Maneant viduæ, maneant virgines in ſuo loco.Spiritus ſanctus enim nunc inſtituit dicere non de viduis,non de virginibus,ſed de conjugio,ut qui in conjugio ſunt,norint donum ſuum.

Conjugium varie vituperatur in mundo, at Spiritus ſanctus vindicat illud ſine ullius injuria.

Hieronymi objectio. Solutio.

Quod igitur Hieronymus ſatis indocte objicit,Abraham,Iſaac, & alii Patriarchæ,ætate plus ſatis matura duxerunt uxores, & multos annos vixerunt in conjugio ſine liberis,Ergo non fuêre beati ſecundùm hunc Pſalmum, Negandæ eſt conſequentia. Nam Abraham, Iſaac, & alii fuêre beati, etiam ante ductas uxores, & ſuſceptos liberos, ſicut omnes credentes & baptiſatæ tum viduæ, tum virgines, beatæ ſunt. Quod autem ad Pſalmum attinet,ſimpliciter de dono loquitur, & do-

gitized by Google

& docet,non urget ad donum,ſed donum in mundo ſic conſpurcatum ornat. Ergo id ex Pſalmo non ſequitur,quod iſti conantur efficere odio quodam conjugii. Fingunt quidem Monachi,ſe conjugium ideo fugere,ut caſtitatem amare videantur,ſed
1 Tim. 4. non eſt verum. Divo Paulo potius credendum eſt,dicenti,quòd ſpiritu erroris, non ſtudio caſtitatis,conjugium damnabunt,præſertim nunc poſita lege,qua conjugium prohibent. Ambroſium multa arguunt ſponte abſtinuiſſe à conjugio. Hujus exemplum fortaſſe alii quoq; certo conſilio ſecuti ſunt. Sed Hieronymus ita contumelioſe de conjugio loquitur, ut prorſus non poſſit excuſari, ſicut nec hodie noſtri Papiſtæ,Sic neq; Gregorius excuſari poteſt, qui Legem de cœlibatu & conjugiis ſolvendis,propagavit etiam in alias Eccleſias. Loquuntur uterque mendacium in hypocriſi,quando dicunt,quod amore caſtitatis conjugium deteſtentur, Non enim ſunt nec poſſunt eſſe caſti,ſicut quotidiana ſcelera ipſorum oſtendunt, Sed hoc ſectantur, ut ſint liberi & ſecuri ab illis moleſtiis,& ſimul ſpecie ac hypocriſi opinionem ſanctitatis apud vulgus colligant,ut videantur tanquam ſpectacula & Angeli in mundo eſſe, non homines,& ideo digni habeantur,qui labores alienarum manuum manducent, Hæc eſt præſertim noſtrorum Papiſtarum,Monachorum,Sacrificulorum, & Monialium ſacra,hoc eſt,execrabilis caſtitas.

Ambroſii exemplum.
Hieronymus.
Gregorius.
Caſtitas Papiſtarum impura & hypocritica.

Qui hoc modo à conjugio abſtinent,verè ſunt Antichriſti,ſecundùm ſententiam Danielis,qui hanc inſignem Antichriſti notam eſſe dicit, quod concupiſcentiam mulierum non curabit. Id gloſſa quoq; de Antichriſto exponit his verbis, quòd ſimulaturus ſit caſtitatem,ut facilius decipere poſſit. Nos autem hanc quoq; cauſam addimus,ut delicatum hominum genus,moleſtiam,curas & ſolicitudinem iſtam effugeret,quam conjugium ſecum affert, dignam quidem pio viro, ſi ita ei Dominus dederit. Sed qui ſine peccato conjugio carere poſſunt,fruantur ii ſuo dono,ſine aliorum contumelia,quibus id donum non eſt. Alii omnes potius,quàm impure vivant ſine conjugio,deligant caſtitatem conjugalem,puriorem & meliorem, & Deo magis gratam,quàm omnium Papiſtarum caſtitas eſſe poteſt,etiamſi in totum à mulierum congreſſu abſtinerent,quod tamen quomodo faciant,notum eſt. Si igitur ſunt quidam qui donum caſtitatis habent,ut ſine conjugio ardoribus carnis careant, hi maneant in ſuo dono. Contra qui uruntur, hi imbecillitati ſuæ conſulant, ſecundùm Pauli verbum,& ordinationem Dei,qui homini voluit fœminam eſſe adjutorium,ut etſi dona ſint differentia,tamen ejuſdem Domini ſervi maneamus, retinentes bonam conſcientiam,& nemini ſcandalum præbentes.

Qui propter hypocriſin & ut moleſtias conjugii fugiant cœlibes vivunt, ſunt Antichriſti.
Caſtitas conjugalis.

Sic conjugium,ſanctum,laudabile,bonum & utile genus vitæ eſt, quare meretur,ſicut Pſalmus hic facit,laudari,etſi caro & mundus, propter incommoda quæ habet,non poſſit id laudare,ſed potius admiretur ac prædicet cœlibatum. Sed hoc non eſt verbum Dei ſequi. Caro enim prædicat & diſtinguit dona ſecundùm ſuum judiciũ,& ſtatuit melius & purius ſervire Deo in cœlibatu, quàm conjugio, Sicut Hieronymus facit in peſtilentibus libris contra Iovinianum,quẽ tamen apparet plus eruditionis & judicii habuiſſe in uno digito, quàm Hieronymum in toto corpore. Neq; enim virginitatem cum contumelia conjugii laudare debuit. Sed ſic potius dicere,ut qui virgines ſint,ſerviant Deo in ſuo dono, non ideo conjugium damnandum eſſe,ſed prædicandũ tanquam genus vitæ à Deo conditũ,etiam tum,cùm natura adhuc eſſet integra,& peccato nondum vitiata. Sed Hieronymus neq; pietatis, nec judicii tantum habet,ſed ſimpliciter, ſicut indocti Monachi adhuc ſolent, prorumpit,Bonum eſt homini ſic eſſe, Ergo conjugem eſſe,malum eſt. Item, Bonum monile Eccleſiæ,Euſtochium virgo,Qualis quæſo hæc vox eſt? Monile Eccleſiæ eſt, credere in Chriſtum,eſſe baptiſatum & communicatum, Sed virginem aut conjugẽ eſſe,ſunt diverſa dona,Deo æquè grata. Nam quod de conjugio objiciunt, Tribulationem carnis habebunt ejuſmodi, hoc nos libenter concedimus,ſed ea non conju-
1 Cor. 9. Geneſ. 3. gii culpa eſt,ſed peccati,quod habent etiam iſti,qui non ſunt conjuges,Gen. 3.

Conjugium exemplo Pſalmi hujus laudandum.
Hieronymus perverſe præfert virginitatem conjugio.
Monile Eccleſiæ.

Hæc reſpondere volui ad Hieronymi ſententiam nugantem cum Origene ſuo, & fingentem per Allegorias ineptos patres & filios ſpirituales. Quibus ſermonibus

occaſionem dederunt Papæ,ut ſe faceret ſponſum,ſeu maritum Eccleſiæ. Ita error errorem peperit. Ego autem optarim ſponſum hunc cum Iuda ex arbore pendere,& in inferno ſepultum eſſe,potius quam ut hoc modo Chriſto nomen ſuum eriperet. *Vnus Sponſus Eccleſiæ Chriſtus.* Vnus enim ſponſus & maritus Eccleſiæ tantum eſt, Ieſus Chriſtus. Reliqui omnes ſancti ſunt amici ſponſi,ſicut ſe Baptiſta vocat,Eccleſia eſt ſponſa ſeu uxor,Filii ſunt fideles,qui quotidie accedunt,Hi per fidem etiam fiunt ſponſa, communicant enim cum bonis ſponſi,& conſequuntur fide juſticiã Chriſti & merita. Si Papa bonus eſt, eſt in horum numero,non ſponſus,non maritus,ſed ſponſa accipiens de bonis ſponſi,ſin malus eſt,eſt ſponſus Satanæ, & amicus Iudæ.

Concluſio, Pſalmum laudare conjugium contra mundi judicium, non cogere quenquam ad id. Summa igitur reſponſi noſtri eſt,quod hic Pſalmus non cogat ad conjugium, tanquam neceſſe ſit omnes in conjugio vivere,neq; enim præjudicat Chriſti verbo, dicentis,qui poteſt capere,capiat,Sed ſimpliciter laudat conjugium adverſus carnẽ, & peſtilentia exempla mundi,quæ omnia hoc genus vitæ impugnant,propter moleſtias,quæ conjugibus objiciuntur,qui eas decreverunt fugere, polluuntur ſcortatione & adulteriis,& ſic etiam exemplo nocent. Adverſus has viperinas linguas, & exempla plena ſcandali,munit hic Pſalmus animos. *Prædicatio uxoris.* Mundus vocat uxorem neceſſarium malum,ac Petrus ob certam cauſam,& tamen ſine contumelia, vocat vas infirmum,Sed vide quid hic Spiritus dicat,quomodo ornet ac prædicet uxorem, dum eam comparat viti fœcundæ & liberos,quos marito parit,plantulis olivarum. Dic vero an in ullis literis extent tam elegantes & ſignificantes ac jucundæ ſimilitudines duæ,ſicut hæ ſunt? Imo an etiam in aliis locis ſacræ Scripturæ inveniantur? Apprehendit enim duas nobiliſſimas arbores, vitem & oleam, unde duo præſtantiſſimi liquores colliguntur,atq; his comparat illos,ſcilicet coram mundo contemptas res, uxorem,& fructus ejus liberos. Si conditionem conſideres, uxor eſt infirmum vas, & ſexus longè infra maſculam virtutem poſitus, præſertim ſi compares ad eas res quæ per maſculos geruntur,per mulieres autem geri non poſſunt, Sed Spiritus ſanctus donum conſiderat,& amplitudine doni abſcondit quicquid in ſexu incommodi eſt,idq; ſplendidiſſimis ſimilitudinibus obruit.

Cauſa cur ſic prædicetur uxor. Vt autem aliquo modo poſſimus videre cauſas,cur tantopere prædicet hunc ſexum Spiritus ſanctus,fingamus nos omnes non eſſe conjuges, ſiquidem conjugiũ mundus deteſtatur,ſed cœlibes,Imo fingamus neque maſculum nec fœmellam eſſe, ſed quiddam unum,quod neutrum ſit,ut ideo cœlibatus poſſit fingi perfectior, quid quæſo cum tali mundo & felici ac puro cœlibatu futurum eſt? Quam diu ſubſiſtet ſpecies? An non intra annos viginti totus mundus deſerti & vaſtæ ſolitudinis imaginem habebit? Quis tum erit uſus auri? quis argenti? imo quis erit uſus Solis, lunæ,& omnium terra naſcentium? deficiente ſubito genere humano, ſi hoc modo conjugium abolitum,& beatus,ſi diis placet, cœlibatus ſtatuatur? Quin huc vide, ubi tum erit miniſterium Verbi? Quis fructus erit beneficii Chriſti? Cur igitur cœlibatum ſic laudas,ut extenues dignitatem, & maximos fructus conjugii? Quin utrunque lauda pro ſua dignitate & merito, ac præſertim conſidera hoc in loco, quomodo ſpiritus ſanctus te doceat tuam inſpicere uxorem,nempe, non ſicut infirmam carnem,quæ (ſalvo pudore ſic cogor loqui propter blaſphemos contemptores creaturæ Dei) mingat,ſudet,& reliqua naturæ faciat. Cur enim hoc non etiam in vite facis? Cur eam non contemnis propter ſtercus, quod ad radices ponitur? An non potiorem rationem habes ſucci,qui hoc modo ex vite producitur? Sic in olea neminem offendit aſperitas corticis, & quòd fimo curanda ac quaſi ſaginanda radix eſt. Nam fructum potiſſimum ſpectamus omnes. Quis igitur non ſerio indignetur,eam hominum eſſe prudentiam,ut deligere in aliis vilioribus rebus optima, & mala aut tegere aut negligere ſoleant propter majus bonum ſeu commodum, & tamen hoc non faciant in nobiliſſima Dei creatura fœmina? Quaſi vero non etiam uxores ejuſmodi fœditates (ſic enim delicati iſti vocant) in maritis reprehendere poſſint.

Sicut in vite propter ſuavitatem fructus, quæ fœda ſunt, negliguntur, ita in uxore quoq.

In

In prole poſſumus diſcernere inter prolem,& ſtercus,ulcera,morbos & ſi quid aliud dici poteſt. Quis enim abjicit filium,quod ſtercore ſe defœdarit? Imo quis abjicit,quod aut ſcabie deformatus eſt,aut peſte aut alio cõtagioſo morbo infectus? An non ſtercus abluitur? an non in morbo ſolicite curatur,ut nobis maneat incolumis? Sic naturalia vitia obruimus magnitudine ejus boni, quod putamus nobis in incolumitate liberorum eſſe poſitum. Hic quis non rideret,imo quis non execrarẽtur eum,qui diceret,propter ſtercus aut morbum etiam graviſſimum, puerum abjiciendum,ſicut tamen belli & delicati homines odioſe exagitant iſta officia, quæ non gravatim mariti præſtant uxoribus,cùm ita poſtulat earum valetudo. An non enim cogitabimus Dei eſſe creaturam,& participem beneficii Chriſti præterquam quod nobis addita eſt à Deo,ut ſit adjutorium noſtrum?

In liberis facillime idem, non abjicimus eos propter ſcabiem

Bona, quæ in uxore admirari debemus.

Diabolicæ igitur illæ voces ſunt,quibus impii exagitant conſuetudinem conjugũ inter ſe,ut ſcilicet videantur viri eſſe,& merito iſta contemnere. Si digni eſſent tales,ut fierent patres,intelligerent quam etiam dignitate præſtanti patri nihil noceret,oſculari ægrotum filium,& curare ejus ulcera. Si enim aut ægroti, aut ſtercore defœdati infantes abjiciendi eſſent,te quæſo,ubi ego,ubi tu eſſemus? Digniſſimus igitur eſt mundus reprehenſione, quod etiam in optimis rebus tantum ſolet conſiderare vitia,non etiam virtutes. Et cum uſu virtutum iſtarum non poſſit carere, atq; eas quaſi in manu quotidie habeat,tamen ita cæcus eſt,ut eas videre non poſſit. Sed hoc eſt peccatum originis,etiam in præſtantiſſimis creaturis cæcutire, & non intelligerẽ quid in eis boni ſit,ſed magis offendi longe inferioribus incommodis. Adeo ut opus ſit contra iſtam cæcitatem docere,& tamen homines id ægre credant.

Mundus reprehenſione digniſſimus.

Eſt igitur hîc faciendum,quod Cicero dicit,ſe ſolere in cauſis agendis, ut ſi quid mali ſit,id diſſimulet, ubi autem in cauſa inſit boni aliquid, id urgeat,ibi totus ſit,& quaſi ibi habitet. Quis enim ideo ſui corporis minorem rationem habet,quod aut ulcus in pectore,aut aliud vitium in alia corporis parte habet? An non ideo majore diligentia corpus curamus? Quin vides aulicos noſtros,hi cùm bene paſti, ſtercore refertum ventrem circumferant,tamen neglectis ſordibus &contemptis,incedunt aurati ac ſericati,ac ſi totum corpus eſſet merum balſamum. Sic celamus vitia ſtudioſe,honeſta autem oſtendimus. Sed quare idem non etiam facimus in conjugio, ut obruamus & tegamus vitia, & inſpiciamus in virtutes & commoda? Hic omnes faciunt diverſum,non rerum culpa,ſed propter peccatum originis,id ſic excæcat hominum animos,ut in rebus optimis & ſanctiſſimis,tantum ea diligamus, quæ calumniari poſſumus. Idem facimus in verbo Dei & omnibus, quæ ad regnum Dei pertinent. Nam cùm ſolem dat,cùm dat annonam,corpus ſanum,ſanos oculos,&c. nemo conſiderat,nemo gratias agit pro his donis. Cùm primum autem peſtis ingruit,aut annonæ difficultas, aut ſaltem unus dens dolet, tunc fit,ut hoc quaſi centrum ſeu punctus doloris, totam ſphæram beneficiorum Dei nobis obſcuret,aut prorſus adimat. Sic eſt mundus,& ratio noſtra, uno malo plus movetur, quam mille bonis, Sicut Papiſtæ noſtri etiam ſolent, hi ex optimis donis & virtutibus, quas noſtræ Eccleſiæ habent,tantum ea deligunt,quæ calumniari poſſunt, ea ſic amplificant,ut obruant univerſas virtutes Verbi.

Effectus originalis peccati.

Sed Spiritus ſanctus contrarium facit, vitia tegit, & hoc quod boni in re eſt ornat meritis laudibus. Ideo uxorem ſic pingit,ut jubeat eam conſiderari tanquam vitem plantatam & donatam tibi à Domino in domo tua, cujus fructus verè divinæ plantæ ſunt,longè jucundiores aſpectu & uſu præſtantiores quàm oleæ. Etſi enim degenerant & mali ſunt,tamen non poteſt negari eſſe Dei donum,id agnoſcendum eſt,Hoc eſt vere erudire conjugem. Qui autem donum caſtitatis habent,illi hac vite careant,& delectentur ſua alia arbore & aliis fructibus. Nos autem nunc ſumus in hoc vitæ genere laudando, in eo uxor eſt ſicut vitis,& proles ſicut olea, ita enim nos docet Spiritus ſanctus, & res idem teſtatur,etſi Scriptura ſancta hoc non traderet. Nam etiam gentes recte prædicaverunt τοργὰς φυσικάς, & teſtantur idem etiam noſtrorum hominum Germanica cantica,quibus ſummis laudibus prædicatur fides

Spiritus ſanctus diſſimulatis vitiis, quæ bona ſunt, laudat in uxore.

conjugum,quod hæc vita nihil habeat ſuavius & præſtantius, quàm eſt uxor mariti amans. Idem uno ore omnes ſani homines fatentur, non quidem propter voluptatẽ carnis,quæ in ſcortatione,adulterio,pollutionibus major eſt, ubi enim incenditur libido,In matrimonio autem extinguitur,Sed quia ſumma voluptas eſt, uxorem eſſe paterno,materno,filiali,hoc eſt,ſummo affectu erga maritum. Hoc illud excellens donum eſt,& dignum quod in mulieribus admiremur ac prædicemus. De quo porci illi nihil norunt, qui ſentiunt uxorem tantum porcile volutabrum eſſe voluptatum. Eſt longe melius & dignius inſtrumentum, divinitus plantatum, ut in domo tua ſit tanquam frugifera vitis. Quare etiam magis,quàm vitam ſuam,uxorem & liberos mariti amare debent.

Encomia conjugii.

Pertinent igitur hæc encomia magnifica contra virulentas linguas Satanæ & hominum,quibus hoc genus vitæ inceſſant,item contra carnis noſtræ depravatum judicium,quo fit,ut aut ad faſtidium,aut ad impatientiã ſolicitemur, cùm ſcilicet oculi cæcutiunt ad æſtimanda commoda,&tantum hærent,aut in vitiis,aut moleſtiis. Atqui hoc ne quidem ſaniores inter Gentes fecerunt. Viderunt enim iſtam naturalem affectionẽ erga prolem,& mutuũ amorẽ ac fidem conjugũ inter ſe,& utrunque laudaverunt egregiis teſtimoniis. Ita Deus per paucitatem ſanorum hominum, etiam inter gentes ſuperavit illam multitudinem linguæ viperinæ contra hoc genus vitæ. Quanto autem magis nos decet conjugio patrocinari, invitante Spiritu ſancto his tam claris & illuſtribus ſimilitudinibus,quibus oſtendit Deum ſic delectari vita conjugali,ut det non ſolum benedictionem ſuam ad ſuſtentandam vitam, ſed etiam benedictionem ventris & uberum,ſicut Moſe appellat. Hoc profecto Deus non faceret,ſi conjuges odiſſet. Atqui ad Adam dixit: Omne quod provenit è terra, ſit vobis in cibum, Poſt diluvium etiam conceſſit uſum animalium mundorum, Imo conjugio donat quicquid eſt theſaurorum & opum in mundo, & quicquid omnino hæc natura habet. Hæc omnia viva teſtimonia ſunt, quod Deus hoc genus vitæ approbat,etiamſi non hoc oſtenderent ſacræ literæ. Poſtremò ipſa propagatio ſpeciei,quis non videt quòd creata & condita ſit à Deo. Meminerimus igitur harum ſimilitudinum adverſus calumnias noſtrarum cogitationum, Diaboli, & viperinarum linguarum,quæ extollunt vanitates & impuriſſimas impuritates ſuas, hæc autem Dei ſumma dona vituperant.

Certa teſtimonia,quod Deus conjugum vitã amet.

IV. *Ecce ſic benedicetur homo,qui timet Dominum.*

Poſt magnificas conjugii commendationes, ſubjicit de benedictione.

Hactenus audivimus illas magnificas commendationes conjugii,quas Spiritus proponit,ad eos confirmandos & conſolandos, qui in hoc vitæ genere ſunt conſtituti,ut patienter ferant incommoda,tentationes & vexationes conjugii,&non ſequantur judicium mundi,qui non ſecus quàm mulus & aſinus ſequitur ſenſum carnis,& patitur ſe impediri illis incommodis, Bona autem divinitus data non intelligit,ſed nonnunquam execratur etiam & horret. Sicut multos invenias,quibus ingrata eſt ſobolis multitudo,ac ſi conjugium eſſet inſtitutum tantum ad voluptates pecuinas,non etiam ad gratiſſima officia, quibus Deo & hominibus ſervimus, cùm ſobolem divinitus datam curamus & educamus. Hi quod conjugium ſuaviſſimum habet,non intelligunt. Quid enim ſuperat amorem ſobolis? præſertim cùm hic audias,eam eſſe præcipuam partem benedictionis divinæ?

Amor ſobolis.

Vita conjugum eſt benedictio Dei.

Sed hic iterum opus eſt fide. Nam mundus non habet pro benedictione, laboribus victum quærere,ferre incommoda uxoris,liberorum, &c. quæ varia objiciuntur. Hæc omnia mundus & ratio habet loco maledictionis, & abhorret, Spiritus ſanctus autem,ut confirmet piorum animos, hoc totum, quod hactenus dixit,commendat hoc ſuaviſſimo nomine,& vocat benedictiones, ut ſcilicet exuſcitet nos ad Deum & dona ejus recte cognoſcenda,ne,quod mundus ſolet,qui ſemper præſentia faſtidit,& abſentia appetit,in mediis donis Dei faſtidiũ concipiamus. Emphaſis igitur hæc diligenter notanda eſt,quòd hanc vitam,ſecundùm rationem miſerã & calamitoſã,appellat benedictã,cùm dicit: Ecce ſic benedicetur homo,q.d. Quid amplius vis? hoc quòd uxorẽ habes,quod habes liberos,quod manuũ labore vivis,vere eſt bene-

benedictio Dei,Itaq; non ſolum non offendaris,ſed etiam Deo agas gratias pro benedictione ſua.

Sed quam pauci ſunt,qui hoc credunt? etſi qui credunt,tamen per infirmitatem ſæpe abducuntur ab hac fide,& obliti benedictionis, tanquam in maledictione fiunt impatientes. Optabile igitur erat hanc vocem Spiritus ſancti tanquam ſummam conſolationem ſemper obverſari piorum oculis atq; auribus. Quomodo enim certius argumentum poteſt oſtendi, conjugum vitam Deo placere, quam hoc eſt, quod eorum omnis vita ſit benedictio? Hoc quidem accidit, ut ſæpe impatientiæ peccatis vexentur, propter peccata familiæ & ſobolis, item invidia contra vicinos, ſed quid tum? Non poſſunt omnia in hac infirmitate ita munda & perfecta eſſe, ut non ſæpe ſentiantur vel exceſſus vel defectus in domo & extra domum. Sed hæc impatientiæ peccata,quotidiana oratio piorum extinguit, & debent pij conjuges ſemper hanc conſolationem retinere, ut ſtatuant ſe eſſe poſitos in benedictionibus, & habere vitam à Deo benedictam. Hæc fides quanto eſt firmior & uberior,tanto plus gaudij adeſt. Etſi enim accidunt quædam moleſtiæ,nonnunquam etiam peccata nos occupant, tamen verbum Dei eſt omnipotentis, Ideo in omnibus tentationibus victoria eos ſequitur, qui id fideliter retinent.

Si conjugium vita eſt benedictio ergo Deo placet.

Conſolatio piorum conjugum.

Hæ igitur voces,tanquam divina oracula apprehendendæ ſunt, & aſſueſcendum eſt,ut hoc vitæ genus merito honore afficiamus, ſiquidem ipſe Deus ſuam benedictionem in id tam copioſe profudit. Hoc non intelligendum eſt tantum, ut ornemus id verbis, & commendemus aliis,ſed ſinguli, qui in conjugio ſumus, nobis ipſis id debemus commendare, ut ſive paupertas,ſive morbi, ſive calamitates rei familiaris, ſive alia incommoda nos excipiant, ea feramus æquo animo, contenti illa opulentiſſima conſolatione, quod Spiritus ſanctus appellat vitam benedictam. Atque hoc experiuntur, norunt, & faciunt, qui timent Dominum, & vere colunt,ſicut dicit, Sic benedicetur vir,qui timet Dominum. Nam verus cultus Dei eſt,timere Deum,fidere Deo,& omnem ſpem habere in Deo fixam. Hos motus animorum poſtea ſequitur obedientia in vocatione & aliis, quæ divinitus nobis mandata ſunt,Hæc enim omnia complectitur timor Domini. Qui Deum non timent, horum nihil intelligunt,nec de eis Spiritus ſanctus hic canit.

Verus Dei cultus.

Timor Domini.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, ut videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. V.

Poſt inſignes commendationes conjugij addat Spiritus ſanctus precationẽ valde magnificam,qua precatur,ut benedictum hoc vitæ genus Deus magis benedicat, & etiam propter tales conjuges Rempublicam tranquillam faciat ac fortunet. Porro omnes hujuſmodi orationes habent incluſam promiſſionem, futurum, ut ſicut oramus, ita eveniant iſta. Neq; enim ſentiendum eſt, Spiritum ſanctum aut ea orare, aut oranda præſcribere,quæ Deo non probentur,& exaudire nolit. Quod autem diſerte addit,Dominus ex Sion,facit id ideo,quia cultus Dei eo tempore in Zion erat. Ideo non ſolum corde ad eum locum reſpiciebant, ſicut ſupra aliquoties oſtendimus, ſed etiam faciem oraturi eo convertebant,quod Deus promiſerat ſe ibi habitare velle, & accipere preces ac ſacrificia. Hinc ſunt appellationes illæ, Orare coram Domino, offerre coram Domino, Apparare coram Domino, hoc eſt, in tabernaculo,in quo erat arca & propitiatorium, ad quod Deus ſe alligarat, quod ibi vellet inveniri. Ideo vocarunt hunc locum, Fortitudinem, Regnum, Majeſtatem, Gloriam,Pulchritudinem,ſeu Decorem, Item Requiem Domini,Sicut in Pſalmis & reliquis Prophetis eſt videre.

Bene precatur conjugio. Precationes habent incluſam promiſſionem.

Quare addit, Dominus ex Zion.

Apparare coram Domino.

Poſt Chriſtum exhibitum, & Evangelium invulgatum, locus ille ceſſavit. Itaque nunc non canimus, Dominus benedicat tibi ex Zion, aut templo ſancto ſuo, Sed per Chriſtum Dominum noſtrum. Hic enim eſt noſtrum verum propitiatorium, cujus illud veteris Teſtamenti, umbra ſeu typus fuit. In Chriſto enim habitat divinitas corporaliter, Itaque ad Deum orantes, rogamus exaudiri in nomine

Ziō noui Teſtamenti Chriſtus.

Chriſti,ſicut etiam veteris Eccleſiæ exemplo, orationes publicæ omnes clauduntur hac particula,Per Chriſtum Dominum noſtrum. Sed de hoc ſupra aliquoties diximus,quanquam non poſſunt ſatis hæc inculcari. Eſt enim hæc Chriſtiana cognitio & ſapientia,ne habeamus cogitationes (ut ſic appellem) volatiles & diſperſas, ſed collectas in unum objectum,nempe in Chriſtum. Sicut enim in veteri Teſtamento populus colligebatur ad arcam ſeu tabernaculum, non permittebatur in Dan, Bethel,Gilgal, & alius locis (quæ contra verbum impij Idolatræ deligebant) ſacrificare, Ita hodie non eſt ad Deum quærenda via per invocationem Sanctorum, aut ullos alios cultus ac opera, niſi per Chriſtum, & in Chriſto, ſecundum ſententiam. Quicquid rogaveritis Patrem in nomine MEO, hoc dabit vobis. Hoc enim corda puriſſime debent ſtatuere,Deum non eſſe in monaſteriis,non in peregrinationibus, non hic,non illic,ac ne in cœlo quidem,ſed tantum inveniri & coli in illa unica perſona,quæ ex Maria nata eſt,hoc eſt, in Chriſto Ieſu. Hic eſt propitiatorium verum,& certus thronus divinitatis, ubi divinitas corporaliter habitat & invenitur, ſicut docent ſententiæ Evangelij, Nemo venit ad Patrem, niſi per me,Ego ſum vita, veritas & via.

Chriſtiana cognitio & ſapientia.

Omnis cultus Dei collectus in unum Chriſtum.

Ioan.16.

Ioan.14.

Hoc objectum, qui non habent, horum animi errant, & vagantur in infinitas opiniones. Sicut in Monachorum exemplo patet, Alius Franciſcum, alius Dominicum,alius Benedictum, alij alios delegerunt Patronos, per quorum Regulam tanquam certam viam,ad vitam veniant.Hi omnes quid fecerunt? Cor eorum excute,& uno ore dicent omnes,ſe Deum voluiſſe quærere, Deum autem cogitaverunt eſſe in cœlo talem,qui ſi cucullo induti ſint,ſi à carnibus abſtineant,ſi vivant cœlibes, ſi pecuniam non contrectent,&c. eos auditurus, ac eis propitius futurus ſit. Sic relicta vera & unica via, quæ eſt Chriſtus,divagati ſunt unusquisq; in ſuam propriam viam, plane eodem exemplo quo Iudæi. Quibus cum eſſet propoſita una via inveniendi Dei,ſi ad Tabernaculum irent,ibi adorarent, ſacrificarent, relicta hac unica & vera via,diſcurrebant ad lucos,valles,flumina,&c. Hic duplex incommodum paſſi ſunt. Nam cum crederent ſe Deum invenire, fallebantur, & cum crederent ſe Deum placare, magis offendebant, Sicut manifeſtæ ſententiæ extant in Prophetis, in quibus Deus dicit,ſe damnare vias,quas ipſi ſibi eligunt,nec velle ſe ab eis inveniri. Cur enim rectam viam & infallibilem per verbum Dei oſtenſam non inſiſtunt?

Patroni Monachorum excluſo Chriſto.

Hæc dico,ut ſine offendiculo legamus,quod dicit,Dominus ex Zion. Neceſſario enim facit mentionem hujus loci, ad cavendam idolatriam. In hoc enim uno loco Deus revelarat ſe velle coli. Itaq; per involucrum promiſſionis, etiam Chriſtum ibi colebant; quem promiſſio includebat. Nunc autem ſepulta & deſtructa Zion,theſaurus apertus eſt,nempe Chriſtus,qui tum in promiſſione,tanquam in involucro,erat abſconditus. Quare memineritis hujuſmodi locos omnes ad Chriſtum eſſe accommodandos,ſicut etiam experientia diſcimus, in tentationibus non eſſe conſolationem, qua erigi poſſint animi,ne in Deo quidem,niſi illam unam de Chriſto. Non ſolum enim periculoſum,ſed etiam horribile eſt, de Deo extra Chriſtum cogitare. Nam præterquam quod Satan tum facilime opprimere nos poteſt, ſplendore majeſtatis divinæ, etiam ideo periculum adeſt, quia Deus iſtis viis non vult comprehendi. Hærendum igitur eſt in illo unico objecto,in quo Deus ſe & animum ſuum nobis oſtendit,in Chriſto,Qui autem extra Chriſtum aliud quærunt,hi in tentatione,ſuo periculo diſcent,quam id non ſit tutum.

Vocabulum Zion admonet de cavenda Idolatria.

Deum quærere extra Chriſtum.

Sed inquis,quomodo Dominus ex Zion benedicet amplius? Sic ſcilicet, ut videas bona Ieruſalem,hoc eſt,Dominus propter bonos conjuges ac timentes Dei, dabit pacem politicam, quæ non ſolum prodeſt ad victum facilius parandum, ſed magis ad recte educandam ſobolem. Atq; hæc cauſa initio fuit condendarum civitatum,ut conjunctis viribus depellerent injurias hominum ac ferarum, ac in pace ſe ſuoſq; poſſent alere,Poſtea cum in una civitate non eſſet ſatis præſidij,conjunxerunt ſe plures inter ſe. Ita principatus & regna nata ſunt tantum propter pacem,qua conjugibus opus eſt,Ac ratio fingit hæc naturam ſic conciliaſſe & docuiſſe, Sed Spiritus ſanctus

Pax conceditur propter educationem juventutis.

Digitized by Google

ſanctus veram cauſam oſtendit hic, nempe, quod iſta contingunt ex benedictione, quam Dominus largitur conjugibus, maxime autem piis. Hi debent agnoſcere primam benedictionem eſſe, timere Dominum, alteram, habere uxorem & liberos, tertiam frui pace politica. Hoc quid vis amplius? Ergo propter vitem & oleas tuas, quas domi tuæ habes, ſenties Dominum dare, Reges, principes, judicia, leges, & quicquid ad conſervationem Rerumpub. & pacis neceſſarium eſt.

I. II. III.

Hinc etiam illud recte admonemur, cum certum ſit ſervire Principes & Magiſtratus patribus familias, debere eis viciſſim pro officio hoc beneficij, ut dentur tributa, vectigalia, & ſi quid aliud eſt, quo Magiſtratus opus habet, dum vigilat pro conſervatione pacis. Sunt enim miniſtri Dei, ſicut Paulus quoq; appellat, in hoc à Deo donati, ut tu poſſis pace frui. Quam magnum autem beneficium pax ſit, commune Germanorum proverbium teſtatur, quo dicunt, Patrem familias, qui duas vaccas habet, alteram debere dare, ut altera in pace frui, & eam retinere poſſit. Quid enim profuerit, ſi domum habeas refertam opibus, & eam contra prædones aut fures tueri non poſſis? Hoc igitur cum Magiſtratus præſtet, imo, cum judicia & leges iterum vendicent Domino, quod injuſte ereptum eſt, merito ei honor debetur, & juſte penditur tributum, tanquam adminiſtro benedictionum Dei, quas conjugibus deſtinavit. Nam hæc tertia conjugij benedictio, hic à Davide numeratur, ut conjuges videant bona Ieruſalem, hoc eſt, ut videant Ieruſalem florere, Primo per veram religionem & ſanam doctrinam, Secundo per bonos Magiſtratus. Hæc enim ſunt bona non unius tantum domus, ſed totius Ieruſalem. Sic pulcherrimo ordine Spiritus ſanctus nobis commendat dona Dei. Primum eſt timor Dei, hic complectitur ea, quæ primæ tabulæ ſunt. Propter timorem Dei, poſtea donat & conſervat Deus domum & œconomiam. Tandem propter œconomias recte inſtitutas, & in timore Dei adminiſtratas, ſequitur etiam tertia benedictio, felix ſcilicet Politia.

Magiſtratus propter conſervationem pacis debetur tributum.

Proverbium Germanorum commendans pacem.

Bona Ieruſalem

Dona Dei.

Porro caro de his politicis benedictionibus, plane eodem modo judicat, ſicut de œconomicis. Eſt enim impatientiſſima legum. Hinc ſequuntur vulgi odium, maledicta, convitia in Magiſtratus, etiam cum officium diligentiſſime faciunt. Quando enim vulgus non eſt impatientiſſimum, etiam cum juſtiſſimis de cauſis exiguntur pecuniæ? Quaſi vero hoc ſolum ſit quod agat, ut pecunias colligat, & iis pro voluptate, ſine omni moleſtia & onere utatur? Quis quæſo eſt, qui gratis ſervit ſine mercede? Quæ igitur illa tandem eſt ingratitudo, Magiſtratui ſervienti Reipub. cum maximo periculo, & in laborioſiſſimo vitæ genere, non velle reddere, quod ipſorum labor meretur? An putas tibi gratis hoc officij præſtandum eſſe, ut in hoc vel alio oppido habites, fruaris pace, foro, Eccleſia, ſine ullo ſumptu tuo? Pij ſane hoc non poſtulant, ſed agnoſcunt Magiſtratum propter pacem à Deo conſtitutum eſſe, ideo prompti ſunt ad honorem, tributum, vectigal eis pendendum, tanquam Angelis pacis, nos cuſtodientibus & pro nobis vigilantibus.

Iudicium carnis de politicis benedictionibus.

Hinc Scriptura etiam de graviore officio admonet, & id nobis imponit, ut etiam pro Magiſtratu oremus. Hoc qui non faciunt, & publica onera etiam impatienter ſuſtinent, merentur, ut loco bonorum Principum tyrannos habeant, qui ad graviora eos cogant & non ordinaria onera exigant, ubi ordinaria aut cum moleſtia ſuſceperunt, aut maligne executi ſunt. Hæ ſunt juſtæ pœnæ inobedientium civium & vulgi, quod in periculis unicum refugium habet ad Magiſtratum, in eos quaſi evomit quicquid animo dolet, & ægre eſt, ibi Magiſtratus ſuis rebus relictis, ſingulorum incommoda audire, iis remedia quærere cogitur, ac maxime tum curæ oriuntur, cum publica incommoda ſananda ſunt. An non igitur digni tyrannis ſunt, & ſumptuoſis ac negligentibus Dominis, qui pio & ſolicito Magiſtratui non ſtudent reddere gratiam? Nam tyranni poſtea faciunt, ut tales diſcant quid ſit bonus Magiſtratus, ut ipſi ſe reprehendãt, quod peccarint per inobedientiã, quod peccarint dum maligne ſolverunt ordinaria tributa, dũ reprehenderunt Magiſtratũ, &c. Hæc ſi per tyrannos Deus hoc modo non punit, ac facit id per ſeditiones & bella, ne iſtis porcis impune

Orandum pro Magiſtratu.

Ingratitudo erga Magiſtratum, quid meretur pœn.

impune ſit,non obediſſe,& non honoraſſe Magiſtratum. Sicut enim porci tantum hoc agunt,ut ingluviem ſuam expleant,ita ruſtici putant ſe tantum in hoc natos, ut pace fruantur ad colligendas opes, & explendam avaritiam ſuam, Vt autem de collectis opibus aliquid in commune conferant, hoc aut cum moleſtia aut maligne faciunt.

Beneficia Magiſtratus agnoſcenda.

Quare aſſuefaciamus nos, ut recte intelligere diſcamus illa Magiſtratus beneficia,& pro iis grati ſimus,ne ſicut vulgus,offendamur oneribus,quæ Reipub. cauſa libenter ſunt ſubeunda. Deinde ut diſcamus hoc beneficium boni Magiſtratus donari propter pios conjuges,quo etiam impij poſtea fruuntur, tanquam porci-eſca, ſine gratiarum actione. Sicut enim Sodomorum exitium propter Lot differebatur,ita ſæpe propter unam & alteram piam domum, toti Reipub. benedicit Dominus,propter unum & alterum pium Principem totum Imperium fortunat Dominus.

VI

Et videas filiorum tuorum filios, pacem ſuper Iſrael.

Hæc etſi non omnibus obveniunt, piis tamen conjugibus petenda.

Donum Liberorum multis contingit in conjugio,multis non contingit. Recte igitur ſupra diximus eſſe commendationem,non promiſſionem, quæ ad ſingulos pertineat, ſed ad ipſum genus vitæ. Ita quibuſdam contingit ut videant filios filiorum,ſeu nepotes, Quidam ſterile conjugium habent, ſicut hæc Dominus diſtribuit ſingulis pro ipſorum commodo. Et tamen piis conjugibus iſta ſunt precanda, & ut plurimum obveniunt. Ac digna admiratione eſt,præſertim in ſenibus illa στοργὴ ſeu amor ſingularis,quo nepotes complectuntur. Nam impenſius eos amant quam ſuos liberos. Itaq; cum Pſalmus verſetur in ornando conjugio,& conjugibus etiam bene precetur, addit hanc ceu ſummam voluptatem de longa poſteritate, ne quid eorum omittat, quæ conjugibus divinitus donantur, ſi non omnibus, tamen pluribus. Etſi autem ſupra diximus hujuſmodi precationes includere promiſſiones,tamen nota eſt ratio promiſſionum corporalium, quod eas Dominus ita dat, ut ſingulis prodeſt. Quare hanc promiſſionem huic precationi incluſam, ad ipſum vitæ genus, non ad ſingulos conjuges applicabimus. Quod pij conjuges & timentes Dei creſcent in magnam poſteritatem,& quod propter eos benedictio manatura ſit in totum populum,ſicut addit,Pax ſuper Iſrael,hoc eſt,Iſraeli propter te omnia felicia obveniant.

Stirpe ſenilis.

Promiſſio huic precationi inclu. ſa, ad vitæ genus, non ad ſingulos pertinet.

Impatientia carnis mirabilis in conjugio & politia.

Sic commendat Pſalmus nobis conjugium contra illas carnis calumnias, quæ tantum ſecundum ſenſum judicat. Itaq; ſicut offenditur moleſtiis & oneribus, quæ conjugium habet, ita etiam offenditur iis, quæ in politia uſu veniunt, cum parendum legibus, tributum pendendum, & alia onera ſubeunda ſunt. Sic enim vellet vivere, ut quod optimum in conjugio eſt & politia, eo ſolide & ſine ulla moleſtia poſſit frui. Sicut videmus delicatos homines ideo conjugium inire, quod imperiti rerum in eo putant nihil quam meros amores & ſuavia eſſe. Sic invenias, quos ita dignitas, & gloriæ ſtudium dementet, ut tantum per ambitionem, Magiſtratus aut captent, aut invadant. Sed cum poſtea in conjugio infinita moleſtia, in Magiſtratu invidia, odium, maledicta, calumniæ ferenda ſunt, clamitant quod ſua ſpe decepti ſint. Hæc neceſſe eſt ita fieri. Quia hoc quod in utroq; genere præſtantiſſimum & optimum eſt, nempe, benedictionem Domini, eam pro nihilo æſtimant. Benedictio igitur eſt inſpicienda, & Domini voluntas ac Verbum habendum eſt in oculis, ut cum alia omnia plena periculis, tribulationibus & execrationibus ſint, in voluntate Dei acquieſcamus. Sic in Eccleſia, an non quæſo omnia plena ſunt moleſtiſſimis moleſtiis in tanto impiorum & profanorum hominum numero? Sed hæc omnia conſideratione voluntatis Dei facile feruntur & ſuperantur.

Dona Dei agnoſcenda, & pro iis gratia agenda.

Sic igitur in conjugio quoq; conſideremus primum Verbum. Deinde donum quod Dominus dat, cum dat uxorem & liberos. Tertio etiam benedictionem politicam & pacem, Pro his donis agnitis, poſtea agamus gratias. Ita futurum eſt, ut provocetur Deus ad ampliorem benedictionem, Vbi, cum hæc non fiunt, provocatur ad eripienda etiam illa dona, quæ habemus. Sic magna imperia, urbes, & Reſpub. poſſent quidem in flore longius durare, Sed quia non agunt gratias Deo, & Verbum ejus contemnunt, fit, ut propter ingratitudinem pereant.

Noſtraq; diſcamus grati eſſe, & benedictio Domini abundabit in nobis, AMEN.

PSALMVS

PSALMVS CXXIX.

Sæpe expugnaverunt me.

HAbet hic Psalmus duas partes, In priore agit gratias pro defensione & redemptione perpetua populi Dei, In posteriore orat contra adversarios,& orando simul prophetat. Porro utrunq; pertinet ad nos eruditndos,ac exhortandos ad patientiam,quæ non unius ætatis,aut temporis est,sed sicut Ecclesiæ perpetua historia ostendit, est omnium temporum,& totius vitæ. Porro complectimur hic utranq; Ecclesiam Iudæorum,& Gentium,sicut Paulus etiam fere eas conjungit, cum dicit, Primum Iudæo,deinde Græcis. Nam quod ad Ecclesiam seu populum Iudæorum attinet,notum est ex historiis, quod in medio inimicorum suorum fuerint positi, ceu elegans Rosa in medio spinarum, A meridie Ismaelitæ,Arabes,& aliæ efferæ gentes eas urserunt,Ab Occidente Ægyptij,Æthiopes,Troglodytæ,&c. A Septentrione Philistæi,Assyrij &c.

Argumentum Psalmi.

Iudæorum Ecclesia, in medio inimicorum.

Sic Ecclesia post Synagogæ exitium, undiq; cincta est hostibus, & regnat Christus secundum Psalmum, in medio inimicorum suorum. Vtrinq; igitur verum est,quod sæpe expugnati sint,Sed hic etiam miraculum hoc ostendit Deus, quod semper sic expugnatos iterum liberavit, Sic regnum Israel vere miraculosum,ut sic loquar,regnum fuit,quod cum Dominus castigare vellet, permittebat victoriam Philistinis,Edomæis,Moabitis,Assyriis,Babyloniis. Rursum cum viderentur plane oppressi Iudæi,erant liberi victores hostium suorum. Sic mansit hoc Regnum invitis vicinis, & etiam ipso Satana, sicut hoc pulchre cernitur in libris Regum & Paralipomenon. Quia autem tum de afflictionibus, tum etiam de liberatione extabant & minæ, & promissiones, magna hujus populi consolatio fuit, etiam cum affligerentur & vastarentur,quod scirent accidere ista,non simpliciter voluntate hostium,aut viribus,multo minus propter justiciam & meritum hostium,sed simpliciter voluntate Dei,sic punientis peccata populi sui,imo id in Prophetis comminantis & prædicentis quod inobedientes affligere velit. Hæc consolatio non est exigua, ut in calamitate dicas, Flagellum Dei,hoc est,sic visitantis peccatum meum,non est ira,aut meritum adversariorum meorum.

Psal.119.

Sic Ecclesia gentium.

a Vtrunq;

Regnum Israel.

Consolatio Iudæorum in calamitatibus.

Porro hæc ad nos quoque debemus transferre, ut sentiamus quando succumbimus, nos non succumbere virtute Mortis,peccati, inferni, vel cujusquam creatnræ,sed voluntate Dei creatoris nostri, tradentis nos in afflictionem, & punientis peccata & ingratitudinem nostram, sic tamen ut paternam promissionem relinquat,quod nos non sit deserturus. Ac hujusmodi totius regni Christi pictura in Apocalypsi ostenditur. Quam enim multa de malis angelis, de bestiis, & similibus Ecclesiæ pestibus loquitur quæ in Ecclesiam & regnum Christi grassaturæ sint, permittente sic Domino? Semper tamen fit, ut calamitatem sequatur consolatio, & quantumvis afflicta ac oppressa Ecclesia perduret, ac tandem triumphet.

Consolatio hæc ad nos transferri debet.

Ecclesiæ pictura in Apocalypsi.

At sane nostris temporibus in primis convenit hic Psalmus, quibus Ecclesia tum à Turcis,tum à Pontificibus gravissime afflicta & quasi extincta est,ut si quis diligenter rem æstimet, melior conditio Iudæorum in Babylone, quam Ecclesiæ sub Antichristo fuisse videatur. Verus usus Sacramentorum ablatus, beneficium Christi obscuratum, Fides ipsa plane extincta erat, Nulli veri cultus, nulla vera bona opera ostensa, aut usurpata sunt,Simpliciter omnia,quæ ad veram religionem pertinebant, aut adempta,aut obscurata erant. Sicut igitur Iudæi in Babylone privati fuere conspectu & usu templi,sacrificiorum, ceremoniarum & omnis politiæ, Ita Ecclesia sub Antichristo non habuit verum ministerium,non cultus,non regnum suum, sed coacta fuit servare ritus Papistarum vere Babylonicos & gentiles,Ita utrinq; eadem ira, eædem fere pœnæ fuere.

Nostris temporibus accommodatissimus Psalmus propter tyrannidem.

Ecclesiæ conditio miserrima sub Papa.

Necessarium

Neceſſarium ergo eſt tenere conſolationem hanc, quod ſicut Pſalmus dicit, Impugnamur, dejicimur, conculcamur, ſed non vincemur. Stabit enim Eccleſia invicta, quanquam victoria ejus incredibili infirmitate abſcondita eſt. Sicut ſub Papa fuit, Omnes cathedræ, templa omnia, nihil aliud reſonabant, quam impiam & blaſphemam doctrinam Pontificum, & Monachorum ſomnia. Hoc vere erat, quod Pſalmus 74 conqueritur, Signa noſtra non vidimus, & tamen habuit etiam tum Dominus Eccleſiam ſuam, quanquam & valde raram, & varie deformatam. Ante Pontificum impium regnum, quantus fuit hæreticorum proventus? Ab his quoq; Eccleſia graviter impugnata eſt, Sicut Iudæos impugnabant vicinæ gentes, cum adhuc eſſent in ſua terra, Sicut autem eam impugnationem captivitas excepit, Ita regnum Pontificum vere captivitas illa fuit, quæ ſecuta eſt hæreticorum impetum, & in quam ceu ſentinam confluxit, quicquid uſquam mali unquam in Eccleſia fuit. Nunc Dei beneficio captivitas converti incipit, & reſtauratur templum Domini & cultus.

Hæretici.

Pſal. 74.

Collatio Iudaica cum Pontificia captivitate.

Loquitur igitur Pſalmus ſecundum meam ſententiam in genere de omnibus ejuſmodi periculis Eccleſiæ, quæ omnibus temporibus fuerunt, Quod regnum Iudæorum adhuc ſub bonis Regibus quotidie oppugnatum ſit, & tamen non expugnatum, Quod poſtea ab Aſſyriis & Babyloniis penitus vaſtatum, & abductus populus ſit, non tamen penitus defertus. Nam & ex captivitate Iudæi liberati ſunt, & in ſua terra conſecuti ſunt promiſſionem de Chriſto exhibitam. Ita canit Pſalmus primum de Iudæorum Eccleſia, Deinde complectitur etiam tanquam prophetia, Eccleſiæ Gentium fortunam & conditionem, quod Deus eam ſervaturus ſit contra omnes Hæreticos, contra omnem furorem mundi, contra Pontificum ſeu Antichriſti regnum, denique etiam privatim contra tentationes peccatorum omnium. Ad hunc modum Pſalmus hic dilatandus eſt per Eccleſiam omnium temporum, & omnes caſus, & pericula omnia, mundi, carnis, peccati, legis, mortis, etiam portarum inferni. Mundus enim eam impetit potentia & ſapientia, Diabolus deſperatione ac dubitatione, Hæretici erroribus in fide, conſcientia autem peccatis. In his periculis omnibus dicimus, Benedictus Dominus Deus, qui non ſinit nos tentari ſupra hoc, quod poſſumus, Tentari quidem oportet, ſed cum tentatione etiam evaſio contingit, præterquam quod Deus ſufficit vires, ut tentatio ad tempus evaſionis ſuſtineri poſſit, Hoc beneficium David hic celebrat, & nobis ſui populi fortunam oſtendit, ut conſolationem hanc diſcamus, Sicut Dominus illum populum ſervavit, ita etiam futurum eſſe, ut nos ſervemur. Habemus enim eundem Deum, eundem Spiritum, idem Verbum, eaſdem promiſſiones, In ſumma, habemus omnia eadem. Itaq; poſſumus dicere & canere cum Davide,

Sicut Pſalmus complectitur hiſtoriam Eccleſiæ Iudæorum, ita eſt prophetia ad Eccleſiam gentium.

Eccleſiæ pericula.

1. Cor. 10.

I. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Iſrael.*

II. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, & non prævaluerunt mihi.*

Hoſtem certum non nominat, ut ſcilicet omnes & ſingulos comprehendat. Quod autem dicit, A juventute, etiam univerſum tempus comprehendit à primitiva ipſorum Eccleſia, ſicut nos appellamus, hoc eſt, à Moſe uſque, cum primum cœpit Iſrael eſſe populus Dei, Etſi enim nos ſemper laudamus priora, ſicut primitiva Eccleſia recte laudatur, tamen manifeſtum eſt, Deum iſtam differentiam non curare, qui etiam in noviſſimis temporibus inſignes Prophetas dedit populo Iſrael, ante captivitatem, Eſaiam, fere principem reliquorum, poſt captivitatem Aggeum, Zachariam, & alios, &c. Medio tempore inter Moſen & hos, fuere præſtantes Elias, Eliſæus, &c. Ita cernimus primitivam Eccleſiam puriorem quidem fuiſſe ab hæreticis & impiis opinionibus, Sed nihilominus tamen etiam in fine extitiſſe præſtantes aliquot Prophetas & viros. Ac cum jam radix Ieſſe exaruiſſe videretur, tamen extiterunt Simeon, Anna, Zacharias, Eliſabeth, Maria. Deus enim ſuam Eccleſiam, quantumvis oppugnetur & expugnetur, ſervat ſecundum promiſſionem ſuam, tantum oculos aperiamus, & videamus unde ſit.

Sine nomine de hoſtibus loquitur, ut omnes intelligat.

Primitiva Eccleſia.

Non autem reſpiciemus ad illa, quæ mundus admiratur, Ad expugnatam, afflictam,

Facies Eccleſiæ.

flictam,calamitoſam reſpicere oportet. Is enim ejus ornatus & titulus proprius eſt, quod infirma,obſeſſa,& omnibus machinis,item furoribus omnibus Diaboli, Mundi,carnis, peccati, mortis,&c. cincta eſt, Hæc qui non inſpicere,ſed fugere vult, Eccleſiam nunquam inveniet. Neq; enim eſt ejus ea facies,quam pictores pingunt,qui aut elegantem Virginem,aut bene munitam & ornatam civitatem pingunt. Vera quidem eſt ea pictura, ſed non ſecundum oculos carnis. Spirituales oculi vident hanc formoſam ſpeciem & ſummam elegantiam,quod Chriſtus eſt ejus Sponſus, & eam ſibi generavit per Spiritum ſanctum,ac ornavit ſanguine,meritis, & juſtitia ſua. Horum nihil caro videre aut judicare poteſt,quæ diverſum videt,quomodo odiis acerbiſſimis invidiæ,maximis ſuppliciis,& cruciatibus ſit ſubjecta. Itaq; ſi,ut videt eã, ita pingere eam velit, Pinget deformem & pauperculam puellam, ſedentem in infeſto nemore,in medio famelicorum leonum,urſorum,luporum,porcorum,deniq; ſerpentum venenatorum,Item in medio furioſorum hominum,admoventium terrum, ignem,aquam, ad occidendam eam & tollendam de terra, ſicut in Apocalypſi elegantiſſima pictura eſt (qua fere ille Liber nihil elegantius aut melius habet) quod Eccleſia ceu Virgo ſolitaria,fugiat antiquum ſerpentem, ſeu draconem inſidiantem ei & ejus Filio. Ideo etiam conveniunt ei voces iſtæ, quas hic David uſurpat, Sæpe oppugnaverunt me inimici mei,Sæpe oppugnaverunt me.

Nota Eccleſia, eſt afflicta.

Pictura Eccleſiæ juxta externam ſpeciem.

Pſal. 11.

Habet autem hæc oppugnatio ſpeciem expugnationis,ſi carnem ſequaris, ac ſi hoſtes Eccleſiæ vincant & ſuperiores diſcedant,victa & oppreſſa Eccleſia,ſicut ſinguli experimur in noſtris certaminibus, quæ privatim in corde noſtro ſuſtinemus, cum Satan terret & confundit conſcientias. Hic tanti excitantur pavores, ut nemo poſſit aliter judicare,quam quod victoria ſit penes Satanam obruentem nos cogitationibus triſticiæ, blaſphemiis, moleſtiis, & ſic adimentem conſolationes omnes, quas Chriſti meritum & Verbum nobis exhibent, Secundum hunc ſenſum recte legitur,Sæpe expugnaverunt me. Non enim ſimpliciter oppugnatio, ſed expugnatio eſſe videtur,ſicut [a] utriq; ſinguli hæc experimur. Ita quoq; tum corpus Eccleſiæ confitetur omnibus temporibus ſe cinctum & oppugnatum exercitibus bellicis omnium gentium, & machinis omnium tribulationum ſeu tentationum à juventute usque, hoc eſt, ab eo tempore, cum ex Ægypto liberati, cœperunt diſcerni à reliquis gentibus & eſſe populus Dei.

Oppugnatio Eccleſiæ, eſt ſimilis expugnationi.

[a] Vtrunq;.

Sed hic erigit ſe Eccleſia, tanquam ſæpe idem experta, quod in hiſce malis Deus virtutem ſuam oſtenderit,& tum peccatum,tum pœnas ita averterit,ut Eccleſia maneret,& hoſtium conatus fruſtra eſſent. Itaq; & periculum repetit, & poſtea ex abundanti gaudio hortatur,ut hujus corporis ſingula membra prædicent beneficium Dei & dicant,Non potuerunt me vincere. Hæc conſolatio tenenda eſt, non ſolum pro Eccleſia,ſed etiam ſinguli in noſtris periculis contra magnificas ſpes,quas jactant,& conceperunt adverſarij noſtri. Hæretici & ſectæ gloriantur quod ſint perrupturi,Papa ſubnixus ſua & Principum potentia,clamat,vincemus,His etiam Satan acclamat,ita miſcens negotia,ut non dubia ipſorum videatur futura victoria. Hoc non ſolum privatim perturbat ſingulos,ſed totum corpus triſticia & dolore implet, ſicut in comitiis Auguſtanis proximis ſumus experti, in quibus adverſarij videbantur nos oppreſſuri eſſe. Sed an non ibi quoq; experti ſumus, hanc pleniſſimam conſolationis vocem, Non potuerunt? Hæc conſolatio etiam tum retinenda eſt cum occidimur,ſicut primitivæ Eccleſiæ exempla teſtantur. Nam ſanguine piorum rigata eſt quaſi Eccleſia,ut major ſeges Chriſtianorum proveniret.

Conſolatio,quod hoſtes non prævalebunt.

Auguſtana Comitia.

Sanguine piorum rigatur Eccleſia.

Sicut autem hæc ad perſecutionem,quæ gladio fit,recte accommodantur,ita etiam accommodanda ſunt ad impugnationem hæreticorum & ſectarum. Horum enim proprium eſt gloriari de victoria,& ante eventum canere epinicion. Sed ubi ſunt,qui nobis primi de Baptiſmo,de cœna Domini, dedere turbas? Hoc igitur faciendum eſt, glorientur adverſarij quocunq; volent modo, Nos tantum hoc faciamus,ut Verbum pure retineamus, & quicquid agimus, hoc totum referamus ad regni Chriſti propagationem & verbi,Si tum (quod certo eveniet) expugnationes &

Impugnatio hæreticorum.

certamina ſequuntur,canamus cum Davide,non potuerunt.Nam etſi occidant nos, non tamen Verbum extinguent neq; Hæretici,nec Papa, nec Turca, nec Satan ipſe, Deinde neq; contra nos prævalebunt,ſi pure maneamus in verbo. Concedendum quidem eſt Satanæ quod viribus ſit major,& varie vexet nos,Multæ enim ſunt tribulationes juſtorum,ſed tamen ex his omnibus liberat eos Dominus. Cur? quia verbum Dei eſt,quod ſequuntur & docent,& cauſa Dei eſt quam tuentur.Etſi igitur Papa multum conetur,ac totum orbem ſtudeat contra nos concitare, etſi non ceſſent falſi Fratres,non incedentes in ſana doctrina,etſi Satan ipſe portas inferorum commovere non deſinat,tamen cum Davide canemus usq; in finem, Non potuerunt, tantum propter Verbum. *Pſal.34.*

Supra dorſum meum araverunt aratores,& prolongaverunt ſulcos ſuos.

Deus certo liberat, Sed longa patientia interea opus eſt.

Vide quam diſſimilia conjungat,& pene contraria dicat. Magnifice conſolatus eſt,futurum ut hoſtes nihil contra Eccleſiam poſſint efficere, quod vere invicta ſit, Et hic queritur arari in tergo Eccleſiæ, & ejuſmodi duci ſulcos, qui videntur in infinitum protrahi. Hoc igitur illud ſcandalum eſt quod graviſſime exercet pios, quod Deus ſinit tam diu furere Satanam & mundum, quod fortunat eorum conſilia, dat ſucceſſum malis etiam tum,cum digniſſimi eſſent, quod pœnis & omnibus calamitatibus exercerentur.Contra pij quanto plus orant,quanto ſperant pertinacius,tanto minus reſpondet eventus ſpei & conſiliis,quotidie magis ac magis affliguntur, ac minus minusq; ſpei relinquitur. Recte convenit igitur Similitudo,quod comparantur terræ,quæ aſſiduo aratur,& in qua longiſſimi ducuntur ſulci , Quaſi non ſit Deus,quod aut ipſorum calamitatem, aut hoſtium Verbi impietatem & injuſtam crudelitatem videat. Significat igitur opus eſſe æterna patientia , quæ non unius diei, non anni unius,ſed totius vitæ perpetua ſit,ut iſti,qui habent Verbum,ſecum ita ſtatuant,ſe ab eo non diſceſſuros,etſi mille annis eadem ferenda & patienda eſſent. Vidimus noſtra ætate quam multi defecerint cum perſecutione, tanquam ſole exiccante ſegetem in petris,fructus Verbi impediretur,ſæpe tandem etiam ij cadunt,qui tamen aliquandiu ſteterunt.

Patientia piorum perpetua.

Ergo diſcendum eſt,patientiam Chriſtianorum, ſicut hoc verſu deſcribitur, eam eſſe,quæ parata ſit præbere dorſum aratoribus & pati,non ad unum aut alterum diem,ſed per omnem vitam. Comparat enim afflictiones prolixæ arationi in dorſo piorum,Sicut Chriſtus idem ſignificat cum dicit,Qui perſeveraverit in finem,ſalvus erit. Neq; enim ſufficit incipere, nam eam patientiam quæ certis finibus deſcripta eſt,etiam inter Gentes invenias,ſed Chriſtianorum patientia æterna eſt, hoc eſt, ejuſmodi eſt,ut infinita eſſe videatur,ſiquidem finis ejus non apparet,ſicut econtra finis divinæ conſolationis etiam nullus apparet, ut ſic conjungantur, quæ videntur maxime eſſe contraria,nempe,prolongatio ſulcorum in tergo piorum,& victoria piorum canentium de his,qui aratrum ducunt, Non potuerunt.

Patientia Chriſtianorum.

Prolongatio ſulcorum ſignificat,quod impij diu ſint felices.

Porro hæc prolongatio ſulcorum includit illud ſcandalum, quod nulla ſapientia carnalis poteſt vincere,nempe, Quod impij diu felices ſunt, & videntur quaſi præmium ferre perſecutionis & odij in Chriſtianos. Si enim unum aut alterum diem Deus tyrannidem eorum toleraret & ſtatim pro merito puniret , diceremus omnes,Deum ſuos reſpicere,& impiis iraſci, Nunc autem cum ad multos annos impietas felix ſit & impunita,fit quod Diogenes de Harpalo dicebat, ut videantur dicere vivum teſtimonium contra Deos. Ita tentantur pij quoq; illa mora, Vt nonnunquam eo prolabantur ut ſtatuant,Deum non reſpicere ipſos. Aſſueſcendum itaque eſt,ut etiamſi prolongatio ſulcorum ſentiatur,tamen non ideo offendamur, ſed paremus nos,una tentatione finita,ad aliam. Siquidem tergum noſtrum ad hoc paratum eſſe debet,ut feramus prolongationem ſulcorum.

Diogenes de Harpalo.

Poſt gratiarum actionē, addit precationem.

Hæc eſt prima pars Pſalmi, in qua confitetur miracula divina & potentiam Dei,qua ſuos ſervat non ſolum contra mundum, ſed etiam contra Peccatum, mortem, & diabolum, & agit gratias, quod dat victoriam victis, victores autem facit cadere. Hunc eventum jubet nos expectare, & hortatur ad patientiam, Nunc ad pre-

ad preces venit,& non ſolum orat,ſed etiam promittit, hoſtes Eccleſiæ,etſi pertinaciter pergant nocere,tamen id facere ſine benedictione ſibi ipſis ad talem ruinam, ut non poſſint unquam reſurgere, Sicut etiam experientia oſtendit. Te enim quæſo, quod regnum ab initio mundi manſit incolume? Spacia terrarum adhuc reliqua ſunt,ſed Regna,ut ille in Fabula dicit, ὀιχεται,Contra non ita magnus furor, non ita magna potentia regnorum mundi fuit,ut Eccleſiam opprimerent, hæc enim adhuc durat,& durabit usq; in conſummationem mundi,ſicut ſequitur.

Dominus juſtus,concidit funes peccatorum.

Hæc formam orationis habent,qua in periculis Sanctis nihil eſt prius aut melius. Experiuntur enim eam omni armorum apparatu, & omnibus mutis eſſe firmiorem. Primum igitur conſidera,cur Dominum appellet IUSTUM & videbis ideo id eum facere,quia cum res ipſas,& adminiſtrationem divinam conſideras,qualis eſt ſecundum carnem, omnino videtur DEUS injuſtus eſſe, dum fovet impiorum tyrannidem,magnis opibus,potentia,dignitate,&c. Hæreticos autem cumulat gloria & applauſu apud vulgus. Hoc cum videt ratio, non poteſt aliter judicare, quam, Si Deus eſt,eſſe injuſtum. Nam hoc primum ratio colligit,Si Deus eſt,poteſt impiis reſiſtere,& eos perdere. Deum enim eſſe, eſt omnipotentem eſſe. Iam etiam hoc verum eſt,Si Deus eſt,debet iſta ſcire,quæ in mundo geruntur.Neq; enim in Deum cadit,neſcire aliquid,aut ſtultum eſſe. Ex his autem quid aliud ſequitur, quam ſi Deus ſcit iſta ſic geri indignis modis,& poteſt prohibere,certe etiam velle debet,Alioqui ſi ſtatuamus eum non velle, quod ſcit & poteſt, ſequetur eum non bonum, ſed malum,non juſtum,ſed injuſtum eſſe.

Oratio.

Tribuere Deo nomen juſticia, ſolum fidei eſt ſuperantia præſentia ſcandala.

Iam collige iſta,Si Deus habet potentiam,ſapientiam,& bonitatem,ſi poteſt, ſcit,& vult juvare, Quare res hoc modo geruntur in mundo, ut impij etiam præmium impietatis ferant,potentiam,opes,dignitates? Contra pij ob pietatem ab impiis varie affligantur? Sic ſunt hæc quaſi vivum teſtimonium, ſicut ſupra de Diogene diximus,contra Deum. Hoc argumentum Epicuri & ſimilium plane inſolubile eſt. Itaque cæca, & his quaſi nexibus irretita ratio in eam ſententiam inclinat, ut ſtatuat,aut nullos eſſe Deos, aut humana non curare,ſicut Velleius ex Epicuri ſententia apud Ciceronem diſputat. Porro apud ingenioſos etiam iſta per ſe difficilima Satan acuit. Quia enim cogimur Deo tribuere omnipotentiam, ſapientiam, & bonitatem, Arguit diabolus ex conceſſis principiis contra nos, & hoc ipſum quod cogimur Deo tribuere, iterum quaſi de manibus excutit, ut victi rerum præſentium adminiſtratione, ſtatuamus Deum aut nullum eſſe, aut infirmum ac impotentem eſſe. Sicut Ariſtoteles in eam fere delabitur ſententiam, ut etſi Deum non appellet ſtultum, tamen ignarum omnium rerum ſtatuat, qui nihil noſtrorum negociorum intelligat & videat,nihil conſideret præter ſeipſum, & tantum delectetur in ſpeculatione ſui ipſius. Hoc autem etſi non eſt ſtultitiam tribuere, tamen certe eſt adimere ſcientiam, & conſtituere ignarum rerum humanarum. Sed quid ad nos talis Deus, aut quis ejus eſt uſus?

Scandalū quod impiis bene eſt facit ut ratio judicet, Deum non eſſe juſtum.

Velleius.

Ariſtoteles.

Contra hoc ſcandalum monet nos Spiritus ſanctus,cum Deo tribuit nomen, quod juſtus ſit,cui non placet injuſticia & impietas. Ideo etſi ſinit aliquandiu florere impios, tamen ad extremum concidit funes eorum, hoc eſt, perdit potentiam eorum cum ipſis. Pios autem liberat & eripit ſecundum ſententiam, Non Deus volens iniquitatem es tu. Ergo diſcamus reſpondere ad hoc Argumentum illo vulgari dicto, à Muſicis uſurpato,In fine videtur cujus toni. Iudicandum enim eſt Chriſtiano,non ex eo quod ſentit in præſentia,ſed ex eo, quod verbum promittit de futuro,quod ſcilicet impij cum prolixi araverunt,& varie afflixerunt bonos, tandem ſint perituri, Quia Deus juſtus eſt, Non igitur patietur juſticia ejus, juſtos opprimi in finem.

In fine videtur cujus toni.

Confundantur & convertantur retrorſum qui oderunt Zion. V.

Dixi orationem eſſe, Sed ſcitis in omni oratione eſſe promiſſionem, quam

Promiſſio in-

cujus in hanc precationem.

promiſſionem etiam in præcedenti verſu cum ſingulari Emphaſi oſtendit vocabulum, Iuſtus,ne ſcilicet murmuremus, neve blaſphememus Deum, quaſi noſtri oblitus ſit,& nos non reſpiciat. Porro quod hic dicit,Confundantur & convertantur retrorſum,eſt quædam explicatio ejus,quod ſupra dixit,futurum,ut concidantur funes eorum,hoc eſt, ut auferantur Regna, poteſtas, opes, leges, ipſum deniq; totum corpus politicum.Sicut accidit Babyloni,Niniye,Ieroſolymis,Athenis,Corintho,Thebis,Romæ.In ſumma,omnibus regnis & politiis non ſubmittentibus ſe Evangelio.

Confundantur & convertantur.

Petenda & expectanda vindicta hoſtium Evangelij.

Cum enim attollerent cervices, & Chriſto Regi ſe opponerent, tanquam potentia ſua oppreſſuri eum, perierunt. Ad hunc modum debemus nos quoq; orare, & expectare certam vindictam eorum,qui ſe hodie Evangelio opponunt, quod confundendi tandem Papa,Epiſcopi, & omnis eorum factio, cum omnibus Regibus & Principibus,qui impietatem eorum fovere & defendere conantur. Evangelium autem ſeu verbum Domini manebit in æternum, cum omnibus, quæ per Verbum inſtituta ſunt,nempe,Baptiſmus,cœna Domini integra,Abſolutio,& ſimilia. Nomen enim Chriſti non opprimetur,ſed invocatum à fidelibus,aderit,& jam hujus, jam illius impij funes concidet,&c.

Ad hunc modum varie conſolatur nos Spiritus ſanctus, & erudit. Poſtquam enim didicimus Satanam eſſe talem ſpiritum, qui non ceſſet nos tentare, ſed cum magnitudine ac multitudine vexationum non poſſit,ſaltem aſſiduitate & prolongatione conetur vincere,vult ut nos eo conſolemur,quod etſi diuturna iſta ſint,tamen non fore perpetua. Nam cum utrunq; prædictum ſit,prolongatio & finis,facilius eſt ſcientibus iſta ſuſtinere. Huc pertinet etiam quod diſerte addit,quibus male precetur,nempe,odientibus Zion. Hoc non eſt accipiendum, quaſi ex humana philautia maledicat talibus,Sicut homines ſolent male precari iis,qui non eadem probare & amare volunt,quæ ipſi amant & probant,Sed ſignificat David hoc odium, quo oderunt Zion,eſſe odium contra Deum. Nam quod Satan Eccleſiam odit,facit non tantum hominum cauſa,ſed magis odio Dei,quem Eccleſia prædicat. Porro Zion erat locus Dei, Sicut igitur eum locum Deus ſibi elegerat ad diligendum, ita Satan elegerat eum ad odiendum,ut ſic dicam,& infeſtandum. Ad hunc modum non Satan ſolum,ſed Papæ Eccleſia quoq; odit nos,non quod aut politice aut œconomice mali ſimus,Hoc enim ferre poſſent,imo etiam gauderent, ſi audirent nos eſſe ſcortatores,adulteros,homicidas,ſicut ipſi ſunt,Sed cauſa odij vere hæc eſt,quod dolent nos eſſe innocentes in ſecunda tabula,& obedientes primæ tabulæ, qua jubemur Deum prædicare,ſperare in ejus miſericordiam,eum timere,&c.

Homines & Satan cur oderint Zion ſeu Eccleſiam.

VI.

Fiant ſicut fœnum tectorum,quod priuſ quam evellatur exaruit.

Similitudine ſæminitur, ut oſtendat, brevi duraturam tyrannidem.

Eſt profecto elegans Pſalmus, propter crebras & aptiſſimas ſimilitudines, quibus contumelioſe fere traducit tantas majeſtates, & principatus illos in mundo, Evangelio reſiſtentes. Comparavit eos ſupra aratoribus prolixe trahentibus ſulcos, non quidem ea ratione,quaſi tam longe concedatur eis abuti potentia & opibus ſuis,ſed propter affectum patientium aratra,vulnera,& conculcationem. His enim videtur longa & quaſi infinita aratio. Ideo optant liberari,& quantumvis brevis mora propter affectum eis videtur eſſe intolerabilis. Contra hunc affectum igitur conſolatur hac ſimilitudine fœni in tecto,per fictionem poëticam, q. d. Cur tam longa tibi eſt mora? Cur non diſcis tandem recte intelligere,quid adverſarij tui, aratores illi ſint? Nunquam ne vidiſti fœnum in tectis? Quis unquam eſt,qui conqueſtus ſit, id nimis diu florere? Quis unquam ſtuduit id evellere,quaſi non ſua ſponte exareſcere ſoleat? Diſce igitur plane eandem eſſe conditionem adverſariorum tuorum, &c. Ad hunc modum pugnat ſimilitudine contra ſimilitudinem. Sed ſi quis poſſet credere,hanc ſimilitudinem à Spiritu ſancto eſſe factam, & plene includere in animum,is non Turcam metueret,non Papam,non Epiſcopos, non furioſos Principes, ſed contemneret omnes,& negligeret tanquam fœnum in tectis.

Fœnum in tectis.

Species ſimilitudinis.

Sed vide ſpeciem quam fœnum habet. Si quis puer id videat, putabit præſtare omni ordeo, cum non ſicut reliqua in terra, ſed in ſuperiore & nobiliore loco creſcat,

creſcat, & tecta premat, Sed virum adhibe intelligentem iſta, is judicat nihil quam ſpeciem eſſe, ſine omni fructu. Sic Spiritus ſanctus elegit iſtam ſimilitudinem ad nos docendos, ut non optemus fœno ſimiles eſſe Tyrannos, ſed certo ſtatuamus eos eſſe ſimilimos fœno in tectis, quod quidem ſpeciem habet ordei, ſed priuſquam meſſis tempus adeſt, periit ſine ulla humana vi. Statuamus itaq; cum videmus vicinum Epiſcopum magnifice nos contemnere, & ornare puerorum more templa ſua, item cum videmus vicinos Principes ſumma vi oppugnantes, & opprimere conantes doctrinam noſtram, ,virere & florere eos tanquam fœnum non in terra, ideoq; tanquam elegantes roſas geſtari in corollis & adorari à ſummis, Hoc enim eſt fœnum quod non humi, ſed in tectis naſcitur. Sed cum maxime ſæviunt & videntur jam Chriſtum & verbum ejus oppreſſuri, dicamus cum Pſalmo, Erunt & ſunt hi magni Principes (nam oratio & promiſſio idem ſunt) ſicut fœnum.

Tyranni ſimiles fœno in tectis.

Oratio & promiſſio, idem ſunt.

Sed optabile eſſet, poſſe nos hanc ideam hoc modo in animum includere, & ſtatuere, ſicut Spiritus ſanctus definit Principes, Reges, cives, ruſticos, In ſumma omnes, qui adverſantur Verbo, eſſe ſimiles fœno. Sennaherib, qui obſidebat Ieroſolymam, volaverat quaſi ſuper omnia Regna, conculcaverat & oppreſſerat omnia. Non itaq; potuit cenſeri ab Ezechia & aliis fœnum eſſe, Et tamen antequam hoc efficeret quod conabatur, peribat, & cum ſumma trepidatione ac maxima clade ſuorum ſolvebat obſidionem. Sic Pharao non creſcere videbatur humi, ſed in aëre & tectis, miſeri autẽ Iudæi opprimebantur. Hæc non areſcentis, ſed florentis fœni ſpecies eſt, Sed quam cito exaruit? cum de eis opprimendis cogitaret, peribat in aquis.

Sennaherib.

Pharao.

Talem imaginem tyrannorum Spiritus ſanctus in hoc loco nobis oſtendit. Cur igitur paveres? cur trepidares? cur abjiceres animum, Quaſi vero nunquam videris florentiſſimum fœnum paucorum dierum ſpacio, ſua ſponte exareſcere, imo ea natura eſſe, ut non poſſit eſſe diuturnum? Sic Athanaſius, cum Iulianus varie tum ipſum tum omnem Eccleſiam vexaret, ac non ſolum crudelitate ſed aſtu etiam contra pios pugnaret, & alij tanquam in magna tempeſtate deſponderent animum, dixit, Non tempeſtatem, ſed nubeculam eſſe illam Iuliani perſecutionem. Hoc ſane cor fuit fide plenum, quod ſtatuere potuit Iulianum ſimilem eſſe non tempeſtati, magna vi graſſanti, non craſſæ nubi involventi omnia tenebris, ſed nubeculæ, quam ſol nullo negotio haurire ſoleat. Ad hunc modum nos quoq; debemus extenuare adverſariorum potentiam, furorem eorum pro nihilo ducere, non quidem propter noſtram potentiam, Sed quod ſua natura vere ſint bulla, fœnum in tectis, & umbra potius quam homines, Præterquam quod etiam Deum contra ſe provocant, ad cujus potentiam collatus eorum furor, etiam inanius quiddam eſt, quam fœnum in tectis, & bulla in aquis. Vere enim nihil eſt quam nudiſſima ſpecies, quæ quidem aliquid videtur eſſe, ſed nihil eſt. Sic ſunt adverſariorum ſtudia minantia quidem, ſe revera ſine effectu.

Athanaſius Iulianum comparat nubeculæ.

Hæc Chriſtianorum eſt ſapientia, ut extenuent vim & potentiam adverſariorum, contra Verbum & auxilium Domini amplificent ac magnifaciant. Sic Diabolus, peccatum, mors, tentationes aliæ ſpirituales ſane magnæ ſunt & potentes, ſed Chriſtianus diſtinguit de magnitudine. Nam, ut ſcholaſtice loquamur, magnitudo uno modo dicitur, quo ad oculum, Alio modo, quo ad veritatem rei, Hoc eſt, eſt duplex magnitudo, Alia oculorum, quam oculi judicant, ſecundum apparentiam, Alia veritatis, quam fides judicat ſecundum verbum. Magnitudo igitur Peccati, mortis, impiorum Regum, Principum, Pontificum, eſt tantum magnitudo ſecundum oculum. Quia Deus, qui dicit, Confidite, ego vici mundum, Item, Nolite timere eos, qui poſſunt occidere corpus, animam non poſſunt, Ille Deus, inquam, ſolus eſt vera magnitudo, ad quem ſi conferas Satanam & omnem furorem totius mundi, quid eſt quam bulla? quid eſt quam leviſſima ſtipula? Sed cum iſta extra Deum conſiderantur, ſane terrent ſpecie & videntur magna eſſe.

Chriſtianorum ſapientia, magnifacere verbum & alia omnia parvi pendere.

Duplex magnitudo.

Ioan. 16. Iunb. 1.

Debent igitur Chriſtiani res judicare, non ſecundum opinionem. ſed ſecundum veritatem. Opinio autem eſt, quam ratio affert præter Verbum, Sed veritas ex

Non verbi, sed præsumptio & abusus damnatur in principibus.

Verbo petitur, quod judicat illum furorem & potentiam mundi contra verbum sævientis similem esse fœno in tectis. Hæc promissio recte inclusa & infixa animo, confirmat animum, contra opinatam potentiam mundi & Satanæ, Vbi econtrà, cum Verbum non adest, animi territi magnifica specie, & opinionibus rationis, metu opprimuntur. Porro non sunt hæc ita accipienda, quasi damnemus simpliciter vires Principum & mundi, quas judicamus esse creaturam Dei, non utiq; simpliciter damnamus vires, sed præsumptionem virium & abusum, quod iis contra Deum & Ecclesiam ejus pugnare nituntur. Sint Principes in terra, utantur viribus suis in terra, Sed quod in cœlo pugnare, & viribus suis verbum conantur invadere ac opprimere, hoc recte damnatur, Et vere dicit ac judicat, quisquis eos bullis, fœno, stipulæ, imò nihilo comparat. Cur enim sunt θεόμαχοι? An nos nescire putant, quid Deus sit, & quid homo? quid creatura & Creator?

Fœnum exarescit sua sponte priusquam falx adhibeatur.

Recte igitur comparantur fœno tectorum, Etsi vix potuit contemptius loqui Spiritus sanctus. Nam id fœnum ejusmodi est, ut brevi tempore priusquam falx adhibeatur exarescat, Imo, nemo dignum falce judicat, nemo curat, permittunt omnes ut fruatur momentanea ista superbia, & se de tecto ostentet hominibus, tanquam sit aliquid, cum re vera nihil sit. Sic impij persecutores Verbi in mundo, qui secundum speciem judicantur esse tam horribiles, contemptissimi sunt. Christiani enim non cogitant de iis evellendis, non persequuntur eos, non vindicant injurias, sed sinunt eos crescere & superbire pro libidine. Sciunt enim eos impulsum vehementioris venti non posse sustinere, Imo etiamsi omnia tranquilla sint, tamen sicut fœnum in tectis à sole paulatim exuritur, Ita ad leviss imas occasiones intereunt tyranni. Patiendo itaq; eos Christiani ferunt, & vincunt, Ipsi autem agendo pereunt, & succumbunt, sicut omnes Historiæ omnium temporum ostendunt.

Ecclesia patiendo vincit, tyranni agendo pereunt.

VII. *De quo non implevit manum suam qui metet, & sinum suum, qui manipulos colliget.*

Antithesis fœni & frumenti.

Hic Spiritus sanctus collationem facit fœni ad veras fruges & fœcundas segetes, ut hoc modo magis commendet nobis similitudinem hanc, & abducat animos à metu & trepidatione, quam species illa objicit. Fœcundæ segetes, inquit, ejusmodi sunt, ut qui metit eas, impleat manum suam, & qui colligit manipulos, habeat quod deferat in horreum. Hic veritas est, non vana species, Sed fœnum in tectis simpliciter mentitur specie sua, est enim sine omni fructu, Sic tyranni Pontifices, Episcopi, habent similitudinem seu speciem, quod sint Ecclesia, retinent dignitates, stipendia, beneficia, sicut fœnum habet culmum & spicam suam, Sed revera non sunt Ecclesia, sicut neq; fœnum est frumentum. Aresc it enim priusquam possit ad frugem pervenire. Hoc enim est præcipuum argumentum, quo contra nos pugnant, quod propter hanc speciem, quam dixi, sibi usurpant titulum Ecclesiæ, Ac sane si quis specie vult contentus esse, iste decipietur. Nos autem mandatum habemus, ne specie contenti simus, Imo monemur, etiam speciem occasionem fore maximorum periculorum. Nam Christus præcipit & monet, Cavete à Pseudoprophetis, qui veniunt in pellibus ovium, Item, Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quod igitur sibi usurpant nomen Ecclesiæ, & volunt ob speciem, quam virens fœnum in tectis habet, esse verum frumentum, hoc nos eis non concedimus. Si enim sunt frumentum, impleant manum messori, Sed hoc non faciunt, Vere sunt inutile fœnum, & fœno deteriores, quod ne speciem quidem retinent in istis impuritatibus libidinum & barbarica crudelitate, quam exercent contra veram Ecclesiam. Itaq; cum nihil quam species, eaq; varie deformata, nihil quam hypocrisis sit apud adversarios, judicamus eos non Ecclesiam Christi, sed Satanæ esse. Ideoq; sicut paleæ & stipulæ ad incendium parantur, quantumvis nos sub specie & apparentia illa Ecclesiæ affligant.

Species non est sequenda.

VIII. *Et non dixerunt, qui præteribant, Benedictio Domini super vos, Benedicimus vobis in nomine Domini.*

Pertinent

Pertinent hæc quoq; ad ſimilitudinem de fœnio commendandam nobis & illuſtrandam. Nam vere fruges habent hanc laudẽ,quod ſint benedictio divina. Itaq; cùm germinant,qui eas aſpiciunt,precationibus proſequuntur eas. Hoc, inquit David,non dicetur de fœno illo,de tyrannis & hoſtibus Eccleſiæ,ſed potius maledicetur eis ab univerſo genere humano,&conjungetur,ſic accumulabitur ſuper eos maledictio Dei & hominum. Sic floruit Eccleſia Papæ ante doctrinam[a], Sed cùm Evangelium jam ſpeciem ei detrahat,& oſtendat ſine fructu eſſe, fit ut nemo Papæ, Epiſcoporum,Monachorum, & totius damnatæ hypocriſeos meminiſſe amplius velit,nemo optat ut redeat priſtinus ſtatus Religionis,ſed ſimpliciter periit eorum memoria cum ipſis apud pios. Sic precatur Propheta,& ſimul promittit, quod impii qualis qualis eorum ſpecies eſt, tamen verè nihil ſint,& ſint perituri, Deinde etiam carituri Benedictione Dei & hominum,ſicut periit Phariſæorum, Iudæ, Cerinthi, Arii,Pelagii memoria. Sunt enim mortui ſimul re & nomine. Idem accidet iis, qui hodie turbarunt Eccleſias depravatis dogmatibus,de baptiſmo,cœna Domini & aliis rebus, Florere quidem videntur,ſed cùm Benedictio ibi nulla ſit,nihil hæreditabunt quàm maledictionem,& peribunt cum re & gloria omni, quam nunc videntur habere,ita ut nemo piorum optet in eorum numero eſſe.

Tyranni carent benedictione.

[a] Euangelii.

Memoria impiorum una cum ipſis perit.

Quare nos qui Dei gratia doctrinam per omnes partes ſanam, & conſentientem cum tota Scriptura habemus,meminerimus hujus ſimilitudinis, ut cùm propter verbum ſuſtinenda eſt invidia,& omnis generis injuriæ, non terreamur,ſed judicemus,Papam,Epiſcopos,& adminiſtros crudelitatis eorum,impios Principes,nihil eſſe quàm fœnum rectorum,Quod quidem apparet eſſe aliquid, ſed revera nihil
Luc. 7. eſt,Itaque caret benedictione omni,& dicetur talibus cum divite illo in inferno,Fili,memento,quia bona accepiſti in vita tua. Nam cùm omnem hiſtoriam totius Eccleſiæ ab initio mundi conſideramus, videmus hanc divinorum conſiliorum conſtantem fuiſſe practicam & rationem,ut Tyranni, ſicut fœnum non pervenirent ad maturitatem. Itaque duremus nos quoque in talibus periculis, cùm fœnum adhuc viret,& expectemus in patientia,dum declaret exitus nihil fuiſſe quàm fœnum, & præter ſpem ſubito exaruiſſe. Fruuntur quidem impii propter Eccleſiam omnibus beneficiis,ſicut fœnum in tectis æquè fruitur pluvia & ſole,ſicut ſegetes in agris,Sed præterquam quod non dimidiabunt dies ſuos,& conſilia ſua, experientur fruſtra eſſe,etiam fient perpetuum opprobrium hominum,quibus nemo quidquam boni precabitur,Sicut hodiæ Iudæ,Pilati,impiorum Iudæorum,Diocletiani,Maximini, & aliorum Tyrannorum memoria, omni honore caret.

Hoſtes verbi ſunt fœnum tectorum.

Fœnum fruitur pluvia & ſole, ſicut ſegetes.

Hæc conſolatio à ſpiritu ſancto ideo talibus ideis & craſſis ſimilitudinibus proponitur, ut ſaltem ſpeciem aliquam divinorum operum animo complectamur,cùm res nondum poſſimus rectè judicare ſecundùm veritatem, ſed ſentiamus ob illam magnificam ſpeciem,quod tam diu felices ſunt,eos eſſe optimum triticum. Hærendum itaq; eſt in Verbo,quod talibus ſimilitudinibus negocia iſta pingit,& eſt ſenſus abducendus ab aſpectu & ſpecie, ne aliter de adverſariis Verbi judicemus, quam de viliſſimo & vaniſſimo fœno,quod in tectis creſcit, & ab omnibus negligitur. Sic enim dicit Spiritus & fides, ſed ſenſus noſtri dicunt aliter.

Idem faciendum eſt in aliis tentationibus, quando venit conſcientia, accuſans nos,& urgens teſtimonio ſuo, quando opprimimur periculis mortis, hic cum ſpeciem ſequimur,judicamus hoſce hoſtes eſſe,Fac totum,& ſimpliciter nos oppreſſuros eſſe. Hæc eſt oculorum,ſeu ſenſuum magnitudo,quæ ex opinione, non ex veritate naſcitur,ſed cùm reſpicimus ad veram magnitudinem, quam nobis verbum proponit,cogimur dicere,Quod mors, peccatum,Satan,cum portis inferorum,vere nihil ſint,quàm fœnum in tectis,quàm ſtipula & bulla innatans aquæ, quæ leviſſima occaſione rumpitur &evaneſcit. Sic ſunt hæc dilatanda adverſus omnia genera tentationum,ſive ſint perſecutores verbi,Mundus & Principes,ſive peccatum, mors & Satan, omnia hæc diſcamus extenuare, quantum omnino poſſumus, ideo ſcilicet, quia

Idem ſentiendũ de ſpiritualibus tentationibus, quod de Tyrannis.

Omnia pericula, reſpectu capitis noſtri Chriſti, ſunt exigua.

quia Chriſtus vivit,& nos Verbum ejus retinemus. Is enim eſt, qui devorare iſta omnia poteſt,& dicere,quod ſint unum nihil.

Cùm vero iſta conſideramus extra verbum & Chriſtum, reſpectu noſtri & noſtrarum virium,tunc profecto non ſunt fœnum, ſed magni & inſuperabiles montes. Sed debemus eſſe Dialectici,& quando adverſus hoſtes pugnandum eſt, nos debemus nos ex ſimplici & abſoluto ſubſtantiæ prædicamento transferre in prædicamentum relationis,ut ſcilicet pugnemus non ſimpliciter, ut homo conſtans ex corpore &anima,ſed ut Chriſtianus.baptiſatus in nomine Chriſti.habens donum Spiritus & verbum. Diabolus itaq;, mors, infernus ipſe, mundus cum omnibus iratis Principibus, comparatus ad Chriſtianum, verè ſunt fœnum tectorum,& ſi quid aliud poteſt dici vilius ac contemptius.Habet enim Verbum,quod Rom. 1.
eſt omnipotens,ſiquidem eſt potentia Dei,Item habet ipſum Chriſtum. Itaque Chriſtiani ſunt invicti, etiam tum, cùm vincuntur, & ſuccumbunt, Nam Chriſti virtus in infirmitate perficitur. Ad hunc modum confirmarunt ſe ſancti Prophetæ & Martyres contra mundum & Satanæ regnum, Ideo tanto animo omnis generis pericula ſuſtinuerunt,ac ſtatuerunt victoriam fore,non fœni,ſua ſponte ſine hominum conatu exareſcentis,ſed verbi Dei. Verum enim eſt quod Baſilius ſcribit cùm Alexandrinos conſolatur contra furorem Arianorum: ὅτι ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις ἰσχύσεσιν ἀσθενὴς ἡ ἐκκλησία καὶ μᾶλλον θαλλει. Id quod nos quoq; experti ſumus,& faxit Dominus,ut experiamur adhuc amplius, Amen. 2. Cor. 12. Baſilius.

PSALMVS CXXX.

De profundis clamavi.

Hic Pſalmus eſt inter principales, propter locum juſtificationis.

IVnc Pſalmum etiam numeramus inter eos,qui maximè excellunt. Tractat enim principalem locum noſtræ ſalutis, luſtificationem ſcilicet,cujus pura cognitio ſola Eccleſiam ſervat, Eſt enim cognitio veritatis & vitæ. E contrà cùm hæc cognitio juſtificationis amiſſa eſt, ſimul amittitur Chriſtus & vita,& Eccleſia. Neq; ullum doctrinæ aut ſpirituum judicium relinquitur,ſed occupant omnia tenebræ & cæcitas. Vt igitur pro virili noſtra poſteris hoc lumen conſervemus, etiam hujus Pſalmi explicationem aggrediemur.

Quomodo Prophetæ de Deo loqui ſoleant, & eum deſcribere.

Initio autem hoc monendi eſtis, quod ſæpe alias ex me audiſtis, Prophetas,cùm loquuntur de Deo,aut nominant Deum,loqui de ſuo Deo,cujus promiſſiones & cultum habebant,Ne putetis nobis patere aditum ad Deum per noſtras cogitationes,quas de Deo concipimus ſine Verbo ejus,ſicut Turcæ, Iudæi, & Papiſtæ de Deo ſpeculantur,aut omnino ſine Verbo,aut transformato verbo à germana ſententia, ad eam phantaſiam ſeu ſpeculationem, quam ipſi ſibi finxerunt. Prophetæ enim norant verum Deum, quanquam ſua natura infinitus eſt, tamen incluſum eſſe in propiciatorium, cui ſe alligarat Verbo. Igitur etſi appellarēt Deum cœli & creatorem omnium,tamen hanc ceu propiorem & ideo certiorem notam Dei veri habebant,quod norant eum habitare in Zion. Oraturi igitur ad Deum,aut de Deo concionaturi,faciebant id ſecundùm eum modum, quo ipſe Deus ſe eis in verbo & promiſſionibus revelarat.

Extra Chriſtū Deum nec coli hic adorari poteſt.

Quare etſi hoc in loco nulla additur mentio Tabernaculi, nec promiſſionum, ſed videtur ſimpliciter loqui ad Deum,tamen tenenda ſententia hæc eſt, eũ tantum loqui ad Deum,qualis eſt in Verbo & cultu ſuo, ſicut nos hodie de Deo non aliter cogitare nec loqui debemus,quam qualis eſt in noſtro vero propiciatorio Chriſto. Ita enim Chriſtus dicit ad Philippum: Qui me videt, videt Patrē meum, Item: Nemo ad Patrem venit,niſi per me. Hæc cognitio cùm tenetur, tunc ſine periculo poteſt Deus conditor cœli & terræ adorari,& certo apprehenditur. Quanquam enim ſua natura, & extra hanc revelationem ſit incomprehen- Iohan. 4.

ſibilis

ſibilis & infinitus,tamen in Verbo ſuo & promiſſionibus, quibus ſe involvit eſt finitus & comprehenſibilis. Igitur Iudæi ad arcam adorantes,verum Deum cœli & terræ adorabant. Nam Deus verbo ſuo ſignificarat ſe affuturum,& auditurum ibi preces ſui populi.

Sic nos reſpicientes in Chriſtum & adorantes,verũ Deum adoramus, nam Deus in Chriſto ſe revelavit, ideo Chriſtus quoq; dicit: Quidquid rogaveritis Patrem in MEO nomine,dabit vobis. Qui igitur ad Deum orant,& non in Chriſtum oculos atq; animum defigunt,hi errant,& ad Deum non perveniunt,ſed cogitationes cordis ſui,loco veri Dei,adorãt,& idolatræ ſunt.Neq; enim Deus quæri,inveniri,nec audire vult,niſi in noſtro propiciatorio Chriſto.Igitur cum Deum verè invenire,Deum rectè cognoſcere,& ad eum certo pervenire volumus,Chriſtum intueamur,ſecundùm ſententiam,Qui videt me,videt Patrem, Item: Si noviſtis me,noviſtis & Patrem. Ad hunc modum colligit Verbum vagas cogitationes noſtri cordis in hanc unam perſonam,quæ eſt Chriſtus, Deus & Homo, ita ut extra Chriſtum ſentiamus nullum Deum eſſe & inveniri poſſe,Non credis, inquit,quòd Pater in me eſt, & ego in Patre?

Chriſtus propiciatorium noſtrum.

Ad hunc modum ſtatuendum eſt,ſanctos Iudæos quoq; oraſſe ad Deum, habitantem in Zion,eum locum qui negligebant,etſi iiſdem ſacris,iiſdem inter orandũ verbis uterentur,tamen idolatriam committebant,non aliã ob cauſam,quam quod faciebant contra hoc præſcriptum, quod Deus præceperat, ſe in Ieruſalem adorari velle. Hæc igitur generalis Regula eſt, omnibus in Pſalmis & tota ſcriptura obſervanda,quod in veteri Teſtamento non erat Deus,niſi in Zion, ſeu loco tabernaculi, & quò omnes orationes ad Deum ſedentem & habitantem inter Cherubim fiebant. Deſtructo autem templo hoc,poſuit Deus aliud templum,quod eſt Chriſtus, in quo vult quæri,adorari,coli,Extra hoc templum,non eſt Deus,ſed Diabolus quæritur ac invenitur,& animi aut in deſperationem incidunt,ſi accedat conſcientia mala,aut in præſumptionem per hypocriſin,ſicut idolatræ Iudæi, & noſtri Papiſtæ præſumunt multum de ſua juſticia & Dei favore.

Zion.

Regula in Scriptura obſervanda.

Huc pertinent hæ & ſimiles Pſalmorum & Prophetarum ſententiæ, Levavi, inquit David,oculos meos ad montes,Item: Benedicat te Deus ex Zion. Ad hunc modum reliquæ ſententiæ ſunt accipiendæ, in quibus non additur manifeſta loci, ſeu templi ſignificatio,ſicut hoc in loco, De profundis clamo ad te Domine, Dominum vocat non ſimpliciter creatorem cœli & terræ,ſicut etiam Turcæ appellant,ſed eum,qui habitat in Zion,cujus promiſſiones & verbum habebant,quod ibi accipere vota,& audire vellet. Incedit igitur in puriſſima fiducia miſericordiæ & gratiæ Dei, etiam cùm adhuc floreret lex Moſi,Sed iſtius Dei, qui in Zion eſt, quiq; dixit ad Satanam,Inimicitias ponam inter te & ſemen mulieris. Neque enim Deus noſtris cogitationibus vult quæri,Si enim id poſſemus facere, quid opus eſſet Verbo? Cur in lege locus,in novo Teſtamento perſona Chriſtus revelata & deſignata eſſet? Vide quid accidat adverſariis noſtris Papiſtis,Hi multum orant,recitant Pſalmos,dicunt, Pater noſter,qui es in cœlis,&c. Sed quia Verbum Chriſti contemnunt, imo quia vi perſequuntur etiam,ideo ſub iſtis pulcherrimis vocabulis, quæ ex Pſalmis recitant, mera Idolatria latet. Idem Iudæis, idem Turcis accidit,etiam tum,cùm dicunt ſe adorare Deum vivum,creatorem cœli & terræ.

Dominus habitans in Zion.

Ergo ſæpe & libenter hoc inculco,ut extra Chriſtum oculos & aures claudatis,& dicatis,Nullum vos ſcire Deum,niſi qui fuit in gremio Mariæ, & ſuxit ubera ejus. Vbi ille Deus Chriſtus Ieſus eſt,ibi eſt totus Deus,ſeu tota divinitas,ibi invenitur Pater & Spiritus ſanctus, extra hunc Chriſtum Deus nuſquam eſt nec invenitur. Multos novi Monachos,qui cùm crederent Deum apprehendi poſſe humanis ſpeculationibus,in graviſſima pericula inciderunt,& niſi me Deus ſingulari beneficio ab eadem tentatione liberaſſet, præceps ruiſſem in exitium. Vtile autem eſt ad vitam aliorum periculis cautiores fieri.

Deus extra Chriſtum non invenitur.

Etſi

Etsi autem Propheta,ut dixi,hic nullam manifestam mentionem facit Tem- Gen. 3.
pli,tamen videbitis quomodo involvat promissionem de Christo. Hoc enim hujus
Propheta, quia erat pro remissione peccatorum, includit Christum. Psalmi argumentum est,quòd nulla Salus, gratia & justificatio nulla sit, nisi in Deo remittente peccata,& ignoscente. Is autem Deus, an est alius, quàm qui dixit, Semen mulieris conteret caput tuum? Ergo Deum promissorem intelligit,& sic Christum ostēdit promissum à Patre,ut esset victima pro peccatis mundi, Et tractat principalem locum,qui est de justicia Christiana, item de sapientia Christiana, seu de gloria Christi. Hæc David tractat vigente & florente Lege ac cultibus legalibus, & prosilit extra septa legis in paradisum, vel potius in ipsum cœlum gratiæ & misericordiæ. Cur enim Gratiam non appellaremus cœlum, per quam ad cœlum transimus,& quæ non legibus,non factis,non studiis ullis potest comprehendi,sed tanquã amplissimum cœlum apprehendit nos credentes, quod imputatione simus justi coram Deo per Christum? Ad hunc modum David locum justificationis tractat, & quanquam id non faciat solus (nam omnes magni Prophetæ, Moses, Esaias, & alii, hunc locum attigerunt) tamen cum singulari diligentia & magna copia facit.

Cœlum gratiæ.

Argumentum Psalmi. Ex his patet argumentum Psalmi, nempe, quòd David vult nos docere suo exemplo de vera via ad justiciam,vitam &salutem,Item quòd vult ostendere veram evasionem à morte,peccato,& ira Dei,ut ex hac vita transeamus ad æternam vitam. Docet autem hæc,non sicut in scholis Sophistæ,qui sine omni usu de sacris docent, sed affert propriam experientiam,& proponit nobis cor suum,quod Spiritus sanctus variis tentationibus exercuit & erudivit,ut ad hanc doctrinam perveniret, quam hic nos quoq; docere instituit. Doctrinæ autē summa est,quod acquiescit in spe misericordiæ Dei,& fiducia remissionis peccatorum. Sed hæc inter tractandum lucescent clarius,Quare exordiemur tandem Psalmum.

De profundis clamavi ad te Domine.

Magnitudo tentationis, qua David fuit implicitus. Videtur initio battologia esse,sed inspicienti causam,quæ Prophetam urget, facilè patebit,nulla copia neq; affectum hujus exprimi,nec periculum satis dici posse. Non enim premitur aliqua tentatione usitata & vulgari,non queritur de periculis,quæ imminebant à Saule,Absolone,falsis Prophetis,& aliis, non de aliis tentationibus dicit,quæ ex invidia & odio,quo mundus pios persequitur,enascuntur, Sed significat illum conscientiæ morbum, & veras mortis angustias, cùm desperatione quasi occupati animi,sentiunt se à Deo deseri,cùm conspiciunt indignitatem & demerita sua coram Deo judice,accusari,cùm videtur Deus non deseruisse solum, sed etiam abjecisse eos propter peccata & odisse. Hæ tentationes non paulò sunt intolerabiliores,quàm aliæ,quæ plærunq; incidunt,hic enim agitur periculum animæ & æternæ salutis,Ideo etiam utitur hac forma dicendi,ut dicat, *De profundis clamo ad te*, q. d. Extremis urgeor malis, Sentio enim peccata mea, & justam Dei iram, Huic prorsus nescio,quomodo mederi possim. Odio,item aliis calamitatibus,quibus premimur inter homines inveniri remedia possunt,Sed hoc vere immedicabile malum est,nisi mittatur salus ex alto.

De profundis clamo ad te.

Ac sane reliqua incommoda,quibus exercentur pii, possunt patientia vinci, ut cum periclitantur opes,dignitas,&c. Quin etiam in peccatis inferioribus, qualia juventutis sunt, potest facilius iterū erigi animus, Sed hi nodi sentiuntur & sunt inexplicabiles,cùm cogitationes hæ infernales animum occupant, ut homo nihil sentiat aliud, quàm quod sit projectus à Deo in æternum. Qui igitur tales tentationes sentiunt,habent hic exemplum,quod similia David passus & expertus sit. Nam hoc quoque tentationem hanc auget,quòd tales sibi videntur soli hæc pati. Discendum igitur est,sanctissimos quosque eadem passos, & terroribus legis ac peccati ad mortem usque fatigatos esse. Sicut videmus Davidem, hic ceu in inferno constitutum,clamare,De profundis clamo ad te Domine.

Consolatio, adversus hoc genus tentationū, à Davidis exemplo.

Vt David, ita & nobis ex eiusmodi tentationibus emergendum. Sed non in eo consistendum est, quod non soli tales tentationes & pericula sustineamus,etiam via discenda est,qua ii,qui eadem sunt passi, emersere. Vides autem Davidem quid faciat? Vides quo eat in illis difficultatibus? Non desperat, sed clamat,

clamat,tanquam certa ſpe auxilii & conſolationis relicta. Igitur tu quoq; idē ſentias,& facias. Non enim ideo tentatur David,ut deſperet. Quare tu quoq; ne eo animo accipias tentationem, ut in triſtitia & deſperatione quaſi abſorbearis. Si deductus es ad inferos,credas Dominū eſſe,qui ab inferis velit reducere. Si comminutus & contritus es,ſcias Dominum eſſe,qui iterum ſanare & mederi velit. Si triſticia plena eſt anima tua,expectes iterum conſolationem ab eo, qui promiſit, Sacrificium ſibi eſſe ſpiritum contribulatum. Vtile autem eſt in talibus paroxyſmis adeſſe fratrem,qui conſoletur nos verbo. Voluit enim Deus Eccleſiam ſic eſſe,ut alter alterum conſoletur, & promiſit ſe tertium fore, cùm duo congregati
b. 18. ſunt in nomine ipſius. Et ſanè animum ſic ſaucium nihil æque erigit,quàm audire ex fratre,quod hujuſmodi terrores immittantur,non ut pereamus,ſed ut humiliemur ad agnoſcendam Gratiam,& cum gratiarum actione ſuſcipiendam. Quod ſi hoc præſidio fratrum deſtituti ſumus, hoc faciendum eſt, quod David hoc in loco facit,ut clamemus,& hunc Pſalmum cum Davide oremus, in quo vides gemitus,qui pingunt ſummas animi anguſtias,ex quibus hæc non ocioſa copia profluit,ut non ſolum dicat ſe ex abyſſo clamare,ſed etiam admoneat Deum promiſſionum,ut audiat clamantem, Neque id ſatis eſt, ſed addit eandem ſententiam commutatis verbis.

Frater accerſendus, qui verbo erigat.

Domine exaudi vocem meam, fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. II.

Loquitur, ut ante dixi,cum Deo,cujus ſedes erat in Ieruſalem,ſicut nos cum Deo loquimur,& eum Patrem appellamus, qui eſt & colitur tantum in Chriſto: Hunc Deum orat,ut diligenter velit audire orationem ſuam. Quod ſi nobis videmur non poſſe eodem animo & eadem vehementia orare,quam verba hæc oſtēdunt,meminerimus neq; Davidem in paroxyſmo tentationis, ad hunc modum oraſſe. Deſperatus enim & triſtis animus non orat,dum deſperatio & triſtitia durat,ſed blaſphemiæ & murmur contra Deum tum ſentiuntur, neq; poteſt animus recte de Deo ſentire. Sed cùm remittit paroxyſmus, tum primùm incipit clamor hic & vehemens deſideriū,quod in paroxyſmo ita obrutum fuit,ut vix ſentiretur. Plurimum autē adjuvatur animus, ſicut ante dixi, cùm audit fratrem commode tractantem verbum Dei,Quid triſtaris frater? An non audis Deum mortē peccatoris non velle? An oblitus es præcipi ſpem & fidem in Deum? Inſpice primum præceptum,id quid eſt,aut quid exigit,quam ut Deum colamus fide & ſpe? Cur igitur tu nihil ejus benignitate confideres? cur deſperares? Hoc ſcilicet eſt,peccato addere peccatum, & cum ante in inferiore mandatorum Dei ordine peccator ſis,nunc etiam te conſtituis in ſupremum gradum,addendo ad reliqua peccata deſperationem & incredulitatem,&c. Cùm ad hunc modum fiducia in Deum, & miſericordia Dei animo anxio inculcatur, tum ſurgit ſcintilla fidei & gemitus cordis. O ſi poſſem! Hos gemitus inenarrabiles Spiritus adjuvat, & ſequitur tandem ſenſus gaudii. Neque enim Deus hos gemitus poteſt contemnere, aut negligere. Horum gemituum umbram quaſi videmus in his primis verſibus. Sed cur gemis? quid eſt quòd doles? Audi:

David vehementer oravit, ſed remittente jam tentationis paroxyſmo.

Inſignes conſolationes contra deſperationem.

Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine, quis ſuſtinebit? III.

Hic verſiculus,ſicut noviſtis,in noſtra Theologia eſt celeberrimus, neq; video quomodo eū aut adverſarii,aut Satan ipſe poſſit eludere. Quid enim eſt, de quo poſſit dubitari? Habet David teſtimoniū,quòd ſit vir ſecundùm cor Dei, & ſanè inſigne exemplū eſt in omni genere Chriſtianarum virtutum. Nam etſi cæde Vriæ,& adulterio Bethſebes infamis eſt,an non etiam inſignis humiliatio,&ardēs ejus fides eſt, Propheta arguente peccatum ejus,& iterum erigente? Vide deinde,quanta in adverſis rebus tolerātia,quanta in conſtituendo &propagando cultu Dei diligentia & aſſiduitas fuerit. Quid multis? David non eſt unus è multis, ſive ejus fidem & vitam, ſive Dei de ipſo teſtimonium conſideres, Et tamen vir tantus

David petit remitti peccata, & non obſervari iniquitates, Ergo ſimpliciter negat ullam eſſe juſtitiam operum coram Deo.

tantus & tam ſanctus diſerte & manifeſte dicit,Si obſervaveris Domine iniquitates, Domine,quis ſuſtinebit? An non ergo hoc eſt negare ſimpliciter omnem juſticiam, ſanctitatem,& mundiciem omnem? Sicut etiam in Pſalmo 32. manifeſte Sanctos vocat,& tamen dicit, Pro hac orabit ad te omnis Sanctus,ſcilicet,ut condones peccata. Pſal. 31.

Papiſtæ charitatem judicii adſi-gnant. at David ſimpliciter dicit, ſi iniquitates obſervaveris, &c.

Vbi igitur ſunt,qui juſticiam operum tantopere prædicant? cùm David ſimpliciter opera & juſticiam omnem abjiciat in conſpectu Dei, & ſimpliciter hoc petat,ne obſervet Dominus iniquitates? Ac ſane adverſarii noſtri nunc aliquanto moderatius loquuntur,quam initio. Non enim ſimpliciter negant amplius, quod fides juſtificet. ſed addunt tamen,eam fidem, quæ juſtificat, debere charitate formatam eſſe,Sic ſcilicet picarum inſtar,non intellecta verba ſonant. Sed formes fidem quocunq; modo velis,hæc generalis ſententia eſt, Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine, QVIS, QVIS ſuſtinebit? Nullus ſcilicet. Nam ſi quis ſuſtinere poſſet, profecto David quoque ſuſtinuiſſet,vir tam ſanctus,in verbo Dei tam eruditus, tot malis & periculis toties exercitus ad fidem & timorem Dei. Neq; enim credo tam eſſe impudenti animo quenquam inter omnes Papiſtas,qui non longe ſe,ſi juſticiam operum ſpectes,infra Davidem abjiciat,& tamen dicit David,Iuſticia non eſt per opera,Quia ſi iniquitates obſervaveris, nemo ſuſtinebit.

Nemo fiducia ſuorum meritorum ad judiciũ Dei venit.

Arſenius.

Quare diſcamus,ne ad judicium Dei veniamus fiducia noſtrorum operum, aut juſticiæ noſtræ,etiamſi feciſſemus omnia,quæ potuiſſemus facere. Narrant de Arſenio, credo, cùm decubuiſſet, toto triduo mire animo fuiſſe conſternatum. Id cùm viderent diſcipuli,accedunt, Magiſtrum conſolantur, nihil eſſe,cur trepidet animo, vixiſſe cum ſecundùm voluntatem Dei. Hic Arſenius,In veritate, inquit, timeo,nam etſi ex vobis audio,me ſervaſſe mandata Dei, tamen certum eſt alia Dei, alia hominum judicia eſſe. Vides hominem poſitum in cogitationibus de judicio Dei,noluiſſe confidere in juſticia & operibus ſuis. Sic de quodam alio Eremita fertur,cùm eſſet adhibitus ad quendam conſolandum,qui jam agebat animam, juſſiſſe ut mortem patienter ferret,ita enim futurum,ut conſequatur æternam vitam, Sicut Monachi noſtri ſoliti ſunt conſolari homines capitali ſupplicio afficiendos, Ibi de merito Chriſti aut parum, aut nihil dicebatur, tantum dicebant de morte, quam ſubituri erant condemnati,quod per eam eſſent ingreſſuri ad vitam. Sed quid accidit huic conſolatori? Cùm is, quem hoc modo conſolatus erat,deceſſiſſet, graviſſima tentatione excipitur, in mentem venit,quam parum firmam conſolationem fratri ſuggeſſerit,cùm juſſit eum niti patientia ſua,& non potius merito & morte Chriſti. Hæc cura intra triduum hominem confecit,ut ipſe quoque moreretur.

Aliud Dei,aliud hominis judicium.

Eremita.

Morte Chriſti ſola tuto poſſumus niti.

Hujus generis innumerabilia exempla hæc quotidiana vita oſtendit, quæ probant,non ſatis eſſe noſtram juſticiam & voluntariam mortem, ſed requiri fidem in Chriſtum Ieſum. Hujus morte tuto poſſumus niti,quia eſt ſacrificium pro peccatis mundi. Noſtra mors,etiamſi eam patienter toleremus, & omnis alia noſtra obedientia,pro peccatis reputantur, cum Chriſti meritum negligimus, & ſentimus nos iis ſublevari in judicio Dei.

Papiſtæ docent, quod ipſi non faciunt.

Ergo nemo pius ſubeat mortem & judicium Dei, fiducia meriti aut juſticiæ ſuæ. Nec ſane puto quenquam inter adverſarios eſſe, qui auſit judicium Dei ſubire fiducia ſuæ juſticiæ,& tamen docent,jubent,ac hortantur,ut alii faciant, Nos autem contrarium docentes,& deducentes Eccleſiam ad fiduciam meriti & mortis Chriſti,damnant tanquam hæreticos. Hæc an non extrema eſt malitia? Ipſi non faciunt quod docent,ut fiducia ſuorum meritorum moriantur, & volunt ad hoc alios cogere,aut tanquam hæreticos damnant. Sic omnium ſanorum hominum experientia hoc docet,neminem vincere in conſpectu Dei, ſuis operibus, aut juſticia ſua, & tamen tota natura,cùm extra tentationem eſt, circumſpicit ad opera, & quærit quomodo per ea Deum poſſit placare, Sed hîc proponitur ſimplex & clara doctrina, Si peccata obſervaveris,nemo ſuſtinebit. Quis igitur cupiat ſic in judicium deſcendere,ut vincatur & condemnetur?

Quare

Quare hæc ſumma eſt,quod nos omnes (David,Petrus,Paulus,&c.) peccatores naſcimur,vivimus,ſumus,& morimur. Hæc autem eſt gloria noſtra & ſalus, quòd edocti per Evangelium de miſericordia Dei & merito Chriſti proſilimus extra legem,& noſtra opera,quaſi in alium orbem doctrinæ,& aliam lucẽ, & cum fiducia ad Deum accedentes dicimus: O Domine, non poſſumus tecũ judicio contendere, non poſſumus de noſtra juſticia & peccato tecũ diſputare,quod ſi vis iniquitates obſervare, ſi vis tanquam in judicio interrogare, an juſti ſimus, periimus. Appellamus igitur ab hoc judicio ad thronum miſericordiæ, Si quid ſancte egimus,fecimus hoc ex tuo dono. Igitur nos reſpice oculis miſericordiæ tuæ, non oculis juſticiæ judicii tui. Niſi enim indulſeris iniquitates nobis, & ad eas clauſeris oculos,ne videas,non ſalvabimur,&c.

Fiducia miſericordia Dei ſola niti debemus.

Hanc doctrinæ lucem videmus Davidem in tenebris Legis ſecutum eſſe, Noſtra hodie melior eſt conditio,quod hæc clare videmus in novo Teſtamento proponi. Nam quid docemus hodie aliud, quàm ſola fide in Chriſtum nos ſalvari? ſolo Chriſti merito tegi & tolli peccata noſtra? ſecundùm ſententiam: Beati quorùm remiſſæ ſunt iniquitates, Remiſſio peccatorũ igitur eſt cœlum illud, ſub quo habitamus fiducia meriti Chriſti. Qui enim credit,non judicatur,ſed tranſiit à judicio in vitam æternam. David non addit manifeſtam de Chriſto mentionẽ, & tamen quia propitiationem ſperat,rectè reſpicit ad hoc propitiatorium, in novo Teſtamento revelandum clarius. Non enim vides, quòd ſignificet ſibi deſperandum eſſe,ſi velit Deus peccata obſervare? Nam extra remiſſionem peccatorum,ſeu cognitionem gratiæ,quid eſt,quo poſſumus fidere,aut tuti eſſe?

Pſal. 32.

Per ſolum Chriſtum eſt remiſſio peccatorum, ergo etiam ſola fides,qua Chriſtus apprehenditur, juſtificat.

Qui igitur non in hoc uno fidunt,quòd per mortem Chriſti peccata ſublata, & Deo quaſi clauſi oculi ſint,ne peccata noſtra videre poſſit, hi ſine dubio perient. Hoc enim unum proponunt ſacræ literæ, vitam noſtram eſſe tantum ſub remiſſione peccatorum,ſub conniventia,tolerantia,indulgentia Dei,ut nihil ſciamus, niſi juſticiam Chriſti,non quòd non ſit benè operandum,non quòd peccatum non adſit, aut id Deus non oderit,ſed quod dicit Deus, & promittit, ſe non velle obſervare tranſgreſſiones noſtras,quia credimus in Chriſtum,& Chriſto fidimus. Hunc clypeum qui objiciunt,& ſub eo latent,illi habentur pro filiis,quia habent propitiatorem, qui non habent,coguntur deſperare. Quid enim promovent curſitando ad loca Apoſtolorum? quid promovent induendo cucullum,& miſerè affligendo corpus? cùm ſimpliciter dicat David: Si obſervaveris iniquitates,quis ſuſtinebit te Domine? Ergo in eo poſita ſunt omnia, quod ſequitur:

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine. IIII.

Hic verſus peſſimè eſt redditus, Ac videtur interpres eo reſpexiſſe, quòd ſimus juſti,ſi ſuſtineamus Dominum,aut ſervemus legem, cùm tamen non ſolatium, non ſpes aliqua ſit ſalutis,quàm in eo,quod Deus per Chriſtum remiſſionem peccatorum promiſit,rejectis ſimpliciter omnibus aliis legibus & juſticiis. Nam hoc etiã prior verſiculi hujus pars affirmat,cùm dicit: Quia apud te eſt propitiatio. Ergo propitiationem non invenies in Moſe,non in Lege & factis legis,non in profeſſione vitæ monaſticæ,non in dura & laborioſa vita,non in eleemoſynis, non apud divum Iacobum,aut Romæ in æde divi Petri,In ſumma,nuſquam invenies propitiationem, quia nuſquam eſt, quàm apud TE. Eſt autem propitiatio non noſtrum meritum, aut juſticia noſtra,ſed gratuita remiſſio peccatorum, ignoſcentia,& indulgentia per Chriſtum. Hanc, etiamſi mille annis te affligas in monaſterio,in monaſterio tamen, & tuis aliis operibus,non invenies,ſicut ſatis probat conſcientia, quæ ſentit deſperationem,etiam in ſanctiſſima & duriſſima vita. In hoc autem uno acquieſcit conſcientia,quod ſimpliciter,ſine ullo additamento propriæ dignitatis, nudiſſima, ut ſic dicam,nudiſſimæ miſericordiæ Dei per Chriſtum ſe committit,& dicit: O Domine,habeo tuam promiſſionem,quòd ex ſola miſericordia ſit juſticia, quæ juſticia nihil aliud eſt,quàm tua ignoſcentia,id eſt,quòd non vis obſervare iniquitates, &c.

Propitiatio apud Deum ſolum eſt excluſiva.

Propitiatio quid.

Commendo igitur vobis hanc Davidicam definitionem juſticiæ Chriſtianæ,

Observare iniquitatem, quid. Justicia.

Quòd obſervare peccatum, eſt condemnare. Econtrà non obſervare peccatũ, eſt juſtificare, ſeu juſtum pronunciare, & quòd juſticia eſt, quando non obſervantur peccata, ſed ignoſcuntur, condonantur & non reputantur, ſicut alio in loco beatum definit, & Paulus eam definitionem valdè propriè allegat, Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Non enim dicit: Beatus vir, qui non habet peccatum, ſed cui peccatum, quod habet, Dominus non imputavit, ſicut hîc quoque dicit, Cùm non obſervantur peccata. Hæc teſtimonia diligenter colligenda ſunt, ut videamus, quomodo hæc doctrina ſit fundata in Scriptura ſancta, & quomodo omnis fiducia juſticiæ operum & legis in judicio Dei præciſa ſit. *Pſal. 32. Rom. 4.*

Doctrina juſtificationis adæquat omnes homines.

Nam ſine diſcrimine adæquat hæc doctrina omnes homines. Si enim tantum ſumus juſti imputatione, ſequitur, nos non ſolum omnes peccatores eſſe, ſed planè nihil intereſſe, quo ad Deum, inter conjugem & monachũ, inter Eremitam & civem, inter principẽ & agricolam. Hæc enim differentia conditionũ nihil ſublevat homines in judicio Dei, hoc autem ſublevat, quod peccata condonantur. Quod ſi in Eccleſia hæc doctrina diligenter tradita eſſet, nõ Monachatus, non alia vitæ genera invecta eſſent, quæ homines ſtulti crediderunt coram Deo plus commendationis habere. Qualis qualis enim vita ſit, in hoc omnium eadem eſt conditio, quod opus habemus remiſſione peccatorum, ſicut Paulus in Actis dicit, Deum tuliſſe mores Patrum in deſerto quadraginta annis, ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς, inquit, Actor. 13. Sicut bonus maritus fert mores uxoris, præceptor diſcipulorum, princeps ſuorum aulicorum. Quod ſi hæc civilis vita opus habet iſta epiikia, ut non ſumuno jure homines omnia inter ſe agant, quanto magis hoc neceſſe eſt, ut Deus ſit τροποφόρος in hac noſtra tum imbecillitate, tum pravitate? Eſſet quotidie quod obſervaret, & puniret, ſed non vult obſervare nos, hoc vult, ut nos credamus in Chriſtum, tunc vult ipſe τροποφορεῖν, vult ad noſtram imbecillitatem connivere & ignoſcere, ac propter fidem in Chriſtum nos pro juſtis habere. *Act. 13.*

In ſenſu peccati quid cogitandi.

Ad hunc modum David à deſperatione ad fiduciã & certam ſpem miſericordiæ ſe convertit. Nam cùm ad peccata noſtra reſpicimus, neceſſario perturbamur & prolabimur ad deſperationẽ. Sed nõ ſunt oculi ad peccata ſolum defigendi, huc reſpiciendum eſt, ad propitiatorium, ut quanquam non poſſimus negare nos eſſe peccatores, tamen etiam non negemus remiſſionem peccatorum. Cur autem remiſſio peccatorum promiſſa eſt, ſi non peccatores eam debent conſequi? Quin quod propitiationem David nominat, hoc ipſo teſtatur ſe eſſe peccatorẽ, & propitiationem ad ſe proprie pertinere. Sed, inquies, peccata indignum faciunt, cujus Deus miſereatur, Sperent igitur David, Paulus, Petrus, tanquã ſancti & digni, at ego peccator ſum, ſperare non poſſum, &c. Hujuſmodi cogitationes, ceu ipſiſſimã peſtẽ animæ tuæ fugias, & ſic potius cogites: quia peccator ſum, ideo remiſſio peccatorũ ad me pertinet. Nõ igitur deſperabo, nõ abſorbebor triſtitia, ſed cõvertam me ad Dominũ, qui promiſit propitiationem, qui jubet ſperare & credere, &c.

Diabolus hanc de juſticia doctrinam extremè odit & perſequitur. Sacramentarii. Anabaptiſta.

Sic proponit David in his duobus verſiculis ſummã totius doctrinæ Chriſtianæ, & Solẽm illum, qui illuminat Eccleſiam. Stante enim hac doctrina, ſtat Eccleſia, ruente autem, ruit ipſa quoq;. Ego autẽ ideo ſæpius eam inculco, quia ſcio Satanam nihil æque velle & agere, quam ut hanc cognitionẽ ex cõſpectu & animis tollat. Huc principaliter ſpectant omnes turbæ, quas tum publicè tum privatim excitat. Per Sacramentarios & Anabaptiſtas, videmus quantũ malum dederit Eccleſiæ, quòd non ſolũ homines intenti in novas diſputationes, articuli hujus ferè obliti ſunt, ſed multi deterriti diſſenſionibus, etiam odiſſe hanc doctrinã cœperunt. Boni igitur paſtoris eſt, ne ſinat ſe ulla diſputatione ab aſſidua hujus loci tractatione abduci. Privatim autem quoties accidit, ut per cogitationes legis & peccati, hæc cogitatio remiſſionis peccatorum aut amittatur, aut periclitetur? Ideo David in hoc Pſalmo non ſolum propriam experientiam, ſed adhortationes & promiſſiones, ſicut audiemus, proponit, ut appareat eum anxie laboraſſe pro conſervatione hujus doctrinæ. Et ſanè periculi magnitudo, diligentiam hanc excitare & augere debet. Amiſſo enim hoc loco, omnis generis tentationibus obruuntur animi.

Sic

Sic cùm in Papatu hic articulus amiſſus eſſet,quid tam monſtroſum fuit,quod non æquis animis & auribus acciperetur ab omnibus? Pudet dicere,tantum non crepitus ventris ſui nobis impudens monachorum temeritas adorandos propoſuit, Econtra cùm hæc cognitio retinetur,facilè omnis generis hæreſes everti poſſunt. Et inſigne exemplum Papatus eſt,qui unico hoc loco victus,& ex animis hominum exturbatus eſt. Nam etiamſi Papiſtarum vitam inſecteris,& ſceleratam libidinem,avaritiam,crudelitatem,&c. exagites,atq; ex malis legis operibus eorum impietatem arguas,nihil profeceris. Concedit enim id totum Papa, ſicut non poteſt negare manifeſta ſuorum ſcelera,Sed,inquit,nihilominus vocatio noſtra, doctrina & regnum noſtrum ſanctum eſt,etiamſi vita ſit deformata peccatis. Ad hunc modum Diabolus quoque in lege & operibus non poteſt vinci. Sic enim tum leges,tum opera tractat,ut ceu per aranei telam perrumpat,ſalva ſua potentia. Sed tum vincitur, cùm doctrina fidei & hic locus urgetur, quod Chriſtum & rationem juſtificationis Papiſtæ non amiſerint ſolum,ſed etiam fœdis dogmatibus deformaverint & obruerint. Hoc caput cùm petitur, vertere terga coguntur, tum Papa,tum Satan. Nihil enim habent,quo ſe tueri poſſint,ſi doctrina convincatur quod falſa ſit.

Doctrina juſtificationis ſola Papatum evertit.

Hunc igitur principalem locum,date operam ut diligenter agnitum & firmiter fundatum habeatis. Nec quiſquam veſtrum ita ſit arrogans,ut exiſtimet ſe hanc divinam ſapientiam plene hauſiſſe. Nam dum Satan & mundus,item noſtra ratio valent,nunquam erimus in hac cognitione perfecti,& quia ſicut milites in acie collocati ſumus,quotidie pericula objicientur,in quibus omnibus ſtare, non eſt humanæ aut virtutis ſaut ſapientiæ. Summa igitur eſt hujus verſiculi, Quoniam apud te propitiatio eſt,quod concludit Deum non velle nobiſcum agere ſecundùm legẽ, ut nos viciſſim cum Deo non agamus ſecundùm legem, ſed dicamus cum publicano: Domine propitius eſto mihi peccatori. Qui extra hæc gratiæ ſepta progrediuntur,&relicta hac amplitudine gratiæ,de lege diſputare volunt,quod hæc fecerint, illa non fecerint,hi quanto progrediuntur longius, tanto altius demerguntur in infernum.

Deus non vult nobiſcum agere ſecundùm legẽ, ergo nos quoq; non debemus cum Deo ſecundùm legẽ agere

Luce 18.

Non fruſtra hoc moneo,video quid acciderit optimo viro Bernhardo, cum ſi diligenter excutias,invenies eſſe duplicem. Quando enim eſt apud ſe in fide, tunc pulcherrime docet Chriſtum,prædicat ejus beneficia, accendit animos ad amplectendum Chriſtum,hic nihil ſpirat niſi roſas & mella. Rurſus cùm diſputat, ex lege, aut de lege,tunc non aliter diſputat, quàm Turca aut Iudæus aliquis, qui Chriſtum aut neſcit,aut negat. Legat ejus diſputationes quisquis volet de vita monaſtica, de obedientia erga Abbates,&c. & videbit me verum dicere. Idem aliis Doctoribus omnibus uſu venit. Quando ſunt ſecum extra diſputationes,purè docent Chriſtum, cùm autem in campum Legis progrediuntur, ſic diſputant, quaſi nullus uſquam eſſet Chriſtus,qui inſtituiſſet,imo qui ſuo ſanguine remiſſionem peccatorum emiſſet. Idem nos quoq; experimur,cùm in legalia & traditiones incidimus. Ergo in illo Paradiſo ſeu cœlo gratiæ conſiſtendum eſt,& nuſquam progrediendum alio, ut maneamus in hac ſimplici confeſſione cum Davide,Apud te propitiatio eſt.

Sed cur addit,Vt timearis? Nam ſic reddenda eſt altera pars hujus verſiculi, nimirum,ut oſtendat nobis contra quos pugnet,& ut magis illuſtret ſententiam, addita Antitheſi,q. d. Experientia didici, cur apud te ſit propitiatio, & cur tu hunc titulum tibi vendices,quòd ſis miſericors & ignoſcens. Quia enim omnia colligis in gratuitam miſerationem,& nihil relinquis meritis & operibus humanis, ideo times. Quod ſi non eſſent omnia poſita in miſericordia tua,& nos noſtris viribus poſſemus peccata tollere,nemo timeret te,ſed totus mundus ſuperbe te contẽneret. Hoc enim quotidiana experientia teſtatur,quòd ubicunque hæc cognitio miſericordiæ Dei non eſt,ibi homines ambulant in præſumptione ſuorum meritorum. Intuere Monachum,præſertim autem Minoritam, quòd genus obiſtam ſuperbiam ſemper maximè odi,Is quia habet Regulam & legem,ad quam vivat,ſine omni vero Dei timore eſt,& in ſumma ſecuritate ambulat, Pauciſſimi ſunt, qui veniunt in cognitio-

Hypocrita non timent, ſed præſumunt, gratiæ autem juſtificamur ne præſumamus ſed timeamus.

Minorita.

nem peccati,& qui desperationem sentiunt. Nam qui sentiunt desperationem, libentissime admittunt,quòd apud Deum sit propitiatio. Isti autem etiam ferro & igni doctrinam de propitiatione persequuntur. Sic enim solet lex,facit præsumptuosos, superbos, ac contemptores Gratiæ, sicut Paulus egregiè ostendit in Iudæis, Rom. 2. Iudæus appellaris,& niteris Lege,& gloriaris de Deo,&c.

Lex facit contemptores gratiæ.

Rom. 2.

Qui tales sunt,non autoritate Apostolorum, non Christi miraculis excitantis mortuos moventur,sed tanquam saxa stant immobiles. Neque enim intelligunt propitiationem in ista securitate,sed etiam persequuntur. Dupliciter igitur peccant tales præ publicanis,& rectè dicit Christus: Meretrices & publicani vos præcedent in regno cœlorum. His enim facilè persuadetur, quòd sint peccatores,& quòd opus habeant gratuita condonatione,Contra,Hannas,Caiphas,& alii Pharisæi, cùm hæc audiunt,rident,nec possunt ferre, ut à quoquam doceantur.

Matth. 21.

Tollein tantum ex gratia.

Quod autem ad utrosq; attinet,justissime decrevit Deus justiciam æstimandam esse, non secundùm opera nostra, sed simpliciter secundùm misericordiam & remissionem peccatorum. Quia si justicia esset ex operibus aut lege, necesse esset aut desperationem sequi ex Lege non sanctè servata,aut præsumptionem,si servata esset. In desperatione autem timor major est, quàm debeat esse, In præsumptione planè nullus timor est. Media igitur via est, quòd Deus omnia concludit in misericordiam. Non quidem tollit legem,nam hæc vita sine lege non potest consistere, Quæ enim Reipub. forma futura esset,si cædes,adulteria,furta,impunè admitterentur? Deinde oportet etiam piorum exercitia & opera verbo Dei regi. Ad hunc usum relinquit Deus legem,& accipit eã pro obedientia in iis qui credunt. Sed quòd ad ipsum peccatum attinet, jubet, ut posita omni fiducia legis,tantum speremus in misericordiam,quam in Christo Iesu pro peccatis passo,ostendit Deus. Ita tollitur præsumptio,& relinquitur timor,non qualis in desperatis est, sed qualem invenias apud rectè institutos liberos erga patrem. Ergo nullus Monachus salvabitur propter Regulam & duram vitam, ego etiam non salvabor ideo, quod cum summa fide& studio Christum prædico,Non salvatur Princeps,quia diligenter præest suis, & defendit suos. Ac de Monacho facilè probaveris hoc verum esse, nam totum vitæ genus est sine verbo Dei, sed docere Ecclesias, gubernare Respublicas, sunt quidem sanctissima & summa opera,sed tamen sunt opera Legis, quæ per se aut desperationem,aut præsumptionem pariunt. Igitur etiam stantibus his operibus, non contingit salus,nisi per id,quòd apud Deum propitiatio est, ut timeatur.

Lex non tollit Deum, & tamen lex ad justitiam nihil facit.

Etiam sanctissima opera non justificant.

Fiducia operum amittit Deum & excludit timorem.

Recte igitur concluſit Deus omnia sub peccatum, ut omnium misereatur. Nam si aliquid relinquas humanæ naturæ, quo Deum possit demereri, Nemo timebit nec colet Deum,sed venient ad Deum omnes,sicut Monachi, afferentes jejunia, orationes,obedientiam,& similia,Sed hoc modo amittitur Deus, & loco Dei colitur Idolum cordis. Nam dum cogitat Monachus Deo placere funem, quo rectius ex arbore penderet,quam cinctus est, dum cogitat placere Deo alias traditionum observationes,Nonne à vero Deo discedit,&cogitationes cordis sui in Dei locũ collocat,dum sentit Deum idem cogitare quod ipse cogitat? Sequitur igitur ex justicia legis vera idolatria,quæ fingit alium Deum, & verum amittit. Nam verus Deus est propitiatio per Christum,operarii autem volunt opera sua esse propitiatoria. Deus igitur abjicit opera omnia,& nudam misericordiam suam proponit, ut scilicet timeatur,ut non contemnatur à præsumptuosis,omni causa præsumptionis sublata.

Rom. 11. Gen. 3.

Deum non timetur, ubi non creditur gratuita justitia.

Discamus igitur ex hoc versiculo hanc Maximam, quod cum doctrina remissionis peccatorũ,Gratiæ,seu propitiationis,amissa est, necessario sequitur, ut Idolatria regnet. Nam sublata Gratia,etiam timorem Dei tolli,Propheta dicit. Quid autẽ est timere Deum aliud, quàm colere & venerari Deum? Item agnoscere quòd sit beneficus,& ideo ei obedire? Hunc Deũ amisi ego,cùm essem Monachus, & ambularem in fiducia justiciæ meæ. Nam facto & verbo probare possum,ex perfectissima justicia legis nihil aliud posse sequi,quam aut desperationem,quæ est rarior,aut præsumptio-

Timere Deum.

Quòd sit legis usus, siquidem non justificat.

ſumptionem,quæ eſt communior, Natura enim & diabolus non poſſunt cavere quin præſumant.

Quid igitur,inquies,an non facienda lex eſt? an non ſunt facienda bona opera? Profecto facienda ſunt. Nam ideo Eccleſiam habet Deus in mundo, Ideo Reſpúblicas & œconomiam inſtituit,ut nuſquam deeſſet occaſio recte operandi. Sed quis eſt,etiam cùm hæc facit ſtudioſiſſime,qui non videat quantum adhuc relinquatur immundiciei,præſertim ſi facta ſua deducat in conſpectum Dei? Ergo caput negotii totius relinquitur ſoli Miſericordiæ, quam ſola fide in Chriſtum apprehendimus. Et qui per opera ſumus ſervi inutiles,per Gratiam,quæ in Chriſto exhibita eſt, conſtituimur filii,Ioh.1. Sic verus timor Dei,verus cultus reverentia vera imo agnitio Dei vera,ſola miſericordia nititur, quod per Chriſtum confidimus Deum eſſe propicium. Cum hoc cultu Dei plus pugnant deſperatio & præſumptio,quam aqua & ignis inter ſe pugnant. Quia autem lex aut ad deſperationem, aut præſumptionẽ, inclinat,ideo recte concluditur, per Legem neq; juſticiam, nec verum Dei cultum exiſtere. Et tamen ſervandus eſt decalogus. Qui enim præeſt,præſit in ſolicitudine, qui eſt ſubditus,pareat. Hic ſunt diſſimilimæ inter ſe conditiones,& perſonæ, Principis,Doctoris,miniſtri,ſenatoris,civis,ſervi,ancillæ,patris,matris,filii,&c. Debent autem ſinguli in ſuo genere obedientiam Deo, ut ſummo ſtudio faciant, quantum poſſunt. Sed quia legis opera hæc ſunt,per ea tantum ſervi ſumus,& accipimus promiſſam mercedẽ ex pacto, per propiciationem autem ſeu gratiam conſtituimur filii & hæredes regni Dei. Opera igitur quæ ſequuntur, non faciunt hæredes aut filios, ſed fiunt ab hæredibus & filiis, ad gratiarum actionem,& teſtandam obedientiam.

Luc. 17. Ioh. 1.

Gratia filios facit, Opera faciunt ſervos.

Quare commendo vobis has conſequentias, quod,ubi propitiatio non eſt, ibi nullus eſt Deus,Item,ubi Deus non eſt,ibi non eſt propiciatio,Item,ubi propiciatio non eſt,ibi non eſt timor aut cultus Dei, ſed manet idolatria & juſticia operum. Hæc ſtante Lege & natura,non poſſunt aliter ſe habere. Ergo Papatus,Mahometiſmus,Iudaiſmus,Monachiſmus,& quicquid ſimile eſt,quod propiciationem nõ intelligit aut credit,ſimpliciter eſt coram Deo Idolatria, etiamſi ſpecie videatur eximiũ eſſe,quia extra propiciatorium non eſt timor Dei, ſed præſumptio. Chriſtiana igitur doctrina non negat aut damnat opera bona,ſicut impudenter adverſarii nos calumniantur apud imperitos, Sed docet Deum non velle obſervare iniquitates, hoc autem velle,ut credamus,ſeu fidamus miſericordiæ, quia apud eum eſt propitiatio, ut timeatur,& maneat Deus noſter. Quicunq; igitur credunt Deum eſſe ignoſcentẽ, & propter Chriſtum remittere peccata, hi verum & rationalem cultum Deo præſtant,non litigant cum Deo de lege, operibus, & juſticia,ſed poſita omni propria fiducia,reverentur eum ob propiciationem,& ſic conſtituuntur filii,qui accipiunt Spiritum ſanctum,& legem verè incipiunt facere. Hujus doctrinæ jam experientiæ & exhortationes ſequentur.

Conſequentia Pſalmi.

Chriſtiana doctrina non bona opera prohibet.

Suſtinui te Domine, ſuſtinuit anima mea, in verbo ejus ſperavit anima mea. V.

Non poſſum non valde accuſare interpretem,quiſquis fuit, quòd tam negligenter reddidit, quanquam hi errores iſtis debentur, qui in Græcam linguam hunc librum tranſtulerunt. In ſuperiore verſu planè contrariam ſententiam reddidit, & etiam confudit verſum. Nam quod fecit, Propter legem tuam ſuſtinui te Domine, neq; ſenſum aliquem habet, nec ad hunc verſum propriè pertinet, Sic enim debent collocari verſus. Apud te propitiatio eſt,ut timearis (id eſt, ut maneas Deus,& colaris. Qui enim Deum non agnoſcunt,quòd ſit apud eum propitiatio,planè ignorãt Deum,nec poſſunt eum recte colere) *Expecto Dominum, expectat anima mea, expecto in verbo ejus.* Satis verboſus verſiculus,ſed minime ocioſus eſt. Pertinet enim ad augendam,& quaſi inſpirandam orationem,& exhortationem. Primum enim propoſuit ſe tanquam exemplũ ejus doctrinæ,quam cupit in Eccleſia conſervari, & oravit pro exauditione. Deinde apprehenſa propitiatione,ſenſit ſe eſſe exauditum. Iam igitur adhortationem addit,qua ſe excitat, ut in hac gratiæ cognitione perſeveret, neq; unquam ſe in aliud doctrinæ genus ſinat abduci,q.d. Scio apud Deum eſſe propitia-

a & b Vt timearis.

pitiationem,Hunc principalem articulum aliquatenus didici, Nunc hoc faciendum
Expectare. eſt,ut expectem (ſignificat autem expectare idem quod ſperare) ut perdurem in hac cognitione,ut ſummum ſolatium habeam in propitiatione, quam ſenſi apud Deum eſſe,& perpetuo hanc ſpem propitiationis retineam.

Animi facile ab hac gratia cognitione abducuntur diſputationibus. Oſtendit autem Propheta hoc in loco, quàm facilè animi ab hac cognitione abducantur in diſputationes,ſive publice ſive privatim. Nos cùm eſſemus in pulcherrimo curſu propagandæ doctrinæ ſanæ,primo impediebamur à ſeditioſis hominibus, poſtea ab iis,qui Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti profanabant, tandē ab Anabaptiſtis quoq;. Cum his dum digladiamur,penè effugit nos hujus loci diligentior tractatio. Idem periculum poſteros quoq; manebit, neque enim docendo, ſed diſputando amittitur veritas. Hoc enim malum diſputationes ſecum afferūt,
Diſputando amittitur veritas. quòd animi quaſi profanātur,& rixis occupati,quæ præcipua ſunt,negligūt. Sic Heva
Heva. paradiſo,cùm retineret præceptum Domini, pulchrè ſtabat, Vocatur igitur à Serpente in alienam diſputationem,de conſilio prohibitorum fructuum, & ſic à verbo abducitur. Porro Satan novit hunc articulum juſtificationis, ne quidem ab inferorum portis everti poſſe. Quod igitur recta via non audet tentare,per indirectum (ut loquuntur) conficit, Incipit diſputationes,& objicit ſpectacula, in quæ cùm intuemur,& pio animo ad ſedandas turbas quaſi arbitri accurrimus, involvimur ipſi quoque negociis,& paulatim ab hoc ſcopo abducimur. Pugnandum quidem eſt contra hæreſes,ſed ita,ne id ſolum agamus,& hujus loci obliviſcamur. Hoc periculum oſtendit David,cùm ſic urget exemplum,q. d. Magni laboris eſt, in hac doctrina manere. Ego igitur hoc unum agam,ut expectem Dominum,& caveam ne hæc cognitio mihi eripiatur.

Expectatio ſeu ſpes debet verbo gratia niti. Quod addit: Expectat anima mea, Ebraiſmus eſt, ſicut nos Germanicè dicimus,Ex toto corde expectabo. Eſt enim amplificatio, quòd non ſolum expectaturum ſe Dominum eſſe dicit,ſed addit: Ex toto corde expectabo,ut ſignificet ardens ſtudium retinendæ hujus doctrinæ. Sed præcipuè obſervandum eſt,quod addit, *Expecto vel ſpero in verbo ejus.* Papa,Hæretici,Iudæi, etiam ſe ſperare dicunt, ſed relinquunt Verbum,& ſequuntur cogitationes ſuas. Hæc eſt quidem ſpes nomine, ſed
A vocali verbo non recedendum. re eſt nihil. Neq; enim à vocali Verbo diſcedendum eſt. Id enim cùm ſit,quid poteſt certi de Deo retineri? maximè cùm Deus ideo dederit verbum,ideo inſtituerit miniſtros verbi,Magiſtratus,parentes,&c. Quorum vocem ſequi,& eorum autoritati nos parere juſſit. Non enim vult ſperari ſecundùm noſtras cogitationes,ſicut profani ſpiritus etiam noſtro tempore docebant, qui ſine Verbo vocali, ſine ſacramentis cum Deo agendum eſſe putabant,ſed alligat nos ad Verbum, quod certis miniſtris in Eccleſia mandatum eſt.

Significat autem Propheta hic aliam tentationem,quæ eos obruit, qui in co-
Satanæ artes. gnitione miſericordiæ retinenda non ſunt diligentes. Hoc enim agit Satan,aut publicè tollit verbum,aut privatim,apud eos qui habent verbum, hanc ſpem impedit. Sic Papa habuit verbum,habuit Sacramenta quoq;, & tamen ſtante verbo & Sacramentis,abripi ſe eſt paſſus ad peregrinationes,regulas,vota,&c. Nobis quid cum ſectis acciderit,jam ante commemoravimus. Quis autem pericula illa enumeret,quibus animi privatim quotidie ſolicitantur, ut à verbo diſcedant ad alias opiniones, quas ſine verbo ratio ſibi fingit. Tantæ molis eſt,vitare has Satanæ artes. Dicit igitur, Non patiar me à Verbo abduci,ſed ſperabo in verbo,remiſſionem peccatorum, & fidem meam non fingam ex meis cogitationibus,ſed ex verbo,&c. Duplex igitur
Prima tentatio. Secunda. periculum eſt,contra quod Propheta ſuo exemplo nos monet. Primum eſt apud eos,qui fingunt fidem,& tollunt verbum,ſicut prophani ſpiritus. Secundum eſt apud eos,qui verbum quidem habent, ſed id non retinent, & ad Idolatriam abducuntur, ſicut Papatus. Sed tertia tentatio eſt graviſſima, contra quam dicit,

VI. *Expectat anima mea Dominum,à cuſtodia matutina usque ad noctem.*

Tertia. Hæc eſt tertia tentatio. Quando enim Satan non poteſt vincere recta via, ut aut diſcedamus à Verbo vocali ad noſtras cogitationes,ſicut hæretici, aut retinentes

Verbum,

Verbum,vertamur ad Idolatriam, ſicut Papiſtæ, tunc hoc agit, ut fatigando nos vincat. Quare non ſolum magno animo opus eſt ad vincendum,ſed etiam aſſiduitate, ne ſinamus nos ejus improbitate vinci. Nam hoc videmus ſæpe, quod aſſiduitate vincuntur, quos nulla periculorum magnitudo potuit vincere. Et in re bellica nihil æque laudatur,quam urgere hoſtem. Sic Turca,etſi ſæpius magnas clades acceperit,tamen quia pertinaciter urget,vincit, Hanc aſſiduitatem David ſignificat præſtandam eſſe ijs, qui volunt doctrinam juſtificationis, & ipſam juſticiam retinere,& proponit hic ſuum exemplum,Quod ſicut hoſtis non deſinit impetere,ita ipſe quoq; non deſinat expectare, & ad Dominum reſpicere,ut non ſolum valida & forti,ſed etiam aſſidua fide vincat,& indefatigabili ſpe.

Non debere fatigari nos aſſiduitate hoſtis.

Diſcenda igitur ratio pugnandi eſt ex noſtri hoſtis conſilijs. Is nunquã fatigatur ſtudio impetendæ Eccleſiæ, Sic initio ſtatim hæreſis hæreſin, perſecutio perſecutionem excipiebat. Nobis quoq; primum cum monſtris Papæ pugna fuit, His repreſſis, ſurrexerunt profanatores Sacramenti, poſtea Anabaptiſtæ ſecuti ſunt. Hi errores nunc non primum nati ſunt, ſed indefatigatus hoſtis, & conſilijs nocendi inſtructiſſimus,jam olim ſopita mala, denuo excitat, ne quod reſpirandi tempus afflicta Eccleſia habeat. Videmus enim, quam incipiant omnia plena eſſe Epicureis,nec pauci ſunt qui ſemina Arianæ hæreſis revocant. Hanc hoſtis pertinaciam utile eſt ſcire ne prolabamur in ſecuritatem. Neq; enim ſemel vicisſe ſatis eſt,ſed pugna pugnam,victoria victoriam ſequitur.

Satan eſt aſſiduus hoſtis.

Sicut autem hanc hoſtis improbam aſſiduitatem in Eccleſiæ hiſtoria cernimus, ita experimur eam privatim quoque. Quare ſi hodie oratione vicisti, ne ſis ſecurus,cras enim redibit fortior & inſtructior,igitur ad aliam pugnam te compara. Ita ſæpe accidit,ut cogitatio,quam hodie facile potuimus vincere,cras vincat, & nos evertat. Quare Chriſtianus debet paratus eſſe non ſolum viribus,ſed etiam perſeverantia. Neq; enim in ſtadio currit,cujus terminus aliquis ſit,ſed circulum habet propoſitum, ubi ſemper recurritur ad initium. Ideo Chriſtus dicit, Qui perſeveraverit in finem uſq; hic ſalvus erit. Non igitur debemus frangi improbitate,aut vinci tædio, ſed pugnandum eſt non ſolum contra vim & dolum, ſed etiam contra tædium,ut excitemus nos hac fide,quod ſicut Satan non dormit, nec quieſcit,ſic non dormit, nec quieſcit Dominus & Deus noſter.

Perſeverandum.

Matth.24.

Ad hunc modum proponit nobis exemplum ſuum David, ut muniti contra tentationes,quæ promiſſionem Peccatorum ſequuntur, non cedamus Satanæ. Etſi enim certiſſimum eſt, propitiationem eſſe apud Dominum, peccata eſſe remiſſa,nos baptizatos eſſe in mortem Chriſti,& vocatos verbo ad communionem Sanctorum, & cum reliquis Chriſti membris corpore & ſanguine Chriſti refectos,Hæc omnia,inquam, etſi ſunt certiſſima,tamen ſatis periculi eſt,ne ab aſtuto hoſte decipiamur,qui ex omni parte inſidiatur nobis. A dextris imminet per hypocriſin & ſecuritatem,A ſiniſtris per tyrannos & deſperationem. Ad hæc accedit improbum ſtudium, ut nuſquam abſit longius, Igitur dicit Propheta,Expecta anima mea Dominum à matutina cuſtodia uſque ad aliam matutinam cuſtodiam. Atq; hæc eſt Chriſtianorum patientia,Nota eſt Gentium ſententia, Furor fit læſa ſæpius patientia. Nam ſi quid patitur patientia, patitur ex deſperatione quadam, ut cogitent animi, fruſtra tolerari iſta, hinc vertitur patientia in furiam & opprimitur deſperatione. Sed Chriſtianorum patientia non ſinit ſe opprimi, ſed urget ſpem de die in diem,de anno in annum, & ſic tandem triumphat ac vincit. Magnum eſt in Repub. retinere invictum animum contra quotidiana incommoda,quæ incidunt,Sed perſeverare in his malis, quæ David ſuo exemplo oſtendit Chriſtianis,jam conſecutis remiſſionem peccatorem,imminere,retinere ſpem in peccatis & conſcientiæ accuſationibus, ferre alias vexationes, quibus Satan cor credens ſine modo torquet. Hæc divina virtus eſt, & talis pugna, cui promiſſa eſt immarceſſibilis corona gloriæ. Iam ſequitur exhortatio ad imitandum hoc exemplum,& doctrinam hanc amplectendam.

Davidis exempla non cedendum tentationibus.

Quomodo differat patientia gentium, à Chriſtiana patientia

1.Pet.1.

VII. *Speret Iſrael in Dominum, Quia apud Dominum miſericordia, & multa apud eum redemptio.*

Optat & hortatur ut populus ſuo exemplo in Dei miſericordia acquieſcat.

Hic eſt profecto aureus Verſiculus, & dignus, qui ſumma cura cognoſcatur, quod optat & hortatur, ut totus populus ſuo exemplo in certa ſpe miſericordiæ Dei acquieſcat & perduret. Neq; enim fides ita leviter æſtimanda eſt, ut Papiſtæ docent, qui ſomniant, Fidem eſſe qualitatem hærentem in corde, cum qua tranſeat cor tanquam dormiens, poſtquam numerare novit ſyllabas iſtas, Credo in Deum. Quia enim nunquam experiuntur certamina illa, quæ fidei ſubeunda ſunt, etiam rident nos, cum dicimus, Fidem eſſe principalem virtutem, qua ſola juſtificemur, liberemur à peccatis, &c. Verum enim eſt quod Sapiens dixit, Stultus non intelligit, niſi dicas quæ ſunt in corde ipſius. Quæ igitur nos fidei tribuimus, iſti charitati tribuunt, & eam fidei præferunt. Sed ſi vere & ſuis coloribus fidem pingas, longe charitatem ſuperat. Vide enim fidei objecta, Coram Deo pugnat ſola, contra Satanam nunquam ceſſantem, ſed ſemper impugnantem, idq; de morte & vita æterna, de peccato & lege accuſante, de Gratia remittente. Ad hæc ſi charitatem conferas, occupatam in levandis calamitatibus hominum, ſive conſolatione, ſive auxilio opus ſit, quis non videt, quod longe antecellat fides? Quantum enim diſcrimen eſt inter Deum & hominem, inter humanas neceſſitates & mortem æternam? Hæc igitur fidei ſunt exercitia, ut in ſummis periculis cum Satana in conſpectu Dei aſſiduo depugnet, neq; enim, ut ſupra diximus, improbus hoſtis concedit ferias aliquas. Etſi igitur charitas non pulchra ſolum, ſed etiam latiſſime patens virtus ſit, reſpectu aliarum virtutum moralium, Tamen fides infinito major & auguſtior eſt, ſive objecta, ſive alias cauſas conſideres.

Fidei collatio cum charitate.

Finis fidei.

Hic enim fructus Fidei eſt, ut ſentiat cor, victam eſſe mortem, morte Chriſti, peccatum autem expiatum, & legem abolitam, per Gratiam & propitiationem. Hæc per ſe ſunt certiſſima, ſed ea noſtra eſt infirmitas, ut non poſſimus certo apprehendere, igitur adhuc terremur cogitationibus mortis & peccati. Quod ſi hæc fiducia gratiæ Dei eſſet perfecta, nulla unquam triſticia poſſet cor credens occupare. Ideo David hac exhortatione utitur, ut poſtquam Iſrael habet propiciationem, perſeveret in expectatione, nec ſinat ſibi excuti fiduciam miſericordiæ. Verbum quo utitur, proprie ſignificat expectare. Reſpicit autem certamen illud, cum animus incipit dubitare de miſericordia Dei, ob certas calamitates, quibus obruitur. In eo certamine quia non ita ſtatim ſentiuntur, quæ verbū promittit, & fides credit, procumbunt animi in deſperationem. Contra hanc tentationem hic monet, ut meminerint expectandum eſſe, non eſſe diſcedendum à verbo, aut ſtatuendum aliquid contra verbum. Et addit cauſam.

Expectare cur neceſſe ſit.

Quia apud Dominum miſericordia eſt, Caro in tentatione & periculis ſentit apud Deum nihil eſſe niſi iram. Conſolatur igitur nos Spiritus, & hanc impiam de Deo opinionem conatur extinguere, & pronunciat apud Deum eſſe Miſericordiam, ſeu beneficentiam, ſi tantum hoc faciamus, ut expectemus. Ideo autem opus habemus hoc teſtimonio, quod cum ſenſum ſequimur, contrarium experimur. Sed non ex ſenſu, nec ex re præſenti judicium faciendum eſt, Verbum eſt ſequendum, & ſtatuendum, quod hæc credenda, non experienda ſint Credere enim, non eſt experiri, non quod nunquam experienda ſint quæ credimus, ſed quod experientiam debet præcedere fides, & eſt credendum Verbo, etiam tum, cum diverſa à verbo ſentimus, & experimur, Vt cum animi ſtatuunt in calamitatibus, Deum nobis iraſci, nos non curare, ſed odiſſe, Fides contra ſtatuat, apud Deum nec iram, nec odium, nec pœnam, nec culpam eſſe, ſed etiamſi ſinat affligi, non hoc fieri, ut malefaciat nobis, eſſe enim apud eum Heſed, & cogitare eum de beneficiis, ut liberet à malis, ut mortificet peccata, ut alia dona, in nobis augeat, &c. Hæc ſi impiis non contingunt, quid mirum eſt? Aut enim plane non credunt, aut cum credunt, non perſeverant. Quare nos credentes addamus ad Fidem etiam

Apud Deum eſt propiciatio, ergo non ira.

Credere.

Heſed.

Verbo plus quã

ſpem,

ſpem,ut etiamſi contraria ſentimus & experimur,& videatur Deus nobis tanquam hoſtis infligere pœnas,tamen non credamus ulli experientiæ magis, quam verbo & Spiritui ſancto, qui pronunciat apud Deum eſſe miſericordiam,ſeu beneficentiam, qui amet nos,& cupiat nobis benefacere. *experientia prima credendo*

Hæc Spiritus ſancti veritas eſt,ut cogitemus,imo certiſſime ſtatuamus, apud Deum non eſſe iram,ſed etiam ſi qua externa incommoda accidant, fames,morbus, dolor animi, & ſimilia incommoda, ut eas tentationes devoremus per fidem & ſpem, probantes patientiam noſtram Deo, & ſperantes liberationem in tempore opportuno, ſicut Paulus in Rom. jubet in tribulationibus etiam gloriandum eſſe. Nam niſi Deus nos amaret,non odiſſet nos Satan,Niſi haberemus vitam,non perſequeretur nos hoſtis noſter morte.Sic qui maxime juſti & ſancti ſunt,quia retinent fiduciam remiſſionis peccatorum,hos Satan maxime tentat conſcientia peccatorum, adeo,ut nonnunquam ex uno poculo vini exhauſto, ex uno dicto, quod per imprudentiam exijt,ejuſmodi peccatum faciat,quod Baptiſmum & omnia dona,quæ poſſidemus,obruat. Quin ſæpe bona & ſancta opera calumniatur, ut animus in mœrorem conjiciatur. Hæc omnia,inquam,Sancti experiuntur,Quam autem longe erraremus,ſi ſemper poſthabito verbo,vellemus ſequi ſenſum & experientiam noſtram? Hæc Papiſtis Satan non facit, diverſum facit, horrenda flagitia eorum & nefanda crimina ornat tanquam ſummas pietates. Contra nos, qui cupimus & conamur vivere ſecundum voluntatem Dei, qui deinde ſanctiſſime docemus, ſuſtinemus ſæpe conſcientiam,ac ſi peſſime vixerimus. *In tentationibus retinendæ ſpei & reſpiciendum ad verbum, non ad ſenſum præſentem.* *Rom. 3.*

Diſcendum igitur hoc eſt in Theologia, quod hæc accidant pijs,& vincenda ſint ijs cogitationibus,quas hic proponit Spiritus ſanctus,ut ſic apud nos ſtatuamus, Sum vocatus ad communionem meriti Chriſti, & ſum baptiſatus, Siqua hæc quotidiana vita peccata habet, tranſeant iſta fiducia propitiationis. Doctrina autem, etſi eam mundus calumniatur, & contumelioſe accipit,non poteſt non eſſe vera. Hæc oſtendit,poſtquam in Chriſtum credidimus, nihil eſſe apud Deum aliud, quam Heſed,ſeu beneficentiam,quod Deus non poſſit aliud facere, quam ut amet & benefaciat.Quod ſi contrarium apparet in ſenſu,non curo,Nec,ſi moriendum,hanc cognitionem mihi excuti patiar,ſed firmiter credo,infra in terra,& ſupra in cœlo nihil eſſe niſi beneficentiam. Statuo autem hoc non ex ſenſu,aut præſenti re,ſed ex verbo, quod dicit, Apud Dominum miſericordiam eſſe, ſuper me & omnes, qui credunt, Qui autem non credunt,ſuper hos eſſe iram. Vincam igitur cogitationes meas Verbo,& ſcribam hanc promiſſionem in cor meum,quod poſtquam credo in Chriſtum Ieſum,& non dubito, mihi eſſe remiſſa peccata per ſanguinem ejus, non confundar, etiamſi omnis ſenſus & experientia diverſum ſuadeant & probent. Apud me ſentio iram,apud Diabolum ſentio odium, apud Mundum extremum furorem. Sed Spiritus ſanctus non mentitur, qui jubet ſperare, Quia apud Dominum miſericordia eſt, & multa apud eum redemptio. *Experientia Theologica.* *Heſed.*

Redemptio ſignificat liberationem,atq; eam univerſalem,tam à culpa,quam à pœna,quanquam magis à culpa. Hanc dicit copioſam & multam eſſe, propter anguſtiam cordis noſtri. Nam cum nos oramus pro liberatione,ita oramus,ut modico videamur contenti fore,Sic qui triſticia animi turbantur,optant quietem unius diei, qui premuntur inopia, pane quotidiano videntur ſibi contenti fore, Sed Deo hoc non ſatis eſt,dat enim ſupra quam poſſumus intelligere aut petere,Et prorſus verum eſt, neſcire nos, quomodo aut quid petamus. Libenter utor proprijs experientijs. Quid enim & quantum mihi uni dedit? Non plus optabam, quam ut iſte unus abuſus Indulgentiarum tolleretur, Sed quod diluvium mirabilium ac maximorum beneficiorum ſecutum eſt? Ita in univerſum verum eſt, Neminem audere optare tantum, quantum DEVS paratus eſt donare. Cauſa eſt anguſtia cordis noſtri, parvitas ſpei & infirmitas fidei. Superat igitur copioſa redemptio infinitis modis petitionem noſtram,Ideo etiam Dominus tradidit formam orandi.Hæc enim niſi ita à Chriſto præſcripta eſſet,quis noſtrum eſſet auſus tot & tanta petere? Igitur *Redemptio copioſa.* *Ephes. 3. Rom. 8.* *Orauri non poſſumus animo conquantum Deus velit dare.*

non

non ſolum conſtituimur per meritum Chriſti victores peccati,inferni & mortis,ſed etiam in hac vita multipliciter ſentimus beneficentiam Dei. Et licet nunquam tantum auſi eſſemus petere,tamen donavit ea Dominus,& donabit alia quoq;.

Deus liberaliter exaudit.

Ideo dicit Propheta,Copioſam redemptionem eſſe,quæ ſcilicet ſit ſupra noſtrum captum. Nos enim ſicut exiliter credimus,ita etiam petimus exiliter.Ipſe autem Pater in cœlis pluit uberrime ſuper ſcintillas orationis noſtræ,& guttulas fidei noſtræ,& compenſat moram, liberali copia. Nam etiamſi expectandum eſt, tamen tanto poſtea eſt liberatio uberior. Iacob, qui eſt Iſrael,expectavit Dominum, Quid igitur ſecutum eſt? Totum fere orbem mutavit ille populus, ex tam parvis initiis ſuccreſcens, An non putas autem ,ſi Abraham hanc poſteritatem ſuam omnem, & inſignes res geſtas vidiſſet, eum dicturum fuiſſe, Nunquam ſe hoc potuiſſe ſperare animo? Credebat quidem promittenti Deo, ſed tam mirabilem & magnificam poſteritatis ſuæ fortunam non potuit credere,propter anguſtiam cordis humani. Sic Eccleſia poſt Chriſtum oravit pro regno Dei,: Ad hanc orationem ſecuta eſt ruina regni Romani,invicti,ut videbatur.Nos quoq; oramus hodie pro liberatione. Veniet igitur dies Domini,& diſſipabit univerſum mundum,cum omni potentia Satanæ & inferorum. Ergo hoc tantum curemus,ut perſeveremus in ſpe & fide,tunc faciet Dominus glorioſum eventum omnium periculorum. Non enim deſeret nos Deus, niſi nos priores ceſſaverimus ſperare & orare.

Iacob.

Abraham.

Formam. Eccleſia poſt Chriſtum.

Conſolatio Chriſtiani tenenda. I. Præcepti ſumma.

Ergo Chriſtiani hanc conſolationem teneant,nunquam eſſe tantam oppreſſionē,quanta futura eſt liberatio.Quod ſi aliter ſentiunt & cogitant,male cogitant. Hæc enim eſt primi Præcepti ſumma, quod hic dicit, Copioſa eſt apud Deum redemptio. Hoc enim vere eſt,eſſe Deum,redimere & liberare, idq; majore dignitate & ſplendore,quam ab animo humano cogitari poteſt.

VIII. *Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus ejus.*

Concluſio Pſalmi. Bonitas Dei.

Hæc promiſſio eſt concluſio Pſalmi, In qua iterum oſtendit, quam habuerit cauſam cur oraret,& quid nos in ſimili periculo ſperare debeamus. Eſt autem ſuaviſſimum,videre bonitatem Dei,non in eo ſolum, quod hanc vitam donat, regit, & conſervat,Sed multo magis,quod oſtendit ſe hoſtem eſſe peccati & mortis, atq; hoc agit,ut nos ab his liberet ac ſalvet. Hoc enim eſt,quo alia Dei dona jucunda efficiuntur. Etſi enim ſcimus nos eſſe Dei creaturam, tamen quia triſtitia,timor mortis, mala conſcientia,& ſimilia incommoda adſunt, non poſſumus Dei donis libero animo frui. Hoc igitur eſt Deum ſuis coloribus pingere, ut hæc vita & omnes creaturæ nobis dulceſcant,cum ſecundum verſiculum hunc pingitur, quod velit redimere populum ſuum à peccatis,quod mortem occidere, infernum vaſtare, & Satanam velit conterere. Talis Deus eſt credentium Deus, credentium dico, propter negantes & contemnentes eum. Nam qui credunt, etſi puſillanimes ſunt, & vexantur à Diabolo & morte, tamen norunt Deum ſuum eſſe Redemptorem ab omnibus iniquitatibus. Eriguntur igitur & ſperant,expectantes liberationem in Verbo promiſſam.

Vera Dei pictura.

Definitio quid ſit Deus propriè.

Accommodabitis igitur hunc verſiculum eo, ut ſit ceu definitio, quodnam Dei officium ſit, aut quid velit proprie facere,nempe, quod velit cum peccatoribus rem habere,ut & peccata aboleat & creat vitam, juſticiam,læticiam,& omnia bona, Medium autem quo hæc Deus facit, ſcitis eſſe Chriſtum, quem ideo in hunc mundum miſit,& ſuppliciis mortis ſubjecit,ut credentes in eum conſequerentur remiſſionem peccatorum,& conſtituerentur filij Dei, Sic docet totus Pſalmus, non de externa vita aut bonis operibus, ſed tantum de fide & ſpe erga Deum per Chriſtum,& de finali victoria,contra Satanam,peccatum & mortem. Hæc enim non ſunt humanorum operum,aut noſtrarum virium,ſed divini operis & virtutis, Communicantur autem nobis,quia apud Dominum eſt miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Hæc una ratio & via eſt,qua ad victoriam hanc pervenitur, Doctrina operum habet alium finem,& ſic urgenda eſt, ut tamen gloriæ & merito Chriſti nihil detra-

hatur,

hatur, ſicut nos Dei gratia, hunc locum ubiq; ſyncere tractavimus. Faxit autem Chriſtus, ut eadem lux etiam luceat poſteris noſtris. Amen, AMEN.

M. D. XXXIII. Menſe Octobri.

PSALMVS CXXXI.

Domine non eſt exaltatum.

HIc Pſalmus fere de eadem materia loquitur, de qua præcedens Pſalmus locutus eſt, niſi quod Antitheſin paulo clarius exprimit, qua animum oppreſſum ſenſu peccati oſtendit. Vnde apud Theologos generali ſententia in proverbium abijt, Ambulare in mirabilibus ſuper ſe, hoc eſt, quod vulgo dicunt, nimis alte volare, tentare rem ſupra vires, & ſic periculum incurrere. Sic in genere non inepta Catachreſi, ſeu potius contra generalem ſententiam, Pſalmo hoc uſi ſunt contra omnem ſuperbiam, commune totius generis humani vitium, in quo omnes ſumus, nec poteſt alio remedio curari, quam aut gratia divina, aut furore ſeu ira Dei, hoc eſt, cum vel pij afflictionibus, vel impij pœnis exercentur. His rationibus præſumptio, naturale vitium omnium, ſanatur, Alioqui impoſſibile eſt non præſumere hominem vel de potentia vel ſapientia vel juſtitia.

Generalis ſententia Pſalmi contra ſuperbiam.

Superbia commune omnibus hominibus.

Hæc ſuperbia poſtea parit contentiones & rixas, ſicut videmus, quæ ad ingenij laudem attinent quam varie homines exerceant. Ibi non ſolum præſentes præſentibus volunt videri ſapientiores & eruditiores, ſed etiam priora ſecula inceſſant, & cornicum oculos, quod dicitur, configunt. Quid futurum putas, cum talia ingenia poſtea ad ſacra accedunt? Sic potentia infatuantur animi, ut nullum faciant modum ſuperborum conſiliorum & cogitationum. Idem accidit cum Phariſæi & hypocritæ (nam horum id proprium eſt) conceperunt opinionem ſanctitatis & juſticiæ, In ſumma homines ſuperbi & præſumptuoſi, ut vocant, ſunt Perturbatores non ſolum ſui ipſius, ſed Rerumpub. Eccleſiæ, œconomiæ & omnium rerum. Qui hiſtorias norunt, vident quantum mali ſemper ambitioſa ingenia excitarint, Sic in Eccleſia hæretici, extimulati perſuaſione ſapientiæ, concordiæ & pacis perturbatores ſunt, Idem in œconomicis uſu venit, unde natum Germanis elegans & bonum Proverbium eſt, quod dicunt, Malo dignum eſſe, qui conatur quod non poteſt præſtare.

Sapientia facit ſuperbos.

Potentia.

Iuſticia.

Es gehe dieſen alles vnglück an / der es beſſer wil machen denn er kan.

Sed tales quæſo qui ſunt? Omnis mundus, Quis enim eſt, qui contentus ſit dono ſuo, & non aliquando conetur aliquid melius & accuratius præſtare, quam poteſt? Sequitur itaq; tertium, ut ſicut præſumptio tollit pacem & concordiam, lites autem & contentiones, ceu fœcunda mater pariat, Ita tandem neceſſario ſequatur vanitas vanitatum & fruſtra ſint impij conatus. Noſter vicinus Dux an non ſatis negotij haberet in gubernanda ſua Ditione, & adminiſtrando opere ſuæ vocationis? Sed præſumptio non patitur eum quieſcere, quin etiam ſuſcipiat curam Eccleſiæ gubernandæ, quæ tamen ei non eſt demandata. Sic qui primi dederunt nobis turbas de Sacramentis, non contenti fuere miniſterio ſuarum Eccleſiarum, etiam totius ſacræ Scripturæ quaſi dominium uſurparunt, ut exiſtimarent ſibi licere eam pro arbitrio interpretari, & ut Baſilius loquitur, τὸν ἀληθείας σκοπὸν.

Exitus præſumptionis.

Adeo late patet hoc vitium, & ſicut dixi, plane eſt immedicabile, niſi ſanetur vel gratia vel furore. Gratia eſt cum afflictionibus revocamur ad moderationem, ſeu humilitatem, furor eſt, cum ſuperbos obruit Dominus pœnis & eos tollit, ſicut ſuſtulit Pharaonem. Hujus præfractio & contumacia non potuit ſanari, niſi exitio in mari rubro, Sic Benjamitæ non ceſſarunt prius à furore, quam pene deleti eſſent. Sic Abſolon non ceſſavit, priuſquam ex arbore penderet. Sic Arius, Cerinthus, & multi noſtro ſeculo novatores dogmatum, non ceſſaverunt priuſquam dignum ſuis factis exitium invenirent. Ita fit, cum impij ceu equus furens, per ſuperbiam curſum arripuerunt, non prius ſiſtunt curſum, quam perierint.

Duplex modus ſanandæ ſuperbiæ.

Pharao.

Benjamitæ.

Abſolon.

Arius.

perierint. Idem accidit juſticiarijs, Phariſæi non prius ceſſabant Evangelium perſequi,& niti ſuis juſticijs, quam Ieruſalem, regnum, & ſacerdotium funditus perijſſet. Hic eſt exitus præſumptionis quando verbo non corrigitur. Verum itaq; eſt non poſſe ſanari hanc peſtem, quam vel gratia, vel furore.

Pſalmus loquitur de ſuperbia ſpirituali.

Ad hunc modum generaliter fere interpretantur Pſalmum contra ſuperbiam ſeu præſumptionem, Sed ego exiſtimo rectius exponi poſſe de ſuperbia ſpirituali, ſeu de ſuperbia juſticiæ. Nam, ut ſupra oſtendi, hæc tria fere ſuperbos faciunt, Potentia, ſapientia, & juſticia. Si quis igitur vult, faciat ſane triplicem ſuperbiam, ſecundum hæc tria objecta. Sunt enim dona diſtributa in homines, & habent ſuam menſuram & modum ſuum. Itaq; potentes ſuo modo potentes ſunt, nec poſſunt eſſe potentiores, Sapientes ſuo modo ſapientes ſunt, nec poſſunt eſſe ſapientiores, Iuſti ſuo modo ſunt juſti, nec poſſunt eſſe juſtiores. Superbia autem facit ut velint eſſe & videri potentiores, ſapientiores & juſtiores, quam revera ſunt. Hinc cum res ad certamen deducitur, & peccatum cum juſticia, non manente in ſuo dono, modo, & menſura ſua, pugnat, vincitur, & ex juſticia fit deſperatio, quæ ſæpe ad laqueum hypocritas adigit. Sic fit, ut impotentia committatur cum potentia & vincat, potentia autem confundatur. Sicut accidit Iſraelitis pugnantibus contra unam tribum Benjamin, Sic ſtultitia ſæpe vincit & confundit ſapientiam.

Superbia tandem confunditur.

Hujus inſperati eventus quæ cauſa eſt? Hæc ſcilicet, quia homines non confidunt in Dominum, ſed præſumunt de propria juſticia, ſapientia, potentia, contra verbum & voluntatem Dei. Vult enim Deus, nos tantum confidere in ipſius virtute & miſericordia, Sed homines id nolunt, & putant ſe ideo potentes, juſtos, ſapientes eſſe, ut in his dictis confidant, & de ijs præſumant. Merito itaque ſunt infelices. Cur enim quod poſſunt, non faciunt, & faciunt quod non poſſunt? Digni itaq; malo ſunt, ſecundum proverbium Germanicum, quia conantur quod præſtare non poſſunt. Ergo maneamus in humilitate, & moderate ſentiamus de dono noſtro, non judicemus, non premamus alios, non ſimus ingenioſi in aliorum laboribus, ſed ſinguli faciamus quod noſtræ vocationis eſt, ac huic vitio obſiſtamus tanto diligentius, quanto id natura nobis omnibus adhæret altius, quanquam in uno plus, in alio minus ſe exerit, Sicut etiam Gentilium hiſtoriæ oſtendunt. Cicero eſt ambitioſior Demoſthene, fortaſſe quod in ampliore imperio & potentiſſima monarchia vixit. Iulius Cæſar eſt ambitioſior Auguſto, Sic in ſacris, pertinaciam cum ſuperbia conjunctam habet Pharao. Porro omnia exempla tum ſacrarum literarum, tum Gentilium, eundem eventum & exitum oſtendunt, quod præter ſpem ſuam immerſi malis, confunduntur & pereunt, Sed, ut dixi, nos relicta hac generali ſententia, interpretabimur Pſalmum de ſpirituali ſuperbia, quæ conſiſtit in opinione ſapientiæ & juſticiæ.

Moderate de ſe ſentiendum &c.

Cicero.

Iulius Cæſar. Pharao.

I. *Domine non eſt exaltatum cor meum, neq; elati ſunt oculi mei, Nec ambulavi in magnis & mirabilibus ſuper me.*

Davidis humiliatio. Phariſæi, Luc. 18.

Quod David hic gloriatur, facit doctus experientia, Q. d. Senſi quantum mali ſit efferri animo, & ſecurum eſſe in juſticia, Itaq; non ero amplius ſuperbus, non gloriabor amplius de juſticia propria. Nam ſuperbus Phariſæus, qui gloriatur ſe non eſſe ſicut cæteri ſunt, is ad primam vocem accuſantis conſcientiæ concidit, & pavore exanimatur, nec poteſt contra leviſſimum peccatum conſiſtere, taceo montes & maria peccatorum, quæ uno momento extinguunt præſumptuoſos & ſecuros, Bonum itaq; eſt, inquit, quod tu me humiliaſti, & docuiſti per afflictiones, ne ſuperbirem, ne mihi viderer ſanctus, ne me conſtituerem tanquam executorem juſticiæ, judicantem & condemnantem omnes. Nam hoc omnium juſticiariorum proprium eſt, judicare alios, & ſe conſtituere tanquam *censorem reliquorum, Sicut exemplum Phariſæi in Evangelio oſtendit, qui non poteſt ſimpliciter commemorare virtutes ſuas, niſi etiam miſerum publicanum ſimul damnet. Hoc proprium peccatum eſt naturalis, legalis, & civilis juſticiæ, ut damnet alios, ut invadat tribunal Dei, & pronunciet contra eos, quos videt tanquam in inferiori gradu poſitos eſſe. Qui eſt bonus

Iuſticiarij judicant timere.

*censionem.

Proprietas civilis juſticiæ.

bonus civis,qui eſt eruditus Iureconſultus,admiratur ſe,& tantum non conſtituit ſe ſibi idolum quoddam,Alios autem judicat,& præ ſe contemnit. Ruſticus qui non omnino eſt ſtupidus, cum videt aliquod ſuiMagiſtratus erratum,cogitat ſicut ſervulus in Comœdia reprehendens avariciam heri ſui, Oh me Regem eſſe oportuit.

De juſticia non magis erat præſumendum quam de artificio quod exercemus.

Hæc politica ſunt plena vanitatibus & ſtultiſſimis ſtulticijs, quibus tamen nemo poteſt abſtinere, niſi Spiritus ſanctus moderetur corda ac gubernet,& doceat nos,quod juſtitia illa,ſive naturalis,ſive moralis, ſit tanquam opificiū quoddam,per quod coram Deo nihilo ſimus meliores. Ac nemo ſane tam ſtultus eſt, qui ſe meliorem Chriſtianum, & Deo gratiorem eſſe conſtituat, quod ſartor,ſutor,ſigulus,faber &c. ſit, Sed cum plane eadem ratio ſit juſticiæ, ſive moralis,ſive naturalis, nemo tamen eſt, qui non de ea præſumat, niſi Spiritus ſanctus in viam revocet. Habet enim ſpeciem ſanctitatis, Itaq; animi inflantur, donec humiliati diſcant, nihil in ea juſticia eſſe præſidij coram judicio Dei. Quoties vidimus magnos Theologos, cum magno ſupercilio inter homines verſatos, tandem deſperatione quadam cum jam morti vicini eſſent, ad ſtultiſſimas nugas confugiſſe, & induiſſe cucullum Monaſticum? Sic memini magnum virum, & qui primam laudem inter Iureconſultos habuerat,in articulo mortis dicere, O ſi ſubulcus potius quam Iureconſultus fuiſſem. Sentiebat enim in eo periculo etiam diligentem juſticiæ adminiſtrationem nihil opis afferre. Sic Cicero cum ob Auguſti & Antonij potentiam,periculum ſibi judicaret imminere,nullum præſidium eſſe ſentiebat in omnibus literis,ſed vaneſcebat omnis eruditio, & ſtudium illud ingens Philoſophiæ. Idem Demoſtheni accidit fugienti Antipatrum, In ſumma, Omnia hujuſmodi exempla docent verum eſſe quod Salomon dicit, Qui exaltat domum ſuam,quærit ruinam.

Magni viri in periculo animo franguntur.

Cicero.

Demoſthenes.

Sed hoc aulici noſtri non credunt, Queruntur adhiberi ad Principum negocia Scriptores (ſic enim appellant eruditos) nobilitatem autem negligi. Sed cum ipſi ad negocia adhibentur, ſic ea gubernant, ut tanquam currus in altum cœnum demerſus,neq; retrahi nec promoveri poſſit. Recte & juſte. Cur enim conantur quod non poſſunt præſtare? Hæc cauſa eſt, cur fere Imperia nihil ſint quam ruinæ & cædes, Quis eſt,qui ſi diligenter adminiſtrationem, quæ ſub primis Cæſaribus fuit, conſideret,vel unum diem conſiſtere poſſe imperium Romanum putet? Sicut enim Livius dicit, neque vitia, nec remedia ſua videtur ferre poſſe, ſed ſimpliciter mole ſua ruere,ſicut ædificium nimis altum.

Aulici nobiles imperiti.

Sed longe plus periculi eſt, cum in religione homines elatos oculos habent, & ambulant in mirabilibus ſuper ſe,hoc eſt, cum ſibi placent ob ſanctitatem,ac videntur ſibi ſedere in ſinu Dei, & tamen nihil norunt de propitiatione & remiſſione peccatorum,ſed ſimpliciter incedunt in ſuis operibus,quod jejunant bis in ſabbato, quod dant decimas,quod non ſunt adulteri, raptores &c. etſi cor plenum ſit omnis generis fœdis cupiditatibus. Hæc præſumptio manet uſque dum occupemur periculis mortis,tum omnia illa præſidia elabuntur de manibus,& ſequuntur voces illæ deſperationis,Perdite vixi, vota, regulam noſtram, non ſervavi &c. Cur itaq; es factus monachus? Nonne ut aſcenderes ad juſticiam? Sed ſic deſcendiſti ad infernum,quia voluiſti exaltari. Qui non exercentur hujuſmodi tentationibus, moriuntur ſicut vaccæ.

Præſumptio juſtitiæ.

II. *Quando animam meam non poſui & compeſcui, tunc erat anima mea ſicut ablactatus à matre ſua.*

Hic palam dicit de experientia ſua, quod viderit quantum periculi ſit in præſumptione juſticiæ. Quare diſcamus quid ſit,quod Epiſtola ad Ebræos dicit, ἀμαρτίαν εὐπερίστατον ubique circumſtans peccatum, & præſens,nec ſequamur temeritatem vulgi, quod non ita multis concionibus auditis, putat ſe totum Evangelium ſatis cognoviſſe, Audiſti fortaſſe totum, ſed totum nondum credidiſti, nondum experientias illas fidei, orationis,crucis, quæ in Chriſtiano præcipuæ ſunt,didiciſti,

Circumſtans peccatum.

v. 12.

vobis cavete, ponite vos in numero discipulorum. Satan enim ejusmodi artifex est, ut facilè discrimen hoc tollere, & loco Evangelij legem, rursum loco legis Evangelium possit obtrudere. Quoties enim accidit laborantibus in agone mortis, ut miseræ conscientiæ apprehendant quasdam Evangelij sententias, quæ vere ad Legem pertinent, & per eas Evangelij consolationem amittant? Qualis hæc est, Si vis vitam ingredi, serva mandata Dei, Item hæc, Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Hujusmodi sententijs sic nonnunquam confunduntur mentes, ut nihil videant, quam quid sit à se factum, quid fuerit faciendum, Item quid Deus exigat, quid prohibeat. Hæc dum corda intuentur, obliviscuntur omnium, quæ Christus fecit, & Deus per Christum facienda promisit. Quare nemo præsumat se hæc plene esse assecutũ, Verbo quidem distinctio hæc facilis est, sed in morte & periculis experimur, quam non simus boni Dialectici, quando scilicet incidit disputatio de factis & faciendis, Cum Lex objicit, hoc præcepit tibi Dominus faciendum, Tu autem non fecisti, Sed fecisti contrarium, Damnaberis itaq; secundum sententiam Legislatoris. Hic qui bonus Dialecticus est, distinguit inter Legem & Evangelium, & concedit quidem Legẽ se non fecisse, Sed ad hoc antecedens, inquit, non sequitur illud consequens, ut ideo desperem & damner. Evangelium enim jubet in Christum credere, & Christi operibus ac justicia niti. Qui ad hunc modum discrimen hoc tenet, & hanc mammam Evangelij apprehendit, salvatur & vincit, qui non apprehendit, perit & desperat.

Discrimen legis & Evangelij usu difficillimum est.

Si vis in vitam ingredi &c.

Disputatio de factu & faciendo.

Evangelij vox.

In hoc igitur loco de justicia coram Deo plurimum est periculi, itaq; non præsumendum, sed cum timore humiliter agendum est. Si enim præsumptio in politicis, cum aut opum aut potentiæ aut sapientiæ fiducia inflantur animi, nunquã sine periculo abit, in Theologia longe periculosissima est, & tamen ibi maxime est. Satan enim ad filios Dei venit, & conatur omni studio in præsumptionem & securitatem eos inducere. Quare quotidie contra hanc latentem pestem pugnandum est, & cavendum præcipue, ne quis sibi placeat, quasi teneat distinctionem Legis & Evangelij. Tenere quidem potes, sed hoc vide, num etiam firmiter teneas, ita ut non possit excuti à conscientia & Satana. Paulus certe libere fatetur, se nondum apprehendisse, sed sequi hanc cognitionem tanquam in stadio metam. Sic nos omnes sumus, faciem quidem ad metam tendimus, & in eo sumus ut eam attingamus, Sed id non fit ante carnem exutam & humatam. Quare in timore interim ambulemus, orantes ut lucem quam Dominus ostendit, non sinat extingui, sed quotidie magis illuminet mentes nostras, & perficiat opus quod in nobis cœpit. Hoc qui non faciunt, obruentur desperatione & erunt similes ablactatis.

Præsumptio in Theologia periculosissima est.

Phil. 3.

III.

Speret Israel in Domino, ex hoc nunc & usq; in seculum.

Hic versus clare ostendit Psalmum loqui de ea præsumptione, quæ proprie contra fidem est, & vocatur præsumptio justiciæ propriæ. Ideo hortatur, ut confidant in Domino, & discant firmi esse in humilitate & mortificanda fiducia, quæ est in adjutorio Legis & propriæ dignitatis. Hoc inquit, tum fiet, si confidatis & speretis in Domino, non hodie, aut cras tantum, sed nunc & in æternum usq;, ut quædam æterna sit præsumptio (sic loquendo) misericordiæ Dei, remissionis peccatorum & justiciæ per Christum donatæ. E contra, ut nunquam ne uno quidem momento præsumatis de vestris operibus, quanquam ea sancta & legi Dei conformia esse debent. Nam hæc unica & nudissime nuda fiducia manere debet, quæ vocatur fiducia & spes misericordiæ Dei in Christo exhibitæ. Hæc fiducia firma est. Deus enim nón mentitur, sed fideliter servat, quod promisit, tu modo perpetuo & fideliter in eum confidas. Sed hic à Satana periculum est, omnibus viribus conante, ut nos ab hac firma fiducia abducat. Pugnandum itaq; est, & hæc doctrina est quotidianis certaminibus contra Diabolum & nequitias spirituales exercenda, quæ nihil aliud agunt & moliuntur, quam ut primum nos erigant in præsumptionem, & deinde iterum dejiciant in desperationem.

Hortatur ad fiduciam in Deum, & pugnare adversus præsumptionem propriæ justitiæ.

Fiducia misericordiæ &c.

Satan inflat ut dejiciat.

Contra Deus primum per Legem suam terret & dejicit, ut postea elevet, deducit

Deus dejicit ut exaltet.

ducit ad inferos,ut reducat,Mammam gratiæ etiam juſtificatis nonnunquam ſubtrahit,ut diſcamus quid noſtra ipſorum juſticia ſoleat facere, nempe, quod ſolet opprimere deſperatione, Vt poſtquam hoc experti ſumus, non ſequamur noſtrum ſenſum,ſed erigamus nos fiducia Chriſti,qua mortui vivificantur,& ſalvantur. Hæc miſericordia eſt ceu cœlum, quod ſemper manet firmatum ſuper nos, quo tecti,ubicunq; ſumus,ſecuri ſumus. Sic Eſaias vocat umbraculum contra æſtum,quod miſericordia Domini tegimur contra iram, deſperationem, Diabolum,& mortem. Hoc umbraculum qui deſerunt,patientur intolerabilem æſtum. Ad hunc modum docet hic verſus,loqui Davidem de damnabili illa præſumptione juſticiæ propriæ,& hortatur contra eam luctari per ſpem miſericordiæ æternæ & per æternam fidem,Hæc unica via eſt qua ſervamur.

Vmbraculum contra æſtum.

Eſa.4.

PSALMVS CXXXII.

Memento Domine David.

Argumentum Pſalmi.

HIc Pſalmus,ſive Salomonis eſt, ut quibuſdam videtur, ſive Davidis, eſt oratio pro regno & ſacerdotio. Hæc enim duo ſunt præcipua dona in hac vita & hoc mundo. Ideo opus habent oratione & auxilio Dei,ut contra Diabolum defendantur, cujus duplicem titulum noſtis, quem ei Chriſtus tribuit in Evangelio Iohannis,cum vocat mendacem & homicidam. Non enim quieſcit, ſed omnia quærit & conatur, ut mendaciis & cædibus involvat mundum. Adverſus has Diaboli artes & regna, erexit Deus alia duo Regna, ſic enim vocare libet, Politiam & Eccleſiam, ſeu regnum & ſacerdotium contra cædes & mendaces doctrinas. Sic David, Reges & Principes omnes adminiſtratione politiæ, debent hoc ſtudere, ut tranquillam vitam agant ſubditi, ut conjugia,liberorum educatio, & alia officia œconomica in pace poſſint conſiſtere, & defendi contra ſeditioſos, & cupiditatem hominum. Sacerdotium autem pertinet, ut ſubnaſcens proles deducatur ad Regnum cœlorum, & miniſtri Eccleſiæ ſunt ceu Angeli poſiti ad defendendam veritatem, ut deſtruatur regnum Satanæ, patris mendaciorum. Hæc ſunt propria ſacerdotum officia, quæ ſemper in mundo inter fideles extitere,& continuum bellum geſſere contra Hæreticos.

Diabolus mendax & homicida.

Finis politiæ.

Iohan.8.

Finis ſacerdotij.

Patriarchæ. Prophetæ, Apoſtoli.

Sic Patriarchis certamen fuit ante diluvium contra Cainitas, Poſt diluvium contra Eſavitas & alios,Prophetæ belligerati ſunt contra falſos Prophetas,ſicut teſtantur ipſorum conciones. Apoſtoli,contra Pſeudoapoſtolos, Neq; enim Satan ceſſat. Porro ſemper majus fuit regnum Satanæ, Nam ſi Eccleſiam ſpectes, ſemper plures fuerunt infideles quam fideles. Sic in politia,ſemper major pars eſt eorum,qui non obediunt,qui turbas & bella movent, quam qui officium faciunt & obediunt. Cum igitur regnum Satanæ (ſi numerum ſpectes) longe ſit amplius, deinde tum Politia, tum Sacerdotium ejuſmodi res ſint, quæ longe ſupra vires humanas poſitæ ſunt, Itaque noſtris viribus defendi & retineri non poſſunt, Palam eſt,quam neceſſaria hæc oratio ſit,qua David utrunq; fortunari & conſervari poſtulat.

Quid gentes ſenſerint de gubernatione imperiorum.

Atq; hic primum vide differentiam inter regem Davidem & alios Reges mundi. Sentiunt & vident hoc alij quoque,Reſpub.humana vi retineri non poſſe,Itaque dixerunt, ſingulari afflatu numinis opus eſſe ei, qui bene & feliciter velit regere. Ac quanquam neſcirent divinitus juſta gubernari,tamen fortunam (ita enim appellant benedictionem,cujus cauſam non norunt)prætulerunt ſapientiæ, potentiæ, juſticiæ,& omnibus imperatoriis virtutibus. Quia enim juſti viri fere opprimuntur,injuſti autem dominantur, judicarunt juſticiam non eſſe principalem cauſam retinendorum Imperiorum,Alioqui non occubuiſſet Cicero,Antonius autem non eſſet evectus ad tantam potentiam. Si potentia vero retinerentur imperia,non viciſſet Themiſtocles Xerxen. Sic multis claris Imperatoribus non

Cicero. Antonius. Xerxes à Themiſtocle victus.

defuit

defuit ſapientia & induſtria, & tamen fuerunt infelices. Hæ experientiæ coegerunt etiam Gentes,ut divinitatem aliquam adderent magnis Imperatoribus,quæ regeret ſapientiam,potentiam,& juſticiam,atq; hanc fortunam dixerunt.

Sed mihi hic Davidem vide.Hoc etiam videt,non eſſe ſuarum virium,retinere regnũ, Sed non fortunam eſſe ſentit,quæ imperia conſervat, Deum enim judicat eſſe cauſam,Deinde ſtatuit, ſicut audiemus, Deum propter miſericordiam non defuturum orantibus, Gentes neutrum horum norunt. Porro eadem neceſſitas, quæ incumbit Magiſtratui,ut pro Repub. orent,etiam incumbit, ut oretur pro Eccleſia. Iohannes Apoſtolus prohibere non potuit, quin naſceretur Cerinthus, Poſteriorib. temporib. prohibere Eccleſia non potuit,quin Arius, Sabellius, Novatus,& alij hæretici exorirentur, Nos hodie non potuimus prohibere, quin exorirentur profanatores cœnæ Domini, Bapriſmi, &c. Studioſe quidem docuimus Eccleſias, neq; quicquam deſiderari ſumus paſſi,quod pertinebat ad noſtrum officium,Sed hoc non ſatis fuit.Quid igitur faciendum eſt? nempe hoc,quod Pſalmus ait, ut dicamus,Memento Domine David,ut ſanctificetur nomen tuum,ut fœdi iſti profanatores luant pœnas turbatæ pacis & Eccleſiæ,&c.

David ſentit imperia divina tm gubernari.

Cerinthus. Arius.

Profanatores cœnæ Domini.

Ad hunc modum eſt Pſalmus oratio pro veteri populo,ut Deus regnum & Sacerdotium propter promiſſiones Davidi factas ſervare velit. Eſt autem nobis quoq; uſui, quod etiam nos habemus noſtrum Davida,& Ephratam, in qua invenimus tabernaculum Dei noſtri, Res enim manent eædem, tantum ſignificatio vocabulorum immutanda eſt. Sicut autem ipſi periclitati ſunt in utroq; ita nos quoq; periclitamur. Quare una recte canemus hoc, MEMENTO. Porro ſequar ſententiam literæ ſimpliciter,quomodo à populo veteris Teſtamenti oratus ſit. Facile enim eſt poſtea eum applicare ad noſtra tempora. Sicut autem regnum duplex erat, hoc eſt, regnum corporale & ſpirituale,ita quoq; dividitur Pſalmus in duas partes. Primum enim orat pro Eccleſia,deinde pro politia.

I.

Memento Domine David,& omnis afflictionis ejus.

Manſuetudo.

Vocabulum Hefed afflictionem, humiliationem, oppreſſionem ſignificat. Hieronymus fere ubiq; vertit pro manſuetudine, Sed circumſtantiæ arguunt eum loqui de Davide multa paſſo propter promiſſionem divinam.Sicut enim hiſtoria Regum oſtendit, perſequitur eum Saul immani odio. Sed cur? Nimirum ideo, quia à Samuele, vivente adhuc Saule, in Regem unctus erat, Hinc perſecutiones illæ,odium, invidia,obtrectatio,& omnis generis pericula in eum derivata ſunt. Quod autẽ horum ſive Salomo filius, ſive totus populus in oratione & conſpectu Dei meminerunt, non fit eo modo, quo Papiſtæ putant, ut David pro ipſis intercedat, Sed loquuntur de Davide habente promiſſiones,ac Deum per Davidem illarum promiſſionum commonefaciunt,ſicut Paulus quoq; loquitur de Abrahamo. Quare nomen Davidis non eſt accipiendum abſolute tanquam loquatur ſolum de perſona ejus. Loquitur enim de Davide non ſimpliciter, ſed ſecundum aliquid,hoc eſt,de Davide promiſſario, ut ſic dicam, ſeu habente promiſſiones, & veſtito divinis promiſſionibus,ut magis intelligas formam quam materiam. Formam enim docendi cauſa voco,promiſſionem,Materiam autem,ipſum Davidem,cui promiſſiones factæ ſunt.

Meminit Davidis pro & promiſſiones ipſi factas.

Rom. 4. Gal. 3.

Eſt itaq; hæc ſententia,Domine Deus oramus pro regno non tanquam digni & meriti ut exaudiamur,ſed ſicut Daniel loquitur,proſterniimus noſtras preces coram te in multis tuis miſerationibus,nitentes eo, quod Davidi promiſiſti, te facturum,ut Regnum noſtrum ſit perpetuum. Ita pulcherrime orditur orationem, ſtatim in ipſo veſtibulo oſtentans promiſſionem. Hoc exemplum utiliſſimum eſt,ut oraturi appareamus coram Deo tanquam miſeri peccatores, non confidentes noſtro merito, neque nitentes dignitate noſtra,ſed quaſi induti miſericordia & promiſſionibus ipſius. Non ſicut ille, qui dicit, Bis jejuno in Sabbato, Sed memento Domine promiſſionum tuarum. Nam promiſſiones aliud nihil ſunt, quam miſerationes & miſericordiæ gratis oblatæ.

Nomen Davidis includit promiſſiones, atq; ideo etiam miſericordiam.

Phariſæus Luc. 18.

Quomodo mentionem faciat afflictionum.

Ad hunc modum quod afflictionum meminit, etiam non facit id abſolute ſeu ſimpliciter, ſed ſecundum aliquid. Intelligit enim proprie afflictiones toleratas propter Promiſſiones, in quibus afflictionibus David. promiſſiones tenuit, nec paſſus eſt ſibi eas excuti, Deus quoq; eas Davidi ſervavit. Sicut igitur, inquit, Davidem, omnia propter Verbum tuum tolerantem, & nitentem Verbo tuo ſervaſti, Ita nos quoque nitentes promiſſionibus tuis ſerva, ut perficias, quod operatus es in nobis. Ad promiſſiones enim omnia referenda ſunt, ſicut Moſe quoq; facit cum dicit, Memento Abraham, Iſaac, &c. Non enim, ſicut indocti Papiſtæ ſomniant, invocavit Abraham & Iſaac, ſed promiſſiones, allegat, ipſis de Semine ſeu poſteritate factas. Harum quomodo poteſt Deus rectius commoneri, quam cum iſti nominantur quibus promiſſiones Dominus fecit? Has Sancti opponunt indignitati ſuæ, peccatis, & demeritis ſuis.

Sancti veteris Teſtamenti ſunt Papiſtæ etiam de invocatione Sanctorū.

Papiſtarum Idolatria.

Hæc diligenter ſunt inculcanda, ne degeneremus in abſurditates Papiſtarum, quorum Theologia ſcholaſtica plane nihil novit de promiſſionibus Dei, ſed cum hæ ſint potior pars ſacrarum literarum, tamen eas non intelligunt. Alteram autem partem, nempe Legem, tenuiter tradunt & ſemiplenam. Ideo hujuſmodi ſententias ſic exponunt, q.d. Pſalmus, Memento Davidis, quam ſanctus & bonus fuerit, ac ſine, ut per merita ejus, quæ in nos ſupererogavit, habeamus Regnum &c. Hæc ſententia autem, palam eſt idolatrica, Apprehendit enim nudam materiam ſine forma, ſeu perſonam activam tantum. Sicut Iudæi putant propter ſua merita ſe velle impetrare Meſſiam. Ad hunc modum plane eadem religio Turcarum, Iudæorum, & Papiſtarum eſt, pariter enim nituntur ſua dignitate. Nos autem perſonam activam, cum ad Dei conſpectum ventum eſt, abjicimus, & volumus paſſivam perſonam indutam promiſſionibus, hoc eſt, talem Davidem, qui ſpargat in nos non ſua merita, ſed promiſſiones datas & conſervatas in omnibus afflictionibus. Hujuſmodi Davidem Papiſtæ non norunt. Cum itaq; tantum norint activum Davidem, ex eo poſtea idolum faciunt. Non norunt eum ita ſanctum eſſe, ſicut tota Eccleſia eſt ſancta, Non quia habet bona opera, ſed quia habet promiſſionem gratiæ, quæ vere ſinus & uterus eſt, in quo Eccleſia geritur & nos omnes.

Eadem religio Iudæorum, Papiſtarum, Turcarum.

II. *Quia juravit Domino, votum fecit Deo Iacob.*

Hæc videntur ad Salomonem non inepte referri poſſe, tanquam autorem hujus Pſalmi. Vult enim dicere, Tu promiſiſti Davidi regnum, David rurſus promiſit tibi templum, hoc nunc perfectum, & impletum votum eſt. Serva jam tu quoq; promiſſum tuum, ut huic loco & populo adſis. Ad hunc modum offert templum, & arcam in fide promiſſionis Davidi factæ, de lucerna non extinguenda, ac rogat eam promiſſionem ſervari. Porro de hoc voto nihil loquitur ſcriptura, tantum enim habetur illa conſultatio cum Propheta Nathan 2. Reg. 7. Sed autor voluntatem Davidis vocabulo juramenti & voti voluit commendare, quod fixum habuerit, in animo, hoc modo gratitudinem declarare, & teſtari fidem ſuam in promiſſionem Dei.

2. Reg. 7.

Votum Davidis.

Potens Iacob.

Vbi Latinus fecit Deo Iacob, in Ebræo eſt, Abir, quod magnum & potentem ſignificat. Hoc nonnunquam tribuitur Angelis, ſæpe etiam tribuitur adjective alijs rebus, quibus fortitudo & robur quoddam ineſt, ſicut bovi &c. Hic autem inſigne fidei vocabulum eſt, quod Deus ſit potentia ſeu vis ſui populi. Sola enim fides Deo hoc tribuit, Ratio & caro plus tribuit opibus & alijs præſidijs carnalibus, quæ ipſa intelligit. Sed quicquid ejuſmodi carnalium præſidiorum eſt, vere ſunt idola, quæ fallunt. Iſta autem eſt virtus, vis & robur populi quod Deum habet. Hæc virtus, in medio hoſtium hunc quaſi pugillum populi Iudaici conſervavit. Porro ideo hoc vocabulum Deo tribuitur, ut intelligas eum ſolum eſſe, qui dat virtutem & victoriam. Sic alio in loco textus dicit. Alij in curribus & equis, nos autem in nomine Domini. Sic Paulus dicit, Confortamini in potentia ipſius. Nam hoc robur æternum eſt & non fallit, Reliqua præterquam quod fallunt etiam ſunt momentanea. Hinc ſequitur forma juramenti.

Virtus populi Dei.

Pſal. 20. Gal. 6.

Siin-

Si introiero in tabernaculum domus meæ, Si ascendero in lectum III.
strati mei.

Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis quietem. IV.

Donec inveniam locum Domino, tabernaculum potenti Iacob. V.

Est hæc περιφραστολογία usitata Ebræis, cùm magnum studium significant, nos una figura diceremus hoc totum, non acquiescam priusquam Domino invenero habitaculum. Neq; autem hic necesse respondere ad puerilem illam quæstionẽ, quomodo poterit hoc juramentum consistere, cùm neq; David templum ædificaverit, nec si ipse ædificasset potuerit opus absolvi, nisi sæpius conscenderet lectũ suum, & dormiret. Nam de voluntate seu animo loquitur, quod David ad hoc opus perficiendum affectus fuit. Porro voluntas seu animus artificis complectitur omnes causas, materialem, formalem, finalem & efficientem etiam. Quoniam itaque, sicut in Regum libro ostenditur, David indignum esse ratus est, si ipse habitaret in cedrina domo, arca autem sub pellibus esset, explicat hæc figura summam voluntatem, qua optavit hanc indignitatem tollere.

Porro hîc iterum notabitis, cùm de tabernaculo potentis in Iacob loquitur, quod sancti Patres & Prophetæ non simpliciter Deum in cœlis habitantẽ speculati sunt, sed Deum apprehensibilẽ in certo loco, & quasi persona quadam indutum. Deus enim per se est natura infinita, ideo cogitationibus simpliciter apprehendi & circumscribi nequit. Respicit igitur David ad verbum, quo Deus se alligarat ad arcam, quam cùm in templum collocaturus erat, vocat templum, tabernaculum seu habitaculũ Dei Iacob. Hîc sapientes Iudæi disputarunt, Deus infinitus est, stultũ igitur est putare eum rectius coli in isto loco quàm alibi. Sed laudãdi sunt oculi Davidis, Salomonis & aliorũ piorum, qui non vagabantur opinionibus suis in infinitum, sed verbum secuti, Deum tantũ eo in loco quærebant, ubi se inveniri velle verbo revelaverat. Qui ibi offerebant, dicebantur coram Domino offerre, qui adorabant, dicebantur coram Domino adorare. Sic Adam, Abraham, Iacob habuerunt altaria, ubi Deus se revelarat, & signo cœlesti confirmarat se ibi esse. Quia enim Idolatriæ peccatum nemo potest effugere, si non ipse Deus, locũ & modum cultus ostendat, Ideo semper in mundo piis certus locus ostensus est, de quo promissio fuit, Deum ibi esse, audire, loqui velle, &c. Nos hodie nullũ habemus locum corporalẽ, sed omnia sunt in Christo. In hunc unũ debent intenti esse oculi & corda nostra, solus enim est nostrum σίβασμα, ita ut rectè dicatur, extra hunc hominem Iesum, nullum esse Deum. Itaq; qui eum apprehendit fide, habet Deum, qui non apprehendit, Deum nullum habet, nec potest habere.

Tabernaculum Dei.

Altaria Patrũ

In Ebræo nomen tabernaculi plurale est, videlicet propter partes templi. Nam propitiatorium erat, in quo non licebat, nisi semel in anno comparere summo sacerdoti. Deinde erat Sanctum, in quod licebat solis sacerdotibus ingredi. Tertia pars erat Atrium, in quo reliquis tribubus adorare licebat, hoc est, vulgo pariter & Principibus. Etsi autem solis sacerdotibus in Sancta, & ad Propitiatorium ire concessum erat, tamen omnibus communis erat promissio, futurum ut ibi orantes exaudirentur. Inde accidit, ut qui etiam Ierosolymis non essent, tamen orantes faciem & oculos versus templum flecterent fiducia promissionis, quam Dominus tabernaculo affixerat.

Partes templi.

Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvæ. VI.

Hoc est, votum Davidis nunc est impletum. Prædicatur enim Dominus habitare in isto templo à Salomone ædificato, quod est ejusmodi, ut posthac non sit transferendum in alia loca, sicut hactenus accidit, jam in Gilgal, jam in Silo, tandem in Gabaa erat. Porro ubicunque erat arca, ibi simul Deus erat. Nam promissio arcam sequebatur ubicunque tandem locorum esset. Nunc, inquit, fixus & stabilis locus est, in quo arca & templum manebit, quod si in hoc loco non erit, nusquam in toto orbe terrarum erit.

Dominum habitare in templo Salomonis.

Ephrata eſſe, quid ſit.

Sed quid eſt,quod dicit in Ephrata eſſe? nuſquam enim legitur domum Domini fuiſſe in Ephrata,hoc eſt,Bethlehem. Etſi igitur figura paulò videtur eſſe durior,tamen certum eſt per Ephratam intelligi regnum Iudæ, cui præfuit David Ephrateus,ut idem ſit in Ephrata,hoc eſt,in Ieruſalem, ad quam David Ephrateus tranſtulit ſedem regiam. A rege itaq; Ephrateo,per Metonymiam, Ieruſalem vocatur Ephrata,ſicut etiam in Germanico ſæpè ſolemus,ut ſi dicam, Saxonia liberè confeſſa eſt Chriſtum Auguſtæ coram Cæſare & toto imperio. Hic Saxonia ſignificat Ducem illuſtriſſimum & perpetua memoria Eccleſiarum dignum IOHANNEM, electorem Saxoniæ,qui genere Saxo fuit,Sic dicimus,Pomerania regit Eccleſiam VVittembergenſem, hoc eſt, Iohannes Bugenhagen Pomeranus. Eo autem hac figura hoc in loco voluit uti Propheta, ut intelligas templum prædicari non propter Salomonem, qui templum ædificavit, nec propter populum præſentem confluentem ad templum, ſed propter Davida habentem promiſſionem iſtam. Sicut enim ſupra admonui,promiſſio eſt ſummum, quod conſiderari debet in omnibus,ad eam hic reſpicit & ſignificat ex promiſſione, non ex meritis datum eſſe templum.

Campi ſylvæ.

Repetitio ſeu παρολογία eſt quod addit in campis ſylvæ, Nam campos ſylvæ vocat Ieruſalem,ſicut Prophetæ ſæpius eam vocant Libanon,quod ex Cedris Libani ſit ædificata,& ligna Libani,quaſi migraſſe Ieroſolymam videantur.Superior itaque appellatio ex perſona, Hæc autem ex materia ei eſt indita. Pertinent autem hæ figuræ eo,ut diſcamus, quam magnum donum ſit habere locum, in quo verbum Dei docetur. Ibi enim eſt & conſervatur Eccleſia, hoc eſt, regnum cœlorum. Hunc locum,inquit,hic habemus,ubi templum eſt ædificatum promiſſione divina. Hic enim Verbum audimus,hic Deus nobiſcum loquitur, hic oramus & facimus omnia,quæ ad Dei cultum pertinent, hic vincitur diabolus, & omnes ejus inſidiæ,furores,mendacia,quibus Eccleſiam perturbare,& gloriæ Dei ac Eccleſiæ nocere conatur.

Locus in quo verbum Dei docetur.

VII. *Introibimus in tabernaculum ejus,adorabimus in loco,ubi ſteterunt pedes ejus.*

Gratulatio & adhortatio ad cultum divinum in tabernaculo, &c.

Hæc ſatis arguunt,de Ieruſalem eum loqui, ſiquidem loquitur de iis, quæ poſt Davidem acciderunt impleto voto, quod vovit. Eſt itaq; vox gratulatoria, & ſimul adhortatoria,q. d. Cùm habeamus locum verbo Dei deſignatum & firmatum,quid ceſſamus? quin imus aduturi ibi verbum Dei, oraturi, Deo acturi gratias,prædicaturi ejus Miſericordiam,& bonitatem? Hæc enim ferè ſunt, quæ in domo Dei,ſeu templo convenit facere. Verbum adorandi,geſtum ſignificat, nempe,ſicut ferè ſolemus orantes, incurvari & vultum advertere ad Dominum ſeu templum. Quod Latinus fecit,In loco ubi ſteterunt pedes ejus,in Ebræo eſt, Adorabimus ante ſcabellum pedum ejus,hoc eſt,ante propitiatorium,ſeu arcam, ubi Deus promiſerat ſe habitare velle,Vbicunque autem Verbum eſt,ibi vere eſt ſcabellum,habitaculum,cubile,& altare Dei,Sicut Prophetæ ferè ſignificant per verbum,quod Deus ſit præſens,ſicut econtrà cùm Verbum abeſt, verè Deus abeſt,& ſumus tanquam oves in deſerto ſine Paſtore.

Adorare.

VIII. *Surge Domine in requiem tuam,tu & arca fortitudinis tuæ.*

Hîc denuò appellat locum Verbi,requiem divinam, hoc eſt,tabernaculũ, habitationem,ſeu manſionem Dei,ſicut Chriſtus loquitur,manſionem apud eum faciemus. Eſt autem oratio hæc,quam ſubjicit ſuperioribus, q. d. Templum ædificatum eſt,ac nunc arcam in id collocamus,Surge igitur ad locum tuum & collocare,ut habites nobiſcum. Hæc enim eſt requies tua, Vis enim certo loco & modo coli,nec tibi placent variæ opiniones, & cultus varii ſecundùm inventiones hominum. Es quidem Deus cœli,& cœlum eſt ſolium tuum, ſed à nobis non ſic vis coli,hoc vis,ut agnoſcamus te hîc habitare, & ut in hoc uno loco te quæramus, &c.

Iohan. 14.

Requies Dei.

Porrò

Porro ſtultum & ridiculum eſt in cordibus ſapientum hominum, Deum affigere huic loco & ceu murem collocare in iſtas Sanctuarii tenebras, quod tantum ibi & nullibi alibi velit coli. Sic vicinas Gentes, quibus Iudæorum religio nota fuit, mirum in modum offendit, concludi hoc modo in angulum infinitam naturam, Sed Deus hominum cogitationes non ſolum non curat, ſed damnat quoque & ſtatuit, ex ſuo Verbo eſſe cogitationes nobis formandas. Vbicunq; ego, inquit, memoriam nominis mei fecero, ibi ero, q. d. Scio locum iſtum in Ieruſalem anguſtiorem eſſe, quàm ut me poſſit capere. Nam quem cœlum cœlorum non capit, quomodo antrũ id caperet, & tam brevis arca? Imo pro mea majeſtate & perſona mea non indigeo alicujus loci, ſed pro tua ſalute tu indiges ut ſit certus locus, in quo adores, me invenias, verbum audias, benedictionem accipias &c. Hoc tua neceſſitas poſtulat, ne, ſi ego talem locum tibi non deſtinem, Diabolus te decipiat, & tu cum credas me adorari & coli, ipſum Satanam adores & colas. Hoc periculum tuum cogit, ut ego conſtituam certum locum, in quo ſit memoria mea. Quanta quæſo fuit noſtra ſive inſania, ſive ſtulticia, quod alius Romam, alius Hiſpanias petijt, quaſi non ubique eſſet nobis præſens Deus invocantibus eum in nomine Chriſti? Quanta porro opinionum extitit varietas, cum ſinguli ſibi deligerent peculiarem modum colendi Dei? Hæc ne à populo Dei fierent, ſicut tamen Prophetæ oſtendunt eſſe facta, conſtituit Deus unum certum locum, ad quem convenirent, non quòd non etiam alibi eſſe poſſet, ſed ut populus haberet, quo cum veniret, certo inveniret Deum.

Exod. 20.

Certus locus in quo Deus invenitur.

Arca quidem fuit res corporalis, ſicut templa apud nos habent materiam, ex qua ædificantur. Sed quia Deus verbo ſuo ei corporali loco alligaverat ſuam præſentiam, erat verè habitatio Dei. Sic ſcimus Verbum eſſe incarnatum, Corpus itaq; Chriſti ſeu càro eſt corpus & caro vera, Humanitas ejus, eſt vera humanitas, ſed in carne, corpore, ſeu humanitate iſta, tanquam in ſpeculo quodam, exhibitus eſt nobis & propoſitus Deus, Deus in carne illa ſic apparet, ut extra hanc carnem nolit coli, & cognoſci non poſſit. Adoramus itaq; nos quoq; coram illa arca quæ nunc eſt, coram propitiatorio noſtro, homine Chriſto, & ſtatuimus, qui extra hoc propitiatorium adorant Deum, peccant, & ſunt Idolatræ. Sicut peccabant, & idolatræ erant, qui illo tempore alibi quàm in templo Deum quærebant, & colere volebant. Itaq; pii, etiam cum Ieroſolymis non eſſent, tamen orantes vertebant faciem ad templũ & Ieruſalẽ. Sicut Eccleſia hodie diſperſa per orbem terrarum, tamen in eo convenit, quod orat in nomine Ieſu, cujus paſſione & meritis nititur, Atq; ita per fidem in Chriſtum, eſt tantum una Eccleſia. Hujuſmodi ſententiæ igitur, quæ Deum fic alligant ad unum certum locum diligenter ſunt obſervandæ. Valent enim ad reſiſtendum omnibus idolatriis, & ad omnes doctrinas judicandas, Sicut Iudæi univerſalem hanc potuere ſtatuere, quod omnis cultus extra illum locum tabernaculi eſſet idolatria, Sic Patriarchæ potuerunt judicare de aris, quas in iis locis condiderunt, ubi eis apparuit Dominus. Neque enim templum contra templum, non ara contra aram, non arca contra arcam, fuit collocanda, ſed unum templum, una arca, una ara erat, ſicut nobis unus Chriſtus eſt, in quo Deus habitat & invenitur.

Arca fuit habitatio Dei.

Propitiatorium noſtrũ Chriſtus.

Altare patrũ.

Ideo magnifico titulo appellat arcam fortitudinis, hoc eſt, regni. Sicut Pſalm. 110. Sceptrum virtutis. Item. 8. Ex ore infantium perfeciſti virtutem. Sic arca fortitudinis ſeu virtutis, Vbi Deus potenter regit, auxiliatur, defendit, & exercet divinam virtutem ſuam pro ſalute hominum, exaudiendo eos, remittendo peccata, conſolando, juvando contra hoſtes, Satanam, mortem, &c. Hæc divina virtus, inquit, eſt alligata huic arcæ, ideo rectè appellatur arca fortitudinis. Fuit alligata aris Patrum, nunc alligata eſt homini nato ex Maria virgine. Ad hunc quicunq; acceſſerit, ſentiet virtutem divinam, Si moritur, inveniet vitam, Si premitur conſcientia & peccatis, inveniet remiſſionem peccatorum, Si divexatur à Satana, inveniet pacem, Si à mundo infeſtatur, inveniet ſecuritatem & victoriam. Nam Chriſtus, cujus regnum eſt, non ideo regnat, ut nos cumulet opibus, ut locupletet nos bobus, equis, agris, Hæc enim habemus ex primo Geneſis, Sed ut divinã virtutem faciat, & libe-

Pſal. 110. 8

Arca fortitudinis.

Propitiatorium noſtri Chriſtus.

& liberet ex illis malis, ex quibus nos noſtris viribus non poſſumus nos vindicare, ſicut fideles illius temporis liberavit ab omnibus periculis. Fuit enim arca eis tanquam cœlum, ubi invenerunt ſalutem ab omnibus malis, Ideo populus fuit Regnum cœlorum, & ſancti in populo fuerunt ſtellæ cœli, ſicut Scriptura & Prophetæ hujus populi religionem magnifice ornant, & hic arca appellatur, arca fortitudinis, hoc eſt, divinæ virtutis. Vbi enim Deus reſidet, ibi eſt regnum Dei, Reſidet autem in arca hac & populo iſto Ergo arca eſt cœlum, & quicunq; ſunt in iſto populo reſidentiæ divinæ, ſunt regnum cœlorum. Hinc Daniel de Antiocho, quod dejiciet ſtellas. Rectè enim ubicunque verbum Dei eſt, ibi ſtatuitur eſſe regnum Dei, cœlorum, vitæ, victoriæ mortis, peccati, & omnium malorum. Ad hunc modum, Verbum in mundo contemptibile, eſt magnificiendum.

Religio populi Iſrael.

IX. *Sacerdotes tui induantur juſticia, & Sancti tui exultent.*

Eadem petitio cum noſtra, qua petimus à Domino piòs miniſtros, &c.

Hæc petitio eadem eſt cum illa, qua nos in concionibus noſtris utimur, cùm rogamus, ut Dominus det ſanctos & bonos miniſtros Verbi, & prohibeat, ne malis doctoribus inter nos locus ſit. Nam Deus in regno ſuo eſt quaſi Cæſar quidam, Sicut igitur Principes ſunt Cæſaris miniſtri, & quaſi pars præcipua regni ejus, ita in Chriſti regno ſunt Angeli pacis, ſeu miniſtri Evangelii. Qui igitur pro regno Dei orant, hos neceſſe eſt orare, ut Dominus donet fideles miniſtros, Sicut alibi dicit, Meſſis magna eſt, rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Horum operariorum labor eſt, adminiſtrare Sacramenta, & communicare doctrinam, conſolationes, minas, &c.

Officium miniſtrorum Verbi.

Juſticia miniſterii, non perſonæ, propriè eſt.

Hoc igitur ut juſtè fiat, neceſſe eſt operarios juſticia indui, non ſolum privata illa juſticia, quæ ſingulorũ eſt, ſed maximè publica juſticia, quę eſt miniſterii ſeu verbi quæ nunquã poteſt eſſe corrupta. Quia etſi perſona poteſt eſſe vitioſa, tamẽ ipſa adminiſtratio Verbi & Sacramentorum, non eſt vitioſa. Neq; enim verbũ aliquid accipit à perſona, ſicut nec Sacramenta. Si igitur eſſem ego ſceleratiſſimus homo, & tamen ſecundum miniſterium & vocationem meam baptiſarem, Baptiſmus propter vitioſam perſonam non vitiaretur, ſed retineret puritatem ſuam, & eſſet purior ſole. Sic Verbum, quia eſt verbum Dei, eſt etiam purius ſole, utcunque vitioſus & peccator ſit, qui id docet. Sic Sacramenta ſanctiſſima & puriſſima ſunt, etiamſi per indignum hominem adminiſtrentur. Ad hunc modum loquitur de juſticia regente ac gubernante in hoc regno, non de perſonali juſticia, qua ſumus ſinguli juſti noſtris operibus. Hæc enim juſticia, quia nunquam eſt ſine vitio, ſecundùm ſententiam, Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, Ideo alia juſticia opus eſt, quæ nunquam ſit cum vitio. Ea eſt juſticia, qua adminiſtratur regnum Chriſti, nempe ipſum Verbum & Sacramenta.

Juſticia perſonæ in nunquam ſine vitio eſt.

Pſal. 32.

Juſticia miniſterii non eſt vitioſa.

Hinc facilè intelligitur, quàm puériliter de hac juſticia diſputant Iudæi, qui intelligunt juſtas veſtes & pompam Aaronicam. Etſi enim non licuit Sacerdotem aliter veſtire, quàm verbo Dei erat conſtitutum, tamen ea non eſt ejuſmodi juſticia, qua regnum hoc promovetur. Tum autem verè induti ſunt Sacerdotes juſticia, cùm juſtum officium adminiſtrant, hoc eſt, cùm Verbum purè docent, ſicut Petrus dicit: Si quis loquitur, tanquam ſermones Dei. Cùm Sacramenta purè adminiſtrant, ut quicquid tum loquuntur tum faciunt, ſit aut verbum Dei, aut opus Dei. Sic qui baptiſat, non facit aliquod ſuũ opus, quod aut ipſe finxerit, aut excogitarit, ſed baptiſat in virtute divina. Sic qui conſolatur afflictam mentem, facit id non ex ſua voluntate aut electione, ſed ex certo præſcripto divinæ voluntatis. Quare etiam qui Verbum id audit, non debet accipere tanquam Verbum hominis, ſed tanquam vocem de cœlo ſonantem. Sic juſtum eſt miniſterium, quod verè fit in virtute divina, & hæc eſt vera juſticia.

1. Pet. 4.

Sacerdotes Papatus ſunt induti iniquitate

Contrà qui ſic docent, ut jubeant fidere propriis meritis & operibus, ut certam veſtiendi, comedendi, jejunandi, &c. formam præſcribant, ſicut Papiſtarum & Turcarum juſticia tota in his externis conſiſtit, tales Sacerdotes ſunt induti iniquitate, injuſticia, blaſphemiis & ſacrilegiis. Amiſerunt enim præcipuum ornamentum

ſui

ſui miniſterii,& verum veſtitum,quod non verè docent,nec gubernant verè, ſed ſeducunt potius homines ſpecie gubernationis & miniſterii ſui, idq; impulſu Satanæ odientis hanc juſtam adminiſtrationem,& ſubvertentis Sacerdotes. Hæc calamitas in regno Chriſti accidit,ſicut videmus quoq; in regno mundi. Nam etſi Carolus Cæſar eſt,tamen alicubi Satanæ impulſu, ſeditiones & bella excitantur ab iis,quibus tyrannis gratior eſt,quam juſta adminiſtratio. Sed hoc modo etiam fit.ut boni cives impenſius ament juſtam adminiſtrationem, & pro ea diligentius orent,Idem in regno Dei accidit.

Summa hujus orationis.

Summa igitur hujus orationis eſt,ut qui apud arcam fortitudinis ſunt, juſtè gubernent,ne illa pulcherrimè conſtituta Religio collabatur, ut ſic extet fructus verbi,& pavidi animi erigantur,pertinaces & profani cohibeantur minis, infirmi confirmentur,ſimplices & imperiti doceantur, ſicut hæc Dei gratia, apud nos diligenter fiunt. Apud Anabaptiſtas,Sacramentarios,& alios non fiunt, quia enim doctrinam corruperunt,carent hoc ſancto ornatu juſticiæ. Nec poteſt aliter fieri,ubi paſtores errant,quin etiam populus doctorum errorem ſequatur. Eſt autem hæc maxima ira,ubi Sacerdotes,quos juſticia oportebat indutos eſſe, impietate ac blaſphema doctrina induti ſunt,ſicut econtra ſummum donum eſt, habere Sacerdotes juſticia indutos.

Miniſterium.

Deus non vult triſtem ſpiritum

Quod ſequitur,Et ſancti tui exultent,Satis pulchrè oſtendit,quæ Dei de nobis ſit ſententia,vel conſiliũ,nempe quòd Deus non delectatur inquietudine ſeu triſticia cordis,hoc eſt,mala conſcientia,quam peccatũ gignit & metus,qui naturaliter peccatũ ſequitur,ſicut econtrà bona conſcientia,læta &hilaris eſt,& pie ſecurũ animum facit. Cùm igitur ſint duo regna,regnum Mortis,& Vitæ, ſeu inferni,& cœli,optat ut ſancti in regno vitæ conſerventur,& fruãtur bona conſcientia, quam juſta ſacerdotum adminiſtratio præcipuè efficit. Cum hac precatione convenit precatio Apoſtolica, à qua Apoſtoli ſuas Epiſtolas ferè ordiuntur: Gratia vobis & pax à Deo patre, &c. Gratia eſt remiſſio peccatorum, Hanc ſequitur neceſſariò pax,ſeu bona conſcientia,quam hîc David vocat exultationẽ. Sententia igitur eſt,Sancti tui,hoc eſt,populus ſimul cum ſacerdotibus, audito vero Verbo juſti miniſterii,exultent in illo verbo,ſint ſecuri,triumphent,&c. Vocat autẽ Sanctos propter uſum verbi,& miniſterii quod ſanctũ eſt. Sic Iudæi vocabantur ſancti.quia ut ſuprà dixi,erant in illo populo qui habebat arcã,& verbum Dei,res verè ſanctas & ſanctificantes. Sic Eccleſia noſtra quoq; vocatur ſancta,non præcipuè propter perſonalem ſanctitatem,quam adeſſe neceſſe eſt, ſed potius propter ſanctitatem,quam Verbum & Sacramenta afferunt ad ritè utentes. His precatur læticiam,ut ſint in Domino læti & jucundi.

Gratia.

Pax.

Sancti.

Eccleſia ſancta

Eſt igitur ſententia hujus particulę hæc,quòd Rex noſter Ieſus Chriſtus ideo nobis dedit Verbũ,ideo juſſit nos baptiſari,& uti Sacramento corporis & ſanguinis ſui,non quòd nos occidere,tanquã veneno, aut contriſtare velit, ſed ut ſimus læti,jucundi,ſecuri,habentes pacẽ,& bonam conſcientiã per ipſius meritum. Ergo Chriſti regnũ eſt regnũ exultationis & ſalutis, ſicut alius Pſalmus quoq; oſtẽdit,In tabernaculis juſtorum,hoc eſt,in Eccleſia,eſt vox exultationis,quia norunt regem ſuũ Chriſtum hoc velle,ut per ipſum habeant conſolationẽ,vitam,ſecuritatem,& victoriam contra mortẽ & Satanam. Hæc igitur eſt Chriſtianorum, ſeu, ut hîc vocat,Sanctorũ exultatio & triumphus. Cur enim Chriſtianus contriſtaretur,aut doleret cùm per Evangelium in regnũ Chriſti & gratiæ vocatus, baptiſatus,& corpore ac ſanguine Domini refectus ſit,& quotidie verbo erigatur contra deſperationẽ & pavores? Si igitur reliqua eſt triſticia, non accidit id culpa hujus regni,non Verbi & Sacramentorum,ſed mea & Diaboli culpa, quòd Verbũ non vera fide amplector, nec penitus ei credo. Cur enim paverem,ſi verè crederem, me eſſe baptiſatum,vocatum, communicatum, & ſic inſertum in regnum vitæ, comprehenſum in gratiam,& concluſum in miſericordia Dei? Satanæ igitur hæ technæ ſunt,qui non ſinit nos videre noſtras opes & glorias,ſed fingit tentationẽ & cruces,ubi crux nulla eſt,ſed ſalus & victoria.

Exultatio Sanctorum.

Rectè

Quomodo contra triſticiam & Satanam erigendi ſint animi.

Rectè igitur prædicatur puella illa,quæ cùm tentaretur à Satana, reſpondebat,ſe Chriſtianam eſſe,& ſic a in eo viro acquieſcebat. Neque enim multis cum Satana agendum eſt,Si objicit peccata,rectè facis,ſi tu ei objicias Baptiſmum,quem ne ipſe quidem negare poteſt,quin habeas. Item,ſi Verbum,quo vocatus es in regnum Gratiæ ei objicias,quod cum Verbum Dei ſit,quomodo te falleret ? Ad hunc modum non poteſt in credente loco eſſe triſticiæ,ſiquidem agnoſcit in ſe Baptiſmum, Verbum,communionem corporis & ſanguinis Chriſti, gratiam, favorem, & miſericordiam Dei. Quomodo igitur poteſt non lætari & gaudere? Sed quia Verbum & illa Dei dona ſæpe patimur nobis excuti,&oculos alio convertimus,hinc neceſſe eſt oriri metum,triſticiam & deſperationem, Accidit autem hoc partim noſtra culpa, partim Diaboli,qui nos ne ſentientes quidem abducit à verbo,ut cogitemus de noſtris ſive meritis,ſive demeritis,Item de morte ſæviente,de inferno ardente. De his malis cùm cogitamus, ſine Chriſto perimus, abſorpti triſticia & doloribus. Hoc enim eſt arcam fœderis amittere. Qui igitur in hiſce periculis Verbum iterum apprehendunt,ſalvantur & admiratione quadam rerum ipſi ſecum Davidis exemplo dicunt,Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me, ſiquidem ſum in regno Chriſti,hoc eſt,in regno pacis,lætitiæ & exultationis æternæ quidem, niſi quatenus impeditur perDiabolum & carnem noſtram,quæ diligentius intuetur & pluris facit peccata & indignitatem propriam, quam Baptiſmum & ſuaviſſimas promiſſiones Dei. Hæc autem eſt ſapientia,imo peſtis abſcondita in carne noſtra,quòd magis afficimur immundicie noſtra quàm puritate Verbi & Sacramentorum. Quare qui in Verbo conſiſtunt, verè in portu navigant, ſecuri ab his procellis & tempeſtatibus terrorum.

a in Chriſto

Sapientia carnis.

Orandum, ut bonos paſtores habeamus. Regni Chriſti ordo.

Orandum igitur eſt,ut habeamus bonos Paſtores,& fideles diſpenſatores verbi Dei. Hi enim hujus boni occaſio ſunt. Nam regni Chriſti hic eſt ordo. Chriſtus tanquã imperator ſedet in Eccleſia,tanquã tẽplo,ſeu ſolio ſuo,Doctores, quaſi Principes ejus regni, purè adminiſtrant Verbum, ac verè docent, Horum officium ſeu gubernatio non eſt irrita. Itaq; Eccleſia triumphat, inſultat morti, peccato, & Diabolo,quia ſcit ſe eſſe ſub imperatore Chriſto,in gratia. Hæc eſt vera pax,nempe,pax cordis. In mundo enim preſſuram habet. Ad hunc modum,tanquam ſummum donum flagitat Propheta,ut Sacerdotes induantur juſticia, & poſtea populus exultet. Hæc prima pars eſt hujus Pſalmi, nunc ſequitur ſecunda pars.

Propter David ſervum tuum,non avertas faciem Chriſti tui.

X.

2. Pars Pſalmi precatio propoſitia. Davidis meminit propter promiſſiones factas

Hæc eſt nova precatio,quam totam inſtituit fiducia promiſſionum,hic enim, ſicut ſupra quoque vocabulum David,non ſignificat propriè ſubſtantiam illam, ſed qualitatem potius,hoc eſt, Davidem indutum,& ornatum promiſſionibus de regno, q. d. Oro te,ut etiam regnum noſtrum ſerves,& benedicas,& nobis adſis,hoc autem oro non ſimpliciter mea cauſa,quaſi dignus ſim,cui iſta largiaris,ſed fiducia promiſſionum,quas feciſti patri meo David.cùm dixiſti : Non defuturam lucernam domui David,&c. Pertinet autem hoc ad exemplum & ad doctrinam,ut nos quoq; oraturi potiſſimum ad promiſſiones reſpiciamus,ſicut ſuprà aliquoties admonuimus.

Promiſſiones duplices, Legales ſive conditionales.

Spirituales.

Promiſſio de ſemine.

Locus ex Eſaia 10.

Porrò hic nos locus admonet diſcriminis,quod eſt inter promiſſiones ſpirituales & corporales. Nam corporales promiſſiones habent additam conditionem noſtrorum operum,Sic Davidi eſt promiſſum regnum corporale, ſi poſteri ejus maneant in verbo & voluntate Dei, Tales ſunt reliquæ Legis promiſſiones. Nam eo nituntur,ſi populus cuſtodiat pactum Dei, ſicut in Moſe cernitur. Spirituales autem promiſſiones non nituntur conditione humanorum operum, ſed ſimpliciter miſericordia & veritate Dei. Itaque etſi populus Iſraël regno exutus, & è terra ſua pulſus eſt,tamen promiſſio de ſemine Abrahæ non eſt ſublata. Ita enim textus dicit : Etſi ejiciam & diſperdam eos,tamen miſericordiam meam ab eis non amovebo. Sic Eſaias: Faciet Dominus conſummationem & abbreviationem,hoc eſt,Dominus conſummabit & perdet populum,propter peccata ſua,& tamen propter miſericordiam ſervabit reliquias,ex quibus nova Eccleſia enaſcetur. Sic promiſſio hoc in loco de

Pſal. 89.

domo

domo David eſt conditionalis,& eventus oſtendit regnum totum everſum eſſe, & tamen verum hoc quoque eſt, quod Angelus dicit: Sedebit ſuper ſolium Davidis uſq; in ſeculum. Hæc contradictio nunquam poteſt conciliari,niſi tale diſcrimen promiſſionum Dei faciamus. Omnis autem Iudæorum error in hoc diſcrimine poſitus eſt,vident magnificas promiſſiones de terra & regno, Deinde etiam, quæ de regno Spirituali promiſſa ſunt,ea accommodant ad corporale regnum. Hinc ſurgunt eis illæ lætæ & pertinaces ſpes de regno reſtaurando, ſed facilè judicium eſt, quam ſtultè errent,ſed a videamus jam ad Pſalmum.

Luc. 1.

Iudæi error, quod non videt promiſſiones de terra conditionales eſſe.

a veniamus.

Cur Davidis mentionem faciat,diximus,Propter promiſſiones igitur Davidi factas,petit ne avertatur ſeu tollatur facies Chriſti,hoc eſt,Regis. Eſt enim appellativum nomen, quod ſimpliciter ſignificat Regem ſeu unctum, ſicut David dicit,nō mittam manū meam in Chriſtum Domini, hoc eſt,in Saulem verbo ſeu mandato Domini unctum. Porrò faciem Chriſti vocat,præſentiā Regis,ſeu ipſum regnū divinitus donatū & conſtitutum,q. d. Serva Domine populum tuū,jus,judicia,æquitatem,& totam adminiſtrationem politicam,ut omnia juſto ordine fiant,ne pax turbetur per ſeditiones & inteſtina odia,ne diſciplina per adulteria & reliqua ſcandala confundatur,aut deformetur. Hæc enim & his ſimilia ad regnum pertinent, neq; enim regnum petere,eſt ſimpliciter coronam petere, ſed pulchram & bene conſtitutam politiam,in qua tuta ſit innocentia, contra pravitas & ſcelera graviter puniantur. Hæc omnia flagitat Pſalmus,cùm rogat ne tollatur facies Chriſti.

Facies Chriſti quid.

Cauſa autem eſt,cur hoc potiſſimum petat,quòd in iſto populo ſit Eccleſia & verbum Dei,cui non poteſt eſſe laus,ubi cædibus,bellis,& legum contemptu omnia ardent. Sic Paulus quoq; jubet orari pro Regibus,ut vitam agamus in tranquillitate. Hodie ſub imperatore Carolo habemus aliquas Eccleſias benè conſtitutas,in quib. ſana doctrina & juſta Sacramentorū adminiſtratio floret. Orandū itaq; eſt,ne Deus tollat faciem Chriſti,ac bellis Eccleſias collabi ſinat. Nam ſub pace Cæſaris,eſt etiā Eccleſiarum pax. Ad hanc orationē diligenter hortamur noſtros. Quomodo igitur impii homines nos accuſare audent,quaſi ſimus perturbatores pacis? Mihi quidem dubium non eſt,ſi ulla re pax & tranquillitas conſervatur, fieri id potiſſimum noſtrarum Eccleſiarum precibus. Quid enim orarent adverſarii,aut quid Chriſtus largiretur ſuis hoſtibus & perſecutoribus? qui ne quidem quomodo orandum ſit norunt.

Pace opus eſt propter Eccleſiam.

1. Tim. 2.

Juravit Dominus David veritatem,& non fruſtrabitur eum,
De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

XI.

Diximus inſtitutam eſſe ſecundam partem hujus Pſalmi, in qua oratur pro regno politico. Hæc enim duo regna,politicum & ſpirituale,etſi ſunt inter ſe diverſiſſima, ita tamen conjuncta ſunt,ut alterum ſine altero, vel vix,vel omnino non poſſit conſiſtere. Vbi enim pax deeſt,ibi pietas ſine ſummis periculis non poteſt coli, contra,ubi Verbum deeſt,ibi ſine fine errandum eſt. Neceſſaria igitur oratio eſt pro pace politica & regno. Ad hæc cùm verbum accedit, eo major cauſa eſt, cur Deo agamus gratias. Diximus autem hanc quoq; orationē niti promiſſione Dei, In oratione enim præcipuè ſpectandum eſt,ut nihil oretur,niſi quod certum eſt,ac impetrari poteſt,propter hanc certitudinem,non ſolum præceptum de oratione traditum eſt,ſed etiam certa orandi forma & concepta verba,ut vocant,præſcripta ſunt. Cauſæ quoq; certæ oſtenſæ,pro quibus dum oramus,certi ſumus Deo gratam eſſe orationem. Sicut cùm oratur pro ſanctificatione nominis Dei, &c. Huc pertinet, quod in hoc loco promiſſio augetur juramēto,ut eo certior eſſet. Hæc promiſſio de regno temporali, ſicut eſt valde magnifica,ita quoq; occaſio mortis fuit multis ſanctis Prophetis. Sicut enim promiſſiones erigant afflictas & pias mentes,in ſuo vero & proprio uſu, ita quoq; in abuſu inflant ſecuros & præſumptuoſos, qui fiducia harū promiſſionū poſtea perſequuntur pios,ſicut manifeſta exempla in Prophetis ſunt,qui cùm caſtigarēt idolatriam Regum,& damnarent impios cultus,ac ideo minarentur interitum regno & populo,niſi eos abjicerent,tanquā hæretici rapiebantur ad ſupplicia, quod contra hanc & alias promiſſiones loquerentur. Et in ſpeciem ſane magnum argumentum fuit,quod Prophetis objiciebant,Si promiſit Dominus, quòd filii David in ſeculum

Politia ſervit Eccleſiæ, Eccleſia autem conſervat politiam.

Promiſſionibus inflantur impii, & ſæviunt in veram Eccleſiam.

sedebunt super sedem Davidis; impossibile est à Rege tale aliquid fieri, propter quod destruatur regnum. Profectò tam magnificam speciem Papæ regnum non habuit, quanquã is quoq; eodem modo promissionibus Christi abusus est, ad stabiliendã tyrannidem suam, & idolatricas abominationes. Quanto supercilio jactarunt, quod Christus Ecclesiæ suæ dixit: Vobiscum ero usque in finem seculi? quasi verò hoc ad Papæ nunquam interituram tyrannidem pertineat. Sic pulcherrima illa consolatio, portæ inferorum non prævalebunt, cruenta & sanguinaria facta est ac multis Sanctis exitio fuit, quod eam Papa sibi & tyrannidi suæ usurpavit. Hæc enim sola ratio fuit, quâ probaverunt, Papam non posse errare, tanquã Ecclesiæ caput. Ad hunc modum promissionibus, quibus Deus voluit suos erigere, impii & securi homines abutuntur contra verã Ecclesiam. Hæc erat causa, cur Amos Prophetam non posset ferre Amazia sacerdos, Amos 7. In medio domus tuæ, inquit, seditionem contra te movet Amos, Non potest terra sustinere sermones ejus. Sic enim dicit: Gladio peribit Ieroboam, & Israël captivus abigetur de terra sua. Quasi vero impossibile hoc esset, & Rex eo, quòd Rex erat, impunè peccare posset. Atqui postea res docuit, vanam istam fuisse fiduciam, Prophetam autem vera dixisse.

Papa quomodo abusus sit promissionibus Ecclesiæ.

Matth. 28. Matth. 16.

Amos Propheta cap. 7.

Ad hunc modum abutuntur impii promissionibus Dei, arrogant eas sibi, cùm tamen ad verã Ecclesiam pertineant, ac fiunt præsumptuosi & securi. Non cogitant de peccatis suis, non de judicio Dei, sed securissimè sæviunt in sanctos, sicut hodie in Papatu videmus. Ita opprimitur quidem vera Ecclesia, obruitur à tyrannis, oppugnatur à falsis fratribus, laborat contemptu & odio mundi, ac similis est jam jam perituræ. Hic opus erat, ut pii se erigerent fiducia misericordiæ & promissionum Dei, nam ideo promissiones propositæ sunt. Sed hîc videmus mirabilẽ perversionẽ, qui credere debebant, & se consolari ac erigere, non faciunt, neq; enim sinit id infirmitas carnis, quam etiam Satan auget, amplificando pericula & terrores. Contrà, impiorũ Ecclesia, quæ propter peccata timere sibi debebat, præsumit, optimè sperat, vivit sine omni metu in summa securitate. Sic Papa pertinaciter retinet illas promissiones, quibus Christus consolatus suos est, se cum eis futurũ usq; in finem seculi, Naviculam Petri, etsi periclitetur, tamen non submersum iri. At ecclesia vera, cui soli hæc dicta sunt, hæc non sic credit, nec se ita fiducia harum promissionum erigit. Ita omnibus temporibus eadem est fortuna & conditio veræ Ecclesiæ.

Impii abutuntur promissionibus. Pii non possunt sic se erigere propter, similem sic. at impii.

Sicut autem impii pertinacissimè sperant, dum res secundæ sunt, ita quoq; cùm adversæ sunt, fœdissimè desperant. Contrà, pii etiam in malis spem retinent, utcunq; nullus videatur spei locus esse. Sic promissio hæc de regno Christi variè impedita fuit, per rebelles populos, per hostes & Reges impios, donec tandem propter peccatum civitas ac templum vastatum, & populus captivus abductus est, relictis tantum aratoribus, & infima fece populi. Iacebat tum verbũ, cultus, judicia usitata, In summa, jacebat Ecclesia & politia omnis, ibi quis potuit sperare, non defuturam posteritatem Davidi? sicut hic Psalmus promittit. Opus igitur hac promissione fuit, qua sancti se consolarentur, quod scilicet impossibile esset hoc regnum ruere, antequam Christus, verum Davidis semen, exhiberetur. Itaq; cùm desperatissima tum omnia viderentur, excitavit Deus summos Prophetas, Danielem etiam constituit inter summos Principes, à Ieremia definiebantur anni 70. Reliquiæ regalis stirpis, hoc est, semen David, etiam in captivitate servabantur. Ad hunc modum regnum verè desertum secundùm externam speciem, tamen non fuit desertum, & pii retinuerunt spem liberationis, ubi impii desperabant ac peribant.

Pii in periculis spem retinent, ubi impii plane desperant.

Anni 70. captivitatis, Jer. 25.

Ad hunc modum credimus, & consolamur nos hodie Christum affuturum regno suo, & Ecclesiæ, usq; in finem mundi, etiamsi Papa Antichristus triumphet, & sedeat in templo Dei, ac Ecclesiam videatur planè oppressurus. Nam propter pericula & necessitatem hanc, promissiones suas Ecclesiæ Deus reliquit, quas etsi Ecclesia plenè non potest credere, tamen eas non planè negat. Probat autem Christus fidem, etiamsi sit sicut granum sinapis. Hoc utile est admonere, propterea quòd futurum est, si modo non occupamur novissimo die, ut Satan per suos omnia tentet & conetur,

Promissiones proponuntur propter pios, ne qui periculis non plane desperent

netur,quæ ad oppreſſionem doctrinæ pertinent,Hic ſi nos etiam captivum, & ut ſic vocem,tranſmigratum Regnum & arcam videbimus,ſicut populus Iudæorum,tamẽ debemus retinere ſpem,futurum ut Dominus det Prophetas,&deſertam Eccleſiam tamen non deſerat. Magis enim movere nos debet verbum promittentis Dei,quam præſens aut imminens ruina. Si enim Deus per patientiam multam conſervavit Eccleſiam ſub Papa,ſi tulit uſum alterius ſpeciei tantum, & multos abuſus, quos inEccleſiam invexerunt impii doctores,ſi tandem cùm omnia eſſent deſperatiſſima, clariſſimam verbi ſui lucem exoriri fecit inter denſiſſimas tenebras, cur deſperaremus? Major eſt miſericordia Dei cœlo & terra,& poteſt abſorbere errores, in quos Electi nonnunquam inducuntur.

Eccleſia ſub Papatu qualis fuerit.

Nemo quidem eſt,qui non optet politiam eſſe tranquillam, populum obedientem,& ſanctum. Sic optabile erat,Eccleſiam eſſe concordem, nulla nec doctrinæ nec morum conſpici ſcandala,Principes amplecti verbum, id non odiſſe aut perſequi. Sed talis tum politia,tum Eccleſia, fortè à perito artifice ſolchrè pingi poteſt, in hoc mundo verò non poterit uſquam inveniri. Quare ſic compareimus nos,quòd Eccleſiæ tam puræ & politiæ ſic tranquillæ faciẽ nunquã ſimus viſuri,Eo autẽ contẽti ſimus,quòd Eccleſia & politia (etſi turbæ & incõmoda quædam ſunt) non prorſus abolentur, quod aliqua majeſtas in Imperio,in Eccleſia autẽ ſana doctrina conſpici- & tur, quòd pauci quidam magnificiunt Verbum, utuntur Sacramentis, orant, etſi major pars diverſum facit. Ad hunc finem pertinent conſolationes hæ,ne dũ omnia videntur collapſura,omnem ſpem abjiciamus. Nunc ſanè miſera Eccleſiæ facies eſt,cùm paſtores & miniſtri verbi vix ſe videntur contra famem tueri poſſe, in tanto ruſticorum & civium odio. Sæpè itaque cogito, totum miniſterium,ſua ſponte, etiamſi abſque tyrannis eſſet,corruiturum,Sed promiſſio pluris à nobis debet fieri quam omnes ſpecies,quæ ſe oculis ingerunt. Nam vide omnes hiſtorias, an non Eccleſia ſemper fuit abſcondita tyrannide principum, & mendaciis hæreticorum? Ad hæc acceſſerunt propriæ tentationes peccatorum,& vexationes Diaboli,quibus perpetuo exercentur pii. Hæc ſi quis intuetur & in his malis fixos habet oculos, is judicabit,neque Eccleſiam nec Deum uſquam eſſe.

Eccleſia nũquã eſt ſine incommodis, itaq; opus habet promiſſionibus.

Eccleſia qualis hodie apud nos.

Externa Eccleſia facies.

Sed non eſt ex hac ſpecie faciendum judicium. Nunquam enim talem Eccleſiæ faciem videbis,in qua nihil offenſionum,non ſcandala, non diſſenſiones, non infirmitates variæ & quaſi morbi inveniantur. Optabile erat quidem abeſſe hæc, & talem ſpeciem extare Eccleſiæ, qualis ferè hîc & in aliis locis deſcribitur, ubi comparatur Sponſæ formoſæ, in qua non macula, non ruga aliqua conſpicitur, Sed nunquam videbis foris talem eſſe, ſemper enim opprimitur à tyrannis, vexatur ab hæreticis,exercetur afflictionibus tum internis, tum externis, inobedientia, contemptu ruſticorum,perfidia falſorum Fratrum, &c. In his periculis omnibus retinenda eſt conſolatio,quòd nec portæ inferorum adverſus eam prævalebunt, & pergendum magno animo, docendo,exhortando, corrigendo, & reliquis,quæ ad miniſterium pertinent, Si qui inobedientes ſunt,eant ſanè,& ruant,ſatis ſit aliquos eſſe quibus Chriſtus & miniſterium Evangelii eſt in reſurrectionem.

Ad hunc modum fecerunt S. Prophetæ qui viderunt captivitatem Babylonicam impendere, templum,& urbem incenſum iri. Hæc erat facies Regni interituri prorſus. Nihil itaque fuit quo ſe conſolarentur, præter hanc, & alias ſimiles promiſſiones,futurum, ut de fructu ventris David, ponatur Rex atque hoc confirmaſſe Deum juramento. Ac ſanè inſignis hæc eſt promiſſio,quod certam perſonam definit,nec ſinit ſucceſſionem vagari in incerta perſona. Abraham,Iſaac,Iacob, etiã habuerũt promiſſionẽ de Chriſto,ſed ſub incerta perſona,ſi reſpicias ad multiplicatã poſteritatem. In hac autem promiſſione eſt certa deſcriptio, quod certa perſona denominata eſt,ut quamvis totus populus captivus eſſet abducendus,tamen quamdiu poſteritas Davidis ſupereſſet,ſpem regni retinerent. Hujuſmodi promiſſionem non habet regnum Pontificium, quaſi neceſſe ſit eſſe Pontificem talem in Eccleſia, ſicut in illo populo omniũ corda & oculi jubebantur reſpicere ad unicam familiam

Conſolatio Eccleſiæ Iſrael ſub tempus captivitatis.

Familia Davidis.

Davidis. Hæc cauſa fuit cur exiſtimem accuratè annotatas eſſe genealogias à piis, ut ſcilicet ſucceſſio familiæ Davidis propter hanc ſpem exhibendæ promiſſionis eſſet quam certiſſima. Fuit enim hæc familia tanquam ſtella quædam in hoc populo, cujus poſteritas quamdiu conſpiciebatur, certam ſpem relinquebat futuræ liberationis per Chriſtum, etiam in captivitate Babylonica, & omnibus aliis periculis.

Collatio captivitatis Babylonicæ, cum hodierna Iudæorum.

Etſi enim captivitas Babylonica ſatis horribilis & acerba fuit, longè tamen mitior fuit, quàm iſta calamitas, in qua Iudæi poſt vaſtationem à Romanis factam vivunt. Nam etſi populus captivus eſſet, tamen habebat etiam in captivitate Regem, in quem piorũ oculi intuebantur tanquam in pignus promiſſionis de Chriſto exhibendæ. Teſtabatur enim Deus ſuperſtite adhuc rege, relictum eſſe fructũ ventris David. Deinde in captivitate, habebant Iudæi Verbum & Prophetas, Danielem, Hieremiam, Ezechielem, & ſine dubio pleroſq; alios. Quis autem non videt regnum nondũ planè fuiſſe deſertũ, nec vaſtatum, ſuperſtitibus adhuc perſonis, deſtinatis ad regnum & ſacerdotium? Tertiò, etiam annorum numerus definitus erat, quibus duratura eſſet captivitas. Horum quid ſimile Iudæi hodie poſſunt oſtendere? non ſolum Regnum nuſquam habent, ſed ne quidem perſonas deſtinatas regno, præter id quod neq; annorũ certum numerum, nec verbum, ſeu Prophetas habent. Quã præclaras reliquias in captivitate habebat populus. Certum igitur eſt, Iudæos planè periiſſe, & præſentẽ calamitatem non debere appellari captivitatẽ, ſed ſimpliciter deſtructionẽ, ſicut Daniel quoq; dicit, Et poſthac erit finis. Quomodo enim ſtante promiſſione hac, populus Dei poteſt penitus ſine Rege de ventre Davidis eſſe? Nam in captivitate Babylonica, etſi ſine regno erant, tamen regias perſonas, tanquam ſcintillas quaſdam regni habebant, ſicut dicunt, tanquam ſcintillam de lucerna Davidis tunc fuiſſe relictam. Hujuſmodi nihil Iudæi hodie habent, itaq; res arguit, eos damnatos eſſe cum omni religione ſua, aut præſens promiſſio Pſalmi vana eſt & mendax, quæ confirmat non defuturã poſteritatem Davidi uſque ad Chriſtum, cujus regnum æternum eſt.

Porro de præſumptione impiorum ſuprà diximus, quæ fecit, ut omnes hujuſmodi promiſſiones eſſent cruentæ. Nam cùm ad pios propriè pertineant, impii ſemper eas ſibi arrogant, quibus cùm contradicunt pii, & minantur eis iram Dei atq; exitiũ, vim parant impii. Diſcendũ itaq; eſt, quòd ſub nomine Eccleſiæ, omnis generis incomoda machinetur & ſtruat Satan. Sic videmus quid Papa in Eccleſia effecerit, uno hoc prætextu, quod perſuaſit orbi, Eccleſiam non poſſe errare, Eccleſiam non poſſe perire, vera quidem vox eſt, ſed hoc etiam addendum erat, ut propriè definiatur, quæ nam ſit vera Eccleſia, & ubi ſit. Hæc definitio non ex decretis Pontificũ, ſed ex Evangelio petenda eſt, in quo Chriſtus confeſſionẽ tanquã certam notã ſuorum exigit. Qui me, inquit, confeſſus fuerit coram hominibus, eũ ego quoq; confitebor coram Patre meo. Ergo ad verbum potiſſimum reſpiciendum eſt. Neq; enim confeſſio eſt, nec eſſe poteſt, ubi non eſt verbum. Sequitur igitur, quòd ubicunq; confeſſio & verbum non eſt, etſi ibi ſit multitudo, potentia, magnifici tituli, ſpecies ſanctitatis, &c. tamen ibi non eſt Eccleſia. Ad hunc modũ accommodandus eſt Pſalmus ad noſtras res & præſentem uſum, ac transferenda promiſſio regni corporalis ad Eccleſiam, quæ etſi ab hæreticis & tyrannis affligitur, tamen non peribit, ſed manebit inconcuſſa etiam contra portas inferi.

Definitio Eccleſiæ ſeu quænam ſit vera Eccleſia.

Matth. 10.

XII. *Si cuſtodierint filii tui teſtamentum meum & teſtimonia mea, quæ docebo eos, tunc filii eorum usque in ſeculum ſeculi, ſedebunt ſuper ſedem tuam.*

Quia conditionalis erat promiſſio, ideo corporale regnum tandem deſiit.

Hæc promiſſio non eſt abſoluta, habet enim additam conditionem. Differentia igitur eſt inter hanc & illas, quæ ſine conditione ſunt, qualis eſt in Pſalmis : Dixit Dominus, &c. Deus judicium tuum regi da. Ibi abſolutè promittitur regnum Chriſto, Sed hîc non abſolutè promittitur regnum poſteritati Davidis,

Pſal. 110. 72.

Davidis,ſed cum hac conditione,ſi ſervarint teſtamentum Domini. Itaque Salomoni obvenit regnũ,qui exBathſeba natus eſt,ſed defecit ferè poſtea ſtirps ejus inAhaſia,quem ſuſtulit Athalia,cùm ſolus Ioas,reliquis ab Athaliâ occiſis,ſupereſſet. Hoc molitus eſt Satan,ſi quomodo promiſſionem de Chriſto poſſet impedire, Poſtea ad Ioas devenit regnum,qui etiam erat de ſemine Davidis, & cura ſororis aſſervatus erat,ne occideretur ab Athalia. Sic regnum quidem perpetuum promiſſum eſt poſteritati Davidis,ſed ſic,ut minetur Deus exitium,ſi non ſervent teſtimonia ſua. Itaque tandem regnum etiam poſteritati Nathan ereptum eſt,& uſurpatum per alienigenam Herodem,donec regnantibus impiis,Chriſtus ex Maria Bethlehemitide natus eſt. Vna igitur poſteritas poſt aliam à Satana,propter peccatum, deſtructa eſt,& tamen ſervata eſt integra ſucceſſio ſeu linea uſque ad Mariam. *Nathan.*

Hæc utile eſt conſiderare,quomodo regnum promiſſum Davidi, Salomoni filio obvenit,ſed propter peccatum iterum ei adimitur. Idem cum Nathan accidit, & tamen ſervavit Deus ſcintillam,ex qua hoc regnum tanquam fax quædam emicaret, Facta autem ſunt hæc ad retundendam præſumptionem noſtram. Sic promiſſio de Eccleſia eſt, Vobiſcum ero uſque ad finem mundi,Sed additur conditio, ſi ambulaveritis in viis meis. Nam qui verbum negligunt,eos Deus viciſſim negligit, & excitat alios,qui ſint Eccleſia,Sic Iohannes : Poteſt Deus ex lapidibus facere filios Abrahæ. Quia enim promiſſio erat Abrahæ facta, Phariſæi ſentiebant ſe, cùm filii Abrahæ eſſent,certo hæredes promiſſionis futuros eſſe. Hæc fiducia inflabat eos, ut ſecuri & ſine timore,Dei viverent, Dicit igitur Iohannes,certum eſt filii Abrahæ erunt hæredes promiſſionum,quæ Abrahæ factæ ſunt. Sed ſi vos vultis ſecuri eſſe, & non obedire mandato Dei,dico vobis facilè eſt Deo,vobis rejectis, Abrahæ ex lapidibus producere poſteritatem. Sic Papa non ideo eſt Papa, quia ſedet in regno & dignitate iſta, nam ſi non vult verbo Dei obedire, facilè inveniet & excitabit Deus alibi Eccleſiam. Sic promiſſio hæc tota pendet ex addita conditione,contra præſumptionem. *Conditio additur propter præſumptionem.* *Matth 28.* *Matth. 3.*

Teſtamentum eſt promiſſio miſericordiæ per Chriſtum, Teſtimonia ſunt voluntas Dei revelata omnibus temporibus per Moſen & Prophetas. Itaq; requirit fidem,deinde etiam obedientiam erga legem. Diſertè autem dicit,Teſtimonia,quæ docebo,per ſacerdotes ſcilicet. Hi enim etſi miniſterium habebant,tamen ipſe Dominus vult eſſe Doctor,& ſe audiri,non vult audiriConcilia,non doctores docentes, quæ ipſe non docuerit. Hunc igitur ad modum de Eccleſia quoque dicimus, quòd ubicunque creditur promiſſioni Dei,& obeditur ejus verbo,ibi eſt Eccleſia.Qui autem non credunt,nec obediunt verbo,hi,etſi titulos,vocationem,& alia habent, tamen verè à Deo abjecti ſunt,nec habendi pro Eccleſia. Quis enim Pontifici crederet,ideo quia eſt Pontifex ? Atqui hoc uno nomine poſtulat ſibi credi, nec vult diſputari,utrùm vera ſint & ſana,quæ præcipit, ſimpliciter vult credi, quod ſacra ſedes non poſſit errare. Qui contradicunt, & exigunt ejus decreta ad verbum & voluntatem Dei,ſubjiciuntur omnis generis ſuppliciis. Planè idem uſurpant phanatici ſpiritus hodie,quidquid ſomniant,volunt eſſe Spiritum ſanctum. Sed egregiè Baſilius dixit : ἀ πᾶσ ἐνύπνιον, ἄθεος προφητεία. *Teſtamentum.* *Teſtimonia.* *Eccleſia ſub obedientione eſt Eccleſia, ſi ſcilicet verbum ſequatur.*

Sicut igitur iſti in populo Iſraël propagaverunt & defenderunt errores & impietates ſuas autoritate Regum,in quibus videbatur hæc promiſſio niti,ita omnibus ſeculis ſolet falſa Eccleſia,ſed nos reſpondemus,Promiſſionem quidem veram eſſe, ſed eſſe conditionalem,& dici,Si cuſtodierint teſtamentum & teſtimonia mea. Neque enim Deus ſic unxit Reges,ut facerent quidquid ipſis videretur,aut ut quidquid inſtituerent & docerent, Deus probaret ideo,quia eſſent Reges, Sed conditionem addidit,Si ſervaveritis teſtamentum meum. Sic in novo Teſtamento, non negamus hanc Dei vocem eſſe veram,Qui vos audit,me audit, Sed hoc negamus,quòd ſimpliciter de omnibus in Eccleſia docentibus intelligenda ſit. Quidam enim docent non Chriſti,ſed ſuum verbum,hos certe Chriſtus non vult audiri,ſicut ſeipſum, ſed prohibuit audiri,cùm dicit : Cavete à falſis Prophetis. *Matth.10.* *Matth.7.*

Mandatum regum in veteri testamento.

Pontifex Romanus quomodo examinandus.

Sic in Deuteronomio præcipit Moſes,ut librum legis nunquam deponat de manibus,ut perpetuo ſe in eo legendo, diſcendo, faciendo exerceat. Hoc ſi Regibus in lege fuit mandatum, quid ſentiemus de verbo novi Teſtamenti? Ibi certè fruſtra jactabunt Pontifices ſua Concilia, Patres, Eccleſiam, dignitatem tot ſeculis uſurpatam. Hæc omnia ſic valeant, ſi juxta Regulam verbi doceant. Eccleſia enim quæ autoritatem divinam uſurpat, ea tantum eſt, quæ ſequitur vocem & verbũ Domini. Ad hanc regulam examina Pontificem, tuentem ſe nomine Eccleſiæ, & vide num ſecundùm legẽ ſibi divinitus præſcriptam Pontifex doceat. Si contra docet, nec incedit recta via, & tamen ſedet in regno, non ideo deturbes eum de loco ſuo,

Nota exemplũ.

ſicut Achas, non ideo quia idolatra eſt, occidi debet à ſubditis. Hoc autem facias, ne ſequaris ejus imperium, ne doctrinam impiam approbes, ne facias, quæ Epiſcopus Romanus jubet contra ſcripturam fieri. In hoc enim caſu abſolvit nos omnes Deus ab obedientia, Sic enim dicit: Ordino tibi Paſtorem, cui obedias tanquam mihi. Sed fieri poteſt, ut velit abuti ordinatione Dei contra verbum, Ibi tibi relinquo hoc præſidium, hoc remedium tibi ſubminiſtro, ut dicas, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Igitur etſi Reges ſunt, etſi ſunt Pontifices, eatenus audiendi, & eis obtemperandum eſt, quatenus incedunt juxta regulam verbi.

Pauci legitima autoritate utuntur.

Porro uſu diſcimus, nihil eſſe crebrius, nec vulgatius, quàm abuti poteſtate, tum in politia, tum Eccleſia. Itaque rariſſimi ſunt, qui legitimè utuntur autoritate, quam ſive in Eccleſia, ſive Politia habent. Ratio eſt, quia major pars hominum ſervit cupiditatibus & patitur ſe regi & gubernari à Satana. Hinc fit, quòd videmus Pontificem & Epiſcopos de doctrina nihil eſſe ſolicitos, omnem autem curam eo convertere, ut augeant gloriam ſuam, dignitates, opes, voluptates. Hic quid faciendum eſt ſubditis? Num per ſeditionem eos ejicient, aut occident? Non, ſed ſinant eos regere, & tantum obſervent ac caveant os eorum, ſicut apud Matthæum Chri-

Cathedra Moſi.

ſtus quoq; dicit: Super cathedram Moſi ſedent (quanquam longè diſpar ratio eſt noſtrorum Pontificum.) Hic relinquit eis ſeſſionem & autoritatem docendi, nec vult

Matth. 23.

Claves ſcientiæ.

eam violari, Concedit quoq; clavem ſcientiæ. Hoc autem damnat, quòd dum clavẽ ſcientiæ habent, & ſedent in officio, tamen præterquam, quod ipſi ſeipſos non do-

Ius Eccleſiæ.

cent, etiam alios ſeducunt. Quanquam hic etiam Eccleſia reliqua ſui juris meminiſſe debet, Quia enim noſtri Epiſcopi neq; docent ipſi, nec ſanis Doctoribus relinquũt locum docendi, & tamen fruuntur beneficiis Eccleſiarum, atq; iis abutuntur ad fœdiſſimas voluptates ſuas, eleganter & verè multi diſputant, non eſſe beneficium ſeparandum ab officio. Ideo reliqua Eccleſia pro ſuo jure tantum poteſt Papiſtarum facultatibus detrahere, ut pii doctores habeant, unde vivant, hoc enim omnibus modis cavendum eſt, ne miniſterium prorſus aboleatur.

Explodendus itaq; eſt error ille, quem impii Canoniſtæ impudentiſſime ſtatuunt, cùm dicere audent, Non eſſe præſumendum, quod apex tantæ celſitudinis erret. Hoc eſt quaſi primum principium ſtolidorum Canoniſtarum, ex quo hoc Monſtrum enatum eſt, quod nunc in Papatu videmus & execramur, quod ſine fronte, quidquid in mentem venit, & ad numos parandos idoneum fuit, tanquam articulos

Pontifex etiãſi Angelus eſſet, tamen ſi à verbo diſcedit, anathema eſt. Hoc nota diligenter.

fidei ſtatuerunt. Nos autem ſic dicimus, vocetur ſanè apex celſitudinis iſta tyrannis, quam contra ſcripturam & omnem æquitatem ſibi uſurpat, & ut plus tribuam, fingamus eum etiam divina ordinatione eſſe Pontificem, & obtinere primatum in Eccleſia. Adhuc plus tribuam, Si ita poſtulat Pontifex, faciamus eum ſanè Angelum de cœlo, Quid poſſum de eo ſentire præclarum magis? Sed etiamſi Angelus ſit, tamen

Galat. 1.

anathema eum eſſe prænunciat Paulus, cùm aliud Evangelium evangeliſat.

Sic Paſtor eſt divinitus paſtor, Rex eſt divinitus Rex. Hæc ſi largiamur Pontifici quoque, quaſi vera autoritate præſit. Sed conditio, de qua diximus, neceſſitatem affert, ut diſtinguamus inter rem & uſum. Rem voco autoritatem divinam,

Pontifex rem habet, uſum nõ.

eam etſi concedam Pontificibus, tamen uſum non concedo, quia rem divinam manifeſtè trahunt in abuſum. Non utuntur autoritate ſua ſecundùm voluntatem Dei,

Dei, pro gloria Verbi, ſed pro ſua gloria. Non igitur obligat nos eorum autoritas, etiamſi ſit, ut dixi, autoritas Angeli de cœlis, Sed cum bona conſcientia diſcedimus ab eis, ne inobedientes fiamus ſummæ autoritati, & majeſtati, quæ eſt Deus. Quod ſi Pontifices non pugnarent contra doctrinam Chriſti, ſi nobiſcum ſtatuerent, juſtificari nos ſolo precio ſangvinis Chriſti, & non docerent negociari homines propriis meritis & operibus, tunc libenter agnoſcerem autoritatem eorum, & confiterer eos re ſancta ſancte etiam uti. Sed cum abuſus manifeſtus ſit, nihil eos juvat, quod ſanctam rem habeant, ſicut gloriantur.

Hæc enim eſt ſumma ſummarum, quod Papa non minus quam omnes alij homines, etiamſi angelicam dignitatem haberet, alligatus eſt ad verbum Dei. Hoc cum manifeſte impugnet, cum extrema crudelitate impietates ſuas defendat, non ſublevat eum ſedes, non dignitas, non autoritas, ſed eſt anathema, ſicut Paulus dicit. Vulgatiſſimum eſt inter Doctores Papatus, quod Papa ſit ſupra verbum ſeu ſcripturam, & poſſit pro arbitrio in lege divina diſpenſare. Hinc de Eccleſia & conſcientiis conſtituit, quidquid voluit. Hoc cum nos, freti verbo Domini, damnemus, & coacti mandato Domini, graviter refutemus, excommunicamur. Ab hac ſententia non debemus diſcedere, ſed cum Pſalmo hoc dicere, Quod ſi Pontifices cuſtodierint teſtamentum, & teſtimonia, quæ Dominus docet, audiemus eos, Si non cuſtodierint, non audiemus, nec venerabimur in eis quantumvis ſanctam rem, qua ſic fœde & impie abutuntur. Nam etſi Pontifices non ſunt, tamen aliqui erunt, qui cuſtodient teſtamentum, ne Eccleſia plane aboleatur. Sic ante annos centum, cum Pontifices teſtamentum Domini projicerent, Iohannes Huſs inventus eſt, qui id ſumma cum reverentia cuſtodiret. Sic hodie cum Epiſcopus Moguntinus, tanquam ☞ ſummus, quo ad dignitatem, teſtamentum non vult cuſtodire, ſunt alii qui cuſtodiant, & in oculis Dei paſtor contemptiſſimi pagi longe gratior & major eſt, quam omnes totius Germaniæ Epiſcopi, cum omnibus Cardinalibus & Pontificibus. Neque enim Deus concedit hominibus autoritatem ſupra Verbum. Hoc qui venerantur, ſequuntur & cuſtodiunt, ſunt Eccleſia, quantumvis in mundo contempti ſint. Qui non cuſtodiunt, ſunt eccleſia Satanæ, nec ſublevant eos magnifici tituli.

Canoniſta mentitur, Papam eſſe ſupra ſcripturam.

Iohannes Huſs.

Atq; hæc cauſa quoque eſt, cur diſerte in textu ponitur, Teſtimonia quæ ego docebo eos. Sic enim vult Deus in Eccleſia uti miniſterio Doctorum, ut tamen ipſe ſit ſummus Doctor, & miniſtri omnes, etiam Papa, etiam ipſa Eccleſia, regantur & gubernentur verbo, Sic enim hæc transferri debent ad præſentem uſum. Neque enim hæc particularis & certi temporis diſputatio eſt, ſed durat omnibus ſeculis. In populo Iſrael Reges & Sacerdotes inflati vocatione, putabant ſibi omnia licere. Sic hodie Pontifices non putant ſe ſubjectos eſſe legibus Verbi, ſed audent ſibi arrogare poteſtatem ſupra verbum & ſcripturam. Plane ſimilis cauſa eſt. Oportet igitur nos hic munitos eſſe, ut poſſimus dicere, credo Concilium, credo Papam, credo Principes & Reges, credo Eccleſiam ſanctam & catholicam, Sed ſic, ut illa ſancta Eccleſia, nedum Epiſcopi & Pontifices, ſit per omnia ſubjecta ſuo Deo & ſponſo Chriſto, & ejus verbo, ſine ulla exceptione. Atque hoc ita credo, ut non ſit neceſſe Deum mihi de cœlo loqui, & ſenſibiliter mihi revelare. Hoc Verbum, quod Prophetæ & Apoſtoli locuti ſunt eſt id verbum, quod debet credi, cui debet ſubjectus eſſe Papa, cum omni Eccleſia ſanctorum, nec quicquam debet ſine hoc verbo, multo minus contra hoc verbum, ſuſcipere &c.

Omnes orbes verbo ſunt ſubjecti.

Ad hunc modum in ordinem redigi debet Papa, Sed experimur, nullum veneni genus eum ſic formidare & odiſſe, ſicut Scripturam, Itaque totis viribus, etiamſi aliud ſimulet, obnititur, ne fiat Synodus ſeu Concilium, tantum ideo, quia hanc quæſtionem metuit, ne quæratur in Synodo, Vtrum Papa ſit judicandus per Scripturam, an Scriptura per Concilium? Nam mala conſcientia quam Papa habet, hoc ſemper ei acclamat, quod Scriptura ſancta ſit verbum Dei, futurum itaque ut verbum Dei vincat, & Concilium concludat, quod neceſſe ſit Papam eſſe ſub

Papa non reformidet Concilium.

Scriptura ſancta. Hoc ſi fiat, de Papa actum erit. Nam quid in omnibus ſuis decretis, ceremonijs, doctrina, tueri poterit Papa, ſi judicium fiat ex ſacris literis? Prævidet itaq; animo reformationem intolerabilem, atq; ideo omnia conatur, ne Concilium cogatur, quanquam interim ſi quis verba ſpectet, ſimulat ſe nihil optare aliud, quam Synodum. Sed dum hæc jactat, Regum animos ſic implicat & involvit, ut ad omnia ſuſcipienda plus ocij & animi habeant, quam ad concilium inſtituendum. O aſturiam dignam æternis flammis, & odio omnium bonorum, quod cum tanto Eccleſiæ incommodo Pontifices ſuam tyrannidem volunt ſtabilitam.

Hæc omnia diximus propter ſimilitudinem negociorum in hoc Pſalmo propoſitam, quod Deus ſuos Reges, qui pollebant autoritate divina, circumſcripſit, & vinxit legibus ſuis, ut etſi potentia præpollerent omnibus, tamen Deo & verbo ejus eſſent ſubjecti. Huic verbo neceſſe fuit, eos parere, etſi ab inferiore annunciaretur, Sicut Nathan Davidem arguit, & David paret, non quia Nathan ſeipſum offerebat, ſed verbum Dei. Hujus diſcipuli debemus omnes eſſe. Quare cum ad Pontificem dico, ut ſe ſubmittat miſericordiæ Dei, qua ſola neceſſe ſit nos juſtificari in oculis Dei, debet Pontifex ſe ſubmittere Verbo, non quidem propter me, qui id annuncio, ſed propter ipſum verbum. Hoc ſi non facit, abutitur poteſtate ſua, nec debetur ei ulla obedientia in ijs, quæ contra Verbum mandat aut docet.

Nathan. David.

Conditio addita propter impios.

Hæc conditionalis ſententia ponitur propter impios, ne ſibi ſumant abſolutam poteſtatem contra Verbum. Nam abſoluta promiſſio ea eſt, quæ Chriſtum complectitur. Hunc enim non promittit ſub certa conditione, ſed ſimpliciter promittit, venturum cum ex ſemine Abrahæ. Quia autem dum hæc de Chriſto promiſſio impleretur, regnum corporale duravit, eſt id ſic firmatum verbo Dei, ut tamen haberet certam conditionem additam. Itaq; multi impij Reges cum tota familia funditus deleti ſunt, & alij ſuffecti, ut tamen regnum temporale aliquo modo perduraret, donec veniret Sanctus ſanctorum, & Rex regum, qui regnum hoc continuavit uſq; huc & in æternum. Pertinet itaq; conditio addita contra præſumptionem, Q. d. veniet promiſſio mea de Chriſto, & certo ſtabiliam thronum Davidi meo, Sed vos qui interim in hoc throno ſedetis, & adminiſtratis regnum hoc, nolite putare quod non poſſitis errare, aut errata veſtra probaturus, & non potius damnaturus ſit Deus. Itaq; aut ſecundum Verbum adminiſtrare regnum veſtrum, aut præcipitabo vos & evertam. Hanc promiſſionem amplificat jam egregie.

XII. *Quoniam elegit Dominus Zion, elegit eam in habitationem ſibi.*

Hæc eſt amplificatio promiſſionis, Q. d. Habetis promiſſionem, ſed in hoc nunc incumbite, ut juſti ſitis, & cuſtodiatis teſtamentum meum, tum enim fiet ut regnum hoc maneat, & ego habitabo vobiſcum, Sicut apud Eſaiam quoq; dicit, Habebo focum in Sion, hoc eſt, ero œconomus in utroq; regno, ſpirituali & corporali, & dabo omnem benedictionem, ſed ita, ſi obedieritis voci meæ. *Eſa. 31.*

Deus elegit locum cultus: ergo nos non debemus eligere.

Vtitur autem ſingulari conſilio, eo verbo, quo Moſes quoq; uſus eſt, Deut. 16. 26. In loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet Nomen ejus ibi. Neque enim initio certus tabernaculi locus erat, ſed vagabatur non ſolum per loca diverſa, ſed etiam per tribus diverſas, Ephraim, Manaſſe, Dan, &c. Porro deſtruit hoc verbo omnes proprias electiones hominum, ſeu ut Paulus vocat ἐθελοθρησκείας quæ apud Iudæos infinitæ erant. Sic enim cogitabant, Si licet ſacerdotibus transferre tabernaculum ex uno loco in alium, Cur nobis quoq; non liceret plus uno in loco ſacrificare? Hæc erat certa Idolatria, Quia enim Deus per Verbum ſuum, ſe propitiatorio alligaverat, quod ibi eſſe & inveniri vellet, Idolatria erat eum alibi aut credere eſſe aut quærere. Pugnant igitur Prophetæ ſummo conatu contra hoc, ne ſibi homines aliud eligant, quam Deus. Nihil enim Deus æque execratur quam ſuſcipi aut inſtitui aliquid pro cultu Dei, quod ipſe non juſſit. Noſtra igitur debet eſſe non electio, ſed obedientia, Alioqui continget nobis quod Ieremias minatur, Projiciam electa eorum. Hæc pertinent ad refutandas electiones, quas in Papatu vidimus. Nam quod *Deut. 16. 16.*

alius

d by Google

alius huic ordini,alius alii ſe addicit,quod certos dies jejunii habet,quod certos Sanctos,quos invocat, &c. hoc totum ſi quæras,quis juſſerit? cogit cum conſcientia,ut reſpondeat,ſe ſic elegiſſe iſta. At hoc eſt non Deo, ſed Satanæ ſervire. Neq; enim Deo aliter ſervitur,quam cum fit quod ipſe juſſit. Pertinet itaque electio non ad nos, ſed ad Deum, Obedientia autem ad nos pertinet, ut quod Deus elegit, nos exequamur.

Deinde verbum eligendi pertinet etiam contra præſumptionem meriti. Si enim diceret, Ego reddo vobis Sion, aut remuneror vos,ſignificaret id fieri noſtro merito,Sed cum dicit,Eligo ſecundum meam voluntatem,ſignificat ſe id facere,ſine reſpectu ullorum meritorum, ut ſimul & religionem,quæ ſimulatur,& fiduciam meriti damnet, ἐθελοθρησκίας igitur, ſeu ut Anshelmus vocat, factitiæ religiones, pertinent ad Theologiam Diaboli. Neq; enim ſublevat nos,quod bona intentione ſuſceptæ ſunt. Neque enim eſt bona intentio, quæ non Verbo, ſed ſuo judicio nititur. Itaque quod Ambroſius dicit, Intentionem judicare opus, recte quidem dictum eſt, ſi recte intelligatur. Nam intentio finalis debet habere verbum Dei, ceu fundamentum cui innitatur. Is enim ſolus recte intendit,qui ſtatuere poteſt,ſe verbo Dei cogi ad hoc aut illud ſuſcipiendũ. Hoc verbũ, qui non habet,etiamſi angelica omnia ſint, cave probes aut ſequaris. Hæc igitur tutiſſima Regula eſt, quam cum ſequimur, nunquam aberrabimus, ut ſemper quæramus, Num Deus hoc elegerit? Si reſpondetur, quod Benedictus,Auguſtinus,Franciſcus,elegerit,qui etiam Deo chari fuerunt,fuge tanquam peſtem & venenum extremè noxium,Certum enim eſt Deum nihil probare,niſi quod ipſe elegit. Hæc de verbo eligendi paucis admonere volui.

Si Deus eligit, ergo non eſt ex merito noſtro.

Bona intentio qua.

Intentio judicat opus.

Regula.

Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. XIV.

Hæc eſt ſane magnifica promiſſio qualem de nullo unquam alio loco dedit. Hinc Eſaias & cæteri Prophetæ videntur concludere,quod Ieruſalem duratura ſit in æternum,hoc eſt,donec veniat Meſſias,qui faciat ex temporali Ieruſalem, æternam. Sic Angelus quoq; ad Mariam dicit, quod ſedebit Chriſtus ſuper thronum patris ſui David in ſecula. Porro nota conſequentiam, quam promiſſio hæc evidenter oſtendit. Ieruſalem hodie jacet, & tamen promiſſio hæc manifeſte dicit, quod ſit hæc futura Domino ſedes in ſeculum ſeculi,ſequitur igitur certiſſime,quod ille venerit qui Ieruſalem hanc ſeu regnum hoc perpetuavit in æternum. Nam quod etiam in captivitate Babylonica vaſtata fuit, tamen ſervatæ ſunt reliquiæ, definitum fuit tempus, quo duratura eſſet captivitas,manebant Reges & Prophetæ. Hujuſmodi nunc nihil eſt,ſicut etiam ſupra oſtendimus.

Conſequentia arguit Meſſiam exhibitum eſſe.

Magnifica igitur hæc eſt promiſſio, Ieruſalem hanc fore in æternum ſedem Domino, nec unquam deletum iri. Fiducia hujus promiſſionis crucifixerunt Chriſtum,& omnia ſcelera patrarunt,quod nunquam putabant futurum ut Ieruſalem periret, propter promiſſionem æternitatis,quam habebat. Sed audivimus conditionaliter hæc promitti, ſi ſervent teſtamentum Domini & teſtimonia ejus. Manſit itaq; Ieruſalem uſque ad Chriſtum, poſtea dedit peccatorum pœnas, ſicut aliæ impiæ civitates & impia regna. Sic Prophetæ certo promittunt venturum Evangelium ex Sion,& novum Chriſti regnum ex Ieruſalem,ſed poſtea addunt Ieruſalem hanc fore majorem tota terra, muros ejus fore fines terræ, &c. Hæc non poſſunt intelligi de corporali Ieruſalem, quæ tamen initium regno Chriſti præbuit. Sed poſtea eſt vaſtata, ſicut etiam Davidis impii poſteri exciſi ſunt, pii manſerunt uſq; dum Chriſtus naſceretur.

Ieruſalem vaſtata eſt. & tamen eſt à Chriſto adificata ut ſit perpetua.

Porro notum eſt, electionem hanc cœpiſſe ſub Davide. Nam Ieroſolymorum urbs ante id tempus Iebuſitarum fuerat, ſub Davide autem per promiſſionem Domini electa eſt, ut eſſet regalis & ſacerdotalis Civitas, idque ita, ut ſicut antea ſacerdotum non vagæ,ſed certæ perſonæ,ita etiam porro Regum perſonæ & ſucceſſi-

Iebuſitæ.

ones

ones essent certæ,nec sic vagarentur,sicut antea Iudices & Duces non in certa tribu consistebant. Vtitur autem hic quoq; verbo eligendi, ad redarguendam fiduciam meriti,quod fere semper adhæresci t animis, ut intelligant divina gratia & beneplacito Domini hanc urbem definitam esse,ut esset sedes religionis & politiæ. Peculiariter enim laborabant Iudæi hoc vitio Satanico,ut gloriarentur, de operibus, merito,& cultibus suis. Sicut Moses quoq; ideo eos objurgat ac præmonet, ne statuant propter justicias suas sibi beneficia tam magnifica contigisse,sed quod & gentes istæ merita erant tales pœnas,& Dominus bene volebat suo populo. Non propter tuas justicias,inquit,introduxit te Dominus in terram hanc. Sic quoq; in papatu diabolicam hanc fiduciam videmus quanquam longe deteriore conditione, quam in populo Dei,qui divinitus mandato cultu utebatur. In papatu nihil sunt, nisi efectiones humanæ, quæ sunt idolorum servitus.

Iudæi præsumptuosi.

Papistæ præsumptuosi

Videtur autem nihil magni dici in eo, quod promittit Deus se habitaturum in Ierusalem,Sed oportet spectare magnitudinem habitantis,tum locus quantumvis humilis & contemptus, reddetur augustissimus. Quem enim cœli cœlorum non comprehendunt, cum promittebat verbum in Ierusalem certo inventum iri. Ergo magnifica promissio est, scire & habere certum locum,in quo Deus inveniri possit, ne corda dubia vagentur,& unusquisq; pro sua voluntate sibi Deum,aut locum cultus Dei deligat. Illa enim erratio vagabunda,cum animi sibi locum & cultum constituunt,sicut Hieroboam, nihil est quam idolatria. Quare infinita misericordia est, quod definivit Deus certum locum verbi,& totius cultus divini. Hinc magnificus ille titulus loco tributus est, ut appellaretur civitas sancta, non quidem propter populum sanctum inhabitantem, sed propter Dominum sanctum inhabitantem & sanctificantem per verbum omnia.

Magnum beneficium Dei quod locum certum cultui suo destinavit.

Ierusalem civitas sancta.

Hanc gloriam habet quoq; Ecclesia novi Testamenti,quod scilicet caput ejus est,non Papa,sicut impij Papistæ impie dicunt, sed Christus sedens ad dextram Dei, qui adest verbo & Sacramentis suis. Hæc ingens est magnificentia & superbia, quæ pendet non ex nostra justicia,sed ex misericordia Dei,accipientis, probantis, & laudantis omnia propter Filium suum, caput nostrum. Sed civitas Ierusalem propter hanc causam quoq; infensissimum habuit Satanam,quod esset tanquam officina Dei, in qua omnis generis beneficia & sancta opera Deus quotidie exerceret. Sed tamen à Deo mirabiliter quoq; servata est & defensa, ne incertum redderetur, ubi esset,ubi coli & audiri vellet Deus. Iterum autem hic monemur,quod hæc omnia doni,non meriti sint,misericordiæ,non operum. Si quidem ipse elegit hanc requiem, & ipsi placuit habitare in loco. Sic meriti nostri non est, quod habemus Evangelium,Baptismum,Absolutionem privatam & publicam.Omnia hæc sunt dona misserentis & benevolentis Dei propter Christum.Iam transit ad politica seu temporalia.

Gloria Ecclesiæ novi Testamenti.

Satan Ierusalem odit.

XV. *Victui ejus benedicens benedicam,& pauperes ejus saturabo panibus.*

Nostra translatio habet,Viduam ejus,sed fortasse imperiti scriptoris hoc erratum est. Vocabulum proprie prædam,seu venationem significat. Sed cur sic appellat scriptura cibum nostrum? Nimirum eam ob causam, propter quam Christus vocat panem quotidianum, ut sicut bestiæ prædam suam quotidie sectantur & inveniunt,non seminant,non laborant, sed per prædam quasi obveniunt eis omnia, Ita nos quoque, non in multos annos per avaritiam & incredulitatem cumulemus victum, sed quotidie expectemus & accipiamus de manu Domini, mediante tamen labore nostro,& eo contenti simus, quod quotidie obvenit, tanquam bestiæ oblata præda. Avaritia enim & incredulitas non est contenta præsentibus, quantumvis promittat Deus fideliter,se nos pasturum,& daturum unde vivamus. Ad hunc modum scriptura,Victum,proprie & significanter prædam vocat,quæ nobis non solicitis obvenit,sed laborantibus & relinquentibus curam Deo nostro,sicut Christus fere hortatur Matthæi 6. Iubet laborare,facere,conari omnia,quæ sunt vocationis nostræ. Ebræis enim est labor,quem singuli dies habent,& secum afferunt. Solicitudinem

Victum scriptura prædam vocat.

Matth. 6.

nem autem & curam jubet Deo relinqui, ac promittit victum nobis tam non defuturum,quam avibus & cæteris animantibus. Neque enim hoc agitur, ut in hac vita simus inexplebiles, Etsi enim habeamus omnes totius mundi opes, tamen cum hac vita relinquendæ sunt. Sicut autem vita non certa est, sed ceu raptus quidam, aut præda, qua fruimur, donec Domino visum est, Ita etiam est victus, ceu raptus quidam,quo debemus contenti vivere,non de futuro soliciti esse. Sic damnat appellatio hæc impiam solicitudinem, & anxiam incredulitatem, qua tamen nihil promovetur.

Quod sequitur, Et pauperes ejus saturabo panibus, nota phrasis est, quod panem vocant,sicut nos victum, hoc est, quicquid ad alimoniam pertinet, cibum & potum. Hæc promittit,sed pauperibus, Sic autem appellat populum suum. Vidit enim suam Ecclesiam,talem,qualis semper est, quod in media opulentia mundi,sola esurit & sitit. Sic Levitarum initio singularis fuit inopia, donec tandem ad regnum spectarunt.Sicut nostri Pontifices quoque,Ita enim gubernat ista Satan,ministerium conatur fame opprimere & contemptu, Id quia multi recusant ferre, eo prolabuntur,ut potius quam esuriant,doceant hominibus beneplacentia, & sic evehantur ad magnas opes & dignitates. Retinenda itaque piis est hæc promissio, quod Psalmus dicit,Dominum daturum panes pauperibus suis. Vtrunq; enim fiet, Habebunt panes,& tamen erunt pauperes,ideo scilicet,quia regnum Christi non est de hoc mundo.Itaq; ij, qui in ministerio sunt, & præcipua pars hujus regni, ferant ignominiam, odium,& contemptum,aut à ministerio desistant.Non enim hujus mundi,sed futuræ vitæ certa & æterna hæreditas piis promissa est. Itaq; Christus beatos pronunciat pauperes spiritu, quos necesse est simul sustinere calamitates plurimas. Contra eos, qui abundant & saturi sunt, dicit,infelices, quia futurum est ut plorent. Instituamus igitur rationes nostras ad hunc modum, Si volumus esse populus Dei, ut contenti in hac vita victu & amictu, reliqua omnia æquo animo feramus, & superemus spe ejus gloriæ, quæ revelabitur in filios Dei.

Panis quid.

Ecclesia in mundo esurit.

Regnum Christi non est de hoc mundo.

Matth. 5. Luc. 6.

Beati pauperes spiritu.

Sacerdotes ejus induam salutari, & Sancti ejus exultatione exultabunt. XVI.

Hæc promissio longe præstantior est ea, de qua jam diximus, quod promittit Deus,sic gubernaturum Sacerdotes,ut sint puri & sancti per Verbum,& habeant bonam conscientiam. Hæc si possemus conferre cum illo parvo defectu corporalium rerum,patientius eum toleraremus. Ego fui Monachus, & vixi in meris labyrinthis & laqueis conscientiarum, ubi per traditionum copiam peccatum pariebat peccatum. Eram alligatus contra naturam ad impurum cœlibatum, Ibi si quis mihi dixisset,quanti redimere vellem pacem cum Christo,& illas magnificas glorias, quas hodie per verbum & spiritum Dei habemus,humilis me prostravissem in terram,ac vitam libenter profudissem,ac petivissem tantum conscientiam liberari. At nunc,cum vere induti sumus salutari, propter ampliſſimas & manifestas promissiones remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, oblivisci mur harum opulentiarum spiritualium & querimur quod non etiam simus Reges in hac corporali vita. Non anteferimus nostras glorias æternas & spirituales.Magna autem hæc est ingratitudo, sic offendi illa externa paupertate, & non potius lætari & gaudere in tantis opibus spiritus. Quis enim non mallet, cum istis donis spiritus etiam mendicare panem ostiatim, quam esse Episcopus Moguntinus,vel etiam Pontifex,quos constat,cum hostes Verbi sint, in illis opibus mundi, extreme infelices esse? siquidem carent remissione peccatorum, spe vitæ æternæ, cognitione Christi, & omnibus aliis, quæ nos per verbum abunde habemus.

Temporalia incommoda Ecclesiæ pensantur bonis spiritualibus.

Si igitur sumus coram Mundo contempti,afflicti, tristes, vexati, abominabiles, pauperes, consolemur nos eo, quod habemus dotes Regni cœlorum, quod per fidem in Verbum evademus victores peccati, mortis, & Satanæ, quod toti sumus induti salute. Quam multos apprehendit ante hoc felix seculum desperatio? Quod si hanc cognitionem gratiæ Dei, & consolationes has Verbi habuissent, an non

putas

putas eos potius omnium opum mundi jacturam passuros fuisse? Quando enim sentitur ira Dei,& desperatio, tum etiam infinitæ opes vilescunt. Quid enim tum sunt arces, quid oppida,quid regna & principatus? Omnia hæc quis non libenter projiceret,tantum ut cor pacatum esset?

Merito igitur Paulus ὁλοκληρίαν vocat, quod omnia in hac cognitione sint posita. Nam etsi emendicato pane hic vivamus,an non hoc pulchre farcitur in eo,quod pascimur pane cum Angelis & vita æterna, Christo & Sacramentis? Hæc cui non sapiunt, is sane sectetur Papam, & quærat cum fabris Satanæ Cardinalicium galerum. Ego alias opes sector,quas fortasse contemnunt sapientes, qui aut Epicurei,aut Academici sunt,ego autem omnibus mundi gemmis,& auro omni antepono. Ante annos triginta, si vnius tantum Psalmi veram cognitionem habuissem, visus mihi fuissem Deus quispiam, Omnia enim tum plena erant fœdissima ignorantia,abominationibus & idolatria infinita, At nunc, cum quasi diluvium quoddam cœlestis sapientiæ & cognitionis nobis Dominus aperuerit, etiam mundanas opes quærimus ingrati, & sic delicati sumus, ut nolimus eorum, quæ mundus habet, aliquid nobis deficri, Sed apud Esaiam est, Lectum angustum esse, non itaque utrisque potest esse locus. Quanquam res non damnamus, sunt enim dona Dei, quare quibus obveniunt,fruantur iis cum gratiarum actione,& sine querela proximi, Quibus autem non obveniunt,ij æquo animo ferant penuriam. Sicut Paulus dicit,se omnia posse, abundare,egere,edere,esurire, laudari, vituperari,&c. ideo scilicet, quia habemus aliud Regnum in cœlo, & expectamus Salvatorem, qui nobis illa cœpit largiri per Verbum & Sacramenta. Is tantum verbum & sacerdotium nobis relinquat purum, & integrum, de reliquis non multum laborabimus.

Sub Papatu omnia erant plena ignorantia.

1. Thess. 2.

Esai 28.

Phil. 4.

Ecclesia manebit usq; ad finem mundi.

Est igitur hæc insignis promissio & consolatio, quod scilicet Ecclesia & verbum manebunt usque ad finem mundi, Idque non humano consilio aut sapientia, sed Deo induente Sacerdotes suo salutari. Itaque etsi sub Achas & aliis impiis Regibus omnia plena erant Idolatria, tamen erant certi Prophetæ, per quos Verbum retinebatur. Ac Christi tempore incredibilis fuit cæcitas, cujus similem non existimo fuisse in illo populo,& tamen erant tum Simeon & Hanna agnoscentes & prædicantes recens natum Salvatorem. Hoc vere Dei donum & opus est,induentis hoc modo salute,hoc est,victorioso verbo, vero & sancto cultu sacerdotes suos, ut audiatur ex ore hominum salus & gloria nostra. Hæ sunt magnificentiores vestes,quam illæ Aaronicæ Mosis, quod Doctores sunt instructi & ornati verbis salutis,& doctrina veritatis,qua non solum suos in pace docere, sed etiam contradicentes refutare possint. Huc enim pertinet vestis salutis,hoc est,victoriæ, quæ paratur per purum verbum,& salutare ministerium.

Fructus verbi.

Secundum est, quod promittit etiam fructum Verbo, nempe, quod omnes, qui audiunt illos sacerdotes, & credunt verbo,sanctificantur,& implentur corda eorum pace & gaudio, bene sperant de Deo, cui sciunt se placere, quem statuunt sibi favere. Hæc pax cordis, est nostrum Regnum cœlorum, quod habemus in hac vita. Est enim thesaurus inenarrabilis,ad quem comparata Regna & opes mundi sunt fex & stercora, Sic conjungit Psalmus hæc duo, quod victorioſum Verbum sit daturus per sacerdotes, & fidem audientibus eos, ut sic omnes salventur, ac in lætitia cordis prædicent ac laudent Deum tam beneficum. Si quis speciem externam sequatur,judicabit hæc falsa esse,sunt enim verba spiritualia,quæ secundum carnem non debent intelligi. Nam si quis speciem sequatur, de Papa potius & impiis ministris judicabit, quod sint induti salute. Hi enim securissime triumphant, etiam tum, cum sentiunt contra Christum & veram Ecclesiam, Contra Christiani seu vera Ecclesia vexantur intus & foris,à Satana, hæreticis & persecutoribus. Hæc sane nemo vel salutem vel lætitiam appellabit, sed potius calamitates & ærumnas perpetuas, Sed tu oculos tuos ab externa specie remove, & intuere illam majestatem, quam tibi in verbo loquitur,& promittit,quod velit tibi esse propicia. Si igitur apud Deum es in gratia,si ille te non odit,sed amat,si fovet ac tuetur te,quid, quæso sunt omnes calamitates & odia

Pax cordis summum bonum.

Benedictio spiritualis Ecclesia non est æstimanda externa specie.

odia omnia mundi? An non calamitates omnes quantumves magnæ, abſorbentur in
Rom. 8. illo profundo miſericordiæ Dei? ſicut Paulus quoq; ratiocinatur, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Sit ſane Satan cum omnibus furiis mundi, quid nocebunt mihi, cum Deus foveat, cum me, ut filium, complectatur, & cumulet omni benedictione ſpirituali per verbum victoriæ ſuæ.

Illic producam cornu Davıd, paravi lucernam Chriſto meo. XVII.

Perſeverat in promiſſione regni & ſacerdotij, quod non ſolum ſervabitur ſa- *Promiſſio de defendendo regno.*
lus & lætitia Sacerdotum & Sanctorum in populo adverſus phanaticos ſpiritus, quibus ille populus nunquam caruit, ſed etiam, quod ſervabitur hoc regnum foris adverſus externos hoſtes & gentes, & domi adverſus ſeditioſos. Sicut enim inter Levitas multi fuerunt phanatici & hæretici, ita in reliquis ordinibus multi fuere ſeditioſi, ſicut oſtendunt hiſtoriæ. Quam multos Saul habuit, qui eum pro Rege non agnoſcerent, ſed criminarentur & contemnerent eum? Eo occiſo, cum à tribu Iuda David *Saul. David.*
Rex ſalutatus eſſet, per ſeditionem diſceſſerunt ab eo omnes reliquæ tribus, & ſecutæ ſunt ſuperſtitem Saulis filium. Ea diſſenſio vere fuit ſeditio, & duravit ad annos 7.
2. Sam. 2. & menſes 6. ſicut clare oſtenditur 2. Samuelis 2. Quis autem neſcit, quæ incommo-
Xar. b. 3. da ſeditionum & bellorum David poſtea in regno ſuſtinuerit? Poſt Salomonis autem obitum res iterum ad infinitam ſeditionem per Hieroboam deducta eſt. Contra hæc mala confirmat populum Pſalmus, & promittit, cornu David iſtic manſurum, tanquam à Domino productum. Hæc fortuna hujus regni fuit, Sacerdotium ſanctum & purum contaminabat Satan per ſectas, quæ puram doctrinam impugnarent, In Politia excitabat rebelles & inobedientes cives. Ad hunc modum Satan mendacio contra regnum ſpirituale, & cædibus contra politiam furit, ne ſcilicet uſquam deſint ſcandala mendacii & cædium.

Ergo ſicut inſpiciendum hoc regnum & judicandum eſt, non ſecundum ſpeciem externam (Ita enim apparet eſſe regnum infirmum, ſeditioſum, debile) Ita Eccleſia quoq; habet quidem promiſſiones pacis, Sed ſic ut pro majori parte turbetur ſcandalis, perſecutione, & afflictionibus aliis. Hærendum itaq; eſt in magnitudine promiſſionis, in majeſtate Verbi & autoritate promiſſoris, qui ſalutem ſic promittit, ut tamen maneant in Politia rebelles, & in Eccleſia ſcandaloſi hæretici. Hic forti ani- *Eccleſiæ ſpecies.*
mo opus eſt, ut ſtatuamus nos, ſi de mundo eſſemus, à mundo diligi, Si enim Papæ adulari, & quæ ipſe probat, docere vellemus, amaret nos, non perſequeretur, non feriret ſententia anathematis. Sic hæretici & ſectæ, ſi, quæ ipſis placent, probaremus, non ſic acerbe odiſſent nos. Hic igitur perpetuus eſt curſus mundi, ut qui in Eccleſia volunt eſſe, ſe comparent ad iſta ſcandala magno animo, fiducia promiſſionum Dei, ſuſtinenda & ſuperanda. Promiſſio autem in hoc tota eſt, ut conſolemur nos eo, quod habemus Deum faventem, & quod hoſtes verbi Eccleſiam non evertent, utcunq; contra eam furant. Ideo ſcilicet, quia Dominus producet, ſeu, ut in Ebræo eſt, germinare ibi faciet cornu David.

Notus eſt locus in Zacharia, de Zemah, ſeu germine. Itaque quidam judicant *Zemah.*
hic obſcure per vocabulum germinandi, ſignificari Chriſtum, in quo regnum David vere confirmatum eſt, Neq; ego valde repugno, Et tamen malo in ſimplicitate literæ conſiſtere, quod ſimpliciter promittat Davidi & locum & poſteritatem certam. Ideo autem utitur germinandi vocabulo, ut ſignificet incrementum, ſicut noſtris moribus Imperatorem Auguſtum vocamus ab augendo. Niſi enim regna conſervarentur, per- *Auguſtus. Eccleſia germinat.*
irent, Et creſcere, eſt conſervari. Sic Eccleſia germinat, etſi propter perſecutiones videtur diminui, quia conſervat eam Dominus, & quotidie auget per Verbum & Spiritum ſuum. Sententia itaq; eſt, quod Dominus cornu David, hoc eſt, regnum, potentiam & fortitudinem benedicet, quod gubernabit & ſervabit, Perſonam enim præcipue notare voluit, ut certi eſſent poſteri de domo, perſona & loco regni.

Quod ſequitur, Paravi lucernam Chriſto meo, Ebraiſmus eſt, qui convenit fere *Iohannes Huſſ. Leonhardus Keſer.*
cum eo, quod nos dicimus. Iohannes Huſs eſt lumen Eccleſiæ Bohemicæ. Leonhardus Keſer propter inſignem confeſſionem fidei, & conſtantiam, eſt lumen Bava-

riæ,&c. Idem fere lucernam vocat Ebræus. Vsurpatur autem hæc figura 2. Regum 21. Ne extinguatur lucerna Israel,& 2. Paralip. 21. de Ioram. Noluit Dominus disperdere domum David propter pactum,quod inierat cum eo,& quia promiserat,ut daret ei lucernam, & filius ejus in omni tempore, Ioram n. ultimus fuit ex posteritate Salomonis. Qui post eum regnarunt, fuerunt ex posteritate Nathan, Ea sub captivitatem Babylonicam videbatur proxima esse exitio, cum Vrbs deleta esset, & Rex teneretur in vinculis, Sed Dominus tum locum, tum personam castigavit,non mutavit neq; abjecit. Sub nativitatem Christi,imperium a Davidis stirpe ad Machabæos & Romanos devenerat, Quod igitur ad rem attinebat, pene interciderat Lucerna hæc,sed tamen in fide erat adhuc incolumis. Relicti enim erant certi quidam ex tribu Iuda, ex quibus postea natus est Christus.

1. Reg. 11. *2. Par. 21.*

Ioram ultimus ex posteritate Salomonis.

Lucerna.

Lucernam itaq; vocat conservationem Regni,saltem quo ad speciem,etiamsi quod ad rem attinebat,tum locus,tum persona, periclitata sint. Coactus enim erat Deus propter idolatriam & præsumptionem destruere & delere eos. Itaq; sub Christum,regnum a tribu Iuda ablatum est, Successit autem Christus, qui ædificavit novam Ierusalem,quæ nunquam cessabit.Simulis phrasis est 2.Reg.14. Volunt extinguere scintillam meam, hoc est, hæredem meum, ut tota posteritas mea intereat. Hinc Salomo Prov.31.Non extinguetur in nocte lucerna ejus.

2. Reg. 14. *Prov. 31.*

Paravi lucernam.

Est autem Emphatis quoq; in verbo,Paravi. Significat enim hoc regnum munitum esse,non solum contra domesticos hostes, sed quoq; contra omnes dæmones & portas inferorum usq; ad Christum, Et tamen historia docet, quomodo variis calamitatibus fuerit humiliatum. Sic nos habemus promissionem de Ecclesia mansuram eam usq; ad finem mundi, & non prævalituras portas inferorum, Et tamen quis nescit, quomodo Ecclesia sub Papa humiliata & pene extincta fuerit? Prædicabatur & adorabatur non Christus,sed Maria,Apostoli.Itaq; secundum Christi verbum,nisi abbreviati essent dies hi,non salvata esset omnis caro. Hoc igitur semper faciendum est,ut præferamus magnitudinem & potentiam promissoris scandalis mundi & diaboli,nec sinamus dejici animos,cum Papa anathemate, mundus gladio sævit contra Ecclesiam. Nam etsi Ecclesia neq; numero nec potentia par sit adversariis, tamen manebit, adversarij autem peribunt. Major enim est, qui in nobis est, quam qui in mundo est,& verbum, quia æterna Dei potentia est, omnes inferorum furias facile vincet.

Lucerna Ecclesia etiam parata.

Matth. 24.

1. Ioh. 4.

XVIII. *Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

Non rex Babylonis,non Syriæ,non Edom,non Moab, non Ægyptus, In summa,nullus inimicus prævalebit huic Regno, sed regnum hoc stabit paratum usq; ad Christum. Inimici autem hujus regni omnes induentur confusione. Lucerna hæc non extinguetur,donec ille venerit,qui implebit omnia. Hic thronus,quantumvis despectus & odiosus toti mundo,manebit in gloria, non solum coram me, sed etiam coram mundo. Neq; enim Satan,etsi unice id ageret, efficere potuit, ut posteritas Davidis deleretur,antequam Christus natus esset. His promissionibus, ceu baculo firmo,imo ceu petræ Sancti innixi sunt in summis calamitatibus,quibus Satan hunc populum exercuit,studio impediendæ promissionis de Christo. Ac sane Antiochus Epiphanes præ cæteris magno conatu hoc egit,ut populum hunc eradicaret, Sed sicut Psalmus hic promittit,Quia inimicus fuit sancti populi,confusione indutus est.

Posteritas Davidis.

Antiochus Epiphanes.

Coronam vocat regnum.

Quod Latinus vertit,Sanctificatio mea,verti debet,Corona ejus. Sic enim vocat regnum. Ab hoc vocabulo Nazaræi dicti sunt, de quibus est Num. 6. Horum erat singularis cultus, non dissimilis monastico, Abstinebant à vino, & omni forti potu, non radebantur, idq; aut ad certum tempus, aut per omnem ætatem. Etsi autem in arbitrio hominum positus erat hic cultus, tamen non erat electitius, sicut Monachorum,sed à Deo præscriptus. Hinc sumit similitudinem Psalmus, Et sicut tales erant Nazaræi, ita dicit Davidem quoque, seu regnum ejus fore, ut sic dicam,

Nazaræorum cultus.

Num. 6.

Digitized by Google

dicam,Nazaræolum,ſeu coronulam,quam conſervaturus ſit,& ita ſtabiliturus,ut floreat,tanquam Deo gratiſſimum, & mundo utiliſſimum regnum. Reſpicit enim eo, quod in Mundo contemnitur, tanquam exiguum & infirmum regnum, Sed inquit, Ne vos hoc offendat,Mihi enim eſt coronula florentiſſima,& fructificans, tam in ſpirituali,quam corporali adminiſtratione. Ad hunc modum intelligo ſimpliciter de regno Davidis uſq; ad Chriſtum.

Qui malunt Allegoriam ſequi,& iſta omnia transferre ad Chriſtum, ſine negocio id poſſunt. Nam alioqui in Prophetis uſitatum eſt,ut in fine attexant prophetias de Chriſto, qui eſt verus ſurculus ſeu germen, & verus Nazaræus, à Deo in hoc paratus, ut ſit lucerna perpetua, quam non poſſit extinguere Satan. Nam abſq; hoc, conſtat totum illud regnum fuiſſe figuram Chriſti & regni ejus. Hic enim eſt, cujus perpetuus thronus firmatus eſt in domo David,cujus imperium durat,dum ſol & luna curſum ſuum retinent, &c. Complectitur itaq; Pſalmus precationem pro Verbo & pace conſervanda. Hoc enim, niſi ingrati eſſe volumus,præcipue in oratione noſtra à Deo rogandum eſt. Ita autem animi ſunt inſtituendi,ne offendantur,ſeu ſcandaliſentur, cum vexatur aut Politia inobedientia vulgi, ac Magiſtratuum iniquitate,aut Eccleſia falſis Fratribus & hæreſibus. Non enim aliter fiet, ubicunq; eſt Verbum & pax,ibi Satan,mendax & homicida ſpiritus, utrunque perturbare conabitur. Hæc eſt cauſa ſeditionum,bellorum & ſectarum ſeu hæreſium.Munitos itaque oportet nos eſſe,ut cum adverſarius noſter non dormitet,magno animo nos talibus ſcandalis opponamus,& putemus ea eſſe admonitiones quaſdam, ſæpe etiam virgas, ſeu pœnas,quas Dominus immittit,ut emendemur,non ut pereamus. Melius enim eſt affligi à maligno vulgo,quam damnari. Itaq; verbum quidem & leges manent, ſed major pars hominum ſequitur cupiditates ſuas, & tum verbum in Eccleſia, tum leges in Politia negligit. Hoc cum experimur,feramus,nam peccata noſtra etiam graviores pœnas meruerunt. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, Amen.

Allegoria Pſalmi.

Chriſtus verus Nazaræus.

PSALMVS CXXXIII.

Ecce quam bonum.

HIc Pſalmus etſi brevis eſt, tamen quod ad rem & ſententiam attinet,ſatis etiam apertus & clarus eſt, exceptis duabus barbaris, imo potius ſanctis & Ebraicis figuris,de rebus apud Gentes ſimpliciter incognitis. Neq; enim decet barbara vocare, quibus Spiritus ſanctus uti voluit, quin potius barbariem vocemus elegantiam Græcorum,ſiquidem cum impietate & ignorantia Dei conjuncta eſt. Quod igitur ad argumentum attinet, commendat concordiam ſeu charitatem in utroq; regno, ſpirituali & corporali,principaliter tamen in ſpirituali, proq; hac agit Deo gratias. Non ſolum enim pulcherrimum hoc donum eſt,eſſe concordem Eccleſiam, & tranquillam Rempub. ſed etiam maximorum bonorum fons & origo.

Argumentum Pſalmi.

Hic forte quæras,ubi David didicerit, tam eſſe magna & utilia? Sed intuentibus hiſtoriam ejus,facile apparet,magiſtros hujus cognitionis fuiſſe Saulum,Doeg, & alios Centauros in aula Saulis præcedentis Regis, Item Abſalon, Ahitophel. Hoc eſt,David multis tentationibus, & longa experientia didicit, concordia & tranquillitate nihil eſſe melius.Verum enim eſt,quod proverbio dicitur,Dulce bellum inexpertis. Iuvenes enim qui adhuc juvenili ſangvine fervent,nihil ducunt pulchrius gloria belli,& victoria qua inclareſcant. Hi carnales motus facile poſtea extinguuntur, cum experiuntur tales,ſuam & ſuorum calamitatem. Sed ante calamitates,commoda pacis ignorantur à mundo, & vere bellum inexpertis dulce eſt. Sicut hiſtoriæ oſtendunt, in quibus ſæpe ſeditioſa ingenia accuſant pacem, quod in ocio fere homines ſtertant & ignavi fiant, optant bellum, ceu ſegetem gloriæ, & occaſionem oſtentandæ virtutis.

David experientia didicit,pace nihil eſſe melius.

Mundus pacem non poteſt ferre.

Hic affectus nobis per peccatum insitus est, ut divina, necessaria & optima dona Dei simpliciter fastidiamus ac fugiamus, & persequamur ultro diaboli damna & calamitates, sicut Germanico proverbio dicitur, Luctari sæpe homines, ut sibi concilient malum. Et in Proverb. Malum malum dicit omnis emptor. Nam optimas res fastidiunt animi propter copiam præsentem. Itaq; etsi pax vere sit præstantissimum omnium bonorum, tamen natura sic corrupta est, ut sæpe bellum malit. Sicut autem mundus pacem non potest ferre, ita vicissim multo minus potest ferre bellum. In pace queritur de ignavia, in bello iterum pacem expetit. Quod igitur vocant gentes, Pacem auream, quod dicunt, Concordia parvas res crescere, discordia etiam maximas dilabi, Hoc ipsum, etsi experientia didicerunt, tamen non credunt verum esse, nec sequuntur, alioqui non quærerent occasiones bellorum, & turbandæ pacis. Quid facerent in spiritualibus, quæ plane non intelligunt? cum visibilia sua, tum bona quæ pax affert, tum mala, quæ bellum affert, quæq; sentiunt, non tamen intelligant, siquidem pacis pertæsi sunt, & occasionibus motuum & bellorum gaudent, idq; contra judicium suum?

Pax.

Natura peccato corrupta, contraque judicat sacu.

Habere itaq; pacem tum in Politia tum Ecclesia, summum donum est, sed hoc postea etiam donum est, agnoscere quod sit donum. Multos enim videas, qui pacem habent & obedientes subditos, sed tamen hoc dono non fruuntur. Sic dux nobis vicinus persecutor & hostis Evangelij insignis, habet pacem, & bene constitutam politiam, sed in media hac tranquillitate irrequieto est animo, cum odio Verbi semper novas occasiones quærit, reprehendendæ & dissipandæ religionis nostræ. Quanto eum decebat magis agnoscere donum pacis, & ea uti cum gratiarum actione? Exhortamur itaq; ad gratitudinem non solum hujus doni, sed Dei etiam, qui tum pacem, tum alia donat, ut discamus, quam magna res sit pax & concordia, & eam referamus acceptam Deo autori, ne mundo fiamus similes, qui donum hoc non intelligit, sed in ipso usu doni Dei oblivisci tur, & est inquietus, donec perturbet aliquid. Donet igitur Dominus nobis meliorem vitam. Nam Deum juro, hæc vita prorsus nihil valet, in qua non solum res optimas non servamus, nec studemus retinere, sed ne intelligimus quoq; quod sint dona. Hoc non Magistratus politicus, non Ecclesiasticus efficere potest, ut retineatur hoc ipsum donum, quod habetur, sed tanquam oculis & auribus capti homines faciunt non quod probant, sed quod tum peccatum in natura, tum Satan suadet.

Donum est, dona Dei intelligere.

Pax donum Dei.

Ergo non hominis, imo nec Angeli, quæ melior creatura est, sed solius Dei est, servare Imperia, ne prorsus collabantur bellis & tumultibus. Is pacem non solum constituit & restituit, sed solus servat, etiam tum, cum nos in Politia seditiosis, in Ecclesia autem Dei, fanaticis nos opponimus. Hoc donum jubet Psalmus agnoscere, & hortatur ad gratiarum actionem pro hoc dono, Siquidem manus divina est, quod saltem aliqua pax existit. Ac Dei gratia sit, quod cognitionem hanc habemus, & scimus pacem esse donum Dei, etiamsi gubernare & retinere eam viribus nostris non possumus. Hoc enim eo valere debet, non ut desperemus in ista cupiditate & malicia hominum, sed ut tanto diligentius incumbamus in orationem, ut quod Dominus dedit, id etiam servet, defendat contra Satanam & improbos homines. Sed veniamus ad Psalmum.

Deus solus imperia servat.

Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare Fratres in unum.

Fuit in periculis, & usu didicit in seditione & aliis turbis, non solum quantum malum in discordia & doctrina erroris sit, sed etiam, quantum boni sit in concordia & sana doctrina. Itaq; statuit, quod Deus ista conservet, gubernet ac benedicat. Intelligo enim Psalmum de utroq; genere, hoc est, de pace politiæ & Ecclesiæ, sicut etiam natura conjunctæ sunt. Nam pax politiæ, est etiam Ecclesiæ pax, propterea, quod in pace Verbum propagari potest. Fratres autem vocat tum cives inter se, tum Sacerdotes. Hi tum sunt concordes, cum una & eadem doctrina pascunt populum, cum non pugnant inter se, & uno ore sanam doctrinam propagant, & populus credit Verbo. Hæc Pax in Ecclesia est singulare donum, & bonum non delectabile solum,

Fratres.

ſolum, ſed etiam utile & honeſtum, Sic in Politia, cum legum autoritas conſiſtit, & Magiſtratus ſubditorum diligentem curam gerit, contra, ſubditi Magiſtratus ſuos, tanquam liberi parentes, colunt, venerantur, & eorum autoritati parent. Hæc dona hortatur Pſalmus, ut intelligere diſcamus, & pro iis agamus gratias.

Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus.

Hæc eſt barbaries Spiritus ſancti, qui ſi nobis eſt barbarus, nos viciſſim ſumus illi barbari. Porro notus eſt locus Exod. 30. in quo præcipitur Moſi de ſingulari vnguento conficiendo, adjecta hac prohibitione, ne à quoquam alio fiat, neve in alios uſus fiat, quam ad ungendum Sacerdotem ſummum. Cum hoc unguento comparat Pſalmus pacem, quod ſit ſingularis quædam ſacra & divina res, quæ nullis viribus humanis nec parari nec conſervari poteſt. Nam etſi impiis quoq; donatur, ſicut oſtendunt regna, quæ extra Eccleſiam ſunt, tamen revera eſt donum Dei, & ſacerrimum, quod præcipue ſervire debet ſacris uſibus ad propagationem religionis, ad matrimoniorum fidem, ad educationem liberorum, & curam omnis honeſtatis retinendæ. Hoc ſi perſuaderi poſſet phanaticis hominibus, qui novis & abſurdis dogmatibus de Sacramentis, & aliis articulis perturbant Eccleſiæ pacem, quod ſcilicet pax Eccleſiarum ſit ſacrum & Deo gratiſſimum Balſamum, ſegregatum omnino à prophanis uſibus, an non exiſtimas cautius eos acturos eſſe? Sed quia hoc non credunt, nec ſibi perſuaderi ſinunt, nihil penſi habent temere cogitata, temere effundunt, & ſacro hoc balſamo utuntur ad prophanos uſus, ut ſibi gloriam & nomen magnum comparent. Imo concordiam ſanctiſſimam rem, pro ignominia habent, & tanquam ſtercus conculcant pedibus, non utuntur ea pro capitis unguento. Sed quam longe alia Spiritus ſancti ſententia eſt, qui vellet pacem exoſculari à nobis, & haberi pro ſacerrimis reliquiis, ſicut ſimilitudine optimis verbis expoſita oſtendit.

1. 30.

Pax comparatur ſancto unguento.

Phanatici turbant pacem tam preciosam rem.

Diſerte autem dicit, à capite, ut oſtendat veram & arctiſſimam concordiam. Nam ſi ſimilitudinem reſpicias, Aaron primo ungitur in capite, inde unguentum promanat in barbam, tandem fertur ad oram veſtimenti ejus. Cur itaq; capitis mentionem facit? Nempe, ut oſtendat, quod ubi concordia non eſt, ibi perinde, ac cum regnum ſine capite eſt, alius huc, alius iſtuc fertur. Eccleſia autem habet caput Chriſtum. Debet itaq; Balſamum hoc, id eſt, concors doctrina, ceu unguentum precioſum fluere per unitatem ſpiritus in barbam, hoc eſt, in viriles perſonas, quæ adminiſtrant officium docendi. Hoc enim barba ſignificat, quæ os veſtit, organum doctrinæ. Inde fluere debet in oram veſtimenti, hoc eſt, in reliquam Eccleſiam, quæ eſt indumentum Chriſti. Ad hunc modum optat Spiritus ſanctus concordiam pro ſacra & nobiliſſima re haberi. Sed quam pauci ſint, qui hoc ſibi perſuaderi ſinant, notum eſt. Quis enim non videt phanaticos ſpiritus, quos Baſilius eleganter τὴν γλῶσσαν βαμβαίνειν dicit, hanc unicam gloriam ducere, ut concordiam diſcindant? Hi Pſalmum invertunt, & canunt, in cordibus ſuis, Ecce quam bonum & jucundum eſt, diſturbare Fratres, ut non habitent in unum, ſed alius huc, alius illuc proruat. Neq; enim habent pacem & concordiam pro Balſamo, ideo ſemper nova quærunt, nec putant ſe aut Doctores, aut paſtores Eccleſiarum eſſe poſſe, niſi à nobis diſſentiant, & quiddam novum ſibi excogitent. Hos fugere debemus, & cavere, ne eorum ſimus ſimiles, ſed diſcere, quod Eccleſiarum concordia ſit donum Dei, quam fovere, augere, cuſtodire debemus omnibus viribus. Nihil enim eſt pulchrius in oculis Dei & angelorum, quam videre, quod Doctores & Magiſtri Eccleſiarum ſint concordes & unanimes, qui idem docendo ſequantur & ſentiant.

Eccleſia caput Chriſtum.

Barba.

Ora veſtimenti.

Eccleſiarū concordia donum Dei.

Papa quidem cum ſuis pulchre concordat. Eſt enim etiam furum & latronum inter ſe concordia, ſicut Iudæ cum Phariſæis. Sed hæc non eſt concordia, quam Pſalmus hic prædicat, Pſalmus enim eam concordiam prædicat, quæ inter eos eſt, qui habent Verbum purum. Ideo utitur non ſimpliciter quavis ſimilitudine, ſed

Concordia Papiſtarum.

ea,quæ pertinet ad Aaron,divina voce nominatum ſacerdotem. Ac diſerte de barba dicit,quæ cum ore conjuncta eſt, ut ſignificet concordiam à Doctoribus per totum corpus Eccleſiæ diffundi, ut non ſolum ipſum corpus recreetur, ſed odor diffundatur paſſim, & fama Eccleſiæ celebretur coram Deo, & hominibus, qui hoc donum intelligunt.

Sicut Ros Hermon,qui deſcendit in montem Sion,Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſq; in ſeculum.

Hermon. Terra Hermonim.

Hermon eſt mons contiguus Libano. Hinc alio in loco terram Hermonim vocat Iudæam,quæ montibus iſtis cingitur. Quod ad ſimilitudinem hanc attinet, exiſtimo Prophetam vulgari modo loqui, Quia enim montes procul intuentibus videntur cœlum contingere,ros qui de cœlo ſeu ex nubibus defertur,videtur ex montibus altioribus ferri in ſubjectos colles.Itaq; dicit, Rorem deſcendere ex Hermonim in montem Sion, quia ſic videtur procul aſpicientibus. Pertinet autem meo judicio hæc particula ad concordiam politicam, ſicut ſuperior ſimilitudo ad Eccleſiam, quod per pacem Deus imperia & regna recreat, Sicut ſata & herbæ recreantur matutino rore, Initium autem pacis eſt ab ipſis Principibus, tanquam à monte Hermon, inde in privatos cives & totam Rempub. manat, quæ ceu rore refrigeratur ut omnia floreant. Sicut enim rore omnia terra naſcentia revireſcunt & incrementa trahunt,Ita concordia quantumvis parvæ res creſcunt. Contra,in magnis æſtibus,& καύμασι,ſicut exareſcunt & pereunt omnia, Sic bella, ſeditiones & turbæ evertunt Reſp. Hoc experientia etiam Gentes docuit, & adhuc docet, Et tamen experimur etiam in noſtris hominibus, quod diuturnam pacem faſtidiunt, & ea gravantur,nec videntur eam ferre poſſe, perinde ac ſi quoddam intolerabile onus eſſet,Itaq; opus eſt,non ſolum diligentibus exhortationibus pro concione, ſed etiam oratione aſſidua, ſicut Propheta jam addit,

Illic mandavit Dominus benedictionem, & vitas illis.

Encomium pacis, quod Deus ibi habitare velit.

Sic enim in Ebræo eſt, Hoc eſt, Illic Deus habitabit, ubi concordia eſt. Hoc profecto magnificum encomium eſt, quo ornat pacem, Ac debebant animi excitari hac prædicatione ad ſtudium pacis,ſiquidem audiunt Deum habitare velle cum talibus Principibus & Doctoribus,qui pacem amant,& adjuvant. Sequitur igitur,quod ubi ſunt inimici pacis, & qui bellis non neceſſariis delectantur, ſicut ſunt Centauri aulici, & ſeditioſi ruſtici, ibi habitet Diabolus cum angelis ſuis, & quod Deus ibi mandavit maledictionem,mortes,& perniciem.

Emphaſis eſt in nomine Vitæ, eſt enim plurale, ſicut Pſal. 63. Significat enim *Pſal. 63.* in genere omne quod vivit,ſeu omnes ordines vitæ,Sacerdotes,Levitas,fideles, Magiſtratum,artifices,cives,ruſticos, &c. Q. d. Omnia genera vitæ, omnes ſtatus & ordines omnes locupletabuntur in pace.Hæc ſane magnifica promiſſio eſt, Sed an non nos ſumus,qui magnifice quoq; eam contemnimus? Multi de induſtria quærunt occaſiones turbandarum Eccleſiarum, In Repub. experimur, quantus ſit Legum contemptus. His omnibus quaſi cogimus Deum, ne benedictionem & vitas mandet. Itaq; variis calamitatibus ſubjicimur, quia benedictionem tam liberaliter oblatam contemnimus, Quanquam ne quidem calamitatibus & flagellis mundus ſanatur. Quid enim profuit toties exerceri Iudæos omnis generis malis? Itaq; ad extremum funditus eos delere neceſſe fuit,Sic Sodomis fruſtra concionabatur Lot,primo mundo fruſtra concionabatur Noah.Idem periculum nos Germanos quoq; manet,peſtibus,bello,fame non emendamur,nec meliores reddimur, Itaq; ſequetur interitus.

In pace omnia vitæ genera florent.

Lot. Noah.

Commendatio pacis.

Eſt igitur Pſalmus commendatio pacis, ut habeamus loco ſummi & ſanctiſſimi doni,& potius omnia reliqua in diſcrimen patiamur ad eam duci,quam ut adjuvemus homines ſeditioſos & prophanos. Nam etiamſi ferendum aliquid eſt,æquo animo ferri debet, ſiquidem pace omnia reſtaurantur, ſicut quidam eleganter dixit,Nihil minoris emi quam pacem, ſiquidem emptori ampliſſimos fructus parit.

Nihil minoris emi quam pacem.

Sæpe

Sæpè in privatis negociis experimur,si quis jacturam decem aut viginti aureorum æquo animo fert,ut pacem retineat,eum rectissimè consulere suę rei familiari,ubi alius,prodita pace, dum per contentiones & lites decem aureos sectatur, sæpè centum aut amplius amittit. Hæc si in privatis sic fiunt, quid putas in administratione Rerumpub. & Imperiorum fieri? Discamus itaq; pacem magno æstimare, & Deo pro tanto dono,tum in Repub. tum Ecclesia, grati esse, tunc fiet, ut nos quoque sentiamus mandatum de benedictione & vitis, sicut Spiritus sanctus promittit,Amen. *Magistratuũ.*

PSALMVS CXXXIV.

Ecce nunc benedicite Domino.

HIc est ultimus Psalmus inter eos,qui habent titulum à gradibus, in quibus cùm hactenus audiveritis multas graves & utiles doctrinas, fermè de omnibus articulis totius religionis Christianæ,de justificatione seu remissione peccatorũ,de cruce,de charitate, de conjugio, Magistratu,&c. (perinde ac si hoc studuerit Propheta, ut in hisce breviusculis Psalmis summam eorum comprehenderet,quæ in populo docenda sunt) videtur jam concludere hoc Psalmo institutum argumentum. Sicut nos quoq; solemus, cùm in fine concionum rogamus,ut Deus nobis conservet verbum suum,& donet nobis,ut in eo perseveremus. Quia cùm Verbum est purum, tum omnia sunt salva, sancta & pura, utcunque furant portæ inferorum, & nos non solum rerum, sed quoque vitæ & corporis jacturam faciamus. Quid enim in eo incommodi est,modo animæ salventur? Verbum itaque est, ut sic dicam, genus generalissimum omnium bonorum,siquidem omnia bona conservat,Hoc autem amisso aut depravato,omnia bona simul sunt amissa. Sicut enim sublato sole & luce mundi, qui ambulat,in tenebris ambulat,ita obscurato verbo,sequitur etiam politiæ periculum. Ibi non Magistratus,non subditus,non ancilla, non servus scit quid faciat, sed sunt omnia in errore & densissimis tenebris. *Donum Verbi.*

Ergo hic Psalmus hortatur,ut oremus pro verbo conservando, & studeamus singuli hoc officio adjuvare Ecclesiam. Nam etsi nunquam Ecclesia est sine hæreticis,sicut quoque Politia nunquam est sine hominibus seditiosis,tamẽ verbo adhuc incolumi,non potest fieri, quin multa bona, & multi boni quoque simul relicti sint. Accipio igitur Psalmum,quod sit tanquam epiphonema superiorum,in quo precatur & hortatur,ut Domino agantur gratiæ pro dono Verbi sui, ut id porro quoque conservetur, propterea, quod conservato verbo, semper est invenire aliquot bonos,qui sanctè & purè vivant,Ideo dicit: *Psalmus hic est tanquam epiphonema præcedentium.*

Ecce nunc benedicite Domino,omnes servi Domini,qui statis in domo Domini per noctes. I.

Benedicere significat non solũ privatim agere gratias Deo,sed publicè quoque laudare Deum,& prædicare verbum Dei. Hoc enim non potest fieri, quin simul celebretur misericordia Dei,qui creator,cõservator,& simul redemptor noster est,qui omnia fert & tentavit,quæ pertinent ad vitam nostrã, non solum hanc corporalem,sed futuram etiam & æternam. Etsi autem vocabulum servorum Dei propriè pertinet ad ministros Ecclesiæ,tamen complectitur in genere omnes,qui veram doctrinã profitentur & sequuntur. Nam etiam istorũ, qui in ministerio nõ sunt,officium est,confiteri verbum,& beneficia Dei agnoscere ac celebrare. Omnes igitur vos,inquit,simul conferte operas,perseverate in verbo, confitemini, prædicate,docete,magnificite illud, ut cum reliquus totus mundus Deum blasphemet,&contumelia afficiat,vos saltem sitis,qui eum benedicatis,quod sit misericors,tunc fiet,ut etsi numero & viribus sitis inferiores, tamen vincatis omnes hostes vestros. *Benedicere.* *Servi Dei.*

Qui statis nostis in domo Domini.

Sed quid est quòd disertè addit, Qui statis noctu in domo Domini? Num Papistarum more, in templo certas horas observarunt? Ebraismus est. Significat enim idem quod nos germanicè dicimus, manè & vesperi, hoc est, assiduo, sicut etiam suprà, A custodia matutina usque ad noctem. Paulus hanc sententiam aliis verbis effert, Abundet verbum in vobis omni tempore. Et Christus, Oportet semper orare. Nam cùm noctis tempus somno destinatum sit, qui noctu benedicit, etiam interdiu idem faciet, & sic semper benedicet. Ebraismus quoq; est in verbo, Statis. Neque enim significat positum corporis, sicut Carthusiani orantes stabant, sed vocationem. Ergo idē est, cùm dicit, Qui statis, ac si dicat, Qui ordinati & vocati estis ad domū Domini, ut ibi laudetis & prædicetis Dominum, non cantando solum, sed enarrando verbum Dei, exhortando fideles, ad fidem, patientiam, charitatem, &c.

Psal. 92. Coloss. 3. Luc. 18.

Statis.

II. *Extollite manus vestras in Sancto, & benedicite Domino.*

Puras manus levare.

Non invitus verterem, Levate manus purè & sanctè, sed Grammatica repugnat, quanquam sententia eodem redit. Nam qui in Sanctuario orat, debet purè orare, hoc est, puras & sanctas manus tollere, sicut Paulus loquitur, alioqui frustra orabit. Significant autem puræ manus innocentiam à sanguine & rapina præcipuè. Ostendit autem Propheta duo genera esse hominum venientium ad templum & orantium, Quidam veniunt & orant in innocentia & sanctitate, Quidam orant in hypocrisi, & habent manus pollutas sanguine, siquidem incensi sunt odio veræ doctrinæ & totius ministerii. Horum oratio peccatum est, sicut Psalmus dicit. Ad hunc modum præcipit de oratione Paulus quoq;, Orate sine murmure & sine hæsitatione. Hæsitatio est dubitatio, ubi non est vera fiducia misericordiæ Dei, murmur est impatientia, quam mora seu dilatio exauditionis affert, Hæc ferè cum studio vindictæ conjuncta est. Item Christus: Si vis offerre munus tuum ad altare, & tibi in mentem venit, fratrem tuum habere aliquid contra te, abi & reconciliare fratri tuo, & tum offer munus tuum. Hoc enim usitatum est, quòd Hypocritæ postquam omni genere injuriarū onerarunt fratres, non solum sibi non sunt malè conscii, & excusant factum suum, sed etiam simulant singulare studium religionis, & sanctitatis, ac jactant Evangelium plusquam veri Christiani, securi de eo, quod odio & invidia contra proximum accensi sunt.

1. Tim. 2.

Duo genera hominum, qui orant.

Psal. 65.

Hæsitatio. Murmur.

Matth. 5.

Contra hos monet Psalmus, ut in sancto loco oraturi, puri & sancti sint. Nam qui orat, & est aut avaritia, aut libidine, aut ira, aut alio Diabolo obsessus & captus, huic dicit Dominus: Quare enarras justicias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum, Cùm videres furem, currebas cum eo, cum adulteris erat portio tua, &c. Psal. 50. Talis erat oratio Pharisæi, qui descendit injustus ex templo. Nam hæc usitatissima pestis est, quòd qui impurissimi sunt, de Deo & verbo ejus magis & pertinacius gloriantur quàm verè pii. Itaque Scriptura disertè nominat, quod quidam nomen Dei in vanū assumunt, qui corde & vita tamen polluti & impii sunt. Et Propheta hoc in loco Hypocritis insultat, qui cùm orant, putant Deum non videre impuritatem cordis ipsorum. Necessarium igitur votum est, ut primum Deus verbum daret, & id servet contra phanaticos spiritus & hæreses, deinde etiam ut nos servet in innocentia, & custodiat ab hypocrisi.

Psal 50.

Oratio Pharisæi, Luc. 18.

Benedicat tibi Dominus ex Zion, qui fecit cœlum & terram.

De Zion aliquoties in his lectionibus admonuimus. Voluit enim Deus, non solum ritum & personas, sed locum quoq; cultus certum esse, ne animi incerti vagarentur, & sibi ipsis certa loca cultuum deligerent. Quia autem non carebat res scandalo, quid enim absurdius potest fingi, quàm Deum cœli & terræ concludi in illas tenebras? Ideo ad cōfirmandos animos dicit, quòd Dominus qui in Zion habitat, sit creator cœli & terræ. Hæc sæpè diximus, & utile est sæpè inculcari, ne deligamus nobis peculiares cultus. Sicut enim in veteri testamento erat certus locus, persona, & tempora certa, quibus Deus cultū suum quasi affixerat, ita apud nos in solo Christo inve-

Digitized by Google

invenimus Patrem. In Christo adoratur Pater,& invenitur, extra Christum nec adorari,nec inveniri potest,sed damnatum est quicquid extra Christum pro cultu Dei instituitur. *Extra Christ. Deus non datur.*

Summa igitur est,Vobis sacerdotibus dico,vos moneo, ut Verbum sequamini,& pure administretis officium vestrum. Nam verbo & ministerio salvo nihil est quod possit nocere. Etsi enim Satan & mundus oppugnat nos,quid tum ? Si enim Deus pro nobis,quis contra nos ? Prima itaque cura sit,ut vos Doctores curetis de puro verbo conservando, in eo adjuvet nos Deus. Hæc enim vera & præcipua est Dei benedictio,id quod posset dici pluribus, sed satis sit ostendisse. Nostrum hodie est,in hac luce verbi,eadem studere & conari, ac omnibus modis cavere,ne per ingratitudinem nostram,verbum iterum amittamus. Id fiet,si nos quoq; Ecclesiis precabimur,ut benedicat eos Deus per filium suum redemptorem,Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum,cui sit laus & gloria,in secula seculorum,Amen.

Finiit Lutherus Psalmos Graduum VVittembergæ, Anno Domini 1533. die Octobris, 27. Descripti autem sum Noribergæ, & finiti anno 1540. die Ianuar. 26.

πᾶσα θεῷ δόξα.

ANNVS CHRISTI
M. D. XLI.

ENARRATIO PSALMI XC.
PER D. DOCTOREM MARTINUM LUTHERUM IN SCHOLA VVITTEMBERGENSI, Anno 1534. publicè absoluta, edita vero Anno M. D. XLI.

PRÆFATIUNCULA.

DE officio nostro,quos Deus ad docendas Ecclesias vocavit, sæpè dixi, quod cùm post mortem nostram satis multi futuri sint,imo hodie satis multi vivant,qui Theologiam & omnia studia contemnant, necesse est esse aliquos,qui Deum laudent, & verbum ejus longè latèque propagare conentur. In hoc curriculo, siquidem nobis decurrendum est, donec absolvamus cursum nostrum,& constitutam metam salutis nostræ attingamus, certo consilio post multos Psalmos explicatos,nunc hunc Mosi Psalmum decrevi enarrare, & ita reliquum vitæ,quod Dominus mihi dabit,in Mose explicando consumam. Quia enim Moses fons est, ex quo Prophetæ sancti & Apostoli quoq; sapientiam divinam,Spiritus sancti beneficio,hauserunt,non possumus operam nostram melius aut rectius collocare, quàm si nos quoque ad hunc fontem deducamus discipulos,& pro virili nostra, ac modo doni nostri,ostendamus semina divinæ Sapientiæ,quæ per Mosen Spiritus sanctus sic sparsit,ut nulla ratio,nulla vis humani ingenii,Spiritu sancto destituta, videre aut intelligere ea possit. Sed prius quã vel ad Titulum,vel ipsum Psalmum perveniamus,paulo copiosius de argumento præfandum est.

ARGUMENTUM PSALMI.

VNiversum genus humanum ita lapsum & excæcatum est peccato originis, ut homo non solum se & Deum ignoret, Sed ne calamitates suas, quas sentit & patitur, has nec unde sint intelligit, nec videt quo redeant. Tanta est miseria illa, quam ex peccato contra- *Peccati originis vis, &c.*

contraxerunt noſtri primi parentes,& in poſteros propagarunt. Nam vide illam graviſſimam & horribilem pœnam,quæ eſt mors,& tantis calamitatibus inundat in totum genus humanum,quam ſtultè de ea ſapientiſſimi homines diſputarunt, dum alii ſuadent,ut contemnatur, ſicut ille dixit: Summum nec metuas diem nec optes. Alii dum ſentiunt,nimis eſſe gravem rem,eo inducunt homines, ut præſentibus voluptatibus ad leniendum malum hoc indulgeant liberius. Sicut extat notus, ſed depravatus verſiculus,ex Sardanapali Epitaphio ſumptus: Ede,bibe,lude,poſt mortem nulla voluptas. Sic ſapientes mundi, dum pœnæ peccati mederi volunt, in majora peccata involvuntur. Neque enim mors contemnendo vincitur, ſicut latrunculi & milites putant fortitudinis ſpecimen ſe edere, cùm etiam per jocum peſtem, puſtulas gallicas,& ſimiles calamitates aliis imprecantur. Alia arte,aliis remediis opus eſt.

Diſputationes Gentilium de morte.

Recentiores Theologi.

Fere idem recentiores Theologi faciunt,cùm exemplo gentilium diſputant in funebribus Orationibus,Non eſſe dolendum tanquam in re mala, Mortem eſſe portum quendam,in quem concluſi,tuti ſimus à laboribus & calamitatibus,quibus hæc communis vita ſubjecta eſt. Porro hæc extrema eſt cæcitas, & miſeria alia,ſuperaddita peccato originis,quod ipſum peccatum & mortem,cùm reliquis calamitatibus generis humani ſic extenuamus, & pugnamus contra communem ſenſum, contra ipſam experientiam,ac nobis blandimur leviſſimis & vaniſſimis cogitationibus,non enim iſte eſt modus diſputandi de morte, ſed ſunt,ut ſic vocem, gentiles cæcitates & fructus peccati originis,quod ſua mala defendit non eſſe mala, cùm tamen diverſum ſentiat & experiatur.

Quomodo Moſes de morte diſputet.

Mors ira Dei.

At Moſes noſter longè aliter in hoc Pſalmo de Morte diſputat. Hoc enim primum agit, ut mortem, & reliquas hujus vitæ calamitates,quam poteſt maximè exaggeret. In ea re,ſecundùm officium ſuum legale, eſt moſiſſimus Moſes, hoc eſt, ſeverus miniſter mortis,iræ Dei,& peccati. Egregiè igitur fungitur officio Legis, & pingit mortem horribiliſſimis coloribus,quod ira Dei ſit,qua occidimur,Imo oſtendit nos jam ante occiſos,& ingentibus calamitatibus oppreſſos. Ac utitur hic nova Rhetorica, vocans mortem, iram Dei. Addit ex ſua Dialectica cauſam efficientem & finalem mortis,& omnium calamitatum hujus vitæ,opponit nobis Deum iratum, Quis,inquit,norat tantam eſſe poteſtatem iræ tuæ? Nam quòd morimur, accidit ex intolerabili ira Dei adverſus peccatum. Porro,ſi reſpicias ad conſequentia,facile intelliges cum non ſimpliciter loqui de morte corporali,Si enim ea ſola expectanda eſſet,diceremus cum Poëta, Summum nec metuas diem nec optes. At nos ſuſtinemus æternam mortem,ſiquidem iram Dei,quæ à nobis vinci nequit, ſuſtinemus. Ad hunc modum de morte diſputat Moſes,tanquam Legislator, contra induratos & inſenſatos peccatores. Qui autem conſpectu peccatorum ſuorum & mortis territi ſunt,hos ſuo exemplo docet orare,ut Deus oſtendat numerum dierum eſſe brevem,&c.

Moſes loquitur de morte æterna.

Argumentum Pſalmi.

Argumentum itaq; Pſalmi eſt, quod Moſes in hoc Pſalmo vult perterrefacere ſuperbos hypocritas,ſecuros Epicuræos,& omnes contemptores Dei,qui ſibi hoc negocii dari putant in hac vita,ut iram Dei & mortem contemnant, & vivant ficut bruta,quibus nulla poſt hanc vitam ſpes eſt reliqua. His oſtendit Moſes, quòd mors ſit æternus Tyrannus,ut hoc modo perterrefacti,diſcant calamitates ſuas intelligere,& etiam accendantur deſiderio medicinæ,quæ in his extremis difficultatibus adhibenda eſt. Terret igitur primo,non ut perdat,aut in deſperatione relinquat, ſed ut territis,& non amplius ſecuris oſtendat conſolationem,& det locum reſpirandi. Ita conjungit Evangelii doctrinam cum lege,quanquam Evangelium tractat paulo obſcurius,Nam hæc prædicatio reſervanda erat Domino noſtro Ieſu Chriſto, & tempori novi Teſtamenti,Moſen autem oportuit eſſe Moſen. Itaq; Evangelium parcius attingit,ut ea gloria maneret integra meliori magiſtro, de quo Pater dicit: Hunc audite.

Hæc duo ſunt in hoc Pſalmo præcipuè obſervanda. Primum quòd amplificat tyrannidem mortis & iræ Dei,cùm oſtendit æternæ morti eſſe ſubjectam naturam

ram humanam,ut ſcilicet duros & incredulos contemptores Dei terreat. Secundum,quòd orat pro remedio contra deſperationem, ne homines relinquerentur in deſperatione. Eſt igitur utiliſſimus Pſalmus,in quo audimus Moſen in ſuo proprio officio terrentem peccatores, & tamen obſcurè ſignificantem redemptionem,ut ſcilicet humiliet ſuperbos,& humiliatos conſoletur.

DE TITVLO PSALMI.

IAm facilis eſt titulus,Oratio Moſi. Hieronymus inter cætera in hoc Pſalmo annotat,quòd hic perpetuus mos ſit Pſalmorum, ut ſemper decem ſequentes Pſalmi pertineant ad eum Autorem,cujus manifeſtum nomen in præcedenti Pſalmo poſitum eſt. Hoc fortaſſe ex Rabinorum traditione dixit. Mihi autem non eſt dubium, hunc unicum Pſalmum eſſe Moſi,& non ſequentes,qui carent titulis. Nam Epiſtola ad Ebræos apertè dicit,de Pſalmi 95. verſu: Hodie, ſi vocem ejus audieritis, &c. quòd per Davidem Deus hæc locutus ſit. Quare ſentimus Hieronymum Iudæorum figmentum eſſe ſecutum,Præſentem autem Pſalmum Moſi eſſe, non titulus tantum, ſed ipſa dicto, res ipſæ & tota Theologia ejus arguit. Vocatur autem Moſes, vir Dei, quòd peculiariter à Deo ſit miſſus, ad docendam legem in populo. Qualis autem eſt Moſes aliàs in docenda lege, talis hic eſt in orando. Eſt miniſter mortis,peccati & damnationis,ut terreat ſuperbos & in peccatis ſecuros, eiſque clare ob oculos ponat ſua mala,nihil diſſimulet nec occultet,Sicut in hac Oratione videbimus eum facere. Paulus appellat Timotheum quoque hominem Dei, ſed hujus appellationis paulo alia ratio eſt,Nam vocabulum (Iſch) non ſimpliciter virum ſignificat,ſed ſæpè uſurpatur pro Magiſtratu,qui publicè vir eſt,hoc eſt, qui eſt in publico officio. Sicut in hiſtoria Regum libro 4. cap. 4. Mors in olla,vir Dei,hoc eſt,qui es conſtitutus publicè in officio, quod Dei eſt, qui es Organum Dei,cujus dicta & facta accipiuntur,tanquam per ipſum Deum edita. Ad hunc modum hic intellige appellationem viri Dei, quod Moſes tale officium habeat à Deo demandatum,ut ei docenti non minus quàm ipſi Deo habeatur fides.

Ps. 94. ad. 95.

Moſes vir Dei.

Homo Dei.

Iſch.

Reg. 4.

Vir Dei.

Moſes vir Dei

Complectitur itaque titulus hæc tria, Perſonam, Autoritatem & Opus. Autoritas eſt ut cùm Paulus vocat ſe ſervum Domini Ieſu Chriſti, Ea non ſuperbia eſt,ſed neceſſaria commendatio ſui verbi & officii. Sic Moſes non per ſuperbiam ſe appellat virum Dei, ſed quia id miniſterium à Deo demandatum poſtulat,ut ei non aliter,quàm Deo concionanti credatur. Sed inquies,Tamen ad aquas contradictionis peccavit,Igitur non eſt tutum prorſus ei credere? Reſpondeo. Verum eſt quòd peccavit, ſed ſingulari judicio Dei etiam eſt caſtigatus, Et indicatum eſt ſimul,quid eſſet peccatum,quid non. Vbi punitus eſt,ibi prohibuit Deus ne crederetur ei. Sed ubi non eſt punitus,ibi manet Moſis legatio & autoritas, Ibi manet ejus vocatio integra,manet organum divinum. Quicunq; igitur eum contemſerit,contemnit Deum. Sic David manſit vir Dei ſeu Rex, non obſtãte peccato ejus ſeu lapſu,etſi enim peccavit,tamẽ manſit ei ſua vocatio integra.

Paulus ſervus Ieſu Chriſti.

Autoritatem docendi publicè Moſes non amiſit per privatum peccatum.

David.

Sic nos quotidie poſſumus labi, ſed Miniſterio ſeu verbo nihil derigatur per peccatum noſtrum. Quanquam noſtra Vocatio,neſcio an cum illorum vocatione poſſit conferri. Sic hujus Moſis facta & dicta ſunt divina judicanda,&habenda pro dictis Spiritus ſancti,melius intelligentis noſtra mala,quam nos ipſi. Gentes quoniam ea non intelligunt,in quibus vivunt & moriuntur, quæ experiuntur & ſentiunt,quomodo intelligerent, quæ ad Deum pertinent? Sentiamus igitur hunc Pſalmum ab ipſo Spiritu ſancto factum,& nobis propoſitum eſſe. In quo docet nos de noſtris calamitatibus,quas non appellat infirmitatem aut morbum, ſicut quidam Mathæologi,nec diſputat ſicut Sophiſtæ de fomite,ſed docet, ſicut vir Dei,cui tanquam ipſi Deò concionanti credendum eſt.

Admonet

Regula observatu digna.

Admonet autem nos etiam titulus Pſalmi, quod Oratio inſcribitur, Regulæ quæ in Theologia neceſſaria,& plena conſolationis eſt. Nempe,quòd ubicũq; agitur de præceptis ſeu operibus primæ tabulæ,ibi obſcurè ſignificatur reſurrectio mortuorum,ſecundùm Chriſti pulcherrimam & eruditiſſimam ſententiam, Deus non eſt Deus mortuorum,ſed vivorum. Etſi igitur Moſes miniſterio ſuo occidit,dum peccatum & ejus pœnas oſtendit, tamen quia hunc Pſalmum nominat Orationem,obſcure,quanquam certis verbis oſtendit etiam remedium contra mortem, Sicq; ſuperat duplici nomine omnium gentium ſcripta. Ariſtoteles ſentit, ſicut Monachi, Meditationem mortis eſſe remedium, quod mortem tolerabiliorem faciat. Sed ſi rem rectè æſtimaverimus,præſtat planè Epicuræum eſſe, quàm mortem meditari, ſi deſit altera pars,ſcilicet,poſt iram ſpes illa vitæ & miſericordiæ. Hac ſublata præſtat edere,bibere,&curare cuticulam,quam ſe fruſtra macerare curis ejus mali,quod vitari non poteſt. Præſertim cùm cogitationes illæ,ſi ſint ſine ſpe remedii,concitent animos ad iram erga Deum, ad blaſphemiam & impatientiam, Verum enim eſt, quod Cato dixit,Qui metuit mortem,etiam id quod vivit perdit. Indigna igitur eſt ſapientia hæc humano generi,præſertim cùm tantum calamitatum afferat. Altius nobis aſcendendum eſt,& dirigendi oculi ad divinam ſapientiam, quam hîc Moſes tradit,Qui ſic mortem amplificat,ſicq; terret,ut tamen ſubindicet quoq; ſpem eſſe reliquam,ne qui territi & humiliati ſunt,in deſperationem inducantur.

Vocabulum orationis oſtendit reliquam eſſe ſpem vitæ contra mortem.

Lex.

Nos.

Cato.

Ad hunc modum gentes docere non poſſunt,ſed ſolus Spiritus ſanctus. Nec naſcitur hæc noticia domi noſtræ,ſed à viro Dei eam oportet accipi. Mortis tanta vis eſt,ut nos,priuſquam ſentimus,devoret. Quare oportet accedere aliam lucem, De cœlo revelari oportet,quomodo in hoc periculo animi ſint erigendi. Gentes quidem rhetoricantur,ſicut Cicero in Thuſculanis ſuis,ſed verum & certum remedium oſtendere non poteſt. Nam etiam inter diſputandum apparet, quam non ipſe ſibi hoc perſuadeat,quod aliis perſuadere conatur. Quòd igitur Moſes titulum Pſalmo fecit,eſſe Orationem,hoc ipſo nomine ſubindicat,eſſe ſpem vitæ reliquam. Quid enim eſt orare? An non eſt quærere opem? Quid eſt porro ad Deum orare,in periculo peccati & mortis? An non eſt ſentire,quod apud Deum ſit locus veniæ, & certum auxilium contra iſta exitialia mala? An non orare contra mortem, eſt ſperare vitam? Qui enim de vita deſperat,planè nihil orat,tanquam in deplorato negocio. Ita vera eſt Regula,quod ubicunque agitur de præcepto primæ tabulæ,ſeu de operibus primæ tabulæ (ſicut Oratio eſt opus primæ tabulæ) ibi neceſſario includitur fides & ſpes reſurrectionis mortuorum. Hanc Theologiam docuit nos Chriſtus elicere ex ſimpliciſſimis Scripturæ verbis,cùm dicit: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, Iacob. Deus autem non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum. Quicunq; igitur hunc Deum colunt,qui in eum credunt & orant ad eum,hi etiam in morte vivent. Quare? Quia ſcilicet non colitur,non creditur,non adoratur Deus mortuorum, ſed vivorum,Ideo cultus Dei,fides & oratio verè includit articulum reſurrectionis & vitæ æternæ.

Mortis vis.

Cicero.

Orare ad Deũ.

Hæc nemo in primo Præcepto ſuſpicatus eſſet oſtendi, niſi Doctor noſter de cœlo veniens nos admonuiſſet. Neque enim prima tabula eſt tradita brutis, nec hominibus in æternum mortuis, ſed hominibus habentibus Deum, qui ipſi quoque cum Deo in æternum ſunt victuri,Deus enim non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum. Oratio eſt opus ſecundi præcepti,ea ſi ſit ſine Deo, non eſt vocanda oratio. Cùm autem Moſes hunc Pſalmũ inſcribat,quòd ſit oratio,ſequitur,quòd & ad Deum oret,& oret in ſpe,& fiducia remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ. Sic in ipſo titulo oſtendit remedium contra horribilem doctrinam de morte, & ſic utrunque temperat,ut neque iſti deſperent, qui hac doctrina ſunt territi, nec alii indurentur & ſecuri fiant. Conjungenda enim hæc ſunt, ut ſecuri terreantur, & pavefacti erigantur & animentur,dum jubentur exemplo Moſi credere & orare. Legis vox terret,cùm occinit ſecuris,Media vita in morte ſumus,At Evangelii vox iterum erigit & canit, Media morte in vita ſumus. Hæc de Argumento &

Oratio ſine fide

Lex.

Evangelium.

titulo

titulo Pſalmi,ut admoneatur auditor, de qua re agatur,quis & qualis Autor ſit, & quod ſit ejus opus,Oratio ſcilicet. Nunc ad Pſalmum veniamus.

PRIMUS VERSUS.

Domine habitaculum tu es nobis, à generatione in generationem.

HOc exordium etiam ſpirat vitam,& pertinet ad certam ſpem reſurrectionis & vitæ æternæ. Siquidem Deum,qui æternus eſt, vocat noſtrum habitaculum,ſeu ut clarius dicam,locum refugii, ad quem confugientes in tuto ſimus. Si enim Deus eſt noſtrum habitaculum,& Deus eſt vita,nos autem habitatores,neceſſariò ſequitur,nos eſſe in vita,& in æternum victuros eſſe.Hæc omnia virtute primi præcepti,ſcimus conſequi optima & certiſſima conſequentia. Quis enim Deum vocabit habitaculum mortuorum? Quis eum pro ſepulchro æſtimabit,aut pro cruce? Vita eſt,itaque quibus eſt habitaculum, hi quoque vivent. Ad hunc modum Moſes in ipſo ſtatim exordio,priuſquam horribiliter tonare & fulminare incipiat,præmunit pavidos,ut ſtatuant Deum eſſe vivum habitaculum viventium,orantium ad eum,& confidentium in eo.

Moſes vocat Deum habitaculum hominũ. Deũ ante eſt Deus viverẽ, ergo homines beneficio Dei à morte liberabuntur.

Eſt autem mirabilis locutio, cujus ſimile nuſquam eſt in ſacris literis, quòd Deus ſit habitaculum. Quin ſcriptura in aliis locis diverſum dicit, vocat homines templa Dei,in quibus Deus habitet,Templum Dei,inquit Paulus,intra vos eſt. Hoc invertit Moſes,& dicit, nos eſſe habitatores & Dominos in hac domo. Nam Ebræa vox (Maon) ſignificat propriè habitaculum,ut cùm ſcriptura dicit: In Zion eſt habitatio ejus,ibi vertitur hoc vocabulo (Maon) Quia autem domus propter tutelam eſt,fit,ut vocabulum hoc exponatur pro refugio,aut loco refugii. Voluit autem Moſes data opera ſic loqui,ut oſtenderet omnem ſpem nobis in Deo certiſſimè eſſe poſitam,& oraturi ad hunc Deum,ſtatuerent ſe non fruſtra in mundo affligi, nec mori, ſiquidem Deum habeant,locum refugii,& divinam majeſtatem tanquam habitaculum,in quo tuti acquieſcant in æternum. Ad hunc modum ferè Paulus loquitur, cùm in Coloſſ. dicit: Vita veſtra cum Chriſto abſcondita eſt in Deo. Multo enim clarior & luculentior ſententia eſt,cùm dico,Credẽtes in Deo habitare,quàm quòd Deus in ipſis habitet. Habitavit quoque corporaliter in Zion,ſed locus mutatus eſt. At quod in Deo eſt,manifeſtum eſt,quòd non mutetur, nec poſſit transferri, Deus enim ejuſmodi habitatio eſt,quæ perire nequeat. Voluit itaque Moſes certiſſimam vitam oſtendere,cùm dixit, Deum eſſe habitaculum noſtrum,non terram,non cœlum,non paradiſum,ſed ſimpliciter Deum ipſum,Idq;:

Deus habitaculũ hominum.

1.Cor. 3.

Pſal. 76.

Maon.

Piorum confolatio.

Coloſſ. 3.

Credentes in Deo habitant.

A generatione in generationem.

Hoc eſt, à principio mundi uſque ad finem mundi nunquam deſeruit Deus ſuos. Adam,Heva,Patriarchæ,Prophetæ, Reges pii dormiunt in iſto habitaculo, Si enim cum Chriſto nondum (ut puto) reſurrexerunt, quieſcunt quidem corpora eorum in ſepulchris,at vita eorum cum Chriſto in Deo abſcondita eſt, & revelabitur cum gloria in ultimo die. Ad hunc modum Moſes,ſi non clare ſatis, tamen ſignificantibus verbis oſtendit Reſurrectionem mortuorum,& ſpem vitæ contra mortem, Chriſto enim propriè reſervari debuit, ut palam in novo Teſtamento remiſſionem peccatorum & reſurrectionem mortuorum prædicaret, quæ in veteri Teſtamento quibuſdam ceu involucris propoſita fuerunt. Moſes quidem attingit iſta, & ceu digito monſtrat, ſed poſtea in inculcanda ira eſt copioſior & apertior. Hoc enim præcipuè ſtudet efficere,ut diſcant homines Deum timere, & territi ira Dei & morte humilientur coram Deo,& præparentur ad gratiam. Impoſſibile enim eſt hominem permoveri ad timorem Dei,niſi oſtenſa prius ira Dei. Hæc autem quomodo poteſt oſtendi,niſi peccatum oſtendatur,quod poſtea,ut Paulus dicit, operatur iram. Sic ad montem Sinai populus cœpit metuere ab illis tonitruis & horribili tempeſtate, quæ admonebant eos peccatorum,& faciebant eis majeſtatem divinam intolerabilem. Hæc humiliatio ſeu timor ille Domino gratus fuit. Ad hunc enim modum cum

Deus ab initio usq; ad finem mundi fuit abeſt.

Moſes legãdo terret.

Rom. 4. Exod. 19.

hominibus induratis & ſecuris agendum eſt,qui verbum Dei, & tum pœnas omnes impietatis,tum præmia pietatis negligunt.

Verbum Dei recte ſecandum.

Ideo Paulus quoq; jubet rectè ſecari verbum,ne confundantur promiſſiones & minæ,ſicut Iudæi olim ſolebant;& Papiſtæ hodie. Nam Iudæi,etiamſi omnia dura minarentur Prophetæ. Tamen comminationes illas negligebant, & nitebantur promiſſionibus. Ad hunc modum extinguebant timorem Dei,& reddebantur præſumptuoſi & intractabiles, Contra in Papatu tyrannici Doctores, & carnifices animarum,omnes iras & increpationes ingeſſerunt in conſcientias afflictas,cùm potius erigendæ & molliſſime fuiſſent tractandæ. Vtrinque igitur peccatur,cùm verbum Dei non rectè ſecatur. Illa igitur copia,qua poſtea uretur Moſes,propriè pertinet ad eos,quos Paulus ἀπηλγηκότας vocat, qui ſtudioſè,ſicut feroces milites ſolent, ex animis ejiciunt cogitationes mortis & iræ Dei. Hi non poſſunt in viam reduci, niſi amplifices eis iram Dei, ut hoc modo radicem, germinantem fel & amaritudinem (ſicut Deuter. 29. ſcriptum eſt) præcidas. Contra illa ſuaviſſima, quæ initiò hîc commemorat,ad eos propriè pertinent,qui timent mortem, ut diſcant fidere bonitati Dei,& gaudeant tantum in ſe vitæ & ſenſus eſſe, quod agnoſcunt peccata ſua, nec ſunt de eorum numero,qui aut ſecurè negligunt aut rident illa. Hi enim poſſunt doceri,& præbent ſe volentes ad accipiendam conſolationem.

Doctores tyranici in Papatu.

Timentes mortem.

1. Tim. 1.

Epheſ. 4.

Deut. 29.

Ad hunc modum ſi Pſalmum hunc accipias,dulceſcet,& in omnes partes videbitur utiliſſimus eſſe. Mihi quidem ſæpè accidit in Monachatu,ut cùm hunc Pſalmum legerem,cogerer librum deponere de manibus,ſed neſciebam territæ menti, hæc terriculamenta non eſſe propoſita, neſciebam Moſen potiſſimum induratæ & ſuperbæ turbæ concionari, quæ Dei iram,mortem, & omnes ſuas calamitates non curat nec intelligit.

Prima orationis virtus, apprehendere ſpem ſalutis.

Sed reſpiciamus hîc iterum ad Titulum. Inſcripſit Moſes Pſalmum hunc, quòd ſit oratio. Apparet autem hic primam veræ & ſeriæ orationis eſſe virtutem, quod apprehendit ſpem ſalutis,& ſtatuit Deum eſſe propitium, ideoque confidit, in eo eſſe præſidium contra mortem. Cur enim, niſi hoc ita eſſet,appellaret eum habitaculum noſtrum. Sunt igitur hæc verba maximæ fiduciæ & perfectiſſimæ ſpei de vita conſequenda,ſiquidem in ipſo ſenſu iræ & peccati dicere audet, O Domine, quanquam merito iraſceris nobis propter peccata noſtra, Tamen nunquam ita deſeruiſti genus humanum,quin ſemper tibi reſervaveris Eccleſiam,quin eorum fueris habitaculum & portus,qui ſpem ſalutis in te habuerunt poſitam. Hæc prima Orationis eſt virtus,apprehendere Deum,quòd ſit miſericors & faveat, & juvare velit.

Quis jam neget Spiritum ſanctum in ſuis eſſe optimum Oratorem? Siquidem Moſes in difficilima cauſa,qua ſe & totum mundum coram Deo reum agit, tam aptè benevolentiam captat, & judicem cauſæ conciliat, per fidem in miſericordiam Dei,quam omnibus ſeculis Eccleſiæ exhibuit. Sine hac fide Oratio non poteſt eſſe oratio. Quomodo enim orabit ille, qui non putat in Deo tantum bonitatis eſſe, ut orantes audiat, ſed vel contemnit Deum, vel de Deo deſperat? Cujus generis ſunt omnes orationes Papatus. Non ſolum enim in fide orare non poſſunt, ſiquidem fidem non intelligunt,ſed etiam poſtea in eo vitiant orationem, quod Sanctorum meritis & interceſſionibus nituntur. Quare nos hunc Doctorem ſequamur, qui in Spiritu ſancto, hoc eſt,in vera fide cordis orat, & dicit: *Tu es habitaculum noſtrum.* Hoc ſine fide, ſine dono Spiritus ſancti, nemo ex corde poteſt dicere.

Oratio non poteſt exiſtere ſine fide.

Oratio vera.

Neceſſaria autem doctrina eſt,quæ in exemplo hoc proponitur, quod videmus in oratione vera neceſſariam eſſe fidem. Hæc ſi adeſt, triumphamus. Nam propter fidem in Chriſtum oratio accepta eſt, & placet & impetrat omnia. Si credis Deum eſſe habitaculum tuum,eſt tibi verè habitaculum. Si non credis, non eſt. Quare qui ſine fide ſunt,non ſolum ſine omni fructu orant, ſed etiam vertitur eorum Oratio in peccatum,& magis irritant Deum. Blaſphemia enim eſt,venire per orationem in conſpectum Dei,& tamen ſtatuere,quod fruſtra ores, quod non ſit te auditurus Deus.

Sine fide orantes.

Secunda

Secunda virtus veræ orationis eſt,quod ſe vertit ad Deum, non ad alia præſidia carnalia. Atque hoc etiam fidei opus eſt,quæ non ſolum nos conciliat Deo, ſed ſimul etiam tuetur contra omnes impias doctrinas, & præſidia humana. Nam hæ duæ ſunt virtutes,Habere Deum,& retinere Deum. Qui fidem habet,habet Deum faventem,ideo placent & oratio ejus & omnia reliqua vocationis opera. Sed magna diligentia & cura, imo magno Dei beneficio opus eſt, ut Deum ſic retineamus, & non ſupplantemur à Satana,variè ſolicitante nos, ſi quo modo à vero Deo, ad fiduciam humanorum præſidiorum nos poſſit abducere. Ideo Moſes diſertè hîc dicit: *Tu Domine es refugium noſtrum.*

Secunda virtus orationis, Non reſpicere ad carnalia præſidia.

Sed cur addit: *A generatione in generationem?* Nimirum,ut ſignificet unam Eccleſiam durantem à principio conditi hominis,uſque ad finem mundi. Hoc enim eſt,quod dicit,A quo die generatio ſeu ætas cœpit,Tu es habitaculum noſtrum,q.d. Semper fuit Eccleſia,ſemper fuit aliquis Dei populus,à primo homine Adam uſque ad noviſſimum, Licet aliquando Eccleſia fuerit infirmiſſima, & ſic diſperſa, ut nuſquam appareret,ſicut ſub Elia,ubi impius rex Ahab veris cultibus interdixerat, & Prophetas magno numero crudeliter occiderat,ita ut Elias quereretur, ſe ſolum eſſe reliquum ſervum veri Dei. Fuit igitur Eccleſia tum ſic abſcondita, ut nuſquam eſſet niſi in oculis Dei,qui dicebat, Se ſibi ſervaſſe ſeptem millia, qui non adorarant Baal. Sic in Papatu fuit & manſit Eccleſia, ſed verè abſcondita fuit, ita, ut judicanti ex ſpecie,quæ apparebat,videretur nuſquam eſſe. Atque hoc benè & diligenter notandum eſt. Primum,quòd ſemper fuerunt,ſunt & erunt,qui confitentur Deum,qui ſanè docent de Deo, etiamſi ſint pauciſſimi.

Eccleſia ſemper eſt & manet.

Eccleſia Eliæ temporibus.

Eccleſia in Papatu.

Secundum,quòd Eccleſia non eſt in ſanctitate perfecta, ſine omnibus ſcandalis & maculis,ſicut Papiſtæ ſomniant,hi,cùm Eccleſiam audiunt in Symbolo ſanctam dici,cogitant de tali populo, qui ſit ſine omnibus peccatis, & ſcandalis omnibus. Cùm igitur poſtea ſuum cœtum inſpiciunt, dubitare coguntur,ſit ne Eccleſia? Cùm ad nos reſpiciunt,& ſcandala,quibus Satan noſtras Eccleſias deformat,vident, etiam negant nos eſſe Eccleſiam,nec poſſunt ex hoc ſcandalo ſe evolvere. Idem Donatiſtarum fuit judicium,lapſos excommunicabant, nec dabant eis reditum in ſuas Eccleſias. Volebant enim Eccleſiam eſſe talem,quæ eſſet ſine omnibus vitiis. Neceſſario igitur redigebantur ipſorum Eccleſiæ in exiguum numerum. Idem Manichæi & alii ſecuti ſunt,quaſi vero Eccleſia eſſet in vita æterna, & non in carne. Ad hunc modum de Eccleſia non diſputandum eſt. Nam Eccleſia vera eſt,quæ orat ex fide ac ſerio orat, Remitte nobis debita noſtra, ſicut nos remittimus debitoribus noſtris. Eccleſia eſt,quæ de die in diem proficit,quæ de die in diem induitur novum hominem,& exuit veterem, Eccleſia eſt,quæ primitias Spiritus, non decimas, multò minus plenitudinem in hac vita accipit. Nondum ſumus planè exuti carne,& nudi, ſed ſumus in exuendo & promovendo ſeu proficiendo. Quod igitur peccati reliquum eſt,offendit quidem ſpirituoſos Donatiſtas,Manichæos, Papiſtas,Deum autem non offendit,quia propter fidem in Chriſtum id condonat & remittit.

Indicium Papiſtarum de Eccleſia.

Donatiſtæ.

Manichæi.

Eccleſia orat pro remiſſione peccatorum, Ergo non eſt perfecta ſine peccatis

Quare cùm de Eccleſia judicare voles, non reſpiciendum ſimpliciter eo eſt, ubi nulla vitia & ſcandala nulla ſint,ſed ubi eſt verbum purum,ubi eſt adminiſtratio Sacramentorum pura,ubi ſunt homines amantes verbi, & confitentes verbum coram mundo. Hæc ubi invenis,ibi ſtatue Eccleſiam eſſe,ſive pauci numero ſint,qui iſta habent & faciunt,ſive multi. Certum eſt ſemper fore aliquos, alioqui enim quomodo fuiſſet Deus habitaculum noſtrum ab æterno? Ad hunc modum rectè diſputat alicubi Anſhelmus,& colligit mirabili,ſed tamen bono & vero Syllogiſmo,Adam & Hevam fuiſſe Chriſtianos & juſtos,& quod oportuerit ſtatim à lapſu eos redire per fidem in viam,ne ſcilicet ullum eſſet tempus,quo non eſſet Eccleſia. Et ſanè Moſes in hiſtoria de lapſu oſtendit, Adam & Hevam ſtatim à peccato pœnitentia ductos ſibi metuiſſe. Cùm autem poſtea accederet promiſſio de ſemine mulieris, re vera fide in Chriſtum juſtificati ſunt. Fugiebant quidē Deum, metu iræ Dei & futuræ pœnæ, ſed Deus eos ultrò quærebat & revocabat. Hæc fuit prima Eccleſia per verbum regenerata,& fide in Chriſtum juſtificata.

Nota vera Eccleſia.

Anſhelmus. Adam & Heva Chriſtiani.

Prima Eccleſia in mundo.

Erudite ſanè diſputantur hæc ab Anshelmo & verè. Oportet enim Eccleſiam ſemper manere & eſſe. Sicut etiam Moſes hîc indicat, cùm Deum dicit eſſe habitaculum hominum, à generatione in generationem.

II. *Priusquam montes naſcerentur, aut crearetur terra & mundus, es tu Deus ab æterno usque in æternum.*

Quomodo Moſes deſcribat Deum.

Hîc Moſes ſecundum rationem officii ſui incipit eſſe Moſes, & egregiè amplificat tum miſeriam noſtram, tum iram Dei, ſeparat autem iſta longa deſcriptione Deum verum à diis gentiũ, de quibus non poteſt dici, quòd fuerint ab æterno, & in æternum maneant, q.d. Non adoramus novum aut vulgarem Deum, non lignum, non aurũ, ſed eum, qui fuit ante mundũ, qui eſt æternus & verus Deus, &c. Deinde hoc quoq; ſignificat, quòd talis ſit Deus, qui nullius creaturę ſit indigus, ſed ſimpliciter in ſe ſit beatus, ſiquidem eſt antequam crearetur terra & mundus. Hanc majeſtatẽ tam brevibus verbis comprehẽſam nemo poteſt explicare. Complectitur enim, ſi quis evolvat omnes proprietates divinitatis, quæ poſſunt colligi. Quia enim æternus eſt, ſequitur eſſe immortalem, omnipotentem, beatum, ſapientem, qui nihil à quoquam accepit, ſicut Scriptura dicit, Non eſt qui prior ei aliquid dederit, ſolus ſibi ſufficit, &c. Rom. 11.

Iiladu. Potentia Dei verbo omnia creantis conſolatur nos.

Verbum (jiladu) ſignificantius eſt, quàm ſi dixiſſet, priuſquam crearentur aut fierent montes. Significat enim propriè ipſum egreſſum creaturæ ex nihilo in aliquid, ſicut ex homine naſcitur aliud corpus mirabili ortu, non ſicut faber ex materia aliquid facit, dũ materiã parat, aliquid vel reſecat, vel addit, dum materiã formar, &c. Sed ſicut arbores naſcuntur ex terra, tanquam ex nihilo, ut videantur omnia naſci verius, quàm formari aut creari. Dicit enim montes natos, tanquam gignente Deo, ut ſignificet id, quod in Pſalmo ex Geneſi eſt, Ipſe dixit & facta ſunt. Per verbum enim iſta ſunt omnia facta, ut verius naſci, quàm creari aut formari viderentur, quia ibi defuerunt omnia inſtrumenta. Pſal. 33.

Holel.

Verbum (holel) propriè ſignificat formari ſicut Embryo formatur in utero, nullo adhibito inſtrumento. Vult autem Moſes iſta verborum proprietate oſtendere, quòd creatio totius mundi fuerit Deo, ceu parturitio quædã, vel, quòd fuerit quædam nativitas, jubente Deo, Vt diſcamus, quam facilè Deo fuerit ex nihilo omnia facere, ſiquidem res ex ipſius verbo, quaſi enatæ ſunt. Nam in naſcendo apparet ſumma facilitas, Arbor cùm naſcitur non laborat.

Talem (inquit) habemus & colimus Deum, ad talem Deum oramus, quo jubente naſcuntur univerſa creata. Quid igitur pavemus, ſi hic Deus favet? Quid metuimus ab ira univerſi mundi? Si eſt habitaculum noſtrum, an non tuti erimus, etiamſi cœlum ruat? Habemus enim Dominum majorem toto mundo, Habemus Dominum ſic potentem, quo dicente omnia naſcuntur, & tamen ita ſumus puſillanimes, ut ſi unius Principis aut regis, imo unius vicini ira ſuſtinenda ſit, trepidemus & deſpondeamus animum, Cùm tamen conſideratione hujus Regis, omnia alia in toto mundo ſint, ceu leviſſimi pulveres, quos levis aura loco movet, nec patitur conſiſtere. Ad hunc modum hæc deſcriptio Dei conſolatur, ac animi pavidi ad hanc conſolationem debent reſpicere in tentationibus & periculis.

Magnitudo iræ Dei.

Econtrà hinc etiam colligitur, quanta ſit magnitudo iræ Dei, ſicut Manaſſe in oratione ſua coñemorat, merito pavere & tremere omnes à vultu virturis Dei, cujus ira ſuper peccatores ſuſtineri non poſſit. Nam animus cùm intelligit Deum ſic potentem & magnum iraſci ac intentare pœnas, quo fugiet? Verè enim cum Davide dicet: Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiã? Si aſcendero in cœlũ, illic es, ſi ſtratũ fecero in inferno, etiã illic ades, &c. Quod enim poteſt eſſe refugiũ, ſi ille iraſcitur, cujus manu omnia facta ſunt, & qui poteſt omnia? Rectè igitur dicunt, qui exiſtimant hanc infernalem pœnam fore, quod optabunt impii manum Dei effugere, & non poterunt, Sicut etiam Paulus oſtendit 1. Theſſal. 5. Talibus cogitationibus exercendi, & his quaſi malleis contundendi ſunt ἀπηλγηκότες illi & inſen- Pſal. 139. 1. Theſſ. 5.

Pœna infernalis, &c. Inſenſati peccatores terrendi.

& inſenſati peccatores,qui in ſummis peccatis tamen ſecurè vivunt. Hi audiãt qualis & quantus ſit,quem peccatis ſuis ad infligendam pœnam irritant, videant hi fulmina,& audiant tonitrua in monte Sina, videant contremiſcere terram, omnia præſentem mortem minari. Qui autem peccata agnoſcunt & jam antea trepidant, hi doceantur de habitaculo & erigantur. Hoc eſt rectè ſecare Verbum, ut aliter doceas ſuperbos & ſecuros,aliter eos, qui jam antea territi pavent, & etiam tuta omnia timent. Hi diſcant cogitare de habitaculo infinito,æterno,omnipotente. Illi ſciant ſe non habere iratum Dæmonem,ſed Deum ipſum,qui eſt ſuper omnia.

Agnoſcentes peccata ſua erigendi.

Ergo ex deſcriptione hac Dei,quòd ſit æternus & omnipotens, immenſus & infinitus,Sequitur utrunq;,quòd & habitaculum ejus,ſeu favor ſuper timentes eum, ſit infinitus,& quòd furor, ſeu ira ejus ſuper ſecuros etiam ſit immenſus & infinitus. Nam effectus ſemper ſequitur magnitudinem cauſæ efficientis. Pertinet itaq; verſus hic præcipuè eo,quod mors in homine ſit infinitis modis major calamitas, quàm aliorum animantium mors. Nam etſi equi,vaccæ,& omnia bruta moriantur,tamen non moriuntur iraſcente Deo,ſed eſt eis mors quædam calamitas temporalis,à Deo ſic ordinata,non in pœnam,ſed quia alioqui Deo ſic videretur bonum. Hominum autem mors eſt miſeria & ira ferè infinita & æterna, propterea quod homo ſit talis creatura,quæ ad hoc creata eſt,ut viveret in obedientia Verbi, & eſſet ſimilis Deo, non eſt creata ad moriendum,ſed mors peccati pœna conſtituta eſt, ſicut Deus dixit ad Adam: Quocunq; die comederis de ligno hoc,morte morieris.

Deus.

Mors brutorum.

Mors hominum.

Geneſ. 2.

Mors peccati pœna.

Non igitur hominum mors eſt ſimilis morti beſtiarum, quæ naturali Lege moriuntur,nec eſt mors,quæ caſu acciderit,aut temporalis eſſet,ſed eſt mors, ut ſic dicam,minata & profecta ab irato & alienato Deo. Niſi enim Adam comediſſet de ligno prohibito,fuiſſet immortalis. Nunc poſtquam per inobedientiam peccavit, mulctatur morte non creata,ſicut eſt brutorum mors,quæ ſunt ſubjecta homini, ſed per iram irrogata & inflicta,& per peccatum ſeu inobedientiam debita. Multo igitur miſerrimum eſt audire,quòd homo morti ſit deſtinatus,qui tamen ad vitam bonus & integer eſt conditus,ut haberet habitaculum in Deo. Ab hac felicitate per peccatum excidit,id quod Moſes omnibus nobis conatur oſtendere,dum perſonam iraſcentem ſic diligenter pingit,ad terrendos ſecuros & præfractos.

Mors beſtiarum.

Qui facis homines mori,& dicis, Revertimini filii hominum. III.

Quod in Ebræo eſt,Facis hominem reverti ad contritionem,revera aliud nihil eſt, quàm quòd nos vertimus, Facis homines mori,Itaq; cùm hoc clarius eſſet, malui eo uti. Porrò quod ad ſententiam attinet,habent hìc Patres ſuum intellectum de peccato concupiſcentiæ,Fortaſſe,quòd non habuerunt alias tentationes, præter illas animales & carnis, Nam aliarum in ſuis ſcriptis raram fecerunt mentionem. Inde fit,ut Papiſtæ noſtri,cùm de peccato originis diſputant,etiam nihil intelligant, quàm concupiſcentiam carnis.

Peccatum concupiſcentiæ.

At cùm ea primum ſentiri incipiat à pubeſcentibus,ſequitur peccatum originis longè eſſe gravius quippiam, quod etiam in iis eſt & vivit, qui ætate inferiores ſunt,in infantibus,imo etiam in fœtu adhuc vivente in utero,ſicut Pſalmus 51.oſtendit. Sed quia Doctores ferè reſtiterunt in Pſychicis cogitationibus, nec potuerunt Scripturam ad illa occultiora & ſpiritualia Naturæ vitia accommodare, fit ut negligentius etiam in ſummis Scripturæ locis verſentur. Quare ſinamus eos regnare & abundare in ſuo ſenſu,nos autem ſequamur veram & germanam ſententiam.

Peccatum originis.

Pſal. 51.

Sententia igitur hujus loci hæc eſt, quòd Moſes vult nos docere, per peccatum eſſe factum,quòd homo gratia excidit,& pœnam mortis ſuſtinet. Tu vertis,inquit,hominem in contritionem,& redigis eum in nihilum. Hæc an non horribilis ſententia & graviſſima ira eſt? Hominem per iram Dei mori, tam nobilem Creaturam,quæ omnibus animantibus præſtat,& non Angelis, non Dæmonibus ſubjecta fuit,ſed ſoli Majeſtati divinæ,Imo quæ ad ſimilitudinem Dei condita fuit, ut viveret & dominaretur. Hæc profecto gravior mors, & triſtior caſus eſt, quàm cum vacca mactatur,præſertim ſi reſpicias propagationem mali. *Hominem* (inquit) *vertis in contritionem,*

Homo per iram Dei moritur.

tritionem, hoc est, totum humanum genus. Haurit enim uno verbo omnem posteritatem primorum parentum. Ergo quod ad vitam creatum erat, morti jam destinatur, idq; Deo irascente, & est totum humanum genus prolapsum ex immortalitate in mortem æternam.

Moses dicit, mortem à Deo mitti, ne cõfingat, plures esse diversos Deos.

Vide autem quam prudenter Moses loquatur, cùm hanc iram simpliciter refert in creatorem, ne veniat Manichæus, cum insana sua turba, & faciat duos Deos, unum propitium & bonum, alterum malum. Non enim dicit, Diabolus redigit homines in nihilum, Sed tu ipse, qui fuisti antequam cœlum & terra essent. Hoc enim Manichæi deliramentum fuit, Et non dubium est, multos nunc in eodem errore esse positos, qui imaginantur omnia bona à bono Deo, mala autem à malo Deo oriri, In hoc errore vixit Augustinus annis ferè novem. Sed impietas est fingere novum Deum, & hoc modo effugere ac declinare velle iram Dei, jure nobis propter peccatum irrogatam, sicut milites, qui palam contemnunt mortem. Sed quid profeciſti etiamsi mortem extreme contemnas? Num ideo etiam mortem vicisti? Quare meminerimus, hic non disputari de Epicuri cogitationibus, quomodo mitigentur mala, quæ non possunt caveri? Sed doceri nos, ut bona & mala referamus ad unum Deum, & discamus, quomodo illa mala vinci possint. Hoc enim est, quod Moses præcipuè instituit facere.

Prudenter itaq; dixit: *Tu facis homines mori*, Hoc est tuum opus, imo ira tua est, quod universum genus humanum per mortem absorbetur. Non temerè fiunt homines, non temerè nascuntur, non temerè patiuntur, non moriuntur temerè.

Homines nõ temere moriuntur

Nam ne pecudes quidem temerè moriuntur, sed nostro arbitrio. Sunt enim ipsorum calamitates in dominio hominum, Quantò minus mors & finis hominum sine certa ratione est. Sicut igitur vita divino & certo consilio conceditur, sic etiam mors est opus iræ Dei, quo vertit creaturam hanc in contritionem, & protrudit ex vita in mortem. Ita propriè refert hunc effectum ad ipsum Deum, ut admoniti non aliunde accersamus auxilium, quàm ab eo, qui inflixit malum. Qui enim percussit, idem & sanabit. Hic enim est titulus Dei nostri, quòd occidit & vivificat, quòd ducit ad inferos & reducit, quòd (sicut hîc dicit) vertit homines in contritionem, & jubet reverti filios hominum, ut sicut per ipsum initiò accepimus vitam, ita per ipsum quoq; tandem vincamus mortem, quæ mors non simpliciter concupiscentiæ, sed totius peccati causa est. Vtitur quidem Deus Diabolo ad affligendos nos & occidendos, sed Diabolus id non potest, nisi Deus hoc modo vellet puniri peccatum. Sumus igitur oves occisionis, subjecti morti propter iram Dei, ob peccatum.

Titulus Dei.

2. Reg. 6.

Secunda pars versiculi: *Et dicis, Revertimini filii hominum*, eo pertinet, quod sicut moriuntur homines quotidie propter peccatum, Ita quoq; interea nascuntur alii, sed eadem conditione, qua illi, qui defuncti sunt. Sic seculum illud ante diluviũ periit, dixerat enim Dominus: Delebo omne animal vivum, Et tamen ad Noah dicit Dominus: Fac tibi arcam, & ingredere tu & filii tui, & eorum uxores. Sic ad Adam dixit: Morte morieris, quacunq; die comederis de ligno hoc, Et postea: Terra es, & in terram reverteris. Hic enim locus est, qui haurit universum genus humanũ, Et tamen semper alii in hanc vitam nascuntur, eisdem calamitatibus obnoxii.

Noah, Gen. 7.
Adam Gen. 2.

Disputationes de contemnenda morte, &c.

Hæc est sententia divina, quam aperuit nobis Moses, ratio per se videre hæc non potuit. Itaq; non gentes solum, sed Monachi quoque multa disputarunt de contemnenda morte, sed malè. Nam homines hoc modo aut securi fiunt, aut blasphemi, dum exuunt timorem Dei, ac commoventur adversus Deum, quasi Deus tyrannum agat, & sine ratione morti exponat hanc miseram Creaturam. Longè melius Moses docet, quòd etsi abjecerit Deus hominem propter peccatum, tamen non sic abjecerit quin etiam misereri & juvare eum velit. Ratio utrunq; nescit, primum, quòd mors propter peccatum, per iram Dei homini irrogata sit. Deinde, quòd contra iram hanc sit remedium in misericordia Dei, quòd ille iratus Deus sinat se flecti precibus & vinci, ut renovet nos per verbum gratiæ, & Spiritum suum in vitam æternam.

Sicut

Sicut autem Moſes hic dicit, Facis homines mori, & dicis, Revertimini filij hominum, ita in Geneſi Deus ſimul promittit multiplicationem ſeu benedictionem, & involvit ſimul hominem calamitatibus infinitis. Quod in Geneſi dicit, Creſcite & multiplicamini, Hic dicit, Facis filios hominum redire. Quod iſtic dicit, Pulvis es, & in pulverem reverteris, Hic dicit, Facis hominem mori. Sic una brevi ſententia ſimul conſtituit & haurit totum genus humanum, Quod alii vertuntur in contritionem & pereunt, Alii naſcuntur in ſimiles calamitates. Donec veniat expectata illa dies redemptionis noſtræ, in qua vere vivemus. Tunc enim non ſolum iſtæ miſeræ carnis calamitates omnes auferentur, ſed etiam revelabitur gloria Dei in filios ejus, Interim hæc duo opera Dei manent, ut & perdat calamitatibus genus humanum, & generatione etiam augeat.

Collatio hujus loci cum Geneſi.

Quanquam autem calamitoſa eſt vita hæc, Hoc tamen pleniſſimum conſolationis eſt, quod mors præcedit, & vita ſequitur, Sicut ſtudioſe Moſes hoc oſtendit, cum dicit, Facis homines mori (hoc primum eſt) & dicis, Revertimini filii hominum (hoc ſecundum ſeu poſterius eſt & optimum) Sic calamitoſum eſt, eſſe pauperem, ſed hujus calamitatis quem pœniteat, ſi tandem locupletetur? Miſerum eſt eſurire, ſed majore cum voluptate poſtea cibis fruimur. Hanc igitur ſpem occulte oſtendit hic Moſes quoq;, quod poſt mortem ſecutura ſit vita, nec futurum ut homines pereant, ſicut reliqua animalia, Sed quod moriuntur, fieri ut humilientur, non ut in morte maneant. Hanc ſpem oſtendit iis, quorum corda conſideratione peccati ſui, & iræ Dei perterrefacta ſunt. Ac ſub finem orationis hanc doctrinam de vincenda morte & ira Dei clarius tradet.

Moſes primum mortem, poſt vitam ponit.

Sed admonendus quoq; Lector eſt de phraſi. Singulari enim conſilio retinet Moſes uſitatam loquendi formam, cum ſic dicit, Tu dicis, revertimini filii hominum. Reſpicit enim ad id in Geneſi, Dixit Deus, Fiat firmamentum, ſol, luna, &c. Item, Faciamus hominem, Quod omnia Verbo creata ſunt & conſervantur. Facit autem hoc quoq; ad oſtendendam magnitudinem perſonæ, quæ uno verba haurit & conſtituit omnia. Quid levius poteſt videri Verbo? At cum Deus dicit Verbum, ſtatim fit, quod dicitur. Sic dicit matri meæ, Cõcipe, & concipit, Dicit mihi, Naſcere, & naſcor.

Tu dicis.

Gen. 1.

Quoniam mille anni ſunt coram te, ſicut dies heſterna quæ præteriit, & ſicut vigilia nocturna. IIII.

Hic transfert nos à conſpectu rerum humanarum in divinitatem, & ex tempore in talem vitam, in qua nullum eſt tempus. Pertinet autem hoc quoq; ſicut ſuperiora ad oſtendendam magnitudinem perſonæ iraſcentis Dei. Nam ſi quis viveret annos Mathuſalah, qui fere decem ſecula implevit, cogitaremus, talem hominem in meliore conditione eſſe, quam reliquos, nec per iram abjectum eſſe, Sed Moſes diverſum dicit, quod non ſolum ira Dei premat homines, ſed etiam feſtinata ira, quod nimium cito morimur, nec habemus ſolarium differendæ vel tardantis mortis aut calamitatis, quod vivimus breviſſimam & tamen calamitoſam vitam, poſtea morimur æterna morte. Nam etiam Mathuſalæ vitam ſi conſideres, non vixit mille annis. Mille anni autem quid ſunt, ſi ſunt coram Deo, ſicut dies heſterna?

Vita hominum non ſolum calamitoſa, ſed & breviſſima.

Hanc vitæ brevitatem quis homo unquam ita depinxit? Significat enim non curſum, ſed ceu impetuoſum jactum eſſe, quo ad mortem rapimur, Nos fingimus nobis longum tempus eſſe ſeptuaginta annos, Et ſemper accidit, quod Cicero dicit, Neminem ita eſſe ſenem, quin ſperet, ſe unum annum adhuc victurum eſſe. Hæc ſpes longioris vitæ natura omnibus indita eſt, Inde fit, ut ſtudia & rationes omnes ita inſtituant homines, quaſi ſemper ſint victuri. Faciunt enim ex ſua vita, opinione, æternam vitam, cum tamen mors ubiq; inſiſtat noſtris veſtigiis, & nobis nunquam non ſit viciniſſima. Sic oſtendit Moſes hanc calamitatem maximam, quod homines ſuas calamitates, nempe iram Dei & brevitatem vitæ non ſentiunt, quam tamen oculis vident & experiuntur. Hodie moritur, qui heri ſperaverat, ſe quadraginta annos, aut amplius victurũ eſſe, & ſi hos annos vixiſſet, nondum tamen abjeciſſet ſpem longioris

Vita brevis.

Cicero.

Spes longioris vitæ, &c.

Homines brevitatem hujus vitæ non intelligunt.

vitæ. Monet igitur Moſes, ut transferamus nos extra tempus, & Dei oculis inſpiciamus noſtram vitam, Tum dicturos nos eſſe, quod tota hominis vita, etiam cum longiſſima eſt, vix ſit una horula. Ego jam ſum natus annos 51. hoc totum tempus, cum recte conſidero, ſic abiit, ac ſi hoc die eſſem natus. Verum enim eſt quod Philoſophi dicunt, Præteritum abiit, futurum non venit, Igitur de omni tempore nihil habemus quam quod Nunc eſt, Reliqua non ſunt, quia aut abierunt, aut nondum venerunt.

Anno 1535.

Ad hunc modum Moſes iram Dei auget, præter omnium hominum opinionem & judicium. Primo (ut uſitatum Verbum retineam) intenſive, cum mortem hominum facit pejorem & graviorem omnium animantium morte, quod per iram Dei irrogata eſt. Deinde extenſive, quod vita breviſſime abit. Hoc totum tempus, quod eſt ab initio conditi hominis, videbitur Adamo reſurgenti tanquam ſomnus vnius horæ. Carnis oculi beluini ſunt, hi judicant multum eſſe, ſi quis centum annos impleat, At coram Deo mille anni ſunt ceu heſterna dies, de qua nihil reſtat. Huc Hiob quoque reſpexit, cum dixit, Homo de muliere natus, brevi vivens tempore, multis repletur miſeriis. Eſt enim non ſolum, ut dixi, ira, ſed feſtinata ira ac calamitas. Et ſicut perſona eſt infinita, ſic iſta brevitas eſt finitiſſima.

Mors hominum

Vita hominis breviſſima.

Hiob. *Hiob. 14.*

Quod Scriptura alibi dicit, Dies una eſt coram eo, ſicut mille anni, Id pertinet ad ſpiritualem & æternam Vitam. Quod de vigilia in nocte addit, notum eſt veteri conſuetudine in quatuor vigilias noctem diſtributam eſſe. Sicut igitur mille annos comparavit ad heſternam diem. Sic totam vitam comparat cum particula noctis, quam ſomno tranſigimus, Q. d. Si hujus vitæ dies numeras, ſunt dies præteriti, Si noctes, eſt quaſi quartale noctis. Ad hunc modum non ſolum amplificat calamitatem, ſed etiam id, quod optimum fuit, nempe reverſionem ad vitam extenuat. Eſt quidem vita bona creatura Dei, Sed quia tam brevis eſt, & à morte excipitur, merito deploramus calamitatem noſtram. Non autem inepta eſt ſententia, quam alii ſequuntur, qui ſimilitudinem de vigilia nocturna eo accommodant, quod ſicut vices ſunt vigiliarum, ita quoque vices ſunt in hac vita. Qui hodie vixit & tanquam in ſtatione ſua vigilavit, per mortem quaſi evocatur, & ſuccedit alius. Non enim excubiæ ſemper per eoſdem milites aguntur, Qui hac hora vigilavit, diſcedit, & ſuccedit alius. Ita inquit, Alij moriuntur, Alij in vitam naſcuntur, & quaſi ſuccedunt, ſed eadem conditione qua priores, ut completo vigiliæ tempore diſcedant ipſi quoq;. Nunc ſequuntur aliæ ſimilitudines.

Vigilia in nocte. *2. Pet. 3.*

Similitudo de nocturna vigilia

V. *Inundationem in eos immittis, Et ſunt ſomnus, Sicut fœnum, quod ſubito exareſcit.*

VI. *Quod mane floret, & mutatur veſperi, ſucciditur & areſcit.*

Hebræum verbum (Zaram) ſignificat proprie inundare, & cum impetu, ſicut fluctus ſolent, invadere. Eſt igitur pleniſſima ſimilitudo, quæ ſignificat totum genus humanum, ceu fluctu abripi, Sic ſeculum poſt ſeculum, ceu concitatum flumen, rapitur. Hoc an non eſt egregie extenuare illam vitam benedictam, ſeu potius reliquias benedictæ vitæ? Quid igitur ſuperbimus? Cur attollimur in tantum faſtum, & Epicuri more contemnimus Deum, voluptatum noſtrarum cauſa? Cur non diſcimus potius iram Dei recte æſtimare, & cognoſcere vitam noſtram qualis ſit, & quam celeri curſu feratur ad interitum? hoc eſt ex guttula benedictionis ad mare maledictionis? An neſcimus quod ſomnus ſit? qui prius deſinit, quam à nobis poſſit obſervari. Nam priuſquam intelligimus nos dormiſſe, ſomnus jam abiit. Vere itaq; ſomnus & ſomnium eſt vita noſtra. Prius enim quam nos vivere ſcimus, vivere deſinimus.

Zaram.

Vita noſtra ſomnus eſt.

Similitudo de fœno crebra eſt in ſacris literis, Quare manifeſtum eſt, ex hoc Pſalmo multa hauſiſſe & didiciſſe ſanctos Prophetas. David fere totum 39. Pſalmum hinc ſumpſiſſe videri poteſt, In quo & ipſe nova ſimilitudine vitam hanc pingit, cum dicit, Hominem pertranſire in imagine, Et Pſalmus 73. Subitis terroribus intereunt, ſicut ſomnium evigilantis, Et Pſalmus 76. Præda fiant ſuperbi, & dormiant ſomnum ſuum,

Similitudo de fœno.

Pſal. 39. *Pſal. 73.* *Pſal. 76.*

Iſa. 40. Pſal. 102. Pſal. 144. ſuum,Sic Eſaias,Omnis caro fœnum,& gloria ejus ſicut flos agri, Pſalmus 102. Dies mei ſic,ut umbra,tranſierunt,& ego ſicut fœnum exarui, Pſalmus 144. Homo eſt nihil,& tempus ejus ſicut umbra abit.Hæc ſi nos non ſatis de noſtra vita docent,neſcio quid poſſit dici plenius.Pueritia eſt flos ætatis,cum adoleſcentia accedit, ſtatim folia deformantur, Nam commoda vitæ impediunt curæ & varia pericula, quæ pueritia ſicut non intelligit,ita nec metuit quoque. Quare ea pars vitæ celerrimo curſu videtur abſolvi,Sicut Poeta quoq; dicit,

Pueritia.
Adoleſcentia.

Virgilius.

Optima quæq; dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit, Subeunt morbi triſtiſq; ſenectus,
Et labor, Et duræ rapit inclementia mortis.

Recte igitur comparatur vita hæc flori,qui cum oritur & colore & odore præſtat, Sed priuſquam ſol occidat utrunq; amittit. Sic laudat quidem ſimilitudo hæc benedictionem Creationis, quod in illa calamitate tamen enaſcitur pulcher floſculus,ſed miſerabile eſt, tam cito defluere folia & mutari, nec poſſe retinere colorem & odorem nativum.

Vita noſtra flori comparatur.

Verbum(halaph) ſignificat mutari. ſicut veſtes mutantur. Hinc vocant (heliphas)veſtes mutatorias. Vult igitur, fœnum ſeu florem mutari tum, cum jam incipit flos eſſe. Hoc verbo utitur Scriptura, cum dicit, Cœlum & terram mutatum iri,ut ſignificet,neq;Cœlum,nec terram ſuo vero ornatu veſtitam eſſe in hac vita,ſed nunc eſſe quaſi cilicio induta, Tum autem cum renovabuntur, induenda eſſe alia ſplendidiore veſte. Nunc terra paluſtris & ruinoſa eſt, ſed in illo die erit ac ſi eſſet gemmea & argentea. Montes erunt adamantini,Flumina erunt ceu optimum balſamum. &c. Nam verbum(halaph)dupliciter ſignificat mutari,ſive de eſſe ad non eſſe,ſive de non eſſe ad eſſe. Porro pulcherrima ſententia eſt, Si totum genus humanum ſub appellatione fœni intelligas,quod primo mane mutatur ex embryone, in formam hominis, ibi eſt fœnum. Naſcitur enim totum genus humanum ex tenebris & hyeme, & quaſi ex mortuo ſemine in vivum gramen,Ac ſtatim cum ita natum eſt,mutatur iterum de

Mutari in ſcriptura quid.
Cœlum & terra mutabuntur.

Halaph.

Eccle. 1. iſta forma in hyemem & noctem ſuam. Sicut Salomon quoq; dicit, Solem perpetuis vicibus oriri & occidere. Hanc mutationem proprie Verbum ſignificat, Sicut annus

Iac. 1. mutatur ex æſtate in hyemem,tempus ex die in noctem. Sic Iacobi 1. Apud Deum non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Nox quidem transmutatur in diem,& dies per vices obumbratur, Sed tale nihil,inquit,in Deo eſt. Porro hæ mutationes differunt ab eà, de qua Pſalmus hic loquitur. Nam hæ ſunt naturæ mutationes, ſed illa, de qua Pſalmus loquitur, eſt mutatio non naturæ, ſed quæ proficiſcitur ab ira Dei.

Porro dixi ſupra plenum eſſe conſolationis, quod in tertio verſu primo loco mortem ponit, & deinde ſubjungit de vita, ut ſpem occultam oſtendat, quod poſt mortem reſuſcitabimur,& mors illa corporalis in veram & æternam vitam terminabitur,Sed hoc in loco Propheta diverſum facit & ordinem invertit. Siquidem totum humanum genus deſcribit,primum quale ſit in vita,deinde quale ſit in morte,Mane, inquit,ſicut flos floret,ſed veſperi mutatur,exciditur,areſcit.

Quid hæc ordinis immutatio ſignificat? Num arguit ſententiam prius à nobis recitatam incertam aut falſam eſſe? Non, Sed ſimpliciter proponit nobis miſeriam noſtram,qualis eſt in oculis noſtris,non qualis eſt in oculis Dei. Cum ſupra diceret,Tu dicis,Revertimi in filii hominũ,ſtatim ſubjungit,Quoniam coram te mille anni ſunt ſicut dies heſterna. At alia ratio eſt, ſi ſequaris noſtrum judicium & rationem noſtram. Sicut enim aliud eſt, videre ſigillum quomodo in gemma aut auro ſculptum eſt, Et aliud, quomodo in cera exprimitur (Deus,ut utar ſimilitudine hac, ipſam gemmam inſpicit, Nos tantum formam gemmæ, ſeu ſculpturam in cera oculis noſtris poſſumus videre) Ita quod in conſpectu Dei vita eſt, in noſtro conſpectu mors eſt. Quod apud nos temporale eſt,aqud Denm non eſt temporale. Quod apud nos æternum eſt,apud Deum non eſt æternum.

Moſes hic alio ordine utitur quam ſupra.

Ad hunc

Ad hunc modum loquitur hic de miſeria hominum, ſicut eſt in oculis noſtris. Ibi videmus,quod qui hodie vixit, cras moritur. Præter & ultra mortem hanc ratio nihil videt amplius,& ſemper magis intenta eſt in calamitatem & miſeriam, quam in vitam.Sic enim natura ſumus,Ingrati in bonis,& impatientes in malis, Malorum tenaciſſimi,& bonorum,ut ſic loquar,oblivioſiſſimi. Nam vide naturam rerum, in quibus quotidie vivimus,quas videmus,tangimus, quibus fruimur quotidie, An non ex terra,imo ex lapidibus & montibus enaſcitur frumentum, vinum, & quicquid uſus hujus vitæ poſtulat? Revera igitur ex nihilo fit aliquid. Sic ex ſterili & informi hyeme fit fœcunda & amœniſſima æſtas,ex nocte fit dies. Hæc eſt mutatio creaturæ perpetua,Sed hanc negligimus fere ingrati,& convertimus oculos ad illam alteram mutationem,quæ triſtior & miſerabilior eſt,ubi aliquid mutatur in nihil,& de eſſe ad non eſſe. Hoc Moſes hic ſignificat cum noſtrum judicium ſequitur & concionatur, Primum de miſerabili conditione hujus vitæ, Deinde de morte.

Ex nihilo aliquid fit. Mutatio creaturæ.

Mutatio in creaturis & hominibus.

Admonendi autem hic iterum ſumus de differentia ejus mutationis, quæ in Creaturis reliquis eſt,& quæ in nobis eſt. Nam quod nos mutamur, & ſicut fœnum ſubito concidimus,hæc eſt iræ divinæ mutatio. Fœnum autem non ſic mutatur per iram Dei,ſed ſicut ex ordinatione Dei ſurgit,ita iterum perit ſine ſua moleſtia,& ſine ira Dei Sic dies habet curſum ſuum ex bona voluntate Dei, Sed quod nos mutamur & vertimur in atram noctem, hoc accidit ex ira Dei. Ad hunc modum nunc Moſes pergit ad Epitaſin negotij in narratione ſua, & non ſine lachrymis conqueritur de onere iræ Dei, Q. d. An non extrema calamitas eſt, ſolum hominem, præter exemplum omnium reliquarum Creaturarũ,vivere ſic calamitoſam vitam,& poſtea in ira Dei perire? Miſerabile eſt,quod homo eſt ſicut fœnum,& citius moritur quam recte didicit vivere.Sed in hoc fœni melior & felicior conditio eſt, quod oritur & occidit Deo favente & ridente.Nos,ſicut jam dicet,in ira tua conſumimur,& ſuſtinemus intolerabile onus, quod ſcimus Deum nos odiſſe propter peccatum.

VII. *Quoniam in ira tua perimus, Et in furore tuo terremur.*

Hæc, ut dixi, Eſt Epitaſis negotij, & oſtendit differentiam inter hominem & reliquas creaturas. Quod ita conſumitur homo, & celeri curſu per iram Dei rapitur ad interitum, Hoc non fœnum,non flos,non volucres cœli, non beſtiæ terræ patiuntur,ſed ſolus homo. Is ſentit cum ſua morte & reliquis hujus vitæ calamitatibus, etiam conjunctum eſſe peccatum & iram Dei, Vbi econtra tauri, oves,& omnia animantia ex ordinatione Dei, quæ ex beneplacito proficiſcitur, pereunt ſine ſuo peccato,ſine Dei ira.Hæc fere oſtendunt in Moſe ſenſum blaſphemiæ, Niſi enim in hoc ſenſu oſtendatur lumen gratiæ, impoſſibile eſt non ſequi deſperationem & ſummam blaſphemiam. Quis enim iræ Dei meminiſſe poteſt ſine murmuratione? Etiam innocens creatura paſſiones ſuas non poteſt ferre ſine moleſtia, Suem ſi mactes, clamore oſtendit impatientiam & dolorem, Arbor cum ſuccciditur, non ſine crepitu concidit. Quomodo igitur natura humana hanc cogitationem iræ Dei, ſine lachrymis,ſine murmuratione, ſine ſumma impatientia ſuſtineret? Quomodo æquo animo toleraret mortem,quam ſcit ſe propter peccatum & ex ira Divina pati?

Ratio cum cogitat de incommodis ſuis ad impatientiam & blaſphemiam concitatur.

Epicurus Eraſmi. Tantali lapis.

Ratio igitur aut viam contemptus ingreditur,aut viam blaſphemiæ. Extat in Colloquiis Eraſmi Dialogus,quem inſcripſit Epicurum. In eo diſputatur de religione Chriſtiana,quod habeat lapidem Tantali, Siquidem poſt calamitates hujus vitæ, etiam ignem æternum minatur. Huic malo, inquit, quod poteſt aptius remedium eſſe,quam incredulitas aut dementia,ut non credas hæc vera eſſe? Ad hunc modum ratio diſputat.Intolerabile enim videtur eſſe, & indignum divina ſapientia & bonitate,quod poſt incommoda hujus vitæ etiam æterna mors metuenda ſit,Idq; ex ira, quod Deus hominibus ſic calamitoſis etiam iraſcitur. Has cogitationes ratio ſuſtinere non poteſt ſine blaſphemia. Conſulit itaq; Epicurus, ut aut demens, aut incredulus ſias,Sicq; teliberes ab iſto ſenſu iræ & peccati in calamitatibus & morte. Sed ô frivolum conſilium.Quid enim ſi aut non poſſis eſſe incredulus,& metuas, ne quæ

Epicuri conſilium.

hic

hic contemnis,poſt vitam hanc ſentias vera eſſe. Aut non poſſis eſſe demens,ut nunquam de hoc futuro periculo cogites. Ergo Natura aliud nihil poteſt quam horrere, & frendere quod reliquus ſit ſupra nos talis Dominus, quem etiam poſt mortem cogitur metuere. Sicut Vellejus apud Ciceronem loquitur, Imponit hoc modo cervicibus noſtris ſempiternum Dominum. *Vellejus.*

Diligenter itaq; Moſi exemplum notandum eſt,Vt diſcamus moderari & gubernare gemitum hunc cordis noſtri, poſiti in ſenſu iræ Dei, & mortis. Neq; enim malum eſt hoc modo ſentire iram Dei,modo ne vertamur ad ſtultitiam & præ tribulatione vel contemnamus Deum, vel blaſphememus. Quanquam fieri non poteſt, quin etiam Sanctorum gemitus in talibus tentationibus habeant partem aliquam blaſphemiæ.An enim Hiob excuſabimus,cum maledictum diem vocat,in quo natus eſt? An Ieremiam ſuccenſentem, quod non mortuus ſit in vulva matris ſuæ? Sic Hieronymus ſatis duro verbo utitur,cum dicit,Homines omnibus pecudibus infeliciores,ſiquidem poſt cæteras calamitates hujus vitæ, æternam mortem,expectare, vel ſaltem metuere coguntur. Hæ ſunt voces profectæ ex corde irato,& perturbato ſenſu malorum. Non autem malum ſignum eſt,ſic iraſci, modo gubernes hunc motum,& regas certa ratione. Sicut enim Adoleſcens ſentit libidinem, Deus autem id ignoſcit,ſi aut moderetur & gubernet ſenſum hunc,aut uxorem ducat. Ita in Chriſtianis quoque hærent illi motus,murmurantis,blaſphemantis,dubitantis cordis. Sed gubernari debent,ne ſicut in impiis,aut in contemptū Dei, aut deſperationē abeant. *Senſus blaſphemiæ in Sanctis. Hiob. Ieremias. Hieronymi dictum.*

Auguſtinus dicit, Melius eſt ſimpliciter eſſe, quam non eſſe,Sed inſtitue tecum rationem, & dices, diverſum eſſe melius. Hæ cogitationes à blaſphemia non multum abſunt,præſertim ſi eis indulgeas. Sæpe autem accidit,& ego in multis hoc vidi,quod cum ſentirent homines inexercitati has blaſphemiæ cogitationes, examinarentur fere,Quare neceſſe eſt gubernari eas.Pero gubernatio vera hæc eſt,ut ſtatuas te non ideo à Deo abjectum eſſe,quod iſta ſentis. Etſi enim cauſa aliqua talium cogitationum in nobis eſt, ſunt enim fructus peccati originalis,tamen adjuvantur & augentur etiam à tentatore Satana. Sic ſæpe accidit piis adoleſcentibus & puellis,ut ardeant cogitationibus libidinis,etiam contra voluntatem. Quando enim homo arripitur ab affectu, totus arripitur, ut nihil aliud videre, audire, cogitare poſſit, quam quod affectus ſuggerit.Sic occupantur animi ira,cura,odio & ſimilibus affectibus. In talibus tentationibus gubernatio neceſſaria eſt, ut per Spiritum ſanctum nos confirmemus,& ſentiamus,non ideo nos perituros eſſe,quod talia ſentimus. Neq; enim ſemper concupiſcentiæ & vitii eſt,quod Iuvenis ardet libidine, quod cor concitatur ira,& aliis vitioſis affectibus, Sed ſæpe accidunt talia à Satana, agitante animos ſtimulis ſuis,& accendente carnem contra voluntatem. *Dictū Auguſtini. Cogitationes in tentatione quomodo ſint gubernandæ.*

Sæpe enim accidit,ut cupias ex animo liberari impuro motu cordis,& tamen non poſſis.Ibi conſilium hoc ſequendum eſt,Primum,ut non ideo deſperemus de ſalute,ſicut antea dixi. Secundo, ut reluctemur cogitationibus talibus,nec eas approbemus aut eis indulgeamus, & ſimul ut per orationem ſeriam flagitemus à Deo auxilium, Neq; enim ideo immittuntur cogitationes tales, ut ſecundum eas judices & eas ſequaris,Sed ut relucteris,& oratione contra pugnes. Sicut autem dico de craſſioribus tentationibus libidinis,iræ,&c. Ita etiam de hac tentatione blaſphemiæ ſtatuendum eſt.Nam Satan ideo ſe in Angelum lucis transformat & in formam Dei, ut nos abducat ob oratione & Verbo,& ſic nudos aggrediatur & vincat. Cum tentavit blaſphema cogitatione,ſtatim accuſat nos, Vide cor tuum,inquit,quale ſit? An non peccator es? Hoc cogitur cor affirmare, Deinde aggregat alia, Igitur habes Deum iratum contra te, Quomodo enim Deus peccato non poteſt iraſci? Hic ſi paululum cedas,opprimit te,Et multos ſane hoc modo occidit Satan. *Tentatio blaſphemiæ.*

Gubernatione itaq; opus eſt, ut hoſti te opponas, & ſtatuas iſtam infirmitatem tuam Deo notam eſſe, nec offendi Deum ea,ſi non indulgeas ei. Quod autem peccator es, & humili confeſſione id agnoſcis, grata Deo eſt humiliatio hæc, ſiquidem eam per Moſen & Prophetas docuit,& Legē ſuam ideo revelavit, ut hoc modo humi- *Humiliatio Deo grata.*

humiliaret nos. Quæ autem Satan in humiliatione hac ſuggerit, vel ad deſperationem, vel ad contemptum & blaſphemiam, hæc æſtimabis, quod ſint paſſiones tantum,& non res ſeu ſententia judicata,Sic filius,cum à parente caſtigatur,non æſtimat virgam eſſe ſignum exhæredationis, ſed etiamſi virgam patiatur, tamen ſtatuit patrem eſſe & manere patrem. Sic qui gravi morbo implicitus eſt, morbo ſepoſito videt & ſperat ſalutem. Ad hunc modum, ſunt quidem iſtæ cogitationes blaſphemiæ horribiles,& tamen ſunt bonæ, Si modo eas gubernes, & iis bene utaris. Includunt enim iſtos gemitus inenarrabiles, qui penetrant nubes,& divinam Majeſtatem quaſi cogunt ad ignoſcendum & ſalvandum.Sentiri hæc poſſunt,ſicut reliqua ſpiritualia,

Dionyſius. Theologia negativa.

dici non poſſunt, nec ſine experientia diſci. Quare merito ridetur Dionyſius, qui ſcripſit de Theologia negativa & affirmativa. Poſtea definit Theologiam affirmativam eſſe,Deus eſt ens,Negativam eſſe,Deus eſt non ens.Nos autem,ſi vere volumus Theologiam negativam definire, ſtatuemus eam eſſe ſanctam crucem & tentationes,in quibus Deus quidem non cernitur, & tamen adeſt ille gemitus, de quo jam dixi.Vtile autem eſt admoneri & inculcari hæc ſæpius, propter illos,qui vel ipſi tales tentationes experiuntur, vel alios verſantes in illis conſolari debent. Sicut mandatum eſt in Scriptura,Puſillanimes eſſe conſolandos,Linum fumigans non eſſe extinguendum,ſed fovendum.Scit enim Spiritus ſanctus,Diabolum eſſe varie inſtructum, & ſingulis horis conari illis cogitationibus deſperationis & triſticiæ nos invadere. Quare monet & hortatur ubique,ut Chriſtiani divina autoritate alius alium doceat & erigat. 1. Theſſ. 5.

Itaq; inter nos quoq; debet eſſe illa diligentia & ſtudium, ut tu me audias ex præcepto Dei,& ego te,in lucta & periculo poſitum, conſoler, Vt tu mihi credas, & ego tibi viciſſim,cum in ſimili periculo verſor.Sum quidem Doctor,& fatentur multi,ſe à me non mediocriter adjutos in ſacris literis, Sed hoc mihi ſæpe uſu venit, ut ſentirem me adjuvari & erigi uno verbo Fratris,qui ſe mihi nullo modo putabat parem eſſe. Ingens enim pondus eſt in Verbo fratris, quod tempore periculi ex Scriptura pronuntiatur. Habet enim Scriptura inſeparabilem comitem Spiritum ſanctum,qui corda varie movet & erigit per Verbum. Sic conſolati ſunt S. Paulum Timotheus, Titus, Epaphroditus, Fratres è Roma euntes ei in occurſum, Quanquam multis modis doctiorem & exercitatiorem in verbo Dei. Habent enim etiam ſummi Sancti tempus ſuum,in quo infirmi ſunt, alii autem firmiores. Iam hæc perpetua lex Chriſti eſt & regula,Vt firmi portent infirmiores, ſicut oſſa carnem. Sicut enim nemo ideo naſum abjicit,quod impuro phlegmate abundat, & quaſi cloaca cerebri eſt,Ita etiam infirmi,tempore infirmitatis ſunt pars regni Chriſti, qui non ideo abjiciendi,ſed fovendi,ſanandi & erigendi ſunt.

Conſolatio per verbum fratris. *Phil. 2.* *Lex Chriſti. Infirmi.*

Sed redeamus ad Moſen, Is nunc vere eſt in Epitaſi negotij, Itaq; ſuas cogitationes libere exponit Deo, Vt eum poſtea facilius flectat ad ignoſcendum & ſalvandum. Quid,inquit,fumus nos homines, quos ira tua occidit? Profecto mors noſtra omnibus non ſolum aliorum animantium, ſed hominum quoque mortibus & calamitatibus atrocior eſt. Quid enim eſt,quod Epicurus moritur,qui non ſolum Deum eſſe neſcit,ſed etiam calamitatem ſuam, quam ſuſtinet, ignorat? Sed Chriſtiani & timentes Dei homines,norunt mortem ſuam,cum reliquis hujus vitæ calamitatibus, eſſe iram Dei. Itaq; coguntur cum irato Deo congredi, & dimicare de retinenda ſalute. Sed quid ſunt homines, jam antea obruti & oppreſſi miſeriis hujus vitæ? Quæ ſi non eſſent,tamen ſolus timor mortis ſatis eſſet magna calamitas.Nam nullum animantium genus exercetur timore mortis, ſicut homo.

Mors piorum. *Epicurus. Chriſtiani.* *Mors ira Dei.* *Timor mortis.*

Sed quid dico de animantibus brutis, impiorum hominum vitam conſidera, Epicuri & ſimilium,hi vere,ſicut Hiob dicit Cap.21.habitant domos ſecuras & pacatas, & non eſt virga Dei ſuper eos, Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt ad inferna.At pii & ſancti macerantur per totam vitam variis & mortis & aliarum rerum curis, urgentur à Satana, quotidianis pavoribus & incertitudine vitæ. Norunt enim Deum iraſci peccatis,& calamitatum omnium cauſam exiſtere peccatum. *Hiob. 21.* *Pii.*

tum,Hæc ratio & Gentes non norunt. Hujuſmodi cogitationes pavoris & iræ Dei, cum experimur nos quoq;, non debemus ideo deſperare, quaſi hoc malum eſſet ſignum. Nam infra audiemus Moſen etiam hoc orare à Deo, ut de ira hac cogitare poſſit. Videmus enim, quam horribilis humanarum mentium ſit ſecuritas, ut quotidianis & duriſſimis calamitatibus ſuis & aliorum admoniti, tamen non requirant Deum. Sicut apud Eſaiam eſt, Et non eſt reverſus populus ad percutientem ſe. Similes enim ſunt porcorum,& plane ſine omni ſenſu, nec animi advertunt divinitus calamitates infligi. *Eſa. 9.*

Cogitationes de morte & noſtris calamitatibus eſſe utiles.

At vult Deus,ut ſaltem mala noſtra intelligamus,& emendemur plagis. Igitur ſi ſentis,ex ira Dei propter peccatum te varie affligi, & ideo per impatientiam quoque aliquando murmuras,noli ideo abjicere animum. Non enim cauſa in te ſolo eſt, ſed accedit Satan quoq;, qui in Paradiſo docuit hominem, ne eſſet contentus eo,quod Deus præceperat,ſed ut etiam cauſam quæreret. Hinc per impatientiam exiſtunt voces iſtæ,Quare ſumus nati? Cur noſtra non ea conditio eſt,quæ eſt pecudum? &c. Hac tentatione vere etiam Sancti exercentur. Nec fuit prorſus ignota tentatio in monaſteriis,vocaverunt enim Spiritum blaſphemiæ, Ac Gerſon varie contra eam conſolatur. Vtitur ſimilitudinibus quibuſdam, Quod ſicut anſerum ſibilos negligimus, Ita hæc quoq;,etſi ſentiuntur, negligenda & ejicienda eſſe animo. Nam quemadmodum Canis latrans quanto te ei opponas graviore conatu,tanto concitatur & furit magis,Ita quoq; hujuſmodi cogitationes, ſuadent non eſſe irritandas indulgendo. Simile quiddam legitur in Vitis Patrum. Nam ibi docet quidam hujuſmodi cogitationes,ſimiles avibus in aperto cœlo volantibus, Aqprohibere,ne huc vel illuc volent,dicit non eſſe in manu noſtra. Hoc autem in manu noſtra eſſe,ne nidos figant in capillis noſtris. Sic eſſe cogitationes illas natas ex alia quadam cauſa extra nos,nempe ex Diabolo. Non itaque prohiberi poſſe,ne nobis incidant, hoc autem poſſe caveri,ne eis indulgeamus,& ſic abducamur in peccatum. Prudenter hæc & ex magno uſu rerum ſpiritualium tradita ſunt.

Spiritus blaſphemiæ. Gerſon.

Canis latrans.

Exemplum ex vitis Patrum.

Quare nos quoque hoc modo nos conſolemur, cum infigit Satan ſagittas ſuas in corda noſtra,ſentiamus eas eſſe cogitationes Diaboli, & noſtræ infirmitatis,quæ ad impatientiam & murmurationem naturaliter inclinata eſt. Habet igitur Satan apertam feneſtram adoriendi nos. Sed non tantum ſpectandus eſt furor Diaboli,ſed etiam Dei conſilium. Ille enim promiſit ſic vulneratis cordibus gratiam,& ideo humiliari nos ſinit,ut ad eum gemamus & ſuſpiremus. Sic deduxit Moſen in extremum diſcrimen ad mare rubrum, Non ut ibi periret, & Aegyptij deletis Iudæis redirent incolumes ad ſuos, Sed ut Moſes oraret & liberaretur, qui ſolus ſuſtinebat culpam, quaſi ipſius voluntate populus in hanc calamitatem projectus eſſet. Ac ſentit Moſes periculum hoc, Itaque cum ipſe ore taceret,tamen Dominus dicit, Quid clamas? Sicut igitur Moſes in illo periculo non perijt, nec ideo tentatus eſt, ut periret,ſed ut adjuvaretur per Spiritum,& corde ſuo clamaret ad Deum & liberaretur, Ita iſti quoque non peribunt,ſed liberabuntur, qui ſentiunt quidem cogitationes blaſphemiæ, & tamen eas gubernant & moderantur, ſicut ſupra dixi. Sicut enim fomes libidinis eſt in adoleſcentibus,Sic in Spiritualibus habet Diabolus ſuum negocium,ut eos ad deſperationem adducat, Quando enim videt homines hoc agere,ut ſalventur,tunc pulſat corda cogitationibus iræ, & exemplis horrendi judicij Dei, nos ſubjicientis peccato & morti,ut incipiant ſecum diſputare,Quare Deus nos ſic calamitatibus æternis oppreſſit? Huic diſputationi ſi qui præbent animum & aures,paulatim ſic implentur ſenſu iræ Dei,ut nuſquam conſiſtere poſſint præ anguſtia & pavore.

Cur Deus ſinat nos tentari.

Quare ſtatuendum eſt, cum ſentiuntur iſta, Tempus eſſe non deſperandi,ſed gemendi. Itaq; geme tu pro liberatione, quæ certo obveniet. Cauſam autem,cur Deus iſta ſic permittat fieri,jube,ut Satan ex ipſo Deo quærat. Nobis enim objiciuntur calamitates illæ, & omnes aliæ tentationes,ut humiliemur, non ut damnemur, Atque hæc cauſa quoq; Moſi eſt,quod ſic intendat narrationem inſtitutam, & calamitatē hominum exaggeret ſuper omnes alias calamitates,ideo quia eſt conjuncta

Calamitas hominum, &c.

cum ira divina. Qui igitur ſe non erigunt fiducia miſericordiæ Dei, hi nihil quam vel deſperationem, vel blaſphemiam ſentient. Atqui Dei voluntas non eſt, ut deſperemus, ſed ut per Chriſtum vincamus iſta, Sicut Apoſtoli & alii Sancti ſimiles tentationes vicerunt. Sic ſenſerunt ſanctæ Virgines ſexum ſuum, Martyres ſenſerunt dolorem ſuppliciorum, ſed utriq; gubernarunt ſenſum hunc & vicerunt. Ad hunc modum omnes ſancti ſentiunt iſtam iram, ſed per Chriſtum etiam vincunt. Pertinet enim ſenſus ille ad mortificationem. Satis magnum malum eſt conſumi, Sed conſumi per iram Dei, id vero eſt, quod ratio humana vincere neſcit, niſi per Verbum Dei erudita, & per Spiritum ſanctum adjuta ſit.

Virgines. Martyres. Sancti.

Conſumi per iram Dei.

Terror mortis.

Serpens mortuus, &c.

Vtilitas terroris.

Altera pars hujus Verſiculi, Et in furore tuo terremur. Proprie loquitur de terrore mortis, qui ſi non eſſet, Mors vere eſſet ſomnus quidam. Sicut enim ſerpens mortuus ſpeciem Serpentis retinet, ſed veneno caret, nec nocere poteſt, Ita Mors vere mortua eſſet, ſi abſq; hoc terrore eſſet, qui vere eſt quaſi venenum Mortis. Orandum itaq; eſt, ne hunc terrorem feramus in ultima hora, ſed potius in vita, etiamſi ſine murmure eum ferre non poſſimus, Sic Paulus, Foris pugnæ, intus pavores. Opus autem eſt per vitam pavoribus his, ad mortificandum & excitandum veterem hominem, ne ſtertat in ſecuritate. Sicut igitur pueri, qui virga non poſſunt corrigi, fuſtibus corrigendi ſunt. Ita quos corporales pœnæ non emendant, nec docent timorem Dei, Hi igni infernali & hoc ſenſu iræ frangendi ſunt, ne maneant inſenſati. Cum primum autem ſentiunt iram Dei, ibi in ſpem vocandi & erigendi ſunt. Hæc jam eſt una calamitas, quæ nos omnibus aliis creaturis facit calamitoſiores, Quæ etſi ſunt mutabiles & obnoxiæ Morti, non tamen in ira Dei mutantur, ſicut nos, qui in terroribus iræ divinæ vivimus. Nunc ſequitur altera calamitas, Quod etiam Peccatis ſumus obruti. Hanc quoq; non ſentiunt nec patiuntur reliqua animantia. 1. Cor. 7.

VIII. *Ponis iniquitates noſtras coram te, incognita peccata noſtra in lucem, ſub conſpectum tuum.*

Peccatum excitat timorem mortis.

Elymenu.

Dixit vivere hominem in pavoribus mortis, Cur hoc? Quia peccatum habemus, Peccati autem ſtipendium Mors eſt. Conſcientia igitur cum ſentit peccatum, aliud ſentire & ſtatuere non poteſt, quam quod iratum Deum habeat, & ideo mori cogatur. Vocabulum (Elymenu) ſignificat abſcondita vel occulta noſtra. Hæc, inquit, tu quaſi in claro lumine Solis poſita habes & vides, nec finis me eſſe innocentem, ſicut Hiob dicit. Hæc quoq; non multum abſunt à blaſphemia, Præſertim ſi cor intuearis, cum talia verba meditatur. Oſtendit quidem ſe cupere eſſe liberum à peccatis. Sed inquit, hoc mihi impoſſibile eſt, Cujus culpa? Dei ſcilicet, qui occultiſſima noſtra videt, Nihil condonat, omnia obſervat, omnia etiam leviſſima in rationes ſuas refert. Hæc cogitatio facit, ut etiam optima opera noſtra nobis diſpliceant, ſiquidem cœlum & terra videntur noſtris peccatis repleta eſſe. Hæc eſt Epitaſis ejus Fabulæ, quam nobiſcum ludit Deus, ut ambulemus in ſenſu peccatorum noſtrorum & mortis. Non autem malum eſt, ut ſupra quoq; dixi, ſentire hæc, conqueri de calamitatibus ſuis, & judicare quod nihil in nobis ſit, quam damnatio. Conqueraris ſane ſic & gemas, Deinde etiam hoc coneris, ut ſecundum gemitum hunc inſtituas & regas vitam tuam, tum fiet, ut ſentias ſalutem.

Peccata ſua nemo videt omnia. Libido.

Peccata ſua nemo videt omnia. Libido. Affectus amantium. Peccata ſpiritualia.

Porro hic præcipue obſervanda hæc Sententia eſt, quod nullus homo omnia ſua peccata videre poſſit, præcipue ſi magnitudinem peccati Originalis ſpectes. Neque id mirum eſt, Quis enim unicum peccatum libidinis, omnibus notum, ſatis deſcribere poteſt, etiamſi omnes eſſemus Poetæ, Virgilio vel Ovidio pares? Ideo Salomo quoq; dicit, Viam viri erga puellam eſſe inveſtigabilem, hoc eſt, affectus amantium à nemine exponi, aut ſatis dici poſſe. Quanto igitur minus poterunt reliqua peccata graviora & ſpiritualia ſatis agnoſci, ſicut ſunt impatientia in adverſis, blaſphemiæ, murmurationes, contra Deum, &c. Quantum barathrum eſt ſola Incredulitas? Vere igitur peccatum tam eſt magnum, quam magnus eſt, qui peccato offenditur. Eum vero Cœlum & terra non poſſunt capere. Merito igitur vocat peccatum Pro. 31.

rem

rem abſconditam, cujus magnitudo non poteſt includi animo. Sicut enim ira Dei, ſicut Mors, Ita peccatum quoq; infinitum eſt. Vult autem Moſes hæc à nobis diſci & credi, ut perterrefacti ſuſpiremus ad Deum pro gratia, ne ſimus in contemptorum numero, Sed contriti & humiliati ad moriendum, ſperemus per gratiam Dei æternum pondus gloriæ. *Peccatum res infinita.* *Peccatum abſconditum.*

Qui hoc modo contriti & humiliati ſunt malleo Legis, hi poſſunt informari & doceri, ut illas ſagittas Satanæ moderentur, cum nos ſolicitat, ut quæramus cauſas, Cur ſic nobiſcum agat Deus? Cur omnem potentiam ſuam contra hoc aridum
b 14 folium exerceat, ſicut Hiob loquitur? Incidere poſſunt hæ diſputationes, ſed noli terreri. Hoc potius ſtatue, Eſſe hæc quoque peccati pœnas & ſagittas Diaboli, quæ repelluntur clypeo fidei, ad hoc valente, ut prematur ſecuritas & ſuperbia noſtra, in quam peccatum Originis nos deducit. Quantum itaq; de calamitate hominum poteſt dic, tantum hic dicit Moſes, Nec credo poſſe hæc aut melioribus aut gravioribus Verbis explicari. Deducit enim narrationem uſque ad extremum gradum, quod hàrum calamitatum cauſa ſit Peccatum, Quod etſi à nobis & toto mundo abſconditum eſt, tamen in conſpectu & claro lumine Dei collocatur, Quid poteſt dici gravius? Differt tamen Moſes à reliquis blaſphemis, quod adhuc ſervat gemitum illum filialem erga patrem Deum, Non avertit à Deo faciem, non detrahit Deo, non blaſphemat, ſed recto vultu filialiter murmurat & querulatur. Hoc non faciunt impii in tali ſenſu iræ Dei, ſed quia omnem ſpem de bonitate Dei, ſicut Iudas, Cain, Saul, abjiciunt. Ideo vehementiſſimo odio Dei ardent, Deum blaſphemant in corde ſuo, & magis magiſq; peccant. Nunc ſequitur, *Peccatum cauſa omnium calamitatum.*

Quoniam omnes dies noſtri abeunt in ira tua, Annos noſtros finimus, velut ſermonem. IX.

Verbum Panu (quod nos vertimus pro Abire) complectitur inſignem tapinoſin, ſeu extenuationem vitæ humanæ. Significat enim quod vita noſtra non vertat ad nos faciem quaſi veniat, Sed dorſum potius, quæ celerrimo curſu fugiat. Sicut eleganter inquit Poeta, Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi Prima fugit, ſubeunt morbi triſtiſq; ſenectus. Ita ſi omnes annos numeres, à peccato Adæ uſq; ad ultimum articulum temporis, videbis omnes illos annos, cum univerſo genere hominum, nihil eſſe quam receſſum & fugam. Non eſt duratio ſtata aut fixa, ſed ut Poeta dicit, Tempora labuntur, tacitiſq; ſeneſcimus annis. *Vita brevis.*

Hæc Moſes non primus nec ſolus docuit, ſed à Patribus accepit, qui omnem vitam compararunt celerrimæ fugæ. Sed longe graviſſimum eſt, quod non ſolum dicit fugere vitam, Sed illam fugam eſſe etiam pœnam à Deo irato inflictam. Suſtinent hanc calamitatem etiam cætera animantia, quod non ita longæva ſunt, Sed in animantibus non accidunt hæc ex ira Dei. Itaq; Moſes hic ſuo more Officium ſuum facit, & ſic nos noſtræ calamitatis admonet, ut animi tantis periculis perculſi, exuant omnem ſecuritatem, & in timore Dei diſcant ſimul orare. *Vita fugit.*

Quod addit, Finimus annos noſtros, velut ſermonem ſeu loquelam. Etiam pertinet ad extenuationem vitæ noſtræ plane miſerrimæ. Sicut Poema, aut potius verſiculus aliquis Virgilij quaſi tranſit, cum recitatur, Sic tranſit vita noſtra. Porro ſimilitudo hæc utrinq; aptiſſima eſt, ſive eam intelligas ſecundum ſubſtantiam, ſive ſecundum motum. Quod ad ſubſtantiam attinet, Nemo novit, quid ſit ſermo, Eſt ſonus quo feriuntur aures, Sed cujus nec principium, nec finem noris, quid aut unde ſit, Antequam incipis loqui, nihil eſt, cum deſiiſti loqui, etiam nihil eſt, præter ſonum nihil novimus, quid ſit Sermo? Talis, inquit, eſt vita noſtra, eſt ceu Echo quidam, qui breviſſime finitur & abrumpitur. Si ſimilitudinem malis intelligere de motu, etiam bene quadrat. Quid enim humana voce eſt celerius? Viſus quidem celerior eſt, ſed hæret tantum in uno objecto, Neq; enim uno momento ad varia objecta recte cognoſcenda transferri poteſt, Sed Oratio in ictu oculi & perfecte ſonat ex ore, & ſimul omnium auribus eodem inſtanti, ſeu puncto temporis ingeritur. Hæc cauſa fuit, cur finxerunt Poetæ Mercurium alatum, Et notum eſt epitheton Homericum, Alata verba, Et Ovidius, *Volat irrevocabile Verbum.* *Comparatur vita ſermoni quo ad ſubſtantiam.* *Sermo.* *Quo ad motum.* *Viſus.* *Oratio.* *Mercurius alatus.*

Brevitas vitæ humanæ. Luscinia.

Sive igitur ſubſtantiam ſermonis, ſive motum intelligas, eſt ſumma extenuatio brevitatis vitæ, quod neque vitæ noſtræ ortum, nec finem novimus, Sed ſicut quidam ſtrepitus ac ſonus abſolvitur, ubi neq; ante nec poſt aliquid manet reliqui, Sic inquit Moſes eſt vita noſtra. Luſcinia parva avicula eſt, & tamen voce ſua replet cœlum & terram, Vnde autem vox hæc ſit, ubi incipiat, ubi deſinat, neſcis, Sic eſt vita noſtra. Quis igitur ſuperbiat in opibus, potentia, dignitate, Cum non ſolum res iſtæ fluxiles ſint, ſed etiam vita noſtra ſit breviſſima?

X. *Dies annorum noſtrorum ſunt ſeptuaginta anni, aut ad ſummum octoginta, E quibus quod optimum eſt, eſt moleſtia & labor, Tranſitus enim celer eſt, & avolamus.*

70. & 80. anni.

Si ponimus hanc comparationem inter annos noſtros & Dei, ſeptuaginta anni non æquivalent uno momento aut punctulo. Sed Moſes vult eos comparari inter ſe, ſicut dicit in ipſis, Ibi ſeptuaginta anni ſunt moleſtia & dolor. Porro ſeptuaginta & octoginta annos intelligas ſecundum punctum phyſicum, & non mathematicum. Neque enim præciſe ſignificat ſeptuaginta aut octoginta, quaſi nihil infra aut ſupra ſit, Sed cum fere hoc tempus attingant homines, ponit hunc communem terminum. Nam quod ſupereſt, non meretur dici vita, Siquidem tum omnia, quæ naturalis vitæ ſunt, deſinunt, Non cibo, non potu cum voluptate fruuntur homines, Ad nullas res gerendas fere ſunt utiles, & aluntur tantum in pœnam ſuam. Sed anni præcedentes, ſi reſpicias ad Deum, ſunt quaſi ſonus oris, qui celerrime diſſipatur, Apud nos ſunt quaſi volatus quidam, in quo nihil ſentitur, quam labor & dolor. Hic mihi conſidera. An non magna calamitas ſit, quod etſi iſta omnes patimur & experimur, tamen pauciſſimi ſunt, qui, ut ita loquar, ſenſata hæc ſentiant, Sicut proverbio germanico dicitur, Senes ſtultos ſtultiſſimos eſſe. Quotus enim quiſq; eſt, qui etiam cum ad illam annorum miſeriam pervenit, intelligat, ſenectutem, mortem & ſimilia eſſe pœnas? Quin mirabili ſtultitia juveneſcunt, non ſenſu ſolum, ſed ſæpe etiam affectu. O miſerrimam miſeriam!

Die alten Narren die beſten.

Ætas hominum.

Sed hic movetur quæſtio, An hoc tempore ſint anni vitæ pauciores, quam Moſis tempore? &, An tempore Moſis omnes communiter attigerint ſeptuageſimum vel octuageſimum annum? Moſes quidem attigit annum centeſimum & viceſimum, David non attigit octuageſimum. Itaq; ponit hunc certum annorum numerum, tanquam medium quiddam, quod fere attingunt homines. Noſtra ætas hodie non multum defecit, ſi modo viveremus ipſorum more moderate, & non corrumperemus valetudinem & vitam noſtram immodico luxu & crapula, Ipſi ad dimenſum vixerunt in ſumma frugalitate. Itaq; & tolerare ſumptus eis facile fuit, & pervenerunt ad juſtam ætatem, quam fortaſſe nos quoque impleremus, ſi pari moderatione corpus regeremus. Quanquam eorum ſententiam non improbo, qui exiſtimant etiam decreviſſe aliquid de ætate hominis noſtro tempore. Ante diluvium anni quingenti, aut quadringenti fuere medium Phyſicum, quod fere attingebant homines. Nam uſq; ad octingenteſimum & nongenteſimum Patres pervenerunt. Sicut autem poſt diluvium multum deceſſit ætati hominum, Ita veriſimile eſt noſtrum ſeculum degeneraſſe nonnihil à ſeculo Davidis.

Vitam corrumpimus crapula &c.

Ætas Patrum ante diluvium.

Sicut igitur Moſes tanquam communem terminum ponit annos ſeptuaginta, Ita noſtro tempore ponamus quadraginta aut quinquaginta. Nam pauciſſimi ſunt, qui attingunt ſexageſimum, & hi judicantur eſſe in provectiore ætate. Neq; mirum, Si quis enim rationem ineat ſecundum noſtram immoderatam diætam, præut illi frugales & parci fuerunt, mirum potius eſt quoſdam ſexageſimum attingere poſſe. Nam ex Parentibus immoderatis, neceſſe eſt liberos infirmioribus corporibus naſci. Ita ex ſola immoderatione victus facile eſt judicium, deceſſiſſe aliquid vitæ hominum. Quæ autem hic de Complexionum vitiis ex cauſis cœleſtibus poſſunt dici, ea relinquo Philoſophis & Mathematicis. Nobis ſatis eſt experientia quotidiana. De incommodis ſenectutis hic non eſt neceſſe diſputare, quæ Cato apud Ciceronem

Dieta noſtra immoderata.

Immoderatio victus. Incommoda ſenectutis.

magno

magno conatu defendit esse leviſſima. Nam res ſuperat verba, & communis ſenſus eſt in contrario. An non eſt magnum incommodum, hominem ſenem fere omnibus privari, quibus hæc vita condita eſt?

Recitat Cicero ex Platone hiſtoriam de Sophocle, eum, confecta jam ætate, cum quidam interrogaret, Vteretur ne rebus venereis? Reſpondit, Dii meliora, libenter vero iſtinc, ſicut à Domino agreſti ac furioſo profugi. Hanc vocem vehementer prædicat Cicero, Sed ſi nos rem recta æſtimamus ratione, videbimus loco unius juvenilis libidinis, ſuccedere in Senibus, ut ſic dicam, centum graviores & pejores libidines, Invidiam, iram, curas, impatientiam, dolorem, quem movent mala exempla, &c. Recte igitur Comicus dicit. Senectus per ſe ipſa morbus eſt. Vere igitur dicitur, incommoda vita, quæ ſibi & aliis gravis eſt. Quod ſi fuerunt aliqui, qui ſenectutem nec aliis moleſtam, nec ſibi injucundam vixerunt, Quid ii ſunt ad totam reliquam multitudinem? Neque enim ut in Proverbio eſt, Vna hirundo ver facit. Duo vocabula (Amal & Aven) fere uſurpantur figurate, Hic autem ſunt in ſua propria ſignificatione, Sicut Hiob 5. Homo natus eſt ad laborem ſeu moleſtiam, ſicut avis ad volandum. Sed Scriptura alibi utitur his vocabulis, pro religione conficta ſeu Idolatria. Idq; ideo, quia omnis ſuperſtitio & Idolatria vere excarnificat homines. Sicut germanice vocamus martyres Diaboli, qui ipſi ſibi cumulant moleſtias præter neceſſitatem. Et extat germanicum Proverbium, Infernum majoribus ſudoribus & laboribus parari, quam cœlum. Nam falſa Religio ſeu Idolatria non poteſt habere veram lætitiam cordis & pacem in Domino. Neceſſario igitur affert inquietum cor & perturbatum. Quare pulchre hæ appellationes Idolatriæ conveniunt. Sic tota vita eſt dolor & labor. Niſi in quantum hæc mala mitigantur fide & ſpe miſericordiæ in regeneratis, qui ſunt novi homines & feneſcere nequeunt.

Sophocles.

Senum vitia.

Senectus per ſe morbus.

Amal.

Aven.

Hiob. 5.

Superſtitio.

Martyres Diaboli.

Falſa religio, &c.

Vita noſtra eſt dolor & labor.

Quod in altera parte verſus eſt, Tranſitus enim celer eſt, & avolamus, non habet opus longa explicatione. Nam experientia diſcimus veram eſſe ſententiam. Mihi puero narrabatur fabula, Patriarcham aliquem rogaſſe, ut divinitus ſibi oſtenderetur, quamdiu eſſet victurus? Cum itaq; intellexiſſet, mille & quingentos annos ſe adhuc victurum, incepiſſe tum primum ſibi ædificare in ſolitudine tuguriolum quoddam, quod ſibi ſoli ſufficeret, & non domum. Hanc fabulam quiſquis finxit, certe voluit oſtendere, Vitam etiam tot annorum nihil quam volatum eſſe & celerrimum tranſitum. At nunc ſic ædificant homines, quaſi in æternum hic victuri ſint.

Fabula.

XL.

Quis novit potentiam iræ tuæ, Et quis metuit furorem tuum?

Eſt Epiphonema, quo claudit narrationem hanc. Pauciſſimi ſunt, inquit, qui conſiderant magnitudinem iræ tuæ, & tam horribilem furorem tuum, Reliqui ſecure vivunt præſente, regnante & ſtante furore tuo ſuper eos, Non conſiderant, quod ſint in peccatis, & te habeant iratum, Sentiunt quidem mala ſua, ſed non agnoſcunt, nec credunt, vivunt ſicut beſtiæ, ac ſi in contrario ſtatu eſſent, in ſumma gratia, in æterna vita. Ita omnia incommoda vitæ ex animo & oculis ejiciunt, & ſecuri aut blaſphemant aut contemnunt. Vivunt annos ſeptuaginta, hos æſtimant ac ſi ſint æternitas. Imo invenias qui tam calamitoſam vitam præ illa optare auſint, & indignentur ſe creatos eſſe ad immortalitatem. Sicut narrant de quodam Ruſtico, Is cum multa de cœlo & Beatorum conſortio audiret ex Parocho, Quid cœlum, inquit, prædicas, ſi haberemus frumentum. Was Himmel/hetten wir hie Mehl. Tales homines nihil ſentiunt de morte, ſed ſunt vere inſenſati, ſicut bruta, omnia ducunt pro nihilo. Hanc cæcitatem deplorat hic Moſes, quod homines ſic ſint dementati, ut ſua ſumma incommoda non intelligant, etiam cum ea ſentiunt. Sed ſicut Servi aſſuefacti ad plagas ferendas, nihil emendantur flagello Dei. Tales, inquit Moſes, ſumus nos omnes, laboramus incredibili ſtupore cordis, ut mala quæ ſentimus, non intelligamus.

Securitas hominum peſtifera.

Ruſtici cujuſdã imple vox.

Summa miſeria naturæ humanæ.

Atq; hic oſtendit, Cur narrationem hanc, & propter quos inſtituerit, Nempe propter inſenſatos peccatores, ut deducantur ad cognitionem ſuarũ calamitatum. Nam hæc ſumma miſeria eſt, quod nos homines in tantis calamitatibus, quarum

non est numerus,& in tam brevi vita, & in periculo, imo in certo eventu mortis æternæ vivimus,Et tamen non sentimus,nec satis intelligimus hæc,Hunc tantum stuporem quis satis potest explicare ? Philosophi hominem definiunt esse animal rationale. Sed hoc quis dicit in Theologia esse verum ? Ibi enim vere homo est statua salis,sicut uxor Lot. Quia illam magnam iram Dei non intelligit, & ruit imprudens in mille pericula mortis,Imo sæpe volens & sciens. Hanc calamitatem nostram Moses hic nobis ob oculos ponit, quod simus coram Deo accusati & damnati, ut aperiamus oculos, & credentes hoc exuamus securitatem, & oremus pro liberatione, Siquidem sic oppressi sumus morte æterna & peccatis, & tamen id non sentimus, nisi admoneamur,admoniti autem non credamus. Nam cum temporalia illa,de calamitatibus hujus vitæ,non intelligamus nec credamus, Quanto minus credemus spiritualia,de æterna morte & æterna vita ? Magna hæc sunt,inquit,Sed quis credit ?

Homo secundū Philosophos, &c.

Vxor Lot.

Quis metuit furorem tuum ?

Ira Dei immensa.

Furor tuus tam est magnus quam tu es, ergo est infinitus furor & immensa ira,Et tamen hoc homo non sentit, Sed sicut ille in Comœdia oppedit Iovi tonanti, ita illi securissime contemnunt Deum. Media vita in morte sumus,& tamen non pavemus, non credimus, sed incedimus securissime etiam tum,cum omnia pericula jam incumbunt cervicibus nostris, &c. Includit autem hæc querela petitionem, Quod optat Moses eximi ex suo & omnium hominum cordibus hanc pestiferam securitatem,& accendi corda fide, ut credant, hæc vera esse, & exhorrescant propter tam magnam iram Dei. Qui enim intelligunt & statuunt hæc esse vera,emendantur & præbent se faciles Doctoribus,Alii manent in damnatione, & secure contemnunt sua pericula,donec ea experiantur.Optandus itaque est hic sensus mortis & iræ, humiliatio & contritio illa.

XII. *Doce nos, ut sciamus numerum dierum nostrorum, Vt incedamus corde sapienti.*

Vita gratiæ vel iræ futura post hanc vitam.

Gentes quomodo de Deo loquantur, & quo fine eum colant.

Testimonia de vita futura post hanc vitam.

Audivimus hactenus à principio significari per Mosen, Quod post hanc vitam sit alia vita, Nec simpliciter vita alia,sed vel vita iræ,vel gratiæ. Frustra enim alioqui esset invocare hunc Regem, extra hanc vitam, imo extra mundum hunc positum, si non esset alia vita & mundus alius. Neque enim Deus videtur humanis oculis, sicut Cæsar,nec auditur sicut homo, Sed est extra conspectum nostrum, imo etiam extra cogitationes cordis humani,sicut apparet ex Gentium libris,Etsi enim loquuntur de Deo,tamen dubitative loquuntur. Deinde quidquid cultuum Dei suscipiunt, suscipiunt propter hanc præsentem vitam,de futura non cogitant. Est autem usitata sententia in scholis Theologorum, Non extare multa testimonia de vita æterna, & resurrectione mortuorum in veteri Testamento. Atqui, si Prophetas & alios Sanctos videas orantes & invocantes Deum, extra omnia, quæ videmus, positum, statim videbis, quod ipsa invocatione Dei fatentur esse aliam vitam post hanc vitam, sive sit gratiæ sive iræ vita.

Gentium libri.

Ad hunc modum quoque prima Tabula,cum docet, Deum esse, & misericordem timentibus eum, & acerrimum Iudicem in securos & impœnitentes, clare docet,non solum post hanc vitam restare aliam vitam,sed futuræ vitæ conditionem,aut fore sub gratia,aut sub ira. Hujusmodi testimonia & certa sunt, & non sunt sic rara, sicut Scholastici somniaverunt. Admonuimus autem supra, quo consilio Moses universam nostram tum vitam, tum mortem, referat ad Deum invisibilem, & extra omnia visibilia positum, Vt scilicet nos adigat ad timorem & reverentiam invisibilis Dei,Item, ut in nobis accendat metum futuræ iræ, & spem vitæ æternæ. Atqui in hoc differunt Gentium libri à sacris, Quod Gentes non certo possunt statuere, quod Deus sit, & homines curet etiam post hanc vitam, Sicut Moses hic ostendit & in his,quæ sequuntur,faciet copiosius & clarius. Nunc enim ingredimur alteram hujus Psalmi partem.

In pri-

Digitized by Google

In prima parte ſatis diligenter poſuit in conſpectum omnes calamitates generis humani. Videt autem inter reliquas hanc non eſſe poſtremam, quod tanta ſive malitia, ſive pœna peccati originis eſt, ut ne ſentiamus quidem iſta mala, quæ patimur. Ideo Prophetæ & ſanctiſſimi quiq; coguntur orare, ut homines ſaltem agnoſcere hanc miſeriam ſuam poſſint. Sive igitur peccatum originis qualitatem, ſive morbum vocaverimus, profecto extremum malum eſt, non ſolum pati æternam irā & mortem, ſed ne agnoſcere quidem quæ pateris, adeo, ut neceſſaria ſit oratio pro toto genere humano, ut iſta cogitare poſſit, quæ videt, imo quæ experitur fieri, quòd hæc vita non ſolum breviſſima, ſed variis malis obnoxia eſt, quódq; poſt illa corporalia incommoda, expectanda ſint æterna. Satis malorum eſſet, abſconditum eſſe peccatum originis, ſed quòd etiam ipſa pœna peccati eſt abſcondita, hæc non lepra eſt, quæ nihil ſentit, ſed verè lapidis natura.

Pœna peccati originis.

Vita humana.

Orat itaque Moſes, ut doceat Dominus nos numerare noſtros dies, hoc non ſic intelligendum eſt, quaſi optet indicari diem aut horam mortis, ſed ut homines verè cogitent de vita ſua, quam miſera & calamitoſa ſit, quòd ſicut umbra fugit, & vel iræ vel gratiæ æternitas ſubeunda eſt. Tales Arithmeticos optat omnes nos fieri, ne fingamus nobis infinitos annos, ſicut præcipuè Tyranni ſolent, aut longiſſimam vitam cogitant, aut ſperant ſe una infelici hora omnibus periculis defungi poſſe. Hæc ſumma eſt miſeria, quando præſens mors & cæteræ prementes calamitates, aut non conſiderantur aut contemnuntur. Contra hanc miſeriam orat, ut per Spiritum ſanctum doceamur numerare noſtros dies, & ut tentationibus mortis & aliorum periculorum divexemur, ut cogitemus de nobis quid ſimus, & etiam centum annos hujus vitæ ducamus ſimiles puncto Mathematico & breviſſimo momento. Sicut profecto eſt, cum vera ratione quam Moſes hîc docet, æſtimamus vitam noſtram.

Numerari dies quid.

Tyranni.

Hæc, niſi viderem Moſen hîc cum tanta gravitate & tam ſerio orare, nunquam mihi in mentem veniſſent, quod roganda eſſent. Sic enim putabam omnium corda ſic pavere & terreri periculis mortis, ſicut ego terreor. At diligentius intuenti hæc, apparet inter decem millia vix decem inveniri, qui hæc ſic æſtiment, Reliqua turba omnis ſic vivit, quaſi nec mors, nec Deus ullus ſit. Hæc maxima eſt miſeria & digniſſima lachrymis, quod homines in ipſa morte ſomniant vitam, in ipſo calamitatum omnium pelago, ſomniant felicitatem, In extremis periculis, ſecuriſſimi ſunt. Rectè igitur docemur orare, ut numerentur dies noſtri, non ut præfinitum nobis tempus ſciamus, ſed ut conſideremus, quam miſera & brevis ſit vita noſtra, propter mortem & iram Dei æternam, ſingulis momentis nobis impendentem. Invenies alicubi homines tentatos, qui ſine oratione hunc ſenſum nimium habent, ſed major pars eum non habet, Siquidem ferè omnes ſic vivunt, ut unum momentum, quo vivunt, exiſtiment eſſe ſeculum. His perneceſſaria eſt Oratio hæc, quam Moſes hîc præſcribit, ſed audi quid addat:

Miſeria hominum.

Vita brevis & miſera hominis.

Et incedemus côr de ſapienti.

Vſitata eſt phraſis in verbo (Nabia) incedemus. Vſurpatur enim pro eo quod dicimus, res gerere, verſari in negotiis, adminiſtrare aliquid, q. d. Hæc vita ejuſmodi eſt, non ut ſtandum, nec ociandum, ſed incedendum ſit, hoc eſt, aliquid gerendum, ſive in Oeconomia, ſive in Politia. Da itaque gratiam, ut id faciamus ſapienter, hoc eſt, in humilitate & in timore tuo, vt meminerimus nos eſſe ſub ira tua propter peccatum noſtrum, nec ſimus in ea hominũ fece, quæ nec vitam nec mortem ſuam, aut rectè novit, aut curat, ſed tantum paſcit ventrem, quærens glorias & potentiam. Hi incedunt in ſummo contemptu irati Dei, neque gratiam nec iram curant, vivunt itaque in extrema ſtultitia & ignavia. Serva igitur nos in ſapientia hac, hoc eſt, in timore tuo. Nam initium ſapientiæ, ſeu ſumma ſapientia eſt, timor Domini, noſſe iram Dei, & poſt vivere & agere omnia in humilitate.

Nabia.

Sapienter incedere.

Sapientiæ ſumma.

Ad hunc modum commendat Scriptura timorem Dei, quando homines ita vivunt, ut ſingulis horis metuant iram Dei, & ſentiant ſe morte eſſe morituros.

Timor Dei.

Hæc enim prima eſt pars ſalutis,nullam videre ſalutem propter peccatum. Hæc eſt ſumma ſapientia,incedere in cognitione iræ Dei. Ita enim paramur tanquam terra aratro,ad ſuſcipiendum ſemen illud divinum, cujus fructus eſt æterna vita. Pharao,Sennacherib & alii,hac ſapientia carent, Itaque pereunt priuſquam intelligant ſe perire,ſunt enim excæcati potentia & viribus ſuis. Contra Ezechias in Ieruſalem obſeſſus,Moſes & Iudæi ad rubrum mare, inveniunt certam & glorioſam liberationem. Quare ita ſtatuamus, non eſſe damnabile,ſi ſentias iram Dei, ſed eſſe initium ſalutis,quod non obtineri poteſt ſine oratione aſſidua. Eſt enim ſingulare donum Dei,quod ratio nec capit nec intelligit,alioqui Moſes non cum tanto conatu hanc ſapientiam flagitaret dari.

Pharao. Sennacherib. Ezechias. Moſes.

XIII.

Convertere Domine, usque quo? eſto propitius ſervis tuis.

Hoc eſt caput inſtitutæ Orationis, Videt paucos eſſe, qui vivant in timore Dei,qui numerent dies ſuos,& ſapienter agant, Pro his paucis, quos vocat ſervos Dei,orat, ut eos Deus conſolari velit. Sicut autem ſuprà,cùm totum humanum genus occidit,de morte & ira Dei æterna locutus eſt,Ita hic quoque loquitur non de aliqua conſolatione carnis in hoc ſeculo,ſed de æterna vita. Hanc non ſolum rogat, ſed ſimul etiam promittit iis,qui primam illam gratiam habent, ut intelligant iram Dei,& ſentiant judicium divinum. Includit itaque hæc petitio obſcurè Prophetiam de Chriſto venturo. Siquidem ſalus æterna tantum per Chriſtum parari potuit. Oportuit autem myſteria hæc ſalutis abſcondi propter Epicuræos & alios ſecuros homines,uſque ad adventũ Chriſti,in quo revelati ſunt theſauri miſericordiæ Dei.

Conſolatio à Moſe propoſita.

Myſteria ſalutis abſcondita, &c.

Sententia itaque facilis eſt. Oppreſſiſti nos calamitatibus, dediſti hanc primam ſapientiam,ut agnoſceremus iram,Iam mi Deus deſine ſatis occidiſti,ſatis oppreſſiſti,ſatis humiliaſti nos,Convertere tandem, & eſto nobis propitius, Oſtende nobis etiam quam benignus & miſericors ſis, ut habeamus, quo in his terroribus conſolari corda noſtra poſſimus. Loquitur enim de converſione totius iræ & mortis,non temporalis,ſed æternæ. Quid enim aliud rogaret loco illorum terrorum? Quid ſolatii in eo eſſet,ſi unum aut alterum diem tranſigeremus hilarem? Ergo loquitur de vita,& ſalute infinita, Si alii nolunt numerare dies ſuos, At ſervis tuis eſto propitius,qui eos numerant aſſiduo,& metuunt te, qui incedunt corde ſapienti, & expendunt iram tuam. Es enim Deus,qui mortificatos iterum vis vivificare, &c.

Quid rogat Moſes.

Porrò ſuprà quoq; de hac ſententia admonui. Quia enim orat ad talem Deum,qui eſt Rex extra hanc corporalem noſtram vitam, ergò orat ſimpliciter pro æterna vita obtinenda. Nam ſi alia vita,præter hanc corporalem,nulla eſſet,qua in re nobis opus eſſet Deo? Habemus dominium in creaturas reliquas, in piſces, volucres & beſtias agri, Id pro hac corporali vita ſatis eſſet, conſtitutis Politiis & Oeconomiis. Sed Moſes oſtendit poſt hanc vitam eſſe aliam vitam,ſiquidem in hac neceſſitate orat ad eum Deum,qui eſt extra mundum & inviſibilis. Sequitur itaq; etiam gratiam ejus & vitam,quam ab eo poſtulamus, eſſe inviſibilem,& pertinere ad aliam vitam,quo ad nos,& non quo ad boves, quia ſicut Paulus dicit,Non eſt ei curæ de bobus. 1. Cor. 9.

Gratia Dei quam petimus, &c.

Quod igitur ad hunc modum docet expectandam ſalutem æternam per Deum,occultè oſtendit Deum incarnandum eſſe. Id ſi Iudæi non omnes intellexerunt, quid ad nos? Tamen ne hodie quidem omnes religionem noſtram aut norunt aut curant. Sicut itaq; apud nos etiam multi,qui Pſalmum hunc canunt,non tamen eum intelligunt. Ita ſub Lege tantum ſpirituales hæc myſteria obſcurè oſtenſa, viderunt & intellexerunt,quod Deus,quem ipſi colebant in tabernaculo, & credebant habitare in Propitiatorio,ſuo tempore eſſet incarnandus, & ſalutem hanc allaturus hominibus,contra iram Dei & mortem æternam. Alii tanquam porci tantum fuere intenti in voluptates ſuas & temporales curas, ſicut multi hodie Evangelio abuntur,quaſi omnia ſint in temporalibus poſita. Sed nos decet expectare aliam vitam & regnum aliud,quod Moſes hîc ſignificat eſſe æternum regnum. Ac ſine dubio cùm hunc verſum ſcriberet,vidit myſterium ſalutis noſtræ, & vitæ æternæ aliquem

Deus incarnandus, &c.

Pii ſub lege.

Impii tempore legis. Expectanda alia vita.

guſtum

guſtum habuit. Siquidem territos peccatis ſuis,ad hunc modum orare & ſperare ſalutem docet.

Imple nos mane miſericordia tua,& jubilabimus,& exultabimus cunctis diebus noſtris. XIV.

Miſericordiam propriè eam ſignificat,quæ pertinet ad inſtitutum negocium,hoc eſt,non aliquam particularem miſericordiam,ſed verè univerſalem, quæ ad totum hunc morbum pertinet,de quo hactenus eſt conqueſtus. Eſt autē confeſſus & conqueſtus non de particulari aliqua calamitate vel morbo, qualis fuit exilium in Ægypto aut Babylone,ſed de univerſali calamitate totius generis humani,de peccato & ira Dei,quâ totus mundus oppreſſus jacet. Cùm itaq; nunc petat miſericordiā,certa conſequentia ſequitur, eum talē miſericordiam petere, quæ ſit medela hujus cōmunis & univerſalis mali,Alioqui quid, aut cur, peteret contra infinitā calamitatē aliquod leve & exiguum beneficiū paucorū annorum?

Miſericordia univerſalis Dei.

Calamitas univerſalis generis humani.

Vtitur quidem ſcriptura ſæpè de particularibus beneficiis & corporalibus vocabulo miſericordiæ,Sed hîc ipſe textus & cohærentia ſententiarum cogit, ut miſericordiam generaliſſimè accipiamus,de generali ſalute contra generalē perditionem peccati & mortis,ut ſit ſententia,Da abundantem miſericordiam, non particularem,qua vel regnum vel valetudo conſervatur, plenitudinem & abundantiam miſericordiæ tuæ petimus. Nam in iſta calamitate,quæ totum genus humanum premit,non ſufficit nobis particularis, & quaſi ſtillabilis (ut ſic loquar) miſericordia, ſed diluvium quoddam & mare,quod exaturet nos, tunc exaltabimus & lætabimur. Nam illa ſola miſericordia,quæ nos à peccato liberat,& aſſecurat de certa ſalute æterna, parit perpetuum & verum gaudium, gratitudinem & gratiarum actionem.

Miſericordia.

Lætifica nos rurſum poſt diuturnam afflictionem, ſecundùm annos, quibus vidimus afflictionem. XV.

Notum eſt ex ſuperioribus,de quibus humilitatibus ſeu afflictionibus loquatur. Dixit enim,Tu avertis hominem in nihilum,in furore & ira tua deficiunt dies noſtri. Ibi loquitur de malis, quæ vidimus à tempore vitæ, imo quæ totum genus humanum ſuſtinet & patitur à principio mundi uſque in finem. Pro hoc malo,inquit,te nunc oro,quo nos humiliaſti ſtatim à nativitate, & pro iſtis annis, quibus vidimus generaliſſimam ſubverſionem noſtri,propter peccatum.Oſtendit itaq; quod petat æternum remedium,contra mala nobiſcum nata & durantia, ſcilicet contra peccatū originis & pœnas ejus. Hæc mala,inquit,deprecamur, & petimus remiſſionem peccatorū æternam,non legalem,contra perpetuum malum. Deinde petimus etiam liberationem à pœna,ut ſimus non ſolum juſti, ſed etiam læti & jucundi, ut humiliatio & peccatum tollantur per remiſſionem peccatorum,& viſio malorum (ſicut ipſe loquitur) per exultationem & ſalutem, quæ eſt liberatio à pœna.

Mala hujus vitæ.

Remiſſio peccatorum.

Liberatio à pœna.

Porrò non obſcurum eſt,quòd his generalibus verbis orat Propheta adventum filii Dei in carnem.Neque enim redemptio hæc potuit contingere,quàm per illud unicum Semen benedictionis. Oportuit enim myſterium hoc ita obſcuris verbis oſtendi,ut hi,qui eſſent ſancti,intelligerent, quo pacto ſalvandi eſſent. Atq; hoc Spiritus ſancti lumen eſt,quod neceſſaria cohærentia textus probat, orare Moſen pro remedio iræ generalis contra peccatum, id quia unius Meſſiæ erat,includit hæc petitio Chriſtum. Hoc Sancti intellexerunt adjuti Spiritu ſancto,reliqua rudis & carnalis turba non vidit, propterea quòd Scriptura his ipſis vocabulis ſæpè utitur in corporali ſalute & particulari. Qui itaque contextum non obſervant,nunquam intelligent peti hic,ut Chriſtus in carnem veniat, & liberet mundum à peccatis & morte. Hæc enim eſt illa plenitudo & ſaturitas miſericordiæ,ſicut Pſalmus 130. vocat copioſam Redemptionem. Nam iſto precio, quod pro peccatis exolutum eſt,infiniti mundi potuerunt redimi.

Adventus filii Dei in carnem.

Pſal. 130.

Appa-

XVI. *Appareat ſervis tuis opus tuum, Et gloria tua filiis eorum.*

Paal. Pertinent hæc ad eandem petitionem ſuprà inſtitutam. Vocabulum (Paal) eſt notum, vertitur plerunque opus, ſed ita ut intelligas opus remunerationis ſeu præmium, ſicut in Eſaia merces ejus cum eo, Ibi eſt Paal. Et in Pſalm. 109. hoc opus eorum, Item in Hiob, hoc opus eorum, qui impii ſunt, id eſt, hoc eſt præmium, hæc hæreditas ſeu remuneratio eorum eſt. Ad hunc modum hîc quoque intelligitur opus Dei, præmium ſeu merces, quam reddit Deus iis, qui ſuſtinuerunt in fiducia miſericordiæ ejus illos, terrores mortis & alia pericula, de quibus Moſes dixit, q. d. Sumus vexati peccatis & oppreſſi morte, fuimus turpiſſima mancipia dæmonum, Redde itaque tu nobis tuum opus, contra illud Satanæ opus. Nam pronomen tuum, includit cum Emphaſi Antitheſin. Convenit itaque phraſis & ſententia cum eo, quod Iohannes dicit in ſua Canonica: Venit Chriſtus, ut diſſolvat opus diaboli. Opus diaboli eſt, quòd ſupplantavit nos, & per peccatum nos ex vita conjecit in mortem. Sicut Epiſtola ad Ebræos Satanam vocat autorem mortis, Contra hoc opus Satanæ venit Chriſtus cum ſuo opere, & deſtruxit mortem, ac vitam illuminavit. Sunt enim hæc verè divina opera, juſtificare, vivificare, ſalvare.

Opus Dei. *Tuum.* *Opus Diaboli.* *Chriſti opus.* Eſaia 43. Pſal. 109. 1. Iohan. 3. Heb. 2.

Propria Dei opera. Vſurpat quidem Deus ſibi opus mortificationis quoque, ſicut ſuprà in oratione Moſi audivimus, & Scriptura manifeſtè dicit de Deo, quòd occidit & vivificat, Sed Eſaias hæc diſtinguit, & dicit, Quædam eſſe opera Dei, ſed aliena, quædam autem propria. Propria ſunt illa miſericordiæ opera, quòd remittit peccata, juſtos pronunciat, & ſalvat credentes in Chriſtum, Aliena opera ſunt, judicare, damnare, affligere impœnitentes & incredulos. Hæc cogitur Deus ſibi ſumere, & ſuum opus dicere, propter ſuperbiam noſtram, ut humiliati ipſum agnoſcamus Dominum, & pareamus voluntati ejus. Deinde cogitur id etiam facere propter eam cauſam, quam ſuprà oſtendimus, ne Manichæorum exemplo fingamus nobis plures eſſe Deos, ſeu aliud principium bonorum, aliud malorum. Vult Deus, ut mala, quæ nobis inferuntur, ſtatuamus nobis inferri, ipſo permittente. Nam niſi permitteret, nunquam Diabolus Hiob ſic afflixiſſet. Ideo autem permittit, ut humiliati nos rejiciamus in miſericordiam. Sic vocabulum (Paal) ſignificat quaſi recompenſationem, ut ſit ſententia, Appareat opus tuum, hoc eſt, humiliatos nos morte, vivifica, vexatos peccato, juſtifica, & ſic proprium tuum opus nobis oſtende, vitam & juſticiam. &c.

Aliena Dei opera. *Manichæi.* *Hiob.* *Paal.*

Atqui, inquies, idem ſuprà petivit, cùm optavit ſaturari miſericordia. Verum eſt, ſed hìc oratio in eo intenditur, quod petit id opus miſericordiæ oſtendi, ut ſentiatur. Neque enim ſatis eſt habere donum, niſi etiam oculi aperiantur, ut donum videamus. Sicut Paulus dicit ad Corinthios: Spiritus nobis revelavit, ut ſciamus, quæ nobis donata ſunt. Habent omnes vitam, ſed quotusquiſque eſt, qui ſentit eam eſſe donum Dei, qui pro ea Deo gratias agit, & petit eam conſervari? Pertinet itaque hic verſus eo, ut ſenſus hujus divini beneficii penetret corda, ne dubitent de remiſſione peccatorum, ut opus Dei ſeu miſericordia ſic exhibeatur, ut corda certa ſint de ſua redemptione, ut videant vitam, ſalutem & juſticiam ſuam, ſicut David petit in Pſalmo 51. ſe confirmari Spiritu certo. Sed pulchrum eſt, quod hoc opus Dei vocat gloriam Dei, cùm addit, Et gloriam tuam filiis eorum. Sic ferè conjungit hæc Pſalmus 19. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera ejus annunciat firmamentum. Quanquam in hoc loco eſt (Hadar) quod ſignificat glorioſum & pulcherrimum ornatum, ſeu veſtes ſplendidas. Sicut Pſalmo 96. Confeſſionem & decorem induiſti. Ideo autem Scriptura hac phraſi utitur, & Deum ſplendido veſtitu ornatum dicit, ut oſtendat Deum apparere & manifeſtũ fieri in cordibus hominum per ſua glorioſa & magnifica opera, in quibus tanquam ſplendido veſtitu indutus apparet.

1. Cor. 2. Pſal. 51. Pſal. 19. Pſal. 96.

Gloria & opus Dei. *Hadar.* *Veſtitus Dei, ſunt opera ejus, quibus ſe oſtendit.*

Sunt autem hæc opera, quòd Chriſtus eſt nobis à Deo factus noſtra juſtitia, ſapientia, ſanctitas, redemptio, lux, lætitia, & omnia bona, quòd eſt via, veritas, vita

1. Cor. 1. Iohan. 14.

vita noſtra. In his operibus vitæ,ſalutis & juſticiæ,cùm nobis apparet Deus, tum verè apparet in ſua gloria. Antequam autem ſic apparet,tunc vere eſt, ſicut Moſes dicit,ſub tenebroſis aquis. Quare pavidæ conſcientiæ, quæ opus gloriæ ejus non vident,ab eo metuunt,& imaginantur eum eſſe Diabolum. Nec poſſunt eum pingere in quadam amabili forma,ſeu habitu. Gladiis & fulmine armant eum, ut revera nihil neq; in cœlo neque in terra ſit truculentius aut fœdius irato Deo. Talis apparuit in Sina,talem Moſes eum ſuprà quoque deſcripſit. Hic autem petit oſtendi aliam formam,quam cum voluptate poſſimus intueri,& de qua lætari poſſimus. Talis verè eſt Deus,cùm eum aſpicimus in perſona Chriſti,In eo enim eſt ſumma miſericordia, vita, ſalus,liberatio. In eo videtur Deus glorioſus, hoc eſt, indutus ſuis glorioſis & jucundis operibus. Ad hunc modum,inquit, oſtende te nobis miſeris & damnatis peccatoribus.

Apparitio Dei in ſua gloria.

Conſcientia pavida quomodo Deum pingat.

Forma Dei jucunda.

Hæc eſt prima pars petitionis,qua rogat remiſſionem peccatorum,& juſticiam,& vitam æternam.Sic autem petit hæc,ut ſimus certi,ne cor noſtrum quidquam de his dubitare poſſit.Hoc autem quia non fit,niſi in Chriſto,propriè hæc petitio includit adventum Chriſti in carnem. Quæ nunc ſequentur, & quibus claudit Orationem,propriè pertinent ad noſtra opera.

Sit jucundus Dominus Deus noſter ſuper nos, Et opus manuum noſtrarum confirma ſuper nos, Et ipſum opus manuum noſtrarum confirma. XVII.

In voce (Naim) eſt quaſi diluvium quoddam gratiæ. Hactenus, inquit, Domine, petivimus tuum opus,ibi nos nihil agimus, ſed tantum ſumus ſpectatores & receptores tuorum munerum,ſumus mere paſſivi. Ibi enim te nobis oſtendis,& nos ſalvos facis,ſolo tuo opere,quod tu facis,cùm liberas ab eo morbo, quem Satan toti humano generi in Adamo inflixit,nempe peccatum & mortem æternam. Poſt hoc tuum opus,venimus etiam nos cum noſtro opere. Quando ſic juſtificati ſumus, & ſanctè vivimus in obedientia verbi tui,idq; tibi placet & gratum eſt, ſed tamen hoc quoque eſt ex gratia tua,& procedit ex primo opere tuo. Sit igitur Dominus Deus noſter jucundus ſuper nos,ut placeamus ei, poſtquam per mortem Filii ſumus cum eo reconciliati. Optat enim ut Dominus ſit lætus & jucundus,ſuper illis, quibus apparuit opus ejus,ne nos paveamus à facie ejus, ſed ſtatuamus ei placere nos & noſtra. Petit autem id ideo,quia etſi ſumus è morte liberati, tamen manent in ſanctis quoque reliquiæ peccati, Sequuntur alia varia ſcandala, item paſſiones & tentationes variæ,intra nos & extra nos. Quare ſi Deus vellet rigide obſervare omnia, omni momento iraſceretur.

Naim. Opus Dei.

Opus noſtrum.

Deus jucundus &c.

Reliquæ peccati in Sanctis, &c.

Pertinet igitur hoc eo,ut Deus non velit offendi in eo,quod propter carnem in nobis de peccato reliquum manet, ne velit ideo vitam & remiſſionem peccatorum nobis adimere, ſed ut potius Deus ipſe jucundus ac ſuavis ſuper nos, Nos viciſſim ſuper Deo jucundi & ſuaves maneamus. Hoc enim eſt oſtendere Deum glorioſum,non in ſeipſo,ſed ut nobis jucundus,glorioſus & lætus ſit.At tunc dicitur,Deus lætari ſuper nos cùm nos ſtatuimus, Deum nobis non iratum, ſed amicum & jucundum eſſe. Eſt autem hæc perneceſſaria petitio, quia caro noſtra eſt infirma, cor eſt pavidum,& conſcientia tenerrima, Itaq; facili occaſione conterremur. Deinde quia peccata & pœnæ peccati quotidianæ ſunt, ſatis eſt occaſionum triſticiæ & infirmitatis fidei. Cùm itaq; corda noſtra triſtantur, dicitur ipſe Deus triſtari, qui in hoc eſt mortuus,ut eſſemus juſti,ſancti & hilares. Huc itaq; pertinet petitio hæc, ut dicamus: O Domine,dediſti nobis Filium tuum, hoc donum nobis conſerva, Sæpè labimur dicto,ſæpè facto, ſæpius cogitationibus, Hæc perturbant nobis gaudium hoc,ſive igitur peccamus, ſive negligentes & ingrati ſumus, maneas Deus noſter, Idq; ſic,ut ſis Naim,jucundus & ſuavis,hoc eſt,ut nos conſervemur in gaudio & pace Spiritus ſancti.

Deus lætatur ſuper nos.

Caro noſtra infirma.

Deum triſtari.

Deus jucundus &c.

Alteram particulam verſus bis repetit, de confirmando opere manuum noſtrarum, Fortè ideo,ut oſtendat diverſitatem Regni ſpiritualis & corporalis. Nam ſecundùm eam etiam opera noſtra diſtinguuntur. Alia enim ſunt, quæ in

Opera duplicia.

Eccleſia

Ecclesia facimus,& alia quæ in domo vel œconomia vel politia. In Ecclesia facimus,quæ ad animam & spiritualem vitam pertinent,In domo & œconomia ac politia,quæ pertinent ad vitam corporalem. Ideo videtur in priore particula dicere, Opus manuum nostrarum dirige (Alenu) super nos,ut significet id opus, quo gubernamur divinitus,& tamen etiam aliquid facimus docendo, consolando, arguendo, judicando,baptisando,communicando, &c. quæ opera sunt Ecclesiæ gubernandæ, & populi dirigendi in spiritualibus. Quanta autem hujus operis sit necessitas videmus,ne irruant Sectæ,pervertentes Sacramenta, & eorum usum,depravantes Verbum,&c. Hic profecto opus est,ut Deus hoc opus super nos gubernet ac dirigat, ubi nos quoq; operamur aliquid,nec sumus mere passivi, sicut in primo opere Dei. Secundùm hanc sententiam accipio quod dicit: Confirma opus manuum nostrarum super nos,q. d. Postquam sumus justificati,da ut doctrina maneat pura, Ne tempore Legis lex Mosi per Hypocritas evertatur, ne hodie Evangelium corrumpatur, & sic Deus & Spiritus sanctus in nobis habitans contristetur.

Opera Ecclesiastica.

Konen.

Verbum (Konen) significat solidum facere, sicut Petrus loquitur, 1. Pet. 4. Deus perficiet & consolidabit vos. Sic David appellat Spiritum certum,firmum,qui nihil dubitet,& magno animo amplectatur Verbum, ut,sicut Petrus dicit: Qui loquitur,loquatur tanquam sermones Dei, Si quis ministrat, &c. Ne quod dubium in doctrina sit,ne animi ambigant de voluntate Dei erga se. Vt cùm aliquis petit remissionem peccatorum,& audit promissionem Christi, ne dubitet, quin verè sicut verbum sonat,peccata ei remissa sint,ac judicet id non simpliciter hominis, sed Dei opus esse. Ad hunc modum in Ecclesia, quæ aguntur, certa esse debent, non sicut quis aërem verberat. Atque hoc vult propriè verbum hoc,quo hic usus est. Nos ferè vertimus,Confirmare. At sanè necessaria hæc est petitio,quia hoc opus Dei,quod per nostrum ministerium administratur, impugnatur foris per Diabolum, & intus per cor nostrum. Difficilè igitur est retinere hanc fiduciam, quòd Deus sit jucundus super nos,& de opere Dei nihil dubitare. Qui autem dubitat,neq; ad docendum, nec ad discendum aptus est,sed est inconstans in viis suis,& jam huc, jam illuc rapitur. Orat itaque Moses non sine causa pro confirmatione seu consolidatione operũ manuum nostrarum,ut sit certitudo tam in docentibus, quàm in recipientibus, ut maneat in Ecclesia illud solidum firmamentum,contra quod portæ inferorum nihil poterunt,& ut omnes certi sint de verbo & opere Dei.

1. Pet. 4. Psal. 51.

Certitudo de verbo & opere Dei.

Opus Dei impugnatur.

Quod repetit: Et opus manuum nostrarum confirma,Accipio de opere politico & œconomico,ut Deus donet publicam pacem, ne fiat confusio, sicut Paulus monet,Orandum esse pro Regibus, ut tranquillam agamus vitam. Est autem pace opus,non tantum ad alendum corpus, sed etiam ad educationem, & ad docendas Ecclesias. Atque hujus rei causa potissimum constitutus est Magistratus politicus,ut ejus studio,opera & auxilio retineatur pax,ne aut per dissolutionem disciplinæ nulla possit esse educatio,aut per tumultus & bella Ecclesiæ non possint recte doceri, sicut fit in bello. Nulla enim fides pietasq; viris,qui castra sequuntur, Et silent Leges inter arma,In summa,tota harmonia politiæ armis dissolvitur. Orandum itaque est cum Mose pro pace,ut dirigat Deus opera manuum nostrarum, quæ non sunt super nos, sed in manibus nostris. Hæc enim,quæ ad Politiam & Oeconomiam pertinent, suntrationi subjecta,secundùm sententiam,Dominamini piscibus maris,&c.

1. Tim. 2.

Opera politica, &c.

Pacis commoda.

Belli incommoda.

Opera rationi subjecta.

Sic orat Moses pro rebus in hac vita necessariis,Primum pro remissione peccatorum & vita æterna. Deinde, quia in hac vita non sumus ociosi, sed anima est confirmanda verbo Dei usque ad mortem,corpus autem in pace alendum, Orat, ut pietas rectè doceatur, & pax retineri possit. Hac cùm habemus,vitam æternam in certa spe, deinde purum ministerium Ecclesiæ, & post tranquillam vitam seu pacem, tunc habemus omnia, ac vivimus in pace corporis & animæ,in fide quotidie crescimus, donec evolamus in cœlum. Non autem hæc petitio tantum est, sed est etiam promissio, sicut alias de orationibus, à Spiritu sancto in sacris literis prascriptis, disputavimus.

Epilogus Psalmi.

Pietas.

Pax.

Habetis

Digitized by Google

Habetis hunc Psalmum, quantum dedit mihi Dominus, explicatum. Post hac Geneſin explicabimus, dum Dominus vitam prorogaverit, ut ſic tandem feliciter moriamur in verbo & opere Dei. Id quod faxit Deus & liberator noſter Ieſus Chriſtus, Amen. Curabo, volente Deo, ut idem Pſalmus, à piis, latinæ linguæ imperitis, in ſua vernacula legi poſſit. Continet enim doctrinam utilem, & neceſſariam, quam magnoperè refert ſcire.

Promittit enarrationem Geneſis.

ANNVS CHRISTI M. D. XLII.

COMMENTARIVS IN MICHAM PROPHETAM, COLLECTUS

ex prælectionibus Rever. Patris D. M. L. Per M. Vitum Theodorum, concionatorem Noribergenſem.

ANNO M. D. XLII.

PRÆFATIO.

CVm jam inſtaret vaſtatio duorum Regnorum Iſraël & Iuda, multi & inſignes Prophetæ à Domino miſſi ſunt, qui eam calamitatem prædicerent, & hortarentur populum ad pœnitentiam, ut in iſta miſerabili clade populi futura ſaltem aliqui converterentur & ſervarentur. Vaſtatio Regni Iſraël incidit in annum Ichiskiæ ſextum, Is enim nonus eſt Hoſeæ, 2. Regum 17. Annis poſt circiter centum & quinquaginta Regnum Iuda per Babylonium everſum, Civitas vaſtata & templum incenſum eſt. Has calamitates primus Amos prædixit, qui ſub Vſia, patre Iotham, fuit. Eum ſecutus Hoſeas, vixit ſub Vſia, Iotham & Ahas, Eſaias longiore tempore in miniſterio fuit. Nam ſub Ezechia quoque vixit. Sed Micha inter hos junior, Vſiæ tempore nondum fuit in miniſterio. Horum Prophetarum planè eadem ratio in docendo eſt. Nam concionantur de vaſtando populo, & abolendo Regno corporali propter peccata, ut aliud novum & Spirituale per Chriſtum inſtituatur.

Argumentum quatuor prophetarum, Amos, Hoſeæ, Eſaiæ, & Michæa.

Prior pars doctrinæ ad pœnitentiam pertinet, poſterior pertinet ad conſolationem piorum, qui cùm in eadem calamitate eſſent conſtituti, opus habebant illa ſpirituali conſolatione de regno Chriſti, per quod in gratia ſe futuros credebant. Eſt enim Regnum remiſſionis peccatorum, juſtitiæ & vitæ æternæ. Atque hujus ſpiritualis regni cauſa, cum ambo regna, Iuda & Iſraël vaſtata, & populus inter gentes diſſipatus eſſet, reliquiæ ſervatæ ſunt, ut promiſſio de Chriſto maneret certa, & certus eſſet populus, ex quo naſceretur Chriſtus. Hoc commune Argumentum quatuor dicti Prophetæ tractant, ut & populum vocent ad pœnitentiam, & conſolentur Pios, qui communium calamitatum erant ſocii.

Regnum Chriſti.

Atque hîc rectè admonemur de conſilio Dei, qui ſemper ſolet, cùm maximæ mutationes & calamitoſiſſima tempora imminent, per verbum prius admonere homines. Sic Noha centum & viginti annis ante diluvium concionatus eſt, ut emendarentur aliqui & ſalvarentur, Ante poſtremam vaſtationem Synagogæ, amplius XL. annis, Iohannes, Chriſtus, Apoſtoli concionati ſunt. Nec dubiũ eſt, quin hanc lucem verbi, quam hodie habemus, certa calamitas ſecutura ſit. Nam ad alia peccata accedit hoc quoque, quòd verbum negligitur & contemni-

Deus ſemper antequam magnas calamitates immittit, verbo ad pœnitentiam vocat.

Digitized by Google

tur, ab iis, qui id audiunt & habent, Reliqui, qui non habent, ut sunt Pontifex, Episcopi, & multi furiosi Principes, summa cum crudelitate persequuntur Verbum. Hæc an putas Deum videre & tolerare posse longius? Cùm igitur Germania matura sit ad meritas pœnas sustinendas, Verbo admonemur, ut saltem aliqui emendati, aut liberentur imminentibus malis, aut habeant, quo se in publicis calamitatibus consolari possint.

Iudæi comminationibus non credebant propter promissiones nõ satis intellectas.

Ac Iudæi ferè causam habuisse videri possunt, cur non crederent prædicationi Prophetarum. Extabant enim promissiones de æterno Regno Davidis, Item, quòd non esset Sceptrum auferendum de tribu Iuda, donec veniret Messias. Contra has promissiones videbantur Prophetarum conciones pugnare. Itaque non deerant qui eos accusarent, tanquam essent mendaces spiritus, sicut Ieremiæ & aliorum exempla testantur. Ac inflati promissionibus non rectè intellectis, securissimo animo veros Prophetas ridebant & contemnebant, sicut nunc Papistæ, quia somniant se esse Ecclesiam, promissionibus Ecclesiæ factis nituntur & securissime vivunt. Atqui Deus mirabili sapientia utrunq; fecit, ut & comminationes Prophetarum non essent irritæ, & tamen promissiones quoque implerentur. Abducebatur populus captivus, & tamen manebat Lucerna de domo David, captivus Iojachim, qui ab EvilMerodach ex carcere liberatus & regio loco habitus est. Deinde accidit ut reliquiæ populi restituerentur, per quas restaurata est Civitas & Templum.

Papistæ securi propter promissiones Ecclesiæ factas.

Ratio non intelligit quomodo Deus promissiones suas impleat.

Hunc modum, quo Deus promissiones suas implet, Ratio non intelligit. Putat enim Deum curare numerum, Et sicut ambitiosa est, putat Deum suæ gloriæ causa magnificè omnia gerere, Sed Deus numerum non curat, Imo ingentem multitudinem propter peccatum potius abjicit, ut paucis credentibus promissiones suas præstare possit. Ad hunc modum disputat S. Paulus, Deum non abjecisse populum suum. Nam inquit, Ego, quoque Israëlita sum ex semine Abraham. Egregia scilicet res, gloriari de se uno, & interim totum populum fateri abjectum & reprobatum. Sed hoc modo Deus agere solet, sicut Esaias quoque testatur: Si fuerit numerus filiorum Israël, ut arena maris, reliquiæ salvæ erunt. Hoc impia turba Iudæorum non norat, Ideo securi contemnebant minas Prophetarum, & putabant Deum tantum numerum non abjecturum esse.

Papistæ multitudo & diuturnitas futuros faciunt quasi non possint perire.

Papistæ nullam similem promissionem habent, & tamen gloriantur, Deum Ecclesiæ non defuturum esse. Id quidem verum est, Sed quo modo probabunt se esse Ecclesiam? Num quia in suprema dignitate constituti sunt? Num quia major multitudo ab ipsis stat? At nec dignitatem, nec numerum curat Deus, sicut testatur Iudæorum historia. Quare debebant securitatem hanc exuere, & humiliari coram Deo, ut qui Ecclesiam suam possit servare, etiamsi nullus Pontifex, nullus Episcopus esset. Sicut extincto ferè toto regno Iuda, & quicquid in populo eximium fuit, tamen servavit stirpem, ex qua Christus natus est, tanquam auriculam agni ereptam ex lupi faucibus, sicut Propheta loquitur. Solet enim Deus sic mirabiliter agere, ut impii confundantur, excæcentur & pereant.

Atque hæc quoque est causa, cur Propheta sic involverint nonnunquam futura, ut videantur sibi esse contrarii. Sicut insignis locus est de Zidekia rege, de eo dicit Ieremias: Os ejus loquetur cum ore illius, & oculi ejus oculos illius videbunt, Ezechiel autem cap. 12. dicit: Quod facies ejus operietur & non videbit terram illius. Hujusmodi contradictiones pulchrè observaverunt impii, & eas tanquã certa argumenta mendacii objecerunt Prophetis, Et tamen verum est quod Ezechiel dixit. Nam cùm Zidekiæ oculi essent effossi, terram Babylonis non potuit videre, & tamen vidit oculos Regis. Offenderunt hæc impios, ut Prophetas suspicarentur mentitos esse. Sed sic Deus præsumptionem solet punire cæcitate. Hæc paucis de Argumento hujus Prophetæ.

CAPVT

CAPUT I.

Verbum Domini quod factum eſt ad Micham Moraſthiten, in diebus Iotham, Ahas & Iehiskiæ regum Iuda, quod vidit ſuper Samariam & Ieruſalem.

NOta phraſis eſt in vocabulo (dabar) Rectè quidem redditur Verbum, ſed Ebræis verbum plus ſignificat quam nobis. Significat enim totum negocium de quo agitur aut dicitur, ſicut nos ferè utimur vocabulo rei. Meminit autem in Titulo tantum Regum Iuda, cùm tamen etiam de vaſtatione concionetur regni Iſraël, Fortaſſe ideo, quia in Regno Iuda tantum prophetavit. Amos & Hoſeas etiam faciunt mentionem Regum Iſraël. Moraſthites vocatur Propheta à patria Mareſa civitate Iuda, Sicut patet ex Ioſua 15. 1. Paralip. 16.

Meminit autem trium Regum, Iotham imperavit annis 16. Totidem imperavit etiam Ahaz filius, Iehiskia imperavit annis 29. Hæc ſupputatio oſtendit, quòd non ſolum longo tempore in miniſterio Micha vixerit, ſed etiam quòd non uno ſermone nec etiam anno uno Prophetiam iſtam abſolverit. Sicut igitur ſuprà Prophetam Amos & reliquos in certas Conciones diviſimus, Ita Micha quoque in plures conciones eſt dividendus. Atque hæc quoque cauſa eſt, cur Lucas Prophetiã Ieſaiæ vocet librum ſermonum. Oſtendit enim, non ſicut nobis apparet, uno tempore & ſermone, iſta omnia tractata & abſoluta eſſe, ſed diverſis temporibus. Pertinent autem hæc eo, ut æquo animo feramus contemptum verbi & perſecutionem, quam hodie ſentimus paſſim. Siquidem eandem calamitatem, indefeſſo ſtudio & animo, ſancti Prophetæ pluribus annis in pervicaci & duro populo pertulerunt, nec ideo diſceſſerunt à vocatione, ſicut nos, cùm animi indignitate moventur & franguntur, ſæpè de deſerendo miniſterio & ſectando ocio cogitamus.

Micha longo tempore in miniſterio fuit.

Contemptus verbi.

Quòd autem addit, Verbum Domini eſſe factum contra Samariam & Ieruſalem, Primum in eo ſibi magnam invidiam & odium conciliat, quod Ieruſalem cum Samaria conjungit, cùm tamen Hieroſolymis eſſet verus cultus & verum miniſterium, in Samaria autem neutrum eſſet, ſed idolatria & impia doctrina omnia eſſent plena. Sicut nobis indignum videretur, ſi quis dicat, Eos, qui Evangelium profitentur, in eadem damnatione apud DEUM eſſe cum Papiſtis, & eaſdem pœnas ac judicium idem ſubituros eſſe. Indigna viderentur, & tamen verum eſt, Deum exæquo odiſſe peccata, ſive à nobis, ſive ab adverſariis admittantur. Imo ſervus qui voluntatem Dei ſcit, & eam non facit, magis vapulabit, ſicut Chriſtus in Evangelio oſtendit. Sed Prophetam nihil movet judicium populi, liberè dicit quod res eſt, nec movetur periculo ſuo. Ideo ſeniores populi Ieremiam liberaturi ab injuſta morte, hoc exemplo Michæ contra furioſos ſacerdotes, qui Ieremiam occiſum volebant, utuntur. Ac prædicant regis Ichiskiæ pietatem, qui Prophetam ſervaverit tanto animo vaticinantem contra Ieruſalem. Satis autem oſtendit Ieremiæ locus, ſi abſque bono Rege fuiſſet, pereundum Michæ fuiſſe, propter hæc vaticinia contra Civitatem ſanctam Ieruſalem.

Regnum Samariæ & Ieruſalem conjunguntur in pœna.

Audite populi omnes, auſculta terra & quicquid in ea eſt, & ſit Dominus Dominus in teſtem contra vos, Dominus de templo ſancto ſuo.

Eſt exordium convenientiſſimum Argumento. Quia enim tam horribilem vaſtationem certo videt imminere, magno ſpiritu, magnaque vehementia homines, quaſi ſopitos in peccatis ſuis, conatur excitare ad ſuſcipiendam curam emendandæ vitæ & avertendæ pœnæ. Hoc enim primum eſt, quod Prophetæ ſolent agere, Et voluit Chriſtus etiam in novo Teſtamento hunc in docendo ordinem ſervari,

Prophetæ vult excitare ad pœnitentiam.

ut primo traderetur doctrina Pœnitentiæ, quæ deducit hominem ad agnitionem peccati, ut nõ ſolum confiteamur nos eſſe peccatores, ſed etiam incipiamus Peccatum verè odiſſe propter magnitudinem iræ Dei, quam in nos derivat. Simili exordio quoq; Eſaias utitur. Videntur autem ambo imitati Moſen Deutero. 32. Etſi enim uni populo Iudaico concionantur Prophetæ, tamen tanta verbi majeſtas eſt, ut quicquid in tota creatura eſt, merito verbum revereatur. Et pertinet hoc exemplum ad nos omnes, ut diſcamus Deum timere & deſinamus peccare, ſiquidem tam duriter peccatum in ſuo populo punivit.

Eſaias.

Deut. 32.

Quod addit, Dominus DOMINUS ſit contra vos in Teſtem, Simile eſt illi, quod in Apoſtolorum literis videmus, ubi ſe profitentur Servos Ieſu Chriſti, per voluntatem Dei. Nam Micha non vult doctrinam ſuam accipi, tanquam ſuam, ſed tanquam Dei. Ideo dicit ſe Dominum DOMINUM adhibere in Teſtem, quod nihil propria voluntate, ſed omnia Deo revelante & jubente dicat, Vt ſit ſententia, Audite me vos populi. Nam cùm me audietis, ipſum audietis Dominum, Hunc tanquã teſtem Prophetiæ meæ profecto non ſine ſummo veſtro periculo abjicietis. Sic Moſes in oratione ſua propter reverentiam verbi ſe vocat virum Dei, hoc eſt, à Deo juſſum & miſſum, ut voluntatem Dei per Legem revelaret.

Pſal. 90.

Templum habitatio Dei.

Sed quid vult ſibi repetitio cum mentione loci, DOMINUS de Templo ſancto ſuo? Hoc non ſolum ideo addit, ut verum DEUM, certa & vera nota deſcribat, nempe qui verbo ſuo promiſerat, ſe habitare velle in Templo in Ieruſalem, ſed etiam ut notet impiam præſumptionem. Nam regnum Iuda retinebat verum cultum in legitimo loco. Cùm autem Propheta Ieruſalem cum Samaria conjunxiſſet, & ſimilem eſſet minatus pœnam, qui in regno Iuda erant, ſe longè regno Iſraël putabant ſanctiores. Nam regnum Iſraël manifeſtam idolatriam ſequebatur. Huic præſumptioni occurrit hac repetitione Propheta, q. d. Præſumitis vos de cultu & Sacrificiis veſtris, jactatis Templum, jactatis templi habitatorem DOMINUM, ſed ille ipſe DOMINUS de habitatione ſua teſtabitur contra vos. Etſi enim habetis legitima Sacrificia legitimo in loco, tamen non præſtatis vero modo. In eo enim erat fidendũ, quòd Dominus miſericors eſt, At vos fiditis in Templo & ſacrificiis veſtris. Huic miſericordi & benigno Domino debebatis ex animo parere, & facere mandata ejus, At ea negligitis & vivitis in veſtris viis, ſicut Eſaias dicit, Cupiditatib⁹ veſtris laxatis fræna, & ſine timore Dei facitis quicquid libet. Hoc teſtimonium impietatis veſtræ ipſe Dominus contra vos fert de templo ſuo, de quo valde ſuperbitis. Sed ſicut locus verè ſanctus eſt, propter ſanctum habitatorem, ita per vos, quia prophani eſtis, prophanatur.

Impia fiducia in Templum & Sacrificia.

Ad hunc modum judico Prophetam hic obſcure taxare fiduciã, quam in templo, & cultibus ſuis verius quàm in DEO habebant poſitam Iudæi. Poteſt tamen etiã eo referri, quod ſicut poſtea oſtendemus, Templum ſub Ahaz clauſum, & omnes anguli pleni excelſis fuere, q. d. Templũ deſeritis, quod Dominus deſtinavit ad cultum ſuum, ſed non patietur ſe contemni, ex ipſo Templo contra vos aget.

Quoniam ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet ac calcabit Excelſa terræ.

Natura hypotyporum.

Hîc incipit comminari futuram calamitatem ſeu vaſtitatem potius, q. d. Nolite eſſe ſecuri, Fingitis quidem Deum vobis eſſe propitium, aut ſaltem non videre nec punire velle peccata veſtra, putatis eum ocioſum ſtertere, &c. non animadvertere tranſgreſſiones veſtras. Profecto jam commovet ſe, ut egrediatur & viſitet vos, veniens veniet, ac deſcendet, hoc eſt, effectu oſtendet ſe eſſe præſentem & iraſci impietati veſtræ, ut eam puniat per Aſſyrium & Babylonium. Vtitur autem Scriptura ſimilitudine hac egreſſionis & deſcenſionis, ut oſtendat Deum, etſi ad vindicandum tardus eſt, tamen certo vindicaturum eſſe quicquid eſt impietatis & ſcelerum. Sicut Poëtæ quoq; finxerunt Deos laneis pedibus ingredi, cùm ſupplicia irrogare volunt. Nam impii non ſentientes obruuntur ira Dei, ſicut experientia etiam gentes docuit.

Vox

Vox Ebræa (Bamoth) quam Latinus excelſa vertit, frequenter ſolet accipi pro altaribus ſeu aris, quas nos quoque latina conſuetudine altaria vocamus, ab altitudine, ſeu quòd in editiore loco ſint erecta ſuper terram, In genere tamen ſignificat quicquid eſt excelſum ſeu eminens. Itaque in hoc loco puto generaliter accipi, Dominus calcabit ſuper excelſa terræ, id eſt, quæ apud vos ſublimia ſunt, quæque præ aliis eminent, nempe Reges, Principes, Sacerdotes, cultum, deniq; & ipſum Templum, conculcabit Dominus, & in nihilum rediget. Itaq; hæc hujus totius Prophetiæ quaſi Propoſitio & ſumma eſt, quam poſtea variè explicabit. *Bamoth. Excelſa. Altaria.*

Et liquefient montes ſub eo, & valles ſcindentur, ſicut cera à vicino igni, Sicut aquæ, quæ per præcipitium feruntur.

Synecdoche eſt, uſurpat enim continens pro contento. Nam appellatione montium & vallium complectitur totum populum, quod omnia vaſtabuntur, quæ vel in montibus, vel vallibus ſunt poſita. Alludit enim ad ſitum terræ ſanctæ, quæ plena eſt montibus & vallibus, ut ſignificet extremam vaſtitatem, ne quid uſquam plutetur reliquum fore, à quo hoſtis manum abſtineat. Similitudines, quibus Propheta utitur, eo pertinent, ut oſtendat iram hanc Domini nulla ratione cohiberi aut impediri poſſe. Quid enim eſt, quod ceram ſalvare poſſit adjuncto igni, ne liqueſcat? Quid poteſt cohibere impetum fluminis, per præcipitia loca labentis? Eadem ratio, inquit, erit pœnæ, magno impetu graſſantis in vos. Dominus eſt ignis, vos eſtis molliores quavis cera. Dominus eſt flumen magno impetu ruens, Vos eſtis ceu frutices ægrè hærentes in præcipiti ſeu declivi loco. Sine negocio igitur abripiemini ad pœnam, & peribitis. *Montes & valles. Cera ad ignem. Flumen per præcipitia labens.*

Horribilia hæc ſunt, & quæ merito debebant nos revocare in viam, ne dum ſine timore Dei, cum magno ſcandalo fratrum, in peccatis pergimus, exardeſcat ira ejus, & pereamus è veſtigio, ſicut Pſalmo 2. eadem ſimilitudine minatur. Pſal. 2.

Propter peccatum Iacob totum hoc fiet, & propter errata domus Iſrael. Quod vero eſt peccatum Iacob, an non Samaria? Et quæ ſunt excelſa Iuda? An non Ieruſalem?

Pœnam prædixit, nunc etiam cauſam calamitatum iſtarum oſtendit. Atq; hîc cernitur in Propheta ſingularis magnitudo animi, & inſignis παῤῥησία, quod eos homines impietatis arguit, quibus totus mundus videbatur nihil habere ſanctius. Et profecto noſtros Monachos & hypocritas, cum Iudæis nulla in parte poſſumus conferre. Iudæi enim verſabantur in cultibus à Deo inſtitutis & mandatis, Sed Monachorum religio nihil eſt quàm ἐθελοθρησκεία, ſicut S. Paulus appellat, hoc eſt, cultus, quos ipſi ſibi ſine verbo, ſine mandato Dei, ex proprio arbitrio delegerunt, de quibus nunquam poſſunt eſſe certi, quod Deo placeant & probentur. Hos cultus tam ridiculos, & verbo ſeu mandato Dei non ſuffultos, cum noſtri tam ægrè patiantur reprehendi, quo animo putabimus hanc Prophetæ concionem ab hominibus in ſpeciem ſanctis, & ſua juſticia nitentibus, acceptam eſſe? Ac præſertim domus Iuda potuit ei objicere, Templum, Sacerdotes, & legitima ſacra in loco à Deo conſtituto, Sed Propheta in genere pronunciat, Propter peccatum Iacob, & errata Iſraël (hoc eſt, ejus populi, qui jactabat Iſraël ſeu Iacob parrem, à quo originem ducerent) iſtas calamitates obvenire. Ad hanc concionem tam liberè vulgandam opus fuit animo magno, & contemptore omnium periculorum, quæ ab impiis juſticiariis imminebant. *Papiſtæ non merentur conferri cum Iudæis.* Coloſſ. 2.

Porrò ſententia hæc pertinet ad doctrinam de pœnitentia, & utile eſt eam probè conſiderari, propter miram ſecuritatem animorum, quam in nobis & aliis hominibus omnibus deprehendimus. Ea etſi propria naturæ noſtræ eſt, ſic per peccatum depravatæ, tamen accenditur & augetur per Satanam. Cain cùm de fratre occidendo cogitat, neutiquam cogitat Deum inſpecturum, & ulturum eadem tam indignam. David accenſus amore, neutiquam prævidet animo illam *Securitas facit, ut non credamus Deum peccata punire velle. David.*

perie deſperationem,quam ſenſit cùm admoneretur à Propheta Nathan, Quanto minus tum cogitare potuit de horribili ſeditione poſt per filiũ excitata,de violatis ab eo Concubinis, de cædibus quarum ſeditio occaſio fuit? Quæ omnia Scriptura oſtendit,peccati illius pœnas fuiſſe. Nam Satan animum occupatum cogitationibus peccati ſic tenet irretitum,ut nihil prævidere, nuſquam circumſpicere poſſit.

Neceſſaria itaque eſt hæc Concio,quæ nos admoneat, Deum ſimpliciter peccata velle punire,nec velle aut ad ea connivere, aut leviter ea punire, ſed iram ejus immenſam eſſe,ut hoc modo admoniti,vivamus in timore Dei, & Deum ſerio precemur, ne nos in tentationem inducat,ſed gubernet ad ſui Nominis gloriam, & à malo liberet.

Quod autem Propheta ſubjicit interrogationem in perſona populi,Quod eſt peccatum Iacob? & poſtea reſpondet, An non eſt Samaria?Hoc ideo facit,ut oſtendat impios cultus,Idolatriam, fiduciam operum mordicus ab hypocritis retentam & defenſam eſſe, q.d. Nemo poteſt vos ad confeſſionem peccati adigere,etiam gloriamini in transgreſſionibus veſtris,tanquam in juſticia,Vt igitur ſciatis,quid Dominus reprehendat,& cur tantas calamitates vobis minetur, Regnum Iſraël peccat in Samaria,quòd ibi ſacrificat & cultus inſtituit contra mandatum Dei, Regnum Iuda autem peccat in Ieruſalem eo ipſo,quod putat ſe Deum colere & demereri.

Porrò ſuprà dixi habuiſſe Prophetas manifeſtam cauſam, cur cultus in regno Samariæ ſeu Iſraël inſtitutos damnaverint. Quia enim Deus Ieruſalem delegerat,in qua ſacra fierent in Templo,divinitus juſſo ædificari,Idolatria fuit,quod Hieroboam inſtituit loca cultuum in regno Iſraël. Fecit enim id ſine verbo, imo contra verbum Dei. Atq; hîc egregie pingitur ſtulticia & error ſapientiæ humanæ. Putabat Hieroboam,ſi peculiares cultus in ſuo Regno inſtitueret & prohiberet, ne ſubditi Hieroſolymis ſacra annua facerent,ſe pulchre ſtabiliturum regnum ſuum,& fracturum vires regni Iuda. Sed diverſum accidit. Nam hoc ipſo conſilio per idolatriam evertit regnum,ut vaſtaretur à gentibus. Non diſſimile eſt,quod hodie pleriſq; Principibus & Regibus accidit. Adorant meretricem Romanam,& impios cultus fovent ac defendunt,cavent ne quid vel in doctrina vel ceremoniis mutetur, atq; hoc modo putant ſe in tuto fore & ſua ſalvari poſſe, Sed hac ipſa ratione ſe & ſua evertent. Neq; enim Deus contemptum verbi ſui & Idolatriam perpetuo patietur impunem eſſe.

Conſilium Hieroboam.

Etſi igitur regnum Iſrael mordicus retinebat cultus ſuos, & dicebat ſe non idola,ſed verum Deum colere,nec tanti eſſe loci rationem,Deum cor reſpicere,non locum,non Perſonas, Perinde itaq; eſſe,ſive in Ieruſalem, ſive aliis in locis Deo ſacra facias,nec majores uno in loco ſacrificaſſe, Hieroſolymam gentium fuiſſe oppidum, quomodo igitur præſtaret aliis locis? Hæc & ſimilia etſi à Pſeudoprophetis, ad defenſionem idolatriæ, contra Prophetas dicta ſunt, tamen idolatriam non potuerunt negare. Neque enim nobis permiſſum eſt inſtituere cultus divinos. Et ſi quid inſtituimus propria voluntate, quomodo poſſunt animi certi eſſe, quod Deo placeat? Cùm itaque non ſolum locus, non perſonæ ſolum,ſed tota ratio cultus à Deo præſcripta eſſet,ſine negotio potuerunt Prophetæ regnum Iſraël convincere de idolatria. Non enim quid facias,ſed quomodo facias refert, cùm de cultu Dei agitur.Offerebant in regno Iſraël ſtatis horis & diebus, tauros,oves,oblationes,ſicut uſus erat in regno Iuda & Ieruſalem. Etſi igitur quod ad ipſum opus attinet,nulla erat differentia,tamen in eo differentia erat, quod Deus juſſerat alio in loco hoc opus fieri,& per alias perſonas.

Quomodo regnum Iſrael ex euſerverit idolatriam.

Itaq; cùm ſacrificiis regni Iſraël conjuncta erat negligentia mandati Dei, & inobedientia erga verbum. Deus autem,ſicut apud Samuelem eſt, potius vult obedientiam erga verbum ſuum,quam victimas & adipem arietum. Si quis autem non obediat voci Dei,hunc dicit idolatram eſſe,etiamſi jactet ſummos &difficilimos cultus Dei. Sicut idolatrarum proprium eſt, non deligere levia in ſpeciem, ſed quæ ardua & difficilima ſunt.

** Idolatria eſt, ubi non omnia fiunt ad præſcriptum verbi. Idolatria.*

Ideo

Ideo quoq; Monachi noſtri, Satanæ mancipia fugiunt uſitata illa, rationem adminiſtrandæ Oeconomiæ, Conjugium, & reliqua ad civilem vitam neceſſaria officia, non utuntur uſitato veſtitu, non cibis uſitatis, ſed ea deligunt, quæ propter raritatem plus admirationis habent. Sicut Sacerdotes Baal vulnerabant cutem & ſangvinem fundebant, Ipſi Reges in populo Dei, ad exemplum Abrahæ, mactabant & concremabant liberos ſuos. Sed cum Deus ante omnia poſtulet, ut obediatur voci ſuæ, manifeſtum eſt, ubi hæc obedientia non eſt, ibi eſſe idolatriam.

Monachi fugiunt uſitata officia, &c.

Sacerdotes Baal.

Sed inquies, non eadem ratio fuit regni Iuda? Hi enim retinebant uſitatos cultus in loco divinitus deſignato, & per Perſonas divinitus ordinatas. Cur igitur Propheta dicit, Excelſa Iuda, eſſe ipſam Ieruſalem? quæ ob hoc totius regni corona
4. Reg. 16. fuit, quod ad cultum Dei ab ipſo Deo conſtituta fuit. Hic primum debemus memi-
2. Par. 28. niſſe tituli. Dixit enim Propheta ſe vixiſſe & concionatum eſſe ſub Ahaz filio Iotham, Oſtendunt autem Hiſtoriæ regem Ahaz, diſceſſiſſe à via patris, & ſecutum viam regni Iſrael. Nam & imagines Baalim ſibi curavit fieri, & eas adoravit, & in valle Hinnom immolavit filium, denique in excelſis omnibus ſacrificavit. Hanc idolatriam cum Deus varie puniret per Regem Aſſyriæ, per Regem Iſrael, per Edomitas, Tamen non ſolum non eſt melior factus, ſed addidit graviora peccata. Templum deſtinatum à Deo divinis cultibus clauſit, & in omnibus angulis Ieruſalem erexit aras, in quibus juſſit ſacra fieri alienis diis, In reliquis quoque civitatibus Iuda iuſſit excelſa erigi, & alienis diis ſacra fieri. Recte igitur ſecundum literam hoc modo exponuntur excelſa Iuda, ipſa Ieruſalem, in qua impius Rex omnis generis impietates & idolatrias inſtituit, unde Exemplum poſtea in totum regnum emanavit.

Excelſa Iuda Ieruſalem.

Sed invenias alibi etiam ipſos cultus, legitimo modo in ipſo templo per legi-
Pſal. 50. Eſaiæ 1. timas Perſonas facto, reprehendi, Sicut Pſal. 50. Eſaiæ 1. ubi Deus ſimpliciter de ipſis ſacrificiis pronunciat, ſe ea neq; amare neque exigere, etſi non ſint facta in alieno loco, nec per illegitimas Perſonas, ſicut in regno Iſrael. Satis autem cum hoc modo reprehenduntur ſacra, ipſi Prophetæ oſtendunt quod in eis vitioſum ſit. Eſaias queritur, quod illi, qui plurimum ſacrificabant, vivant in manifeſtis flagitiis, dum per avaritiam opprimunt pauperes, Ius non ſancte dicunt, negligunt pupillos & viduas. Sic-
Pſal. 50. ut Pſal. 50. quoq; conqueritur, Odiſſe eos diſciplinam, projicere ſermonem Domini retrorſum, Currere eos cum Furibus, hoc eſt, in contractibus defraudare alios, & adulteria ſectari, &c. Hæc qui faciunt & poſtea per ſacrificia ſe commendari putant, an non merito reprehenduntur?

Legitima ſacrificia non placent, cum fiunt ab impiis & prophanis.

Oſe. 6. Matth. 9. Quare Dominus 6. Cap. apud Hoſeam quoq; dicit, ſe malle miſericordiam, quam ſacrificium. Et repetitur hæc ſententia aptiſſime à Chriſto contra juſticiarios & Phariſæos, qui minimo loco habebant ſumma dilectionis opera, præ juſticiis ſuis. Igitur ſacra per ſe bona & ſancta vitiantur à prophanis hominibus, qui ea præſtant, non ſolum ſine fide, ſed etiam cum mala conſcientia, ſine timore Dei, & ex corde non ſolum non pœnitente, ſed etiam quærente & ſperante per talia opera juſticiam.

Secundo, ſunt talia ſacrificia etiam ideo vitioſa, quia confunditur ordo, quem *Ordo cultuum.* ipſe Deus voluit eſſe in cultibus. Nam alii cultus ſunt exteriores, ſicut ſunt ſacrificia & Ceremoniæ divinitus inſtitutæ, item omnia bona opera divinitus mandata, Alii ſunt ſpirituales, qui pertinent ad primam Tabulam, ſicut ſunt fides, timor Dei, invocatio, ſpes, gratiarum actio, confeſſio, &c. Placent autem Deo etiam exteriores cultus, quia ſunt obedientia erga Verbum, ſi ſint conjuncti cum interioribus. At Hypocritæ veris cultibus neglectis, qui in corde ſunt, tantum imitantur externos, & de iis præſumunt tanquam ſint per ſe juſticia, etiamſi corda ſint vacua fide & timore Dei, etiamſi in periculis non invocent Deum, ſed quærant alia præſidia. Sicut Ahaz relicto vero Deo & cultibus ejus, ſe conferebat ad cultum deorum Damaſci, quia videbat Syrum meliore fortuna uti. Hanc perverſitatem reprehendunt Prophetæ & hortantur Hypocritas, ſi velint Deo probari ſua opera, ut Deum verè timeant, ejus Verbum ſequantur, in Deo ſpem omnem habeant poſitam. At hæc ſi negligant, fruſtra eſſe quicquid faciant & tentent, Deum enim non placari, ſed irritari magis.

Cultus externi placent propter interna.

Cultus Papistarum sine verbo.

Ad hunc modum concionatur Deus in Psalmo 50. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sangvinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me, Q. d. Pervertitis ordinem & sinistre omnia agitis. Sic urgetis sacrificia, quasi iis valde opus habeam, Hoc potius præstandum erat, ut me agnosceretis Deum vestrum, in me haberetis positas spes vestras, & invocaretis me, ita fieret ut etiam externi cultus, tanquam obedientia, mihi probarentur, Sed cum illa omittitis ac negligitis, quomodo hæc placere mihi possunt? Taceo quod additis peccata illa, impiam doctrinam, impias de Deo opiniones, idolatriam & spiritualem fornicationem, Deinde etiam sceleratam vitam, ac plenam omnis generis peccatis.

Ad hunc modum nos quoque reprehendimus in adversariis cultus, quos ipsi sine verbo Dei instituerunt & tanquam justicias adorant. Vbi enim vota, ubi cœlibatus, ubi Missæ pro vivis & mortuis, ubi cultus Sanctorum, ubi intercessiones & merita Sanctorum, ubi peregrinationes, Monachatus, & similes nugacissimæ nugæ, imo nocentissimæ pestes, verbo Dei institutæ, traditæ, aut mandatæ sunt? Si autem sunt sine verbo, ubi quæso est obedientia, quam Deus magis vult, quam victimas? Taceo jam, quod hæc contra verbum defendunt impii, & Verbum, defendendæ idolatriæ suæ causa, crudelissime persequuntur. Si enim cultus Dei vis jactare, ostende verbum Dei, non cogitationes tuas & idolum cordis tui. Verbum autem si non habes, fuge tanquam extremam impietatem, quicquid pro cultu Dei obtruditur.

Fiducia meritì vitiat etiam vera bona opera.

Secundo, reprehendimus quoq; fiduciam, quam ponunt in opera per se bona, hoc est, divinitus mandata, qualia sunt dilectionis opera, per se bona quidem, sed tamen quæ vitiantur addita fiducia in ea, Sicut vitiabantur Iudæorum sacrificia, quanquam divinitus instituta & mandata essent. Placent quidem bona opera in iis, qui habent remissionem peccatorum per fidem in Christum, & habent suam remunerationem, Sed si cor in ea fidat, & putet se per ea habere Deum propitium, tunc vitiantur & Deo placere non possunt. Nam fiducia non debetur nostris, aut aliorum operibus, sed debetur soli misericordiæ Dei, ac meritis seu operibus filij Dei. Non sunt opera nostra opponenda gratiæ Dei, sed præstanda sunt, tanquam obedientia, quam Deo tam propitio & misericordi debemus, cum hac confessione, quod cum omnia *Luc. 17.* fecimus, quæ possumus, tamen simus servi inutiles.

Et ponam Samariam sicut acervum lapidum in campo, ubi plantatur vinea, & præcipitabo lapides ejus in vallem, & funditus eam everram.

Vituli aurei.

Hieroboam primus Rex Israel, sicut supra dixi, fecit vitulos aureos in Dan & Bethel, ut haberet suum peculiarem cultum in regno suo, differentem à cultu, quem Dominus Hierosolymis instituerat, propter causas, quas supra ostendi. In hac idolatria, cum totum regnum Israel annis quadraginta octo esset versatum, per Amri regem, emptus est mons Semron, & in eo ædificata est civitas Samaria, Cujus auspicia ut essent augustiora, nova istic quoque idolatria cœpta est præter eam, quam instituerat Hieroboam, quæ postea maxima incrementa sumpsit. Siquidem Samaria sedes Regum perpetua posthac fuit, Et Ahab filius Amri ibi instituit cultum Baal, Ideo Prophetæ, cum caput peccatorum ostendere volunt, Samariam fere nominare solent. Ac alicubi totum Regnum hoc nomine significant, Sed hic proprie de Civitate agit Propheta, quæ cum munitissima & opibus instructissima esset, & tamen, sicut Propheta hic minatur, datura erat supplicium pro peccatis, facile judicium est, eadem calamitate etiam involvendas esse reliquas Civitates.

Samaria.

Samaria.

Vtitur autem hic quoq; Propheta insigni similitudine, qua futuram vastitatem graphice depingit. Florens Regnum seu Civitas recte comparatur culto agro, seu horto, ubi non solum singularis amœnitas, sed etiam læta omnis generis frugum ubertas est, quam ordo quoque commendare solet. Ingrata enim est confusio, ubi non singula suis certis locis dispositia sunt. Ad hanc Similitudinem respicit Prophe-

ta, &

ta,& minatur futurum, ut alia Samariæ ſit facies, nempe talis, qualis eſt acervi lapidum, qui, cum vineta conſerunt ſtudioſi agricolæ, colliguntur ex vinea in unum locum. Quomodo autem,inquies,hoc fiet? Sic,ut lapides ejus,hoc eſt, magnifica ædificia & baſilicas Hoſtes disjiciant,& funditus evertant. Hanc puto propriam eſſe ſententiam. Quidam quod de plantatione vineæ dicit,ita exponunt, Quod ſit redigenda in vaſtum agrum,in quo vineas poſtea plantent agricolæ.

Et omnia ſculptilia ejus conterentur,& omnia donaria ejus comburentur igni,Omnia denique idola ejus perdam. Quoniam de mercede meretricis ea collegit, & in mercedem meretricis redibunt.

Quid,inquis, magni eſt,minari ſculptilium & idolorum perditionem? Quis optaret iſta ſalva,abductis hominibus & vaſtato regno? Num delectat Deum ſævire in ligna & lapides, quæ ſunt Dei creaturæ, nec poſſunt peccare, etſi ab hominibus ad impietatem & ſcandalum transferri poſſunt? Sed pertinet hæc quoq; comminatio, ſicut reliqua,ad pœnitentiæ concionem, ut homines abjiciant fiduciam iſtam, quam in mortua ligna ac lapides, & in cultus à ſe confictos, poſitam habebant, Siquidem certum erat, ut fierent præda hoſtibus, nec ipſa ſe poſſent liberare ab igni & hoſtili vi.

Quod ad Grammaticam attinet(Peſel) vocantur idola ſculpta (Athnan) vertimus donaria. Sed eſt idem vocabulum,quod poſtea mercedem vertimus,ſignificat autem hic quæſtum meretricium, hoc eſt, quem ex idolatria capiebant impii Sacerdotes. Sicut nos vidimus in iis locis, ubi certa idola colebantur, magnam donariorum ſeu anathematum multitudinem quotidie oblatam, Qualia fuere Mariæ idola Aquisgrani,Regensburgi,in Grimmental,& infinta alia per totum Papæ regnum,ex quibus ampliſſimos reditus compararunt idolorum mancipia, confictis ad id mendacibus miraculis(Ezeb) idola vertimus, nam ſcriptura ſæpe ea ſic appellat, à verbo (Azab) quod proprie ſignificat affligi, Non ideo ſolum, quod impietatem ſemper certæ calamitates ſequuntur, ſicut omnia omnium ſeculorum exempla teſtantur, Sed etiam quod nihil laborioſius & moleſtius eſt, quam idolatrarum vita. Sicut exemplo ſunt Monachi noſtri,quibus quotidie novus aliquis cultus naſcebatur,quibus quotidie novos labores imponebat in infinitum patens ſuperſtitio.

Peſel. Athnan.

Ezeb.

Azabi Idolatrarum vita.

Porro hic locus unus eſt ex eorum numero, qui hodie εἰκονομάχοις occaſionem dedit, ut omnes imagines ſine diſcrimine ex templis ejicerent. Neque hic novus in Eccleſia tumultus eſt,Nicena Synodus ſecunda annis retro plus mille & centum,ſub Conſtantio & Irene matre ejus, hanc ob unam cauſam coacta eſt, & decretum magno conſenſu eſt contra eos, qui ſtatuebant nullum in templis imaginum uſum eſſe. Non igitur abſurdum fuerit paucis oſtendere, quid de hoc negocio recte poſſit conſtitui. Verum eſt quod Moſes & Prophetæ magno ſtudio ubiq; prohibent & damnant imagines, Sed ineptum eſt, id in genere intelligere de omnibus imaginibus. Nam & Iudæi imaginibus etiam in templo ſunt uſi, ſicut oſtendit ædificium Salomonis. Et quis dubitet in Regum & principum domibus non fuiſſe aliquas pictas tabulas? Pictura enim,quia res repræſentat, nunquam inter prohibitas,aut illicitas artes habita eſt. Sicut igitur ſine peccato recitatur Hiſtoria de Salomone, ſapienter judicante inter duas meretrices,Ita profecto ſine peccato eadem Hiſtoria pingitur. Neque ego unquam Iudæos tam barbaros fuiſſe judicarim, quin etiam in publicis locis, & non tantum inter privatos parietes hæc monumenta rerum præclare geſtarum habuerint picta, Sicut in iis deſcribendis per quam diligentes fuerunt.

An omnes imagines tollenda?

Nicena Synodus ſecunda.

Iudæi non lege prohibita omnes imagines.

3. Reg. 3.

Non ſolum igitur barbariem, ſed inſignem quoq; inſcitiam judicaverimus, quod in multis locis, etiam Chriſti & Apoſtolorum imagines, ſine diſcrimine, ex templis ejectæ ſunt. Quis enim non videt, quod ſicut ſine peccato piæ Hiſtoriæ, etiam cum fructu auditorum recitantur, ad hunc modum propter rudes etiam pingi tales Hiſtoriæ & ſculpi poſſint, non ſolum in privatis ædibus, ſed in publicis locis. Vt ſicut olim decreta rerum publicarum in publico loco proponebantur, Ita ru-

Imagines permiſſæ eſſe uſus.

Ita rudes ubique admoneantur ſalutis ſuæ,beneficiorum Dei,pœnarum,quæ peccatoribus inflictæ ſunt, & ſi quæ alia ad ædificationem ſunt utilia.

Imagines prohibitæ, quas adorarentur.

Sed inquies, Si tanta picturarum & imaginum utilitas eſt, cur tanto ſtudio à Moſe & Prophetis prohibentur & damnantur? Reſpondeo, Moſes & Prophetæ loquuntur de imaginibus ad eum finem conditis,ut adorarentur,& per illam adorationem Deus crederetur coli. Sicut manifeſtum teſtimonium eſt in ſecundo præcepto, Non adorabis neq; coles ea, Quia ego ſum Deus tuus. Sic in Deuteronomio dicit Moſe,Dominus locutus eſt vobis,Vocem ejus audiviſtis, ſimilitudinem vidiſtis nullam,Ne faceretis vobis imaginem,quam adoraretis.Ergo vitium omne eſt in adoratione & cultu, qui non ligno,non lapidi, non auro, non argento, ſed ipſi Deo conditori debetur. Adoratio igitur ſi abſit,poteſt imaginum,ſicut literarum,uſus eſſe,quæ admonent nos rerum, & res quaſi repræſentant. Evangelia exponunt Hiſtoriam Chriſti, Lex & Prophetæ voluntatem Dei nobis exponunt, Sed quis ideo chartas exoſculatur? Quis eas adorat? Quis putat Deum coli, ſi coram ſanctis Bibliis procumbat? Alius earum eſt uſus, ut legantur, ut edoceamur de voluntate Dei,& faciamus eam. *Deut. 4.*

Mendaces imagines ſimpliciter tollendæ.

Hic igitur naſcitur alia imaginum differentia. Quædam enim mendaces & ſcandaloſæ ſunt,Sicut Barbaræ,Margarethæ,Georgij, Chriſtophori, Catharinæ,&c. Hæ quia mendaces ſunt (Nam quos referunt, nunquam in natura fuerunt) abjiciendæ ſunt.Sunt enim tantum ad idolatriam confictæ. Sicut igitur mendaces libri abjiciuntur,quod etiamſi diu eos legas,nihil niſi mendacia legas. Ita quoq; harum imaginum plane nullus eſt uſus.Non autem ſatis eſt admonere, quod ſint mendaces,ſed propter ſcandalum penitus tollendæ ſunt. In quem uſum enim aſſervantur? Quin potius ſicut nemo domi ſuæ ſcandaloſas picturas ferre debet, Ita maxime ex publicis Eccleſiis ejiciendæ ſunt, in quibus omnia ad ædificationem ſervire debent quicquid dicitur,ſcribitur,canitur,pingitur, ſculpitur, In ſumma, quicquid videtur & auditur.Ac habenda eſt in hac re poſteritatis ratio, cui iſta in ſcandalum & ruinam eſſe poſſunt.Sicut exempla extant in ſacris Hiſtoriis,ubi etiam bonæ res, cum in ſcandalum abiiſſent, abjectæ ſunt. Sicut æneus Serpens &c. Sed de hac re infra plura fortaſſe.

Quod addit, QVONIAM de mercede meretricis ea collegit Samaria, redibunt in mercedem meretricis, Habet ſpeciem proverbij hæc ſententia, Sicut nos dicimus, Male parta,male dilabi. Vocat enim uſitata figura Meretricem,populum fornicantem cum idolis,deſerto vero ſponſo Deo. Idola iſta,donaria,templa magnifice ornata,hæc omnia,inquit,ſunt præmia idolatriæ, parta per prædicationem fiduciæ in alienos Deos.Sed hæc omnia ſicut parta ſunt,ita etiam peribunt, Veniet populus impius & ſine Deo,huic idola iſta prædæ erunt,&c. Porro non inepte hic conquerimur de mundi extrema cæcitate & malicia. Experimur enim hodie, cum homines recte de Deo & cultu Dei, item de vere bonis operibus docentur, immanem quandam avaritiam omnium corda atq; animos occupaſſe. Nemo ea liberalitate juvat Pauperes, qua debebat, Excogitantur infinitæ viæ augendorum preciorum etiam in minutiſſimis rebus, Quicquid autem in miniſtros Eccleſiarum, quicquid in Scholas impenditur,hoc omne judicatur eſſe nimium. Itaq; quod ſummum, non ſolum dedecus,ſed quoq; peccatum hujus ſeculi eſt, videas hominum avaritia multas Parochias aut penitus collabi,aut miſerrimi negligi.

Meretrix.

Mundus ad ſuperſtitiones prodigus, Ad verbum Dei parciſſimus & avariſſimus eſt.

Sed reſpice ſuperiora ſecula, cum nulla vera religionis ratio extaret, cum homines ad idolorum cultus & vanam propriorum operum fiduciam deducerentur, ibi nullus largiendi finis fuit, Omnia monaſteria, omnia ſacrificulorum Collegia paſcebantur in ſumma abundantia omnium rerum, Templa auro & argento uſque ad admirationem ornabantur,In ſumma, dicas aurum & argentum ab hominibus tunc vilius habitum,quam nunc lapides. Merito deploranda hæc cæcitas mundi venit, quam Propheta hic oſtendit, quod idolatria feliciſſima fuerit, & habuerit ampliſſimos proventus,ubi Levitæ,qui in Ieruſalem vero miniſterio præerant,miſere eſuriebant.

Cæcitas mundi.

Sed

Sed quæ pœna propoſita eſt iis, qui ſic per impietatem opes colligunt? Nimirum,quam Propheta dicit, De mercede meretricis collegit ea, & revertentur ad mercedes meretricis.Magna hodie querela eſt,occupari bona Eccleſiaſtica à noſtris Principibus, & poni in prophanos uſus. Sed primum, ſi ſunt bona Eccleſiaſtica, te quæſo,quomodo ſunt parta? An non per vanas & impias prædicationes Miſſarum, indulgentiarum,meritorum,& ſimiles nugas? Deinde quæſo te,quomodo iis utuntur, qui ampliſſimos reditus Eccleſiaſticos habent? Quotuſquiſque eſt,qui docet Evangelium? qui Pauperum curam agit,qui in aliqua parte dat talem Eccleſiæ operam? An non fere ſoli ſunt, qui Evangelium crudeliſſime perſequuntur? qui omnis generis idolatrias mordicus retinent, & cum ſumma crudelitate defendunt? Qui infinitis ſcandalis, & turpiſſima vita Eccleſiam deformant? Quid multis? ſunt vere opes meretricis, & ab illis ipſis,qui eas tenent, non collocantur in alios uſus quam meretricios. Aut enim fœdiſſime eas prodigunt, aut crudeliter comparcunt. Sed hæc nondum vera pœna eſt, Prædæ erunt aliis, qui veram doctrinam neque norunt nec propagare ſtudent.

Querela de bonis Eccleſiaſticis.

Opes meretricis.

Quod ad noſtros Principes attinet, omni laude digni ſunt, quod recta ſtudia & religionis doctrinam egregie & cum maximis ſumptibus propagant, Immerito igitur ſpolii & alienatarum Eccleſiaſticarum opum accuſantur. Hi potius accuſentur,qui Eccleſiam non adjuvant, & tamen monaſteria ſpoliant, Sed hoc quoq; accidit Papiſtis ſecundum verbum Prophetæ, opes meretricis ſunt,& in opes meretricis redibunt.

Ideo plangam & ululabo, incedam ſpoliatus & nudus, planctum edam, qualis eſt Draconum, & ſicut Struthionum pulli eiulabo.

Quæ ſequuntur, etſi quod ad ſententiam attinet, plana ſunt (Nam vaſtationem, quam hactenus paucis comprehenſam prædixit, nunc copioſius & quaſi per diſtributionem explicat) tamen propter varias alluſiones obſcuriſſimam grammaticam habent. Atq; hic recte admonentur ſacrarum literarum ſtudioſi, ut magno ſtudio incumbant in Linguarum ſtudia. Etſi enim hæc explicari audias optime, tamen impoſſibile eſt,ea plene aſſequi Ebraicæ linguæ prorſus rudem,propter figuras,quas nulla alia lingua imitari poteſt.

Oſtendit Propheta hactenus vaſtationem regni Iſrael & Iuda per Aſſyrium futuram, Nunc quaſi in rem præſentem ducit Lectorem, ac non aliter vaticinatur, quam ſi omnia eſſent poſita ob oculos. Itaq; potentialiter intelligenda ſunt verba hæc,quæ in futuro Ebræus legit. Caret enim Ebræa lingua optativo. Tanta,inquit, eſt calamitas,ut poſſet aliquis vel deberet lugere & ejulare,ſicut Dracones,&c. Porro uſitatum eſt in ſacris literis, quoties vaſtitas ſignificatur, uti ſimilitudine Dracoיſa 13. 34 num & Struthionum,in deſertis locis ululantium. Sicut Eſaiæ 13. de vaſtatione Babylonis, 34. de vaſtatione regni Edom. Threnorum 4. de vaſtatione Hieroſolymorum,&c. Ideo autem potiſſimum allegat Propheta magnas beſtias, ut exaggeret futuram miſeriam.Nam pro magnitudine corporum etiam magnos lugitus edunt. De Iob.39. Struthionibus eſt apud Hiob,quod ſit vecors & crudele in ſuos pullos animal. Siquidem ponunt ova in terram, & poſtea ea negligunt.Diſerte igitur propheta pullorum meminit,ut oſtendat populum prorſus derelictum, Sicut vere derelictus pullus eſt, cum à matre negligitur.

Vlulatus Draconum & Struthionum, &c.

Thren. 4.

Struthio.

Quod dicit, Incedam nudus, referendum eſt ad ornatum ſplendidiorem, Non quaſi plane nudus velit incedere, ſed quod honeſtiore veſtitu depoſito, in vili veſte(ſicut ſorditati ſolebant)velit incedere. Sic Ieſaia jubebatur incedere nudus,ad ſignificandam captivitatem Aegypti. Neq; autem eſt, quod cogitemus eum prorſus nudato corpore inceſſiſſe, Vili & breviore veſte indutus fuit, oblonga & honeſtiore abjecta. Sicut in hiſtoria Evangelij diſcipulus dicitur aufugiſſe nudus,relicta poſt ſe ſyndone, quæ ſuperior & honeſtior veſtis erat.

Nudum intelligo.

Isa.20.

Marc.14.

Quoniam

Quoniam plagæ ejus ſunt inſanabiles, ac venerunt uſq; ad Iudam, pervenerunt uſq; ad portam populi mei, uſq; ad Ieruſalem ipſam.

Anuſa. à Iſta. Vocabulum (Anuſa) ſignificat vehementem, gravem & miſerabilem plagam, quæ non poteſt ſanari. Ita vaſtitas, inquit, quæ in Iſrael incipiet, non ibi reſiſtet, Sentiet percuſſuram eam Iuda quoq;, Imo in portis Ieruſalem ſentient eam. Notum enim eſt ex hiſtoria, ſicut paulo poſt Propheta vaticinabitur, Sanherib regnum Iuda quoq; vaſtaſſe, & perveniſſe uſq; ad Ieruſalem. Eam cum obſidione cinxiſſet, ab angelo Domini inde fugatus eſt, cum magna ſuorum cæde. Hoc Propheta hic ſignificat.

In Gath ne annuncietis, neq; exaudiatur ploratus veſter, In domo Aphra in pulvere voluta te.

Hic incipiunt figuræ, quæ difficultatem pariunt. Nam in re difficultas nulla eſt. Quod de Gath Palæſtinorum dicit, tranſſumptum eſt ex Cantico Davidis, 2. Sam. 1. Nam Prophetæ ſæpe ex hiſtoriis mutuantur aliquid, cum in re quædam ſimilitudo eſt. David videt magnum vulnus accepiſſe regnum extincto Saule & ejus filiis. Hanc calamitatem optat ſic poſſe tegi, ne incircumciſi Philiſtiim id reſciſcant, & ideo lætentur. Idem Propheta hic optat. Augetur enim calamitas, cum videas inſultantes Hoſtes. Aphra eſt in tribu Benjamin. Quia enim dixit pertingere plagam hanc regni Iſrael uſq; ad Iudam & portas Ieruſalem, ideo in Benjamin & tribu Iuda poſitas Civitates commemorat. 2. Sam. 1. Aphra.

Aphar. Atq; hic prima alluſio eſt, In doma Aphra, in Aphar voluta te. Porro Aphar ſignificat proprie terram effoſſam, quæ diſſoluta eſt nec cohæret, qualis eſt quæ ex ſepulchris effoditur & fere ſolet reddi vocabulo terræ aut pulveris. Sententia igitur eſt. Civitas Aphra recte à pulvere nomen habet. Ea enim tum ejus calamitas erit, ut merito, tanquam in ſummo luctu cinere ſe conſpergat, id quod uſitatum Iudæis erat in magnis periculis & magno luctu. Cinere conſpergi.

Tranſi Civitas decora, turpiter nudata.

Saphir. Porro non eſt hic alluſio in vocabulo, ſed pulchra in re antitheſis (Saphir) ſignificat pulchrum & decorum eſſe. Hoc nomen, inquit, Samaria hactenus habuit, Sed quo abiit nomen tuum? Quo abiit decor & pulchritudo tua? Iaces enim vaſtata, ac ſi nunquam fuiſſes, & es tota operta confuſione & ignominia. Perinde ac ſi quis elegantem puellam, ſplendido veſtitu ornatam exuat, & nudam objiciat ſpectandam oculis hominum.

Porro hic Ebraiſmus eſt, qui latine non, niſi per circumlocutionem, reddi poteſt. Sic enim de verbo ad verbum ſonat, Tranſi vobis Civitas decora (Ibri lachem) Hoc eſt, abi, & fuge in alium locum. Id enim è re tua eſt. Id tibi proderit. Tibi fuga conſule. Et figura etiam eſt in hiſce vocabulis (Ioſebeth ibri) Fuiſti hactenus Ioſebeth, quæ habitaſti ſecura, non es aſſueta ad migrationes, Sed nunc tibi migrandum erit (Ibri) tranſi, **Auff vnd davon/ da iſt keine bleibens mehr.**

Non expaciabitur Civitas Zaenan præ luctu.

Zaenan. Zaenan eſt in tribu Iuda, ſicut patet ex Ioſua, Habet autem nomen ab egrediendo, Q. dicas, expaciatricem. Eſt autem hic iterum alluſio (Zaenan non Iazah) hoc eſt, non egredietur, continebit ſe domi ſuæ, Sicut ſolent qui in luctu ſunt poſiti. Hi enim ultra hominum conſpectum fugiunt, ut poſſint vacare lachrymis, Sicut Propheta cauſam ſubjungit.

Domus vicina accipiet à vobis ſubſtantiam veſtram.

Beth. Ezel. Ad hunc modum ego hunc locum intelligo, propterea quod aliæ ſententiæ, quæ afferuntur ab interpretibus videntur eſſe coactiores. Nam etiamſi Beth Ezel proprie accipias, quid erit (Emdatho) Exponunt quidem, ſtationem hoſtis, Sed coactior ſententia eſt, id eo transferre, quod hoc præmium hoſtis accepturus ſit pro ea mora, quam ibi traxit. Quare cum hæc ſententia & propius ad rem accedat, & quoq; grammaticæ non ita adverſetur, volui eam retinere, quod Beth Ezel appellative, vicina domus, nempe Aſſur, accipiet à Zaenitis ſubſtantiam eorum, hoc eſt, etiam illa, quæ ipſi putabant ſibi ſtatura & tuta fore.

Quoniam

Quoniam anxie expectat bonum Civitas Maroth, Sed descendit malum à Domino ad portam Ieruſalem.

In hac ſententia non eſt minor obſcuritas, quam fuit in priore. Alii enim exponunt (halah) pro dolere, Quod dolebit Maroth propter amiſſa bona. Alii quod infirmata ſit ad bonum faciendum, quod non exercuerit ſe in obedientia erga legem & verbum Dei. Sicut (Maroth) ſignificat rebellem & inobedientem. Quidam hanc ſententiam eſſe putant, quod bono ſeu felicitate & ſucceſſu infirmata, hoc eſt, dementata ſit, Secundum proverbium, Fortuna quos fovet, ſtultos facit. Hoc enim commune Rerumpublicarum florentium vitium eſt, quod infatuantur ſucceſſu, ac propter opes & potentiam credant ſe ac ſua tum in tuto eſſe, cum maxime vicina ſunt pericula, Itaque cum ad pœnitentiam comminationibus futurarum calamitatum invitantur, eas non admittunt nec credunt. Sunt igitur fortuna & ſucceſſus ipſis vere peſtiferi & exitiales morbi. Vbi enim verbum negligitur & nulla pœnitentia ſequitur, ibi non poteſt longius abeſſe pœna. *Halah.* *Maroth.*

Sed ſimpliciſſima ſententia hæc eſt, ſive Maroth pro proprio accipias, ſive appellative, pro rebelli Civitate, Quod anxie expectat bonum. Nam homines conſtituti in periculis, illo ipſo dolent & infirmantur, quod expectant auxilium, & fruſtra expectant. Hunc affectum verbum (halah) hoc in loco oſtendit.

Alliga malum ad quadrigam Civitas Lachis, quæ fuiſti occaſio erati filiæ Zion, In te enim deprehenſæ ſunt transgreſſiones Iſrael.

Lachis ſatis nota eſt, Eam quoque Sanherib expugnavit, ſicut oſtendit hiſtoria. Hanc calamitatem prædicit ei Propheta, & tanquam in præſenti periculo, jubet ut quadrigam comparet & ſe in fugam det. Porro Propheta hic nos ſingularis Hiſtoriæ admonet, cujus nulla alibi ſunt veſtigia certa, nempe, quod Lachis prima ex regno Iuda, regni Iſrael idolatriam & impios cultus amplexa ſit. *Lachis.*

Docemur autem primo hic, quod idolatriam ſoleat Deus punire bellis & vaſtitate, Deinde quod majorem pœnam merentur, qui aliis exemplo ſuo idolatriæ occaſio ſunt. Sicut etiam Chriſtus in Evangelio graviſſime minatur iis, qui aliis ſunt ſcandalo. Quare decebat hoc ſtudium præcipue Reges & Principes, ne, dum ipſi religionem parum curant, alii interim idolatriam & impios cultus propagent, Sicut hodie fit. Exiſtimat Magiſtratus non eſſe ſui muneris curare, quid agatur in Eccleſia, Itaque impii homines cum majore licentia abominationes Papatus urgent. Sed væ iſtis, qui cum hæc ex mandato Dei debebant prohibere, & propter autoritatem etiam poterant, tamen id non faciunt. Nam ſicut hic locus admonet, major pœna eos conſequetur, quorum exemplo alii peccant. *Pœna idolatriæ.* *Matth. 18.* *Officium Principum.*

Propterea mitte Legatos ad Moreſeth Gath, Domum Achzib, Reges Iſrael fallent.

Vocabulum (Siluhim) eſt à Salach, miſit, Itaq; liberum eſt, ſive donum, quod mittitur, ſive Legatos interpreteris. Manet enim eadem ſententia. Hortatur enim per ironiam ad quærenda auxilia à vicinis, quos tamen ipſos dicit cum iiſdem periculis conflictari. Porro in eo hic obſcuritas eſt, quidam conjungunt hanc ſententiam cum ſuperiore, ut Lachis mittat munera Morasethis, vicinis Gath Palæſtinorum, Alii ad Achzib referunt. *Siluhim.*

Vtitur autem Propheta hic quoq; belliſſima alluſione, Domus Achzib ad Achzab regibus Iſrael. Significat autem Achzab mendacium, à verbo (Cazeb) mentiri, fallere, fruſtra eſſe. Porro Ioſuæ 15. nominatur Achzib, quod ſit Civitas Iuda. Hæc, ſicut Propheta hoc in loco videtur oſtendere, junxit fœdus cum regno Iſrael. Sed quod fere accidit, dicit Propheta, eo fœdere non adjuvari eos in calamitate per Aſſyrium futura. Quanquam non inepta eſſet ſententia, ſi paſſive accipias, Ad mendacium regibus Iſrael, hoc eſt, quibus reges Iſrael mentiti ſunt, Quos reges Iſrael deceperunt per idolatriam. *Achzab.* *Cazeb.* *Achzib.* *Ioſue. 15.*

ADHVC hæredem tibi adducam Civitas Maresa.

Maresa.

Texit Propheta brevem Catalogum civitatum Iuda, quas Rex Sanherib erat post regnum Israel vastaturus. Est autem hic quoq; elegans allusio, Marescha adducam tibi Haresch, hoc est, hæredem. Porro nomen Maresa, significat hæreditatem seu possessionem, Venit enim à verbo Iarasch, Q.d. Propheta, habes nomen ab hæreditate, tu Maresa, Ecce faciam, ut fias hæreditas potentis hostis, qui te expugnabit & spoliabit. Pertinent autem hæc omnia, sicut dixit, ad pœnitentiam docendam. ut credant tales pœnas impietatis certo secuturas, & ideo in tempore abjiciant impios cultus, & se conferant ad veram religionem.

VSque ad Adullam deveniet gloria Israel.

Adullam spelunca.

Nota est spelunca Adullam ex historia Davidis. Puto autem hanc esse quasi conclusionem institutæ comminationis, Q. d. magna est gloria Israel, nititur opibus & potentia sua, atq; ideo secura est in maximis peccatis. Sed profecto fiet, ut ista omnis gloria, tot magnificæ & locupletes civitates, fiant sicut Adullam, ignobilis & vasta spelunca, propter vastitatem, quam Sanherib afferet. Sic emersimus jam ex istis obscuris locis, quanquam in re non magnus labor est, Grammatica paulo est impeditior, Sicut satis apparet ex translatione Hieronymi, qui fere ex propriis facit appellativa, Sicut alibi ex appellativis propria. Satis autem hic locus ostendit, quam necessaria Theologiæ studiosis sit cognitio sacræ linguæ.

Cognitio sacræ linguæ.

Decalveris & tondearis liberos tuos delicatos, Dilata calviciam tuam sicut Aquila, quoniam captivi abducentur à te.

In luctu solebant aut evellere, aut præscindere comam, & calvi incedere. Cum itaque tam horribilis vastitas regno Israel, & partim etiam regno Iuda, immineret, vult Propheta, ut, sicut in maximo luctu solet, tondeatur, & non alat comam, sicut in ocio, tranquillitate & successu, solebat. Nam filii tui, inquit, quos in magnam spem educasti, per Hostem abripientur in alienam terram. Ita hæc prima Concio tota eo pertinet, ut summo studio fugiamus idolatriam, quam non leves pœnæ, sed extrema vastitas sequitur. Si enim injurias contra proximum horribilibus pœnis ulciscitur Deus, sicut sequens caput ostendet, Quanto putabimus Deum acriorem vindicem fore, cum suam Gloriam videt ab hominibus impiis opprimi per idolatriam, per impiam doctrinam & cultus impios?

idolatria fugienda.

Necessaria autem hæc nostris quoq; temporibus est concio, Quantum enim abominationum jam plus quam sexcentis annis in Ecclesiam per Pontifices invectum est? Coegit eos necessitas, ut saltem textum Evangelij in templis recitarent, quanquam id quoque in Italia & aliis Nationibus multo rarius, quam in Germania factum est. Sic Baptismum & Cœnam Domini retinere eis necesse fuit, quanquam utrunq; Sacramentum varie contaminaverunt, alterum etiam impie mutilaverunt. Hæc ut retinerent necessitas coëgit eos. Sed his sepositis, nihil per omnem vitam à Pontifice ut Pontifice, ab Episcopo ut Episcopo, à Sacrificulo ut Sacrificulo, à Monacho ut Monacho, à Monjali ut Moniali, per tot secula factum est, quod non ex Diametro cum verbo Dei pugnaret. Nam etiam bona ipsorum opera defœdavit impia opinio meriti. Hanc impietatem, cum adhuc hodie pontifices velint esse salvam, cum eam mordicus retineant, & cum immani crudelitate defendant, quomodo possibile est, ut non Deus suo tempore, & brevi quidem, cum vastitate totius Germaniæ puniat? Non enim habebitur innocens, qui nomen Dei blasphemaverit, & Verbum ac voluntatem ejus contempserit,

Exodus

Sicut exemplum hoc regni Israel abunde ostendit.

CAPVT

CAPUT II.

Væ iis, qui cogitant iniqua, & meditantur injurias in cubilibus ſuis, ut eas in luce matutina faciant, quia potentes ſunt.

ABſolvimus unam Prophetæ Concionem, in qua tum regno Iſrael, tum Iuda prædixit calamitatem per Aſſyrium futuram, Addidit autem cauſam, longe aliam, quam à ratione poſſit deprehendi. Nam ratio ea tantum peccata intelligit, quæ contra ſecundam Tabulam fiunt, Operum primæ tabulæ plane nullam notitiam habet. Itaq; verbo Dei opus eſt ad revelanda peccata contra primam tabulam.

Iactabat uterque populus cultum Dei & ſingulare religionis ſtudium, Sed Propheta religionem, quam ipſi ſequebantur, dicit cauſam præcipuam eſſe omnium calamitatum. Quia enim cultus Dei non poteſt dici, niſi quod ſecundum verbum Dei inſtituitur, Idolatria eſt, quicquid homines ſine Verbo, pro cultu Dei inſtituunt, ac meretur extremas pœnas. Etſi enim alia peccata, contra ſecundam Tabulam admiſſa, quoque ſuas pœnas habent, Tamen hi cultus humana opinione aut devotione, ſine manifeſto Verbo inſtituti, majores pœnas & certiores merentur. Ideo Propheta primo loco idolatriam reprehendit, & oſtendit, quæ ejus ſint futuræ pœnæ. Semper enim idolatria cum blaſphemia Dei & neglectione Verbi conjuncta eſt. Poſtea idolatria etiam eſt cauſa vitioſæ vitæ. Quomodo enim recte inſtitui aut geri vita poteſt, ubi Verbi nulla eſt ratio? Inſtituit igitur Propheta hic aliam concionem, in qua etiam illa peccata reprehendit, quæ ratio judicare poteſt, Avaritiam, injurias, violentiam, injuſta judicia, & ſimilia. Hæc non habent ſpeciem aliquam ſanctitatis, qua ſe tueri poſſint, ſicut idolatria. Et tamen prætextu idolatriæ putant impii ea non poſſe obſervari.

Cauſa calamitatum religio.

Cultus Dei. Idolatria.

Ubi Verbum nõ eſt, ibi non poteſt eſſe ſancta vita.

Sic magna ſanctitas ſimulatur à Monachis & ſacrificulis, quoties miſſandum eſt, quoties in publico aliquid faciendum. Sed cum poſtea ad vinum, ad ſcorta, ad exigendos numos, ventum eſt, ibi primum oſtendunt, quam eis ſimulatio iſta ſanctitatis cordi fuerit. Sic Pontifices, bone Deus, quam ſancti, quam mites, quam humiles ſunt, cum inſtituuntur proceſſiones ſeu ſupplicationes, cum indulgentiæ effunduntur in ſtultam multitudinem. Sed his ipſis leviſſimum eſt, magno numero interficere pios Doctores ubique gentium, His ipſis leviſſimum exolvere ab obedientia & juramento ſubditos, quoties Cæſares aut Principes ipſorum cupiditati nolunt obſequi, Leviſſimum eſt, involvere in bella & cædes tota regna, Taceo fraudem judiciorum, inexhauſtam avaritiam, infandas libidines, quæ quidem omnia etiam vulgus intelligit execranda eſſe. Sed tamen iſti qui faciunt putant ea ſplendore religionis tecta eſſe, & non ita conſpici.

Monachorum ſanctitas, &c. Pontifices.

Pertinet itaq; hæc quoque Concio Prophetæ ad pœnitentiæ doctrinam, ut diſcamus ſimilia peccata, ſimiles pœnas conſequi. Si enim Avaritia, ſi fraudes in judiciis, illo tempore tantorum malorum extiterunt occaſio, quid nunc ſperabimus melius, cum avaritia homines obſeſſos & oppreſſos videas, cum ſumma pauperum calamitate? Vocabulum quo Propheta hic utitur, & nos iniquitatem reddidimus, valde uſitatum eſt. Etſi enim ſæpe pro idolatria uſurpatur, propterea quod tam dolor & labor conſequitur, tamen in hoc loco generaliter accipitur, pro quavis iniquitate ſeu injuria, quam potentiores inferioribus afferunt.

Pœnitentiæ Concio. Avaritia.

Loquitur autem Propheta hic de acerrimo nocendi ſtudio, cum dicit eos etiam in lectis non poſſe quieſcere, quin cogitent, quomodo noceant, inſidientur, incommodent aliis. Sicut etiam 36. Pſalmus hoc impiorum ſtudium egregie & pene iiſdem verbis deſcribit, Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, Aſtitit omni viæ

Impiorum ſtudium.

Pſal. 36.

non bonæ, & maliciam non odivit. Væ talibus inquit Propheta, nam ſuo tempore ſuſtinebunt intolerabile judicium, Huc pertinet quoque circumſtantia temporis, quam addit, ut ſummo mane perpetrent, quæ noctu ab eis fraudulenter in aliorum incommodum excogitata ſunt, Porro non incommode hæc intelliguntur de iis, qui in Eccleſia & Republica primo loco ſunt, Quod impii Doctores ſummo ſtudio exquirant, quæ ad rem familiarem augendam & amplificandam probe faciant. Deinde quod qui in Republica & in judiciis ſunt, non ad juſtum, non ad æquum & bonum, ſed ad id, quod ipſis utile eſt, reſpiciant, & figant ac refigant Leges pro ſua commoditate.

Papam. Ac ſane arbor mala quos alios poteſt producere fructus quam malos? Itaq; inſigne hujus rei exemplum Papatus eſt, qui nihil egit aliud, nulli rei advigilavit diligentius, quam quomodo opes & potentiam compararent, & non egerent. Inde illa ſæva tyrannis orta eſt, ut ob pauculos numos excommunicarent publice homines. Sed erit cum ad teruncium eis ratio omnium factorum reddenda erit.

In Grammatica hic obſcuritas eſt. Nam quod nos vertimus, Quia potentes *El.* ſunt, in Ebræo eſt, quoniam eſt (leel) manus eorum. Quia autem vocabulum (El) ſæpe Deo tribuitur, Ideo Hieronymus vertit, Quoniam contra Dominum eſt manus eorum, Sed uſurpatur vocabulum etiam appellative, pro forti, potenti, Et in abſtracto, pro potentia, virtute. Sic Proverb. 3. Quando manus tua potens eſt *Prov. 3.* ut benefaciat, ne neges indigenti officium (biheioth leel jadecha) Sic Deuter. 28. *Deut. 28.* Non erit fortitudo in manu tua (ve en leel jadecha) Ad hunc modum hic quoq; Propheta loquitur, Sunt parati ad nocendum, & id agunt diu noctuq; quia ſunt potentes, Itaq; inferiores muſſitare injuriam coguntur, depellere non poſſunt.

Concupiſcunt agros, & rapiunt, auferunt domos, violenter occupant domos, & poſſeſſiones quorumlibet.

Avaritia impiorum. Eleganter exaggerat Propheta avaritiam impiorum, præſertim autem Doctorum. Sicut Chriſtus quoq; dicit, Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quo- *Matth. 23.* niam comeditis domus viduarum. Hujus avaritiæ inſignia hodie exempla ſunt, tot collegia Sacerdotum, tot monaſteria, tam ampli reditus, tantus ſplendor ædificiorum. Quis enim unquam fuit, aut hodie eſt Monarcha, qui has opes æquare poſſit? Iactant donationes Conſtantini & Cæſarum, Sed ſi verum conſideramus, Donationes iſtæ ſic ſunt accipiendæ, ſicut Propheta dicit, Deſideraverunt tales opes, & poſtea rapuerunt, Non quidem aperta vi, ſed deceptis hominibus ſpecie religionis, & perſuaſis, ut hoc modo ſibi gradum facerent ad æternam vitam. Quamquam exempla multa & nimis nota ob oculos ſunt, ubi etiam manifeſta vi egerunt. Vnde enim Epiſcopis Civitates & Oppida obtigerunt, quæ non ita ante multos annos fuerunt Imperij?

Ideo ſic dicit Dominus, Ecce ego quoque ſuper generationem hanc malum cogito, unde non poteritis ſubducere colla veſtra, neque ambulabitis amplius erecti. Erit enim tempus calamitoſum.

Minatur potentibus, qui alii injuriam faciunt, & conſolatur oppreſſos. Vtitur Propheta hic quoque eleganti figura, Vos, inquit, cogitatis malum contra alios, Ideo ego quoq; contra vos malum cogito, quo, ceu vinculo, conſtringemini, ne poſſitis ſubducere colla veſtra. Reſpicit autem pulchre ad cogitationes eorum, qui injuriis oppreſſi, vim injuſtam coguntur ferre. Hi ſic judicant, quod ii qui potentia & opibus abundant, certum præſidium habeant contra omnis generis pericula, In caritate annonæ melior eorum conditio eſt, nam abundant pane, cum alii eſuriunt, In bello, opibus videntur redimere poſſe ſalutem. In peſte mutant loca, & fuga ſibi conſulunt. Hæc præſidia habent Divites & potentes parata in ſimilibus malis, quæ pauperes & oppreſſi non habent, Sed Dominus minatur futurum, ut his

ut his præſidiis non ſubleventur. Itaq; conſolatur Propheta pauperes & oppreſſos, ne dubitent, quin Deus injurias & fraudes potentum videat, & ſuo tempore puniturus ſit, ut caveant pauperes à vindicta, & ſe aſſuefaciant ad pœnitentiam, ſiquidem ſuo tempore Dominus inevitabilibus ſuppliciis eos ſubjecturus ſit.

Sic ſuperbia & faſtus, qui opes ſequitur, intolerabile quoddam onus videtur. Sed ſignificat Propheta inſignem commutationem ſecuturam eſſe, Vt ſicut inferiores coguntur ſe humiliare, & quaſi curvi injuriis oppreſſi, incedere, Ita quoq; ſuo tempore cum Dominus pœnas expetet, illi erecti & ſuperbe incedentes, etiam humilientur propter calamitatem inevitabilem. Præclara hæc conſolatio eſt, ſi eam ad exempla & in rem præſentem transferas. Aegypti faſtus intolerabilis fuit. Ita enim opprimebatur Iſrael laboribus, ut reſpirare non poſſet, Contra Pharao & ſui erecti in ſummo ocio incedebant. Hic cogitare potuit Iſrael, Deum ipſorum oblitum eſſe. Sed quam jucunda commutatio ſecuta eſt, Iſrael cum opibus Aegypti ſecurus abit ad terram promiſſionis, Aegyptus humiliatur & perit. Sicut igitur antea erant erectæ cervices hoſtium, Ita poſtea ſumma voluptas fuit videre hoſtes ſic circumſeptos undiq; terroribus mortis, ut nuſquam pateret effugium.

Superbia.

Faſtus Aegypti.

Pſal. 91. Pertinet igitur hic locus ad ſententiam Pſalmi 91. Et retributionem peccatorum videbis. Quare qui oppreſſi ſunt & humiliantur à Tyrannis, hi ſpe hac ſe conſolentur, & expectent vindictam Domini, à propria autem vindicta abſtineant.

In die illa feretur de vobis Proverbium, & miſerabilis planctus edetur.
Sic enim dicent, Penitus vaſtati ſumus, Hæreditas populi mei miſere tractatur, Nunquam reſtituentur nobis agri noſtri, quos ſibi diviſit.

Opus hic eſt paulo liberiore translatione, propterea quod Ebræa lingua hic ſuum quendam proprium loquendi modum habet, præterquam quod etiam brevitas obſcuritatem auget. Celebrabitur, inquit, calamitas veſtra ſermonibus & carminibus publicis, Hoc autem erit Carmen, Vaſtatione vaſtati ſumus, Terra & populus, qui hactenus habuit nomen, quod eſſet populus Dei, nunc alium habebit dominum, nempe Aſſyrium. Is enim ſic vaſtavit regnum Iſrael, ut non iterum populo divideret agros, ſed ſuis militibus. Sicut ex hiſtoria notum eſt. Quia enim hic dicit de finali vaſtatione, puto eum tantum de regno Iſrael loqui, non de regno Iuda, quod etſi quoq; per Aſſyrium vaſtaretur, tamen Aſſyrius eo non potitus eſt, quin poſtea domeſticis malis conflictatus, in Iuda nunquam rediit, Sicut patet ex Prophetia Eſaiæ. Cœpit enim ſub id tempus Babyloniorum potentia creſcere, qui Aſſyrios tandem vicerunt & Monarchiam tranſtulerunt ad ſe.

Clarior loci expoſitio.

Eſai. 37.

Ideo non erit, qui mittat funiculum in ſorte in Eccleſia Domini.

Pertinet hoc quoq; ad Canticum. Atque hic apparet iterum loqui eum de finali vaſtatione, quod ſic abducentur Cives regni Iſrael, ut poſthac non redituri, neq; partem aliquam in Eccleſia Domini, hoc eſt, in populo Iſrael, habituri ſint. Nam quod Prophetæ quoq; concionantur reſtituendum Iſrael, id pertinet ad regnum ſpirituale Chriſti, in quo per Evangelium ad regnum Dei vocati ſunt Iſraelitæ, qui inter gentes exulabant, & in gentes quoq; degeneraverant, non pertinet ad corporale regnum de quo Propheta hic loquitur.

Regnum Iſrael finaliter vaſtatum.

Hæ ſunt cogitationes Dei contra impios, qui tum doctrina, tum potentia abutuntur ad opprimendos alios, & ad augendas opes ſuas. Idem judicium manebit quoq; impium Papatum, quod propter inexplebilem avaritiam, & pecuniæ ſtudium immodicum, nullum idolatriæ & impiorum cultuum finem facit. Quidam particulam hanc (Non erit qui mittat funiculum) eo accommodant, quaſi idem ſit cum eo, quod Paulus dicit, Avari regnum Dei non poſſidebunt. Vera quidem ſententia, ſed altera hiſtorica & propria magis eſſe videtur.

Epheſ. 5.

Ne ſtilletis, Imo ſtillabunt. Ne ſtilletis illis, non enim tanta apprehendet eos ignominia.

Parum latina hæc ſunt, & tamen phraſis retinenda fuit, quæ in aliis quoq; locis ſcriptura utitur. Eſt enim uſitatum, quod verbo (Nataph) ſtillavit, utuntur pro docere, prophetare, concionari. Sicut fere eadem figura pluviam ſcriptura vocat doctrinam. Sicut Pſalm. 68. Pluviam fœcundam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, Vbi loquitur de doctrina Evangelij, per Apoſtolos in mundum vulganda. *Pſal. 68.*

Nataph. Stillare pro docere, ſicut pluvia pro doctrina.

Porro incipit Propheta hic novum locum ſeu Concionem novam, quæ proprie ad Magiſtratus pertinet, tum Eccleſiaſticos, tum Politicos, qui Prophetis, hortantibus populum ad pœnitentiam, & comminantibus futuram vaſtitatem, obſtrepebant, Opponebant promiſſiones huic populo factas de æterno regno Davidis, ac mendacij arguebant Prophetas. Μιμητικῶς igitur hæc accipienda ſunt, in perſona illorum impiorum Magiſtratuum, qui ſecure contemnebant minas Prophetarum, præſumentes de promiſſionibus huic populo factis, Sicut initio hujus Prophetæ etiam diximus. Ipſi igitur dicunt, Ne ſtilletis, ne talia prædicetis.

Reſpondet Propheta & Dei & Eccleſiæ nomine, Imo ſtillabunt, Non fruſtra erit hæc comminatio, nec patiemur nos terreri autoritate veſtra. Hic iterum impius Magiſtratus interponit autoritatem ſuam, & non vult iſta doceri à Prophetis, Ne ſtilletis his, inquit, hoc eſt, Huic populo nolite minari, Addit cauſam, Non apprehendet hos ignominia, hoc eſt, Tu Micha & alii mentimini, Prædicitis vaſtitatem, ſed Deus promiſit ſe ſtabiliturum Davidi regnum in ſecula. Igitur ignominia hunc populum non apprehendet.

Vtile autem eſt videre in Prophetis hæc præſumptionis exempla. Sæpe enim infirmorum animos hæc ſecuritas impiorum frangit. Papiſtas hodie vide, Non aliter contra nos agunt, quam ſi divina voce confirmati eſſent, ſuam idolatriam Deo gratam, noſtram autem doctrinam falſam & Deo ingratam eſſe. Hanc ſecuritatem Chriſtus quoq; in Evangelio notat, cum de Synagoga dicit, Et cum occident vos, putabunt ſe Deo officium præſtare, Et Iohannes Baptiſta, Quis oſtendit vobis, quod iram Dei effugituri ſitis? Q.d. tam eſtis certi judicium Dei ad vos non appropinquaturum eſſe, ac ſi divinitus id vobis oſtenſum eſſet voce de cœlo. Eodem plane modo hic Prophetam jubent tacere, quaſi certi ſint eum mentiri, & mala, quæ minabatur impiis non eſſe ventura. Mirabilis brevitas, quæ in hoc loco eſt, parit obſcuritatem, Itaq; variant hic interpretes. Ego hanc ſententiam judico eſſe ſimpliciſſimam. *Ioh. 16.* *Matth. 5.*

Præſumptio & ſecuritas impiorum.

Domus Iacob ſic ſibi pollicetur, Num abbreviatus eſt ſpiritus Domini? Num hæc ſunt opera ejus?

Pertinent hæc quoque ad ſuperiora. Accipio enim ſic, quod per imitationem dicantur in perſona impiorum arguentium Propheram mendacij, & conſolantium ſe quod mala iſta non ſint ventura. Emphaſis igitur eſt in appellatione domus Iacob, Q.d. Nolite credere Prophetæ, Num obliti eſtis vos eſſe domum Iacob? cui tam amplas promiſſiones fecit Dominus? Gentibus minetur Propheta, quæ talibus promiſſionibus carent, & in peccatis vivunt. Nos ſumus populus Dei, Itaque retinebimus hanc ſpem, Spiritum Domini non eſſe abbreviatum, ſi quid promittit, hoc etiam poteſt præſtare, Et nota ſunt opera Dei, quibus teſtatus eſt, ſemper ſe nobis bene velle, Nos ex Aegypto liberat, non demergit nos in mare rubrum, hoc enim Pharaoni debetur, Nos in terram Canaan ponit, non ejicit nos, hoc enim debetur impiis Gentibus. Dei igitur opera in hoc populo ſunt, ſalvare, liberare, ornare, Non ſunt Dei opera perdere, deſerere, confundere, ſicut Micha mendaciter minatur.

Domus Iacob.

Promiſſionibus decipiuntur & inflantur impii.

Profecto inſignis hæc pictura eſt impiorum, præſumentium mirifice de Dei favore, etiam tum, cum calamitas in propinquo eſt. Fit igitur, ut doctrinam pœnitentiæ non accipiant, Sicut noſtri Papiſtæ, cum audiunt damnari Miſſas ſuas, & alias impias Ceremonias, non ſolum eas non mutant nec abjiciunt, ſed etiam pertinacius in eas ſperant. Vbi contra pii verentur, ſicut Hiob dicit, opera ſua omnia, etiam bona, nec poſſunt tantam fiduciam promiſſionum & miſericordiæ ſibi inducere, quanta in impiis eſt, etiam cum peſſima faciunt. Itaq; Satanæ artibus occurrendum eſt, Cor- *Hiob 9.*

Pictura impiorum.

Impii ſecuri, pii pavidi ſunt.

eſt,Corda timentia Dei,erigenda conſolationibus. Contra ſecuri minis contundendi & frangendi ſunt. Nos qui hodie ſanam doctrinam ſequimur, in tanto mundi & Satanæ furore neutiquam ſic nos poſſumus erigere,ſicut Papiſtæ ſe erigunt illa conſolatione,Quòd Eccleſia non ſit peritura. Quoquo enim vertimus oculos terremur variè,Mundi & Satanæ furor extremus eſt,quo conatur hanc doctrinam extinguere. Hi in quibus præſidii aliquid videbatur eſſe,laborant ſuis quoq; affectibus. Aut enim adulantur Pontificibus propter lucri occaſionem, aut non habent tantum animi,ut ſe opponant injuſtæ tyrannidi. Itaque videmus, quam nihil in Magiſtratu ferè præſidii ſit.

Inter nos,qui habemus doctrinam,Dei gratia,ſanam,quantum infirmitatis & incommodorum eſt? Nec eſt obſcura ſignificatio,noſtras Eccleſias laboraturas incredibili penuria Doctorum,De aliis incommodis libens taceo. Hæc omnia cùm ante oculos ſint poſita,non poteſt non animus omnia metuere. At Pontifices vide, hi in manifeſta idolatria,in omnis generis vitiis & peccatis, tamen hanc ſpem retinent & plenis buccis effiant,Eccleſiam non perituram. Cur hoc nos quoq; non facimus,qui etſi infirmi ſumus, tamen per Chriſtum habemus remiſſionem peccatorum,& ſanam doctrinam profitemur? Sed ita ſunt iſta,Satanæ utile eſt Papiſtas eſſe quàm ſecuriſſimos, Sic enim non emendantur,nec pœnitentiam agunt, Econtrà voluptati ei eſt,nos angi & pavere,ac magis moveri terriculamentis, quæ ipſe objicit, quàm conſolatione & promiſſionibus victoris & liberatoris noſtri Chriſti. Sicut etiam Prophetarum acerbiſſimas querelas,contra triumphos impiorum, qui jam jam extremis calamitatibus ſubjiciendi erant,ſcriptura ubiq; nobis proponit.

Infirmitas plerorum.

Pontificum ſecuritas.

Nonne verba mea bona promittunt, ſi rectè ambules?

Hic reſpondet Propheta, & paucis verbis, quicquid ab impiis poteſt objici confutat. Non quidem,inquit,dico,ſpiritum Dei abbreviari, Non dico, Dei opera eſſe,ut perdat,ſed hæc ad eos pertinent,qui boni ſunt,ibi nulla calamitas poteſt tanta incidere,quin eam Dominus ſpiritu ſuo arceat,& ſuos liberet. Vbi autem homines non recte ambulant,ibi profecto Deus punit, & omnis generis calamitates cumulat. Atque hæc ſententia eſt ceu expoſitio omnium promiſſionum legalium. Hæ enim conditionales ſunt, ſicut illa de regno Davidi promiſſo oſtendit Pſalm. 132. promittitur Davidi poſteritas,promittitur Sacerdotii confirmatio, pax, annona abundans,& omnis generis bona, ſed cum hac conditione, Si filii tui cuſtodierint pactum meum,& teſtimonia mea,quæ docebo eos. Hanc conditionem impii Iudæi negligebant,inſtituebant certos cultus ſine mandato Dei, indulgebant cupiditatibus ſuis,& Verbi nullam habebant rationem. Hæc peccata poſtea cùm reprehenderent Prophetæ,& minarentur vaſtitatem,opponebant impii promiſſiones. Benè, inquit Propheta,promiſſiones veræ ſunt,non mentientur,ſed iis,qui boni ſunt. Malis enim Deus nihil promittit,quàm indignationem & interitum.

Promiſſiones legis conditionales.

Pſal. 132.

Sic cùm Papiſtæ jactant promiſſiones Eccleſiæ factas, Non quidem nego promiſſiones eſſe veras, Hoc autem nego, ipſos Eccleſiam eſſe, qui Eccleſiam & ejus caput,Chriſtum,tanta crudelitate perſequuntur, & pertinaciter idolatriam & impiam doctrinam ſuam defendunt. Sequitur igitur, Eccleſiæ bona loqui Deum,Sed iis,qui non Eccleſia ſunt, loquitur peſſima, ſicut Propheta de ſuo populo jam addit.

Porro ſæpè admonuimus de differentia,quæ eſt inter promiſſiones Legis & Evangelii. Propheta hîc legaliter loquitur,quòd Deus ſit bonus,& bona loquatur, bonis,hoc eſt,facientibus Legem & ſequentibus verbum Dei. Hoc enim eſt recte ambulare. Chriſtus autem aliter,Non veni vocare juſtos,ſed peccatores. Nam remiſſio peccatorum & vita æterna non promittuntur nobis, propter noſtram dignitatẽ, ſeu opera noſtra,Sed propter Filium Dei,ſi agnoſcentes peccata,credamus ea per Chriſtum expiata & condonata eſſe. Cùm igitur pavidæ mentes hujuſmodi Conciones, qualis Prophetæ hic eſt,ad Evangelii promiſſiones transferre volunt, & ſtatuere, tum demum Deum condonaturum peccata, cùm boni fuerimus, admonendæ

Promiſſiones legis & Evangelii differunt.

ſunt,ad promiſſiones Evangelii nihil à nobis quam fidem afferri poſſe,ut quæ per Chriſtum facta ſunt, credamus pro nobis facta eſſe, & propter Chriſtum ſperemus remiſſionem peccatorũ & vitam æternam. Hæc ſpes ſeu fiducia retinenda eſt etiam tum,cùm nobis peccata noſtra obverſantur. Nam qui propter peccata ſua, hanc ſpem ſeu fiduciam ſibi patitur excuti, hic peccatis peccatum addit, quod ſanguinem Filii Dei non pluris facit,quàm peccata ſua, & contra mandatum Dei manet in incredulitate. *Matth. 9.*

Evangelium. Porro Evangelium non ſolum exigit obedientiam erga Legem, Sed etiam promittit credentibus Spiritum ſanctum,quo Legem implere poſſint. Sed propter hanc impletionem non remittuntur peccata, nec contingit vita æterna, ſed propter fidem in Chriſtum,qui propter peccata noſtra mortuus eſt,& propter juſticiam noſtram reſurrexit. Quare hic cautos eſſe oportet, ne ex Lege Evãgelium faciamus,& Prophetam loquentem de Lege,transferamus ad promiſſiones Evangelii,quæ peccatoribus offeruntur &ad peccatores pertinent,ſicut Chriſtus dicit: Non veni vocare juſtos, ſed peccatores. *Rom. 4.* *Matth. 9.*

Populus autem meus jamdudum hoſtiliter ſe gerit, Et ſpoliat veſte & pallio eos,qui ſine metu periculi prætereunt, è bello reverſi.

Quia objiciebant promiſſiones impii,& iis ſe conſolabantur,neglecta pœnitentia,fecit Propheta diſtinctionem admodum neceſſariam, & dixit, promiſſiones tantum pertinere ad eos,qui rectè ambulant,hoc eſt, ad eos,qui verbum ſequuntur & pii ſunt. Oſtendit autem jam populum Iacob,non eſſe talem,Quia,inquit,hoſtiliter ſe gerit,exercet intolerabilem tyrannidem in eos, quibus tanquã fratribus debebat parcere. Igitur non promiſſiones,ſed minas tantũ peccatoribus propoſitas,ad ſe pertinere putent. Hieronymus aliam ſententiam ſecutus eſt, ſimpliciter ſeu ſecurè ambulantes,convertiſtis ad bellum, hoc eſt,ſeritis lites ubi lites non ſunt. Sicut Pontifices mendaciis & calumniis ſuis, ſæpè amiciſſimos Principes in mutuam perniciem impulerunt. Sed noſtra ſententia propria eſt, & cum Grammatica convenit.

Mulieres populi mei ejicitis ex charis ſuis ædibus, A parvulis earum aufertis ornatum meum in perpetuum.

Idolatria cum avaritia conjuncta. Pertinet hoc quoque ad deſcriptionem violentiæ contra pauperes, quam etiam initio hujus capitis reprehendit. Idolatria enim ſemper cum avaritia conjuncta eſt. Eſt autem major crudelitas, viduas & pupillos exuere fortunis, ſicut Chriſtus quoque in Phariſæis hanc crudelitatem damnat,Væ vobis, qui comeditis domos viduarum. Quia enim injuriis aptiores ſunt, debebant earum patrocinium ſuſcipere,præſertim qui in Magiſtratu ſunt. At inquit, Ex domibus deliciarum ſuarum eas ejicitis, hoc eſt, ex charis & gratis ædibus, ſicut Græci dicunt, οἰκῶ φίλῳ οἰκῶ ἄεισῳ. Optima enim domus ea eſt, in qua libenter es. Sic viduis &pupillis domus ſuæ,ceu niduli verè deliciarum domus ſunt,etiam cum non ſunt magnificæ,Ibi enim libenter ſunt, & ſicut Germanicè dicimus, Sunt domi ſuæ. Hunc affectum, ad augendam crudelitatem avarorum hominum Propheta exprimere voluit.

Heder. Vocabulum (Heder) ſignificat decorem & magnificentiam, quæ in ornatu ſeu veſtitu eſt. Vocat autem hoc in loco ſic hæreditatem, quæ liberis patre orbatis obvenit, huic inſidiamini, inquit, & damno nunquam reſarciendo afficitis miſeros parvulos viduarum.

Surgite igitur & abite, Non enim hic amplius manebitis.
Quia enim polluta eſt terra hæc, vaſtabitur & quidem extrema vaſtatione.

Comminatur ex fore, ut è ſuis ſedibus ejiciãtur. Hic claudit inſtitutum ſermonem contra avaritiam impiorum doctorum & Magiſtratuum. Quia ita crudeliter tractaſtis miſeras viduas & eorum parvulos, redden-

reddentur vobis paria,ejiciemini enim vos quoq;. Fruſtra igitur ſperatis vos hic habituros fixas ſedes, Non erit hæc quies veſtra,emigrandum erit in Gentes, & ferenda erunt omnia captivitatis incommoda. Hanc particulam itaque etiam ita accipio,quod hæc pertineant ad regnum Iſraël,quod penitus erat per Aſſyrium vaſtandum,tum propter idolatriam,tum propter avaritiam & alia peccata, quæ Propheta recenſuit. Quia autem avaritia paſſim immanis exercetur ab omnibus ordinibus, exiſtimabimus has conciones etiam ad noſtri ſeculi homines pertinere. Nam paria peccata paribus pœnis penſantur.

Si eſſem vir vanus & mendax, & prophetarem tibi de vino & ſicera, tunc eſſem Propheta gratus huic populo.

Brevitas ſemper obſcuritatem parit, itaque de hac ſententia aliud aliorum judicium eſt, Hieronymus particulam (Lu) reddidit pro utinam, Sed parum aptam ſententiam inde colligit. Hæc noſtra ſimplicior & inſtituto aptior eſt. Conqueſtus enim eſt Propheta,quòd non ſolum non potuerit Iudæos ad pœnitentiam iſtis futurarum calamitatum comminationibus perducere,ſed quòd omnino conati ſint prohibere ne doceret. Ad eam querimoniam pertinet quoq; hæc particula, q. d. Fruſtra vobis prædico,cùm futuras calamitates prædico. Si autem abundantiam frugum,pacem,opes,magnificas victorias,vobis promitterem,ſi comeſſationes,crapulam,& luxum veſtrum probarem, tunc eſſem vobis gratus Propheta.

Lu.

Querela Prophetæ, quod nõ potuerit eos ad pœnitentiam ullo commination. modo perducere.

Vtitur autem eleganti figura,quam latine non poſſumus reddere. Vocat enim (Iſch holech ruah) Virum vento ambulantem, hominem vanum, & vana promittentem. Cujuſmodi doctores tum in populo multos fuiſſe indicat, qui conniventes ad peccata populi conſolabantur eos,promittebant victorias contra gentes. Tales doctores, inquit, vobis grati ſunt,me autem ferre non poteſtis. Sed ambulant tales in vento,hoc eſt,vana promittunt. Hæc jam eſt ſecunda Concio,in qua avaritiam,maximè eorum,qui in Eccleſia præſidebant, damnat, & minatur vaſtitatem, Nunc pro more Prophetarum,diſcedit à populo præſenti tam malo,& pios conſolatur egregia Concione de regno Chriſti.

Vir vanus ambulans.

Profecto univerſam domum Iacob congregabo, Profecto colligam reliquias Iſraël, in unum eos redigam, tanquam gregem Bozra, tanquam gregem in uno ovili concluſum, Fremitus erit præ multitudine hominum.

Hactenus hortatus eſt Propheta populum ad pœnitentiam,& oppoſuit cogitationes Dei cogitationibus impiorum & ſecurorum hominũ, qui rerum potiebantur,& liberè faciebant quicquid libebat. Nunc tranſitione utitur, Transfert enim ſermonem à præſenti populo & corporali regno ad regnum Chriſti ſpirituale. Hic enim Prophetarum mos eſt,poſtquàm impios ſecurè peccantes caſtigarunt, ac prædixerunt futuram vaſtitatem,tandem etiam de regno Chriſti æterno concionantur. Idq; propter pios,non ſolùm ut hoc modo eos conſolentur, ſed etiam ut ſpem augeant,ne metu corporalium incommodorum de regno Chriſti deſperent.

Tranſitus.

Prophetarum mos, &c.

Multum autem refert in Prophetarum lectione, diligenter has tranſitiones obſervare. Sæpè enim nimis abruptę ſunt,ut vix credas Prophetas ab inſtituta diſputatione,ſine ulla occaſione,tam repente digredi. Si igitur ſequentem hunc locum cum prioribus connectere,& de externa ſeu corporali reſtitutione populi intelligere velis,tota via aberraveris. Quando enim regnum Iſraël reſtitutum eſt? Si autem non eſt reſtitutum, quid Propheta vult, qui dicit reſtituendum? Iudæi quidem his promiſſionibus inducti, pertinaciter ſperant liberationem corporalem, ſed fruſtra. Non enim de corporali, ſed ſpirituali liberatione, loquitur Propheta, quæ fit per Evangelium de Chriſtò invulgatum in toto orbe terrarum. Ibi totus Iacob & reliquiæ Iſraël diſperſæ ſunt, qui per fidem Evangelium accipiunt, & credunt per Chriſtum remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Hanc congrega-

Tranſitus Prophetarum abrupta.

Totus Iſrael colligitur, &c.

gregationem quia Iudæi non intelligunt, fit ut quanto longius expectent & ſperent, tanto minus ſpei relinquatur.

Sed inquies, Cur iſta non clarius à Prophetis ſignificata ſunt? Reſpondeo, Filius qui in ſinu patris eſt, enarravit nobis. Fuerunt enim hæc involvenda, ut Claritas Evangelii differret à claritate Legis, & eam vinceret. Chriſti & Apoſtolorum conciones hæc myſteria omnia clariſſime interpretantur, Hos cùm Iudæi nolint agnoſcere, merito in cæcitate iſta horribili detinentur. Quod igitur ad verba Prophetæ attinet, diſertè dicit, Totum Iacob congregandum, & Iſraëlis reliquias colligendas. Sicut etiam promiſſio Abrahæ univerſalis eſt, In tè benedicentur omnes gentes.

Ioan. 1.

Claritas Evangelii.

Hic incauti lectores iterum impingunt, & univerſales promiſſiones referunt ad eventum, qui maximè particularis eſt. Neque enim omnes credunt ideo, neque ſalvantur omnes. Tenendum igitur diſcrimen eſt. Aliud enim eſt, benedicentur in te omnes gentes, Et aliud, Omnes gentes promiſſionem hanc de benedictione accipient. Nam Evangelium offert quidem omnibus remiſſionem peccatorum & vitam æternam per Chriſtum, ſed non omnes hanc promiſſionem Evangelii accipiunt. Ita hoc in loco dicit Propheta, Vniverſum te Iacob congregabo, Et tamen eventus docet, maximam partem populi Evangelio non credidiſſe, & ideo abjectam eſſe, ſicut Propheta idem oſtendit, cùm dicit de reliquiis Iſraël. Cur igitur, inquies, ſententiæ ſic univerſales ſunt? Ideo ſcilicet, ne quis ſe ab Evangelii promiſſione excludat. Chriſtus enim non unius populi, aut temporis theſaurus eſt, ſed offertur per Verbum omnibus. Quod autem Chriſtum non omnes accipiunt, ipſorum culpa fit, quòd non credunt, & indulgent incredulitati ſuæ. Interim manet ſententia Dei & promiſſio univerſalis, quod Deus omnes homines vult ſalvos eſſe.

Promiſſiones univerſales non ſunt ad eventū accommodandæ.

Cur promiſſiones ſint univerſales, & tamen in eventu ſint particulares.

Ad hunc modum Propheta quidem dicit, univerſum Iacob colligendum, Deus enim vult Chriſtum eſſe communem theſaurum omnium, ſicut dicit Chriſtus: Ita dilexit Deus mundum, ut daret Filium ſuum, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ecce colligendi ſtudium, ut omnes colligat in unum ovile, ad unam gratiam per Chriſtum. Sed huic voluntati Dei obſiſtunt increduli, cum verbo parere, & id accipere nolunt. Itaque tantum reliquiæ Iſraël colligunrur & ſalvantur.

Ioan. 3.

Vtitur autem Propheta ſimilitudine ſumpta à Paſtore & ovibus, quæ non ſolum in Prophetis, ſed in novo Teſtamento etiam ſæpè uſurpatur. Complectitur enim multa, quæ & Chriſti officium illuſtrant, & nos quoque de Eccleſiæ fortuna docent. Nam ipſe Chriſtus Paſtoris nomen nō uno in loco uſurpat, ut oſtendat regnum ſuum non violentum nec corporale eſſe, ſed in eo poſitum, ut paſcat oves verbo, ſicut diſertè dicit: Oves meæ vocem meam audiunt, Et in Pſalmo: Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. His paſtoralibus inſtrumentis Verbum ſignificatur, quod & ad docendam Eccleſiam, & Lupos arcendos aptum eſt. Sic Eccleſia Ovium ſeu gregis nomen habet, non ſolum ideo, ut innocentiam præſtet, nemini vim faciat, placida & mitis ſit, Sed magis, ut ſignificetur eſſe eam ſubjectam afflictionibus & opportunam injuriis. Sicut Propheta de Chriſto dicit, Sicut ovis ductus eſt ad mactationem, Et Pſalmus: Sumus ſicut oves occiſionis. Atque huc pertinet illud inſigne periculum, quod ovibus lupo eſt, hoc eſt, Primum ab ipſo Satana, deinde à Satanæ miniſtris, hoc eſt, à falſis Doctoribus & tyrannis. Hi enim conjunctis ſtudiis hoc agunt, ut oviculas à Paſtore ſuo vero avellant & præcipitent in damnationem.

Ioan. 10.
Pſal. 23.

Eccleſia nomen gregis ſeu ovili habet.

Eſaiæ 53.
Pſal. 44.

Similitudo de ovibus. Chriſtus paſtor.

His malis quia medetur miniſterium, Ideo etiam ipſi Miniſtri Paſtorum nomen habent, ſed unus & verus Paſtor eſt Dominus noſter Chriſtus Ieſus, is enim ſolus ponit animam pro ſuis ovibus. Objicit enim ſe devorandum & occidendum Satanæ, ut hoc modo ovibus paretur ſecuritas & vita æterna. Hæc conſolatio, quia vera & certa eſt, ideo Propheta eam piis hic proponit, ut captivitatis incom-

Miniſtri paſtores, &c.

commoda hac ſpe lenirent & vincerent. Sicut nos quoq; conſolamur homines in afflictionibus,ut meminerint eas penſandas æternis bonis,quæ Chriſtus Paſtor ovibus ſuis promeruit,qui animam ſuam pro eis poſuit.

Quod de uno ovili dicit,eandem rationem habet cum eo, quod Chriſtus in Evangelio dicit,Ioh. 10. Qui enim in Chriſtum credunt, ſunt collecti in idem verbum,in eundem Spiritum,in eandem ſpem,in eandem remiſſionem peccatorum & vitam,ſive ſint Iudæi,ſive gentes. Ideo autem Vniendi verbo Propheta utitur, quia Regnum Iſraël totum à regno Iuda alienum erat. Hæ inimicitiæ, inquit, ceſſabunt, cùm Evangelium invulgabitur,Erunt enim omnes,ſicut oves concluſæ in unum ovile,quæ ſimul paſcentur ſub eodem paſtore. *Ioan.10.*

Fremitus erit præ multitudine hominum.

Ebraicè ſic eſt (Thehimenah Meadam) Tumultuabuntur præ hominibus, Sed nos ferè tumultum intelligimus de motu,qualis eſt in ſeditione. Vocabulum autem (Hom) propriè ſignificat fremere,ſicut Vergilius hoc vocabulo ubique ferè utitur,cùm in magna concione,confuſæ voces, ingentem ſonum edunt. Sicut etiam vocat fremitum maris ſonum,quem alliſæ undæ ſcopulis edunt. Sic in Proverb.cap. 1. (Beroſch homijoth) in capite cœtuum,hoc eſt,in concionibus, ubi magnà multitudo hominum eſt,& fremitum edit. De ſententia igitur non dubium eſt, velle Propheram hoc,quòd Evangelium per totum mundum ſit vulgandum,& quòd tanta ſit futura multitudo credentium & copia, ut ſit ceu ſpecies tumultus. Nam ubi magna hominum frequentia eſt, ibi confuſæ voces tumultum quendam referunt. Pertinet itaque hæc particula ad converſionem gentium, & ad ipſum miniſterium Verbi,quod ideo etiam tumultuantium vocibus comparatur, quia commovet mundum,& mundus ſe ei opponit. *Tumultus. Hom. Evangelii per totum mundum vulgandum. Converſio gentium.*

Aſcendet autem ante eas Perruptor, ac perrumpent ipſi quoque,& ingredientur ac egredientur per portam. Rex eorum præibit eis, & Dominus erit Dux eorum.

Quod Hieronymus vertit,Pandent iter,eſt (haporex) diruptor, diſſipator,qui perrumpit vi. Eſt autem hic locus mirè elegans & pleniſſimus conſolationis. Primum enim vocabulum diſſipatoris continet ſignificationem Crucis & obſtaculorũ, Deinde etiam certæ liberationis,q. d. Do ovibus meis vitam æternam, & duco eas ad vera paſcua,Sed hoc magno conſtat. Neq; enim trita aut expedita via eſt, multa obſtant,quæ electos morari conantur,nempe Satan,mors,peccatum,Lex,quid multis è totus vetus Adam obſtat. Faxo autem, ut etſi obſtacula ſint, tamen vos non morentur. Præmittam Diruptorem Chriſtum, qui perrumpet & tollet omne offendiculum, is parabit,vobis viam,fracta Satanæ & mortis potentia,ut facilis poſtea ſit tranſitus adjutis ſpiritu meo. *Chriſtus vocatur perruptor, Nam obſiſtitur ei, & tamen perrumpit.*

Cæterum,ut dixi,hæc via carni aſperrima videtur. Ideo Chriſtus in Evange- *Matth. 11.* lio de regno Dei dicit,quod βιασαί, id eſt,violenti rapient illud, Sicut Propheta hîc dicit (Parezu) perrumpent ipſi quoq; virtute ducis ſui. Oportet enim carnem mortificari & ſe opponere toti mundo & Satanæ, conanti nos impedire & morari, ne hunc Diſſipatorem ſequamur. Sed conſolatur nos in his difficultatibus Chriſtus di- *Ioan. 16.* cens : Confidite,ego vici mundum,hoc eſt,ego perrupi. Vos etiã me duce perrumpetis ad regnum Dei,ut illud vobis pateat, ut egrediamini & ingrediamini per portam,hoc eſt,ut per miniſterium Evangelii etiam alios ad regnum Dei perducatis. Porro non eſt obſcurum,quanta vi Satan ſe miniſterio Evangelii opponat. Itaq; neceſſe eſt,ut qui in miniſterio ſunt, verè ſint perruptores, qui nullam injuſtam vim, pericula nulla formident,ſed magna animi cõſtantia perrumpant.

Dixi ſuprà,Verbum perrumpendi ſignificare crucem,quod per mille pericula rerum perrumpendum eſt. Quare cùm conſtituat Chriſtum eſſe (Porez) ſeu perruptorem,oſtendit eum eſſe verè hominem,& luctari cum periculis tanquam hominem, Sicut teſtantur agoniæ illæ in morte & cruce. Quia autem vincit in periculis illis, *Chriſtus verus homo & Deus.*

illis,& per eam victoriam sibi parat populum & regnum. Ideo dicitur Rex noster. Sed idem etiam hic appellatur (Iehovah) quod nomen soli Deo tribuitur. Itaque hoc testimonium observent sacrarum rerum studiosi,quo Christi divinitas certo affirmatur. Sicut infra quoque Cap. 5. Propheta idem claris & minimè dubiis verbis ostendet.

Hanc brevem concionem de Liberatore nostro Christo & regno ejus Propheta intertexuit,tanquam insignem gemmam,nunc redit ad suum populum.

CAPUT III.

Et dixi: Audite quæso capita Iacob,& Principes domus Israel,
An non vestrum erat jus nosse.

Summa hujus & præcedentis capitum.

AVdivimus tres Prophetæ Conciones,duæ priores concionantur de pœnis idolatriæ & avaritiæ,Tertia est consolatio de regno Christi,qui tanquam Pastor ovium, Ecclesiæ suæ curam habiturus & eam gubernaturus sit.In hoc capite proponitur quarta Concio,cujus idem Argumentum est cum duabus prioribus. Quia autem tota posita est in reprehensione externorum vitiorum,avaritiæ,crudelitatis,injuriarum, quibus Principes & Sacerdotes populum onerabant,præter Grammaticam,quæ ipsa tamen facilis est,nihil est,quod Lectorem morari possit.

Est autem hæc illa vehemens concio, de qua Ieremias loquitur Cap. 26. ac scribit eam à Micha tempore Ezechiæ habitam, nec tamen ab Ezechia propterea occisum esse,cùm impius Rex,ob repetitam hanc comminationem, Ieremiam occidisset,nisi à senioribus defensus esset. Satis autem patet ex eo loco, neque Micham caruisse periculis,sed boni Regis ope fuisse tutum. Non solum enim tyrannis veritatis impatientissima est, sed causas fingit,cur hæc Doctorum libertas coherceri debeat. Sicut nostro tempore,proh dolor, nimis multa exempla extant, quæ alioqui tolerabiles Magistratus veritate offensos esse ostendunt. Fit enim quod Aristoteles bellissima fabula ostendit, Vt Leones ægrè patiantur sibi à Leporibus quasi Leges præfigi,ad quas consilia & facta sua dirigant. Dum igitur Lepores pio studio concionantur Leonibus,aut Leonum ungulas, cum discrimine experiri, aut vitam fuga tueri coguntur.

Ieremiæ 26.

Tyrannis veritatis impatientissima.

Aristotelis fabula de leporibus, &c.

Vsitatum autem est hodie in aulis,ut liberiores conciones, in quibus Magistratuum vitia notantur,seditiosas esse dicant. Sed si seditiosum est, Magistratuum vitia notare,quæso te,quid de Micha dicemus,qui non dixit,sed scripsit quoq; hæc? ac palam ostendit se non cum rusticis,sed cum ipsis Principibus & Capitibus domus Iacob & Israël agere,Sed impudentissima oratio est,Micham, & alios idem cum Micha facientes,seditiosos vocare. Num enim veritas seditionis causa est, quæ & Deo grata est,& peculiariter ministris Verbi commendata? Sacræ literæ & experientia quoque prolixè testantur,seditiones esse pœnas divinitus immissas, non propter veritatem Doctoribus mandatam, sed propter peccata Magistratuum,quæ ob certas causas notanda sunt,non dissimulanda aut tacenda. Nam dissimulatio Deum ultorem & traductorem talium peccatorum excitat.

Vitia magistratuum, &c.

Primum enim cum Magistratus in republica sit, quasi Caput in corpore humano,non potest cum fructu medicina adhiberi reliquo corpori, nisi prius caput sanatum sit. Sicut enim ferè frustra hortamur vulgus ad pietatem, ubi ipse Magistratus nullam religionis curam habet, Ita si Magistratus rectè institutus sit, sua sponte vulgus severitate pœnarum,ad moderationem & studium virtutis revocat. Quare pio Doctori prima cura debet esse,de Magistratu,ut admoneat officii, ut revocet eũ ab usitata licentia,quam propter potentiam sibi sumit. Hoc autem quæso quomodo poterit fieri,si Doctor ad omnia peccata conniveat & dissimulet omnia?

Magistratus admonendus sui officii.

Deinde verum est,quod Satyricus dixit, Omne animi vitium tanto conspectius

ctius in ſe crimen habet,quanto qui peccat major habetur. Sicut enim perſona publica eſt,ita etiam peccata Magiſtratus publica ſunt, & latius patent quam privatorum,non ſolum ratione ſcandali, quod vulgus proclive eſt ad Principum vitia imitanda,Sed quòd Magiſtratus poſtea languidior redditur ad ea reprehendenda & caſtiganda in ſubditis,quæ ipſe in ſe agnoſcit. Hoc vero illud eſt ingens malum, cui omni ſtudio pii Doctores cum Micha debent occurrere. Quoties enim teſtatur Dominus,ſe quaſi placatum eſſe ſevera animadverſione in flagitioſos? Ergo ubi Magiſtratus in hac parte ſuum officium non facit,ipſe Dominus, cujus judicium eſt,judicium cogitur exercere. Sed id nunquam ferè fit ſine publicis calamitatibus, Sicut hoc in loco Propheta teſtatur propter hujuſmodi Principum peccata, Zion ut agrũ arandam, & Ieruſalem funditus delendam, ut nihil ſit niſi acervus lapidum. *Magiſtratus peccata, &c.*

Tertio,Prophetarum hæc ſingularis vocatio erat,ut quæ Dominus per viſiones aut alio modo revelarat,fideliter nunciarent. Etſi autem hæc hodie ferè deſierit,tamen exemplum oſtendit,Deum velle,ne diſſimulentur Principum peccata. Et in novo Teſtamento generale mandatum eſt, Prædicandam eſſe pœnitentiam. At hanc Principibus quomodo prædicabis, niſi manifeſta ipſorum peccata, quæ cum ingenti ſubditorum ſcandalo committunt,arguas? Hæ & ſimiles rationes Prophetam vindicant à crimine ſeditionis. *Prophetarum vocatio ſingularis.*

Qui odio habetis bonum,malum autem diligitis,Qui pellem & carnem eorum de oſſibus eorum abripitis.

Pulchra figura expreſſit crudelitatem,quam in ſubditos exercebant,Ac Germani eadem figura utuntur,cùm extremam violentiam ſignificare volunt. Sic enim dicunt: **Er ſchindet ſeine arme leute biß auff den grad.** Hæc tragica figura oſtendit, quantum peccatum in oculis Dei ſit avaritia. Magiſtratus ſæpè cogitat, Etſi injurius ſit in ſubditos,tamen non eſſe magnum peccatum, ſi unum & alterum aureum præter ordinaria onera exigat, ſed Prophetam hic audi tragicè exaggerantem peccatũ hoc. Dicit enim idem eſſe ac ſi pellem detrahas, ac ſi oſſa nudes carne, ac ſi nudata oſſa tandem immaniter conteras ac confringas. Hæc quis quæſo parva dicet? Quis non hanc ſummam exiſtimabit eſſe tyrannidem & immanitatem? Itaque hic locus, ut ſi quis alius in tota ſcriptura,graviſſimam reprehenſionem avaritiæ habet, non ſolum quòd pœnam graviſſimam proponit,ſicut ſequetur,ſed quòd ipſam peccati magnitudinem ſic tragicè amplificat. *Avaritia. Injuſta exactio.*

Qui comedunt carnem populi mei, qui nudant eos pelle ſua & oſſa eorum confringunt,& concidunt tanquam in ollam, & ſicut carnem,quæ in abenum ponitur.

Perſtat in deſcriptione violentæ & tyrannicæ avaritiæ. Verè enim avaritia cum tyrannide & injuſta vi conjuncta eſt. Porro hæc commemoratio avaritiæ & tyrannidis tam copioſa,nón ſolum eo valet, ut qui temporibus Michæ in adminiſtratione tum Reip. tum Eccleſiæ fuerunt,emẽndarentur,& curam de privata re augenda converterent ad Rempub. & Eccleſiam ſanandam & juvandam, ſed ſunt ceu oracula quædam ad noſtra quoque tempora utilia,ut qui in Magiſtratu ſunt, ſive politico ſive Eccleſiaſtico,ſciant hanc quoque unam eſſe tentationem, qua Satan eos cogitat abducere à via,& inducere in peccata,ut tanto majore ſtudio tum injuſtam vim, tum avaritiam diſcant fugere. *Avaritia cum tyrannide conjuncta.*

Noſtro ſeculo immodice crevit aulicus luxus. Cùm igitur ordinarii reditus ad tolerandos tantos ſumptus non ſufficiant, videmus novis & inuſitatis exactionibus ſubditos gravari. Prætexuntur quidem publica pericula, ſed nemo non videt cauſam talium exactionum eſſe,quod majores ſumptus,quam pro re,faciunt Principes. Quare hæc Michæ concio piis Principibus debebat eſſe admonitio, ut occaſiones omnes fugiant,ne potentia ſua ad exhauriendos ſubditos violenter abutantur. De Presbyteris,quos in noſtris Eccleſiis habemus,nõ valde opus eſt admonere. *Aulicus luxus, &c.*

Sic enim ferè ubiq; parcè ac illiberaliter à ſuis habentur, ut procul ſint ab omni ſuſpicione avaritiæ, vix enim habent unde ſe & ſuos alant. Et tamen ſi qui occaſionibus parandarum opum intenti ſunt, hi meminerint, ut rationē habeant ſui miniſterii, ne aut id dehoneſtent privatis cupiditatibus, aut eo abutantur ad quæſtum.

Papæ avaritia.

Cæterum Papæ turba hic ſuum locum habet, qui verè vivunt ex rapinis. Etſi enim nunc de juſto titulo poſſeſſionis glorientur, tamen initia vide, quibus rationibus cœperint creſcere. Niſi homines impia & mentita doctrina dementaſſēt, nunquam ad tantas opes perveniſſent. Et ne ipſi quidem negare poſſunt, quod in nulla parte ſint Eccleſiæ utiles, niſi fortaſſe Eccleſiæ putamus prodeſſe, alere ſcorta, equos, comeſſari, ludere, crapulari, & ſimilia. Sed relinquamus eos ſuo magiſtro, qui animā occidere, & corpus in Gehennam poteſt projicere. Nos enim non audiunt. Si qua tamen moderatiora ingenia ſunt, hæc mirum eſt, ſi non perturbantur animo, cùm tantas opes, ad otium concedi vident, ac fruuntur beneficio, nullum præſtantes Eccleſiæ officium. Sed jam pœnam audiamus. *Matth. 10.*

Tunc clamabunt ad Dominum, & non reſpondebit eis, & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, quia malè egerunt operibus ſuis.

Abſcondere & oſtendere faciē.

Solent Prophetæ, cùm opportunum eſt, imitari Moſen, Sicut & hæc phraſis Moſaica eſt, deſumpta ex Cantico Moſi. Significat autē abſcondere ſeu avertere, faciem, iraſci, ſicut econtra oſtendere faciē illuminare vultū eſt clementer aſpicere favere, & benè velle. Sicut Pſal. 79. Oſtende faciem tuam & ſalvi erimus. Salus enim vera eſt, cùm Deus favet, cùm diligit & clementer nos reſpicit, ſecundùm notam ſententiam Pauli, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Porro diligenter notabis hunc textum. Minatus ſuprà eſt; tam injuſtis & avaris hominibus captivitatem & exitium, Id cùm per ſe grave ſit, hic geminat pœnam, cùm etiam auxilium omne negat in calamitate. Atque hæc pœna proprie pertinet ad impœnitentes, qui admoniti verbo Dei, tamen non deſiſtunt malè agere. His ad pœnas corporales etiam hæc accedit, quòd Deus orantes non vult audire, quia ipſi quoque Deum vocantem ad pœnitentiam audire noluērunt. Ita non ſolum fortunas per avaritiam & impietatem partas amittunt & implicantur calamitatibus, ſed amittunt ſimul promiſſionem liberationis. Non ideo ſolum, quod Deus audire eos nolit, qui tam diu Deum fruſtra concionantem & admonentem noluerunt audire. Sed quòd ipſi etiam cùm orant, tamen per conſcientiam ſuam confuſi, ſalutem ſperare non audent. *Rom. 8.* *Pœna impœnitentiæ.*

Avari Magiſtratus.

Hæc crux fixa eſt avaris Magiſtratibus, ut in calamitatibus nihil habeant quod ſperent. Gravis enim ſententia eſt, Clamabunt ad Dominum, & non reſpondebit eis. Vnde igitur auxilium petere & ſperare poterunt, ſi Dominus in calamitate eos non reſpiciat? Sed tanquam iratus hoſtis oppreſſos magis opprimat? Hæc cogitare debebamus, & his comminationibus credere, tunc minus eſſemus ad peccandum prompti, & timor Domini expelleret ex animis noſtris ſecuritatem. Ac ſanè ſunt aliqui, quos hæc vaticinia & comminationes movent. Quanquam major pars opibus, potentia, voluptatibus ſuis capti & dementati hæc non prius credunt, quàm experiantur.

Impœnitentes.

Dixi autem impœnitentibus hæc Prophetam comminari, hoc eſt, iis qui verbum audiunt, ſed ei non obtemperant, quiq́ue tam diu ſecurè peccant, donec à pœna apprehenduntur. Hoc enim eſt, quod addit, Avertet in illo tempore faciem ſuā, tanquam ab his, qui malè egerunt operibus ſuis. Hoc eſt, qui non deſierunt ante peccare, quàm ab irato Deo pœnis eſſent circumventi. Monet itaque locus hic omnes Magiſtratus, ne indulgeant cupiditatibus ſuis, & oneri ſint ſubditis, ſed ut cuſtodiāt judicium, Alioqui futurum, ut ſine omni auxilii ſpe extremis malis circumventi pereant. Porro ut hoc quoque admoneam, hæc Legis ſententia eſt, quæ concionatur impœnitentibus certas & inevitabiles calamitates. Sic Manaſſe nulla ratione potuit deprecari exilium & captivitatem. Et tamen cùm poſtea agnoſceret peccatum, & rogaret veniam, non repellitur à Deo. Ita ſtatuamus, etſi pœna evitari

Manaſſe.

non

non poteſt,tamen per pœnitentiam & fidem patere omnibus reditum ad gratiam,ſicut Evangelium docet.

Sic dicit Dominus contra Prophetas, qui ſeducunt populum meum, eumq; lacerant dentibus ſuis, & clamant, Pax. Si quis autem non dederit eis, quod vorent, parant contra eum bellum.

Hactenus de Magiſtratu politico, nunc de Prophetis & Doctoribus concionatur, conferentibus Miniſterium ſuum, non ad hominũ ſalutem, nec ad gloriam Dei, ſed ad ſuum quæſtum. Vtitur autem hic quoque tragicis figuris, cùm impios Doctores dicit lacerare populum dentibus. Non autem ſolum referendum hoc eſt ad incommodum fortunarum, quod patiuntur auditores propter Doctorum avaritiam, ſed magis ad incommodum animarum & ſalutis. Quare cùm à Prophetis, tum ab ipſo Chriſto & Apoſtolis Lupi vocantur, qui lacerent ac lanient fidei ſuæ commiſſas oviculas, ſeducendo eas.

Impii Doctores lacerant populum dentibus.

Lupi.

Porro elegans figura eſt in eo quod additur, Clamant pax, Si quis autem ori eorum non dederit, adverſus hunc parant bellum. Vocabulum pacis notũ eſt. Significat enim, quòd Pſeudoprophetæ conſolabantur populum, contra illas ſanctorum Prophetarum comminationes, ac promittebant omnia fauſta & felicia. Hoc autem, inquit Propheta, faciebant ideo, quia videbant populum & Principes talibus concionibus delectari. Sicut igitur Michæ & collegis ejus veritas odium conciliabat, Ita hi propter mendacium in precio erant, & lautè habebantur. Semper enim ita factum eſt, ut mendaces Prophetæ cum voluptate audirentur, & hominibus grati eſſent, Contra, ut pii & veri negligerentur, eſurirent, & eſſent in odio, præcipuè Magiſtratus & Principum.

Pax.

Mendaces Prophetæ, &c.

Porro notanda hoc in loco Prophetæ phraſis eſt, Non enim, ut tranſtulimus, dicit, quòd parent bellum, Sed dicit eos ſanctificare bellum (Kidſchu alaf Milhamah) Ac ſi dicas, non quidẽ gladio contra eos pugnant, qui nihil volunt dare (ſicut civilis Magiſtratus, qui gerit gladium) habent ſuum peculiare bellũ, quod excomunicant, quòd excludunt tales ab Eccleſia, quòd damnant tanquã Hæreticos, &c. Atq; hoc faciunt eo titulo quòd ſint Sancti, quòd ſint Eccleſia, quòd ſint Sacerdotes, Levitæ, &c. Hæc phraſis Latinè non poteſt ſatis perſpicue reddi. Convenit autem hoc pulchrè cum Papiſtarum artibus. Sicut enim Pſeudoprophetæ Iudæos hortabantur ad frequentanda ſacrificia, & diſſimulatis reliquis peccatis, promittebant omnia rectiſſimè habitura eſſe, ſi liberaliter & ſæpè ſacrificarent, Ita nondum ex memoria hominum abiit, quo conatu, quibus artibus, Papiſtę homines induxerint ad redimendas indulgentias, ad ornanda Templa, ad Miſſas, ut vocant, vovendas, In his omnibus erat quæſtus longe maximus.

Sanctificare bellum.

Artes Papiſtarum.

Si qui autem vel contra dicerent, vel hæc ſibi perſuaderi non paterentur, dic mihi, an non, ut Propheta hic dicit, erant ei paratæ lites, & certa pericula ſubeundæ? Adhuc hodie, ſi quis in iis locis, ubi Evangelium noſtrum à Magiſtratu damnatur, non jubeat defuncto parenti exequias, ipſorum more fieri, ſi non miſſas, ſi non alia uſitata in Papatu, certa pecunia redimat, ſtatim Lutheranus habetur, & habet paratas lites à Monachis, tyrannorum lictoribus. Adeo nunquam ſui diſſimilis eſt impietas, licet diſſimilitudo morum & temporum ſit maxima. Sed quod judicium manebit hos impios doctores & ſeductores? Hoc ſcilicet:

Ideo Viſio vertetur vobis in noctem, & divinatio in tenebras.
Occidet Sol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies.

Hoc eſt, Quia abutuntur impii Doctores miniſterio ſuo ad quæſtum, fiet ut excæcentur, & non ſolum deprehendantur falſa prædixiſſe & docuiſſe, ſed etiamſi velint & cupiant vera docere, non tamen poſſint. Antitheſes ſatis notæ ſunt (Haſon) viſionem ſignificat, hoc eſt, Propheticæ donum, ſicut uſitatum eſt, videntes nominare Prophetas. Huic opponit noctem, quæ omnia involvit tenebris & con-

Pœna impiorum doctorum.

Viſio. Videntes.

Nox.

fundit,ut ſignificet extremam cæcitatem. Sic videmus multos, quibus initio noſtra doctrina non ſolum non diſplicuit,ſed etiam ſummi theſauri loco fuit,Hi poſtquam ſe cum adverſariis,ob majus lucrum conjunxerunt,non poſſunt non blaſphemi eſſe, & odioſiſſime de nobis loqui & cogitare. Hoc præmium manet eos, qui abutuntur officio ſeu miniſterio ad ſuum quæſtum, Hæc eſt una pars pœnæ.

Confundentur Prophetæ & pudefient Vates, velabunt labium ſuum univerſi, Quoniam non afferunt reſponſum Dei.

Pœna Pſeudoprophetarum, cæcitas & confuſio.

Magna & gravis pœna eſt cæcitas tam horrenda, quam Propheta minatur, & nos in ſeductoribus Papiſtis hodie videmus,ſed ea non ſatis eſt,Etiam confuſio & ignominia cæcitatem hanc comitabitur,ut cum diverſa ab iis,quæ promiſerunt,evenient,palam de mendacio poſſint convinci. Antequam igitur eventus ſequatur,gloriari poſſunt Pſeudoprophetæ contra Micham, & ſpe ſucceſſus conſolari ſuos, Sed cùm jam Aſſyrius Iſraëlem vaſtaſſet, & exercitum admoviſſet ad portas Ieruſalem, res arguebat Micham vera,illos autem falſa,docuiſſe. Ibi coacti ſunt, ſicut Micha

Velare labium.

eleganti figura loquitur, Velare labium,hoc eſt,ne mutire quidem auſi ſunt, qui antea templum & plateas omnes clamoribus ſuis impleverant. Eſt autem etiam hæc figura ex Moſe deſumpta, ubi Levitici 13. de leproſo loquitur, ut habeat os veſte contectum,Et nos Germanicè non diſſimili figura notamus confuſionem, cùm dicimus,Non audere hominem,de mendacio convictum, os aperire,aut ſe dare in conſpectum hominum. Et Romana conſuetudine obvolvebant caput, judicio damnati.

Levit. 13

Mich. 3.

Porro inprimis memorabilis eſt ultima particula, in qua Propheta cauſam tum cæcitatis, tum confuſionis oſtendit. Vtitur autem eleganti brevitate (Ki en maneh Elohim) quoniam non reſpõſum Domini,hoc eſt,quia hoc quod docuerunt & promiſerunt,non fuit verbum Domini,De officio & vocatione nihil dicit,Hanc concedit eis. Sicut etiam hodie non ideo recuſamus obedire Pontificibus & Epiſcopis, quaſi non habeant vocationem & officium legitimum, Cùm S. Paulus diſertè dicat, Antichriſtum habiturum ſedem ſuam in Eccleſia,Et Chriſtus de ſui temporis Pſeudoprophetis dicit: Supra cathedram Moſi ſedent. Relinquit igitur Propheta Pſeudoprophetis officium & vocationem,eaq; non accuſat,nec damnat, Hoc autem damnat,quod cùm in officio ſint,non tamen officio verè utantur,cùm docent, ſed non verbum Domini, cùm promittunt & conſolantur,ſed non ex reſponſo Domini.

2. Theſſ. 2.

Matth. 23.

Officio multi excuſantur peccata

Iam hæc perverſitas omnibus ſeculis in Pſeudoprophetis fuit, ut accuſati de officio non recte adminiſtrato,tamen ſe officii autoritate tuerentur. Quid enim hodie aliud habent Pontifices & Epiſcopi, quod nobis opponant, quam quòd ſint in vocatione & officio? Hanc cauſam putant ſe habere,cur & nobis leges ferant,& nos eas accipiamus. Sed nunquam nobis de officio diſputatio fuit, Abuſum officii taxamus,quem abuſum ipſi autoritate officii dependere volunt. Quis autem eſt,qui non rideat imo execretur Principem,in politia multa nefariè & ſceleratè peccantem,& tamen poſtea excuſantem peccata ratione officii? An non,quia Princeps eſt, ideo cavere debebat,quæ prava cupiditas ſuadet? Nam Princeps eſt, ut adminiſtret juſticiam,Hoc ſi non facit,aut etiam adverſum facit, ipſe ſuo teſtimonio convincitur, quod faciat præter officium,nec poteſt ſe ratione officii tueri. Ita planè ineptum & contra communem ſenſum eſt,quod ſtolidi Papiſtæ faciunt. Quia enim in officio ſunt,volunt ſibi licere quidvis.

Sed nos cum Propheta controverſiam de officio nullam movemus, de ratione adminiſtrati officii nobis lis eſt. Quia enim reſponſum Domini non habent, hoc eſt,ſine verbo Dei præeunte docent,inſtituunt, mandant omnia, meritò à nobis reprehenduntur,merito detrectamus autoritatem eorum,quam veneraremur, ſi Verbum retinerent, & non contra Verbum ſe tueri vellent. Quod igitur apud Eſaiam affirmativè eſt,Verbum Domini manet in æternum,id Propheta hîc negativè ponit.

Nempè

Esa. 40. Nempè quod ubi reſponſum ſeu verbum Domini non eſt, ibi non eſt durabile aut æternum aliquid, ſed oportet ſequi cæcitatem & confuſionem. Sicut Chriſtus e-
Matth. 7. leganti ſimilitudine de domo ſuper arenam ædificata oſtendit. Habet quidē impietas ſæpè inſignem ſpeciem, ut nulla vi videatur poſſe convelli. Sicut cum cogitatione reſpicimus ad illam Eccleſiæ formā, quæ ante Evangelii lucem in Papatu fuit, ibi tanta miſſæ & aliarum impiarum Ceremoniarum dignitas eſſe viſa eſt, ut hanc mutationem nemo potuerit ſperare. Sed quia Ceremoniæ illæ fuerunt ſine verbo, imo contra verbum inſtitutæ, accidit, ut domus illa ingruente tempeſtate verbi & vento ſpiritus, convelleretur, & ex imis fundamentis inciperet corruere. Verum enim eſt, Verbum Domini manet in æternum. Ergo ubi Verbum non eſt, ibi nihil durabile poteſt eſſe, etiamſi in ſpecie adamantinum eſſe videatur.

Eccleſiæ forma ante lucem Evangelii.

Matth. 7.
Eſaiæ 40.

Ego vero plenus ſum virtute ſpiritus Domini, & judicio & fortitudine, ut annunciem Iacob tranſgreſſionem ſuam, & Iſrael erratum ſuum.

Hæc eſt egregia Antitheſis, in qua Propheta, non ſolum officium & vocationem ſuam, ſed etiam adminiſtrationem officii jactat contra Pſeudoprophetas, & egregiè ornat verum Verbi miniſterium. Id cur inſtitutum ſit, patet ex illa nota
Iohan. 16. ſententia Chriſti, ubi dicit, Spiritum ſanctū arguiturum mundum de peccato, de juſticia, & de judicio, Vt homines non ſolum diſcant agnoſcere peccatum, ſed ut etiam conſequantur remiſſionem peccati ac juſticiam per Chriſtum, & magno animo contemnant minas & furorem, tum Satanæ tum mundi. Oſtendit autem Propheta ſuprà, quam non poſſit mundus ferre veritatem & reprehenſionem peccati. Ideo contra pios Doctores ſævit omnis generis ſuppliciis, Sicut omniū Prophetarum, Apoſtolorum & Doctorum exempla oſtendunt. Qui autem connivere ſolent, & blandiuntur mundo, hi in precio ſunt & laudē habentur. Ac eo major omnibus temporibus talium proventus eſt, quod non omnes eo animi robore ſunt, ut odium & furorem mundi contemnere poſſint. Deinde ferè vincuntur, etiam ſplendore vitæ ac cupiditate opum.

Miniſterii finis.

Mundus non poteſt ferre reprehenſionem peccati.

Hæc vitia in Pſeudoprophetis Micha eruditiſſimè perſtringit, cùm ſuum exemplum opponit & dicit: Ego vero ſum plenus virtute ſpiritus Domini, hoc eſt, Non affero meam ſapientiam, non nitor viribus meis, Alioqui veſtri ſimilis eſſem, qui humano ſpiritu pleni eſtis, & ſuccumbitis in tentatione, dum propter opes & dignitatem parandam ac favorem hominum colligendum, connivetis ad peccata populi. Exerit autem ſe virtus ſpiritus Dei inhabitantis in me duobus modis, in judicio & in fortitudine. Iudicium ſignificat hīc uſitato ſcripturæ more, cùm quæ prava fiunt, reprehenduntur & damnantur, Sicut Propheta ipſe ſe exponit, cùm addit, Sic ſum judicio plenus, ut annunciem Iacob peccatum ſuum & Iſraël erratum ſuum.

Iudicium.

Sed cùm judiciū hoc non careat periculo, quod mundus nihil minus quàm reprehenſionem peccatorū ferre poſſit, etiam in eo ſe oſtendit Spiritus Dei, quòd ſum fortitudine plenus, & pericula illa contemnere poſſum. Hoc vero illud inſigne donū eſt, quòd Chriſtus toties promittit, quoties conſolatur diſcipulos, cùm jubet, Ne ſint ſoliciti quid dicant, etiam tùm cùm ad ſupplicia rapientur. Propterea quòd non ſoli ſimus, ſed habeamus additū Paracletum, qui corda tanto certiore ſpe impleat, quanto pericula omnia videntur præſentiora & graviora eſſe. Hoc dono Propheta ſe dicit plenū, ut etſi minentur omnia, tamen ipſe in nulla parte à
Ezec. 5. mandato Domini ſit diſceſſurus. Hoc dono Apoſtoli, etiam poſt plagas acceptas, ibant gaudentes, quòd digni eſſent habiti, qui pro nomine Chriſti contumelia affecti eſſent. Qui autē hoc donum non habent, hi etſi extra pericula ferociores ſint, tamen ad primum congreſſū cedunt, ac loquuntur & faciunt omnia ad gratiā, potius, quàm ut propter veritatē in periculo eſſe, & odium hominū ſuſtinere velint. Sed quis horum finis ſit, ſupra oſtenſum eſt, quòd ſcilicet ſol ſuper eos occidet, hoc eſt, quòd in extremā cæcitatē prolabentur, & tandem etiā confundentur.

Donū ſpiritus arguere mundū & contemnere pericula.
Matth. 10.

Pœna impiorū Doctorum.

Audite quæſo hoc capita domus Iacob, & Principes domus Iſrael, qui abominabile faciunt judicium, & quicquid rectum eſt, perverſunt.

Impii principes.

Redit ad objurgandos Principes in republica, qui cum juſticiæ cuſtodes eſſe debebant, omiſſa cura Reipub. & ſubditorum, ſua tantum curabant commoda. Sicut ſuprà quòq; diximus, avaritiam eſſe peculiarem laqueum Satanæ, quo magiſtratibus inſidiatur, ut ſuis commodis invitati, Reipublicæ curam abjiciant, jus negligant, & injuſta adminiſtratione premant cives, qui injuriam ferre & muſſitare coguntur propter potentiam Principum.

Contemptores judicii.

Vſus autem eſt Propheta verbis valde ſignificantibus. Vocat (Hamethaeſim) contemptores judicii, qui quidē vident quid æquū & juſtum ſit, ſed indulgent cupiditati, &, quod norunt, facilè nolunt. Sicut apud Poëtam eſt, Sit pro ratione voluntas. Deinde elegans etiam eſt Antitheſis, quod rectum eſt, pervertunt ſeu depravant. Significat enim ſtudio eos hoc agere, ne recte agant, tantum ut ditentur.

Ædificant Zion in ſanguinibus & Ieruſalem in iniquitate.

Luxus principum, &c. In ſanguinibus ædificare.

Mutatio perſonæ Ebræis uſitata eſt. Hic autem participium (Boneh) ſingulare, habet quaſi vim collectivi nominis. Vult enim dicere, quòd ſinguli hoc modo ædificent. Porro Ebraiſmus etiam eſt, quod dicit, Ædificari Zion in ſanguinibus. Significat enim, quod magnificè ædificent, ſed ex ſudore & ſanguine pauperum. Sicut hodie inuſitatus luxus omnium Principum aulas invaſit, Non ædificiorum ratio, non veſtitus, non victus, eadem eſt quæ olim fuit. Omnia ſumptuoſiſſime inſtruuntur. Sed revera ædificant & ornant Principes quoq; ſuas aulas in ſanguinibus, quod novis & inuſitatis exactionib⁹ ſubditos onerant, ne quid de ſplendore & luxu cogantur diminuere. Olim parcè vivebant Principes, itaque tolerare ſumptus poterant ſine injuria ſubditorum, Et in publicis periculis patebat eis refugiū ad privatorū opes. Nunc cum ad Luxum expilētur ſubditi, nulla præſidia ad publica pericula depellenda Principes ſibi reliqua faciunt. Et accedit aliud gravius incommodum, quod iniquis iſtis exactionibus etiam ſubditorum animi abalienantur, & ſternitur quaſi via ad ſeditiones & alia mala. Sed ſunt hæ pœnæ peccatorum, quæ poſtea aliis pœnis excipiuntur & multantur.

Principes ejus propter munera judicant, Et Sacerdotes ejus propter mercedem docent, Et Prophetæ ejus propter argentum vaticinantur.

Quæ de Principibus dicit, pertinent ad expoſitionem ejus, quod paulo ante dixit, Ædificant in ſanguinibus. Etſi enim Tyranni avaritiam ſuam defendunt ſanguine bonorum, Sicut Naboth cum impio Regi hortum vendere nollet, occiditur, & Tyrannus potitur horto, Tamen etiam hoc eſt in ſanguine ædificare, ſeu augere rem, cùm nimium premuntur ſubditi, & principes non æqualiter adminiſtrant jus, Sed ut Propheta hîc dicit, judicant propter munera, hoc eſt, cùm largientibus munera jus dicunt etiam in injuſta cauſa, Contra, nihil largientibus jus non dicunt, etſi cauſam habeant æquiſſimam. 1. Reg. 21.

Eſt autem hæc inſignis perverſitas, quanquam in omnibus judiciis ſit uſitatiſſima. Nota eſt ſententia optimi Principis Ioſaphat, qui cum Politiam & Eccleſiā, viris idoneis delectis, præclarè conſtituiſſet, politicum Magiſtratū graviſſimè adhortatur, Videte, inquit, quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, Quodcunq; igitur judicaveritis, in vos redundabit. Hac ſententia docet judicandi poteſtatem non humanam eſſe, nec ſimpliciter ab hominibus mandari, ſed ab ipſo Deo. Quare propter Deum & propter mandatum Dei, hoc opus Dei rectè erat adminiſtrandum. Sed, inquit Propheta, Non ſolum non reſpiciunt Deum Principes noſtri, ſed Deo, mandato Dei & operi Dei anteferunt munera. Hunc contemptū an putabitis impune fore? redundabit itaq; iſtā iniquitas 2. Paral. 19.

Judicandi poteſtas.

in

in vos, ut viciſſim contemnamini & abjiciamini, ſicut contemnitis & abjicitis Dei opus & mandatum.

Porro hæc non tantum ad ipſos judices ſeu Magiſtratus re[illegible]enda ſunt, ſed etiam ad illos, quorum opera Magiſtratus in adminiſtrando jure utitur, ut ſunt Iuriſconſulti, Advocati, Procuratores, & id genus alii, Quorum cum eſſet jus & æquum defendere, ſæpe lucro uberiore invitati, iniquas cauſas defendunt, Sæpe bonas cauſas involvunt & implicant magis, quod in mora ers quæſtus ſit, Sæpe pauperibus negant operam ſuam etiam in juſtis cauſis, quando contra potentiores agendum eſt. Magis enim hominum favorem & gratiam, quam Domini mandatum & functionem ſuam reſpiciunt. Sed quis omnes hujus generis fraudes & dolos commemoraret? Etſi autem nihil magis dolet, quam in bona & juſta cauſa ſuccumbere, propter aliorum ſive perfidiam, ſive inſcitiam (Nam ii quoq; peccant, qui ad hæc negocia nondum ſatis inſtructi accedunt) tamen quia judicium Domini eſt, muſſitanda injuria, & vindicta Domino relinquenda eſt, qui ſuo tempore ab avaris contemptoribus juris & prævaricatoribus ſatis graves pœnas expetet, ſicut Propheta in fine admonebit. *Iuriſconſulti.*

Et ſacerdotes ejus propter mercedem, &c.

Iam Propheta etiam contra Eccleſiaſticos Magiſtratus concionatur, ut oſtendat ſe eſſe judicio & fortitudine plenum. Reprehendit autem in his quoq;, quod avaritia infecti diſcedant ab officio, & neglecto mandato DEI ad quæſtum reſpiciant.

Porro inerudite hac ſententia quidam abutuntur contra pios Doctores quaſi non ſit licitum, vivere ex ſtipendiis, quæ Miniſtris Eccleſiarum conſtituta ſunt. Allegant Chriſti verbum, Gratis accepiſtis, gratis date, Opponunt quoque S. Pauli exemplum, qui cum doceret Eccleſias, tamen Eccleſias non voluit onerare, ſed ipſe manibus ſuis paravit victum. Hæc ſive querela ſive calumnia naſcitur ex quodam diabolico odio miniſterij Verbi. Quid enim aliud faciunt impii homines, qui talibus ſermonibus ſimplicium aures fatigant, quam ut non ſolum perſonas Miniſtrorum, ſed ipſum miniſterium in contemptum adducant, cum potius omni cura in id incumbendum erat, ut miniſtris propter Verbi honorem, ſua dignitas reſtitueretur. *An liceat Miniſtris Eccleſiæ accipere mercedem pro opera.* Matth. 10. 1. Cor. 10.

Verum quidem eſt, quod Chriſtus dicit, Gratis accepiſtis, gratis date, Vult enim finem principalem miniſterij eſſe, ut ſerviatur gloriæ Dei, & hominum ſaluti. Nam propter hæc duo miniſterium Verbi præcipue inſtitutum eſt in mundo, Sed ex hoc non ſequitur, quod impium ſit, ut Eccleſia alat miniſtros ſuos. Hoc impium eſſet, ſi Miniſtri finem miniſterij negligere, & tantum ad mercedem reſpicere, ſeu propter mercedem docendi munus non recte adminiſtrare vellent. Sicut igitur Miniſter mandato Dei cogitur, ut & gloriæ Dei & ſaluti hominum ſerviat, Ita viciſſim Eccleſiæ mandatum habent, ut Miniſtros alant. Sic enim dicit Chriſtus, Mercenarius dignus eſt mercede ſua. Si dignus eſt, nemo igitur mercedem exprobrare Doctori debet. Sicut S. Paulus hanc ſententiam clarius explicat, 1. Cor. 9. Dominus, inquit, conſtituit ſeu ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant, etiam ex Evangelio vivant. Allegat autem miniſterium Legis, Qui, inquit, ſacra faciunt, an non ex ſacrificio vivunt? Qui aſſident ſacrario, an non cum ſacrario participant? Vtitur aliis ſimilitudinibus ad hoc negotium aptiſſimis. Quis, inquit, eſt, qui propriis ſtipendiis militet? An qui vineam plantat, eam ſic plantat, ut de fructibus ejus non comedat? Præcipue autem digna obſervatione eſt inſignis illa collatio, qua etiam in Galatis utitur, Seminamus vobis ſpiritualia, magnum vero eſt, quod nobis carnalia ſuppeditatis? *Finis miniſterii.* *Miniſteri verbi alendi.* 1. Cor. 9.

Quod igitur ad exemplum Pauli attinet, ipſe palam teſtatur, ſe hoc non facere, quaſi iniquum ſit ab Eccleſiis accipere victū, ſed ut adjuvet hoc modo curſum Verbi, & præcidat occaſiones calumniandi, quas in re nova homines indigni poterant comminiſci. Debet quidem, ſicut ab omnibus Chriſtianis, ita maxime Miniſtris verbi omnis avaritiæ & cupiditatis ſuſpicio abeſſe, Non tamen ideo ſtatuendum eſt, quod iniquum ſit accipere ab Eccleſiis, quæ ad commodum victum ſunt neceſſaria. Sicut quidam hiſce prodigioſis opinionibus, propter ſpeciem ſingularis ſanctitatis, delectantur, 1. Tim. 2.

lectantur, quidam ex certa malevolentia & Satanico odio ministerij, in calumniam rapiunt, quod Ministris alibi pro facultatibus Ecclesiarum, liberaliora stipendia constituta sunt.

Si enim Ecclesiarum utilitatem spectamus, An non in eam potius partem pronuntiabimus, ut ministri Ecclesiarum habeantur liberaliter, quam quod multis in locis vix à fame se & suos tueri possunt? Nam hæc illiberalitas meliora ingenia à cura Ecclesiarum absterret. Non enim omnium est illud robur animi & ea constantia, ut pro difficilimis laboribus odium & famem reportare velint. Ac præcipue marito nihil potest gravius accidere, quam si videat uxorem & liberos egere, quos, si aliam rationem vitæ sequatur, etiam cum splendore alere possit. Nam etsi Legum aut Medicinæ studium, propter magnos sumptus non omnibus pateat, Tamen quot in Republica munia honeste administrari possunt ab homine etiam mediocriter erudito, quæ omnia ad splendorem vitæ & ad opes aditum parefaciunt? Hæc profecto iuventus magis sectari volet, etiam suorum causa, quam ut uxorem & liberos in certam mendicitatem sciens & prudens protrudat.

An non igitur Ecclesiæ ex ista illiberalitate, qua erga Ministros utitur, certum periculum erit? siquidem & eruditis hominibus carebit, & indoctorum hominum, qui non possunt ad altiora contendere, inepta ac periculosa gubernatione opprimetur? Sicut ante oculos exempla sunt, quæ ostendunt, non solum quanta caligine res sacræ indoctorum gubernatione involutæ, sed etiam quanta barbarie omnes bonæ artes oppressæ fuerint. Nemo igitur offendatur, quod alicubi bonorum Principum pio studio, Ecclesiarum Ministri paulo liberalius habentur, Hoc potius queramur omnes, non haberi à maxima parte Principum & Rerumpub. posteritatis curam, quæ in tanta illiberalitate aut nullos aut indoctissimos gubernatores habitura est. In primis grave & intolerabile illorum, tum peccatum tum judicium erit, qui Ecclesias spoliant, & Ministrorum facultates invadunt. Sicut in agro ferox Nobilitas, & in Rebuspub. potentiores familiæ, plerunq; solent. Vtriq; enim parvi lucri spe invitati, in certum exitium Ecclesias adducunt, quas majorum exemplo, etiam sua liberalitate adjuvare, & ornare debebant.

Sed ad Micham redeo, is non damnat Sacerdotes & Prophetas, quod mercedem & argentum accipiant, debetur enim merces sua piis Doctoribus, Hoc autem damnat, quod ministerio ad quæstum abutebantur, Quod propter lucrum connivebant ad peccata populi, quæ reprehendere debebant. Sicut Bileam conduci se patitur, ut maledicat, quibus Dominus ut benediceret mandarat. Ad hunc modum, inquit Propheta, debebat reprehendi impietas hujus populi, Sed propter quæstum Pseudoprophetæ etiam assentantur peccatoribus, & bona promittunt.

Et tamen super Dominum nituntur, & dicunt, Nonne Dominus in medio nostri est? Non igitur veniet super nos malum.

Hic est insignis locus, qui non solum ad explicationem aliorum Prophetarum utilis est, sed etiam insignem quasi picturam habet nostrorum adversariorum. Nemo est, qui si diligenter omnia inspiciat, non vehementer miretur, unde ista in Pontifice & ejus asseclis tum securitas, tum pertinacia possit esse. Doctrinæ genus profitentur ex diametro pugnans cum doctrina Evangelij, Ceremonias ab ipso Christo institutas aut corruperunt, aut ineptis additamentis conspurcarunt, & substituerunt novas sine verbo Dei. De vita autem nihil necesse est dicere, quanto enim in altiore fastigio rerum consistunt, tanto peccant licentius, Ita ut jam olim proverbio factus sit locus, Quod quanto Roma propior, tanto Christianismus sit longinquior. Et tamen in tanta impietate longe minus metuunt, quam quorum doctrina & vita sanctior ac melior est. Hæc securitas quis non miretur unde existat? Sic satis ostendit Propheta, quantum ab officio discedant sui Sacerdotes & Prophetæ, cum magis quæstum spectant quam ministerium suum. Cumq; pecuniæ causa ea dissimulant, quæ ministerij ratione graviter reprehendenda erant, Et tamen, inquit, tales cum sint, nituntur super Domi-

Securitas falsæ Ecclesiæ.

Causa servitutis in impio.

Dominum, & fidunt ejus benignitate, Nonne Dominus in medio noſtri eſt? Nihil enim patiemur mali, &c.

Porro utrinq; eadem præſumptionis cauſa eſt, Quod impii decepti hypocriſi ſua, arripiunt promiſſiones, & fiducia illarum, omnes contemnunt minas. Sic magnificas promiſſiones habuerunt Iudæi de conſervando populo & regno uſq; ad Chriſtum, Cum igitur Prophetæ peccata populi reprehenderent, & minarentur exitium, opponebant promiſſiones illas, jactabant patrem Abraham, Miniſterium ſeu vocationem, Cultus, & ſacrificia divinitus inſtituta. His freti, tanquam certis præſidiis, ſecuri erant de poena. Sic magnificas promiſſiones habet Eccleſia novi Teſtamenti. Quia autem Pontifices ſummum in Eccleſia locum vi ſibi uſurparunt, fit, ut quicquid Eccleſiæ promiſſum eſt, hoc putent ſibi & ſtatui ſuo eſſe promiſſum. Igitur etiam in extremis periculis illud eis in ore eſt, Quod cymba Petri fluctibus jactari, ſed non mergi poſſit. *Impii arripiunt promiſſiones, &c.*

Falluntur autem pariter tum impii Iudæi, tum Papiſtæ, Non quod Deus promiſſa non ſervare, aut populum & Eccleſiam ſuam abjicere velit, ſed quod Hypocritæ, etſi officium habent, tamen officio abutuntur, atque ideo tum populus Dei, tum Eccleſia eſſe deſinunt. Manet enim ſententia ſupra poſita, Sermones mei boni ſunt, ſed ambulantibus integre. Qui igitur non integre ambulant, his non promiſſiones, ſed comminationes propoſitæ ſunt, ut aut emendentur, aut pereant in peccatis ſuis. Nam apud Deum non eſt perſonarum acceptio. Vocantur Pontifices & Epiſcopi ad juſtam adminiſtrationem Eccleſiarum, Sed cum officium non faciunt, non tantum momenti coram Deo eſt in dignitate ipſorum & loco quem tenent, ut propterea eis
v. 6. impune ſit peccare. Quin valet ſententia Evangelij, Depoſuit potentes de ſede, Et, Quicquid coram hominibus ſublime eſt, abominatio eſt apud Deum. Huc faciunt exempla, quod primogeniti fere ſunt reprobi, ut Cain, Iſmael, Eſau, Sic incredula Synagoga, cum ſacris, & ipſo templo abjecta eſt, reliquiæ autem ſalvatæ ſunt. Ad hunc modum abjectis & reprobatis Pontificibus, Epiſcopis, & toto illo Antichriſti ſatellitio, conſtat ſua Eccleſia Chriſto, etiamſi exigua, in mundo contempta, oppreſſa, pauper, & ignominioſa eſt.

Sententia igitur Prophetæ eſt, Quod ſecuri Hypocritæ inflantur officio ſuo, & arripiunt promiſſiones, quæ non ſimpliciter, ſed cum conditione datæ ſunt iis, qui vere ſunt populus Dei ſeu Eccleſia, Non iis, qui vivunt ſine timore Dei, etſi in magnis dignitatibus vivunt. Erat Dominus tempore Michæ in medio populi ſui, ſed ideo non erat parciturus impiis prævaricatoribus, Non ideo erat toleraturus, quod impii abutebantur ſancto miniſterio ad quæſtum, & vana promittebant iis, qui comminationibus iræ Dei ad pœnitentiam erant convertendi. Satanæ, cum ſe per ſuperbiam opponeret filio Dei, non profuit, quod Angelus eſſet conditus, ludam nihil ſublevavit cum peccaret, quod eſſet Apoſtolus, Et ſcilicet Papiſtæ noſtri ideo impune peccabunt, quod Pontifices & Epiſcopi ſunt? Quin potius dabunt dignas impietatis pœnas, & Eccleſia etiam ſine iſtis Pontificibus & Epiſcopis conſervabitur, ſicut Propheta jam addit. *Promiſſiones ſub conditione datæ.*

Ideo Sion propter vos ſicut ager arabitur & Ieruſalem rediget ur in acervum lapidum, & mons Domus erit ſicut excelſa ſylvarum.

v. 16. Hæc eſt Prophetia illa, quam cum Ieremias repeteret, occiſus eſſet ab impio Rege, niſi ſeniores ſe interpoſuiſſent, & exemplo Michæ eum defendiſſent, Non enim ulla blaſphemia in Deum Iudæis tam viſa eſt eſſe intolerabilis, quam quod Ieruſalem excindenda & Templum vaſtandum eſſet. Extabant enim Prophetiæ clare de Regno & populo hoc conſervando & defendendo. Deinde quia cultus Dei ad Templum alligatus erat, nihil potuit minus credibile à quoquam dici, quam quod Deus cultum à ſe inſtitutum, abjicere & prophanare vellet. Quare & Micha ſine dubio concitavit hac Concione plurimorum odia contra ſeſe, & ſi abſq; pii Regis Ezechiæ cura & defenſione fuiſſet, ab impiis præſumptoribus eſſet occiſus, Quod minatur non amplius ipſis peccatoribus, ut antea, ſed etiam ipſi Templo, quod ab ipſo

Deo

Deo ad uſum ſacrorum delectum erat. Quod autem ad Grammaticam attinet, facilis eſt ſententia. Significat enim extremam vaſtitatem & deſolationem, cum ipſam urbem dicit tanquam agrum arandum, & montem Domini, qui tum ſacrificiis & cultibus à Deo inſtitutis ſplendebat, ſimilem fore montibus, qui in deſertis & nemoroſis locis ſunt.

Sed ſententia magnum pondus graviſſimarum rerum ſecum trahit. Hic enim videmus ſeveritatem judicij, & magnitudinem iræ Dei erga peccatum, Quod qui ſine timore Dei vivunt in peccatis, hos non potentia, non dignitas officii, non ulla etiam ſpiritualium rerum prærogativa ſublevare poterit. Si enim Dominus propter peccatum non ſuo populo, non Templo, denique non cultui ſuo pepercit, Quid tandem erit, quod iræ Dei opponi poſſe ſperemus? Exuenda igitur omnis præſumptio eſt, & ne quidem de eo præſumendum eſt, quod Chriſtiani & baptiſati ſumus, ut ideo magis ſecuri peccemus. Hæc non modo non mitigabunt pœnas, ſed augebunt in impœnitentibus, Sicut Chriſtus dicit, Sodomorum tolerabilius judicium fore, quam illorum qui audiverunt Evangelium & viderunt miracula. Habebant Iudæi quoq; circumciſionem ſignum fœderis, & juſticiæ ſignaculum, habebant magnificas promiſſiones de Chriſto, de conſervatione Regni & ſacerdotij, Credita eis erant oracula Dei, &c. Sed poſtquam à timore Dei diſceſſerunt, & his prærogativis abuſi ſunt, ut eo licentius peccarent, non ſolum amiſerunt hæc dona, & glorias has, ſed perierunt ipſi quoque.

Doctrina pœnitentiæ.

Quare pertinet hæc Concio ad doctrinam pœnitentiæ, ut ſinguli vivamus in timore Dei & obediamus verbo, alioqui futurum eſt ut pereamus. Non enim vult Deus ut ſecuri ſimus, aut præſumamus, Timeri vult a nobis ne peccemus, & vult quoq; ut per Chriſtum in ſua miſericordia, non in noſtra dignitate, ſapientia, aut juſticia ſpem habeamus. Hoc qui non faciunt, quanto in altiore gradu dignitatis conſiſtunt, tanto ruent grävius, & tanto atrocioribus pœnis ſubjicientur, Sicut horrendum hoc Iudæorum exemplum ſatis oſtendit.

CAPUT IIII.

Transit à regno corporali ad ſpirituale, hoc eſt, à reprehenſione impiorum, &c.

NVnc iterum tranſit Propheta à regno corporali ad ſpirituale, hoc eſt, à reprehenſione impiorum ad conſolationem Sanctorum, ut in publica calamitate haberent, quo ſe conſolarentur, & mala illa vincerent ſpe liberationis per Chriſtum futuræ. Etſi enim conſolatio erat, quod captivitas iſta certo annorum numero finienda eſſet, Tamen pauci fuerunt, qui uſq; ad exhibitionem ejus promiſſionis vixerunt, Duravit enim captivitas ſeptuaginta annis. Hæc autem ſolida conſolatio fuit omnium, certo ſcire quod Chriſti regnum eſſet revelandum, per quem remiſſio peccatorum, & vita æterna credentibus obventura erat. Ac priorem partem de verbo ad verbum Eſaias tranſcripſit in ſuam Prophetiam, qui, ut initio dixi, coætaneus Michæ fuit, quanquam Michas ſenior eſſet.

Fugienda Iudaica ſomnia.

Monendus autem initio eſt Lector, ut fugiat ſomnia Iudaica, qui has ſpirituales promiſſiones, ad Regnum corporale transferunt, atq; ita in duplicem errorem incidunt. Nam & Chriſtum, cujus regnum ſpirituale eſt, hoc modo amittunt nec agnoſcunt, & fruſtra expectant corporale regnum. Sicut enim res oſtendit, de die in diem altius immerguntur calamitatibus, & de ſpe ſua coguntur deſperare.

Secundo obſervanda etiam hic eſt diſcrepantia Prophetiarum, qua impii offenſi, veris Prophetis non poterant credere. Sicut enim Zachariæ 7. & 8. primum miſerabilis vaſtitas tum civitatis, tum populi prædicitur. Sic enim dicit, Diſperſi eos per omnia regna, quæ neſciunt, & terra ab eis deſolata eſt, Deinde additur, Adhuc habitabunt ſenes & anus in plateis Ieruſalem, & viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum, & plateæ civitatis complebuntur infantibus & puellis ludentibus in plateis ejus. Ita plane ad eundem modum Michas videtur ſecum pugnare, qui Templum dicit ſimile fore excelſis ſylvarum, & poſtea addit, Montem Domini elevatum iri ſuper

Zach. 7. 8.

Prophetiæ videntur inter ſe pugnare.

iri ſuper omnes colles, Gentes ad eum decurſuras, & novum verbum de Zion promulgandum eſſe. Sic Ieremias miſſus erat ut certam vaſtitatem prædiceret, Ac eo redierat jam res, ut occupata à Chaldæis urbe maxima civium pars captiva abduceretur, Et tamen in tanta deſperatione rerum, jubetur ſalutem promittere, Et in ſignum reſtaurationis omnium, dat ei Dominus mandatum, ut emat agrum, qui jam ab ipſis hoſtibus tenebatur. Hæc diverſitas etiam à piis non ſemper potuit intelligi. Sicut in
Ier. 32. Ieremia videmus, qui conſilium Domini admiratur, & dicit, Ecce munitiones extructæ ſunt adverſus urbem, ut capiatur, & urbs data eſt in manus Chaldæorum, Et tu Domine dicis mihi, Eme agrum argento & abhibe teſtes, cum urbs data ſit in manus Chaldæorum?

Hæc diverſitas hominibus impiis ſatis digna cauſa eſt viſa, cur Prophetis non crederent, Et tamen eventus oſtendit, Deum utrunque feciſſe. Nam & impios propter peccatum dedit in captivitatem Gentium. Et tamen inter medias gentes reliquias & ſanctum Semen ſervavit, donec naſceretur Chriſtus, qui novum regnum inſtitueret, & has promiſſiones non corporales, ſed ſpirituales, per verbum Evangelij exhiberet. Ac tum diſſipatum regnum Iſrael, una cum aliis Gentibus, ad Regem ſuum Chriſtum, reverſum eſt & ſalvatum.

Et fiet in noviſſimis diebus, Erit mons domus Domini firmatus in capite montium, & erit elevatus præ collibus, & confluent populi ad eum.

Quia dixi Prophetam loqui de regno ſpirituali, propter quod etiam corporale regnum, ab Aſſyriis & Chaldæis vaſtatum, reſtaurandum erat, non ad opus, non ad potentiam, non ad eminentiam corporalem reſpicere debent, qui hoc regnum invenire volunt, ſed ad verbum Evangelij. Vbi enim Evangelium eſt, ibi quoque infallibiliter eſt CHRISTVS, & regnum CHRISTI, ſeu Eccleſia. Hæc quia in mundo eſt, oportuit eſſe aliquem locum in quo inciperet. Itaque Propheta nominat montem Zion, Sicut David quoque cum dicit, Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Zion. Promittit autem montem Zion ſic firmatum iri, ut extet ſuper omnes montes, & ſit ceu caput omnium collium. Hæc jam non ad corporalem locum referenda ſunt, ſicut Iudæi inepte faciunt. Nam Templum reædificatum poſt captivitatem neutiquam tam ſplendidum fuit, quam illud prius, Adeo ut quidam
Eſdræ 3. flerent, qui prius illud Salomonis viderant, ſicut teſtatur Hiſtoria 1. Eſdræ 3. Sed etſi corporalem locum nominat, tamen ſunt hæc transferenda ad ipſum regnum ſpirituale, ad Eccleſiam & verbum Evangelij, quod cœpit doceri in Zion, ubi prima fuit Eccleſia.

Locus in quo capit regnum Chriſti.

Quod igitur de elevatione & ſtabilitione montis dicit, proprie ad ipſum regnum Chriſti, non ad corporalem locum referendum eſt, qui propter peccata populi vaſtatus, & in excelſa ſylvarum mutatus eſt. Regnum autem Chriſti ſeu ipſum Evangelium ſic firmatum eſt, ut nullis viribus poſſit opprimi aut everti. Sicut Chriſtus dicit, Portæ inferorum non prævalebunt, Non quod ſemper clareat miraculis, quibus duplicem ob cauſam initio opus erat, Quod & in Prophetis promiſſa eſſent, &
Matth. 16. nova doctrina hoc quaſi teſtimonio divinitus hominibus commendanda eſſet, ut agnoſceretur Chriſtus, Sed quod ſemper vincat & triumphet contra omnes hoſtes ſuos. Ideo Propheta verbo (Nachon) uſus eſt, quod non ſolum præparare, ſed etiam confirmare & ſtabilire ſignificat. Vt ſicut eſt regnum Chriſti ſuper omnia regna, ita etiam maneat, ſecundum ſententiam, Verbum autem Domini manet in æternum.

Regnum Chriſti firmatum.

Nachon.

Quod autem additum eſt, Et populi confluent ad eum, In eo pulchre oſtendi-
Eſai. 40. tur diverſitas hujus Regni ab aliis corporalibus regnis. Ibi enim vinculis legum & coactione eſt opus, ut homines maneant in officio, & nihil turbent. Ideo etiam armis ad imperia retinenda, & defendendam autoritatem Principum opus eſt. Sed in Chriſti regno hac cura non opus eſt, Non indiget armis, quibus homines cogat, ſtatim cum verbum in auribus & cordibus hominum ſonare cœperit, ipſi homines ſua ſponte, vel potius ſua voluntate, ut ille dicit, coacti accurrunt, & in parte hujus Regni
Matth. 11. hærere volunt, Sicut Chriſtus dicit, Regnum Dei nunc vim patitur, & violenti rapiunt

Regnum Chriſti diverſum à regnis mundi, habet enim populi ſponteneum.

Pſal. 110.

rapiunt illud. Quid enim poteſt lætius audiri, quam quod per Chriſtum Pater reconciliatus, peccata remiſſa, & vita æterna nobis donata ſit? Tantarum opum quis non optaret ſe quoq; participem fieri? Itaque cum primum Verbum hoc vulgatur, ſicut flumina nemine cogente, ſed ſua vi per præcipitia decurrunt, Ita populi ad hunc montem, hoc eſt, ad Eccleſiam confluunt, in qua per Evangelium theſauri miſericordiæ Dei oſtenduntur, & credentibus diſtribuuntur. Nam verbum (Naharu) ſimilitudinem fluminis, magna vi per declivia loca decurrentis, complectitur. Sicut etiam ideo (Nahar) fluvium vocant à curſu ſeu defluxu.

Naharu.

Præſertim autem voluit Propheta oſtendere diverſitatem hujus Regni à regno legis ſeu Moſis. Is enim violentus Doctor eſt, & vix minis & plagis multis aliquam umbram obedientiæ exculpere poteſt. Videmus enim quid Lex faciat, cum maxime cogit & urget, aut deſperatos, aut præſumptores ſeu Hypocritas facit. Sed regnum Chriſti habet, ſicut Pſalmus 100. eleganter dicit, ſpontaneum populum, qui ultra ſicut oves Paſtorem ſuum ſequitur. Trahunt enim eos beneficia, non cogunt minæ, aut irata verba. Deus enim per Chriſtum non iratus, ſed ſumme clemens & miſericors eſt, Quare omnes cum tam miſericordi Deo ſe conjungi optant, nec differunt rem, uſq; dum cogantur, Cogit eos voluntas & deſiderium ipſorum, Sicut in Evangelio quoq; Chriſtus pulcherrime dicit. Cum enim liberalitatem ſuaviſſimi hoſpitis, homines ſuis ſtudiis & cupiditatibus immerſi aſpernarentur, jubet ut ſervi claudos & cæcos ad nuptiarum pompam cogant, & compellant intrare.

Regnum Chriſti diverſum a regno Moſis.

Pſal. 100.

Luc. 14.

Mira vero coactio ſeu compulſio, cum homo calamitoſus & famelicus ad lautiſſimas epulas cogitur. An non enim hoc unum in votis habet, ut cum calamitoſo Lazaro, de micis & reliquiis ſaturari poſſit? Si igitur coactionem volumus dicere, coactio eſt, quod ipſi aliud non optant, quod non acquieſcere poſſunt, niſi ad tam laute inſtructas epulas vocentur, Adeſt enim ſumma voluntas conſequendi hujus beneficij, Vbi contra Moſes omnis generis minis aliud nihil poteſt conficere, quam ut homines in ſpeciem aliquid faciant, Cor autem ab eo quod faciunt longiſſime abeſt. Sic uno verbo Prophetæ graviſſimas & longiſſimas conciones complectuntur.

Compelle intrare.

Ibunt autem Gentes multæ, & dicent, Venite & aſcendemus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis ejus, Quoniam de Zion egredietur Lex, & verbum Domini de Ieruſalem.

Ire.

Verbum, Ibunt, etiam ſignificat ſummam voluntatem, ſine cujuſquam coactione, Sicut etiam, quod ſe invicem cohortantur, & dicunt, Venite aſcendemus. Oſtendunt autem hæc, quod regnum Chriſti ſit regnum Gratiæ, quam optant & cum ſumma voluptate & voluntate accipiunt omnes, qui ſentiunt onus peccatorum ſuorum. Imprimis autem dignum obſervatione eſt, quod dicunt ſe ituros ad montem Domus Domini, & ad Domum Dei Iacob, Et addunt cauſam cur ituri ſint, ſcilicet, ut ipſe Dominus eos doceat de viis ſuis. Hic ſicut uno digito Propheta oſtendit regnum Chriſti in noviſſimis diebus revelandum, Ita etiam retro nos vult reſpicere, & videre, quale regnum Legis fuerit, Q. d. Hodie ex omnibus Iudææ angulis confluunt omnes certis temporibus ad montem Domini, & ad Ieruſalem, ut ibi ſacra faciant, ut coram Propitiatorio adorent, ut paſcha ibi comedant, &c. Nam totus cultus erat ad unam Ieruſalem & tabernaculi locum deſtinatus. Sed in noviſſimis diebus, cum Chriſtus revelabitur, Ibi populi & Gentes current ad montem Domini & civitatem Ieruſalem, Verum longe alias ob cauſas. Non enim ſacrificabunt, non ibi adorabunt, ſed ibi audient & doceri ſe ſinent de viis Domini, ab ipſo Domino.

Regnum Chriſti habet novas res.

Ad hunc modum, non ſolum abolitionem cultuum legis, & ſacrificiorum Propheta ſignificat, Sed etiam docet de novo Verbo, cujus, non ut legis, aliquam notitiam homines habent, ſed quæ mere cœleſtis & ab omnium hominum cordibus abſcondita eſt. In cujus enim cor unquam deſcendit, quod ſimus ſalvi merito Chriſti Ieſu, qui pro nobis mortuus eſt? Filius qui in ſinu Patris eſt, iſte enarravit nobis hæc,

Ioan. 1.

Matth. 3. Rom. 2. hæc, de quo Pater de cœlo mandat, Hic eſt Filius meus dilectus, Hunc audite. Lex præterquam quod in ipſam naturam implantata eſt divinitus, ſicut Paulus erudite diſputat, etiam in Gentium cordibus eſſe cogitationes, quibus aut accuſantur male facta, aut defenduntur bene facta, etiam per Moſen antea tradita, & Iudæis oſtenſa eſt. Itaque Chriſtus in novo Teſtamento novum doctrinæ genus affert, quo de remiſſione peccatorum docemur, & donamur ſpiritu ſancto, ut ambulemus in viis Domini, dum & credimus promiſſionibus de Chriſto, & ſpiritu ſancto adjuti reſiſtimus peccato, & excitamur ad obedientiam Deo in omnibus præſtandam.

Ad hunc modum docet Propheta hic de Eccleſia novi Teſtamenti, quod ſit habitura Doctorem ipſum Dominum, qui eam doceat de ſuis viis, Sicut etiam in 2. *Pſal. 2.* Pſalmo dicitur, Ego conſtitui Regem meum, ſuper Zion montem ſanctum meum. Hic rex annuntiabit præceptum, dicens, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, &c. Hæc eſt clara ſententia, Regnum Chriſti poſitum eſſe in docendo, Sicut Prophetæ *Pſal. 110. & 45.* ideo ipſum Evangelium vocant Sceptrum, ut Pſalmus 110. & Pſalm. 45. Sceptrum æquitatis eſt ſceptrum regni tui. Nam de verbo loquitur, quod certum ac firmum eſt & fallere non poteſt.

Sicut autem Rex eſt doctor, ita ſequitur, quod hujus Regis ſubditi, ſint audi- *Qui in regno Chriſti ſunt, ſunt audituri.* tores & diſcipuli, qui audire Regem ſuum debent, nec unquam audiendo fatigantur. Eſt enim Evangelium doctrina plane inexhauſta, quam nunquam audimus ſine ſingulari fructu. Ac nobis quoq; expedit, ut ſimus aſſidui in audiendo hoc Rege noſtro, propterea quod nullum tempus abit, quo non aut doctrina, aut conſolatione, aut admonitione, aut etiam confirmatione nobis opus ſit, tum propter Satanæ hoſtis noſtri aſſiduos inſultus, tum etiam propter imbecillitatem carnis noſtræ, & varia ſcandala, quibus in mundo exercemur ac irritamur, Nulla autem poteſt eſſe firma conſolatio animorum contra peccatum, Satanam & mortem, quam quæ ex verbo petitur. Merito igitur hoc primum beneficium hujus regni commemorat, & prædicat Propheta, quod ipſe Dominus docebit ſuos de viis ſuis. Et quod poſt hanc doctrinam futurum eſt, ut ambulemus in ſemitis ejus. Nam Chriſtus per Evangelium in nos effundit Spiritum ſuum, & eſt in nobis efficax, Vt ſicut Satan in ſuis operatur mortem & peccata, ita Chriſtus per Spiritum ſuum in nobis excitat & operatur fidem, charitatem, patientiam, & quicquid eſt aliarum virtutum, quas obedientia erga legem Dei requirit.

Notanda autem hic quoque excluſiva eſt. Sicut enim qui hunc doctorem au- *Qui Chriſtū non audiunt, non poſſunt ſcire ſemitas Domini.* diunt, ambulant in ſemitis Domini, hoc eſt, regenerati per Spiritum ſanctum, propter fidem Deo placent, & grata eſt ipſorum obedientia. Ita ſi hunc Doctorem non audias, impoſſibile eſt, quod gloriari poſſis te ambulare in ſemitis Domini. Poſſunt eſſe ſemitæ tuæ, Franciſci, Dominici, Benedicti, hoc eſt, humanæ viæ, ſed non Domini viæ, Tanto debet major reverentia, ſtudium & cura Verbi in nobis eſſe. Hoc enim cum retinemus, habemus Domini vias, & quanquam infirmitas noſtra magna eſt, tamen primitiæ ſpiritus non erunt ſine omni fructu, Exerent ſe reſiſtendo carni & cupiditatibus ejus, Excitabunt ad fiduciam auxilij Dei in malis, Excitabunt ad timorem Dei, ne in ſecundis rebus ſecuri ſimus, Accendent animos ad ſtudium concordiæ, ad charitatem, ad patientiam, ad ignoſcentiam, &c. Hæc omnia enim Propheta complectitur, cum vias Domini vocat, etſi, ut dixi, in tanta animorum imbecillitate, hæc quoq; infirma ſunt, & ſæpe obruuntur vitioſis affectibus. *Via Satanæ.*

Sed ubi verbum non eſt, ibi etſi diſciplina aliqua eſſe poteſt, tamen non poſſunt ibi eſſe ſemitæ Domini. Et Satan contrarios motus in impiis excitat, implet animos ſecuritate & fiducia propriorum donorum, Itaque etiamſi calamitas ingruit, tamen nulla fit ſeria invocatio, ſed quæruntur humana præſidia, fervent alii motus tali autore digni, contemptus fratrum, avaritia, luxus, ambitio, &c. Quanquam hæc plerunq; ab hypocritis ſingulari pietatis ſpecie, & fucoſis operibus teguntur. Hæ ſunt Satanæ & hominum propriæ viæ, in quibus neceſſe eſt omnes ambulare, qui hoc Doctore aut deſtituti ſunt, aut eum audire nolunt.

De Zion egredietur Lex & Verbum Domini de Ieruſalem.

Sed quid ſibi vult ratio addita, Quoniam de Zion egredietur Lex, & Verbum Domini de Ieruſalem? Hoc nimirum, ut & propriam cauſam cognoſcamus, cur tanto numero Gentes ad montem Domini confluant, & diſcamus hoc Verbum à verbo Legis diſcernere. Hic enim iterum omnes hujus regni theſauros in verbum transfert. Dicit autem aliud Verbum fore quam de Sinai exivit per Moſen, Lex inquit, de Zion exibit, & Verbum de Ieruſalem. Hic niſi percuſſi amentia & cæcitate Iudæi eſſent, an non clare oſtendit Propheta, hoc regnum non fore corporale? Siquidem poſt illam magnificam prædicationem de confluentibus Gentibus nihil aliud dicit quam quod Dominus docebit, & verbum, inquit, egredietur de Zion.

Cur autem promittit novum Verbum, ſi illud à Moſe datum valere debet? Valet quidem Lex, & debet valere ad nos docendos de obedientia erga Deum in hac vita, Sed de poſſeſſione futuræ vitæ, non ſolum nihil promittit, verum etiam ſpem ejus adimit, dum nos convincit, quod voluntati Dei non ſatisfecerimus. Hinc oritur illud animorum horribile periculum, ut cognita voluntate Dei ex lege, nihil quam mortem & damnationem noſtram ſentiamus. Implentur igitur animi deſperatione, & ira contra judicium Dei. Summa igitur Dei bonitas eſt, quod per Evangelium aliter nos de ſua voluntate docet, In eo annuntiatur remiſſio peccatorum per Chriſtum. Hanc animi, lege perterrefacti, accipiunt ſumma cum voluptate, Deum prædicant, ejus bonitatem admirantur, Miſericordia ejus fidunt, in nomine Chriſti invocant, & læti promiſſionem futuræ vitæ expectant, Satanæ & carni ſuæ reſiſtunt. Atq; hæc omnia faciunt per Doctorem huius Verbi, quod de Zion egreditur, Sic enim docetur verbum hoc, ut ſimul Dominus addat Spiritum.

Horum nihil Moſes per Legem, in Sinai vulgatam facit. Oſtendit quidem, quid faciendum ſit, ſed quia non ſimul dat Spiritum ſanctum, non ſolum fruſtra id docet, ſed etiam dubitatione, deſperatione & blaſphemia implet animos, cum vident aliam legem in ſuis membris, repugnantem legi Dei, & accuſantem ipſos. Ideo Moſes eſt formidabilis Doctor, quem fugiunt homines, Sicut ad montem Sinai pavebat multitudo, in iſta horribili ſpecie. Sed ad hoc verbum, quod in Zion egreditur, accurrunt Gentes magno numero, &c. Eſt autem emphaſis in appellationibus Legis, & verbi Domini. Semper n. Prophetæ cum hoc novum regnum prædicant, oblique reſpiciunt ad regnem Legis. At Iudæi impenſe gloriabantur, quod haberent legem Dei, & verbum Dei. Sicut etiam hanc prærogativam Pſalmus commendat, Non fecit taliter omni nationi, Et Paulus, His ſunt concredita Oracula Dei. *Pſal. 147. Rom. 3.*

Hanc gloriationem & prærogativam, qua Iudæi tempore Evangelij ad Evangelium aſpernandum abuſuri erant, Propheta hic notat. Q. d. magnifice vos effertis, quod habetis Legem & verbum Dei, Sed de hac lege, de hoc Dei verbo potius gaudete & gloriamini, quod non exivit de Sinai, ſed quod de Zion egredietur. Ibi enim non docebimini, quid debeatis facere, ſed & remittentur vobis peccata, & dabitur vobis Spiritus ſanctus, ut, quæ Deus præcepit, poſſitis facere. Quod ſi etiam illa ſatisfactio ſeu obedientia non plena, ſed vitioſa eſt, remiſſione peccatorum, quod vitioſum eſt, tolletur, & tamen ipſa obedientia propter fidem in Chriſtum placebit. Hæc Lex (quam propter antitheſin ſic appellat, ſicut Paulus quoque appellat legem Spiritus, ipſam doctrinam Evangelij, ſeu fidem apprehendentem remiſſionem peccatorum) hoc verbum, inquit, conſolabitur corda, ubi Lex Moſi, dum docet quid faciamus, non autem facultatem faciendi præſtat, terret, conſcientias exercet, & occidit. Si igitur legem, ſi verbum Dei vultis jactare, hoc quod de Zion exibit, jactate, &c. Nunc de fructu doctrinæ, quam Dominus in Zion docebit, dicet.

Et judicabit inter populos multos, & arguet Gentes fortes procul diſſitas.

Regnum Chriſti in verbo poſitum.

Hic addit Propheta quaſi expoſitionem ſuperiorum, ut clare doceat, quod hoc regnum, non in externa vi, aut armis, ſed in Verbo ſit poſitum, & quod Gentes ad id pertineant. Non erat rarum etiam in Lege, ut convenirent Gentes Hieroſolymam, ſicut Naaman, Regina Sabæ, & ſine dubio aliqui vicini Reges, ut

Rex

Rex Tyri & alii, Sed Propheta hic dicit futurum, ut Rex, qui in Ieruſalem ſuos cives docebit, etiam doceat magnos populos & arguat gentes fortes, longe ab Hieroſolymis diſſitas. Hoc eſt, quod Lucæ ultimo dicitur, Pœnitentia & remiſſio peccatorum prædicabitur εἰς πάντα τὰ ἔθνη, in omnes gentes, ſic tamen, ut incipiat à Ieruſalem.

Porro cum Scriptura etiam Gentes ad Regnum Chriſti acceſſuras dicit, non ſolum abjicit Moſen cum Politia ſua, tanquam inutilem Doctorem ad æternam vitam, ſed ſimul oſtendit Regnum Chriſti eſſe regnum gratiæ & remiſſionis peccatorum. Quid enim eſt eſſe Gentilem, quam non pertinere ad populum Dei, eſſe ſine lege, vivere in peccatis, in idolatria, in impietate? Quod igitur tales ad regnum Chriſti vocantur, an non regnum Chriſti vere tale regnum eſt, in quo non judicatur ſecundum opera, ſed annunciatur gratuita remiſſio peccatorum per Chriſtum? Sicut Paulus quoq; dicit, juſticiam Dei revelari in Evangelio ſine lege, hoc eſt, In regno Chriſti juſtos haberi eos, qui carent juſticia Legis, & qui peccatores ſunt, Si ſcilicet credant, per Chriſtum peccata ſua ſublata eſſe.

Vocatio Gentium probat hoc regnum eſſe regnum gratiæ.

Rom. 3.

Atq; hoc eſt myſterium illud, ſicut Paulus appellat. Nam corda noſtra cum vident indignitatem ſuam, dubitant de gratia Dei, Si enim peccata, quorum nobis conſcii ſumus, abeſſent, confideremus Deum nobis propicium eſſe. Sed huic dubitationi opponenda ſententia hæc eſt, Quod Chriſtus Evangelium, hoc eſt, remiſſionem peccatorum, non ſolis Iudæis, qui legis juſticiam habent & populus Dei ſunt, annunciat, ſed Gentibus quoq;, hoc eſt, iis qui non ſunt populus Dei, ſed miſeri peccatores. Vtitur autem Propheta ſignificantibus vocabulis, cum vocat populos multos ſeu magnos, eſt enim vox (Rabbim) & gentes fortes. Commendat enim hoc modo potentiam Verbi, quo non alia res in mundo contemptior eſt, Et tamen huic contempto verbo, niſi credant gentes & populi, quantumvis magni ac fortes, peſſum ibunt, ſecundum ſententiam, Qui non crediderit, condemnabitur. Hoc periculo moventur populi & gentes, ac ſubmittunt colla Evangelio, patiuntur ſe judicari, hoc eſt, oſtendi & argui peccata, Ea agnoſcunt, & credunt remiſſionem per Chriſtum.

Marc. 16.

Rabbim.

Verbi potentia.

Nam Propheta hoc in loco verbo judicandi & arguendi utitur, ſicut Chriſtus Iohan. 16. Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, de juſticia, & de judicio, Hoc eſt, in Evangelio arguentur homines, ut agnoſcant incredulitatem eſſe ſummum peccatum, & docebuntur, ut remiſſionem peccatorum credant per Chriſtum donari, & ut ſtatuant tyrannidem Satanæ fractam eſſe, ne poſſit iis nocere, qui in Chriſtum credunt. Sicut Propheta hic quoque addit de fructu, qui hoc judicium, & caſtigationem hanc ſequetur.

Iob. 16.

Et cudent ex gladiis ſuis vomeres, & ex cuſpidibus falces. Non elevabit gens contra gentem gladium, & non ſtudebunt amplius bello.

Eadem ſunt Ieſa. 2. Sed priuſquam de Prophetæ ſententia dicam, eorum error reprehendendus eſt, qui legitimam armorum tractationem putant Chriſtianis prohibitam eſſe, Sicut Anabaptiſtæ non ſolum impium eſſe ducunt belligerari, ſed etiam hanc ſanctitatis laudem putant, ſi quis ſine telo & inermis incedat. Atqui primum conſtat Prophetam hoc in loco nihil agere de Magiſtratu civili, ſed de regno Chriſti. Relinquit igitur Magiſtratui Politico ſuam adminiſtrationem integram, ut pax publica conſervetur, qua etiam Eccleſiis opus eſt. Porro ſine armis pax retineri nequit, Et bella eo fine geruntur, ut non ſolum depellantur injuriæ, ſed ut firma pax conſtituatur.

Eſai. 2.

An Chriſtiano prohibitum ſit belligerari.

Si quis igitur ita ſacrarum rerum imperitus eſt, ut hæc eo accommodet, ne Chriſtiano aut arma gerere, aut iis legitime uti liceat, Is ſententiam Prophetæ ineptiſſime pervertit. Nam transfert ſententiam à Chriſti regno ſpirituali ad regnum corporale. Idque contra manifeſtam ſcripturam, quæ Magiſtratui neceſſitatem imponit, defendendi ſubditos ab injuſta vi, & cuſtodiendæ pacis. Sicut Abraham armis defendit Lot, & regum hiſtoriæ oſtendunt, non ſolum maxima bella geſſiſſe pios Reges, ſed etiam conſilia eorum fortunaſſe Deum. Et manifeſta ſententia eſt in Concione

Pax in regno Chriſti.

gitized by Google

Iohannis de pœnitentia;ubi jubet milites contentos eſſe ſtipendiis ſuis. Probat enim armorum legitimum uſum, vel conceſſum, vel mandatum à Magiſtratu, nec jubet abjicere arma. Vera igitur hujus loci ſententia eſt, quod Propheta figurate loquitur de fructu,qui Evangelium inGentes vulgatum ſequitur. Poſtquam enim homines de peccatis ſuis, item de ira & judicio Dei ſunt admoniti (hoc enim eſt quod Propheta de judicandis populis dixit,& arguendis gentibus) Etiam de remedio,quo huic malo occurri poteſt,docentur,Nempe de remiſſione peccatorum,per filium Dei parta,qui ſe dedit victimam,ſeu,ut Paulus elegantiſſime dicit, λύτρον,hoc eſt,precium,quo peccata noſtra redimerentur. Luc. 1.

Hæc Evangelij promiſſio terrores illos peccati & legis tollit, ac corda reddit quieta. Vident enim Deum propter filii ſui mortem non amplius iraſci nobis. Viciſſim igitur amant Deum,fidunt ejus benignitate,agunt ei gratias,quod per Filium ſuum à morte & peccatis liberaverit. Sicut Paulus hoc ipſum ſine figura dicit, quod Propheta hic figurate voluit dicere. Iuſtificati, inquit, fide pacem habemus apud Deum, Hoc eſt, poſtquam corda perſuaſa ſunt, peccata noſtra à filio Dei ſublata, & Deum nobis per Filium reconciliatum eſſe (nam hoc vocat Paulus fidem) fit, ut homines nihil metuant à Deo,quem placatum norunt, ſed conſolantur ſe miſericordia ejus, & ſunt bono animo etiam in cruce & periculis. De tali pace Propheta hic loquitur, qua corda liberantur metu mortis & judicii Dei, per Evangelium de Filio Dei tradito propter peccata noſtra.

Pax inter conſortes fidei.

Quia autem per Evangelium exæquantur omnes (Sicut enim Deus ſub peccatum omnia concluſit,Ita etiam omnium vult miſereri) Sequitur ex hac exæquatione etiam pax externa inter Eccleſiæ membra, nec manet amplius acerrimum illud odium,quod fuit inter Iudæos & gentes,ſtante adhuc maceria legis. Quid enim aut Iudæus ſe præferat gentili,aut gentilis Iudææ, cum Ieſus Chriſtus filius Dei æqua & communis omnium poſſeſſio ſit ? Cum omnes ſimus baptiſati in mortem Chriſti,& vivamus in ſpe æternæ vitæ, per Chriſtum conſequendq ? Fit igitur, ut qui ante cognitum Evangelium, odio iſto, tanquam acutis gladiis & venenatis telis, uſi ſunt, hi nunc inter ſe concordes vivant, & utantur illa ſancta concordia, tanquam vomeribus & falcibus, ad ſecandos & metendos nobiles illos fructus fidei, erudiendo alios quoq; ad juſticiam, & invitando eos pietate & inculpatis moribus, ad cognoſcenda & conſequenda beneficia, quæ Evangelium nobis per filium Dei oſtendit exhibita eſſe.

Ideo addit Propheta,Non elevabit Gens gladium contra gentem, nec erit amplius ſtudium belli, hoc eſt,Erit ſumma animorum inter ſe conjunctio,poſtquam homines hoc modo agnoſcunt Chriſtum, & per remiſſionem peccatorum corda pacata ſunt. Non ſtudebunt amplius bello, Hoc eſt, non ſolum non nocebunt aliis, ſed omni genere officiorum inter ſe utentur, re & opera juvabunt fratres,ac præcipue illa eximia præſtabunt, ut doceant rudes; ut admoneant incautos, ut caſtigent ignavos, ut conſolentur pavidos, ut exhortentur periclitantes, ut confirment infirmos, &c. Hæc enim officia in Eccleſia debent eſſe perpetua. Etſi autem propter carnis moleſtas ac vitioſas cupiditates,deinde etiam propter Satanæ inſidias, non ab omnibus hæc ita fiunt, ſed etiam Sancti ſæpe labuntur & peccant,tamen Verbum tanquam lucerna,ſemper præit monendo,& docendo hæc,ut ſaltem agnoſcant credentes infirmitatem ſuam,& ei non indulgeant,ſed reſiſtant malis cupiditatibus, & mortificent carnem ſuam. Hæc verbi aſſidua quaſi exhortatio non eſt ſine fructibus in Eccleſia, etſi fructus iſti,propter infirmitatem,minus ſunt conſpicui.

Et ſedebit unuſquiſq; ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, nec erit qui eos terreat,
Quoniam os Domini Zebaoth locutum eſt.

Significant hæc quoque ſummam tranquillitatem, qua animi fruentur, qui in iſta Evangelij prædicatione acquieſcunt. Et tamen videtur Propheta ſingulari conſilio primum voluiſſe uti non una tantum ſpecie arborum, deinde talibus arboribus, quæ & fœcundiſſimæ ſunt, & propter fructum ſolum, non propter umbram aut ſpeciem

ſpeciem coluntur. Nam & in Eccleſia variæ ſunt functiones, & officia varia, & nullus Chriſtianus eſt, quin in ſuo genere ſit tanquam fœcunda vitis ſeu ficus. Diverſa officia ſunt, docere Eccleſias, & adminiſtrare gladium, ſicut diverſæ ſpecies ſunt, vitis & ficus, Et tamen utraq; habent ſuos pulcherrimos fructus. *Vitis & Ficus.*

Doctor ſua diligentia oſtendit voluntatem Dei & ſalutem. Magiſtratus civilis eſt cuſtos pacis, defendit bonos, malos punit. Quanta diverſitas eſt inter Oeconomos? Sed ſi Chriſtiani ſint, ſinguli ſuos nobiles fructus habent, quibus alios juvant. Deinde illa omnium & ſingulorum cura eſt, ut propagent noticiam Dei, ut in periculis ſe & alios erigant fiducia auxilij divini, ut invocent Deum, ut vincant mala præſentia ſpe futuræ immortalitatis, ut ſint patientes, non cupidi vindictæ, &c. Ad hunc modum ſinguli in ſuo vitæ genere habent vitem & ficum ſuam, plenam ſuaviſſimis fructibus, nec eſt qui eos terreat. Non quaſi aut Mundus aut Satan non plurimum periculorum contra eos excitaturi ſint. Sed primum iſta fiducia miſericordiæ & verus ejus fructus, nempe æterna vita eis non excutitur. Deinde quanto tentationes ingruunt validius, tanto uberior occaſio adeſt, exercendæ fidei per invocationem, quæ certam promiſſionem habet liberationis, & ſecuritatis, de qua Propheta hic loquitur.

Particula quæ additur, Quoniam os Domini Zebaoth locutum eſt, eſt confirmatio tam magnificæ promiſſionis de regno Chriſti, qua opus erat, propter illud ingens ſcandalum vaſtationis & captivitatis regni Iuda. Videbatur enim non ſolum exitium toti populo & religioni imminere, ſed etiam in dubium revocari promiſſio de regno Chriſti. Conſolatur igitur Propheta pios, ut in illa publica calamitate magno ſint animo, & ſe conſolentur certa ſpe regni Chriſti futuri, in quo & remiſſionem peccatorum & vitam æternam, hoc eſt, ſummam pacem & ſecuritatem omnes conſecuturi ſint, qui in Ieſum Chriſtum credunt. Nam os Domini Zebaoth hæc locutum eſt.

Quoniam omnes populi ibunt, ſinguli in nomine Dei ſui, Nos autem ibimus in nomine Domini Dei noſtri in ſeculum, & in perpetuum.

Hæc particula videtur pugnare cum ſuperioribus. Quomodo enim convenit, quod ſupra dixit, Gentes & populos multos venturos, cum eo quod nunc addit, Singulos populos ambulaturos in nomine ſui Dei? Sed reſpicit Propheta ad Satanæ & mundi maliciam. Sicut enim cum Chriſtus hujus regni præco eſſet, impii Iudæi, Phariſæi, ſacerdotes, Reges à Satana concitabantur contra Chriſtum, & Apoſtolos, ita ſemper in mundo accidit. Nunquam hoc verbum regni Chriſti prædicatum eſt, quin alii ſe opponerent, quin alii alios Deos & religionem aliam ſequerentur, Sicut Chriſtus quoq; oſtendit, cum dicit, Pauperes evangelizantur, Item, Si meum verbum ſervaverunt, etiam veſtrum ſervabunt. *Regnum Chriſti nunquam ſine adverſariis & hoſtibus.*

Pertinet igitur particula hæc ad docendam Eccleſiam & præmonendam de ſcandalo, Quod ubicunq; hoc regnum in mundo eſt, ibi etiam erunt, qui hunc Deum nolint ſequi, & glorientur de aliis Diis, de alia religione, & cultibus aliis, Imo quod ſemper erunt, qui veram Eccleſiam damnabunt, tanquam quæ non habeat Deum. Sic enim ſingulæ gentes ambulant in nomine Dei ſui, ut diverſa ſequentes judicent eſſe impios. Sicut hodie adverſarij noſtri nos tanquam hæreticos damnant, appellant membra ab Eccleſiæ corpore reſecta, &c. Quia perſuaſi ſunt, nos à Deo abjectos, ſe autem ſolos verum Deum habere & eſſe veram Eccleſiam. Hoc ſcandalum magnum eſt. Nam primum vehementer dolet piis animis, veram doctrinam ſic blaſphemari à mundo, Deinde nonnunquam iſta ſecuritate adverſariorum ſolicitantur ad dubitationem.

Propheta igitur poſtquam de periculo hoc admonuit, Nunc etiam conſolationem addit. Nos autem, inquit, ibimus in nomine Dei noſtri, Hoc eſt, Si gloriantur adverſarij de ſuis diis, ſi damnant, contemnunt & blaſphemant Deum & verbum noſtrum, viciſſim nos gloriemur de Deo noſtro, damnemus viciſſim ipſos. Scimus enim *Conſolatio adverſus hoc ſcandalum.*

nos habere Dominum qui eſt (Iehova) hoc eſt, ſcimus nos habere verum Deum, ipſos autem eſſe idolatras. Tribuit itaq; hoc in loco Propheta Eccleſiæ liberam confeſſionem, ut non patiatur ſe terreri judiciis falſæ Eccleſiæ, ſed ut primum magno animo pergat in viis Domini Dei ſui, Deinde ut libere damnet diverſa ſequentes.

Eccleſia patiens & animoſa eſt, &c.

Debet quidem Eccleſia eſſe patiens, humilis & officioſa, ſed cum verſatur in ſuis rebus. At cum de doctrina, de cultu Dei, de ipſo Deo agitur, ibi debet ſuperba ac animoſa eſſe, ac libere ſine diſſimulatione damnare omnes errores, & ſua defendere. Hoc enim non ſolum ad Chriſti gloriam, ſed etiam ad animorum ſalutem pertinet.

Si enim Adverſarij dogmata ſua libere, & nemine damnante, in publicum ſpargerent, multo plures ſeducerentur, Nunc, cum & damnamus eos, & noſtra defendimus, cum gloriamur etiam de lumine Verbi, quod apud nos eſt, ac Pauli exemplo etiam Angelos anathematizamus, ſi diverſum doceant, ſalvatur Chriſto honos ſuus, & Satanæ conatus franguntur, non valentis tam multos in fraudem inducere. Ad hanc ſuperbiam & obſtinatiam vocat Propheta hic Eccleſiam, & promittit quod illi, qui hunc Dominum habent, & in viis ejus ambulant, hoc eſt, qui Verbum ejus ſequuntur & retinent, erunt in ſeculum & in perpetuum, hoc eſt, quod manebunt populus Dei, etiam poſt hanc vitam in ſempiternum. Hoc teſtimonium de reſurrectione & vita æterna dignum eſt notatu. Agnoſcamus igitur theſaurum, quem nobis Dominus dedit, revelato regno Chriſti, & patientes in adverſis, gloriationem hanc veræ doctrinæ ac ſpem vitæ æternæ retineamus, neglectis illis, qui alios cultus & Deos alios ſequuntur, ac noſtram doctrinam damnant.

In die illa dicit Dominus, Colligam claudicantem, & congregabo ejectam, quam afflixi.

Dixit haſtenus de regno Chriſti, quod per doctrinam Evangelij incipiet in Ieruſalem, Ac etiam de gentibus addidit, quod ſint ſe regi Chriſto adjuncturæ, Eo tempore, inquit, cum iſta ſic fient, erit alicubi claudicans & in longinquas terras projecta mulier, Eam etiam adducam ad hoc regnum, & amplectar. Porro uſitatum eſt in Prophetis mulieris nomine appellare Gentem vel populum. Hæc igitur claudicans & projecta mulier eſt domus Iſrael, quam Propheta ſupra cap. 2. ſic dicit projiciendam & diſſipandam in gentes, ut & amplius non ſit pars in ſorte Domini, hoc eſt, ut ſtante illa republica & cultu Moſaico, non ſit reditura in terram ſuam.

Claudicans vocatur regnum Iſrael.

Claudicans.

Vocat autem (Hazoleah) claudicantem, ſive ob ſterilitatem, quod quibus os fœmoris loco motum eſt, parum ſint aptæ ad partum, ſive quod domus Iſrael (ſicut Elias quoq; loquitur) poſtquam ſe à regno Iudæ avulſit, in perpetua idolatria vixerit, nec recte inceſſerit in cultu Dei divinitus inſtituto. Et hæc appellatio oſtendit cauſam calamitatis, quod propter idolatriam regnum Iſrael vaſtatum ſit. Neceſſaria itaq; hæc conſolatio fuit, Quod etſi ſpes, redeundi ad populum Iudæorum, præciſa eſſet, tamen audiunt ſe non ideo excludendos eſſe à regno Chriſti. Vult itaque Propheta, ut non ſolum reſpiciant in præſentem vaſtationem, quam Aſſyrius erat allaturus, ſed ut magis reſpiciant ad futuram collectionem, quam ipſe Dominus erat facturus, ut collecti ad Eccleſiam promiſſo ſemine fruerentur, & æternis bonis per ſemen Eccleſiæ fidelium partis.

Hæc tanta ſunt, ut facile fuerit bonis incommoda præſentis captivitatis & vaſtationis ferre. Quis enim in certa ſpe æternorum bonorum non facile patiatur temporalia ſibi adimi? Sed hæc tantum fidelium conſolatio fuit. Major autem pars fuerunt impii, qui & promiſſiones ſpiritualis liberationis neglexerunt, & cupiditate corporalium commodorum, non inviti ſe adjunxerunt gentibus, ſicq; in impietate perierunt. Porro hic locus clare explicat aliorum Prophetarum obſcuriores ſententias de reſtitutione decem tribuum Iſrael. Quia enim diſerte dicit reſtituendas eſſe, poſtquam regnum Chriſti in Ieruſalem cœpit, & gentes Evangelium amplexæ ſunt, ſine dubio reſtitutio talis erit, quale hoc regnum eſt, nempe non corporalis, qualem ſomniant adhuc Iudæi, ſed ſpiritualis, Quod Evangelio inter gentes prædicatio,

Reſtitutio regni Iſrael ſpiritualis.

dicatio,etiam ipſi credent,& participes efficientur beneficiorum Chriſti,per fidē in Chriſtum. Ac ſecundùm hanc ſententiam etiam intelligenda ſunt, quæ ſequuntur.

Et faciam ut claudicans habeat poſteritatem, & ut infirma creſcat in gentem robuſtam. Et regnabit Dominus ſuper eos in monte Zion, à modo usque in ſæculum.

Non hoc vult,quod potentiam & opes aſſequentur. Sicut enim Rex hujus regni pauper & calamitoſus in hac vita fuit, Ita etiam pauperes & calamitoſi erunt in hac vita,quotquot in eum credunt. Fruſtra igitur Iudæi expectant corporalem dominationem. Omnis gloria hujus Regis & ſubditorum in eo erit, quòd cum rege ſuo in æternum vivent. Eſt enim hoc in loco primum inſigne teſtimonium, quòd caput hujus regni,Chriſtus,ſit verus Deus,tribuit enim ei nomen veri Dei (Iehova) Deinde etiam eſt teſtimonium clarum de reſurrectione mortuorum,& alia vita poſt hanc vitam. Si enim Dominus regnabit ſuper eos, non ſolum in hac vita, ſed in æternum, Profecto neceſſe eſt,eos in æternum vivere. Deus enim eſt Deus non mortuorum,ſed viventium. Et cur prædicaretur hic tam magnificè regnum in mortuos, qui nihil ſunt? Si regnum eſt, eſt vivorum regnum. Sicut igitur neceſſe eſt omnes homines ſemel mori, Ita hujus regni ea vis eſt,ut in eo mortui,vivant iterum,& non moriātur. Sicut hæc in novo Teſtamento clarius dicuntur, Qui credit in me,etiamſi mortuus fuerit,vivet,Item: Vt omnis qui credit in Filium DEI, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hanc conſolationem deſertæ & abjectæ domui Iſraël proponit,ut ſpe horum æternorum bonorum ſe erigant,&vincant corporalia,incommoda quæ peccatis ſuis meruerunt.

Teſtimonia de divinitate Chriſti & reſurrectione mortuorum.

Iohan. 11.
Iohan. 3.

Sed quid eſt quòd dicit: Regnabit ſuper eos in monte Zion? Cur nominat corporalem locum, ſi reſtitutio hæc ſpiritualis ſolum & non etiam corporalis eſt? Hæc cauſa eſt, cur Iudæi adhuc corporalem reſtitutionem expectent, Siquidem Prophetæ corporalium locorum meminerunt. Et doctores alicubi etiam in has carnales opiniones delabuntur. Sed ſi quis Prophetæ verba videat, pulchrè cum experientia convenit. Res enim oſtendit Zion everſam & funditus vaſtatam eſſe, Fruſtra igitur expectatur corporalis loci & populi reſtitutio. Nec Propheta de corporali Zion loquitur,Loquitur enim de tali Zion,quæ duret in æternū. Non igitur de lapidibus & lignis loquitur,Sed de Zion,hoc eſt,de illo populo,qui Verbo,quod in Zion primum ſpargi cœpit,credit,& ſic ſalvatur. Hic populus, hæc Eccleſia credentiū in Chriſtum,eſt illa æterna Zion,ſuper quam regnabit Dominus. Sicut etiam Prophetæ alicubi in hanc ipſam ſententiam utuntur nomine Ieruſalem, pro eo populo, qui verbo,quod in Ieruſalem primum prædicatum eſt,credit. Ad hunc modum Prophetæ omnes abſurdas opiniones Iudæorum cautiſſimè quidem præcidunt. Sed cæci homines etiam quæ vident,non vident. Chriſtus dicit: Cœlum & terra tranſibunt, & tamen cæci homines ſomniant locum in terra æternum.

Zion ſignificat Eccleſiam.

Atque hic etiam non inconveniens eſt, arguere blaſphemam impudentiam Papiſtarum,in tanta verbi luce nondum ceſſantium à defenſione Primatus Pontificii,quòd Pontifex Romanus ſit caput Eccleſiæ in terris. Sed Propheta diſertè dicit, Dominus regnabit ſuper eos in monte Zion,à nunc uſque in ſeculum. Montis Zion meminit,ut ſignificet populum ſeu Eccleſiam in terris, Hæc aliud caput non habebit,quàm Dominum Chriſtum,Non enim is ſic deſeruit Eccleſiam ſuam, ut alio vicario opus ſit. Miniſtros habet in Eccleſia ſua,Dominos & Reges non habet. Ideo Antichriſticum eſt,quod Papa hanc dignitatem affectat,ac planè impium, quod etiam eam defendit. Nam pii ſequuntur Chriſti regulam, Reges gentium dominantur gentibus,vos autem non ſic.

Pontificem Romanum non eſſe Caput Eccleſiæ, &c.

Luc. 22.

Et tu Eder turris filiæ Zion caliginoſa, Decor tuus veniet, & veniet dominium primum, regnum filiæ Ieruſalem.

Hîc redit ad Regnum Iuda, Id quoniam per Babylonios vaſtandum, &

Conſolatio. populus captivus abducendus erat,etiam conſolatur, ne deſperet de tam præclaro regno Chriſti. Vocat autem Regnum Iuda turrim Eder, per Synecdochen. Quia
Turris Eder. turris Eder fuit in tribu Iuda,ſicut apparet ex capite Geneſ. 25. Viſitatum autem eſt, *Geneſ. 35.* totum denominare à parte,ſicut plerunque à parvis oppidulis magnæ Regiones no-
Eder. men ſortiuntur. Porro Eder ſignificat gregem. Quare etiam per allegoriam regno Iudæ hoc nomen convenit,in quo fuit Templum & cultus Dei, ad quem populus, tanquam greges,ad certum locum colligebatur.

Ophel. Atque ob hanc cauſam etiam Epitheton ei tribuit (Ophel Bath Zion) Significat autem (Ophel) propriè,quod quaſi intra nubila conditum,non facilè conſpici poteſt, Ac ſi dicas,caliginoſum, ſeu involutum nubibus. Hæc appellatio pulcherrimè convenit ad Eccleſiam,cujus dona ſumma ſunt, ſed ſunt abſcondita infirmitate & ſcandalis,ut oculis carnis non poſſint cerni. Ideo Eccleſia rectè dicitur Al-
Alma. ma,velata & abſcondita. Alii per metalepſin vocabulum (Ophel) accipiunt pro munitione ſeu propugnaculo,Neq; id ineptum eſt. Nam quod ad Propheram attinet,non de lapidibus loquitur,ex quibus turris hęc conſtructa fuit,ſed de ſummo dono hujus populi loquitur,quod habebant verbum & cultum Dei, & locum cultus ab ipſo Domino deſtinatum. Aliæ munitiones,potentia,opes,quantumvis magnæ,pereunt,& ſæpe nocent poſſeſſoribus,At noticia Dei,verbum,verus cultus Dei,hæc ubi ſunt,ibi ſunt homines tuti à ſpiritualibus nequitiis, Contra ubi non ſunt,ibi omnia ſunt pleniſſima maximorum periculorum. Hæc de Grammatica, nunc ſententiam videamus.

Inſtabat populo horribilis vaſtitas,itaq; ne omnino deſperarent, conſolatur eos,ne æſtiment rem ex præſenti facie. Nam vaſtitate illa tolli decorem omnem,qui tum in Politia,tum in ſacerdotio erat,Sed hic, inquit,eſt decor temporalis,quem a-
Spiritualis decor regni Chriſti. lioqui oportet ceſſare. Itaque nolite de eo valde eſſe ſoliciti. Eſt alius decor ſpiritualis & æternus,ille debetur huic regno, in hunc reſpicite, & ſpe hujus obliviſcimini temporalium incommodorum. Eſt autem ille decor primum dominium, ſeu primũ regnum filiæ Ieruſalem,q. d. Hactenus nullum verum regnum habuiſtis. Si opes,potentiam & alia reſpiciatis,floruit regnum ſub Davide, Salomone, & quibuſdam aliis Regibus,Sed quale Regnum fuit,cùm omnia morte conſtricta, peccatis polluta, & ira Dei oppreſſa eſſent? Sed cùm Chriſtus veniet, ibi demum verus decor & principale Dominium,cujus antea nihil ſimile fuit,veniet. Non enim dominabitur vobis amplius mors,non peccatum accuſabit vos,non Satan tyrannide ſua infeſtabit vos, ſed liberi eritis,quia Filius vos liberabit. Addit igitur:

> *Nunc quare ita miſerè vociferaris? Num Rex tuus non eſt tecum, aut Conſiliarius tuus periit? Siquidem te apprehendit dolor tanquam parturientem.*

Hæc eſt exhortatio,addita promiſſioni. Videt populum ita metu captivitatis & calamitatis eſſe oppreſſum,ut omnium promiſſionum obliviſcatur, Itaque horta-
Chriſtus vocatur Conſiliarius. tur,ne id faciat. Apprehendit,inquit,vos dolor tanquam parturientem,Itaque vociferamini,quaſi ille Rex,de quo dico,non ſit inter vos, & quaſi Conſiliarius ille vobis perierit. Sed malè facitis, Profecto veniet, Itaq; ne patiamini vobis ſpem iſtam excuti. Pertinet autem hæc particula ad nos docendos de infirmitate noſtra in periculis. Sicut enim extra periculum in rebus lætis animi labuntur in ſecuritatem,Ita cùm primum ingruunt pericula,pavemus & deſperamus, Iudicamus Deum nobis iraſci, nos abjicere,nos non velle curare amplius. Verum enim eſt quod David dicit, Omnis homo mendax. Nam in tentatione ita obruimur cogitationibus iræ Dei, ut *Pſal. 116.* obliviſcamur omnium ferè promiſſionum Dei.

Tribuit autem Propheta hîc Chriſto Regi,nomen Conſiliarii, ſicut etiam E-
Chriſtus Conſiliarius Eccleſiæ ſuæ. ſaias cap. 9. Quod etiam cùm affligi nos ſinit, conſulit nobis ne pereamus. Sed cùm *Eſa. 9.* captivi abducerentur,Iudæi judicabant ſe Deum conſiliarium amiſiſſe, & ſine omni ſpe auxilii in gentes abduci. Monet itaque Propheta, ut animi in tentatione contra

hanc

hanc dubitationem pugnent, propterea quod Ecclesia curæ est Regi & Consiliario suo. Etiam hoc monet, ut in periculis abstineamus à fiducia præsidiorũ humanorum, hoc enim est regi Christo nomen & honorẽ suum adimere. Tum enim ipsi debebamus nobis esse Consiliarii, si alium Consiliariũ non haberemus, Iam cùm Rex Christus habeat nomen Consiliarii & sit (Ioez) noster, cur sequimur, aut tentamus alia consilia? Si enim vel consiliis vel auxiliis fidendum est, quis non maximè hujus Consiliarii æterni & omnipotentis consiliis fidat? *Ioez.*

Sed habent hæc consilia aliam speciẽ, quàm consilia mundi. Mundi consilia magnifica & infallibilia esse videntur. Nituntur enim rebus, quas ratio videt & intelligit, opibus, potentia, sapientia, &c. At consilia hujus Regis, sicut etiam ipsum regnum, infirma sunt, & specie omni carent. Tum enim Deus suos liberat, cùm prius afflixit, Tum erigit, cùm prius pessundedit, Tum justificat, cùm prius in conscientia accusavit. Ideo mundus ab hoc Consiliario refugit, mavult opibus & potentiæ quàm Verbo inniti. Et tamen res ostendit, quod Christus dicit, Cœlum & terra transibunt, Verba autem mea non transibunt. Qui enim huic Consiliario innituntur, hi servantur & liberantur, sicut docet exemplum Iudæorum in captivitate, & tota Ecclesiæ historia. *Mundi consilia.* *Consilia Regni Christi.*

Dole & enitere filia Zion, sicut parturiens, Quoniam nunc egredieris de civitate, & habitabis in agro, & venies, usq; Babylonem, Ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.

Pertinet etiam hoc ad consolationem, quod tam certo captivitatem prædicit. Nam mala inevitabilia facilius feruntur. Ideo utitur etiã similitudine de parturiente fœmina, Non solum, ut magnitudinẽ periculi & doloris ostendat, sed magis ut certam spem liberationis faciat. Nam cum mulier apprehenditur doloribꝰ partus, hi dolores quid aliud significant, quam fœtum nunc maturũ esse, qui exeat ex utero matris in aliam vitã. Itaq; dolores hi non significant mortẽ, sed geminam vitam, ut & mater liberetur onere illo, & homo novus nascatur in mundũ. Sic inquit Propheta, vos quoq; cogitate, Affligemini & malè à gentibus tractabimini, itaq; gemetis & dolebitis. Id sanè non prohibeo, video enim impossibile esse nõ dolere in doloribus summis, sed debet hujus doloris modus esse. Captivitas certa est, Vos autem sicut in partu, sperate secuturum fœtum aliquem, Itaque enitimini, hoc est, spe & orationibus urgete imminentem commutationem, quam Consiliarius vester faciet, Non abjicite animum, &c. *Similitudo de parturiente.*

Nunc autem congregabuntur adversum te Gentes multæ, dicentes, Polluta est, Cum gaudio aspiciet oculus noster Zion.

Sicut Propheta antea ostendit, quæ sint judicia futura populi, cùm ingruet calamitas, quod desperabũt ac respicient ad humana auxilia, ac consolatus est populum contra hæc judicia, quòd Dominus sit Consiliarius, qui sic affligit, ut iterum liberet, Ita hoc in loco ostendit, quæ sint futura judicia gentium de populo Israëlitico sic afflicto, & etiam contra illa judicia gentium consolatur suos. Fiet, inquit, ut congregentur adversus te, Gentes validæ & multæ, nec tum est, ut expectes ab eis opem. Hoc potius fiet, gaudebunt de incommodis tuis, judicabunt, id quod res est, te dare pœnam peccatorum, te pollutam à Deo projectam & desertam esse, ideo parabunt se, ut te possint delere, Sed tu expectabis meliora. *Iudicia gentium de populo Israel*

De hoc affectu etiã concionatur Psal. 137. Nam & vicinis gentibus voluptati fuit, deleri hunc populum, & ipsi hostes miseris captivis insultabant, sicut dicunt, Cantate nobis canticum Sion. Hæc enim semper populi Dei fortuna est, ut Satan odium suum non possit explere, nisi etiã insultet eis in summis calamitatibus. Sicut impii Iudæi Christo pendenti & clamitanti, Eli, illudunt, Veniat Elias & liberet eũ. Mundus n. sic solet, cùm tempus postulat misericordiã, consolationẽ, opem, addit crudelitatem, ludibria, insultationes. Hæc inquit Propheta, vobis quoque *Ps.* 137. *Fortuna populi Dei.*

tum

tum accident, Sed nolite offendi. Ebraiſmus eſt in verbo: Videbit oculus noſter, ſignificat enim cum gaudio aſpicere & delectari videndo.

Sed hæ Gentes neſciunt cogitationes Domini, neque intelligunt conſilium ejus, Quoniam congregavit eas, ſicut manipulos in aream.

Conſolatur adverſus inſultationes gentium.

Hîc incipit contra inſultationes & maligna ſtudia Gentium conſolari populum ſuum, Non affligemini caſu, nec evenient omnia, ſicut Gentes impiæ nunc cogitant. Nam etiam Dominus habet ſuas cogitationes, & conſilia ſua. Ad ea oportebat vos reſpicere, non ad veſtra aut Gentium impiarum judicia. Videmini vobis & Gentibus colligi nunc, ceu manipuli, ut in area Babylonis trituremini, Sed mihi credite, Domini conſilia alia ſunt, nempe, ut Gentes tanquam manipuli colligantur, & vos eas trituretis. Atq; hæc ceu generalis doctrina eſt, quam diligenter in omnibus tentationibus, & periculis debemus ſequi. Nam in omni tentatione hoc primum eſt, quod cogitamus, nos à Deo abjectos, aut deſertos eſſe, ac Deum permiſſurum eſſe omnia libidini hoſtium noſtrorum & Satanæ. Contra has cogitationes conſolatur nos Propheta, & docet, quòd nulla tentatio, calamitas nulla incidat, niſi certo Dei conſilio. Non enim affligit Deus nos, ut reddat nobis ſecundùm peccata noſtra, alioqui non corporales, ſed æternas pœnas & calamitates immitteret, Nam peccata noſtra verè æternas pœnas merentur, Sed ut conſulat nobis. Eſt enim ſicut Propheta eum ſuprà appellavit (Ioez) ſeu Conſiliarius.

Quo conſilio Deus nos affligat.

Quod autem hoc conſilium eſt? Nimirum, ut hoc modo nos Deus revocet ad pœnitentiam, ut agnoſcentes peccata noſtra, convertamur & emendemur, & Deus iterum nos liberet, ac ſi glorificetur Nomen ejus. Quare in omni tentatione reſpiciendum erat primum ad vitam & mores noſtros. Emendanda erant, quæ vitioſa ſunt, de quibus nos Deus per calamitates admonet, ut ea emendemus. Sed homines ferè contrarium faciunt. Primum enim ſecure pergunt in peccatis, ita fit, ut calamitates quotidie creſcant. Deinde quærunt aliam viam ſalutis, nempe auxilia hominum, cùm Deus hoc conſilio calamitates immittat, ut agnoſcentes peccata, emendemur, & liberati à Domino, gratias agamus nomini ejus, &c.

Porro ſolet hæc Prophetia plerunq; exponi de regno Chriſti, quod per Apoſtolos Gentes trituratæ, hoc eſt, ad obedientiam Evangelii & fidei traductæ ſint. Sed quia hæc Prophetia infra ſuum locum habet, cùm de capite regni hujus in Bethlehē naſcendo vaticinatur, rectius videntur hæc transferri ad hiſtoriam, quod ſcilicet captivi Iudæi in Babylone per verbum, ad veram Dei noticiam & veros cultus, Gentes transferent. Sic Daniel per mirabilem occaſionem innoteſcit in aula Regis Nebucad Nezar, ac per eum, aliosq; pios cognitio Dei in totum Regnum ſpargitur. Sicut extant Edicta, quibus Rex ille omnes ſubditos hortatur ad cultum veri Dei. Idem accidit cum filio ejus Evil Merodach. Is enim niſi Deum Iudæorum habuiſſet pro vero Deo, neutiquam Regem eorum liberaſſet ex carcere, & regio loco habuiſſet. Interim Daniel cùm in Medis eſt, Darium & Cyrum inſtituit ad pietatem. Et extat inſigne Darii Edictum de Deo Danielis. Cyrus autem magnifica teſtimonia pietatis, tum in Eſaia, tum Ieremia habet, Et eſt inſigne ejus opus, quòd captivos Iudæos dimittit, & ſumptus addit ad ædificationem Templi, Eſdræ 5. Sic Artaxerxis pietas egregiè prædicatur, qui vult pro ſe & regno orari in Templo, & magnificos ſumptus ponit, tum in ædificationem tum in ſacra, Eſdræ 7.

Eſdræ 5.

Eſdræ 7.

Hæc eſt illa trituratio, de qua dicit Dominum cogitare, ad quam nunquam Iudæi veniſſent, niſi hoc modo in Gentes eſſent ſparſi. Fit igitur hic inſignis commutatio, Domi ubi habuerant Templum, peccaverant variè, Ideo dant pœnas impietatis, & abducuntur in exilium. In exilio autem colunt Deum, & ſanctiſſima opera faciunt, Non quidem ſacrificando, nam id extra Templum non licebat, ſed ſanctificando nomen Dei, & propagando regnum ejus, dum alios ad pietatem & juſticiam erudiunt. Hanc conſolationem vult, ut tum cogitent, cùm captivi abducentur, & jubet, ut magno ſint animo, ſicut ſequitur:

Surge

Surge & tritura filia Zion, Quoniam cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos.

Reſpicit ad triturationis uſum, quem habebant in Iudæa. Non enim flagris excutiebant grana, ſicut apud nos in Germania, ſed ſicut adhuc in Italia & aliis exteris nationibus ſolet, jumentis ad eam rem utebantur. Ideo dicit, Es meus bos, quem armabo ferreis cornibus, & æreis ungulis. Vngulis æreis opus eſt, ut non defatigentur nec atterantur excutiendo grana. Significat igitur efficaciam additam miniſterio docendi inter gentes, quòd non fruſtra docebunt, ſed ſicut ſolet dici. Bos laſſus fortius figit pedem, Ita ipſi ita prement & obterent Gentes, ut multus inde Deo & hominibus enaſcatur fructus. *Triturationis uſus apud Iudæos.*

Sed quid opus eſt cornibus ferreis ad triturationem, cùm ungulis ſolis utatur bos? Robur bovis eſt in cornibus, ſignificat igitur fiduciam & animum infractum in iis, qui inter gentes docebunt. Sicut inſignis ſociorum Danielis virtus fuit, qui ob honorem ſui Dei, procidere coram ſtatua noluerunt, Magnus animus quoq; in ipſo Daniele fuit, admonente & docente Regem, de futura pœna, Item objurgante impiũ Belſazarem. Hæc ferrea cornua ipſe Dominus trituranti bovi donavit, ut comminuerentur multi populi, nempe illi ipſi, qui ſe contra Zion congregaverant. *Daniel. 1.*

Devovi enim Domino opes eorum, & facultates eorum Domino univerſæ terræ.

Pulchrè Propheta ubique videt, quomodo apta & commoda remedia opponat perturbatorum cogitationibus. Metuebant boni, ne tanto tempore, quo eis in captivitate vivendum erat, omnia abirent in gentilitatem, At promittit Dominus, futurum, ut etiam Gentes ad cognitionem Dei veniant. Metuebant etiam, ne direptis facultatibus unquam Templum & Civitatem poſſent reſtaurare, Sed, inquit Dominus, hic quoque proſpiciam vobis, Sinite ut Gentes pro arbitrio nunc rapiant veſtra, Sinite ut ex rapina cumulent ſibi opes. Nam iſtas opes multi cumulant, ut ſuo tempore habeant poſteri veſtri, unde Templum reædificent. Sic citatur Eſdræ 5. decretum Cyri, Et ſuprà quoque diximus de liberalitate Artaxerxis Longimani. Ioſephus quoque aliorum Regum meminit, qui liberaliter Iudæos adjuverunt, ut ſuppeterent ſumptus annuorum ſacrificiorum. *Cornua ferrea.*

Admonentur autem hîc Principes officii ſui, ut ipſi quoque pro facultatibus adjuvent laborantes Eccleſias, Ac teſtatur hîc locus Prophetæ, qui hoc faciunt, hos divinitus ſic moveri. Quia enim dicit Dominus, Anathematizavi Domino opes eorum, Profecto divinum opus eſt, quod Cyrus, Darius & alii cultum Dei adjuvant. Contra, quod hodie maxima pars Principum in facultates Eccleſiis donatas involant, iis ad ædificationes, ad ſtipendia latrunculis conſtituenda, & alias res profanas abutuntur, hos quis dubitet à Satana regi & impelli? Cui utile eſt, aut vaſtas jacere Parochias, aut à talibus adminiſtrari, qui officium ſuum non intelligunt, atque ideo qualicunque conditione contenti vivunt. *Principes debent Eccleſias adjuvare.*

CAPUT V.

Nunc accingere filia bellatrix, Tenemur enim obſeſſi, & virga percutient maxillam Iudicis Iſrael.

MAgnifice concionatus eſt Propheta de iis, quæ poſt captivitatem eventura erant, Nunc redit ad Prophetiam de incommodis, quæ priuſquam hæc commoda contingent, eventura ſint, q. d. Dixi vos dominos Gentium fore, & captivaturos eos, ut defertis idolis unum & verum Deum vobiſcum adorent, Sed priuſquam hæc fient, pugnandum vobis erit. Veniet enim hoſtis & obſidione cinget Hieroſolymam, ac futurum eſt, ut Iudex Iſraël *Priuquã gentes convertantur, bella vexabunt.*

Iſraël percutiatur ſuper maxillam,hoc eſt,contumelioſè tractetur. Reſpuenda enim eſt ſententia,quaſi hîc vaticinetur de Chriſto,cæſo colaphis à militibus Pilati,ſicut Hieronymus & Lyra exponunt. Hic iterum Propheta tanquam calamitate captivitatis conſternatus,per tranſitionem,ſe vertit ad lætiorem concionem de regno Chriſti. Magnum,inquit,eſt,quòd captivitas erit occaſio futura,ut gentes convertantur ab idolis ad verum Deum, & facultatibus ſuis cultum veri Dei adjuvent. Sed hoc divinæ bonitati nondum ſatis eſt,cumulabit vos adhuc majoribus bonis. Vt enim certum ſignum habeatis Deum non deſerturum vos, ſed reſtituturum vobis patriam veſtram,Audite quid decreverit. Illa contempta & parva Bethlehem,quæ reſpectu Hieroſolymorum nihil eſt,non peribit. Ex ea enim mihi naſcetur Dux populi,qui erit Dux in æternum.

Et tu Bethlehem Ephrata,etſi parva es inter millia Iuda,tamen ex te mihi egredietur,qui ſit Dominator Iſrael, Cujus egreſſiones ab antiquo & à diebus ſeculi.

Zair. Quod ad grammaticam attinet,non diſplicet,quòd vocabulum (Zair) exponitur adverbialiter pro parum, ut conveniat ſententia cum Evangeliſta, qui dicit: Neutiquam es minima inter Principes Iuda. Erit autem tum ſic reddendus *Matth. 2.* textus,Tu Bethlehem Ephrata, parum eſt,ut ſis inter millenos Iuda, Loquitur enim phraſi Moſaica. Sicut enim Romani Centurias habuerunt,in quas diviſerunt populum,ita Ebræi diviſerunt in millenarios. Nec pugnat quod ſeptuaginta verterunt,ἐν τοῖς ἡγεμόσιν, inter Principes. Nam Ebræi quoque (Alphe Iehuda) Principes millenarios,ſicut Latini centuriones à centuriis vocant. Sed neque hoc in-
Zair. eptum eſt,ſi (Zair) accipias adjectivè,non enim in eo violatur Evangeliſtæ autoritas,qui ſeptuaginta translationem, non Ebraicum textum ſequi voluit, Sicut quoque cæteri Apoſtoli faciunt,certo ſuo conſilio per totum ferè novum Teſtamentum.

Habet autem Ebræus textus hoc in loco antitheſin, ſi reſpicias cogitationes captivorum. Norant Hieroſolymam jacere vaſtatam & in cinere, Itaque nihil habebant,quod ſperarent de reliqua terra. Nam regnum Samariæ jam antea à
Bethlehem. gentibus occupatum erat,Idem de regno Iuda cogebantur metuere. Sed Propheta contra has cogitationes eos conſolatur,Bethlehem,inquit,eſt ignobilis vicus,ſi compares ad Ieruſalem, & tamen non ſinam, ut aut pereat, aut à gentibus occupetur,manebit poſſeſſio populi,& manebit tam diu, dum mihi ex ea naſcatur,qui ſit Dux populi mei. Hæc ſententia etiam valet ad typum Eccleſiæ, Chriſtus non naſcitur Hieroſolymis, ſed in parva & humili Bethlehem. Ad hunc mo-
Eccleſia vera. dum Eccleſia vera, non magnos titulos, non opes, non dignitates amplas tenet, (Non multi,inquit Paulus,ſecundùm carnem nobiles aut ſapientes vocati ſunt, *1. Cor. 1.* Stulta mundi elegit Deus) ſed potius contempta, pauper, abjecta,imo cruce & *Ioh. 18.* ſcandalis oppreſſa eſt,ut verum eſſe ſtatuamus illud Chriſti, Regnum meum non eſt de hoc mundo.

Quòd autem Chriſto tribuit novum nomen,& vocat (Moſchel he Iſrael)
Chriſtus Dominus. id imitatus videtur Angelus,Luc. 2. cùm ad paſtores dicit: Vobis natus eſt hodie *Luce 2.* Chriſtus Dominus,Et Apoſtoli quoque eadem ratione Chriſtum ubique appellant Dominum, ſeu Dominatorem. Ipſe enim eſt, qui ſolus dominatur morti, *Iohan. 8.* peccato & Satanæ,ſicut Ioh. 8. concionatur,Liberi eritis,ſi Filius vos liberaverit.

Chriſtus natura Deus. Particula ſequens, Cujus egreſſiones ab antiquo, præcipuè notanda eſt. Sicut enim cætera,quæ ſequuntur,officium Chriſti oſtendunt, Ita hæc particula perſonam pingit,ut intelligamus de quali Domino loquatur. Quod igitur ad *Iohan 18. Coloſ. 1.* ſententiam attinet,convenit planè cum illo Iohannis, In principio erat Verbum, Item Ioh. 8. Antequam Abraham eſſet,ego ſum,Col. 1. Ipſe eſt primogenitus omnis creaturæ. Neque enim vocabulum (Mozaothaf) quod nos egreſſiones vertimus,Iudaico more depravandum eſt,quod ſignificet ab æterno ſeu ab antiquo *Galat. 4.*

promiſ-

promiſſum. Subſtantiam & ipſum eſſe ſignificat,quod extiterit à diebus ſeculi,antequam tempus aut ulla alia creatura eſſet. Sicut Paulus ideo ſignificanter dicit, In
Rom. 1. tempore natus de muliere,ut oſtendat eum ante tempus fuiſſe, Item ſecundùm carnem filius David,ut oſtendat eum,antequam carnem hanc indueret, extitiſſe.

Hîc igitur primum diſcernit hunc (Moſchel) ſeu Dominum,non ſolum ab omnibus hominibus,ſed etiam ab Angelis omnibus. Eſt enim tempus,quo neq; homo nec angeli fuerunt,ſed tum habuit ille Dominus egreſſiones ſuas,nec cœpit tum primum eſſe,cùm in carne cœpit eſſe. Pertinet autem hoc ad ſtabiliendam fidem noſtram. Quis enim non ſtupeſcit ad illas maximas res, quas Chriſtum ſolo verbo geſſiſſe Evangeliſtæ commemorant? Homini igitur ſeu creaturæ iſta impoſſibilia ſunt,ſed ei,cujus exitus ab æterno eſt,non ſunt impoſſibilia. Huic enim (licet ſecundùm carnem ſit creatura) omnis tamen creatura ſervit,tanquam Domino ſuo. Pertinent autem hæc ad nos quoque de vita noſtra docendos. Quia enim caput hujus Regni æternum eſt,debemus nos quoque ad æterna aſpirare,non adhærere mundo, ſed vivere,ac ſi eſſemus extra hunc mundum. Sicut Paulus egregie adhortatur ad
Coloſſ. 3. Coloſſenſes. Si cum Chriſto conſurrexiſtis,quærite quæ ſurſum ſunt. Hæc conveniebant ſubditis hujus Regis. Nam certum eſt,qui ſtudiis mundi & temporalium rerum occupati ſunt, hos Chriſti ſervos non eſſe.

Propterea dabit eos usq; ad tempus,quo parturiens pariet,& reliquiæ Fratrum ejus revertentur ad filios Iſrael.

Ferè ab omnibus exponitur hæc ſententia de ſpirituali partu, quod per Evangelium in gentibus ab Apoſtolis prædicatum,parta ſit Deo Eccleſia nova ex gentibus,Sed nihil prohibet,quam ſimpliciſſime intelligere parturientem beatam Virginem,quæ per Spiritum ſanctum concepit,& peperit Chriſtum in hunc mundum. *Parturiens.*
Oſtendit enim Propheta emphaſin,& ſignificat ſingularem partum, cujus ſimile in mundo neq; fuerit,nec futurum ſit. Sicut Eſaias quoq; cap. 7. eodem vocabulo utitur,Concipiet virgo & pariet filium,& vocabitur nomen ejus Emmanuel. Sententia igitur eſt, Antequam felix ille partus edatur, variè affligetur populus per poſteros Alexandri,per Romanos,per Herodem.Sed hæc corporalia incommoda penſabuntur,cùm ea,quæ parturit,hoc eſt,ea,de cujus partu Spiritus ſanctus vaticinatur,peperit. Ibi enim fiet,ut etiam reliquiæ fratrum ejus, hoc eſt, reliquiæ decem tribuum Iſraël,revertantur ad filios Iſraël,hoc eſt, ut amplectantur Evangelium, credant ac *Reliquiæ fratrum, &c.*
ſalventur. Hæc videtur ſimpliciſſima &genuina ſententia eſſe,quæ illam alteram includit de ſpirituali partu.

Admonet autem Propheta hîc tacite de ordine operum Dei, quod ſcilicet prius affligere ſolet,quam conſoletur,prius ſinit opprimi,quam liberet. Ac qui calamitatibus exercentur,iis hac admonitione opus eſt, ut non ſolum non deſperent, cùm ſentiunt incommoda,ſed tum ſe erigant ac certam ſpem concipiant, Deum affuturum ac oſtenſurum,tum potentiam, tum bonitatem ſuam in ſummis periculis. Caro autem diverſum ſolet,benè ſperat, cùm omnia cadunt ex ſententia, Contra, ubi paulo iniquior fortuna eſſe videtur, ſomniat iram Dei & interitum ſuum. Ideo *Deus primum affligit, poſt liberat.*
Propheta populum ſuum clare admonet,futurum, ut priuſquam illa promiſſio contingat,variè affligantur,ne in afflictionibus deſperent,quaſi promiſſiones de Chriſto non ſint implendæ. Opus autem habet hæc natura tali ordine operum Dei, ne ſecuri reddamur,ne inflemur ſucceſſu,ſed ut in timore Dei vivamus,& exerceamus tum fidem tum invocationem,&c.

Et ſtabit & paſcet in fortitudine Domini, in magnificentiâ nominis Domini Dei ſui,& habitabunt ſecurè,Quoniam tunc magnificabitur usq; ad fines terræ.

Hactenus perſonam pinxit, nunc etiam de officio hujus Domini docet, Ac initio dicit,Stabit,ut ſignificet non ocioſum fore, ſicut qui ſoluti jacent & ſtertunt. *Stare. Paſcere.*

Digitized by Google

Quid igitur faciet? Pascet. Hoc quid sit ex novo Testamento facile intelligi potest,
Pastoris officium. cum Christus dicit, Ego sum Pastor bonus, Item, Pasce oves meas. Habet enim mira- *Ioh. 10.*
bilem similitudinem Pastoris officium, cum officio Christi. Paster duo agit, ut etiam
Christus pascit & defendit. supra ostendimus, Pascit & defendit, Sic Christus pascit per Verbum, cum docet, Deum nobis favere, peccata remittere, vitam æternam donare velle per filium. Defensio autem vere mirabilis est, cum se objicit Satanæ, & sicut ipse dicit, ponit vitam suam pro ovibus suis.

Facit autem hoc in virtute seu fortitudine Domini, hoc est, potentia divina. Itaq; occisus Christus, vivit, victus vincit, oppressus opprimit, captivus captivat. Non *Act. 2.*
enim potuit teneri, sicut Petrus inquit, in doloribus mortis. Sed non solum in fortitudine Domini pascet, sed in magnifico & triumphali nomine Domini Dei sui. Mira profecto ratio, qua Dominus hic regnum suum administrat. Pascit in fortitudine Domini, & tamen non armis, sed simpliciter in nomine Dei sui vincit. Hoc vero illud
Nomen Dei. est, quod in hoc regno summum est. Quid autem dicemus esse nomen Dei, quam verbum ejus? hoc enim est verum pabulum, quod non Moses, sed Christus revela- *Ioh. 1.*
vit, secundum sententiam, Deum nemo vidit unquam, Filius, qui in sinu Patris est, enarravit nobis. Est autem hoc nomen magnificum, hoc est, triumphat & vincit, sicut Christus dicit, Portæ inferorum non prævalebunt, Et Esai. Verbum autem Domini *Matt. 16.*
manet in æternum. *Esai. 40.*

Etsi igitur admonemur periculi in eo, dum hic rex nobis proponitur, quod sit Pastor noster. Quis enim non videt periculum, quod ovibus à lupis & aliis feris est? Sic habet infirma hæc natura hostem Satanam, qui circumit, sicut Leo rugiens, & est *1. Pet. 5.*
intentus in omnes occasiones nocendi. Tam autem nihil præsidij in nobis contra hunc hostem est, ut ovis videatur multo esse tutior in medio luporum, quam nos sumus. Quid igitur faciendum est, ne hostis vincat? Hoc nimirum, Arripiendum est
In nomine Domini vincemus omnia pericula. nomen Domini, hoc est, fide apprehendendum est verbum Christi, & sic vincemus. Si urgent peccata, audi Christum jubentem, ut prædicetur in nomine suo pœnitentia & remissio peccatorum. Si impendet mors & terret, Christum audi, Ego sum resur- *Ioh. 11.*
rectio & vita, qui in me credit, non morietur in æternum. Terret te judicium & ira *Ioh. 3.*
Dei, Christum audi dicentem, Sic Deus dilexit mundum, ut miserit unigenitum Filium suum. Num igitur ab eo metues, quem te tantopere audis diligere, ut Filium det? Ad hunc modum Pastor noster Christus nobis præit, pascens & servans in nomine Dei sui. Sicut etiam in Iohanne loquitur Cap. 17. Quando eram cum eis, ego *Ioh. 17.*
servabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, &c.

Ideo Propheta quoq; hic addit, Et habitabunt (Iaschebu) hoc est, securi sedebunt. Sicut Paulus quoq; Rom. 5. Iustificati fide pacem habebunt. Etsi enim non so- *Rom. 5.*
lum nihil præsidij in nobis est, sed hostis quoque noster in eo vincit, quod cum accusat nos, nunquam frustra accusat, Cogimur enim nos quoq; confiteri peccata & corruptam extreme naturam nostram, Tamen ideo securi habitamus, quia habemus talem Pastorem, tanto studio, diligentia & cura, deniq; tanta cum potentia pascentem. Merito igitur & Prophetæ tantopere hoc regnum prædicant, & nos omnia postponimus verbo, Sicut Petrus dicit, Domine quo ibimus? Tu verba vitæ habes. Non *Ioh. 6.*
enim mortis, non peccati victoria est, nisi in nomine Dei, in quo ille Pastor pascit, hoc est, in verbo Christi, in quo solo acquiescunt animi, sicut dicit, In me pacem habebitis. Item, Invenietis requiem animabus vestris, &c. Quia autem securitas tantum in nomine seu verbo Dei promittitur, sequitur, quod cum à Verbo discesseris, erunt omnia plena turbationibus & periculis, Sicut Christus dicit, In mundo pressuram ha- *Ioh. 16.*
bebitis, in me autem pacem, conjuncta enim hæc sunt, Pax & securitas in verbo, quod fides apprehendit, & spes retinet, Et in carne pericula, Crux, peccatum, pavores, &c. contra quæ fides assiduo pugnat in Sanctis.

Quod additum est, Et ipse magnificabitur tunc, usque ad fines terræ, Primo
Tempus Legis. facit insignem antithesin temporum Legis & Evangelij, Nam Legis tempore magnificatus est Dominus, tantum in suo populo & intra Iudææ fines, Tota reliqua

genti-

gentilitas ignorabat Deum,non habebat verbum,non cultũ Dei,Magnificabat itaq; non verum Deum,ſed idola ſua,& impietatem ſuam. Hoc,inquit Propheta,ceſſabit, Nam gloria Domini propagabitur in univerſum mundum. Per Evangelium enim agnoſcitur Deus,Id Evangelium dicit hic in totum orbem terrarum propagandum. Ergo ſequitur primum,Gentes ad regnum Chriſti eſſe vocandas, Secundò ſequitur, hoc regnum,eſſe regnum Gratiæ,non meriti operum. Quomodo enim alioqui ad id vocarentur Gentes,non ſolum carentes merito omni, ſed etiam graviſſimis peccatis pollutæ? Atque hoc eſt,quod Paulus dicit,Revelari juſticiam Dei ſine Lege per fidem in Chriſtum.

Gentium vocatio ad Evangelium.

Regnum Chriſti, &c.

Rom. 3.

Sed quomodo magnificabitur, cùm non ſolum hoc conſtet,ipſum Chriſtum indigniſſimis modis à ſuis eſſe tractatum,ſed etiam eandem fortunam eſſe omnium credentium? Omnes enim,qui in Chriſto volunt pie vivere, perſecutionem patientur,Hoc autem non eſt magnificari. Magnificantur igitur veriùs hoſtes Chriſti & Evangelii,Chriſtus autem & Evangelium ejus blaſphemantur,damnantur,ſupplicijs ſubjiciuntur. Reſpondeo,Nota eſt ſententia Chriſti,Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ergo ſequitur magnificentiam hujus Regni aliam eſſe,quàm quæ ſit regnorum mundi. In mundo magnificentia vocatur,quæ eſt in opibus,dignitate,potentia, &c. Sed Chriſti regnum habet aliam magnificentiam, nempe, quod non eſt unius loci, aut temporis, ſed ubique & ſemper. Nec fuit ulla tanta potentia in mundo, quæ Evangelio non ſit coacta locum dare, ſecundùm Pſalmum, Non ſunt loquelæ neq; ſermones,ubi non audiatur vox eorum,In omnem enim terram exivit ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum.

Regnum Chriſti etſi in mundo ſit contemptum, tamen eſt magnificum.

Pſal. 19.

Porro ſicut pluvia nunquam abit ſine fructu,præſertim ſi agri ſitiant, Ita perpetua hæc verbi fortuna eſt,ut nunquam ſine fructu doceatur. Hi autem qui verbum fide accipiunt,apud hos etiam magnificatur Dominus. Malunt enim opes, vitam,& totum hunc mundum,ſibi perire, quam ut Chriſtum negent, aut ſibi eripi ſinant. Notæ ſunt Pauli voces,notæ Prophetarum conciones, quibus hujus Regni bona ornant & prædicant.

Verbum ſine fructu non docetur.

Sed inquies,non omnes credunt,major pars impia eſt,blaſphemat Evangeliũ & perſequitur. Vbi igitur eſt magnificentia quam prædicas? Hic vero magnificentia hæc maximè conſpicua eſt. Nulla enim tanta potentia eſt, quæ non cogatur cedere huic regno. Manifeſtæ ſunt opes,potentia,& furor mundi.Sed finem conſidera, & apparebit Verbum Domini manere in æternum,& eſſe tanquam petram, in quam ſi quis cadat,alliditur,Super quem autem ceciderit,conteritur. Sicut Daniel quoq; vaticinatur cap.2. Nam lapidem de cœlo ſine manibus hominum cadentẽ,& conterentem aurũ,argentum,æs,ferrum & lutum, dicit eſſe regnum Chriſti,quod omnia mundi regna contriturum ſit. Cœpit autẽ hæc magnificentia ſtatim tum,cùm promiſſum eſt Semen contriturum caput Serpentis.Nam ab eo die,quicquid ſe Chriſto & verbo Dei oppoſuit,periit. Sic paulatim una Monarchia poſt aliam extincta eſt. Ac fiet tandem,ut illæ miſeræ reliquiæ, quas Daniel pedibus, ex terra,ære & ferro mixtis,comparat,penitus per regem noſtrum Chriſtum conterantur.

Dan. 2.

Dan. 2.

Ante hanc univerſalem contritionem, fiunt illæ particulares contritiones furioſorum Principum,quos longa pax, opes,& fortuna dementat. Sicut vidimus corruiſſe aliquos,qui ſoli putabant ſe ad doctrinam noſtram delendam ſuffecturos eſſe. Sed ſicut Pſalmus dicit de Ieruſalem, Viderunt eam Reges & tranſierunt, Ita perierunt hoſtes Eccleſiæ & peribunt,Eccleſia autem ſervabitur. Hanc magnificentiam Domini in toto orbe terrarum,in fidelibus,& etiam in hoſtibus Evangelii Propheta prædicat hoc in loco.

Pſal. 48.

Et hic erit pax. Aſſur cùm veniet in terram noſtram, & cùm conculcabit palatia noſtra,tum ſuſcitabimus contra eum ſeptem Paſtores & octo ex plebe conſtitutos, Et depaſcent terram Aſſur gladio,& terram Nimrod lanceis ſuis,Et fiet liberatio ab Aſſur,quando veniet in terrã noſtrã,& quando conculcabit confinia noſtra.

Pax quam Chriſtus largitur.

Non neceſſe eſt,ut pronomen maſculinum vertamus in neutrum. Si enim de Chriſto intelligas,quod iſte ſit pax,eſt eadem ſententia, quæ in Evangelio eſt, In me habebitis pacem,ſed non quam mundus dat. Hæc enim pax eſt, quod ſcimus nobis peccata noſtra condonata, & nos à morte æterna liberatos eſſe, per hunc Regem Chriſtum. Hæc pax mitigat moleſtias,pericula,turbas,& incommoda omnia carnis.

Terra Nimrod.

Quod ad reliqua in textu attinet, Aſſyria nota eſt, Terra autem Nimrod eſt regnum Babylonium. Hæc enim duo regna plurimum Iudæis nocuerunt. Salmaneſſer Aſſyrius abduxit decem tribus Iſrael. NebucadNezar Babylonius abduxit tribum Iudam. Etſi autem Lyra & alii hæc ad hiſtoriam referunt, quod tum Aſſyriorum, tum Babyloniorum potentia ad Medos & Perſas translata ſit, Tamen cum etiam ſequentia de regno Chriſti neceſſario intelligere cogamur, cur faceremus hic non neceſſariam tranſitionem? Sentio igitur per Aſſyrios & Babylonios in genere intelligi hoſtes,quos Eccleſia omnibus temporibus habuit. Sicut enim populus Iſrael hoſce hoſtes paſſus eſt,Ita etiam Eccleſia patitur ſuos hoſtes.

Hoſtes Eccleſiæ.

Septem & octo.

Contra hos promittit futurum,ut ſuſcitentur ſeptem paſtores,& octo Principes ex plebe,hoc eſt,magna copia Doctorum. Eſt enim hæc Ebraica Phraſis, qua magna copia & magnus numerus ſignificatur. Sicut enim Eccleſiaſtæ 11. Salomo loquitur,Da partes ſeptem & octo,hoc eſt,da liberaliter,non parce. Ita hic dicit, Habebit Eccleſia magnam copiam Evangeliſtarum,qui inter Gentes docebunt,& aut humiliabunt eos, ut obediant prædicationi Evangelij, aut evertent eos, Non armis (Nam ſunt Paſtores tantum, & conſtituti homines, non milites) ſed tantum Verbo. Neceſſe eſt enim perire armis,qui Verbo reſiſtunt,Sicut ſupra quoque diximus. Vocabulum (neſiche) eſt à(naſach) quod ſignificat conſtituere in Principem, ordinare, &c. Ideo fecimus conſtitutos, ut ſignificentur Apoſtoli, ex infimo genere hominum delecti,ad docendum & gubernandum mundum Verbo. Eodem verbo utitur David Pſal. 2. Pſal.2. Ego autem(naſachti)conſtitui Regem meum. Habet enim vocabulum peculiarem vim,ut oſtendat miniſterij demandationem.

Naſach.

> *Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, ſicut ros à DOMINO, ſicut pluvia ſuper herbam, quæ non expectat virum, nec ſperat in filios hominum.*

Eſt eadem ſententia cum ſuperioribus, quanquam figuræ ſunt aliæ. Dixit de ſeptem Paſtoribus & octo Principibus vaſtaturis per Evangelium Aſſur & Nimrod, hoc eſt,omnes Eccleſiæ hoſtes. Hic alia ſimilitudine utitur,qua tum dignitatem,tum etiam fructus miniſterij in novo Teſtamento oſtendit. Comparat enim reliquias Iacob inter Gentes, hoc eſt, Apoſtolos & eorum in miniſterio ſucceſſores, rori cœleſti & pluviæ. Hoc primum ad dignitatem miniſterij referri debet. Eſt enim Evangelium cœleſte donum,omnia alia dona longe antecellens,Sicut Baptiſta dicit,Deum nemo vidit unquam,Filius qui in ſinu Patris eſt,enarravit nobis. Merito igitur omnibus rebus debet anteferri. Deinde referri etiam ſimilitudo debet ad fructus hujus miniſterij. Sicut enim rore cœleſti & pluvia recreatur terra,vireſcunt & augentur omnia, Ita certus fructus ſequitur Verbum. Sicut in hanc ſententiam, hac ipſa ſimilitudine quoq; Eſaias utitur. Fructus autem hujus cœleſtis doni ſunt,Spiritus ſanctus, qui per Verbum Evangelij deſcendit in corda hominum, & excitat in eis fidem. Per fidem autem accipitur remiſſio peccatorum & vita æterna. Sicut Chriſtus dicit,Qui credit in me,non morietur in æternum. Ioh. 1. Ioh. 11.

Dignitas miniſterij.

Fructus miniſterij.

Fructus Evangelij.

Spiritus ſanctus efficax, &c.

Porro Spiritus ſanctus non eſt ocioſus in cordibus credentium, Pugnat enim contra carnem,mortificando carnem & ejus deſideria,& excitat ad obedientiam erga Deum. Hæc autem cum nunquam poſſit eſſe in hac carnis imbecillitate perfecta, corda per Spiritum ſanctum,& contra imbecillitatem hanc,& alia peccata, quotidie ſe erigunt fide, hoc eſt, fiducia miſericordiæ per Chriſtum exhibitæ. Sicut autem Propheta dicit,Herbam,quæ rore cœleſti & fœcunda pluvia reficitur,non expectare virum,nec habere fiduciam in homine (Non enim hominis, Sed Dei & vere cœleſtia

Ros & pluvia.

ſtia dona ſunt ros & pluvia) Ita fruſtra quæruntur hi fructus exercitiis,ſtudio &operibus hominum. Vna ratio perveniendi ad eos eſt, attendere Verbo, & ei obedire. Nota ſunt ſtudia Monachorum in Papatu, quibus homines ſimplices credebant ſe ad hos fructus poſſe pervenire,Sed fruſtra tentata omnia ſunt. Hoc enim erat,quod Propheta hic dicit,Expectare virum,& ſpem habere in homine,Et Chriſtus:Fruſtra colunt me mandatis hominum. Rore de cœlo & pluvia cœleſti opus eſt,hoc eſt, Bonis & piis miniſtris,qui verbum Chriſti purè doceant.

Matth. 15.

Studia Monachorum.

Inſignem itaq; commendationem miniſterii præſens locus habet,Sed meminerimus Spiritum ſanctum ad hunc modum de Verbo & verbi miniſtris loqui. Hic ſolus eos ornat pulcherrimis his appellationibus, ut vocet eos rorem à Domino & pluviam. Mundi vero aliud judicium eſt,Nam Papam & totam Antichriſti Eccleſiã vide,Hæc pios Doctores comparat veneno ex inferno immiſſo in mundum, Doctrinam tanquam nocentiſſimam peſtem damnat,& execratur.Hinc anathemata,perſecutiones,& tot ſupplicia exiſtunt piorum. Neceſſarium itaq; eſt, ut nos contra illa mundi judicia confirmemus,& gratulemur nobis hoc Spiritus ſancti elogium, qui pios Evangelii miniſtros comparat rori cœleſti & fœcundæ pluviæ. Hujus unius judicium anteferamus toti mundo.

Commendatio miniſtrorum verbi.

Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum,ſicut Leo inter animalia ſylvæ,Sicut catulus Leonis inter greges ovium,qui poſtquam in eas irruit,conculcat & arripit,nec eſt qui eripere poſſit.

Hæc alia ſimilitudo eſt,quæ etiam pertinet ad miniſterii commendationem. Eſt quidem hoc miniſterium totum comparatum ad ſanandum,ſicut Chriſtus dicit: Venit Filius hominis,ut miniſtraret aliis,& daret animam ſuam precium pro multis, Rectè itaq; miniſtri Evangelii comparantur placidæ & fœcundæ pluviæ. Quid igitur,inquies,Prophetæ in mentem venit,quod reliquias Iacob comparat Leoni graſſanti in ſylva inter feras,& catulo Leonis ferocienti propter ætatem, & imbelles oves immaniter proſternenti? Hæc an non inter ſe contraria ſunt? Ita ſane. Sed etiã contraria objecta ſunt verbi. Qui enim Verbum fide accipiunt,his verè eſt cœleſtis ros & pluvia,ſicut Chriſtus dicit: Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis, Ego reficiam vos. Sed qui verbo ſe opponunt, id non ſolum fide non accipiunt, ſed perſequuntur & extinctum volunt, ſicut impia Synagoga,ſicut regnum Romanum fecit,his Verbum & totum miniſterium fit Leo rapiens & diſſipans.

Matth. 11.

Eſt igitur eadem hujus ſimilitudinis ſententia,quæ Chriſti Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,& portæ inferorum non prævalebunt. Ante oculos exempla ſunt. Synagoga tota vi ſe opponit Apoſtolis, ſed Apoſtoli ſervantur,Synagoga funditus evertitur. Sed,inquies, Romani everterunt eam, hi fuerunt ille Leo rapiens & conculcans,non Apoſtoli, Sed tu Chriſtum audi, Non manebit, inquit Lucæ 19. lapis ſuper lapidem, Quia non cognoviſti tempus viſitationis tuæ. Nonne igitur hoc ipſo miniſterio Evangelii, quo credentes ſalvati ſunt, Synagoga funditus everſa eſt? Similis eventus omnes Evangelii hoſtes ab initio prædicati Evangelii, ſecutus eſt.

Matth. 16.

Luc. 19.

Verbum dum perſequuntur impii ſeipſos evertunt.

Romani vaſtatio.

Pertinet igitur hæc ſimilitudo ad conſolandam Eccleſiam in mundo,tanquam navim in vaſto pelago,& ſævitiſſima tempeſtate jactatam. Non enim ocioſus eſt Satan,novit quos fructus hæc fœcundiſſima pluvia afferat. Itaq; aut pluviam,quod tamen non poteſt prohibere,aut ſegetem ſtrangulare conatur. Armat homines potentia,opibus,ſapientia,dignitate, ac impellit,ut his donis ad opprimendum verbũ utantur. Contra,Eccleſia ferè his donis deſtituta eſt. Iacet n. tanquã pauper Lazarus ante ædes divitis,in ſummo contemptu,odio,miſeria,in ſummis periculis & calamitatibus. Hæc cùm æſtimant pii,ſuo,hoc eſt,humano judicio,judicant Eccleſiam perituram. Quomodo enim una tot hoſtibus, Mundo & Dæmonibus, par eſſe poteſt? Sed Prophera conſolatur nos, futurum,ut Eccleſia vincat, ſicut Leo inter reliquas feras,& ſicut catulus Leonis inter oves. Paratur victoria hæc non humano modo,

Satana dolũ.

Eccleſia contempta.

Victoria Eccleſiæ.

ibi enim vincit,qui viribus potior eſt, & adverſarium profligit, Eccleſia autem dum vincitur vincit, non armis aut humana vi, ſed in magnificentia nominis Dei ſui, hoc eſt,in Verbo, quod omnipotens eſt & manet in æternum, ſicut Propheta hic concludit.

Extolletur manus tua ſuper omnes, qui tribulant te, & omnes inimici tui exterminabuntur.

Eccleſia quantumvis afflicta, triumphat.

Vides clare Eccleſiam triumphantem ſic eſſe in mundo,ut tribuletur,ut inimicos,eoſque multos habeat. Quid igitur ſtulti ſatagimus,ut Eccleſia nullos hoſtes habeat,& ubiq; conſtituatur concordia? Tolerabile autem eſſet, ſi tantum hoſtes haberet Eccleſia, & non hoſtes etiam eſſent tribulatores, varie exercentes Eccleſiam. Ferre itaque oportet tribulationes & anguſtias, & tamen ſperanda ſimul eſt victoria,ſperanda eſt hoſtium verbi,non ruina ſolum,ſed exterminatio, Ratio judicat, imminere exitium iis,qui cum potentiore hoſte manus conſerunt, Sed Spiritus ſanctus illam unam & certiſſimam exitij inevitabilis viam eſſe dicit, ſi ſis inter hoſtes Eccleſiæ. Quid igitur commovemur,cum videmus Reges & Principes conſpirare in Eccleſiæ perniciem? Quid eis mala imprecamur? An non enim commiſeratione digni ſunt,qui ipſi ſuo gladio ſe confodiunt? Eccleſiæ enim nocere non poſſunt. Et habent hic definitam ſententiam,futurum ut exterminentur. Tanto major debebat Verbi reverentia & ſtudium eſſe in Regibus & Principibus, qui tamen fere hoc conjunctis viribus agunt,ut Evangelium nuſquam poſſit libere prædicari. Itaq; certa va-

Germaniæ impendet vaſtitas.

ſtitas Germaniæ impendet. Da pacem Domine in diebus noſtris,Amen.

Et erit in die illa dicit DOMINVS,exterminabo equos tuos de medio tui, & perdam quadrigas tuas, Et exterminabo Civitates de terra tua, & deſtruam munitiones tuas.

Vaſtitas Synagogæ,&c.

Supra poſuit Propheta generalem Prophetiam, futurum ut omnes Eccleſiæ & Verbi hoſtes exterminentur. Iam addit ſpecialem Prophetiam de Iudæis & Synagoga,quod penitus vaſtanda ſit,quia Evangelio ſe opponat. Etſi igitur Romani ſuas politicas rationes habuerunt, cur obſiderent & expugnarent Hieroſolymam, tamen vera & unica ejus calamitatis cauſa fuit,quod Synagoga Apoſtolis & Evãgelio ſe oppoſuit. Sicut Chriſtus quoq; dicit, Non relinquetur lapis ſuper lapidem, Quia non cognoviſti tempus viſitationis tuæ, hoc eſt, quia non credidiſti Evangelio. Per Romanos igitur equi perditi, & quadrigæ fractæ ſunt, hoc eſt, regnum & omnis hujus populi potentia fracta eſt. Sicut autem hæc in populo Iudaico cœperunt, ita poſtea uſq; in hunc diem etiam in Gentibus factum eſt. Vbicunq; enim Verbum prædicatum & non acceptum eſt, ibi certa ſecuta eſt vaſtitas. Exemplo eſt regnum Romanum,poſtea tota fere Aſia. Porro Græciæ, Thraciæ, & confinium Gentium, quibus nunc immanes Turci dominantur,calamitas ante oculos eſt.

Neceſſaria itaq; hæc cohortatio eſt, ubicunq; Evangelium prædicatur, ut id cum reverentia accipiant & amplectantur omnes. Videmus autem non voluiſſe Deum,ut Evangelium per Angelos prædicaretur, Homines ſunt,quibus eam functionem demandat. Sicut autem his ſerio interdictum eſt, ne miniſterio abutantur ad potentiam & opes parandas, Ita viciſſim mandatum eſt Eccleſiæ, ut hos miniſtros

Miniſterium verbi.

Verbi in honore habeat,liberaliter alat & revereatur. Atq; hanc ob cauſam tam magnifice prædicat Scriptura miniſterium Verbi, Quam ſpecioſi ſunt pedes, inquit Cap.52.Eſaias,annunciantium pacem. Micha noſter elegantiſſima figura comparat eos rori cœleſti & fœcundæ pluviæ,Alicubi angeli appellantur. His commendationibus Spiritus ſanctus certo conſilio utitur, ut nos quoq; ad reverentiam miniſtrorum Verbi excitet. *Eſa. 52.*

Contemptum miniſterij punit Deus.

Et extant exempla quoq;, ubi Deus pœnas graviſſimas exegit à contemptoribus miniſtrorum Verbi, Taceo diluvium, Sodomorum interitum, terram Core & ſocios dehiſcentem, Eliſæus cum à pueris ridetur, urſi veniunt & quadraginta duos perdunt,

perdunt. Atqui hi calviciem tantum ſeni exprobrabant, & merebatur excuſationem ætas. Quanto gravius puniet Deus contemptum miniſterij in adultis, qui hoc modo ſe ſuis ſceleribus patrocinari poſſe credunt, ſi in contemptum confictis criminibus miniſterium adducant. Iudæi varie exercebant Apoſtolos, cædebant eos virgis, interminabantur eis, conjiciebant in vincula, occidebant. Hac tyrannide autem effecerunt, ſicut Propheta hic dicit, ut & equos & quadrigas perderent, ut & munitiones & Civitates vaſtarentur.

Exterminabo Incantatores de manu tua, & Divinatores non erunt apud te.

Sicut regno ſeu politiæ minatus eſt vaſtitatem, Ita quoq; hic minatur Sacerdotio, quod certam ob cauſam comparat auguriis & divinationibus, ſicut poſt dicemus. Porro habent Ebræi multa divinorum nomina, quæ ferme omnia congeſſit Mo- *Divinorum nomina.*
Deut. 18. ſe Deut. 18. Hoc in loco poſitum eſt (Keſchaphim) quod fere redditur nomine Incantatoris. Significat enim eos, qui maleficiis ſeu magia utuntur. Alterum vocabulum eſt (Mionenim) quo ſignificantur divinatores, qui vel ex auguriis divinant, vel aſtrologicas obſervationes ſequuntur. Sed quæ eſt ſimilitudo horum cum Sacerdotio? *Cur Propheta Sacerdotes vocet incantatores*
Nam etiam reliquis Prophetis uſitatũ eſt, comparare impios Doctores Incantatoribus. Hujuſmodi loca fere omnia reſpiciunt ad concionem Samuelis, quam habuit ad
1. Sam. 15. Saulem 1. Samuel. 15. ubi dicit, Quoniam velut peccatum magiæ, ita etiam eſt rebellio, & inobedientia eſt ſicut idolatria.

Magia eſt manifeſta diſceſſio à Deo. Nam fiducia auxilij, quod ſolum à Deo *Magia.* expectandum erat, transfertur ad creaturas & ad DEI adverſarium, Satanam. Cum hoc peccato comparat Propheta hoc in loco ſacerdotium Iudaicum. Quia enim mandatum de cœlo eſt, Hunc audite, Sacerdotes autem nolunt audire, & Evangelium perſequuntur, judicat DEUS omnia eorum ſacrificia, omnes cultus, orationes, & ſtudia, tanquam abominabilem magiam & diſceſſionem à Deo. Melius enim eſt, ſicut Samuel dicit, obedire quam ſacrificare, & auſcultare, quam adipem arietum offerre. Ad hunc modum Adverſarij noſtri extreme oderunt Evangelium, id tanquam hæreſin damnãt & abolere nituntur. Vrgent autem interim, vota, miſſas, jejunia, peregrinationes & alias nugas. Sed recte comparamus hæc magiæ, quod Deus tam abominetur iſta omnia ſtudia, quam magiam abominatur, in qua manifeſta eſt impietas, & diſceſſio à Deo. Nam ſummum Dei cultum, nempe obedientiam erga Verbum, abjiciunt, & interim putant ſe ſuis traditionibus ſanctos eſſe. Ergo & Politia & ſacerdotium Iudaicum vaſtatum & abolitum eſt, quia Iudæi Legem pertinaciter retinuerunt, & Evangelium aſpernati, ac hoſtili odio ſunt proſecuti.

Et exterminabo ſculptilia tua & ſtatuas tuas è medio tui, & non adorabis amplius opus manuum tuarum. Et evellam lucos tuos de medio tui, & delebo Civitates tuas.

Similis locus eſt ſupra 1. Cap. Dixi autem eo in loco has minas eo pertinere, ut *Idolorum cultus, &c.* intelligat populus illum idolorum cultum non ſolum fruſtra eſſe, ſed etiam Deum ſumme offendere. Quid enim attinet, minari lapidibus & lignis? Cum igitur dicit, hæc peritura, docet homines, ne quam in eorum cultu ſpem ponant, Sed ut ex pœna colligant & diſcant, Deum graviter offenſum eſſe iſta idolatria. Diſputatum autem *Quæ imagines tollenda, &c.* ſupra eſt, quæ imagines tolerandæ, & quæ tollendæ ſint. Nam & Propheta hic idem diſerte oſtendit, cum dicit, Non adorabis opus manuum tuarum. Adoratio igitur & cultus damnatur, imagines non ſimpliciter damnantur, ſi modo veræ & non ſcandaloſæ ſint. Nam ſcandali quoque ratio habenda eſt, Sicut Ezechias fecit, qui æneum
2. Reg. 18. ſerpentem confregit, poſtquam ei incenſa fiebant. 2. Reg. 18.

Oſtendit autem textus non obſcure, invito populo & ſacerdotibus pium Regem id feciſſe, Ideo enim additur, Sperabat Rex in Domino Deo Iſrael. Et ſerpentem vocabat (Nehuſtan) hoc eſt, æs. Norat enim, etſi Deo mandante erat factus *Serpens æneus fractus ab Ezechia.*

non tamen esse factum ad adorationem, sed ut qui læsi erant à serpentibus, sanarentur. Extra hunc usum, inquit, æs est æs. Itaque impietas fuit, fieri ei divinos honores, & optimo consilio ab Ezechia est fractus & contritus. Ad hunc modum pius Magistratus ubique quæ scandalosa sunt, debebat abjicere, ne posteris aliquando ex illis Papæ reliquiis nova enascantur incommoda.

Et faciam in furore & indignatione ultionem Gentium, quæ non audiunt.

Insignis hæc est sententia, quæ involvit ultimum judicium. Sicut enim Iudæis exitio fuit, quod se opposuerunt Evangelio, ita quoq; reliquis gentibus idem accidet, Donec tandem in novissimo die generalis ultio exercebitur in omnes, qui Evangelio non obediverunt. Inprimis autem observandum est, quod nullius peccati meminit, quam quod non audiverunt. Fit autem hoc ideo, quia mandatum de cœlo est, Hunc audite. Huic mandato qui non obtemperant, sibiipsis exitio sunt. Hæc est illa insignis Prophetia de regno Christi. In qua primo loco ipsum Regem describit, quod sit Deus. Item officium ejus, quod pascet in magnificentia nominis Dei sui. Tertio etiam ministerij Evangelij vim & dignitatem ostendit. Ac vaticinatur tandem, quod sive Iudæi, sive Gentes huic doctrinæ non obedientes sint perituri. Hujus comminationis meminisse debemus, & cum omni reverentia Verbum amplecti. Nunc sequitur alia concio.

CAPUT VI.

Summa sexti capitis.

HOc Caput habet insignem concionem pœnitentiæ. Initio enim commemorat beneficia, quæ Deus huic populo multa & magna concessit. Quia autem non reddiderunt parem gratiam Conditori suo, objurgat eos, & damnat ingratitudinem. Hoc peccatum cum negare non posset populus, vertitur ad usitata studia, & quærit præsidium contra iram Dei in sacrificiis & aliis legalibus. Sed Deus aliam rationem, qua placari possit & velit, ostendit. Itaq; hic locus insignem doctrinam & egregiam antithesin verorum & falsorum cultuum ostendit. Postrema pars est comminatio. Quia enim Deo veros cultus docenti non obsequuntur, sed pergunt in peccatis suis, minatur vastitatem. Hic enim inobedientiæ seu peccati finis est.

Audite obsecro ea, quæ DOMINVS dicit.

Hæc est usitata Prophetis præfatio, qua uti solent, non solum, ut sibi autoritatem & fidem concilient, sed magis ut populum moneant, ne in horribile illud peccatum ruat, scilicet in contemptum Dei & Verbi ejus. Nam hoc homines plerunq; solent, præsertim cum audiunt de ira Dei, ut credant mitius secum actum iri. Itaq; etiam in ipsis peccatis spem veniæ sibi fingunt, & aut rident Prophetarum minas, aut negligunt tanquam hominum commenta. Huic malo Propheta hic mederi vult, cum dicit, Dominum esse audiendum, non se, Dominum dicere, non se.

Contemptus Dei & verbi ejus.

Surge, obiurga montes, & colles audiant vocem tuam.

Montes, Colles.

Hieronymi ineptias omittamus, qui montes & colles interpretatur Angelos. Hi enim quia sunt administratorij spiritus, si inquit, non fecerunt voluntatem Domini (nam in Apocalypsi Ecclesiarum angeli accusantur) recte accusantur. Contra, si fecerunt, culpa incumbit populo. Postea suo more quærit aliam sententiam æque ineptam, Vel, inquit, montes & fundamenta terræ, sunt Abraham, Isaac, Iacob. Hæc à Prophetæ sententia alieniſſima sunt. Veniam autem merebatur, si hoc uno in loco hæc figura esset, Sed cum passim in Prophetis, montium & collium appellatione veniant Principes, & qui ratione officii super reliquam multitudinem eminent, quid opus fuit tam absurda fingere? Præsertim cum Propheta ipse, sine figura dicat quid velit, cum subjicit, Dominus litigabit cum populo suo, & contendet cum Israel. Recte enim hic populus comparatur montibus, propter insignia dona, quibus excelluit omnes populos terræ, Sicut Psalmus dicit. Non fecit taliter omni nationi. Deinde in ipso populo sancto, colles & montes sunt, Reges & principes. Hi enim eminent super *Psal. 147.*

reliquum

reliquum populum, Sicut etiam in Eccleſia, colles & montes ſunt Sacerdotes & Prophetæ.

Quod autem Dominus jubet, ut cum populo ſancto contendat, & ut Principes in utroq; regno objurget, ob male adminiſtratum officium, id dupliciter periculoſum eſt. Nam qui in imperio ſunt, & omnium minime patiuntur ſe reprehendi, & omnium maxime nocere poſſunt. Itaq; hæc ipſa concio, non odium ſolum, ſed pericula quoque certa Prophetæ concitavit. Audivit enim ſine dubio, quæ nos hodie, cum vitia Principum notamus, Diminui hoc modo autoritatem Magiſtratus, abalienari animos ſubditorum à Magiſtratu, & tanquam ſemina ſeditionum talibus concionibus in vulgus ſpargi. In genere notanda vitia, non diſerte Magiſtratus increpandos eſſe. Id enim non ſolum nihil ædificare, ſed etiam nocere poſſe. Quidam etiam hoc addunt, Affectare hoc modo concionatores viam ad gubernacula rerumpublicarum, &c. Ac tyranni non ſolent ad hunc modum rationibus ſe tueri, ſed vi in Pro-
3. Reg. 22. phetas graſſantur. Sicut alterius Michæ, Ieremiæ & aliorum exempla teſtantur.

Propheta Magiſtratus vitia libere reprehendit.

Sed Prophetam nihil horum movet, non parcit dignitati montium, non movetur ſuo periculo, Mandatum Domini reſpicit, huic ſtatuit parendum eſſe, etiamſi mille ſeditiones inde orirentur, Sed fruſtra nobis ſeditiones objiciunt, ſunt hæ ſemper pœnæ peccatorum, non miniſterij dextre adminiſtrati. Igitur, qui ſeditiones cavere aut prohibere volunt, non hoc agant, ut hi, quibus docendi munus mandatum eſt, peccata Magiſtratuum diſſimulent. Hac enim via provocatur Dominus ad faciendam ultionem. Peccata igitur ſinant reprehendi libere, id enim mandatum Dei eſt, ipſi autem deſinant. Nam cum Magiſtratui ideo ſit gladius divinitus traditus, ut facinoroſos coherceat, impeditur ejus officium, cum ipſe iis peccatis obnoxius eſt, quæ
Num. 25. in ſubditis punire debebat. Quomodo enim adulterium punire audet, qui ipſe adulterij ſui paſſim multos teſtes habet? Satis autem teſtantur ſacræ literæ, ſi Magiſtratus in puniendis facinoroſis non ſatis aut diligens, aut ſeverus ſit, Deum provocari ad publicas pœnas infligendas. Vbi contra gladius Pinchas in ſcortatorem ſtrictus, mi-
Pſal. 106. tigat iram Dei & ceſſare facit publicam plagam. Sicut etiam Pſalm. 106. teſtatur, Acceſſit Pinehas & placavit, & ceſſavit plaga. Hæc primum magna cauſa eſt, cur Magiſtratus diſerte admonendus ſit officij, & reprehendendus ſicubi peccat.

Seditiones pœna peccatorum.

Magiſtratus admonendus officij.

Pinehas.

Deinde etiam hoc conſiderari debet, quod Magiſtratus exemplo, quaſi invitati ſubditi, putant ſe tuto peccare poſſe. Quæ enim vident in Magiſtratu, ſine periculo ſe imitari poſſe putant, Recte igitur Propheta facit, qui non diſſimulat gubernatorum vitia, ſed ea ratione miniſterij ſui libere reprehendit. Ac debent exemplum ejus ſequi omnes, qui Eccleſias vere docere volunt.

Gubernatorum vitia non diſſimulanda.

Audite montes judicium DOMINI, & fortia fundamenta terræ, Quoniam contendet DOMINVS cum populo ſuo, & arguet Iſrael.

Pſal. 47. Fundamenta terræ vocat idem quod montes, Sicut Pſal. 47. pari ratione vocat ſcuta terræ, Niſi enim eſſent Magiſtratus & Leges, non poſſet in tanta hominum improbitate conſiſtere pax, neceſſaria ad alendos, educandos, docendos liberos, tum in religione, tum in œconomia. Singularis autem Emphaſis eſt in vocabulis, Cum populo ſuo & cum Iſrael, Q. d. Hos ex mandato Dei reprehendere & damnare cogor, qui ſunt populus Dei, qui præſumunt de juſticia, & ſe ſanctos ac Deo dilectos eſſe jactant. Nunc ſequitur objurgatio prima facie leviſſima, Sed quanto minus probare populus ſuam ingratitudinem poteſt, tanto vehementius accuſantur, & coguntur ipſi ſe damnare.

Fundamentum terræ.

Populo meus quid feci tibi, aut ubi moleſtus tibi fui? reſponde mihi. Nam eduxi te de terra Ægypti, & de domo gravis ſervitutis redemi te, Et miſi ante faciem tuam Moſen, Aaron & Mirlam.

Populo meus, recordare quæſo, quale conſilium fuerit Balac Regis Moab, & quid reſponderit ei Bileam filius Peor, à Sittim uſque ad Gilgal, ut diſceres DOMINVM eſſe beneficum.

Summa

Summa eſt, Dominus omni genere beneficiorum cumulavit vos, tanto veſtrum peccatum majus eſt, quod ſic vivitis, ac ſi eſſet hoſtis & ſummus inimicus veſter, ac ſi omnia hoſtilia in vos tentaſſet. Commemorat autem tria beneficia. Primum, quod à violentia Tyranni eos liberaverit, & ſibi aſſeruerit in populum. Sicut in primo Præcepto quoque eſt, Ego ſum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.

Tria beneficia populo exhibita

Secundum, quod dederit Moſen ductorem & rectorem, Aaron Sacerdotem, & Mirlam Prophetiſſam. Videmus autem hoc in loco, quod Deus ſummi beneficij loco commemorat pium Magiſtratum, tum in Republica, tum Eccleſia. Pluris igitur æſtimatur in conſpectu Dei, tum Moſe tum Aaron, quam increduli Iudæi eos æſtimabant, qui etiam lapidibus eos non ſemel conabantur obruere.

Pius Magiſtratus.

Tertium eſt, Cum Balac conduxiſſet Prophetam Bileam, ut malediceret populo, coegit eum Dominus, ut benediceret ei. Hoc enim potiſſimum hoc in loco Propheta prædicat. Quod autem commemorat de toto itinere de Sittim uſq; ad Gilgal, includit ſimul miraculum de populo, ſicco pede tranſeunte per Iordanem. Omnia hæc, inquit, eo tendunt, ut diſcas Deum eſſe beneficum. Eſt enim hic vocabulum (Zidkos) quod ſicut in concione Danielis, non juſticiam, ſed potius beneficentiam ſignificat.

Bileam conductus per Balac, &c.

Zidkos.

Hæc cum ad Iudæos pertineant, Hieronymus allegoriam affert, ne ſcilicet hæc Prophetæ concio ſine omni fructu à nobis legeretur, Sed nos aliam ſimilitudinem, eamq; majorum beneficiorum habemus, quæ nos ad pœnitentiam debebat extimulare. Habuimus noſtrum Pharaonem & Aegyptum noſtram, tyrannidem ſcilicet Satanæ & mortis propter peccatum. Sumus autem ex hac captivitate liberati, per ſangvinem Filii Dei, Hoc ingens beneficium eſt & longe præclarior liberatio, quam illa Aegyptiaca. Nec deeſt nobis Moſes noſter, Aaron, & Mirlam. Habemus enim Dei beneficio bonos & pios Doctores verbi. Sicut Paulus quoque hoc beneficium magnifice prædicat, cum dicit, Dona aſcenſionis Chriſti eſſe, quod alii in Eccleſia ſunt Prophetæ, alii Apoſtoli, alii Evangeliſtæ, alii Doctores & Paſtores. *Eph. 4.*

Pharao noſter.

Similitudo temporis novi Teſtamenti.

Quod autem Balac conducit Prophetam Bileam ad maledicendum populo, id an non belle cum eo convenit, quod impii Principes conjungunt ſe cum Pontificibus, ut maledicant & malefaciant veræ Eccleſiæ? Sed Dominus vertit ipſorum maledictiones in benedictionem. Nam quicquid hactenus contra ſanam doctrinam machinati ſunt, id omne Deus eo convertit, ut & gloria verbi amplificaretur, & tum doli tum impietas adverſariæ partis magis patefieret. Decebat itaq; nos in tanta multitudine beneficiorum Dei, non ingratos eſſe, ſed teſtari obedientiam & gratitudinem noſtram, ſancta vita. Decebat nos fugere & deteſtari ſcandala. Sed quia hoc non facimus, etiam gravius judicium, quam Iudæis nobis expectandum eſt.

Bileam conductum à Balac ad maledicendum Iſrael.

> *In quo præveniam Dominum? Incurvabor ne coram Deo excelſo? An vero præveniam eum holocauſtis & vitulis anniculis? Non placebit Domino, etiamſi mille arietes, aut multa millia fluminum Olei offeras. Num igitur dabo primogenitum meum pro tranſgreſſione mea? & fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?*

Agnoſcit populus peccatum, ſicut nos quoque noſtrum peccatum cogimur agnoſcere, cum beneficia divina comparamus cum vita & moribus noſtris. Hic igitur pulcherrime pingitur, quid ſoleant homines in tali confuſione. Franguntur metu malorum, & confugiunt ad hypocritica opera, his ſperant ſe Deum placaturum eſſe. Sed Propheta hic palam oſtendit, Deum ſacrificia nolle, Sicut etiam Eſai. Cap. 1. facit. Et Oſeas, Miſericordiam volo, non ſacrificium, Et Pſal. 50. Itaque aliam rationem placandi Dei oſtendit. *Eſa. 1. Oſee 6. Pſal. 50.*

Hic igitur naſcitur quæſtio, digna quæ tractetur. Cur Deus ſacrificia reſpuat, quæ tamen tanquam cultus mandarat Iudæis? Reprehendi itaque poterant Iudæi, ſi non ſacrificaſſent, Sed quod ſacrificant, profecto non debet reprehendi. Ad hanc quæſtionem ſic reſpondeo, Verum eſt, quod Deus ſacrificia præcepit tanquam cultus.

Cur ſacrificia damnat Deus.

tus. Sed ea non ſola præcepit, dedit enim mandata etiam de aliis cultibus interiori-
Rom.12. bus,& ut Paulus vocat,rationalibus. Deinde præceperat Deus ſacrificia,non in eum *Rationales cultus.*
finem,ut eſſent ſatisfactio pro peccatis. Duplex igitur vitium hærebat in ſacrificiis
Iudæorum, ſeu legalibus cultibus. Primum vitium erat, quod hoſce ἀλόγους ſeu irra-
tionales cultus præſtabant,omiſſis aliis cultibus λογικοῖς, quales ſunt,ſicut Propheta
poſt commemorat, Facere judicium, amare beneficentiam, & humilem ambulare
coram Deo ſuo.Sicut Oſeas quoque dicit,Non vult Deus ſacrificium,ſed miſericor-
diam,non holocauſtum, ſed agnitionem Dei. Et Pſal. 50. Immola Deo ſacrificium
laudis,& redde altiſſimo vota tua. Invoca me in die tribulationis, & ego eripiam te,
& honorificabis me.

Hos cultus impij non præſtant, Nam in rebus lætis ſecuri ſunt,non agnoſcunt
Deum autorem, nec utuntur pro Dei voluntate donis Dei. Et in adverſis non con-
fugiunt ad Deum,ſed quærunt humana præſidia. Hæc igitur, quæ potiſſima & ſum-
ma ſunt,cum omittant,quomodo poteſt Deus inferiori,& illo quaſi brutali cultu de-
Eſa.1. lectari? Sic Eſaias concionatur, Quo mihi multitudo veſtrarum victimarum? holo-
cauſta arietum,& adipem pinguium & ſangvinem vitulorum nolo. Lavamini,mundi
eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, Deſinite agere per-
verſe,& diſcite benefacere,quærite judicium,ſubvenite oppreſſo,&c. Hæc ſunt vere *Vera bona opera*
bona opera, nec poſſunt ſimulari ab impiis, Ideo omittunt ea impii, indulgent avari-
Pſal. 50. tiæ,libidini,iræ,&c. Sicut Pſalmus 50. dicit, Videbas furem, & currebas cum eo,&c.
Hanc impietatem conantur Hypocritæ poſtea tegere & obruere iſta ſimulatione
externorum cultuum, Merito igitur Deus eos cultus damnat & rejicit.

In Oeconomia herus à ſervo exigit,ut domum purget ſcopis, Sed ad hanc ſo-
lam operam non conduxit ſervum. Habet enim opus ſervo ad alia majora officia, ut
fideliter tractet pecuniam,ut in labore aſſiduus & diligens ſit,&c.Si igitur ſervus ma-
jora illa negligat, nonne parvam gratiam merebitur illa verrendi diligentia? maxi-
me ſi intelligat Herus ſervum hoc modo quærere prætextum malitiæ & ignaviæ. Ita *Sacrificia Iudæorum à Deo damnata.*
damnat Deus ſacrificia Iudæorum,quod majores & rationales cultus plane negligebant,& impietatem ſuam palliabant iſta ſacrificiorum pompa.

Secundum vitium in eo erat, quod Iudæi ſacrificiis non ſolum tegebant im-
pietatem cordium, ſed etiam volebant ea eſſe precium pro peccatis. At ſacrificia in
hunc finem non inſtituerat nec mandarat Deus, Volebat hoc modo proſpectum Sa-
cerdotibus.Et erant ſacrificia typus ſummi ſacrificij,quod per mortem filii Dei pec- *Vel ſacrificio Chriſti competit honor remiſſionis peccatorum.*
cata mundi eſſent expianda. Hoc ſacrificium filii Dei impii non conſiderabant,& tri-
buebant remiſſionem peccatorum ſacrificiis ſuis. An non autem extrema impietas
& blaſphemia eſt,ſangvini hircorum & taurorum tribuere eum honorem,qui ſolius
ſangvinis Chriſti eſt? Itaq; paſſim in Prophetis dicit Deus, ſe etiam abominari ſa-
crificia,ſe non præcepiſſe ea,&c. Nam præceperat quidem, ſed non in hunc finem,
Erat quoq; ea accepturus,tanquam obedientiæ erga Deum teſtimonia,ſi non in ma-
joribus & gravioribus rebus eſſent inobedientes. Sed cum & majores cultus inter-
mittant,& hos inferiores & vere ἀλόγους cultus, cum tam impia opinione præſtent,
Pſal. 50. abominatur ſacrificia Deus,& ridet quoq;,Sicut in Pſalmo 50. Nunquid manducabo
carnes taurorum, aut ſangvinem hircorum potabo?

Ac viderunt Iudæi quoq; non eſſe iſtos ſummos cultus,ſi vaccam,aut arietem
immolarent. Itaq; ad ſumptuoſiora ſacrificia verſi ſunt. Sicut Propheta hic teſtatur,
Etiamſi mille arietes & tota flumina olei offeras,ingratum erit id officium Domino.
Quia ſicut in Pſalmo 50.eſt, Omnia animalia ſylvarum ſunt Domini,& univerſa quæ
in agris ſunt,ipſius ſunt. Aliud igitur conſilium inſtituebant,& immolabant in hono- *Mos immolandorum liberorum.*
rem & cultum Dei filios & filias. Hujus crudelitatis occaſionem ſumpſerunt ex facto
Abrahæ. Quia enim Deus tantopere prædicat ejus obedientiam, quod filium volu-
erit immolare, putabant Deum quoq; eo officio placari, ſi liberos ſuos ei obtuliſ-
ſent. Ac ſi opus ipſum ſpectes,magnũ & arduum fuit. Quis enim non libentius opes
& vitam etiam ſuam in diſcrimen ponat, quam ut liberos ſuos det mactandos aliis,

aut

aut mactet ipſe? Itaq; poſtea Gentes quoque hunc cultum imitatæ ſunt. Sed infelices Hypocritæ non videbant Abrahamum juſſum, ut offerret filium, Ipſis autem tale nihil mandatum erat. Itaq; non ſolum cultus nullus fuit, ſed etiam graviſſimum peccatum fuit, contra quintum Præceptum, quo prohibentur cædes.

Cultus & opera Monachorum.

Sic Monachi jactant ſuos cultus, prædicant ſua bona opera, Quod abſtinent à civilibus negociis, certis horis orant, à certis cibis cavent, &c. Sed quia hæc omnia ſuſcipiunt ſine mandato Dei, nihil Deo gratiores ſunt ipſorum cultus, quam erant illa parricidialia ſacrificia, in quibus parentes liberos ſuos offerebant Deo. Cultus enim non poteſt eſſe, ubi non eſt mandatum Dei expreſſum, ſecundum ſententiam

Hypocrita.

Chriſti, Fruſtra me colunt mandatis hominum. Docet itaq; hic locus de Hypocritis, *Matth.* quod conantur ſuis operibus placare Deum, quæ tamen ejuſmodi ſunt, ut per ſe non ſint bona. Hæc autem non eſt vera ratio placandi Dei. Itaq; Propheta nunc docet, quomodo Deus placari velit.

> *Indicavit tibi DOMINVS ô homo, quid ſit bonum, & quid à te poſtulet, nempe, Vt facias judicium, ut ames beneficentiam, & ut humiliter ambules, coram Deo tuo.*

Primum inſignis commendatio in eo eſt, quod dicit, Se traditurum, quæ bona ſint, & quæ exigat Deus. Igitur certi eſſe poſſumus, cum ea facimus, Deo nos placituros eſſe, Nam non niſi bona exigit Deus, & ea quæ exigit, placent ei. Vbi econtra alii cultus, quos ipſi delegimus, non poſſunt Deo placere, Sicut ſunt vota Monachorum, impurus cœlibatus, ſacrificium miſſæ pro vivis & mortuis, cultus Sanctorum, Peregrinationes, certarum horarum preces, abſtinentia à certis cibis, &c. Habent hæc magnam ſpeciem, & ſunt quoq; laborioſa ſatis, Itaq; mundus judicat ea bona eſſe, & placere Deo, Sed deeſt his omnibus illa inſignis commendatio, qua Propheta ſuam doctrinam commendat, cum dicit, ſe traditurum, quæ bona ſint, & Dominus exigat. Sunt enim omnia inſtituta; humana voluntate, non autoritate divina, Itaq; habent mercedem ab hominibus, non à Deo, ſicut Chriſtus dicit, Fruſtra me colunt mandatis hominum, &c.

Vbi mandatum Dei non eſt, ibi non poteſt eſſe cultus Dei.

Veri cultus. Facere judicii.

Veri igitur & boni cultus, quos Deus exigit, hi ſunt, Facere judicium. Hoc fere exponunt pro juſta agere, hoc eſt, ut puniantur nocentes, & defendantur innocentes. Nam hoc loco Propheta cum montibus agit, hoc eſt, cum Regibus & Principibus, quibus Deus gladium commendavit. Hi cum gladio uruntur ad coërcendos malos, certi ſunt ſe facere bonum opus, quod Deus exigit. cum econtra, qui ſegniter adminiſtrant officium ſuum, & aut negligentia peccant, aut periculis ſuis moventur, ne animadvertant ſeverius in facinoroſos, faciunt rem malam, & omittunt quod Deus exigit. In hanc ſententiam fere accipitur formula hæc in Scripturis. Nam Hieronymi

Judicii facere.

ſententiam non probo. Exponit enim judicium facere pro eo, ut nihil abſq; ratione & conſilio faciamus, ut ante meus judicet, quid factura ſit, & poſtea opere compleat. Hoc eſt Philoſophicum judicium, Sed Scriptura, ut dixi, judicium aliud quiddam vocat.

Hæc igitur ſententia non inepta eſt, ut hortetur Magiſtratum ad faciendum officium. Sicut in hanc ſententiam Eſaias 1. Cap. jubet, ut quærant judicium, Et ſubjungit quaſi expoſitionem, Subvenite oppreſſo, &c. Sed quia hoc in loco Propheta generalem Concionem de pœnitentia inſtituit, vocabulum judicij paulo latius accipiendum eſt. Notum enim eſt, quod ſæpe uſurpetur pro verbo Dei, Sicut probat Pſalmus 119. Idq; eam ob cauſam, quod Verbum judicat homines, dum damnat mala, & docet ſancta & vera. Ergo hoc in loco judicium facere, eſt Verbo attendere, id ſequi, ei obedire, non repugnare Verbo, non odiſſe Verbum, ſed id cum gratiarum actione accipere, ei parere, ſine Verbo nihil ſuſcipere, quæ verbum mandat ſedulo facere, &c.

Esa. 1. *Pſal. 119.*

Judicium ſignificat verbum. *Judicii facere.*

Verbum docet timorem & fidem

Non ſolum autem includuntur in hoc mandatum externa vitæ officia, ſeu bona opera, ſed motus illi ſpirituales, de quibus docet prima tabula. Nam verbi Dei

hæc

hæc duo præcipua ſunt, ut doceat fidere Deo, & timere Deum. Fiducia autem in Deum requirit notitiam Chriſti. Itaq; hoc primum conandum eſt, ut attendamus verbo Dei, ut fidamus miſericordiæ per Chriſtum exhibitæ, & timeamus eum. Ejuſmodi autem hic cultus eſt, ut poſſit ab omnibus præſtari. Nam ſi ſacrificia requirerentur, melior eſſet divitum conditio, pauperum deterior. Sed non requirit Deus
Eſai. 66. ſumptus magnificos, Animum requirit trementem ad ſermones ſuos, & fidentem miſericordia ejus.

Diligere miſericordiam.

Secundum eſt, Diligere miſericordiam ſeu beneficentiam. Ac diſerte utitur Verbo diligendi, Videt enim omnium hominum animis inditum eſſe ſtudium ſingulare, ut ſibi benefaciant, & negligant alios. Hunc affectum vult eximi ex noſtris animis, & vult in nobis ſingulare ſtudium eſſe beneficentiæ erga omnes. Hic quoq; ejuſmodi cultus eſt, qui ab omnibus poteſt præſtari. Quæ enim tam vilis conditio eſt, in qua non poſſis prodeſſe aliis? Deterrima judicatur conditio ſervorum & ancillarum. Sed hi tum imperata ſedulo faciunt, dum curant rem familiarem aut liberos, ſanctius opus faciunt, quam omnes monachi & moniales, Faciunt enim quod Deus mandat. Illi ſponte ſuſceptis laboribus defatigantur, ſine mandato Dei, imo etiam contra mandatum Dei.

Conditio ſervorum.

Humilem ambulare coram Deo

Tertium eſt, Humilem ambulare coram Deo. Hoc non ſolum eo pertinet, ne ſimus arrogantes, ſuperbi, præſumptuoſi, ſed ut in cruce ſimus patientes, Sicut Petrus dicit, Humiliamini ſub potenti manu Dei, hoc eſt, ferte voluntatem Dei æquo animo, Nolite indignari, Nolite averti à Deo ad humana & illicita præſidia. Sed humiliamini, id eſt, agnoſcite pœnam peccatorum, aut ſaltem neceſſariam mortificationem veteris hominis, Deinde petite & ſperate liberationem per Chriſtum. Hi ſunt veri cultus, & vera pœnitentia, quam qui præſtant, hos amare, tueri, defendere vult Deus, Ac vera Eccleſia in id incumbit, ut hos cultus Deo præſtet, & homines ad talem rationem vitæ & morum excitentur. At Eccleſia Antichriſti diverſum facit. Nam & Verbum perſequitur ac blaſphemat, Deinde crudelis eſt in veram Eccleſiam. Crucem autem abominatur, quærit voluptates & ocium, Ideo etiam prement eam eædem pœnæ, quas impiis Propheta jam minabitur.
1. Pet. 5.

Veri cultus.

Antichriſti Eccleſia.

Vox DOMINI ad Civitatem clamat, Et ſalus timentibus Nomen tuum.

Cohærent hæc cum ſuperioribus. Reprehendit hactenus Propheta hypocriticos cultus, tanquam inutiles ad placandum Deum, & docuit de veris cultibus, & vera ratione placandi Dei, & mitigandarum pœnarum. Hanc vocem Dei placidam & ſalutarem cum videt negligi, minatur Deum alia voce locuturum, quam non ſolum audire, ſed etiam experiri cogantur. Sicut enim tota Scriptura oſtendit, DEUM pœnitentibus ignoſcere velle, Ita minatur impœnitentibus exitium. Porro non pertinet hæc irata Dei vox ad unam Civitatem, ſed ad omnes. Itaq; vocabulum (Lair) collective accipiendum eſt, Sicut cum Paulus ad Tit. Cap. 1. dicit, Conſtitues Presbyteros, κατὰ πόλιν, Id quod nos reddimus, per ſingulas Civitates.
Tit. 1.

Duplex vox Dei.

Lair.

Addit autem hic quoque conſolationem ad erigendos pios, ne in publica calamitate deſpondeant animum. Loquetur, inquit, Dominus ad ſingulas Civitates, ea erit vox iræ & furoris, Pertinet tamen ad eos tantum, qui ſunt impœnitentes, & non auſcultant verbo, Cæteri autem qui timent nomen Domini, his erit ſalus. Etſi enim Ebræa vox varie à Rabinis exponitur, tamen ſatis conſtat, ſignificare ſalutem, ſucceſſum, felicitatem, & ſi quid ſimile eſt. Sicut oſtendit locus Proverbiorum 8. (Liazah ve Tuſchijah) Meum eſt conſilium & ſucceſſus. Nam quod recta conſilia inſtituimus, Dei donum eſt. Quia autem etiam recta conſilia nonnunquam male cedunt, requiritur (Tuſchijah) ſucceſſus, Item Capite 3. Recondet rectis (Tuſchijah) hoc eſt, Fortunabit eos, ſervabit in periculis, ubi impii peribunt, &c.
Prov. 8.

Tuſchijah.

Includit autem Propheta pulchram antitheſin, videt omnes occupatos ſtudio augendæ rei familiaris, quod putent in opibus præſidium eſſe contra communes

Opes injuſtæ. calamitates, Dicit igitur, Fallimini ſi hoc ſentitis. Nam opes injuſtæ cauſa ſunt exitij,
Nomen Domini timere. Hi autem ſalvabuntur, qui timebunt nomen Domini, hoc eſt, qui Verbum amplectuntur, qui obediunt Verbo. Ideo autem hac phraſi utitur, ut diſerte dicat, qui timent nomen tuum. Quia Hypocritæ nunquam patientur de ſe hoc dici, quod Dominum non timeant. Ideo enim ſacrificant, ideo in externis cultibus præſtandis tam
Hypocrita. ſunt aſſidui. Sed ſi ad Verbum reſpicias, ibi produnt ſe, quod, ſicut Pſalmus dicit, Non *Pſal. 13.*
eſt in oculis eorum timor Domini. Nam verbum aut perſequuntur aut negligunt. Indulgent cupiditatibus pro occaſione, ſunt avari, ambitioſi, crudeles.

Porro hanc Concionem ad nos quoq; pertinere ſtatuemus. Nemo eſt qui non exhorreſcat Turcicam immanitatem quotidie magis ac magis appropinquantem. Hæc eſt vox Domini, quæ clamat ſuper inobedientem Germaniam, Sed ſalus timentibus nomen Domini. Hos enim ſicut Danielem in Babylone, in media Turcia, ſervare, & evehere novit Dominus. Similis ſententia eſt Proverb. 16. Miſericordia & *Prov. 16.*
veritate redimitur iniquitas, & per timorem Domini declinatur à malo.

Audite tribus, Sed quis teſtificabitur ei?

Mateh. Eſt hic aliquid negotij in Grammatica, Nam alii vocabulum (Mateh) accipiunt pro virga, ut ſit ſententia, Audite virgam ſeu flagellum, & eum qui teſtificatur de eo. Hieronymus autem vertit, Audite tribus, & quis approbabit illud? Sed in commentariis ſequitur aliam ſententiam. Sic enim dicit, Audite tribus, quæ vobis conteſtatur Dominus. Nam verbum (laad) uſitata phraſi ſignificat concionari, prædicare, docere. Sed ſi ad textum reſpiciamus, ſimpliciſſima ſententia eſt, Iubet Propheta primum, ut tribus audiant, Poſtea tanquam deſperans de fructu, Quis, inquit, teſtificabitur ei? hoc eſt, Quis hunc populum doceat? Quis ei concionetur? cum nullus fructus ſequatur, ſed ipſi pergant in ſuis peccatis, ſine omni pœnitentia, Sicut ſequitur in textu.

Nonne adhuc ignis in domo impii, theſauri impietatis, & modius maci-
lentus, ira plenus.

In priore ſententiæ parte Ebræi habent duplicem lectionem. Alii enim legunt (Hajeſch) Nunquid eſt? Cum in textu ſit (haiſch) quod alii virum, alii ignem exponunt. Sententiæ autem convenientius eſt, ut exponas pro igni, Quanquam Gramma-
Ignis. tici aliam punctorum rationem requirant. Significat autem ignis hic pœnam, ſicut ſupra Amos 5. Quærite Dominum, & vivetis, Ne forte erumpat quaſi ignis in domum
Opes malè partæ comparantur igni. Ioſeph, & devoret, & non ſit, qui extinguat in Bethel. Atq; hæc belliſſima figura eſt, quæ pingit opes fraude & injuriis partas, quod ſint tanquam ignis, quo neceſſe ſit ipſos conflagrare, qui eas poſſident. Sicut etiam teſtantur vulgo nota Dicta, De male quæſitis non gaudet tertius hæres, Male quæſita male dilabuntur, Et Salomo, In domo impii corroſio.

Sed hic vide impiam hominum impietatem ne an incredulam pertinaciam dicam? Nemo non cohorreſceret, ſi videret facem ardentem admoveri tecto ſuo, Manifeſtum enim in ea re eſt periculum, & ſæpe ex parva ſcintilla neglecta, maxima oriuntur incendia, Sed cur non eodem etiam modo abhorremus ab opibus per ava-
Fraudis homines perdit. ritiam & injurias partis? quas Propheta hic dicit eſſe ignem. Verum enim eſt, quod alicubi Chryſoſtomus dicit, quod parvæ opes fraude partæ, etiam magnas opes honeſte & bene partas, quaſi abſumant. Chriſtus etiam recte parta ſpinis comparat *Luc. 8.*
ſtrangulantibus ſegetem. Male autem parta, aut diffluunt turpiter, aut ſicut experientia teſtatur, nocent hæredibus. Et tamen in id incumbunt omnes, ut quo jure, qua injuria diteſcant. Has autem comminationes tanquam aniles fabulas contemnunt. Fit autem hoc, quia Dominus ad tempus ignem quaſi ſopit, nec ſinit ſtatim collucere & devorare. Nam impii florent aliquandiu, ut Cedri Libani, Sed paulo poſt fit, quod Pſalmus dicit, Tranſivi & ecce non erat, Quæſivi eum, & non inventus eſt locus ejus. *Pſal. 37.*
Quomodo hoc? Quia ignis devoravit eum, quem domi ſuæ fovit, cumulavit & in tantum auxit, ut eſſet inextinguibilis.

Eadem

Eadem ſententia eſt particulæ,quæ additur,Quod modius macilentus,ſit indignatio. Eſt autem hæc quoq; belliſſima figura,quod vocet (Ephat raſon) modium maciei,qui non abundat,ſed cui deeſt aliquid. Sicut econtra Chriſtus vocat καλὸν μέτρον, πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον, καὶ ὑπερεκχυνόμενον, id eſt, menſuram bonam, preſſam,agitatam, & ſuperexundantem,Luc. 6. Fit autem hoc quoque,ut homines utantur menſuris,ut Propheta appellat,macilentis,ac ea in re ſperent lucrum, Sed quale id eſt lucrum? Propheta reſpondet,eſt(Seumah)hoc eſt,indignatio,ſeu comminatio certi mali, quod ſequetur. Quis autem tam ſtultus & amens eſt, ut optet opes conjunctas cum indignatione Dei? Nimirum omnes hi,qui menſuris non juſtis,ſed parcis & deficientibus utuntur in vendendo.

Menſura minus plena.

Menſura iniqua

Num excuſabo ſtateram impiam,& fraudulenta pondera in ſacco? per quæ divites ejus omnia implent injuriis? & cives ejus loquuntur mendacium, & lingua eorum doloſa eſt in ore eorum.

Hic pondera reprehendit, ſicut ſupra menſuram iniquam. Nam in eo quoq; lucrum eſſe homines putant, ſi pondera vitient, ſed DOMINVS ea damnat. Ideo fit, ut quanto plus ſe adimere aliis fraudulenti venditores confidant, tanto plus ſibi adimant. Provocant enim iram Dei,ſicut etiam alibi ſcriptura minatur, Proverb. 11. Statera doloſa abominatio eſt apud Deum, At æqua menſura ei placet. Quod fecimus fraudulenta pondera, in Ebræo eſt (Abne Mirma) lapides doloſi, Vtebantur enim Iudæi ponderibus ex lapide,non,ut nos,ex ære & ferro fere. Eadem phraſis eſt Prov.16. Proverb.16. Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt, & opera ejus omnes lapides facculi, Vbi in noſtris codicibus corrupte legitur,ſeculi. Quod de mendacio & lingua doloſa addit,etſi videatur ad doctrinam referri poſſe,tamen rectius intelligitur de illa, toti mundo nota, mercatorum & opificum perfidia & vanitate, qua imponunt omnibus.

Pondera iniqua

Statera doloſa. Proverb.11.

Igitur ego quoq; cœpi percutere te, & perdere propter peccata tua.

Verbum(Hehelethi) Hieronymus format, à (halal) quod ſignificat incipere, Sed alii contendunt eſſe à (Halah) & exponunt, Ego te ægrotare feci; ſicut etiam Oſeæ 7. Oſea 7. Incipit autem Propheta hic minari peccatis,quæ ſupra recenſuit. Ea duplicia ſunt, Non enim in eo tantum peccarunt Iudæi, quod per avaritiam injuſtis ponderibus & menſuris uſi ſunt,Sed etiam quod retinebant idolatrias ſuas, nec patiebantur emendari impietatem per ſanam doctrinam. Hic igitur panditur judicium Dei plane diverſum à judicio hominum. Papiſtæ hodie non ideo urgent cultus & doctrinam ſuam,quod velint perire. Putant enim ſe hoc modo ſtabilituros ſuum regnum,& certo ſtatuunt,ſi doctrinam noſtram ſequantur,ſe beneficia,reditus,dignitates, quas retinent,amiſſuros eſſe. Sicut Iudæi quoque non ideo ſacrificabant Reginæ cœli, ut eſt Ier.44. apud Ieremiam, quod vellent perire, putabant eum cultum unicam eſſe cauſam felicitatis & ſucceſſus. Sed quid fit? Hi ipſi cultus perdiderunt Iudæos,& ſine dubio perdent quoque Papiſtas noſtros, Quanto enim impia ſtudia urgent diligentius, tanto in ſe magis provocant iram Dei,donec tandem penitus excindentur.

Papa per idolatriam ſeipſum deſtruit.

Similis ratio eſt peccatorum ſecundæ tabulæ. Divites putant iniquam menſuram & pondus fraudulentum additurum aliquid ſuis opibus. Sed ſic partæ opes, etiam honeſte acquiſita abſumunt. Si igitur liceret nobis omnis generis mala imprecari avaris hominibus, quid aliud imprecaremur eis,quam quod faciunt, ut fraude,mendaciis,periuriis pararent divitias? Nulla enim compendioſa magis ad interitum via eſt,ſicut Propheta teſtatur,qui injuſtas opes ignem vocat,& menſuram injuſtam indignationem Domini. Sed mundus non credit hæc,Ideo hoc unum agit & urget,ut quam plurimum poſſideat. Sequuntur autem hoc ſtudium ſuæ certæ calamitates, ut avari & injuſti homines ſibi ipſis ſint carnifices, aut habeant additas pœnas & morbos inſignes, aut ut iterum redigantur ad inopiam, aut occaſione opum

Avari ſeipſos ſpoliant.

Injuſtæ opes.

Pœna avaritiæ.

palam fiant impii, aut calamitates illæ vel ſingulæ, vel aliquæ etiam in hæredes deriventur.

Quare hoc potius faciendum erat,ut non de opibus colligendis, ſed de peccatis cavendis cogitaremus. Ibi enim ceſſaret ira,& abeſſet ignis ille,adeſſet autem benedictio DOMINI. Nam etſi non habeas magnas opes, tamen DOMINUS vult largiri panem quotidianum, hoc eſt, quantum ſatis eſt, Sicut dicit, Pater veſter ſcit, quibus habeatis opus,Item,Primum quærite regnum DEI, & omnia illa adjicientur vobis.Et Pſal.37. Quotidie miſeretur & dat mutuum, & ſemen ejus in benedictione eſt,hoc eſt,qui liberaliter dant & ſunt benefici,his non ſolum nihil deerit,ſed redundabit benedictio etiam in poſteros. Sed quia mundus neque credit, nec facit hæc, ideo cogitur experiri,quæ Propheta minatur impiis & incredulis ſuis Iudæis.

Panis quotidianus.

Pſal.37.

Tu comedes & non ſaturaberis, & oppreſſio tui in medio tui.

Vide ingentem iram,quam illa hominum malitia meretur. Panis quotidianus promiſſus eſt piis, ſed avaris hominibus hic negatur. De piis dicit Spiritus ſanctus, Non vidi ſemen juſti quærere panem. Sed avari & injuſti homines, etiam cum quærent panem non invenient, etiam cum panem habent, non poterunt eo exaturare famem.Etſi autem hæc tempore pacis quoque poſſunt accidere,ob difficultatem annonæ,Tamen Propheta reſpicit ad belli tempora.Sicut nunc miſeris captivis accidit in Turcia. Hi enim cum in ſumma vini & frumenti copia vixerint, nunc vix habent, quod tolerandæ vitæ ſatis ſit. Quod addit,Oppreſſio tui in medio tui,ſignificat quod nullum ſint habituri ſucceſſum, urgente & deprimente eos ira Domini. Itaq; latine reddi poteſt,Ex omni parte opprimeris. Nam Ebræum vocabulum(Ieſchah) ſignificat humiliationem ſeu depreſſionem,Sicut germanice, cum volumus ſignificare adverſiſſimam fortunam, dicimus, **Er kan nicht vber ſich kommen** / Premitur manu Domini,ut emergere non poſſit.Sic Pſal.38.(Schahoti)depreſſus ſum vehementer. Noſtra translatio habet, Curvatus ſum in finem, Sed loquitur ibi de ſpirituali humiliatione,quæ naſcitur ex ſenſu iræ Dei, & conſpectu peccatorum.

Pœna idolatriæ & avaritiæ.

Pſal.37.

Oppreſſio tui in medio tui.

Pſal.38.

Apprehendes quidem, ſed non eripies, quod autem eripueris, gladio dabo.

Rabini neſcio quid de abortivis hic comminiſcuntur, Sed Prophetæ alia ſententia eſt. Vult enim oſtendere,quod non ſolum corpora, ſed omnes ipſorum fortunæ in extremis periculis verſabuntur. Ac verbum apprehendendi oſtendit magnum ſtudium emergendi ex calamitate, quod impliciti & involuti malis varia conabuntur & tentabunt eluctari ex præſenti calamitate. Sed minatur Propheta, eos quoq; conatus fruſtra fore,Non quod non aliquando ſint aliquid effecturi,ſed quod etiamſi quid confecerint, id iterum diffluet, aut in hoſtium manus veniet, Sicut ſequentia oſtendunt.

Apprehendere.

Tu ſeminabis, & non meter, Tu calcabis oleam, & non ungeris oleo, Muſtum quoq; calcabis,ſed vinum non bibes.

Qui ſeminavit, videtur aliquid apprehendiſſe, & ſperat meſſem, Sed propter peccata veſtra fiet,ut non ſolum non demetatis,quæ ſeminaſtis, ſed ut hoſtis ea conculcet & perdat. Ad hunc modum,qui oleas & uvas collegit, videtur apprehendiſſe, quo frui poſſit,ſed propter peccata veſtra fiet, ut hæc non poſſitis ſalvare, nec iis frui. Nam hoſtibus illa offa parata eſt, quam vobis è faucibus eripient. Sunt hæ tragicæ figuræ, Sed eventus oſtendit multo atrociora paſſos Iudæos. Et habemus nos ſimilia exempla in foribus Germaniæ, Imo in ipſa Germania. An non enim putas miſeros Hungaros,& omnes Auſtriacos nunc aliquoties ſeminaſſe,quæ ab hoſtibus Turcis obtrita ſunt, & muſta calcaſſe,quæ immanis hoſtis temere effudit? Proponuntur autem hæ Prophetarum conciones ideo, ut poſtquam certum eſt, propter peccata noſtra hæc ita accidere, agamus pœnitentiam & emendemur.

Quia

Quia obſervaſtis ritus Amri, & omne opus domus Ahab, & ambulaſtis ſecundum conſilia eorum, Ideo dedi te in deſolationem, & Cives tuos in ſibilum, & opprobrium populi mei portabitis.

Meminit Amri & Ahab, qui poſt Hieroboam, novæ idolatriæ populo Iſrael fuerunt authores. Nam Amri ædificavit Samariam, & ibi inſtituit cultum Dei contra mandatum Dei. Ahab autem etiam Templum ibi ædificavit idolo Baal. Propter hanc impietatem regnum Iſrael à Salmanaſſer vaſtatum eſt. Et cum eadem peccata poſtea imitarentur Reges Iuda, eſt id quoq; regnum à Nebucadnezar Babylonio vaſtatum, & populus captivus abductus. Avaritia enim & alia peccata ſecundæ tabulæ, ut fame, bellis, & aliis calamitatibus ſolent puniri, Ita peccata primæ tabulæ, impia doctrina, cultus impii & idolatrici, ſolent puniri, ſicut ſupra audivimus, extrema vaſtitate. Sicut Iudæorum exemplum oſtendit, quibus & in captivitate Babylonica, & hodie ſummum opprobrium eſt, quod fuerint populus Dei, & tam turpiter à Deo ſuo diſceſſerint ad idolatriam & impietatem.

Amri. Ahab.

Pœna peccatorum 1. & 2. tabulæ.

Hæc eſt inſignis pœnitentiæ Concio, præcipue noſtro ſeculo neceſſaria, ut emendemus vitam & mores noſtros, ac faciamus judicium, diligamus beneficentiam, & humiliter ambulemus coram Deo noſtro, ſicq; gratiam inveniamus apud eum per Chriſtum, & liberemur ab horribilibus pœnis, quæ imminent propter peccata toti mundo, Amen.

CAPUT VII.

Summa 7. cap.

HÆc eſt ultima hujus Prophetæ Concio. Principio eſt querimonia de malicia & impietate ſui populi, qui verbum habebat, ſed eo non utebatur ad pœnitentiam & emendationem, ſed ſecurus pergebat in peccatis. Deinde doctrina ſeu exhortatio ſubjicitur, ut pii ſoli Deo & ejus verbo innitantur, nec ſe, vel autoritate, vel potentia, vel conjunctione cujuſquam, aut amicitia patiantur à verbo abduci. Poſtea conſolatio additur, quod etſi captivitas propter peccata ferenda ſit, tamen Deus non ſit abjecturus populum ſuum, ſed conſolaturus ſuos, non ſolum reducendo eos in terram Canaan, & ulciſcendo hoſtes ejus, Sed mittendo Chriſtum, qui regnum Gratiæ & miſericordiæ per totum mundum ſit habiturus. Ad hunc modum claudit Prophetiam ſuam optimus Doctor, pulcherrima concione de regno Chriſti, & remiſſione peccatorum ex mera & gratuita miſericordia. Sed nunc ordine textum explicabimus.

Pſal. 37.

Hei mihi, quoniam ſum, ſicut qui colligere vult æſtivos fructus, Sicut qui uvas tempore vindemiæ vult colligere, & non invenit botrum quem comedat, Primitias deſiderabat anima mea.

Hæc eſt querimonia. Dolet enim pio Doctori tantam eſſe hominum perverſitatem, ut non ſolum non emendentur impii, ſed quaſi data opera, quotidie deteriores fiant, & licentius peccent, Cum tamen Deus eo animo Verbum ſuum mittat, ut & homines admoniti, peccare deſinant, & futuras pœnas, tum corporales tum æternas evitent. Vtitur autem ſimilitudine de vinea, qua etiam Eſaias utitur Cap. 5. Sæpe enim jam vidimus hos duos Prophetas, qui iiſdem temporibus docuerunt, etiam iiſdem verbis uti. Eſt autem ſumpta ſimilitudo ex Cantico Moſe Deut. 32. ubi de impiis Iudæis dicit, De vinea Sodomorum vitis eorum, & de agris Gomorrhæ uva eorum, uva fellis & botrus amariſſimus.

Perverſitas hominum.

Similitudo de vinea.

Deut. 32.

Matth. 21.

Iohan. 15.

Imitatus autem eſt ſimilitudinem hanc Chriſtus quoq; Matth. 21. ubi Scribæ & Phariſæi ſibi ipſis Prophetæ ſunt, quod vinea elocabitur aliis, Malos autem Deus male perdet, Et Iohan. 15. Chriſtus ſuam Eccleſiam vineæ comparat ac ſimilitudinis partes pulcherrime explicat, Dicit ſe eſſe vitem, Diſcipulos autem ſuos ſeu Eccleſiam eſſe palmites, Deum dicit eſſe vinitorem, ac purgare vitem Verbo, ut uberiorem

Eccleſia vinea comparata.

fructum ferat. Sicut autem palmites à vite excisi, fructum ferre non possunt, Ita, inquit, si nos maneamus in vite Christo, futurum, ut per eum feramus fructum. Nam ipse solus est, qui dat Spiritum & vitam. Ad hunc modum Propheta hoc in loco populum comparat vineæ, se autem dicit esse Vinitorem, qui per Verbum hactenus eam coluerit, Sed queritur nullum inveniri à se fructum.

Vocabulum (Bekudah) Hieronymus vertit præcoquas ficus, Sed in genere significat primitias omnium frugum. Diserte autem dicit Propheta, Anima mea primitias desiderabat. Has enim quia tempore vindemiæ se non invenire posse dicit, frustra decimæ, frustra plenitudo uvarum expectatur. Pertinet autem hoc ad illud commune scandalum, quod omnibus seculis pios Doctores exercuit. Sic enim solet mundus, hominum vitia imputat doctrinæ & Doctoribus. Sicut hodie cum adversarij atrocissime contra doctrinam nostram loquuntur, urgent fructus, objiciunt seditiones, sectas, avaritiam, tyrannidem Principum, & alia.

Causa scandalorum in Ecclesia.

Sed dic mihi, num Micham accusabimus, quod aut in docendo negligentior, aut in objurgando non satis vehemens fuerit? Nam doctrinam ejus culpare non audebis, Et tamen ipse testatur, se nullum videre fructum suæ doctrinæ in populo. Imo quanto ipse acrius reprehendit vitia, tanto majora incrementa sumpsere. Hujus igitur incommodi quæ causa est? Profecto non Doctores, ac multo minus doctrina. Sed Satan est causa, qui Zizania hominibus dormientibus serit in bono agro. Ea postea sic pullulant, ita succrescunt, ut bonum semen non solum obruatur, sed plane stranguletur.

Sed non ideo aut vocatio penitus abjicienda, aut negligentius faciendum officium est. Hæc enim duo incumbunt Doctoribus. Primum ut animam suam redimant, sicut Ezechiel loquitur. Deinde etiam ut impius mundus habeat testimonium publicum contra se. Sicut Christus dicit Iohan. 15. Si non venissem & locutus essem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Ad hæc accedit tertia causa & quidem potissima, quod & nomen Dei sanctificandum est, aliis omnibus blasphemantibus, & semper aliqui erunt, qui Verbum amplectentur. Habet enim Deus semper suam Ecclesiam, ubi Verbum est, etsi variis scandalis deformata & pene oppressa sit.

Propter multitudinem improborum non deserendam vocationem.

Joh. 15.

Periit Sanctus de terra, & rectus inter homines non est. Omnes insidiantur sanguini, unusquisq; venatur Fratrem suum ad perniciem.

Hoc Prophetis usitatum est, ut quod antea figurate dixerunt, postea simpliciter & sine figura dicant. Idem Micha hoc loco facit, Botri, quos in vinea sua quæsivit, hi erant, de quibus in superiore capite dixit, Facere judicium, diligere beneficentiam, & humilem esse coram Deo. Sed hæc cum quærit in suo populo, contrarium invenit. Periit, inquit, de terra Sanctus, & Rectus non est inter homines.

Botri in vinea Domini.

Vocabulum Sanctus (Halid) apud Ebræos active & passive significat, nempe, qui misericordiam à Deo consecutus est, & qui misericordiam exercet erga alios. Debent enim hæc duo concurrere, ut servus, cui debitum remissum est decies mille talentorum, vicissim remittat conservo centum denarios. Rectum vocat, qui recta incedit, & neque ad sinistram nec ad dextram deflectit, hoc est, qui ambulat in timore Dei, & sperat in ejus misericordia. Talem negat amplius invenirj, quod videbat omnes, rebus lætis, sine timore & in summa licentia vivere, Contra in calamitatibus aut desperare, aut converti ad carnalia præsidia.

Sanctus quid.

Matth. 18.

Rectus.

Hæc recte opponuntur ei, quod supra dixit, Iudicium facere, hoc est, attendere verbo, quod hos duos cultus præcipit, Timorem & fiduciam in Deum. Hi cultus cum non adsunt, sequuntur ea, quæ Propheta commemorat, ut omnes insidientur sangvini. Hoc etsi ad cædes referri poterat, quas sæpe ambitio & avaritia parit, tamen rectius refertur ad cædes Prophetarum, obnitentium cupiditatibus Mundi. Sicut videmus, si quis Papistarum impietatem libere insectetur, ei omnis generis insidiæ & supplicia subeunda sunt. Quia autem pauciſſimi sunt, qui Prophetis recte monenti-

Iudicium facere

Omnes insidiantur sangvini.

bus

bus parent, quid tum futurum putamus, cum qui recta monent, per crudelitatem è medio ſublati ſunt?

Quod addit, Vnuſquiſq; venatur Fratrem ſuum ad perniciem, idem eſt, quod Eſai.5. Eſai.5. Cap. dicit, Expectavit Dominus judicium, & ecce oppreſſio, Iuſticiam, & ecce querelæ. Væ igitur vobis qui conjungitis domum domui, & agrum agro, nec relinquitis pauperi locum, ut vos ſoli occupetis omnia, &c. Notat ſimul tyrannidem & avaritiam graſſantem inter impios. Operoſa res eſt venatio, canes adhibentur ad vim, & retia ad dolum. Nec Venator ſe nudum feris objicit, haſtis, bombardis, gladiis inſtructus eſt. Hanc ſimilitudinem affer ad aulas Principum, inſidiantium facultatibus ſubditorum, ad mercaturam, ad alia quæſtuoſa negocia, & invenies miras artes, quibus omnibus homines hoc agunt, ut quamplurimum corradant, etiamſi aliis omnibus egendum & fame pereundum ſit. *Similitudo venationis.*

Malum manuum ſuarum dicunt bonum.

Eſt hæc quoq; magna perverſitas, quod mundus non ſolum excuſat, ſed etiam ornat peccata ſua. De hac labruſca in vinea Domini etiam Eſaias queritur, Væ qui Eſai. 5. dicunt malum bonum, & bonum malum, qui ponunt tenebras in lucem, & lucem in tenebras, quiq; ponunt amarum in dulce, & dulce in amarum. Fit autem hoc maxime in iis, quæ ad Verbum & ad Eccleſiam pertinent. Iudæi cum Stephanum occidunt, neutiquam volunt videri quod peccarint, ſed etiam pietatis laudem inde quærunt, quod occiderint eum, qui blaſphemus fuerit in Moſen & Deum, Actor. 6. Sicut Act. 6. Iob. 15. Chriſtus vaticinatus eſt. Putabunt ſe Deo obſequium præſtare, cum vos occiderint. *Mundus excuſat peccata ſpiritualia & politica.*

Sic Pontifices & Epiſcopi hodie, an non malum ſuarum manuum dicunt bonum, cum & ſua defendunt ac ſtabiliunt, veram autem Evangelij doctrinam damnant, tanquam nocentiſſimam hæreſin? Manifeſta autem flagitia, quæ committunt, etſi non poſſunt defendere, quaſi ſint benefacta, tamen videmus eos in ſumma ſecuritate, tanquam re bene acta, indulgere cupiditatibus. In primis autem avaritia pulcherrimis coloribus pingitur, ut non vitii, ſed virtutis loco ſit & colatur. Ne quidem maxime inſignes uſurarij uſuras agnoſcunt, ſed eas quoq; defendunt, quæ centeſimam excedunt. Sic malum manuum ſuarum impii dicunt bonum. *Impii malè manum ſuarum dicunt bonum.* *Avaritia.* *Vſura.*

Princeps petit, Iudex munera accipit, Potens loquitur ſecundum pravitatem animæ ſuæ, & conjungunt ſtudia.

Diſtributione hic Propheta utitur, ut oſtendat omnes ordines extreme corruptos & depravatos eſſe, qui tamen reliquos exemplo ſuo ad pietatem & honeſtatem debebant invitare. Principum eſt conſulere ſuorum commodis, ut in pace rem parare & ſuos alere commode poſſint. At hoc, inquit, noſtri principes non faciunt, ſed aſſidue poſtulant à ſubditis. Verum autem eſt quod Græci dicunt, τ ἀρχόντων δεήσεις αἰάγκαι. Naboth cum vineam poſtulanti Ahab negat, occiditur. Hos Principum mores imitatur reliqua aula. *Principes.* *Principes cum petunt, cogunt.*

(Haſchoveth baſchillum) Iudex propter retributionem, hoc eſt, non adminiſtrat jus ex æquo, ſed ex ſuo commodo, Danti æquus eſt, etiamſi cauſa ſit inferior, Eſai.5. Non danti, eſt iniquus, etiamſi cauſa vincat. Sicut Eſaias quoq; hanc ſententiam eleganter exponit, Iuſtificant impium, inquit, propter munus, Iuſticiam autem juſtorum auferunt ab eis. Cum hac ſententia non pugnat, ſi (Baſchillum) referas ad ipſum Principem, cujus tyrannidem Iudex ideo adjuvat & defendit, quia ſperat retributionem ab eo. *Iniquus judex.*

Tertius gradus eſt, privatorum hominum, ſed potentum & divitum. Hi quales ſunt? Loquuntur, ait, ſecundum pravitatem cordium ſuorum, hoc eſt, ſequuntur cupiditates ſuas, omnia gerunt pro libidine ſua, confiſi opibus & potentia (Vajeabethica) Hoc refero in genere ad omnes iſtos tres ordines, eſt enim plurale, quod conjunctis ſtudiis ad malitiam, vincunt & perrumpunt. Nam verbū (Abath) ſignificat intricare, condenſare, & per metalepſin, quæ huic linguæ communiſſima eſt, roborare, fortē facere. Sicut Proverbium teſtatur, Funiculus triplex difficilius rumpitur. Hinc à *Divites mercatores.*

connexione vocant (Aboth) funem denſum & ſortem. Quod Hieronymus vertit, Secundum deſiderium animæ ſuæ, ſententiam magis quam verba reddidit, quanquam ſententia minus ſignificans eſt. Nam vocabulum (Navah) ſignificat pœnam & culpam, Sicut cum Germanice dicimus, Nach vnglück ringen/ Vnglück ſtifften. Sic in Pſal. 91. ubi noſtra translatio habet, A peſte noxia, in Ebræo eſt (Mideber havoth) à peſte noxia, ſeu à re infelici. Sententia igitur eſt, Qui opibus valent, pleni ſunt pravis cupiditatibus, his obſequuntur & indulgent libere.

Havah.

Pſal. 91.

Vide autem quam brevibus, & tamen mire ſignificantibus verbis, deſcriptas ac propriis caloribus depictas habeas aulas omnium fere Principum. Quibus vnquam ſeculis auditum eſt, tanta onera impoſita eſſe ſubditis, tantum ut ſumptuoſe ædificare, ſplendide veſtire, & magnam aulicorum turbam, ad fruges conſumendas, aptam & natam, poſſint alere. Hæc enim faciunt, ut nulli ordinarij reditus eis ſatis ſint. Itaq; poſtea aliis quoq; magiſtri avaritiæ fiunt, qui jus adminiſtrare & publica officia Reipub. neceſſaria, adminiſtrare debebant. Eadem magnarum rerumpub. vitia ſunt. Nam inter opes, omnia vitia liberrime graſſantur. Putant enim homines potentes, ſe una cum opibus, omnium ſcelerum licentiam poſſidere. Hinc ſunt illæ oppreſſiones pauperum, immanes uſuræ, adulteria, fornicationes, manifeſtus contemptus Verbi & miniſtrorum, injuriæ manifeſtæ, eæq; indigniſſimæ. Hæc itaq; ſunt illa fœcunda ſemina, ex quibus poſtea vaſtitas & interitus regnorum & rerumpub. enaſcitur. Niſi & concionatorum diligentia & Magiſtratus ſevera diſciplina, publicis his ſcandalis vatur obviam.

Aularum pictura.

Vitia magnarū Reipūblicar.

> *Qui optimus inter eos eſt, eſt quaſi paliurus, & qui rectiſſimus eſt, eſt quaſi vepretum.*

Simile eſt quod Eſaias dicit, Expectavit Dominus, ut vinea uvas faceret, ſed fecit labruſcas. Alludit enim Propheta hic quoq; ad ſimilitudinem de vinea, Q. d. Debebant Principes & cives mei eſſe jucundæ & ſuaves uvæ, Nam in hunc finem doceo, & ad pœnitentiam eos revocare conor, Sed ſunt ſpinæ & vepres, quorum omnis vita ejuſmodi eſt, ut ubiq; pungant & lacerent. Non ſolum enim exemplo nocent, ſed injurij quoque ſunt in proximos. Ad hunc modum utitur ſimilitudine hac Chriſtus Matth. 7. Num poterunt uvæ colligi ex ſpinis, & ficus de tribulis? David in verbis ſuis noviſſimis, 2. Samuel. 23. etiam hac figura utitur, ſed reſpicit ad eventum. Prævaricatores, inquit, quaſi ſpinæ evellentur, Propheta magis ad mores reſpicit, quod ſicut ſpinæ pungunt, & tamen glaberrimam corticem habent, Ita qui aliorum incommodis ſua quærunt commoda, & in omnibus flagitiis licentiſſime vivunt, tamen palliant impietatem.

Eſai. 5.

Matth. 7.

2. Sam. 23.

> *Cum vero dies Speculatorum tuorum, ac viſitationis tuæ adveniet, tunc angentur animo.*

Hic minatur etiam impiis Doctoribus, qui avaritiæ ſuæ cauſa Principibus adulabantur. Non reprehendebant vitia, non comminabantur pœnam peccatis, Sed ſe piis Prophetis etiam opponebant, quaſi non eſſent illa eventura, quæ minati erant peccatoribus. Dicit igitur, Cum tales veſtri mores ſint, profecto non dormitabit pœna, & ultio divina. Sed veniet dies, cum ſpeculatores tui, hoc eſt, Epiſcopi & doctores, arguentur mendacij, & vos viſitabimini per Aſſyrium, & Babylonium, ac fiet tum, ut qui nunc vos conſolantur, qui magnifica promittunt, quaſi Deus ad peccata veſtra, propter templum & cultum ſuum connivere velit, Hi impliciti ſubitis terroribus & malis, quo ſe vertant neſcient, hoc enim fere ſignificat Ebræum verbum.

Impiī Doctores.

> *Ne credatis amico, ne confidatis in Principe. Ab ea quæ in ſinu tuo jacet, cuſtodi oſtium oris tui. Nam & filius in patrem contumelioſus eſt, & filia conſurgit adverſus matrem ſuam, & nurus adverſus ſocrum ſuam, Et inimici cujuslibet, domeſtici ejus.*

Hactenus

Digitized by Google

Hactenus querimonia Prophetæ eſt de perverſitate morum in toto populo, & ſcandalis magno impetu in omnibus ordinibus graſſantibus, Nunc ſubjicit admonitionem admodum neceſſariam. Hanc Hieronymus accommodat ad Pſeudoprophetas, quem Lyra ſequitur. Gloſa ordinaria ineptè accommodat ad diverſos Prælatos in Eccleſia, quibus quidem honos deferendus, ſed non fidendum eſt. Qui Rabinos ſequuntur, putant Prophetam politicè loqui, contra perfidiam hominum. Sicut anus apud Comicum dicit, Quid credas jam, aut cui credas? Ac profecto non inutile illud Græcorum præceptum eſt, *μίμνησο ἀπιστεῖν*. Tam enim altæ humanarum mentium ſunt latebræ, tanta ingeniorum & morum pravitas eſt, ut quid cui credas neſcias. Non inuſitata exempla ſunt, Sicut etiam Hieronymus hoc in loco queritur ubi filius parenti, frater fratri inſidiatus eſt. Nam ut Poëta inquit:

Non confidendum in homines

Ovidius.

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero. Fratrum concordia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita noverca.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Hujuſmodi exempla cùm non rara accidant, rectè monentur homines, ne temere quibuſvis credant. Ac monet idem Scriptura quoque, ſed paulo alia ratione. Sic enim prohibet fiduciam in homines, ut fiduciam omnem habeamus poſitam in divino auxilio, quod non poteſt fallere. Hominum autem tum conſilia, tum auxilia fallunt, Imo etiam ſæpè nocent. Sicut Eſaias dicit: Ægyptios Iudæis fore tanquam arundinem, cui ſi innitaris, frangitur, & ſauciat brachium. Et omnes gentium hiſtoriæ plenæ ſunt exemplis, quæ oſtendunt eos, qui fiducia humanorum auxiliorum res novas moliti ſunt, periiſſe. Eſt enim illa in homines fiducia peccatum contra primum præceptum, Ego ſum Dominus Deus, Igitur certæ pœnæ eam conſequuntur.

Scriptura damnat fiduciam in homines.

Hominum conſilia & auxilia fallunt, &c.

Fiducia in homines.

Sicut igitur Scriptura ubiq; hortatur ad fiduciam in Deum, ita fiduciam in homines ubiq; damnat. Relinquit tamen fiduciam, ut ſic appellem, œconomicam & politicam. Charitas, inquit Paulus, non eſt ſuſpicax, Cùm igitur mandatum ſit, ut viri diligant uxores ſuas, profecto debet longiſſimè abeſſe à conjugibus, vel diffidentia vel ſuſpicio omnis, Sicut Salomon dicit: Confidit in uxore cor viri, Proverb. 31. hoc eſt, non ſolum credit ei adminiſtrationem rei familiaris, ſed etiam ſe redamari credit, & amore alienorum non affici. Hæc fiducia inter conjuges debet eſſe perpetua, niſi res aliud oſtendat. Sic Paterfamilias committit operas domeſticas familiæ. Princeps credit ſe diligi à ſuis, viciſſim ſubditi credunt ſe Principi ſuo charos & curæ eſſe. Hæc fiducia non ſolum alit amorem, ſed eſt unicũ vinculum animorum & negociorum omnium. Itaq; neceſſaria eſt, & divinitus præcepta. Sed eſt, ut dixi, fides œconomica & politica, quæ non tollere debet fiduciam in Deum. Quia autẽ fieri poteſt, ut alicubi fallamur, etiam orandus DEUS eſt, ut hoc animorum vinculum conſervet. Et ſimul diligenti inſpectione & ſtudio opus eſt, ſæpè enim homines incurii negligéntia ſua aliis dant occaſionem peccandi. Si Paterfamilias non inſpiciat operas familiæ, & gubernet, nihil mirum eſt, ſi familia alicubi aut ceſſet, aut depravet aliqua. Sic princeps ſuarum rerum curam ita mandabit aliis, ut tamen ipſe in parte aliqua adminiſtrationis ſit.

Non ubiq; diffidendum hominibus.

Prov. 31.

Fiducia inter conjuges.

Fides politica.

Sed quod ad præſentem locum attinet, non loquitur Propheta de illa civili diffidentia, qua propter perfidiam hominum uti aliquando neceſſe eſt, Ad graviores res hæc admonitio referenda eſt. Conqueſtus eſt, quod neq; Principes, nec judices officium faciunt, De privatorum quoque cupiditatibus dixit. Nunc igitur hanc admonitionem ſubjicit, ne talibus ſcandalis pii ſe quoque ad impietatem patiantur abduci. Magnum enim periculum eſt in illa ſcandalorũ multitudine, ſicut tot Prophetarum conciones teſtantur. Pſal. 125. dicit: Non relinquet Dominus Sceptrum impiorum ſuper ſortem juſtorum, ne fortè juſti quoq; extendant ad iniquitatem manus ſuas. Et Chriſtus Mat. 18. graviter monet: Si manus tua, aut pes tuus te ſcandalizat,

Propheta loquitur de cavendis ſcandalis eorũ, qui præſunt. Pſal. 125.

excinde

Scandalum vitandum.

excinde eum & abjice. Melius eſt tibi, ut claudus & mancus ingrediaris ad vitam, quam ut ambas manus & pedes ambos habens projiciaris in æternum ignem, Et ſi oculus tuus te ſcandalizat, exime eum & abjice. Melius enim tibi eſt unoculo in vitam ingredi, quam duos oculos habentem projici in gehennam ignis. Hoc eſt, non patiaris te à quoquam induci in ſcandalum, etiamſi eo tam non videaris poſſe carere, quam oculo aut pedibus. Erue oculum, excinde pedem, & quacunq; ratione potes te libera, noli aſſentiri, &c.

Ad hunc modum Propheta quoq; hoc in loco concionatur, ne amicorum, ne Principis, ne deniq; nobis conjunctiſſimorum tantam rationem habeamus, ut eorum exemplis invitati à Verbo diſcedamus, aut contra Verbum faciamus. Sunt enim homines, quicunq; tandem ſunt. Deo igitur potius gratificandum, & ejus Verbum ſequendum eſt. Is enim major eſt homine. & ex calamitatibus quas homines ſtruunt, eripere poteſt, ubi contra homines fallunt, etſi non in pericula involvunt, tamen in periculis deſerunt.

Ego autem ad Dominum reſpiciam, ſperabo in Deo ſalutis meæ, Et exaudiet me Deus meus.

In Deum credẽdum, non in homines.

Hic Propheta exponit ſe. Quod enim ſupra dixit negative, hoc nunc affirmative dicit, & transfert rem in ſuam perſonam. Nolite, inquit, credere in homines, in Deum credite, ſi ſervari vultis, ſicut ego facio. Sunt autem hæc verba plena fidei & conſolationis, quæ ut rectius intelligi poſſint, in rem quaſi præſentem cogitatione inſiſtamus. Eſt hæc ultima Concio Prophetæ, quem videmus maximo animo inſectatum eſſe vitia ſuorum temporum, & comminatum pœnas. Nec id ſatis ei fuit, Etiam rationem oſtendit emendandæ vitæ & placandæ iræ Dei. Cum itaq; videt impium mundum, neglectis comminationibus & doctrina ſalutari, pergere in peccatis, duo facit, quæ maxime ſunt inſignia. Primum non movetur ſcandalis impiæ multitudinis, ſed manet firmus in ſententia ſua, non mutaturus eam, ſi capiendi ideo inimici ſint omnes homines. Hæc Prophetica & heroica conſtantia in fideli Doctore in primis eſt neceſſaria. Sed alterum majus eſt, quod cum in talibus moribus non poſſet abeſſe longius pœna & vindicta divina, non tamen ſpem omnem abjicit, ſed oculos in Deum rejicit, certus, quod etiamſi univerſalis pœna tanquam diluvium graſſatura ſit, tamen Deus norit eripere & ſervare ſuos, Sicut Petrus quoq; dicit.

Conſtantia Michæ.

Vaſtatio Germaniæ imminens.

Noſtrorum temporum plane eadem conditio eſt. Mundus ſic immergitur peccatis, ut non poſſit ſperari aliud, quam certa vaſtatio totius Germaniæ. Hanc enim meruerunt non ſolum idolatriæ & blaſphemiæ tempore Papatus, ſed etiam augent eam contemptus Verbi revelati, ingratitudo, inobedientia, deniq; omnium vitiorum infinita licentia. Oportebit itaq; nos quoq; Prophetæ exemplum imitari. Primum ne decepti ſcandalis, patiamur nos quoq; ad impietatem abripi. Cogitandum enim eſt ſingulis nobis, etiamſi totus mundus libidini, avaritiæ, crapulæ indulgeret, nos tamen caſtos, beneficos & ſobrios velle vivere. Secundo ne prorſus abjiciamus ſpem ſalutis, etiamſi hac hora ingruat Turca, & omnes calamitates.

Propheta excidium Hieroſolymitanum non erat viſurus, vaſtationem regni Iſrael vidit, & fortaſſe obſidionem Hieroſolymitanam quoque factam à Sanherib octavo anno poſt occupatum regnum Iſrael. Pertinent igitur hæ ejus voces, ad Eccleſiam tempore vaſtationis futuram, ad illum puſillum piorum gregem, qui calamitates illas vidit. Hunc docet, ne abjiciant ſpem ſalutis, Sed ut levent oculos ad Dominum, qui eſt Deus ſalutis, & audit preces ſuorum. Brevia verba, ſed quæ ingens pondus graviſſimarum rerum ſecum trahunt. Non ſolum enim bellam antitheſin includunt, ſed etiam doctrinam maxime neceſſariam complectuntur. Reſpiciam, ſeu ſpectabo ad Dominum, inquit, Non eos ſequar, qui reſpiciunt ad ſuam juſticiam, ſapientiam, potentiam, qui in aliorum hominum opibus & amicitia confidunt. Nam omnia, quæ ab hominibus præſtari poſſunt, ſunt fallacia. Oculos igitur ad eum vertam, qui eſt Deus omnipotens, de ejus manu accipiam. Sicut hunc affectum elegan-

Deus ſalutis.

Ad Dominum reſpiciam.

ter pin-

123. ter pingit Pſal. 123. Ad te levavi oculos meos,qui habitas in cœlis, Ecce ſicut oculi ſervorum ad manus dominorum ſuorum,Sicut oculi ancillæ ad manus dominæ ſuæ, Ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Singularis itaque emphaſis eſt in vocabulo,ad Dominum. Opponit enim hunc omnibus humanis præſidiis.

Secundò addit,Expectabo Deum ſalutis meæ. Magna fides,quod nominat Deum ſalutis,qui velit & poſſit ſalvare. Addit autem diſerte,meæ. Nam hæc demum vera fides eſt, quæ ſibiipſi applicat miſericordiam Dei & ſalutem. Hunc Deum, inquit,expectabo. Cur hoc addit? Nimirum,ut oſtendat,ſe,etſi de ſalute certus ſit,tamen Deo non præfixurum tempus,non modum,non media ſalutis. Hoc enim eſſet tentare Deũ,quaſi omiſſo hoc articulo temporis,poſtea ſalus eſſet impoſſibilis, quaſi tantum uno modo & medio ſalus poſſit contingere. Ab hac tentatione, qui ſe liberare volunt,illi, expectant,dum ipſe Deus opportunum tempus & modum definiat. Eſt enim adjutor in opportunitate, ſed opportunitatem definit ipſe.

Expectabo Deum ſalutis meæ.
Vera fides.

Tertiò dicit: Et audiet me Deus meus. Vide quam pertinaciter urgeat,ſe habere DEUM, quaſi reliqua impia turba Deum non habeat. Habent quidem Deum etiam impii, ſed iratum,& Deum vindictæ,non ſalutis. Propheta autem gloriatur de Deo ſuæ ſalutis,& de ſuo Deo, qui non probet contemptorum verbi impietatem. Hic Deus meus,inquit,ezaudiet me. Cur hoc? Nimirum,quòd tum tardat auxilium,Propheta tamen non ceſſabit orare,non deſinet clamare pro auxilio. Hoc enim modo,ſi inceſſanter oraverimus,probamus DEO fidem noſtram, quod de ſalute ejus nondum deſperemus. Probamus etiam DEO patientiam noſtram,quòd mora illa non frangit animos noſtros. Eſt enim hæc non rara tentatio,quod homines dum expectant & petunt opem,& eam differri vident,putant aut Deo non curæ eſſe ſua,aut orationem minus gratã,Itaq; deſperatione quadam abjiciunt orationem.

Spera Deum auditurum preces ſuas.

Sed Propheta expectans, & adhuc ſperans ſalutem, etiam hoc pertinaciter ſperat,Deum auditurum,Ergo oſtendit ſe de oratione nihil remittere,ſed eam,fidu-
cia ſalutis impetrandæ,de die in diem urgere. Sicut Chriſtus docet in parabola illa
18.11 de iniquo Iudice,& de vicino improbius flagitante panem. Hujuſmodi tum præcepta,tum exempla nobis in omnibus periculis debent eſſe ob oculos, ut excitemur ipſi quoq; ad pertinacem ſpem,etiam tum,ubi ſimpliciter deſperandũ eſſe videtur.

Ne lœteris inimica mea ſuper me, quod cecidi, ſurgam.
Et ſi ſedero in tenebris, DOMINVS lux mihi eſt.

Fecit Propheta officium ſuum,quod attinet ad ſecuros & impœnitentes peccatores. Nam & reprehendit peccata & comminatus eſt graviſſimas pœnas, Ac ne quid intermitteret,viam quoq; oſtendit,qua poſſint reconciliari Domino, ſi non indulgeant ſcandalis, ſed ſequantur verbum,& reſpiciant ad Deum. Poſtquam autem videt,nihil à ſe profici,dimittit eos ſecundùm deſideria cordium ſuorum. Nam apud tales nihil eſt reliquum,quam ut experiantur vera eſſe, quæ ridebant, cùm ex Propheta audirent ventura eſſe. Vertitur igitur jam ad alteram partem,ad pios, qui admoniti Concionibus Prophetæ,& agnoſcebant peccata, & pœnitentiam agebant, & tamen communem calamitatem, certo DEI conſilio cogebantur ſimul ferre. Conſolatur autem hos pulcherrime,& promittit futurum,ut non ſolum hoſtes crudelitatis ſuæ ſatis graves pœnas luant,ſed ut etiam reædificetur Ieruſalem. & longe ſplendidior fiat, quam unquam fuit. Nam cùm hactenus inimicos habuerit omnes vicinos,futurum poſthac,ut omnibus dominatura, & hoſtes ejus omni genere honoris eam proſecuturi ſint. Deum quoque longe clariora favoris ſui ſigna eſſe editurum,quàm illa in Ægypto fuere. Tota autem hæc conſolatio referenda eſt ad ſpirituale regnum Chriſti per Evangelium.

Miſſis impiis conſolatur pios.

Initio Apoſtrophe eſt ad Aſſyrios & Babylonios, per quos diverſis temporibus populus Iſraël graviſſime afflictus eſt. Nam hi regnum Iuda,illi decem tribus Iſraël vaſtarunt & captivos abduxerunt. His victoriis barbaræ & impiæ Gentes non

Impiorum furiæ.

non potuerunt non efferri, Sicut videmus in Rabſace apud Eſaiam, & Belſazer apud Danielem. Vterque enim inſoleſcit victoria & blaſphemat Deum cœli, Laudant ſua idola tanquam largitores tanti ſucceſſus, Deum autem Iſrael contemnunt, & rident tanquam Deum imbellem, qui non potuerit ſuos liberare. Sicut hic dicunt, Vbi eſt Deus tuus? Hæc impiorum ſumma ſecuritas, piorum calamitatem etiam auget, ut & videantur ſibi penitus à Deo deſerti, & nullam ſalutis ſpem exiſtiment eſſe reliquam. Hæc enim perpetua carnis noſtræ eſt natura, niſi gubernetur verbo Dei & Spiritu ſancto, ut lætis rebus inſoleſcat, & adverſis frangatur. Propheta igitur, ac ſi in re præſenti eſſet, & ſuorum puſillanimitatem, & adverſariorum inſolentiam videt. Monet igitur hos, ne efferantur in illa calamitate populi ſui, Ac addit cauſas, futurum ſcilicet, ut lapſi iterum reſurgant. Pertinet autem hoc eo, ut ſuum populum in ſpem ſalutis erigat & labantes animos confirmet. Ideo inquit, Ne læteris inimica mea ſuper me, quod cecidi. Videt humanitatis eſſe, ut occurramus lapſis, & eos vel erigamus, ſi poſſumus, vel ſaltem commoveamur eorum calamitatibus ad miſericordiam.

Esa. 37. Dan. 5.

Natura carnis.

Eccleſia calamitatibus impii non exſtimantur.

Sed hæc Eccleſia perpetua fortuna eſt, ut calamitatibus ejus nemo moveatur, ſed ut inimici calamitatem calamitati addant, nec ulla ſuppliciorum acerbitate exaturari poſſint. Ad hunc modum Chriſtus, Eccleſiæ caput, in cruce vidit exultantem gaudio Synagogam, & inſultantem moribundo. Sed fuit hæc impiorum lætiçia & riſus breviſſimi temporis. Vix in ſepulchrum poſitus erat Chriſtus, ac jam exaturata crudelitas hoſtium ejus quietura videbatur, ibi novus & inuſitatus metus eos invadit, ut etiam mortuum cadaver metuant, & Chriſtus tertia die reſurgens ad infirmiſſimum mendacij præſidium eos cogit. Sunt enim reſurrectionis Chriſti nuntij & teſtes, illi ipſi hoſtes Chriſti.

Ad hunc modum Propheta quoq; hic conſolatur ſuos, qui oppreſſi gravi calamitate jacebant, atq; ideo etiam trepidabant animo, ubi contra inimici lætabantur. Surgetis, inquit, Mira profecto & pene incredibilis vox, iis, qui ſe ita lapſos videbant, ut nulla humana vi viderentur erigi poſſe. Maxima pars populi bello abſumpta, reliqui captivi abducti erant. Præfiniebatur à Ieremia captivitatis tempus pene infinitum, anni ſeptuaginta. Pauciſſimi enim, qui Hieroſolymam viderant, redierunt in terram Canaan, Alia multitudo in Babylone, inter gentes, ſine patriis Ceremoniis & ritibus educati ſunt. Itaq; omnes in gentilitatem videbantur degeneraturi, inter tot & tanta impiarum gentium ſcandala. Et tamen Propheta certam ſpem incolumitatis populo promittit, cum dicit, Surgam. Nec falſus eſt, nam regnum Iuda reductum eſt in terram ſuam, muri Ieruſalem, quanquam in anguſtia temporis, ut Daniel loquitur, reædificati ſunt, Donec tandem Chriſtus venit, & per prædicationem Evangelij etiam decem tribus Iſrael ſurrexerunt, & cum vera Eccleſia fidelium conſociatæ ſunt.

Dan. 9.

Sed maxime inſigne eſt, quod Propheta addit, Si ſedero in tenebris, DOMINUS eſt mihi lux. Poteſt enim Prophetæ objici, In longinquum tempus eſt, quod promittis, Varie interim affligentur omnes, multi autem morte prævenientur, De his quid fiet? Profecto promiſſiones hæ eis nihil proderunt, poſt tam longum tempus ſecuturæ. Reſpondet itaq;, Calamitates iſtas, & mortem quoq; eſſe ceu horribiles tenebras, Sed illuſtrari tamen eas ſpirituali & æterna luce, nempe ab ipſo Deo, cujus Verbum tanquam lucerna in caliginoſo loco prælucet, ne calamitatibus fatigati frangamur, & deſpondeamus animum. Hæc illa inſignis conſolatio eſt, qua vincenda ſunt omnia incommoda corporalia, etiam mors ipſa. Quid enim eſt, detineri morbo incurabili & quotidiana quaſi morte abſumi? quid eſt captivum eſſe Turcæ? Quid eſt egere, & premi inopia? Quid laborare aliis incommodis ſive œconomicis, ſive politicis? Nonne omnia hæc ſunt temporalia, & conditionem hanc perpetuam ſecum afferunt, Quod aliquando neceſſe ſit ea mutari, ſaltem tum, cum vita mutanda eſt? Sunt igitur, ut Propheta appellat, tenebræ, & quidem horribiles, quas omnes naturaliter fugimus, & averſamur, Caro enim non poteſt non abhorrere iſta incommoda.

Lux in tenebris.

Victoria omnium incommodorum, &c.

1. Pet. 1.

Sed

Google

Sed reſpice in verbum,ad hanc lucem ſpiritualem, de quo Propheta hic loquitur,&ſenties vinci tenebras illo lumine,ex quo hi radii conſolationum oriuntur. Pater filium,quem diligit,caſtigat,Corripimur à Domino, ne cum hoc mundo damnemur,Non ſunt dignæ paſſiones hujus temporis gloria, quæ revelabitur in nos, Venite ad me omnes,qui laboratis &onerati eſtis,& ego reficiam vos,Nolo mortem peccatoris,ſed ut convertatur & vivat,Linum fumigans nõ extinguet, Cor humiliatum & contritum Deus non deſpicies,Qui relinquit propter me Patrem &matrem, centuplum inveniet, Qui vitam propter me amittit,inveniet,&c. Sunt enim infinitæ hujuſmodi ſententiæ in Concionibus Prophetarum,Apoſtolorum & Chriſti,quæ in ipſo ſenſu calamitatis piis prælucent, ne deſperent,hoc eſt, illuſtrant tenebras carni intolerabiles.

Conſolatio verbi,eſt lux in tenebris.

Neque vero impedit,quod calamitates illæ ſunt pœnæ peccatorum. Nam Propheta ſtatim peccatum in ſua & Sanctorum perſona profitetur ac agnoſcit. Hoc ſolum reſtat,ut tu quoque peccata tua agnoſcas,& in iis non pergas obſtinate. Caſtigat Pater quoque filium propter peccata, & tamen ipſa caſtigatio eſt ſignum paterni animi. Sic Paulus dicit,Corripi nos à Domino, ne cum hoc mundo damnemur. Fiunt igitur etiam illæ calamitates, quas propter peccatum infligit Deus, piis ſeu pœnitentibus,certa ſigna gratiæ Dei,& vera Sacramenta,ſicut Epiſtola ad Ebræos hunc ipſum locum pulcherrime explicat,cap. 12. Fiunt etiam exercitia fidei, Fiunt opera obedientiæ erga Deum, & habent promiſſionem compenſationum æternarum. In hanc igitur lucem nos quoq; intueamur oculos & animo, & fiet, ſicut Paulus dicit, ut etiam gloriemur in tribulationibus, Scientes, quod tribulatio patientiam,patientia probationem,probatio ſpem efficit, Spes autem non confundit. Scimus enim per Spiritum ſanctum, qui nobis datus eſt, nos à Deo diligi, & gratiam tanquam diluvium inundare in nos.

Calamitates quæ peccata merue unt, piũ ſiunt ſigna gratiæ.

Cor. 11.

Ebr. 12.

Rom. 5.

Iram Domini feram, quia peccavi ei, donec judicaverit cauſam meam, feceritq; meum judicium.

Educet enim me in lucem, & cum gaudio videbo juſticiam ejus.

Hic clarius exponit,quod ſupra de tenebris & luce dixit. Ac initio eſt inſignis confeſſio,Agnoſcit illam calamitatem proficiſci ex ira,& quidem ex ira DOMINI, Deinde nihil diſſimulans addit cauſam,Quia peccavi Domino,ideo plector. Continet igitur hic locus doctrinam longe utiliſſimam,ut nos quoq; in calamitatibus non tantum mulierum more,querulemur & ejulemus,Sed attollamus oculos & circumſpiciamus de cauſa calamitatum. Tunc enim fiet,ut non ſolum ſtatuamus nos levius puniri,quam pro merito, & ideo ſimus patientiores & animo magis præſenti, Sed etiam deſinamus peccare,& vivamus in timore Domini,quæ vera pœnitentia eſt.

In calamitatibus non tantum querulemur, ſed cauſa calamitatum conſideranda.

Complectitur igitur locus hic graviſſimam doctrinam de Pœnitentia. Quia enim diſertè dicit: Iram Domini feram, quia peccavi ei, profecto hoc ſignificat futurum,ut ſemper peccatum conſequantur ſuæ pœnæ. Hoc ſi ſtatutum habeat adulter,avarus,uſurarius,impius verbi,& miniſtrorum contemptor, num putas adeo ſecure peccaturos eſſe? Diverſum credunt. Nam cùm vident, quòd homines poſſint honeſta ſpecie falli,etiam Deum ſe fallere poſſe confidunt, Putant Deum tanquam Cupidinem clauſis oculis inter homines,ſine ſenſu,ſine cura aliqua humanarum rerum volitare. Ideo tam ſecurè peccant,ſine ullo metu pœnæ ſecuturæ,donec poſt longum ſpatium, quod Deus ex theſauro bonitatis ſuæ dat ad pœnitentiam, pœna eos arripit, ibi in horribilem δαιμόνιον ſeu deſperationem incidunt, Sicut exempla ante oculos ſunt, ubi in leviſſimis incommodis, mirabilis animorum conſternatio ſentitur.

Doctrina pœnitentiæ.

Pœna conſequitur peccatum.

Rom. 2.

Neceſſaria igitur hæc doctrina eſt,ut in omnibus calamitatibus & periculis Prophetæ exemplum imitemur,ac reſpiciamus ad cauſam mali,& fateamur peccata noſtra talium incommodorum non occaſionem tantum,ſed veram cauſam eſſe. Ita fiet,ut cum Propheta humili,& tamen forti & conſtanti corde dicamus: *Feram iram*

Digitized by Google

ferenda eſt. Nam fidem & miſericordiam Dei neceſſe eſt vincere, etiam in media morte. Sed quid ad hoc dicemus? Propheta ſupra gentes accuſavit, quod in iſta calamitate populi Iudaici, gauderent. Nunc autem quod in Gentibus damnavit, ipſe ſe facturum dicit, ſcilicet, cum gaudio interitum & conculcationem Babyloniorum ſpectaturum. Hoc potius decebat, etiam illorum calamitate affici, & condolere, non inſultare afflictis, non gaudere in eorum calamitatibus, &c.

Reſpondeo. Duplex hoſtium Eccleſiæ peccatum eſt. Peccant enim non tantum in ſecundam tabulam, dum crudelius tractant populum Dei, ſed etiam in primam. Nam odio Dei & veri cultus ſic ſæviunt in populum Dei. Hi cùm divinitus rapiuntur ad ſupplicium, non ſolum liberatur Eccleſia, ſed etiam prohibentur blaſphemiæ, datur facultas exercendi verbi & cultus Dei. Hæc an non digna gaudio, & votis omnibus poſtulanda ſunt? Sicut etiam oratio Dominica jubet rogari ſanctificationem nominis DEI. Ea autem ſemper conjuncta eſt cum interitu blaſphemantium & perſequentium Eccleſiam & verbum Dei. Non igitur ſimpliciter gaudent Sancti in interitu impiorum, mallent eos credere & ſervari, Sed cùm id non volunt, gaudent & lætantur, quòd Dominus impiorum conatibus reſiſtit, quòd verbum & cultum ſuum non ſinit penitus opprimi, etſi laborare ad tempus ſinit.

Duplex peccatum hoſtium Eccleſiæ.

Sanctificatio nominis Dei.

Hæc erit dies, in qua ædificabuntur maceriæ tuæ.

Quomodo Hieronymus hunc locum exponat notum eſt, conjungit eum cum ſuperioribus & transfert ad vaſtationem regni Babel per Medos & Perſas, ſed longe alia Prophetæ ſententia eſt. Abſolvit illas conſolationes de regno corporali, quòd populus ſit reducendus, & gentes vaſtandæ, quæ eum tenuerunt captivum. Nunc ad ea pergit, quæ corporalem reſtitutionem regni Iuda ſecuta ſunt, quòd ſcilicet Chriſtus tum revelandus ſit in carne, & allaturus novum doctrinæ genus, de gratuita remiſſione peccatorum. Hæc dies, inquit, cùm veniet, erit dies ædificandarum tuarum maceriarum. Ibi enim primum firmabitur ſolium regni David, non ejus, quod in terra eſt, & ſicut alia regna mundi, diſſolvetur, ſed ſpirituale & æternum, nempe regnum remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ.

Ædificatio maceriarum &c.

In die illa longe propagabitur præceptum.

Hic exponit ædificationem de qua dixit, quod Ieruſalem ſic ædificabitur, ut propagetur in longinquas terras præceptum. Eſt enim hic vocabulum (Hok) quod in ſecundo Pſalmo, planè in eadem ſignificatione uſurpatur, ubi de regno Chriſti concionatur Propheta, & dicit, Quod Chriſtus prædicabit præceptum, nempe hoc, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Hæc enim Evangelii vox eſt, quòd Ieſus ex Maria virgine natus, ſit filius Dei, in quo Patri complacuit, ut omnis qui in eum credit non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hoc præceptum Domini, ſeu doctrina hæc in Ieruſalem & monte Zion incepit quidem, ſicut ſupra quoq; dictum eſt, Sed ibi non reſtitit. Invulgatum enim eſt in totum orbem terrarum, & hæc ipſa evulgatio fuit vera ædificatio civitatis Ieruſalẽ, hoc eſt, regni Chriſti. Nam ſic Chriſto magnũ & infinitum regnũ paratum eſt per verbũ Evangelij, ſicut Propheta etiam hoc ipſum clarius jam exponit, ut nihil opus ſit peregrinas & ineptas ſententias comminiſci.

Ædificatio Ieruſalem.

Præceptum.

Pſal. 2.

Sed hic etiam antitheſis obſervanda eſt, Non dicit de præcepto Moſi, quod id vulgandum ſit in Gentes, quòd gentes circumcidendæ, ad ſacra legalia & alios ritus adigendæ ſint, Nam præceptum id manſit tantum in populo Dei, Sed hoc præceptũ de Filio audiendo, adorando, oſculando, hoc dicit longe propagatum iri, à Mari ad Mare, à flumine uſq; ad terminos terræ. Sicut etiam Chriſtus hanc ipſam ob cauſam comparat Evangelium fermento, quod totum mundum ſit pervaſurum, Item, Fulmini, quod ſubito ab oriente in occidentem fertur, nec poteſt ulla humana vi impediri.

Pſal. 2.

Matth. 13.

Matth. 24.

In die illa usque ad te ibitur ab Aſſur & civitatibus munitis, & à munitione usque ad flumen, & à mari ad mare, & à monte ad montem.

Mazor. Omitto nugas illas,an (Mazor) ſicut Septuaginta reddiderunt, ſint duæ voces,& ſignificetur Tyrus,An ſit una vox,& ſignificet munitionem. Retinet enim hic Propheta uſitatam phraſin,qua etiam alii Prophetæ uſi ſunt, cùm de regno Chriſti loquuntur. Sicut Pſalm. 72. Dominabitur à mari uſq; ad mare, & à flumine uſque ad *Pſal. 72.*
Evangelium prædicandũ per totum mundum. terminos terræ. Hunc locum quis non videt Micham voluiſſe imitari, Sicut Zachariam quoque Cap. 7. Loquetur pacem ad gentes,& dominium ejus à mari uſque ad *Zach. 9.* mare, & à flumine uſque ad terminos terræ. Nihil igitur hic opus eſt diſputare,quæ ſint flumina,qui montes,quæ civitates munitæ, de quibus Propheta loquitur. Nam in genere & ſimpliciter hoc vult, quod verbum Evangelii ſpargetur in totum orbem terrarum.

Erit autem terra in deſolationem propter habitatores ſuos, & propter fructum ſtudiorum ſuorum.

Abolitio regni & cultus Legis. Vide ſingularem diligentiam ſpiritus ſancti,Videt quæ ſint futuræ cogitationes impiæ Synagogæ,quod ſperatura ſit regnum corporale,& verbum Evangelii neglectura. Huic errori,qui regnum Chriſti non ſolum obſcurat, ſed ſimpliciter tollit, vult ſpiritus ſanctus hoc in loco mederi. Ideo addit de terra Iudæorum,quod erit in deſolationem,hoc eſt, quod corporale regnum una cum ſacerdotio & cultu legali *Chriſti regnum ſpirituale.* totum deſtruetur ac vaſtabitur. Igitur quæ de ædificatione maceriarum dixit, neutiquam referenda ſunt ad illam corporalem Ieruſalem, ſed ſimpliciter ad regnum Chriſti,quod eſt ſpirituale,& ædificatur per verbum Evangelii. Hanc ſententiam niſi ſequaris,Propheta ſibi ipſi contradicere videbitur. Quomodo enim convenit ædificari Ieruſalem,& totam terram vaſtari? Sic autem non pugnant hæc, ſi de ædificatione ſpirituali intelligas.

Sed unde hæc ira eſt? Nimirum propter habitatores terræ, & propter fru-*Mundi ſecuritas.* ctum ſtudii eorum. Hic brevibus verbis complectitur illam pœnitentiæ doctrinam, quam omnes Prophetæ tractant. Mundus ſecuriſſimus eſt in omnibus peccatis,maximè tamen in peccatis contra primam tabulam. Nam ea defendit & urget tanquã juſticiam. Quis enim Monachus eſt,qui putet ſe peccare, cùm ſacrificat,cùm jejunat, cùm orat? Et tamen ſententia vera eſt,Quicquid non ex fide eſt, peccatum eſt. *Rom. 14.* Dum autem Monachus ſuo more ſacrificat, jejunat, orat, impoſſibile eſt ut credat, quia verbum nullum habet,quo jubetur iſta hoc modo facere.

Peccata autem contra ſecundam tabulam,etſi non poſſunt ſemper ab impiis excuſari,tamen videmus augeri ſecuritatem,quia non ſtatim ea punit Deus. Itaque avarus pergit in avaritia, & cumulat opes quacunque occaſione, ſcortator indulget libidini,&c. Sed quis tandem horum ſtudiorum erit finis? Nimirum,quem Propheta hic indicat, Deſolabitur terra propter habitatores ſuos,& propter fructum ſtudiorum ſuorum. Studia ſunt mala,ideo etiam enaſcuntur fructus mali. Hic autem finis *Arbor mala excidetur.* erit,ut arbor tandem excidatur & tradatur igni. Hæc generalis regula eſt, propoſita omnibus,qui non pœnitent.

Paſce populum tuum in virga tua,gregem hæreditatis tuæ, qui ſolus moratur in ſylva, in medio campi. Paſcantur in Baſan & Gilead, juxta dies priſtinos.

Hæc particula eſt quaſi oratio Eccleſiæ credentis Evangelio,& videntis illam *Collatio Synagogæ & Eccleſiæ in novo Teſtamento.* ruinam Synagogæ. Porro ſingula verba diligenter penſanda ſunt. Magnum eſt, quod Eccleſia Evangelio credens, ſe vocat populum Dei. Hoc enim Synagogæ hactenus nomen fuit,quæ habuit Legem divinitus traditam, circumciſionem, ſacrificia,templum,Prophetas,Patres. Hæc ſatis illuſtria teſtimonia fuere,quibus Deus teſtatus eſt, hunc populum ad ſe pertinere. Quid ſimile habet Eccleſia collecta ex reliquiis Iudæorum & Gentibus? quæ etiam à lege diſcedit. Atque hæc quoque cauſa fuit,cur Synagoga tanto conatu ſe opponeret Evangelio.

Si igitur externam ſpeciem ſequaris, Synagoga majora teſtimonia & plura habuit,

habuit,quàm Ecclesia novi Testamenti. Hic enim non templum,non circumcisionem,signum corpori impressum,non magnificos cultus vides. Itaque ipsa Ecclesia credentium hoc loco fatetur, se habitare solam in campo sylvæ,ubi Synagoga ceu in cultissimo horto & munitissima urbe habitavit. Nam quæ habet,sine omni specie sunt. Remissio peccatorum & vita æterna proponuntur, sed in verbo tantum. Hujus promissionis signum est Baptismus,quo cutis abluitur,Item Cœna Domini, spectacula verè ridicula gentibus & Iudæis, imo etiam Papistis. Nam his parum visum est baptizari aqua, Ideo excogitarunt alium Baptismum splendidiorem, nempe vota Monachorum,Abjurarunt conjugium, non cibo, non vestitu,non aliis rebus communi modo usi sunt, Atque eas putaverunt magnificas & populo Dei dignas notas, quas qui habuerunt,eos spirituales & Dei populum vocarunt.

Ecclesia habitatio.

Notæ veræ Ecclesiæ,sunt contemptibiles in specie.

Papistæ alias Ecclesiæ notas addiderunt.

Sed miseri & bis cæci homines non vident, Ecclesiam & populum Christi esse spirituale regnum. Itaque non habet externas notas, nisi valde contemptibiles, scilicet,Verbum remissionis peccatorum, Baptismum in mortem Christi,& Cœnam Domini. Quæ cùm intuentur gentes,Iudæi & Papistæ,levia ducunt. Non enim considerant in qua re nitantur ista,nempe,in sanguine Filii Dei, Ecclesia autem in hoc considerat,& hunc thesaurum agnoscit. Videt sibi filium Dei datum & natum, ut Propheta loquitur. Imo videt eum etiam in cruce propter nos occisum,ut nos viveremus. Agnoscit ipsum verbum Evangelii,Baptismum & Cœnam Domini,sanguine Filii Dei signata, Ideo verè se jactat populum Dei. Confer enim huc Legem,circumcisionem,sacrificia,templum,terram Canaan,& alia omnia,quæ populus ille habuit, & de quibus magnificè est gloriatus,Ea quid,obsecro, sunt,ad sanguinem Filii Dei? Porro si hæc,quæ Deo mandante instituta & facta sunt,non merentur huc conferri, Vbi quæso manebunt vota Monachorũ,impurus cœlibatus,& alia id genus, quæ ab hominibus conficta,à Deo autem nusquam nec mandata,nec approbata sunt?

Ecclesiæ nota in spiritu & usu præstantissima.

Esa. 9.

Ergo cum Propheta definimus Ecclesiam,seu populum Dei, non carnalem Israël,ornatum circumcisione,donatum terra Canaan, institutum ceremoniis & legibus à Deo. Si enim ita definies populum Dei,cogeris excludere omnes Patres,qui fuerunt ante circumcisionem,fuerunt enim hæc ornamenta externi regni. Sed populus Dei est & semper fuit,qui credidit in promissum semen. Itaque semper extiterunt in Ecclesia promissiones de semine, & postquam exhibitum est semen illud, commendatur nobis non tantum per Verbum, sed etiam per Baptismum & Cœnã Domini,quæ utraque instituta sunt,ut sciamus filium Dei nobis datum, & pro nobis in cruce oblatum esse,&c. Sicut etiam ante exhibitionem seminis hujus fuerunt sacrificia,typi hujus sacrificii, per filium Dei celebrandi.

Populus Dei quis?

Hæc definitio populi Dei vera & certa est,quare certum judicium inde sumi potest. Vbicunq; enim non est sanguis filii Dei,seu fides in semen promissum,ibi nõ est populus Dei,licèt sit ibi lex,sacrificia,boni mores,potentia,successus,& quicquid ab hominibus optari,aut prædicari potest. Sicut autem Ecclesia credentium, Synagogæ eripit nomen & titulum populi Dei,& se vocat populum Dei, Ita etiam eripit Synagogæ magnificum nomen,hæreditatis Dei,& se vocat gregem hæreditatis Dei. Habuerat hactenus hunc titulum Synagoga, solum enim hunc populum delegerat Dominus,in quo habitaret,cum quo loqueretur,quem defenderet, in quo nasceretur Christus, Sed cùm Christum & Evangelium ejus nollet complecti, repudiatur Synagoga,& assumitur in hæreditatem Ecclesia credentium. Sicut in secundo Psalmo David loquitur,Postula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, q. d. Parum CHRISTO est,ut habeat Iudæos fastidientes Evangelium, totius mundi oportet eum esse Dominum.

Psal. 2.

Quod igitur ad hunc locum attinet,Ecclesia,quæ se agnoscit populum & gregẽ hæreditatis Christi esse,orat,ut velit pascere,idq; in virga sua. Hic primum alia conditio hujus Regis ostenditur,quam est Regum mundi. Hi enim dominantur,& fruuntur subditorum laboribus, At Christus, sicut Pastor, suorum subditorum curam gerit,ponit animam suam pro eis, Non fugit Lupum, ut Mercenarii, sed se objicit

Differentia regni Christi & mundi.

lupo, ut paretur ſecuritas Ovibus. Diſertè autem dicit, Paſce in *Tua virga*. Eſt enim
Schebet. hic vocabulum (Schebet) quod eſt in Pſal. 23. Virga tua & baculus tuus, ipſa me *Pſal. 23.*
Aliam virgam conſolata ſunt. Non igitur vult virgam Moſi, quæ aberrantes oves caſtigat, Sed qua
quam Moſi fecit. monſtratur pabulum, & arcentur Lupi. Videt enim Eccleſia ſibi perpetuo præſidio Verbi eſſe opus contra Satanam & ejus membra. Nec contra ſpirituales nequitias & inſidias aliud remediũ eſt, quam virga Paſtoris, hoc eſt, Verbum Evangelii, quod oſtendit Principem mundi eſſe judicatum.

Ecclesia cincta lupis. Hoc periculum pulchre indicat Propheta, cùm dicit, Hunc gregem ſolum habitare in ſylva, ubi magna copia immanium ferarum eſt, & ideo majus gregis periculum eſt. Significat enim Eccleſiam undique cinctam hoſtibus, ſicut Chriſtus dicit: Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio Luporum. Non tamen in hoc periculo deſunt conſolationes Verbi, ideo dicit ſylvam eſſe in Carmelo, loco fertili. Huc per-
Basan. Gilead. tinet, quod addit, Paſcantur in Baſan & Gilead. Fuerunt hæc fertilia paſcua in regno Iſraël. Voluit autem Propheta tecte etiam hoc oſtendere, Redituras ad Regnum Chriſti etiam reliquias regni Iſraël, Libenter autem utuntur Prophetæ, cùm de regno Chriſti loquuntur, ſimilitudine prioris regni, quod typus fuit futuri, Sicut paulo poſt Micha etiam utitur ſimilitudine exitus de Ægypto. Sed non ideo hæc de corporali reſtitutione accipienda ſunt, ſicut Hieronymus & poſt eum Lyra facit. Allegorica hæc ſunt, & ſignificant magnam copiam doctorum & verbi. Hæc ſunt illa læta paſcua Baſan & Gilead in hoc regno, quæ oves Chriſti deſiderant & petunt.

Oſtendam ei mirabilia, ſicut in diebus exitus de terra Ægypti.

Oratio eſt exaudita, Promittit enim ſe etiam hujus populi curam habiturum, ſicut illius veteris. Lyra hæc refert ad populum reductum ex captivitate, ſicut Iudæi quoque, Sed quis non videt populum Legis poſt captivitatem nihil iſtarum gloriarum & miraculorum vidiſſe, quæ vidit primus Iſraël in Ægypto? Itaque Daniel *Dan. 9.* promittit quidem muros Ieruſalem ædificandos, ſed in anguſtia temporis, hoc eſt, non ſine magnis periculis & adverſitatibus.

Liberatio noui Testamenti præclarior, quam in veteri Testamento. Quod igitur Dominus dicit: Oſtendam ei mirabilia, ſicut cùm ex Ægypto egrederetur, Profecto non poteſt intelligi de populo legis & corporali regno. Ad Chriſti regnum hæc pertinent, per quem liberatio longè præſtantior & melior facta eſt, quàm illa in Ægypto fuit. Non enim liberavit Eccleſiam ſuam Chriſtus à tyrannide hominum, A morte, peccato, & tyrannide Diaboli liberavit. Hi ſpirituales & æterni hoſtes generis humani ſunt, nec ulla humana vi poſſunt vinci. Ideo Dei filium oportuit hoſtiam fieri, Is ſolus mundi peccata, ſicut Baptiſta loquitur, tollit, & pro *Ioan. 1.* iis ſatisfacit, ut credentes in eum, habeant ſimul remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctum, & vitam æternam. Hæc an non infinitis modis major poſſeſſio eſt, quàm illa terræ Canaan, populo legis conceſſa?

Mirabilia noui Testamenti. Sed cur vocat (Niphlaoth) mirabilia ſeu miranda? Illa potius veteris populi fuerũt mirabilia, cùm mare ſe diviſit, cùm Iordanis curſum cohibuit, dum tranſiret populus, cùm ſol ad aliquot horarum ſpacia retrocederet, &c. Sed ſicut liberatio in novo Teſtamento multis modis major fuit & præſtantior, quàm illa ex Ægypto, Sic etiam miracula infinitis modis ſunt majora. Quid enim poteſt dici admirabilius, quàm Dei filium induere carnem hominis, & ex virgine naſci? Quid magis ſtupendum eſt, quàm cum filius Dei cum morte & Satana congreditur, ſe vinci ſinit, ſuam vitam hoſtibus his objicit, & dum vincitur, vincit? Sic ſummum miraculum eſt Chriſtum hominem in crucem mortuum, tertia die ex morte & ſepulchro clauſo reſurgere, & cum carne poſthac immortali aſcendere in cœlum, & ſedere ad dexteram Dei. Hiſce miraculis quid ſimile dici, imo cogitari poteſt? Sed hæc non ſola ſunt in regno Chriſti; nam Propheta etiam alia commemorat.

Videbunt gentes & confundentur cum omni fortitudine ſua, ponent manum ſuper os, & obturabunt aures, Lingent pulverem ſicut ſerpens, & ſicut vermes terræ contremiſcent in latibulis ſuis, coram Domino Deo noſtro pavebunt, & timebunt te.

Lyra

Lyra variè ſe torquet,dum hæc ad populum ex captivitate reſtitutum accommodat,Sed reſpicienti ad novum Teſtamentum & Evangelii prædicationem omnia fiunt facilia & expedita. ¶ Chriſtus liberat reliquias Iudæorum miraculoſè, Hæc miracula cùm per Apoſtolos inter gentes prædicantur, accedunt ipſæ quoq; ad Eccleſiam. Id quod etiam maximi miraculi loco merito habetur. Primùm enim confunduntur cum omni ſua fortitudine,hoc eſt,Agnoſcunt religionem, cultus & fiduciam ſuam omnem,quam in idolis poſuerunt,fruſtra eſſe. Hoc enim propriè eſt confundi, videre,quod deceptus ſis, quod ſpem tuam poſueris in res nihili, imo quod verum Deum tuum offenderis maximè,cum exiſtimaſti,te eum ſanctiſſime colere. Hanc confuſionem ſequitur,quod ora velant manibus,hoc eſt,quod non amplius prædicabunt illos ſuos idolatricos cultus,ſed gaudebunt ex ſermone & memoria omnium hominum ſublatos eſſe.

Chriſtus liberat reliquias Iudæorum.

Confundi in fortitudine.

Velare ora.

Tertium eſt,quod etiam aures obturant,hoc eſt,quod non ſolum ipſi non docent idolatriam,ſed ne alios quidem docentes amplius audire ſuſtinent. Quartum eſt,quòd pulverem lingent ſicut ſerpens. Hac figura ſignificat Propheta, non ſolum externam humiliationem,ſed etiam humiliationis cauſam,nempe agnitionem peccati & ſenſum maledictionis propter peccatum. Ideo etiam utitur ſimilitudine ſerpentis propter peccatum hominis maledictæ,Geneſ. 3. Porro hujus ſenſus inſignis imago in adultero Davide propoſita eſt, cùm à Propheta corripitur. Quod de vermibus addit,etiam ad iſtos conſcientiæ terrores pertinet. Sicut Propheta ipſe ſe exponit,Pavebunt coram Domino Deo noſtro & timebunt te. Hic timor vere eſt initium ſapientiæ & ſalutis. Qui enim ad hunc modum territi ſunt, & pavent,hi Chriſtum docentem de remiſſione peccatorum & vita æterna avidiſſimè audiunt,& cum violentia rapiunt regnum Dei,Matth. 11.

Obturare aures

Pulverem lingere.

Gen. 3.

3. Reg. 13.

Pavebunt coram Domino.

Matth. 11.

Porro hæc non unius tantum temporis ſunt. Vbicunq; enim & quandocunq; Evangelium docetur,ibi ad hunc modum fructificat inter Gentes. Sicut etiam noſtra experientia teſtatur. Quantum erat ſtudium redimendarum Miſſarum? quam frequens invocatio Sanctorum? in peregrinationes quantum impendebatur? quantum in ornamenta templorum? &c. Hæc omnia Evangelium de morte filii Dei pro peccatis noſtris, ita ex animis noſtris excuſſit,ut etiam ad mehtionem talis idolatriæ horreamus.

Hæc miracula ſunt omnium temporum.

Sed,inquies.hoc non omnes faciunt. Declarant enim tot Conventus, quam nihil de idolatria illa major pars Principum velit mutatum, & accedunt porcini Sophiſtæ,hi novo modo theologicantur,ſimpliciter nullum neq; in doctrina veteri,nec ceremoniis. vitium agnoſcere volunt,Sed etiam manifeſtas blaſphemias impudentiſſime defendunt. Hoc quomodo convenit cum hac promiſſione Prophetæ? Reſpondeo.Hodie non alia nec melior conditio Evangelii eſt,quam cum id Chriſtus & Apoſtoli prædicarent. Nam non-niſi pauperes Evangelizantur, Magni, potentes & ſapientes coram mundo id oderunt & perſequuntur. Hi poſtea inveniunt ſuos ſacerdotes,qui cultum Baal defendant,& pium Eliam perſequantur. Sufficit autem Prophetæ,quòd inter omnes gentes,ubi Evangelium prædicatur, tales fructus certo ſequuntur, ut aliqui miracula iſta videant & convertantur ad fidem in filium Dei, factum victimam pro peccatis mundi.

Matth. 11.

> *Quis Deus ſicut tu? Remittens iniquitatem, & præteriens tranſgreſſiones reliquiarum hæreditatis ſuæ. Non retinet iram ſuam in æternum, ſed miſericordiam amat. Revertetur igitur & miſerebitur noſtri, Peſſundabit iniquitates noſtras, & projiciet in abyſſos maris omnia errata noſtra. Dabis veritatem Iacob, & Abrahæ miſericordiam, quam juraſti Patribus noſtris ab antiquis diebus.*

Eſt hic unus ex inſignioribus locis totius ſcripturæ, in quo docemur de voluntate Dei erga nos. Pertinet autem hæc pars ad explicationem ſuperiorum,

ut intelligamus clare,quid ſit amplificari muros Ieruſalem, quod ſit pabulum gregis Domini, & quæ ſint mirabilia, quæ oſtendit Deus ſuo populo, nempe, prædicatio Evangelij,quod longe aliter de Deo nos docet, quam vel Lex vel ratio noſtra. Sicut igitur liberatio per filium Dei facta,plena miraculorum eſt,Ita etiam doctrina Evangelij,quæ de liberatione illa docet,eſt miraculoſa. Nos homines omnes ſic ſumus,ut cum exactiſſime nos & noſtra omnia conſideramus,cogamur fateri,quod ſimus peccatores. Nam quod ex lege ſcimus voluntatem Dei,non ſublevat nos,ſed potius auget peccatum. Sicut Chriſtus in Parabola oſtendit,de ſervo ſciente quidem voluntatem Domini ſui, & tamen non faciente. Si igitur ſecundum legem judicare volumus,quod judicium nos maneat,in promptu eſt,quid ſperemus. Sic enim Deus ipſe in lege concionatur. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, Et faciens miſericordiam in millia, his,qui diligunt me, & faciunt præcepta mea. Exod. 20.

Evangelij doctrina.

Quomodo de Deo concionetur Lex.

Hanc ſententiam impoſſibile eſt intueri, ſine ingenti metu & dolore animi. Nam peccata negare non poſſumus,& inevitabilis pœnæ neceſſitas neceſſario deſperationem affert animis ſic territis. Itaq; anxia mens circumſpicit auxilia, & hac occaſione labitur in hypocriſin,Sicut oſtendunt exempla Papatus. Qui enim hujuſmodi triſticiam volebant evadere,convertebantur ad merita Sanctorum,ad propria bona opera,ad monaſticen,&c. Quid enim aliud poteſt Ratio facere,quæ nullam aliam Dei cognitionem habet,quam eam, quæ in Lege præſcripta eſt, quod ſcilicet Deus ſit bonus bonis,& malus malis? Sicut etiam Micha ſupra dixit. Hæc cognitio aut ad deſperationem,aut ad Hypocriſin,& vana operum præſidia cogit.

Evangelium aliter concionatur de Deo.

Ideo Micha ſimpliciter avertit oculos ſuos à Lege, nec vult jam talem Deum noſſe,qui iraſcatur peccatis & peccatoribus, & deſcribit nobis alium Deum,nempe, qui non puniat peccata,ſed remittat. Hæc eſt doctrina,quæ cum Lege videtur plane pugnare. Incumbit igitur nobis,ut cauſas utriuſq; doctrinæ videamus, Cur & minetur Deus peccatoribus per Legem, & cur per Evangelium conſoletur peccatores & promittat eis Gratiam. Ac videmus utrunq; in concionibus Michæ. Conciones ad præſentem populum factæ legales ſunt, ac faciunt Deum atrocem vindicem in peccatores. Conciones autem de regno Chriſti, non pœnas minantur, ſed promittunt remiſſionem peccatorum.

Num igitur Propheta ſecum pugnat,aut num verbum Dei falſum eſt? Minime, ſed ſicut non pugnant timor Dei & fides in corde, Ita Doctrina Legis & Evangelij non pugnant,ſi modo dextre explicentur. Lex minatur iram peccatoribus, ut hoc modo diſcant homines agnoſcere peccata,& humilientur coram Deo. Evangelium autem humiliatis promittit gratiam per Chriſtum, qui & pro peccatis ſatisfecit, & vitam æternam promeruit omnibus credentibus in eum, ſicut dicit, Qui credit in me,non morietur.

Lex.

Evangelium.

Deus iraſcitur peccatoribus. Deus remittit peccata pœnitentibus.

Ergo in æternum manet verum, quod Deus iraſcitur peccatoribus, qui non pœnitent,& etiam damnabit peccatores, qui non pœnitent & humiliantur. Ergo manet in æternum verum etiam hoc, quod Deus remittit peccata pœnitentibus, ſeu contritis,ſeu humiliatis,& credentibus in Chriſtum. Atq; hanc ſententiam ipſe Propheta pulcherrime oſtendit. Minatus eſt ſupra omnis generis calamitates tum regno Iuda tùm Iſrael, Humiliatis autem hoc modo iterum promittit gratiam & remiſſionem peccatorum.

Noſe ve Ober.

Sunt autem hic in Ebræo duo inſignia vocabula (Noſe ve Ober) Primo utitur David Pſal.32. Beatus vir cui remiſſæ ſunt iniquitates,Id in Ebræo ſonat,qui eſt levatus iniquitatibus. Ac videtur Iohannes hanc figuram imitatus, cum dicit, Baptiſtam vocaſſe Chriſtum agnum Dei αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, tollentem peccata, ut ſcilicet intelligas, peccatum eſſe intolerabile onus, & demergens nos uſq; in profundum inferni, Quo onere tamen ſic liberamur, quod filius Dei id in ſe recipit, & nos eo levat. Alterum verbum ſignificat præterire,tranſire. Hoc etiam belle nobis adumbrat miſericordiam Dei,qui,cum in Chriſtum credimus, non patitur, ſe noſtris Pſal. 32. Ioh. 1.

Peccatum onus intolerabile.

Miſericordia Dei.

peccatis

peccatis remorari, tranſit ſeu præterit ea tanquam rem indignam,ad quam moretur, Sicut viator urget iter ſuum,& negligit quæ temere inter eundum objiciuntur. Nam Deo bene placitum eſt in filio ſuo,In eum qui credunt,horum peccata præterit, non inquirit in ea, &c.

Sed pulcherrimum eſt,quod ſubjicit Propheta,Non tenet iram ſuam in æternum. Hic enim utrunq; complectitur, quod & iraſcatur peccatis Deus ac puniat, & tamen iram hanc non pertinaciter ſine modo graſſari ſinat, ſed eam remittat, cum humiliamur coram DEO, hoc eſt, cum agnoſcimus peccatum, & petimus ac ſperamus veniam per Chriſtum.Hæc igitur eſt illa doctrina,erigens corda,metu mortis & iræ Dei territa, quod Deus etſi iraſcitur, ſicut iram ejus varie ſentimus, tamen non iraſcitur in æternum,ſed ſtatuit modum iræ,cum nos pœnitentiam agimus,Sicut do-
Ezc.18.33 cet Ezech.quoq; cap.18.& 33. Sed quæ hujus bonitatis cauſa eſt, Num merita? Num interceſſiones Sanctorum? Num alia,quæ ſibi fingunt homines? Minime,Sed quod Propheta dicit (Ki Haphez Heſed hu) Quoniam tu gaudes eſſe beneficus, quoniam es miſericors, Es iſt dein Herꝛ vnd luſt den Leuten helffen / Hoc eſt proprie & vere de Deo loqui. Et comprobantur hæc ipſa experientia. An non enim miſericordem & beneficum dicemus, qui initio hominem condidit ad immortalitatem & ad imaginem ſuam, eiq; terram & omnia, quæ in mundo ſunt,ſervire juſſit? Deinde,an non miſericors & beneficus eſt, qui lapſum hominem in peccatum & mortem,non abjecit,ſed promiſit liberationem per ſemen benedictum? Hæc cum cogitas, quomodo aliter de Deo cogitare potes, quam Propheta hic facit?

Deus non tenet iram in æternum.

Deus beneficus.

Quia autem hæc cognitio Dei vitam & ſalutem affert,Ideo eam tam varie conatur Satan obruere. Excitat Pſeudoprophetas, qui operum fiduciam & merita docent,ſicut totus Papatus facit. Deinde noſtris cordibus pingit longe aliam Dei imaginem, quam hic à Propheta deſcribitur. Sic enim terret peccatis, ſic mortem ob oculos ponit, ut hæc Dei amica facies penitus ex corde & oculis effluat, & ſubſtituatur alia tyrannica,ac ſi Deus,cum ſemel ferire cœpit,nullum finem iræ ſtatuat. Itaq; corda à Deo refugiunt & incipiunt eum odiſſe,ac in deſperationem ruunt.Itaq; retinenda diligenter hæc Michæ Concio eſt, qua Deum miſericordem & beneficum fa-

Satan facit Deum crudelem.

1ob. 3. cit,Sicut Chriſtus quoq; Ioh. 3. cum dicit, Sic Deus dilexit mundum,ut unigenitum ſuum Filium daret: Non dicit,quod oderit mundum,quod averſetur aut abjiciat,ſed quod diligat,& det ſummũ donum,filium ſuum. Hac ſententia firmiter impreſſa animo, ſequetur ut etiã in mediis periculis & malis, cum Propheta credamus, ac ſtatuamus, Quod revertetur & miſerebitur noſtri. Quid enim aliud faciat miſericors Deus?

Quid autem eſt hoc reverti & miſereri? Nimirum aliud nihil quam peccatum conculcare, & peccata noſtra projicere in profundum maris, hoc eſt, in talem locum ubi non amplius à quoquam conſpici poſſunt. Eſt autem hic quoq; inſigne verbum (Kabaſch) quod ſignificat ſubjungere, ſubjicere, peſſundare. Ac uſus ſimili
Rom.6. phraſi Paulus eſt, ſed negative, Rom. 6. Noſter vetus homo ſimul crucifixus eſt, ne amplius nos ſerviamus peccato, Item, Non igitur regnet peccatum in mortali corpore veſtro,ut obediatis ei in deſideriis ipſius.Sunt autẽ hæ phraſes natæ ex illa concio-
Gen. 4. ne Adæ ad homicidam Cain,ubi jubet, ut ipſe dominetur peccato, & ei reſiſtat. Complectitur itaq; Propheta hic duplex beneficium, remiſſionem peccatorum, & Spiritum ſanctum.Nam primum,Peccatum ſic calcatum ſeu peſſundatum eſt,ut non poſſit nos accuſare nec damnare,Per Chriſtum enim expiatum & remiſſum eſt. Deinde datur credentibus Spiritus ſanctus,ut vere dominentur peccato, hoc eſt,ei reſiſtant,id mortificent,ſe ad veram & ſpontaneam obedientiam exuſcitent,&c.

Converterur & miſerebitur noſtri.

Kabaſch.

Duplex beneficium.

Porro non ineptum eſt ſi, quod de peccatis in mari, ſeu aqua mergendis dicit, referas ad Baptiſmum, In quo vere per ſangvinem Chriſti (baptizamur enim in mortem Chriſti) abluuntur & delentur peccata. Sicut ſimili allegoria de
1.Pet.3. diluvio Petrus uſus eſt, & Patres pleroſq; ſimiles locos Prophetarum ad Baptiſmum tranſtulerunt.

Baptiſmus.

Poſtrema particula de fide & miſericordia promiſſa Patribus & fideliter ſerva-

ſervata, pertinet eo, ut cauſam diſcamus tantorum beneficiorum aliam non eſſe, quam quod Deus natura ſua eſt miſericors. Itaq; non voluit, nos demerſos in mortem & iram Dei perire, ſalvare voluit, ac ſalutem promiſit Abrahæ per Semen benedictum. Hanc promiſſionem etiam Iacob habuit. Vidit enim Chriſtum ex poſteris Iudæ naſciturum eſſe, ſicut teſtatur ejus vaticinium Geneſ. 49. Ad hunc modum me- Gen. 49.
minerunt promiſſionis Maria in Cantico, Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ, Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abrahæ & ſemini ejus in ſecula. Et Zacharias pater Iohannis Baptiſtæ Lucæ 1. Recordatus eſt teſtamenti ſui ſ. n- Luc. 1.
cti, iuramenti quod juravit Abrahæ Patri noſtro, &c.

Epilogus. Ad hunc modum videmus, quam diligens Doctor ſit Micha, qui tam belle conjungit doctrinam Legis & Evangelij. Ad Legem pertinent, quæ in primo capite de pœnis idolatriæ, In ſecundo & tertio de pœnis avaritiæ concionatus eſt, & in ſexto de falſis cultibus. Quia autem ſimilia peccata Germaniam premunt, facile appareret, quid ſperari poſſit, Præſertim cum barbarum hoſtem tam vicinum habeamus. Ad Evangelium pertinent, quæ de Chriſto & regno ejus ſatis copioſe vaticinatus eſt. Docuit enim de perſona Chriſti, quod ſit naſciturus in Bethlehem, & ſit filius Dei, qui ab æterno fuerit. Deinde de ipſo Chriſti regno docuit, quod in Ieruſalem initia ſumet, & deinde propagabitur in totum orbem terrarum, Sic tamen ut eant alii populi omnes in nomine Dei ſui, hoc eſt, ut mundus ſit habiturus ſuos proprios cultus, quos dum ſtabilire conabitur, vera Eccleſia in periculo erit, ſed non opprimetur penitus. Hæc & alia multifaria ſunt utilia, erigunt enim perculſos animos, docent, augent fidem, excitant ad orationem, cum certa ſpe exauditionis. Ergo & merito pro tam uberi cognitione gratias agimus Deo per Chriſtum, & cum Propheta, ſicut Hieronymus quoque in fine ſui commentarij facit, oramus:

O Deus quis eſt ſimilis tibi, Remittens iniquitatem & præteriens peccata reliquiarum hæreditatis tuæ. Qui non tenes iram tuam in æternum, ſed vis eſſe miſericors, Reverſus es ad nos, & miſertus es noſtri, Peſſundediſti iniquitates noſtras, & projeciſti in profundum maris omnia peccata noſtra. Hanc miſericordiam nobis ſerva perpetuam, ut in lumine Verbi tui ambulantes omnia Satanæ & mundi pericula effugiamus, Per Ieſum Chriſtum filium tuum & libetatorem noſtrum, Amen, Amen, Amen.

Finis Commentarij in Micham Prophetam.

PRINCIPALES LOCI ET Sententiæ Concionum Prophetæ Michæ.

CAPUT I.

PRimum caput habet Prophetiam de vaſtatione utriusq; regni per Sanherib Aſſyrium. Etſi enim per Angelum à portis Ieruſalem ingenti ſuorum ſtrage depulſus eſt, tamen regnum Iudæ valde afflixit. Hujus calamitatis dicit cauſam eſſe idolatriam, quod relicto vero Deo & templo ſacris cultibus deſtinato, ſacrificabant idolis & eligebant profana loca, ſicut hiſtoriæ regni Iſrael & Iuda, tempore Ahas oſtendunt.

Hæc doctrina ad noſtra tempora utilis eſt. Nam idolatria, quæ in Papatu multiplex imo infinita fuit, per Evangelium revelata eſt. Igitur qui eam non emendant, ſed urgent, ſicut impia Epiſcoporum & Sophiſtarum turba facit, hi ſine dubio vaſtitatem ſibi accerſent, Sicut ante oculos ſunt exempla Eccleſiarum, quas Chriſti hoſtis Turca crudeliſſime perdidit.

Habet hoc caput unam inſignem ſententiam, Quod opes meretricis in mercedem meretricis convertentur, hoc eſt, quod unus Idolatra alium perdit, Sicut hodie Monaſteria, & Eccleſiarum opes, per idolatriam partas, etiam ii diripiunt, qui ſummi Pontificiæ dignitatis defenſores haberi volunt.

Secun-

II.

Secundus ſermo habet gravem accuſationem avaritiæ,quæ eſt tanquam fons injuriarum & violentiæ. Minatur autem Dominus etiam avaris vaſtationem. Atq; hic inprimis notanda eſt ſecuritas impiorum etiam in manifeſtis peccatis. Putabant enim Iudæi ſe licentius peccare poſſe, quod eſſent populus Dei, & inflabantur promiſſionibus. Sed inſignis Prophetæ ſententia eſt,Sermones mei,inquit,boni ſunt,ſeu bona promittunt bonis. Cum igitur ſitis mali,quomodo poteſt à vobis longius abeſſe malum? Ergo definita ſententia eſt, quod Deus velit peccatores punire, niſi pœnitentiam agant & convertantur à peccatis.

Huic Concioni legali ſubjungit Propheta promiſſionem de Chriſto, quem facit Paſtorem colligentem reliquias credentium. Vocat quoq; Porez,diſſipatorem, qui regnum Satanæ,mortis & peccati ſit deſtructurus,Ac conſolatur futurum,ut Eccleſia quoque Chriſto præeunte, defendente, ac juvante, omnia iſta mala ſit ſuperatura,& ita perruptura ex miſeriis hujus vitæ ad æternam vitam. Notabile autem hoc eſt,quod tribuit Domino noſtro Ieſu Chriſto nomen Dei ineffabile.

III.

Sicut in ſecundo capite accuſavit in genere avaritiam, Ita hic in ſpecie avaritiam Magiſtratus tum Politici, tum Eccleſiaſtici reprehendit. Minatur autem futurum, ut cum clamabunt ad Dominum, eos non ſit exauditurus, hoc eſt, quod velit eos objicere gladio & tradere hoſti, qui viciſſim in eos ſæviat, ſicut ſævierunt in ſubditos. Atq; in hac concione eſt inſignis collatio Pſeudoprophetarum cum veris Doctoribus. Hi ſpiritu pleni ſunt & libere reprehendunt peccata Principum & populi. Illi quæſtus cauſa connivent ad peccata, & non pœnitentibus promittunt omnia ſecunda.

IV.

Eſt inſignis Prophetia de regno Chriſti. Primo nominatur locus quod in Zion hoc regnum ſumet initia.

Secundo promittit futurum,ut etiam Gentes hoc regnum quærant.

Tertio dicit de officio Regis,quod ipſe Rex docebit ſuas vias,per novum Verbum & novam legem,hoc eſt, aliam quam Moſi fuit. Hæc enim accuſat peccata, & minatur peccatoribus. Illa autem Chriſti remittit peccata, & promittit Spiritum ſanctum per Chriſti meritum & mortem.

Itaq; (quod quartum eſt) ſequitur hanc doctrinam pax conſcientiarum & multiplex fructus. Sicut Propheta hic dicit, Sedebit unuſquiſque ſub ficu ſua & vite ſua,hoc eſt,Singuli in ſuo genere vitæ & officio edent fructus fidei varios & optimos.

Quinto docet hoc regnum habiturum ſuos adverſarios in mundo, Siquidem ſinguli populi ambulabunt in nomine ſui Dei, Eccleſia autem in nomine Dei noſtri. Promittit tamen hoc regnum non oppreſſum iri, ſed fore æternum regnum. Nos enim,inquit,ambulabimus in nomine DOMINI DEI noſtri in æternum.

Ad hanc conſolationem pertinent quæ de claudicante & abjecta dicit. Etſi enim in commentariis de reliquiis regni Iſrael inter Gentes id expoſuimus, tamen nihil prohibet ad totam Eccleſiam, in mundo contemptam & afflictam accommodare,ſicut Sophonias facit,qui eadem appellatione Eccleſiam notat,Cap. 3. Quia autem antequam promiſſio hæc de regno Chriſti impleta eſt,populus erat captivus abducendus in Babylonem, Ideo conſolatur Propheta pios,ne hujus Regis obliviſcantur. Et addit ſimul hanc conſolationem, futurum, ut non ſolum liberentur ex captivitate Babylonica,Sed per Evangelium dominentur Gentibus, quæ verbum amplexuræ ſint. *Soph. 3.*

V.

Eſt promiſſio de Chriſto & regno ejus, Initio locum oſtendit,in quo Chriſtum naſci oporteat.

Secundo docet de perſona Chriſti,quod non tum primum cœperit eſſe, cum ex Maria natus eſt,ſed ſit ab æterno,hoc eſt, Dei Filius.

Tertio

Tertio de officio docet, quod pascet populum suum & secure habitabunt. Nam per Christum destructum est regnum Satanæ & peccati, & hanc Christi victoriam affert Evangelium credentibus.

Quarto docet, Regnum hoc pertinere etiam ad gentes. Magnifice autem commendat ministerium Verbi, cum comparat ministros Evangelij rori & pluviæ. Ac minatur exitium iis, qui Evangelio se opponent, Sicut etiam Synagogam ideo dicit vastandam esse.

VI.

Est Concio Legis, in qua accusat populum summæ ingratitudinis, & damnat impios cultus, quibus sperabant se Deum placaturos esse. Quod autem pulcherrimum est, ostendit, quibus cultibus delectetur Deus, Nempe obedientia erga verbum, Misericordia erga pauperes, ac patientia & spe in adversis. Hos cultus cum videret à suo populo negligi, Avaritiam autem & alia vitia cum idolatria crescere, minatur eis extremam vastationem.

Insignes hic sunt figuræ, quibus Avaritiam pingit, quas aliquo modo imitatus videtur Chrysostomus in quinto capite primæ ad Corinthios, vbi inquit, πολλάκις τὰ εἰσενεχθέντα κακῶς ὀλίγα, τὰ καλῶς κείμενα ἐξέβαλε πολλὰ ὄντα. ἐδεῖ γὰρ σαθρότερον πλοῦτον εἶναι. καὶ τὸν κλέπτην ἅπαντα τῷ τοιούτῳ ζημίαν, καὶ θύραν καὶ μοχλόν, εἰκῆ πάντα ποιεῖ, πλοῦτον ἔνδον τὸν καλῶς κτηθὲν ἁρπάσας, καὶ πάντα δυνάμενον ἐξενέγκειν.

Id simpliciter, sed parum eleganter sic reddidimus. Sæpe exiguum lucellum fraude quæsitum, magnas opes recte partas evertit. Nihil enim est, quod facilius omnia corrumpit, quam fraus. Quod si capsam illam sera, ostio, vecte quoq; communieris, tamen frustra id facis, siquidem fraudem intus conclusam habes violentissimum Prædonem, qui quicquid invenit, diripit. Similis apud Isocratem quoque sententia est, Docet enim gentes ipsa experientia male parta male perire.

VII.

Hæc Concio est tanquam Epilogus superiorum Concionum. Habet initio querimoniam, quod frustra doceat impœnitentes. Deinde monet pios, ne his scandalis patiantur se à vera via abduci. Quanquam enim pœnas publicas subituri erant, tamen hortatur, ut respiciant ad regnum gratiæ per Christum futurum, quod magnifice commendat, quod sit regnum remissionis peccatorum, gratiæ, & vitæ æternæ. Reliqua in commentariis explicantur uberius.

Finis Commentarij in Micham Prophetam.

CVR ET QVOMODO CHRISTIANVM CONCILIVM DEbeat esse liberum. D. M. L. Item de Conjuratione Papistarum. Anno M. D. XXXVII.

Quod in aliis quibusdam, idé in hoc quoq; libello accidit, ut quod, quo excudi debebat tempore, defuerit, alieno sit editum, Est enim primum editus Anno 1537.

CVm Paulus hujus nominis tertius Pontifex Romanus Concilium generale hoc anno, qui est à nativitate Domini 1537. Mantuæ celebrandum indixerit, Animadverto nonnullos simplices homines magnam spem Ecclesiæ reformandæ, syncerioris q; doctrinæ restituendæ concepisse, quos tamen pro sua simplicitate rerumq; imperitia, miserabiliter errare, ac periculose falli nequaquam dubito. Nam omnes ubiq; fere, Iuris & Theologiæ doctores, item Notarij, Abbates, generales, Vicarij, ministri & magistri ordinum, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, & Cardinales omnes, usq; adeo Romano Pontifici addicti, & in obedientiam atq; servitutem illicitis juramentis horrendissimis, ac palam impiis adacti & constricti tenentur, ut sperandum non sit, quenquam

Digitized by Google

quam ex eis pro Christi gloria, Evangelij veritate, Ecclesiæ puritate, ac animarum salute strenue laboraturum. Idq; propter infinita pericula, quæ illis imminerent, si vel suspitione aliqua, contempti aut neglecti juramenti aspergerentur.

Quæ dum metu Pontificiæ Tyrannidis (quam Reges etiam potentissimi exhorrent) anxie cavent, magis quid Pontifex rugiat, quam quid Deus approbet, considerant, exceptis pauciſſimis quibusdam, qui nuper ad Christum veluti postliminio redierunt, & de erroribus ac impiis suis juramentis, vere & ex animo pœnitentiam egerunt. Quorum animi tamen per se imbecilles, magis franguntur opprobriis eorum, qui cum ejusdem conditionis, ordinis, atq; dignitatis sint, violatum illis commune juramentum exprobrant, atq; ita quantumvis in conscientia coram Deo securos, coram mundo tamen pudefieri, & pallescere & perfidiæ infamiam horrere cogunt. Reliqui vero docti, boni, & pii viri, qui incorrupte & secundum Verbum Dei recte judicare possent, cum sententiæ de rebus & dogmatibus in Christiana religione controversis dicendæ sunt, in Concilium nequaquam admittuntur, quum soli digni essent, & idonei, quibus tantæ res committerentur.

Quapropter nisi LIBERUM, atq; adeo vere & γνησίως LIBERUM fuerit concilium, hoc est, nisi talia, illicita, impia, & horribilia juramenta, publice relaxentur, ex animo contemnantur, ac prorsus aboleantur, pluresq; boni docti & pii viri, hujusmodi sceleratis ac nefariis juramentis non contaminati, & infecti, ad judicandum admittantur, fieri non potest, ut veritas obtineat, & Ecclesiæ Dei consulatur. Quis enim non intelligit, talium hominum colluviem, non Christianum esse Concilium, sed nequissimorum Papæ servorum, contra Christum & Ecclesiam ejus conjuratorum evidens latrocinium? Id quod Iohannis Hussi, & Hieronymi Pragensis indigniſſimæ mortes, & publica pax, cum summo ad omnem posteritatem dedecore, violata, clariſſime testantur.

Vt autem, quod hactenus à me dictum est, verum esse intelligas, Christiane Lector, & rem ex aliquo specimine, veluti Leonem ex unguiculis, æstimare possis, En tibi horrendiſſimorum aliquot juramentorum formulas. Vnam ejus, quod Scholastici omnium ferme publicarum, vel, ut rectius dicam, Papisticarum Scholarum, qui doctoris titulum ambiunt, jurare coguntur, antequam eis LICENTIA (quam vocant) ad accipienda Doctoratus insignia confertur. Alteram ejus, quod omnes autoritate papali, publici notarij præstant. Tertiam ejus juramenti, quod Episcopi electi omnes non modo jurare, verum etiam in literas referre, ac Romam mittere coguntur, antequam consecrentur, idq; subinde pro Pontificia libidine ac tyrannide mutatū & aggravatum. Quibus perlectis ac diligenter excussis, facile judicabis, cur Doctores, quamvis indoctiſſimi, & Notarij, etiamsi nihil aliud sint, quam stipites, & puri puti asini, item Episcopi, licet Ecclesiæ neq; vita, neq; doctrina utiles, in regno tamen Papæ, reliquis eruditis, bonis, honestis, gravibus, & piis viris omnibus, tanto intervallo hactenus præponi & quasi numina quædam coli soleant. Didicerunt enim unius horæ momento, artem ipsis quæstuosiſſimam, Curiæ Romanæ acceptiſſimam, sed miseræ, afflictæ, & oppressæ Ecclesiæ perniciosiſſimam, ac universæ Reipub. exitiosam, PAPÆ scilicet servire, adulari, divinos honores tribuere, jus & fas in gratiam ipsius pervertere, ac omnia omnium secreta, cum illi commodum est, PRODERE. De bonis & integris viris, qui in hoc hominum genere reliqui sunt, non loquor.

Simul hoc quoq; intelliges, cur soli quidam indocti & nugaces doctorculi Sophistæ, quales multi extant eruditiſſimi hujus seculi dedecora, pro Papistici regni abusibus, erroribus, mendaciis, superstitionibus, hæresibus & idolatriis defendendis, tanta impudentia, pertinacia, atq; vesania (frustra tamen) rixentur verius, quam pugnent aut belligerentur, cum tot alioqui docti & eloquentes viri, vel quiescant omnino, vel certe sanius ac moderatius agant. Nam Iurisconsultorum quorundam contra Verbum Dei & ministros ejus violentiam, una cum Episcoporum, alioqui effœminatiſſimorum, barbarica sævitia, ex eodem fonte fluere, quis dubitet? Sed

jam tempus eſt, ut deteſtabiliſſimorum juramentorum formulas, huc uſq; ſatis diligenter,& inſidioſe celatas, è tenebris, tanquam Cacum è ſpelunca ſua in lucem producam,quas cum deteſtabiles & execrabiles(ut ſunt) eſſe judicaveris, tum CHRISTVM ſervatorem noſtrum precator,ut Eccleſiæ ſuæ ipſe conſulat.Nam ab hac exitioſa conjuratorum caterva, niſi diſſolvatur,nihil prorſus boni ſperandum eſt.

SEQVITUR FORMULA SOLENNIS IVRAMENTI, QVOD II, QVI DOCTORATVM IVRIS, aut Theologiæ in Scholis Papiſticis ambiunt, antequam eis Licentia ad accipienda Doctoratus inſignia confertur, jurare coguntur,cum annotationibus.

EGo N. Scholaris Ingolſtatenſis Eiſtetenſis diœceſis, *ab hac hora inantea a fidelis & obediens ero Beato b Petro, ſanctæq; c Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ & d Domino noſtro Domino Paulo tertio, ac ejus ſucceſſoribus Canonice intrantibus, Non ero in conſilio, conſenſu,tractatu vel facto,ut e vitâ aut membrum perdant, ſeu quod contra alicujus eorum perſonam vel in ipſorum,aut Eccleſiæ f eorundem,ſeu ſedis Apoſtolicæ auctoritatum,honorum,privilegiorum,vel Apoſtolicorum g ſtatutorum,ordinationum, reſervationem, diſpoſitionum ſeu mandatorum derogationem, vel præjudicium, machinationes vel conſpirationes fiant. h Et ſi ac quoties aliquid horum tractari * ſcivero,id ne fiat pro poſſe impediam,& quanto commode potero i eidem Domino noſtro,vel alteri, per quem ad illius noticiam pervenire poſſit, ſignificabo. Conſilium quod mihi per ſe vel nuncios ſeu literas creditури ſunt,ad eorum damnum k nemini pandam,ad defendendum & retinendum. l PATRIMONIUM Romanum & regalia ſancti Petri contra m omnem hominem n adjutor ero. Auctoritatem,privilegia & jura,quantum in me eſt,potius o adaugere & promovere ſtatuta, ordinationes, reſervationes, diſpoſitiones, & mandata hujuſmodi p obſervare & eis intendere curabo. q Legatos ſedis Apoſtolicæ honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. r Hæreticos & Schiſmaticos & qui aliqui ex Dominis noſtris & ſucceſſoribus prædictis ſ rebelles fuerint t pro viribus perſequar & impugnabo. u Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia.*

* *Etiam ex ſecreta confeſſione, Nam ſigillum Confeſſionis meum eſt ſucus, quo lucri ex obtinentur.*

ANNOTATIONES.

HAnc juramenti formulam ideo primo loco ponere volui, quod ſit reliquis omnibus apertior & explicatior. Quippe in qua Papa ſine ullo pudore omnes ſuas abominationes nominatim approbandas,promovendas, ac defendendas diligentiſſime recenſeat & exigat. Et eſt velut imago quædam totius regni Papiſtici artificioſiſſime depicta, in qua ingenium & vafritiem Romanenſium deprehendere licet.Cum enim plures longe reperiantur Doctores, quam Epiſcopi, regnentq; in Scholis publicis, in templis, & concionibus, ſintq; Epiſcoporum Officiales ac Vicarii, principum & liberarum Civitatum Conſiliarij,facile viderunt,ſi eos obnoxios haberent, eorum opera totum Romanum imperium ſe oppreſſuros eſſe,quod & factum eſt, Vnde merito ſuperiore ſeculo nomen Doctorum tam fuit inviſum, ut ſi vir nobilis Doctoratum recepiſſet, plane degener exiſtimaretur,hodieq; in pleriſq; Civitatibus in Senatum non leguntur.

a Suſpicatur eum antea Chriſto fidelem & verbo ejus obedientem fuiſſe, quod cum Papatui adverſetur ex diametro, tectim & per ambages illud abjurare, & cum beſtia Romana conjurare compellitur.

b Non ſentit de Petro Apoſtolo, qui propter Chriſtum reliquit omnia, Sed de fictitio illo Petro, ſive ut rectius dicam, Simone, qui ampliſſimum Romæ patrimonium habere dicitur,mendaciis,fraudibus, perjuriis,homicidiis, veneficiis, ac latrociniis quæſitum, ex meris furtis,rapinis & ſacrilegiis conflatum.

c Vt

c Vt nititur Belua, ex Apoſtolica facere Romanam,cum Apoſtolica ſit per totum orbem diffuſa nulliq; certo loco alligata.

d O turpiſſimi domini turpiora mancipia.Si Chriſtiani eſſetis,præter Chriſtum nullum in regno ſpirituali Dominum agnoſceretis,& omnia veſtra eſſent,etiam Paulus & Cephas,vos autem Chriſti,Nunc quæ dementia eſt,quod voſipſos,veſtra ſponte in ſervitutem morte graviorem deditis Antichriſto? cui dum ſervitis, omnium abominationum,quæ Romæ perpetrantur,reos vos ipſos conſtituitis.

e Vides ut Beſtia illa Romana, non modo ſeipſam, verum etiam viliſſimam ſui partem, carnem ſcilicet plus quam Chriſtum, Evangelium & Eccleſiam diligat ac curæ habeat, ideoq; illis contemptis, conculcatis & oppreſſis ſibi ſuæq; cuti primum cavet.

f Nota bene,Papa fingit & rugit Eccleſiam eſſe ſuam & non Chriſti,O Paſtorem, imo vero furem & latronem, Eccleſia de Chriſto capite ſuo,non de Papa perſecutore,& oppreſſore ſuo dicit in Cantico canticorum,Dilectus meus mihi & ego illi.

g Secundo cavet pecuniarum aucupiis, retibus ac muſcipulis. Nam in iis conſiſtunt tyrannidis illius nervi, è quibus delicatæ & effœminatæ Papiſtarum vitæ ſuppeditatur materies luxuriæ.

h Tu ne miſer homuncio impedies, quicquid contra Papam tractabitur? pro poſſe,inquis,impediam. Sed age dic, an impedies, etiamſi optimo atq; adeò divino jure fieret? etiam ne ſi in bonum Eccleſiæ univerſalis & Chriſtianæ Reipub. vergeret? etiam ne ſi illi,qui tractant,ſuperiores tui eſſent? tuq; illis juramentum fidelitatis præſtitiſſes? & ſtipendium honeſtum eo nomine ab iildem acciperes? Deum immortalem,nihil horum excipi audio. Nunc nunc Reges intelligite,& Principes erudimini,qui judicatis terram,Et conſiderate quam fideles conſiliarios hujuſmodi Papiſticos Doctores exiſtimare debeatis,quos Papa,talibus tam,impiis,tamq; horribilibus juramentis, in veſtram pernitiem obſtrinxit & inſtruxit.

i O peſtilentes proditores,& proditorum ſupproditores,vel ipſo Iuda ſceleratiores.Nam qualis ille cunq; fuit,Chriſtum tamen palam & aperte prodidit, vos occultiſſime proditis,& altiſſime diſſimulatis. Ille pœnitentia ductus,pecuniam, proditionis mercedem, ſtatim retulit & in templum abjecit, Vos quaſi re bene geſta, vobis ipſi plauditis & proditionis veſtræ mercedes,dignitates ſcilicet,præbendas & prælaturas mordicus retinetis,& in eis gloriamini & deliciamini,digni,qui etiam ſicut Iudas ſuſpendamini.

k Tertio cavet ſuis occultis & inſidioſis conſiliis. Notandum autem, Si Doctor Papiſticus juramentum fidelitatis præſtiterit Principi cuidam vel Reipub. qui aliquid habeant contra Papam, tunc aut prodet Dominum ſuum,aut violabit hoc juramentum. Quale igitur monſtrum eſt Doctor Papiſticus, qui nec fidelis eſſe poteſt ſine ſcelere, nec vir bonus ſine periurio?

l Quarto Tyrannidem ſuam munire & ſtabilire nititur, pro qua conſervanda non aliter, quam pro aris atque focis dimicat, & divina pariter atq; humana omnia commiſcet,confundit,ac pervertit.Recte autem vocat Papatum Romanum,quia revera nihil aliud eſt, quam Papatus, non Apoſtolatus, ideoq; tantum Romanus, non etiam Chriſtianus. Eodem modo accipienda ſunt Regalia Petri, ut quæ non à Chriſto data ſunt, ſed quæ Pontifices à Regibus vel per dolum vel per vim abſtulerint.

m Etiam ne contra Chriſtum ipſum? Nam & is,ut verus Deus,ita etiam verus homo eſt. Sed quid dubitamus, cum neminem omnino excipiat? Et Chriſtus Papatum nominatim prohibuerit,cum diceret,Reges gentium dominantur earum,vos autem non ſic. Fruſtra igitur defenderetur Papatus, niſi etiam contra Chriſtum hominem defenderetur.O portenta, ô ſcelera, ô tartareas furias.

n Etiam ne mendaciis, dolis & fraudibus? etiam ne conſpirationibus, proditionibus & ſeditionibus? etiam ne veneficiis, cædibus, latrociniis, injuſto bello? Quid quæris? Cum papatus ſit contra Verbum Chriſti, non poteſt legitime defendi. Quare neceſſe eſt, adjutorum & defenſorum auxilia omnia illegitima & nefaria

intelligi, O conjurationem furiis infernalibus procuratricibus conflatam, in qua Chriſtus non ſolum abnegatur, verum etiam apertum ei bellum indicitur.

o Quinto, Incrementa ſuæ Tyrannidis molitur. Et nota, quod nullus Doctor, autoritatem, privilegia & jura Papæ adaugere poteſt realiter & cum effectu. Hoc enim nemo poteſt, niſi donando, aut nova jura condendo, quorum hoc ſoli Reges & Imperatores poſſunt, illud autem Doctores, quia tenues, non ſolent. Reliquum igitur eſt, ut id non aſſequantur, niſi jura, & ſacras literas pervertendo, & iniquas ſententias in judiciis & Conciliis in gratiam Papæ dicendo.

p Sexto, Quieti & ſecuritati ſuæ Tyrannidis conſulit. Cum autem ſtatuta, ordinationes, diſpoſitiones, & mandata Papæ, plerumq; ſint contra Verbum Dei, certum eſt, quod quiſquis in illa meat, Verbum Dei ē contrario abjurat, Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire.

q Septimo cavet ſuis ſatellitibus, tyrannidis adminiſtris. Et olim ſic præſcribebat Legatum, quem certum eſſe cognovero, &c. nunc licentia in immenſum aucta, ſine exceptione legatos omnes adjuvari cogit. Mavult enim falſos juvari, quam certos deſtitui.

r Vltimo cavet ſuis traditionibus, mendaciis & ſeductionibus. Nam hæreticos, qui vere hæretici ſunt, nihil curat, modo tyrannidem ejus non lædant. Eos vero ſolos, ut hæreticos inſectatur, qui vitiis & erroribus, idolatriis & blaſphemiis ipſius obviam ire, eaq; verbo Dei oppugnare audent. Sicut etiam Schiſmaticos eos ſolos appellat, qui nihil numerant, nec tyrannidi ejus ſubjiciuntur. Reliquos autem vere Schiſmaticos, qui dicunt, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Benedicti, ego Dominici, ego Franciſci, ego Bernardi, &c. inſuper Eccleſiam diſſenſionibus & diſſidiis miſere lacerant, ſicut fecerunt Dominicaſtri Bernenſes, tanquam dilectos filios amplectitur ac fovet.

ſ Rebelles vocat, qui in ſpiritualibus libertatem Chriſtianam, contra Papiſticas traditiones defendunt, & in civilibus, jus ſuum, quamvis legitime contra tyrannidem ejus obtinere & tueri nituntur. Nam qui vere Chriſto & Eccleſiæ rebelles ſunt, hoc eſt, mandata ejus ſcientes & prudentes pedibus conculcant, apud eum ſunt in pretio.

t Quantum audio, Doctores Papiſtici, non diſputando, non jus enucleando, non ſacras literas docendo, non juſtas ſententias in judiciis & conciliis dicendo, hæreticos, Schiſmaticos, & rebelles vincere & ad meliorem mentem reducere debent. Nihil enim horum contra eos, quos Papa mendaciter hæreticos pronunciat, fieri poteſt, cum jus divinum, & verbum Dei habeant pro ſe, ſed viribus, ut audis, viribus inquam, perſequendos & impugnandos eſſe cenſet. Cum autem ejuſmodi Doctoribus, apertum & legitimum bellum gerere non liceat, non video, quomodo viribus perſequi quenquam poſſint, niſi vel veneno tollant, vel occulto & inſidioſo latrocinio interficiant. Quid mirum igitur, tantam in regno Papiſtico eſſe veneficorum, ſicariorum, & latronum ſegetem, cum Doctores Papiſtici quoq; nihil aliud ſint (quantum ex hoc quidem juramento apparet) quam venefici, percuſſores, ſicarii, & latrones conjurati.

u O te terq; quaterq; miſerum, ſceleratum & deſperatum, qui ita juras, O infelices parentes tuos, qui ſuis te facultatibus & ſumptibus in hoc aluerunt, ut animæ tuæ ſalutem tam impie devoveres. Si enim hoc juramentum conſervare voles, contra Chriſtum pro Antichriſto militabis, ſacramenti, quo in Baptiſmo initiatus & obligatus es, proditor factus. Si vero non, nec Deum adjutorem, nec Evangelium ejus ſalutis medelam te habere velle conſentis. Quare expergiſcere tandem, & quanto in periculo verſeris vide, pœnitentiam age, Deumq; precare, ut edicto ſuo prætorio te in integrum reſtituat, & juramentum tam ſceleratum aboleat, atque æterna oblivione obruat, ne in æternum condemneris, Amen.

Finis Annotationum.

Hic

Hic primum admonitos eſſe volo, non modo eos Doctores, qui Doctoratus inſignia in iis Scholis acceperunt, in quibus talia juramenta non exiguntur (ut ſunt hoc tempore in Germania Vvittemberga & Tubinga, in Anglia omnes, & in Italia, ſi modo vera eſt fama una & altera, ob hoc vere felices) verum, etiam eos, qui etſi fraude ac dolis Papiſtarum circumventi & irretiti hoc juramentum vel inviti, vel imprudentes præſtiterunt, nunc tamen ceu impium & execrandum, ex animo contemnunt ac negligunt, idq; dictis & factis palam præ ſe ferunt, hos inquam omnes, admonitos eſſe volo, nihil eorum, quæ hic dicuntur, ad eos pertinere.

Deinde reliquos bonos ac pios viros omnes rogatos volo, ne talium quenquam ob Doctoris titulum, aut tale juramentum præſtitum contemnere, ſed potius amare, aut certe errato veniam dare velint. Sunt enim laude & amore digni, qui eruditionem utilem & neceſſariam, cum publica autoritate conjunxerunt, ſi modo eam ad gloriam Dei, & Reipub. commoda referunt, & non ad tyrannidem Papæ ſtabiliendam conferunt, Quin potius totam invidiam & execrationem hujus horrendæ & abominandæ conjurationis, in eos tantum Doctores derivent, qui, ut ſcientes & prudentes jurarunt, ita etiam in propoſito conſervandi tam deteſtabile juramentum perſiſtunt, & omnem ſuam virulentiam, contra oriens Evangelium, pro idolo ſuo Romano effundunt.

Cæterum ſi quis poſthac, cum jam de iſta abominatione admonitus & certior factus eſt, ſciens prudenſque jurarit, is nihil cauſæ fingere poterit, quo minus vir peſtilens, abominabilis & execrabilis habendus ſit, à bonis & piis omnibus. Proinde cave, neſcis enim quid veſper ſerus vehat.

SEQVITUR FORMULA IURAMENTI, QVOD NOTARII PVBLICI à PAPA creati præſtare coguntur, magna ex parte cum ſuperiore conſentiens.

EGo. N. ab hac hora inantea fidelis ero beato Petro & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac domino noſtro, domino Iulio Papæ ſecundo, ſuiſq; ſucceſſoribus Canonicè intrantibus. Et non ero in conſilio, auxilio, conſenſu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium quod mihi per ſe, vel literas, aut nuncium manifeſtabunt, ad eorum damnum ſcienter nemini pandam. Si vero ad mei notitiam aliquid devenire contigerit, quod in periculum Romani Pontificis, aut Eccleſiæ Romanæ vergeret, ſeu grave damnum, illud pro poſſe impediam. Et ſi hoc impedire non poſſum, procurabo bona fide, id ad noticiam prefati domini noſtri Papæ deferri. PAPATUM Romanum & regalia ſancti Petri ac jura ipſius Eccleſiæ, a Specialiter, ſi qua in eadem Eccleſia in Civitate, vel terra, de qua oriundus ſum habeat, ad juter eis ero, ad defendendum, retinendū & recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo, contractus, in quibus exigitur conſenſus partium, fideliter faciam, nihil addendo vel minuendo, niſi de conſenſu partium, quod ſubſtantiam immutet. Si vero ad conficiendum aliquod inſtrumentum unius ſolius partis ſit requirenda voluntas, hoc ipſum faciam, aliquem contractum, in quo ego ſciam vitium vel fraudem intervenire, non conficiam. Contractus in Protocollum redigam, & poſtquam redegero, malicioſe non differam, contra voluntatem illorum, quorum interierit ſuper eo publicum conficere inſtrumentum, ſalvo meo juſto ſolario. Sic Deus me adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

a 3 *Hoc juramentū præter alias abominationes, quas habet cum ſuperiore communes, duas expreſſitur proprias ac novas, Vnam quod ſpecialiter contra Patriam jurare cogitur, quod eſt magna impietas. Alteram quod Papatu vel alio magn papatu amiſſo, de recuperatione mentionē facit, quod eſt incredibili pertinacia, contra Chriſtum & verbū eius. Ille enim ſolus Papatum per Verbum & Spiritum ſuum deſtruet.*

Digitized by Google

SEQVITUR VETUS FORMULA

juramenti Episcoporum, & ponitur in Decretalibus de jurejurando. C. Ego.

Consentit & hoc Iuramenti magna ex parte cum primo, Et habet peculiaris clausulam, de Ministris Apostolorũ quotannis visitandis, ejus intelligentiam quare post proximum juramentum.

EGo N. Episcopus ab hac hora inantea fidelis ero S. Petro, sanctæq; Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, dominoq; meo N. Papæ, ejusq; successoribus Canonice intrantibus, Non ero neq; in consilio, neq; in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium quod mihi, aut per se, aut per literas, aut per nuncium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam. Papatum Romanæ Ecclesiæ, & regulas sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum (salvo ordine meo) contra omnes homines. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi prepeditus fuero Canonica prepeditione. Legatum Apostolicæ sedis, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Limina Apostolorum singulis annis, aut per me aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absolver licentia. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Cum cernerem Doctores ad tam horribile juramentum adigi, cœpi dubitare, num Papa contentus esset hoc tempore, suprascripto juramento Episcoporum, hanc dubitationem meam deinde auxit glossa super Verbo, singulis annis indicto, C. Ego, ubi additur, vel rarius, juxta Chirographum suum. Inspexi igitur Pontificiale, & librum cæremoniarum, ubi certo deprehendi, eos jurare juxta rescriptum Papæ, cujus tamen tenor in neutro exprimebatur. Rogavi igitur amicos pios & doctos, etiam apud exteras nationes, ut mihi fide dignum exemplar ejus juramenti communicarent. Quod & factum est. Id autem bona fide de Verbo ad Verbum subjiciendum putavi.

SEQVITUR FORMULA RE-

centior juramenti Episcoporum.

IN Dei nomine, Amen. Ego N. electus. N. Episcopus, ab hac hora inantea fidelis ero & obediens, beato Petro sanctæq; Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & domino nostro, domino Hadriano Papæ sexto, suisq; successoribus Canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore. Consilium vero quod mihi crediturí sunt, per se, aut nuncios, seu literas, ad eorum damnum, me sciente nemini pandam. Papatum Romanum & regalia S. Petri, adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia & auctoritatem Romanæ Ecclesiæ domini nostri Papæ, & successorum prædictorum conservare, defendere, augere & promovere curabo. Nec ero in consilio, in facto, seu in tractatu, in quibus contra ipsam dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, & potestatis eorum machinentur; & si talia à quibusdam tractari novero, vel procurari, impediam hoc pro posse, & quantotius potero, commode significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius noticiam possit pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispensationes, reservationes provisiones & mandata apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, & rebelles Domino nostro, vel successoribus prædictis, pro posse persequar & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi prepeditus fuero Canonica prepeditione. Apostolorum limina, Romana curia existente citra, singulis annis, ultra vero montes singulis triennis visitabo, aut per me aut per meum nuncium, nisi Apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes, non vendam, neq; donabo, neq; impignorabo, neq; de novo infeudabo, vel aliquo modo abalienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Vides,

Digitized by

Vides, Chriſtiane Lector, hoc juramentum Epiſcoporum, gravius etiam & atrocius eſſe, quàm juramentũ illud Doctorum. Quare nihil mirum, ſi docti & prudentes Canonici, Epiſcopatum ultro [illegible] oblatum repudient, aut ſi ſuſcipiant, præſtito hoc juramento, planè in beſtias degenerent. Quantum enim abeſt à peccato in Spiritum ſanctum, ſi quis Papiſticarum abominationum non ignarus, tale tamen juramentum ſciens & prudens præſtare non dubitat?

Habet autem admirabilem articulum de viſitandis liminibus Apoſtolorum. Qui primum in hoc valet, ut, ſi Epiſcopi nimium vivaces diutius obſtent, quo minus pallia ſæpè redimantur, negata licentia omittendæ hujus viſitationis, vel in itinere moriantur, vel Romæ veneno tollantur, vel, ſi non venerint, ut perjuri deponantur.

Deinde, ut omittendi licentiam, quamdiu Romanenſibus commodum videtur, quotannis pecunia numerata obtineant, pro qua ne ſemel in univerſum tranſigant, ſed quotannis nova pecunia multentur, etiam per nuncios viſitare permittuntur, ex quibus deinde Romanenſes nebulones omnia, quæ lubet, expiſcantur, maximè optimas præbendas, quas, cùm vacaverint, Papa ſuis ſtabulariis donet.

Poſtremò, quod eſt omnium indigniſſimum, hoc juramento omnes Epiſcopi circumventi, capti & intricati, ſub Antichriſto, tyranno omnium deteſtabiliſſimo, in graviſſimam & prorſus inexplicabilem ſervitutem pertrahuntur. Nam nullus Epiſcoporum hunc articulum implere poteſt, retinentibus eum vel gravibus negotiis, vel corporis infirmitatibus, vel itineris & bellorum periculis. Cogitur ergo relaxationem juramenti à Papa petere, quod dum facit, non modo verbis, verum etiam re ipſa confitetur, Papam habere poteſtatem relaxandi omnia juramenta, hoc autem Romanus Pontifex cupide amplectitur, quippe qui hunc articulum in hoc excogitavit. Et ſi deinde Epiſcopus aliquis Romanæ tyrannidi, qua opprimitur, contra dicat, & ei modum aliquem ſtatuere nitatur, excommunicatur, deponitur, & ſubditis ejus juramentum obedientiæ relaxatur.

Porro ſi Epiſcopus contendere velit, ſubditos non poſſe per Papam ritè ſolvi ab obedientiæ juramento, tum ſibi ipſe contradicit, ſeq; ipſum perjurũ conſtituit, quippe qui ſeipſum quoque à juramenti vinculo per Papam liberari poſſe, credidit & petiit, eaq; liberatione fretus juramentum ſciens & prudens neglexit, etſi ignorantiam prætexere voluerit, ſequetur, ut limina Apoſtolorum quotannis viſitare adhuc teneatur, quod ſi facit, ad certiſſimam mortem pergit.

Ergo, ut compendio repetam, quiſquis hanc clauſulam juravit, cogitur Pontificiæ tyrannidi & libidini per omnia, etiam injuſtiſſima & indigniſſima obedire, aut liberatis per Papam ſubditis à neceſſitate obediendi, ab Epiſcopatu cadere, aut incurrendo perjurii infamiam, ſeipſum inhabilem reddere, aut ſervando juramentum, ipſe tyranno crudeliſſimo ad indignum ſupplicium ſiſtere. O fraudes pluſquam Satanicas, ô Epiſcopos effœminatos, qui tam crudelem tyrannidem, tot annis tam ſerviliter pertulerunt, ſexcenties potius mori oportuit, quàm Eccleſiam tam turpiter deſerere, & Antichriſto dilacerandam & opprimendam permittere.

Conſideret igitur Chriſtianus Lector, quid boni ex concilio Papiſtico ſperandum ſit, in quo tales Doctores diſputabunt, tales Notarii acta publica conficient, tales Epiſcopi & Cardinales ſententias deciſivas dicent. Nam præter tales, nemo alius admitti ſolet, ut clariſſimè ſcribitur in libro Ceremoniarum Papiſticarum his verbis: In Conciliis non legimus interveniſſe ſtatuendi cauſa, niſi Epiſcopos & Abbates, & hi tantum decretis ſubſcribebant, Epiſcopos autem appellamus, etiam Epiſcoporum Principes, quoniam hæc eſt ſuprema in Eccleſia Dei poteſtas. Inferioris autem gradus Eccleſiaſticos viros & Principes ſeculares, conſulendi ac inſtruendi gratiâ, non autem decernendi intererant, qui, ut periti ajunt, conſultivam vocem habent in Conciliis, non definitivam, ſed deliberativam.

Aderunt igitur in conciliis ad ſtatuendum, Romanus Pontifex tanquam Rector & moderator totius Eccleſiæ, Paſtor gregis dominici, & omnium Epiſcoporum

Episcopus, sacer Cardinalium senatus, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi & Abbates, quibus non immerito, & ordinum religiosorum generales Magistri additi sunt, deniq; omnes Prælati, qui secundùm formam juramenti, quod præstant cum ad dignitates promoventur, ad synodum venire tenentur. Alii autem ut diximus, differendi, instruendi, consulendive causa poterunt interesse, non tamen in sessionibus publicis induti sacris vestibus sedebunt, neq; sententiam dicent. FINIS.

ANNVS CHRISTI
M. D. XLIII.

DUÆ EPISTOLÆ D. M. L. AD M. SIMONEM WOLFERINVM APVD S. ANDREAM Islebiæ Pastorem, de controversia super reliquiis Sacramenti Altaris.

GRatiam & pacem in Domino, Inter tot miserias meæ ultimæ ætatis hoc additur, quod tu, mi Simon, & D. Fridericus Pastor ad S. Petrum in patria mea mihi dolorem peperistis. Nec est, quod causeris ipsum solum auditum te absente, Vidi disputationes & literas tuas, in quibus ita te vindicas acerbe, ac si ille esset perditissimus Papistarum unus, cùm sitis ambo unius Civitatis & populi Pastores, maximo scilicet scandalo. Esto te offenderit publica contione, quod negat, & ego non judico, Cur non vel lege, vel charitate egisti cum eo? Sed accensus furia teipsum vindicasti & judicem te constituisti verbis atrocissimis & cuivis Bacche convenientibus magis, quàm comministro in comministrum. Neq; enim ille hereticus est aut hostis doctrinæ, quem tu tam hostiliter tractas. Vel non est sapiens inter nos aut vos, ad quas referres iram tuam, antequam sic insanires?

Sed ad rem. Non nos à te, sed tu à nobis haud dubie habes, Quod Sacramenta sint actiones, non stantes factiones, Sed quæ est ista singularis tua temeritas, ut tam mala specie non abstineas, quam scire te oportuit, esse scandalosam, nempe quòd reliquum Vini vel panis misces priori pani & Vino? Quo exemplo id facis? Non vides certè, quam periculosas quæstiones movebis, si tuo sensu abundans contendes, Cessante actione cessare Sacramentum. Zwinglianum te forte vis audiri, Et ego te Zwinglii insania laborare credam, qui tam superbè & contemptim irritas, cum tua illa singulari & glorioſa sapientia. Non erat alia via, ut simplicibus & adversariis non daretur suspicio, te esse contemptorem Sacramenti quam ut mala specie offenderes, reliquum Sacramenti miscendo & confundendo cum vino priori? Cur non imitaris alias Ecclesias? Cur solus vis novus & periculosus auctor haberi? Hæc ita dolenter scribo, ut scias te me offendisse, & spiritum meum contristasse. Tu ipse dicis, nugas esse, & pro nugis ita insanis? Ita sunt nugæ nimium seriæ. Sed tu forte nihil curas, quis offendatur, dum tu evadas Victor nugarum, sed Dominus, cui tu resistis, resistet vicissim tibi.

Quare te hortor, qui scis, aut scire debes, quomodo in Ecclesia sit ambulandum, ut cum D. Friderico redeas in gratiam, & uno corde idem sapiatis, uno ore dicatis idem. Poteris enim ita, ut nos hic facimus, reliquum Sacramenti cum communicantibus ebibere & comedere, ut non sit necesse, quæstiones istas scandalosas & periculosas moveri, de cessatione actionis sacramentalis, in quibus tu suffocaberis, nisi resipiscas. Nam hoc argumento tolles totum Sacramentum, Nec habes, quod respondeas calumniatoribus, qui dicent, Inter agendum plus cessat Sacramentum, quàm exercetur, Tandem deveniemus ad Cratyli portenta, ut cogamur actione tantum habere Sacramentum, non intermissione accidentium, Et tandem erit tempus & momentum Sacramenti causa, & alia multa absurda sequentur. Quare esto conformis aliis Ecclesiis, nec illis bellum inferto, ne succumbas cum ignominia. Ego certe pro meis viribus tuæ singularitati & temeritati scandalosæ & offensivæ adversabor, nec ultimam horam meam

tuis

tuis ſcandalis onerari ſinam. Vale in Domino, in Domino, inquam, & iſtam tuam Vindictæ & ſuperbiæ cupiditatem, præſertim erga fratrem, non hæreticum, nec alienum à doctrina noſtra, coherce. Feria 4. poſt Petri & Pauli, Anno 1543.

Martinus Luther D.

Ego Iohannes Bugenhagius Pomeranus D. ſubſcribo ſententiæ Reverendi patris noſtri Lutheri.

II.

RAtiam & pacem, Scilicet ego non turbarer & dolerem, optime Simon VVolferine, qui viderem vos unius oppiduli, unius Eccleſiæ populi miniſtros, in tota doctrina concordes, tam gladiatorio animo inter vos concurrere propter rem neque perſpectam ſatis vobis, neque tanti momenti, ſi perſpecta eſſet. Vide tu ipſe Propoſitiones tuas, An reſpondeant tam tragicæ vociferationes charitati & fraternitati. Video Satanam vos tentare, ut ex feſtuca trabem faciat, potius incendium ex ſcintilla. Poteratis hæc mutuo colloquio tranſigere, cùm non contra rabiem Papiſtarum, ſed contra ſocium miniſterii & religionis res eſſet.

Sanè D. Philippus rectè ſcripſit, Sacramentum nullum eſſe extra actionem ſacramentalem, Sed vos nimis præcipitanter & abruptè definitis actionem ſacramentalem. Quare efficietis, ut nullum prorſus videamini habere Sacramentum. Nam ſi ſtet illa & feſtinata præciſio actionis, Sequetur quod poſt prolationem verborum, quæ eſt potiſſima & principalis actio in Sacramento, nullus percipiat corpus & ſanguinem Chriſti, eo quod deſierit actio. Hoc certè non vult D. Philippus, Et generaret iſta definitio actionis infinitos ſcrupulos conſcientiarum, & interminabiles quæſtiones, ſicut apud Papiſtas diſputabatur, An ſub primis, mediis vel ultimis ſyllabis adeſſet corpus & ſanguis Chriſti. Spectandus eſt ergo non tantum motus ipſe actionis inſtantis vel præſentis, ſed tempus quoque, non mathematica, ſed phyſica latitudine, hoc eſt, danda eſt mora actioni huic, & mora in juſta latitudine, ut dicunt ἐν πάρει.

Sic ergo definiemus tempus, vel actionem ſacramentalem, ut incipiat ab initio orationis Dominicæ, & duret donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, particulas comederint, populus dimiſſus & ab altari diſceſſum ſit, Ita tuti & liberi erimus à ſcrupulis & ſcandalis quæſtionum interminabilium. D. Philippus actionem ſacramentalem definit relative ad extra, id eſt, contra incluſionem, & circumgeſtationem Sacramenti, Non dividit eam intra ſeipſam, nec definit contra ſeipſam. Quare curabitis, ſi quid reliquum fuerit Sacramenti, ut id accipiant, vel aliqui communicantes, vel ipſe Sacerdos & miniſter, Non ut ſolus Diaconus, vel alius tantummodo bibat reliquum in calice, Sed aliis det, qui & de corpore participati fuerint, ne videamini malo exemplo Sacramentum dividere, aut actionem Sacramentalem irreverenter tractare, Sic ſentio, ſic ſentit & Philippus, hoc ſcio.

Deinde hortor vos ad concordiam, & pacem, & ut habetis præceptum Domini, ita invicem condonetis & reconciliemini, Alioqui ſine periculo & ſcandalo, imo ſine gravi ira Dei, non eritis miniſtri Eccleſiæ. Poteritis uti (ſi vos mutuo colloqui primo timetis) aliis & idoneis perſonis, qui inter vos mediatores exiſtant. Hæc quæ tibi ſcribo, & Vigelio & D. Friderico ſcripta eſſe volo. Dominus dirigat corda veſtra in charitate & patientia Chriſti. Boni conſulite hanc meam dictationem, ſcribere enim ipſe non potui, cùm laborarem è capite.

Quare & orate pro me & exhilarate cor meum, Hoc facietis ſi intellexero,
Vos reconciliatos in Domino, in quo bene valete, Data VVitemb.
20. Iulii. Anno M. D. XLIII.

Martinus Luther.

ANNVS

ANNVS CHRISTI M. D. XLV.

ENARRATIO D. M. L. IN HOSEAM PROPHETAM, IN PUBLICIS prælectionibus à M. Vito Theodoro Nurmbergenſi collecta & edita

ANNO M. D. XLV.

PRÆFATIO IN HOSEAM PROPHETAM, DE PROPHETARVM LECTIONE, & argumento concionum HOSEÆ.

Summa doctrinæ Prophetarum.

PRophetarum cognitio in Eccleſia valde neceſſaria eſt. Nam doctrinam de timore Dei fideliter inculcant, Siquidem reprehendunt in ſuo populo Idolatriam, fiduciam in homines, impia dogmata, avaritiam, &c. ac pœnas horum peccatorum clare oſtendunt, Et etiam de fide in Chriſtum docent, dum conſolantur afflictos ſuaviſſimis Prophetiis de futuro regno Chriſti. Ideo non Apoſtoli ſolum teſtimoniis Prophetarum ſæpè utuntur, ſed ipſe Dei Filius non uno in loco hortatur, ut aſſidui in eorum lectione eſſe velimus.

Chriſtus & Apoſtoli teſtimoniis Prophetarum utuntur.

Non ſolum igitur inepti, ſed planè ſtulti ſunt, qui in Prophetis nihil contineri putant, quàm conciones vetuſtas, quarum noſtro ſeculo non ſit uſus. Cur enim Chriſtus Hoſeæ teſtimonio bis utitur, & quidem in graviſſimis diſputationibus? Nam Matth. 9. agitur de officio Chriſti, quòd ſe conjunxerat cum peccatoribus. Alio in loco contra Phariſæos diſputat, Deo gratiſſimum eſſe ſacrificium, ſi afficiamur aliorum neceſſitate, & non temere judicemus alios. Paulus autem quam appoſite hujus Propheræ teſtimonio utitur, in prima ad Corinth. Cap. 15. ubi de reſurrectione mortuorum per Chriſtum certo futura concionatur? Ad hunc modum liceret aliorum quoque Prophetarum ſententias allegare, quibus tum ipſe Filius Dei, tum ejus miniſtri Apoſtoli novi Teſtamenti præcipua dogmata confirmant. Sed cùm Hoſeam jam ſuſceperimus enarrandum, malui hujus unius teſtimoniis uti, ut tanto Lectoribus eſſet commendatior, & intelligerent omnes nos rectè in eo enarrando ponere operam. Matth. 9. 1. Cor. 15.

Prophetarum lectio hodie neceſſaria.

Ac profecto noſtro ſeculo Eccleſiæ neceſſitas aſſiduam Prophetarum lectionem deſiderat, ut intueantur pii in promiſſiones de regno Chriſti, quas veteri Eccleſiæ tam magnificè Prophetæ commendarunt. Nam in tot ac tantis calamitatibus quid aliud eſt, quo nos poſſumus erigere & conſolari, quam quod etſi oppreſſi variè laboremus, tamen hujus regni vera membra ſumus, in quo agnoſcimur nos ſociatos marito noſtro Chriſto, ſicut in 2. Cap. Hoſeas ſuaviſſimè concionatur, & ſperamus, poſt tot caſus, poſt tot diſcrimina rerum, potituros nos victoria Chriſti, qua mortem vicit, & evertit infernũ, Sicut in 13. Hoſeas promittit. Hanc enim ſpem ſi ex oculis removeris, quid eſt, quod conſolari animum Chriſtianum poſſit? Verè enim Paulus in ea ipſa diſputatione, in qua noſtri Prophetæ teſtimonio utitur, dicit, nos omnibus hominibus miſerabiliores eſſe, ſi tantum in hac vita in Chriſtum ſperamus, & non futuræ ac æternæ vitæ ſpem certam circumferimus incluſam animis noſtris. Ideo Prophetæ quoque etſi ſummo cum dolore ſui populi imminentes calamitates expectarent, & impiæ multitudini vero zelo ſuccenſerent, Tamen quoties delabuntur in illas de regno Chriſti Prophetias, ſubito Hoſe. 2. Hoſe. 13. 1. Cor. 15.

gaudio

Google

gaudio perfusi, & stomachum & sensum omnem humanarũ calamitatum amittunt. Quid enim metueret? quid recusaret omnium incommodorum, quæ hæc vita habet? quid querularetur is, qui Deum per Christum reconciliatum novit, & se statuit ad communionem meritorum Christi vocatùm esse?

Itaq; his perturbatis temporibus, quæ non solum Reipub. sed Ecclesiæ quoque minantur, Prophetarum conciones utiliter Ecclesiis proponuntur, non solum ut similitudine quadam eventuum pii se consolentur, Sed etiam ut altius infigant animis opes regni Christi, quas à Prophetis tam magnificè vident commendatas, cùm tamen non ut nos hodie, exhibitas eas viderent, sed crederent post multa secula exhibendas mundo. Quia autem Ecclesia in hac vita tale est corpus, quod multa vitiosa membra habet, etiam eam ob causam Prophetarum lectio est utilis, quia habet crebriores & graviores objurgationes. Etsi enim Christus & Apostoli quoque minantur facinorosis, & graviter reprehendunt vitia, tamen Prophetarum conciones ideo ad deterrendos malos aptiores, & ad timorem Dei inculcandum efficaciores sunt, quia semper certas pœnas flagitiosorum addunt, quas eventus postea ostendit non fuisse vanas. Atq; hæc quoque causa fuit, cur Prophetarum ministerium tam esset grave. Non enim hoc solum mandatur Ionæ, ut Ninivitas revocet in viam, & de vero Dei cultu ac sancta vita moneat, jubetur etiam, ut certo prænunciet intra dies quadraginta perituros. *Doctrina de moribus.*

Ad hunc modum Hoseas non solum docet regnum Israël de vero cultu, & revocat ab idolatria, Sed certo minatur Assyrium venturum, & ferro ac igni vastaturum omnia, populum autem captivum inter gentes mansurum, nec posthac splendidum illud nomen habiturum, quòd sit populus Dei. Cùm autem conferimus historias, eventus probat Prophetam nihil esse mentitum. Itaq; inter Doctores novi Testamenti & Prophetas magna differentia est, Non quo ad doctrinam. Nam utrique reprehendunt impietatem, & docent fidem in Christum, minantur quoq; utriq; peccatoribus pœnas, Sed Prophetæ certas revelationes habent, de certis pœnis, certo tempore, per certos homines infligendis. Nos hodie in genere tantum minamur impio mundo, nec habemus certam revelationem, per Turcam ne, an per alias pestes, Deus impietatem nostram visitaturus sit. Sunt autem harum minarum, quas nos in genere flagitiosis proponimus, insignes testes Prophetæ. Itaq; ad revocandos homines à peccatis, & ad docendum timorem Dei mire sunt utiles. *Differentia inter Prophetarum & novi Testamenti concionem.*

Sed postquam in genere breviter de Prophetarum concionibus diximus, nunc dè Hosea peculiariter instituenda oratio est, qui quo tempore vixerit, ipse docet in titulo, cùm Reges nominat, quorum temporibus in ministerio fuit. Amos & Esaias etiam Vziæ temporibus fuerunt, sed Amos videtur major natu, Esaias autem minor natu. Nam usq; ad Manasse tempora vixisse & ab eo occisus esse creditur. Hoseas autem prius in ministerio fuisse judicatur, quam vel Micha vel Esaias. Et extat locus 2. Reg. 14. qui ostendit Hoseam primum fuisse, qui cum Amos, deinde cum Micha & Esaia vastationem regno Israël prædixit. Ita enim loquitur de tempore Ierobeam regis Israël, Nec locutus erat Dominus, ut deleret nomen Israël sub cœlo. Igitur etiam hac ratione ministerium Hoseæ fuit periculosius, quòd minas antehac nunquam auditas in hoc populo attulit de decem tribubus penitus vastandis. Hic primùm admonemur, quam Deo curæ sit Ecclesia, qui tantos viros illis temporibus dedit, cùm jam regno Israël impenderet extrema vastitas propter Idolatriæ peccatum. Dicunt igitur etiam hodie hi quatuor Prophetæ vivum de Deo testimonium, quòd verè talis Deus sit, qui non velit mortem peccatoris, sed tanquam bonus Pastor quærat errantem oviculam per Verbum suum, ut convertatur & vivat. Tanto igitur hominum pertinax impietas magis deploranda est, quæ tam benigni Patris consilium & quotidianas voces non admittit, sed pergit in peccatis, donec tandem cogatur Deus, sicut per Verbum suum tempore visitationis minatus est, eos perdere. *Tempus Hoseæ.* *2. Reg. 14.*

Non igitur frustra erunt tot piæ commonitiones, quibus hodie impium Papatum,

by Google

Papatum,& induratum Epiſcoporum ordinem ad ſanam doctrinam & pios cultus invitamus, Et ſentient illi quoque, quia apud nos impia ſua vita Evangelium dehoneſtant, ſuas pœnas. Ideo enim Amos, Hoſeas, Micha & Eſaias mittuntur, ut populus metu futuræ iræ ab Idolatria ceſſet, & amplectatur veros cultus. Sed quia pios monitores regnum Iſraël ſecurè negligit,& ad reliqua peccata etiam Verbi contemptus accedit, dat meritas pœnas impietatis. Regnum Iuda quoque, in quo verus cultus erat, etſi non deſtruitur planè, tamen per Aſſyriam variè affligitur, donec tandē, ſicut Micha & Eſaias vaticinantur, à Babyloniis penitus vaſtatur. In hæc exempla intueri utile eſt, ut cogitemus Deum non fruſtra hoc tempore lucem Verbi ſui dediſſe Germaniæ. Profecto enim magna calamitas ſequetur, ſi ad hunc modum Epiſcopi & Reges ſe opponere Evangelio pergent, & reliquum vulgus nihil minuet de avaritia, luxu, libidine, & aliis vitiis, quæ omnibus temporibus certiſſima ſigna futurarum mutationum in regnis & Rebuſpub. extiterunt.

Poſtquam autem de tempore Hoſeæ conſtat ex titulo, operæ precium fecerit Lector, ſi illorum Regum quos nominat, res geſtas, præcipuè autem regni Iſraël hiſtoriam diligenter inſpexerit. Ibi enim cauſæ tantarum calamitatum recenſentur, Quanquam eas Propheta quoque diligenter commemorat. Diſertè enim oſtendit ſibi cum regno Iſraël ea de re præcipue agendum eſſe, quod etſi aliis quoque peccatis eſſet variè pollutum, tamen Idolomaniæ nullum faceret finem. Nam primus ex Ierobeam contra verbum Dei inſtituerat peculiarem cultum erectis vitulis in regno Iſraël, cùm totus populus juberetur non niſi Hieroſolymis & in templo ſacrificare. Ad hanc Idolatriam Ahab adjecerat etiam cultum Baal in Samariæ monte. Etſi autem Ierobeam, cujus hic Hoſeas meminit, ſatis in imperio felix fuit, tamen quia retinuit idolatricos cultus, à filio Nebat inſtitutos, minatur ejus poſteritati Propheta exitium. Nam in ejus filio Zacharia, qui poſt ſextum regni menſem occiditur, poſteritas Iehu deſinit, & vexatur regnum longis & gravibus ſeditionibus ac turbis, donec tandem à Tigleth Pileſſer Aſſyrio, tribus Naphthali abducitur captiva, Reliquum autem regnum graviter affligitur, & poſtremo à Salmanaſſer penitus occupatur & vaſtatur. Hic idolatriæ finis, hæc præmia impiorum cultuum, oppreſſæ ſanæ doctrinæ & indignarum cædium ac crudelitatis in Prophetas, extitit.

Papæ Eccleſia reprehendenda.

Igitur Hoſeas hoc præ reliquis eximium habet, quod plurimus eſt in reprehendenda idolatria, quam fœdo nomine adulterium & fornicationem appellat, ut pios à tanti peccati fœditate abſterreat. Atque hoc nomine etiam noſtris temporibus aptior hæc lectio eſt, ut admoniti impiam Papæ Eccleſiam plenam idolatricis cultibus fugiamus. Non enim eos probo, qui Papiſtas ſuo malo genio relinquendos cenſent, & moderationem vocant, ſi quis pro concione non ſæpius in eos invehatur. Si enim puritas doctrinæ retineri debet, & populo veri cultus commendari, profecto magna neceſſitas omnibus piis Doctoribus incumbit, ut ſæpè populum de vitiis impiæ doctrinæ in Papatu & falſorū cultuū pœnis doceant. Reliqua n. peccata etiā imperiti judicare poſſunt. Sed has veras Eccleſiæ peſtes, non ſolum vulgus non intelligit, ſed etiam fucoſis commendationibus à Pſeudoprophetis audit ornari. Igitur pios Doctores Hoſeæ exemplum decet imitari, ut magno animo reprehendant cultus idolatricos, & ad ſanam doctrinam auditores invitent. Nam hoc argumento ferè conciones ſuas Hoſeas inſtituit.

Ne autem pii, qui genua ſua Baal non flexerant, prorſus ſine omni conſolatione in tantis publicis periculis eſſent, aſpergit non ſemel jucundiſſimas regni Chriſti deſcriptiones. Addit quoq; Prophetias de Synagogæ ruina, pertinaciter retinentis Moſaicas ceremonias, & Evangelii doctrinam rejicientis. In ſexto & decimo tertio Capite reſurrectionis mortuorum & futuræ vitæ meminit. Ac paſſim inſectatur Pſeudoprophetas, qui ſe veris Doctoribus opponebant & invitabant homines ad idolatriam. Hæc ferè hujus Prophetiæ capita ſunt, quam claudit Propheta inſigni cohortatione ad pœnitentiam, ut populus agnoſcat peccata ſua, & amplectatur Evangelium, in quo remiſſio peccatorum per CHRISTUM offertur. Hæc de Pro-

pheta-

phetarum lectione, & hujus Prophetæ concionibus satis sint. Nunc ordine textum explicabimus.

CAPUT I.

Verbum Domini, quod factum est ad Hoseam filium Beeri, in diebus Vsiæ, Iothan, Achaz, & Iehiskiæ regum Iuda, & in diebus Ierobeam filii Ioas Regis Israel.

NOn tribum, non patriam nominat, Tantum parentis nomen ostendit, qui fortasse & ipse, aut Propheta fuit, aut Doctor. Habet enim nomen à docendo. Regum autem nomina pertinent ad ostendendum tempus, quo Propheta docuit. Ac Ierobeam nō solum fortunatus rex fuit, Nam & Syros repressit, & veteres regni fines usq; ad Damascum recuperavit, Sed etiam longo tempore tenuit regnum. Nam quadraginta & uno anno regnavit. Cùm igitur hoc tempore regnum Israël maximè floreret, penè ridiculum fuit minari Prophetam vastitatem. Sed ita fit, contritionem, ut Salomo dicit, præcedit superbia, & ruinam exaltatio spiritus. Quia enim Deus non statim pœnas infligit, sed pergit benefacere ingratis, & expectat, sicut apud Esaiam est, num vinea sua velit fructum producere, paulatim indurantur impii, & cumulant sibi iram & pœnas. Nec dubium est, quin impius Rex Ierobeam tantos successus retulerit acceptos suæ religioni, seu, ut verius dicam, potius Idolatriæ suæ. Nam hoc manifestè Regum historia tradit, retinuisse eum Idolatricos cultus institutos à Ierobeam filio Nebat. Sic nostro seculo impia Papæ turba largam pacem & alia commoda superiorum temporum accepta fert cultibus, qui eo tempore floruerunt, Contra præsentia incommoda bellorum, annonæ, pestilitatis, imputat Evangelio.

Rex Ierobeam filius Ioas.

16.

14. Sed historia 2. Reg. 14. veram causam successus sub impio Rege ostendit, nempe, quòd populus tum varie fuerit afflictus à Syris. Deum igitur pro sua misericordia etiã erga malos fuisse beneficum. Sic enim dicit Scriptura: Vidit Dominus afflictionem Israël amarã nimis, & quòd consumpti essent usq; ad clausos carceris & extremos, & non esset qui auxiliaretur. Nec locutus est Dominus, ut deleret nomen Israël sub cœlo, sed salvavit eos per manũ Ierobeam. Hæc vera causa successus est, quò Deus etiã in malos est beneficus, nec vult perdere, nisi prius benè admonitos per Verbũ. Meruerant igitur peccata exitium, Sed quia Dominus exitiũ per verbum nondũm prædixerat, ideo salutem afflictis misit, & in illo successu etiam addidit majus donũ, fideles Doctores, qui & hortabantur ad pietatẽ, & idolatriã damnabant. Sed hoc beneficium Verbi cùm negligerent impii, & successu illo contra Verbum & Prophetas abuterentur, secuta tandem est vastitas. Non igitur frustra est, quod historia addit, nondum locutum Dominũ, quod vellet Israëlem delere. Qui nostrum seculum diligenter considerat, similitudinem aliquam istorum temporum videbit, Quare etiam eventum similem merito timemus.

Hoc est principium, quando Dominus locutus est per Hoseam, & Dominus ad Hoseam dixit: Vade, & sume tibi uxorem fornicariam, & filios ex fornicatione natos. Quoniam terra Domino relicto turpiter fornicata est. Abiit igitur & accepit Gomer filiam Diblaim, quæ concipiens peperit ei filium.

Hoc est propheticum exordium, quod initio allegat vocationem divinam, ac bis Domini meminit, quod locutus sit. Pertinet autem hoc non solum ad Prophetam excitandum, ut magno animo demandatum munus obeat, sed etiam ad auditores cohortandos, ne dum Prophetam sibi jure videntur negligere, Deum negligant, qui jussit talia per Prophetam nunciari. Igitur hîc tacitè primum Præceptum

Propheticum exordium de vocationis certitudine.

inculcatur,ut populus Iſrael Deum ſuum loquentem audire velit. Nam cum ſit Deus ipſorum, non fruſtra eis concionatur, nec impune feret à ſuo populo contemni Verbum ſuum. Similem rationem ſecuti ſunt Apoſtoli in exordiis ſuorum ſcriptorum, dum ſe vocatos Apoſtolos & ſervos Ieſu Chriſti profitentur.

Porro offendit hic fere omnes interpretes abſurditas mandati, quod jubetur Propheta fornicariam ducere. Itaq; alii tantum allegoriam ſequuntur, Alii judicant Prophetam ſe humiliaſſe, & matrimonio legitimo ex mandato Domini ſibi junxiſſe meretricem. Iſti autem omnium maximè inepti ſunt,qui ſentiunt Prophetam ipſum fornicatum eſſe cum meretrice, & hujus fornicationis autorem & impulſorem conſtituunt Deum, ac eam excuſant ſimilitudine illius furti ſeu ſpolii in Aegypto, quo populus Iſrael præcepto Domini vaſa aurea & argentea ablata Aegyptiis extulit, Exiſtimantes eadem ratione excuſari poſſe fornicationem, qua excuſabantur Iudæi, Aegyptiorum aurum & argentum auferentes. Sed longe maxima hic diſſimilitudo eſt. Nam factum Iudæorum non ſolum excuſat autoritas divina, Sed etiam ratio ſeu naturæ jus, quod præmia conſtituit mercenariis. Oppreſſi igitur diutina tyrannide Iudæi, tandem ita jubente Deo mercedem ſuorum laborum ferunt ab ingratis Aegyptiis. Erat igitur hoc opus non furtum, ſed juſta merces, debita Iſraelitis pro tam longa & officioſa ſervitute, quam Deus ſummus & juſtiſſimus Magiſtratus & Iudex ipſis tribuit.

Fornicatio nunquam eſt excuſabilis.

Hic autem nullum jus fingi poteſt,quod fornicationem excuſet. Nam legitimas nuptias non ſolum divinæ leges,ſed etiam naturæ jus exigunt, Neq; unquam accidere poteſt, ut Deus præcipiat aut approbet vagas libidines, ſeu non legitimam conjunctionem viri & mulieris. Quia hæc eſt immutabilis ejus voluntas,ut conjunctio viri & mulieris ſint legitimæ nuptiæ,ſicut dicitur, Erunt in carnem unam,id eſt, inſeparabiliter conjuncti.Et perpetua eſt autoritas dicti,Scortatores & adulteros judicabit Deus.Et probant hanc Dei voluntatem quotidianæ pœnæ,quibus cumulate ſcortatores & adulteros plecti videmus, Non enim corpora ſolum defœdant certi morbi ad hoc peccatum deſtinati,Non ſolum œconomiæ & facultatum ruinam promiſcua libido ſecum affert,ſed etiam polluuntur animi. Quomodo igitur Deus, aut in quem finem cogeret ad fornicationem Prophetam? Et ſi docendus fuit populus de Idolatria,an non potuit doceri,niſi Propheta fornicaretur? Aut putabimus Doctorem tali crimine pollutum plus autoritatis ad miniſterium afferre, ac non potius miniſterium in contemptum adducere? Vere enim,qui ſana docet,& turpiter vivit, ſicut eleganter Nazianzenus dixit,una manu porrigit,quod altera rapit.

Matt.19. 1.Cor 6. Ebr. 13.

Quæ igitur Prophetæ ſententia eſt? Verba enim manifeſta ſunt, Abiit Propheta, & duxit in uxorem Gomer filiam Diblaim,quæ concepit & peperit ei filium. Reſpondeo, Prophetam fornicatum eſſe, palam abſurdum eſt, & pugnat non ſolum cum natura, ſed etiam cum mandato Dei, Quod autem duxerit ſcortum etiam abſurdum eſt. Nam cum in re turpitudo ſit (honeſtæ enim debent eſſe nuptiæ, præſertim Doctorum in Eccleſia)merito hanc ſententiam repudiamus. Reſtat igitur,ut ſtatuamus Prophetam legitimo conjugio hanc mulierem uxorem duxiſſe, non aliquod ſordidum ſcortum,ſed filiam honeſti civis,& honeſte educatam, quod & nomen patris hic additum indicat. Nam quod aliqui dicunt,hic non narrari hiſtoriam,nec hæc ita geſta eſſe,ſed tantum in viſione oſtenſa Prophetæ, id non conſiſtit. Nam ſi hoc admittas, data eſt occaſio eludendi alia ſimilia exempla prophetica, qualia multa facta ſcribuntur,ut eſſent ſigna & teſtimonia Propheticarum concionum publice propoſita populo, Vt de Eſaia, qui ſcribitur obambulaſſe nudus & diſcalceatus,ut eſſet ſignum & portentum Aegypto,Cap.15.Et de Ieremia,qui aliquandiu geſtavit in collo jugum & catenas Cap. 26. Item Ezechieli prædicitur eodem die morituram uxorem, & interdicitur, ne lugeat, cumq; id & prædiceret, & ipſo facto populo oſtenderet,quærit populus,quid iſta ſignificent? Quid autem hic moveretur populus,aut intelligeret ſibi ab Hoſea divinitus ſignificari,ſi hæc tantum in viſione ſoli ipſi oſtenſa, non geſta,& ipſo facto in populum prolata fuiſſent?

Propheta legitimo conjugio uſus.

Eſai.15. Ier.26. Ezech.2

Cur

Cur igitur,cùm uxorem jubeatur ducere Propheta, & ex ea ſuſcipere liberos,dicitur ducere uxorem fornicationum?& quod mirabilius eſt,gignere filios fornicationum,qui certè non fuerunt nothi,etiamſi ejus uxor ante conjugium fuiſſet fornicaria. Mira res eſt,Propheta ſingulariter vocatur,ut populi Idolatriã accuſet,& prædicet de pœnis ſecuturis, ſcilicet de vaſtatione & rejectione populi & totius politiæ,& quia tamen neceſſe eſt juxta promiſſiones divinas ſervari aliquam Eccleſiã, addit conſolationem piis neceſſariam, de ſervandis aliquibus reliquiis, & de vocatione Gentium. Vt igitur ſerio teſtetur, ſe divino mandato accuſare populum Idolatriæ,& prædicare certo ſecuturas pœnas, hoc velut geſtu & ſigno id populo oſtendit. Iubetur ductam uxorem & ſuſceptos filios,velut traducere hoc infami nomine, ut ipſe eos vocet,& divinitus ſic vocari teſtetur,uxorem & filios fornicationum, videlicet ut ſignificet totum populum eſſe talem coram Deo, reum & daturum pœnas idolatriæ,ſeu deſertionis à Verbo,fide & vero cultu hujus Dei, qui ſe datis promiſſionibus huic populo patefecerat, & eum peculiaribus teſtimoniis & miraculis vocatum ſelegerat ex aliis gentibus.

Hoc in ſcriptura Prophetica uſitatè vocatur fornicatio,à fide Verbi traditi & cultibus à Deo mandatis deciſcere,& ſequi doctrinam & cultus humano conſilio & electione. Eſt igitur & in vocabulo fornicationis allegoria,& ipſum factum Prophetæ ceu geſtus ſeu pictura quædam, ſignificans accuſari idolatriam, q. d. Duxi uxorem,& ex ea ſuſcepi liberos mandato divino, Sed qualem uxorem, quales liberos? quid habeo,niſi & uxorem & filios fornicationum? Quid ita? quia hic totus populus talis eſt,ſicut hîc inquit,claris verbis addens interpretationem, Fornicans fornicatur terra à Domino. Ideo cogor eos ipſe hoc probroſo nomine vocare uxorem & liberos fornicationum, **Ein Weib der hurerey / vnd Kinder der hurerey** / Sicut & de pœnis etiam nomina impoſita liberis ſignificant,Loryhamo,& Loamni, Non miſericordiam conſecuta,&,non Populus meus. *Fornicatio.* *Sententia Prophetæ.*

Quod hæc hujus totius loci ſententia ſit, ſequentia ſatis oſtendunt (ſicut dixi) cùm ait: Terram relicto Domino fornicatam,hoc eſt, alienos Deos & cultus ſecutam eſſe. Nam de idolatricis cultibus omnino hæc intelligenda ſunt. Sicut autem impius Papatus verbis quidem Chriſti nomen & meritum,Baptiſmum,Euchariſtiam & alia non negat,ipſo autem opere negat, dum præter meritum Chriſti & gratuitam remiſſionem peccatorum,propria merita ſtatuit, Ita impii idolatræ in regno Iſraëlis volebant haberi veri cultores veri Dei,à quo ex Ægypto eſſent educti. Sed quia diſcedebant à cultu divinitus mandato,etſi ore dicerent,ſe Deum Iſraël colere,tamen veri idolatræ erant, & jure dicebantur,à Deo, ſicut fornicaria mulier à marito,diſceſſiſſe. Non enim Deum, ſed cordis ſui figmentum & opiniones,quas ipſi ſine verbo Dei de Deo finxerant,colebant. Deus autẽ tum demũ verè colitur, cum ſecundùm Verbum ſuum colitur,hoc eſt, cum animi reverentur, & timent Deum, Deinde etiam Dei bonitati fidunt. Hi præcipui & interni cultus ſunt,hos poſtea etiã externi cultus ſequi debent, non quales nos nobis fingimus (ſicut Papatus finxit Miſſas,vota,interceſſiones Sanctorum,merita Sanctorum diſtribuenda in Eccleſiã, jejunia,& ideo idolatriæ crimen effugere non poteſt) ſed quales præſcribit Dei verbum ſeu ſecunda tabula.

Iudæi igitur, qui relicto mandato Dei de templo Hieroſolymis,ſacrificabant in Dan,Bethel,Gilgal,in monte Samariæ & lucis, etſi verum Deum ſe colere ſentirent,tamen erant odioſi Idolatræ. Nam ut de corde impio nihil dicamus, & loci & perſonæ ratione vitioſus erat cultus. In regno enim Iuda ſacrificia mandata erant,& ſacerdotium adminiſtrabat ex mandato tribus Levi, Sed Ieroboam in regno Iſraël, contra mandatum Dei ſacrificabat, & ſine diſcrimine vilißimos ex plebe ad ſacerdotium admittebat,etiam pecunia vendens officium divinitus certæ familiæ aſſignatum,Sicut pontifices hodie Epiſcopatus & alia Eccleſiaſtica munera vendunt. Hanc cultus mutationem non ſolum imitati ſunt reliqui Reges Iſraël, ſed Ahab adjecit ethnicum cultum Idoli Baal in monte Samariæ. Nihil enim dubium eſt, quin Baal *Idolatria in regno Iſrael.* *Cultus Baal.*

Belus ſit à Gentibus cultus. Sicut etiam gentilium hiſtoriæ teſtantur. Rectè igitur diſceſſio hæc à Deo & idolatria judicatur. Siquidē pugnabant hic cultus cum mandato,& erant mera inobedientia. Deus autem,ſicut Samuel concionatur, mavult obedientiam quàm victimam,& rebellionem non minus odit quàm incantamenta, in quibus non ſolum à Deo diſceditur, ſed homines etiam Satanæ ſupplices fiunt,& ejus tum operam,tum opem requirunt.

Dixi de mandato facto ad Hoſeam,nunc etiam id explicandum eſt, quod ferè per ſingulas Prophetiæ partes repetitur,& tum à Moſe,tum aliis Prophetis frequenter uſurpatur,nempe,cur Scriptura idolatriam cum fornicatione ſeu adulterio comparet? Eſt autem mire apta ſimilitudo, ſi circumſtantias omnes conſideres diligentius. Sicut enim maritus ſe cum uxore conjungit, ita Deus omnibus temporibus ſibi adjunxit Eccleſiam. Nam ſtatim poſtquam primi parentes lapſi ſunt, Deus promiſit liberationem per ſemen mulieris. Hanc promiſſionem poſtea non ſolum repetivit,ſed etiam multis externis ſignis confirmavit. Abrahæ promittitur manifeſta benedictio,& additur ſignum circumciſionis, ut etiam denotato populo, & quaſi deſignatis promiſſionis hæredibus,certa eſſet benedictio. Moſes quoq; populum,qui circumciſionem habebat ex mandato Domini, inſtituit de externo cultu, & addit Dominus manifeſtum pactum, ſe fore Deum hujus populi, ſi ſervent mandata, ſin autem à mandatis ſuis diſcedant,ſe quidem ſervaturum promiſſa, etſi alium populum ſibi adjuncturus ſit. Hujuſmodi promiſſiones omnes nihil aliud ſunt,quàm amica invitatio,ſicut Chriſtus in Evangelio loquitur,ad nuptias,ubi ipſi hoſpites ſeu Eccleſia ſunt ſponſa,& affert ei ſponſus quicquid habet bonorum. Sic enim invitantur hoſpites,ut nuncietur eis omnia eſſe parata. Ad has promiſſiones reſpiciunt Prophetæ,cùm idolatriam fornicationem vocant. Significant enim,quòd Deus tanquam maritus ſe adjunxerit populo ſuo,& eum variè ornaverit, ſed populum oblitum horum beneficiorum tanquam ſponſam diſceſſiſſe à ſponſo, & ſe cum alienis conjunxiſſe.

Idolatria comparatur adulterio.

Promiſſio ſignis externis confirmata.

Gen. 3.

Ad hunc modum concionatur Propheta Ezechiel cap. 16. de populo veteris Teſtamenti,dicit eum ortum ex gentib⁹, natum tanquam puellam umbilico non præciſo,quæ nec lota in ſalutem,nec ſale conſperſa, nec involuta pannis eſt. Talis enim origo fuit hujus populi,ſicut & Joſue & Stephanus teſtantur, ut ſimpliciter per miſericordiam Dominus Abraham aſſumpſerit ex mediis gentibus, & ex idolatra fecerit ſibi ſervum. Miſertus enim generis humani,hunc quaſi ramum ex arbore totius generis humani decerpſit,ex quo ſibi plantaret populum quaſi hortum. Ea fuit quaſi prima ætas populi veteris Teſtamenti. Cùm autem jam cœpiſſet multiplicari populus,& tanquā puella matura eſſe viro,ibi inquit Dominus, adhuc nuda & confuſionis plena eras,ac erat tum tempus,quo amari poteras. Primum igitur expandi amictum meum ſuper te,& ignominiam tuam operui. Nam cùm populus in Ægypto multiplicatus eſſet,& jam penè in Gentium idolatriam involutus,Ibi demum oſtendit Dominus miſericordiam ſuam,& ingreſſus ad hunc populum, quaſi ad puellam, per Moſen,iniit cum eo pactum. Hic vides omnia geſta,tanquam à ſponſo cum ſponſa. Poſtquam autem populus hujus pacti oblitus, ſe cum alienis Diis conjunxit, An non verè & propriè hæc fornicatio & adulterium dici poteſt?

Locus Ezechielis cap. 16. explicatus.

Joſue 24. Act. 7.

Sed tum demum verè hoc pactum abſolutum eſt, cùm Filius Dei caro factus eſt. Ibi enim ſe tanquam ſponſus cum ſponſa conjunxit, & nos jacentes, ſicut Propheta dicit,in ſanguine peccati originalis abluit,unda ſeu aqua baptiſmi, quo baptizamur in mortem filii Dei. Hæc enim vera à ſanguine emundatio eſt. Deinde ungit oleo, hoc eſt,donat per baptiſmum Spiritum ſanctum,veſtit diſcoloribus, dum variè excitat animos,ut obediant legi Dei. Itaq; Paulus quoque hac ipſa ſimilitudine utitur,cùm dicit Epheſ. 5. Chriſtum nutrire & fovere Eccleſiam ſuam tanquam membrum corporis ſui,carnem ex carne ejus,& os ex oſſibus ejus. Hæc beneficia etſi per Chriſtum demum ſunt exhibita,tamen & promiſſa ſunt populo veteris Teſtamenti, & qui promiſſionem hanc acceperunt fide,ſalvati ſunt.

Filius Dei ſponſus Eccleſiæ.

Epheſ. 5.

Quod

Quod igitur & populus in veteri Teſtamento à tam benefico Deo diſcedit, & nos hodie obliti beneficiorũ Chriſti, Verbum & cultus ab ipſo inſtitutos & mandatos negligimus, & ea ſequimur, quæ verbo neq; oſtenſa nec mandata ſunt, ſed cum verbo pugnant, hoc peccatum quomodo poteſt aptius deſcribi, quàm illa ſimilitudine fornicationis ſeu adulterii? Nam hoc uno crimine omnia iſta comprehenduntur, quòd Deus immenſam ſuam gratiam erga indignos, & verè in ſanguine noſtro volutantes declarat, Quòd nos tã benefico Deo ingrati ſumus. Quòd extrema indignitas hæc eſt, à tam munifico, clementi & benevolo marito diſcedere, apud quem in ſummo honore ſumus, & conjungere nos cum iis, qui ad turpitudinem tantum abuntur & rebus & animabus noſtris. Hic enim non tantum perfidia, ſed etiam extrema amentia conſpicitur.

Poſtremò hæc ſimilitudo ob oculos ponit juſtum zelum Dei, qui non poteſt hunc contemptum ferre, Sicut impoſſibile eſt, ut maritus, honeſtatis amans, poſſit æquo animo ferre uxoris amores inhoneſtos. Sicut profecto Ezechiel hunc ipſum locum egregie tractat. Hæc hujus ſimilitudinis propria ſunt, & profecto diligenter conſideratæ circumſtantiæ omnes fœditatem Idolatriæ egregiè ob oculos ponunt. Sed præter hæc ſimilitudo iſta etiam furorem pingit, quo Idolatræ corripiuntur. Sicut enim impudica mulier nihil aliud ſomniat, etiam vigilans, quàm amores adulteri, & paratiſſima eſt ad omne genus veneficiorum & cædium, Ita idolatræ ingenti odio veræ religionis incenſi ſunt, & ſummo ſtudio urgent & tuentur idolatriam. Non parcunt miniſtris DEI, non parentibus, non magiſtratui, non liberis, Quiſquis ſe eis oppoſuerit, hunc immani odio proſequuntur, nec quieſcunt priuſquam ſuſtulerint è medio, Sicut Phariſaicum odium contra Chriſtum & Apoſtolos, Item Papiſtarum odium contra noſtras Eccleſias oſtendit. Sic nimirum & Gentium hiſtoriæ, & Poëtarum quoque fabulæ horribilium parricidiorum & atrociſſimarum cædium meminerunt, ut inſanis amoribus adulteri poſſent frui.

Zelus Dei.

Furor Idolatrarum.

Phariſaicum odium contra Chriſtum.

Ergo aptiſſima hæc figura eſt, qua idolatria comparatur fornicationi. Et quia manifeſtam turpitudinem res habet, etiam eo pertinet, ut à tam gravi peccato abducantur homines. Nam Monachus, ſi intelligeret, cùm Franciſco aut Dominico nomen dat, & inuſitato vitæ genere ac operibus quærit juſticiam, ſe à Deo diſcedere, & adulteræ more violare pactum cum Deo in Baptiſmo initum, An non putas, veniam precaretur, & ſe cum Deo ſuo per veram pœnitentiam denuo conjungeret? Monaſterium autem, Miſſas, jejunia, preces idolatricas, veſtitum hypocriticum, & reliqua ſuperſtitioſa tanquam nocentiſſimam peſtem fugeret? Ad eum modum ſic ſtatueret, interceſſiones & cultum Sanctorum, impurum cœlibatum, & totam humanarum traditionum turbam apoſtaſiam à Deo ſeu adulterium eſſe, profecto non ſolum ipſo peccato, ſed etiam turpitudine rei moveretur, ne in Deum ſuum tam eſſet ingratus & impius.

Monachi adulteri.

Interceſſiones & cultus Sanctorum.

Qui igitur verè Eccleſiam Papæ volet pingere, comparet omnino Papiſtarũ ſtudia & cultus turpi adulterio. Siquidem Chriſtum, in cujus mortem baptizati ſunt, gratis offerentem juſticiam, negligunt, & ſequuntur hominum traditiones, ac cordis ſui ſtudia, per quæ juſticiam ſibi & aliis promittunt. Rectè igitur ad Pro-
Apoc. 17. phetarum imitationem, Antichriſtum Apocalypſis comparat cum ſcorto, & vocat magnam meretricem Babylonis. Hujus fornicationis & tam turpium adulteriorum patroni, hodie ſunt Epiſcopi. Horum paraſtatæ & ſatellites ſunt impii Doctores, ſtupidæ Cochleæ, clamoſi & ebrioſi Eccii, ſcabioſi Pighii, hypocritæ VVicelii, & quicquid hujuſmodi farinæ eſt, quos Epiſcopi in hoc alunt, ut impios cultus commendent imperito vulgo, ac ad fœda adulteria invitent. Sed quæ pœnæ hanc impietatem ſecuturæ ſint, Propheta jam indicat.

Pictura Eccleſiæ Papæ.

Dixitq; Dominus ad eum, Voca nomen ejus Iezreel, quoniam adhuc modicum eſt, & viſitabo ſanguines Iezreel ſuper domum Iehu, & delebo regnum domus Iſrael, Et in die illa frangam arcum Iſrael in valle Iezreel.

Mulierem de fornicationibus, nunc de pœna populi.

Hæc altera pars hujus primæ Prophetiæ est de regno Israël. Nam quòd Propheta jubetur ducere, quam vocat uxorem fornicationum, id pertinet ad significandum peccatum hujus populi, quod idolatria corruptus discesserat à Deo, & vero Dei cultu. Nunc cùm ex ea filius nascitur, mandat Dominus, ut ponatur puero nomen Iezreel. Pertinet autem hoc, sicut ipse Propheta ostendit, ad significandam pœnam, quam populus impia fornicatione erat meritus. Sed quæras quomodo? Vocabulum Iezreel venit à verbo Zara, quod seminare significat. Quia autem hic populus eo nomine maximè superbiebat, quòd norat se esse Dei populum, & tanquam vineam ab ipso Domino plantatam, atq; ideo secure contemnebat minas Prophetarum. Ideo Deus hoc ipsum nomen jubet imponi, sed longè alia ratione, quam hactenus à populo usurpatum erat. Nam nomine Iezreel, quod factum est à seminando, gloriabatur, quòd esset populus à Deo seminatus & propagatus, sed Propheta vocat Iezreel ideo, quòd Deus velit eum ob peccatum Idolatriæ disseminare in gentes. Sicut enim semini terra opus est, in quam condatur, ita populum hunc Dei semen vocat, quod ipse Deus erat eum tanquam semen dispersurus in longinquas gentes.

Hanc sententiam ipse Propheta ostendit. Siquidem subjicit de visitandis sanguinibus domus Iehu, & evertendo regno Israël. Sed offundunt huic quoque loco variæ interpretum sententiæ caliginem. Quia enim historia docet, Iehu ambos reges Iuda & Israël sustulisse, ac deinde in posteritatem impii regis Ahab & in Prophetas Baal gladio grassatum esse, putant quidam hoc loco de illis cædibus Prophetam loqui. Statim igitur difficultas nascitur, cur Deus hoc in loco pœnam minetur posteritati Iehu, ob effusum sanguinem. Cùm tamen & probet factum Iehu Deus, & ideo in quartam generationem ei promittat regnum Israel, tanquam præmium rei *Iehu multa Deo grata.* benè gestæ. Ac profecto non ita facilè est hæc conciliare. Non enim cadit in Deum illa inconstantia, ut quod semel probavit rursus improbet. Statuamus igitur Iehu non peccasse, cùm ex mandato Dei in impios Reges & posteritatem eorum, deinde etiam in sacerdotes Baal grassatus est. Non enim cùm ista faceret, privatus fuit. Nam & unctus prius in Regem erat à Propheta, & acclamavit ei populus. Et accedit ad hæc non solum mandatum Domini per Prophetam, ut ista faciat, sed Dominus factum etiam probat. Sic enim dicit: Quia studiosè egisti, quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo, fecisti contra domum Ahab, filii tui usque in quartam generationem sedebunt super thronum Israel.

Peccatum Iehu quale.

Quod igitur peccatum Iehu est, seu quid sunt sanguines isti, quos Dominus super domum Iehu se visitaturum dicit? Nimirum aliud nihil quàm quod statim historia Regum subjungit, sic dicens: Porro Iehu non custodivit, ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo. Non enim recessit à peccatis Ierobeam, qui peccare fecerat Israel. Igitur sicut suprà idolatriam appellavit Propheta fornicationem, ita hic novo nomine (damim) sanguines appellat, Neq; longius inquirenda hujus appellationis ratio est. Nam idolatria semper cum cædibus & sanguine conjuncta est. Quia enim pii Doctores non possunt connivere ad impios cultus, sed mandato Dei damnare eos, & revocare populum ad sanam doctrinam coguntur. Contra impii nihil minus possunt ferre, quàm reprehensionem suorum cultuum. Itaque potentia atque opibus instructi, statim expediunt arma, & persequuntur veros Doctores. Ac fuit istis temporibus etiam usitata immolatio liberorum, sicut historiæ ostendunt. Itaque etiam ea ratione idolatria rectè vocatur sanguis seu sanguines. Sed præter hæc usitatum apud Prophetas est, ut in genere peccata vocent sanguines. Sic David in illa communi deprecatione peccatorum petit liberari midamim à sanguinibus. Et Ezechiel in loco, quem suprà citavimus, etsi alludit ad nativitatem hominis, cùm dicit: Vidi te sanguinibus deformatam, tamen significat peccatum originis, quòd nos coram Deo reos statuit, & est fons, unde tota reliqua inobedientia promanat. Vera igitur sententia hujus loci est, quod sicut Deus idolatriam superiorum Regum non passus est inultam esse, ita quoque velit etiam punire in domo Iehu, in Iezreel, hoc est, in Samaria seu regno Israel,

Idolatria semper cum sanguine conjuncta est.

Prophetæ appellant peccata sanguines, etc.

Psal. 51.

Ezech. 16.

Qualis

Qualis autem vel visitatio, vel pœna hæc futura sit, exponunt sequentia. Cessare faciam regnum domus Israel. Nam Zacharias ultimus ex posteritate Iehu, & filius hujus Ierobeam, sub quo Propheta docuit, post sextum regni mensem per seditionem à Sallum occisus est, qui ipse quoque injustæ cædis pœnas dedit. Nam primo regni mense per Menahem interemptus est. Dum itaq; regnum intestinis seditionibus jactaretur, accessit etiam externus hostis Assyrius, Is regem Israel tributarium sibi fecit. Post Menahem imperat Pekaja, hic cum biennium regnasset, occiditur à Pekah, Sub hoc Tigleth Pilleser Israelem vastat, & bonam populi partem abducit captivam. Sub Hosea autem, qui ultimus regnavit, Salmanasser totum regnum occupavit & evertit. Hæc omnia intra annos circiter quadraginta post mortem Ierobeam acciderunt. Ibi demum Israel factus est Iezreel, sicut hoc in loco Propheta vaticinatur. Nam à Domino visitante tot sectarum idolatriam abjectus & inter Gentes disseminatus est. Visitata phrasis est, Arcum Israel, hoc est, potentiam Israel, & vires bellicas dici. Fuit enim potentissimum regnum. Quod autem dicit, In valle Iezreel, etsi forte in eo loco singularis aliqua clades accepta, aut Zacharias occisus est, Tamen nihil prohibet, quin accipiamus pro toto regno Israel. Nam Iezreel metropolis fuit Samariæ, & fuit ibi regia domus, sicut historia Ahab ostendit.

2. Reg. 15.

Sallum.

Menahem.

Hosea.

Arcum Israel.

Iezreel.

Et rursus illa concipiens peperit filiam, dixitq; ad eum, Voca nomen ejus Lo Ruhamo, quia posthac non miserebor amplius domus Israel, Omnino non parcam ei.

Pertinet hæc quoq; particula ad Prophetiam de pœna Idolatriæ. Statim enim postquam in regno Israel Idolatria per Ierobeam cœpit, varie Deus admonuit populum per flagella sua, Syros, Assyrios, & alias Gentes, regno Israel vicinas, ut redirent in viam, & se cum Deo, cujus cultus in Ierusalem erat, conjungerent. Quia autem Deus longanimis & patiens, & multæ misericordiæ est, afflicti populi clamorem & preces audivit, Sicut in Ioas historia videmus, Misertus, inquit, est Dominus eorum, & reversus est ad eos propter pactum. Item in historia Ierobeam, Vidit Dominus afflictionem Israel amaram nimis, &c. Etsi igitur affligeret eos propter peccatum, tamen dedit interdum fortunatos Principes, qui hostem reprimerent, & illa quasi vulnera Reipub. sanarent. Hujusmodi exempla fine dubio in spem aliquam vocaverunt populum, cum regnum post posteritatem Iehu sic varie seditionibus & aliis incommodis jactaretur.

De pœna Idolatriæ.

Sed Propheta hic novi aliquid minatur, cum dicit, Filiæ datum nomen Lo-Ruhamo. Significat enim non futuras posthac ullas vices, quales fuerunt, sed populum semel ita disseminatum inter Gentes, sine misericordia in illa calamitate mansurum esse. Nomen factum est à Riham, miseratus est, negativa particula Lo addita, significat autem quæ misericordiam non consequitur, **Die in vngnad ist.** Quod Latinus habet, Oblivione oblivisear ejus, In Ebræo est verbum Nasa, quod levare significat. Igitur rectius redditur per Verbum abjiciendi, & convenit cum projectione sementis, de qua supra dixit. Nam abjecturi aliquid, id levamus. Quia autem repetit verbum abjiciendo abjiciam, ideo addidimus particulam, penitus, ut aliquo modo vehementia, quæ in Ebræo est, exprimeretur.

Hæc est Prophetia de domo Israel, profecto horribilis, si te cogitationibus, quasi in rem præsentem constituas. Etsi n. non rarum est, everti regna, & Respub. interire, tamen hujus populi ruina, ideo tum gravior, tum horribilior est, quia Dei populus fuit, cui promissiones in Abraham factæ sunt, non solum de multiplicatione & successu corporali, sed quod majus est, de semine mulieris benedicturo familias omnes terræ, Hunc populum ex Patribus prognatum, donatum promissionibus, liberatum ex Aegypto, positum in terram Canaan, ornatum verbo & cultu Dei, Deus sic abjicit, ut videatur plus amare & curare quasvis alias Gentes, quæ sine Deo & sine Verbo in idolatriam & impietatem demersæ erant. Quod enim regnum sic eversum est, cujus non vestigia aliqua manerent? Hic autem populus ita ex terra sua ejicitur,

Vastatio regni Israel.

ut ne nomen quidem maneat reliquum. Hujus tantæ iræ quæ causa est? Nulla alia, quam quod regnum Israel discessit à verbo & cultu Dei, & secutum est idolatriam, seu cultus verbo Domini non institutos. Hoc enim peccatum illud est, quod Deus tolerare non potest, sed extrema vastatione ulciscitur, sicut hic profecto horribilis sententia est, Non miserebor amplius domus Israel. Si enim misericordiam Dei tollas, quid quæso miseris aliud relinquitur, quam ut in calamitate sine ulla spe auxilij pereant?

Idolatria in Germania.

Pertinet autem hæc ipsa comminatio ad nostra quoque tempora, quibus Dei beneficio lux verbi Germaniæ reddita est, ac patet, qui veri sint cultus, qui vitiosi, Quid cum verbo Christi conveniat, quid non conveniat. Sed in hac tanta luce videmus, quid Papa, quid Episcopi, jurata Papæ mancipia, faciant. Retinent veterem idolatriam, eam defendunt, cogunt ad eam subditos, sanam doctrinam blasphemant & damnant, In nos extremam crudelitatem ubicunq; possunt, exercent, qui cupimus Ecclesiis consultum & Christi gloriam salvam. Nata igitur nostris quoq; temporibus est illa infelix LoRyhamo. Certum enim est, etsi tempus, quo ista fient, non novimus, Deum Germaniam ob hoc idolatriæ peccatum visitaturum. Sicut etiam exempla habemus ante oculos, Ecclesias Aegyptiacas, Syriacas, Asiaticas, Græcas, & pene Pannonias etiam, quas Turca vastavit.

Oportebat igitur hanc piorum Principum curam esse, ut repurgarentur Ecclesiæ, tollerentur abusus, & veri cultus instituerentur, Siquidem & hostem procul submotum & patriam vere salvam volunt. Nam si pergent crudeliter grassari in Ecclesias, quæ Verbum habent, & defendere Pontificiam idolatriam, visitabit Dominus sangvines eorum, sicut Iehu, in quo horribile exemplũ Magistratui propositum est. Quia enim idolatriam non prohibuit, sed suo exemplo etiam subditos ad impietatem invitavit, peccatum populi ei soli imputatur, Solus hic peccasse dicitur cum sua domo. Nam peccata populi, quæ Magistratus prohibere potuit, Magistratui imputantur. Atq; hoc patris peccatum etiam filii post quartam generationem luunt, secundum sententiam primi Præcepti. Sed quam paucos Reges totus orbis terrarum, quam paucos Principes Germania habet, qui serio cogitant de posteritate sua. Sicut igitur domus Israel sub fortunato rege Ierobeam has minas contemnebat, Ita contemnunt hæc Principes, Sed furor Domini non dormiet, exardescet in brevi, & peribunt peccatores subito, Sicut secundus Psalmus quoq; regibus & populis minatur, qui Filium osculari, hoc est, Verbum ejus amplecti & sequi nolunt. *Psal. 2.*

> *Domus autem Iuda miserebor, & salvabo eam per Dominum Deum ejus, & non salvabo eam per Arcum, non per gladium, non per bellum, non per equos, non per equites.*

Regnum Iudæ ab Assyrio afflictum.

Absoluit Propheta vaticinium de regno Israel, ac satis horribile & dignum exemplum est, in quod omnis posteritas sæpe intueatur, ut discat fugere idolatriam, & verbo diligentius attendere. Quia autem hostis etiam in regnum Iuda grassaturus erat, annectit Prophetiam, quod non humana, sed cœlesti ope servandum sit, Sicut historia quoq; ostendit, quæ hunc Prophetæ locum pulchre explicat. Non enim istorum sententiam probo, qui hunc locum accommodant ad reditum ex Babylone. Esaias Cap. 10. ordine ostendit, quæ loca hostis vastaverit post occupatum regnum Israel. Fuit autem hujus quoq; calamitatis causa Idolatria Achas, qui & filium transire fecerat per ignem, sicut scriptura loquitur, & cultum Deorum Damasci invexerat in suum regnum, invitatus successu hostium, perinde ac si quis impius rex hodie ad impietatem Turcicam deficiat, fortuna eorum invitatus. Itaq; cum Deus idolatriam domus Israel visitaret, etiam Iuda sensit vicinum malum, & tantæ impietatis dedit pœnas, ac sola restabat Ierusalem, quam ipsam quoq; hostis obsedit. Sed subito soluta obsidio est, cum maxima hostium clade. Nam Angelus Domini in una nocte centum & octuaginta quinq; millia occidit. Itaq; Sanherib non tam suo periculo quam clade suorum motus, retro movit castra, & fugit in Assyriam, ubi sicut Esaias vatici- *Esa. 10.* *Achas.* *Sanherib.* *Esai. 66.*

vaticinatur,à filiis occiſus eſt, & finita Monarchia Aſſyriorum, ac ad Babylonios hac occaſione translata eſt, de hac liberatione Propheta hic concionatur, cum dicit, Salutem obventuram per Dominum,& non per gladium.

Sicut autem ſupra cauſas oſtendimus vaſtitatis utriuſq; Regni,ita hic quoq; utile fuerit circumſpicere,quæ fuerit cauſa ſervati regni Iudæ. Peccata Achas cauſa fuerant vaſtationis regni Iudæ, ſed pius filius Ezechias ſeu Hiskias, cui divino beneficio Eſaias doctor & monitor contigerat, veræ religionis ſtudioſiſſimus erat, Itaque & æneum ſerpentem combuſſit, poſtquam ad idolatriam eo abutebantur Iudæi, & inſtituit veros cultus in Eccleſia,ſicut oſtendit hiſtoria. Deinde in ipſo periculo,cum jam hoſtis acceſſiſſet ad urbem Ieruſalem, non confugiebat ad humana præſidia,ſed orabat in templo, & ad orationem quoq; hortabatur doctorem ſuum Eſaiam. Tales ſi hodie quoq; haberemus Duces, an non putas felicius nos cum Turcis pugnaturos eſſe? Nunc cum aut vera Religio ſit contemptui, & retineatur idolatria Papæ, aut ambitione ac avaritia depravati ſint animi, quid mirum, ſi non ſolum non vincimus, ſed quotidie magis ac magis ab hoſte premimur? Digna itaq; hiſtoria erat, quæ omnium Principum aulis, imo animis inſculperetur. Vere enim glorificat Deus ſe glorificantes, Vbi econtra,qui gloriam Dei negligunt, hoc eſt,qui idolatricos cultus fovent,operiuntur confuſione. *Ieruſalem quare ſervata ſit.* 1. Sam. 2.

Hæc hiſtoria eſt,de qua Propheta hoc loco vaticinatur, quod per Dominum & non per equos nec equites regnum Iuda ſalvandum ſit. Poteſt tamen accommodari in genere etiam eo,quod damnatur fiducia carnalis brachii. Etſi enim Deus vult nos uti mediis à ſe conditis, tamen non vult, ut iis fidamus,aut nitamur,ſed vult ſucceſſum à ſe ſolo peti & expectari, ſicut etiam Pſalmus monet, Hi in curribus & in equis,ac conciderunt, Nos autem in nomine Domini,& vincimus. Sed hoc in loco recte monemur de illa diverſitate,quod hiſtoria & Propheta Eſaias dicunt, Salutem hanc factam per Angelum. Propheta autem hoc in loco dicit factam Iehova per Deum. Eſt enim hic nomen divinum, quod non niſi Deo tribuitur. Vtrunq; igitur occulte hic oſtenditur, quod & per Chriſtum hæc liberatio facta ſit, & quod Chriſtus natura Deus ſit. Sicut etiam Paulus dicit, Chriſtum comitatum Iudæos in deſerto. Et prima promiſſio vaticinatur, Semen mulieris contriturum caput ſerpentis. Illa enim Eccleſiæ defenſio, quæ inde ab Adæ lapſu perpetua fuit, non per Angelos, ſed per Dei Filium facta eſt, quem Scriptura ſæpe Angelum appellat, Sicut Gen. 48. Angelus Domini, qui me eruit de omni malo, Eſai, 63. Angelus faciei ejus ſalvavit eos, Malach. 3. Angelus fœderis, quem vos deſideratis. Etſi enim Angelorum miniſterio Deus ad Eccleſiæ defenſionem utitur, tamen Chriſtus ſolus eſt, qui Satanæ vires infringit,& caput ejus conterit. *Fiducia carnalis brachii damnatur.* *Pſal. 20.* *Chriſtus ſervavit Eccleſiam Ieroſolymis.* 1. Cor. 10. *Gen. 3.* *Gen. 48.* *Eſa. 63.* *Mal. 3.*

Ac jucundum in primis ſpectaculum eſt, videre in tot diſcriminibus à principio mundi Eccleſiam habuiſſe defenſorem Filium Dei, qui ſe poſtea oſtendit hominibus, & à Satana toties victo, vinci ſe paſſus eſt, ut Eccleſia à ſummo periculo æternæ mortis liberaretur. Speremus autem, ſicut Chriſtus, etiam antequam humanam naturam adſumpſit, ocioſus non fuit, ſed oppoſuit ſe furori Satanæ, Ita hoc quoq; tempore, poſtquam in gloria eſt, non defuturum nobis, ſed repreſſurum hoſtem ſuum Satanam,tot modis inſidiantem miſeræ Eccleſiæ. *Filium Dei Eccleſiæ defenſor ab initio mundi.*

Et ablactavit Lo Ribamo, ac concepit rurſum, & peperit filium & dixit,
Voca nomen ejus Lo Ammi, quoniam vos non populus meus, neq; ego veſter ero.

Quod Iudæi dicunt ideo nunc filium,nunc filiam,tandem iterum filium Prophetæ natum, quod regnum alio tempore firmius, alio minus firmum & calamitoſum fuerit, non omnino diſplicet, nam cum hiſtoria convenit, & Scriptura ſæpe, quæ firmiora ſunt, maſculis comparat, Sed ſententia quæ ſit videamus, Regnum Iſrael jam diſſeminatum in Gentes comparat ablactatæ puellæ, cui mater non amplius lac præbet. Nam ſicut nomen oſtendit, ſine miſericordia, hoc eſt, ſine promiſ-

Regnum Iudæ quoque perdendum.

promiſſione reſtitutionis corporalis abjecerat Deus decem tribus Iſrael. Itaque ſequens particula de tertio filio pertinet ad domum Iudæ, Ac recte Lyra eam interpretatur de finali abjectione Synagogæ, & vaſtitate per Romanos facta. Quia enim Evangelium amplecti noluit, abjecit eam Deus, nec pepercit vel templo vel cultui. Pluris enim facit Filii ſui gloriam, quam illa externa ſui populi dona, Pluris facit ipſum Filium, quam populum inobedientem.

Diligenter autem primo conſideranda pœnæ magnitudo eſt, & quod Deus minatur, Sicut ipſi non volunt eſſe populus meus, ita ego non volo eſſe Deus ipſorum. Qui enim Deum non habent, quid quæſo habent, etiamſi totum mundum poſſideant? Sed tantæ iræ quæ cauſa eſt? Propheta infra eam copioſe oſtendet, & Chriſtus in Evangelio clare dicit, Ideo vaſtandam Synagogam, quia tempus viſitationis ſuæ non agnovit, hoc eſt, quia gratiam Dei in Evangelio oblatam per Filium Dei noluit amplecti, ſed retinuit Moſen ſpreto Chriſto, retinuit Legem abjecto Evangelio, retinuit opera ſua, abjecta gratia Dei, quam Filius Dei ſua morte acquiſivit nobis. Hic igitur iterum admonemur, quantum peccatum ſit non amplecti Evangelium. In hoc peccato ſi Principes & Epiſcopi Germaniæ pergent, quis non videt, quo fato tandem Germaniam perire neceſſe ſit?

CAPUT II.

HAnc particulam conjungit vetus translatio cum ſuperioribus, Sed quia novam Concionem Propheta hic orditur, de novo populo & novo regno, Ideo nos hic novum ordiemur caput. Etſi autem hæc ſubita ab inſtituto argumento diſceſſio minus convenire videtur, & obſcuritatem quoq; in Prophetis parit, tamen ſi propius rem conſideremus, ipſe rerum ordo ad has tranſitiones cogit Prophetas. In prima concione oſtendit Hoſea, quod & regnum Iſrael in Gentes ob idolatriam eſſet diſſeminandum, & regnum Iuda ob contemptum Evangelij à Romanis vaſtandum. Hic ipſa ſeries negotiorum Prophetam cogit, ut oſtendat, quid vaſtato regno Iudæ futurum ſit, & qualem habiturus Deus in mundo ſit Eccleſiam, poſtquam ille populus, qui Legem & cultum Dei habuit, propter peccatum abjectus eſt. Itaq; illæ Prophetiæ de Eccleſia novi Teſtamenti pertinent ad articulum Symboli, in quo profitemur nos credere Eccleſiam ſanctam & catholicam. Etſi enim experientia docet, omnia mundi regna ſua quaſi fata habere, quibus intereunt, tamen Deus ſemper in mundo ſibi reliquum facit populum, à quo agnoſcatur & prædicetur.

Cauſa cur Prophetæ tam abrupte de regno Chriſti doceant.

Prophetæ docent timorem & fidem.

Vtrunq; igitur Prophetæ admonent, primum hortantur ad timorem Dei. Siquidem veterem populum propter peccatum abjectum eſſe oſtendunt, qui tamen Dei populus & quaſi peculium Dei erat, Sicut Iohannes quoq; appellat. cum dicit, *Ioan. 1.* In propria venit, & ſui eum non receperunt. Deinde etiam docent de inæſtimabili Dei bonitate, & hortantur ad fidem. Sicut enim Deus ſuo populo diſcedenti à Verbo & retinenti idolatriam, non parcit, ita quoq; non ſinit ſe Gentium peccatis impediri, qui ignorantes peccant, & Verbum non habent, quin eos vocet ad cognitionem nominis ſui, & ſocietatem regni Chriſti. Non autem dubium eſt, ſi abuti Evangelio Germanicæ Eccleſiæ pergent, quin Deus eas quoq; abjecturus ſit, & aliam nationem electurus, pro tantis donis magis gratam. Ne igitur ſecuri ſimus, ſed & timeamus Dominum, & tanquam beneficum Patrem, qui Peccatores aſſumit, eum complectamur. Sed nunc textum explicabimus.

> *Erit autem numerus filiorum Iſrael, ſicut arena maris, quæ nec menſurari nec numerari poteſt. Et erit in loco, in quo dictum eis eſt, Non populus meus vos, Ibi dicetur eis, Filii Dei viventis.*

Iſrael per Evangelium revocatur ad regnum Chriſti.

Prior pars hujus Prophetiæ in genere proponit promiſſionem, ne Iſrael abjectus in Gentes deſperet de regno Chriſti, Sed ſtatuat ex hac quaſi morte enaſcituram

ram novam vitam, Deum enim hanc ruinam Iſraelis reſtauraturum eſſe. Nam hic operum Dei ordo eſt, Mortificat,non ut in morte relinquat, ſed ut ad pœnitentiam vocet. Sic Iſrael diſſeminavit in Gentes, ac ſine omni miſericordia, ſi externam faciem rerum conſideres, abjecit. Non enim redierunt in terram Canaan decem tribus, Sed hanc calamitatem quam bene compenſavit Deus? Diſſeminatos enim inter Gentes per Evangelium collegit iterum & ſic collegit, ut una cum reliquiis regni Iſrael plenitudo Gentium veniret ad cognitionem regni Chriſti. Hujus compenſationis hic admonet populum Iſrael,ne in iſta calamitate penitus deſperaret,Sicut nos quoq; mitigamus præſentes calamitates ſpe futuræ gloriæ,quam Chriſtus ſua morte nobis paravit.

Atq; ob hanc cauſam non ſimpliciter voluit Propheta dicere, multiplicandum Iſraelem, Sed ſingulari ſtudio imitatur verba Promiſſionis Abrahæ factæ. Sic enim
Gen.13. ad eum dicit Dominus Gen. 13. Si quis pulverem terræ poterit numerare, etiam ſemen tuum numerare poterit. Ad hanc promiſſionem, quis non videt reſpicere Prophetam, cum dicit, numerum filiorum Iſraël fore ſicut arenam maris, quam fruſtra aut metiri aut numerare conatus fueris? Vult autem hoc modo afflictum populum conſolari,ne abjicerent ſpem futuri regni, & dubitarent de promiſſionibus, quæ Patribus factæ erant. Videbantur quidem ſibi redigi in parvum numerum decem tribus,cum inter gentes diſſeminarentur, Sed nolite, inquit Propheta, deſperare, cum ſic diſſeminabimini inter Gentes, Sperate impletionem promiſſionis Abrahæ factæ, Non illius corporalis,de terra Canaan, quæ etiam magna fuit,ſed ſpiritualis & æternæ, in qua non poſſeſſio terræ Canaan, ſed remiſſio peccatorum & vita æterna (quæ *Promiſſio Abrahæ facta.*
Gen.15. vera benedictio eſt)per ſemen Abrahæ promiſſa eſt omnibus credentibus in illud ſemen, hoc eſt, in Chriſtum Dei filium. Nam in hanc ſententiam Ieremias quoque
Hierem 33. Cap. 33. hac promiſſione de Verbo ad Verbum uſus eſt, ubi de regno Chriſti vaticinatur.Sed ſequentia oſtendunt formam hujus infinitæ multiplicationis,ſeu modum.

Erit, inquit, in loco, ubi dictum eis eſt, Non populus meus vos, Ibi dicetur. Vos filii Dei viventis.

Quanquam enim Iſrael abjectus eſſet propter peccatum, tamen pertinebat ad eum promiſſio Abrahæ facta.Hæc igitur cum Iſraeli inter Gentes diſſeminato per Apoſtolos nuntiaretur impleta eſſe, participes hujus nuntii etiam Gentes fiebant. Atq; hæc illa eſt magnifica tum reductio, tum multiplicatio regni Iſraël, de qua paſſim vaticinantur Prophetæ.Ad terram Canaan decem tribus non redierunt,ſed fide in Evangelium Chriſti venerunt ad promiſſum ſemen Abrahæ. Nec ſunt multiplicati carnali propagatione, ſed multiplicatio vera eſt, quod habent Gentes ſocios fide,quæ ipſæ per eam prædicationem, quæ abjecto Iſraeli ex promiſſione debebatur,ad cognitionem Chriſti venerunt, Sicut Chriſtus quoq; dicit, Violentos rapere
Mat.11. regnum cœlorum. Nam Gentes Evangelium amplectuntur, quibus tamen nulla promiſſio erat facta.Quia autem Iſraeli inter Gentes diſſeminato,ſecundum promiſſionem Chriſtus annuntiatur, hac occaſione Gentes Evangelium & audiunt & amplectuntur. *Quomodo Iſrael multiplicatus ſit*

Quod autem de vocatione Gentium hæc particula accipienda ſit, habemus *Vocatio Gentium.*
Rom. 9. teſtem Paulum ad Rom. 9. Igitur verbum Veomer dicetur, accipiamus de publica prædicatione, per quam Gentes, quæ non ſunt Dei populus, poſtquam Evangelium fide accipiunt,& in Chriſtum credunt,pronuntiantur eſſe filii Dei. Notum autem eſt ubicunq; de vocatione Gentium dicitur, ibi & abrogationem cultuum legalium, & gratuitam juſticiam intelligi. Quæ enim merita,aut quos cultus tribuemus iſtis,quibus per verbum Dei prædicatur, Non populus meus vos? Si non Dei populus, ergo nec Deus ipſorum Deus eſt, ergo carent noticia Dei, Verbo, bonis operibus, & toto illo ornatu veræ Eccleſiæ. Hoc igitur eſt, quod Paulus pugnat, juſtificari nos gratis ſine operibus legis,fide in Chriſtum. Et nos hodie recte dicimus,Sola fide juſtificari. Quid enim aliud afferunt ad Deum, qui Dei populus non ſunt, quam quod *Per vocationem Gentium gratuitam juſticia & cultuum legalium abrogatio intelligitur.*

verbo

verbo Evangelij credunt, ſtatuunt ſe per Chriſtum Deo reconciliatos, peccata condonata, & vitam æternam reſtitutam? Hac fide ex non populo fiunt filii Dei viventis, ſicut Propheta hic loquitur, quem imitatus Iohannes videtur, cum dicit, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus. Ioh. 1.

Gentes filii Dei viventis.

Præcipue igitur obſervanda hic nova phraſis eſt, quod Gentes, quæ Evangelio credunt, vocat Dei viventis filios. Poſtulabat orationis commutatio, qua ſupra quaq; Propheta uſus eſt, ut diceret, Erit ubi dictum eſt, Non populus meus vos, Ibi dicetur, Vos populus Dei. Sed Prophetæ hoc nimis exile viſum eſt ad gloriam novi Teſtamenti oſtendendam, Igitur, ut Chriſti beneficium clarius explicaret, non populum, ſed filios Dei viventis vocat. Ac primum hæc appellatio includit illuſtrem Antitheſin, quod antequam per fidem ad Chriſti regnum accedimus, non ſimus Dei, ſed Satanæ filii. Sumus quidem à Deo conditi, ad ipſius imaginem, hoc eſt, ſancti & juſti, ac etiam immortales, Sed per peccatum, cujus autor & cauſa Satan & noſtra voluntas eſt, ita ſumus deformati, ut amplius Dei filii non ſimus. Siquidem Dei ſimilitudinem amiſimus, & Satanæ ſimilitudinem accepimus, qui etiam in veritate non ſtetit. Quid autem inobedientiam hanc ſeu peccatum ſecutum ſit, notum eſt. Natura enim ad vitam condita, morti & infinitis calamitatibus ſubjecta eſt. Mens, in qua Dei notitia lucebat, per peccatum ita excæcata eſt, ut Deum amplius non agnoſcat. Voluntas quoque ad eum modum eſt depravata, ut diverſum concupiſcat à lege Dei. Itaq; mirabilis ἀταξία omnium affectuũ ſeu motuum eſt, qui etſi omnes per ſe vitioſi non ſint (Nam appetitus cibi & potus, amor conjugis, liberorum & parentum & ſimiles affectus, etiam in integra natura extitiſſent) Tamen nunc non ita puri ſunt, ſemper enim adhæret vitioſum aliquid, legi Dei adverſum. Ideo etiam ſancti variis calamitatibus ſubjiciuntur in hac vita, ut peccati reliquiæ & puniantur & paulatim extinguantur.

Homines natura filii Satanæ, gratia autem filii Dei.

Quomodo per peccatum natura corrupta ſit.

Iob. 3.

Hæc incommoda omnia per peccatum accepta ſunt, per quod primi parentes, ex quibus propagati ſumus, deſierunt eſſe filii Dei, ac ſimilitudinem Dei amiſerunt. Itaq; ſcriptura totam naturam accuſat, ſicut eſt in Pſal. 14. & contumelioſo nomine appellat, hominum, non Dei filios, Proſpexit Dominus de cœlo ſuper filios hominum, ut videat, num ſit aliquis intelligens, qui requirat Deum, Sed omnes declinaverunt, inutiles facti ſunt, non eſt aliquis qui faciat bonum, ne unus quidem. Hæc ſententia commune judicium de toto genere humano proponit, nec quiſquam excipitur, non Iudæi, non Majores eorũ ſancti & primi Patres. Eadem enim ratione propagati ſumus omnes ex carne per peccatum corrupta, Itaque omnes ſumus natura non Dei, ſed hominum filii. hoc eſt, peccatores, qui caremus Gloria Dei, Rom. 3. Pſal. 14. Rom. 3.

Chriſti beneficia

Hic igitur beneficium Chriſti clare pingitur, cum illi, qui non ſunt populus Dei, filii Dei viventis fiunt. Significatur enim hac appellatione deſtructio regni Satanæ, abolitio mortis, remiſſio peccatorum, & donatio Spiritus ſancti, qui veram cognitionem Dei infundit animis, & exuſcitat mentes ad veram obedientiam, Denique etiam vita æterna, & hæreditas omnium bonorum, quæ Deus poſſidet. Ideo enim non ſolum Dei, ſed viventis Dei filios appellat, ut oſtendat hunc populum, qui Dei populus non erat, ſed per fidem in Chriſtum adoptatur in filios, in æternum eſſe victurum. Vita autem conſiſtere non poteſt, ubi eſt peccatum. Nam peccati ſtipendium mors eſt. Rom. 6.

Atq; huc adhibenda lux eſt novi Teſtamenti, quod non ſolum prædicat gratuitam Miſericordiam, qua adoptamur in filios, ſed etiam cauſam tantæ miſericordiæ oſtendit, ſcilicet Chriſtum, qui pro peccatis noſtris ſe tradidit, & ſua morte ab æterna morte nos liberavit. Hoc Chriſti beneficium Evangelium oſtendit, cui qui

Locus Iohan. 1.

credunt, hi fiunt filii Dei. Sicut Iohannes dicit, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, non qui ex ſangvinibus, neq; ex voluntate carnis, nec

Sangvines.

ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Sangvines vocat generationem carnalem, Sic Cain eſt filius Adæ, ſed non ideo habet fidem Adæ, & per conſequens non ideo eſt

Voluntas carnis.

filius Dei. Voluntatem carnis vocat electionem ſeu adoptionem humanam, Sicut

Heva

Heva judicat de Cain, futurum, ut reparet damna in Paradiſo accepta, Iacob exiſtimat Eſau fore hæredem promiſſionis, ſed fallitur quoq;. Non enim hæc fiunt juxta noſtrum judicium. Sic magnum nomen habet in mundo ſtatus ſpiritualium, ut vocant, Sed non ideo Deus eos approbat, quia mundus approbat, Reſpicit enim fidem. Ita voluntas carnis non facit filios Dei. Voluntas viri eſt imitatio ſeu ſtudium hominum, ſine Spiritu ſancto, quod non facit filios Dei, ſed filii Dei ex Deo naſcuntur, cum Spiritus ſanctus per Evangelium fidem accendit in cordibus, ut ſtatuant ſe propter Chriſtum acceptos eſſe. Hoc beneficium Paulus egregie tractat in Epiſtola ad Rom. 8. Rom.8. ubi dicit, Si filii, ergo & hæredes, hæredes quidem Dei, ſed cohæredes Chriſti. Oſtendit enim hic diſcrimen, quod Chriſtus natura ſit filius Dei, nos autem adoptione per fidem. Nam per Chriſtum efficimur filii Dei, Igitur dicit, Cohæredes Chriſti. *Voluntas viri.*

Sed inquies, Non tractat Deus filios ſuos ut filios. Premuntur enim cruce, & ſævit in eos Satan, & mundus. Recte, hoc enim etiam ad filios pertinet, ut adoptivi filii vero Dei filio ſimiles fiant, qui etiam paſſus eſt mortem & omnis generis calamitates. In his, inquit Paulus, retineamus hanc ſpem, quod ſi compatimur, etiam conglorificabimur. Sumus enim ſalvi facti, ſed ſpe. Spes autem non videtur. Sic Iohannes, Nunc ſumus filii Dei, ſed nondum manifeſtatum eſt, quid erimus. Scimus autem, quod cum manifeſtabitur, ſimiles ei erimus. Hæc conſolatio admodum eſt neceſſaria, ne in calamitatibus ſinamus nobis hanc promiſſionem excuti, quod ſumus Dei filii per Chriſtum. Nam pater filium, quem diligit, caſtigat, &c. Rom.8.

Et congregabuntur filii Iuda & filii Iſrael ſimul, & conſtituent ſibi Caput unum.

Magna fuit calamitas in populo Dei, & initium omnis mali, quod poſt Salomonis obitum regnum diviſum eſt. Ea enim res idolatriæ occaſionem dedit, ſicut hiſtoria oſtendit. Nam cum Ierobeam à decem tribubus, quæ à filio Salomonis defecerant, Rex electus eſſet, ideo peculiares cultus contra verbum Dei, in regno Iſrael inſtituit, ne ſuus populus Ieroſolymam quotannis ad ſacra iret, & per iſtam ſacrorum quaſi ſocietatem, ſe iterum cum rege Iuda conjungeret. Itaq; ſicut regnum ſeu politia, ita etiam ſacrorum ratio in regno Iſrael à regno Iuda differebat. Sed horum conſiliorum quis fuerit eventus, oſtendit hiſtoria. Idolatria enim præcipua cauſa fuit, cur regnum Iſraeliticum everteretur, & populus abduceretur captivus. Ad hoc caput totius mali Propheta hic reſpicit, & conſolatur futurum, ut illa diſceſſio à regno Iuda per Chriſtum pulchre ſanetur. Nam Iuda & Iſrael conjunctis animis & ſtudiis in eandem doctrinam Evangelij conſenſuros, & non, ſicut poſt Salomonem accidit, habituros diverſa Capita, ſed unum regem Chriſtum amplexuros & exoſculaturos. Itaq; poſthac nihil tale metuendum, quod prius accidit, cum hæc regna dividerentur. Idem iiſdem pene verbis dicit Eſaias Cap. 11. Levabit ſignum in Gentibus, congregabitq; ejectos Iſrael, & diſperſos Iuda congregabit, Ephraim non æmulabitur Iudam, nec Iuda anget Ephraim, &c. Eſai.11. *Regnum Iſrael quomodo diviſum ſit à Iuda.*

Inprimis autem notanda phraſis eſt, quod dicit poſituros ſibi unum caput. Hoc enim non dubium eſt, quin filii Iuda & Iſrael, de quibus hic dicit, ſint vera Eccleſia, ſeu populus novi Teſtamenti, qui ex reliquiis Iſraelis & Iudæ, deinde ex Gentibus conſtat. Dicit autem hanc Eccleſiam ſibi poſituram unum caput Chriſtum, Sicut Michas hunc Hoſeæ locum exponit Cap. 2. cum dicit, Rex eorum anteibit eos, & Dominus erit caput eorum. Sic enim rectius vertimus, quod eſt in Ebræo, Va Iehova beroſchom. Satis enim multa exempla ſunt, quod Prophetæ, qui eodem tempore docuerunt, etiam iiſdem verbis ſæpe utuntur, præſertim ubi de Chriſti regno loquuntur, At Paulus, qui in Prophetarum vaticiniis de Chriſto ſingulariter præ aliis videtur laboraſſe, hac ipſa phraſi ſæpe uſus eſt in ſuis Epiſtolis, ut Epheſ. 1. Ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus & plenitudo ejus, qui omnia implet. *Locus Mich.2.* Epheſ.1.

Phraſin Hoſeæ hic agnoſcis,& ſimul cauſam audis,cur Chriſtus dicatur caput, quia habet corpus Eccleſiam,quod alit,gubernat,ornat donis ſuis. In eo autem differt Paulus ab Hoſea,quod Hoſeas de Eccleſia dicit,Poſituram eam ſibi caput unum, Paulus autem dicit, à Deo hoc Caput poſitum ſeu datum, Sed belliſſime hæc conve-
Locus Epheſ.1. niunt. Nam Paulus Dei miſericordiam hic commendat, cujus ineffabili bonitate hoc caput Eccleſiæ contigit, Propheta autem commendat tum fidem, tum confeſſionem Eccleſiæ,quæ paret voci Dei de cœlo ſonanti (hunc audite) & Chriſtum ſolum agnoſcit caput ſuum,per quem vivit,alitur,ſervatur,regitur.Hoc caput firma fide retinet,nec ſe ab hoc capite ſinit abduci. Hanc enim conſtantiam ſignificat Propheta,cum dicit, Et ponent ſibi caput unum.

Romana beſtia vult eſſe caput Eccleſiæ. Nec mihi dubium eſt, quin Propheta iſtam peſtem tempore novi Teſtamenti graſſaturam viderit, quod Romana beſtia ſe toti mundo eſſet pro capite Eccleſiæ commendatura. Recte igitur & prædicatur veræ Eccleſiæ conſtantia, & numeratur inter præcipua dona Spiritus ſancti, quod non agnoſcit plura capita, ſed unum Caput ſibi ponit Chriſtum, quem prædicat unicum & verum fontem omnium donorum,quæ in Eccleſia ſunt. Sed quæ pericula Eccleſiam exceptura ſint,tantum unum caput Chriſtum agnoſcentem,noſtra tempora ſatis oſtendunt. Quia enim negamus Pontificem caput Eccleſiæ eſſe, Chriſtum autem ſolum prædicamus caput noſtrum, qui ſolus ſuppeditat corpori ſuo juſticiam, remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctum, & vitam æternam,anathemati & omnis generis ſuppliciis ſubjicimur. Eſt igi-
Nota præcipua Antichriſti. tur hæc una & præcipua nota Antichriſti,quod Chriſto titulum capitis adimit, & ſe gloriatur caput Eccleſiæ eſſe. Sed quam miſerum caput? Mancipium Satanæ nimirum,Siquidem veram Eccleſiam diris & ferro perſequitur. Quale autem caput,tale etiam reliquum corpus eſt. Nam Cardinales, Epiſcopos, Sacrificulos, Monachos, Nonnas, præter impietatem, quam doctrina & idolatrici cultus habent, etiam vitæ abominanda fœditas deformat,Ac merito.Cur enim non ponunt ſibi verum Caput, per quod benedicerentur omni benedictione ſpirituali? Sicut Paulus dicit Epheſ.1. *Eph. 1.* & eſſent irreprehenſibiles & ſancti in conſpectu Dei per dilectionem. Hæc autem dona veram Eccleſiam invitant, ut & cupide ſe cum hoc capite conjungat,& magno animo hoc Caput contra mundum & portas inferorum confiteatur & prædicet.

Et aſcendent de terra, quia magnus dies Iezreel.

Aſcenſus Eccleſiæ. Quo aſcendent? aut de qua terra? Iudæi expectant reditum in terram Canaan, Sed Hoſeas reclamat, qui jam ante dixit,iſtam ejectionem per Aſſyrium ſine omni miſericordia futuram,hoc eſt,ſine ſpe reditus. Igitur aſcenſus,de quo hic loquitur,is eſt,quod Eccleſia per Chriſtum liberata à regno Satanæ, quod erit regnum mortis & peccati,aſcendet ex hac calamitoſa vita ad meliorem & æternam. De hac ſententia diligens Lector non opinor dubitabit. Quid enim aliud Eccleſiæ expectandum eſt, poſtquam hoc caput Chriſtum eſt adepta, quam ut promiſſionum fiat particeps,quas audit in Evangelio & credit? Sed de phraſi fortaſſe quæret aliquis? Habemus igitur hic interpretem Eſaiam, qui iiſdem verbis utitur Cap.11. & concio- *Eſa.11.* nem de Chriſti regno ſic claudit, Eritq; ſemita reliquiis populi ejus, quæ relinquentur ab Aſſur, qualem habuit Iſrael in die,quo aſcendit de terra Aegypti.

Viſitatum autem eſt Prophetas, cum de regno Chriſti loquuntur, comparare id cum illa ex Aegypto liberatione,Sicut aliquoties in Micha oſtendimus. Ibi enim poſt duram & diuturnam ſervitutem finitam, ac Pharaonem divinitus oppreſſum, nihil reſtabat, niſi ut promiſſionem terræ Canaan conſequerentur. Sicut igitur ad hanc aſcenderunt Iſraelitæ,& proſtratis hoſtibus eam occupauerunt, Ita inquit Propheta,hic fiet,Poſt varia certamina,quæ Eccleſia in hac vita ſuſtinet,aſcendet de terra ſervitutis ad promiſſam patriam,Ratio eſt,quia magnus eſt dies Iezreel. Vtitur autem Propheta hoc in loco nomine Iezreel aliter, quam ſupra in 1. cap. ubi ideo eum Iezreel vocavit,quod Dominus per iram eſſet eum diſſeminaturus in Gentes, Hic
Iezreel. autem vocat Iezreel, quod Dominus per Evangelium eos plantaturus ſit, ut ſint

ſemen

ſemen ſanctum,ſicut paulo ſupra vocavit eos filios Dei viventis. Fuit igitur Iſrael initio ſemen iræ, quia Dominus peccatis eorum offenſus,abjecit eos, Hic autem in novo Teſtamento non ſolum Iſrael,ſed tota Eccleſia eſt ſemen gratiæ. Plantatur enim Eccleſia per verbum Evangelij ab ipſo Deo. Sicut Ioannes quoq; dicit,Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,qui credunt in nomine ejus, & ex Deo nati ſunt. Magnum diem non tantum refero ad tempus ultimi judicij,quo Eccleſia liberabitur ab omnibus malis,Sed ſimpliciter ad totum tempus novi Teſtamenti. Nam quæ in futura vita revelabuntur,ea habet Eccleſia per verbum,& in ſpe etiam in hac vita. Sicut Propheta addit,

1. Ioh. 1. *Magnus dies.*

Dicite Fratribus veſtris (Ammi) Populus meus, & Sororibus veſtris (Ryhamo) miſericordiam conſecuta.

Vide commutationem ſuaviſſimam, Appellavit Eccleſiam priori nomine Iezreel,ſed longe alia ſignificatione. Nam prior diſſeminatio iræ & furoris, Hæc autem gratiæ & miſericordiæ eſt. Ad hunc modum reliqua quoq; nomina, quæ liberis ab irato Deo juſſus eſt indere, Propheta nunc convertit, ut ſtatuat Eccleſia, quæ Chriſtum Caput agnoſcit, omnia nunc mutata eſſe, nullam reſtare iram, ſed patere jam illas miſericordiæ Dei divitias inexhauſtas. Quomodo enim poſtquam filium dedit,non omnia dedit cum eo? Sicut autem ſupra quoq; dixi,Verbum Imru(dicite) pertinere ad publicum miniſterium, Ita hic quoq; ſtatuamus miniſtris Evangelij in novo Teſtamento hanc vocem divinitus eſſe mandatam, ut credentes conſolentur, ac pronuntient eos eſſe populum Dei, & in gratia. Non enim propter peccata credentes accuſabit Deus, ſiquidem juſtificati ſunt fide in Chriſtum, Non condemnabit,ſiquidem Chriſtus pro eis mortuus eſt, Imo & reſurrexit, ac ſedet ad dexteram Patris,interpellans pro nobis. Hæc cum ita eſſe teſtetur Apoſtolus Rom.8.quid quæſo aliud in Eccleſia poteſt doceri, quam quod Propheta hic jubet,quod tales ſint populus Dei,& miſericordiam conſecuti?

Rom. 8. *Miniſterium novi Teſtamenti.* Rom. 8.

Sed inquies, Quid neceſſe fuit hæc repetere, quod ſupra dixit, Vos filii Dei viventis? Reſpondeo, Satis id quidem erat. Nam ſicut diximus,complectitur totum illud pondus beneficiorum & gloriæ, quæ credentibus per Chriſtum contigerunt, Sed hanc fiduciam ſentimus ſæpe nobis excuti. Sicut Paulus in hoc ipſo loco,quem paulo ante citavimus,ſatis oſtendit.Eccleſia enim affligitur,angitur,perſecutionibus ſubjicitur, eſurit,nuda eſt,periclitatur,occiditur. Hæc omnia videntur Eccleſiæ non tanquam populo Dei ſeu filiis accidere, ſed tanquam hoſtibus & inimicis Dei.

Itaq; hic aſſidua cohortatione opus eſt,ne abjiciat animum,& ſe deſertam aut à Deo projectam exiſtimet, ſed ut retineat pertinaciter hanc conſolationem, ſe eſſe populum Dei,eſſe in gratia, habere miſericordem & faventem Deum. Hæc quia in tentatione difficulter creduntur. ideo Propheta, ſeu potius per Prophetam Deus mandat,ne in Eccleſia hæc vox taceatur, Ammi Ryhamo, Eſtis populus meus, veſtri miſertus ſum, non abjiciam vos, non imputabo vobis peccata, non relinquam vos orphanos,non ſinam vos perire in tentationibus,non objiciam vos morti & Satanæ, quia eſtis meus populus, & ego miſertus ſum veſtri. Nam quod affligimini,fit veſtro commodo, ut expurgetur & mortificetur in vobis peccatum, ut cumulemini gloria tanquam ſtrenui milites,ut creſcat in vobis Fides, ut invocetis me, ut glorificetur in vobis nomen meum, ut mea virtus in veſtra infirmitate perficiatur, ut filio meo vos conformes faciam,primum in cruce,deinde etiam in gloria. Sic pulcherrime conveniunt conciones Prophetarum & Apoſtolorum, quæ omnes eo tendunt, ut Eccleſia per Chriſtum conſolationem habeat & ſalvetur.

Eccleſiæ conſolatio.

Iudicate matrem veſtram, judicate, Quoniam ipſa non eſt uxor mea, nec ego maritus ejus.

Poſtquam Propheta magnifica concione illas inexhauſtas divitias miſericordiæ Dei, in novo Teſtamento per Verbum omnibus offerendas, prædicavit,

Convertit se ad reliquias veteris populi, & concionatur de Synagoga, quæ repudiato Christo, ex Lege sperabat remissionem peccatorum & vitam æternam. Est autem hæc de Synagogæ peccatis & pœnis necessaria concio, non solum propter eos, qui convertendi erant ad Christum ex Iudæis, Sed etiam propter credentes, ne hoc scandalo impiæ multitudinis commoti, deserto Christo ad Synagogam & Mosen redeant. Simeon in Evangelio vaticinatur, Christum fore in ruinam & resurrectionem multorum in Israel. Qui enim eum amplectuntur & in eum credunt, his est in resurrectionem, Nam liberati per Christum à peccatis, retinent spem vitæ æternæ, Qui autem non credunt, his est in ruinam. Qualis autem ea ruina sit, præsens concio Prophetæ ostendet, ad confirmandos credentes admodum necessaria, ne offendantur ista Synagogæ pertinacia, Sed potius gratias agant liberatori suo Christo, per quem ab istis tum peccatis, tum pœnis liberati sunt, in quibus Synagogam pertinaciter pergere & perire vident.

Vaticinium de Synagoga in cuius gratiam pertineat?

Luc. 2.

Locus Psa. 45.

Ad hunc modum Psalmus 45. postquam de Christo rege & Ecclesia, per sponsum Christum egregie ornata, concionatus est, addit exhortationem similem, Audi filia, vide, & inclina aurem tuam, hoc est, sis intenta in verbum Evangelij, id retine, nec te patiare ab eo abduci, obliviscere populi tui, & domus patris tui, hoc est, cave, ne cum Synagoga te conjungas, quæ Evangelium abjicit & persequitur, discede ab ea, & obliviscere istius conjunctionis carnalis, quæ inter vos fuit, priusquam venires ad cognitionem Christi. Hanc Prophetæ vocem Paulus secutus est, cum ad Philip. 3. dicit se omnia pro stercoribus habere, præ illa eminenti cognitione Christi & justiciæ ejus. Ac Propheta hoc in loco jubet, ut reliquiæ credentium ex Iudæis tali animo sint erga incredulam Synagogam. Præcipit enim, Iudicate matrem vestram, judicate. Ebræum verbum (Ribu) etsi μίσου est, tamen durius significat, c in malam partem accipitur. Complectitur enim & accusationem & damnationem, sicut etiam utrunq; Propheta hic facit, accusat peccatum, & pœnas minatur.

Phil. 3.

Vbi autem, inquies, manet hic reverentia erga parentes? Nam filii jubentur matrem accusare & damnare. Nec levia crimina sunt, quæ Propheta hic commemorat. Non, inquit, est uxor mea, nec ego maritus ejus. hoc est, est adultera. Notum autem est, quid Propheta vocet adulterium. An non igitur parentibus ille honor habendus est, ut tegantur eorum peccata? Cur igitur Propheta hortatur Ecclesiam, ut arguat peccatum matris, & id libere reprehendat? Respondeo, Debetur parentibus honos, sed sic, ne dum parentes honoramus, Deus afficiatur contumelia. Nam præceptum de colendo Deo, ordine prius est, illud de parentibus posterius. Pertinet autem ad gloriam Dei, reprehendere peccata, ac præsertim impios cultus, quibus Deus contumelia afficitur. Recte igitur facit Ecclesia, quæ non connivet ad adulterium matris, sed libere eam traducit. Etsi enim hoc fit cum contumelia matris, tamen felix contumelia illa dicenda est, quæ cum salute animæ conjuncta est. Reprehenditur enim peccatum, ut emendetur, & accusatur Synagoga, ut resipiscat, nec pergat Deum contumelia afficere, & sibi accersat exitium.

An parentes liceat accusare.

Cur

Sed hæc ipsa causa est ingentis odii & invidiæ, qua Ecclesia omnibus temporibus gravatur. Augustum enim est nomen Matris. Et beneficia educationis merito prædicantur à parentibus. Apud liberos autem recte in admiratione sunt. Itaq; Synagoga jure sibi queri visa est de injusta desertione filiorum, quos in veteri cultu divinitus instituto & mandato educavit & instituit, ut mater, ac jus docendi existimavit non sine gravi sua injuria à filiis contra matrem usurpari. Sicut Pontifex hodie & autoritate, quam in Ecclesia habet, nos premit, & non vult redigi in ordinem à nobis, Sed accusat nos injustæ desertionis, Sibi autem splendidissimum hunc titulum sumit, quem hic Propheta Synagogæ tribuit, dum matrem vocat.

Cur autoritati Papæ non parendum.

Ac Sycophantæ Pontificij in eo sibi palmarium putant positum, si autoritatem Ecclesiæ verbis in cœlum usque tollant, & illa veteris disciplinæ vincula commendent simplicibus. Dicite, inquiunt, Si vos estis Ecclesia, unde cœpistis esse Ecclesia? An non in Papæ Ecclesia estis baptizati? Cur igitur nunc ab ea discedistis?

Cur

Cur tanquam filii parentem vultis docere? Quin potius à parente diſcite,& ei obedite,niſi vultis eſſe ingrati filii. Hæ Papiſtarum voces ſunt, quibus nos putant obrui poſſe,At ſi Prophetas reſpicimus, hæc ipſa cauſa fuit, cur Synagoga ab Apoſtolis doceri nollet,& vellet parci honori ſuo. Propheta autem hoc in loco diverſum jubet,ut accuſetur mater à liberis, nulla habita ratione ſingularis in ſpeciem prærogativæ, quod mater eſt.

Itaq; hic regula Petri tenenda eſt, Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus. Amplectatur Synagoga Chriſtum, agnoſcat per eum ſolum accipi remiſſionem peccatorum & vitam æternam,& exoſculabuntur eam filij,ac omni genere honoris & officiorum eam cumulabunt. Sic Pontifices & Epiſcopi deſinant Evangelium perſequi & blaſphemare, Curent Eccleſiis veros Doctores,impios autem & idolatricos cultus amoveant, & reſtituant puros & veros cultus, tum non deerunt eis noſtra officia. Agnoſcemus eos tanquam parentes noſtros, & parebimus libenter ipſorum autoritati,quam verbo Dei videmus communitam. Sed quia perſequuntur Evangelium,ac idolatriam retinent, non tanti apud nos Parentis nomen eſſe debet, ut ideo Chriſtum negemus,& nos cum idolatricis conjungamus, Deo potius obedimus, qui jubet audiri Filium, & non ſolum nos ab idolatris ſejungimus, ſed libere quoq; recuſamus autoritatem eorum, & idolatriam traducimus, ne exemplo eorum offenſi imperiti inducantur in errorem. Act. 5.

Meminerimus itaq; à Spiritu ſancto mandari hoc in loco judicium, Iudicate, inquit,hoc eſt,accuſate & damnate. Quos? Matrem veſtram. Atqui parentibus debetur honor? Verum id eſt,ſed huic matri non debetur, quæ non ſolum turpis adultera eſt,ſed etiam ad adulterium vult cogere liberos ex ſe natos. Igitur matris titulus non vos impediat, Damnate eam,& dicite,quod non ſit mea uxor, neq; ego maritus ejus. Hæc eſt excommunicationis ſententia profecto horribilis, ſi eam evolvas diligenter,& conferas cum iſta opinione,quam mater inter liberos vult retinere. Synagoga enim hunc titulum etiam ferro & igni tueri voluit, quod eſſet populus Dei, contra,Apoſtolos damnavit tanquam nocentiſſimas peſtes. Iubentur autem hic liberi damnare matrem, & excommunicare quod non ſolum non ſit Dei uxor,ſed turpis Satanæ adultera.

Sic Pontifex uſurpat nomen Eccleſiæ,nos autem damnat tanquam hæreticos, Hanc blaſphemiam nullo modo vult diſſimulari Spiritus ſanctus, ſed vult libere pronuntiari à nobis,quod Pontifex cum ſuis ſit Satanæ Eccleſia. Siquidem Evangelio ſe opponit,& ſtatuit aliam juſticiam,quam quæ eſt per filium Dei. Hic dupliciter offenditur Eccleſia Satanæ. Primum non poteſt ferre hanc de ſe ſententiam. Secundo non vult talem ſententiam ab iis ferri, quorum ſe parentem eſſe videt. Itaq; movet pugnas & hanc injuriam varie conatur ulciſci. Sed vera Eccleſia non poteſt abjicere mandatum Dei,Itaq; cogitur pronuntiare contra Matrem hanc de adulterio ſententiam, quod iſta religio, quam ſequitur, nihil ſit niſi fœda Idolatria, quam Propheta adulterio comparat,propter cauſas ſupra dictas.

Pontifex cum ſua Eccleſia excommunicandus.

Eccleſia Satanæ.

> *Deponat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua ab uberibus ſuis, ne penitus denudem eam, & ſtatuam eam, ut ſit ſicut eo die, quo nata eſt, & ponam eam ſicut deſertum, & ponam ſicut terram deſolatam, & eam ſiti enecem.*

Hæc eſt altera pars ſententiæ, in qua non tantum commemorat peccatum, ſed etiam pœnas,quæ profecto horribiles ſunt,ac ita convenimus cum eventu, ut etiam nolentes volentes agnoſcamus judicium Dei ſuper incredulam Synagogam. Particula,Mi poneha,à facie ſua. Ebræis uſitatiſſima eſt, Hoc autem in loco certa ratione videtur poſita. Sicut poſt etiam additur,Miben ſcadeha,ab uberibus ſuis. Significat enim & oculis ſeu facie & uberibus abuti ad adulterium. Recte autem oculos transferimus ad fiduciam, quæ Deo debetur, ſed ab idolatris transfertur ad creaturas. Deinde ubera ad alendum fœtum fœminis ſunt donata. Igitur ſignificant doctri-

Peccata & earum pœnas commemorat.

A facie ſua.

Oculi.

Vbera.

Digitized by Google

nam ſeu verbum. Pertinent autem hæc ad deſcriptiones adulterij & fornicationis, de qua Propheta dicit. Nam poſtquam diſceſſum eſt à Deo & fiducia translata in creaturas (Sic enim voco cultus, quos ipſi nobis ſine verbo Dei fingimus) poſtea ſequitur, ut etiam verbum depravent impii, & ſic ubera ſua conferant ad adulterium, Sed quæ pœna conſequetur tandem.

Pœna contempti Evangelii apud Iudæos. Locus Eze. 16.

Primum eſt, quod minatur Dominus, ſe eam penitus denudaturum, & poſiturum, ut ſit ſicut eo die quo nata eſt, Ex hoc Hoſeæ loco videtur Ezech. præclara illa concio nata cap. 16. Radix tua & generatio tua de terra Canaan, Pater tuus Amorræus & mater tua Cetthea. Quando nata es in die ortus tui, non eſt præciſus umbilicus tuus, nec es lota aqua ad ſalutem, nec ſale ſalita, nec involuta pannis, &c. Nam hunc populum ex ſolitario Abraha ortum, qui ex gentilitate & Idolatria vocatus eſt, quomodo ornaverit Dominus regno & ſacerdotio ſeu cultu notum eſt. Hæc ornamenta, inquit, propter idolatriam tuam amittes. Redigam enim te in ordinem, & abjiciam, ut ſis, ſicut alii populi, qui non Deum, non cultum Dei habent.

Secundo, ponam te ſic nudatam omnibus ornamentis, in ſolitudinem, ut ſis ſicut terra deſolata, quæ habitari nequit. Hic ſignificat populum hunc, poſtquam cultum & regnum amiſerit, fruſtra poſtea tentaturum, ut emergat iterum. Sicut Daniel quoq; dicit cap. 9. Civitatem & ſanctuarium vaſtabit populus cum Duce venturo, & finis ejus erit, quaſi inundatio, & poſt finem belli definita deſolatio, hoc eſt, Sicut à Romanis populus hic opprimetur, ita manebit & ſtatutum eſt, ne unquam poſthac emergat. Itaq; varie tentarunt fortunam, ſed fruſtra. Poſiti enim ſunt ſicut hoc loco bis minatur, ut maneant tanquam deſolatus & inhabitabilis locus. *Dan. 9.* *Pſal. 69.*

Tertium eſt, quod etiam ſiti hunc populum perdet. Hoc proprie pertinet ad excæcationem ſpiritualem, quod ſicut David dicit, Menſa eorum eis eſt in laqueum. Grave eſt ſic vaſtari hunc populum, ut nulla ratione poſſit reſtaurari, Sed longe gravius eſt, in tot calamitatibus etiam conſolatione omni carere, ſicut Iudæis accidit. Studioſe enim hoc agunt, ne intelligant prophetias de Chriſto, ac in id incumbunt, quomodo veram Scripturæ ſententiam cavillationibus poſſint obruere. Hæc eſt illa ſitis, quam Amos fami comparat, non panis, ſed Verbi. Sicut econtra, qui Chriſtum ampleƈtuntur, & in eum credunt, in illis naſcitur fons aquæ ſalientis in æternam vitam. Hac aqua qui carent, hos perire neceſſe eſt, ſicut exemplum Iudæorum ante oculos eſt, Sed nondum finis. Nam addit,

Fames Verbi.

Et filiorum ejus non miſerebor, quoniam ſunt filii ex fornicatione nati. Nam mater eorum fornicata eſt, & parens eorum turpiter ſe geſſit.

Pœna in poſteritatem. Filiæ fornicationis.

Hæc eſt quarta calamitas, quod pœna etiam in poſteritatem derivabitur. Vocat enim filias fornicationis poſteritatem, quæ Synagogæ impietatem ſequitur. Hæc cum peccatis etiam pœnæ hæreditatem ſortitur, ſicut videmus ante oculos. Volunt Iudæi Majorum ſuorum eſſe ſimiles, Chriſtum blaſphemant, omnes vias obſtruunt, quibus poſſunt duci ad cognitionem Chriſti, ſuis Doƈtoribus plus fidei tribuunt, quam ipſi Scripturæ, Prophetarum teſtimonia de Chriſto non ſolum ſceleratè eludunt, ſed prorſus rejiciunt. Nullum enim invenies Iudæum, qui Prophetarum autoritatem ſequatur. Manent igitur in eadem cæcitate, & portant eandem pœnam cum matre, in iiſdem enim peccatis permanent.

Quia dixit, Sequar amatores meos, qui mihi dant panem meum, aquas meas, lanam meam, linum meum, oleum meum, & potum meum.

Evangelium abjiciunt homines propter lucrum.

Hoc Synagogæ peccatum Propheta in hoc loco non ſemel reprehendit, ſicut ſequentia oſtendunt, quod ſcilicet Synagoga putabat illum Evangelij & Chriſti neglectum profuturum ad retinendum regnum & corporalia commoda, Sicut Iohannes oſtendit capite 11. in publica deliberatione hoc caput fuiſſe, Si dimitterent Ieſum, futurum, ut omnes crederent in eum, ac tandem venirent Romani, & tollerent Gentem & loƈum ipſorum. Clarius autem hoc ipſum proponit Chriſtus in parabola

de cæ-

de cœna magna, ubi convivæ invitati cœnam negligunt, quod cura agrorum, boum & nuptiarum potior eis videretur. Quis autem non miretur extremam cæcitatem? Idolatriam & mendacem doctrinam judicant felicem fore, Contra, si veram doctrinam amplecterentur, metuerent, ne fame esset pereundum. Sicut Ierobeam Idolatriæ pater, tum se regnum retinere posse sperabat, si verum cultum aboleret, & institueret novos cultus.

Hodie quoque quam putamus causam, cur retineant tam pertinaciter impios cultus Papistæ, nisi quod vident eos conjunctos cum opibus & dignitate? his metuunt, si sanam doctrinam amplectantur, Quasi vero, aut Deus nolit dare panem Ecclesiæ suæ, aut satius sit à Satana eum petere. Novi hominem nobilem, qui cum ampliſſimos reditus non ex uno Canonicatu haberet, à familiari pio & erudito viro admonitus forte in mensa est, ut se quocunque modo ex hoc vitæ genere evolveret, in quo ne quidem recte sentire de religione esset tutum. Ibi ille, commonstrans digito delicatiorem panem, & vinum, quod præstantissimum tum appositum erat. Hæc, inquit, sunt quæ faciunt, ut hoc vitæ genus deserere non libeat. Agnoscis, quod sicut Propheta de Synagoga hic dicit, Ita Canonicus iste panem & vinum idolatriæ præmia judicabat, & ideo eam nolebat abjicere. Ac profecto postea majus præmium hujus impii sui animi tulit. Nam etiam Episcopus est factus, ad quam dignitatem nunquam veniſſet, si sui ordinis idolatriam & impietatem reprehendere, & cum Christo se conjungere, ac Evangelium amplecti voluisset.

Quid autem de his dicas aliud, quam quod Paulus dixit, Deum eorum esse ventrem? Hunc respiciunt in suis cultibus, Huic quicquid aut commodum aut incommodum est, hoc vel sequuntur vel fugiunt, nulla plane habita ratione verbi & filii Dei, de quo tamen norunt divinitus mandatum, quod audiri debeat. Profecto toto animo cohorresco, cum video Papistarum peccata sic congruere cum Israelitici populi peccatis. Quis enim non metuat idem periculum etiam Germaniæ impendere?

Quare, ecce ego intercludam vias tuas spinis, & sepi obsepiam, ne inveniat semitas suas, Sectabitur ergo amatores suos, & non assequetur, quæret eos, & non inveniet.

Repetit hic pœnas, sed aliis figuris. Quia enim impii quanto calamitati propiores, tanto etiam securi magis sunt, non satis est eos admonuisse semel, etiam millies repetitas minas tamen contemnunt. Vtitur autem Propheta belliſſima figura. Similitudo de adultera ostendit ardens desyderium, quo Satan idolatrarum animos accendit. Vere enim nullum scortum sic ardet libidine, sicut qui à vero cultu discesserunt, studio idolatriæ cumulandæ & promovendæ ardent. Cum igitur nulla ratione possint revocari in viam, quanto enim te eis oppones vehementius, tanto ardentius urgent cultus suos. Ideo minatur Deus, se intercluſurum eis viam, hoc est, per externum hostem coacturum, ut ab idolatria desistant. Nihil Christus, nihil Apostoli potuerunt proficere apud Iudæos. Sed postquam Romani Templum & civitatem æquarunt solo, ibi sacrificia & cultus suos, quos Evangelio pertinaciter oppoſuerant, coacti sunt intermittere. Cum enim studium idolatris eximi non possit, siquidem verbo parere nolunt, facultas tali ratione adimi potest, ut currentes non apprehendant, & quærentes non inveniant amatores suos.

Idolatriam comparat adulterio.

Hanc pœnam etiam Episcopi Germaniæ urgent, Nullum faciunt finem impiarum Missarum, nihil minuunt de idolatricis aliis cultibus, Pergunt adhuc hodie commendare suis infinitas superstitiones benedictæ aquæ, salis, &c. Admonentur quidem de his per verbum, sed frustra, Quid igitur expectamus aliud, quam ut Turca aut alius Barbarus hostis veniat, & evertat omnia. Hæc sola sepes est, qua via eis ad superstitionem occludi potest. Misera Pannonia septennalia vota habuit, quæ persolvit Idolo Mariæ, quod ad Aquas cultum est. Nonne autem occluſa jam eis via est, dum à Turcis oppressi, vitam, fortunas, & omnia amisere? Hæc idolatriæ merces est.

Episcopi Germaniæ.

Pannonia.

Digitized by Google

Sed mundus non prius hæc credit,quàm experiatur. Itaque qui moniti reſipiſcere nolunt,pergant. Nos autem decet tanto diligentius urgere veros cultus, & omnes occaſiones idolatriæ cavere,ne in eadem pericula involvamur.

Vt dicat, Vadam & revertar ad maritum meum priorem, apud quem melius habebam quam nunc.

Deus pœnas bono conſilio infligit.

Inſignis particula eſt. Docet enim,quòd Deus,etiam cùm peccata punit, eo conſilio punit,ut peccatores revocet ad pœnitentiam, & reducat in viam. Sicut Paulus quoque Corinthiis concionatur, Cùm judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Hæc ſententia tanto eſt inculcanda nobis diligentius, quanto rationis judicium longius ab ea diſſentit. Nam poſtquam conſtat punire Deum peccata,ratio eam pœnam judicat ſine omni miſericordia eſſe. Itaq; abjicit animum & deſperat. Sed Prophetam hîc audi. Peccatum Synagogæ profectò grave & horribile eſt,pœna quoque eſt horribilis. Sed cur eam infligit Deus? Nimirum,ut admonita calamitatibus redeat ad Deum ſuum, & iterum ſe cum eo conjungat. Rectè igitur David calicem Domini appellat,calicem ſalutis. Nec ſolum Sanctis ſalutis calix eſt, qui ſæpè affliguntur præter meritum,ſed iis quoque,qui propter peccata caſtigantur. Deus enim non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat,ut ſicut à Deo diſceſſimus, ita rurſus cum Deo per veram pœnitentiam & fidem conjungamur.

Pſal. 31.

Ezech. 18.

Hanc ſententiam afflictis inculcare utile eſt, ut poſtquam peccatum negare non poſſunt,cujus eos pœna admoner,hanc tamen conſolationem retineant,Deum punire,non ut abjiciat, ſed ut ad ſe revocet, & tanquam benignus pater remedia quærat,ne inobedientem filium ab hæreditate cogatur excludere. Horribilis hodie miſeræ Hungariæ facies eſt,ſed utinam contingant Hungaris pii doctores, qui eos admoneant Deum hoc agere, non ut abjiciat eos, ſed ut admoneat veteris idolatriæ,& hoc modo ab Idolatria ceſſare faciat. Precentur peccatorum veniam, & ſperent ſalutem per Chriſtum.

Hungaria.

Auſtria.

Vicina Auſtria videt,quid ſibi expectandum deinceps ſit. Vtinam autem cogitet,& ſtatuat hæc eſſe præmia idolatriæ tam diu defenſæ, & innocentis ſanguinis, qui effuſus eſt paſſim, dum ſævitur in eos,qui puram doctrinam Evangelii profitentur,& abuſus Pontificios damnant. Vtinam admonita præſentibus calamitatibus diſcat eam religionem,quam hactenus pertinaciter retinuit, horum malorum cauſam eſſe,& amplectatur Verbum,ac Eccleſias verè inſtituat,abjectis inutilibus & ſuperſtitioſis cultibus.Sed ſicut apud Synagogam fruſtra fuerunt hæc omnia,ita quoq; periculum eſt,nos fruſtra concionari adverſariis noſtris.

Sed ipſa non intelligit, quod ego dederim ei frumentum,muſtum, & oleum, ac multiplicaverim ei argentum & aurum. Ideo eo abuſi ſunt ad cultum Baal.

Conſilium Dei bonum & ſanctum eſt, ſed impia caro non paret, non abolet impios cultus,ſed auget,non agit pœnitentiam,ſed ſecura in peccatis pergit, Sicut etiam Eſaias in 1. cap. queritur, Super quo percutiam vos ultra? Siquidem additis prævaricationem. Intueamur autem noſtra quoque tempora.Horribiles & quotidianæ pœnæ,quæ undique ingruunt,non frangunt adverſarios, Itaque crudelitatem, qua contra Eccleſiam uſi ſunt,non abjiciunt, nec ad verbum advertunt animum, & ſumma pertinacia,quæ reprehendi in ſuis cultibus norunt,retinent ac defendunt.

Eſa. 1.

Merito igitur intuentur hic pii in longanimitatem Dei, & ea ſe conſolantur. Siquidem etiam in malos Deus eſt beneficus, & non ſolum cumulat eos bonis, ſicut Dominus hic dicit,Se dediſſe idolatris Iudæis frumentum, muſtum & oleum, ac multiplicaſſe eis aurum & argentum,Sed etiam cùm punit ingratos, pœna eo conſilio immittitur,ut diſcant agnoſcere Deum,& convertantur ad Deum. Sicut autem caro cæca eſt,& conſilium Dei punientis non videt, Ita etiam non animadvertit ex

quo

quo fonte tantum beneficiorum flumen promanat, Accepta enim fert omnia idolatriæ & idolis, in quibus ornandis & colendis poſtea non ſolum ſtudioſa, ſed etiam immodice prodiga eſt. Sicut etiam Papiſtarum exemplum oſtendit.

Poſtrema particula mire brevis eſt(Aſu la Baal)fecerunt ad vel pro Baal. Sed non dubium eſt,quin Propheta hoc velit dicere,quod Idolatræ Iudæi auro & argento abuſi ſint ad cultum Baal, Siquidem exiſtimaverunt hæc cultus ipſorum præmia eſſe.Sed hic naſcitur quæſtio, Hiſtoriæ oſtendunt cultum Baal tempore Iudicum ſub Gedeone cœpiſſe,& ſub Ioſia deſiiſſe.Si igitur hoc in loco Propheta agit de Synagoga per Romanos vaſtanda, quomodo cultus Baal meminit jam olim penitus ſublati? Reſpondetur,Nomine Baal in genere omnem idolatriam ſignificari. Non enim vocabulum Baal tantum Dominum ſignificat, ſed fere accipitur pro adamato, ſicut in germanico vocamus Ein Buln/cum ſignificamus inhoneſtum amorem. Vſitatum autem huic Prophetæ eſt, idolatriam comparare cum ſcortatione & adulterio. Nec inepta etiam hoc loco ſententia eſt,faciunt Baal ex auro & argento,ut non intelligas tantum ornatas ſtatuas Baal auro & argento, ſed ſimpliciter abuſos Iudæos opibus ad idolatriam ornandam.Sic infra dicet,Auferam nomina Baalim,hoc eſt, non colet idola, Sed dicet, marite mi. Complectitur igitur nomen Baal in genere omnem idolatriam, quæ propriè eſt turpis & fœdus amor, translatus à Creatore ad creaturas. *Baal.*

Si quis tamen hanc ſententiam complecti nolet, quæ incommodi nihil habet & cum Grammatica convenit, is hoc modo patietur ſibi ſatisfieri, ut hunc locum in-
Matth.23. telligat,ſicut illum Matth.23. cum Chriſtus minatur Phariſæis, & toti Synagogæ, ac dicit, venturum ſuper eos ſangvinem omnium occiſorum ab Habel uſq; ad Zachariam. Certe Iudæi,qui tum erant, Habelem non occiderant,& tamen ſangvinis ejus pœnas luunt, quia ſe cum impio Cain conjungunt, & perſequuntur pios doctores. Ad hunc modum idolatræ Iudæi,hoc eſt,perſecutores Evangelij,etſi Baal non coluerant,tamen eodem Idolatriæ peccato tenebantur,ponentes fiduciam in cultus & ſacrificia ſua,& Chriſtum abjicientes. Quod ſi ad hunc modum hæc transferas ad Synagogam, Chriſti & Apoſtolorum tempore Evangelium damnantem, grande hoc convicium eſt,ſacrificia & alios cultus legales appellare cultum Baal,hoc eſt, ſtatuere,quod tam Deus eos abominetur,atq; idoli Baal cultum abominatus eſt. Et tamen revera ſic eſt,Siquidem quod non ex fide eſt,eſt peccatum, Et qui filium Dei non ha-
1.Ioh.4. bet,non habet vitam æternam, 1.Iohan.4. *Cultus Baal.*

> *Quare auferam rurſus frumentum meum in tempore ſuo,& muſtum meum certo ſuo tempore,& lanam meam eripiam,ac linum meum,quo velavit pudenda ſua.*

Hic tandem finis eſt,ad quem impietas tendit,& cogit Deum,ſua natura bonum,mitem,patientem & ignoſcentem,ut ſit durior. Nam qui bonitate Dei abuti non deſinunt,in hos quomodo poteſt Deus diutius eſſe beneficus? Frumentum,muſtum,lanam & linum,hoc eſt,panem quotidianum,pacem & omnia,quibus hæc corporalis vita opus habet, Deus etiam malis donat, ut agnoſcant eum & ejus bonitati fidant, ac acquieſcant voci ejus.

Sed Iudæorum exemplum vide. His donis abuſi ſunt ad tegendam ignominiam ſuam ſeu impietatem.Voluerunt enim ex iſto ſucceſſu probare aliis,quam Deo eſſent curæ, cum tamen turpes idolatræ & Propheticidæ eſſent. Sicut Pontificii ſuperiorum temporum commoda nobis objiciunt,tanquam certum argumentum veræ & puræ religionis. Præſentia autem incommoda,quæ ſuperioris idolatriæ,& præſentis ingratitudinis & contemptus pœnæ ſunt, dicunt ex Evangelij noſtri doctrina enata, quam tanquam noxiam damnant,& omnibus conantur inviſam reddere. Vere igitur mundus inſanabilibus malis urgetur, nam plagis non emendatur,& beneficiis Dei turpiter abutitur. Quid igitur aliud faciat Deus, quam ut malos male perdat,& omnia commoda tandem eripiat,ut cogantur vel inviti deſiſtere à peccatis? *Impii irrisores Dei abutuntur.*

Sed

Dives, Luc. 16.

Lazarus.

Sed hæc quoq; privatorum exiſtimemus peccata eſſe. Dives apud Lucam in ſummis deliciis, in re bona ac lauta eſt, Nec tam præſentium bonorum uſu delectatur, quam quod putat ea eſſe præmia juſticiæ. Se igitur beatum judicat, Econtra Lazarum afflictum contemnit, tanquam Deo inviſum, & qui peccatis ſuis coegerit Deum ad tam acerbos cruciatus infligendos. Securus itaque pergit in hypocriſi, & verorum cultuum Dei penitus obliviſcitur. Non cogitat hoc præcipue faciendum ſibi, ut primum Deo gratus ſit pro benedictione illa corporali, hoc eſt, ut diſcat fidere bonitate Dei, ac ejus verbo parere. Deinde, ut utatur bonis non ad ſuas voluptates tantum, ſed ad aliorum inopiam ſublevandam. Itaq; cogit Deum ſicut Propheta hic loquitur, ut iratus repetat frumentum, muſtum, lanam ac linum, & nudum proponat ſpectandum aliis, quod non fuerit Deo charus nec gratus.

Creatura liberantur ab abuſu, cum eripiuntur impiis.

Vſus autem eſt Propheta mire ſignificanti verbo. Non enim ſimpliciter ſonat eripere, ſed (Hizalthi) liberabo. Id quod Paulus imitatus videtur, cum dicit Rom. 8. Ipſa autem creatura liberabitur à ſervitute corruptionis. Nam quæ Deus condidit, omnia bona ſunt, & ad hominis uſum condita. Iſta autem creaturarum quaſi captivitas eſt, quod ſervire coguntur impiorum abuſibus. Sic lana & lino abuſi fuerant ad tegendam turpitudinem ſeu impietatem ſuam idolatræ. Ex hac ſervitute, inquit Dominus, liberabo lanam & linum meum, hoc eſt, auferam impiis hominibus dona hæc, ne iis amplius poſſint abuti ad hypocriſin & idolatriam ornandam, Hanc liberationem videmus, cum Dominus Tyrannis eripit regna, cum avaris opes, robuſtis vires, & aliis alia dona adimit. Quia enim non niſi abuti illis impii volunt, merito eripiuntur eis. Qui hiſtoriam Iudaici belli legunt, vident quomodo frumentum, muſtum, lanam & linum Synagogæ eripuit Dominus. *Rom. 8.*

Et nunc detegam turpitudinem ejus, in conſpectu Amatorum ejus, nec eripiet eam quiſquam ex manu mea.

Hic demum rectè ex eventu judicium ſumitur. Sinit enim Deus etiam pios affligi in hac vita, ſed habet afflictio modum, & ſicut Chriſtus promittit, vertitur triſticia piorum in gaudium. Sed cum impios Dominus viſitat, qui in peccatis ſecure pergunt, ſic obruuntur malis, ut finis nullus ſit calamitatum. Cur enim tempus, quod Dominus ad pœnitentiam conceſſit, præmittunt ſine omni fructu, & hoc tantum agunt, ut ſibi cumulent jram? Retinet autem Propheta hic ſimilitudinem de adultera, ſiquidem amatorum meminit. Nihil autem opus eſt definire, qui ſint iſti amatores. Propheta enim ſimpliciter hoc vult dicere, futurum, ut illæ infinitæ calamitates toti mundo hujus populi pertinacem impietatem patefaciant, & ex illa mirabili ruina agnoſcant omnes cultum, quem Synagoga contra Evangelij doctrinam retinuit, meram eſſe abominationem coram DEO. *Ioh. 16.*

Impiorum pœna ſine fine.

Vocabulum (Nebala) utrunq; complectitur peccatum & peccati pœnam, confuſionem. Indifferens igitur eſt, ſive ſtulticiam ſeu turpitudinem & confuſionem vertas, ubi idolatras eventus confundit, ut ſentiant tandem ſe vanis præſidiis eſſe nixos, ſiquidem inſanabilibus malis circumveniuntur.

Et ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolennitatem ejus, Neomeniam ejus, Sabbatum ejus, & omnia ſtata feſta ejus.

Abrogatio Legis.

Poſtquam omni genere calamitatum circumventi ſunt, etiam hoc malum accedit, ut religionem & cultus Dominus damnet & abjiciat. Si enim Sabbata, ſi Neomeniæ, ſi cætera ſtata feſta caſſabunt, quid retinebunt ex legalibus cultibus? &c. Ergo Propheta hic minatur abolitionem legis ſeu legalium cultuum. Non autem ſimpliciter in factum intueri debemus. Nam etiam Gentilium cultus interciderunt. Sed poſtquam legales cultus, hoc eſt, divina voce mandatos & inſtitutos Propheta abolendos eſſe vaticinatur, nonne hoc clarum argumentum eſt, per legis opera non impetrari juſticiam? Quanto autem difficilius fuit, præſtare Decalogi opera, quam Ceremonias & ſacrificia obire, tanto minus per Decalogum quoque ſperari poteſt juſticia.

ſticia. Ergo ſimiles loci omnes, qui de abrogatione legis loquuntur, ad hanc doctrinam accommodandi ſunt, quod per opera non poſſit ſperari juſticia, ſed ſola fide remiſſionem peccatorum accipi & nos juſtificari.

Quis igitur, inquies, ſacrorum legalium uſus fuit, aut cur mandavit ea Deus? Nimirum, ut Eccleſia haberet externum cultum, in quo declararet ſe agnoſcere Deum, & obediret voci ejus. Voluit autem Deus cum hoc externo cultu conjungi interiores & veros cultus, quales ſunt timor Dei & fiducia in Dei miſericordiam per Semen promiſſum, cujus ſacrificia legalia typus fuerunt. Viderunt enim pii Deum certa hoſtia filii ſui liberaturum eſſe mundum à peccato & morte æterna. Qui in hac fide præſtiterunt externos legis cultus, horum obedientia Deo placuit. Qui autem caruerunt hac fide, eos Deus tanquam idolatras abjecit & perdidit, quod ſtatuerent ſe per ſangvinem taurorum & hircorum hoc conſequi, quod ſangvine Filii Dei erat perficiendum. Hanc impietatem Prophetæ ubiq; graviter infectantur, ſicut alio in loco dicemus.

Legis cultus mandati.

Veri cultus.

Vaſtabo quoq; vitem ejus & ficum ejus, de quibus dixit, Hæc mea ſunt merces, quam mihi dederunt amatores mei. Igitur ponam eas, ut ſint tanquam ſylva, & depaſcent eas feræ.

Nihil hic opus eſt allegoriam fingere. Minatur non ſolum annonæ caritatem, quam incommodæ tempeſtates afferunt, ſed ſimpliciter vaſtitatem agrorum & totius regionis, ut olim culta & felicia loca ferarum latibula ſint futura. Cur hoc facit Dominus? Cur non pulſis improbis relinquit terram colendam & habitandam melioribus? Ideo nimirum, quia benedictionem ſuperiorum temporum, non Deo, qui etiam in malos beneficus eſt, acceptam ferebant, ſed idolatriæ. Sicut noſtro tempore Pontificis mancipia ſuperiorum temporum felicitatem tribuunt ſuis cultibus, præſentia autem incommoda Evangelio imputant. Sic apud Ieremiam Iudæi cultum Reginæ cœli commendabant ſuis auditoribus. Et Iudæi tempore Chriſti Moſaicos cultus anteferebant Evangelio. Sed hæc pertinax impietatis defenſio cogit Deum, ut ſinat iram ſuam ſine modo graſſari, non in homines tantum, ſed etiam in ipſam terram, quæ propter peccata hominum amittit dona & opes ſuas.

Deus etiam terram affligit propter impios.

Ier. 44.

Et viſitabo contra eam dies Baalim, quibus incenſum fecit, & ornata monili, ac torque ſuo, ſecuta eſt amatores ſuos, mei autem oblita eſt, dicit Dominus.

Superiora ſatis arguunt loqui eum de pœnis Synagogæ poſt Chriſti reſurrectionem. Minatur enim vaſtationem terræ, & cultuum legalium abolitionem perpetuam. Itaq; fallitur Lyra & alii, qui ad captivitatem Babylonicam has minas applicant. Vocat autem hic, ſicut ſupra κατ' ἐξοχὴν, dies Baalim, ſtudium legis & legalium cultuum conjunctum cum contemptu Chriſti & Evangelij. Quid enim Deo placiturum credimus, ubi Filium ſuum abjici, & ſuaviſſimas promiſſiones contemni videt? Igitur, etſi legales cultus retinerent, & Deo, à quo ex Aegypto liberati erant, ſacrificarent, tamen eos damnat, ac dicit oblitos Dei.

Pertinet igitur hæc tota concio eó, ut poſtquam Evangelium de filio Dei, & ejus beneficiis innotuit, id omnes amplectamur, aut expectemus eaſdem pœnas, quas populo ſuo inflixit Deus. Nam etſi Deus peccata odit, tamen ad alia omnia eſt ignoſcentior, Contemptum autem Filii, hoc eſt, ſuæ miſericordiæ, ferre non poteſt. Itaq; facile judicium eſt, quid maneat Pontificis turbam, quæ doctrinam fidei damnat tanquam nocentiſſimam hæreſin, & ſuadet meritorum ſeu operum præſidia.

Ecce autem ego perſuadebo eam, & deducam in deſertum, & amice cum ea loquar. Ego dabo ei ab eo loco vineas ſuas, & vallem Achor, ut aperiatur ſpes.

Hunc

Hunc locum,quia plenus figurarum, & ideo quoq; obſcurior eſt, varie interpretes expoſuerunt. Sed nos veram ſententiam tum demum attingemus, cum diligenter ſeriem hujus concionis obſervaverimus. Primum caput poſt vaticinium de calamitate decem tribuum,etiam regno Iudæ minatur futurum,ut ſit(Loammi)non populus. Hic Prophetam cogit neceſſitas,ut oſtendat, quam ſit Deus habiturus Eccleſiam, abjecta Synagoga & veteri populo. Dixit itaq; Deum multiplicaturum numerum filiorum Iſrael ſicut arenam maris. Hæc ipſa promiſſio de multiplicatione ſatis oſtendit, tantum reliquias veteris populi manſuras.

Etiam Regno Iudæ minatur.

Si autem quæras cauſam tantæ iræ, quod Deus ſuum populum ſic abjicit, explicat eam Propheta copioſe in 2. cap. ubi Idolatriam Synagogæ accuſat,quod Chriſto & Evangelio repudiato retinebant legem, & obſervatione legis credebant ſe Deo placituros. Hanc impiam opinionem vocat fornicationem, vocat adulterium, vocat cultum Baal. Quia enim cultus Baal à Gentibus acceptus erat, ideo hoc ſtudium Legis cum contemptu Evangelij conjunctum tam turpi nomine notat, & addit quoq; integram Prophetiam de futuris calamitatibus, quibus Deus hanc idolatriam puniturus ſit. Hæc igitur hujus concionis pars quaſi expoſitio ejus eſt, quod in 1. capite Propheta breviter dicit, Vos non populus meus.

Cultus Baal.

Summa loci. Collatio Eccleſiæ novi Teſtamenti cum veteri populo.

Quæ nunc ſequuntur,pertinent ad explicationem ejus particulæ,à qua 2. capitis initium fecimus, ubi Propheta vaticinatur de Eccleſia, quam Deus in mundo abjecta Synagoga habiturus eſt. Summa autem hujus loci eſt,quod Deus novum populum ſibi paraturus ſit per novum Evangelij verbum. Hæc Prophetæ ſimplex ſententia eſt. Sed nunc figuras quoq; paucis indicabimus, ut clarius conſpici Prophetæ ſententia poſſit. Vetus populus cum ex Aegypto educeretur,in deſertum ductus eſt.

I. Ita hic dicit Dominus de populo novi Teſtamenti, ſe eum etiam ducturum in deſertum.

II. Porro in deſerto cum veteri populo locutus eſt Dominus in monte Syna. Ita hic quoq; locuturum ſe cum ſuo populo Dominus promittit,ſed alio modo. Nam in Syna horribili voce locutus eſt,hic autem blande loquitur.

III. Cum jam occupata Iericho à Ioſua introduceretur populus in terram promiſſam, habuerunt vallem Achor, in qua turbatus eſt Iſrael propter peccatum Achan. Ita hic quoque dicit habituram Eccleſiam ſuam vallem Achor,hoc eſt,crucem & pericula, ſed Dominum mitigaturum hæc certa ſpe vitæ æternæ. *Ioſu.7.*

Quarto, Populus ex Aegypto egreſſus & liberatus à Pharaone, canit laudes Deo. Ita in hoc novo regno futurum dicit, ut canant laudes Deo pro tam magnifica liberatione. Hic enim demum verus cultus eſt, amplecti verbum,ſeu credere,& poſtea confiteri, ut prædicatione verbi etiam cæteri ad cognitionem Chriſti invitentur. Quæ poſtea Propheta uſq; ad finem capitis ſubjicit de pace, de æterno fœdere, de exauditione, ea pertinent ad hujus regni divitias & dona prædicanda.

Hanc ſententiam ſic breviter oſtenſam confer cum aliorum expoſitionibus, & apparebit in hoc nihil coactum, nihil alienum, nihil incommode adfictum. Sicut multa fingere eos neceſſe eſt, qui minus propriam ſententiam ſequuntur. Sed nunc ordine explicabimus ſingula.

Verbum perſuadendi Ebræis eſt (Patha) à quo ſine dubio Græcum πείθω factum eſt,& fortaſſe etiam ἀπατάω & ἀπάτας. Nam Ebræum verbum ſæpe uſurpatur pro decipere,ut Exod.22.Si quis deceperit puellam. Proverb.1. Fili, ſi te lactaverint peccatores. Ierem.20.Domine ſeduxiſti me,& ſeductus ſum. Eſt enim vocabulum medium, & ſignificat bona verba dare, ſive ſtudio juvandi alios, ſeu nocendi aliis. *Exod. 22. Prov.1. Ier.20.*

Evangelium latum nuncium.

Proprie igitur hoc in loco pertinet ad doctrinam Evangelij. Ea enim vera Pitho ſeu Suada eſt,qua animi hominum capiuntur. Non enim ſicut lex terret animos minis & pœnarum cruciatu. Sed etſi arguit peccata, tamen oſtendit Deum peccatoribus propter Filium ſuum ignoſcere velle, & proponit ſacrificium filii Dei, ut ſtatuant animi Deo per id ſatisfactum.

Quemadmodum igitur illud nuncium, oppreſſo populo ab Aegyptiis gratiſſimum

tissimum erat, cum audirent ex Mose, quod Dominus apparuisset, & liberationem promisisset. Ita hoc in loco ostendit Propheta suavius & lætius hoc nuncium fore, cum pavidæ conscientiæ audient, Deum remittentem peccata, & promittentem vitam æternam, per Filii sui mortem & meritum. Hac doctrina, inquit, ita capiuntur & demulcentur animi, ut Dominum vocantem in desertum sponte sequantur.

Etsi autem tantum ideo deserti mentionem Propheta facit, quod vetus legis populus, cum ex Aegypto liberatus esset, in desertum primo ductus est, tamen non inconcinna allegoria est. Mundus enim contempto Evangelij verbo, Aegyptum tenet & fruitur ibi ollis carnium & saturitate panis. Contra pii quasi in deserto vivunt *Deserta in quo Ecclesia vivit.*
Mat. 11. ac undiq; premuntur, Sicut Christus dicit. Pauperes evangelisantur, & Paulus, Non
1. Cor. 1. multi nobiles secundum carnem, potentes & sapientes, &c. & tamen hoc ipsum de-
Esa. 30. sertum habet suam benedictionem, panem scilicet arctum & aquam brevem. Sicut Esaiæ 30. appellat. Etsi enim Dominus non dat eam abundantiam Ecclesiæ, quam habent impii, tamen tribuit necessaria. Hæc priusquam sineret defieri piis, nubes rumperentur, & deplueret panis, sicut in deserto. Habet enim Ecclesia promissionem, futurum, ut si primum quærat regnum Dei & justiciam ejus, omnia ei affluant.
Mat. 6. Scit enim Pater noster cœlestis, quibus habeamus opus, nec ita durus est, ut filio postulanti panem, lapidem porrigat, &c.

Sed his promissionibus mundus non credit. Itaque sicut inobediens Israel respicit ad ollas carnium, ita videmus omnes indulgere curis hujus seculi, & non spem sed opes & potentiam sectari. Itaque meminerint pii, relinquendam Aegyptum, & expectandum auxilium ex cœlis. Fortasse desertum etiam eo accommodari potest, quod politia & cultus Mosaicus desiit. Itaq; intuenti in Ecclesiam desertum esse videtur. Sublata enim discrimina sunt, quæ in lege erant, personarum, temporum & rerum, ac conceditur liber usus omnium rerum, si cum gratiarum actione & sine scandalo iis fruamur. Quæ autem proprie Ecclesiæ sunt, nempe ministerium docendi, Baptismus & cœna Domini, levia esse videntur, & non magni momenti. Sed qui hos quasi absconditos thesauros eruit, & in lucem collocat, videt non esse Ecclesiam desertum, sed Paradisum, &c.

Ebræa phrasis est (Dibarthi al libo) quo in simili concione Esaias quoq; utitur *Vox Dei in novo Testamento.*
Esa. 40. cap. 40. Loquimini ad cor Ierusalem. Significat autem sic familiariter & amice loqui, ut cor non possit non gaudere, & impleri certa fiducia benevolentiæ. Respicit autem Propheta hic quoq; ad veteris populi exemplum. Cum eo Dominus in deserto ad montem Syna locutus est, Sed adeo insuavi & horribili voce, ut pavida corda eum non possent sustinere amplius, & rogarent Mosen, ut ipse potius loqueretur. Sicut igitur populus ibi hominis vocem voci Dei præferebat, Nam legis vox intolerabilis est, siquidem præstare eam in hac imbecillitate nostra, & Satanæ potentia non possumus. Ita hic diversum facit Ecclesia, Dei blandam & suavem vocem admittit, hominum autem vocem tanquam ominosam aversatur.

Quæ sequuntur, eodem pertinent, Populus ex Aegypto in desertum deductus, cum veniret ad terram promissionis, occupabat culta hostium vineta. Ita significat etiam Ecclesiam quoq; suas vineas, hoc est, consolationem spiritualem & dona sua habituram, ad quæ iter per desertum mitigatur. Nam quod Evangelium audimus, quod baptisamur, quod utimur Cœna Domini, hæc non corporalis alicujus commodi gratia, nec propter hanc brevem & calamitosam vitam facimus, quæ ideo quoq; deserti similis est, quod post alia incommoda etiam à feris, hoc est, à Satana & ejus membris, nobis periculum est. Sed quæritur nobis consolatio de æterna vita, ut liberati per filium Dei à peccatis, & à morte habeamus quo innitamur in judicio Dei, non nostram justiciam, sed eam, quæ est per fidem in Filium Dei.

Suavissimum autem est, quod Propheta meminit vallis Achor, cui ab eventu *Vallis Achor.* nomen est inditum. Cum enim Iericho occupata, & omnium animi tam pulchro successu in certam spem terræ Canaan occupandæ vocati essent, subito magna turbatio incidit. Nam cum Achan ex præda anathemate consecrata, contra *Achan.*

mandatum Domini, pallam & aurum clam abſtuliſſet, publica calamitate privatum peccatum punitum eſt. Habitatores enim civitatis Ai tria Iſraelitarum millia in fugam verterunt,cæſis non paucis. Hæc ſubita & inſperata calamitas omnium animos perturbavit. Videbantur enim reliqui terræ Canaan habitatores reſumpturi animos ex Aitarum ſucceſſu. Et loquebatur res ipſa, Dominum, cujus timor totam gentem illam pervaſerat,ab Iſraelitis receſſiſſe. Itaq; ab eventu vocarunt vallem Achor,quaſi dicas, turbationis vallem, quod omnium animi inſperata clade mire perturbati eſſent. Sed Joſue poſtquam luſtravit exercitum, & ſorte iniquitas Achan prodita eſſet, ſumſit ſuppliciū de eo,& mitigata hoc pacto ira Domini,poſtea omnia fuerunt felicia.

Eccleſia habet vallem Achor. Ad hunc modum vaticinatur Eccleſiæ Propheta,futurum,ut ipſa quoque habeat ſuam vallem Achor,hoc eſt, ut cruce & variis periculis exerceatur. Nota enim eſt Satanæ malicia & aſſiduum ſtudium,quo inſidiatur Verbo & fidei. Initio excitat impios doctores,qui ferunt pravas opiniones de religione. Has quia mundus avide amplectitur, etiam crudelia conſilia capit, ac vi graſſatur in veræ religionis doctores. Mundus enim nihil poteſt minus ferre, quam idolatriæ & ſuperſtitionis reprehenſionem,Sicut experimur in noſtris Epiſcopis & Pontificibus. Vtrumq; igitur piis periculum eſt, ut & virent impia dogmata, & patienter ferant injurias Tyrannorum, quas propter defenſionem ſanæ doctrinæ ſuſtinere coguntur. Sed hæc fere ludus & jocus ſunt, ſi conferas ad illa certamina, quæ in piorum animis à Satana excitantur. Hi enim etſi non ſoli ſentiunt veros terrores mortis, tamen ſoli pugnant contra deſperationem,& experiuntur peccati ſtimulos,quos Lex acuit. Nec ſatis eſt ſemel hæc expertos eſſe,quotidie novæ pugnæ naſcuntur,quotidie nova pericula ſurgunt. Sicut Pſa. 42. oſtendit,qui tentationes comparat tempeſtati,in qua fluctus ex fluctibus velut naſcuntur, & magna mole ſe mutuo urgent ac impellunt. Vndiq; igitur pii anguſtiis ſepti ſunt, ſicut Apoſtolus quoq; dicit, Foris pugnæ, intus pavor. Quis autem enumeret illa incommoda corporum & fortunæ, quibus exercentur pii, Sicut oſtendunt exempla Iob,Lazari & aliorum. *Pſal. 42.* *2. Cor. 7.*

Hanc Eccleſiæ ſeu conditionem ſeu fortunam oſtendit Propheta, cum facit mentionem vallis Achor. Nec abſurda etiam hæc ſimilitudinis ratio eſt,quod populus Iſrael propter unius Achan peccatum ſic turbatur. Etſi enim Eccleſia non patitur ſuo merito, ſicut facinoroſi, tamen omnium calamitatum cauſa eſt peccatum, quod à primis parentibus in nos derivatum eſt, & variis crucis remediis opus habet, ut paulatim mortificetur. Sancti enim tum maxime periculis expoſiti ſunt, cum minimum ſentiunt tentationum. Et caro niſi exerceatur quotidianis incommodis,paulatim labitur in ſecuritatem,& peccat. Igitur Deus tanquam Pater filiorum amans ſuos aſſidue exerceri ſinit,ut diſcant exercere fidem in oratione,& patientiam in periculis.

Sed dura,inquies,Chriſtianorum conditio eſt,ſi hoc modo perpetuis crucis & periculorum undis in mundo jactantur? Profecto dura,ſi,ut Paulus in Corinthiis dicit,nihil habent,quam ſpem hujus præſentis vitæ. Sed audi porro Prophetam, quid de valle Achor addat. Dabo ei,inquit,vallem Achor,ut aperiatur ſpes. Hic iterum reſpicit ad veterem populum, qui cum in valle Achor, propter acceptam cladem ex peccato Achan turbaretur, poſt turbationem iſtam iterum ſpem certam occupandæ terræ Canaan ex Aitarum clade concepit. Omnia enim feliciſſime ſucceſſerunt. *1. Cor. 15.* *In valle Achor aperitur ſpes.*

Eccleſia. Sic de Eccleſia promittit, futurum, cum ſic undique turbatur à Satana, mundo,peccato,& morte, ut aperiatur ei ſpes, non ſolum certæ, ſed etiam æternæ victoriæ. Nam Eccleſia primo verbum habet,quo promittitur liberatio. Deinde pii non ſoli in periculis ſunt,ſed aſſiſtit eis Filius Dei,qui pugnantes adjuvat,& feſſos animos erigit ſpe futurorum bonorum,quæ verbum oſtendit. Aſſiſtit quoq; eis Paracletus, ſanctus Spiritus, hic animos excitat ad orationem,& conſolatur, ne frangi ſe ſinant, ſed ſtatuant Satanam jam antea à Chriſto victum ac proſtratum, & nunc hoc agi, ut ope Chriſti ipſi quoq; eum vincant. Hæc ſpes non ſolum erigit animos,ſed etiam certam parit victoriam,Sicut hiſtoriæ Martyrum oſtendunt.

Igitur

Igitur ex hoc loco natæ ſunt inſignes conciones Apoſtolorum, quibus docent ac hortantur, ut non ſolum non frangamur animis in tribulationibus, ſed etiam gloriemur. Tribulatio enim, ſicut Paulus Rom. 5. dicit, parit patientiam, Patientia probationem, Probatio ſpem. Spes autem non confundit. Ideo Lucas quoq; cum explicat parabolam, ſuaviſſime dicit, Semen in bona terra eſſe eos, qui audiunt Verbum, & retinent in bono ac puro corde, ac ferunt fructum in patientia.

Conciones Apoſtolorum de cruce & afflictionibus Eccleſiæ.

Rom. 5.

Luc. 8.

Sic vallis Achor ſine dubio fuit fœcundiſſima vallis, ſed in ea Iſrael valde turbatus eſt. Eccleſia igitur, quæ ſola optimorum fructuum ferax eſt (Sicut Chriſtus teſtatur, cum dicit, Ego ſum vitis, vos palmites, qui in me manet, & ego in eo, hic feret multum fructum) ſic parit fructus ſuos, ut ſit tamen in valle Achor. Vrgetur enim omnis generis malis & periculis. Quod autem non ſuccumbit, nec vincitur malis, cauſa eſt, Quia in hac ipſa turbationis valle aperitur ſpes. Qui enim novit peccata ſua condonata, & ſe propter Ieſum Filium Dei cum Deo reconciliatum, ac filium Dei & hæredem factum eſſe, hunc quæ calamitas dejiciat? Etſi enim vita profundenda eſt, tamen ſcit, ſe non amittere vitam, ſed invenire, & effugere æternam mortem, ſicut Chriſtus dicit. Hæc ſpes Eccleſiam ſervat. Itaque Paulus, cum hortatur Timotheum, jubet, ut meminerit Ieſum Chriſtum excitatum ex morte. Fidelem enim eſſe ſermonem, ſi ſimul morimur, etiam ſimul vivemur, Si patimus, etiam ſimul regnabimus.

Vallis Achor.

Spes in cruce qualis?

Luc. 9.

2. Tim. 2.

Simili ratione meminit vallis Achor Eſaias quoq; cap. 65. Oſtendimus enim non uno loco in Michæ enarratione, hos Prophetas, ſicut eodem tempore docuerunt, ita etiam verbis & figuris ſæpe iiſdem eſſe uſos. Sic autem dicit Eſaias, Educam ſemen de Iacob, & hæredem montium meorum de Iuda, & hæreditabunt eam electi mei, & ſervi mei habitabunt ibi, & erit Saron habitaculum ovium, & vallis Achor cubile populo meo, qui me quæſivit. Delectavit enim Prophetas ſuaviſſima ſimilitudo, quod vallis Achor eſt, ſicut Propheta dicit (Lepatha thikiva) ad aperiendam ſpem, quod qui (ſicut in Pſalmo eſt) in lachrymis ſeminant, in exultatione metent. Vtile autem eſt hæc ſæpe meditari animo. Sentimus enim quantum ratio à cruce abhorreat. Fit autem id eam ob cauſam, quia ſentimus cum cruce conjunctam iram Dei, & perditionem, hoc eſt, judicamus crucem eſſe ſine ſpe, & tantum vallem Achor. Sed hoc rationis judicium non convenit cum Propheta, qui promittit in iſta valle Achor aperiendam ſpem.

Eſa. 65.

Pſal. 125.

Spem non abijci à cruce.

Diſcamus igitur magno animo eſſe in periculis, & cum fideli Abraham credamus in ſpem contra ſpem. Fidelis enim Deus eſt, qui non ſinet nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed ſimul faciet cum tentatione ἔκβασιν ſeu evaſionem. Sicut teſtantur exempla & quotidiana experientia. Nam ſi etiam ſancti Martyres, qui vitam ſuam propter Chriſtum profuderunt, tamen ſpem æternæ vitæ retinuerunt, Num putabimus nobis abjiciendam ſpem, qui nondum uſque ad ſangvinem reſtitimus? Sicut igitur Eccleſia omnibus temporibus per hanc vallem Achor ambulavit, & variis periculis & malis jactata eſt, Ita etiam videmus omnibus piis in iſta ipſa valle Achor apertam ſpem, ut & contemnere pericula poſſint, & tandem liberentur. Mollis autem & infirmi animi eſt, poſtulare, ut Deus nos meliore loco habeat, quam reliquam totam Sanctorum ſuorum Eccleſiam, imo quam filium ſuum, qui ideo in hanc vallem Achor conſtitutus eſt, ut tanto nobis certior ſpes ſalutis oſtenderetur. Hunc igitur tanquam ducem periculoſi hujus itineris ſequamur, ſicut Michas eum perruptorem ſeu diſſipatorem vocat. Ita nos quoq; ſperemus ipſius ope & auxilio nos tuto perrupturos.

1 Cor. 10.

Mich. 2.

Atq; hic locus eo etiam nomine nobis debet eſſe commendatus magis, quia oſtendit, quale ſit regnum Chriſti, non corporale ſeu mundanum, quod totum in uſu & tractatione rerum, quæ oculis expoſitæ ſunt, eſt poſitum, Sed Spirituale, in quo non res ſed ſpes docetur, ſicut Paulus dicit, Spe ſalvi facti ſumus, Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes. Cur enim ſperet aliquis quod videt? Si autem, quod non videmus, id ſperamus, per patientiam expectamus. Sicut igitur Propheta

Regnum Chriſti eſt regnum ſpei, Contra, mundi regna rebus conſtant.

Rom. 8.

vallem Achor cum ſpe conjungit, ad eum modum vides conjungi à Paulo patien-
Locus Zach. 9. tiam cum ſpe. Sic Zacharias vocat Eccleſiam (Aſire hathik vah) Cap. 9. qui vincti ſunt, ſed cum ſpe liberationis. Nam quod credimus remiſſionem peccatorum per Chriſtum, & ſperamus poſt mortem hujus corporis vitam æternam, hoc nemo oculis cernet, nec palpabit manibus. Imo experientia & ſenſus diverſum probant. Sentimus enim peccatum inhabitans in nobis ac vivens, & ubiq; monumenta mortis obverſantur animo atq; oculis. Hæc ſunt vincula, quibus omnes alligati tenemur. Quia autem Verbum promittit remiſſionem peccatorum & vitam æternam per *Rom. 5.* Chriſtum, ſpe hæc arripienda & tenenda ſunt, quod certo nobis per Chriſtum obtingent. Hæc ſpes non confundit, ſed ſalvat. Qui autem hanc ſpem non habent, ſunt, ſicut Paulus dicit, omnibus hominibus miſeriores. Chriſti igitur regnum, quod Pro- *1. Cor. 15.* phera hic promittit, fidei regnum eſt, Fides autem ſolo verbo nititur. Hæc tam ſuavibus figuris veteri populo à Prophetis propoſita ſunt, quæ in novo Teſtamento explicantur clarius.

Et canet ibi, ſicut tempore adoleſcentiæ ſuæ, & ſicut in die, quo aſcendit de terra Ægypti.

Reſpicit hic quoq; Propheta ad veterem populum. Sic enim eſt Exod. 15. Tunc *Exod. 15.* cecinit Moſes & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt, Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in Mare, &c. Item Miriam ſoror Aaron & Prophetiſſa ſumſit tympanum, & egreſſæ poſt eam omnes mulieres cum tympanis & choris, cecinerunt, Cantemus Domino, &c. Sicut autem be-
Confeſſio Eccleſiæ. neficium corporalis liberationis Eccleſia veteris populi prædicavit, Ita dicit futurum, ut Eccleſia novi Teſtamenti beneficium Chriſti prædicet, quod devicit mortem & Satanam, ac ſatisfecit pro peccatis, & nobis aperuit vitam æternam. Hæc prædicatio eſt verus cultus novi Teſtamenti, quo non ſolum Deus colitur, ſed etiam plantatur Eccleſia, & invitantur plures ad cognitionem Chriſti.

Ad hunc locum affer Scripturas, tum veteris tum novi Teſtamenti, quæ vel exigunt confeſſionem fidei, coram mundo, vel prædicant & magnifice promittunt confitentibus. Hæc enim eſt vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum, & vere lætum canticum de parta victoria per Chriſtum. Sicut Pſal. 118. loquitur. Hoc *Pſal. 118.* enim cantico prædicatur non noſtra dextera, quæ imbecillis eſt, & vincere neſcit, ſed dextera Domini, quæ eſt triumphans dextera, qua adjuti nos non morimur, ſed vivimus, & deprædicamus opera, non noſtra, ſicut hypocritæ, ſed Domini. Sicut autem Propheta hoc in loco teſtatur, illos, qui in valle Achor ſunt, cantaturos triumphale carmen, ita Pſalmus hanc ipſam vallem Achor ſignificat, cum ſubjicit, Caſtigat quidem me Dominus, ſed morti me non tradit. Ac petit ſibi aperiri portas juſticiæ, hoc eſt, petit ſe admitti ad juſtum populum ſeu Eccleſiam lotam & mundatam ſangvine filii Dei, ut ingreſſus gratias agat Domino.

Quid enim aliud poſſumus nos miſeri homines, peccatis & morte oppreſſi, quam ut beneficium tam glorioſæ liberationis nobis ipſis & aliis prædicemus? Sicut infra docet Propheta, cum orat, Remitte omnia peccata, & dona bonum, ac perſolvemus tibi vitulos labiorum noſtrorum. Nam regnum Chriſti propagari debet, ut
Uſus confeſſionis. quam plurimi ad cognitionem hujus beneficij veniant ac ſalventur. Et niſi ipſi nobis hoc beneficium quotidie ponamus ob oculos, paulatim hoc efficit Satan, ut ejus obliti vertamur ad mundi curas & opes, ac in illis nobis putemus poſitâ eſſe omnia. Nec tum poſſibile eſt, ut caveri poſſit idolatria, Sicut Paulus avaritiam idolorum ſervitutem vocat. Et Propheta in proxima concione ſatis diſerte oſtendit, quod poſtquam Domini oblitus eſt populus, alios Amatores ſectari cœperit.

Non ſolum igitur Deo jucunda, ſed etiam nobis admodum neceſſaria eſt illa vox Cantici, quæ nunquam ſilere in Eccleſia debet, Ideo etiam Satan mundum impellit, ut hanc vocem prohibeat. Nam quod hodie Pontifex doctrinam noſtram damnat, & Principum potentia ad opprimendas noſtras Eccleſias abuti cupit,

hoc

hoc eo pertinet, ne Ecclesia canat, sed taceat. Quia autem hoc Ecclesia non potest facere, accenduntur odia adversariæ partis, & decurritur ad vim & arma. Hic meminisse Ecclesiam decet ejus, quod supra dictum est, quod scilicet in vallem Achor à pastore nostro Christo deducimur, sed ita, ut nobis spes aperiatur. Habemus enim magnificas consolationes, quæ nos non patiuntur tacere, sed cogunt ad confessionem & canticum, etiamsi mundus summa vi se opponat, & nos variis injuriis ad lachrymas cogat.

Quis enim non sumat animum, cum audit Christum nos quoque coram Patre in novissimo die & alia vita confessurum, sicut eum confessi sumus in hac vita. Quis non etiam cum gaudio mortem subeat, cum audit inventuros nos aliam & meliorem vitam, quando hanc calamitosam & brevem propter Christum abjecerimus? Hæc igitur causa est cur Ecclesia tacere non possit, sed omnia personent vocibus justorum, quibus & beneficium Christi prædicant & damnant fiduciam, quæ extra Christum ponitur in legem seu legis opera & hominum merita. Conjungi enim hæc debent, ut non solum doceas quæ vera sunt, sed etiam, quæ falsa sunt reprehendas, ne
Psal. 118. in errorem inducantur simpliciores. Sic Psalmus 118. quem supra citavimus, libere concionatur de peccato ædificantium, hoc est, doctorum in populo, qui angularem lapidem abjecturi erant, Et Propheta jam subjungit de nominibus Baalim tollendis, contra nostrorum sapientulorum opinionem, qui sic Evangelium docendum existimant, ut nusquam Pontificis & adversariorum Evangelij mentionem facias. Hos molles doctores relinquamus aulis, Ecclesia autem libere reprehendat quæ sanæ doctrinæ adversantur. Hoc enim est recte Domino canere.

Et erit in die illo, dicit Dominus, vocabis me, mi marite, & non amplius vocabis me, Domine mi.

In Ebræo non paulo suavior est hæc sententia. Vocabis me, Ischi vel o Baali. Quomodo autem hunc locum explicet Hieronymus, notum est. Nam Lyra quoq; Salomonis Iudæi sententiam magis catholicam esse dicit, qui appellationem Mariti, *Maritus.* amoris, Baalis autem seu Domini, timoris significationem continere dicit, & accom- *Baal.* modat huc breve, sed argutum (sicut fere omnia ejus sunt) Augustini dictum, Brevis differentia legis & Evangelij, timor & amor. Timori igitur successit amor. Bona qui- *Timor & amor.* dem sententia, sed in Prophetarum lectione explicanda, ea sequi debemus, quæ maxime propria sunt. Vtitur igitur Propheta suo more hic figura sibi familiari, ac verum cultum Dei, hoc est, fidem in Christum comparat amori conjugali, idolatriam autem seu fiduciam in Creaturas & propriam justiciam comparat fornicationi & adulterio, nam supra quoq; dixi Baal vocari non tantum Dominum, sed etiam Amasium, Ein Buelen.

Ac profecto insignem sententiam præsens locus proponit. Ostendit enim quæ sint tum veri cultus, tum Idolatriæ præmia. In Conjugio est mutuus amor, Eo *Amor conjugalis.* vinculo colligati animi suavissime inter se vivunt. Maritus uxoris consuetudine carere non potest. Ad eum modum uxor quoq; vitam sine marito sibi gravem ac intolerabilem esse judicat. Experitur enim tam se marito charam esse, quam ipse est sibi. Sicut etiam mutua officia testantur. Hæc translata ad Ecclesiam plena veræ consolationis sunt. Nam ut Paulus ait, nutritur & fovetur Ecclesia à marito Christo, Siqui-
Ezech. 16. dem omnia sua dona & opes in eam confert. Sicut locus supra ex Ezechiele citatus ostendit cap. 16.

Hunc maritum igitur, qui negligunt, & sequuntur alienos amatores, hoc est, *Amor turpis & fornicarius.* qui discedunt à Verbo & à fiducia, quæ est in misericordiam Dei per Christum, & sequuntur sua studia, qui novos cultus sibi sine verbo fingunt. Hi quidem inveniunt quos ament, sed non redamantur, sicut à marito. Non enim maritum, sed Dominum habent, qui ipsorum studiis abutitur pro suo commodo, dum libet. Exemplum non necesse est, ut petamus longius. Mundus sub Papatu suas fortunas pene omnes in Idolatriam impendit. Nec ullus unquam tam potens fuit Imperator, qui Pontificis

Digitized by Google

opes æquare poſſet. Hæc fuit illa turpis fornicatio & deſertio mariti, qui corpus & ſangvinem ſuum in nos impendit. Sed hujus impietatis quod tandem præmium tulit mundus? Nonne Dominum & non maritum amavit? Fuit enim cum hoc ipſo cultu conjunctus timor & deſperatio, nec profuit poſt fortunas etiam vitam in hos cultus impendiſſe. Nam conſcientiæ non potuerunt acquieſcere in traditionibus & operibus hominum.

Sententia igitur Prophetæ eſt, Synagoga, ſicut turpis adultera, ſecuta eſt Baalim, quibus cum corpore & fortunis ſerviret, tamen metu carere non potuit. Sed populus novi Teſtamenti & vera Eccleſia me ſicut maritum caſta uxor unice adamabit, & ſpem omnem in me habebit poſitam, non appellabit me Dominum, ſicut adultera, quæ quotidie cogitur metuere ne ab adultero deſeratur, ſed maritum. Scit enim ſe mihi eſſe curæ, ſcit ſe amari à me, nec metuet deſertionem. Hoc modo Propheta plenam & certam fiduciam ex ſummo amore natam voluit oſtendere, quæ fiducia præcipuus Dei cultus eſt. Porro hic locus clare oſtendit, idolatras, dum idola colunt, ſentire, quod verum Deum colant, nec ſic eſſe ſtupidos, ut ligno aut argento divinos honores habeant. Sicut apud Eſaiam quoq; Dominus teſtatur. Fruſtra colunt me mandatis hominum. Nam Majorem hanc omnium gentium animis inſtillavit natura, quod Deus colendus ſit, qui mundum & omnia condidit. Sed poſtea in Minore vitium eſt, quod ratio non ſequitur cultus verbo inſtitutos, ſed fingit ipſa ſibi modum, quo Deum coli velle putat. Idolatria autem eſt omnis cultus, qui ſuſcipitur ſine verbo Dei, quantumvis ſit ſplendidus & difficilis. Ideo etiam ipſum legis ſtudium Propheta hoc in loco vocat cultum Baal & fornicationem, quia etſi præcepta lex divinitus eſſet, tamen voluit Deus tantum agnoſci & coli in Filio ſuo. Hanc obedientiam ſeu cultum hunc quia Synagoga non præſtabat, & pertinaciter opponebat Evangelio legales cultus, recte comparatur Baalis cultoribus.

Idolatra. *Eſa. 29.* *Idolatria.*

Et auferam nomina Baalim de ore ejus, nec recordabitur ultra nominis eorum.

Vbi vera cognitio Dei, ibi ceſſat idolatria.

Facilis ſententia eſt. Vbi enim vera cognitio Dei, ſeu purum verbum eſt, ibi neceſſe eſt, ut ceſſet idolatria. Sicut poſtquam Dei beneficio verbum Dei Germaniæ hoc tempore oſtenſum eſt, deſierunt impii cultus Miſſarum, invocationis Sanctorum, votorum, &c. in quibus ſpem ſalutis vanam homines habebant poſitam. Itaq; qui ſuperſtitiones & abuſus vere cupiunt ex Eccleſiis ſublatos, non hoc agant, quod indoctum vulgus ſolet, ut deturbent ſubito Imagines ex templis, & vi graſſentur in idolatras, Sed verbum proponant Eccleſiis ſyncere, tum ſine tumultu, ſine ſtrepitu omni concident quantumvis diu uſurpati falſi cultus.

Et percutiam eis fœdus in die illa, cum feris, & cum volucribus cœli, & cum reptilibus terræ.

Collatio veteris liberationis cum ea, quæ per Chriſtum facta.

Apparet Prophetas delectatos iſta comparatione liberationis, quæ per Chriſtum facta eſt, cum ea, quæ veteri populo contigit. Ac profecto, ſi vetus populus tantopere illis beneficiis Dei corporalibus confiſus eſt, quanto nos debebamus magis fidere illa liberatione æterna, quæ per Filium Dei facta eſt, eamq; prædicare & ea niti. Pertinet itaq; hæc quoq; particula ad inſtitutam collationem. Nam populus jam in terram promiſſam introductus, etſi cultiſſimos & fœcundiſſimos agros poſſideret, tamen quia diſcedebat à lege Domini, agri per locuſtas, vineæ per vermes, ſicut Moſes in Deuteronomio minatus erat, perdebantur. Accedebant aliæ quoq; calamitates, de quibus hiſtoriæ meminerunt. Sicut autem cauſa horum incommodorum erat, quod legem non ſervabant Iudæi, ita promittit Dominus hoc in loco fœdus cum beſtiis, volatilibus cœli, & vermibus, quia habet Eccleſia verbum Evangelij, quo non, ut in lege, requiritur noſtra dignitas, ſed tantum offertur miſericordia per Chriſtum, ſeu remiſſio peccatorum, & donatur Spiritus ſanctus, qui adjuvat nos, ut præſtemus aliquo modo debitam obedientiam.

Sed

Sed quod, inquies, hoc fœdus est? Non loquitur de animalibus volatilibus & vermibus, qualibus vexabatur vetus populus, Sed significat Ecclesiam divinitus defensam iri à peccati, Satanæ & mundi injuriis, ut hostes ejus nocere ei non possint. Diserte autem dicit, percutiam, ne existimemus nostrarum virium esse hanc defensionem, sed contingere de cœlo, per misericordiam Dei, qua credentes in Filium complectitur. Manent igitur bestiæ agri, manent volatilia cœli, manent vermes terræ, & non possunt aliter, quam ut noceant, Sed qui in regno Christi sunt, his nocere non possunt, Sicut Christus dicit, Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.

Fœdus cum bestiis.

Hos. 2. 18.

Esa. 11. 35. Solet conferri cum hoc loco, quod Esaiæ undecimo est, de agno & lupo pascente simul, Item trigesimo quinto, Non erit Leo ibi, & mala bestia per eam viam non ascendet. Sed Propheta ibi loquitur de virtute verbi, quod inter inimicos efficax est, & nunc Tyrannos, nunc Hæreticos & Idolatras convertit. Hujus autem loci magis propria sententia est, quæ ex collatione cum veteri populo sumpta est, quod Dominus tum Satanam, tum ejus mancipia arcebit, ne possint Ecclesiæ nocere, & consolationes in verbo propositas eximere ex animis.

Et confringam Arcum, gladium & bellum de terra, & faciam eos secure habitare.

Mich. 4. *Esa. 2. 11. & 35.* *Rom. 6.* *Esa. 32.* Similis sententia est Mich. 4. & Esai. 2. 11. 35. Exponit autem Paulus eam copiose in 5. Cap. ad Romanos, ubi inquit, Iustificati fide pacem habemus erga Deum, &c. Et Esaias Cap. 32. Erit opus justiciæ, pax, & opus justiciæ tranquillitas & securitas usque in seculum, & sedebit populus meus in habitaculo pacis, & in mansionibus securis, atq; in refrigeriis tutissimis. Profecto summa & æternis cruciatibus ac flammis digna ingratitudo est, si tam magnificas promissiones negligimus, & interim sectamur vanas spes & res mundi. «Non enim gaudere, non triumphare nos oportebat, quod habemus Filium Dei, factum victimam pro peccatis nostris, & nunc sedentem ad dextram Patris, ut omnia nobis pacata & secura sint, nitentibus ejus ope & auxilio? Quid enim conturbare animum poterit, cum & peccata remissa sunt, & hic nobis Dux & gubernator contigit? Quid poterit nos separare à dilectione Dei, qui non pepercit Filio suo, sed pro nobis omnibus tradidit eum? Sed verbis hæc explicari non possunt. Et Propheta nunc causam tam jucundæ securitatis ostendet.

Pax Ecclesiæ qualis.

«Nonne.

Rom. 8.

Cæterum monere hic Lectorem necesse est, ut sciat, in regno Christi, seu verbo & fide hanc securitatem esse. Nam si respicias ad regnum mundi, omnia ibi bellorum, injuriarum, cædium invenies plenissima. Sicut Christus dicit, In me pacem habebitis, in mundo autem pressuram, Et supra dictum est, regnum Christi esse regnum non rerum, sed spei. Porro hæc quoque particula ad institutam collationem referenda est. Nam populus deductus in terram Canaan non possedit eam quietus, sed perpetuas dimicationes cum vicinis Gentibus habuit. Itaque gladio & arcu habuit opus. Sed populus novi Testamenti habitabit secure. Etsi enim hostes suos, & eos potentia ac numero præstantes habet, tamen consolatur se verbo, & sperat per Christum victoriam, ac tribulationes omnes spe futuræ salutis vincit ac superat.

Joh. 16.

Regnum Christi spei regnum.

Et desponsabo te mihi in æternum, Desponsabo te mihi in justicia, & in judicio, in gratia & in miserationibus, In fide desponsabo te mihi, & cognosces Dominum.

Propheta hic causam pacis & confidentis fiduciæ ostendit, quod scilicet Deus per Filium suum Christum Iesum, se cum Ecclesia desponsat. Ac profecto explicari verbis non possunt abundantes hæ gratiæ divitiæ. Itaq; paucis indicabimus sententiam, ac precabimur Deum, ut quæ verbis pro dignitate dici non possunt, ipse suo Spiritu cordibus nostris inspiret, ut cogitatione saltem partem aliquam harum consolationum adsequamur. Primum, verbum (Erasch) plenum consolationis est. Itaq; Paulus quoq; libenter conjunctionem Ecclesiæ cum Christo comparat conjugali conjunctioni, & Christus in suis concionibus similitudine nuptiarum delectatus videtur.

Deus per Christum cum Ecclesia se desponsat.

Non ſolum enim proponit ſimilitudines de nuptiis, ſed amicos Sponſi vocat diſcipulos. Sicut etiam Iohannes Chriſtum ſponſum vocat. Et ipſe Chriſtus hanc appellationem ſibi tribuit, cum de adventu ſuo in noviſſimo die docet. Quis autem dubitat, quod non reſpexerit ad hanc & ſimiles Prophetarum conciones? *Ioh. 3.*

Secundo, quod addit particulam (Ieolam) id vero conſolationem facit longe pleniſſimam. Reſpicit autem hic quoq; ad fœdus factum cum veteri populo, cum Lex data eſt, Nam illud fœdus non æternum, ſed certi temporis fuit. Quia enim legi ſatisfacere hæc natura non poteſt, non potuit fœdus cum conditione faciendæ legis eſſe perpetuum. Hoc autem eſt æternum fœdus, quod Deus nobiſcum iniit, imo quo ſe nobiſcum deſponſavit per Filium ſuum Chriſtum. Eſt enim fœdus Gratiæ, in quo quæ peccavimus, non imputantur, ſed condonantur propter fidem in Chriſtum, ſicut poſtea Propheta addet. Igitur nihil incidere poteſt, quod fœdus hoc impediat, quin æternum ſit. Non enim habet conditionem noſtræ dignitatis, ſicut fœdus legis.

Fœdus cum Eccleſia æternum.

Vita æterna promittitur Eccleſiæ.

Deinde quod dicit, In æternum te mihi deſponſabo, non ſolum hoc vult, quod Chriſti regnum non ſit corporale, Sed quia æternum fœdus eſt, neceſſe eſt illos quoq; vivere in æternum, cum quibus hoc fœdus conjugale iniit Deus. Quomodo enim æternum alioqui eſſe poſſet, iis extinctis, cum quibus eſt initum? Fœdus enim non eſt unius tantum, ſed duorum. Aeternos igitur fœdus oſtendit utroſq; eſſe, & eum à quo incipit fœdus, & eum cum quo fœdus initum eſt. Ita immortalitatem ſeu vitam poſt hanc vitam, & reſurrectionem à mortuis Propheta hoc in loco oſtendit.

Juſticia Eccleſiæ qualis.

Sed cauſæ quoq; videndæ ſunt, cur dicat eſſe æternum fœdus. Prima eſt, quod dicit, Deſponſabo te mihi in juſticia (Bezedeck) Hæc prima gemma eſt annuli, quem Eccleſiæ ſeu Sponſæ ſuæ Chriſtus donat, Iuſticiam ſcilicet, non eam, quam mundus vocat juſticiam, & Lex quoq; docet. Quia enim Iudex juſtus eſt, ideo furem laqueo interficit, latronem rota, homicidam gladio. Sed hanc juſticiam fures, latrones, homicidæ oderunt. Talis non eſt juſticia, de qua hic loquitur Propheta. Sed eſt juſticia, qua per Chriſtum condonantur peccata. Sicut Zacharias quoq; conſolatur Eccleſiam, cum dicit, Ecce Rex tuus venit juſtus, hoc eſt, afferens ad peccatores juſticiam. Ad hunc enim modum Paulus vocabulum juſticiæ explicat Rom. 3. Declarat Deus juſticiam ſuam hoc tempore, ut ipſe ſit juſtus & juſtificans eum, qui eſt ex fide in Ieſum, hoc eſt, eum qui credit in Ieſum. Sic juſtum Deum peccatores non fugiunt, ſed ultro ſequuntur eum, imo ipſe Deus ultro ſe eis offert, & conſolatur eos. Novum igitur hoc, & longe diverſum à veteri fœdere fœdus eſt. Nam Lex proponit Deum, intentantem pœnas peccatoribus, At revera Deus talis eſt extra Chriſtum. Sed in Chriſto eſt juſtus, id eſt, juſtificans impium, condonans peccata, præteriens peccata, ſicut Michas loquitur, & ea in abyſſos maris demergens. *Zach. 9.* *Rom. 3.*

2. Secunda cauſa eſt, quod dicit, Deſponſabo te mihi in judicio (Bemiſpat) Hæc ſecunda gemma maritalis annuli eſt, qua Chriſtus Eccleſiam ſuam ornat, Iudicium, quod ſcilicet vult Iudex eſſe. Neq; hic intelligendum eſt judicium, quod formidabile ſit piis, ſed eſt judicium, quod pii ſummis votis exoptant, ut & Eccleſiæ ſuæ adſit Deus, & vindictam exerceat in hoſtes Verbi, ſicut Petrus dicit, 2. Pet. 2. Novit Dominus eripere pios ex tentatione, Injuſtos autem novit ſervare ad diem judicii, ut puniantur. Complectitur enim vocabulum Iudicii utrunq;, & liberationem piorum, & pœnas impiorum. Pertinent igitur huc inſignes ſententiæ, quæ conſolantur Eccleſiam, Non prævalituras portas Inferorum, Deum affuturum Eccleſiæ, & adverſarias repreſſurum, ſicut Pſal. 110. vaticinatur. *Mat. 16.* *Pſal. 110.*

Judicium contra impios pro piis.

Judicium.

2. Pet. 2.

Hiſtoriæ quoque Eccleſiæ huc afferendæ erant, in quibus judicium hoc Deus patefecit mundo. Iam multos annos hoc agit Satan, ut & per impios Magiſtratus Eccleſia opprimatur, & doctrina per profanos doctores depravetur. Sed vidit Germania Deum judicantem, & ſenſerunt Eccleſiæ liberationem, dum & in mediis conatibus conciderunt impii Principes, & impuri Sophiſtæ dignam impuræ vitæ mortem perpeſſi ſunt. Impudentia & arrogantia Eccius omnia Pontificis mancipia vicit, & hoc ſtudio habuiſſe eum poſtremi ejus libri teſtantur, ut etiam reliquorum virulen-

virulentiam, si non superare, æquare saltem ut posset. Itaq; Ecclesiæ aliquandiu visæ sunt destitutæ judice, dum impune impurus homo dicit & facit quæ vult. Sed non cessavit longius vindicis Dei ira, Sic enim de eo narrant, quod circumventus letali morbo, dum ad decumbentis lectum Missa habetur, amens nescio quid de quater mille aureis numis dixerit, parum solicitus de eo, quod tum à Monacho sacrificulo agebatur, nec ita multo post epilepsia oppressus, linguæ usum amittit, & simul cum sangvine evomit animam miser. *Eccli interim.*

Non delectant pios hi horribiles casus. Mallent enim, ut omnes conferrent operam suam ad Evangelij doctrinam illustrandam ac propagandam, quam dum Evangelium blasphemant, sibi æternos cruciatus ut concilient. Sed dum nullum blasphemiarum modum faciunt, talibus exemplis opus est, ut Deus testetur se judicem esse, & reprimat impiorum conatus, ut alii emendentur, & Evangelio non ita se opponant. Hoc igitur est judicium lætum & necessarium Ecclesiæ, ut liberetur ex periculis, & impii concidant.

Tertio dicit, Desponsabo te mihi (Be hesed) in beneficentia, hoc est, bene faciam tibi, exaudiam preces tuas, largiar, quibus indiges, omnia. Hæc tertia maritalis annuli gemma est, qua Sponsam suam Ecclesiam ornavit Deus per Christum, quod est in eam beneficus, Non tantum liberat, sed multis & magnis donis eam exornat tum spiritualibus, tum etiam corporalibus. Non enim, etsi affligi Ecclesiam aliquandiu sinit Deus, ideo eam perpetuo situ & squalore absumi patitur, sed exornat Doctoribus, dat pios Magistratus, dat pacem & pacis commoda, exercet & auget fidem, accendit dilectionem, facit mansuetos, patientes, humiles, obedientes. Hæc enim sunt (Hesed) & obveniunt ex misericordia Dei per Christum, sicut Psalmus dicit Christum ascensurum ad cœlos, ut dividat dona in homines. 3. *Beneficentia. Christus beneficus in Ecclesiam.* *Psal. 68.*

Quarto dicit, Desponsabo te mihi (berahamim) in miserationibus, hoc est, miserebor tui cum es in periculis, cum cruce & calamitatibus oppressa es, non negligam te, sed sustinebo ipse partem tuarum calamitatum, Sicut Epistola ad Ebræos suavissime dicit, Christum esse Pontificem tentatum per omnia δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, qui possit compati Ecclesiæ suæ, quæ cum sit infirmissima, tamen conflictatur cum gravissimis difficultatibus. An non hæc plena suavissimarum consolationum concio est? Etsi enim varie exercemur, tamen scimus, quod Deo curæ simus, imo scimus, quod Deum nostra afflictio affligat. Sicut alibi dicit, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et ad Saulum de cœlo clamat, Saul Saul quid me persequeris? Hæc est quarta hujus annuli gemma, preciosior quovis adamante & smaragdo. Huc igitur in calamitatibus debebamus respicere, & sicut paulo ante Prophetа dixit, aperietur nobis spes in valle Achor. 4. *Commiseratio Dei.* *Hebr. 5.* *Zach. 2.* *Matt. 9.*

Quod quinto addit, Desponsabo te mihi (Be æmuna) Etsi significat veram, certam & firmam desponsationem, tamen recte redditur, In fide te mihi desponsabo. Nam si sensum sequaris, soli Christiani sunt, qui sentiunt peccatum, soli tanquam deserti objiciuntur morti & periculis. Impiis autem affluunt divitiæ, & omnis generis commoda. Itaq; videntur Deo chari & grati, Vbi econtra Ecclesia à Deo videtur negligi in perpetuis calamitatibus, quas sustinet. Hic igitur necesse est, ut credamus sponsalia hæc esse facta (Be æmuna) fideliter, & Deum, etsi sentimus peccata, etsi affligimur, tamen nobis condonaturum peccata, & liberaturum nos, sicut verbum promittit. Hæc fides retinenda est, ut contra spem credamus in spem. Non enim fallet nos sponsus noster, & quæ amor suus erga nos miseros peccatores coëgit promittere, ea fideliter præstabit, nec sinet se impediri nostris peccatis, quæ agnoscimus, & quorum veniam rogamus. Hæc particula est aurum, ex quo annulus hic factus est, & quod preciosas has gemmas complectitur. 5.

Sextum est, quod dicit, Et cognosces Dominum, Vere enim Dei noticia est, non ea, quam Lex ostendit, quod peccatores abjicere & damnare velit, Non est ea, quam ostendunt corporalia beneficia, conditio rerum, liberatio facta Israeli oppresso ab Aegyptiis, Sed quam ostendit nobis Filius Dei, qui dicit, Deum sic dilexisse 6. *Vera Dei noticia.* *Hos. 11.*

dilexiſſe mundum, ut unigenitum ſuum Filium daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ideo Chriſtus quoq; dicit, Nemo cognoſcit Patrem, núſi Filius, & cui Filius volet revelare. Hæc eſt cognitio pacti, quod Deus nobiſcum pactus eſt, quod velit peccata condonare, liberare à periculis, bene facere, & miſeratione tangi, propter Filium ſuum, in quem credimus. Sic Prophetæ eleganter & erudite commendarunt ſuis auditoribus & poſteris eorum, doctrinam fidei, Legi autem & operibus noſtris ſimpliciter gloriam juſtificationis in totum ademerunt.

Et erit in die illo exaudiam, dicit Dominus, Exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet frumentum, muſtum & oleum, & hæc exaudient Iezreel.

Cur Prophetæ tam diligenter & ſæpe de regno Chriſti concionati ſint.

Non poteſt Propheta ſatiari commemoratione beneficiorum novi Teſtamenti. Ideo autem perpetuo confert ea cum beneficiis veteris populi, ut accendat animos ſuorum tam luculenta ſpe, & confirmet eos contra illa incommoda, quæ impendebant. Itaq; pii omnibus temporibus in has Prophetias intuebantur, & ſpe miſericordiæ, quæ per Chriſtum mundo obventura erat, in communibus calamitatibus ſe conſolabantur. Etſi enim externa Eccleſiæ forma non ſemper fuit eadem, tamen eadem ſemper veræ doctrinæ ratio fuit, ut homines diſcerent ſe conſolari ſpe beneficiorum, quæ Chriſtus, promiſſum ſemen, exhibiturus erat credentibus. Hac fide Patres ante diluvium ſe erigebant, & ſalvati ſunt. Hac fide pii ſub lege ſe ſunt conſolati. Hac fide nos quoq; mundum & omnia incommoda præſentis vitæ ſuperamus. Qui autem hac fide ſe non erexerunt, contra peccatum & mortem, hos non circumciſio, non Lex, non ulla opera potuerunt ſublevare.

Magna itaq; cauſa fuit, cur Prophetæ futuri temporis beneficia populo ſuo ita crebro inculcarent. Nam & vera doctrina religionis agitanda & in Eccleſia retinenda fuit, contra falſas opiniones juſticiæ operum & meriti, & omnibus temporibus pii in valle Achor conſtituti, his ceu fulcris habuerunt opus, ne oppreſſi calamitatibus penitus conciderent.

Quod autem ad præſentem locum attinet, opponit Propheta tempus novi Teſtamenti ſeu gratiæ, tempori veteris Teſtamenti & legis. Ibi enim, quia populus peccare non deſtitit, ſic Dominus inobedientiam punivit, ut terram daret ferream & cœlum æneum, Sicut Moſes in Deut. minatur. Sed qui ſub gratia & in Chriſti regno ſunt, hos dicit terram & cœlum obſequentiſſimos habituros ad omnia ſua vota, neq; omnium rerum quicquam eis defuturum. Sed hanc promiſſionem neutiquam putabimus eſſe corporalem, ſicut Iudæi ſomniant. Nam ſupra dixit Propheta, habiturum hunc populum vallem Achor, & ſpem ei aperiendam, non res ſtatim in manus offerendas. Itaq; Eccleſia ſuſtinebit communes calamitates, quibus ingratum mundum Deus afficit, ſentiet famen, inopiam, perſecutiones, bella. Si igitur externam faciem intueris, apparebit cœlum & terram adverſari Eccleſiæ, & non exaudire vota afflictorum. Etſi enim verum eſt, quod David dicit, Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærere panem, tamen Eccleſiæ panis vere eſt (Iehem zar umajim Iahaz) panis tribulationis & aqua ejus aqua afflictionis, Eſaiæ 30.

Eccleſia calamitoſa.

Deut. 28.

Pſal. 37.

Eſai. 30.

Deus Eccleſiam orantem exaudit. Iohan. 16.

Quo igitur, inquis, referenda eſt hæc promiſſio? Ad ſpiritum ſcilicet, quod oppreſſa calamitatibus Eccleſia, habet Deum, qui non tacet ad clamores ſeu preces ſuorum, ſed reſpondet & exaudit. Sicut igitur Chriſtus Iohan. 16. poſt alias conſolationes etiam hanc addit, Amen amen dico vobis, quod quæcunq; rogaveritis Patrem in nomine meo, ea dabit vobis. Hactenus nihil rogaſtis in nomine meo, Rogate & accipietis, ut plenum ſit gaudium veſtrum, Ita Propheta hic promittit Eccleſiæ Deum ipſius vota & gemitus auditurum. Quia ſe cum ea deſponſavit in juſticia, judicio, beneficentia & miſerationibus. Sic Zacharias promittit Spiritum gratiæ & precum. Eccleſia enim fidit miſericordiæ Dei in Chriſto oſtenſæ, & ideo in periculis cum certa ſpe ſalutis clamat. Videt enim Deum, poſtquam Filium ſuum nobis dedit, una dediſſe omnia, quæ habet. Atque hic vides inſignem lucem, quam novum Teſtamentum

Zach. 12.

tum ad Prophetarum oracula recte intelligenda affert. Evangelium enim cauſam deſponſationis & exauditionis clare oſtendit, Filium Dei, propter quem ſumus in gratia & exaudimur. Sed Prophetæ hanc cauſam occulte indicarunt.

Proponamus autem nobis quoq; hujuſmodi oracula, & accendamus eorum meditatione animos noſtros, ut in tantis periculis, quæ undiq; nunc Eccleſiam premunt, cum certa fiducia poſſimus implorare auxilium, tam certo promiſſum per Prophetas, ac ſtatuamus noſtris orationibus ceſſuras omnes creaturas, etiam ipſum Satanam, qui tamen extreme nos odit, præſertim cum ad promiſſiones tam luculentas etiam ipſum mandatum additum ſit, quo jubemur orare. Non igitur noſtra peccata, non aliorum peccata nos ab oratione deterreant. Plur.. :nim æſtimabit Deus veritatem ſuam, & pactum, quod per Filium ſuum nobiſcum ....t, quam noſtra & aliorum peccata. Quanquam hic quoque vallis Achor non debemus obliviſci. Solet enim Deus differre auxilium, & prius deducit ad inferos, quam reducat, prius dejicit quam erigat, mortificat prius quam vivificat. Itaq; Eccleſia non carebit tentatione illa, quam ſenſit Cananitis, Matth. 15. Deum averſari preces noſtras, non audire, negligere nos, &c. Hic neceſſe eſt meminiſſe, quod regnum Chriſti eſt regnum ſpei, & non rerum apparentium. Differtur itaq; auxilium, ſed non aufertur. Ceſſat exauditio, ſed non negatur. Ergo diſcamus eſſe improbi flagitatores, μὴ ἐκκακοῦντες τῇ προσευχῇ, ſicut Chriſtus dicit. Delectatur enim hac ſeu improbitate ſeu impudentia Deus, & ſimul etiam exercitium ſuum habet fides, quæ augeſcit uſu.

Exhortatio ad precationem.

Exauditio differtur, ſed non negatur. Cananitis. Matth. 15.

Luc. 18.

Vtitur autem hic denuo Propheta nomine Iezreel in ea ſignificatione, qua uſus eſt ſupra, cum dixit, Magnum fore diem Iezreel, pro ſemine Gratiæ, non pro ſemine iræ, ſicut in 1. Cap. Significat enim hic Eccleſiam, quæ vere eſt divinum ſemen, ſiquidem per Verbum & Spiritum ſanctum plantatur. Ideo autem hac appellatione Propheta uti voluit, Quoniam regnum Iſrael ſine ſpe reditus diſſeminandum erat in Gentes, ut in tanto periculo, & tam diuturna calamitate ſpe futuræ benedictionis, per ſemen promiſſum ſe conſolarentur, & ſcirent ſuam poſteritatem non ſic degeneraturam in gentilitatem, quin magno numero regnum Chriſti amplexura ſit, atq; hanc ob cauſam etiam reliqua attexuntur.

Iezreel.

Et ſeminabo eam mihi in terram, & miſerebor ejus quæ fuit ſine miſericordia, Et dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipſe dicet, Deus meus es tu.

Hic rationem nominis oſtendit, cur vocet Iezreel populum ſuum, ac profecto præclarum & plenum conſolationis nomen eſt. Nam ab ipſo Deo plantatum hortum, quæ ventorum aut tempeſtatum vis evertet? cum Deus in manu ſua tempeſtates & ventos habeat, & velit hunc hortum à ſe plantatum excoli & creſcere. Convenit itaq; cum hoc nomine ſententia Chriſti, Matth. 16. ad Petrum, Non caro & ſanguis tibi hæc revelavit, ſed Pater meus in cœlis (hic audis plantationem ſeu ſemen divinum) Et tibi dico, quod tu es Petrus, & ſuper petram hanc ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferorum non prævalebunt ei. Igitur in periculis ad hanc ſententiam reſpiciamus, & nos ea conſolemur, non ſic graſſaturum furorem Turcæ, Pontificis & Satanæ, quin Deus ſervaturus ſibi ſit ſemen in terra, quanquam nonnunquam ita vepribus ac ſentibus oppreſſum eſt, ut conſpici non poſſit, ſicut tempore Eliæ & Chriſti.

Iezreel.

Matth. 16.

Quod addit, Et miſerebor ejus, eſt quaſi epilogus hujus bene longæ & ſuaviſſimæ concionis, de Eccleſia novi Teſtamenti. Quia reliquiæ regni colligentur ad Eccleſiam, & abjecta incredula Synagoga, Deus Gentes ad communionem Eccleſiæ per prædicationem Evangelij ſit vocaturus. Nam in hanc ſententiam citatur hic locus à Paulo Rom. 9. Alibi autem dictum eſt, quod vocatio Gentium evertit meritum Legis, & arguit Chriſti regnum tantum eſſe regnum Gratiæ. Si enim Gentes, quæ ſine Lege ſunt, Evangelio credunt & ſalvantur, palam eſt, non circumciſionem, non Legem, non Legis opera, qualiacunq; ea ſint, juſtificare, ſed tantũ fidem in Chriſtum.

Rom. 9.

Alludit

Alludit autem hic Propheta ad ea, quæ in Primo capite dixit, Populo Iſrael abjecto, in Gentes inditur nomen (LoRyhamo) hoc eſt, non conſecuta miſericordiam. Hic autem dicit, ſe ejus miſerturum. Igitur pertinet hæc quoq; particula ad regnum Iſrael diſſeminatum inter Gentes, quod per Evangelium ad verum Iſrael collectum eſt. Sed (Loammi) Non populus, ſunt Gentes, ſicut Paulus explicat.

CAPUT III.

Et dixit Dominus ad me, Vade adhuc, & ama mulierem adamatam à proximo, & adulteram, Sic enim amat Dominus Filios Iſrael, reſpicientes ad Deos alienos, & amantes lagenas uvarum.

Varie hoc Caput expoſitum.

HOc Caput ab Interpretibus varie exponitur. Alii enim intelligunt de toto populo, quaſi ſit vaticinium de poſtremis hujus populi temporibus, cum immineret adventus Chriſti. Etſi enim tum habuit populus Reges & Sacerdotium, tamen & Reges erant exteri, & Sacerdotium non erat legitimum, ſed emebatur ab avaris & potentibus hominibus, ſicut hiſtoriæ oſtendunt. Sed cum hac ſententia pugnat, quod Propheta diſerte loquitur tantum de filiis & regno Iſrael, hoc eſt, de decem tribubus, quæ à tribu Iuda per ſeditionem diſceſſerant. Alii ſicut Lyra putant hoc caput continere vaticinium de tempore novi Teſtamenti, & de converſione Iudæorum ad Chriſtum, de qua Paulus quoque Roma. 11. videtur vaticinari. Sed errant hi quoq;. Nam quod de converſione ad Dominum hic dicit, id ſicut aliquoties jam oſtendimus, impletum eſt, cum Evangelium cœpit inter Gentes doceri. Nos igitur ſimplicem & certam ſententiam hanc judicamus. *Rom. 11.*

Argumentum Capitis tertii.

Sicut appellatio oſtendit, agit Propheta hoc in loco tantum de regno Iſrael, ei promittit, etſi propter peccata in Gentes erat diſſipandum, futurum tamen, ut iterum à Domino tanquam ab ignoſcente marito adametur. Hac conſolatione admodum opus habebant pii in regno Iſrael, etſi numero pauci eſſent, ne putarent ſe penitus abjectos, ſed ut ſpe futuri Chriſti ſe conſolarentur, & expectatione æternorum commodorum temporalem calamitatem lenirent. Nec abſurdum, aut Prophetæ inuſitatum eſt, quod quæ in proximo capite copioſe dixit, eadem hic repetat. Quoties enim Eſaias captivitatem prædicit regno Iudæ? quoties promittit liberationem ab Aſſyrio? quoties de regno Chriſti concionatur? Apparet autem hunc Prophetam præcipue ad regnum Iſrael miſſum, Id cum ſine miſericordia videret in Gentes diſſeminandum eſſe, ſæpe hanc de Chriſto promiſſionem inculcat, ne piorum animi præſentibus malis fracti, deſperarent prorſus.

Comparatio primi & tertii Capitis.

Sed conferemus hanc concionem cum Prophetia 1. Capitis. Ita enim plus lucis huic loco accedet. Ea, ſicut audivimus, fuit Prophetia iræ. Cum enim Dominus oſtendere vellet populo Iſrael, ſe offenſum idolatriis, non poſſe non odiſſe eos, jubet Prophetam cogitare, quo animo maritus poſſit aut velit eſſe erga uxorem adulteram, & filios ex adulterio natos. Significans ſe tali animo in decem tribus eſſe. Atq; ex hac cauſa indit liberis triſtia nomina, quod filium vocat diſſeminatum, & filiam, cujus nolit miſereri. Hæc iræ prophetia fuit. Sed quæ in hoc capite à Propheta inſtituitur, eſt ſuaviſſimum Gratiæ & miſericordiæ vaticinium. Proponitur enim Prophetæ hic alia ſimilitudo, in qua non jubetur ducere, ſed amare adulteram, Ducere enim facilius eſt, ſed amare eſt difficilimum. Cogitur autem Propheta hac ſimilitudine, ut ſtatuat mitiſſimum & placidiſſimum animum eſſe ejus mariti, qui obliviſci tam inſignis injuriæ poſſit, & amore complecti tam turpem adulteram.

Tali animo, inquit Dominus, ego ſum erga populum Iſrael, erga turpem adulteram, quæ me Dominum deſerit, & ſectatur alienos Deos. Me, inquit, deſerit, qui ei ſuppeto omnia, etiam æterna bona. Sectatur autem illos, qui vini cantharum offe-

runt.

runt. An non hæc insignis ingratitudo & abominabilis malicia est? Sed non ideo abjiciam populum hunc, summo amore eum complectar, & adjungam eum mihi, ac si nihil unquam peccasset.

Hæc profecto illustris misericordiæ significatio est, quod tam fœdam adulteram Dominus testatur se non abjecturum, sed denuo amore velle complecti. Nonne enim adulterium odii causa est, & concitat maritum ad justam iram? Sed hic Prophetam audi, is non, ut antea, minatur dissipationem in Gentes, non negat misericordiam, Sed promittit summum amorem. Amor autem non iram, non odium, non pœnas, non dolorem, non metum, sed misericordiam, gratiam, beneficentiam, gaudium, & plenam fiduciam complectitur. *Misericordia Dei.* *Amor.*

Igitur hæc plena consolationis concio est, quæ id quod proprium & præcipuum Evangelij est, ostendit, nempe quod Deus, sicut Iohan. 3. est, diligat mundum, quod velit condonare peccata, ignoscere, & omni genere beneficiorum cumulare propter Christum. Sicut igitur Prophetæ alibi Christum pingunt, quod sit Sacerdos, qui & oret pro peccatis sui populi, & sacrificet, Sicut Pastorem ovium appellant, qui non ideo baculum gestat, ut oves male mulctet, sed ut lupum arceat, & eis quieta reddat pascua, Sicut Doctorem vocant donatum suavi lingua, ut erigat tristes & pavidas mentes, Sicut Regem appellant, qui tamen afflictus sit & justus, Ita Propheta hic eum comparat marito, à quo etsi discessit adultera uxor, & alienos amores sectata est, tamen obliviscitur hujus summæ ingratitudinis & offensæ, & iterum se cum ea conjungit. Iob. 3. *Christus Sacerdos, Doctor, Pastor, &c.* *Deus comparatur marito, quâ adultera uxorâ reconciliatur.*

Quid potuit fingi suavius? Qua alia similitudine Dei misericordia æque potuit commendari? Suaviſſimum est, quod ipse Christus dicit de ovicula perdita. Sed hæc culpæ significatio tam illustris, abyssos misericordiæ divinæ clarius ostendit. Nobiscum, qui sumus Gentes, hoc conjugale pactum non habuit Deus, quod cum Iudæis habuit, & tamen nos quoq; tanquam immundus partus à Domino mundati & ornati sumus. Luc. 15.

Erant autem hæc ad usum transferenda. Adultera cum agnoscit peccatum, aut calamitatibus admonita, aut aliis occasionibus, non audet sperare benevolentiam mariti, quem videt tam graviter à se offensum. Sic animi nostri, cum intuentur suam immundiciem, timent judicium Dei. Notum enim est, quid minetur Deus peccatoribus, & terrent nos merito aliorum exempla, Sed erigendus erat animus, & spes veniæ concipienda. Quomodo enim odisse nos potest Deus, pro quibus dedit Filium suum? Gravissima enim Pauli sententia est, Rom. 5. In hoc commendat Deus suam misericordiam erga nos, quod Christus pro nobis mortuus est, cum essemus peccatores. Et recte nos ex hoc beneficio tanquam ex fonte misericordiæ haurimus etiam alias consolationes, quarum in eo loco meminit Paulus quod scilicet defendemur divinitus ab ira, postquam sangvine Christi mundati sumus. Abjiciamus igitur metum iræ & judicii Dei, propter peccata nostra, & credamus quod Propheta hic dicit, Deum similem esse mariti, qui etsi ab adultera uxore desertus & graviter offensus est; tamen magis movetur bonitate sua, quam peccato adulteræ, & eam denuo amanter complectitur. Rom. 5. *Quomodo contra peccatum confugiendum.*

Profecto utriuq; maximas res Propheta complexus est. Nam & peccatum non potuit exaggerari amplius, quam hic exaggerat cum adulteræ similitudinem proponit, quæ maritum deserit, cujus beneficio possidet quæ habet omnia, & tamen sectatur alienos amores ob poculum vini. Et misericordiam quoq; eadem hæc similitudo egregie commendat, cum maritum amore adulteræ incensum dicit. Quid enim sequitur amorem aliud, quam omnis generis beneficia? Dignus itaq; locus est, qui diligenter observetur, ut & peccata nostra recte agnoscamus, & nos his misericordiæ divitiis consolemur.

Pertinet igitur hic locus proprie ad descriptionem regni Christi, quod est regnum gratiæ & misericordiæ, non est regnum iræ & judicii. Hanc doctrinam adversarij blasphemant, quasi det hæc Gratiæ commendatio licentiam peccandi. *Commendatio gratiæ quid faciat.*

candi. Sed cogita tu, qualis adulteræ animus futurus sit, quam sic benigne iterum complectitur maritus, si modo vere credat se à marito amari? An non excitabitur vehementior dolor de præterito & tam indigno facto? An non postea studebit se comparare ad mariti voluntatem, facere ac conari omnia, quibus novit maritum delectari? Contra fugere & cavere, quibus intelligit offendi ejus animum? Itaq; non commendatur misericordia Dei Ecclesiis, ut homines ea abutantur, & peccare pergant, sed ut incipiant ardentius in id incumbere, ut porro voluntatem Dei faciant, quam hactenus tam scelerate à se contemptam vident.

Et emi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro, & dixi ad eam, Diebus multis volo ut sedeas, & non fornicaberis, nec te conjunges cum viro, ego autem me tecum conjungam.

Brevitas obscuritatem parit, sed spero hanc sententiam cum Grammatica convenire. Iussus est Propheta amare adulteram, sed initia amoris admodum sunt tenuia. Impendit in eam non tantum, quantum impendebatur in ancillam à bove cornupeta læsam. Nam ejus hero ex Lege numerandi erant sicli triginta, Hic dimidium precium est. Deinde cur ita parce donat hordeum, & non complet duos coros? Hieronymus sequitur Iudæorum sententiam, qui in hisce numeris mysteria esse censent, & transferunt eos ad populum veterem, liberatum ex Aegypto, & ornatum die quadragesimo quinto lege. Hæc etsi non omnino damno, tamen certum est, non esse propria. Simplex enim & vera sententia est, quod Dominus Israelem inter Gentes disseminaturus, & ibi habiturus sit parce ac duriter, ut hoc modo cogat desistere ab idolatria. Nam quindecim argentei, & sesquicorus tritici nihil sunt quam panis quotidianus & triste exilium inter Gentes.

Simplex hujus loci sententia.

Ostendit autem causam, cur hoc facturus sit Deus, & projecturus suum populum in Gentes, & passurus, ut ibi duriter habeatur, Ibi, inquit, mihi sedebis, & non fornicaberis, non conjunges te cum alio marito, hoc est, Ideo te trado Assyriis, ut cogaris desistere ab illa turpi idolatria, quam dum regnum quietum fuit, tam pertinaciter retinuisti. Pertinet igitur hæc sententia ad docendos nos de pœnis, quas infligit nobis Deus propter peccata, ut scilicet statuamus, eas nobis non infligi ideo, quasi abjicere nos Deus & in peccatis perire velit, sed ut coacti malis, desinamus peccare, & vocemur hisce duris mediis ad pœnitentiam. Sicut Paulus dicit, A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur, Et Esaias, Vexatio dat intellectum. Abductus igitur populus ex regno, sedere inter Gentes coactus fuit, & sicut in priore capite dictum est, non potuit invenire viam amatorum suorum. Igitur carni dura captivitas profuit ad pœnitentiam. Pœnitentibus autem Dominus dat gratiam, & miseretur ac liberat.

Quo consilio Deus affligat.

1. Cor. 11. Esa. 28.

Quoniam dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine statua, & sine Ephod, & sine Imaginibus idolatricis.

Usitatum Prophetis est, ut quæ figurate dixerunt, ea postea sine figura simpliciter dicant. Itaq; hæc particula expositio est proximi versus. Nam vile precium argentei quindecim & sesquicorus tritici, quibus adulteram sibi quasi emit, ne sectetur alienos amores, nihil aliud sunt, quam triste exilium inter Gentes, à quibus duriter habiti sunt Israelitæ. Fuerunt enim sine Rege & sine Principe, hoc est, vixerunt sub ethnicis Magistratibus. Deinde caruerunt sacrificio, hoc est, non permissum eis fuit à Gentibus, ut patriis cultibus uterentur. Itaq; populus Israel, tanquam adultera ab amatoribus deserta, sedit inter Gentes, nec fornicatus est amplius in terra sua. Ad hunc modum Deus solet idolatras compescere. Nam rebus florentibus non solum non cedunt veræ religionis Doctoribus, qui veros cultus ostendunt, & ab idolatria dehortantur, sed etiam furiose eos persequuntur, Sicut Papistarum exemplum docet, quos Dominus sive per Turcam, sive per alium hostem suo tempore etiam ab idolatria coget desistere.

Expositio proximi versus.

Quod

Quod ad Grammaticam attinet, ſtatuæ vocabulum Ebræis eſt (Mazeboth à Iazab)ſtatuit.Significat autem non ſolum ſtatuas,quæ ſunt monumenta rerum geſtarum, ſed etiam, quæ ad cultum eriguntur, ſicut teſtatur locus Levit. 26. Non facietis vobis Idolum & ſculptile (Vmazebah) non ſtatuam erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra,ut adoretis eum. Significat igitur proprie ſtatuas vitulorum in Dan & Bethel & aliis locis, quas Reges idolatræ erexerunt. Ephod ex Moſe notum eſt, Exod. 28. Fuit enim veſtis ſummi Sacerdotis,conjuncta cum pectorali ſeu(Hoſen)in quo fuerunt(Vrim ve Thumim)res nobis ignotæ,Sed ſic dictæ ab eventu. Nam interrogantes Dominum in dubiis rebus per Vrim & Thumim divina revelatione facta,docebantur,quid Dominus vellet fieri. Qualis autem ea revelatio fuerit,ignoratur(Vrim)vertunt illuminationes ſeu lumina(Thumim)autem perfectiones,ſine dubio ad ſignificandam certitudinem hujus revelationis in Ephod factæ.

Mazeboth ſtatuæ.

Lev. 26.

Ephod.

Exod. 28.

Vrim. Thumim.

Sed inquies,Quomodo hoc convenit ad regnum Iſrael? Nam ſacerdotium verum & veros cultus ſola tribus Iuda retinuit. Igitur Ephod nunquam fuit apud Iſrael, ſed tantum in regno Iuda? Reſpondeo, Impius rex Ierobeam cum per ſeditionem regnum occupaſſet, inſtituit cultus in regno Iſrael ad ſimilitudinem cultuum Iuda. Sicut igitur teſtatur hiſtoria erexiſſe eum altaria, & conſtituiſſe ſacerdotes, Ita nihil dubitabimus, quin ad exemplum Iuda ſuos quoque ſacerdotes ornarit,ne diſſimilis cultus ſacerdotium Iuda redderet auguſtius. Ideo meminit Propheta hoc in loco Ephod, ut idolatriam oſtendat, quam Dominus exilio tam duro voluit punire. Ac conjungit cum Ephod etiam Thraphim, quas Idolatricas Imagines fuiſſe non uno in loco Scriptura oſtendit. Sic enim vocat Moſes Idola Laban, quæ Rahel clam patre abſtulerat. Gen.31. Et Michol,cum David à Regiis ſatellitibus quæritur, ponit in locum ejus in lectum(Traphim) Et Ezech. 21. accuſatur rex Babylonis,quod conſuluerit (Be Traphim) Itaq; Iudæi quoq; ubiq; exponunt pro idolatricis Imaginibus, quibus ad divinationes uſæ ſunt Gentes.

Ephod. Thraphim.

Gen. 31.

Ezech. 21.

Poſtea convertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum, & reverebuntur Dominum, & bonitatem ejus in noviſſimis diebus.

Hic incipit illa ſuavis concio,quod Dominus adulteram vero & maritali amore complecti,& eam propter adulterium non abjicere,ſed ſe cum ea in juſticia,judicio,beneficentia,& miſerationibus deſpondere velit. Nam populus Iſrael inter gentes manſit diſſeminatus, donec per Apoſtolos Evangelium in Gentes vulgatum eſt, ibi demum cœpit converti & quærere Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum.Profecto inſignis concio,ſi rectè explicetur. Vere enim probat,quod Dominus alibi dicit, Nolo mortem peccatoris,ſed ut convertatur & vivat.

Sed quid eſt converti? aliud nihil,quam obedire Evangelio,quod arguit mundum de peccato,de juſticia,& judicio.Porro peccatum ſi tantum accipias pro crimine admiſſo contra Legem,etiam ratio id judicat & intelligit,Sed Evangelium oſtendit totam hominis naturam peccato corruptam, & tanquam venenum per omnes corporis partes diffuſum. Hæc cognitio dejicit animum, & eximit ſecuritatem, ac concitat verum timorem iræ & judicii divini.Atq; hi terrores occiderent hominem, niſi Evangelium cum hac doctrina de peccato conjungeret aliam doctrinam de juſticia & judicio. Non autem tribuit juſticiam noſtris operibus,qui ſumus natura mali,ſed operibus Chriſti,& jubet,ut ea ſtatuamus ad nos pertinere,& pro nobis ſuſcepta eſſe. Hac fide eriguntur animi, & incipiunt Deum diligere, ac miſericordia ejus diſcunt niti.Itaq; ſequitur judicium quoq;,ut nihil metuant Satanæ minas. Norunt enim eum judicatum, nec ſequuntur eum tanquam tyrannum, ſed per Spiritum ſanctum ſe ei opponunt,& fide vincunt conatus ejus.

Converti ad Dominum. Locus Ioh. 16. Spiritus ſanctus arguet mundum.

Hæc igitur eſt vera converſio, credere Evangelio arguenti peccatum, & docenti juſticiam & judicium. Hanc converſionem ſequitur, ut Dominum quærant, hoc eſt, ut innitantur verbo, ut retineant veros cultus, ut idolatriam fugiant,

Quærere Deum

ut exerceant in periculis fidem & invocationem, ut alios ad religionem invitent libera confeſſione Verbi, ut in omnibus reſpiciant ad Dei voluntatem, & mundi ac carnis ſcandala amputent. Hæc enim omnia complectitur Verbum quærendi. Significat enim ardens ſtudium veræ religionis & obedientiæ erga Deum, conjunctæ cum ſummo neglectu mundi & hujus miſeræ vitæ, quam hic vivimus.

De regno David, hoc eſt, de Chriſto.

Sed hic obſerva diligenter verba, Quærent, inquit, Dominum Deum ſuum, & Regem ſuum David. Quid hic novi oritur? Nam Verbum quærendi hoc in loco proprie ſignificat internos cultus, ſicut teſtatur Pſalmus 69. Non erubeſcant propter me, qui te expectant Domine, Non confundantur propter me, qui te quærunt Deus Iſrael. Hos cultus Deo tribui nemo inique feret, ſicut Propheta hic utitur vero Dei nomine (Iehova) Sed hic reſpondeant Iudæi, Cur is cultus, qui Deo tribuitur etiam tribuitur Regi David? Num igitur colemus plures Deos? Aut Deus dabit gloriam ſuam alteri? Non ſolum enim dicit, Deum quærent, ſed promittit futurum, ut etiam quærant Regem ſuum David, Clarum igitur hoc teſtimonium eſt, eodem ſtudio & affectu Regem David quærendum, quo verus Deus quæritur. *Pſal. 69.*

Hoc autem ſi abſurdum & impium videbitur (Deus enim Deus unus eſt) coget Iudæos neceſſitas, ut definiant Deum (Iehova) & hunc Regem David eſſe unum & eundem Deum. Siquidem eodem cultu ſunt colendi. Sed hic reſpondeant, quis ille Rex David ſit? Nam filius Iſai non eſt, qui cum Ierobeam dominaretur in Iſrael, ante annos plus minus ducentos mortuus fuerat, & promittit hunc David quærendum, poſtquam longo tempore in captivitate regnum Iſrael vixerit. Ad hæc reſpondeant Iudæi, nam Prophetæ ſententia eludi non debet.

Nobis autem facilis reſponſio eſt, qui confitemur Chriſtum eſſe verum Deum, qui etſi à Patre in eo differt, quod genitus eſt ex Patre, tamen quod ad divinitatem pertinet, à Patre nihil differt. Nam Deus Pater ex ſua æterna natura nihil poteſt gignere, quod non ſit æternum, Sicut Epiſtola ad Ebræos ideo Chriſtum appellat characterem ſubſtantiæ Patris, & ἀπαύγασμα gloriæ, Et Chriſtus ad Philippum dicit, Philippe, qui me videt, videt Patrem meum, An non credis, quod ego in Patre ſum, & Pater in me eſt? Iohan. 14. Appellat autem Propheta eum novo nomine Davidem, ut oſtenderet æternum Dei Filium naſciturum in hunc mundum ex ſtirpe Davidis, & inculcaret populo promiſſiones Davidi de æterno Meſſiæ regno factas, Sicut hujus promiſſionis etiam Angelus meminit, Dabit ei Dominus ſolium patris ſui David, & regnabit ſuper domum Iacob in æternum, Lucæ primo. *Ebra. 1.* *Iob. 14.*

Cur Chriſtus vocetur David.

Igitur hæc ſententia eo pertinet, ut primum nos doceat de perſona Meſſiæ ſeu Chriſti, quod ſit naſciturus ex ſemine Davidis ſecundum carnem, ne dubitemus eum eſſe verum hominem Davidis ſimilem, ſecundum carnem, & tamen quod, ut Michas dicit, ejus egreſſus ſit ab antiquis diebus & à ſeculo, hoc eſt, quod natura ſit Deus, à Deo ab æterno genitus, coæqualis Patri in gloria. Hanc cognitionem niſi afferas ad Chriſtum, nunquam poteris victoria ejus, qua peccatum, mortem, & Satanam vicit, gaudere. Nam divina virtute ad hos hoſtes noſtros vincendos opus fuit, Ideo Paulus in Romanis dicit, Chriſtum declaratum Filium Dei potenter per Spiritum ſanctum. Siquidem reſurrexit ex mortuis. *Luc. 1.* *Mich. 7.* *Rom. 1.*

Verus Dei cultus, Chriſtum amplecti.

Secundo pertinet hoc etiam eo, ut doceamur de veris cultibus Dei. Sicut enim ſine Chriſto Deum nemo cognoſcit, Ita etiam ſine Chriſto Deum nemo colit. Si Turcam audias, ſi Iudæum, audis Dei nomen, qui condidit cœlum & terram, hunc invocant, hunc prædicant, hunc colere ſe profitentur, ſed ſunt turpes & ſcelerati Idolatræ. Quærunt enim Deum, & Regem Davidem non quærunt. Deus autem, ſicut Propheta hic teſtatur, ſic vult quæri, ut ſimul quæras Davidem Regem, hoc eſt, ut in Chriſto Deum quæras & colas. Sicut Chriſtus dicit Matth. 11. Nemo novit Filium, niſi Pater, & Patrem novit nemo niſi Filius, & cui Filius revelaverit. Quid poteſt dici clarius, ſine Chriſto Deus non eſt, Deus ſine Chriſto non quæri debet, non inveniri nec coli poteſt. *Matt. 11.*

Graviſſi-

by Google

Graviſſima igitur hæc Prophetæ ſententia eſt, ſic conjungentis in cultu Deum (Iehova) & Chriſtum, ut invocantes Deum per Chriſtum eum invocemus, ut ſperantes in miſericordiam Dei, per Chriſtum ſperemus Deum nobis propitium, ſicut novum Teſtamentum ubiq; Chriſtum proponit tanquam unicum Mediatorem, per quem ad Deum nobis eſt aditus.

Quod addit, *Et reverebuntur Dominum & bonitatem ejus in noviſſimis diebus*, id proprie pertinet ad cultum Dei. Vtitur autem Propheta hic verbo (Pahad) quod medium eſt, & nonnunquam in malam, nonnunquam in bonam partem accipitur. Nam Moſes cum minatur tranſgreſſoribus Legis Deut. 28. dicit futurum, ut paveant dies ac noctes. Contra, cum dicit Geneſ. 31. de Iacob, juraſſe eum per pavorem patris ſui Iſaac. Ibi de Deo & beato pavore eum loqui clarum eſt. Et res oſtendit, non eodem timore à fure timeri lictorem, & à liberis beneficum parentem. Quia autem Propheta diſerte addit, Pavebunt à bonitate ejus, quis non videt pavorem hunc verius reverentiam eſſe, & acre ſtudium, ne tam beneficus Deus offendatur. Ergo vera ſententia eſt, quod in novo Teſtamento per Evangelium prædicabitur aliud nihil, quam immenſa Dei bonitas, quæ per Chriſtum Filium Dei oſtenſa eſt, & quod hanc cum admiratione amplexuræ ſunt reliquiæ Iſrael tum inter Gentes ſparſæ.

Timere Deum quid.

Deut. 28.
Gen. 31.

Sed cum hac prædicatione & cultu quomodo convenit Pontificis doctrina, qui Mediatoris officium à Chriſto transfert in Divos, & non bonitatem Dei, ſed durum & acerbum judicium prædicat? Deinde cogit, ut homines ſuis ſtudiis & operibus tam durum & implacabilem animum Dei mitigent. Hæ pœnæ merito conſecutæ ſunt ingratitudinem noſtram, Siquidem, tam præclaras Prophetarum conciones negleximus, & hominum ſomnia ſumus admirati. Singularem igitur conſolationem hoc caput proponit, & non tantum docet nos de Chriſto vero Deo, ſed etiam de Regno ejus, quod ſit regnum, in quo non terrentur animi, ſicut à Lege, ſed eriguntur fiducia bonitatis, quæ in Chriſto propoſita eſt, per quem Deus etiam peccatoribus ignoſcere, & eos in gratiam recipere ac ſalvare vult.

CAPUT IV.

Audite verbum Domini filii Iſrael, quia lis Domino contra habitatores terræ.

RECTE hoc loco diſtincta ſunt capita. Nam Propheta hic novam Concionem inſtituit, noſtris temporibus ita convenientem, vt non de ſuo populo, ſed de nobis vaticinatum eſſe credas. Multa ſunt, ex quibus homines eruditi futurorum eventuum ſignificationes colligunt. Nam & portenta, quæ paſſim viſuntur, nihil pollicentur boni, & ipſa negocia paulatim delabuntur eo, ut certam confuſionem omnium Ordinum tandem ſequi neceſſe ſit. Sed profecto certiſſima impendentium calamitatum indicia ſumuntur ex moribus, uſq; adeo corruptis & depravatis. Ac cum hoc genere divinationis, quod ex moribus ſumitur, conveniunt Prophetarum vaticinia. Quis enim non videt, quid in ſuo populo reprehendat Hoſea? Sed cum eadem noſtrorum temporum vitia ob oculos ſint, magno impetu graſſantia, num dubitabimus de ſimili eventu?

Indicium de futuris ſumitur ex moribus.

Pertinet igitur hæc Concio ad pœnitentiam, ut pii ſe & familias ſuas diligenter diſcant regere in timore Dei. Etſi enim fatalis calamitas Germaniæ impendet, tamen qui in timore ſancte vivunt, & vulgatis criminibus ſe non contaminant, hos Dominus, ſicut Danielem & ſocios ejus, tuebitur & ſervabit, ut ſentiant præmia pietatis, ſicut reliqui peccatorum meritas pœnas ſentiunt. Præfatio graviſſima eſt, quam vaticinio ſuo addit Hoſea. Nam verbum Domini ſe afferre dicit. Itaq; nemo dubitet, quin certò ſecutura ſint, quæ minatur. Et durum eſt, quod affirmat Dominum habere litem contra populum. Quis enim in eo judicio conſiſtet, in quo à Domino accuſa-

Concio pœnitentiæ.

tur? Non enim, ſicut coram ſudice, in hoc judicio verbis diſceptatur, ſed nos ipſi contra nos afferimus teſtimonium conſcientiæ, tanquam chirographum.

Dominus accuſat mundum per miniſtros Verbi.

Sed quomodo contendit ſeu litigat Dominus? De cœlo non tonat, nec mittit Angelos nuntios iræ, ſed pauperes, contemptos, & nihili homines mittit, quos mundus tanquam peripſemata contemnit, & abominatur. Itaq; geminatur hic peccatum mundi. Non enim ſolum peccat ſecure, ſed reprehenſionem peccatorum non vult ferre. Accuſat Doctores ſeditionis, ac convicia & blaſphemias interpretatur, cum audit reprehendi peccata. Vtriné; igitur urgentur Doctores. Si faciunt officium, & accuſant mundum, Mundus iraſcitur & furit, ſi non faciunt, Deum iratum habent. Sicut teſtatur Ezechiel. Oportet igitur, ut Doctores magno ſint animo, & libere arguant mundum. *Ezech. 3.*

Deinde ad auditores hoc pertinet, ut hanc litem ſeu expoſtulationem doctorum non contemnant tanquam hominum voces, ſed grato animo accipiant, & quæ reprehendi audiunt, corrigant. Ideo enim hæc expoſtulatio inſtituitur, ut de peccatis admoniti redeamus in viam, ut tempore calamitatis habeamus protectorem Deum, cum impios abripiet ira ad interitum. Sed jam expoſtulationem audiamus.

Non veritas, non beneficentia, non Dei cognitio eſt in terra.

Hic vide, quam ſapienter inſtituat reprehenſionem Propheta, Non tantum dicit, qua in re peccet populus, ſed ſimul etiam hoc ſignificat, cui rei ſtudere debeant, qui cupiunt effugere iram Dei. Sicut igitur tota Lex contrahitur in hæc duo capita, quod docet de cultu Dei, & de officiis erga proximum, ſeu de dilectione, Ita Propheta hæc duo hoc in loco erudite & breviter conjungit (Emes ve heſed) Veritas & beneficentia pertinent ad ſecundam tabulam (Daas Elohim) Notitia Dei pertinet ad primam tabulam. Hoc igitur ſtadium eſt, in quo ſibi decurrendum pii ſtatuant, ſi volunt modo facere officium, & iram Dei effugere. Hieronymus habet ſuas cauſas,

Veritas & miſericordia.

cur putet miſericordiam cum veritate à Propheta conjungi. Sed nihil prohibet, quominus veritatem & miſericordiam pro una & eadem re, hoc eſt, pro vera miſericordia & non ſimulata accipias. Sicut Paulus ad Timoth. vocat ἀγάπην ἐκ καθαρᾶς καρδίας, Dilectionem ex puro corde. Sæpe enim benefacimus aliis ſpe majoris commodi, ſæpe ambitio liberales facit, ſæpe pudor, Sed vera dilectio ſuum non quærit, tantum reſpicit Dei mandatum, & proximi neceſſitatem, Talis dilectio, inquit Propheta, nuſquam invenitur, Igitur non aberit pœna longius. Qui veritatem ſimpliciter accipiunt pro conſtantia in dictis & factis, hi quidem non errant, Sed includitur hæc quoq; in dilectionem, quam Propheta hic beneficentiam vocat.

Vbi non eſt verbum, ibi non eſt vera veritas.

Sed unde hoc malum ingruit in mundum, ut nihil veri, ſed omnia ſimulata ſint, & nulla uſquam veri amoris cernantur indicia? Inde nimirum, quod nulla Dei notitia eſt in hominibus, hoc eſt, quod homines negligunt Verbum, quod nullos habent pios Doctores. Igitur qui huic quaſi morbo mundi cupiunt mederi, abhibeant verum & rectum pharmacum, verbum Dei, Id ſolum eſt, quod huic morbo medetur. Nam animi recte inſtituti de voluntate Dei, non ſunt ſecuri, ſed incipiunt timere Deum, & invocare ejus nomen, & repugnant peccato, ac ſe ad voluntatem Dei comparant. Sed ô peſtem penitus exitialem! Quam enim invenias multos in Germania, qui totis viribus hoc agunt, ne ſui ad notitiam Dei perveniant, Siquidem tanto ſtudio ſe verbo opponunt, & vi ad idolatriam cogunt ſubditos. Nihil igitur dubitemus eadem ipſos manere incommoda, quæ populus Iſrael expertus eſt.

Ad hunc modum Propheta infra Cap. 6. conjungit eadem (Heſed) beneficentiam amo, & non ſacrificium (Ve daath Elohim) & notitiam Dei præ holocauſtis. Et Michas in 6. Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid exigat Dominus à te, nempe, ut facias judicium, ut diligas beneficentiam, & ut in timore Dei ambules. Memineri mus igitur nos quoq; in hæc nobis incumbendum eſſe, ſi modo volumus effugere iram Dei. *Mich. 6.*

Sed maledicta, mendacium, cædes, furtum, adulterium graſſantur, & ſanguines attingunt ſanguines.

Hæc

Hæc confer ad noſtra tempora, & non ovum ovo tam ſimile eſſe dices, quam noſtri mores ſimiles ſunt moribus domus Iſrael. Verbum (Alo) ſignificat maledictum, hoc eſt, blaſphemias & diras imprecationes, quas apud nos pueri prius pene diſcunt, quam loqui norunt. Mendacia in contractibus etiam ingenii laudem habent. Cædes & furta ſunt peculiaria, quaſi ornamenta nobilitatis. Adulteria noſtris moribus ne quidem pœnam conſtitutam habent. Vere igitur, ſicut Propheta hic eleganter loquitur (Damim be damim nagau) ſangvines tangunt ſangvines, hoc eſt, peccata cumulantur peccatis, & unum peccatum trudit aliud. Nota enim phraſis eſt ex Pſalmo 51. quod ſangvines vocantur non tantum cædes, ſed in genere omnia peccata, morte digna. Quanquam hic Propheta videtur proprie reſpicere ad indignas ſanctorum Prophetarum cædes, & perſecutionem in Eccleſia. Sed tam corruptos mores, quæ tandem ſequetur fortuna?

Noſtri ferè mores.

Pſal. 51.

Propterea lugebit terra, & excindentur omnes habitatores ejus, una cum feris ſilveſtribus & volucribus cœli, quin & piſces maris deficient.

Horribilis hæc concio eſt, ſed docet nos experientia hoc modo graſſari peccatorum pœnas. Nota eſt figura in verbo (abal) planxit. Sicut enim tum dicitur ridere ager, cum omnia florent, Ita contrario modo lugere dicitur, cum incommodis tempeſtatibus deformatus ſterileſcit. Hoc incommodum ſequitur aliud, ut externus hoſtis ingruat, & diſſipet omnia. Nam id ſignificat verbum (ymlal)

Quod de beſtia agri & volucribus cœli dicit, quidam exponunt per Hypallagen, quod ſcilicet ipſi homines auferentur, qui volucribus cœli & beſtiis agri ſolebant frui, Sed nihil opus eſt hac interpretatione. Videmus enim ita accidere, cum ira Domini venit, ut omnium rerum ſumma penuria & caritas oriatur. Nam hodie non eſt eadem piſcium & volucrum copia, quæ memoratur ſuperioribus annis fuiſſe. Hæc ſi quis peccatorum pœnas eſſe dicit, profecto non falletur. Itaq; libenter ad hunc modum præſentem locum expono, ut ſignificet omnium rerum penuriam & caritatem, quæ ſuperioribus temporibus, cum ira Dei adhuc quieſceret, tanta non erat.

De Hieronymo vehementer miror. Nam hanc eandem ſententiam retinet, hæc enim ſunt ejus verba, quæ libens adſcripſi, Cum captivitas decem tribuum, inquit, venerit, habitatore ſublato, beſtiæ quoq; & volucres cœli, & piſces maris deficient, iramq; Domini etiam muta elementa ſentient. Hoc qui non credit accidiſſe populo Iſrael, cernat Illyrium, cernat Thracias, Macedoniam atq; Pannonias, omnemq; terram, quæ à Propontide & Boſphoro uſq; ad Alpes Iulias extenditur, & probabit; cum hominibus & animantia cuncta deficere, quæ in uſus hominum à Creatore prius alebantur. Hactenus Hieronymus loquitur de ſuis temporibus, Sed quis non videt eum verius vaticinatum eſſe de noſtris temporibus, quæ harum regionum, quas nominat, everſionem vident & ſentiunt factam per Turcam, propter peccata noſtra.

Sed nemo eos accuſare, nemo reprehendere audet, Populus enim tuus eſt, ſicut qui accuſant Sacerdotem.

Nota eſt Phraſis (Iſch aliaref) vir ne contendat. Nam vocabulo viri ſolent Ebræi uti pro particula indefinita. Recenſuit Propheta hactenus peccata ſui populi. Debet autem hæc commemoratio eo infigi diligentius animis noſtris, quod iſtorum temporum imaginem præſens noſtra ætas refert. Itaq; niſi vera pœnitentia prævenerimus iram Domini, eadem Germaniam pœna manebit. Addit autem Propheta jam aliud peccatum, quod in ſpeciem videtur eſſe levius, ſed longe graviſſimum eſt. Non enim tantum eſt peccaſſe, quantum eſt peccati reprehenſionem nolle ferre, & excuſare peccata. Vbi enim ad hunc modum vivitur, ut à medicina abhorreant animi, ibi non poteſt longius abeſſe pœna. Quod igitur dicit Propheta, nemo litiget, nemo reprehendat, non hoc vult, quaſi reprehendi vitia non debeant, Sed oſtendit reprehenſionem fruſtra eſſe, non admitti eam ab hominibus aut tolerari.

vir.

Mundus cum peccat, non vult reprehendi.

Hoc quoq; peccatum noſtro ſeculo uſitatiſſimum eſt. Inſpice enim Eccleſias, & videbis paſſim Doctores in odio eſſe, quod liberius, ſicut miniſterii ratio poſtulat, arguunt peccata, Ac præcipue eorum, qui in Magiſtratu ſunt, tenerrimæ ſunt aures. Qui enim potatores ſunt, cum audiunt reprehendi ebrietatem, ſe lædi & peti putant, Qui adulteri, avari, injuſti ſunt, horum vitiorum reprehenſionem judicant ſibi contumelioſam. Sed hac ratione magis provocatur Deus ad iram. Nam peccata iſta aut omittenda & corrigenda erant, aut erat ferenda libera reprehenſio. Non enim homo, ſed Deus litigat & expoſtulat cum peccatoribus. Sicut Propheta initio præfatus eſt, Et hic eodem verbo uritur, Deum autem reprehendentem non odiſſe, ſed revereri, ei parere & obſequi debemus. Qui hoc non faciunt, infra audient, quale judicium eos maneat.

Sed longe iniquius ferunt reprehenſionem adverſarij noſtri, qui Verbum non habent. Hi enim cum audiunt reprehendi idolatricos cultus, etiam ferro Doctores volunt compeſcere. Nota quoq; exempla ſunt veterum Prophetarum, Eliæ, Eſaiæ, Ieremiæ, & in novo Teſtamento hiſtoria Chriſti & Apoſtolorum ſatis teſtatur, quo animo juſtas reprehenſiones acceperit Synagoga. Ad hunc modum hoc in loco oſtendit Hoſea, pios Doctores non carituros periculis, ſi faciant officium. Nam Mundus impatiens eſt reprehenſionum.

Quod addit, Populus tuus, ſicut qui litigant cum Sacerdote, eſt inſignis amplificatio. Nam in priore ſententia oſtendit populum talem eſſe, ut nolit à quoquam reprehendi. Hic addit, Quod cum reprehenditur à Sacerdote, movet ei litem & expoſtulat cum eo. Hoc autem eſt plane invertere omnia. Populus enim audire, at ſacerdos loqui & docere debebat, Doctrina autem includit reprehenſionem eorum, quæ mala ſunt, Hanc ferre non volunt. Paſſim igitur invenias (meribekohen) hoc eſt, tales, qui cum mereantur reprehendi à Doctoribus propter peccata, ipſi Doctores reprehendunt, & rixantur cum eis. Sed quam periculoſum eſt, ſi quis in corporis morbo cum Medico rixari, ac ei non parere velit? Multo autem plus periculi in eo eſt, cum abjicitur verbum, & excutitur diſciplina. Quid enim reliquum eſt, quo ſanari animæ morbus poſſit?

Corrues igitur hodie, & corruet una tecum Propheta in nocte, & perdam matrem tuam.

Pœna contemptorum verbi & impiorum Doctorum.

Hæc eſt pœna propoſita peccatoribus contemnentibus verbum Dei. Sicut autem accidit hodie, cum hortamur adverſarios ad veram religionem, & minamur, ſi pergant in idolatria, futurum, ut omnis generis malis circumveniantur. Ipſi autem non ſolum negligunt has minas, & contemnunt, ſed etiam perſuadent ſuis, has pœnas ideo immitti, quod Papæ religio non defenditur acrius. Ita prorſus in regno Iſrael accidit, Cum mitterentur ad eos veri Prophetæ, qui hortarentur ad veros cultus, & reprehenderent idolatriam, Pſeudoprophetæ ſe eis opponebant, & ſuos confirmabant in idolatria. Minatur autem Dominus hoc in loco, tum populo, tum Prophetis, futurum, ut cadant. Ac quod de Prophetis dicit, nocte caſuros, oſtendit allegorice duriſſimam circumſtantiam, quod cum apprehendet eos calamitas, etiam conſcientiæ malæ ſtimulis exagitabuntur, quod tantum ventris ſui cauſa in tantum diſcrimen adduxerint populum.

Corruere in nocte.

Populus meus perit, quia eſt ſine verbo.

Hoc caput mali eſt, quanto Deus verbum mittit, & mundus id amplecti recuſat, ac retinet potius uſitatam idolatriam. In Ebræo ſententia mire rotunda & elegans eſt (Nidmu ammi mibli hadaath) Populus meus vaſtatus eſt ſine ſcientia. Scientiæ enim vocabulum, ut ſupra dictum eſt, uſurpatur pro notitia Dei. Hæc cum ex ſolo verbo Dei poſſit peti, retinui Verbi appellationem, Quanquam Propheta non hoc dicit, quod caruerint prorſus verbo, ſed quod cum haberent verbum, id nolucrint amplecti. Similis ſententia eſt in Salomone, Vbi non eſt prophetia, diſſipatur populus. Et

Scientia.

Prov. 29.

lus. Et docet idem Amos quoq;, cum minatur famen non panis. Igitur Principes & Reſpub. verbi donum debebant exoſculari. Hoc enim aut amiſſo, aut negligenter habito, certa vaſtitas ſequitur.

Quia tu abjeciſti verbum, ego quoq; abjiciam te, ne ſis meus Sacerdos & quia oblitus es legis Dei tui, ego quoq; obliviſcar filiorum tuorum.

Hæc eſt altera pars expoſtulationis, in qua proprie expoſtulat cum ſacerdotibus. Horum enim præcipuum officium eſt, docere Eccleſiam, & non ſolum inſtituere veros cultus, ſed etiam amputare ſcandala, & hortari populum ad ſanctam vitam. Sed nihil minus agunt, inquit Hoſea, Igitur perdam eos quoq;, nec ſublevabit eos miniſterium in quo ſunt. Eſt autem hic locus dignus obſervatione, Non ſolum enim Iudæi miniſterij dignitate ſe tuebantur, ſicut exempla Prophetarum oſtendunt, quibus fiducia miniſterij Sacerdotes ſe opponebant, quaſi non poſſet perire Lex à Sacerdote, neq; conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta. Sed hoc idem faciunt hodie Pontifex, Cardinales & Epiſcopi. Vſurpant enim ſibi nomen Eccleſiæ, propter miniſterium, quod in Eccleſia eſſe neceſſe eſt, & hoc quaſi pallio tegunt, quicquid impiorum dogmatum & cultuum ab ipſis in Eccleſiam invectum eſt. Quaſi vero aut qui in miniſterio ſunt, errare non poſſint, aut Eccleſia ad ordinem certum ſit alligata, & non potius ad verbum.

Miniſterium nõ excuſat peccata aut errores.

Mal. 7.

Verum eſt, quod miniſterium tantum in Eccleſia eſt, Sed miniſterium quoq; ſuos certos limites habet, intra quos conſiſtit, Non tribuit poteſtatem inſtituendi novos cultus, non liberat ab obedientia verbi, non excuſat peccata, non mutat, quæ à Chriſto Eccleſiæ donata & inſtituta ſunt, Sed ſicut Chriſtus de Spiritu ſancto dicit, Ipſe de me teſtabitur, & vos teſtabimini, neceſſe eſt eos, qui in miniſterio ſunt, hoc teſtimonium retinere, & nuſquam ab eo diſcedere. Si autem diſcedunt, miniſterium amittunt, hoc eſt, ipſorum auditores mandato divino coguntur, ne eis obediant, ſicut Chriſtus dicit, Cavete à falſis Prophetis.

Papiſtæ fruſtra mintur tueri eam ſuo miniſterio.

Ac de Iudæorum Sacerdotio conſtat, eam ſucceſſionem divinitus mandatam, & certum cultus ipſorum locum conſtitutum eſſe. Quod profecto in novo Teſtamento non eſt, Nam Sacerdotis nomen & officium ſolus Chriſtus gerit & implet, Et tamen veteris populi ſacerdotium divinitus conſtitutum verbo alligatum fuit. Itaq; diſcedentes à verbo errarunt. Sicut teſtatur Ezechielis locus de vero Iudæ ſacerdotio, Lex peribit à Sacerdote, & conſilium à Senioribus, Ezech. 7. Et Hoſea hic clare dicit. *Quia repuliſti verbum meum, ego quoq; abjiciam te, ne ſis meus Sacerdos, & quia oblitus es legis Dei tui, ego quoq; obliviſcar filiorum tuorum, hoc eſt, ſucceſſionem ſacerdotij abjiciam.* Si hoc, inquam, veteri ſacerdotio accidit, cujus ſucceſſio divinitus erat mandata, quid objiciunt nobis titulos & miniſterium, Pontifex, Cardinales & Epiſcopi? Prius probent nobis, retinere ſe Verbum, nihil contra Chriſti inſtitutum ſe docere, nihil à Chriſto mandatum & inſtitutum mutaſſe, & agnoſcemus miniſterium eorum tale eſſe, cui parere omnes conveniat, ſecundum ſententiam, Qui vos audit, me audit, Item, Spiritus ſanctus teſtabitur de me, & vos teſtabimini.

Ezech. 7.

Luc. 10.

Sed cum convinci poſſint, quod in Eccleſiam invexerunt, quæ Chriſtus prohibuit, ſicut eſt mandatum de cœlibatu. Chriſtus enim eos tantum jubet capere verbum id, qui poſſint capere, At Papa in genere omnes Eccleſiarum miniſtros à conjugio arcet. Item, quod à Chriſto inſtituta & mandata mutarunt, ſicut uſum integri Sacramenti. Item, quod nova dogmata & novos cultus inſtituerunt, quos prima Eccleſia neſcivit, ſicut ſunt Miſſæ pro vivis & mortuis. Invocatio Sanctorum, Deprecationes pro mortuis, & ſimilia, Dicimus cum Hoſea ad Papæ Eccleſiam, Tu repuliſti Verbum, ideo non es Sacerdos Dei, ſed repulit te Deus quoque. Nec plus apud nos Pontificum aut Epiſcoporum autoritas valere debet, poſtquam à verbo diſceſſerunt, quam cujuſquam privati. Non enim habent ſucceſſionem, quæ ſine verbo duret, Sed miniſterium eſt alligatum ad verbum. Hoc qui non ſequitur, qui aliquid de eo

Cur Papæ non audiendi.

de eo mutat,qui aliquid ei addit, ſive Pontifex, ſive Epiſcopus, ſit anathema, & non tantum non caput,ſed ne membrum quidem veræ Eccleſiæ,ſecundum Pauli ſententiam,Qui aliud Evangelium evangeliſaverit,anathema ſit, etiamſi Angelus de cœlo id faciat. *Gal.1.*

Quanto magis multiplicantur, tanto peccant magis contra me. Igitur gloriam eorum in ignominiam commutabo.

Keribam. Vocabulum (Keribam) juxta multitudinem,ambiguum eſt. Poteſt enim aut ad multiplicationem perſonarum, aut rerum ſeu benedictionem referri, Quod Sacerdotes in magno honore fuerint, & divinitus aucti ſint omni genere commodorum, Sed poſtquam hiſce donis ad avaritiam & peccata abuſi ſunt, Dominum eos puniturum, non ſolum auferendo iſta, ſed etiam cumulando variis malis. Ad hunc modum Ieremias cum toto populo expoſtulat, Introduxi vos ad terram cultam & fertilem, ut comederetis fructus ejus, & quicquid habet boni, ſed ingreſſi eo inquinaſtis terram meam. *Ier. 2.*

Kebod. Vtitur autem Propheta hic auguſto vocabulo (kebod) ut appareat eum tantum loqui de digniſſima parte populi, hoc eſt, de Sacerdotibus, quos Deus ſuo loco voluit in terra eſſe,ut doceant populum de Deo & cultu Dei,ut deprecentur pro populo Deum, ut etiam ſacra pro populo faciant. Hæc omnia auguſtiſſima ſunt, ſed quia diſcedunt à verbo, & non faciunt quæ ſunt miniſterij, hunc ornatum, hoc eſt, miniſterium ipſum eis adimam,inquit, & replebo eos ignominia,ut videant cultum ſuum inutilem eſſe,& non placere mihi.

Peccatum populi mei comedunt, & anima eorum delectatur iniquitate eorum.

Nomen peccati (hatath) non tantum uſurpatur pro reatu, ſed etiam pro expiatione reatus, ſeu ſacrificio, Sicut Paulus quoq; hanc Ebraicam phraſin ſecutus, Chriſtum dicit peccatum factum,hoc eſt, hoſtiam ſeu victimam pro peccatis. In hac ſententia etiam hoc loco accipitur. In altera parte ſententiæ eſt alia phraſis (Iſu Naphſcho)levaverunt animam. Hanc etſi alii aliter interpretantur,tamen rectiſſime videtur exponi, pro magno deſiderio, cum aliquis avide aliquid cupit. Sed quid hic novi oritur? Num peccatum fuit veſci ſacrificiis & de altari comedere? Cur igitur prophanis tam ſerio interdictum fuit à ſacrorum eſu? Cur Malachias tam minatur ſevere offerentibus macras & vitioſas hoſtias? Sed hoc non eſt peccatum illud,quod Propheta hic tam ſerio damnat, Aliud majus & gravius agit, ſicut verba ſequentia oſtendunt, nempe quod Sacerdotes, ut uberiorem quæſtum haberent, invitabant populum ad Moſaica ſacrificia, & de vero ſacrificio Filii Dei nihil docebant. Sed priuſquam ſententiam oſtendamus, paucis ratio ſacrificiorum veteris Teſtamenti explicanda eſt. *Rom.8. 2. Cor. 5.*

Cultus legis. Habuit populus Legis cultus ſuos, inſtitutos ad tempus, ut eſſet occaſio declarandæ obedientiæ erga Deum (erant enim divinitus mandati) & ut ſimul diſcerneretur ab aliis Gentibus,quæ utebantur cultibus aut à ſe excogitatis, aut ſine mandato aliquo Dei aliunde acceptis. Præterea erant quoque ſacrificia veteris populi figuræ, quæ admonerent populum de vero & æterno ſacrificio, quod per Filium Dei offerendum erat. Etſi autem inter hæc ſacra erant, quæ proprie dicerentur hoſtiæ pro peccato, tamen in genere omnia ſacra habebantur pro cultu Dei, ac licebat ex Lege veſci Sacerdotibus iis,quæ offerebantur,ſicut ex Moſe patet.Sed cultus hi non habuerunt promiſſionem remiſſionis peccatorum coram Deo. Ad eam enim rem alia erat propoſita victima Filius Dei, Sicut Iohannes ideo eum vocat agnum Dei, hoc eſt,à Deo deſtinatum,ut fieret victima pro peccatis mundi. Non igitur damnat hoc in loco,quod ſacris veſcebantur Sacerdotes, ſed doctrinam damnat, quod docebant his legalibus ſacrificiis impetrari remiſſionem peccatorum & juſticiam. Hac enim opinione depravatus populus,liberalius ſacrificabat.

Vna victima pro peccatis, Filius Dei.

Sicut

Sicut in Papatu quoq; experti ſumus, Nam opinio meriti & juſticiæ omnes divitum theſauros aperiebat, Nunc cum docetur remiſſio peccatorum & ſalus, tantum per fidem in Chriſtum contingere, bona opera autem tanquam obedientiam Deo debitam præſtandam eſſe, nemo eſt, qui juvare Eccleſiam, miniſtros, & pauperes velit, Igitur hic duplex peccatum concurrit, Primum & graviſſimum eſt depravatio doctrinæ ſanæ, Alterum eſt avaritia, quæ occaſio eſt depravandæ doctrinæ. Sententia igitur eſt, quod Sacerdotes quæſtus ſui cauſa docebant populum, ſacrificiis aboleri peccata. Sicut hodie Papiſtæ docent, de juſticia per Miſſas & eleemoſynas conſequenda. Ex ea re quæſtus erat uberrimus. Atq; hoc eſt, peccata populi comedere, & deſiderare peccata populi. Erant enim peccata occaſio plurium ſacrificiorum.

Sic apud nos ſub Papatu, cum creditum eſſet, cædes expiari peregrinatione ſuſcepta ad Romam aut Compoſtellam, gratiſſimum fuit Papiſtis, quam plurimos eſſe homicidas. Cum eſſet creditum, graviora peccata ſanari Indulgentiis, maximus in eo Papiſtarum quæſtus fuit, ſi quam plurimi inſignes peccatores eſſent, Quin, quod etiam dictu turpe eſt, Epiſcopis utile fuit Sacerdotes turpiſſime vivere. Nam ex concubinis erat quæſtus maximus. Sed quid Propheta de ſuis Sacerdotibus?

Sicut populus eſt, ſic eſt ſacerdos, Igitur viſitabo eos juxta vias ejus, atq; ſtudia ejus reddam ei.

Quam belle omnia quadrant ad noſtra tempora. Papiſtæ jactant ſuperiorum temporum pacem & commoda, eaq; tribuunt ſuis cultibus & idolatriæ, Sed ſi cauſam veram iſtius ſucceſſus optas ſcire, nulla alia eſt, quam quod Dominus tum non viſitavit peccata & vias eorum. Tenuit quaſi clauſos oculos, & fuit ſimilis non videnti, ſed non dormitabit neq; dormiet perpetuo. Nunc autem aperit oculos, & retribuit idolatris. Sicut hic Iſraeli quoq; minatur.

Comedent & non ſaturabuntur, fornicabuntur & non ſuccedet, eo quod deſierunt obſervare Dominum.

Hoc eſt, cumulabuntur omnis generis malis. Deſinent commoda illa priorum temporum, nec erit amplius felix fornicatio. Prædicant Papiſtæ Miſſas, ſupplicationes publicas in honorem Divorum inſtitutas, nec dum ab hac fornicatione deſiſtunt, Adhuc urgent hos cultus in publicis periculis, Sed ſicut Propheta dicit (hiſnu velu yphrozu) fornicantur, ſed ſunt infelices, non aſſequuntur quod volunt, Immerguntur de die in diem altius in pericula & calamitates, ſicut oſtendit experientia. Quod ſi omiſſa idolatria obſervarent Dominum, hoc eſt, ſi amplecterentur ſanam doctrinam, & idolatricos cultus corrigerent, eſſent feliciores, Sed hoc non credunt, Itaq; peribunt.

Fornicatio & vinum & muſtum auferunt cor.

Hactenus Propheta commemoravit in genere peccata, tum populi, tum Sacerdotum ſeu Doctorum, & addidit quoq; de pœnis. Nunc peculiarem Concionem inſtituit de fornicatione, hoc eſt, de idolatria. Nam Propheta hoc præ reliquis ſingulare habet, quod acerrime infectatur idolatriam tanquam caput peccati. Sicut enim fidem ceu bonam arborem boni fructus ſequuntur, Ita falſam fiduciam, quæ idolatria eſt, ſequuntur omnis generis peccata. Solet autem hæc ſententia non raro etiam de fornicatione carnali citari, Nec inepta ſententia eſt. Nam exempla docent, hoc ſcelere conſtrictos nihil habere penſi, ſed quaſi amentes ruere quocunque maleſuada libido impellit. Et Prophetam ſimilitudo tum affectuum tum etiam eventuum movit, ut fornicationem transferret ad idolatriæ ſtudium. Paria enim utriná; ſunt omnia, niſi quod ſpiritualis fornicatio gravior & infinitis modis periculoſior eſt. Animi enim hac occupati & infecti, haud facile ſanari poſſunt. Exiſtimatur enim eſſe religio & ſummus Dei cultus. Contra, in fornicatione carnali manifeſta turpitudo eſt, quæ neq; coram hominibus excuſari aut defendi poteſt, nec coram conſcientia. Deinde homines circumventi incommodis, quæ turpis libido parit, peccare deſinunt.

Concio de fornicatione.

Fornicatio ſpiritualis & corporalis.

Mat. 22.

Itaq;

Itaq; videmus in Evangelij hiſtoria Phariſæos, inſignes fornicarios, hoc eſt, idolatras tumentes opinione propriæ juſticiæ, plane eſſe incorrigibiles, & Chriſtus libere eis exprobrat futurum, ut meretrices & publicani eos præcedant in regno Dei. Apparet autem, hanc ſententiam vulgo uſitatam, & proverbii loco uſurpatam eſſe (Fornicatio & vinum & muſtum auferunt cor) Nam hæc duo vitia, fornicatio & ebrietas ita mentem capiunt, ut nihil ſe dignum cogitare, loqui, aut agere poſſit. Eleganter igitur puer Cyrus apud Xenophontem vino venenum admixtum dicit, quod videbat τοὺς μεθύοντας καὶ ταῖς γνώμαις καὶ τοῖς σώμασι σφάλλειν. Id quod Comicus videtur voluiſſe exprimere, cum dicit ruſticus adoleſcens, Poſtquam ſurrexi, neq; pes, neq; mens ſatis ſuum officium facit. Et notum eſt illud Archilochi de impuro amore, ἐμοὶ πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευε κλίψας ἐκ ῥηθίων ἁπαλὰς φρένας.

Vinum & amor graviter ladunt.

Atq; hæc fuit cauſa, cur Poetæ fingerent Cupidinem cæcum. Vere enim cæco nemo in amore ſapit. Sed longe periculoſius movetur animus, poſtquam à fiducia, quæ in Deum poni debet, diſceſſit. Hæc fornicatio nocentiſſima eſt, & ut Propheta dicit, aufert cor. Amittitur enim Verbum, amittitur notitia Dei, Nec id ſolum, ſed implentur animi odio Dei & verbi, & omne ſtudium ponitur in idolatriæ defenſionem. Quæ autem conſilia, qui eventus hanc impietatem ſequantur, non obſcurum eſt. Nota ſunt pericula, in quæ turpis amor involvit homines, Nota ſunt ebrietatis infinita mala. Sed omnia hæc ſuperat fornicatio ſpiritualis, quam & extrema pericula, & certus animæ interitus ſequitur.

Fornicatio.

Contra fornicationem extant graviſſimæ Conciones in Paulo & Salomone, ac horribilium exemplorum omnes tum ſacræ tum profanæ hiſtoriæ plenæ ſunt, quibus oſtendit Deus, quam impenſe oderit vagas libidines.

Ebrietas.

Ebrietas quoque multis modis deteſtanda eſt, quam Chriſtus etiam hoc nomine nobis odioſam conatur reddere, quod, ſicut Propheta quoque hoc in loco concionatur, corda gravat. Cavete, inquit, ne corda veſtra graventur crapula. Duplex enim hic malum oritur, Mandato divino cogimur ad laborem & ad certum operarum genus. Labor autem requirit induſtriam & ſolicitudinem, Sed hæc nulla eſſe poteſt, ubi animi vino gravati ſunt. Quanto autem genus vitæ ſublimius eſt, in quod divinitus te collocatum vides, tanto diligentius ab ebrietate cavendum erat, quæ nihil recte geri ſinit.

Luc. 21.

Alterum malum eſt, quod animi gravati vino ad verbum & orationem prorſus inepti ſunt. Igitur tanquam nudati præſidio Angelorum, qui timentes Dominum circumvallant, exponuntur tyrannidi Satanæ, & ut Chriſtus dicit, priuſquam ſentiunt, obruuntur periculis. Hæc recte conſiderata, pios animos movebunt, ut ab ebrietate caveant. Ac Paulus gravi verbo dicit, Cavete à vino, in quo eſt Aſotia, hoc eſt, vino dediti degenerant in feritatem, & omnino redduntur diſſoluti. Sicut eleganter Seneca dixit, Vitia vino concepta, etiam ſine vino durant. Sed redeamus ad Prophetam, qui nunc hoc aget, ut oſtendat, quomodo fornicatio adimat mentem ſeu cor.

Eph. 5.

Seneca.

Populus meus rogat lignum ſuum, & baculus ejus vaticinatur ei.

Verbo (Schaal) utuntur Ebræi, ſicut Græci verbo ἐρωτᾶν, & Latini rogandi verbo, pro interrogare & petere. Ac videtur hoc loco aptiſſimum eſſe, ſi accipias pro petitione, ut ſit ſententia, Invocant lignum, à ligno rogant opem in periculis, ſicut ſtatuarum invocationem Pontifex quoq; in Eccleſiam invexit. Creditum enim eſt, ſtatuas Divorum certis in locis invocantibus magis eſſe ſalutares. Sed quid ſtultius, quid à communi etiam ſenſu alienius eſt, quam à ligno expectare opem? quam credere, quod lignum, quæ tu animo volvis, & lingua effers, intelligat?

Statuarum & imagnum cultus.

Eſaias igitur longa concione hanc hominum amentiam exagitat Cap. 40. Artifex, inquit, ex lignis ſumſit, & calefactus eſt, ſuccendit & pinſuit panes, De eo autem, quod reliquum fuit, finxit Deum, & adoravit, fecit ſculptile, & curvatus eſt ante illud, medium ejus combuſſit igni, & de medio ejus coxit carnes & comedit, Item coxit pulmentum & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit Euge, calefactus ſum, & ſenſi ignem, reliquum autem ligni Deum fecit & ſculptile ſibi, curvatur

Eſai. 40.

ante

ante illud & adorat illud ac obſecrat illud dicens, Libera me, quia Deus meus es tu. Hæc copioſa eſt explicatio ejus, quod Hoſea dicit, rogare eos lignum.

Quæ ſequuntur in Eſaia, explicant quod Hoſea dicit, Cor auferri per fornicationem, Neſciunt nec intelligunt, Obliti ſunt oculi eorum, ne videant, & ne intelligat cor eorum. Non enim talis homo redit ad cor ſuum, non eſt ſenſus nec intelligentia in eo, ut dicat, Medietatem ligni hujus combuſſi igni, & in prunis ejus coxi panem, & aſſavi carnem, Quomodo igitur de reliquo ejus idolum facio? & cur coram ſtipite ligni procido? Itaq; lignum idem & cinerem paſcit, & cor deceptum inclinat ad ſe, cum tamen non poſſit liberare animam. Et tamen homo non animadvertit mendacium eſſe in dextera ſua, &c. Malui reddere ſententiam, quam verba, id quod candidus Lector non reprehendet.

Atque hæc quoq; cauſa eſt, cur tantopere paſſim imaginum uſus damnetur in ſcriptura, Et nos quoque hortatores ſimus, ne ſcandaloſæ imagines in templis tolerentur. Etſi enim verbo eruditos hæc non movent, tamen cavendum erat imperitis. Nam ſcandali occaſionibus remotis, minus periculorum erit. Nec tantum homines quid tentent, reſpiciendum eſt, Officina hæc Satanæ eſt, qui non ceſſat perturbare Eccleſias, dum occaſiones talium peccatorum in publico exiſtunt. Ac apud nos eo minus defendi ſtatuarum uſus poteſt, quod plæræq; mendaces ſunt, & ſicut Propheta hic dicit, nihil ſunt niſi lignum. Quid enim Georgij, quid Margarethæ ſtatuæ ſunt, quam figmenta Græcorum, Perſeus & Andromeda? Verarum autem ſtatuarum uſus aliquis eſſe poteſt, ut admoneant de hiſtoria, Sed hæ quoq; cum in idolatriam vertuntur, tollendæ ſunt, ſicut in Micha pluribus diſputavimus. *Cur damnentur imagines.*

Quia ſpiritu fornicationum deceptus eſt, ut fornicaretur deſerto Deo ſuo.

Hæc ſententia ob Antitheſin magis notanda eſt. Sicut enim Zacharias vocat Spiritum gratiæ, ſanctum Spiritum, qui teſtatur de Chriſto, & notam nobis facit voluntatem Dei bonam, quod propter peccata eos, qui Chriſtum amplectuntur, damnare nolit, Ita Hoſea hic vocat (Ruah zenunim) malum ſpiritum, qui veras opiniones de Deo eximit ex animis, & aut depravat aut penitus opprimit verbum, & implet animos fiducia creaturarum, quæ vera idolatria eſt. Non enim idolatria tantum putanda eſt adoratio ſtatuarum, ſed fiducia in propriam juſticiam, opera & merita, in opes, in hominum potentiam. Hæc ſicut uſitatiſſima, ita etiam nocentiſſima idolatria eſt, Sicut Paulus avaritiam vocat idolorum ſervitutem. Quam autem impium eſſe cenſes his rebus fidere, & fiduciam in Deum æternum & omnipotentem abjicere? *Spiritus gratiæ.* *Spiritus fornicationum.* *Idolatria Eph. 5*

In ſummitatibus montium ſacrificant, & in collibus incenſa adolent, ſub quercu, tilia, fago, bona enim harum umbra eſt.

Hæc alia idolatriæ ſpecies eſt. Etſi enim ſacra hæc fiebant in veri Dei honorem, tamen in eo vitium erat, quod fiebant in loco divinitus non oſtenſo nec mandato. Igitur cum his cultibus conjuncta erat inobedientia. Nam Deus conſtituerat certum locum externis cultibus in Ieruſalem ſeu Templo, Sed regnum Iſrael ſacrificabat in aliis locis. Notandum igitur eſt, hoſce cultus ideo reprobari, quod conjuncti erant cum inobedientia, nec ex verbi præſcripto, ſed ex ſingulorum conſilio erant ſuſcepti. Sæpe autem dictum eſt, cultus non eſſe, qui ſine verbo Dei ſuſcipiuntur, ſecundum ſententiam Chriſti, Fruſtra me colunt mandatis hominum. Quæ ſequuntur, pœnas idolatriæ oſtendunt. *Cultus ſine verbo ſuſcepti.* *Matth. 15.*

Idcirco fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtræ mœchabuntur, Nec viſitabo ſuper filias veſtras, quod fornicatæ ſunt, & ſuper ſponſas veſtras, quod mœchatæ ſunt, quia ipſi cum ſcortis ſecedunt, & cum meretricibus ſacrificant. Igitur populus non attendens verbo cadet.

Profecto dura idolatrarum pœna, quæ etiam in poſteros redundat. Allegorica enim hæc omnia ſunt. Eleganter dicunt Græci, Ancillas ſequi mores dominarum. *Reprobus ſenſus pœna idolatriæ.*

Ac docet experi.. a turpem parentum vitam imitari liberos. Ita hic quoq; accidet, inquit Propheta, idolatræ parentes etiam idolatricos habebunt liberos. Ad hanc pœnam accedit alia longe gravior, quod dicit, futurum, ut fornicationem hanc Dominus non visitet, hoc est, ut permittat eos ferri sua voluntate, & pœnis non cohibeat errantem populum. Nam castigatio ostendit, sicut supra diximus, nos Deo curæ esse, & Deum de nobis servandis esse solicitum, ut hoc modo à peccatis arceat. Vbi autem Deus permittit homines sibi ipsis, hæc demum est gravissima ira. Igitur verbum visitandi proprie hic accipitur, pro eo, quod Dominus castigatione sua errantem populum non sit revocaturus in viam, sed passurus, ut ex uno peccato ruat in aliud, sicut Paulus in 1. ad Romanos de Gentibus concionatur, quæ discesserunt ab ea Dei notitia, quam eis indidit natura. Rom. 1.

Respicit autem Propheta sine dubio ad Synagogæ posteritatem, quæ Evangelium abjectura erat. Errat enim jam miser populus, & in errore hoc pergit securus. Hæc sententia nos merito exuscitare debebat ad sedulam curam verbi Dei. Quid enim hi aliud agunt, qui verbum negligunt, quam ut posteritatem relinquant impiam? Quis autem impiorum, hoc est, aut carentium Verbo, aut verbum negligentium finis sit, ostendit Propheta, cum claudit hanc concionem, & dicit, Populus non intelligens, hoc est, qui verbo non vult erudiri, & negligit Verbum, corruet. Sicut supra quoq; dixit, Vastatus est populus, quod esset sine Verbo. Quid enim Deus cum his faciat aliud, quibus donat verbum, & tamen verbo erudiri nolunt, quam ut eos tradat in reprobum sensum, hoc est, ut sinat eos ferri suis consiliis, donec pereant? Hic finis est idolatriæ & impietatis. Quod ad Grammaticam attinet, verbum (lepheredu) significat hoc loco deserta Ecclesia seu cœtu populi Dei, segregari seu separari ad peculiarem cultum.

Si fornicaris tu Israel, ne delinquat Iuda, Ne veniatis in Gilgal, neve ascendatis ad Beth Aven, & ne juretis, Vivit Dominus.

Longæ expostulationi subjicit Propheta exhortationem ad regnum Iuda, ne exemplo Israelis ipsum quoq; deflectat à vera religione ad idolatriam. Nam facilimus hic lapsus est, sicut historiæ ostendunt. Prima Ecclesia exemplo Cainitarum paulatim sic est depravata, ut non nisi octo animæ ab eo contagio tandem servarentur, Moabitarum & aliarum gentium idolatria populo in deserto occasio ruinæ fuit, Salomoni quoq; summo alioqui viro nocuit affinitas Regum Aegypti, ut etiam Aegyptiorum cultus institueret, Tandem regnum Iuda exemplo Israelis peccare didicit, sicut historiæ ostendunt. Recte igitur Paulus scandala comparat fermento, quod licet sit perexiguum, tamen paulatim totam massam pervadit. Ideo magno studio hoc agendum est, tum gubernatoribus Ecclesiarum, tum etiam magistratui Christiano, ut mature nascentibus scandalis occurrant. Vere enim sunt sementis Satanæ, Itaq; quamcunq; Ecclesiæ partem occuparit, tam copiose subnascitur, ut eradicari non possit.

Facilis lapsus in idolatriam.

Gal. 5.

Gilgal.

Gilgal notus locus est ex capite Iosuæ 4. & 5. Ibi enim positum monumentum est duodecim lapidum ad retinendam memoriam exiccati Iordanis, Ibi novus populus in deserto natus & educatus, circumcisus est, Ibi Pascha quoq; Domino est celebratum. Hæc quasi divinitatem aliquam conciliarunt loco apud posteros. Itaq; cum regnum Israel à Iuda discessisset, ibi coli Deus ab idolatris tanquam in sancto loco cœptus est. De BethAven dubium est. Extat enim hoc nomine civitas, Iosuæ 7. Sed de Idolatria istic instituta nihil meminerunt Prophetæ. Itaq; ego existimo appellari à Propheta hoc nomine civitatem BethEl, in qua Ierobeam erexit aureum vitulum. Est autem BethEl nota ex capite Genes. 28. Cùm enim prius Luza appellaretur, Iacob voluit BethEl appellari, quod ibi vidisset apertos cœlos, & Angelos ascendentes & descendentes in scala. Sic enim dicit, Reverendus est locus iste. Non enim hic est aliud, quam domus Dei & cœli porta.

Iosu. 4. & 5.

Beth Aven.

Iosu. 7.

Beth El appellatur Beth Aven.

Genes.

Cum

Cum autem Ieroboam ibi aureum vitulum excitaſſet, noluerunt Prophetæ eum locum amplius BethEl(id eſt, domum Dei)appellare,ſed vicini oppidi nomine
Rom.14. appellarunt BethAven,id eſt,domum peccati. Peccatum enim eſt,quicquid fit ſine *Beth Aven.* fide, hoc eſt, quicquid ſine verbo Dei, aut contra verbum Dei pro cultu inſtituitur. Nam ſolum verbum eſt,quo ſanctificantur omnia,& quo fides nititur. Ac confirmatur hæc mea ſententia infra in Cap. 10. ubi de vitulo in BethAven loquitur, cum in fine capitis clare oſtendat Propheta, ſe de BethEl locutum eſſe, ubi Ieroboam vitulum aureum voluit coli. Sic Sathan ex BethEl domo Dei, facit BethAven, domum peccati, cum novus cultus contra verbum Dei ab impiis inſtitui curat.

Ad hunc modum impii Reges loca,in quibus Patriarchæ ſacrificarant, transtulerunt ad cultus idolatricos. Sed Patriarcharum factum non erat rapiendum in exemplum. Siquidem manifeſtum mandatum extabat de loco deſtinato cultibus. Exempla autem tum demum ſequenda ſunt, cum habent additum mandatum. A- *Exempla Sanctorum non ſemper ſequenda.* braham jubebatur divina voce mactare filium, Hoc mandatum non habebat Ahas. Igitur idem opus in Abraham verus Dei cultus, & eximium obedientiæ ſpecimen fuit,in Ahas autem fuit abominabile parricidium. Ad hunc modum dives adoleſcens in Evangelio mandatum habet vendendi omnia,& diſtribuendi in pauperes. Sed impie facit monachus,qui deſerta vocatione diſcedit à rebus ſuis,& ſe concludit in monaſterium. Non enim habet mandatum ut id faciat. Retinenda igitur Regula eſt, omnes cultus eſſe impios, qui ſine mandato Dei ſuſcipiuntur, etſi ſimiles cultus in *Cultûs impii.* Patribus, qui mandatum habuerunt,laudati ſunt.

Quod de juramento addit,facile intelligi ex ſuperioribus poteſt. Non enim *Jurare non licitum tantum, ſed etiam mandatū.*
Deut.6. prohibitum ſed mandatum eſt jurare. Vivit Dominus,Deut.6. Pertinet enim ad gloriam Dei,allegari eum teſtem veritatis,& ſentire quod inſpiciat negotia noſtra, &, ſi quid contra conſcientiam admittas, vindicaturus ſit. Iraq; jurare per ſe malum non eſt, Sed Iſraelitæ gloriam hanc tribuebant idolis ſuis. Intelligebant enim Deum, quem ipſi colebant in Dan, Gilgal, Berhel & aliis locis, ubi Deus non poterat coli, ſiquidem alium cultui locum deſignarat. Igitur prohibet Propheta ad hunc modum jurare. Tribuitur enim gloria, quæ uni Deo debetur,idolis.

Quia enim,ſicut rebellis vacca Iſrael rebellavit,Ideo tunc paſcet eum Dominus, ſicut agnum in vaſto loco.

Pertinet hæc quoq; particula ad exhortationem, ut regnum Iuda moveri ſe ſinat pœnis,quæ idolatras ſequentur (Parah fererah) ſignificat vaccam impatientem jugi & indomitam,quæ coerceri nequit,Huic comparat Iſraelitas. Nam verbum Dei eſt illud vinculum, quo nos alligavit Deus,ne exorbitemus à vero, & indulgeamus cupiditatibus carnis. Hoc vinculum, inquit, Iſrael excuſſit. Non enim audit, quæ de veris cultibus Deus per Prophetas admonet, quærit alia cultuum loca, ac Templum Ieroſolymitanum deſerit. Quæ autem ſequetur pœna? Hæc nimirum,ut erret ſicut agnus in vaſto loco, hoc eſt,ut inter Gentes ſit ſine verbo & cultu Dei. Perinde ac ſi hodie concioneris Papiſtis, admonemini verbo, ut corrigatis abuſus, ut Sacramentum porrigatis integrum, ut vivatis in ſancto conjugio ſine ſcandalo Eccleſiarum. Sed quia non vultis acquieſcere his monitis, fiet, ut in abuſibus iſtis moriamini, ſine Sacramento,ſine verbo,ſine Chriſto. Agni in deſerto ſimilitudine ideo Prophetam judico uti, quia nihil calamitoſius eſt agno, cum deſtitutus eſt paſtore. Expoſitus enim eſt infinitis periculis, ad quæ depellenda minime eſt inſtructus. Ideo Chriſtus quoq; ſimilitudine agni errantis utitur,cum peccatorum miſeram conditionem vult oſtendere, & ſuam erga eos eximiam benevolentiam, Ac hoc in loco promittitur ſpes aliqua. Etſi enim certum eſt, hanc ovem in deſerto & vaſto loco paſcendam,tamen additur conſolatio, Dominum eam paſturum.

Adjunxit ſe idolis Ephraim, dimitte eum.

Hæc eſt concluſio Concionis tam longæ. Quia Iſrael ab idolis avelli non poteſt, relinquam eum Gentibus vaſtandum, Sicut ſupra quoq; dixit, Non viſitabo

ſuper filias veſtras. Vocabulum,quo idola hic appellat, nomen habet ab ærumnis. Non ſolum enim idolatrarum vita ærumnoſa eſt,quod nullum ſibi relinquunt ocium nec quietem,ſed certa calamitas idolatriam ſequitur.

Fœde crapulantur, fornicantur turpiter, Principes eorum vehementer delectantur confuſione, Ligabit igitur eos ventus in alis ſuis, & confundentur in ſacrificiis ſuis.

Non libuit hoc in loco verbum verbo reddere. Nam quod Ebræus dicit,Fœtuit vinum eorum,hoc nihil aliud eſt,quam quod fœde crapulati ſint.Sicut autem ſolet in Epilogis,repetit Propheta hoc in loco peccata regni Iſrael,Et addit, quæ pœna ſecutura ſit. Idolatria initio felix eſt,hoc eſt,conſequitur magnas opes & potentiam, ubi econtra vera religio eſurit & alget. Quomodo autem ſoleant Idolatræ opibus uti,exemplum à Papiſtis peti poteſt. Vide enim Collegia Canonicorum, aulas Epiſcoporum & Cardinalium, & apparebit eadem hodie fieri, quæ in regno Iſrael Propheta reprehendit. Impinguatus enim, incraſſatus, & dilatatus ſervus recalcitrat, ſicut Moſes loquitur. *Idolatria.* *Deut.32.*

Hanc idolatrarum, tum impietatem,tum impuritatem, Magiſtratus politicus tuetur. Nam Reges & Principes (quos hoc in loco Propheta ex Pſal. 47. Maginim ſcuta vocat, propter officium, cui potentia eorum ſervire debebat) fere ſemper patroni impietatis & idolatriæ exiſtunt. Ideo dicit Propheta, eos gaudere ignominia, hoc eſt,idolatria, quam ignominia & confuſio tandem certo ſequitur. Sed quis erit finis? Nimirum is de quo concionatur Samuel, 1.Samuel.12.(Ve im harea hareu gam athem gam malkechem tiſaphu) Si, quod malum eſt, feceritis, & vos & rex veſter peribitis. Idem Propheta hic minatur,Ligabit eos ventus in alis,hoc eſt,ira Domini tanquam vehemens ventus agitabit & impellet vos, & confundemini in ſacrificiis veſtris. Nam cultus idolatrici ſuſcepti ad avertendam iram Dei, Deum magis irritant. Sic Papiſtæ hodie cum Miſſis, ſupplicationibus, ſanctorum cultu, aliud nihil faciunt,quam ut maturent ſibi interitum. Hic idolatriæ finis eſt. *Pſal.47.* *1.Sam.12.*

CAPUT V.

Audite hoc Sacerdotes, attendite domus Iſrael, & domus regis auſcultate. Quoniam de vobis judicium fiet, quod eſtis laqueus in Mizpa, & rete extenſum in Thabor.

Idolatria ſemper cum contemptu & odio verbi conjuncta eſt.

HAbet hoc quoq; caput reprehenſionem idolatriæ, & additam comminationem certæ vaſtationis. Nihil enim Deus minus ferre poteſt, quam contemptum ſui Verbi, qui perpetuus Idolatriæ comes eſt. Quia enim Verbum oſtendit veram rationem colendi Dei, Idolatræ neglecto verbo fingunt ipſi ſibi modum,quo Deum colant. Docet autem univerſa Scriptura, ut primum amplectamur Filium Dei, qui factus eſt hoſtia pro peccatis noſtris. Deinde,ut præſtemus debitam obedientiam Deo, ad quam nos vocat Decalogus. Sed quid fit? Hoc vero cultu neglecto, Iudæi ſomniabant, etſi indulgerent peccatis, ſe per ſacrificia ſua habituros remiſſionem peccatorum. Sic apud nos Monachus novum genus vitæ eligit,jejunat,vigilat,orat,veſtit novo modo,celebrat miſſas,hoc ſtudio ſperat ſe remiſſionem peccatorum conſecuturum. Si autem quæras,cur hos cultus ſuſceperit? Non dicet verbo Dei ita ſe cogi, ſed allegabit Majorum religionem & exempla,quæ imitari judicat non malum eſſe. Quod ſi acrius inſtes, & dicas,ſine verbo ſuſceptos cultus ſœdam idolatriam eſſe,ſtatim orientur certamina,& cum impio cultu,etiam odium veræ doctrinæ & cædes conjungentur. Vtrinq; igitur cogitur Deus ad faciendum judicium, ne vel opprimantur pii,vel idolatris impune ſit diſceſſiſſe à Verbo, & novos cultus inſtituiſſe,quibus ceu laqueis irretiti alii,ad veram Dei cognitionem venire non poſſunt.

Porro

Porro hæc reprehenſio eo nomine etiam eſt notanda magis, quia oſtendit miniſterii rationem exigere, ut libere reprehendantur peccata, nulla ratione ſalva dignitatis. Non enim, ſicut ſupra, in genere reprehendit domum Iſrael, ſed nominat Sacerdotes, Item domum Regis, hoc eſt, ipſum Regem & totam aulam. Hæ perſonarum certæ & indubitatæ notæ ſunt. Nec movet Prophetam, quod periculum erat, ne Magiſtratus publice notatus contemneretur, & iſtæ judicarentur ſeditioſæ voces. Vrget eum, ut hoc faciat, aliud & majus periculum, quod videt exemplo potentiorum etiam ſubditos peccare. Neceſſarium igitur eſt, reprehendi ſcandalorum autores, præſertim ſi dignitate præſtent, Sed res non caret periculo. Itaque mirum eſt, quod non ob hanc concionem ſtatim ad ſupplicium raptus eſt Hoſeas, quod unus tantum audet, & damnat populum Dei, Sacerdotes & ipſum Regem, ac minatur eis interitum, tum, cum regnum videretur refloreſcere. Nam Ierobeam, ſicut hiſtoria oſtendit, magno ſucceſſu adminiſtravit regnum Iſrael.

Etiam Magiſtratuum vitia reprehendenda.

Debent autem miniſtri verbi hanc Prophetæ virtutem imitari, ne dum mollius tractant eos, qui in dignitate & imperio ſunt, in fraudem inducantur ſimpliciores, Movetur enim vulgus Principum exemplis. Præcipue autem hoc agendum eſt, ne Pontificios abuſus reprehendamus negligentius. Non enim ſapientum mundi judicia curanda ſunt, qui exiſtimant poſſe retineri doctrinam ſanam, etſi diſſimulentur propter bonum pacis adverſariæ partis vitia. Majus enim periculum eſt in ſcandalo, cui mederi alia ratione Doctores non poſſunt, quam ſi libere, quæ prava geri vident, reprehendant.

Quod in Ebræo eſt (Ki lahem chamiſpat) quoniam vobis ſeu contra vos judicium eſt, idem eſt, ac ſi dicat, Quoniam Dominus judicabit, puniet, affliget vos. Sic enim verbo judicandi ſæpe utitur Scriptura, Sicut apud Paulum, Si nos ipſos dijudicaremus, non judicaremur à Domino, hoc eſt, Dominus non affligeret nos. Ad hunc modum etiam hoc in loco judicii nomen accipitur in malam partem, & ſignificat pœnas. Alibi ut ſupra in 2. Deſponſabo te mihi in judicio, ſignificat in bonam partem. Hæc enim altera judicii pars eſt, quod oppreſſis malis liberentur pii, Mizpa mons eſt in Gilead citra Iordanem. Thabor celebre montis nomen eſt in Galilæa etiam citra Iordanem. Eſt autem eodem nomine Levitarum civitas in tribu Zabulon, ſicut teſtatur clarus locus 1. Paral. 6. quod Thabor cum ſuis ſuburbanis ſit donata filiis Merari.

Iudicare ſignificat etiam pœnas infligere.

Mizpa.

Thabor.

1. Par. 6.

Hieronymus, & eum ſecutus Lyra, nomen Mizpa appellative reddidit pro ſpecula, in qua dicunt conſtitutos ab impiis Regibus milites, qui pios Iſraelitas, cultum in Ieruſalem retinentes, obſervarent & retraherent. Sicut apud nos Principes & Epiſcopi ſuis interdicunt, ne noſtras conciones audiant, & urantur nobiſcum ſacro Sacramento. Sed aptius eſt, ut intelligamus in his locis Mizpa & Thabor peculiares cultus inſtitutos à Sacerdotibus & Regibus, ut retineretur populus ſpecie iſta religionis, & de veris cultibus in Ieruſalem non cogitaret. Hanc enim ob cauſam dicit, hæc loca eſſe retia & laqueos, quod inſidiarentur populo novis cultibus, ut eo major ipſorum quæſtus eſſet. Porro hæc miniſterij prophanatio eſt maximum peccatum. Nam miniſterium in Eccleſia inſtitutum eſt, ad docendos & explicandos animos ex erroribus & pravis opinionibus. At Sacerdotes Iſrael eo ſtudium omne convertebant, ut magis implicarent animos in idolatriam, & falſas de Deo opiniones. Quod autem hæc vera ſententia ſit, etiam ſequentia probant.

Declinant dum tantum ſtudent victimis. Itaq; ego caſtigabo univerſos.

In Ebræo eſt (ve ſchaheta ſetim heemiku) id ſi ad verbum reddas, ſic ſonat, Declinantes mactationem profundaverunt. Significat autem verbum (heemik) fere, quod nos dicimus, radices agere, ſeu firmum ac validum eſſe & bene fixum. Sicut Pſal. 92. Cogitationes tuæ valde (ameku) profundæ ſunt, hoc eſt, firmæ, quæ tanquam ædificium bene fundatum non poſſunt everti. Ad hunc modum hic quoq; accipiamus, quod dicit, profundas factas mactationes, hoc eſt, ſacrificia ita populo commendata, ita firmata, ut ex hominum animis ea opinio non poſſet eximi. Ac ſi nos

Pſal. 92.

diceremus, cultum Miſſarum in Papatu profundum factum, hoc eſt, altiſſime egiſſe radices, adeo ut nulla humana vi ex hominum cordibus potuerit illa fiducia evelli, & tamen verbo evulſa eſt.

Eſt autem egregia Tapinoſis in verbo (Schachat) quod cultum Dei, quem Iſrael retinebat, vocat mactationem, Q. d. Profecto inſignis cultus. Quid enim aliud facitis, quam quod lanii ſolent quotidie? Hoc modo non colitur Deus, ſed peccatum jugulandum & cupiditates frenandæ erant. Hoc ſacrificio Deus capitur, ſi accedat fiducia in promiſſum Semen. Nunc cum quidquid libet, etiam licere vobis putetis, in eo gloriamini tanquam in ſummo cultu, quod mactatis beſtias.

Sacrificia Iudæorum cum impia opinione.

Dictum autem aliquoties eſt, cur ſacrificia divinitus mandata reprehendant Prophetæ. Non ſolum enim peccabant Iſraelitæ, quod in loco prohibito ſacrificabant, ſed etiam vera ſacrificia tum vitioſa erant, quando addebatur ad ea opinio juſticiæ. Non enim juſticia eſt noſtrum aliquod opus, ſed ſacrificium filii Dei. Hoc ſacrificium qui abjiciebant, hoc eſt, qui nitebantur ſuis ſacrificiis & operibus, hos Scriptura ubiq; damnat, tanquam ſacrilegos & idolatras. Non enim hoc modo Deus vult coli, etſi hoc voluerit in ſuo populo obedientiæ exercitium eſſe, Vult rationalem cultum ſicut Paulus appellat, hoc eſt, vult, ut corda de Deo recte ſentiant, ut agnoſcant ſuam indignitatem, & nitantur miſericordia Dei, oſtenſa in Filio ſuo. Hic cultus ubi præſtatur, ibi poſtea etiam externa obedientia ſacrificiorum & aliorum operum placet.

Ego novi Ephraim, Et Iſrael non eſt abſconditus à me, quoniam nunc fornicatus es Ephraim, & Iſrael contaminatus eſt.

Hæc nota ſunt ex ſuperioribus. Exprobrat enim eis idolatriam, qua polluuntur mentes & omnia opera.

Non dant operam ſuam, ut revertantur ad Deum ſuum. Quoniam ſpiritus fornicationum eſt in medio eorum, & Dominum non norunt.

Quomodo hoc? Tamen non parcunt nec labori, nec ſumtibus, ut oſtendant omnibus ſe religionis ſtudioſos, & Dei obſervantes eſſe. Hoc teſtantur templa, ſacrificia, conciones & alia, Sed verum eſt Prophetæ judicium, quod non cogitant reverti ad Deum, & Dominum non ſtudent cognoſcere. Averſi igitur ſunt à Deo, & Dei notitiam non habent. Sicut igitur ſupra damnavit idolatricos cultus, Ita hic oſtendit, qui ſint veri cultus, ſcilicet, converti ad Deum, & noſſe Deum, hoc eſt, audire verbum & ei obtemperare. Igitur in eo omnia ſunt poſita, ut Verbum audiamus, & ei obtemperemus. Tum enim non avertemur à Deo, non ſequemur noſtras cogitationes, non ipſi nobis fingemus cultus, Sed eos cultus pertinaciter retinebimus, quos videmus oſtendi & mandari Verbo. Hoc ſi Papa feciſſet, non Miſſarum prophanatio, non Sanctorum idolatrica invocatio, non aliæ impiæ Ceremoniæ in Eccleſiam eſſent invectæ. Sed quia verbum neglexit, & dedit tentationi locum, in immenſum crevit ſuperſtitio. Quæ ſequuntur pœnas idolatriæ oſtendunt.

Veri cultus obedire verbo Dei.

Humiliabitur ſuperbia Iſrael videntibus ipſis. Iſrael enim & Ephraim ruent in iniquitate ſua, ruet etiam Iuda cum eis.

Hæc eſt pœna idolatriæ, quod affligentur & amittent religionem, regnum, opes, & omnia quæ habuerunt. Eſt autem hoc eo gravius, quod propter peccata hoc eis acciderit, ſicut dicit, Ruent in iniquitate ſua. Vtrinque igitur * premebantur, nam corpus incommoda captivitatis, animum autem conſcientia peccati torquebit. Hic finis eſt impietatis, quando neglecto Verbo in idolatriam prolabuntur animi. Differt autem Dominus pœnas, ut ſpacium pœnitentiæ concedat peccatoribus. Non enim delectatur eorum morte, mallet converti eos & vivere. Ideo tanquam paſtor voce Verbi ſui quærit errantes oviculas, ſed cum obſtinati pergunt, & admonitiones omnes contemnunt, apprehendit eos fera, ſed gravis pœna. Hoc omnium peccato-

* *Premebantur.*

rum

tum certum eſt judicium. De Iuda meminit hic. Quia enim, ut hiſtoria oſtendit, idolatriæ ſocius fuit, etiam pœnarum aliquam partem ſortitus eſt. Nam Aſſyrius tribum Iuda graviter afflixit, ſicut ex Eſaia patet.

Cum gregibus & armentis ſuis ibunt, ut quærant Dominum, & non invenient, ſubduxit enim ſe ab eis.

Hæc eſt calamitas, quæ longe illam corporalem vincit, ſed eſt propria & vera pœna neglecti Verbi. Supra dixit Prophera, decipi homines frequentibus mactationibus, quod is non ſit verus cultus Dei. Quomodo enim Deum laniena pecudum delectare aut placare poteſt? Nunc igitur, cum in ſummo & præſenti periculo ſunt, ad illos cultus recurrunt, propter quos plectuntur. Hæc ratio non eſt placandi Dei, Peccata agnoſcenda & corrigenda erant, erat petenda venia, & ſperandum in miſericordia Dei, propter ſacrificium promiſſi Seminis. Hac ratione placatur Deus, & hæc vera eſt pœnitentia, per quam ad Gratiam patet aditus, Sicut Regem Nebucad-Nezar docet Daniel. Videbat in proximo adeſſe pœnam, quod abuteretur Regno ad ſuperbiam & tyrannidem, & veram religionem negligeret. Monet igitur ut meminerit, ſe non ideo in hoc faſtigium rerum poſitum eſſe, ut ſuperbe imperaret, ſed ut ſubditorum diligentem ageret curam, & ſerviret eorum neceſſitatibus. Hæc enim eſt juſticia ſeu miſericordia & eleemoſynæ, de quibus concionatur. Ita fiet, inquit, cum correxeris peccata, ut pœnam effugias, quæ certo ſecutura eſt, niſi meo parueris conſilio. *Vera pœnitentia.*

Ad hunc modum Iſraelitæ debebant agnoſcere peccatum, quod contra verbum immolarant in locis prohibitis, Debebant redire ad cultum in Ieruſalem, & niti miſericordia Dei, non ſuis ſacrificiis, Sed hoc non faciebant, Ideo quanto ipſi urgebant ſuos cultus gravius, tanto gravius iraſcebatur Dominus. Inſpice jam Papæ Eccleſias, & videbis eadem. Non abjiciunt Miſſas, non invocationem Sanctorum, non meritorum fiduciam, ſed his tanquam ſummis cultibus ſperant ſe depulſuros Turcam, & majore ſtudio in eos incumbunt, quam antehac unquam. Quod enim ante non ſolebant, nunc mandatis cogunt ſubditos ad hanc idolatriam, & diligens fit inquiſitio in eos, qui negligentius ſuperſtitionem videntur curare. Quis autem non ſentit, cum hoc modo quærant Dominum, eum non inveniri, ſed diſceſſiſſe ab eis. Itaq; tanto ſucceſſu contra eos belligeratur Turca. Illuſtris hic locus eſt, qui pertinet ad doctrinam de pœnitentia, quæ non in externis cultibus, ſed in emendatione peccatorum, & fiducia miſericordiæ Dei poſita eſt.

Spreverunt Dominum, Quia filios alienos genuerunt. Nunc igitur devorabit eos menſis una cum agris ipſorum.

Quomodo ſpernunt Dominum, qui, ut Propheta dixit, quærunt Dominum cum bobus & ovibus? Quem enim quis ſpernit, hunc non quærit, non ſumtus ejus cauſa facit, &c. Sed aliquoties diximus, Dominum quærere, aliud nihil eſſe, quam amplecti Verbum, verbo attendere, verbo parere, non inſtituere alios cultus, non credere aliam ſalutem, quam verbum oſtendit. Ita contemnere Deum, eſt negligere Verbum, fingere cultus præter Verbum, niti aliis rebus quam Verbum jubet. Ad Verbum igitur reſpiciendum eſt, ſi certo judicare vis, qui nam vere curent ſeu quærant Deum, & qui contemnant Deum. Nam qui neglecto verbo judicium volet ſumere ab externa operum ſpecie, falletur. Quantum enim ſtudium religionis in Ahab, in Manaſſe, & ſimilibus ſit, videmus omnes, Nam ne liberis quidem parcunt, ut oſtendant ſe Deo libenter velle rem gratam facere, & ei ſervire, Sed qui hos cultus ad Verbum confert, videt eſſe extremam idolatriam, æternis flammis dignam. *Deum quærere quid?* *Contemnere Deum.*

Auget autem peccatum Propheta, quod addit de alienis filiis, Significat enim ſcandalum, quod poſteritati ponitur. Hæc enim quia majorum veſtigiis inſiſtit, non poteſt pervenire ad veræ religionis agnitionem. Sic videmus in adverſariis,

quam pertinaciter Majorum exempla retineant. Idem autem utroſq; manet judicium, Vorabit eos menſis, hoc eſt, idolatria perdet eos. Menſem enim accipi hic judico, ſicut ſupra, Neomeniam ceſſare faciam. Nam Iudæorum expoſitionem de menſe non probo.

Clangite cornu in Gibea, & tuba in Rama, canite claſsicum in Beth Aven, poſt tè ô Benjamin. Ephraim in deſolationem erit in die correptionis.

Adhortatio ut proclametur Ephraim captivum abducendum.

Hic quoq; quid alii ſentiant, relinquo judicium Lectori, mihi videtur eſſe vehemens adhortatio, ut in his tanquam editioribus locis publicè hoc proclametur, quod Ephraim in die, cum Dominus eum viſitabit, deſolandus ſit, hoc eſt, captivus abducendus in Gentes, ſine ulla ſpe reditus, Ne putent has minas eſſe vanas. Sic enim ſolent impii, contemnunt judicium Dei, nec putant Deum tam ſevere animadverſurum, ſunt igitur ſecuri. Hanc ſecuritatem optat Propheta eximi poſſe animis, & hortatur, ut ubiq; hoc Domini futurum judicium innoteſcat.

Tribus Iſrael fideliter præmonui.

Egregia particula, quod ſummo ſtudio dicit ſe præmonuiſſe de eventu, ſed fruſtra. Nam & retinuerunt idolatriam, & contempſerunt minas & judicium Dei. Ad

Germania admonetur.

hunc modum Germania quoq; varie admonetur. In primis autem Epiſcopi admonentur officii, ut emendent abuſus, & veram doctrinam curent tradi. Sed quotuſquiſq; eſt, qui ſerio de hac re cogitet? Igitur etſi ſubitis calamitatibus circumveniuntur ſuo tempore, tamen nihil patientur, quod non longè ante prædictum ſit. Adeo impietas omnibus ſeculis ſui ſimilis, hoc eſt, pertinax, obſtinata, & incorrigibilis eſt.

Principes Iuda ſimiles ſunt transferentibus terminos, Ideo effundam ſuper eos furorem meum tanquam aquam.

Quia idem eorum, quæ ſequuntur, argumentum eſt, recte conjunguntur cum ſuperioribus. Videtur autem minus neceſſaria & injucunda hæc perpetua de pœnis impietatis repetitio. Sed meminerimus neq; uno die, nec loco habitas has concio-

Terminos mutare.

nes, & ipſa humanarum mentium obſtinacia opus habet, ut eadem ſæpe inculcentur, ſi qui in viam reduci ab erroribus queant. Vtitur autem hoc in loco Propheta nova figura, quod Principes Iuda comparat cum his, qui terminos mutant. Etſi enim diſceſſionem à Verbo & vera ac avita religione ſignificat, tamen notat hac figura etiam avaritiam & ſtudium quæſtus, quod in idolatris eſt perpetuum. Sicut etiam Papiſtarum exemplum oſtendit. Nunquam ſic urgerent Miſſas, ſi utilitates Miſſæ, ut quidam appellare ſolet, non eſſent tantæ. Sic alias traditiones non defenderent tam pertinaciter, ſi non ex iis tam uber quæſtus eſſet.

Regnum igitur Iuda poſt defectionem regni Iſrael aliquandiu puram doctrinam & cultus veros retinuit, Sed tandem exemplo decepti & ineſcati, uberiore quæſtu Sacerdotes Iuda, & Principes ipſi quoq; idolatriam amplexi ſunt. Sicut autem terminos nemo ſine peccato transfert, ita quoq; veteris & veræ religionis corruptela & depravatio certam pœnam affert. Ideo minatur Dominus ſe iram ſuam, ſicut aquam, effuſurum. Aqua enim non ſolum recto curſu cum impetu fertur, Sed etiam diffunditur utrinque in latera. Ita minatur iram ſuam graſſaturam Dominus, Et oſtendit hiſtoria, quomodo Sanherib regnum Iuda longe lateq; uſque ad ipſam Ieruſalem vaſtarit.

Ephraim vim patitur, & judicio conteritur, eo quod ſecutus eſt mandatum.

Hæc de vaſtitate regni Iſrael accipiuntur, quod gravius quam regnum Iuda afflictum eſt. Vim attulit ei hoſtis Aſſyrius, ſed id neutiquam potuiſſet, niſi Domini judicio prius eſſet contritus Iſrael. Significat enim hic judicium pœnam, quæ pro-

Iudicium.

pter peccatum irrogatur à judice. In judicio enim utrunq; ſolet. Puniuntur mali, & vindi-

by Google

vindicantur boni. Ideo judicii vocabulum Ebræi in utranq; partem accipiunt. Sicut autem principes Iuda accusavit de motis terminis, Ita regnum Israel accusat, quod paruerit mandato suorum Regum. Nam hoc significat vocabulum (zaf) Sed inquies, An non hæc virtus est, cum subditi autoritatem Magistratus sui sequuntur? Cur igitur hoc in crimen trahit Propheta, & minatur huic obedientiæ pœnas? Respondeo, Magistratui præstanda est obedientia in civilibus, & quæ sui (ut loquuntur) fori sunt. Cum autem Magistratus extra suum forum prosilit in forum Dei, & vult mandare, quæ verbo Dei prohibita sunt, hic si quis obedit, peccat. Agnoscendum enim est mandatum superioris Domini, & ei parendum, sicut Petrus dicit, Deo magis obediendum esse, quam hominibus. *Act. 5.*

Quatenus parendum Magistratui.

Vrgetur Germania hodie hoc quoq; peccato. Non solum enim Episcopi cogunt suos ad idolatriam, sed faciunt idem Principes. Ac judicamus nos plerunq; illud Magistratus peccatum ipsis nociturum, non subditis. Sed Propheram hic audi, Is diserte dicit, Puniendum Israel, quod ierit post mandata suorum Regum. Quid igitur faciendum erat? Erant ne Reges ejiciendi regno, aut vis paranda contra eos? Non, Sed injustè imperantibus non erat parendum, ac potius patienda extrema, Sicut exemplum Danielis & suorum conjunctorum ostendit. Ad hunc modum suis Episcopis & Principibus idolatriam retinentibus, & ad eam cogentibus suos, subditi non parere debebant. Dei enim mandatum majus est, quam hominis, Et est quoq; obedientiæ majus præmium. Nam hic corpus tantum ad breve tempus relinquit illæsum, Ille autem corpus & animam servat in æternum.

Ego enim quasi tinea sum Ephraim, & quasi teredo domui Iuda.

Hic exponit, quæ illa vis sit, & quis judex, qui Israelem contriverit, nempe Dominus ipse, Ac utitur illustribus figuris. Tinea enim nihil mollius est. Non enim tactum sustinere potest, & tamen paulatim arrodit pannum, ut ad vestiendum prorsus sit inutilis (Rakat) est minutissimus vermiculus, Latini teredinem, nisi fallor, appellant, Sed etiam grandia ligna erodit paulatim.

Dominus tinea & teredo appellatur.

Sic ira Domini superbissimè contemnitur ab impiis, tanquam si sit vana & sine viribus, sicut tinea & teredo, Sed tamen quidquid occupaverit, hoc paulatim perit, nec potest ulla ratione restitui in integrum. Quare pertinent hæ conciones ad nos docendos, ne simus securi, Sed ut timeamus Dominum, & ambulemus in viis ejus. Alioqui nullum robur, potentia nulla tueri nos poterit. Sicut videmus à minutissimis vermiculis densissima robora erodi, ut putrescant & concidant. Quæ sequuntur, ostendunt quis hypocritarum in periculis sit animus.

Vidit Ephraim infirmitatem suam, & Iuda vulnus suum, & abiit Ephraim ad Assyrium & misit ad regem Iareb. Sed ille non potuit mederi vobis, nec sanare vulnus vestrum.

Supra dixit, idolatras in periculis nihil minuere de idolatria, sed eam urgere vehementius, Cum econtra vera pœnitentia postulet, ut acquiescamus in Verbo, & cultus in verbo propositos ac mandatos amplectamur, Eos autem, qui sine verbo instituti sunt, abjiciamus. Itaq; hoc primum est, quod idolatræ peccant. Deinde etiam in eo peccant, sicut hic Propheta ostendit. Sustentare debebant se spe misericordiæ & auxilii divini, Sed hanc in totum nullam habent, & confugiunt ad spem auxiliorum, quam ostendunt opes & potentiæ mundi. Sic cum urgerent Israelem Syri vicini, Ephraim se conjungebat cum Assyrio, & magna vi argenti emebat auxilia, Cum postea ab Assyrio immineret malum, conjunxit se cum Iareb, Sicut Iuda petebat auxilium ab Aegyptiis. Etsi enim quis rex Iareb sit, non constet, tamen clarum est, reprehendi hic fiduciam humanorum auxiliorum.

Idolatra in perículis confugiunt ad præsidia humana.

Iareb.

Pertinet igitur hæc quoq; particula eo, ut doceat de vera pœnitentia, ut primum abjecta idolatria acquiescamus in verbo. Deinde ut spem nostram habeamus positam in Deo, qui & peccata remittit, & pœnas mitigat iis, qui peccare desinunt.

Qui

Qui autem nolunt hanc pœnitentiæ formam, & retinent idolatriam, ſicut Papiſtæ, hi properant ſibi exitium, & qui ad humana auxilia confugiunt, de his dicit Propheta, Non potuerunt ſanare vulnus tuum. Cur hoc?

Quia ego ſum velut leo Ephraim, & velut catulus leonis domui Iuda. Ego ego rapio & vado, tollo & nemo eripit.

Non Aſſyrius regnum Iſrael, non Babylonius regnum ſeu domum Iuda vaſtavit, Sed ipſe Dominus, qui ſicubi cœperit indignari, vere eſt ſicut leo, cui quod arripuit, eripi non poteſt. Nos quoq; hodie judicemus hanc eſſe cauſam, quod tanto ſucceſſu contra nos pugnat Turca. Si enim nos conjungeremus cum Domino, & eum nobis non conſtitueremus inimicum, per peccata noſtra, impius hoſtis etiam daret pœnas nefarii conatus. Nunc cum maturi ſumus pœnis, impia conſilia fortunantur. Repetitio pronominis pertinet ad reprimendam ſecuritatem idolatrarum. Exiſtimant enim ſe diligi à Deo propter cultus, quos præſtant, ſed Dominus teſtatur ſe odiſſe eos.

CAPUT VI.

Vadam, revertar ad locum meum, donec abjiciant peccatum, & quærant faciem meam, In tribulatione ſua accelerabunt ad me.

Conſolatio pia.

HIc incipit nova Concio de regno Chriſti, qua ſolatur Propheta pios, ne iſtis calamitatibus, quæ impendebant dejici animum ſinant. Sic enim ſolent Prophetæ, cum vident majorem populi partem ſecure in peccatis pergere, & cumulare ſibi iram, convertunt ſe ad pios, quos publicarum pœnarum vident eſſe ſocios, ut diſcant ſpe gratiæ per Chriſtum futuræ mitigare dolorem, quem publica calamitas concitavit. Eſt autem maxime inſignis hic locus, Docet enim de graviſſimis rebus, De conſilio, quo affligit Deus ſuos, de vera pœnitentia, de fide, de reſurrectione Chriſti & fructu eius, & de toto Evangelij miniſterio, quale id ſit, & quos ſit pariturum fructus. Itaq; non eſt negligenter tranſeundus.

Differentia inter Dei & hominis iram. Ira Dei.

Natura ſic ſumus, Cum affligimur, judicamus Deum nobis eſſe iratum, Ac verum eſt, odit Deus peccatum, & ideo infligit pœnas. Sed Verbum oſtendit inſignem differentiam inter iram Dei & hominum. Homines cum irafcuntur, fruſtra ſperes ab eis beneficium. Ideo Chriſtus cum 5. præceptum enarrat, manifeſte dicit, quod qui irafcitur fratri, homicida ſit. Sed Dei ira, eſt ira judicii. Etſi enim peccatum odit & punit, tamen perſonam non odit. Diligit enim mundum, Sicut ipſe Chriſtus docet, Iohan. 3. & Paulus dicit, nos à Deo dilectos, tum cum eſſemus inimici. Conjuncta igitur eſt ira Dei cum dilectione, hoc eſt, cum ſtudio ſervandi & ſalvandi homines. *Ira hominum.* Talis ira hominum non eſt. Ea enim conjuncta eſt cum ſtudio nocendi, & extinguit prorſus dilectionem. Et tamen voluit Deus ſuæ iræ, quæ dilectionis ira eſt, veſtigium quoddam in natura relinquere. Ideo Salomon ſimilitudine ab hominibus ſumta utitur, cum dicit, Filium, quem diligit pater, caſtigat. Hic enim utrunq; videmus, quod & odit peccatum pater, & tamen perſonam, quæ peccavit, diligit. Ac ipſa dilectio, quod mirabile eſt, iræ cauſa eſt. Niſi enim diligeret pater filium, ſineret eum impune ferri ſuis cupiditatibus, Sed quia hoc videt filio exitiale fore, frænat cupiditates ſeveritate diſciplinæ & plagis. *Iob. 5. Rom. 5.*

Hoc conſilium Dei Propheta hic eleganter explicat. Horribile iræ exemplum erat, abjici totum populum Iſrael in Gentes, & ibi relinqui in perpetua, non ſolum ſervitute, ſed cæcitate & ignorantia Dei. Iudæ conditio etſi eſſet melior (nam ſicut infra dicet, ſervabatur ad meſſem promiſſam) tamen duriter habitus eſt, quod vaſtato templo & toto regno totos 70. annos inter Gentes captivus habitavit. Itaq; populus fuit quaſi ſine Deo. Nam Dominus ſicut hic minatur, abiit in ſuum locum, hoc eſt, reliquit idolatras plectendos Gentibus, nec defendit eos contra Gentes. Quo autem

autem consilio hoc fecit? Eo nimirum, ut agnoscerent peccatum suum, & quærerent faciem Domini, hoc est, ut amplecterentur verbum, & cultus in verbo propositos. Hæc enim propria facies Dei est, qua se revelat & nobis quasi conspiciendum offert, verbum scilicet & cultus externi, verbo mandati. *Quo consilio Deus agat.*

Atqui dices, poterat hoc fieri alia ratione minus dura, & quæ misericordiæ Dei esset convenientior? Respondeo, Non poterat, Nam hoc usu discimus, idolatras dum utuntur secunda fortuna plane esse incorrigibiles. Sicut enim supra Hosea testatus est, hos ipsos successus, quibus utebantur, idolatriæ ferebant acceptos, & ideo magis incumbebant in eam. Etsi igitur Deus poterat uti mitioribus remediis, tamen ea non admittit hominum pravitas. Quæ enim mitior potest esse ratio, quam quod Verbo admonet peccatores, ut emendent peccata & pœnarum causas vitent? Sed nihil hac ratione proficit Deus. Castigandi igitur sunt, & quidem adeo duriter, ut nulla exercendæ idolatriæ relinquatur facultas. Dum enim adversarij religionis nostræ, aut in pace vivunt, aut ex longinquo rumoribus bellorum terrentur, nullum Idolatriæ finem faciunt. Itaq; quotidie gravius incumbit Turca, donec etiam facultatem idolatriæ exercendæ adimat Deus. *Deus cogitur graviter punire Idolatras.*

Felices autem sunt, qui consilium Dei hoc modo intelligunt. Hi enim veram viam ad pœnitentiam insistunt, hoc est, agnoscunt peccata, propter quæ iram Dei venisse norunt, & ea emendant, Deinde quærunt faciem Domini, hoc est, Nihil suscipiunt aut instituunt contra Verbum aut sine verbo, & incipiunt fidere misericordiæ Domini, quod sicut percussit, ita & fovere & sanare velit. Animi autem sic instituti acquiescunt voluntati Dei. Fiducia enim misericordiæ Dei se consolantur, & spe futuri boni vincunt præsentia incommoda, unde nascitur vera patientia, & voluntaria obedientia. Verbum (jeesmu) varie exponunt. Sed sicut (Asma) significat peccatum, & hostiam pro peccato, Ita verbum (Aschem) utrunq; significat, peccare, & peccatum expiare sacrificio. Non solum igitur significat Propheta eam pœnitentiæ partem, qua agnoscimus peccatum. Sed etiam fidem, qua sacrificium Christi pro peccatis oblatum amplectimur, & à peccatis mundamur. Tum enim sacrificamus pro peccato, cum sacrificium Christi nobis fide applicamus. Ideo (Aschem) libuit vertere, abijcere seu deponere peccatum, Ita enim utrunq; complectimur, & sacrificium Christi, quo peccata nostra à nobis transtulit Filius Dei, & emendationem, quæ semper cum fide conjuncta est. *Vera pœnitentia.*

Sicut igitur nemo periculose decumbens à medico & medicina abhorrere debet, Honorandus enim est medicus propter necessitatem, Ita quoq; cum afflictio sit medicina animæ, qua deducimur in cognitionem peccati & urgemur ad quærendum firmum auxilium contra peccatum, non debemus eam odisse, non querulari, mulierc̃ularum more, sed Deo gratias agere, qui nos visitavit non in ira, quanquam est ira, sed in gratia. Irascitur enim, ne perduremus in peccatis, sed ut convertamur & salvemur. Quod si absq; hac ira esset, periremus in peccatis. Nam ea demum gravissima ira est, cum peccata non punit Dominus, sed sinit homines ferri suis cupiditatibus, Sicut supra dixit in 4. de filiabus fornicantibus. Vexatio enim dat intellectum, & facit attendere verbo, Sicut hic dicit. In tribulatione sua mane me quærent. Nota autem phrasis est in verbo (Schihar) quod significat vehemens studium & festinationem. *Quid faciendū, cum sentimus pœnas peccatorum.*

Venite & revertamur ad Dominum, quoniam ipse lacerávit & sanabit nos, percussit & medebitur nobis.

Hoc quoq; ad pœnitentiæ veræ descriptionem pertinet. Qui enim dicit se velle reverti ad Dominum, fatetur quod à Domino discesserit. Sic igitur damnat Ecclesia collecta ex reliquiis Israel uno verbo omnes cultus & sacrificia omnia, quibus hactenus est usa. Sed quomodo revertitur ad Dominum? Sic nimirum, quod non suas cogitationes, non mandata suorum principum, non exempla vicinorum, sed ipsum Verbum sequitur, ac cultus in verbo mandatos retinet. Supra autem ostendimus qui sint veri cultus, nempe obedientia erga Legem, cum confessione peccati. Deinde fides, *Veri cultus.*

de fides,quæ apprehendit hoſtiam Chriſtum,ac ſtatuit,quod ipſius merito ſumus juſti & Deo reconciliati. Etſi autem,quod ad externam vitæ rationem attinet,magna officiorum varietas eſt, tamen ea quoq; ad Decalogum referenda ſunt, ac ſentiet ſe unuſquiſq; Deo ſerviiſſe,cum vocationi ſervit.

Itaq; non ſolum confeſſionem præteritorum peccatorum hæc verba includunt,quod dicit Eccleſia ſe reverſuram ad Dominum,Sed etiam inſignem fiduciam miſericordiæ & auxilij oſtendunt. Nemo enim in periculo ſuo ad illum confugit, à quo metuit malum Ideo addit Eccleſia,Ipſe diripuit nos,ſed ſanabit quoq;, vulneravit nos,ſed vulnera quoq; obligabit,ſeu ſanabit emplaſtro impoſito. Id enim ſignificat verbum (Habaſch) Non potuit autem Propheta fiduciam miſericordiæ ſignificantius oſtendere. Sic enim natura ſolemus, A quo plagas vel accipimus vel metuimus, eum odimus & fugimus. Quod igitur Eccleſia ex reliquiis Iſrael collecta poſt acceptas plagas, tamen confidit Deum allaturum opem & ſanaturum vulnera, hoc eximiæ fiduciæ ſignum eſt, cujus in liberis bene educatis ſimilitudo eſt. Hos enim perpetua parentum conſuetudo ita retinet in officio, ut etiam poſt acceptas plagas parentes amare non deſiſtant,ſed ſe cum eis conjungunt ac ſperant ab eis uſitata beneficia. Cauſam autem hujus affectus in liberis cernimus eſſe, non tam naturam, quam longa conſuetudine ſpectatam benevolentiam.

Fiducia miſericordiæ.

Pertinet autem hic quoq; locus eo, ut diſcamus recte judicare de afflictionibus, quod Dominus non ideo infligit plagas, ut penitus abjiciat nos, & damnet,ſed ut nos peccati admoneat, & excitet ad pœnitentiam, ac poſtea iterum nos ſanet, ac noſtri miſereatur.Miſere tractatus eſt in exilio Manaſſes,ſed ſi abſq; ea plaga fuiſſet, nunquam deſiiſſet perſequi veram Eccleſiam,& idolatricos cultus urgere.Poſtquam igitur urgetur pœnis, peccati admonetur, ac dolet de peccato, ita tamen, ut in ipſo ſenſu iræ retineat ſpem miſericordiæ. Hæc vero eſt inſignis virtus,non nata ex carne & ſangvine, ſed ex verbo, quo Spiritus ſanctus accendit corda, ut ſtatuant Deum etiam tum,cum iraſcitur & punit,eſſe miſericordem,& nobis bene velle. Hoc non videbat Cain,non Saul,Igitur cæci urgebant interitum ſuum abjecta ſpe veniæ.Notandus igitur diligenter hic locus eſt, quod ita belle pœnitentiam deſcribit, ac conjungit cum ſenſu iræ fiduciam miſericordiæ.

Cur Deus crucibus ſubjiciat?

Manaſſes.

Cain.
Saul.

Vivificabit nos poſt biduum, In die tertio faciet nos ſurgere, & vivemus ante faciem ejus.

Hieronymus recitat Iudæorum ſententiam de tribus diebus, Sed quid expectabimus ſani ab iis in Prophetarum explicatione, qui Prophetas, ſi acrius eos urgeas, plane negant? Delectentur igitur eorum ineptiis & quæſitis cavillis,qui volent,Ego indignos judico,quos,cum ſacra explicamus,vel inſpiciamus. Primum igitur Lector hic diligenter verba Prophetæ ponderet,Vivificabit nos,inquit, Ergo prius mortui ſunt, Et addit tempus, poſt biduum vivificabit nos, & tertia die ſuſcitabit nos. Quomodo aut cur? Nimirum,ut vivamus ante faciem ejus,hoc eſt,in vita,in qua ipſe vivit. Hæc diligenter æſtimata arguunt Prophetam diſerte loqui de Chriſti reſurrectione,& hunc eſſe locum,quem Paulus innuit 1.Cor.15. ubi dicit,Reſurrexit Chriſtus tertia die ſecundum Scripturam. Non enim ſolum urgeri poteſt, quod dicit poſt biduum, & tertia die, ſed quod addit, Dominus vivificabit nos,& vivemus coram ipſo. Hæc non niſi ad reſurrectionem carnis noſtræ & vitam æternam referri poſſunt.

Locus de reſurrectione Chriſti & noſtra.

1.Cor.15.

Sed inquies,Non loquitur de Chriſti reſurrectione ſeu reditu in vitam æternam,ſed de noſtra. Nos enim,inquit,vivificabit poſt biduum, &c. Reſpondeo, Hoc ipſum maxime dignum eſt obſervatione. Oſtendit enim hoc modo fructum reſurrectionis Chriſti. Chriſtus enim ſolus eſt, qui poſt biduum vivificatus eſt, & tertia die reſurrexit à mortuis. Oſtendit autem Propheta hujus reſurrectionis fructum ad nos quoq; pertinere. Itaq; Chriſti vitam,noſtram vitam,& ejus reſurrectionem,noſtram reſurrectionem facit, Sicut Apoſtoli quoq; ſolent, Paulus Coloſſ. 3. dicit nos mortuos,

Chriſti reſurrectio noſtra.

Coloſſ.3.

1.Cor.15. tuos, & vitam noſtram cum Chriſto in Deo abſconditam, In capite 15. primæ ad Corinth.dicit, Si Chriſtus prædicatur reſurrexiſſe à mortuis,quomodo dicunt quidam reſurrectionem mortuorum nihil eſſe? Item, Chriſtus reſurrexit, & factus eſt primitiæ dormientium. Quia per unum hominem Mors,& per unum hominem Reſurrectio mortuorum venit.Sicut enim per Adam omnes moriuntur,Ita vivificabuntur omnes per Chriſtum. Hæ ſententiæ oſtendunt fructum reſurrectionis Chriſti hunc eſſe,ut nos quoq; reſurgamus & vivamus.

Itaq; Propheta recte mutat perſonas. Dicendum enim erat,Chriſtus vivificabitur poſt biduum,& tertia die reſurget, Sicut Petrus dicit,Vivificatum ſpiritu.Nam ita accidit, ut Chriſtus tertia die reſurgeret, At Propheta inquit, nos vivificandos poſt biduum,& tertia die, quo Chriſtus reſurrexit, reſurrecturos. Idq; ideo, Quia enim peccato demerſi in mortem,perpetuo eramus in morte manſuri,Filius Dei noſtra peccata in ſe tranſtulit,& pro eis ſatisfecit in cruce,Ac poſtea reſurgens,mortem quam pro nobis obierat,vicit.Itaq; nos tum reſurgere & vivere cœpimus,cum Chriſtus reſurgeret. Per eum enim noſtra mors devicta,& vita,quam amiſeramus,reddita eſt. Danda autem diligens opera erat,ut ad hunc modum reſurrectionem Chriſti nobis applicaremus,ut cum audis, Chriſtum tertia die reſurrexiſſe,certò ſtatuas te una cum ipſo reſurrexiſſe, Sicut revera eſt,quanquam nondum revelatum eſt. Ideo
1.Cor.15. enim Paulus Chriſtum vocat primitias dormientium,quod primus in vitam ſeipſum ex morte excitavit, & nos eum ſecuturi ſumus. Ac dicit, nobis à Deo datam victoriam Mortis & peccati per Chriſtum.

Non autem opus eſt ſolicite inquirere, Cur non ſatis ſit Prophetæ dixiſſe, Tertia die ſurgere nos faciet, ſed etiam addit de biduo, Poſt biduum vivificabit nos. Etſi enim poterat dici, Tertiam diem & poſt biduum idem eſſe, aut ſaltem biduum includi in tertiam diem. Tamen nihil prohibet, cum hi duo articuli fidei noſtræ diſtincti ſint, Deſcendit ad inferna, & tertia die reſurrexit, hoc quod de biduo dicit, transferre ad deſcenſum ad inferna.Oportet enim credi hunc deſcenſum fuiſſe aliud quiddam,quam quod ſepultus eſt.Et Petrus hunc deſcenſum videtur explicare,cum *Locus Petri de deſcenſu Chriſti ad inferos.*
1.Pet.3. dicit,1. Pet.3. Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum, Iuſtum pro injuſtis,ut nos ad Deum adduceret,mortificatum quidem carne,vivificatum autem ſpiritu,Quo & his qui in carcere erant, ſpiritu veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabatur Dei patientia in diebus Noæ,cum fabricaretur arca. Hic Petrus clare dicit, non ſolum apparuiſſe Chriſtum defunctis Patribus & Patriarchis, quorum ſine dubio Chriſtus aliquos, cum reſurgeret,ſecum ad vitam æternam excitavit. Sed etiam aliquibus,qui tempore Noæ non crediderunt,ac expectaverunt patientiam Dei, hoc eſt,qui ſperarunt Deum non ſic duriter graſſaturum in univerſam carnem, prædicaſſe, ut agnoſcerent ſibi per Chriſti ſacrificium peccata condonata eſſe. Complectitur igitur Propheta hoc in loco Eccleſiam omnium temporum, hoc eſt,non eam ſolum,quæ ſubLege & poſt Legem,ſed etiam,quæ ante diluvium extitit.

Quod dicit,Vivemus(Lipanaf) ante faciem ejus,Etſi aliqui referunt ad vitam piorum in hoc ſeculo, tamen certo includit æternam vitam, quam incipimus fide
1.Joh.3. poſſidere,dum hic vivimus, Sicut Iohan.dicit, Nunc ſumus filii Dei,ſed nondum revelatum eſt,Cum autem revelabitur,erimus ſicut ipſe eſt.

Et ſciemus,& incumbemus in id,ut cognoſcamus Dominum.

Nota eſt phraſis in verbo(Iada)Complectitur enim noticiam Dei,& miniſterium verbi,quo vera Dei noticia propagatur.Pertinet igitur hic locus ad tempus revelati Evangelij, poſt Chriſti reſurrectionem, cum & Spiritus ſanctus Apoſtolis datus,& miniſterio eorum noticia Dei,hoc eſt,Chriſti beneficium in omnes partes terrarum ſparſa eſt. Tum enim accenſi animi per Spiritum ſanctum magno ſtudio verbum amplexi ſunt.Sicut oſtendit hiſtoria Apoſtolorum. *Iada.*

Sed hic nota nomen (Iehova) Dicit enim Dominum tum primum vere agnituros homines, cum doctrina de Chriſto ſpargetur in mundum. Num igitur antea *Per Chriſtum Deum cognoſcitur.*

nulla Dei noticia in mundo fuit? Sed pertinet ſententia hæc ad illos Evangelij locos, Nemo novit Patrem niſi Filius, Item, Qui me videt, videt Patrem meum. Nam etſi natura habet aliquam Dei noticiam, quam ſumit, ſicut Paulus ait, ex viſibilibus mundi, Tamen ea perexigua eſt, & facile excutitur. Sed qui Chriſtum novit, quod ſit Filius Dei, à Deo Patre miſſus, ut ſalvos faceret peccatores, hic demum vere Deum novit, quod ſit miſericors, benignus, mitis, placidus, quòd amet mundum, non oderit, quod peccatores cupiat ſalvare, non perdere. Hanc noticiam Dei ſola noticia Chriſti, hoc eſt, Evangelium, parit. Itaq; miſera peccatorum turba, metu judicii Dei territa, ſicut Propheta hic loquitur, ſectatur magno ſtudio & conatu hanc doctrinam, ut Deum hoc modo agnoſcat. Rom. 1.

Quaſi aurora firmatus eſt egreſſus ejus.

Evangelium auroræ ſæpe compara-tur.

Hæc ad miniſterium verbi & doctrinam Evangelij pertinent. Ideo enim auroræ ſimilitudine Propheta utitur, ut oſtendat hanc verbi lucem, quæ eſt noticia Domini, ſpargendam in totum orbem terrarum. Nec dubium mihi eſt, Prophetam in hoc loco imitatum Davidis vaticinium Pſalm. 19. ubi doctrinam Evangelij comparat Soli, Ab extremo cœlorum, inquit, egreſſus ejus, & circuitus ad extremum eorum, & nemo eſt abſconditus à calore ejus. Quia autem noſter Propheta de initiis & quaſi cunabulis Evangelij vaticinatur, aptior auroræ ſimilitudo fuit, quam ſolis. Hæc enim tanquam procul ſe oſtendens orbi paulatim ea incrementa ſumit, ut aſcendens Sol lumine ſuo totum mundum illuſtret. Pſal. 19.

Mundus ſine Evangelio.

Deinde ſimilitudo hæc eo quoq; accommodanda eſt, ut diſcamus quid ſit mundus, cum doctrina Evangelij caret. Eſt inſtructus noticia Legis, habet imperia & regna, hæc legibus, diſciplina, virtute, pœnis quoq; legitimis conſervantur & retinentur. Nec poteſt negari magna & eximia hæc eſſe dona, Sed niſi accedat ad hæc Evangelij cognitio, vere mundus tanquam in cæca nocte errat. Caret enim noticia Dei, quæ una, non ſolum ornat & abſolvit reliqua dona, ſed verum ac ſalutarem eorum uſum oſtendit hominibus, ut ea conferant ad Dei gloriam & proximi ſalutem. Hunc donorum uſum mundus, cognitione Evangelij carens, non videt. Itaque putat ea transferenda ad gloriam & commodum proprium, ſed cum hoc modo donis abutitur, infelix eſt & varie plectitur.

Nachon.

Sed quorſum pertinet verbum (Nachon) quod vertimus firmatus eſt, Alii vertunt paratum eſſe, ac verum eſt. Significat (chon) paratum eſſe, Sed ſic ut ſtabile & firmum ſit, nec poſſit aut everti aut impediri. Ad hunc modum Propheta hic de Chriſto & Evangelio dicit, in quo Chriſti beneficium proponitur, Paratus eſt egreſſus ejus. Sicut enim auroram ſurgentem nemo prohibere, nec ejus lumen involvere poteſt, ne poſſit conſpici, Ita ſignificat miniſterium Evangelij impediri aut opprimi non poſſe, etſi id magno conatu Satan & mundus acturus ſit. Convenit igitur ſententia cum illo Chriſti dicto, Portæ inferorum non prævalebunt. Ratio eſt, Quia paratus & firmatus eſt hujus Regis egreſſus per Evangelium, ſicut auroræ, quæ impediri non poteſt, ſed paulatim illuſtrior infundit ſe orbi. Matth. 16.

Conſolatio Eccleſiæ contra adverſarios verbi.

Continet igitur ſententia inſignem conſolationem, quam includere animis noſtris hoc præſertim tempore debebamus. Si enim conſideres furorem adverſariorum, potentiam & aſſiduum ſtudium nocendi, cum ſumma calliditate conjunctum, Si poſtea intuearis noſtras Eccleſias, quam magna ubiq; ſit infirmitas, quanta ſcandalorum copia, quanta Doctorum penuria, quam periculoſa principum & gubernatorum ignavia, Dic mihi an non Evangelium judicabis ſimile lychno admodum obſcurum lumen ſpargenti, quod uno ſpiritu eoq; non vehementi extingui poſſe videbitur? Itaq; pii trepidant, cum in tam multiplicia pericula intuentur. Sed Propheta conſolatur nos, futurum, ut ſicut fruſtra laboraret, qui conaretur ſurgentem auroram opprimere. Ita Evangelij quoq; lumen ſumturum maxima incrementa, nec impediri poſſe aut opprimi. Nam exitus ejus ſtabilitus eſt, ut impediri non poſſit. Sicut eadem figura Simeon in Cantico ſuo uſus eſt, cum vocat Chriſtum Salutare, paratum ante faciem omnium populorum, hoc eſt, firmatum, ſtabilitum. *Simeon Luc. 2.*

Et

Et veniet nobis ſicut pluvia, ſicut ſera pluvia terræ.

Hæc eſt altera conſolatio, Quod verbum ſicut non poterit impediri, ita etiam certum pariet fructum. Hoc enim rete eſt, quod in mundum tanquam in mare voluit Chriſtus ab Apoſtolis & Doctoribus projici, ad capiendos homines ad ſalutem. Hæc enim cauſa eſt, cur Propheta Evangelium pluviæ comparet, & quidem ſeræ, quæ ſegetem æſtu ſolis aſſiduo pene exhauſtam, ſub meſſis tempus recreat, ut incrementum poſſit ſumere. *Evangelium nõ eſt ſine fructu.* *Sera pluvia.*

Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Beneficentia, qua erga vos utar, erit ſicut nubes matutina, & ſicut ros mane veniens.

Dixit Propheta de tempore novi Teſtamenti, quod prædicabitur liberatio à morte per Chriſti reſurrectionem & æterna vita, Ac tum vere agnituros homines Deum. Non enim timebunt eum, ſicut coguntur timere, quibus recte notus non eſt, ſed acquieſcent in ejus miſericordia. Etſi autem Synagoga & Gentes huic doctrinæ ſe opponent, tamen futurum eſſe dicit, ut ſicut aurora cohiberi non poſſit, ſed magis ac magis illuſtret mundum non ſine ingenti fructu, Ita neq; verbi curſus & fructus impediri poterit. Hæc hactenus de Chriſti regno Propheta dixit, Nunc addit amplificationem horum beneficiorum. Quid tibi faciam ô Ephraim? Quid tibi faciam ò Iuda? quaſi collaturus ea cum beneficiis veteri populo exhibitis. Magnum fuit liberari ex Aegypti ſervitute, ornari præclaris victoriis contra Gentes, poſſidere terram promiſſam Patribus, Sed hæc omnia temporalia fuerunt, & tantum præſentes adjuti ſunt. Novum autem Teſtamentum affert ad nos opes ſpirituales & æternas, nempe reconciliationem cum Deo, remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctum & vitam æternam.

Ideo Propheta addit, Veſtra gratia erit ſicut matutina nubes. Hic Interpretes non ſolum ambiguitas, ſed etiam ſimilitudinis ratio fefellit. Nam recentiores fere omnes accipiunt beneficentiam ſeu pietatem active, qua aliis benefaciebant Iudæi, ac putant eam comparari rori, quod ſubito ab ea deflexerint ad impietatem & peccata. Hieronymus paſſive accipit, Sed ſimilitudinis rationem eandem putat eſſe, quod beneficentia, qua eos Dominus adjuverit, cito ſit deſitura, Abducendos enim in captivitatem ab Aſſyriis & Babyloniis, &c. Sed neutram ſententiam probo. Verum quidem eſt, quod pietas ſeu beneficentia accipitur paſſive, qua Deus eſt uſurus erga hunc populum. Sed ſimilitudine roris non utitur Propheta, ideo quod cito evaneſcit, ſed eo potius reſpicit, quod per rorem recreatur terra. Nam in magnis æſtibus etiam noctes uſq; ad languorem hominum calent. Sed cum jam aurora proditura eſt, excitantur aurulæ frigidiuſculæ, & roridæ nubes deſtillantes reſtinguunt calorem, & refrigerant terram. Sicut igitur calentia & ſitibunda corpora, cum frigidam bibunt, recreantur, & amiſſam alacritatem reſumunt, Ita quoq; terra recreantur & quaſi vires reſumunt ac eriguntur languentes herbæ, cum matutinum rorem bibunt. *Similitudo roris.*

Sed quis iſte æſtus eſt in hominibus? Aliud nihil, quam ſenſus peccati, iræ Dei, & æternarum pœnarum. Hæc enim cum occupant animum, tantum non præcludunt Spiritum, Sicut egregie deſcribitur hæc ipſa tentatio in Pſal. 38. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & manus tua gravis eſt ſuper me. Non eſt ſanitas in carne mea propter iram tuam, nec eſt pax oſſibus meis propter peccatum meum. Quoniam peccata mea ſupergreſſa ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravata ſunt ſuper me. Curvus & depreſſus nimium & triſtis tota die incedo. Quoniam lumbi mei ariditate pleni ſunt, & non eſt ſanitas in carne mea, Colliſus & contritus ſum vehementer, ejulo præ anxietate cordis mei. Domine coram te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Cor meum tremit, dereliquerunt me vires meæ, & lumen oculorum meorum non eſt apud me. *Tentatio de peccato.* *Pſal. 38.*

In his doloribus & periculis languentes & tantum non mortuos animos, nihil *Medicina hujus tentationis.*

Evangelium. nihil erigit, quam doctrina Evangelij, quæ docet Christum noſtra peccata in ſe tranſtuliſſe, pro iis ſatisfeciſſe, & nobis morte ſua patefeciſſe aditum ad vitam. Hæc cum audiunt animi, concipiunt ſpem veniæ, & ſicut pene emortui flores, redeunt ad priſtinam alacritatem & nitorem. Atq; hoc proprium Evangelij beneficium eſt. Nam Lex adhibita hos terrores tantum auget & amplificat Peccatum. Quanta igitur illorum perverſitas eſt, qui mentes conſpectu peccatorum ſuorum territas, non ad has refrigerij aquas deducunt, ſed jubent ad præſidia operum confugere, & in Legis doctrina acquieſcere? Hi afflictioni addunt afflictionem, & vere, ſicut Aegyptij, dupli- *Exod.6.*
cant lateres. Non enim per opera Legis, ſed per fidem in Chriſtum eſt juſticia. Et non Lex, ſed Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Has ſententias *Rom.1.*
quis dubitet Paulum ex his Prophetarum concionibus hauſiſſe?

Propterea dolavi per Prophetas, Occidi eos per verba oris mei, & judicia tua lux egrediens.

Prophetarum lectionem haud alia res facit obſcuriorem, quam quod tantum aliquas notas ſuarum concionum proponunt, atq; ideo ſæpius abruptis tranſitionibus utuntur. Has qui non diligenter obſervant, eos falli neceſſe eſt. Neq; ad eam grammatices cognitione, ſed lumine Spiritus opus eſt. Itaq; videas paſſim, quæ de regno Chriſti dicta ſunt, transferri ad veterem populum, Sicut in proximo verſu omnes Interpretes fecerunt, Cum tamen de regno Chriſti locutum Prophetam conſtet. Nonnunquam quæ de præſenti populo dicta ſunt, ab incautis transferuntur ad tempus Novi Teſtamenti. Ejuſmodi abrupta tranſitione hic quoque Propheta eſt uſus. Nam præſens locus non ad ſuperiora pertinet, ſed ad populum præſentem, cui concionabatur Hoſea, non tamen cohæret inepte. Reſpondet enim Propheta tacitæ objectioni, Quia enim tantas divitias bonitatis & miſericordiæ ſuæ Deus populo novi Teſtamenti erat donaturus, Injuria populo Legis videbatur fieri qui hiſce donis careret. Sed, inquit Propheta, nulla vobis injuria fit. Mittit enim Deus Prophetas ſuos, Horum verbum ceu dolabra eſt, ut præcidat vitia, dum minatur pœnas peccatoribus & veram Dei noticiam ac veros cultus oſtendit.

Verbum comparatur dolabræ. Hæc pulcherrima miniſterij deſcriptio eſt, quod omnibus temporibus fuit in Eccleſia. Comparatur enim dolabræ, non ſolum quod per miniſterium verbi reſecantur, quæ vitioſa ſunt, Sed renovatur & regeneratur homo, ut qui antea ceu rude & nodoſum lignum, aſpectu fœdus, & ad opus Dei ineptus erat, nunc quaſi levigatus & politus, præbeat ſe Deo fingendum, formandum & ſculpendum ad ſanctos uſus.

Doctrina Legis Sæpe autem dictum eſt, Doctrinam in Eccleſia eſſe duplicem. Lex oſtendit, quid Deus à nobis exigat, & ſimul proponit pœnas transgreſſoribus. Ideo miniſterium Legis appellat Paulus miniſterium mortis, non ſolum quod ad vitam non pro- *2.Cor.3.*
deſt, ſed quod cum peccatoribus pœna peccati propoſita ſit, ipſa mors, Lex, quæ peccati nos convincit, occidit nos, hoc eſt, arguit nos reos eſſe mortis, & ſimul monet, ne cumulemus nobis pœnas & iram Dei, ſed abſtineamus ab iis, propter quæ venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ. Hanc doctrinæ partem ſignificat Propheta cum dicit Occido eos per verba oris mei. Eſt autem neceſſaria hæc doctrinæ pars Eccleſiis. *Ephes.5.*
Nam qui peccata ſua non vident, ſecuri ſunt, & gratiam contemnunt, neq; unquam ad veram pœnitentiam accedunt, Sicut Phariſæorum exempla oſtendunt. Territi autem ira Dei, non ſolum timent Deum & à peccatis cavent, ſed etiam de remedio peccatorum circumſpiciunt, Quare neutiquam tolerari debent, qui ſtant Legis doctrinam ex Eccleſiis ejiciendam. Hac enim dolabra ad rudes & nodoſos ſtipites opus eſt.

Doctrina Evangelii. Altera doctrinæ pars eſt verbum Evangelij, quo territa [illegible]da iterum eriguntur. Audiunt enim quod Deus peccatores non velit abjice[illegible] Odit quidem peccatum Deus, & minatur ei pœnas, Sed peccatores non id[illegible]vult perditos. Mittit enim ad hos redimendos victimam Filium ſuum, qui pro peccatis ſua morte ſatisfaciat. Hac voluntate Dei cognita in Chriſto, eriguntur animi, & novam

lucem

lucem concipiunt. Non amplius pavent,non fugiunt Deum,Sed per Chriſtum pleni ſpe confugiunt ad ejus gratiam, quia ſe ſic vident ei curæ eſſe, ut Filio ſuo unigenito
Rom. 8. non pepercerit. Igitur comparat Propheta Evangelium ſoli orienti, & lumine ſuo quaſi vitam afferenti mundo, tenebris noctis involuto.

Joh. 16. Vocat autem peculiari vocabulo, Iudicia, ſicut Chriſtus quoq; Ioh. 16. dicit, Spiritum ſanctum arguiturum mundum. Debent igitur hæ duæ doctrinæ inter ſe diverſæ perpetuo conjungi, ut primum occidantur animi prædicatione Legis, Deinde lumine Evangelij iterum vivificentur. Nam ita demum recte amputantur,quæ in nobis vitioſa ſunt,& regeneramur in novam & ſpiritualem vitam. Per verbū enim Legis occiditur vetus homo, excutitur ſecuritas, & inſeritur animis timor Dei, Per Evangelium autem naſcitur novus homo. Nam Spiritus per id accendit & purificat corda.

Dixi igitur, miniſterij, quod in Eccleſia eſt, deſcriptionem hoc in loco eſſe, Id *Docere in Eccleſia docent homines.* comparatur dolabræ. Et Doctores Eccleſiarum vere nihil aliud faciunt, cum officium faciunt, quam ut homines ceu rudia & nodoſa ligna dedolent, & verrucas amputent. Sicut enim lignum terra natum nullis uſibus aptum eſt, Sed poſtquam nodi amputati, cortex abraſus, & ſecuri primum, poſt dolabra aut aliis inſtrumentis levigatum eſt, variis uſibus ſervire poteſt. Ita videmus multa in hominibus vitioſa eſſe, quæ per verbum reſecanda ſunt. Deformis nodus eſt avaritia, hanc cum Doctor in Eccleſia docet fugiendam, cum oſtendit pœnas propoſitas avaris, alicubi inveniet, qui pœ-
b. nitebit de admiſſo hoc peccato, & poſthac ſibi cavebit. Non enim verbum redibit vacuum ad eum, qui miſit. Idem de reliquis vitiis fit, ſi contingit ſedulus dolator.

Notandum eſt autem, quod non dicit, Prophetas eſſe, qui dedolent nodoſa *Deus vocat ad pœnitentiam.* ligna, hoc eſt, qui ad pœnitentiam revocent peccatores, ſed ipſum Deum. Ego, inquit, dolavi per Prophetas. Vult enim nos docere, ne ſuccenſeamus Doctoribus, cum reprehendunt, quæ reprehenſionem merentur, Sed accipiamus verba eorum tanquam Dei verbum, Sicut revera eſt. Quod Deus hoc modo quærit ſalutem peccatorum, ne in peccatis ſecuri pergant & damnentur. Quod ſi hanc ipſam imaginem poſſemus includere animis noſtris, quod ſumus ſimiles ſtipiti deformato multis nodis, nunquam ceſſaremus gratias agere Deo, ſic paterne nos admonenti, & per verbum ſuum formanti nos, ut poſſimus hærere in regno ejus. Verbum (hazaf) non proprie *Hazaf.* dolare ſignificat, quod tantum ad ligna refertur, ſed excindere, præcidere, amputare, ſicut ſolet, cum lintres, torcularia & ſimilia cavantur. Nos verbum dolandi ideo retinuimus, quod bellam ſententiam includit, & ad pœnitentiæ doctrinam alludit propius.

Ad hunc modum etſi hic de præſenti populo Propheta agit, recte tamen cohæret tranſitio hæc cum præcedenti Prophetia de regno Chriſti. Nam ſemper idem verbum fuit in Eccleſia, Sed temporibus novi Teſtamenti proponitur clarius. Sicut
Luc. 10. Chriſtus quoq; dicit, Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & tamen dicit Abrahamum vidiſſe diem Chriſti. Si igitur conferas Eccleſiam veteris Teſtamenti cum Eccleſia novi Teſtamenti, ſimilis eſt homini lippis oculis ex longinquo aliquid intuenti. Is idem videt, quod alius, qui acutius videt, ſed non ita clare, Agnoſcit ex longinquo montem, turrim, arcem, civitatem, ſed qui acutius vident, etiam minutiſſimas partes ædificiorum oculis notant. Ad hunc modum eadem doctrina, eadem res omnibus temporibus Eccleſiis propoſitæ ſunt in verbo, Sed novum Teſtamentum has ipſas res propius admovet oculis, & præbet clarius conſpiciendas. Sicut nunc eleganti brevitate & mirabili gravitate ſummam doctrinæ Propheta complectitur.

Miſericordiam amo magis, quam ſacrificium, & noticiam Dei magis, quam multa holocauſta.

Hæc ſententia non ideo ſolum notatu digniſſima eſt, quod complectitur ſummam doctrinæ Chriſtianæ, quæ ſemper in mundo in Eccleſia fuit, ſed quia à Chriſto quoq; bis uſurpata eſt. Prius igitur, quam explicemus eam, videbimus quomo-

do ea ſit uſus Chriſtus. Nam veteris Teſtamenti explicatio ubiq; ex novo petenda eſt. Citatur hæc ſententia à Chriſto Matth. 9. ubi Chriſtus ſe tuetur contra Phariſæos, quod Matthæum vocarat ad miniſterium, & cum peccatoribus non dedignabatur comedere, Eam rem indigne ferebant Phariſæi. Sed Chriſtus jubet, ut diſcant, quid ſit, Miſericordiam volo, &c. Significat igitur Deum non velle tantum hanc miſericordiam, qua adjuvamus alii alios, in corporalibus malis, ſed in ſpiritualibus etiam. Fit autem hoc eo modo, ſi Doctores ſe cum peccatoribus conjungant, ſi eos doceant, ſi dehortentur à peccatis & cohortentur ad pietatem. Hanc miſericordiam cum exigat Deus, merito Chriſtus factum ſuum defendit. *Mat. 9.*

Secundo citatur Matth. 12. cum Phariſæi judicarent diſcipulos ob evulſas ſpicas & guſtatas in Sabbato. Igitur Chriſtus eo in loco miſericordiam vocat, non judicare alios, ſicut Paulus quoq; dicit, Charitas non eſt ſuſpicioſa, hoc eſt, accipit & interpretatur omnia in meliorem partem. Oſtendunt igitur hi duo loci vocabulum (Heſed) hoc in loco aliud nihil ſignificare, quam quod nos dilectionem ſeu charitatem appellamus, Hanc dicit Hoſea Deo gratiorem eſſe, quàm ſacrificium. Conjungit autem cum dilectione noticiam Dei, hanc præponit holocauſtis. Sæpius autem iam diximus, quid ſit noſſe Deum, nempe ſcire quæ ſit voluntas ejus erga nos. Hanc noticiam in Lege non inveniemus. Lex enim aliud facit nihil, quam ut oſtendat quid Deus à nobis flagitet, nempe dilectionem Dei & proximi, Sicut Chriſtus Matth. 22. Legis ſummam pulchre contrahit in hæc duo præcepta, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum tuum ſicut teipſum. Si igitur quæras, quæ voluntas Dei ſit erga eos, qui hæc duo mandata non ſervant, minatur eis iram & æternas pœnas. *Mat. 12.* *Noticia Dei.* *Mat. 22.*

Quomodo Deus cognoſcatur. Noticia Dei.

Vera igitur Dei noticia ex Evangelio petenda eſt. Hoc enim oſtendit Filium Dei miſſum in hunc mundum, ut ſalvos faceret peccatores. Hæc eſt noticia Dei talis, quæ non excitat odium Dei, ſed reverentiam, dilectionem & obedientiam. Tam benignum enim Deum quis cupiat offenſum? quis oderit? quis non libens ſequatur & ei pareat? Recte igitur numeratur noticia Dei inter ſummos cultus. Complectitur enim ſtudium Verbi, fidem, invocationem, ſpem, patientiam in adverſis, obedientiam, &c. Conjungit igitur Propheta hoc in loco Legem cum Evangelio, & oſtendit qui ſint præcipui cultus Dei, in quibus nobis ſudandum eſt, ſi volumus ſervi Dei haberi, nempe, ut diligamus proximum, & amplectamur Evangelium, hoc eſt, ut credamus remiſſionem peccatorum & vitam æternam gratis per Chriſtum. Hoc igitur ſtadium norunt pii ſibi propoſitum, in quo decurrant.

Sed cur addit collationem de ſacrificiis? Erant ea quoq; divinitus mandata. Sed cum tantum eſſent typus futuri ſacrificii per Chriſtum, & exercitium obedientiæ ad tempus, Ideo Propheta oſtendit hos legales cultus ita exigi, ut tamen potior cura ſit habenda ſuperiorum cultuum, qui omnibus temporibus in Eccleſia viguerunt, Dilectio proximi & noticia Dei. Sed impia Iudæorum turba verbum negligebat, ac Prophetas perſequebatur, & tamen ſperabat ſe Deo placituram propter illos externos & legales cultus. Ideo Prophetæ tam ſæpe contra ſacrificia concionantur, & ea penitus abjiciunt. Non enim mandata erant, ut per ea conſequerentur remiſſionem peccatorum, ſervabatur id Chriſti ſacrificio, Obedientiæ externum exercitium erant, quo Deus ſuum populum à Gentibus voluit diſcernere, non voluit eos eo modo à peccatis liberare.

Ipſi autem ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt fœdus, Ibi ſpreverunt me.

Peccatum quid.

Hæc concluſio eſt hujus concionis, quæ multos inſignes locos habet. Initio bona eſt peccati deſcriptio, quod ſit tranſgreſſio fœderis. Eſt enim inobedientia, quæ habet additam pœnam. Ideo autem Adæ meminit, ut oſtendat peccatum propagari in nos. Sicut enim Adæ prohibitum fuit, ne arborem ſcientiæ boni & mali attingeret, ipſe autem Dei voluntati non paruit, & ideo pœnam huic peccato propoſitam incurrit, Ita ſuum quoq; populum Deus voluit alligatum ad noticiam Dei, & dilectionem *Gen. 2.*

Digitized

onem proximi. Sed quid fit? Adam pomum interdictum arripit, Iudæi noticiam Dei & dilectionem proximi abjiciunt, & ſerviunt ſuis commodis & honori ſuo. Itaq; pœnas in Lege propoſitas incurrunt. Pertinet autem fœderis mentio etiam eo, ut oſtendat promiſſiones huic populo de regno & ſacerdotio factas, eſſe conditionales, Contra obſtinatam Iudæorum præſumptionem, qui nunquam futurum putabant, ut Deus abjiceret populum ſuum. Quæ ſequuntur, hanc generalem ſententiam evolvunt, & de ſpecie loquuntur.

Gilead civitas operantium iniquitatem, eſt plena ſanguinis.

Duplex peccatum oſtendit, Mendacem religionem, & tyrannicam politiam, Ac ſemper conjuncta ſunt hæc, ſicut Chriſtus oſtendit cum Diabolum mendacii Pa-
Ioh. 8. trem & homicidam vocat. Nam qui impios cultos ſequuntur, crudeles in eos ſunt, à quibus ſe reprehendi vident, Sic Papa, quoniam impios cultus in Eccleſia vult retineri, in pios Doctores omni genere crudelitatis ſævit. Idem hoc in loco de regno Iſrael Hoſea queritur. Habuit autem regnum Iſrael plures civitates idolatria inſignes, ſicut Samariam regni caput, Bethel, Dan, Gilgal, Beth Aven. Sed Propheta certo conſilio regionis Gilead nomine utitur ad exaggerandum peccatum, In ea enim erat ci- *Gilead.*
Deut. 4. vitas refugii ſeu aſylum Ramoth, Deut. 4. Levitarum ſedes, ut ibi cognoſceretur de cædibus non voluntariis, ſed caſu factis. Sed quid fit? ubi Deus ſingulari ſtudio voluit cædes prohibitas, ibi maximarum cædium occaſio fuit propter idolatriam.

Sic initio à Chriſtianis templa cœpta ſunt extrui, ut in certo loco populus conveniret ad audiendum Verbum, ad orationem, & Sacramentorum uſum, Sed Pontificum non ſolum negligentia, ſed malicia quoque factum eſt, pene ut nuſquam doceretur verbum, & templa omnes judicarent tantum deſtinata ad impium Miſſæ ſacrificium. Adeo omnibus temporibus Satan ſe oſtendit ἀντικείμενον Dei & hoſtem veri cultus. Quæ Hieronymus de ſanguine ſeu cædibus recitat, ex Iudæi cujuſdam ſententia, nugæ ſunt. Nam ipſe Propheta iam explicat ſe, quid vocarit ſanguine oppreſſam Gilead.

Turba Sacerdotum ſimilis eſt latronib, usqui inſidias ponunt in via verſus Sichem, & cædes faciunt, Quia faciunt quidquid cogitant.

Inſignis figura hæc eſt, quod Sacerdotes, intentos ad cumulanda idolatrica *Impii Doctores comparantur latronibus.*
ſacra, comparat latronibus obſidentibus loca inſidiis opportuna, & non opinantes viatores opprimentibus. Nam miniſterium habent, quod inſtitutum eſt ad docendam Eccleſiam. Quia autem abjecto verbo ea docent, ex quibus uberrimus quæſtus eſt, non noticiam Dei, non dilectionem, nec beneficentiam. Quid fit? Populus ceu viator ſecurus ambulat, & dum putat ſe rectum & tutum tenere iter ad æternam vitam, præcipitatur ab impiis Doctoribus in infernum. Hieronymus vocabulum Sichem appellative reddit. Sed eſt proprium hoc in loco, eſt enim pars deſerti, quod eſt ad Hiericho. Ideo Chriſtus quoq; ad Hoſeam reſpexit, cum proponit ſimilitudinem
Luc. 10. de eo, qui deſcendens à Hieroſolymis ad Hiericho inſtituerat iter, & in latrones inciderat. Nam ibi quoq; eadem ratione, qua Hoſea hic, notat Sacerdotem & Levitam.

Ita miniſterium comparatum ad vitam, transferunt impii Doctores eo, ut ſit occaſio interitus. Longe igitur peccant gravius, quam qui nihil metuentes latrociniis opprimunt. Non ſolum enim ſpoliant miſeros auditores, & exuunt fortunis, non ſolum corpora lædunt, ſed animos jugulant, & objiciunt æternis cruciatibus. Quod in Ebræo eſt (Kizima aſu) fortaſſe non inepte reddidimus. Nam verbum (zamam) ſtudium & cogitationem ſignificat. Id etſi meſon ſit, tamen hic in malam partem ſignificat, quod faciant quicquid cogitant, **Was ſie dencken/dürffen ſie thun.** Sicut fere de Monachis hoc verbo Germani utuntur, quod tam deſperatæ maliciæ ſint, ut nihil cogitent, quod non idem patrare auſint.

In domo Iſrael video horrenda. Ibi enim fornicatur Ephraim, & polluitur Iſrael.

Summum idolatrarum culpa Deo eſt ignominioſa.

Hæc ex ſuperioribus nota ſunt, Id tamen ut admoneamus operæ pretium eſt, Quod nulla in re idolatræ ſibi magis placent, quam in cultu ſuo, Itaq; Iſraelitæ præclare ſe de Deo judicabant meritos, cum cumulaſſent ſacra, Sicut Monachi & Sacrificuli tum demum ſe Deo gratiſſimam rem putant facere, cum ſacrificant, cum obſervant certos dies, cum jejunant. Sed quid hic pronunciat Dominus? Video à quibus abhorret animus. Nam cultus, quos homines ſibi ſine mandato Dei fingunt, nihilo Deo gratiores ſunt, quam honeſto viro turpis uxoris adulterium. Sicut igitur adulteram ejicit maritus, Ita regnum Iſrael tandem ejectum ex ſua terra, & in Gentes translatum eſt, ſine miſericordia & ſine ſpe reditus, ſicut in 1. capite Propheta vaticinatus eſt.

Sed ô Iuda, ponis tibi meſſem, cum convertam captivitatem populi mei.

Regnum Iuda quoq; propter peccatum à Babylonio captivum abductum eſt. Sed hæc captivitas non fuit perpetua. Nam propter promiſſionem Davidi factam (quam hic figurate meſſem vocat) oportuit hunc populum manere & reſtitui, ut ex eo naſceretur Chriſtus. Egregie autem ornatur tempus regni Chriſti, quod in comparat Propheta meſſi. Ac imitatus eſt figuram Chriſtus in ſimilitudine de ſemine producente multiplicem fructum. Hic autem verus demum fructus eſt, propter quem ſeritur verbum, ut homines diſcant noſſe Deum & ſalventur. Quam autem ſunt infelices, qui hic ceſſant, & non diligentes in hac meſſe ſunt operarij? Ad hunc modum gravi cohortatione hoc caput claudit Propheta. *Luc. 8.*

CAPUT VII.

Cum ſanarem Iſrael, revelabatur iniquitas Ephraim & multa malicia Samariæ. Quia operantur mendacium, Ideo venit fur, & latro foris ſpoliat.

SEquens concio etiam legalis eſt. Habet enim reprehenſionem idolatriæ, & minatur pœnas ſecuris peccatoribus. Nec in re aliqua difficultas eſt, Grammatica aliquanto eſt obſcurior propter figuras (ut ſtulta ratio judicat) aliquanto duriores. Sed ſi eas conſideremus diligentius, etſi ruſtice & ex medio uſu hominum ſunt ſumtæ, tamen proprie admodum pingunt idolatrarum ſtudia. Apparet autem hoc ex loco, ſicut omnibus temporibus Eccleſia eundem habuit hoſtem, Ita quoq; tentationes eſſe ſimiles. Si enim contemptores verbi, quos hodie habemus, cum Iſraelitis conferas, non ovum ovo dices magis eſſe ſimile. Queritur Dominus, quod cum de ſanando Iſraele cogitet, Iſrael quaſi furiis agitatus tum demum ſummo ſtudio incipiat urgere idolatriam, & licentius peccare. Mira res & pene incredibilis, Sed intuere in noſtra exempla, quæ ob oculos nobis ſunt, & dices idem adhuc hodie fieri.

Furor idolatrarum.

Patefecit nobis Dominus per Verbum ſuum verum Dei cultum, ut credamus Evangelio & invocemus tam miſericordem Patrem in nomine Chriſti, cujus merito ſeu morte, à peccato & morte liberati ſumus. Damnantur idolatria & falſi cultus, ac admonentur homines, ut poſthabitis traditionibus humanis, ſerio incumbant in ea, quæ divinitus præcepta ſunt, bona opera. Sed an non hic quoq; revelatur iniquitas Papiſtarum, & Eccleſiæ Antichriſti malicia? Sanam doctrinam etiam armis conantur opprimere, impios cultus Miſſarum, idolatriam in invocatione, & quicquid abuſuum eſt, nunc ſerio incipiunt defendere, & quantum poſſunt, ſtabiliunt. Sic Iſrael quoq; occidebat veros Doctores, & tanto furioſius urgebat ſacra ſua, cum audiret ea à piis Doctoribus reprehendi. Sed hanc pertinacem impietatem quomodo ultus eſt Dominus? Venit fur, inquit Propheta, & armatus incurſionem fecit, hoc eſt, ut nos loquimur, domi & foris varie ſunt vexati & direpti. Non enim furem vocat, qui noctu

Pœna idolatriæ.

Digitized by Google

noctu perfodit parietem, & clam, quæ poteſt, tollit. Sed mendacia, fraudes, avaritiam, injuſtam vim, injurias, quibus cives inter ſe utuntur, injuſta onera publica ab avaris Magiſtratibus impoſita. Hi enim nocentiſſimi fures ſunt, quibus expilantur Reſpub. Ad hæc domeſtica incommoda dicit accedere externum hoſtem & bella.

Hæc an non etiam noſtro ſeculo ſentimus? Principes turpiſſime ſubditos ſpoliant. Ipſi inter ſe cives nullum avaritiæ modum ſtatuunt. Et accedit quoq; Tyrannus Turcicus, Item alia bella, Ita utrinq; premitur miſera, ſed matura pœnis Germania, quam vere, ſicut ſenex in comœdia dicit, ne quidem ipſa ſalus, ſi cupiat, ſervare poſſet. Ac nos, qui tamen de Evangelio gloriamur, hiſce pœnis non caremus prorſus. Videmus enim eaſdem rerumpublicarum peſtes apud nos graſſari, Nocentem furem & direptorem hoſtem. Itaq; hæ quoq; noſtrorum peccatorum pœna ſunt, quod abutimur Evangelio, neq; eo digne ambulamus.

Et tamen non cogitant, quod ſciam quicquid mali faciunt.
Nunc enim ſtudia, quibus occupantur, ſunt in conſpectu meo.

Hæc eſt reprehenſio Securitatis, qua nullum nocentius peccatum eſt. Excludit enim pœnitentiam, qua ſola patet aditus ad mitigationem publicarum calamitatum. In his peccatis, inquit Propheta, ſic ſecure pergunt, ac ſi certi eſſent me ea neſcire. Sed non neſcio, Ante oculos aſſiduo verſantur, nec patiuntur ſe ignorari. Itaq; gravioribus pœnis dabunt occaſionem. Sed vide hic quoq; adverſarios noſtros. An non ita ſe gerunt, ac ſi vocem de cœlo audiſſent, ſe effugituros iram Dei? Sicut Iohannes ad Phariſæos dicit. Pertinet autem ad Eccleſiæ conſolationem, quod Deus ſtudia impiorum dicit aſſidue ob oculos ſibi eſſe. Quia enim ceſſat pœna, & idolatræ crudeliter pios perſequuntur, ſæpe piorum animi tentantur, ac ſi Deus alias res agat, & de Eccleſia ſua non ſit ſolicitus. Sed profecto non tantum facta, quæ oculis cernuntur, ſed conſilia & ſtudia ac intimum cordis Deus videt, Itaq; non perpetuo ſinet impunitos abire.

Reprehenſio ſecuritatis.

Matt. 3.

Malicia ſua exhilarant Regem, & mendaciis ſuis Principes.

Hic de Sacerdotum peccato proprie loquitur, qui idolatriam non ſolum non reprehendebant, ſed etiam Principum gratiam idolatricis cultibus captabant. Nam malicia, de qua Propheta hic loquitur, non eſt civilis malicia, ſed Eccleſiaſtica, quæ complectitur impios cultus & dogmata impia, ideo appellat mendacia. Decipiuntur enim ſimplices, & dum putant ſe Deo gratum facere, maxime eum offendunt. Sicut Monachus dum jejunat, dum ſtudioſe adorat Sanctos, dum Miſſas celebrat, vere mendaciis occupatur. Non enim hi Dei cultus, ſed blaſphemia & ſumma erga Deum inobedientia ſunt.

Sacerdotum peccatum.

Univerſi ipſi ſunt adulteri, ſimiles fornaci ſuccenſæ per Piſtorem, qui quieſcit ab excitanda & ſubigenda farina, donec fermentetur.

Hic exponit ſe, de qua malicia, & de quo mendacio loquatur, nempe, de turpi adulterio, quod diſceſſerunt à vero Deo, & ſicut adultera mulier, ſe contulerunt ad alienos Amatores, ad idola & prohibitos cultus. Similitudo proprie pertinet ad pingendum vehemens ſtudium, quod in idolatris eſt. Ardent enim ſicut fornax, quæ ſuccenſa eſt. Quod ad Grammaticam attinet, puto ſententiam recte & proprie redditam.

Dies Regis noſtri eſt, Principes igitur incaleſcentes vino debilitantur & Rex manu ſua ad ſe trahit illuſores.

Brevitas, ut ſolet, hic obſcuritatem parit. Sed Propheta nihil aliud agit, quam ut ſimilitudinem de fornace ſuccenſa explicet. Piſtoris nomine veniunt impi;

Piſtor.

impii Doctores, hi farinam agitant, hoc est, instituunt populum ad idolatriam. Postea succenditur fornax, hoc est, Populus novis ceremoniis & cultibus invitatur ad idolatriam, Sicut dicit: Hodie dies Regis nostri est, hoc est, singularis solennitas. Igitur Principes in aula crapulantur, In templo autem impii cultus fiunt, & magna in gratia apud Regem sunt horum autores. Non dissimile est, quod magni Principes apud nos natalem suum magna pompa in templis celebrant, frequentibus Missis & aliis impiis ceremoniis. Illusores sicut in 1. Psalmo vocat Propheta impios Doctores, qui interpretando depravant Scripturam. Id autem vere est illudere, tum Deo, tum hominibus.

Illusores, malli Doctores.

Cum insidias struunt, cor ipsorum ardet sicut fornax. Sed tota nocte dormit Pistor eorum, & mane ardet quasi flamma ignis.

Pertinet hoc quoq; ad Sacerdotes, qui impiorum cultuum autores sunt. Hi, inquit, cum insidias ponunt, hoc est, cum vacant idolatriæ, sunt sicut succensa fornax, hoc est, ardent ingenti studio idolatriæ augendæ & confirmandæ. Vident enim hoc modo sibi aditum esse ad favorem Principum, & etiam rem familiarem hoc modo pulchre augent, Sed non cadent feliciter hæc consilia. Perinde enim ac si ignis ex succensa fornace, dum Pistor somno oppressus jacet, erumpat, & omnia incendio involvat. Ita Idolatria regno Israel exitio erit.

Omnes calent, sicut fornax, vorantur judices eorum, atq; omnes Reges eorum cadunt, Nemo tamen est inter eos, qui ad me clamet.

Gradus peccatorum in idolatria.

Hic sine figura dicit, quod supra de igni in fornace ardente, & ipsum Pistorem vorante dixit. Observandi autem hoc in loco sunt gradus impietatis. Primum est, quod idolatræ verbo non acquiescunt, Sed quanto Deus per Prophetas eos monet diligentius, tanto ipsi vehementius in Idolatriam incumbunt. Hoc peccatum suæ consequuntur pœnæ. Nam & Iudices & Reges cadunt, ac populus à vicinis Gentibus diripitur. Alterum peccatum est, quod sicut Deum amice per verbum vocantem non audiebant, ita nec curant affligentem. Fingunt alias causas calamitatum, quam idolatriam suam. Sicut Esaias quoq; queritur in 1. Capite. Populum non reverti ad percutientem se, Ergo etiam hac in parte consilium Dei frustra est. Sicut enim per Verbum ab idolatria volebat eos abducere, Ita quoq; eo consilio immittit pœnas Deus, ut agnoscant peccata, & per pœnitentiam redeant in viam. Sed ubi nec verbis, nec verberibus quicquam proficitur, quid aliud sperari potest, quam vastitas?

1.

2.

Esa. 1.

Consilio punit Deus peccata.

Docet igitur hic locus de consilio Dei, quo punit peccata. Non enim hoc agit, ut propter peccatum nos abjiciat, & damnet, Revocat hoc modo ad pœnitentiam, ut cessemus à malo, & ut invocemus eum. Hæc enim via est, qua occurritur iræ Dei, si cum oratione conjungamus pœnitentiam. Sed quid faciunt idolatræ? etiam cum pœnas sentiunt, non statuunt eas ab irato Deo immitti. Itaq; non invocant Deum, sed invocant idola sua. Invocant homines, quorum potentia sperant se emergere posse ex calamitatibus præsentibus. Sicut qui hodie pontificiam religionem sequuntur, sentiunt quidem Turcam & alia incommoda. Itaque pro liberatione orant, sed non orant ad Deum, Ponunt fiduciam in operibus, nituntur Sanctorum intercessionibus, Imo Sanctos quoq; invocant, cum invocatio tantum debeat ad Deum fieri in nomine Christi, Ita enim rogatur gratuitum beneficium, quod Deus Ecclesiæ promisit.

Ephraim miscetur cum populis, Ephraim est factus ceu placenta, quæ non vertitur.

Hoc tertium peccatum est, quod non solum Deum non invocant, sed etiam nituntur præsidiis humanis, & conjungunt se per fœdera cum Gentibus, Sed hoc quoq; male cedit Idolatris. Nam cum quibus se conjungunt, iis prædæ sunt. Sicut figura de placenta ostendit, quæ dupliciter intelligi potest. Nam placenta, quæ non vertitur, dum semper una in parte sentit ignem, aduritur & redigitur in cinerem.

Sed

Sed fortaſſe huic loco aptius eſt ut intelligas, Prophetam voluiſſe hac figura oſtendere, quod Iſrael avide diripiatur à Gentibus, Sicut homines famis impatientes placentas ſemicoctas vorant, nec expectare poſſunt dum percoquantur. Itaq; quæ ſubjicit, ſunt ceu expoſitio. Verbo (jisbolal) utitur, ſicut Moſes Exod. 29. 39. Levit. 7. ubi loquitur de farina miſcenda cum oleo, Ac facit id hoc quoq; in loco ad ſimilitudinem de placenta.

Comedunt alieni robur ejus, & tamen non intelligit. Caneſcit, & tamen non intelligit. Humiliatur ſuperbia Ephraim videntibus ipſis, & tamen non revertuntur ad Dominum Deum ſuum, neq; quærunt eum in omnibus iſtis.

Duo complectitur Propheta hoc in loco, & pœnam certam & tantam cæcitatem, ut pœnam quam ſentiunt, non videant unde ſit. Si enim propter idolatriam crederent ſe puniri, abjicerent eam, ſed id non faciunt. Quod de canis addit, recte exponitur de fractis regni viribus, Sicut Comicus ſenectutem vocat morbum. Invenit enim Ierobeam, ſub quo vixit Propheta, regnum Iſrael miſerrime direptum. Nihil tamen prohibet, ſi hoc ad amplificationem peccati referas. Turpior eſt enim tam fœda ignorantia in ſene, quam in juvene. Quod dicit, humiliatam ſuperbiam Iſrael, id ſupra in 5. expoſuimus. Summum igitur peccatum eſt poſt neglectum verbum etiam negligere plagas, quas Deus eo conſilio infligit, ut revocet errantes in viam, Sicut hoc in loco Propheta oſtendit, cum dicit, Non reverti eos ad Dominum, nec quærere Deum, Reverti enim ad Deum, eſt abjicere idolatriam, & Deum quærere, eſt verbum ſequi.

Ephraim eſt ſicut columba ſeducta, quæ nihil intelligit, Invocaverunt enim Ægyptum, & abierunt ad Aſſyrium.

Admodum elegans hæc ſimilitudo eſt, ſumta ipſa quoq; ex œconomia. Columba inter omnes aves facilime decipitur, ut obliviſcatur nidi ſui. Ita dicit Ephraim quoq; aſſuefactum ad alienum nidum, dum deſerto Deo & templo quærit auxilia non à Deo, cujus nomen habitabat Hieroſolymis, ſed à vicinis gentibus, Aegyptiis & Aſſyriis. Vtitur Eſaias quoq; ſimilitudine columbarum Cap. 60. cum de Apoſtolis & Evangeliſtis vaticinatur, Sed in his commendat, quod norunt ſuas feneſtras, nec ſinunt ſe à verbo tanquam à vero nido abduci ad impia dogmata. Ideo Chriſtus quoque Apoſtolos vult columbarum ſimiles eſſe, quod ad ſimplicitatem & innocentiam attinet. Cæterum addit, Eſtote prudentes ut ſerpentes. Nam fatuæ columbæ decipiuntur, & patiuntur ſe ad alienos nidos aſſuefieri. Id in Chriſti diſcipulis eſſe non debet. Hi enim prudentem ſimplicitatem præſtent neceſſe eſt. Nam ſimplicitas eſt nihil ſpectare quam Dei gloriam & proximi ſalutem, Prudentia cavere laqueos Satanæ, & tantum verbo inniti.

Columba.

Eſa. 60.

Eſtote ſimplices ut columba.

Quocunq; igitur abierint, expandam ſuper eos rete meum, & cadere faciam ſicut aves cœli, ac caſtigabo eos, ſicut audiunt in Eccleſia ſua.

Hoc tandem impietatis præmium eſt, & exitus impiorum fœderum, quæ ſuſcipiuntur ſpe humanorum auxiliorum. Emphaſis eſt in pronomine, Meum rete. Id enim ejuſmodi eſt, quod effugere mali non poſſunt. Includit autem ſimilitudo tum ſecuritatem impiorum, tum ſubitum & improviſum exitium. Quod in Ebræo eſt (Keſchema) ſecundum auditum Eccleſiæ eorum, Nota phraſis eſt, Significat autem pœnas quas Moſes minatur impiis, Sicut Eſaias aliquoties loquitur, Non deſiderari, ne unum quidem eorum, quæ Dominus minatus eſt. Soliti enim ſunt, ſicut Evangelium teſtatur, Moſen ſabbatis diebus legere in ſcholis ſeu Eccleſia. Exiſtimabimus autem eaſdem privatorum quoq; pœnas fore, ſi neglecto Verbo non arripuerimus pœnitentiam, & impios cultus non abjecerimus.

Impietatis præmium.

Væ eis,

Digitized by Google

Væ eis, quoniam recedunt à me, Devastabuntur, quoniam inique agunt contra me. Ego quidem redimo eos, Ipsi autem loquuntur contra me mendacia.

Hic est præsentis Concionis Epilogus. Notabis autem quod Dominus ubiq; addit suam personam. A me recesserunt, Contra me inique egerunt, Contra me loquuntur mendacium. Ad me non clamant, Contra me malum cogitant. Igitur sicut nos distinguimus peccata secundum tabulas Mosi, ita hic sentiemus Prophetam non agere de peccatis secundæ, sed primæ tabulæ.

A Deo recedere. Recedere à Deo, est abjecta fide in Deum, fidere hominibus, & eorum openiti.

Inique agere. Inique contra Dominum agere, est mutare cultum, & idolatriam instituere.

Mendacia loqui. Mendacia loqui contra Dominum, est prophanare nomen Dei per impiam doctrinam.

Ad Dominum non clamare. Ad Dominum non clamare, est prophanare nomen Dei per falsam invocationem.

Cogitare malum contra Dominum. Cogitare malum contra Dominum, est cogitare de impio cultu retinendo & propagando, ac includit persecutionem verbi, item abusum pacis & reliquorum donorum, quæ impii conferunt ad idolatriæ defensionem.

Hæc peccata in sequenti epilogo commemorat, & minatur fore, ut propter ea vastentur. Itaq; discamus nos ea cavere, illorum exemplo moniti. Sumus nos quoq; miseri peccatores. Sed hæc primæ tabulæ peccata Dei beneficio effugimus, dum & cultus veros & sanam doctrinam retinemus. Itaq; spes veniæ nobis reliqua est. Qui autem cum impia doctrina impios cultus conjungunt, sicut adversarij nostri, hi quid aliud quam vastitatem sibi promittere possunt? Quod dicit, Ego quidem redimo eos, & ipsi loquuntur contra me mendacium, Id proprie pertinet ad tempora Ierobeam, qui etsi esset impius rex, tamen fortunatus fuit. Nam restituit regno Israel, quæ à majoribus amissa erant, usque ab Hemath ad mare. 2. Regum 14.

Non clamant ad me ex corde suo, sed ululant in cubiculis suis. Propter frumentum & mustum congregantur, & adversantur mihi.

Clamant quidem, & ex corde, Nam calamitas ita urget, Sed in eo vitium est, quod non clamant ex corde ad Dominum. Conveniebant enim ad idola, & invocabant in loco prohibito. Nam orationi destinatum erat templum Hierosolymitanum. Itaque etiam qui corpore aberant, istuc vertebant faciem, Sed Israel templum contemnebat, & habebat idolatrica templa, sine Verbo & contra Dei mandatum instituta, quæ Propheta hic vocat cubicula, Alludit enim ad similitudinem adulterij. Ma-

Idolatrica invocatio, ululatus. xime autem insigne est, quod vocat idolatricam invocationem ululatum (Ielala) Sicut enim Musicus concentus aures demulcet, ita ululatus offendit aures. Vera igitur invocatio est Deo suavissima musica, sed falsa invocatio & idolatrica offendit gravissime aures & animum ejus.

Debuit autem hæc sententia inscribi parietibus omnium templorum, præcipue autem eorum, in quibus collegia Sacrificulorum sunt. Nam cum istic perpetuo aliud nihil fiat, quam ut summa contentione decantetur, Propheta hic ostendit, quid

Vitia invocationis in Papatu. in hoc cultu sit vitii. Primum & fere summum est, quod si ea invocatio est, non tantum sine mente, sed etiam sine omni intellectu est, Taceo, quod illa Sanctorum seu divorum invocatio in totum idolatrica est.

Secundum vitium est, quod vere, sicut Propheta hic dicit, Propter frumentum & mustum congregantur. Nisi enim illa præmia huic labori essent proposita, nunquam ad has operas convenirent. Igitur Deus eorum, quem his cantibus colunt, non est Deus cœli, quem nesciunt, Sed panis & vinum, quæ vorant, & quibus saginantur. Tertium vitium est, quod istum cultum sic præstant, ut interim summo conatu

& studio

& ſtudio adverſentur Deo, hoc eſt, ſanæ doctrinæ, quam in totum, ut hæreſim, damnant & extinctam cupiunt. Et ſcilicet impium hominum genus audent interrogare, Cur tot nominibus impium cultum ex noſtris Eccleſiis ejecerimus?

Ego erudio & firmo brachia eorum, Sed malum contra me cogitant.

Hæc quoq; proprie ad tempora Ierobeam pertinent. Commemorat autem duo beneficia, eaq; ſumma, Primum eſt, quod per Prophetas erudit & mittit Verbum. Habuit enim id tempus quinq; inſignes Prophetas, Amos, Hoſeam, Eſaiam, Micham, Nahum, qui omnes cohortati populum ſunt ad pœnitentiam, & prædixerunt futuram vaſtitatem per Aſſyrium, niſi convertantur, & idolatriam abjiciant. Deinde etiam confirmavit brachia, hoc eſt, pace & victoriis ornavit Deus Rempub. ſicut paulo ante de Ierobeam commemoravimus. Sed his donis quomodo uſi ſunt? Contra me, inquit, cogitant malum, hoc eſt, abutuntur pace & victoriis ad opprimendum Verbum, & veros cultus, & ad ſtabiliendam idolatriam. Significat enim verbum (Haſchab) non ſimpliciter cogitare, ſed diligenter & ſerio cogitare.

Convertuntur, ſed non ad Altiſſimum, & ſunt ſicut arcus doloſus, Cadent per gladium Principes eorum propter furorem linguæ ſuæ. In terra Ægypti ludibrio erunt.

Hæc eſt concluſio, etiam cum affligo eos propter peccatum, nihil proficio. Nam cum ſentiunt plagas, non ad me convertuntur, ſed invocant idola ſua, & quærunt præſidia hominum. Quis igitur erit finis tandem? Erunt ſicut arcus doloſus. *Arcus doloſus.* Arcus inſtructus eſt ad feriendum hoſtem, quod ſi rumpatur nervus, aut aliquid ſimile accidat, ineptus eſt. Ita minatur hic, etſi neque conſilia nec res defuturæ ſint regno Iſrael, tamen infelices fore omnes conatus propter peccata ejus. Sicut exponit ſe, *Pſal. 127.* Cadent Principes, &c. Contraria ſententia eſt in Pſa. 127. ubi comparat filios eorum, qui divinitus reguntur, ſagittis in manu potentis, ſignificat enim felices gubernatores. Sed hic ſagittæ quidem in manu ſunt, & quidem potenti manu, Nam regnum Iſrael ſub Ierobeam pulchre floruit, Sed arcus doloſus eſt, hoc eſt, concidunt in ipſo conatu. Et hoc propter furorem linguæ ſuæ, quod contumelioſi ſunt in pios Doctores, & magnifice prædicant vires & auxilia ſua, quibus ſe ſperant tutos fore. Aegyptus enim fallet eos, Itaq; ridebuntur.

Ebræi aliam ſententiam ſequuntur. Vocant enim arcum doloſum, qui dolo *Pſal. 78.* intenditur, ut cum putes dextram petiturum, petit ſiniſtram. Ac in eam ſententiam interpretati ſunt Septuaginta Pſal. 78. (Remijah) verſatilem arcum, σφενδόνην, qui facile huc illuc vertitur. Neque hæc ſententia huic loco inconveniens eſt, ut non pœnæ ſed culpæ ſit. Sicut arcus doloſus convertuntur, tanquam acturi pœnitentiam, Sed non convertuntur ad Deum, pergunt in idolatria ſua, cum ad dextram ſperes ituros, deflectunt ad ſiniſtram, &c.

CAPUT VIII.

Admove ori tuo tubam Aſſur, Sicut Aquila veniet ſuper domum Domini, quoniam tranſgreſſi ſunt pactum meum, & iniquæ egerunt contra Legem meam.

EST hæc quoq; legalis Concio, in qua Propheta tum idolatriam, tum etiam fiduciam humanorum præſidiorum, ſeu fœdera cum Gentibus damnat, & minatur excidium. Itaq;, quod ad res attinet, prorſus hic nulla eſt difficultas, nec grammatica obſcura eſt. Principium hujus Capitis pertinet ad regnum Iuda. Nam diſerte meminit domus Domini, quod in Ieruſalem erat. Etſi autem aliqui ad captivitatem Babylonicam vaticinium hoc referunt, tamen rectius, ſicut ſequentia arguunt, refertur ad calamitatem regno Iudæ per Sanherib illatam. *Prima hujus Capitis concio pertinet ad regnum Iuda.*

Digitized by Google

Aquila.

Similitudo Aquilæ, tum ad celeritatem, tum ad potentiam hoſtis referenda eſt. Vtroq; enim vincit Aquila inter omnes aves,& ideo regium nomen habet. Sed hujus mali quæ cauſa eſt? Nimirum tranſgreſſio fœderis,& violatio legis. Igitur his periculis,qui carere volunt,hi omni ſtudio in id incumbant,ut obediant verbo. Fœdus cum populo ſuo tale pepigerat Deus, quod ſi ambularent in obedientia Legis, omni genere beneficiorum cumulandos eſſe,Sed diſcedentibus à Lege pœnæ certæ propoſitæ erant. Tale pactum cum Gentibus non eſt factum. Nam quæ ad cultum externum attinebant,omnia abrogata ſunt,Et tamen primum Præceptum univerſale eſt,& ad omnes pertinet. Ideo & qui parent Deo,certum obedientiæ fructum ferent,Qui autem diſcedunt ab obedientia,pœnas ſentient.

Fœdus Dei cum populo.

Ad me clamabunt, Deus meus, agnoſcimus te ô Iſrael.

Hæc fere ab omnibus in eam ſententiam exponuntur,quaſi fruſtra ſint clamaturi,Sicut ſupra de regno Iſrael dixit in cap. 5. Tum quærent me, ſed non invenient. Sed dixi ſupra, hanc concionem proprie pertinere ad regnum Iuda, quod divinitus ab hoſte liberatum eſt.Sententia igitur hæc eſt,quod regnum Iuda ab Aſſyrio vexatum agnoſcet peccatum, & clamabit ad Deum pro liberatione, & ſervabitur, ſicut hiſtoria de pio rege Hiskia teſtatur. Atq; huc facit, quod Prophetæ oſtendunt non cultum ſolum, ſed etiam nomen Dei diſſimile fuiſſe in regno Iuda & Iſrael. Nam Iſrael Deum gentili nomine appellavit Baal, Iuda autem ſicut verum cultum retinuit,ita quoq; Deum ſuo vero nomine appellavit. Vtile autem hoc regni Iudæ exemplum eſt,quod hoc tempore conſideremus. Oſtendit enim ſpem veniæ reliquam iis,qui etſi peccatores ſunt,tamen verbum & cultum retinent. Qui autem verbum perſequuntur,& idolatricis cultibus occupantur,hi corripientur durius,& exemplo Iſrael funditus excindentur,niſi pœnitentiam egerint. Porro Iſrael hic vocat Deum Iſrael,hunc dicunt ſe agnoſcere,hoc eſt,retinere verbum & cultum ejus.

Somma hujus loci.

Iſrael deſerit bonum, inimicus perſequetur eum.

ALTERA CONCIO AD REGNUM ISRAEL.

BRevis ſententia,ſed valde illuſtris. Verbum & cultum Dei verum,vocat bonum, Quia pax multa diligentibus Legem tuam Domine. Hi enim habent Deum protectorem in omnibus periculis. Sed qui bonum hoc deſerunt, & ab eo diſcedunt,hi quid faciunt aliud, quam ut involvantur malis? Hoc ſcilicet tanto ſtudio facit mundus,cum aut verbum negligit,aut perſequitur. Negligit enim & perſequitur bonum, Amplectitur autem & ſectatur exitium ſuum, Quæ ſequuntur, explicant quid ſit bonum deſerere. *Pſal. 119.*

Ipſi conſtituunt Reges, ſed non per me, Conſtituunt Principes, ſed me neſciente, Argentum & aurum ſuum fecerunt ſibi, ut eſſent idola, ideo excindentur.

Sequitur de fœderibus cum Gentibus.

Non loquitur de electione Regis,quæ legitima eſt, ſed de fœderibus cum Regibus & Principibus,ſicut ſupra dixit de Aſſyrio & Ægyptio aſcito. Nam etſi per ſeditionem primus Ierobeam Rex eſt creatus, tamen diligenter inſpicienti hiſtoriam apparet regnum Iſrael divinitus approbatum. Non igitur de ſucceſſione in regno, ſed de fœderibus cum Gentibus loquitur.Ideo addit (Ve lo mimenni) Sine me hoc faciunt, abjecta ſcilicet fiducia, quam de me debebant retinere firmam. Sic ſe neſciente dicit conſtitui Principes. Hæc eſt prima diſceſſio à bono. Altera eſt, quod ex auro & argento faciunt idola, hoc eſt, tribuunt auro & argento divinum honorem, Sicut in Papatu quoque ſolent, cum adorant divorum ſtatuas. Hoc idolatriæ peccatum ſequitur excidium.

Ejecit

Ejecit vitulum tuum, ô Samaria, Iucanduit furor meus in eos, Non poterunt perpetuo innocentes esse.

Excidium minatus est,nunc repetit peccatum, Fieri id propter adorationem & cultum vituli. Itaque non inepte(Eglech)pro nominativo accipitur. Vitulus tuus ejecit te,hoc est,idolatria est tibi causa exitii. Non enim potest eam ferre Dominus. Quod vertimus,non poterunt perpetuo innocentes esse,In Ebræo est,usquequo non possunt innocentiam. Id brevius & obscurius dictum est, Sed revera nihil aliud significat,quam si dicas,Sunt nocentes,ideo non perpetuo ferent impune peccata sua. *Idolatria perdit.*

Nam ex Israel est vitulus iste, Artifex fecit eum, Neque est Deus iste, Ideo in frusta comminuetur vitulus Samariæ.

Facilia hæc sunt. Pertinent enim ad idolatriam ridendam. Quid enim stultius est, quam procidere coram ligno, lapide, argento, auro, hominum manibus facto? Cur non prociditur coram eo, cur is non invocatur, qui ex nihilo fecit omnia? Is enim liberare potest. At aurum, argentum, lapides, ligna, ne se quidem liberare possunt, sed comminuentur. Et tamen in hac turpi, fœda, & exitiali idolatria totus Papatus adhuc mersus jacet. *Idolatria ridetur.*

Quoniam ventum seminant, metent tempestatem, Nullus culmus invenietur, nec germen quod farinam faciat, & tamen si forte fecerit farinam, alieni eam devorabunt.

Irriti consilii descriptio est. Tempus sationi aptissimum est,cum est tranquillitas. Sic messis tempus nisi serenum sit,incommodum est. Dicit igitur,Initia, sicut sunt propter idolatriam & fiduciam in homines infausta,Ita etiam eventus erunt tristissimi,Perinde ac si quis in magna tempestate serat, ac in magnis imbribus messem colligat, Ibi vix invenies culmum qui frugi sit,&c. *Irritum consilium.*

Israel devoratur, & facti jam sunt inter Gentes, sicut vas quod nemo vult.

Quod Propheta toties eandem rem repetit, argumento est, quod neque uno & eodem tempore nec loco conciones hæ sint habitæ. Deinde,quod à securis Israelitis superbe contemptæ sint, Sio enim solent impii, quanto sunt propiores periculo, tanto agunt securius, sicut Salomo dicit. Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus. Auxit autem Israelitis animum successus fortunati regis Ierobeam. Sed quam misere fallitur mundus? Victorias tam præclaras Deus misericors regno Israel concesserat, ut esset tranquillitas, & Ecclesiæ de vero Dei cultu possent doceri, utque pœna idolatriæ per pœnitentiam præcideretur. Vere enim Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, Sed impii homines, quanto florebat regnum magis,tanto incumbebant magis in idolatriam,& contemnebant Verbum. Quærebant vicinorum Regum amicitiam, & præsidia,ac se ita credebant tutos fore,si quid incideret adversi. Hæc peccata hoc in loco Propheta enumerat,& vastitatem minatur. Illustris autem figura est,quod comparat Israelem impuro vasi,quod nemo appetit,sed statim abjicit,cum in manus venit,Sic projecti propter idolatriam à Deo,etiam inter Gentes contemptissime habebantur. *Causa crebra repetitionis.*

v. 16.

Quia ascenderunt ad Assur, similes erranti feræ. Ephraim conduxit Amatores, etiam Gentes conduxerunt. Itaq; colligam eas, & atterentur paulatim oppressi à rege & principibus.

Hoc primum peccatum est, quod obliti Dei & Legis, nitebantur Gentium præsidiis. Sic enim fit, vbi fiducia in Deum amissa est,confugitur ad humana auxilia. Id autem caput idolatriæ est, & peccatum contra primum Præceptum,quo prohibe- *Fiducia in homines.*

Digitized by Google

tur aliorum Deorum cultus,hoc eſt,fiducia in creaturas. Vocabulum(Pere)exponitur pro onagro, Sed mihi videtur generale eſſe vocabulum, ſicut nos feras appellamus. Ac fortaſſe hæc ipſa appellatio ex Ebræo vocabulo nata eſt, ſicut pleraq; alia tum græca tum latina. Quod autem addit(pere boded lo)fera ſola ſibi,aliud nihil eſt, quam fera,quæ ſola errat,& jam huc jam illuc incerta animi vagatur.

Quod addit de Amatoribus & Gentibus conductis,eodem pertinet. Eſt autem emphaſis in vocabulo (Ba Gojim) Q. d. Populus meus execrari debebat Gentium ſocietatem,quæ Deum non norunt,& oderunt verum cultum Dei. Sed his etiam munera parant,& magnam in eos profundunt pecuniam.Sed quis erit finis? Infirmabuntur ab onere Regis & Principum,hoc eſt,fœdera iſta eis exitio erunt. Colligam enim illas ipſas Gentes, quarum præſidio nituntur, ut Iſraelem opprimant. Alii verbum(Iahelu)formant à(hehel)quod incipere ſignificat, Sed rectius formatur à (hala) infirmari. Facit enim commodiorem ſententiam, neq; uſq; adeo repugnat Grammatica.

Quia multiplicat Ephraim altaria ad peccandum, ideo erunt ei ad peccatum.

Impii cultus. Hoc ſecundum peccatum eſt, Impius cultus ſeu idolatria, quod multiplicaverunt altaria,in quibus ſacra fierent,Cum Deus tantum voluiſſet unum eſſe in templo in Ieruſalem. Sed cur dicit,multiplicata ad peccandum altaria? Certè eo animo altaria non extruxerunt, ut peccarent, ſed putabant hunc cultum Deo probatum iri. Eſt igitur hoc Spiritus ſancti judicium & ſententia, qui dicit quod res eſt, ac pingit idolatriam veris coloribus. Etſi enim ſtatuebant ſe hoc modo Deum verum culturos, tamen cum eſſet cultus inſtitutus ſine Verbo, imo contra Verbum, non potuit Deo probari,& verè aliud nihil fuit quam peccatum. Sic Monachus ordinis ſui præcepta obſervat anxiè, magna devotione celebrat Miſſas,ſed quia utrunque fit contra verbum,iſta ipſa religione ſua cumulat peccata,& irritat Deum.

Scripſi ei ſedulo Legem meam, Sed reputaverunt eam alienam eſſe.

Hoc tertium peccatum eſt, Prophetæ reprehendebant idolatriam, & docebant ex verbo Dei de veris cultibus, de timore Dei, de fide in promiſſum Semen,de obedientia erga Legem, iterum de externis cultibus in loco divinitus oſtenſo, Sed (Kemozar nehesbu) putabant nihil ad ſe pertinere conciones Prophetarum, contemnebant eas,& damnabant tanquam doctrinam,quæ & Reipub.noceret,& extingueret religionem in populo,Sicut Papiſtæ hodie Evangelium damnant.

Imolant hoſtias mihi in oblationem carnem, & comedunt, ſed Domino non placent. Nunc igitur recordabitur iniquitatis eorum,& viſitabit peccata eorum,quod ad Ægyptios ſe vertunt.

Hæc eſt inſignis tapinoſis ſacrificiorum.Magnum vero,inquit,donum eſt,quo à vobis afficior,Imolatis hoſtias,carnem, Eam poſtea voratis,Scilicet hoc cultu tantopere delectaret? Non mihi offertis, ſed vobis, Exaturatis enim ventres veſtros, Hac ratione peccata non expiantur. Igitur ſicut iſtorum miſereor,qui confugiunt ad miſericordiam, & petunt veniam, fiducia promiſſi Seminis, Ita veſtra peccata manebunt vobis fixa,Recordabor eorum & viſitabo,Siquidem nullam aliam meliorem rationem habetis eorum expiandorum,quam quod carnes offertis & voratis. Repetit autem hic peccatum, fiduciam in auxilia humana, cum ſolo in Deo fiducia debebat fixa eſſe, ſicut jam addit.

Obliviſcitur Iſrael Factoris ſui, & ædificat templa, & Iuda multiplicat urbes munitas. Ego autem mittam ignem in civitates ejus,& devorabit palatia ejus.

Hic

Hic quoque peccatum eſt florentium regnorum & Rerumpublicarum, quod ſumtuoſè ædificant,& ſperant ita tutos ſe fore ab hoſtium vi & armis,Sed niſi Dominus cuſtodiat civitatem, fruſtra vigilat cuſtos. Non igitur ædificatio, ſed fiducia hic reprehenditur. Vt autem appareat eam vanam eſſe,ipſe Dominus minatur ſe ignem immiſſurum,hunc aqua non reſtinguet. Ita hoc in capite oſtendit Propheta,quæ ſint peccata propter quæ florentia regna extinguuntur. Pertinent autem hæc ad nos docendos,ut moniti exemplo regni Iſrael talia peccata caveamus. *Peccatum florentium regnorum, &c.*

CAPUT IX.

Ne læteris, neve exultes Iſrael, ſicut populi, quoniam per fornicationem diſceſſiſti à Deo tuo.

ESt hæc quoq; Concio pœnitentiæ,in qua idolatriam regni Iſrael damnat,& minatur vaſtitatem. Itaq; plana ſunt omnia. Oſtendunt autem toties à Prophetis repetitæ Conciones, non ſolum magnitudinem hujus peccati,ſed etiam obſtinatam idolatrarum pertinaciam, Itaq; non miremur hodie, quod adverſarij noſtri tam pertinaciter ſua defendunt, & nullis noſtris admonitionibus acquieſcunt. Obtinet enim Satan morem ſuum antiquum,& ſemel irretitos impiis opinionibus & cultibus adeo retinet firmiter, ut ſe explicare ex impietatis multiplicibus nodis non poſſint. Verè enim ſicut Paulus de Galatis ſuis dicit, habent faſcinatas mentes. Tanto debebamus nos & diligentius agere gratias Deo pro luce Verbi, & incumbere in id majore ſtudio,ut retineremus eam. *Gal. 3.*

Initio hujus Capitis eſt comminatio pœnæ,& peccati reprehenſio. Florebat regnum Iſrael ſub Ierobeam, antea multis & variis caſibus jactatum. Nam vicinus hoſtis Syrus aſſiduè & magno cum ſucceſſu contra Iſrael belligeratus erat, Sed Ierobeam potentiam Syrorum fregit,ut ſe intra ſuos continerent terminos. Cum igitur, ut ſolet longa pace, potentia regni Iſrael confirmaretur,luxuriabant animi, & hanc perpetuam ſibi ſomniabant felicitatem. Monet autem Propheta eos, ne lætentur, neve exultent, Vrgeri enim eos graviſſimo peccato, quod per idolatriam à Deo diſceſſerint. Id peccatum certam pœnam vaſtitatis dicit conſecuturam. *Summa capitis.*

Dilexiſti mercedem, horrea frumento plena.

Facit Propheta geminum peccatum,ſicut ſupra aliquoties. Nam cultus regni Iſrael erat diſceſſio à Deo, & turpe adulterium. Sed retinebant hunc cultum Sacerdotes propter commoda corporalia, quod faciebat, ſicut Græci loquuntur, πρὸς τὰ ἄλφιτα. Semper enim impietas quæſtuoſa eſt. Ideo Papiſtæ quoq; Miſſam & alios cultus non tam retinent propter religionem,quam quod ſunt cum ubere quæſtu. In Ebræo particula (Al)obſcuritatem parit, Dilexiſti mercedem apud univerſa horrea frumenti,ſed de ſententia dubitari non poteſt. Iam addit de pœnis.

Horreum & torcular non paſcet eos, & muſtum fallet eos.

Hæc prima pœna eſt,quod iſtis commodis privabuntur,& in ſumma omnium rerum abundantia egebunt. Verum enim eſt, quod Germani Proverbio dicunt, Si montes omnes nihil ſint quam farina, tamen famem arceri non poſſe, ſi ſic mereantur peccata hominum. Arguit autem hoc,omnia eſſe in eo poſita,ſi Dominus benedictionem ſuam addat, & non in ipſa rerum abundantia,quam tamen mundus quaſi ſola ſatis ſit,tanto ſtudio, curis & laboribus quærit. *Prima pœna.*

Non habitabunt in terra Domini, ſed revertetur Ephraim in Ægyptum, & in Aſſyriam, ac pollutum comedet.

Digitized by Google

Secunda. Secunda pœna eſt, captivitas inter Gentes. Ægyptum & Aſſyriam nominat, ut intelligas ab illis ipſis oppreſſum regnum Iſrael, quorum fœdere & amicitiâ ſperabat ſe tutum fore. Sic ſunt humana conſilia, Sic cedit fiducia in homines. De polluto paulo poſt Propheta ſe explicabit.

Non libabunt Domino vinum, nec placebunt ei, ſacrificia eorum ſunt ſicut panis lugentium, Omnes qui comederunt de eo, polluentur, Quia panis eorum, quo aluntur, non veniet ad domum Domini.

Hæc tertia & acerbiſſima pœna eſt, quod nullum habituri ſint publicum cultum, ſed degeneraturi in Gentes cum ſua poſteritate. Sicut noſtris hominibus accidit, qui in Turcia captivi tenentur, hi nullas audiunt conciones, non poſſunt adhibere liberos ſuos ad Baptiſmum, non poſſunt uti Euchariſtia, non veniunt in cœtus hominum congregatorum ad faciendas preces. Hæ ſunt pœnæ neglecti cultus, ſicut hoc in loco videmus. Igitur diſcamus ſancte uti his tantis donis, dum poſſumus. *Panis lugentium pollutus.* Quod de pane lugentium dicit, notum eſt ex Capite Deut. 26. Nam funeribus polluebantur in Lege. Itaq; cum iis, qui in luctu erant, nemo ſe conjungebat. Et vult quoq; Deus animum plenum gaudio & ſpe, vult niti nos ſua bonitate, non vult triſtari, angi, dolere. Geminum hoc igitur malum eſt quod minatur nullos fore cultus, ſi qui autem ſint, iis pollui, non ſanctificari homines. Deut. 26.

Quod ſequitur, Panis eorum quo aluntur, non veniet ad domum Domini, idem eſt, ac ſi dicas, Veſcentur pane profano, non ſanctificato, Sicut ſanctificabantur per oblationem fructus terra nati. In Ebræo eſt (laheman lenaphſcham) panis eorum, animæ eorum, non afferetur, aut veniet ad domum Domini. Id nos ſimpliciter reddidimus, Panis, quo aluntur, Quanquam in Ebræo ſignificantius ſit. Hoc enim vult dicere, Non habebunt panem, de quo aliquid offerant, ſicut ſoliti ſunt in terra Domini, Tantum habebunt panem, quo ſe alant, non quo Dominum honorent, & miniſterium ornent, quia nullum templum, nullos habebunt miniſtros ſacrorum.

Quid facietis in die ſolenni, & in feſto Domini.

Solennem diem vocat ſtata feſta, quæ certo anni tempore celebrabantur, ſicut Paſcha, Pentecoſte, &c. Eſt autem eadem ſententia cum ſuperioribus. Inter Gentes captivi eritis, non templum, non cultum, non feſta uſitata retinebitis.

Quoniam ecce abeunt propter vaſtitatem, Ægyptus eos colliget, Moph eos ſepeliet, Vrtica poſſidebit loca, in quibus argentea idola, deliciæ ipſorum, ſunt poſita, Sentes in tabernaculis ipſorum provenient.

Vtrunq; conjungit, & captivitatem inter Gentes, & vaſtitatem, Verbo (halchu) abierunt, fere uſus hoc loco eſt Propheta, ſicut Græci utuntur verbo οἴχεσθαι, ſic ſind ſie hin. Moph, Memphin Aegypti eſſe judicant. Argentum, certum eſt, dici argentea idola, ſicut aliquoties ſupra dixit, conflari ex auro & argento idola, ea vocat (Mahmad) deſiderabile, quia hoc cultu delectabantur & fidebant. Hæc incommoda florentiſſimum regnum incurrit propter idolatriam. Tanto nos decebat lucem Verbi majore ſtudio amplecti & habere reverentius.

Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis, Iſrael ſentiet.

Nullum peccatum impunitum. Cohærent hæc cum ſuperioribus. Singularis autem Emphaſis eſt in eo, quod appellat dies viſitationis & retributionis. Nam dum pœna abeſt, impii ſomniant Deum tanquam Cupidinem cæcum eſſe, nec unquam animadverſurum. Sed paulo poſt, inquit Propheta, recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum. Igitur excutienda erat hæc ſecuritas, & redeundum in viam, dum flagellum ceſſat, & datur tempus pœnitentiæ. Qui autem hoc pœnitentiæ tempus ſine fructu ſinunt abire, hi poſtea fruſtra quærunt mitigationem pœnarum, ſicut Propheta dicit. Iſrael cognoſcet, hoc eſt, ſentiet me vera prædixiſſe.

Propheta

Propheta ſtultus eſt, Qui gloriatur de ſpiritu, furit, propter multam tuam iniquitatem & vehemens odium.

Poſtquam in genere reprehendit omnes propter idolatriam, nunc ſpecialiter de Doctoribus loquitur, Vocat ſtultos, quod non Verbum, ſed ſomnia ſua docebant, Item furibundos, quod & manifeſta peccata defendebant, quæ communis ſenſus judicabat, & inclinatis jam rebus promittebant meliora. Sicut in Papatu hodie defenditur uſus unius ſpeciei, damnatur conjugium ſacerdotum, conſtituitur cultus in cibis certis, in veſtitu, &c. Hæc etiam pueri judicare poſſunt. Sed homines amentes & ſine ſenſu omni, etiam indignis piorum cædibus hæc defendunt. In Ebræo eſt (Iſch haruah) vir ſpiritus, hoc eſt, qui jactat ſpiritum, qui gloriatur ſe habere Spiritum ſanctum. Micheas mendaces & vanos Doctores vocat, viros ambulantes ſpiritu ſeu vento. Sed hoc in loco verbum ambulandi deeſt, itaq; alia eſt ſignificatio. *Doctores impii ſunt furioſi.*

Obſervabis autem hoc in loco, quod diſerte ſtatuit Propheta, impios Doctores eſſe pœnas peccatorum, & ſummam Dei indignationem. Sicut econtrà pii Doctores illuſtre teſtimonium ſunt miſericordiæ & gratiæ Dei, Itaq; Paulus, Apoſtolos, Evangeliſtas, Prophetas vocat dona Chriſti ſedentis ad dexteram Dei Patris, & Micheas Doctores Evangelij comparat fœcundæ pluviæ. Vocabulum (Maſtema) odium ſignificat. Appellat autem ita idolatriam, quod Dominus eam odio habeat, nec poſſit ferre. *Impii Doctores.* Epheſ. 4.

Speculator Ephraim olim ſequebatur Deum meum. At nunc Propheta eſt laqueus venatoris in omnibus viis ſuis, odium in domo Dei ſui.

Brevitas obſcuritatem parit hoc in loco. Exiſtimo autem Antitheſi uti Prophetam, quam nos additis circumſtantiis temporum Lectori voluimus oſtendere. Sententia enim eſt quod priora tempora habuerint veros Prophetas, Eliam, Eliſæum, & alios, qui magno animo reprehenderunt idolatriam, & docuerunt verum Dei cultum. Sed ſpeculatores & Epiſcopi, qui nunc ſunt (inquit) occaſio ſunt errorum & impietatis. Ponunt enim laqueos populo, & invitant populum ad idolatriam, ac magno conatu impios cultus defendunt. *Collatio veterum & novorum Prophetarum.*

Occalluerunt, ſcelerate agunt, ſicut tempore Gibea. Igitur recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum.

Supra in quinto dixi de verbo (heemiku) Eadem in ſignificatione hic quoq; ponitur, quod tam altas radices egerit impietas, & ſtudium decipiendi populi, ut nulla admonitione ſanari poſſint impii Doctores. Vſus autem in verſione ſum alia metaphora, quæ tamen eundem ſenſum oſtendit. Sic verbum (Schihetu) ſignificat corrumpere, depravare, perdere ad exitium rem adducere. Sed ne id quoq; proprio aliquo verbo reddere potuimus, itaq; ſententiam oſtendimus, Scelerate agunt. Hiſtoria de Gibea nota eſt, ex lib. Iud. 19. Tam fœdo & horribili peccato comparat Idolatriæ patrocinium, quod hodie, proh dolor, in Papæ Eccleſia uſitatiſſimum eſt. Sed ſtatuamus nos quoq; Eckios, Pighios, Vvicelios, dum Miſſas, invocationem Sanctorum, purgatorium, Indulgentias, merita operum & alias religionis peſtes defendunt, nihilo facere rectius, quam ſi fœdiſſimarum libidinum patroni eſſent. Iud. 19. *Patroni Idolatriæ.*

Sicut uvas in deſerto, inveni Iſraelem, Vidi Patres veſtros in initio quaſi primitias in ficu. Sed abierunt ipſi ad Baal Peor, & ſanctificaverunt ſe turpi idolo, factiq; ſunt abominabiles, ſicut eorum amatores erant.

Amplificat peccatum Ephraim commemoratione præteritorum peccatorum, Q. d. Eſt populus perpetuo ſui ſimilis. In ipſo deſerto, cum quotidie ſentirent beneficia mea, & mirabilem gubernationem, tamen diſceſſerunt à me, & dediderunt ſe ſtu-

se ſtudiis & cultibus Gentium, In hac impietate adhuc pergunt, nec ſanari poſſunt. Nota autem eſt hiſtoria de fornicatione filiorum Iſrael cum Moabitarum filiabus in Sittim, & de cultu idoli Baal Peor, quod Hieronymus Priapum fuiſſe exiſtimat, ac convenit ſane appellatio. Nam vox Ebræa Peor nuditatem ſignificat. Quod vertimus, ſanctificaverunt ſe turpi idolo, in Ebræo eſt, ſegregaverunt ſe ad confuſionem ſeu turpitudinem, Sed nos maluimus ſententiam oſtendere. Nam verbum (jinazru) etſi ſignificat ſegregare, tamen proprie eſt verbum cultus. Sicut etiam inde Nazarei dicti ſunt, quod ſegregarent ſe, hoc eſt, quod ſingulare quiddam ſuſciperent ad cultum Dei.

Peor. Id eſt apertu-ram vel hiatum.

Nazarei.

(Boſcheth) autem ſine dubio appellat idolum Peor, turpem & fœdam ſtatuam. Quanquam hæc ipſa appellatio idolo etiam convenit propter eventum, quod propter hunc cultum turpis idoli, populus confuſus & male afflictus eſt, ſicut hiſtoria oſtendit, uno die cecidiſſe viginti tria millia. In vocabulo (kehabam) uſitata Ebræis phraſis. Ponitur enim abſtractum pro concreto, Amor pro amatoribus, Dilectio pro dilectis. Appellat autem amatores Moabitas idolatras, quorum cultum Iſrael ſecutus eſt. Sic enim dicit Moſe, Num. 25. Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua, At illi comederunt, & adoraverunt Deos eorum, Initiatusq; eſt Iſrael Baal Peor, &c. *Num. 25.*

Facilis lapſus in idolatriam.

Vtile autem hic eſt conſiderare quam facilis ſit lapſus à vera religione, & quanta Satanæ non tantum ſit malitia, ſed etiam potentia. Non enim exiguum aliquid dicit Dominus, cum populum Iſrael, ſicut ex Aegypto evocatus eſt, comparat uvæ in deſerto, & ficui præmaturæ. Significat enim populum hunc & magno ſtudio amplexum oracula divinitus prodita, & in timore Dei pulchre ambulaſſe, ita ut Deo eſſent unicæ delitiæ, qui cultu, pietate, fide, invocatione hujus populi unice delectatus eſt. Nam uva prima, & ficus prima ſingularem voluptatem colono præbet.

Sed populus tam pulchre incedens in timore Dei & fide, dementatus à Satana, prolabitur in fœdiſſimam idolatriam, cujus occaſio eſt libido prohibita. Sicut hiſtoria oſtendit, quod invitati ad ſacrificia, comederint, & adoraverint idolum. Vere igitur ſupra dixit Hoſea, Vinum & fornicatio auferunt cor, hoc eſt, dementant homines, inſtillant animis vel neglectum, vel contemptum religionis, & in impietatem abducunt. Sicut etiam Papatus inſigne exemplum oſtendit. Nam libidines impurum cœlibatum ſecutæ, etiam idolatriam multiplicem pepererunt. Itaq; Daniel conjungit hæc duo de Antichriſto vaticinatus, quod Deum Patrum ſuorum, & amorem mulierum non curabit. *Dan. 11.*

Merito igitur conſideramus hoc in loco & noſtram imbecillitatem, & Satanæ potentiam ac aſtuta conſilia, quæ impoſſibile eſt, ut effugiant incauti & negligentes homines. Aſſidua precatione opus eſt, ut nos Dominus regat Spiritu ſuo, Opus eſt cura ſingulari, qua ipſi gubernemus cupiditates & affectus pravos, nuſquam à verbo deflectentes oculos noſtros. Hanc curam qui non adhibent, & negligunt orationem quoq;, conſiſtere diu non poſſunt, ſed incauti abripiuntur à Satana, nec proſunt eis quantumvis excellentia dona quibus à Deo ornati ſunt.

Igitur Paulus cum Corinthios de hoc ipſo periculo admonet, quod facilis ſit lapſus à vera religione & timore Dei, hac hiſtoria populi fornicantis in deſerto utitur. 1. Corinth. 10. Et Chriſtus non fruſtra admonuit, orandum quotidie, ne inducamur in tentationem. Lapſus enim facilimus eſt, Sicut Davidis, Petri, & aliorum Sanctorum, præcipue autem hujus totius populi exempla oſtendunt. Ingens autem eſt hoſtis potentia, cum nos vere, ſicut Paulus vocat, ſimus vaſa teſtacea, qui levi impulſu frangimur, niſi innixi verbo ad humilem & ſeriam orationem confugerimus. *1. Cor. 10. Matth. 26.* *2. Cor. 4.*

Gloria Iſrael avolat quaſi avis, non pariet, non geret in utero, non concipiet amplius. Etiamſi educaverint filios ſuos, tamen eos orbos faciam, ne ſint inter homines.

Gloriam

Gloriam vocat ſicut ſupra regnum, & quicquid donorum hic populus habuit, *Gloria.* Hanc minatur avolaturam ſicut avem. Significat autem hac figura cladem regni fore irrecuperabilem. Avis enim dimiſſa è manibus apprehendi denuo nequit. Quod additur, in Ebræo admodum breve eſt, A partu, ab utero, à conceptione, Sed ſententia indubie hæc eſt, Non parituram, non geſtaturam in utero, non concepturam. Hoc non ſic intelligendum eſt, quaſi populus Iſrael dono fœcunditatis in captivitate cariturus ſit. Manſuræ enim erant reliquiæ uſque ad Chriſtum, Sed quod perpetua ſervitute oppreſſus jacebit. Quanquam etiam pœna includitur de liberis immatura morte tollendis.

Etiam Væ eis, cum receſſero ab eis.

Hic de tempore captivitatis loquitur, quod inter Gentes duriter ac miſere *Tyrus.* ſint victuri. Atque hæ idolatriæ & impietatis pœnæ ſunt, quas ita demum utiliter conſiderabimus, cum nos ad diligens ſtudium Verbi convertemus, & agemus pœnitentiam. Nam Hoſea non minus quam Iohannes Baptiſta hoc agit, ut, populum ad
Matth. 3. pœnitentiam hortetur, & moneat, ſecurim jam ad radicem arboris poſitam, niſi emendent vitam.

Ephraim, ſicut video, pulchre plantatus eſt, ut Tyrus,
At educet Ephraim quoq; filios ſuos Percuſſori.

Tyrus tum ex hiſtoriis, tum poematibus Gentilium ſcriptorum nota eſt. Fuit enim celeberrimum emporium, florens opibus & potentia. Ac quanquam ab Alexandro everſa eſt, tamen difficilima oppugnatio fuit, & Alexander, quod tamen nuſquam alibi accidiſſe ei puto, de expugnatione non ſemel deſperavit. Non igitur exiguam eam putabimus commendationem, quod tam opulentæ Reipubl. ac potenti regnum Iſrael comparat. Sed hic diſce, quanta hominum ſit calamitas, Quos Deus *Mundus abutitur donis Dei contra Deum.* omni genere beneficiorum ornarat, ut provocati hoc modo, & revereri eum & amare ac parere ejus Verbo diſcerent, hi quaſi dementati fortuna & ſucceſſu tanto, Deum & verbum ejus contemnebant pertinacius, & beneficia iſta putabant idolatriæ eſſe præmia. Igitur quantumvis florens regnum non potuit longius conſiſtere, ſed periit tandem. Iudæ autem regnum etſi ſicut viribus, ita etiam opibus impar eſſet, tamen quia in eo Eccleſiæ ſedes erat, ſervatum eſt. Sic ſolet Deus potentiam impiorum confringere, & in infirmitate oſtendere virtutem & potentiam ſuam.

Felicitas ſuperiorum temporum unde.

Nos quoq; teſtes ſumus ampliſſimorum commodorum corporalium, quæ Germania & cæteræ quoque Nationes ſenſerunt florente regno pontificio. Non vidimus Turcam graſſantem in finibus noſtris, Annona erat uberrima. Non undiq; tantæ tumultuum & diſſidiorum oſtendebantur occaſiones, quantæ nunc ſunt. Hanc felicitatem unde putabimus natam, quam ex immenſa Dei bonitate, qui non ſtatim pro noſtro merito punit, ſed largitur pœnitentiæ ſpacium, & bonis etiam multiplicibus ingratum mundum invitat ad Verbum & veros cultus. Sed parum hac ratione proficit Deus. Sicut enim ſupra de regno Iſrael dixit, Sequar amatores meos, qui dant mihi panem meum, aquas meas, lanam meam, Ita audimus adhuc hodie commendari à Papiſtis felicitatem ſuperiorum temporum, tanquam præmium cultus, Pertinacius igitur incumbunt in idolatriam.

Sed quid fiet tandem? Nunc Dominus, cum pœna idolatriæ non poſſit abeſſe longius, oſtendit Germaniæ Verbum ſuum, ut cum priuſquam pœna graſſetur, pii diſcant, quomodo ſe in publicis malis, quæ præteritæ idolatriæ pœnæ ſunt, ſolari debeant. Involvent enim hæ pios quoq;, ſicut ſuperiorum temporum hiſtoriæ oſtendunt. Sed quia impii Papiſtæ Verbum negligunt ac perſequuntur, idolatriam autem urgent, arripiet eos pœna, & ſine conſolatione peribunt, ſicut Iſrael.

Cur puniat involvantur innocentes pueri?

Sed cur minatur Deus etiam innocenti ætati hoſtilia arma? Ephraim, inquit, educet ſuos liberos ad percuſſorem. Num parentum peccata exolvent liberi innocentes? Reſpondeo, Verum eſt, cum publicæ pœnæ graſſantur, etiam innocentes involvol-

involvunt. Sic Daniel & ſocii ejus,etſi ea tantum impiorum pœna eſſet, tamen abducebantur captivi inBabylonem,& cum graſſantur ſeu bella,ſeu peſtis,quantum perit puerorum, qui adhuc ſunt innocentes, hoc eſt, qui habent remiſſionem peccatorum in Baptiſmo promiſſam,nec dum à Gratia exciderunt per peccata ?

Fit autem hoc non tantum propter exemplum,ut poſteri admoniti atrocitate pœnarum diſcant Deum timere, & idolatriam fugere, Sed etiam in pœnam parentum, quibus liberorum mors ſua morte acerbior accidit. Etſi autem durum videtur abripi innocentes,tamen eis mali nihil accidit,Corpus alioqui morti eſt obnoxium, & eam ob cauſam mori quam vivere præſtat, quod innocentiam ſuam, niſi morte prævenirentur, non poſſent tueri. Abriperentur enim exemplo parentum tanquam violento flumine in impietatem ipſi quoq;. Itaq; pueris mali nihil accidit,& prodeſt exemplum aliis, ut admoniti atrocitate pœnæ Deum timere & idolatriam fugere diſcant. De Ethnicorum pueris aliud judicium eſt, qui ſunt extra Eccleſiam quanquam fortaſſe de his quoq; mitius aliquid ſtatuetur quam de adultis. Sed hæc futura vita aperiet. Cavendum autem ſtudioſe eſt,ne quid pronuntiemus,quod Verbo non eſt revelatum. Sicut certa verbi revelatio eſt,de baptiſatis,ut ante Chriſti adventum de circumciſis,quod ſint recepti à Deo in gratiam.

Da eis Domine. Quid dabis? Da eis ſterilem uterum, & arida ubera.

Non fœcunditatis donum negatur vult,ſed,&c.

Sententia eſt eadem,quæ ſupra. Non enim hoc vult,ut donum fœcunditatis eis negetur in totum. Nam reliquiæ Iſrael manſerunt uſq; ad regnum Chriſti,Sed ut non pariant, ſicut hactenus pepererunt, ubi filii nati ſucceſſerunt parentibus, ſtante regno, politia, moribus patriis,&c. Ceſſabit iam regnum,inquit, ejicientur ſedibus ſuis cives, & habitabunt inter Gentes ſervili conditione, nunquam emergent, nunquam in Repub.locum aliquem ſortientur. Igitur alia conditione eis naſcentur liberi,quam ipſi nati ſunt, qui regnum à majoribus conſtitutum, quaſi per manus traditum acceperunt, quanquam etiam κατὰ τὸ ῥητὸν, & ad literam prophetia hæc impleta eſt. Nam pœna peccati numeratur in Deuteronomio, maledictio fructuum ventris, *Deut.28.* hoc eſt,infelices & triſtes partus,ut aut rarius & infelicius matres pariant, aut partus citius pereant.

Quæſtio, cur ma lum precetur Propheta populo.

Relinquitur autem hic quæſtio, Cur Propheta hæc imprecetur calamitoſo populo ? cum mandatum habeamus etiam de inimicis diligendis,& Chriſtus diſerte jubeat Matth. 5. Benedicendum iis, qui nobis maledicunt, & orandum pro iis, qui *Mat. 5.* conviciantur nobis. Cum hac ſententia,inquies quomodo convenit hæc in ſpeciem crudelis imprecatio ? Etſi enim parentum peccatum hoc merebatur,quod innocentis ætatis eſt meritum ? Quanto præſtabat rogare,ut & Dominus corda ipſorum ſua gratia illuſtraret,& ſaltem poſteri non demergerentur in illas parentum pœnas ? Satis magna calamitas eſt,pati crudelem hoſtem, ejici patria & avito regno,carere vero cultu,cur etiam benedictionem uteri & uberum petit tolli ? Gentium iſtæ voces ſunt, Exinanite eam, exinanite uſque ad fundamentum. Prophetam certè aliter loqui oportebat, Tangi decebat eum tam inſigni ſui populi calamitate, & precari meliora, Nunc quaſi oblitus ſui, calamitoſis plus calamitatum imponit,cum etiam iſta œconomica bona eis invidet, &c. *Pſal. 136.*

Chriſtus quomodo prohibeat vindictam, &c.

Ad hæc Reſpondeo, Duo nobis conſideranda hoc in loco ſunt, ſicut etiam perſonæ duplices proponuntur, Vocatio ſancti Prophetæ,& peccatum populi.Chriſtus cum concionatur Matthæi 5. non reſpicit ad ſingulares & certas vocationes. *Mat. 5.* Sed, ſicut Decalogus eſt univerſalis Lex oſtendit omnes obligari ad dilectionem. Dilectio autem non admittit iram, non jurgia, non imprecationes malas,non reverberationem, non injuriarum vindictam, ſed ſimpliciter jubet amanter complecti proximum, etiam malè de nobis meritum,& inimicum. Qui igitur dilectionem ad hunc modum non undiq; puram & ſynceram præſtat,Decalogum violat. Rectè igitur Chriſtus eo in loco damnat iram,imprecationes diras, geſtus iratos, lites, vindictam,

ctam juramenta quoq;. Quid enim aliud faciat, cum decalogus ſit univerſalis Lex propoſita toti humano generi?

Sed Deus, qui omnes homines uni & eidem legi ſubjecit, poſt a per vocationem facit hominum diſcrimina, non vult pari cum poteſtate eſſe Regem & ſubditos, parentes & liberos, herum & familiam, ducem & militem. Itaque mandat liberis, ut parentes colant, hoc eſt, ut eorum autoritati pareant, non dat poteſtatem liberis, ut imperent parentibus. Imo jubet ut parentes etiam vi coerceant petulantiam liberorum. Non ſolum igitur licet parentibus iraſci, cum non faciunt officium liberi, ſed etiam admovere manus & plagis eos emendare. Nec tamen violant quintum Præceptum, ſed faciunt ſecundum vocationem ſuam, & Deo inobedientes eſſent, ſi aliter facerent. Sicut Dominus de Eli dicit, 1. Samuel. 3. Iudicaturus ſum domum ejus propter iniquitatem ejus, eo quod noverat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos. Sic Magiſtratus in adultos jus habet, qui parentum poteſtatem contemnere, aut etiam lædere parentes ſolent. Sicut autem Magiſtratus imperium latius patet, ita etiam pœnæ atrociores ſunt, quam illæ œconomicæ. Habet enim poteſtatem vitæ & necis. Non igitur dicitur Magiſtratus facere contra quintum præceptum, cum ſuſpendit fures, cum homicidas capite plectit. Habet enim peculiarem vocationem, qua id jubetur facere, quod aliis prohibitum eſt.

Singulares vocationes.

1. Sam. 3.

Ad eum modum reſpondebimus de Prophetæ facto. Habet ſingularem vocationem, non jubetur loqui cum populo Iſrael, non orare ſicut alii, ſed jubetur divinitus huic populo maledicere, & malè precari. Hoc cum facit, non adverſatur Chriſti doctrinæ, qui non reſpicit ſingulares vocationes, ſed in genere, Sicut Lex univerſalis eſt, proponit quid univerſis faciendum ſit, qui non habent ſuam ſingularem & certam vocationem. Propheta autem habet ſuam ſingularem vocationem, hanc cum ſequitur, recte facit. Ad hunc modum reſponderi poteſt ad alias ſententias, Nolite reſiſtere malo, Omnino nolite jurare. Hæ ſententiæ omnes ſunt univerſales, ſicut Lex univerſalis eſt, Igitur non debent reſiſtere malo, non debent jurare, quibus id non permittitur ex ſingulari vocatione. Magiſtratus autem eſt diſciplinæ cuſtos, bonis in honorem, malis in pœnam. Hic ſicut jus habet puniendi, ita etiam jus habet conſtituendi judicia, & mandandi juramenti. Qui igitur jure agunt, faciunt id mandante Magiſtratu, qui ideo præeſt, ut tueatur bonos, & nocentes puniat. Qui juramento teſtimonium ſuum in re dubia confirmant, faciunt id mandante Magiſtratu, nec peccant. Eſt igitur hæc publica & legitima vindicta judicanda, non privata. Nam exercetur per Magiſtratum, qui vult injuſtos deferri & accuſari, non vult confirmari eorum malitiam diſſimulando, aut ferendo.

Cur Propheta malè precetur Iſraelitis.

Am. 13.

An liceat jurare, litigare.

Habet autem poſtea locum patientia Chriſtiana, ſi jus, quod quæris, impetrari & obtineri non poteſt, nec Chriſtus aliud imponit ſuis, qui cum Legem non venit ſolvere, nec Politias vult ſolvere. Sicut id aliis ſententiis Scripturæ oſtendi poteſt. Reſponſio igitur ad propoſitam quæſtionem hæc eſt, Chriſtus in 5. cap. Matthæi loquitur in genere de omnibus privatis perſonis. Singulares autem vocationes non tollit, ſicut certè vindictam Magiſtratus non tollit. Propheta autem habet peculiarem vocationem, Igitur non facit contra Chriſti præceptum, cum populo ſic merito maledicit. Ita enim jubetur divinitus.

Patientia Chriſtiana.

Matth. 5.

Debet autem peccatum hujus populi quoq; conſiderari. Id ejuſmodi eſt, ut etſi mali nihil imprecandum eis judices, tamen pro eis orare non poſſis. Miſericors Deus hoc modo cum peccatoribus agit, ut eos per verbum de voluntate ſua doceat, Idolatriam damnet, & hortetur ad pœnitentiam. Hoc miniſterium certis hominibus mandat. Non enim ut cum Moſe, per Angelos, nec ut in Baptiſmo Chriſti ſua voce de cœlo vult nobiſcum loqui. Cum autem impii & verbum abjiciant & perſequantur, & admoniti idolatriam urgeant pertinacius, quid poteſt addi amplius à nobis? Num precabimur, ut Deus confirmet eorum potentiam? & non potius veniat juſtus judex, & impios perdat de terra, qui hoc agunt, ut in impietatem omnes involvantur?

Ponti-

Pro Papistis orandum.

Pontificia turba hodie Verbum non ſolum non admittit, ſed crudeliter odit & damnat. Nec ſolum nulli emendantur abuſus quantumvis manifeſti, Sed excogitantur quotidie novi fuci, quibus ornetur impietas. Hic quid facias? Ea ſpe docuimus, ut emendarentur, quotidie quoq; oramus pro ſucceſſu Verbi, & contra Satanæ mendacia. Sed impii homines, quanto nos & docemus diligentius & oramus ſtudioſius, tanto fiunt deteriores, agunt, conantur, moliuntur omnia, quæ videntur ad doctrinæ noſtræ interitum & idolatriæ propagationem pertinere. Num igitur orabimus, ut ſint felices, ut habeant quietem ad hoſtibus? ut nullis arceantur pœnis, cum certum ſit, & ſucceſſu eos abuſuros ad Dei contumeliam, & pace ad delendas Eccleſias, quæ ſanam doctrinam & veros cultus retinent? Quin potius oremus pro ſanctificatione nominis Dei. Hæc oratio ſic demum exaudiri cognoſcitur, cum Dominus ſubvertit impietatis patronos, & omni genere calamitatum eos coercet, ne poſſint hoc perficere, quod tanto ſtudio inſtituerunt.

Ita quoq; conſideratione peccati excuſari Propheta poteſt, cui prior eſt cura ſanctificationis nominis Dei, quam ſalutis ſui populi. Vellet quidem ſalvum populum, Sed cum hoc non poſſit fieri, niſi cum perpetua nominis Dei blaſphemia, Siquidem nolunt emendari Verbo, mavult perire populum quam gloriam Dei, Verbum, & cultus veros periclitari. Ad hunc modum Moſes orat contra ſeditioſum Core & ſocios ejus. Et Ieremias prohibetur orare pro populo, & Iohannes dicit, eſſe peccatum ad mortem, pro quo non ſit orandum. Hic ſi objicias, Vbi manet Spiritus ſanctus, qui eſt ſpiritus dilectionis? Vbi manet Charitas? Sic enim nobis reſpondent hodie ſectarum patroni. Reſpondetur, Peccatum ejuſmodi eſt, ut charitatem omnem excludat. Nam prima cura nobis debet eſſe nominis Dei, poſterior ſalutis aliorum. Horum alterum cum intercidere neceſſe ſit, pereat Papa, pereant impii Magiſtratus, pereant impiorum dogmatum patroni, pereat totus mundus, & ſalvetur Deo ſua Gloria, ſuum verbum, ſua Eccleſia, ſuus cultus, A M E N.

Num. 16.
Iohan. 15.

☞

Omne malum eorum eſt in Gilgal, ideo ibi odi eos.

Gilgal.

De Gilgal ſupra in fine ſexti diximus, fuiſſe auguſtum locum, propter monimentum duodecim lapidum, quos ibi excitari Dominus juſſit in memoriam ſtupendi miraculi, quod Iordanis cohibuit curſum ſuum, dum trajiceret populus, Item quod circumciſus ſit ibi populus in deſerto natus, & celebratum ſecundum Phaſe. Nam ibi primum populus cœpit veſci terra natis, cum per quadraginta annos Manna cœleſti eſſet uſus. Hæc omnia voluit Deus tanquam ſingularia ſuæ in hunc populum benignitatis teſtimonia extare, & conſpici etiam apud poſteros, ut admoniti & fidere Dei bonitati & timere eum diſcerent. Sic enim dicit textus Ioſua 4. Docebis hæc *Ioſ. 4.* filios tuos, ut omnes terrarum populi diſcant manum Dei eſſe fortiſſimam, & vos omni tempore timeatis Deum veſtrum. Atque inde etiam loco nomen poſuit ipſe *Gilgal.* Dominus, & vocavit Gilgal, quod ibi à populo ſuo amoverit, ſeu ut Verbum ſonat, devolverit opprobrium Aegypti, hoc eſt, quod populum incircumciſum, & ideo Aegyptiis & aliis gentibus ſimilem, ibi circumcidi juſſerit, & receperit in fœdus ſuum.

Sancta loca à Satana polluuntur.

Atq; hoc illud eſt ad quod Propheta hic proprie reſpicit, cum dicit, *Omne malum eorum eſt in Gilgal, ideo ibi odi eos*, Q. d. Heu quantum mutatus ab illo locus eſt, qui nomen habet ab amoto & devoluto peccato, cum jam ibi populus cumulet peccata idolatricis cultibus. Sicut igitur populum per Iordanem iſtuc venientem dilexit Deus, ita hunc odit & abominatur.

Ita docemur eventu, verum eſſe, quod Germani proverbio dicimus, Diabolum ibi ſolere compotandi locum extruere, ubi Deus templum habet. Loca enim, quæ propter religionem & magnifica Dei opera celeberrima fuerunt, ſemper turpiſſima idolatria defœdavit Satan, Donec etiam ipſum templum, in quo voluit retineri cultum ſuum Deus, Satan commutavit in ſpeluncam latronum, & ſanctam terram impiiſſimæ Gentis ſedem fecit. Græcia habuit Eccleſias optime inſtitutas, & fuerunt ibi doctrina & pietate excellentes Epiſcopi, Nunc immanes Turcæ omnia

invo-

involvunt in fœdam Mahometi impietatem. Sic Romæ ſanctiſſimorum hominum maxima fuit copia, qui omnes vita & ſanguine ſuo veræ religionis ſtudium & amo-
2.Theſſ.2. rem probaverunt. Nunc iſtic regnat homo peccati, Antichriſtus, qui inde, tanquam ex arce, multis ſeculis veram religionem oppugnavit, & idolatriam, ac multiplicem ſuperſtitionem in totum orbem terrarum effudit.

Docent autem nos talia exempla de ira Dei immenſa, quæ ſequi ſolet contemptum Verbi & ſecuritatem. Itaq; diſcamus verbo ſanctè uti, non ſtertamus ſecuri, ac ſi nulli ab hoſte nobis ſtruerentur inſidiæ. Profecto intentus eſt in omnes occaſiones, & plerunq; ex leviſſimis initiis ingentia mala excitat. Itaq; vigilandum eſt diligenter, neq; ullæ ſunt negligendæ occaſiones, Principiis obſtandum eſt. Nam hiſtoriæ teſtantur ex parvis initiis periculoſiſſimas diſſenſiones in Eccleſia natas, & idolatriam etiam ſub ſpecie ſanctitatis hominibus commendatam eſſe, Nam, ut de præſenti loco dicam, Pſeudoprophetæ populo perſuaſerunt, à majoribus in Gilgal facta ſacra, non igitur reprehendi poſſe, ſi ipſi quoq; ibi ſacrificent. Ratio in ſpeciem probabilis eſt, ſed attendenti ad Verbum, quod in Ieruſalem cultui locum ſtatuit, facile apparet cultus in Gilgal inſtitutos nihil eſſe, niſi idolatriam. Igitur pronuntiat Deus hoc in loco abominari ſe tum ſacra, tum ſacrorum autores. *Ira Dei, quæ ſequitur contemptum verbi &c.*

In novo Teſtamento nullus certus locus ſacris deſtinatus eſt, poſſunt baptizari pueri, vel domi, ſi res poſtulat, vel in templo, vel ſub dio, vel ſub tecto. Locus, imo perſona quoq; miniſtrans, ad Baptiſmum nihil affert. Sic Euchariſtia recte diſtribuitur volentibus ea uti, ſeu domi ſeu in templo, Hoc unum requiritur, ut fiducia omnis nitatur in ſolo Filio Dei, qui ſe dedit hoſtiam pro peccatis noſtris, & nos reconciliavit Deo. Hæc fiducia ubi eſt, ibi Deo probantur omnia vocationis opera, etiam quæ in ſpeciem videntur viliſſima. At hæc fiducia ſi abſit, ſanctiſſima & factu difficilima opera Deus odit & abominatur, ſi pro cultu ea habere velis, juxta regulam, Quic-
Rom.14. quid non eſt ex fide peccatum eſt.

Propter mala ſtudia ipſorum è Domo mea eos ejiciam, Non amplius diligam eos. Omnes enim Principes eorum à me defecerunt.

Mala ſtudia vocat idolatriam excogitatam ab hominibus ſine verbo, Eſt autem duriſſimum hoc Verbum, quod minatur Deus ſe eos ejecturum domo. Fuerat enim populus Iſrael hactenus tanquam familia Dei. Etſi enim in cultu eſſet vitium, & idolatriam retineret, tamen viſitabatur à Domino per Prophetas. Hos cum negligeret, & pergeret in idolatria, minatur Dominus futurum, ut tanquam inobedientes filii ejiciantur è domo, hoc eſt, ut captivi transferantur ex terra à Domino donata, in Gentes, ſine omni ſpe reditus. Hoc enim eſt quod dicit, Non addam ut amplius eos diligam. Loquitur enim tantum de corporali pœna, Hæc promiſſionem futuræ benedictionis per Chriſtum non tollebat, ſicut alia teſtimonia oſtendunt. Vocabulum, quod Principibus tribuit, ſignificat rebellionem, ſicut ſupra vocavit Iſrael (Phara Sorera) vaccam, quæ non poteſt domari, & jugum excutit. *Gentes.*

Facile autem judicari poteſt, quid reprehendat in Principibus, quod elati potentia negligebant verbum, & volebant ſuperiores eſſe verbo. Sicut impiorum Regum exempla oſtendunt, qui ingenti odio Prophetas, verum cultum, & ſanam doctrinam patefacientes perſecuti ſunt, ubi tales patronos impietas invenit, ibi penitus concidit religio, nec pœna poteſtab eſſe longius, ea autẽ ſemper incumbit gravius in tyrannos, quam in plebeios, ſicut exempla oſtendunt. Ac cauſa eſt, quia Magiſtratus debet eſſe cuſtos totius Legis, hoc eſt, debet etiam religionis curam ſuſcipere, idolatriam & impios Doctores arcere, & tandem alia quoque ſcandala, quæ contra ſecundam tabulam fiunt, tollere. Hoc reges Iſrael non modo non faciebant, ſed etiam autores ſuis idolatriæ erant, & vi à vero cultu arcebant ſubditos. *Magiſtratus ſuo exemplo nocet.*

Percuſſus eſt Ephraim, exaruit radix eorum, itaq; fructum nullum ferent, Et tamen ſi pepererint, ego interficiam delicias ventris eorum.

Exponit quod ſupra dixit, non amplius diligam eos, & comparat florentiſſimum regnum arbori, cujus radix exaruit. Ibi non ſolum nulli fructus, ſed ne quidem folia illa naſcuntur. De fructu ventris necando ſupra diximus, ſignificari perpetuam ſervitutem inter Gentes. Quanquam etiam iſta ad literam pœna ſecuta eſt, ut extinguerentur feliciora ingenia priuſquam ad maturitatem pervenirent.

Abjiciet eos Deus meus, quod non audierunt eum, & erunt vagi inter Gentes.

Hæc notabilis ſententia eſt, & digna, quæ in omnibus parietibus ſcribatur, *Abjiciet eos Deus meus, quod non audierunt eum &c.* Admonet enim nos, ſi cupimus retinere benedictionem Domini, qua nos ornavit, ut audiamus eum, hoc eſt, ut amplectamur & ſtudioſe ſequamur verbum. Deus enim ſe glorificantes glorificabit, Contra qui Deum non glorificant, hoc eſt, qui malunt ſequi ſuas cogitationes, quam verbum Dei, hi erunt (Node dim ba Gojim) id eſt, vagi inter Gentes. Nunc ante oculos eſt Hungariæ exemplum profecto miſerabile, quam barbarie, & impietate clarus hoſtis vaſtat, & veteres colonos aut jugulat gladio, aut transfert in remota loca, ubi ſine ſpe aliqua certæ ſedis miſeri homines vivunt. Id enim ſignificat Ebræum vocabulum. Cauſam autem hujus mali quid opus eſt quærere? Oſtendit enim eam tot annis uſitata idolatria, & Epiſcoporum, non ſolum negligentia, ſed extrema impietas, qui ſtudioſe Idolatriæ patrocinati ſunt.

Videant igitur, quibus lucem verbi ſui accendit Deus, ut eam ſtudioſe foveant, ut reverenter hoc tantum donum habeant, & eo digne ambulent. Alioqui nos quoq; involvemur in ſimilia mala. Laboravit ſine dubio populus Iſrael etiam aliis vitiis, ſicut & Hoſea ſupra oſtendit, & Michas tyrannidem, avaritiam, injurias, libidines reprehendit. Sed Propheta hoc in loco tantum hujus peccati meminit, quod non audiverint Deum loquentem. Id enim ejuſmodi eſt peccatum, ut tota regna evertat.

CAPUT X.

Iſrael eſt vitis direpta, talis quoq; eſt fructus ejus.

Populus Dei vineæ comparatur.

VSitata figura in Prophetis eſt, quod populum ſanctum comparant vineæ, ob ſanctos & Deo gratos fructus, qui ſequuntur verbum Dei. Sicut autem Eſaias & Michas queruntur de ſui temporis populo, loco uvarum naſci labruſcas, Ita Hoſea hic comparat populum direptæ viti, in qua nullæ appareant uvæ, quod ſicut in ſuperiore capite dixit, noluerint audire Dominum. Sicut enim verbum tanquam fœcunda pluvia nunquam ſine fructu docetur; ſed ſemper aliqui excitantur ad timorem Dei & fidem, Ita ſine Verbo nulli poſſunt exiſtere veri fructus. Quid enim ratio deſtituta verbo faciat? Somniat quidem pietatis ſtudium, & in cultibus inſtituendis non eſt negligens. Sed Deus non vult coli eo modo, quo nobis videtur, Verbum vult audiri, & ea à nobis fieri, quæ ipſe mandavit, non quæ nobis vel bona vel factu difficilia & ſumptuoſa judicantur.

Sic religionis ſtudium in regno Iſrael magnum & ſingulare fuit, Sicut in Papatu quoq; difficiles & ſumptuoſi cultus ſunt. Sed cum ſine verbo ſuſcepti tales cultus eſſent, execrabatur eos Deus. Pluris enim facit, ſicut Samuel dicit, obedientiam quam holocauſtum. In Ebræo paulo aliter verba ſunt poſita, Vitis evacuata ſeu direpta Iſrael fructus adæquabitur, ſeu ſimilis erit ei, hoc eſt, qualis vitis eſt, talis etiam eſt fructus. Vitis eſt direpta, igitur nullæ ibi inveniuntur uvæ. Vſus eſt hoc verbo Eſaias 24. Ecce Dominus (bokek haarez) evacuat terram, hoc eſt, ſinit eam vaſtari ab hoſtibus, ut nihil ſit reliquum, Sicut addit, & nudabit eam. Item Ier. 51. (bokeku es arzah) populabuntur, evacuabunt terram. Ita hoc in loco comparat Hoſea populum viti non infrugiferæ, ſed cujus fructus direpti ſint. Nam & impiorum Regum exemplis,

Eſa. 24. Ierem. 51.

exemplis & Pſeudoprophetarum impiis dogmatibus populus diripiebatur, ut potius idolis quam Deo ſuo ſerviret, ſicut Propheta jam addit.

Multiplicat altaria ſecundum multitudinem fructuum ſuorum, ſecundum bonitatem terræ ſuæ bonas faciunt ſtatuas.

Voluit Deus in iſto populo tantum unum eſſe altare, in quo fierent ſacra, & probaret populus tum obedientiam, tum gratitudinem ſuam Deo, Sed Iſrael, inquit, neglecto eo altari, ingentem multitudinem altarium paſſim in terra excitavit. Prohibuit quoq; Deus erigi ſtatuas, ad quas fierent ſacra, Sed Iſrael ubi agri erant fœcundiſſimi, ibi & ſtatuas & templa magno ſumptu ædificavit. Sicut in Papatu quoq; videmus, quod ubi pinguiſſimi agri, & maxima omnium rerum copia eſt, ibi monaſteria & ſacrificulorum collegia ampliſſima ſunt. Sic ſemper ſolet idolatria, habet Deum ventrem, eum colit & adorat. In Ebræo jucunda figura eſt in vocabulis (berob ketob) Ac in verbo (hetibu) reſpicit Propheta ad nomen (tob) ut oſtendat eo conſilio excitatas ab Iſraelitis ſtatuas, ut Deo præſtarent cultum, & aliquid boni facerent. *Vno altari neglecto, millia excitarunt.*

Diviſum eſt cor eorum.

Hoc alii referunt ad diſſenſionem natam ex varietate cultuum, Sicut inſignia fuerunt odia inter Monachos diverſos, dum ſinguli ſine modo ſuam factionem evehebant. Sed aptius eſt, ut referas ad mandatum Dei ſummum, Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & tota fortitudine tua. Deut. 6. Vult enim Deus non partem cordis, ſed totum cor. At idolatræ vere habent diviſum cor, dum non ſolo verbo nituntur, ſed indulgent ſuis ſtudiis. Hactenus peccatum Iſrael commemoravit, Nunc addit pœnas. *Diviſum cor.*

Nunc peccati convincentur. Ipſe enim confringet altaria eorum, & ſtatuas eorum vaſtabit.

Verbum (Ieeſchamu) hoc loco quidam exponunt deſolabuntur, ſed ſignificat delinquere, Ac ſingularem hoc in loco Emphaſin habet, quam periphraſi oſtendimus. Nam idolatrarum hoc proprium eſt, quod non ſolum ſtatuunt ſe placere Deo, ſed etiam damnant eos, qui diverſam doctrinam & cultus alios ſequuntur. Cum igitur Iſraelitæ adduci non poſſent, ut crederent ſuos cultus Deo diſplicere, ſed eos, ſicut Papiſtæ hodie ſolent, ferro & igni defenderent, minatur Propheta futurum, ut pœnis convincantur, cultus illos à Deo improbari, Alioqui non permiſſurum altaria & ſtatuas illas ab Aſſyriis vaſtari, ſi eas probaret. Perinde ac ſi dicas, convinci nunc miſeram Hungariam, quod Deus ſeptennalibus votis ad Aquas non ſit delectatus, Siquidem à Turca direpta eſt. *Idolatra.*

Quoniam dum dicent, Non eſt nobis Rex, quod non timuimus Dominum, etſi Rex eſſet, quid nobis prodeſſet?

Profecto hoc non dicent idolatræ, alioqui agerent pœnitentiam, & ſicut hactenus ſe Dominum non timuiſſe profitentur, inciperent nunc timere Dominum, & cogitarent de ſeria emendatione. Sed quid cogitent & faciant, ſtatim Própheta nos docebit. Quæ igitur erit hujus loci ſententia? Nam verba Prophetæ clara ſunt, Tum dicent, Non nobis Rex &c. Reſpondeo, Sunt hæc nobis æſtimanda ex affectu impiorum. Deus immittit hoc conſilio pœnas, ut cognoſcentes peccata emendemur. Ac impios quoq; cogit iræ & pœnarum ſenſus, ut αὐτοκατακρίτοι ſicut Paulus appellat, damnent ſe & ſua ſtudia, & tamen ſic impie pertinaces ſunt, ut nihil minuant eorum facere, quæ fecerunt. Papiſtas noſtros intuere. Nunc Hungaria miſera à Turcis, ut dixi, pene tota eſt devorata. Vicini populi quid metuant vident, nec poſſunt negare hæc eſſe præmia impietatis. Et tamen quam rari ſunt Principes & Epiſcopi, qui Eccleſiarũ vitia emendent? qui curent, ut ſubditi habeant pios Doctores? Tit. 3.

ut administratio Sacramentorum fiat secundum Christi institutum, ut tollatur idolatria, quæ est in invocatione Sanctorum, in statuis adorandis &c. Sic utrunq; faciunt impii, vident accidere pœnas ita merentibus peccatis, & tamen nihilo fiunt meliores.

Ad hunc modum de populo Israel Propheta hic loquitur, Fiet, ut non habeatis Regem, qui vos defendat. Nam Hosea ultimus Rex statim accepit conditiones latas ab Assyrio, & postquam eas violavit, obsessus in Samaria, & tandem captus est, expugnata Samaria tertio anno. Ibi convincet vos calamitas, quod hæ sint pœnæ abjecti timoris Dei, hoc est, quod non secuti sitis verbum, sed feceritis contra verbum. Nam timere Deum aliud nihil est, quam verbum ejus observare, & cavere, ne quid contra fiat, sive in cultu, sive vita & moribus. Et tamen non est secuta vera emendatio. Nam audi quid Propheta dicit secutum.

Timere Deum.

Consultant, jurant mendaciter, sanciunt fœdus, & germinat sicut fel judicium in sulcis agri.

Ebraismus notus est (dibru debarim) locuti sunt verba, pro anxie consultant, sicut Esa. 8. Inite consilium & dissolvetur, loquimini verbum, & non stabilietur. Sic igitur solent idolatræ, qui abjecerunt verbum, & retinent impios cultus, etiam cum sentiunt iratum Deum, tamen non agunt pœnitentiam, de cultibus usitatis nihil mutant, sed confugiunt ad præsidia humana, conferunt consilia, & conantur eluctari ex malis sine Deo, sed frustra. Nam etiam prudenter deliberatas res infelices sequuntur eventus, si sine Deo deliberemus, hoc est, nitentes nostra tum sapientia, tum potentia, & non agentes pœnitentiam, sicut Propheta hic dicit. Iudicium germinat, sicut fel, in sulcis agri. Vocat autem judicium has ipsas deliberationes sine pœnitentia, ad quas eos cogit calamitas, qua urgentur. Hæ, inquit, nihil nisi venenatum fel pariunt, hoc est, magis irritant Deum, & sunt occasio atrocioris supplicii. *Esa. 8.*

Iudicium.

Fel herba.

Vocabulum, quod fel reddidimus, Ebræis (rosch) est, quod non fel, sed herbam significat, cur enim alioqui adderet Propheta de sulcis agri? Et apparet ex Mose quoq; herbam esse, Deuter. 29. ubi dicit, Ne sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor se avertat à Domino Deo nostro hodie, & vadat, ut serviat diis gentium istarum, ne sit forte inter vos radix germinans fel & absynthium. Respicit autem Moses hic ad scandalum, sicut Paulus in Epistola ad Corinthios, ubi dicit, modico fermento fermentari totam massam. Ita Moses dicit, non contemnendum periculum, si in toto populo sit unus tantum idolatra, fore eum sicut radicem fellis & absynthii, quæ fœcundissima est, & totos agros, nisi mature & radicitus evellas, opplet. *Deut. 29.* *1. Cor. 5.* *Deut. 29.*

Ad hunc locum sine dubio Hosea respicit, ac significat populum ceu agrum, qui colono caret, totum corruptum idolatria & impiis opinionibus, Ideoq; extremum supplicium non posse effugere. Iudæorum interpretes addunt, herbam hanc venenatam esse, Ideo quidam cicutam verterunt. Id etsi proprium fortasse non est, tamen genus ostendit, quod scilicet herba sit, hoc nomine appellata, & non fel. Vtitur hoc ipso vocabulo (rosch) Psal. 69. ubi de Christi passione vaticinatur, Dederunt in escam meam fel, & aceto potaverunt me in siti mea. Itaq; eo quoq; in loco fel pro herba accipi necesse est. Ac verisimile est, factum hoc à gentibus, ut suppliciis subjectis fel & acetum miscerent, quo citius extinguerentur. Itaq; Evangelistæ diserte addunt, Christum gustasse quidem, sed noluisse bibere. Patiebatur enim non coactus, ut alii, sed ex Dei & sua voluntate, nec cupiebat dolore victus citius finire vitam, quam naturæ jus postularet. *Psal. 69.*

Christus felle potus.

Habitatores Samariæ in metu erunt, propter vitulas Beth Aven.

De Beth Aven supra diximus, vocari hoc nomine à Prophetis Beth El, quod eo in loco erectus à Ierobeam esset vitulus ad idolatriam. Sicut autem populus in deserto voluit sibi aureum vitulum fieri, quod vituli cultus usitatus esset apud Ægyptios, Sicut etiam Græcorum historiæ testantur, & describitur diligenter

Vnde cultus vitulorum in regno Israel.

ab

ab Herodoto Apis ſeu Epaphus vitulus,quem Ægyptii pro Deo colebant, in tertio libro,in Cambyſis hiſtoria. Ita Ierobeam quoque quod aliquandiu apud Ægyptios exul vixiſſet, cum in Regem electus eſſet, Ægyptiorum cultus invexit in regnum Iſrael, ut & firmaret ſibi regnum, ſi non aſcenderet populus ad uſitata ſacra in Ieruſalem,& hac ratione quoq; Ægyptios vicinos ſibi devinciret.Sacrorum enim ſimilitudo non exiguum inter homines eſt vinculum. Sicut econtra diverſi cultus odium excitant.

Sed mirabitur aliquis,quomodo Ierobeam hoc potuerit perficere, cum nota eſſet in hoc populo hiſtoria deſerti,ubi vituli cultus non ſolum palam damnatus,ſed etiam populus ideo mulctatus, & à Levitis viginti tria hominum millia uno die ex voluntate Domini occiſa eſſent. Hæc hiſtoria etiam vulgo nota fuit, Mirum igitur eſt, quod & Ierobeam auſus ſit jam diu damnatum cultum revocare, & populus eum admiſerit. Sed hoc ipſum exemplum nos monet, nihil tam poſſe doceri abſurdum,quod homines deſtituti Verbo,aut verbo non attendentes,non probent & ſequantur,præſertim ſi impiorum Principum ſtudium & exemplum accedat.

Sine dubio autem Ierobeam ſimili ratione defendit factum ſuum, quo Papiſtæ hodie impietates & idolatriam ſuam defendunt, cum dicunt. Nos numero paucos nova dogmata ſequi, quæ multa retro ſecula ignorarint. Sic Ierobeam & vitulorum ſacerdotes, Camarim, riſerunt Iudam, quod inter omnes totius terræ populos & regna ſuos peculiares cultus retineret,Ægypti regnum ſicut florentiſſimum fuit, ita etiam eſſe antiquiſſimum, in illo hunc vituli cultum tot ſeculis fuiſſe ac à Deo approbatum,alioqui non futurum regnum tam diu felix.Magnas illas opes,pacem,potentiam,dignitatem eſſe præmia pietatis &c. Sic perſuaſum vulgus vituli cultum approbavit,Non aliter quam nunc impietatem Miſſarum,cœlibatus,votorum &c. Papiſtæ defendunt,diuturnitate temporis, longo uſu & commodis.

Vituli cultus quomodo à Pſeudoprophetis commendatus.

Sed quis tandem finis fuit? quomodo ceſſit Iſraeli cultus ex Ægypto accerſitus? Nimirum ita,ut Samaria caput regni in ſummo eſſet periculo,& obſideretur à rege Aſſyriorum,& tandem expugnaretur. Verbum (Iaguru) utrunq; ſignificat in metu eſſe, ſeu timere,& exulare. Itaq; non eſſet ineptum prorſus, ſi hic quoq; acciperetur pro exulare. Exulabunt cives Samariæ propter vitulas in BethEL, hoc eſt, peccatum idolatriæ punietur æterno exilio.

Quoniam lugebit Vitulum populus ejus, lugebunt quoque Camarim ejus qui exultabant propter gloriam ejus, Quoniam migravit ab eis, Quoniam ad Aſſyrium deportatus eſt munus Regi Iareb.

Non ſola Samaria in metu & periculo erit, Omnis populus lugebit propter impium vituli cultum,hoc eſt affligetur propter idolatriam, Etiam Camarim ſacerdotes vituli,quibus hic cultus magno tum quæſtui,tum honori fuit,lugebunt.Hoſtis enim vaſtabit regnum, idola abducet, & ſimul etiam ſacerdotes & populum captivos abducet in Aſſyriam. Habent autem nomen Camarim ab ardenti ſtudio impii cultus. Sicut in Papatu ardens ſtudium fuit in ſumma impietate, cum ſacrificuli ſomniarent,ſe ſua quadam propria poteſtate mutare panem & offerre Dei Filium. Ea impietas ſola ſummam dignitatem conciliavit ſacrificulis, & mirè quæſtuoſa fuit, ſicut vituli cultus Camarinis. Sed lugebunt ipſi quoque, cum apprehendet eos pœna.

Camarim.

Accipiet Ephraim confuſionem, Iſrael confundetur propter conſilium ſuum.

Vitulus,inquit,mittetur in munus Regi Iareb. Sed pro hoc munere quomodo remunerabitur Ephraim? quid accipiet? Confuſionem,hoc eſt, deſtituetur auxilio in periculis,peribit. Confundi enim proprie eſt, cum nos fallit ſpes & fiducia auxilii.Igitur confuſio præmium eſt omnium idolatrarum. Deſeruntur enim in periculis, & experiuntur idolatriam eſſe fontem omnium calamitatum. Cum econtra,

Iareb. Confundi. Præmium idolatrarum.

qui ponant fiduciam ſuam in Domino,& retinent veros cultus, etſi periculis carere non poſſunt,tamen ſentiunt certum auxilium. Sicut dicit Pſal. 25. Omnes qui te expectant,non confundentur,Pſal.31. In te ſpero Domine,non confundar in æternum, Item,Domine non confundar,quoniam te invoco,Et Pſal. 37. Qui ſunt integri,non confundentur in tempore malo. Sed pleni ſunt Prophetarum libri his ſententiis. Pſal.25. Pſal 31. Pſal.37.

Exciſus eſt rex Samariæ ſicut ſpuma ſuper aquas.

Hic exponit quid velit intelligi per confuſionem. Vtitur autem ſimilitudo ſpumæ, quæ fertur ſuper aquas, non ſolum ideo, ut oſtendat regnum hoc ceu ſpumam diſſipandum,Sed ut magnitudinem iræ & calamitatis pingat. Nihil enim infirmius eſt ſpuma, fertur magno impetu, nec poteſt imperare aquæ, ſed abripitur ab aqua. ita oſtendit regem Samariæ abripiendum, nec futurum ut tueri ſe poſſit contra vim hoſtium, magno impetu in regno Iſrael graſſantium. *Spuma aquæ.*

Exterminabuntur excelſa Aven, peccatum Iſrael, Spina & ſentes proveni-ent, ubi nunc ſunt altaria eorum, & ipſi dicent montibus, Operite nos, & collibus, Cadite ſuper nos.

Supra BethEl vocavit Beth Aven. Hic tantum Aven vocat, quod iniquitatem ſignificat, Sicut peccatum Iſrael vocat vel vitulos, vel templa. Omnia vaſtabuntur ab hoſte, & jacebunt poſtea deſerta. Populus autem tam horribilibus malis conflictabitur, ut quod nunc abominantur, optaturi ſint, ruinam ſcilicet ædium, ut ſtatim cum liberis, conjugibus, familia, & omnibus ſuis extinguantur. Sed fruſtra hoc optabunt, ſervabuntur enim durioribus malis. Hic fuit finis regni Iſrael & idolatriæ ac contempti verbi Dei. Chriſtus hæc Prophetæ verba uſurpat, cum vaticinatur de vaſtatione Ieruſalem per Romanos futura, cujus eædem cauſæ fuerunt, quæ regnum Iſrael perdiderunt. Ac quanto erat optabilius ſubito extingui, quam eſſe ſpectatorem tam horribilium calamitatum? Excitemus igitur nos ad timorem Dei, fugiamus idolatriam, ornemus verbum ſanctis moribus, &, ut Chriſtus inquit, etiam oremus, ut digni fiamus effugere hæc omnia, quæ contemptoribus verbi & idolatris hiſtoriæ hæ minantur. *Aven.* Luc.23. Luc.21.

A diebus Gibea Iſrael peccaſti, ac ita perſtitiſti, ſed non apprehendet eos prælium, quale in Gibea fuit, quod contra filios iniquitatis geſtum eſt.

Quæ jam ſequuntur, paulo obſcuriora ſunt propter figuras, De ſententia tamen certum eſt, cohærere hæc quoque cum ſuperioribus, & pertinere ad commination nem inſtitutam de regno Iſrael propter idolatriam penitus vaſtando, Ac in ſuperiore quoq; capite meminit Prophetæ peccati Gibea, quod recitatur in libro Iudicum cap.19. Ab eo, inquit, tempore Iſrael ſemper peccavit, ac ita perrexit uſque in hunc diem. In Ebræo mutatæ perſonæ & numeri ſunt, A diebus Gibea Iſrael peccaſti, ibi ſteterunt, Sed nos ſententiam reddidimus. Minatur autem Dominus futurum, ut gravius affligantur quam Benlamitæ, defendentes ſcelus Gibeonitarum. Etſi enim propter peccatum Gibea tota tribus Benlamin pene occidione occiſa eſt, Tamen reconciliati fratribus manſerunt in populo Dei, & habuerunt reliquiæ ſuum in terra promiſſa locum. Id, inquit Dominus, cum regno Iſrael non fiet, abducentur captivi in Aſſyriam, nec unquam redibunt. *Peccatum Gibea.* Iud.19.

Alii paulo aliter hunc locum explicant, & quod de Gibea allegat Propheta, id non referunt ad Benlamitarum calamitates, quæ aliquo modo poſtea mitigatæ ſunt, ſed ad reliquas tribus Iſrael. Hæ enim etiam in juſta cauſa bis infeliciter pugnarunt, ut priuſquam de aliis ſupplicium ſumerent, ipſi quoque darent pœnas idolatriæ longo tempore in monte Ephraim uſitatæ, Sed tertia dimicatio tandem felix fuit. Ad hunc fortaſſe modum potuit ſe conſolari Iſrael, quod etſi aliquandiu graviter afflicti ſint, tamen futurum aliquando, ut melius habeant, Sicut bis infeliciter *Pugna cum Benlamita.*

ized by Google

citer pugnans Iſrael tertio prælio Benlamitas fudit. Sed Propheta negat tali fortuna nunc dimicaturos. Etſi autem ſententiæ non pugnent, utraq; enim minatur Iſraeli exitium, tamen prior videtur magis propria, Liberum tamen Lectori eſt ſequi utram velit. Particula quam addit, quod contra filios iniquitatis geſtum eſt, pertinet ad amplificationem peccati. Si enim graviore pœna affligetur Iſrael, quam tum Gibea, ſequitur, etiam peccatum eſſe gravius, cum tamen illud Gibeonitarum graviſſimum fuiſſe conſtet.

Valde cupide eos caſtigabo, & congregabuntur adverſus eos populi, cum alligabo eos propter geminum peccatum ipſorum.

Vide quid peccatum faciat? Deus ſua natura eſt talis, ut cupiat juvare, benefacere, prodeſſe hominibus, Sed peccatum hanc voluntatem mutat, & cogit Deum contra naturam ſuam eſſe duriorem, ut puniat peccatores, Sicut hic dicit ſe delectari pœnis, quas gentes infligent pertinacibus idolatris. Sequens particula ab aliis aliter redditur, Nam vocabulum (onoſam) quidam exponunt oculos, quidam ſulcos. *Onoſam.* Vtraq; expoſitio inepta eſt. Pagninus recte facit, qui dicit eſſe vocem factam ab (Aon) quod peccatum ſignificat, ut ſit ſententia, Propter geminum peccatum, hoc eſt, propter geminos vitulos in Dan & BethEL alligabo eos. Alludit enim ad ſimilitudinem de vitulo.

Ephraim vitula eſt aſſueſacta, ut libenter trituret, Sed ego aſcendam ſuper robuſtum collum ejus, & equitabo in Ephraim. Arabit Iuda, & occabit Iacob.

Pulcherrima hæc ſententia eſt, quanquam propter figuram paulo obſcurior ſit, Iudæi aliũ uſum excutiendi frumenti habebant, quam nos. Vtebantur enim tauris, hi circumacti in area ungulis excutiebant ſemina, Is labor jumentis gratus erat, non enim alligata, non jugo, non onere preſſa erant, ſed diſcurrebant liberè, & ſuppetebat eis victus, ſecundum mandatum Domini in Lege, Non alligabis os bovi trituranti, hoc eſt, non prohibebis, quin cum inter triturandum eſurit, comedat. Huc igitur reſpicit Propheta, & comparat Iſraelis regnum non bovi, ſed vitulæ, quæ per ætatẽ laſcivit, nec dum ad jugum aſſuefacta eſt, ac dicit, Iſrael tanquam vitulus amat triturationem, hoc eſt, amat tales operas ſeu cultus, ex quibus victus ſuppetit. Non vult ſequi verbum, ſectatur lucrum, & ventri ſervit. Sed quid ego facturus ſum? Conſcendam in ejus robuſtum collum, tanquam eques, & equitabo in Ephraim, tanquam in equo, hoc eſt, premam eum, non ſinam diſcurrere liberum, ſed tanquam equum cogam ire, quo ego volo, invitus ſanè ibit in Aſſyriam, ſed cogetur vi. Quod de Iuda arante addit, id pertinet ad regnum Iuda, quod graviter ab Aſſyrio tum afflictum eſt, quanquam non plane eſt vaſtatum. *Triturans Iudæorum.*

Seminate vobis ad juſticiam, & metite beneficentiam, Arate vobis ſedulò, Tempus enim eſt quærendi Dominum, donec veniat, & depluat vobis juſticiam.

Admonet Prophetam ſimilitudo, qua uſus, ut comminationi ſubjiciat exhortationem. Vitulo ſeu regno Iſrael minatus eſt futurum, ut non amplius adhibeatur ad faciles & quæſtuoſas operas, ad triturationem, ſed ut præbeat tergum ſeſſori, qui tanquam equum cogat abire in Aſſyriam. De regno autem Iuda dixit futurum, ut aret, & proſcindat glebas. Is etſi durus labor eſt, tamen eſt tolerabilis, nec eſt perpetuus. Oſtendit igitur hac figura, Iudam mitius accipiendum. Quanquam enim per Aſſyrium afflictus eſt, tamen non eſt vaſtatus penitus, quin vidit miraculo divi- *Exhortatio.*
Iſ. 37. nitus ſubmotum hoſtem, qui poſthac non rediit, ſicut Eſaias promittit. Hæc, inquit Propheta, accidunt vobis veſtro merito. Cur enim non attenditis verbo, & ſanctè vivitis? Cur non in tempore convertimini ad Dominum, dum inveniri poteſt? Ita enim calamitates iſtas effugeretis, & multiplici benedictione ornaremini, &c.

Hæc eſt occaſio hujus exhortationis, & bellè cohærer cum comminatione. Sed evolvemus eam, digna enim eſt, quæ conſideretur diligentius, ſiquidem veram pœnitentiæ rationem oſtendit.

Juſticia. Requirit Propheta juſticiam & beneficentiam. Sicut ſupra in ſexto capite docuit, cum notitia Dei conjungendam beneficentiam. Notum autem eſt, quid ſit juſticia, nempe, remiſſio peccatorum. Nam cum peccato ſic ſumus infecti, ut dum carnem & ſanguinem circumferimus, peccato carere non poſſimus (ſecundum ſententiam, Si dixerimus nos non habere peccatum, nos ipſos decipimus, & veritas non eſt in nobis) non poteſt eſſe alia noſtra juſticia, quam quod peccata, quæ habemus, non imputantur, ſed condonantur. Sicut Paulus beatitudinem definit ex Pſalm. 32. Sumus igitur juſti, non quaſi peccatum non habeamus, ſingulis enim momentis opus habemus hac oratione, Remitte nobis debita noſtra, Sed quod peccata, quæ habemus, non imputantur, ſed propter fidem in Chriſtum condonantur. Nam Chriſtus hujus juſticiæ fons & origo eſt. Hunc cum peccatores, tanquam in deſerto ab aſpidibus icti, æneum ſerpentem intuentur, cum ſtatuunt pœnam peccati ſui Chriſtum in corpore ſuo exolviſſe, ac Deum propter ipſum nos recepturos, juſtificantur, hoc eſt, peccata eis non imputantur, & habentur pro juſtis, Imo revera iſti ſunt, quia peccata ipſorum non in ipſis amplius hærent, ſed in Chriſto, ſecundum Iohannis ſententiam, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata Mundi.

Vera juſticia. *Iob. 1.* *Rom. 4.* *Pſal. 32.* *Iohan. 1.*

Sicut autem hodie adverſarii noſtri aliam juſticiæ comparandæ viam oſtendunt, Imo ipſam juſticiam prorſus aliam fingunt, ſiquidem qualitatem eſſe ſtatuunt, & non imputationem, Ita Iſraelitæ quoque non credebant remiſſionem peccatorum per Meſſiam exhibendam orbi terrarum, ſed ſtatuebant ſatis eſſe ſacrificia ſua & alios tum cultus, tum virtutes. Radicem igitur impietatis Propheta hic petit, cum jubet, ut ſeminent juſticiam. Cur autem jubet ſeminari juſticiam? An non ſatis erat dicere, Curate ut ſitis juſti? Sed Propheta hic diſerte doctrinam reprehendit. Nam

Semen juſticiæ. ſemen juſticiæ quid aliud eſt, quam ſana doctrina, quæ proponit Deum propitium & ignoſcentem eſſe, Siquidem promiſit ſemen, quod Satanæ caput conterat, & nos ab ejus tyrannide liberet? Impoſſibile enim eſt ſcire hanc juſticiam, niſi oſtendatur per verbum, Sicut impoſſibile eſt terram per ſe ſine bono ſemine aliquid boni producere.

Gen. 3.

Iubet igitur Propheta, ut Iſraelitæ ante omnia attendant Verbo, & diſcant, quam verbum definiat eſſe veram iuſticiam. Nam ratio cum ad ſummum pervenit, ſtatuit juſticiam eſſe, diſcedere à malo, & facere bonum. Sed quis non videt utrinque nos hærere? Nam exuere carnem non poſſumus, & requiritur, ut prius tu ſis bonus, quam aliquid boni facias. Hypocritæ autem neutrum vident, & falſo ſomniant ſe juſtos, cum quæ in ſpeciem non mala ſunt, faciunt.

Juſticia. Sed Scriptura aliam nobis juſticiam oſtendit. Ea eſt, ſcire, quod in te nihil ſit boni, & quod ſeminis promiſſi olim, nunc autem exhibiti beneficio malum, quod in te, in carne tua, in corde & ſpiritu tuo eſt, & pertinaciter habitat, non imputatur à miſericorde Patre in cœlis, propter unigenitum ſuum Filium, qui noſtra peccata in ſe recepit, & pro iis ſatisfecit. Hanc juſticiam, inquit Propheta, docete, & abjicite uſitatas opiniones, quod obedientia erga Legem, ſacrificiis & bonis moribus impietatem veſtram ſanare poſſitis. Majus malum peccatum eſt, quam ut his rationibus poſſit ſanari. Opus eſt victima Filio Dei, hunc colite firma fide, quod propter ipſum Deus velit vobis ignoſcere. Hac fide vere purificabuntur corda. Nam & peccata tolluntur, & enaſcitur ex ſemine juſticiæ alius fructus, beneficentia. Hunc fructum metite, Eſt enim verus fructus, ſine hypocriſi.

Eſt autem inſignis doctrina in verbo Metite, Meſſis non antecedit, ſed ſequi-

Bona opera ſequuntur juſticiam. tur ſationem. Si igitur juſticia ſemen eſt, quis furor, quæ cæcitas adverſariorum noſtrorum eſt, quod ſemen hoc damnant & abjiciunt, & urgent populum ad meſſem? In omnibus ſuggeſtis audiuntur præclara bonorum operum encomia. Hæc falſo à nobis clamitant negligi, cum hunc unum ſolicite agamus ubique, ut verum

ſemen

ſemen Eccleſiæ retineant, ex quo enaſcatur beneficentia. Ipſi autem hanc totam doctrinæ partem non modo non tradunt, ſed prorſus non intelligunt, quod capti ſuis opinionibus, ſtatuunt juſticiam eſſe, non imputationem, ſed qualitatem. Hortantur igitur tantum ad bene operandum. Vnde autem ea facultas ſit, non oſtendunt.

Propheta igitur alium doctrinæ ordinem tradit. Vult ſeri juſticiam, hoc eſt, doctrinam de vera juſticia per Chriſtum, non per opera aut ſtudia noſtra, vult initio tradi, Ac oſtendit poſt hanc quaſi ſationem, ſecuturam meſſem, non talium operum, quæ fingunt hypocritæ, ut per ea remiſſionem peccatorum conſequantur, qualia in Lege erant ſacrificia, oblationes, obſervationes rituum legalium, In Papatu autem ſunt impium Miſſæ ſacrificium, vota, cœlibatus, delectus ciborum, ratio ſingularis veſtiendi, invocatio & cultus Sanctorum, adoratio ſtatuarum, Sed vere bona opera dilectionis, quæ hic (heſed) ſeu beneficentiam vocat, Hæc enim abſolvunt Dei cultum. *Vera bona opera.*

Omnis enim Dei cultus in his duobus conſtat. Primum, ut attendas Verbo & audias Filium Dei concionantem de miſericordia Patris, & amore erga nos, & de ſuo merito, Hic eſt ſummus cultus, quem ſupra in ſexto vocavit notitiam Dei, & prætulit holocauſtis. Hic autem vocat juſticiam. Quid enim aliud poſſumus Deo facere, quam ut dona quæ nobis offert, grato animo accipiamus, & non ea averſemur, Sicut faciunt Phariſæi & hypocritæ in Evangelio. Poſt hunc cultum proximus eſt, ut juves proximum, hoc eſt, omnes illos, qui tua opera opus habent. Hæc eſt dilectio, quam Paulus vocat conſumationem Legis. Nam ſecunda tabula tota in operibus dilectionis conſumitur. Sicut autem mundus gratiam, quam Deus in Filio ſuo offert, ſuperbe contemnit, & quærit alias vias remiſſionis peccatorum, quam fidem in Chriſtum, Ita hæc charitatis opera, tanquam levia & vilia negligit. Deligit ſumptuoſiora, & in ſpeciem difficiliora, Non vult opibus juvare calamitoſos, ſed Deum, Ideo multiplicabant ſacra impii Iudæi. Noſtri in Papatu immodice profundunt opes in ornamenta templorum. Sed non eſt iſta vera ratio colendi Dei, non opus habet auro & argento noſtro, Proximus eo opus habet, Eum cum juvamus, Deus ſe adjutum judicabit, Sicut Chriſtus dicit, Quicquid feciſtis minimo ex meis, mihi feciſtis. Sed perſuaderi hæc mundo non poſſunt. Itaq; doctrinam ſanam non ſolum negligit, ſed etiam damnat, & magnos ſumptus facit in res nihili, neglectis pauperibus, quorum curam nobis tam ſolicite Dominus mandavit. Sed quæ pœnæ ſecuturæ ſint, poſſumus ex Iſraelitarum exemplo diſcere. *Cultus Dei.* *Dilectio proximi. Epheſ. 4.* *Matth. 25.*

Non ſolum igitur præclara hæc admonitio, ſed etiam utilis doctrina eſt, quæ cultum Dei ſic pure oſtendit. Sed cur addit, Arate vobis ſedulo? Quod ad Grammaticam attinet, utitur totidem verbis Ierem. cap. 4. cum concionatur de regno Chriſti (Niru lachem nir) Arate vobis arationem, & nolite ſeminare in ſpinas. Vſitatum autem Ebræis eſt, cum geminant voces, intendi ſignificationem, Itaq; vertimus pro ſedula aratione. Hieronymus fecit, Innovate vobis novale. Sed etiamſi ſic legas, tamen manet eadem ſententia, quam oſtendit Ieremias, cum addit, non ſerendum inter ſpinas. Reſpicit enim Propheta ad reliquias peccati, quæ manent etiam in piis & excitantur per tentatorem Satanam. Etſi enim per Verbum acceperunt Spiritum ſanctum, & fide juſti ſunt, tamen tantum acceperunt primitias Spiritus. Caro autem & ſanguis antiquum obtinent, & niſi ſpiritu facta carnis mortificaverimus, ſicut Paulus loquitur, caro extinguet ſpiritum. Chriſtiani igitur hoc quoq; præcepto opus habent, ut ſtudioſe arent, hoc eſt, ut ſedulo mortificent carnem & expurgent vetus fermentum, ut ſint nova conſperſio, ut ſicut in 1. Cor 5. Paulus ex Eſa. Cap. 43. citat, omnia ſint nova, vetera autem aboleantur. *Ierem. 4.* *Mortificatio peccati.* *1. Cor. 5.* *Eſa. 43.*

Iam igitur vide, an non Propheta eruditiſſime, & tamen mira ſimplicitate ſuos docuerit de vera religione? Si enim Chriſtianum pingere voles, quomodo poteris eum pingere magis propriis coloribus quam Propheta pinxit, cum ſeminare, metere, arare jubet? Itaq; hæc ejus inſtrumenta ſunt, ſemen in ſinu, falx in dextera, aratrum in ſiniſtra manu, Aſſiduum ſtudium verbi, Dilectio proximi, & mortificatio carnis. *Chriſtianorum inſtrumenta.*

carnis. In his posita est vita Christiana, Ac futurum est, qui ad hunc modum se in pietatis agro exercent, ut hi inveniant Dominum, qui justiciam depluat, qui ignoscat peccata, & omni genere bonorum spiritualium ornet suos, secundum Christi dictum, Omni habenti dabitur. Non enim Christianos decet ignavos esse, strenuo laborandum est, & adjuvabit Spiritu suo laborantes Dominus. Depluendi verbum (Iore) etiam docere significat, sicut Esa. 28. (Es mijore daas) quem docebit scientiam) Neq; inepte hic quoq; verteretur, & docebit Dominus justiciam. Sed visa est retinenda Metaphora, quod de agro & rusticis operis Propheta hic agit. Notanda quoq; phrasis hoc in loco est, Seminate vobis, arate vobis (Iachem) hoc est, in vestrum usum, vobis proderit, si seminaveritis justiciam, si sedulo araveritis &c. Esa. 28.

Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, Comedistis fructum mendacij, quia confisus es in via tua, & in multitudine fortium tuorum.

Impietas aratro erat excindenda, sed vos eam stabilitis, ut radices agat. Hinc enati sunt pessimi fructus, & messis secuta peccati. Totus enim cultus nihil est, nisi hypocrisis, hac fidunt, hac se putant tutos fore, Sed mentietur eis spes ipsorum. Fortes vocat sive doctores, qui impietati patrocinabantur, sive reges & Principes. Sæpe enim diximus, eo tempore, quo Hosea vaticinatus est, regnum Israel fuisse potentissimum.

Excitabitur igitur tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut Salman vastavit domum Arbeel, tempore belli, quo mater una cum liberis collisa est.

Historia, cujus hoc in loco Propheta meminit, nusquam extat, Sed insignem fuisse calamitatem ostendit, in qua non sexui, non ætati, non demum fœtui in utero parsum est. Talis, inquit, calamitas vos quoq; excipiet. Sic enim subjungit,

In hunc modum faciet vobis BethEL, propter ingentem maliciam vestram, Rex Israel subito penitus excindetur.

Vocat BethEl, quam supra Beth Aven, ubi cultus vituli à primo Ierobeam institutus est. Etsi enim totum regnum Israel ab Assyrio vastatum est, tamen loca impiis cultibus insignia gravius affligi Deus voluit. Nota phrasis est, quod dicit Regem mane excindendum, Significat enim subitum & improvisum exitium. Hic idolatriæ & impiorum cultuum finis est, Nec dubium est, quin Germania similibus calamitatibus aliquando obruetur, si impia Episcoporum & sacrificulorum turba verbo & sanæ doctrinæ non acquieverit.

CAPUT XI.

Cum Israel puer esset, diligebam eum, & ex Ægypto vocabam eum.

COhærent hæc cum superioribus. Est enim ejusdem argumenti prophetia, nisi quod hic, sicut supra quoq; aliquoties fecit, commemorat Dominus beneficia sua, ab initio huic populo exhibita, ut tanto conspectior fiat populi ingratitudo & pœna justior. Suavis affectus est, quod comparat populum hunc puello, qui per ætatem nondum potest ingredi. Nam exordia habuit admodum infirma, sicut etiam apud Esaiam id prædicat Dominus, cum jubet cap. 51. ut respiciant ad originem suam, & comparat Abraham aridæ petræ, Saram autem cavernæ lacus seu fonti, ad quem non est aditus, ut inde aqua peti queat. Esa. 51.

Dilectio Dei erga nos.

Inprimis autem verbum diligendi observandum est. Ostendit enim in eo omnem

Digitized by Google

omnem noſtram ſpem ſitam eſſe debere, quod Deus non eſt crudelis aut immitis tyrannus, non odit, non abjicit homines, ſed amat. Sicut nos ſolemus amare ex nobis natos, non propter lucrum aut merita, ſed quia odiſſe ex nobis natos non poſſumus. Nam parentes in ſobolem impendunt tum labores, tum ſumtus. Itaq; ſi quis ad meriti rationem reſpiciat, liberi parentibus etiam oneri ſunt, & tamen diliguntur. Hunc naturæ affectum Deus hoc in loco ſibi ſumit, cum dicit, amatum à ſe hunc populum inter initia, ac pro filio habitum, & ideo vocatum ex Ægypto, ac liberatum à dura ſervitute. Atq; hoc primum eſt beneficium, quod Deus, ceu Pater hunc populum tanquam filium amplexus, benigne fovit, dum creſceret in ingentem populum.

Hic varie ſe torquent Interpretes. Nam ſententia Prophetæ quæ ſit, vident, quod ſcilicet loquatur de populo Legis, ex Ægypto per mare rubrum in terram Canaan translato. Si igitur Deus Filium ſuum ex Ægypto vocavit, cum in terra Ægypti primogenita omnia occideret, Quæritur, quomodo Matthæus Prophetiam hanc tum demum impletam eſſe dicat, cum Chriſtus puer ex Ægypto in Galilæam rediret? Si enim ex Evangeliſtæ ſententia Prophetam interpreteris, plane nova naſcetur ſententia. Abſurdum autem eſt, pugnare inter ſe tam magnos authores. Sicut oſtendit Hieronymus, Iulianum Auguſtum, tanquam grande flagitium hoc objeciſſe Chriſtianis, & ſugillaſſe Evangeliſtæ autoritatem, quaſi illudere voluerit Gentibus, cum quæ de veteri populo Propheta dixit, Matthæus ad Chriſtum accommodat. Sed facilis res eſt apud homines non contentioſos. Prophetam de veteri populo loqui certum eſt. Ideo autem eum filium vocat, quia ad Moſen reſpicit, cujus verba, ſicut ſæpe aliàs, hic imitari voluit. Sic enim concionatur Moſes Deut. 1. Portavit te Dominus Deus tuus, ut ſolet homo geſtare parvulum filium ſuum in omni via, per quam ambulaſtis, donec veniretis ad locum iſtum.

Matth. 2. *Quæſtio quomodo Matth. hunc locum citet.* *Deut. 1.*

Cur igitur, inquis, accommodat hæc ad Chriſtum Matthæus? Reſpondeo, Nullam aliam ob cauſam, quam ut oſtendat verum & ab æterno genitum Dei Filium eſſe hunc Ieſum, natum ex Maria virgine, & revocatum per Angelum ex Ægypto in Galilæam. Sicut olim non natura ſed per miſericordiam Filius populus Iſrael ex Ægypto vocatus, & in terrâ Canaan Patribus promiſſam reductus eſt. Nec habet aliquid incommodi hæc ſententia. Non enim novum aut inuſitatum eſt, cum ſimiles eventus ſunt, ex particularibus ſententiis facere generales. Sicut paulo ante quoq; Evangeliſta fecit, cum Ieremiæ ſententiâ transfert ad luctum excitatum indigna cæde infantum circa Bethlehem. Hoc magis obſervandum eſt, cum fere ſemper Apoſtoli translationem Septuaginta ſequantur, quod Matthæus hoc in loco Ebræorum biblia ſequi voluit. Nam ſeptuaginta non ſingularem, ſed pluralem numerum habent, Ex Ægypto vocavi filios ejus. Hunc erroremcorrigit Evangeliſta, & pro ſua autoritate oſtendere hoc teſtimonio vult, hunc Ieſum ex Maria natum, & ex Ægypto per Angelum vocatum, eſſe verum Dei æterni filium, ab æterno genitum. Ideo verius in eum competere hoc teſtimonium Prophetæ, quam in veterem populum, qui non natura, ſed adoptione erat filius. Hæc ſimplex & genuina ſententia eſt.

Vocaverunt eos Prophetæ, ſed abierunt à facie illorum, ſacrificaverunt ſtatuis Baal, & obtulerunt incenſa ſculptilibus.

Hic incipit exprobratio inobedientiæ, quod populus translatus in terram Canaan, & varie ornatus à Domino, diſceſſit à verbo, & idolatriam ſecutus eſt. In Ebræo brevitas obſcuritatem parit. Propheta Antitheſin vult conſiderari. Cum Iſrael eſſet puer, & ego vocarem eum, obtemperabat, ſequebatur vocantem, Nunc quoque vocatur per Prophetas meos, jubetur inſiſtere veram viam, attendere verbo, præſtare veros cultus. Sed non acquieſcit, alio vertit faciem, vocantes non vult audire, non ſequi, Me negligit, colit Baalim, me vivum Deum contemnit, & adorat ſculptilia.

Exprobratio inobedientiæ.

Ego

Ego incedere docui Ephraim, tenens brachia ejus, & tamen non cognoverunt, quod ego ſanarem eos.

Hic vides Prophetam, ut ſupra dixi, reſpicere ad Moſi Concionem, Deuter. 1. Verbum (Thirgalti) eſt factum à (Regel) pes, & ſignificat, quod nos germanice dicimus, **Gehen leren / auff die füſſe helffen**/ ducere, ſicut infantes manu ducuntur, ut aſſueſcant ſtare pedes & ingredi. Hac ſimilitudine oſtendit Dominus ſingulari ſtudio & cura ſe hunc populum foviſſe, ut creſceret in magnam gentem. Sed quam retulit gratiam? Non cognoverunt, inquit, quod ego ſanarem eos, hoc eſt, beneficia hæc non retulerunt mihi accepta, non egerunt mihi gratias, non acquieverunt verbo meo, non coluerunt me, ſed verſi ſunt ad idola & auxilia Gentium. Magnum igitur quoq; hoc beneficium, quod vocatos ex Ægypto non deſeruit, ſed tanquam infantem fovit, & ingredi docuit Dominus, dum ubiq; propitius adeſt, juvat, defendit, benedicit &c. Sed hoc nondum ſatis eſt benigno Patri. Deut. 1.

Funibus hominis traxi eos, & vinculis dilectionis, & fui ei ſicut, qui jugum elevant à maxillis eorum, & admovi eis pabulum, ne reverteretur in terram Ægypti.

Hoc vero eſt illud eximium & ſummum beneficium, quod hunc populum non dimiſit, ſicut reliquas gentes, vagari pro libidine, ſed alligavit eum funibus, ut maneret in officio. Sunt autem hi funes quoque admirabiles (hable adam veabothoth ahabah) funes hominis, quibus homines, non beſtiæ, alligari ſolent, & vincula ſeu lora dilectionis, ad hoc comparata, ut dilectio excitetur. Nihil autem ſunt hi funes, quam Lex divinitus huic populo tradita & oſtenſa, qua jubebatur primum Deum agnoſcere, hoc eſt, verbo ejus attendere, Deo fidere, & eum invocare. Hi hominis funes ſunt. Solus enim homo creatus eſt, ut Deum diſcat cognoſcere, & prædicare. Deinde etiam diligere proximum. Hæc doctrina ingens eſt beneficium.

Beneficia Dei in veterem populum.

Ad id acceſſit tertium, quod Deus ſimilis factus eſt iis, qui elevant jugum ſuper maxillam. Vult enim Spiritu ſuo illos adjuvare, qui & attendunt verbo, & exercent dilectionem, ſecundum ſententiam, Omni habenti dabitur. Non enim præcipit ſolum quid facias, ſed etiam Spiritu ſuo infirmos nos erigit, ut jugum, quod nobis impoſuit, ſimul portet. Ad hæc acceſſit quartum beneficium, quod admovit pabulum, hoc eſt, quod etiam corporali benedictione populum hunc cumulavit, ut tot beneficiis provocatus, viciſſim Deo gratificaretur, agnoſceret eum, obediret verbo ejus, coleret eum. In periculis deniq; omnibus per invocationem ad eum confugeret, & non ad homines, non ad idola gentium. Hoc enim eſt, quod dicit, Ne reverteretur in terram Ægypti. Quod ad Grammaticam attinet, fere omnes vocabulum (At) formant à verbo (Natha) quod inclinare ſignificat, Atq; hos nos quoq; ſecuti ſecimus, Admovi eis pabulum. Quidam tamen (At) adverbialiter exponunt, pro quiete, & (Okil) accipiunt pro (Eakil) futuro, faciam comedere eos quiete. Sed cum ſententia nihil variet, ſequatur Lector quod volet. Luc. 19.

Sed ipſe Aſſur nunc rex ejus eſt, quoniam noluerunt converti. Ideo manebit gladius in civitatibus ejus, & atteret vectes ejus ac forabit, propter conſilia eorum.

Hoc nimirum præmium eſt, quod tam beneficum Deum neglexerunt & maluerunt cogitationes ſuas & ſtudia, quam Dei verbum ſequi. Aſſyrius enim regnum Iſrael penitus vaſtavit. Nota ſententiam (Ki meanu Iaſchub) quoniam noluerunt converti, hoc eſt, quoniam non egerunt pœnitentiam, & admoniti verbo, non abjecerunt idolatriam. Nam impœnitentes odit Deus & punit, pœnitentibus autem dat gratiam.

Populus meus dubitat, an velit redire ad me, Cum vocarent eum Prophetæ ad Altiſſimum, ne unus quidem erat, qui ſe erigeret.

Vocabu-

Vocabulum (Thilum) ſignificat ſuſpenſos, dubios. Voluit autem Propheta inſignem Verbi contemptum hoc modo oſtendere, Q. d. Convincuntur de idolatria per Prophetas, qui proponunt eis verbum meum, & veros cultus oſtendunt, Sed videntes, ſcientes pergunt in idolatria, Contemnunt mandatum meum, ac more rebellium ſervorum, juſſi aliquid dubitant, an id velint exequi. Sic enim ipſe Propheta ſe exponit, cum dicit, Vocari eos ad altiſſimum, Sed ipſos ac ſi non audiant & ſurdi ſint, ocioſe ſedere, non ſurgere, non ſequi vocantis vocem.

Quomodo dabo te Ephraim? Num te protegam Iſrael?
Quin dabo te, ſicut Adama, & ponam te ſicut Zeboim.

Nota eſt hiſtoria, quomodo civitates Sodoma, Gomorra Gen. 19. Igni cœlitus demiſſo perditæ ſint. Ac minatur Dominus ſimilem pœnam tranſgreſſoribus Legis, Deuter. 29. Ad eam igitur comminationem hoc in loco Dominus reſpicit, meriti eſtis pertinaci veſtra idolatria, inquit, ut penitus vos excindam, ſicut Adama & Zeboim. Sed mitius vobiſcum agam. Sic enim ſequitur,

Gen. 19.
Deut. 29.

Converſum eſt ad me cor meum, ſimul ferbuerunt miſerationes meæ. Non faciam ſecundum iram furoris mei, non convertar ut perdam Ephraim.
Quoniam Deus ego & non homo, ſanctus ſum in medio tui.

Hic inſignis locus eſt, qui opponi debet cogitationibus de ira Dei. Sicut enim Lex Deum illis favere dicit, qui obediunt voluntati ejus, Contra illis minatur iram Dei, qui diſcedunt à verbo, & delinquunt, Ita animi quoq; noſtri ſtatuunt, Deum odiſſe peccatores, & condemnare velle. Cum igitur nobis male conſcii ſimus, fugimus Deum, & metuimus ejus judicium. Sicut Adam & Heva, cum ſentirent Deum in Paradiſo appropinquare, quærebant latibula, & reformidabant conſpectum ejus, non poterant hoc ſibi perſuadere, quod, poſtquam peccaſſent, Deus eos paterne complecti, ignoſcere, & porro defendere vellet. Pœnam certam norant, eam judicabant non poſſe ulla ratione vel impediri, vel mitigari.

Peccati effectus in animis.

Ad hunc modum omnes homines de Deo ſentiunt. Ideo hypocritæ, qui ſe legi Dei ſatis feciſſe ſomniant, ſecuri ſunt, ac tantum non in ſinu Dei ſe ſedere exiſtimant, Sed hoc in loco ipſe Deus longe aliis ſe pingit coloribus. Peccatum Iſraël quale ſit, notum eſt ex crebris hujus prophetæ concionibus. Ac ſatis id pingitur hac una comminatione, quod minatur Dominus pœnam Adamæ & Zeboim. Et tamen dicit Dominus, Converſum ad ſe cor ſuum, & incenſum eſſe commiſeratione. Hoc quid aliud eſt dicere, quam quod cor concitatum ira propter peccata hominum, non ſit verum Dei cor. Verum autem Dei cor hoc eſſe, quod afficitur malis noſtris, quod ardet commiſeratione, quod hominibus ruentibus in ſuum exitium opem fert, ac meritis extremam calamitatem ultro benefacit. Hoc vere eſt Deum eſſe, eſſe ignoſcentem, tangi noſtris periculis, magno ſtudio & molimine ferri, ad juvandos miſeros peccatores, & eripiendos ex meritis pœnis.

Cor Dei quale.
Deus.

Propoſuerat Deus primis parentibus inobedientiæ pœnam, mortem. Non enim eſt Deus volens iniquitatem. Lapſis igitur in peccatum & mortem, etſi pœnam non prorſus adimit, tamen mitigat, & promittit morti ſucceſſuram vitam, per ſemen mulieris, quod caput ſerpentis contriturum eſt. Cauſa ſubiti hujus boni quæ eſt, quod mors propter peccatum irrogata, per Filium Dei tollitur, & ex æterna pœna tantum ſit pœna corporalis? Prorſus eadem eſt cauſa, qua hic ſe commoveri Deus dicit, quod populum Iſrael, qui meritus erat pœnam Adamæ & Zeboim, negat ſe penitus perditurum. Convertitur enim cor ipſius ad ipſum, hoc eſt, redit ad ingenium, obtinet antiquum, Non iraſcitur ſine modo, mitis eſt, habet cor non ira, ſed amore ac commiſeratione ardens. Itaq; abjicit iram, & ſequitur ſuam naturam, quæ bona, placita, ignoſcens, miſericors eſt, &c.

Gal. 4. v. 3.

Addit autem cauſam, Quia Deus ego ſum, non homo, & ſanctus in medio tui. Hoc aliud nihil eſt, quam ſi dicat, Cum miſereor, cum ignoſco, cum tangor veſtris malis, hoc facio, quod vere Dei eſt. Itaq; dixi hoc in loco pingi Deum ſuis veris

coloribus. Hanc Dei notitiam qui habet, is etſi cauſam habet propter peccata ſua, cur ſibi metuat, tamen ſe eriget, & fiducia miſericordiæ ſe conſolabitur. Contra, qui hanc Dei notitiam amiſerunt, iſti, ſicut Cain, Saul, Iudas deſperant. Ideo Apoſtoli paſſim hortantur fideles, ut in Dilectione Dei creſcant, hoc eſt, ut corda certo ſtatuant ſe à Deo diligi, ac proponunt hujus dilectionis infallibile teſtimonium, quod non pepercit Filio ſuo, ſed mundo eum donavit, ut ipſius morte mundo redderetur vita. Hoc ſummum & certiſſimum dilectionis Dei teſtimonium eſt, ſicut Paulus ait, Si Filium dedit, quomodo non dedit omnia cum eo? *Rom. 8.*

Creſcere in dilectione Dei.

Sed cur hominum hic meminit, Quoniam Deus ſum & non homo? Nimirum ut oſtendat, nos peccato ſic depravatos, ut nullum iræ & vindictæ ſtatuamus modum. Hæc implacabilitas ex Satana & peccato eſt. Eo malo, inquit Deus, ego careo. Ideo etſi iraſcor, tamen iram moderor, & cum caſtigo, facio id in judicio, & non in furore, Niſi homines ejuſmodi ſint, ut nullum velint modum facere peccatis, ibi juſticia eſt, tales reprimere, & potius eos perdere, quam ut ipſi innumerabiles homines perdant. Sed cum admoniti calamitatibus agnoſcunt peccata, expetunt veniam à me, tum quid aliud faciam, quam ut miſerear, & omnem iram ejiciam animo? Eodem pertinet quod dicit, Sum ſanctus in medio tui. Sicut enim dicit, Deus ſum, & non homo. Homo enim per peccatum depravatus, nullum ſtatuit iræ modum, Deus autem peccatum non habet, ideo non ſinit iram immodice graſſari, Ita dicit, Sum ſanctus in medio tui, Q. d. Vos non eſtis ſancti, Ego autem ideo ſum in medio veſtri ſanctus, Ideo me vobiſcum conjungo, ut vos ſanctificem, ut peccata condonem, & meo ſpiritu excitem ad veram obedientiam. *Iram, 10.*

Deus ſanctus.

Quomodo autem hoc facit Deus? Nimirum per verbum ſuum, in quo docet nos de ſua miſericordia & dilectione erga nos, quam declaravit miſſo filio. Hac prædicatione Spiritus ſanctus accendit animos fiducia bonitatis Dei, ut & doleant de admiſſis peccatis, & ſtatuant ea à miſericorde Deo per Filium remiſſa ac condonata, Deinde ut toto pectore ferantur ad præſtandam debitam obedientiam, & reprimendam carnem. Sic ſanctificat nos Deus, habitans inter nos per Verbum Evangelii de Filio ſuo. Summa igitur hujus loci eſt, quod Dominus promittit, Etſi regnum, Iſrael vaſtandum, & inter gentes diſſeminandum ſit, tamen futurum, ut Deus non in totum id perdat, ſed ſuo tempore revocet per Evangelium ad regnum Chriſti, ut miſereatur ejus, & ignoſcat peccata ſeu ſanctificet. Addit autem mirabilem conditionem.

Summa hujus loci.

Non veniam ad Civitatem.

Hoc quid ſibi vult? Alii alia afferunt, Sed mihi videtur ſimpliciſſimum & ſententiæ Prophetæ convenientiſſimum, ut intelligas Deum ſic velle miſereri regni Iſraelis diſſeminati inter Gentes, ut tamen non redeant Iſraelitæ ad politiam, & Eccleſiam Moſaicam, quæ uſque ad Evangelii tempus in regno Iuda manſit. Imitatur hanc ipſam figuram Chriſtus, cum dicit in parabola Luc. 14. Vocatos ad magnam cœnam eos, qui in civitate erant. Sed cum præter claudos, cæcos, & alios calamitoſos homines nemo venire vellet, tandem mandatum eſſe à Domino cœnæ, ut etiam vocarentur, qui extra urbem in compitis eſſent. Ad hunc modum hic in Propheta dicit Dominus, Adducam Iſraelem ad regnum Gratiæ, ſanctificabo ejus reliquias, Sed ſic, ne ego in urbem veniam, hoc eſt, relinquam eos inter Gentes & inter Gentes miſerebor eorum. Itaq; includitur hic abrogatio politiæ & cultuum Moſaicorum, ſiquidem ſanctificatio illis promittitur, qui ſunt extra civitatem inter Gentes, non circumciſi carne, non inſtituti in Lege &c. *Luc. 14.*

Iſraelis.

Poſt Dominum ambulabunt.

Hic demum erit fructus, qui ſequetur verbum Evangelii & ſanctificationem, Quod cum hactenus ambulaverint ſecundum deſideria cordium ſuorum, cum ſtatuerint ſua ſacra, ritus & alia, eſſe juſticiam coram Deo, hæc omnia ſimul abjicient,

Poſt Dominum ambulare.

abjicient, & nitentur tantum juſtitia & meritis filii Dei, quem in Evangelio audient traditum pro peccatis ipſorum. Habet enim ſententia hæc inſignem excluſivam omnium operum & cultuum, qui non ſunt Dominus. Quanta in Papatu cultuum & operum eſt varietas? & tamen non Monachus votum ſuum, non ſacrificulus Miſſam ſuam, non hypocritæ jejunia ſua, non divites eleemoſynas ſuas audebunt appellare, quod ſint Dominus.

Quod igitur dicit, Ambulabunt poſt Dominum, idem eſt, ac ſi dicat, Abjicient fiduciam omnium operum humanorum, & ſola Dei gratia ac bonitate nitentur & fident. Nam qui credit Filium Dei factũ victimam pro peccatis ſuis, hic nullo ſuo opere nitetur. Videt enim noſtra opera non poſſe æquari morti Filii Dei. Itaque ea una ſe eriget, per eam unam ſtatuet ſibi reconciliatum Deum, impetratam remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Hoc vere eſt poſt Dominum ambulare. Ac ſequitur hanc fidem ſtudium obedientiæ erga Legem. Liberati enim à peccatis, cupiunt innocentiam hanc retinere. Etſi igitur labuntur per infirmitatem, tamen ſe iterum erigunt hac fiducia, & poſtea ambulant cautius.

Sicut Leo rugiet, & cum ipſe rugiet pavebunt filij ab occidente, Pavebunt qui in Ægypto ſunt, ſicut avis, & qui de terra Aſſur ſunt, ſicut columba, Ego autem habitare eos faciam in domibus ſuis, dicit Dominus.

Leonis rugitus celebratur inter omnes beſtias, quod & maxime ſit ſonorus, & naturaliter incutiat pavorem homini. Ac rugitu fere tum utitur, cum prædam adeptus eſt, ſicut Amos dicit 3. Nunquid rugiet leo in ſylva, quando non habet eſcam? Nunquid dabit catulus leonis vocem ſuam, de latibulo ſuo, quando nihil cepit? Comparatur igitur prædicatio Evangelii rugitui leonis, quod paſſim exauditur per totum orbem terrarum, & eſt ejuſmodi doctrina, qua animi commoventur, non amplius ſecuri ſunt, ſed anxiè circumſpiciunt de ſalute. Sicut patet ex loco Actor. 2. cum ad Petrum dicunt, Quid faciemus viri fratres? Petrus autem reſpondet, Agite pœnitentiam, & baptiſetur unuſquiſq; in nomine Ieſu Chriſti ad remiſſionem peccatorum.

Rugitus Leonis.

Amos 3.

Act. 2.

Ad hunc modum Propheta hic quoq; dicit, Cum ipſe rugiet, pavebunt filii ad Occidentem, item Ægyptii & Aſſyrii. Cum enim ſecuræ mentes audiunt, non contingere ſalutem niſi baptiſatis & credentibus in nomen Chriſti, vere expaveſcunt, & de ſalute ſunt ſoliciti. Sed in eo quoq; ſimilitudo bene convenit, quod Leo non ſolet rugire, niſi cum prædam tenet unguibus & laniat. Nam Dominus noſter Ieſus Chriſtus poſt victam mortem, poſt ſuperatum Satanam, poſt infernum deſtructum, hunc rugitum Evangelii ſui edidit, cum juſſit Apoſtolos ire ad omnes gentes, & prædicare in ſuo nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.

Luc. 24.

Cur autem utitur ſimilitudine avium & columbarum territarum? Ideo ut oſtendat tanquam in pictura, quis mundi ſtatus ſit ante hunc rugitum. Nam antequam Evangelii prædicatio inſonuit, ſimilis fuit mundus avibus & columbis ſecure ſedentibus in paſtu. Etſi enim ſint diverſæ religiones, tamen ſinguli ſe id ſequi judicant, quod verum & ſalutare ſit. Differebat cultus Græcorum à Romano, ab utroq; Ægyptius. Singulæ enim gentes ſuam propriam habuerunt religionem, nec unquam ſoliciti de eo fuerunt, fallerentur ne an non? Accidit igitur, quod Chriſtus in Evangelio dicit. Fortis dum tenet atrium ſuum, omnia ejus in pace ſunt. Sed cum venit fortior & vincit eum, exuit eum armis quibus fidebat & dividit ſpolia. Aves dum in paſtu ſedent, ſecuræ ſunt, paſcuntur, non ſponte deſerunt tam commodum locum, ſed quotidie repetunt. Si autem ſubito vel leonis rugitum vel bombardæ ſonum audiunt, obliti pabuli ſurſum volant gregatim, & pabulum relinquunt.

Mundus per Evangelium turbatur.

Luc. 11.

Ad eum modum, inquit Propheta, Evangelium concutiet orbem, commovebit gentes, ut ceu territæ aves ſurgant de paſtu, relinquant idola & religiones ſuas, & amplectantur Evangelii doctrinam. Reſpice ad Papæ tempora, priuſquam Evange-

Digitized by Google

lium de Christo innotesceret, varii erant Monachorum ordines, varii cultus, & revera singuli singulas habebant vias, quibus credebant se salvandos. Quanta enim Divorum multitudo, quanta deniq; cultuum erat varietas? Et tamen nemo putabat se falli, singuli quod rectum erat, se tenere ducebant. Similes itaq; erant avibus secure legentibus semina.

Ecce autem singulari Dei clementia Leo rugit, insonat Evangelium, docemur unicum Christi sacrificium esse, quo debeamus niti, Reliqua omnia longe esse inferiora, quam ut liberare ab uno & eo quidem leviſſimo peccato possint. Ad hanc vocem commovetur Germania, Monachi & Moniales abjiciunt impia vota, quibus hactenus confisi erant, Amplectuntur Filium Dei, tanquam victimam pro peccatis suis oblatam, & vitæ genus sequuntur, quo servire proximo possint. Sic qui confisi erant impio Missæ sacrificio, illud abjiciunt, & sacerdotem Christum amplectuntur. Qui jejuniis, peregrinationibus redemptione indulgentiarum sperarant remissionem peccatorum, abominantur jam mendacem spem, & se conferunt ad Christi sacrificium. Quid multis opus est? hoc rugitu commota terra est, & nos omnes, tanquam aves, quæ prius securæ in pastu sedebant, subitò exterriti discessimus ab idolatria, & secuti sumus vocem veri Pastoris nescientis fallere.

Evangelii prædicatio, Ioh. 16.

Qualis autem, inquies, est vox ista? Hæc nimirum, de qua Christus dicit Ioh. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, justicia & judicio, hoc est, reprehendet mundum, quod habeat peccata, quod careat justicia, quod judicatus & condemnatus sit, Sic autem liberari à peccato, sic consequi justiciam, sic condemnationem effugere, si credat in Christum, qui ascendit ad cœlos, & sedet ad dexteram Dei, ac judicavit seu condemnavit Satanam, secundum Psal. 110. sententiam, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Hæc Evangelii vox non relinquit in animis securitatem, Nemo enim vult in æternum damnari, nemo vult esse sub ira Dei, Iram Dei fugimus, & vitam æternam expetimus. Itaq; cum hæc vitæ proponatur via, deserunt omnes suas vias, quas vident damnari, & insistunt in hanc fidei viam, quæ sola ducit ad æternam vitam. *Ioh. 16.* *Psal. 110.*

Igitur Prophetæ quoq; non satis fuit dicere, quod expaveſcent à rugitu leonis filii ab occidente, Ægyptii & Assyrii, Sed addit, Dominus eos habitare faciet in domibus suis, hoc est, postquam hoc modo per Evangelium territi, reliquerint idolatriam, in qua prius securè vivebant, Dominus eos ostendet nidulos, in quibus securè habitent. Evangelium enim non tantum de peccato arguit mundum, sed docet veram justiciam, proponit Filium Dei, factum victimam pro peccatis nostris ex voluntate sui Patris, ac resurrexisse propter justiciam nostram. Hoc nuntio eriguntur animi. Vident enim se diligi à Deo, vident Deum non delectari ipsorum morte, sed velle, ut credant & salventur. Itaq; hac voluntate Dei se consolantur, ac triumphant etiam in periculis & afflictionibus. Parum enim est, quod ad tempus hic affliguntur, Spes æternæ vitæ eis est potior, hac vincunt quicquid molestiæ & periculorum vel mundus, vel Satan objicit. Hoc est quod promittit futurum, ut securè habitent in domibus suis. Q. d. Non relinquam ita perturbatos, consolabor eos, ac veram vitæ viam eis ostendam.

Observabis autem, sicut antea dixit de reliquiis regni Israel, Ita hic ad societatem Evangelii vocat Gentes. Meminit enim istorum, qui sunt ad Occidentem, & in Ægypto, & in Assyria, ubi regnum Israel captivum fuit. Sæpe autem dictum est, vocationem Gentium ad Regnum Christi includere abrogationem Legis, & cultuum Mosaicorum, ac stabiliri eam justiciam, quæ non ex operibus Legis, sed ex fide in Christum gratis contingit.

Vocatio gentis.

CAPUT

CAPUT XII.

Ephraim ubiq; contra me agit mendacio, & domus Iſrael dolo, Juda autem adhuc dominatur cum Deo, & fideliter retinet ſanctum cultum.

HÆc nova eſt concio, ſed prorſus ſimili argumento. Nam idolatriam damnat, & minatur vaſtitatem. Sicut enim medicus curam ægroti, dum morbus durat, non abjicit, Ita Prophetæ quoq;, qui verbo mederi Eccleſiæ debent, tam diu monendo, increpando, minando pergunt, quam diu pergere impios in peccatis vident. Quia autem Iudæ hic fit mentio, quod dominetur cum Domino, apparet hanc concionem inter poſtremas habitam eſſe, ſub Ezechiæ tempus, qui Eccleſiam ex Eſaiæ & aliorum Prophetarum ſententia egregie reſtauravit. *Damnat idolatriam & minatur vaſtitatem.* *Iuda.*

Ac ſupra ſæpe diximus, hanc idolatriæ toties repetitam reprehenſionem ideo utiliter hodie noſtris Eccleſiis proponi, ut tanto ſimus excitatiores ad agendas Deo pro immenſa ſua miſericordia ac bonitate gratias, quod per claram Verbi lucem ex tenebris erepti nunc agnoſcimus Deum, ac veros cultus omni idolatria abjecta & exploſa retinemus. Hic enim fons eſt omnis boni, Sicut econtra, ubi ſana doctrina & veri cultus amiſſi ſunt, omnis generis calamitates & pœnas ſequi neceſſe eſt. Quid enim boni ibi ſperari poteſt, ubi nulla Dei noticia eſt, ubi animi Deum non judicant benignum & faventem eſſe, ſed demerendum ſtudiis noſtris? Hic ſine modo naſcuntur cultus novi, Sed quia ſine verbo ſunt ſuſcepti, odit eos Deus & punit. Conjecti autem in miſerias & calamitatem miſeri homines, quia Deum non norunt, aut cum dubitatione eum invocant, aut convertuntur ad ſua ſtudia, & hominum auxilia quærunt. Ita ſubinde altius atq; altius in iram Dei immerguntur.

Hoc eſt mendacium & hic dolus eſt, quo ſe circumdari Dominus hoc in loco queritur. Veri enim cultus ſunt, qui ſuſcipiuntur ſecundum verbum Dei, & mandante Deo. Hi in humilitate & cum certa fiducia miſericordiæ ſuſcepti Deo grati ſunt. Ideo afflictis rebus opem affert, & invocatus audit. Sed Idolatræ quanto majore conatu ſe Deo commendare & ex malis præſentibus evolvere moliuntur, tanto involvuntur altius in iram & pœnas, ſicut paulo poſt Propheta dicet. Mendacium igitur impia doctrina, & dolus, hypocriſis ac impius cultus eſt, qui qualis in regno Iſrael fuerit ſatis ipſa hiſtoria oſtendit. *Veri cultus.* *Idolatra.* *Mendacium, Dolus.*

Contra, ingens Iudæ commendatio & conſolatio eſt quod dominatur cum Deo, hoc eſt, quia retinet verum cultum, quia habet verbum purum, dominatur, nec poteſt opprimi, aut corruere penitus, cum tamen Satan hoc ubiq; agat, ut omni genere malorum pios obruat. Vtrinq; igitur eventus mirabiles & inſperati ſunt. Pii, quia odit eos mundus propter confeſſionem & verbum, in periculo ſunt & ſibi metuunt, Sed fruſtra metuunt. Dominãtur enim cum Deo ſuo, hoc eſt, tam non poſſunt opprimi, quam non poteſt opprimi Deus, in quo confidunt, & cujus verbo nituntur. Contra impii, excæcati præſenti ſucceſſu, putant periclitaturos ſe ſi verã religionem amplectantur, ac ideo urgent impietatem, quia hoc modo ſtabiliri opes ſuas putant. Ierobeam judicabat ſe amiſſurũ regnum, ſi populum ſuum divinitus mandato cultu permitteret uti. Papa judicat dignitatem & opes ſe amiſſurum, ſi noſtram doctrinam probet, nec videt aliam viam ſtabiliendi regni ſui, quam ſi pertinaciter ſit impius. Sed quid fiet? Hac ratione ipſe ſibi accerſit pœnas, & nunquam finiendam calamitatem. In Ebræo eſt (Imkedoſchim neeman) cum ſanctis fidelis. Id aptiſſimum viſum eſt referre ad cultum. Etſi enim Ebræi Sanctos, Deum, intelligunt, tamen hoc ſimplicius eſt. Neq; tamen errat, qui ſimpliciter intelligit Sanctos, ſanctificatos, vel Eccleſiam. Eodem enim ſententia redit, Retinere Iudam fideliter cultum, obſervatum à Sanctis in ſancta Eccleſia, & eo in loco, quem ipſe Dominus cultui ſuo ſanctificavit. Quæ ſequuntur de eventu utrinq; docent, Impii ſcilicet regni Iſrael, & pii regni Iuda. *Ierobeam. Papa.*

Ephraim pascitur vento, & persequitur ventum orientalem, quotidie multiplicat mendacia & vastitatem, ac percutiunt fœdus cum Assyrio, & balsamum in Ægyptum portant.

Idolatra vana spe se consolantur.

Insigni figura Propheta est usus, qua omnium temporum impios idolatras pingit. Magnifice sibi pollicentur de cultibus suis, In eos incumbunt magno studio, præsertim cum urgentur periculis, Sed perinde hoc est, ac si famelicus hauriat ore ventum. Est enim non solum vana hæc spes, sed magis provocatur ad iram Dominus. Hodie Germania sentit periculum, quod à Turcico Tyranno impendet, Nec quisquam tam est stupidus, qui non videat hanc peccatorum esse pœnam. Qui igitur Pontificis autoritatem sequuntur, instituunt supplicationes ad certos Divos, indicunt jejunia, cumulant Missas, & alios idolatricos cultus. Hac ratione se publicis malis mederi & iram Dei placare posse sperant, Sed vere pascuntur vento, & sequuntur orientalem ventum, qui cum siccus & frigidus sit, noxius est. Ita varietas cultuum impiorum nihil est, quam mendacium, & auget calamitates. Alia enim ratio est placandæ iræ Dei, de qua Propheta statim admonebit, ut misericordiam & judicium custodiamus, ac speremus in Deo nostro pertinaciter. Sed mundus neutrum facit, Misericordiam ac judicium negligit, & quærit humana præsidia, Sicut Israel conjungebat se cum Assyrio, & quærebat auxilia Ægyptiaca. Sed hæc quoque studia nihil sunt, quam mendacium & vastitas. Fallit enim spes humanorum auxiliorum, & certam affert vastitatem.

Lis est Domino contra Iudam, ut visitet super Iacob secundum vias ejus, eiq; reddat secundum studia ejus.

Cur litis meminerit.

Iudam supra laudavit, quod dominetur cum vero Deo, & cultum verum retineat, Cur igitur litis meminit? Nam hac phrasi Prophetæ passim utuntur in malam partem, sicut supra cap. 4. & 5. & Mich. 6. Respondeo, Historia nos abunde docet de hac re. Nam quæ Ecclesiæ forma fuerit ante Ezechiam, notum est, Et Assyrius cum captivum abduxisset regnum Israel, etiam Iudam afflixit ob peccata Ahas patris Ezechiæ, de quo historia dicit 2. Reg. 16. Non fecit, quod erat placitum coram Domino Deo suo, sicut David pater ejus, sed ambulavit in viis regum Israel, & imitatus quoq; est Damascenorum impietatem. Itaq; post alias clades etiam ab ipso Senaherib regnum Iuda graviter est afflictum, & obsessa Ierusalem. Sed Dominus misertus pii regis Ezechiæ, obsidionem miraculo solvit. Iacob autem seu Israel regnum penitus vastatum est. Quod igitur de Iacob addit, est sicut illud Petri, Iudicium à domo Dei incipit. Et Christi, Si hæc fiunt in ligno viridi &c. Si enim Domino cum Iuda lis est, qui cultum verum tum retinebat, Iacobo majus periculum metuendum erat, qui etiam admonitus nolebat resipiscere.

Mich. 6.

1. Reg. 16.

1. Pet. 4. Luc. 23.

In utero arripuit plantam Fratris sui, & viribus suis prævaluit Deo, Et prævaluit Angelo, eoq; potentior fuit, flevit & precatus est eum. In Beth-El invenit eum, & ibi locutus est nobis Dominus Deus exercituum Dominus, memoriale ejus.

Vocavit regnum Israel usitato nomine Iacob, Ac ex hac appellatione jam sumit occasionem gravissimæ exhortationis. Proponit enim fidem & studium promissionum Dei, quod fuit in Patriarcha Iacob, cujus nomen impii Israelitæ usurpabant, ac docet in Israëlitis nihil inveniri simile. Nam exercebant impios cultus, & verbum prorsus negligebant. Hanc judico hujus loci esse simpliciſſimam sententiam, ac recte cohæret cum præcedentibus & sequentibus. Commendat autem fidem Patriarchæ Iacob, commemoratione duarum historiarum. Prima est Genes. 25. quod cum Rebecca, quæ sterilis fuerat, primo partu geminos enixetur, exiit primus Esau, Iacob autem in utero arripuit plantam fratris, tanquam retenturus eum, & invidens ei primogenituræ prærogativam.

Iacob Patriarcha. Esau. Iacob.

Gen. 25.

Mirabi-

tized by Google

Mirabilis profecto hiſtoria, quam hoc in loco Propheta ideo adduc., ut ſtatuamus non temere hoc eſſe factum. Cur enim allegaret temerarium factum & cum eo conjungeret, quod maximæ admirationi nobis eſt, quod homo cum Deo luctatus, tamen non potuerit vinci? Oſtendit igitur in embryone Iacob fuiſſe ingens deſiderium & ſtudium conſequendæ promiſſionis Patribus factæ. Itaq; cum frater prior exiret ex utero, conatus eſt eum retrahere. Notum enim eſt quod fuerit primogeniti jus, ſeu privilegium. Pertinebat ad eum promiſſio de ſemine contrituro caput ſerpentis. Hanc Iacob etiam in utero matris ſtuduit obtinere, Siquidem conatus eſt impedire Eſau, ne primus naſceretur. Vnde, inquies, in fœtu hic ſenſus? Ex Spiritu ſancto, nimirum, qui Iohannem, ſex menſium fœtum, ita illuminavit, ut ſentiret Chriſti recens concepti præſentiam. Eſt enim Deus non tantum adultorum Deus, ſed etiam infantium, etiam embryonum, dum adhuc in utero ſunt. Ac quid hoc mirum eſt, Spiritum ſanctum in eis eſſe efficacem eo modo, quem nos non intelligimus? tamen cum habeant vitam, carnem & oſſa, non tamen aluntur in utero eo modo, quo nos, qui in hac luce vivimus, alimur.

Primogeniti jus.

Spiritus ſanctus efficax in nondum natis.

Vere igitur odioſum & impium Anabaptiſtarum dogma eſt, qui ideo pueris baptiſmum negant, quod ſenſu & mente careant, nec intelligant quæ cum eis aguntur. Nobis non intelligunt, nobis mente ac ſenſu judicantur carere, Sed Deo non ſic, cujus opus ſunt. Deus enim ſicut alio modo eos alit, quam nos, Ita quoq; alio modo movet eorum corda. Quod ſi nullus in Iacob, cum adhuc in utero matris vivit ſenſus eſt, cur allegatur ejus factum? aut in quem uſum allegatur? Sed conſiderat Propheta Dei mirabile opus, & ideo in Iacob nondum nato ſingulare ſtudium ac deſiderium promiſſionis de Chriſto, hoc eſt, primogenituræ prædicit, ut arguat Iſraelitas, qui ad exemplum Eſau promiſſionem de ſemine negligebant, & curabant interim ventrem. Hanc ſententiam niſi ſequaris, quis erit uſus hujus hiſtoriæ hoc in loco citatæ, aut quomodo non ineptum erit, eam conjungere cum altera memorabili hiſtoria de lucta Iacob cum Deo, citra Iordanem? Ac divus Paulus quoq; non fruſtra, ſed diſertis verbis, cum de Iacob & Eſau loquitur, addit, priuſquam naſcerentur.

Anabaptiſtarum error.

Rom. 9.

Gen. 32. Altera hiſtoria eſt Gen. 32. Sicut enim Iacob, cum adhuc in utero matris eſſet, optavit conſequi promiſſionem, Patribus de Semine benedicto factam, Ita ætate auctum hoc ſtudium eſt, ex pia inſtitutione Parentum, ac matris præcipue, quæ à *Gen. 25.* Patriarcha Sem acceperat reſponſum futurum, ut Minor dominaretur Majori. Ac ſicut hiſtoria oſtendit, accidit caſu, ut venator Eſau, fame pene enecatus, rediret domum, ac primogenituræ jus fratri cederet propter cibum, cujus tum avidior quam promiſſionis erat. Itaq; cum Iſaac jam ex hac vita emigraturus, benedicere filiis vellet, pio matris dolo ſubſtituitur Iacob pro Eſau, ac benedictionem à patre accipit. Ea re admodum offenſus eſt Eſau, Itaq; mater metuens, ne Cain exemplum ſequeretur, ablegat filium Iacob in Meſopotamiam ad fratrem Laban, cujus duas filias Iacob in uxores ducit. Tandem cum revocaretur à Domino in terram Canaan, metuens fratris iram Iacob, ad eum mittit ſervos, ut explorent ejus animum. Eſau audito adventu fratris, cum quadringentis expeditis viris ei occurrit. Id nuncium Iacob admodum perturbavit. Nam cauſa non conſtabat, cur frater tanto numero ſtipatus ſe in viam dediſſet.

Cum igitur ad vadum Iordanis, cui Iaboc nomen eſt, veniſſet, tranſportat noctu pecora, familiam, uxores ac liberos, Ipſe autem ſolus ſubſiſtit citra Iordanem, oraturus ſine dubio, & commendaturus ſuam & familiæ ſalutem Deo ſuo. Ibi hiſtoria commemorat, acceſſiſſe ad Iacob noctu virum, qui hoſtiliter eum aggreſſus ſit, ita ut de vita periclitaretur Iacob. Ac diſerte Scriptura dicit, Prævaluiſſe Iacob illi viro, qui etiam rogavit, ut dimitteretur. Itaq; Iacob poſitum nomen Iſrael, quod ſonat victorem Dei, quia Deum vicerit. Hæc fere ſunt, quæ hiſtoria oſtendit.

Hiſtoria de lucta cum Angelo.

Iſrael.

Hic primum obſerva, nomen (Elohim) quod in plurali numero Deum ſignificat, ſicut paſſim, ac præcipue in primo Capite Geneſis oſtenditur. Addit autem Propheta hoc in loco aliud nomen, & vocat (Maleach) quod Angelum ſonat.

Angelus cum quo Iacob luctatur, eſt ipſe Deus.

Itaque Iudæi ſuo more nugantur & (Elohim) etiam exponunt Angelum. Sed veritas nos aliud docet. Scimus enim Chriſtum propter miniſterium, quod in Eccleſia & in carne habiturus erat, dici Angelum, Geneſ. 48. Eſa 63. Malach. 3. Itaq; clarum eſt, Angelum hunc, qui & (Elohim) dicitur, fuiſſe Filium Dei, Et Iacob, quia in ea lucta vicit, vocatur Iſrael, quod Deum vicerit. *Gen. 48. Eſa. 63. Malach. 3.*

Ad hunc modum myſterium Trinitatis involvunt Prophetæ, & cum certam perſonam pingunt, tamen docent non niſi unum eſſe Deum, qui eſt Deus Pater, DEUS Filius, qui naſcitur ex Patre, & DEUS Spiritus ſanctus qui procedit à Patre & Filio. Diſputari autem varie ſolet, qualis ea fuerit lucta? Sed hiſtoria oſtendit Iacob veniſſe in certum vitæ diſcrimen, & totis viribus eſſe ob antagoniſta ignoto in invaſum, Itaq; viribus corporis ipſe quoq; contra antagoniſtam eſt uſus, ut defenderet vitam, Non tamen pugnavit corporis viribus tantum, etiam fides ejus luctata eſt, ac primum in tam præſenti periculo conſolatus ſe eſt, quod divinitus eſſet juſſus redire in terram Canaan. Deinde toto pectore arripuit promiſſionem in BethEl à Domino factam, ubi clare promiſſa eſt defenſio. Cum igitur angeretur, ac ab ignoto hoſte totis viribus oppugnaretur, etſi viribus ſuis contra eſt uſus, tamen fortius pugnavit fide, intuens promiſſionem, & certo ſtatuens Deum ſecundum Verbum ſuum affuturum in tanto periculo, & ſervaturum, Atq; hac fide vicit Deum. Etſi enim Chriſtus tentaret Iacob hac lucta, tamen præter vel contra Verbum ſuum, quo Iacob nixus eſt, nihil potuit facere.

Lucta Angeli cum Iacob quare.

Apparet autem Iacob tum demum agnoviſſe, quod eſſet Dominus, cum tactum eſſet femur ejus, & Dominus rogaret dimitti. Magnum enim eſt, quod ab Antagoniſta, cum quo de vita pugnaverat, petit benedici, & ipſe Dominus ſe vult agnoſci, cum ei nomen Iſraëlis tribuit. Dicit enim, Quia cum Deo & hominibus confligiſti & prævaluiſti. Sicut igitur Iacob de vita periclitatus eſt inter luctandum, ita quoq; fides ejus graviter eſt oppugnata. Norat Iacob promiſſionem Dei, ſed nunc tentatur, ut dubitare de ea incipiat, vera ne ſit, & an Deus vere promiſerit hoc, ac in tanto periculo jam conſtitutum ſervare velit. In his terroribus ac periculis fides verbum arripit, & ſtatuit Deum ſecundum Verbum ſuum etiam in media morte ſervaturum vitam, & daturum poſteritatem &c. Atq; hac ratione vincit Iacob, nec poteſt ſuccumbere.

Atq; hæc cauſa eſt, quod Propheta hic dicit de BethEl. Sicut enim cum Iacob fratrem fugeret, ibi primum Deus ſe ei revelavit, ac promiſſionem certam propoſuit, qua Iacob in hac lucta ſe ſuſtentavit ac vicit, Ita poſt, ſicut Gen. 35. ſcribitur, Promiſſio hoc ipſo in loco repetita eſt, & Iacob ideo erexit ex Domini juſſu altare. Sententia igitur eſt, In BethEl invenit eum, hoc eſt, ibi repetita eſt promiſſio, & intellexit Iacob ſe non fruſtra credidiſſe. Habet autem loci appellatio etiam Antithefin, qua pungit idolatras, Q. d. Quam diſſimiles eſtis Patrum veſtrorum? Ædificavit Iacob in BethEl altare, ſed juſſus à Deo, Vos ſine mandato Dei iſtic erexiſtis templum vitulo. Ac cum Deus in BethEl locutus nobis ſit, & magnificas promiſſiones nobis fecerit, Cur vertimur nos ad muta idola? Cur verbo non attendimus? Ad hunc modum Propheta ubiq; notat idolatras ac pungit. *Gen. 35.*

Nos, etſi corporale periculum non ſentimus, tamen hunc ſpiritualem agonem experiri neceſſe eſt. Quoties enim tentamur de peccatis noſtris? quoties ſentimus iram Dei? Sæpe Satan ex ipſo verbo Dei nobis intentat æternos cruciatus & damnationem, dum non ſolum terret animos comminationibus Legis, ſed etiam iræ exempla proponit. Hic vere luctamur cum Deo, ſicut Cananitis, quæ triſtem ſententiam ex Chriſto audiebat, à quo ſperarat ſalutem. Et tamen ſi nitimur promiſſionibus de Chriſto, ac pertinaciter ſperamus, Deum nobis propter Filium ſuum juxta promiſſiones propitiũ fore, vincimus exemplo Iacob, & ſumus nos quoq; Iſrael. *Matth. 1*

Cananitis.

Sed ad Prophetam redeo, Cur utitur hiſce hiſtoriis? Nimirum ut oſtendat regnum Iſrael, quod Patriarchæ Iacob nomen uſurpabat, prorſus diſſimiles eſſe. Fuit enim in Patriarcha Iacob eximium ſtudium verbi, ſeu promiſſionis de Chriſto, & fides

Iacob.

& fides conſtantiſſima. At regnum Iſrael exemplo Eſau verbum & promiſſionem de Chriſto negligebat,oderat fratres, qui verum cultum retinebant, & nitebatur ſuis meritis,ac pertinaciter retinebat idolatricos cultus,ſacrificabat vitulis &c. At Iacob Domino Deo Zebaoth excitabat altare,ut teſtaretur ſe credere promiſſioni ibi factæ.

Hic iterum memineris myſterii Trinitatis, Deum & Angelum vocat, ac poſt addit, In BethEl invenit eum & ibi locutus eſt nobis. Quis? Nimirum qui erat Deus & Angelus (Maleach Elohim) Vt autem prorſus nihil dubites, quis ille Deus & Angelus ſit, addit Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale, ſeu nomen ejus, Hic auguſtum Dei nomen (Iehova) tribuitur Domino noſtro Ieſu Chriſto, quod ipſe ſibi ſumit, cum dicit, Philippe, qui videt me,videt Patrem meum. Hanc lucem cæci Iudæi non digni ſunt, ut videant. Itaq; cum legunt hæc, quid legant neſciunt.& impoſſibile eſt,ut ex hoc loco poſſint ſe evolvere, aut eum rectè explicare. Si autem verum eſt,quod Prophetæ ex Spiritu ſancto locuti ſunt,quod poteſt Trinitatis clarius teſtimonium oſtendi? Sed pergamus ad reliqua. *Chriſtus Deus.*

Ioh.14.

Et tu ad Deum tuum convertaris, Beneficentiam & judicium cuſtodi, & ſpera in Deum tuum ſemper.

Propoſuit Propheta exemplum Patriarchæ Iacob, cujus nomen Idolatræ Iſraelitæ uſurpabant,Sed non imitabantur fidem.Nunc ſubjicit exhortationem, Fac tu quoq; eadem,inquit,& recte vocaberis Iacob. Hic primum obſerva Iudæos fortiter hoc in loco convinci ab ipſo Propheta, quod falsò vocabulum (Elohim) ſupra poſitum exponunt de Angelis, Nam hic idem nomen repetitur, & jubet Propheta, ut Iſraelitæ ſe convertant ad eum Angelum, & ut ſemper in hoc Angelo ſpem habeant.Ergo Angelus hic,ad quem Propheta jubet converti populum ſuum, & ſperare in eo, cum quo Iacob luctatus eſt, non eſt Angelus creatura, ſed æternus Filius æterni Patris,Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Hunc jubet Propheta agnoſci & accipi. Sicut Pater quoq; ſua voce de cœlo ſonat.Hic eſt Filius meus dilectus,hunc audite. Et ſecundus Pſalmus mandat,Oſculamini Filium. *Exhortatio ad imitandum Iacob.*

Hic igitur vide, quanta diſſimilitudo ſit. Iacob etiam in utero cum fratre depugnavit de conſequenda hac promiſſione, & in lucta contra Angelum hac ipſa promiſſione vicit. Sed populus Iſrael prorſus nullam hujus promiſſionis curam habet, Retinet Idolatricos cultus, ſine Dei mandato inſtitutos. His ſperat ſe mereri gratiam & remiſſionem peccatorum. Quid magis abſurdum fingi poteſt? quodq; minus conveniat ad Iacob exemplum? Luctatus eſt Iacob cum Angelo, & deprecatus eſt eum flens,ut benediceret. Ab hoc Angelo avertit ſe Iſrael, ac benedictionem,quam ultro Angelus hic per Verbum ſuum offert,abjicit, ac ſperat in idolatriam ſuam. Recte igitur objurgat Propheta, & hortatur impium populum ac dicit Convertere tu quoq; ad Deum tuum. Hic enim eſt vocabulum (Elohim) cum quo luctatus eſt Iacob.

Complectitur autem brevis hæc concio pulcherrimam formam pœnitentiæ. Primum enim hortatur, ut abjecta fiducia proprii meriti, convertant ſe ad promiſſum Semen,quod contriturum erat caput ſerpentis, & ſublaturum maledictionem, in quam propter peccatum primorum parentum totum humanum genus prolapſum eſt. In hoc Semen qui credunt, hoc Semen qui accipiunt, hi non ſunt idolatræ, ſed Deum colunt eo modo,quo ipſe ſe patefecit homini,& coli voluit. In hoc enim Semine oſtenditur nobis,quæ ſit Dei erga nos voluntas, quod non iraſci,ſed propitius eſſe, non damnare, ſed ſalvare velit peccatores, Siquidem hunc Filium ponit victimam pro peccatoribus.Hic eſt cultus cordis,& ſicut Paulus appellat λογικὴν λατρείαν quæ in prima tabula Decalogi proponitur.

Rom.12.

Manifeſta autem eſt Antitheſis, Quia enim jubet, ut ad Deum convertantur, ſignificat eos averſos eſſe à Deo, ſeu verbo,& retinere ſua ſtudia. Hic qui pœnitere volunt, neceſſe eſt, ut ad Deum convertantur, hoc eſt, ut attendant Verbo ſecundum mandatum de cœlo,Hunc audite. Ad hunc cultum, qui eſt fides in Chriſtum, *Doctrina pœnitentiæ.*

mone t,

monet, ut addant alios externos cultus. Qui vero hi sunt? Sacrificia ne? oblationes, holocausta? incensa? baptismata? &c. Hæc quidem proposita erant Iudaico populo, primum ut essent exercitia externi cultus, Deinde, ut tanquam typus futuri sacrificii, docerent populum de vera liberatione à peccatis, quæ non per aspersionem sanguinis taurini, agnini, vitulini, sed promissi seminis, hoc est, Filii Dei, ventura erat. Ideo cum hæc essent typus, necesse fuit ea aboleri præsente veritate. Ac Propheta propositurus externos cultus, quos præstant, qui ad Deum convertuntur, tacet de his legalibus cultibus, & proponit præcepta perpetua & immutabilia, nempe secundam tabulam Mosi, Hanc in pulcherrimum compendium redigit, sicut Paulus quoq; cum dicit, Finis Legis charitas.

Primum est, ut custodiant beneficentiam, hoc est, ut sint in omnes benefici. Sicut Christus quoq; egregiè charitatis opera commendat, cum interrogatus de summo mandato Legis, dicit, Dominum Deum tuum diliges ex toto corde, tota anima, & viribus totis. Hoc primum & summum præceptum est. Alterum huic simile est, Diliges proximum tuum sicut teipsum, Si igitur seriò cupis converti ad Deum, primò amplectere vera fide Christum tanquam Redemptorem tuum, Crede Deum propitium tibi futurum, propter Filii sui mortem. Deinde si quæris, qualis debeat esse vita tua, præsta beneficentiam, non solum non sis injurius in quenquam, sed etiam prosequere beneficiis quos potes, Hic enim Legis finis est.

Charitatem pauci præstant.

Facilis, inquies, hæc veri cultus ratio est? Profecto facilis, sed vide tu, quam pauci eum præstent. Vide, quanta sit in liberis & familia inobedientia erga parentes, quanta parentum negligentia in educandis & gubernandis suis. Hæc quomodo conveniunt ad beneficentiam? Deinde vide, quanta sit impatientia, quantus iræ furor in hominibus, injuriæ, convitia, diræ imprecationes, plagæ, cædes etiam. Huc annumera cæcarum libidinum innumera incommoda, deinde furta, fraudes, imposturas, mendacia, perjuria, & quis enumeraverit omnia? Hæc ex diametro pugnant cum hoc præcepto, & tamen quàm sunt vulgaria in omnibus vitæ ordinibus? Nihil igitur mirum, si hanc peccatorum usitatam licentiam variè punit Deus.

Taceo autem jam ista graviora officia, cum aut Magistratus negligenter facit officium, aut etiam injurius est, & tyrannidem exercet, Aut Doctores non fideliter suos docent, ac magis quæstui suo, quam saluti suorum consulunt. Si autem qui ad Deum vere convertuntur, hæc officia præstant, ut benefici sint in proximum. Nonne verè dicemus de iis, qui diversum faciunt, eos à Deo aversos, & sine fide esse.

Cum beneficentia conjungit Propheta judicium, Sed alia ratione, quam Michas in capite sexto. Ibi enim certas ob causas judicium exposuimus, de doctrina sana, per quam Spiritus sanctus judicat mundum, hoc est, damnat impios cultus, & opera impia, ac docet veros & sanctos cultus. Hanc partem pœnitentiæ Propheta complexus paulo ante est, cum jubet, ut ad Deum convertantur, hoc est, ut Dei verbo auscultent. Itaq; judicium hoc in loco proprie significat illud ingens veræ charitatis opus, scilicet reprehendere, prohibere, damnare, quæ mala sunt. Sicut Paulus Magistratum monet, gestare eum gladium, ut terrori sit malis, Et patresfamilias etiam tum sunt benefici in suos, cum scandalis occurrunt, & severa animadversione in peccantem familiam utuntur. Habet enim judicium locum suum in omnibus vitæ generibus, ut singuli pro sua vocatione in id incumbant, ne scandala impunè grassentur.

Judicium conjungitur cum beneficentia.

In genere autem pertinet ad judicium, quod Christus omnibus Christianis mandat, ut fratrem peccantem privatim arguant. Non enim connivendum est ad cujusquâ flagitia. Privati monendo & objurgando scandalis occurrere debent, Magistratus gladio, Parentes & patresfamilias non tantum minis, sed etiam verberibus. Itaq; non minus late patet hæc charitatis pars, quæ vocatur judicium, quam ipsa beneficentia. Ac debent in omni vita misceri beneficentia & judicium, hoc est, afflictis subveniendū, contra facinorosis occurrendū est, ne immodicè scandala grassentur.

tur. Lyra non ineleganter dicit, ideo conjungi hæc, quia judicium ſine miſericordia ſit crudelitas, Miſericordiam autem ſine judicio eſſe puſillanimitatem. Verum enim eſt, quod licentia homines deteriores fiunt, & multos à judicio abſterret metus. Non enim libenter nobis conciliamus odium, quod, judicium ſi exerceas, ſequi perpetuo ſolet.

Itaq; Propheta addit tertium membrum, & jubet ſpem poni in Deo noſtro. Quia enim mundus non vult reprehendi, nec damnari, varia pericula ſubeant neceſſe eſt, qui pro vocatione judicium exercere volunt. Et eſt alioqui Satan juratus piorum hoſtis. Itaque hoc piis faciendum eſt, ut ſi quid accidat incommodi, patientia id vincant & ſpe æternorum bonorum ſe conſolentur, quibus hujus vitæ paſſiones longe inferiores ſunt. Hæc igitur corona eſt qua ornata eſt ſancta Eccleſia. Non vertit Deo loquenti tergum, ſicut ſolent inobedientes liberi parentibus, Sed auſcultat humiliter, & ſequitur vocem Dei, Deinde in calamitoſos eſt benefica, malos autem, pro vocatione ſua, reprimit. Ac ſi quid accidit ideo incommodi, vel à Satana, vel mundo, æquo animo id fert, & tradit vindictam judicanti juſte, Conſolatur tamen interim ſe ſpe futuræ & æternæ liberationis, quæ per Angelum benedicentem contingit. Hoc curriculum eſt, in quo pii decurrunt. Nam, ut dixi, Propheta totam vitam piorum ac integram pœnitentiæ formam voluit hac brevi concione complecti. Nunc redit ad objurgandum populum ſuum his ſanctis admonitionibus non acquieſcentem.

Veri cultus in Eccleſia.

Sed eſt Canaan, In manu ejus eſt ſtatera doloſa, cupide infert injurias. Sic enim dicit Ephraim, Dives ſum factus, inveni mihi opes, Nec invenietur in cunctis laboribus meis vel iniquitas, vel peccatum.

Quæ uſq; ad finem capitis ſequuntur, apte cum ſuperioribus cohærent. Propoſuit exemplum Patriarchæ Iacob cujus nomen impius populus Iſraël uſurpabat, Deinde etiam Regulam pœnitentiæ tradidit, Nunc autem contra oſtendit, quantum degeneraverit hic populus à ſancto Patriarcha, cujus nomen uſurpabat, & à ſana doctrina. Itaq; non appellat amplius domum Iacob, ſed Canaan, ut oſtendat populum Iſraël nihilo meliorem eſſe illis gentibus, quas propter multiplicia peccata ejecerat Dominus ex terra. Ac docet ordine negligi beneficentiam, contemni judicium, & pertinaciter populum retinere idolatricos cultus. Porrò vocabulum Canaan mercatorem ſignificat. Nota autem mercatorum ſtudia ſunt, Cumulandæ pecuniæ dant operam, nec penſi habent, jure an injuria diteſcant.

Quantum à Patriarcha Iacob degeneraverit hic populus Canaan.

Mercatores.

Ideo Propheta hic addit de ſtatera doloſa, & cupiditate nocendi. Nam hanc exiſtimat vulgus rationem quærendæ & augendæ rei optimam, ſi pondera & menſuras vitiet, ac incautos emptores decipiat. Non putat comparari opes poſſe juſtis rationibus. Convincuntur igitur impii Iſraelitæ, quod nullum prorſus beneficentiæ ſtudium habeant, Siquidem tantum de quæſtu ſunt ſoliciti. Taxat idem peccatum Michas quoq; in ſexto, & oſtendit, quæ pœnæ ſint ſecuturæ. Eſt autem hoc peculiare avaris, etſi ſine aliorum injuria magnas opes parare non poſſunt, ut non agnoſcant peccatum, ſed rationes fingant, quibus excuſent ſe. Qui honeſtiſſimi ſunt, adduci ſe ſtudio familiæ ſuæ alendæ dicunt, Alii temporum difficultatem allegant, quæ majores ſumtus requirat, Alii exemplis aliorum ſe tuentur, ac putant ſibi quoq; licere, quod impune ab aliis committi vident.

Statera doloſa.

Avaritia ſe excuſat.

Sicut igitur Ephraim hoc in loco dicit, Non invenietur iniquitas in laboribus meis, Ita avari non ſolum excuſant ſe, ſed etiam ſibi blandiuntur, quaſi iſta opum vis, tam malis artibus parta, ſit benedictio Dei. Sed eventus comprobat non eſſe benedictionem. Vere enim, ut Michas dicit, male partæ opes, ſunt quaſi ignis in domo divitis. Sequuntur enim eas certæ calamitates. Sicut igitur beneficentiam comitatur benedictio, Ita veſanum hoc ſtudium augendæ rei multiplices pœnæ comitantur, quas etiam in hæredes cum opibus derivari experientia commonſtrat. Hæc prima pars Antitheſis eſt, in qua docet beneficentiam negligi. Sequitur ſecunda pars de neglecto judicio.

Et ego

Digitized by Google

Et ego Dominus Deus tuus, ex terra Ægypti, qui te adhuc ſedere facio in tabernaculis certo tempore, & loquor cum Prophetis, Ego multiplico viſionem, & per miniſterium Prophetarum me pateſacio, Sed in Gilead eſt iniquitas. Vani enim facti ſunt. In Gilgal quoq; immolant boves, & Altaria eorum ſunt, ſicut acervi in ſulcis agrorum.

Objurgatio propter non factum judicium.

Adhortatus ſupra eſt ad judicium faciendum, hoc eſt, ut ſinguli in ſuo genere occurrant ſcandalis, & damnent quæ ſunt damnanda, Sed hoc in loco queritur Dominus, id quoque indigniſſime negligi. Ego, inquit, eduxi vos ex terra Ægypti, & annuum Feſtum tabernaculorum, quod celebratis, teſtimonium dicit de multiplicibus beneficiis, quibus vos per omne tempus profectionis veſtræ in deſerto cumulavi. Sed parum hoc eſt, Addidi majus beneficium, Per Prophetas, cum quibus loquor, hoc eſt, quos Spiritu meo repleo, vos doceo de veris cultibus, & damno idolatriam. Hic quid decebat vos facere? An non ipſi quoque parere voci & monitionibus meis debebatis, & exercere judicium ac damnare quæ cum verbo pugnant? Sed nihil horum à vobis fit, In Gilead exercetur idolatria; in Gilgal fiunt ſacra, & aræ tot ſunt, quot in agris acervi lapidum ſunt. Sic judicium prorſus nullum apud vos eſt. Pertinet igitur objurgatio hæc, tum ad Magiſtratum civilem, tum etiam ad Sacerdotes, quorum officium erat, damnare impios cultus, & docere de veris cultibus. Sed hi Patroni impietatis & idolatriæ erant, ac exemplo ſuo vulgus invitabant ad impios cultus.

Verbum (Adameh) ſignificat aſſimilari, Id fere hoc in loco exponunt pro eo, quod eſt, dare ſimilitudines. Nam Prophetarum conciones non ubique planæ ſunt, ſed ſunt ſimiles ænigmatum, ac recte conjungitur hoc cum viſionibus. Mihi tamen ea ſententia magis videtur propria, quam aliquantulum mutatis verbis reddidi, quod per miniſterium Prophetarum patefecerit ſe Deus, hoc eſt, oſtenderit verum cultum per verbum ſuum. Proponit enim Deus in verbo ſimilitudinem ſui, hoc eſt, pingit voluntatem ſuam, de qua non poſſunt dubitare, qui verbum fideliter retinent. Sicut enim pictura refert faciem hominis, Ita Verbum veram Dei notitiam nobis proponit.

Fugit Iacob in agrum Syriæ, & ſervivit Iſrael propter uxorem, propter uxorem cuſtos fuit pecoris. Eduxit autem Dominus Iſrael ex Ægypto per Prophetam, & per Prophetam cuſtoditus eſt.

Reprehenſio quod nolint converti ad Deum.

Hoc tertium membrum & principale eſt, quod nolint converti ad Deum, etſi variis ab eo beneficiis provocentur. Vtitur autem hic quoq; exemplo Iacob, qui cum extreme miſer eſſet, tamen non diſceſſit à vero cultu & verbo. Cum contra populus Iſrael abundet bonis, & tamen nolit ad Deum converti. Ita totus hic locus & cohæret apte, & utilem doctrinam proponit, ſi per omnia Antitheſin obſerves. De ſpe in Deum, quod quartum membrum erat, nihil meminit. Quia enim in populo Iſrael nulla beneficentia, nullum judicium, nulla ad Deum converſio erat, Ideo etiam non urgebatur cruce, quæ ſola pios animos excitat ad ſpem in Deum.

Hiſtoria patrum.

Porro œconomicæ hiſtoriæ Patrum, qualis hic de Iacob recitatur, admodum ſunt utiles. Vtrunq; enim proponunt, & varios adverſæ fortunæ caſus, & mirabilem Dei gubernationem, qua ſuos defendit, ſervat & benedicit tandem. Patriarcha Iacob jam à patre Iſaac acceperat benedictionem, quæ promittebat futurum, ut non ſolum dominaretur fratri, qui major erat, ſed etiam, ut haberet filium Chriſtum, cujus beneficio totum humanum genus à peccatis & morte æterna liberaretur. Sed hujus benedictionis tam opulentæ quæ ſunt initia? Hæc nimirum, quod frater Eſau, quem divina benedictio conſtituebat Minorem, incipiebat inſidiari vitæ Iacob. Itaq; Parentes moti tanto periculo, & ablegabant filium Iacob in Meſopotamiam, & dabant hoc in mandatis, ut non niſi avunculi Laban filiam duceret in uxorem, ita

initium

initium benedictionis est longinquum exilium, conjunctum cum certo vitæ discrimine. Nihil enim aliud fratris pertinax ira & odium promittebat. Cum igitur Iacob ad avunculum Laban venit, & ex parentum consilio de uxore ducenda cogitat, servit annis 7. pro Rahel, Sed decipitur à Laban, & adjungitur ei Lea. Itaq; alios septem annos pro Rahel impetranda servit. Hoc pene ridiculum & indignum viro judicatur, tam longam servitutem consequendæ uxoris causa suscipere & ferre.

Iacob servivit pro uxore.

Sed ostendit primum hoc Patriarchæ factum, quanti fecerit autoritatem parentum, qui certum mandatum dederant, ne aliam, quam avunculi filiam duceret. Ac optabile erat, ut aut liberi in hoc ipso negocio Parentum autoritatem & consilium sequerentur semper, aut cum contra faciunt, à Magistratu in eos animadverteretur. Quid enim indignius est, quam cum parentum contemptu aut neglectione nuptias quærere? Itaq; leges quoq; civiles Parentum consensum requirunt in legitimo matrimonio, Sacrarum autem literarum autoritas ostendit infelicia consilia esse, quæ contra parentum voluntatem instituunt liberi. Et testatur experientia quoque, plerunq; tales nuptias infelices esse, Non ideo solũ, quod hæc ætas infirmior sit, quam ut recte sibi possit consulere, ducitur enim, imò rapitur cæcis & stultis cupiditatibus, Sed quod Deus ubiq; autoritatem parentum vult salvam esse. Itaq; & obedientibus liberis, sicut Iacob, benedicit, inobedientes autem, pro merito, sive in conjugio, sive extra conjugium vivant, affligit.

Parentum consilio in deligenda uxore utendũ.

Secundo ostendit hoc ipsum factum Patriarchæ, quanti fecerit conjugium, nunquam enim tam longam servitutem subiisset, nisi statuisset hoc genus vitæ & Deo gratum & hominibus necessarium esse. Sed cum hoc judicio sancti Patriarchæ quomodo convenit, quod Papistæ docent & faciunt, qui tanquam profanum vitæ genus honestas nuptias damnant? Ferunt tamen impietatis hujus dignas pœnas, quod & corpora & conscientias pollutas circumferunt. Quam autem putabimus horum conjugium fuisse amicam & suavem vitæ consuetudinem? Non enim ideo tam longo tempore servivit Iacob, ut haberet socium vitæ, cum quo perpetuo rixaretur. Vidit probari Deo hanc corporum & animorum piam conjunctionem, Vidit occasiones in hoc vitæ genere varias, exercendæ charitatis, & probandæ obedientiæ Deo. Itaq; tanquam Scholam omnium virtutum matrimonium cupide ingressus est, & speravit Deum non solum gubernaturum, sed etiam varia benedictione ornaturum conjuges. Id quod accidit, sicut ipse dicit, Se præter baculum nihil in Mesopotamiam attulisse, exire autem nunc sic benedictione Domini locupletatum, ut duo agmina in terrã Canaan reducat. Debet autẽ hoc quoq; consolari pios conjuges.

Nuptiarum commendatio.

Conjugium Sanctorum.

Summa igitur hujus loci est, Iacob, cujus nomen impium regnum Israel usurpabat, in summa miseria exul servivit apud avunculum, Sed non ideo discessit à Deo, non abjecit verbum Dei & cultum, retinuit spem benedictionis pertinaciter. Sed quid facit populus Israel, provocatus variis beneficiis? Non enim solum Dominus eos in terram Canaan deduxit, Sed etiam addidit magno numero Prophetas, qui ad verum cultum eos invitarent. Audi Prophetam,

Sed Ephraim irritat Deum per idola, ideo sanguis ejus super ipsum effundetur, & blasphemias ejus reddet ei Dominus ejus.

Hoc est, Ephraim non vult converti ad Deum, non audit Prophetas, sed retinet idolatricos cultus. Ideo contrarius eventus eos excipiet. Sicut enim pius Iacob tulit pietatis præmium, amplissimam benedictionem, Ita regnum Israel impietatis pœnas dabit, & extindetur. Dominus ejus, rex Assur, cujus potentia putabat se tutum fore ab aliorum hostium impetu, reddet eis opprobrium, hoc est, puniet contemptum verbi, quod Deum tam diu sunt passi frustra clamare. Hæc enim vere blasphemia est, non obedire Verbo, sed id persequi & damnare. Ebræum vocabulum (Thamrurim) est factum à (Marar) quod significat amarum esse, ac si dicas amaritudines. Sic autem vocat idola vel statuas, quas odit Dominus, & quorum cultu exacerbatur. Apud Ieremiam capite 31. accipitur (Thamrurim) pro statuis seu monumentis præteritarum calamitatum.

Ephraim in idolatria pergens plectitur.

31.

CAPUT XIII.

Cum loqueretur Ephraim horrenda, efferebat ſe in Iſrael, Deinde peccabat colendo Baal, ideoq; mortuus eſt, Nunc autem amplius peccant & faciunt ſibi conflatile ex argento ſuo, & ſecundum induſtriam ſuam ſculptilia, Opus artificum id totum eſt, De his concionantur ipſi, Qui hominem immolaverit, oſculatus eſt vitulos.

Iuſtè abjici pertinaciter peccantem populū.

EST hæc quoque Concio inſtituta contra peccatum idolatriæ, Sed paulo altius id hoc in loco repetit Propheta, ut oſtendat juſto Dei judicio tam pertinaciter peccantem populum ſine miſericordia abjici inter Gentes. Nam duplex ſcandalum Propheta videt. Alterum eſt, quod Deus tam diu meritas pœnas differt. Etſi autem hoc facit Dominus, ut tempus pœnitentiæ concedat peccatoribus, tamen abutitur hac Dei patientia & longanimitate mundus ad licentiam peccandi. Alterum ſcandalum eſt, quod cum emendationis ſpes nulla eſt reliqua, Deus tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Hic enim iterum impingit ratio, & offenditur, ſtatuit enim Deum ad crudelitatem uſq; indulgere iræ. Hoc ſcandalum ut præcidat Propheta, ab exordio regni Iſraël commemorat initia & progreſſus idolatriæ & impietatis, fruſtra renitentibus & in viam revocantibus Prophetis pertinacem populum.

Idolatria quomodo paulatim in regno Iſrael creverit?

Erit autem Lectori hæc concio admodum facilis, ſi hiſtoriam regni Iſraël in conſpectu & notam habeat. Nam cum pœna idolatriæ, quam Salomon in uxorum gratiam primus in hoc populo inſtituerat, non ſolum in ejus filium Rehabeam, ſed etiam in totum populum derivaretur, & decem tribus per ſeceſſionem ſe cum Ierobeam conjunxiſſent, Sola autem tribus Iuda cum reliquiis Benjamitarum, Davidis nepotem pro rege agnoſceret, Ierobeam vitulorum cultum in Dan & Beth El inſtituit. Sperabat enim hoc pacto facilius ſe retenturum regnum. Hæc idolatriæ initia Propheta intelligit, cum dicit, Ephraim horribilia vel dixiſſe, vel docuiſſe. Etſi enim hoc alii politice intelligunt, & ad ſeditioſas voces decem tribuum referunt, tamen mihi rectius videtur accommodari ad impia dogmata, quæ piis animis vere, ut Propheta appellat, ſunt (Retheth) ſeu terror. Vident enim cum ſparguntur impia dogmata, ſimul ſpargi ſemina ingentium calamitatum, quibus idolatras tandem involvi neceſſe eſt. Itaq; cum pii hæc certo videant eventura, commoventur animis, ac dolent, quod in tam gravi peccato, & certis pœnis homines ita ſecuri ſint.

Deinde vocabulum (Retheth) etiam recte eo tranſtuleris, quod idolatria & impia dogmata ſemper conjuncta ſunt cum crudelitate. Sicut hodie adverſariorum noſtrorum manifeſtus furor eſt, qui ne verbo quidem idolatriam ſuam volunt notari, ac ideo crudeliter ſæviunt in Eccleſiam Dei. Nota phraſis eſt in vocabulo (Naſa) *Vitul.* ſignificat enim levare caput, efferri. Initium igitur idolatriæ fuit, cum in Iſraël per Ierobeam inſtitueretur cultus vitulorum, quem Ierobeam ſecum ex Ægypto, ubi *Baal.* aliquandiu exulavit, in regnum Iſraël attulit. Hunc vitulorum cultum ſecutum aliud *1. Reg. 16.* malum eſt, nempe cultus Sydonii idoli Baal, quem Ahab uxor Iezabel invexit, ſicut oſtendit hiſtoria 1. Reg. 16. Quæ autem calamitas hanc idolatriam ſecuta ſit, Propheta hoc loco uno verbo oſtendit, hiſtoria autem pluribus. Non ſolum enim omnis familia Ahab ob hoc peccatum exciſa eſt, uſq; ad mingentem ad parietem, ſicut ſcriptura ſolet loqui, ſed miſerabili fame terra afflicta eſt, quod neq; ros, nec pluvia amplius toto triennio de cœlo venit. Perpetuus autem famis comes eſt peſtilitas, & acceſſit quoque ab externo hoſte periculum.

Sed ne hoc quidem modo ſanatus eſt populus. Cum enim per Iehu, & cultus Idoli Baal, & tota Regis poſteritas deleta eſſet, infelicius ſeculum eſt ſecu- *Statua.* tum. Sicut enim prius regia familia peculiarem cultum inſtituerat, ita poſtea ſinguli ſingulos ſibi Deos fingebant. Sicut apud nos poſt Miſſæ impium cultum ſecuta eſt

multi-

multiplex idolatria,Singuli enim ſingulos ſanctos fere invocabant & colebant,ſicut impiarum ſtatuarum infinita multitudo indicio eſt,quam qui in templis hodie,& in tanta verbi luce retinent, næ illi parum attendunt, quam facilis lapſus ſit in tanta ſcandalorum occaſione in ſuperſtitioſos cultus.

Vtitur autem Propheta, inſigni extenuatione, cum idola vocat(Maeſe haraſchim)Opus fabrorum ſeu artificum.Niſi enim artificis manus accederet,quid aliud adorarent,quid aliud invocarent ſtulti idolatræ, quam lignum, lapidem, argentum, quo ad alias res homines recte utuntur, ad invocationem autem recte uti non poſſunt,quæ uni Deo debetur,cujus nulla eſt ſimilitudo,niſi Verbum ſeu Filius Dei,qui ſola mente coli vult.Hæc ſane in populo Dei ſic geſta eſſe, contra Prophetarum aſſiduas admonitiones & objurgationes quis non miretur? Sed reſtat alius idolatriæ gradus longe execrabilior. Ideo Propheta ultimo loco eum ponit, quod vitulis immolarint filios & filias, hoc animo, tanquam præſtituri Deo eximium cultum. Sic enim ratiocinabantur,Si Deus in Abraham tantopere probavit voluntatem, Quanto magis probabit ipſum factum? Sed decepti à Satana idolatræ, non videbant Abraham peculiari mandato juſſum,ut offerret filium,Se autem generali mandato à cæde facienda prohiberi.Ita videmus ſemel à vera ſemita declinantes, ſubinde altius involvi erroribus,donec pereant. *Meſſalia liberorum.*

Notanda autem hic phraſis eſt in verbo (iiſchakun)oſculantur.Significat enim ſummum cultum ſeu reverentiam,quæ debetur Deo,ſicut ex ſecundo Pſalmo patet, ubi jubet oſculari Filium. Hunc ſummum cultum, inquit Propheta, putabant poſitum in eo.Si vitulis immolarent homines. O verè excæcatas à Satana mentes & animos. Tanto decebat nos gratos magis eſſe Deo noſtro, qui per lucem Verbi ſui nos liberavit à tam multiplici idolatria, & oſtendit dum demum ſe vere coli, ſi oſculemur & audiamus Filium,ac per ipſius ſacrificium ſperemus Deum nobis reconciliatum,condonata peccata,& donatam vitam æternam. Nunc de pœnis addit, *Pſal. 2.*

Ideo erunt quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane veniens, & ſicut palea, quam ventus diſpellit in area, & velut fumus qui de feneſtra pellitur.

Supra in ſexto capite ſimilitudine matutinæ nubis & roris eſt uſus, cum conſolaretur Eccleſiam promiſſionibus regni Chriſti. Itaq; hoc in loco, ſi quis eandem ſententiam retinere volet,facilis applicatio eſt, quod ſcilicet præcones impietatis & idolatriæ omnia promittant ex ſententia ſucceſſura iis, qui uſitatos cultus retinuerint.Sed Propheta ſubjicit contrariam ſententiam.Non eritis ſicut nubes matutina, nec ſicut ros mane cadens, quin potius eritis ſicut palea in area & fumus in feneſtra. Neutrum enim conſiſtere poteſt,ſed vi pellitur. Mihi tamen videtur aptius ſi etiam de rore & nube ſimilitudo conjungatur cum palea & fumo. Nam Propheta hoc in loco,non ut ſupra, reſpicit ad humectationem, quæ ſitientem terram & ſolis ardoribus pene exhauſtam recreat,ſed ad ſubitam mutationem. Etſi enim nubes mane ſurgens videatur totum cœlum occupatura, tamen paulatim & brevi temporis ſpacio ſic à Sole hauritur,ut nullum uſquam relinquatur ejus veſtigium. Idem in rore videmus,qui etſi late campos & agros occupet, tamen paulatim abſumitur à ſole.Ita minatur regnum quoq; Iſrael periturum ſubito, nec ulla vel potentia, vel conſilio hoc malum averti poſſe oſtendit.

Eadem aliarum ſimilitudinum ſententia eſt,Non ut nos in horreis & ſub tecto, ſed in aperto campo triturabant Iudæi ſegetes,Itaq; paleæ facile & ſubito diſpellebantur. Eodem modo Iſrael diſpellendum minatur. Fumus quoq; nuſquam minus poteſt conſiſtere quam in feneſtra, ibi enim vi Venti propellitur, nec ullo modo ſuſtinere venti impetum poteſt.Idem de Iſraële quoq; futurum dicit, cum admovebit exercitum Aſſyrius. Ad hunc modum ſimilitudines belle conveniunt, & graphice pingunt magnitudinem calamitatis,quæ idolatras oppreſſura ſit.

Digitized by Google

Ego autem Dominus Deus tuus de terra Ægypti, Itaq; Deum præter me non agnoſces. Non enim eſt Salvator præter me... Ego cognovi te in deſerto, in terra aridâ... Sed cum abunde eos paſcerem, & ſaturati eſſent, elevatum eſt cor eorum, & obliti ſunt mei.

Ingratitudinis accuſat.

Hactenus oſtendit, quomodo paulatim idolatria incrementa ſumpſerit, donec ad ſummum pervenit, Nunc, ut amplificet, hanc populi impietatem, addit de ſuis meritis & beneficiis, Quod ſe huic populo patefecerit, liberando eum ex dura ſervitute Ægypti, Quod in ipſo deſerto varie eorum neceſſitati ſuccurrerit, pluendo manna de cœlo, aperiendis ſaxis, ut largam effunderent aquam &c. Quod tandem in uberrima paſcua, hoc eſt, in terram Canaan eos perduxerit, ubi munitas civitates & magnifice extructas ædes, conſitos agros, & vineta, pulſis gentibus occupaverunt. Pro his tantis beneficiis, inquit, hanc fero gratiam, quod me non agnoſcunt Deum & Salvatorem eſſe, qui tamen ſolus eos ſalvavi, Sed tribuunt hunc honorem idolis gentium, mei autem ſic obliviſcuntur, ac ſi nunquam aliquid eis benefecerim. Elevatum enim eſt cor eorum in copia omnium rerum, hoc eſt, Verbum, quod per Prophetas eis dedi, neglexerunt, & quæſiverunt ſibi alios cultus, quam quos verbo meo oſtenderam, ac obliti ſunt mei, hoc eſt, prorſus nullam curam Verbi habuerunt, perinde vixerunt, ac ſi nunquam cum eis per Prophetas eſſem locutus. Nam hoc vere eſt obliviſci Dei, cujus tamen nomen idolatris ſemper in ore erat, ſed verbo non attendebant.

Securitas facit negligentes & ſuperbos.

Eſt autem hæc ingens ac horribilis humani cordis malicia, quod facilius tolerat mala quam bona. Vexatio, inquit Eſaias, dat intellectum. Nam in malis diſcimus agnoſcere peccata, emendamur, invocamus Deum, exuimus ſecuritatem. Sicut Manaſſe exemplum oſtendit, & Parabola de filio prodigo, Sed cum abundamus, fere ſemper obliviſcimur Dei, David cum primum à Saule, & poſtea à filio Abſolone periculum eſſet, quam ſancte & humiliter ſe gerebat? Sed in ocio & abundantia poſitus turpiſſime & graviſſime peccat. Sic Ezechias, cum hoſtis ad mœnia eſſet, & jam inſtaret ultimum diſcrimen, quanto ardore orabat ad Deum? quam humiliter à Propheta petebat, ut interponeret ipſe quoq; preces ſuas? Idem in morbo ſuo & certo vitæ periculo facit. Sed cum & hoſtis ſic divinitus ſubmotus eſſet, ut nullum ab eo reſtaret periculum, & confirmata quoq; valetudo eſſet, in ſecuritatem, & pernitioſam ambitionem incidit, cujus poſteritas pœnas dabat.

Esa. 28.

David.

Ezechias.

Prov. 30.

Recte igitur Salomo orat, Duo rogavi te, ne deneges mihi antequã moriar, Vanitatem & verba mendacii longe fac à me, hoc eſt, ſic me guberna, ne incidam in impia dogmata & idolatriam. Mendicitatem quoque & divitias ne dederis mihi. Tribue tantum victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Deus? aut compulſus egeſtate furer, & contumelia afficiam nomen Dei mei. Vidit ſanctus vir, nihil eſſe difficilius, quam in rebus ſecundis non efferri, non inſoleſcere, non abjicere timorem Dei. Ac Gentiles quoq; experientia edocti, ingratum comitem Nemeſin ſeu Adraſtian iis addiderunt, qui neſcierunt in rebus ſecundis ſervare modum. Recte igitur David beneficii loco prædicat, quod ſubinde afflictionibus ſuorum vitam & conditionem temperat Deus, Bonum eſt, inquit, Domine quod humiliaſti me, ut diſcerem juſtificationes tuas. Hoc enim remedio Deus inſolentem naturam reprimit, & his ceu calcaribus & freno indomitum equum retinet, ne feratur, quo cum mala aufert cupido. Vtile autem eſt, hanc noſtram infirmitatem, ſeu, ut verius dicam, extreme corruptam naturam, nobis bene eſſe notam, ut & incumbamus in orationem diligentius, ne inducamur in tentationem, & perpetuo defigentes oculos in verbum, nuſquam à timore Dei deflectamus.

Pſal. 119.

In Oeconomia experimur ſimilia. Nam familia corrumpitur indulgentia, Contra ſeveritate juſta retinetur in officio. Reſpublicæ quoq; cum florent, diffluunt ocio, quod ſemper fœcunda mater omnis generis vitiorum extitit. Itaq; videmus Imperia, tum demum ruere ac labi, cum firmiſſima ſunt. Quid enim aliud faciat Deus,

Deus,poſtquam homines ita turpiter beneficiis ejus abutuntur,quam ut occaſiones flagitiorum præcidat,& variis calamitatibus impios reprimat? Sicut jam addit.

Quare ego quoq; ero eis ſicut Leo, ſicut Pardus,qui inſidiatur in via,Occurram eis quaſi urſus orbatus catulis, & lacerabo obſtinatum cor eorum,devorabóq; eos ibi quaſi Leo, Beſtia agri diripiet eos.

Hæ ſunt tragicæ figuræ,quibus magnitudinem ſecuturæ pœnæ deſcribit.Leonis ferocia & invicta virtus nota eſt, Pardi ad ferociam etiam aſtum addunt, Nam ut hiſtoriæ docent,in frondoſis arboribus conſidunt,ut incautos viatores & nihil ex alto metuentes,opprimant. In urſo quoq; celebratur ſtudium & amor in fœtum ſuum. Sed cur ſingulariter cordis meminit lacerandi? Reſpicit Propheta ad pertinacem contemptum Verbi. Nam cum Prophetæ ex mandato Dei populum conarentur revocare in viám,non admittebant pias admonitiones. Nunc autem fiet,inquit, ut corda veſtra hactenus ad verbum clauſa, aperiantur duris calamitatibus, ut & agnoſcatis vos meritas idolatriæ pœnas dare, & fruſtra circumſpiciatis de auxilio, cum prædæ eritis Aſſyrio,tanquam Leoni famelico. *Leo. Pardus. Vrſus. Lacerandum cor.*

Perdidiſti te, Iſrael, Sed in Me eſt auxilium tuum.

Recte hæc cum ſuperioribus cohærent. Quia enim,ut ſupra quoq; dixi, ratio offenditur, ac judicat populum hunc durius affligi, quam conveniat bonitati Dei, ideo hæc quaſi excuſatio inſtituta eſt. Sic enim dicit Dominus, in me eſt auxilium tuum,hoc eſt, cupio te defendere, te ſervare,te gubernare, ne quid patiaris incommodi.Hoc enim,vere eſt Deum eſſe. Sed tu hoc ſerio conantem facere impedis per peccata tua. Quia enim nullum impiorum cultuum & idolatriæ finem facis, quid aliud faciam,quam ut te perire ſinam? Eſt autem perditio hæc ex te. Hæc hujus loci vera ſententia eſt.

Vſi autem ſumus hoc dicto ad refutandos liberi Arbitrii aſſertores,Quod ſalutis noſtræ cauſa ſolus ſit Deus,non noſtra opera,Nos autem deſtitutos Gratia, nihil ex nobis poſſe, niſi peccare, & ſic nobis ipſis eſſe cauſam interitus. Hæc ſententia etſi cum ea,quam oſtendimus, non prorſus videatur convenire, tamen nulla alia re differt, niſi quod à ſpecie ad genus translata eſt. Sicut enim Iſrael ſibi ipſi cauſa fuit exitii propter peccata ſua, Deus autem, ſi peccare deſiiſſet, & egiſſet pœnitentiam, libenter eum ſervaturus & defenſurus fuerat, Sic omnes homines ſibi accerſunt certum exitium per peccatum,ſi pœnitentiam non agant, nec vel peccato reſiſtere, vel pœnæ peccati occurrere ac mederi poſſunt, deſtituti Spiritu ſancto. Nam hæc regula certa eſt ac vera, Deum eſſe natura bonum, ideo nihil à Deo proficiſci, niſi quod bonum eſt.Mors autem eſt mala,peccatum etiam eſt malum,Item pœnæ, quæ peccatum ſequuntur, ſive ſint corporales ſive ſpirituales, Non igitur à Deo proficiſcuntur mala hæc.

Vnde igitur, inquies, ſunt hæc? Sunt ex ipſo peccato ſecundum ſententiam, Quacunq; die commederitis ex ligno hoc,morte moriemini.Sed peccati porro quæ cauſa ſit, ſi roges, ſacræ literæ oſtendunt, id ex Satana eſſe, cui contra verbum Dei aſſenſerunt noſtri parentes,& Deo inobedientes facti incurrerunt in horribiles pœnas.Nam per peccatum illud non ſolum corpora noſtra ſic infirmata ſunt,ut ex immortalibus mortalia fierent,ſed etiam mens depravata eſt. Amiſit enim homo verá Dei noticiam,& voluntas quoq; tum admodum eſt depravata,ut nihil quàm malum appetat, hoc eſt, ut Paulus dicit,ut oderit legem Dei, & peccato delectetur. Nam de naturalibus appetitionibus, quales ſunt, ſtudium conſervandi ſui & ſuorum, in fame deſiderium cibi,in nimia fatigatione quietis deſiderium &c. hic nihil agimus. Voluit enim Deus hæc etiam in natura integra exiſtere,quenquam nunc aliquid admixtum ſit vitii, propter peccatum, nec ſemper hæ appetitiones ſe intra ſuos limites continent,ſicut uſu diſcimus. Gen. 2. Rom. 8.

Hæc igitur vera mali ſeu peccati cauſa eſt, quod voluntas per peccatum depravata,& mens agnitione Dei,ac ipſo Dei ſpiritu eſt deſtituta. Hinc enim non modo, tanquam ex perenni fonte, omnis generis peccata emanant, ſed etiam reliqua mala oriuntur, quæ in hac miſera vita patimur, & patientur damnati in æternum. Accendit autem Satan voluntatem contra Deum,& tanquam equo ſua natura indomito, ſubjicit calcaria. Hæc tot ac tam multiplicia mala ex peccato, per Satanam enata,iſti non vident,qui liberum arbitrium defendunt. Etſi enim ratio imperare ſibi poteſt, ne conſentiat omnibus cupiditatibus, quod attinet ad ipſum externum opus. Sæpe enim cohibet,ſæpe moderatur vitioſos impetus, Id enim niſi aliquo modo in nobis eſſet poſitum,quæ legum politicarum,quæ diſciplinæ eſſet utilitas,quam tamen tantopere divinitus commendari videmus? Ac docet experientia, eam pene ſolam efficere,ne omnes pariter in cædes,adulteria,& alia vitia prolabamur, Tamen inde effici non poteſt,quod ſit arbitrium liberum,hoc eſt, quod homo ſine Spiritu ſancto ſe gubernare,recte facere, ac Deo commendare poſſit,Id quod caput eſt de quo liberi Arbitrii defenſores pugnant. Nam ipſa concupiſcentia peccatum eſt, nec eſt ocioſa,ſed perpetuo contra legem Dei ſolicitat animos. Vere igitur nihil in homine boni eſt, ſi non per Spiritum ſanctum prius corda fide purificata, & per remiſſionem peccatorum nobiſcum nata iniquitas ſublata fuerit.

Quod liberum arbitrium ſit liberum.

Atq; hæc noſtra ratio eſt, quod liberum Arbitrium dicimus nullum eſſe, ac defendimus in homine nihil eſſe boni, nec poſſe ab homine boni aliquid fieri, niſi Spiritus Sanctus eum regeneret. Sicut Eccleſia egregie profecto canit de Spiritu, Sine tuo numine,nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium. Etſi enim externam diſciplinam,quæ in arbitrio hominis aliquo modo poſita eſt,Deus & exigit & probat,tamen hac non liberamur à peccatis, non liberamur à morte, non commendamur Deo,ut remittat peccata,& æternam vitam donet. Contingunt hæc tantum fide,ex merito Filii Dei,qui pro peccatis noſtris ſua morte ſatisfecit,& promiſſionem Spiritus à Patre accepit,per quem corda moventur, ut & credant remiſſionem peccatorum, & reſiſtant peccato ac nocenti concupiſcentiæ, quæ non prius tota moritur, quam caro hæc moriatur. Non igitur hoc Prophetæ dicto inepte uſi ſunt noſtri,contra liberi Arbitrii Patronos.

In homine nihil boni eſſe.

Vbi eſt rex tuus nunc, ut ſalvet te in omnibus civitatibus tuis? Vbi ſunt Iudices tui,de quibus dixiſti, Da mihi Regem, & Principes. Dedi tibi Regem in ira mea,& auferam eum in furore mea.

Magiſtratus eximium Dei donum eſt, conceſſum hominibus ad defenſionem contra varias improborum injurias. Ac addit Deus ſucceſſum Magiſtratui,ſedulo in hoc incumbenti, ut reprimatur malorum cupiditas, ſicut oſtendunt exempla. Sed Prophetam, imo Dominum ipſum, audi hic,quid minetur. Non ſolum peccata ex Deo clementi iratum Deum faciunt,ſed etiam Magiſtratui potentiam & arma excutiunt, ne facere poſſit, quod divinitus jubetur facere. Q. d. Dedi tibi Regem, dedi Principes, qui te defenderent ab omni injuria, tum hoſtium externorum,tum civium, ſed ſicut ego te ſalvare non poſſum,cum tu urgeas per peccata meritum tuum, ſic ne Magiſtratus quidem tuus ſalvare te poterit,ſed una tecum peribit.

Magiſtratus eximium Dei donum.

Quod ſequitur,Dedi tibi Regem in furore meo, plerunq; exponitur de Saule, quem Dominus populo improbo ad Gentium exemplum flagitanti, Regem dedit, cum prius non Reges per ſucceſſionem, ſed Iudices imperarent, quos Dominus pro ſua voluntate ex incertis familiis deligebat. Sed non inepte hæc ad Ierobeam videntur referri. Non enim hæc concio ad totum populum, cui Saul Rex contigit,ſed ad domum Iſraël pertinet. Et retinuit regnum Iuda Reges ſuos uſq; ad captivitatem Babylonicam. Ierobeam igitur Rex eſt, quem dedit Dominus in ira ſua. Nam per diſceſſionem ſeu ſeditionem illam punivit Dominus idolatriam à Salomone invectam in populum,ſicut hiſtoria oſtendit. Minatur igitur, quod ſicut iſta regni Iudæ diviſio propter idolatriam facta eſt, ita quoq; regnum Iſrael penitus propter idola-

triam

triam ab Aſſyrio vaſtandum, ut poſthac nullum Regem habeat. Ita initium hujus regni conſentit cum fine.

Colligata eſt iniquitas Ephraim, & repoſitum peccatum ejus. Dolores parturientis venient ei. Ipſe eſt filius non ſapiens, Veniet igitur tempus, & non conſiſtet, Obruetur enim doloribus partus.

Non nunc primum cœpiſti peccare, idolatria cœpit, cum regnum habere inciperes, Sed non ſtatim punivi te, colligavi quaſi in faſcem peccata tua, ac dedi ſpacium pœnitentiæ. Diſſimulavi iram, ac ſi peccata tua eſſent abſcondita, & ego ea non viderem, Sed nunc proferentur in apricum, & adducentur jam olim meritæ pœnæ. Tum dolor parturientis te apprehendet, hoc eſt, graviter angeris. Quia fuiſti filius non ſapiens, hoc eſt, quia noluiſti acquieſcere Verbo meo, quod ſolum ſapientes facit. Siquidem inſtillat animis timorem Dei, & eximit ſecuritatem, Hæc enim vera ſapientia eſt. Veniet igitur tempus, cum graviſſime angeris, nec ullo modo poteris effugere dolorem, tanquam parturiens mulier, quæ cum fœtus jam exiturus eſt, graviſſime angitur, nec ulla ratione effugere dolorem poteſt, quantumvis magno labore & ſudore enitatur. Hæc propria ſententia eſt. *Vera ſapientia.*

Verba in Ebræo paulo obſcuriora ſunt. Sic enim ſonant (Ki eth loiaamod bemiſchbar banim) quoniam tempus non ſtabit in utero filii. Vocabulum (Maſchbar) ſignificat matricem, ſeu ut proprie dicam, os matricis. Eſt autem factum à verbo (Schabar) quod frangere & conterere ſignificat. Nam cum ad matricis os fœtus pervenit, iſta quaſi colliſione aperiuntur oſſa vicina, quæ ſacra vocantur, & eſt dolor intenſiſſimus, ac niſi parturiens fortiter enitatur, periclitatur una cum fœtu. Itaq; hæc figura aliud nihil ſignificat, quam præſentiſſimum periculum. Sic Rex Hiskia ad Eſaiam dicit, Venerunt filii uſq; ad (Miſchbar) & deſunt vires ut enitar, hoc eſt, ſum in extremis anguſtiis, undiq; premor & angor, nec patet liberationis via. Eadem prorſus figura, imo iiſdem quoq; verbis Propheta hic utitur, Nos etſi pluribus verbis ſumus uſi, tamen exprimere brevitatem Ebræi ſermonis non ſatis potuimus. *Eſa. 37.*

De manu inferni redimam eos, à morte vindicabo eos. Ero peſtis tua Mors, Ero exitium tuum Inferne.

Propheta poſtquam idolatris vaſtationem minatus eſt, Nunc vertitur ad conſolationem piorum, qui non ſolum ſpectaturi tam horribiles pœnas erant, ſed etiam, ut fit, eas paſſuri. Nam cum publicæ pœnæ graſſantur, etiam pii partem earum ſentiunt. Mirabilis autem hæc conſolatio eſt, quam eis proponit. Non enim dicit futurum, ut eos Dominus, cum ingruet Aſſyrius Monarcha, à manu ejus liberet. Occidemini, inquit, vos quoq; aut captivi abducemini in Gentes, nec erit melior veſtra conditio, quam idolatrarum, propter quos tanta ira & calamitas graſſatur. Hanc pœnam ſuſtinebitis æquo animo ac ſperabitis longe meliorem liberationem, quam ſi nunc ex manu inimicorum liberaremini. Liberabo enim vos de manu inferni, hoc eſt, jam vita functos & ſepultos, excitabo in meliorem & æternam vitam. Sic penſabo paſſiones veſtras, & tribulationes, quæ parient æternum pondus gloriæ &c. Vocabulum (Scheol) quod fere infernum vertunt, ſignificat ſepulcrum ſeu locum, in quem cadavera hominum reponuntur. Itaq; vult dicere Propheta, Cum jam corpora veſtra terræ mandata fuerint, & jacebitis omnis ſenſus expertes, tum demum continget vobis liberatio, quam vos ſperare jubeo & vobis promitto. *Conſolatio piorum.* *Promiſſio de abolenda morte.*

Quomodo autem hoc? Reſpondet Dominus, Mors, ego ero Peſtis tua, Inferne ego ero Exitium tuum. Hic primum Antitheſin conſidera. Mors nobis eſt peſtis & exitium. Quis enim unquam hominum mortem potuit evadere? At nunc conſolatur Dominus, futurum, ut Mors, quæ omnibus hominibus incurabilis peſtis eſt, etiam ſuam peſtem ſentiat & extinguatur, ac promittit ſe fore Morti peſtem & inferno exitium. Notabis igitur primo, quod Dominus hic loquatur, qui paulo ante dixit, Ego Dominus Deus tuus, Deum præter me non agnoſces, Non eſt Salvator præter

me. Nam vincere aut delere Mortem, non hominis, ſed ſolius Dei virtus & potentia eſt. Quomodo autem Deus morti peſtis ſit facta, exponit novum Teſtamentum, quod Dei Filius ab æterno Patre genitus, æternus & omnipotens, per Spiritum ſanctum conceptus, in utero Mariæ virginis in hunc mundum ſit Homo natus. Ibi poſtquam homines de Dei voluntate bona docuit, & evidentibus miraculis & ſignis ſe Dei Filium eſſe probavit, tandem Patri obediens eſt factus uſq; ad mortem, & mortem crucis, quam ſubiit ad exolvenda peccata noſtra & placandam iram Dei. Ac mortuus in cruce, ſepultus eſt, Tertia autem die reſurrexit, Nam à morte & ſepulchro non potuit teneri is, qui vita erat. Phil. 2.

Ibi demum impletum eſt, quod hoc in loco Dominus promittit, Mors enim devoravit Chriſtum, ſicut alios homines, ſed mirabili modo fit, dum mors Chriſtum devorat, devoratur, dum occidit, occiditur, dum vincit, vincitur. Non enim ſimpliciter cum homine congreditur, ſed cum homine, qui eſt æternus Dei Filius, & Dominus totius creaturæ. Itaq; patuit tandem, eum habere poteſtatem ponendæ & ſumendæ animæ ſeu vitæ ſuæ, & non tantum hominem eſſe, etſi vere carnem humanam induit, ſed etiam immortalem Deum. Hoc miraculum Eccleſia pulcherrimo cantico celebrat, Mors & vita duello conflixere mirando, Dux vitæ mortuus, regnat vivus. Quod ad Grammaticam attinet, noverit Lector hic poni eadem vocabula, quæ ſunt in Pſalmo 91. Non timebis à peſte perambulante in tenebris, & ab exitio, quod graſſatur in meridie. Vtrunq; eo in loco ſignificat, ſicut hic, exitiale malum, ſeu peſtem præſentiſſimam, quæ inficit & occidit corpora. Translatio latina habet, Aſperum verbum, & dæmonium meridianum, ſed collatus locus ad hunc, facilis eſt intellectu. In Ebræo ſunt (Deber & Keteb.) Pſal. 91.

Divus Paulus 1. Corinth. 15. Etſi verba mutavit, tamen ſententiam pulcherrime expreſſit. Devorata inquit, eſt mors in victoriam, hoc eſt, Chriſtus vicit mortem, ac vult ea victoria nos quoq; frui, Adjuti enim ab ipſo, non vincemur à morte, ſed vincemus. Addit igitur, Vbi eſt aculeus tuus ô Mors, & Inferne, ubi eſt tua victoria? Q. d. Vterq; hoſtis noſter longe lateq; imperavit, & omnes homines oppreſſit. Sed poſtquam per Chriſtum mors deglutita eſt ſeu abſorpta, non poteſt amplius nocere. Etſi enim eſt noſter hoſtis, tamen eſt ſpoliatus, victus, & armis ac viribus omnibus exutus. Itaq; fruſtra eum metuimus, qui in Chriſtum credimus, victorem mortis. 1. Cor. 15.

Atq; hæc eſt hujus loci vera & utilis praxis, ut quoties de morte cogitamus, oculos noſtros conjiciamus in Chriſtum, & hanc ejus victoriam intueamur. Si enim mortem ſpectes qualis erga nos ſit, merito deſperabis. Nihil enim invenies in te virium, quibus tam potenti hoſti reſiſtas. Cum nemine unquam congreſſus eſt, quem non vicerit, excepto uno Chriſto. Itaq; ſi tu quoq; non vis vinci, cum Chriſto te conjunge, hoc eſt, nitere ejus victoria, ſpera te per ipſum ſervatum iri, & quanquam mors occidet corpus, tamen ſtatue & crede Chriſtum redditurum tibi vitam meliorem & æternam. Eſt enim Dominus mortis, devicit eam, occidit eam, & ut Propheta hic loquitur, morti factus eſt peſtis & exitium, ut nos, qui ſub morte ſumus, per eum viveremus. Sicut per eum mors mori coacta eſt. Mortuum autem hoſtem quis tam eſt vecors qui timeat? Hæc conſolatio firmiter tenenda eſt in morte & omnibus aliis hujus vitæ periculis & difficultatibus, tum fiet, ut luculenta hac ſpe ſuffulti, non ſuccumbamus.

Pontificis Doctores varia præſidia oſtendunt contra mortem, ſed vere ficulnea. Non enim noſtra opera, non aliorum merita, non interceſſiones Sanctorum à morte liberabunt. Hæc una via eſt, qua ſervamur, ut ſtatuas Chriſtum ſua morte noſtram mortem, viciſſe, & nos excitaturum eſſe in meliorem & æternam vitam. Paulus, pro excellenti ſua cognitione, pulcherrimas & pleniſſimas conſolationum conſequentias ex hoc Prophetæ loco nectit, Si inquit, mors amiſit aculeum, ſeu potentiam, ſuam, Sequitur etiam peccatum per Chriſtum expiatum, & nos ab eo liberatos eſſe. Vbi enim peccatum eſt, ibi mortem exiſtere neceſſe eſt. Sicut econtra, ubi peccatum

non

non eſt,ibi vita & juſticia adſit neceſſe eſt. Sed ſi peccatum per hanc victoriam ſublatum eſt,peccati quoq; virtus,hoc eſt, Lex ſimul ſublata eſt, ne damnare vel accuſare nos poſſit. Hæc,inquit,eſt præclara illa victoria,quam habemus per Chriſtum, & merito pro eo gratias agimus Deo noſtro,qui eam nobis dedit,ut nos ea fruemur.

Sed conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, Et tamen inter fratres ipſe fructum feret.

Simpliciſſime hoc ego intelligo, quod conſolatio hæc non cernatur oculis,ſed fide accipiatur. Oculi enim eam non vident,ſed aures in Verbo audiunt, & cor per fidem ſtatuit verum eſſe quod audit,& acquieſcit hoc modo in verbo. Si quis tamen ad Synagogam incredulam hæc referre malit, quod abjiciat Evangelium, nec velit credere,cum eo non pugnabo. Quod addit de fratribus, proprie pertinet ad Eccleſiam pingendam. Qui enim in Chriſtum credunt, hoc eſt, qui ſperant per Chriſtum liberationem à morte & Inferno, hi ſunt filii Dei, Iohan. 1. Vocantur igitur fratres, ut qui per Chriſtum eundem Patrem habent. Inter hos, inquit, ipſe fructum feret, hoc eſt, Chriſtus hac conſolatione, quæ abſcondita eſt ab oculis, excitabit corda, ut in ſumma ſecuritate expectent æternam vitam, & æquo animo ferant ac tolerent quicquid malorum hæc præſens vita objicit. Qui autem fratres non ſunt, hoc eſt, qui per Chriſtum non credunt ſe factos filios Dei,hi in morte & Inferno manebunt, ſicut Iudæi,Turcæ,Gentes,Hypocritæ,falſi fratres,&c. qui Chriſtum non agnoſcunt Dei Filium,& Salvatorem mundi.

Conſolatio hæc fide apprehenditur.

Sola Eccleſia fruitur meritis Chriſti.

Ioh. 1.

Veniet autem ventus urens, Dominus à deſerto aſcendet, & areſaciet venam ejus,& fontem ejus exiccabit, Ipſe diripiet theſaurum omnium vaſorum deſiderabilium.

Hanc quoq; particulam varie interpretantur. Alii enim ad Aſſyrium,alii ad Nebucadnezar hæc referunt,forte ideo quod hic dicitur de vaſis deſiderabilibus. Hieronymus neſcio quam Allegoriam fingit. Exponit enim theſaurum & vaſa deſiderabilia,Sanctos Patres,per Chriſtum reſurgentem liberatos ex inferno. Hæc etſi non diſputantur irreligioſe, tamen aliena prorſus ab hoc loco ſunt. Itaq; quid proprium maxime ſit in interpretatione Prophetarum, potiſſimum ſpectandum eſt. Primum igitur conſideret Lector,quod ventus urens,quem vocat(Kadim ruah)ſemper ſignificat in malam partem. Sicut enim Zephyri fœcundi ſunt,ita orientales, quia frigidi & ſicci ſunt,agros lædunt. Deinde non gratiæ, ſed iræ verba hæc ſunt, Areſaciet venam, exiccabit fontem &c. Duriora autem longe hæc ſunt, quam ut ad captivitatem vel Babylonicam vel Aſſyriacam referamus. Nam illis pœnis fons ſeu vena non exiccata eſt, afflictus quidem graviter fuit populus, ſed non totus perditus, & quanquam Iſraelis regnum periret,tamen fons manſit,hoc eſt,major & potior pars populi,ex quo tandem Chriſtus natus eſt.

Varia opiniones de hoc loco.

Pertinet igitur Prophetia hæc ad Synagogam,quæ Chriſtum victorem mortis & inferni noluit agnoſcere,imo tanquam Satanæ filium affixit cruci & occidit. Sicut enim ſupra dixit, eum facere fructum inter fratres, hoc eſt, ſervare & ſalvare eos, qui credunt ſe propter ipſum eſſe in gratia & filios Dei, Ita hic de incredula parte dicit,futurum, quoniam Salvatorem hunc nolint accipere, ut pereant penitus, & amittant quidquid hactenus habuerunt inter omnes totius orbis gentes eximium. Itaq; theſaurus & vaſa deſiderabilia non ſunt argentea vel aurea vaſa,ſed auguſtum nomen, quod dicebantur populus Dei, quod ſolis erant credita oracula Dei, quod eſſent ex ſancta propagine Patrum nati,quod haberent Eccleſiam & cultum divinitus inſtitutum. His tantis donis ſic ſunt ſpoliati, ut in caligine denſiſſima errent, & ſicut Pſalmus minatur, Menſa eorum, hoc eſt, Moſis & Prophetarum oracula, quæ viam vitæ pandunt, & afflictas mentes ſola conſolari poſſunt, eis ſit in laqueum. Alunt enim odium Dei, cæcitatem & damnationem ſuam impii Iudæi, cum ſacra legunt,ac involvuntur altius in tenebras. Hoc vere eſt exiccare venam & areſacere fontem.

Synagoga hoſtium.

Vera hoc ſententia.

** 99.*

Ac

Ac facit hoc Dominus ex deſerto aſcendens, tanquam ventus affligens lætas ſegetes. Pœna enim hæc per Romanos divinitus excitatos, cœpit, ſicut Chriſtus dicit, Luc. 19. Fient autem hæc tibi, quia tempus viſitationis tuæ non cognoviſti. Hæc hujus loci vera & propria ſententia eſt, ac aptiſſime cohæret cum præcedentibus. Nunc ſequitur alia nova concio. Itaq; novum caput ibi ordiemur. Luc. 19.

CAPUT XIV.

Devaſtabitur Samaria, quoniam rebellavit Deo ſuo. Per gladium cadent, Parvuli eorum allidentur & prægnantes ejus diſcindentur.

Omnium Prophetæ concionum brevis comprehenſio.

RECte ab hoc loco auſpicamur ultimum caput. Nam Propheta hic omnium ſuarum concionum ſummam complecti voluit. Primum enim minatur regno Iſraël vaſtitatem propter idolatriam, diſerte enim de Samaria loquitur. Deinde hortatur, ut in iſta calamitate populus ſe convertat ad Deum, ac pulcherrime docet, quæ ſit vera pœnitentia, nempe emendatio vitæ & fiducia miſericordiæ, qua remiſſio peccatorum accipitur, Huic exhortationi ſubjicit ſuaviſſimas & opulentiſſimas promiſſiones. Deinde ad exhortationem redit, atq; hoc modo claudit Conciones ſuas.

Comminatio brevis eſt, ſed graviſſima. Vaſtabitur, inquit, Samaria, hoc eſt, totum regnum Iſraël ab Aſſyrio evertetur. Ac addit cauſam tam horribilis pœnæ, Quia rebellavit Deo ſuo. Hoc crimen ſine dubio tam non agnovit Iſraël, quam hodie Papiſtæ noſtri non agnoſcunt ſe idolatras & blaſphemos eſſe. Nam cultus & ſumptuoſi & difficiles in regno Iſraël fuerunt, quibus etiam cum ſuperbia profeſſi ſunt ſe colere illum Deum, à quo ex Ægypto liberati ſint. Sicut igitur Papiſtæ cum accuſantur impietatis, allegant votorum onera, jejunia, vigilias, ſumptus magnificos in templa, frequentiam miſſarum, diſciplinam & ſimilia. Ita ſine dubio regnum Iſrael contra hoc crimen ſe defendit, & voluit non rebellis, ſed Deo obedientiſſimus videri, Allegavit tot loca ornata templis, & à patribus quondam culta, Sed Propheta vocat Rebelles Deo, quia verbo Dei non obtemperarant. Non deerant cultus in regno Iſrael. Sed hoc nomine vitioſi & Deo abominabiles erant, quod erant inſtituti contra verbum. Iacob in BethEl, Iſaac & Abraham etiam aliis in locis ſacrificarant, Sed poſteritas eorum divina voce jubebatur tantum in templo Hieroſolymis ſacra facere. Hoc mandatum cum prorſus negligeret regnum Iſraël, & pro libitu paſſim excitaret templa, an non vere rebellabat Deo?

Cur reprehendantur cultus in Iſrael.

Nos quoq; cum hodie accuſamus Papiſtas, non negamus eos habere ordines, vota, jejunia, Miſſas, preces &c. Sed hoc damnamus, quod hæc aut merè ſint traditiones humanæ ſine verbo inſtitutæ, aut ex diametro pugnent cum verbo Dei. Cultus enim Dei non ſunt, quæ nos inſtituimus, ſed quæ Deus per verbum ſuum mandat. Hoc verbum qui aut negligunt, aut contra faciunt, hi ſunt rebelles, & non tantum non præſtant Deo cultum, ſed etiam irritant Deum, & ad ſeveras pœnas provocant. Sunt autem veri cultus quatuor ſpecies, dignitate & ordine inter ſe differentes. Primus & ſummus cultus eſt fides in Chriſtum, ſecundum vocem iſtam de cœlo ſonantem, Hunc audite. Hæc fiducia includit timorem Dei, ſtudium verbi, invocationem, & reliqua, quæ prima tabula oſtendit, & Paulus vocat λογικὴν cultus, quia ſunt ſine hypocriſi, & manant ex corde per Spiritum ſanctum illuminato.

Cultuum quatuor gradus.

Secundum locum obtinet obedientia erga ſecundam tabulam, ſeu dilectionis opera. Tertio loco ſunt ceremoniæ, quas Deus in Eccleſia voluit extare, ut eſſent non ſolum exercitia, ſed etiam teſtimonia divinæ voluntatis. Sic non ſatis fuit Iudæo ſervare decalogum, etiam circumcidi oportuit. Et nos hodie, ſi volumus Eccleſiæ membra eſſe, ſacrum Baptiſma, & cœnam domini nullo modo debemus aut negligere aut abjicere. Ac quod ad hos tres ordines attinet, omnes inter ſe Chriſtiani ſunt ſimiles. Obligantur enim omnes pariter ad hos cultus præſtandos.

Quartum

Quarum locum vendicant opera vocationis, hæc quoq; ſunt Deo grati cultus, quanquam diverſa ſint. Magiſtratus colit Deum, cum potentiam ſuam confert ad juris & æqui conſervationẽ, Paterfamilias, cum ſtrenuè laborat, Materfamilias cum curat liberos & familiam &c. Qui igitur non volunt Deo rebelles eſſe, ſed præſtare obedientiam debitam & gratam, hi in curriculo ſe contineant, & caveant ne hypo-
Matth.15. critarum more alios cultus ſibi quærant. Fruſtra enim colitur Deus mandatis hominum.

Atrocia ſunt, quæ de parvulis & prægnantibus minatur Propheta, ac cauſæ quæri ſolent, innocens ætas cur tantis pœnis ſubjiciatur? Sed facilis reſponſio eſt, Infantes iſti, ſi ſunt in Eccleſia, hoc eſt, ſi in veteri populo circumciſi, apud nos autem baptiſati ſunt, nihil patiuntur mali. Affligitur quidem caro, ſed ſalvatur Spiritus. Habet autem hæc ipſa afflictio carnis ſuum fructum. Pertinent enim hæc iræ triſtia ſpectacula ad docendos alios, de timore Dei, ne ſecure peccent, ſed in tempore emendent vitam, ac expoſcant veniam peccatorum, quorum pœnas etiam innocentem ætatem vident ſuſtinere. Vera hæc quoq; ratio eſt, quia infantes ſunt pars Eccleſiæ, oportet eos cum Eccleſia affligi, ut reddantur conformes Filio Dei.

Cur infantes trucidari ſinat Deus.

Convertere Iſrael ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti propter iniquitatem tuam.

Hic incipit exhortatio ad pœnitentiam, ac continet utiliſſimam doctrinam, quid faciendum ſit, cum ſentimus pœnas & iram Domini. Quid ratio ſeu caro ſoleat, notum eſt. Fugit enim à Deo, & tanquam hoſtem averſatur, nec, cum plagas ab eo ſentiat infligi, poteſt ſperare auxilium, Sæpe quoq; convertitur ad illicita remedia, ſicut in Saule apparet, cum videt ſe abjectum à Deo. Sed propheta populum ſuum aliter docet, Verum eſt, inquit, propter peccata tua corruiſti, Sed non ideo deſperabis. Qui enim percuſſit, idem etiam medicas afferet manus. Igitur noli converti ad præſidia humana, ſed convertere ad Dominum Deum tuum. Etſi enim percuſſit te, peccatis tuis irritatus & quaſi coactus, tamen non ideo Deus eſſe deſiit. Igitur ad eum convertere, non ſicut antea feciſti, obverte ei docenti, monenti, conſulenti per verbum ſuum, dorſum, Converte ad eum faciem tuam, pende ab ore ejus, audi quæ mandat, & obſequere. Ita deſinet iraſci, & non ſolum mitigabit pœnas, ſed etiam condonabit peccata, & cumulabit te æternis bonis. Ita in genere Propheta primum oſtendit, quid ſit pœnitentia, nempe converti ad Dominum, ſeu attendere Verbo. Sed nunc per ſpecies explicabit.

Exhortatio ad pœnitentiam.

Saul.

Accipite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ad eum, Omnem remitte iniquitatem, & dona bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

Simpliciſſime intelligo, Accipite vobiſcum verba, pro eo, ac ſi dicat, Parete huic monitioni meæ. Quidam putant alluſiſſe eum ad Moſi Phraſin, qui legem ferè (hadebarim) vocat, ut ſit ſententia, Cuſtodite Legem, attendite verbo, & diſcite in hunc modum orare, ſeu cum Deo loqui, & cavete, ne quid contra verbum ſuſcipiatis. Nam hæc pœnitentiæ pars eſt obedire Verbo, & quæ contra feceris, emendare. Sed prior ſententia mihi magis placet, ac belle convenit repetitio, Accipite verba, hoc eſt, Audite me, & convertimini ad Dominum. Addit autem, quomodo converti debeant, Dicite, inquit, ad eum, Remitte omnem iniquitatem, & dona bonum. Quæ in Pontificis Eccleſia de pœnitentia doctrina ſit, notum eſt. Concionantur de contritione & attritione, quam ſibi quiſq; fingere poteſt. Non enim judicant hunc Spiritus ſancti motum eſſe, quem per verbum Legis in credentibus excitat. Hanc ſequi volunt auricularem confeſſionem eorum delictorum, quorum veniam petas. Tandem Satisfactio imponitur, quæ certorum operum onera continet. Hæc ipſis pœnitentiam abſolvunt. Nam ſtatuunt, ſi poſthac Abſolutio, quæ non Chriſti ſolius, ſed Sanctorum quoq; meritis nititur, accedat, ſe remiſſionem peccatorum habere.

Doctrina pontificum de pœnitentia.

Nihil autem neceſſe eſt confutare hæc accuratius, tantum cum hac doctrina præſen-

præſentem Prophetæ locum comparemus, & patebit longe lateq; à Propheticis ſcripturis Papæ doctrinam de hoc articulo diſſidere. Nam primum conſidera, qui ſint, quibus concionatur Hoſea, nempe, fœdi idolatræ, qui poſtea (ſicut neceſſe eſt, ubi ſemel à vera via deflexeris) variis peccatis & criminibus ſe polluerunt. Ac locupletiſſimum teſtimonium peccatorum ſunt horribiles pœnæ, populo Iſrael inflictæ. Hos habet diſcipulos Propheta. At nunc in eo eſt, ut oppreſſos ira Dei, & pœnis peccatorum horribilibus erigat, ac viam placandi Dei & conſequendæ remiſſionis peccatorum oſtendat.

Doctrina de vera pœnitentia.

Quis autem tam eſt ſtolidus & vecors, qui non putet in ſimili argumento Prophetam Doctorem ſibi ſequendum eſſe potius, quam Pontifices & Scholas? Non autem jubet Propheta accedere ſacerdotem, ibi clam in aurem inſuſurrare delicta. Converti ad Dominum, & os aperire jubet, ac veniam peccatorum expoſcere. Hæc oratio primum habet confeſſionem peccati, non quæ ore fit ad hominem, ſed quæ ad Dominum ſine hypocriſi, & ex vero corde fit. Hæc confeſſio erat proponenda Eccleſiæ & commendanda, tanquam neceſſaria ad peccatorum remiſſionem, quanquam remiſſionem peccatorum non meretur, Sicut Papiſtæ de hypocritica ſua confeſſione falſo prædicant. Sic David de ſe profitetur, Peccatum meum tibi notum faciam, & iniquitatem meam non tegam. Dixi, confitebor tranſgreſſiones meas, Ibi tum remiſiſti iniquitatem peccati mei. Sic Daniel, Ieremias & alii Prophetæ etiam orationibus ſuis confeſſionem peccati addunt. Porro confeſſio hæc non ſolum certorum delictorum ſeu criminum eſt, ſed complectitur totum naturæ vitium, Quod etſi non polluti ſimus externis flagitiis, ſicut quidam, tamen nihil boni in nobis ſit, Sicut David confitetur, Pſal. 51. Tibi ſoli peccavi, vel, ut ſententiam clarius reddam, coram te nihil ſum, quam peccator, & malum coram te facio. Hæc confeſſio vera eſt humiliatio, & magnifice nobis commendat gratiam & miſericordiam Dei, quod ſic vitiatos, corruptos, & perditos peccato non abjicit, ſed miſeretur eorum & ignoſcit eis.

Vera Confeſſio.

Pſal. 32.

Pſal. 51.

Pœnitentia vera.

Meminerimus igitur, Pœnitentiam veram incipere ab agnitione & vera confeſſione peccati. Neq; autem hæc poteſt exiſtere ſine ingenti dolore. Quia enim mens intuetur voluntatem Dei, & æternas peccati pœnas, hoc eſt, Mortem ob oculos habet, ſerio commovetur, & non tantum dolet de admiſſis peccatis, ſed etiam peccatum vere incipit odiſſe. Hunc motum ſive contritionem ſive attritionem dicas, non ſtatuemus cum Sophiſtis eſſe motum hominis, ſed Spiritus ſancti opus eſt. Natura enim deſtituta Spiritu ſancto, non odit peccatum, ſed amat, non dolet de peccato, ſed gaudet peccatis, & occaſionibus peccatorum non poteſt ſatiari. Spiritus ſanctus igitur cum per pœnitentiam refingit hominem, diverſos motus inſerit animis, ut videant peccati fœditatem, ut cogitent de pœnis, & ira Dei, has cogitationes ſequitur odium peccati, & ardens deſiderium ignoſcentiæ. Etſi autem nonnunquam ipſe ſenſus pœnarum animos commovet, ut doleant de admiſſis peccatis, Tamen verum, ut ita dicam, inſtrumentum Spiritus ſancti eſt verbum Dei, quo Deus oſtendit & iraſci ſe peccato, & tum temporalibus, tum æternis pœnis peccatores ſubjecturum. Hanc quaſi flammam divini judicii cum Spiritus ſanctus per Verbum in corda immittit, tum ſequuntur non hypocritici, ſed veri & ſerii motus, dolor de peccato, confeſſio peccati, & propoſitum cavendi & fugiendi porro peccati.

Contritio ſeu attritio peccati.

Fides abſolvit pœnitentiam.

Sed hic quoq; Sophiſtarum deliria & impias opiniones fuge. Statuunt enim hunc dolorem mereri remiſſionem peccatorum, Nos dicimus neceſſarium eſſe, ſi petas remiſſionem peccatorum, ſed meritum omne excludimus. Illud enim, ut poſt patebit, non noſtrum ſed Chriſti eſt. Inchoata igitur pœnitentia eſt, cum agnoſcimus peccata, & de iis ſerio dolemus, Tum autem abſolvitur, cum in his doloribus accedit fiducia miſericordiæ, & animi, ut Propheta hic docet, convertuntur ad Deum, & expoſcunt veniam peccatorum. De hac fide Pontificis Scholæ prorſus nihil docent, quæ caput pœnitentiæ eſt, & remiſſionem peccatorum ſola accipit. Hæc ſeu fides, ſeu fiducia etiam opus eſt Spiritus ſancti, non noſtrum. Nam natura refugit à Deo, cum

videt ab eo immitti pœnas, nec poteſt ſperare inde ſalutem, unde iram videt proficiſci. Hunc naturæ noſtræ affectum Spiritus ſanctus per verbum Evangelii non corrigit ſolum, ſed prorſus tollit, & inſtillat animis fiduciam miſericordiæ. Oſtendit enim Deum, etſi peccatum odit, tamen non eo eſſe animo, ut peccatores ideo velit damnatos. Nam mundo donavit Filium ſuum, & juſſit per eum credere remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. *Vera juſtifica.tio.*

Hanc cœleſtis Patris voluntatem cum animi Spiritu ſancto per verbum affla-ti intuentur, in ipſis doloribus concipiunt ſpem, & tanquam in umbra mortis vident lucem vitæ. Etſi enim peccata terrent, tamen ideo non deſperant, quia vident pretium peccatorum incomparabile, ſanguinem filii Dei, mortem quoq;, etſi meritos ſe peccatis ſtatuunt, tamen acquieſcunt in miſericordia Dei, qui non vult mortem peccatoris, ſed vult ut convertatur & vivat. Atq; ideo non pepercit unigenito filio ſuo, ſed dedit eum uſq; ad mortem crucis, ut ipſius plagis non ſanaremur. Ad hunc modum abſolvitur pœnitentia, cujus poſtea certi proveniunt fructus ut infra monebimus.

Ezech. 18. Rom. 8.

Hanc fiduciam hæc oratio Prophetæ clarè oſtendit. Qui enim os ſuum ad Deum aperit, & dicit, Leva, ſeu tolle, ſeu remitte omnem iniquitatem, hunc dubitare ne putes de Dei voluntate bona? Hanc igitur vocamus fidem, ſeu fiduciam miſericordiæ, quæ ſacrificio filii Dei nititur, & ſola remiſſionem peccatorum accipit, ſeu, ut Petrus dicit, purificat corda. Impura enim corda ſunt, quæ à peccatis nondum ſunt defæcata. Sequitur autem, ſi iniquitas remittitur, juſticiam eſſe gratuitam, & non contingere per aut propter opera noſtra, ſicut Papiſtæ etiam impie mentiuntur. Ac utitur Propheta mirè ſignificanti verbo (Koltiſa aon) Significat enim levari peccato, ſicut bajulantes levantur onere. Nec dubium eſt hac ipſa voce uſum Baptiſtam, cum Chriſtum vocavit agnum tollentem peccata mundi. Latinus interpres ferè expoſuit remittere, ſicut Pſal. 32. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, hoc eſt, quorum iniquitates levatæ ſeu ſublatæ ſunt. Hoc quomodo fiat, Baptiſta oſtendit, qui docet Chriſtum eſſe victimam portantem & in ſe recipientem peccata noſtra. Hoc cum corda vere ſtatuunt, & Deum ideo placatum credunt, ea vera fides eſt, Spiritus ſancti opus ſeu donum, quod per Evangelii prædicationem contingit. *Iuſtificamur gratis per fidem in Chriſtum.*

Matth. 15.

Iob. 1.

Pſal. 32.

Iob. 1.

Hic forte in mentem Lectori ſacrarum rerum imperito veniet, Quomodo poſſit mens à Deo ſperare remiſſionem peccatorum, cum Deus peccata graviter punire ſoleat, ſicut exemplum regni Iſraël oſtendit? Sed meminerit veram peccati pœnam non eſſe calamitates has corporales, ſed mortem æternam. Etſi igitur pœna corporalis in nos incumbit, tamen ſpes de remiſſione æternæ pœnæ retinenda firmiter eſt, & pro ea orandum. Oſtendit autem Deus miſſo Filio ſuo, quanquam calamitatibus certis peccatores ſit viſitaturus, tamen libenter æternas pœnas remiſſurum iis, qui Filium apprehendunt fide, & ejus merito nituntur. Itaq; pii hac ſpe, quod vera & æterna pœna peccati remiſſa ſit per Filium Dei, ſe conſolantur, & vincunt difficultates omnes hujus vitæ, quarum peccatum cauſa eſt. *Peccati vera pœna.*

Hæc de prima hujus precatiunculæ parte neceſſaria viſa ſunt, quæ admoneremus, Nunc reliqua quoq; videbimus. Non ſatis eſt Prophetæ docuiſſe, ut pro remiſſione peccatorum ac veræ & æternæ pœnæ oret populus, addit aliam particulam, & jubet, ut orent etiam donari bonum. Hic primum Lector obſervet vocabulum (Tob) non accipi eodem modo, Alicubi ſignificat benedictionem corporalem, ut Pſal. 25. Anima ejus in bono commorabitur, Eccl. 8. Bonum non erit impio, Gen. 45. Dabo vobis omne bonum terræ Ægypti, Deut. 6. Domus plenas omni bono. Nonnunquam uſurpatur pro eo, quod nos communiter bonum ſeu rectum etiam coram Deo dicimus, ut Deut. 6. Et facies rectum & bonum in oculis Domini. Ita ſæpe in ſacris literis vocatur bonus pro juſto, ut Eccleſiaſt. 9. Omnia geruntur, ac ſi omnium idem eſſet eventus juſto & impio, bono ac mundo & polluto, ſacrificanti & non ſacrificāti, bono & peccatori. Sic Chriſtus in Evangelio inquit, Nemo eſt bonus niſi Deus.

Pſal. 25. Eccl. 8. Gen. 45. Deut. 6. Eccl. 9.

Matt. 19.

Quod igitur Propheta hoc in loco dicit, Et dona quod bonum eſt, ſimpli-

ciſſime comparo cum proxima particula, Tolle peccatum, quod malum eſt, & dona bonum, hoc eſt, Spiritum Sanctum, qui ſanctificet nos. Nam peccatum præteritum condonari ſatis non eſt, opus eſt Spiritu ſancto, qui confirmet & regat nos, ne victi à Satana & carne relabamur in deſideria carnis. Aſſidua enim cum hoc hoſte nobis pugna eſt, id ſummo ſtudio agenti, ut nos retrahat in ſuum regnum, & per inobedientiam ex regno Chriſti ejiciat. Hoc igitur Spiritus ſancti opus eſt, ut non ſolum per fidem in Chriſtum nos ſanctificet, & peccatis liberet, Sed etiam ut excitet ad veram obedientiam, ut contra peccatum & carnem pugnemus, reſiſtentes concupiſcentiæ &c. In Ebræo eſt verbum (lakah) quod accipere fere exponunt. Eſt autem idem verbum, quod eſt in Pſal. 68. Accepiſti dona pro hominibus. Id Paulus vertit ſicut nos, dedit dona hominibus. Donandi autem verbo ideo volui uti, ut hic quoque gratuiti beneficii admoneretur Lector.

Donaria Spiritus ſancti.

Pſal. 68. Epheſ. 4.

Nihil ne igitur ſunt opera, inquies? An non his quoq; in pœnitentiæ doctrina locus aliquis eſt? Reſpondeo, Hactenus de remiſſione peccatorum & donatione Spiritus ſancti diximus. Hæc prorſus gratuita, & non noſtri meriti, ſed ſimpliciter inexhauſtæ bonitatis & miſericordiæ Dei ſunt. Itaque recte cum de remiſſione peccatorum loquimur, de noſtris operibus tacemus, quæ quia ſine Spiritu ſancto fiunt, etiamſi civiliter non mala ſunt, tamen bona dici non poſſunt, nec debent, propter impurum cor, ex quo proficiſcuntur. Cum autem per fidem remiſſionem peccatorum & una Spiritum ſanctum accepimus, ibi ex arbore ceu puro fonte etiam pura ac Deo beneplacita opera ſequuntur. Etſi enim propter peccati reliquias etiam Sanctorũ obedientia penitus pura non eſt, tamen propter fidem in Chriſtum Deo placet & grata eſt.

Opera noſtra ſine Spiritu ſancto.

Atq; hæc opera vocantur fructus pœnitentiæ. Inter quæ primo loco hoc eſt, quod Propheta hic commemorat, quod linguæ ſolvuntur in laudem Dei. Quid enim miſeri homines poſſumus aliud, quam ut tantam bonitatem prædicemus? Sic Pſal. 116. Quid retribuam Domino, pro omnibus beneficiis ejus? Calicem ſalutarem accipiam, hoc eſt, ſuſtinebo patienter quicquid accidet, & nomen Domini invocabo. Vota mea reddam Domino coram omni populo ejus. Hæc vota, hæc nominis Dei prædicatio quid ſunt? nimirum hæc humilis confeſſio, En Domine, ſum ego ſervus tuus, ſervus tuus ſum & filius ancillæ tuæ, Tu dirupiſti vincula mea. Ideo ſacrificabo tibi ſacrificium gratiarum actionis, & prædicabo nomen Domini. Sicut autem David hanc prædicationem beneficiorum Dei vocat ſacrificium, Ita Hoſea noſter belliſſime dicit, Vitulos labiorum noſtrorum offeremus, Q. d. Hypocritæ cum putant ſe ſummum cultum Deo præſtare, immolant vel taurum, vel vitulos, Sed vere ἄλογος iſte cultus eſt. Deus hoc modo non colitur, vult intelligi & prædicari ſuam miſericordiam, hac vult nos niti, & ſecure gaudere. Hic eſt rationalis cultus, qui non fingi poteſt ab hypocritis, Igitur Deo vere placet, Hypocritica iſta ſacrificia ſine hoc cultu Deo non placent &c.

Fructus pœnitentiæ.

Prædicatio miſericordiæ Dei.

Pſal. 116.

Ad hunc modum confert cultus Legis cum cultibus novi Teſtamenti, hos Deo dicit gratos eſſe, proficiſcuntur enim ex fide in Filium Dei, Illos autem oſtendit Deo non placere. Siquidem fiunt ab hypocritis, qui non ſolum impura corda habent, ſed etiam laudem juſticiæ & meriti ſibi volunt à Deo tribui. Non ſolum autem laudat cultus novi Teſtamenti Propheta, & præfert cultibus Legis, ſed etiam oſtendit futurum, ut per Chriſtum, qui remiſſionem peccatorum credentibus donabit, Sacerdotium legale una cum ſacrificiis in totum aboleatur. Nam legale Sacerdotium conſiſtebat in certa tribu, Hic autem cum dicit, Offeremus vitulos labiorum, oſtendit hoc perſonarum diſcrimen ſublatum iri, & fore Sacerdotes Deo gratos, non qui ex tribu Levi nati ſunt, ſed qui in Chriſtum credunt, & vera fide Chriſtum invocant. Sicut Petrus hoc clarius dicit, cum ſcribit, credentibus in hæc verba, Vos eſtis electa gens, regale ſacerdotium &c. *1. Petri 2.*

Quod igitur habent ſacrificium? Non opus operatum Miſſæ, quod Pontifex raſæ & unctæ turbæ ſuæ vult eſſe proprium. Quod enim ad remiſſionem peccatorum attinet, ſunt fideles, contenti ſacrificio Chriſti, Eum ſolum agnoſcunt Sacerdotem,

dotem,qui vera oblatione conſummavit omnes Sanctos,Ipſi autem offerunt in gratiarum actionem,ſicut Propheta hic eleganter dicit,Tauros labiorum,invocant nomen Domini,prædicant ejus miſericordiam, annunciant mortem ſui Sacerdotis, & ejus ſacrificium commendant publice omnibus.Sunt autem hi Sacerdotes altiſſimi, non à Pontificibus,ſed à Spiritu ſancto uncti,Et tamen non ſolum contemnuntur ab ea turba, quam Pontifices ungunt, ſed etiam damnantur pro hæreticis, & omni genere contumeliarum & ſuppliciorum afficiuntur.Sed hunc pœnitentiæ fructum ſequuntur etiam alii.

Aſſur non ſalvabit nos, Super equum non aſcendemus. Neq; dicemus ultra operibus manuum noſtrarum, Dij noſtri. Quia per Te miſericordiam conſequitur Pupillus.

Miraberis fortaſſe, cur non aliorum operum meminerit, beneficentiæ in proximum, caſtitatis, patientiæ, humilitatis? Nam hi omnes fructus ſequuntur veram pœnitentiam.Sed Propheta tanquam in brevi concione præcipua capita primæ tabulæ oſtendit,quæ ſecum trahunt opera ſecundæ tabulæ.Erudite autem complexus eſt tum politiæ tum Eccleſiæ præcipua peccata, cum prima tabula pugnantia. Nam quod de Aſſyrio & equis dicit, eſt commune omnium Regnorum & rerumpublicarum peccatum, fiducia ſcilicet humanorum præſidiorum, dignitatis, opum, potentiæ, gloriæ &c. His enim quia nituntur homines, fiduciæ in Deum obliviſcuntur, in periculis Deum non invocant, non expectant divinitus defenſionem, Statim ubi periculi metus adeſt,convertuntur ad ſua conſilia,quærunt præſidia vicinorum,jungunt fœdera,conferunt vires & arma,atq; hoc modo putant ſe ſatis fore tutos. *Fiducia humanorum auxiliorum.*

Quia autem hæc fiducia cum contumelia Dei conjuncta eſt,antefertur enim creatura Creatori,ideo eſt infelix. Et plerunque accidit,ut, quos putaris ſaluti fore, ſint exitio, ſicut Eſaias de Ægyptiorum præſidiis vaticinatur, fore tanquam arundinem,cui ſi innitaris,ſuſtinere pondus non poteſt,fracta autem lædit manum. Ac fuit hoc peculiare hujus populi peccatum, ſicut apparet ex concionibus Prophetarum. Tanto autem fuit gravius, quod abjecta fiducia auxilii divini, in Gentibus putabant plus præſidii eſſe, quas norant eſſe impias, etſi opibus & potentia præſtarent, Itaq; accidit,ut Salvatores eorum perderent eos.Sic fere omnia regna evertit fiducia humanorum auxiliorum, & tamen videntes, ſcientes ſequimur infauſta hæc veſtigia etiam nos, qui poſſeſſione veræ religionis gloriamur. Quorſum enim fœdera pertinent, ſi non hac ratione Principes & Reſpublicæ confidunt ſe tutiores eſſe? Non ſatis credimus in Deo virium eſſe, Non ſtatuimus nos & cauſam noſtram ei curæ eſſe, alioqui ipſius bonitate & potentia ſuffulti, non tam ſoliciti de carnalibus præſidiis comparandis circumſpiceremus. *Iſa.36.* *Fœdera præcipua.*

Sed multi in ea opinione ſunt, ſine peccato hæc fieri, & pertinere ad Magiſtratus civilis curam conſilia hæc, nec debere reprehendi ab Eccleſiarum miniſtris, tanquam alio in foro verſantibus. Ac ſane fateor belle hæc diſputari, ſi non Magiſtratus civilis quoq; juberetur omnem auxilii ſpem in ſolo Deo habere fixam.Igitur inquies ne quidem armis utetur ad ſuos defendendos? Minime. Nam ideo Deus Magiſtratum munivit potentia, ut ea ad ſuorum defenſionem utatur. Sed infelix ea eſt,ſi ſit ſola,hoc eſt,ſi ſit ſine fiducia in Deum,Et manifeſta blaſphemia eſt,confidere vel in ſuam vel aliorum potentiam. Quia autem hæc impia fiducia fere ſemper cum fœderibus conjuncta eſt, ideo Prophetæ ubique ea damnant, præſertim quando cum impiis ſunt inita.Sicut Propheta ad Joſaphat dicit,Quia habuiſti fœdus cum Ahaſia,percuſſit Dominus opera tua,hoc eſt,non addidit ſucceſſum,2.Paral.20. *2.Par.20.*

Quod igitur ſancta Eccleſia hoc in loco dicit, Non ſalvabit nos rex Aſſur, Item, Non aſcendemus equos, idem eſt,ac ſi dicat, Abjiciemus ſpem omnium humanorum præſidiorum,& tantum ſperabimus in Dei bonitate, Sicut Pſal.20. dicit, Hi in curribus & in equis, Nos autem nomen Domini Dei noſtri invocamus. Succumbent igitur hi & cadent, nos autem ſtabimus erecti.Etſi enim pius Magiſtratus *Pſal. 20.*

curribus & equis utitur, tamen ſperat divinitus victoriam, & tantum ab auxilio & benedictione Domini pendet, non ex equis aut apparatu bellico. Ad hunc modum etiam fœdera inter pios eſſe poſſunt. Imo jam antea inter nos arctiſſimo fœdere profeſſionis & ſpei conjuncti fumus, Sed varie produnt homines ſenſus ſuos, quod alio conſilio fœdera ineant. Porro non tantum ad imperia & Reſpublicas hæc doctrina pertinet, Debet hæc etiam privatorum per omnem vitam & in omnibus negotiis Regula eſſe, ut toti dependeant ab auxilio Dei, & ſicut copia aut potentia non debet nos reddere ſecuros aut tumidos, Sic inopia & calamitatibus non debemus frangi. Nam hic quoque fiducia miſericordiæ Dei erigendi ſunt animi, cum exercemur morbis, penuria, injuſtis odiis &c. Hoc verum exercitium eſt primi Præcepti, ut ſtatuamus Deum noſtrum eſſe Deum, & in eo ſolo hæreamus, tam in adverſis, quam ſecundis rebus.

Fiducia operum peccatum ſpirituale.

Altera particula de operibus manuum, pertinet ad Eccleſiam, Sicut enim fiducia propriæ potentiæ capitale regnorum peccatum eſt, Ita capitale in Eccleſia peccatum eſt, fiducia operum. Non ſolum enim iſtam craſſam idolatriam ſignificat, quod adorarunt ſtatuas, manibus hominum factas, ſicut adhuc ante oculos impij Papatus fœda idolatria eſt, dum in hoc loco Mariæ, in alio Annæ, & aliorum Divorum ſtatuæ ſplendide exornantur & coluntur. Ibi enim procumbunt idolatræ in genua, ibi vota faciunt, ibi ſe putant exaudiri interceſſione talium Divorum, quos tanquam Patronos ſuorum negociorum conſtituunt. Sed complectitur Propheta etiam vanam fiduciam propriorum operum ſeu meritorum. Recte enim opus manuum hominum dicitur Monachatus. Nam ſua voluntate, Deo non jubente, deligunt ſibi certum vitæ genus Monachi, quo ſperant ſe Deo placituros. Sic alius dum jejunat, dum certis diebus à quibusdam cibis abſtinet, putat ſe Deo præſtare cultū. Hæc ſunt opera manuum noſtrarum, quæ adorant idolatræ tanquam Deum. Nam cum nihil ſint niſi traditiones hominum, tamen confidunt Deum hoc modo placari, coli & ornari.

Opera manuum hominum.

Sic Iſraëlitæ cum immolarent certis in locis, quæ ſibi delegerant, cum mactarent libetos, cum procciderent coram ſtatuis, ex operibus manuum ſuarum faciebant Deos, hoc eſt, putabant ſe hoc modo Deo commendari, præſtare cultum, mereri remiſſionem peccatorum &c. Hoc, inquit Eccleſia, non faciemus amplius, Scimus enim peccatorum remiſſionem contingere gratis per Filium Dei. Ideo in ſola Dei miſericordia confidimus, in hac acquieſcimus, per hanc ſperamus remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Corda autem ad hunc modum illuminata, non ſequuntur carnem ſeu deſideria carnis, ſed contra carnem pugnant, & reſpiciũt ad Verbum, ac quicquid verbo vident præcipi, ſolicite faciunt. Itaq; non ſunt inobedientes parentibus & magiſtratibus, non occidunt, non alunt ſimultates, non ſunt implacabiles, non adulterantur, non fornicantur, quærunt ſuo labore victum, ſunt liberales in pauperes &c. Atq; hi ſunt veri fructus, qui pœnitentiam & remiſſionem peccatorum ſequuntur. Etſi autẽ ſæpe vincuntur à peccato & carne, tamen hanc obedientiam, quantumvis imperfectam, propter fidem in Chriſtum, quæ omnia peccata tollit, amat Deus, & ampla promittit præmia, tum corporalia, tum ſpiritualia. Hæc eſt precatio pro remiſſione peccatorum, quæ oſtendit ſicut diximus, veram pœnitentiæ rationem.

Addit autem Propheta particulam (Quia per te miſericordiam conſequitur Pupillus) plenam pulcherrima fiducia in Deum, ſine qua oratio fruſtra eſt. Convenit autem hæc particula cum ſententia Chriſti, Non relinquam vos orphanos. Item cum Pſal. 10. Tu es pupillo adjutor, Item, Tu judicas pro pupillo & paupere, ut non amplius graſſetur homo ſuper terram. Hæ ſententiæ omnes & doctrina & conſolatione ſunt inſignes, ſi quis eas evolvat diligentius. Doctrina eſt, quod proponunt imaginem ſeu definitionem Eccleſiæ, quæ in mundo ſimilis eſt pupillo ſeu orphano, cujus nemo curam agit, imo cui ob oportunitatem nocere omnes cupiunt, cum econtra mundus inſtructus ſit ſapientia, opibus, potentia, juſticia &c. quibus nititur & ſuperbit, Non igitur pauper, non orphanus eſt, ſed in manibus habet, quo confidit, ſeq; contra injurias fortunæ, & etiam Dei judicium tutum exiſtimat.

Eccleſia comparatur orphano.

Iohan. 14. Pſal. 10.

Sic

Sic Nebucadnezar ſuæ ſapientiæ acceptum fert, tam potens & amplum regnum, Haman nititur favore Regis, Phariſæus confidit ſua juſticia. Sic ubiq; videas homines inſtructos præſidiis carnalibus, & ideo ſecuros. Itaque ſi ad Eccleſiam ſeu ſingulos Chriſtianos hoſce compares, ſimiles videbuntur adulto viro, qui manu contra injurias ſe defendere, & ratione ac conſilio res ſuas gubernare poteſt, Cum econtra Eccleſia ſit ceu orphanus, qui & viribus & conſilio deſtituitur, atq; ideo injuriis opportunus eſt. Exempla enim ob oculos ſunt, quomodo tractari orphani ſoleant. Nam cum accurata legum cura, deinde ſancta jurisjurandi religio, qua in bene conſtitutis Rebuſpub. ob pupillorum commoda, Magiſtratus uti ſolet, hominum cupiditates & perfidiam arcere non poſſint, Quid ibi fiet, ubi hujuſmodi vincula aut nulla ſunt, aut non tam ſollicite obſervantur? Vſitatum enim eſt, ut etiam hi, qui tutelam ſuſcipiunt, ſuis potius quam pupillorum commodis ſtudeant. Quid igitur ab alienis metuendum eſt, cum à notis & amicis tantum periculum ſit? Sed etiamſi boni viri ſint, qui præficiuntur tutelæ, quid tamen ea cura & ſolicitudo eſt, collata ad curam parentum? ut omnia facias, ut tentes omnia, tamen quia affectus ille, quem parentibus erga liberos Deus inſevit, abeſt, etiam ſumma diligentia negligentiæ æſtimationem ſortietur.

Nebucadnezar. Haman. Phariſæus.

Pupilli.

Talis, inquit Propheta, in hoc mundo Chriſtianorum ſeu Eccleſiæ fortuna & conditio erit. Erunt orphani, non habebunt parentes, qui ſolicite eos curent & cuſtodiant, Imo etiam Satanam ipſum habebunt hoſtem, is non ceſſabit omni genere calamitatum eos per membra ſua exercere, Etſi enim Chriſtiani quoq; benedictionem Domini habent, & opes tenent, tamen eas ſic tenent, ut etiam de ipſa vita periclitentur ob confeſſionem & fidem. Deinde non nituntur ſapientia ſua. Vident enim eam admodum exiguam & tenuem ſcintillam eſſe, quam in tanta caligine ſequi tuto non poſſunt. Sentiunt igitur alio ampliore lumine opus eſſe, quod non tam facile poſſit à Satana extingui. Id verbum Dei eſt, eo nituntur, eo ſolo ſe tutos fore credunt. Sapientiam autem ſuam ad illa leviora negocia convertunt, quæ hujus temporalis vitæ neceſſitas imponit. Quando autem ad peccati & mortis pericula accedendum eſt, ibi vere ſtatuunt ſe orphanos, in quibus nihil præſidii contra tam potentes hoſtes ſit.

Eccleſia pupillus.

Exponit itaq; hac ipſa appellatione Propheta, quid voluerit, cum ſupra dixit, Aſſur non ſalvabit nos, non aſcendemus equos, non dicemus operibus manuum noſtrarum, Dii noſtri eſtis, Nempe quod Eccleſia in hoc mundo ſit deſtituta omnibus præſidiis. Fortunis & opum ſplendore fere carent pii, ſicut Paulus dicit, Non multi ſecundum carnem potentes, non multi nobiles &c. Et quanquam aliqui benedictione Dei ornantur, tamen habent eam tanquã non habentes, ſicut Paulus dicit. David rex eſt, dignitate, potentia, & opibus ornatus, & tamen de ſe dicit Pſal. 39. Ne ſileas ad lachrymas meas, ſum peregrinus tuus & civis tuus, ſicut Patres mei omnes. Cur peregrinum ſe vocat, niſi quod ſentit, etſi multa habeat dona corporalia, tamen eſſe ea momentanea, quæ ſubito vel nos deſerunt vel à nobis evocatis ex hac vita deſeruntur?

1. Cor. 1.

Chriſtianorum conditio in hac vita. David Pſ. 39.

Hujus conditionis hic admonemur per Prophetam, cum pupillos vocat. Docet enim, ne frangamur impatientia, ſed in periculis conſtituti, cogitemus, nos eſſe orphanos. Decumbis ex morbo, noli ideo angi animo, cogita te eſſe portionem Eccleſiæ, & eſſe ceu pupillum jacentem in cunis, qui aliorum opera opus habet. Pateris aliquid incommodi in fortunis, cogita, ſum orphanus, male igitur tractor, non tantum ab alienis, ſed etiam à notis & conjunctis. Definita enim ſententia eſt, qui volunt in Chriſto piè vivere, perſecutionem patientur. Hoc autem magis ſtatuendum eſt, in illis negotiis conſcientiæ, cum tentaris peccato, metu mortis, ſenſu iræ, & judicii Dei, Ibi demum cogita, te vere eſſe orphanum, ſed non ideo à Deo abjectum. Nam hic audis inſignem conſolationem & definitionem Dei pulcherrimam.

2. Tim. 3.

Eccleſiam definiit Propheta eſſe orphanos, qui patiuntur, & ipſi ſe defendere non poſſunt contra injurias, Id ſane acerbum eſt & miſerum. Sed nunc contra audi,

Pupillorum consolatio.

quid de Deo concionetur, & quo colore eum pingat, Per te, inquit, misericordiam consequetur pupillus. Ergo pupilli & orphani tales habent miserentem & propitium Deum. Sicut igitur prima definitio omnia præsidia mundi piis adimit, quæ mundus magni facit, admiratur, quibus triumphat contra pios, & eos opprimit, Ita hic, cum Deum pupillorum misereri dicit, omnia eis largitur. Si enim Deus est misericors, si habet affectum paternum erga afflictos Christianos, quid deesse nobis omnium rerum potest? Desint opes, At habemus æternos thesauros, Desit potentia, & premant nos Tyranni, At habemus Dominum Dominorum, qui æterna liberatione nos suo tempore liberabit, Desit gloria & dignitas, ac mundus nos contumelia & ignominia obruat, At habemus, qui æterna Gloria nos circumdabit. Sic enim hoc in loco consolatur Propheta, Pupillus, inquit, coram te inveniet misericordiam.

Hieronymus Baumgartnerus.

Hæc si includere possemus animis, etiam in tribulationibus, ut Paulus inquit, gloriaremur. Magna calamitas est, quod optimus vir & tum doctrinæ, tum pietatis laude insignis Hieronymus Baumgartnerus, dum Legatus suæ Reipublicæ domum ex comitiis Spirensibus rediit, in conspectu Cæsaris capitur, ac longa ac durissima captivitate detinetur. Sentit igitur se esse pupillum seu orphanum, & nos merito calamitate optimi viri, de sua Repub. & Ecclesia Christi præclare meriti, cõmovemur. Sed vicissim consolari nos debet, quod cum orphanus sit, etiam habeat miserentem Deum, qui & liberabit eum suo tempore, & æterna Gloria ornabit in meliore vita.

Sed inquies, Cur misericordia hæc non cernitur? Respondeo, Conjungenda hæc sunt. Primum, ut sentias te esse orphanum, Alterum ut sentias Deum esse misericordem. Atq; illud ordine prius, hoc autem posterius, Illud acerbum, hoc jucundum, Illud grave, hoc suave est. Itaq; accidit, ut hoc frui, illo carere optemus. Sed definitum est, si vis misericordiam consequi, orphanus prius ut fias, necesse est, nec statues tu quam diu velis orphanus esse. Nam etiam brevis mora, cum crux urget, longissima est. Deo relinquenda cura est liberationis, Is adjutor est in opportunitate, & est quoq; fidelis, Itaq; non sinet nos tentari supra quam possumus. Et quanquam liberationem differt, tamen certo eam præstabit, Est enim Pater noster, Itaq; postulantibus panem non porriget lapidem, postulantibus ovum, non dabit scorpionem, Scit quibus habeamus opus, & volens, sicut sequitur, præstabit. Est enim misericors, hoc est, Patris erga nos affectu est, tantum ne nos de misericordia ejus dubitemus. Ad hunc modum consolari nos in nostris & aliorum periculis debemus. Meminisse tamen hoc oportet, hanc consolationem propositam esse iis, qui pœnitentiam agunt, Mundus etiam sentit sua incommoda. Non enim perpetuo Deus connivet ad peccata. Cum igitur urgetur pœnis, frustra expectat misericordiam, Sicut ostendunt exempla, Absalom, Ahitophel, Ammon. Non enim agunt pœnitentiam, igitur in ira Dei pereunt.

Psal. 9. Lam. 10.

Sanabo aversionem eorum, Diligam eos mea sponte, quoniam furor meus aversus est ab eo.

Orationi subjicitur promissio, ut confirmentur animi, cum pro remissione peccatorum orant, certo se exauditos iri. In aliis periculis, quæ hujus vitæ sunt, cum rogamus liberationem, addimus conditionem de voluntate Dei, ut Deus tum nos exaudiat, si ejus sit voluntas. Vere enim nescimus, quid nobis prosit, & Deus solet per infirmitatem perficere virtutem suam, hoc est, cum sumus infirmi, ostendit nos non humanis consiliis aut nostris viribus, sed divina virtute servari ac defendi. Itaq; Paulus frustra orat liberationem, ne colaphizetur à Satanæ angelo. David frustra orat pro filii vita, Iacob frustra orat pro conjuge periclitante in partu. Hæc pericula corporalia erant. Est autem Ecclesia in hoc mundo subjecta cruci, Itaq; etsi petit liberationem ab hujusmodi corporalibus malis, & sperat etiam liberationem (nam oratio sine fide existere non potest) tamen permittit se voluntati divinæ, & sicuti Petrus dicit, humiliatur sub potenti manu Dei, hoc est, sic urget suam voluntatem, ut tamen voluntatem Dei anteponat. Lazarus in tanta miseria, inq; tantis cruciatibus petit liberationem, & tamen constituit apud se, se velle Deo parere,

Oratio in corporalibus periculis.

2. Cor. 12. 2. Reg. 12. Gen. 25. 1. Pet. 5. Luc. 16.

& sus-

& ſuſtinere afflictiones iſtas,ſi Deo ſic libeat. Ad hunc modum nos quoq; in noſtris ſeu periculis ſeu calamitatibus faciamus.

Oratio de remiſſione peccatorum.

Sed cum de remiſſione peccatorum,de ſanctificatione per Spiritum ſanctum & de vita æterna rogandum eſt, non eſt addenda iſta conditio divinæ voluntatis.Nam Dei voluntas jam antea manifeſta eſt & certa, quod vult omnes homines ſalvos fieri,quod vult ignoſcere peccata, quod vult donare Spiritum ſanctum, certa igitur fiducia hæc petenda ſunt,ſine omni conditione addita,Nam hæc ipſa, ut donaret nobis gratis, ideo miſit Filium ſuum in hunc mundum. Et ipſe filius Dei ideo paſſus & mortuus eſt, ideo aſcendit ad cœlos reſurgens à morte, & reliquit hic mandatum prædicandæ in nomine ſuo pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum. In hunc finem inſtituit Baptiſmum,donavit Eccleſiæ claves,& corpus & ſanguinem ſuum nobis in cibum dedit. Addidit tandem promiſſionem,futurum,ut quicquid in nomine ipſius rogaverimus,Pater donet.

Itaq; ne quidem indignitas & peccata noſtra hanc fiduciam nobis debent excutere. Imo peccata noſtra ad orationem nos hortari & urgere debent, ſicut Propheta hic oſtendit. Nam ſi peccata impedirent nos,ne exaudiremur, profecto Propheta reliquias Iſraëlis non juberet orare, pro remiſſione non levium, ſed graviſſimorum peccatorum,idolatriæ,abnegati Dei,ſuperſtitionis, blaſphemiæ, cædis Sanctorum &c. Sed non ſolum jubet,ut orent,& aperiant os ad Deum ſic offenſum,ſed etiam addit promiſſiones. Audi enim,quid ipſe Dominus hic loquatur ad peccatores agentes pœnitentiam,& ſperantes in miſericordiam ejus.

Sanabo averſionem.

Ego,inquit,ſanabo averſionem eorum.Summum profecto peccatum eſt,averti à Deo,non curare Verbum,& etiam ſævire crudeliter in miniſtros Verbi.Propter hæc enim peccata decem tribus penitus vaſtatæ ſunt. Et tamen promittit Deus, ſe orantis gratiam horum peccatorum, facturum & daturum veniam. Cur igitur tu deſperares? cur non erigeres te, & fiducia Chriſti pro remiſſione peccatorum tu quoq; orares? Non enim res pendet vel ex tua, vel ex orationis dignitate,aut merito, ſed ſimpliciter ex Filio Dei, Hunc ſi fide apprehendis, quod pro te ſatisfecerit, quod Deus per eum tibi reconciliatus ſit,exaudita eſt oratio tua.

Hæc prima pars promiſſionis eſt,quod Dominus averſionem noſtram, qua ad mortem uſq; ceu præſentiſſimo veneno infecti ſumus,ſanare velit. Altera eſt,quod ſua ſponte & liberaliter vult eos peccatores diligere, qui pœnitent & orant. Nam Ebraicum vocabulum(Nedabah)utrunq; ſignificat,voluntarium & munificum,Sicut etiam hæc natura conjuncta ſunt. Vbi enim verus amor eſt,non coactus,non ſtultus, ſed ex certo judicio natus, ibi nullus eſt modus officiorum & beneficiorum. Hanc promiſſionem, te obſecro, quæ lingua explicare poteſt? Poſſumus igitur domeſtico & nobis noto exemplo uti,ut cogitemus, quo animo ſimus erga conjuges & liberos noſtros,Sed in eo poſtea labor erit, ut nobis perſuadeamus, etiam nos ſic diligi à Deo. Corda enim noſtra anguſtiora ſunt, quam ut complecti tantas res poſſint.Quem tu vere amas,is omnia tua,etiam vitam tuam poſſidet,ac magis quidem, quam tu ipſe. Amor igitur, quem nobis hoc in loco & gratuitum & liberalem promittit Dominus,affert ad nos quicquid Deus eſt & habet,ut nos quoq; ſimus Domini peccati,mortis,inferni,Satanæ & omnium creaturarum. Quis enim contra nos,ſi Deus pro nobis?

Diligam eos.

Dilectio Dei.

Rom. 8.

Alicubi Scriptura tribuit Deo maritalem amorem, ſicut etiam Chriſtus, cum miſericordiam Dei prædicat, nuptiarum ſimilitudinem proponit. Et Paulus Sacramentum magnum vocat conjugalem vitam.Sed meminerimus abſcondi hunc amorem in hac vita cruce, Ideo fide opus eſt, quæ ſtatuat has promiſſiones veras eſſe. Qui enim vel ſenſum, vel ſpeciem ſequitur, judicabit Eccleſiam non amari à Deo maritali amore,ſed vel negligi,vel etiam in odio eſſe. Igitur carnales oculi claudendi,& fide hæc accipienda ſunt, ſicut Paulus inquit: Spe ſalvi facti ſumus. Tum autem revelabuntur hæc, cum Chriſtus ſe nobis revelabit, & hæc caro peccato plena fuerit abolita.

Matth. 22. Eph. 5.

Rom. 8.

Particula ſequens, Quoniam averſus ab eo furor meus eſt, videtur abundare. Vbi enim amor eſt, ibi excluſa eſt ira & odium, ſed magna cauſa fuit, cur hanc particulam Dominus adderet. Quia enim, ut jam diximus, amor, quo complectitur ſuos Dominus, tanquã ſponſus ſponſam, cruce tegitur, ne oculis carnalibus cerni poteſt, offenditur caro, & cum tentationẽ & pericula ſentit, ſtatuit ſe non diligi à Deo. Ad hoc ſcandalum removendum particula hæc pertinet. Conſtituit enim diſcrimen inter crucem Sanctorum, & pœnas impiorum. Sancti, hoc eſt, credentes in Chriſtum habent remiſſionem peccatorum, ac diliguntur à Deo, & tamen ſubjiciuntur variis calamitatibus adeo, ut deterior eorum videatur conditio, quam impiorum, qui plerunq; florent & abundant omnium rerum copia. Fit autem hoc, non quaſi Deus hos diligat, pios autem odio habeat. Averſus, inquit Spiritus ſanctus hoc in loco, eſt furor meus ab eo. Itaq; ſicut pater caſtigat filium, quem diligit, ita hic quoq; cum flagello conjunctus eſt ſummus amor. Contra, impiis, quibus bene eſt, iraſcitur Dominus, & ſic iraſcitur, ut ira nullum habeat modum in æternum, niſi pœnitentiam agant.

Pertinet itaq; hæc particula ad tollendum ſcandalum, ne cum cruce premimur, ſtatuamus Deum nos odiſſe, Non odit pœnitentiam agentes, & orantes remiſſionem peccatorum, etſi affligi eos ſinit, furor & ira eſt averſa ab eis, & manet ſuper eos, qui pœnitentiam non agunt, qui ſecuri in peccatis vivunt, & remiſſionem peccatorum per orationem non quærunt. Quæ ſequuntur jam, pertinent ad explicandam proximam promiſſionis particulam, de dilectione.

Ero Iſraeli, tanquam ros, & florebit ſicut roſa. Figet radices ſuas ſicut Libanus. Diffundentur rami ejus, & erit ſicut olea pulchritudo ejus, & odor ejus ſicut Libani, qui ſub umbra ejus ſedent, recreabuntur, Vivent frumento, & ſicut vitis florebunt, Celebrabuntur ſicut vinum Libani.

Pertinent hæc quoq; ad promiſſiones. Quod enim Propheta prius ſimpliciter & ſine figura dixerat, hic figurate dicit, & tanquam in pictura proponit deſcriptionem Eccleſiæ, credentis in Chriſtum, qualis ſit coram Deo, & quibus donis ornata. Agnoſcunt Iudæi quoq; hæc dici de tempore Meſſiæ. Itaq; cum audiunt proponi ſimilitudines corporalium rerum, expectant à Meſſia hujus vitæ commoda, & putant, cum veniet, corporali benedictione ornaturum populum ſuum, ut ſicut roſa floret, ſicut arbor, quæ altè radices egit, & diffudit ramos, non ſolum aſpectu jucunda, ſed etiam contra ventorum & tempeſtatis vim firma eſt, Ita Iudæos in toto orbe terrarum admirationi futuros omnibus gentibus, & ſolos dominaturos ubiq;. De peccatorum remiſſione, de Spiritus ſancti dono, & vita æterna ne ſomniant quidem. Hæc cæcitas inde naſcitur, quod primum ſicut Chriſtus Matth. 22. eis objicit, neſciunt cujus filius Meſſias ſit. Putant enim eum tantum Davidis filium, Itaq; tanquam ab homine nihil niſi humana & temporalia expectant.

Iudæorum ſomnia de corporalibus commodis.

Matth. 22.

Deinde non vident naturam hanc peccato ſic vitiatam, ut non poſſit ipſa ex ira & judicio Dei ſe evolvere. Hoc enim ſi ſtatuerent, circumſpicerent de alieno auxilio, quod nunc in iſta cæcitate, cum offertur à Filio Dei, tam ſecure negligunt. Obliviſcuntur igitur ejus ſententiæ, quam paulo ante propheta propoſuit, cum comparat Eccleſiam pupillo, quod & premitur in mundo varie, & nihil habet virium contra graviſſimos illos hoſtes, Satanam, peccatum & mortem. Hæc quia non vident Iudæi, nihil mirum eſt, ſi tantum in temporalia commoda ſunt intenti, & ne quidem umbram harum promiſſionum vident. Nos rectius eruditi ſumus. Scimus hominem per peccatum incidiſſe in iram Dei & æternam mortem, Deum autem miſertum noſtri, miſiſſe Filium, qui non, ut ſolent Reges mundi, corporum & facultatum curam gereret, Sed afferret ad nos remiſſionem peccatorũ, & reconciliaret nos cum Patre, ac ab æterna morte & omni Satanæ tyrannide nos liberaret, Sicut Propheta

pheta paulo ante dixit Deum ſanaturum averſionem eorum, qui convertuntur, & dilecturum eos,& averſurum ab eis iram ſuam. Hæc illa bona ſunt, quibus Eccleſia gaudet,& Deo agit gratias, Cæci autem Iudæi ea prorſus non vident, & ideo in Deum ſunt ingratiſſimi.

Vtrunq; igitur Eccleſia habet, Eſt pupilla,& eſt Domina omnium rerum. Pupilla eſt,quia etſi habet ingentia dona æterna, Verbum & agnitionem Dei, remiſſionem peccatorum,juſtitiam,vitam æternam,imo & Deum in ipſa habitantem & regentem eam Spiritu ſancto, Tamen foris eſt ſubjecta cruci, tenentibus interea impiis regna mundi,opes,voluptates,gloriam mundi. Rurſus tamen eſt domina omnium rerum fide & ſpe, quia etſi in hoc mundo non habet præſidia corporalia, tamen ut pupilla expectat defenſionem à Deo,& certa fide ſcit ſe non deleri poſſe à Tyrannis, & impetrat in multis magnis periculis glorioſas liberationes, Præterea & ſpe futuræ gloriæ conſolationem habet, ſicut Paulus inquit. Gloriamur ſpe gloriæ Dei, quæ conſpicietur in æterna Dei, Chriſti, Patrum, Prophetarum, Apoſtolorum & omnium electorum conſuetudine. Rom. 5.

Sed impii has conſolationes fidei ac ſpei, & hoc dominium tectum cruce non vident, ærumnas & calamitates intuentur, & propter has putant Eccleſiam à Deo negligi,& vere miſeram pupillam & deſertam eſſe judicant, ipſi vero ſibi opes & potentiam quærunt, ut ſecuri ſint, aut ſpe præſidiorum humanorum ſe conſolentur. Pſal. 37. Hæc qui carnalibus oculis intuetur, cum Davide dicet, Impios ſimiles arbori validæ, frondoſæ,& lauro virenti, Item amœno & jucundo prato omnis generis floribus picto. Ad quos ſi Eccleſiam conferas, ſimilis videbitur areſcenti arbori, in qua non ſolum fructus nulli, ſed ne folia quidem aliqua hærent. Nam ipſa Eccleſia, ſub onere peccatorum tantum non corruens, ſua voce (cum orat, Remitte omnem iniquitatẽ, & dona bonum) ſatis teſtatur, quo in loco ſit poſita, quam ſit afflicta & calamitoſa.

Hæc prima Eccleſiæ pictura eſt, quæ oſtendit, qualis ſit Eccleſia, quod attinet ad hanc vitam corporalem. Hujus picturæ prorſus obliviſcuntur Iudæi, cum ſomniant regnis & opibus mundi beneficio Meſſiæ ſe potituros. Non enim volunt pupilli eſſe in hoc mundo, imperare volunt & abundare opibus, Ideo Eccleſiam miſeram & calamitoſam averſantur. Sed tu pauliſper transfer oculos ex hac vita, & ſecundum ſpem, quam Eccleſia ex verbo concipit, eam judica,& apparebit longe alia ejus facies. Habet enim Deum ſanantem graviſſimum peccati malum, Is maritali amore eam complectitur, & affert ad eam quidquid boni habet & poſſidet. Has tantas opes, hunc ornatum, quæ lingua explicabit? Eccleſia Dei ſpiritualis.

Igitur, quæ in mundo, & in ſuis quoq; oculis effœtæ & aridæ arbori ſimilis eſt, vere, ſicut Propheta hic dicit, in oculis Dei floret, ſicut Roſa, non ex ſuis viribus, aut propter juſticiam ſuam, & alia dona, Sed quia Dominus ei eſt, ſicut ros, hoc eſt, quia Dominus affert ad ipſam juſticiam, tollit peccatum, donat Spiritum ſanctum, excitat fidem, obedientiam, ſpem, patientiam, dilectionem proximi,& alias Deo gratas virtutes. Nam ſimilitudo Roſæ utrunq; complectitur, & pulchritudinem, quod aſpectu jucunda eſt, & odorem, quem late fundit. Placent enim Deo Sanctorum opera, propter fidem in Chriſtum etſi in ſpeciem levia & vulgaria ſunt. Similitudo autem roris cœlo venientis, eo pertinet, ut ſtatuas omnia hæc contingere nobis à miſericordi Patre, propter Filium ad nos miſſum, non propter noſtra merita, dona, aut ſtudia aliqua. Roſa. Ros.

Porro cœleſtem hunc rorem Gratiæ ſequuntur etiam alia dona, nempe, ut Eccleſia tanquam arbor Libani firmis radicibus hæreat. Habet enim hoſtes mundum & Saranam, qui aſſidue eam oppugnant. Quia autem eſt ædificata ſuper petram Chriſtum, ne quidem inferorum portæ eam vincere, aut evertere poſſunt. Arbor, Libani.

Tertium donum eſt, quod diffunduntur rami ejus, hoc eſt, Non ſolum non poteſt opprimi, ſed etiam in ipſis periculis incrementa ſumit. Nam & ſingula Eccleſiæ membra quotidie creſcunt in agnitione Dei, & aliis pietatis exercitiis,& ipſum Eccleſiæ corpus quotidie fit auctius.

Quartum eſt, quod Eccleſia ſicut olea pulchra eſt, & ſicut mons Libanus late diffun-

diffundit odorem. Hæc conveniunt cum eo quod ſupra de Roſa diximus, Niſi quod hic quoq; incrementum donorum ſignificatur. Nam olea fœcundiſſima eſt, & Libani fertilitas etiam ex gentilium literis eſt nota.

Vmbra Eccleſiæ.

Quintum eſt, quod Eccleſia tanquam arbor etiam umbram dabit fatigatis in æſtu. Hoc vero ſingulare & excellens donum eſt, quod ſola Eccleſia habet conſolationem veram contra peccatum & mortem, & omnes Satanæ conatus. Igitur in ea, tanquam ſub arbore umbroſa, acquieſcimus & reſpiramus. Nam verbum (Iaſchubu) convertentur, hoc loco accipiendum eſt, ſicut in Pſal. 19. Lex Domini immaculata (Meſchibas napheſch) convertens animas, hoc eſt, recreans, refocillans. Sicut germanice quoq; ſolemus loqui, **er iſt wieder zu ſich kommen** / Item, **er ſtret wieder** / cum exanimati reſpirant. Nam hoc Verbi proprium eſt, erigere animos, & oſtendere in ipſa tentatione & periculis ſpem liberationis & auxilium, ſicut Pſalmus paulo poſt clarius dicit, Mandata Domini recta, lætificantia cor. *Pſal. 19.*

Complectitur igitur Spiritus ſanctus hoc in loco non ſolum Verbum, ſed etiam viſibilia & externa ſigna, Baptiſmum & cœnam Domini à Chriſto inſtituta, ut per ea conſolationem haberemus contra peccatum, mortem & Satanam. Nam quod baptiſaris, id eo fit, ut credas te per Chriſti mortem adoptatum à Deo in filium. Cum autem ſacroſancta cœna utimur, non ſolum admonemur remiſſionis peccatorum per Chriſti mortem acquiſitæ, ſed ipſum precium, quo peccatorum remiſſio empta eſt, nempe corpus Chriſti datur nobis comedendum, & ſanguis bibendus, ut certo ſtatuamus ad nos remiſſionem peccatorum pertinere. Hic igitur, tanquam in umbra, acquieſcunt animi, metu iræ Dei & æternarum pœnarum propter peccatum anxii.

Frumento paſcentur.

Sextum eſt, quod frumento aluntur. Hic quoq; doctrina & verbum commendatur, quo ſaginantur animi & confirmantur. Sic Chriſtus conſolatur Apoſtolos, Comedetis & bibetis in menſa mea in regno meo. Significat autem cognitionem Dei certam, quam verbum oſtendit. Ideo autem dicit, Frumento alentur, ut oſtendat mundum deſtitutum verbo, etſi cultus & religionis curam jactat, tanquam paleis veſci, Eccleſiam autem habere verum pabulum, quo confirmantur & ſaginantur mentes.

Vini.

Septimum eſt, quod ſicut vitis florebit Eccleſia. Id proprie ad fructus pertinet, qui in Eccleſia ex aſſiduo verbi uſu naſcuntur. Hos mundus non admiratur, ſed negligit, occupatur autem aliis ſtudiis, quæ ſpeciem habent majorem, Sic œconomiam & politiam negligunt Pontificii, & deligunt ſibi vitæ genus aliud ſolitarium in monaſteriis. Sed aliud Dei judicium eſt, Iſta electitia opera & cultus abominatur, amat autem à ſe præcepta, etiamſi in ſpeciem ſint vilia.

Memoria vini Libani.

Octavum eſt, quod dicit Eccleſiæ ſicut vini in Libano nati, memoriam fore, hoc eſt, celebratum iri. Hæc quoq; particula ad Eccleſiæ commendationem pertinet, ac neceſſaria eſt, propter ingens ſcandalum, quo Eccleſia ita opprimitur, ut agnoſci pene non poſſit. Nam vide Patriarchas, vide Prophetas & Apoſtolos, quomodo in mundo ſint habiti? Quin Chriſtus Dei filius, & caput Eccleſiæ, quam tractatur indigne à ſuo populo? Clamant obſeſſum à Satana, vinolentum, ſeditioſum, blaſphemum eſſe. Nos hodie etiam adverſariorum teſtimonio retinemus Sacramenta integra, & habemus doctrinam conſentientem cum Apoſtolorum ſcriptis, quæ præcipuè veræ Eccleſiæ notæ ſunt. Et tamen quale ſuſtinemus judicium? Damnamur tanquam hæretici, traducimur tanquam Eccleſiæ peſtes, & omnis honeſtatis ac diſciplinæ turbatores. Sunt autem hæc atrociſſima convicia, quæ ſine dubio multorum animos ita feriunt, ut etiam ad nomen noſtrum inhorreſcant. Sed ſi, ut dixi, Chriſti Filii Dei, Baptiſtæ, Apoſtolorum, Prophetarum hiſtorias inſpicias, nihil patimur novi.

Et Propheta hoc in loco non temerè utitur ſimilitudine vini, cum de memoria ſeu nomine Eccleſiæ & Sanctorum loquitur. Hæc enim commendatio non eſt muſti aut horni vini, quod ſit odorum, ſed vetuſti. Non autem ferunt ætatem, niſi generoſiſſima. Ad hunc modum Eccleſia & ſingula ejus membra in mundo ad tempus ſunt

ſine

ſine odore,imo fœtent coram mundo. Atrocibus enim convitiis detormantur. Sed
Pſal.112. quid dicit Pſalmus? In memoria æterna erit juſtus,Cum econtra memoria impiorũ
Pſal.9. una cum ipſis intereat. Pſal 9. Miſera conditio fuit Pauli,Petri,& Apoſtolorum aliorum,ſi conſideres adverſariorum potentiã, dignitatem,opes,Sed ſicut generoſa vina ætate odorem ex ſe generant,ita piorum gloria poſt mortem augeſcit, ſecundũ ſen-
Pſal.116. tentiã,Preciola mors Sanctorũ in conſpectu ejus,impii autem ſicut vappa exoleſcũt.

Hæc igitur eſt magnifica conſolatio,& ſuaviſſima deſcriptio Eccleſiæ,non qualis in mundo aut ſecundum ſpeciem eſt, ſed qualis eſt in Spiritu ac coram Deo. Si enim ſpeciem ſequaris,invenies omnia contraria,Eſt ſicut arbor ſine ſucco,arida,infirma,deformis,etiam ſcandalis plena. Ideo tanquam latè fœtens cadaver abominatur eam mundus,qui opes & dignitatem tenet, atq; ideo judicatur florere ut roſa,& altè egiſſe radices. Sed cave, ne decipiaris ſpecie. Ex verbo enim judicium faciendum eſt,& ſunt hæc transferenda ex mundo in Dei conſpectum, ibi apparebit,quod qui verbo & cognitione Dei vera carent, atque ideo ſine Spiritu ſancto & adhuc in peccatis ſunt,etſi potentiam & opes tenent,tamen ſicut arbor ſeneſcent,exareſcent, & radicitus peribunt.Nam in oculis Dei fœtent, in ſeipſis autem non ſolum infirmi, ſed etiam inquieti ſunt.

Oſtenduntur autem hæc ideo à Prophetis, ut Eccleſia ſe conſoletur contrà utrunq; ſcandalum, ne vel ſuis calamitatibus, vel adverſariorum ſucceſſu perturbetur aut frangatur, ſed finem reſpiciat. Ita enim fiet, ut & æquo animo præſentia incommoda ferat,& de impiorum infelicitate etiam doleat, qui tantilli temporis exigua commoditate magis moventur,quam æternis cruciatibus.Hæc nunc quaſi in faſcem convolvit Propheta & dicit,

Ephraim quid tibi amplius cum idolis? Ego exaudio & reſpicio te,Ego tanquam abies virens,ex me fructus tuus provenit.

Quia crebra perſonæ mutatio, quæ in Ebræo eſt, obſcuritatem parit, volui ſecunda perſona ubiq; uti. Eſt autem hic inſignis & vere Propheticus affectus.Nam commemoratione iſta beneficiorum novi Teſtamenti ac exuberantis Gratiæ, quæ per filium Dei credentibus obventura eſt, quaſi accenſus, convertitur ad ſuum populum, nunc hoc poſtremum admonens, ut idolatriam abjiciant,& Dei verbum ſequantur, Q. d. Quanta infelicitas eſt,quod non poteſtis avelli à falſo cultu & impia doctrina? Quare non agnoſcitis vos decipi,dum tales Deos colitis,qui neque audiunt in periculis, nec reſpiciunt vos, ſed deſerunt & prorſus perire ſinunt? Cur non ad hunc potius convertimini,qui & exaudit ſuos, & educit ex periculis,qui denique variis donis ornat ſuos? *Hortatur ut Idolatria abiecta verbum Dei ſequantur.*

Continet igitur hic quoq; locus inſignem deſcriptionem Dei,quod Deus vere talis ſit, qui exaudiat,defendat & ornet ſuos.Exauditio includit pericula,Hæc enim excitant ad orationem. Igitur Eccleſia hanc promiſſionem habet, quod etſi caritura periculis non ſit,tamen Deus eam ſit auditurus. Eſt autem huic conſolationi annexum ſcandalum,quo offenditur carõ.Solet enim Deus exauditionem differre, ut & probet fidem noſtram, & potentiam ſuam ac gloriam oſtendat. Siquidem tum liberat, cum deſperamus de liberatione. *Deus exaudit ſuos.*

Secundum eſt gubernatio,cuſtodia,defenſio,Nam verbum (Schor)ſignificat intentis ac fixis oculis aliquid intueri, gnaw vnd fleiſſig auff ein ding ſehen. Sic ſupra
Hoſee 13. Cap. 13. hoc verbo Propheta eſt uſus, Sicut Pardus juxta viam aſpiciam,hoc eſt,ſo-
Ier.5. licite obſervabo, ne evadant, Et Iere. 5. Inventi ſunt in populo meo impii, aſpicientes, ſicut qui laqueos ponunt, hoc eſt, Intenti in hoc ſunt, ut noceant ſicut aucupes cum inſidiantur avibus. Ad hunc modum hoc in loco promittit Dominus,ſe fixis oculis intuiturum ſuos,& gubernaturum,ne quid eis accidat mali. Habet autem hæc quoq; promiſſio annexum ſcandalum,Nam ſic tractantur pii,ac ſi Deus non videat,
Pſal.94. Sicut teſtatur Pſalmus 94. Viduam & advenam occidunt, & pupillos interficiunt,
Pſal.64. & dicunt, Non videt Dominus, nec attendit hæc Deus, Et Pſalm. 64. Conſultant quemadmodum laqueos ponant, & dicunt, Quis videt nos? Non ſolum igitur pii *Deus obſervat & gubernat ſuos.*

judi-

judicant in periculis à Deo se negligi, sed tanta impiorum ex ista Dei dissimulatione securitas est, ut certo sibi polliceantur, Deum non curare pios quos premunt, nec videre quid machinẽtur, Sed quid hoc in loco dicit Dominus? Aspicio eum solicite.

Igitur fides se hoc verbo consoletur, statuat se non negligi, etsi ad tempus neglectio certa quasi apparet. Sicut illustre est exemplum Lot in Sodomis, is tractatur indignissime à Sodomitis, ac jam periculum est, ne fores vi effringantur. Hic quis putet Dominum habere oculos apertos, & videre hæc, siquidem usq; ad extremum impiorum conatum tacet. Et tamen videt, Nam cum periculum suminum est, Lot ab Angelis arripitur, & percutiuntur impii cæcitate, tandem etiam igni cœlitus demisso absorbentur. Vtrunq; igitur videt Dominus, & periculum Lot, & impiorum impios conatus. Ad hunc modum nos quoq; expectemus & sustineamus Dominum, qui non claudet oculos penitus, sed intente aspiciet suos, ac servabit sicut hoc in loco promittit.

Lot, Gen. 9.

Tertium est de fructibus, Ero sicut abies virens, fructus tuus in me invenietur. Hæc sententia convenit cum dicto Christi, Ego vitis sum, vos palmites. Sicut autem palmes non potest fructum ferre, nisi maneat in vite, sic neq; vos, nisi in me manseritis. Primum autem fructus definiendi sunt, de quibus Propheta loquitur. Hi non sunt simulata studia, & hypocritica opera, sed vera Dei notitia, vera erga Legem obedientia, & vita æterna. Hos fructus dicit Dominus in se inveniri. Ergo liberum arbitrium, mens nostra, ratio nostra, voluntas nostra, studia nostra, etiam cum sunt optima, si sola sunt, hoc est, si Spiritum sanctum non accepimus, sunt sicut sterilis arbor, in qua nullus invenitur fructus. Contra, qui in Christo, tanquam palmes in vite manent, hoc est, qui credunt in Christum, & per Christum statuunt pro peccatis suis satisfactum, & se Deo reconciliatos esse, in his Spiritus sanctus est efficax, ut & verbo obediant, & fructum fidei suæ vitam æternam consequantur.

Ioh. 15.

Fructus pietatis.

Statuuntur igitur hoc in loco duæ conclusiones, quas Papa tanquam certam hæresim damnat. Prima, quod homo in quantum homo, sine Spiritu sancto, sit sterilis arbor, nec possit consequi salutem. Secunda, quod per fidem in Christum, sine merito nostro, tantum ex gratia consequamur vitam æternam. Clara enim sententia est, Fructus tuus in me invenietur, & Ioh. 15. Nisi in me manseritis, fructum non feretis. Hæ sunt magnificæ consolationes quæ nos invitare debebant, ut cum vera Ecclesia nos conjungeremus, quæ statuit remissionem peccatorum & vitam æternam tantum contingere ex gratia per fidem in Christum. Habet autem hæc Ecclesia Deum exaudientem in periculis, respicientem & variis donis ornantem suos, Cum contra alii, qui nituntur sua justicia & suis meritis, etsi ad tempus florent (nam idolatriæ initia splendida & felicia sunt) similes erunt arbori, cujus folia defluunt, & horto, qui non habet aquas, sicut Esa. 1. cap. minatur.

Ioh. 15.

Esa. 1.

Qui sapiens est, intelliget hæc, & prudens cognoscet ea. Quoniam rectæ sunt viæ Domini, & justi ambulabunt in eis, Peccatores autem corruent in eis.

Mirabilis harum concionum conclusio hæc est, & inusitata propemodum, sed mire apta & conveniens, si respicias & ad verbi naturam & hominum mores. Apparet Hoseam primum fuisse, qui de regni Israelitici vastatione per Assyrium futura nuntium attulerit. Quia autem sub Ierobeam felici Rege florebat regnum Israel, dementati successu homines somniabant perpetuam eam felicitatem, Prophetæ autem minas securissime contemnebant. Hoc videt Propheta, & consolans se contra istam securitatem sui populi in hanc vocem erumpit, Quis sapiens & intelliget hæc? Q. d. Major pars populi stulti sunt, dementantur præsenti fortuna, contemnunt minas, doctrinam abjiciunt. Hi sane pereant, cum doceri nolint. Erunt tamen aliqui sapientes, qui intelligent has minas non esse vanas. Igitur humiliabunt se sub potenti manu Dei, deprecabuntur veniam peccatorum, & spe futuri sacrificii pro peccatis, consolabuntur se in communibus calamitatibus.

Perversum populi judicium.

Vsitatum autem est in Scriptura, vocare sapientes & prudentes, qui amplectuntur

Sapientes.

ctuntur & reverentur Verbum, ſeu Deum timent. Sicut econtra ſtulti vocantur, qui abjecto timore Dei & Verbo, ſecure indulgent cupiditatibus & ſtudiis hujus mundi, nihil ſoliciti de ira & judicio Dei. Et tamen ſi quis inter ſapientem & prudentem volet diſtinguere, Prudentiam tribuat vitæ & moribus ſecundum verbum Dei inſtitutis, Sapientiam autem fidei & veræ Dei notitiæ. Conjuncta enim hæc ſunt, & ſemper veram fidem ſequitur ſancta ac Deo grata vita. Eſt igitur ſententia, Qui Deum timent, hi ſane minas has non contemnent, ſed emendabunt vitam, & ſtudebunt parere Deo, non irritabunt eum amplius impia vita & cultibus impiis. Reliquum autem vulgus, quia ſtulti ſunt, pergent in impietate. *Simul Prudentia, Sapientia.*

Sed cur hoc fit? Cur non major pars verbum amplectitur? Num ideo doctrina mala eſt? Sicut hodie adverſarii noſtri, quia ſcandala multa apud nos ſunt, & pauci digna vocatione ſua vitã vivunt, doctrinam accuſant & damnant, tanquam malam, & quæ his ſcandalis occaſionẽ præbeat. Non inquit Propheta, doctrina ideo accuſanda eſt. Quia viæ Domini rectæ ſunt, hoc eſt, doctrina eſt ſancta ac pia, ac qui eam amplectuntur, hi recte ambulant. Iuſti, inquit, ambulant in eis, Qui enim verbum amplectuntur, quia credunt Deo per Semen! futurum promittenti remiſſionem peccatorum & vitam æternam, hi juſtificantur & vivunt. Sed impii qui Verbum abjiciunt corruent non doctrinæ vitio, quæ aliud non poteſt, quam ſalvare & juſtificare, ſed ſuo. Quia enim ſalutem abjiciunt, pereant neceſſe eſt. *Pauci verbum amplectuntur.*

Luc. 2. Convenit igitur ſententia cum illo Simeonis dicto, Hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicitur, Item cum illo Chriſti, Non veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvem mundum. Qui abjicit me, & non accipit verba mea, habet qui eum judicabit. Verbum enim quod locutus ſum, illud judicabit eum in noviſſime die, Et Iohan. 3. Qui non credit jam judicatus eſt. Sicut enim Propheta hic Domini vias rectas vocat, in quibus juſti ambulant, Sic Chriſtus ſe per Verbum ſuum dicit afferre vitam ad omnes, qui credunt. Qui autem non credunt, ſed ſicut Phariſæi & Sacerdotes illud vel abjiciunt vel contemnunt, hos vita carere neceſſe eſt, & immergi in æternam mortem ac damnationem. Ad hunc modum ſanctus Propheta ſe conſolatur, contra acerbum & ingens hoc ſcandalum, quod tam pauci Verbum apprehendũt & ſequuntur, Ac ſuo exemplo nos quoq; vult confirmatos, ne ideo doctrinam veram vel abjiciamus, vel odiſſe incipiamus, quod major pars licentius peccat. Non enim hoc accidit doctrinæ vitio, quaſi mala ſit, ſed Satanæ hoc opus eſt, impellentis animos contra verbum. Sicut Chriſtus docet de zizaniis in bono agro, & inter bonum ſemen enaſcentibus.

Iohan. 3. Iohan. 12. Iohan. 3. *Conſolatio contra ſcandalum.*

Igitur non frangamur animis, Meminerimus eadem ſcandala ſecuta, cum illi ſancti Prophetæ docerent, quorum nos vix diſcipuli appellari poſſumus. Sicut autem ſe conſolati ſunt contra hæc ſcandala, ſic nos quoq; conſolemur nos, & ſufficiat nobis, quod ſaltem pauci ſapientes & prudentes ſunt, qui non cum reliquo vulgo Verbum negligunt, Sed agnoſcunt peccata, emendantur, precantur veniam peccatorum, & acquieſcunt in promiſſionibus, à Filio Dei factis omnibus, qui credunt in ipſum. Nos ſurgere ex ipſa morte & peccatis nobis ſatis ſit, Reliquos quia à ruina ſervari nolunt, permittamus ruere. Cur enim non amplectuntur Verbum? Cur non nituntur Chriſto filio Dei, in hoc ab ipſo Patre poſito, ut eſſet nobis corruentibus & jacentibus propter peccatum reſurrectio & vita? Agamus autem miſericordi & æterno Patri Liberatoris & Mediatoris noſtri Ieſu Chriſti gratias pro ſummo hoc dono, quod patefecit nobis has rectas vias, Et oremus, ut nos in iis ambulantes Spiritu ſancto ſuo gubernet ac ſervet in perpetuum, Amen.

Finis Commentarii in Hoſeam Prophetam.

PRINCIPALES LOCI ET PRAECIPVAE ſententiæ Concionum Hoſeæ Prophetæ.

IN pauca contrahemus Hoſeæ Conciones omnes, ut cum totum librum complecti non poſſis, tamen eorum, quæ præcipua ſunt memineris. Hoſea igitur hoc

Ad Prophetas Baal.

varietur & fere in omnibus capitibus agit, ut idolatriam ſui populi reprehendat, & minetur vaſtitatem per Aſſyrium. Fuit autem idolatria hæc, quod cum cultus omnis divina voce ad templum Hieroſolymitanum deſtinatus eſſet, decem tribus neglecto templo erigebant altaria, & ſacrificabant ubicunq; libebat.

Idolatria Papiſtarum.

Hujus idolatriæ ſimilitudo hodie eſt, quod cum jubeamur in nomine Chriſti Ieſu invocare æternum Patrem, Nos omiſſo Chriſto Divos invocavimus, Chriſtum judicavimus ſimilem Tyranno, ſeu judici duro, qui nolit audire, niſi habeamus interceſſores, cum ipſe Mediator noſter ad Deum eſſe velit. Sicut autem Iudæi Baalim, vitulos & alias ſtatuas erigebant, Sic apud nos etiam ſtatuæ cœptæ ſunt coli, & creditum eſt, Deum eſſe magis ad hanc vel illam ſtatuam propitium, quam ſi vel domi vel alio in templo ores. Præluceat igitur nobis exemplum Iſraelitici populi, ut fugiamus idolatriam. Siquidem horribilibus pœnis Dominus eam in ſuo populo ultus eſt. Hoc primum eſt, quod Hoſea agit, ac ſunt huc referendæ inſigniores ſententiæ, quas paſſim habet. Idolatriam vocat adulterium, ac Deum tam offendi dicit idolatricis cultibus, quam offenditur maritus adulterio conjugis ſuæ.

Idolatria adulterium ſpirituale.

In quarto capite dicit, Fornicatio, vinum & muſtum auferunt cor. Sicut enim & qui amant, & qui ebrii ſunt, mente carent, & tantum non inſaniunt. Ita quoq; idolatria dementes facit, ut non erudiri, non ſanari verbo poſſint, ſed tanquam cœci ruunt, quocunq; ſpiritus fornicationis eos impellit, ſicut in Papiſtis videmus.

In nono capite dicit, Idolatriam etiam puniri hoc modo, ut Deus immittat falſos Doctores. Propter tuam iniquitatem, ait, & vehemens odium Propheta ſtultus eſt, & furit qui gloriatur de ſpiritu, Sic Paulus dicit, Immitti efficaces errores, propter veritatem non creditam.

In decimo tertio capite dicit, Idolatriam fere naſci ex ſecundis rebus, ex otio & affluentia omnium rerum, Cum abunde eos paſcerem, & ſaturati eſſent, elevatum eſt cor eorum, hoc eſt, verbum abjecerunt, & ſibi ſtatuerunt cultus quos vellent. Referendæ quoq; huc ſunt ſententiæ, in quibus minatur Propheta idolatris ac verbi contemptoribus vaſtitatem & alias pœnas, qualis eſt in capite quarto.

In quarto capite, Populus meus perit, quia ſine verbo eſt. Et paulo poſt, Populus non attendens verbo, cadet.

Et capite nono, Abjiciet eos Deus meus, quod non audierunt eum, & vagi erunt inter Gentes. Hæ memorabiles ſententiæ ſunt, quæ oſtendunt, neglecto verbo naſci idolatrias, propter quas tandem omnis generis calamitates ingruunt.

Huc pertinet, quod in quarto capite dicit, Quia abjeciſti verbum meum, Ego quoq; te abjiciam, ne ſis meus Sacerdos, & quia oblitus es Legis Dei tui, ego quoq; obliviſcar filiorum tuorum. Vtilis hæc quoq; ſententia eſt, & ad confirmandos animos hodie adprime apta. Pontifices & Epiſcopi jactant miniſterium, quod in Eccleſia habent, & volunt ideo ſervari, quæ mandant. Sed definita ſententia eſt, quod qui verbum abjiciunt, abjecti ſunt à Deo, nec debent audiri. Summa enim autoritas eſt penes verbum. Huic obedit Eccleſia, non reſpiciens perſonam docentem. Qui autem verbum non afferunt, aut contraria verbo ſtatuunt, hos ſcit Eccleſia à Deo abjectos, & non audit.

Secundus locus eſt exhortatio ad veros cultus & ſanctam vitam, ſeu ad pœnitentiam. Ea ter repetita eſt, Primum in ſexto, cum dicit, Miſericordiam volo magis quam ſacrificium, & cognitionem Dei magis quam holocauſta, Et in decimo, Seminate vobis ad juſticiam, Metite ad beneficentiam, & arate aſſiduo, Et capite undecimo, Convertere ad tuum Deum. Cuſtodi juſticiam & judicium, & ſpera ſemper in Deo tuo. Huc enim omnis vita noſtra dirigenda eſt, ut fide accipiamus remiſſionem peccatorum, ut ſcandala extirpemus & mortificemus peccatum, & in cruce renovemur. *Veritatem.* mus ſpem liberationis. Hi veri cultus ſunt, quibus Deus delectatur, Sed pauci eos præſtant, verbum negligitur, negligitur proximus, & indulgent homines peccatis. Fit igitur ut cum apprehendet eos ira & indignatio, ſint ſine ſpe. Hæc peccati vis eſt, quæ nos ab hac Regula abducit.

Igitur

Igitur exhortationi ſubjicit Propheta doctrinam, capite decimo tertio, Accipite vobiſcum verba hæc, Convertimini ad Dominum,& dicite, Remitte nobis omnem iniquitatem, & dona bonum, & immolabimus boves labiorum noſtrorum. Sola enim oratio eſt,quæ ſupplet quod nobis deeſt,Sicut etiam apparet ex parabola *Matth.18.* de ſervo debente decem millia talentorum, Matth. 18. Hoc qui faciunt,hoc eſt,qui cuſtodiunt juſticiam & judicium,& ſperant in Deo,Deinde addunt deprecationem pro remiſſione peccatorum & gubernatione, Hi per Chriſtum ſunt Filii Dei, redempti ex inferno & liberati à morte,Itaq; etſi moriuntur,tamen iterum reſurgent,excitati à Filio Dei ad æternam vitam. Interim ſpe horum donorum,quæ tum contingent,in verbo autem proponuntur,nos conſolemur,quod ſicut in ſecundo capite dicit,ſimus Filii Dei viventis,& Populus Dei, imo ſponſa,&c.

Ad hos locos pertinent inſignes ſententiæ & plenæ conſolationis,quas de Evangelio Propheta aſpergit. In ſecundo capite dicit, Erit in loco in quo dictum eſt eis, Non populus meus vos, ibi dicetur eis, Filii Dei viventis,Item,Dicite Fratribus veſtris, Populus meus, & ſororibus veſtris,Miſericordiam conſecuta,Item,Deſponſabo te mihi in æternum, deſponſabo te mihi in juſticia,& in judicio,in gratia & miſerationibus, in fide deſponſabo te mihi, & cognoſces Dominum. Additur quoque promiſſio de Oratione exaudienda,Et erit in die illo exaudiam,dicit Dominus,exaudiam cœlos, &c.

At de Hypocritarum oratione, qui doctrinam fidei abjiciunt, & nituntur ſuis juſticiis, dicit in ſeptimo, quod ſit fœdus uludatus,quo offendũtur aures Dei. Tales ſunt hodie Papiſtarum Miſſæ,horæ canonicæ,Conciones & alii cultus.

Et in quinto dicit,Cum gregibus & armentis ſuis ibunt,ut quærant Dominum, & non invenient,ſubduxit enim ſe ab eis.Docet enim quod qui pœnitentiæ tempus negligunt, & in peccatis pergunt, pœnas nulla ratione poſſint effugere, ſiquidem Deus eos non audit.

Sic in octavo dicit, Deum ſacrificia hypocritarum odiſſe,Immolant hoſtias in oblationem mihi, quæ nihil niſi caro ſunt, quam comedunt, ſed Domino non placent. Hoc enim placet, quod ſupra in ſexto dixit, Miſericordiam volo potius, quam ſacrificium,Hæc inſignia dona cum habeat Eccleſia, quæ non nititur ſua juſticia, ſed miſericordia Dei,Tamen dicit eam in valle Achor eſſe,hoc eſt,affligi varie,Sicut ideo eam in decimoquarto comparat pupillo.

In tertio capite inſignis eſt Prophetia de Chriſto, & teſtimonium quod verus Deus ſit. Sic enim dicit, Poſtea convertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum,& David Regem ſuum,& reverebuntur Dominum & bonitatem ejus. Vo- *Ezech.34.* cat enim Chriſtum David,ſicut Ezechiel Cap. 34. Quia enim idem cultus Davidi & Domino tribuitur, ſequitur, Davidem hunc eſſe natura Deum,ſecundum ſententiam,Gloriam meam alteri non dabo.

In ſexto & tertiodecimo, Sunt clara teſtimonia reſurrectionis mortuorum, Dominus laceravit nos & ſanabit nos, Percuſſit & medebitur nobis,Vivificabit nos poſt biduum, In die tertio faciet nos reſurgere, & vivemus ante faciem ejus,& ſciemus & incumbemus in id, ut cognoſcamus Dominum. Quaſi aurora firmatus eſt egreſſus ejus. Et veniet nobis ſicut pluvia, &c. Nam reſurrectionem Chriſti, qua mortem vicit,& deſtruxit infernum, ſecuta eſt revelatio Evangelii,in totum orbem terrarum, & vocamur nos quoq; ad ſpem reſurrectionis per Chriſtum.

In tertiodecimo nobilis ſententia eſt,De manu inferni redimam eos,A morte vindicabo eos, Ero peſtis tua Mors, Ero Exitium tuum Inferne. Hoc qui per Chriſtum credunt, his non mors, non infernus formidini eſt, Sciunt enim per Chriſtum mortem occiſam, & infernum extinctum. Nihil igitur reſtat, quam ut ſe adjungant ad Chriſtum victorem Mortis & inferni, Is ſua victoria ſolus non vult frui, ſed divi- *Luc.11.* dit ſpolia,ſicut in Evangelio dicit,& nos hujus victoriæ facit participes.u

Huic vero & æterno Deo, cum Patre & ſancto Spiritu, ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum, AMEN.

MART. LVTH. ADDITIO IN LOcum Hoseæ capite 13. Ero mors, &c.

HVnc locum, Ero mors tua,ô mors,Ero morsus tuus inferne, Apostolus Paulus sic legit,1. Corinth. 15. Vbi tuus mors stimulus ? Vbi tua Inferne victoria ? 1. Cor. 15.
ποῦ σου θανατε τὸ κέντρον? ποῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος? De qua re paulo copiosius & diligentius dicendum est. Quia Paulus putatur quasi aliena & impertinentia loqui, Nec est facile ullus locus tam varie translatus, ut hic Hoseæ 13. Hoseæ 13.

Primo,Evidens est,varietatem esse ortam ex ipso Ebræo textu.Nam hoc verbum(Ehi)id est,ero,Hieronymus,Symmachus & nostri omnes constanter testantur se legisse in suis Exemplaribus.Contra alii,ut 70.Quinta editio,& Aquila testantur, se legisse per metathesin (Aie) id est,ubi. Quibus consentit Paulus Apostolus, certe gravis autor imprimis,haud dubie Ebraice doctissimus.Quin sunt etiamnum Ebræi, qui etiam ipsum (Ehi) sentiant significare, ubi, & non ero,cum plenis literis, Ero, sit Ebraice (Ehie)Exod. 3. 2. Reg. 7. 1. Paral. 17.Nec nisi per apocopen E posse legi pro ero. Exod. 3. 2. Reg. 7. 1. Paral. 17.

Etsi apud me 70. autoritas parum valet, ut qui sæpius, sive volentes sive ignorantes, alienissima à verbis & intellectu Scripturæ transtulerint, quæ nulla ratione defendi possunt,ut Hieronymus in multis locis convincit,Aquilam tamen laudat,ut contentiosum & rigidissimum Interpretem,Et quinta editio non fuit contemnendæ opinionis. Quibus cum consentiat S. Paulus, videtur omnino cum illo legendum esse,& scriptum fuisse ab Hosea,Vbi,& non Ero.

Deinde illud, Mors tua, non est idem vocabulum quod sequitur,O Mors. Sed (Dbrcho) quod in Ebræo diversum efficit vocabulum. Nam si à nomine (deber) inflectas, significat pestes tuæ, sive pestilentiæ tuæ,in plurali. Et ita legisse S. Paulum credo,qui vertit,Stimulus tuus,Et hanc esse germanam lectionem arbitror. Suadet idem sequens mox vocabulum,Vbi est inferne (kotoscho ?) quod à nomine (keteb) venit,non ambiguo aut æquivoco,sed simplici & univoco.

Ista enim duo vocabula(deber)& (keteb)in Scripturis sunt nomina pestilentiarum, ut apud Latinos illa duo, Pestis & Lues. Et ut lues atrocius est,quam pestis,ut cui morbo statim necanti adhuc non potuerunt invenire remedium,imo veneno potius naturæ quam morbo,sicut Perottus dicit,Ita(keteb)atrocius in Ebræo est quam (deber) Vnde aliqui fingunt esse nomina Dæmonum, de quo videre licet Lyram & Burgensem Psal. 91. Cum ergo Hosea velut per tautologiã conjungat(keteb)univocum cum (deber)æquivoco,satis patet,eum per hoc æquivocationem restrinxisse ad univocationem,Et non(dabar)sed(deber)legi voluisse.

S.Paulus vertit (keteb)tua,victoria tua,70. Stimulus tuus,quo Paulus illud(deber tua)reddidit. Hieronymus,Morsus tuus. Symmachus,Occursus tuus,ut & Pſ. 91. latini habet,Ab incursu,id est, à (keteb) Quinta editio & Theodotio,plaga tua. Psal. 91.

Si vero legas à nomine (dabar diborecho) significat verba tua, res tuæ, causæ tuæ,in plurali. Sic legit Aquila & Quinta editio, Vbi sunt sermones tui ? Et 70. *ποῦ ἡ δίκη σου?* Vbi est causa,vindicta,pœna,jus tuum & similia,de quibus infra,Nam mihi lectio ista habetur violenta & coacta.

Sic ergo ex Ebræo absq; præjudicio mihi vertenda videntur verba proprie, Vbi sunt Pestilentiæ tuæ, Mors? Vbi est Lues tua, Inferne ? Non loquitur autem Propheta de pestibus ad literam seu casualibus, de quibus Medicorum est judicare & disputare, sicut nec de morte casuali, Sed de naturalibus pestibus & morte nobis congenitis, quæ per omne genus hominum sæviunt & furunt, Quas pestes habet etiam juvenis,sanus,robustus,formosus. Omnes enim moriuntur. Et eisdem pestibus morimur omnes.Sicut Psal. 51. plorat. Ecce in iniquitatibus conceptus sum.Sed antequam de his plura dicam, prius textum Pauli absolvamus. Psal. 51.

Allegat S. Paulus, & connectit duos locos Scripturæ, 1. Cor. 15. Prior est Iesaiæ 25. Absorpta est mors in victoriam. Perspicuum est, meipsum cum aliis 1. Cor. 15. Iesaiæ 25.

multis

multis erraſſe,qui putavimus hunc locum Ieſaiæ eſſe eundem in Hoſeæ 13. Ero mors
Oſea 13. tua. Poſterior eſt hoc cap. 13. Hoſeæ, Vbi eſt mors ſtimulus tuus? de priore prius dicendum eſt, Hic illos 70. corrigit Paulus, cum dicit, Abſorpta eſt mors in victoriam, Vbi illi tranſtulerunt, Devoravit mors prævalens, Et mutat activam ſignificationem in paſſivam. Nam illa ſententia 70. quod mors omnia devoret potenter, neque hujus loci eſt, neque digna ſpirituali & Prophetica Theologia. Quis enim neſcit, omnia deberi nos noſtraq; morti, ut Horatius dicit? Pleni ſunt omnium gentium de hac re Libri, & experientia querula nos id docet, velimus nolimus, aſſidue omnibus horis & momentis.

Ideo Paulus 70. interpretationem reprobans, veram & ſpiritualem ſententiam profert, Non eſſe dicendum, quod Mors omnia devoret prævalida, Sed quod Mors omnium devoratrix potentiſſima ſit devorata. Ideo transfert paſſive, Abſorpta eſt Mors in victoriam. Satis autem conſtat, ubi paſſiva ſignificatio eſt, ſimul poni activam, & econtra, ut fert natura relativorum, mutuo ſeſe ponunt & tollunt, Vbi ſcilicet eſt abſorptus, neceſſe eſt ut ſit abſorbens. Cum ergo S. Paulus voluerit paſſivam ſignificationem, id eſt, abſorpta eſt mors, proferre, ſimul ſignificavit illam activam ſignificationem eſſe in Ieſaiæ textu intelligendam, non pro Morte, ſed contra Mortem, Et 70. male vertiſſe, Devoravit Mors prævalens, in nominativo. Sed fuiſſe vertendum, Devoravit (ſcilicet Filius Dei) Mortem, in accuſativo, in victoriam, ſive in finem. Sic eſt enim in Ebræo, Devoravit, abſorpſit ſeu præcipitavit Mortem in ſempiternum ſeu victoriam.

In victoriam, quod Ebraice dicitur (la Nezach) credo recte ab Apoſtolo verſum eſſe. Sciunt Ebræi vim vocabuli Nezach, eſſe id, quod eſt ſuperare, ſuperiorem eſſe, vincere, prævalere, præeſſe, prædominari, ut ſit ſenſus, Abſorpta eſt Mors in victoriam, id eſt, Abſorpta Morte, prævalet, dominatur, regnat, triumphat vita. Significat enim (ut Grammatica docet) motū ad locum, ſive (ut Philoſophi de ſuis rebus dicunt) finem ultimatum & gratia cujus, Vt hæc victoria non ſit Chriſti victoria activa, ſed noſtra victoria paſſiva, quam nobis Chriſtus ſua victoria peperit, ſcilicet, Mors etiam nobis abſorpta eſt (per Chriſtum victorem) ut vita in æternum triumphet. Nec ſpes ulla ſit Morti, ut unquam redeat, ne ad pugnam quidem, multo minus ad victoriam ſeu regnum, quale hactenus & nunc habet in nos miſerrimos homines.

Rom. 5. Sic Paulus Rom. 5. Vt ſicut regnavit Peccatum ad mortem, ita regnet Gratia per juſticiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Et iterum, Mors regnavit ab Adam uſque ad Moſen. Ex iis intelligitur, Paulum illud verbum (Nezach) quod noſtri, in finem, in ſempiternum, 70. prævalere, interpretati ſunt, pro vincere, & victoria uſurpaſſe. Et quid verius dici poteſt, quam illum vincere & prævalere, qui ſuo adverſario intereunte vel abſorpto, ipſe in æternum manet ſalvus & glorioſus?

Poſterior locus eſt hic, quem in manibus habemus quem ſupra ex Ebræo reddidimus, Vbi ſunt Peſtilentiæ tuæ, Mors? Vbi Lues tua, Inferne? Quod Paulus ſic reddit, Vbi tuus eſt Mors Stimulus? Tbi tua Inferne Victoria? Hic neceſſe eſt, Pauli-
Rom. 5. 6. 7. nam Theologiam de peccato, Rom. 5. 6. 7. præcognitam habere. Nam Hoſea idem vult cum S. Paulo, Nempe genus humanum totum ſemel eſſe corruptum & perditum peccato, per primum hominem, quod vocant originale, Atq; hoc ipſum ſucceſſu temporis auctum fuiſſe actualibus peccatis, ſimul & pœnas auctas eſſe, ſemper enim & quotidie augeſcunt utraque.

Hoc peccatum vocat peſtilentias Mortis & luem inferni, ſicut dicit, Stimulus mortis peccatum eſt, A quibus per Chriſtum Filium Dei ſumus liberati & redem-
Gene. 2. pti. Nam ſine Peccato Mors nulla eſſet, ſicut Geneſ. 2. dicitur, Quacunq; die comederis, morte morieris, id eſt, abſq; peccato viveres in æternum. Corrupta autem natura per iſtas Peſtilentias & Luem, id eſt, per Peccatum, ſubjecta eſt morti. Et, ut Pau-
Rom. 5. lus dicit, intravit mors per peccatum in omnes homines, Rom. 5. Sic Mors regnat & triumphat per ſuas Peſtilentias, & Infernus per ſuam Luem. Nam peccatum eſt vis,

regnum, potentia, imo virus, venenum, contagium Mortis, nec unius generis, ſed multæ Peſtilentiæ.

Porro Peſtes illæ & Lues ſeu peccatum, ut plurimum, habet ſe velut cubans & dormiens, quietum, ſed in foribus, ſicut Geneſ. 3. dicitur, id eſt, non ſentitur nec reputatur, Vt videmus in hominibus ſecuris & epicureis, Etiamſi hoc modo pereant omnes, & moriantur per ipſum, licet ignorantes, Rom. 4. Peccatum non imputabatur, cum non eſſet Lex. Sed regnavit Mors ab Adam uſq; ad Moſen, etiam in eos, qui non peccaverunt, &c. Et Rom. 7. Sine Lege Peccatum mortuum erat, Sed cum veniſſet Mandatum, revixit Peccatum. Gen. 3. Rom. 4. Rom. 7.

De hoc non agitur hoc loco, ſed de peccato per Legem excitato, id eſt, cognito. Hoc oſtendit, ſeſe eſſe Peſtilentias Mortis, & Luem Inferni, quia vel irritatur & furit magis, odiens Legem prohibentem, ſicut dicitur, Nitimur in vetitum, &c. vel ducit ad deſperationem & blaſphemiam, ſenſu iræ Dei. Ita fit peccatum ſupra modum peccans, operans omnem concupiſcentiam in nobis, & occidens per mandatum, Romanorum 7. Rom. 7.

Has duas formas Peccati tangit Spiritus iſtis duobus verbis, Mors & infernus. Irritatum peccatum ſcit ſeſe Morte digna facere, & per deſperationem ſeſe in Infernum ire, Et ut Mors corpus occidit, ita Infernus animam rapit. Inde in ſcripturis duo iſta loca ſic diſtribuuntur, ut (keber) ſepulchrum corpori (ſcheol) Infernus animæ deputetur, Pſalm. 6. Non eſt in Morte, qui memor ſit tui, In Inferno quis confitebitur tibi? Pſal. 115. Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui deſcendunt in Infernum. *Keber. Scheol.* Pſal. 6. 115.

Hieronymus hoc loco dicit, Inter Mortem & Inferos hoc intereſt, Mors eſt, qua anima ſeparatur à corpore, Infernus, locus in quo recluduntur animæ, ſive in refrigerio, ſive in pœnis, pro qualitate meritorum, Quod dicit propter Patriarchas, qui in Infernum ſeſe deſcendere fatentur. Sed qualis ſit ille locus, & quid aut qualiter in eo ſint, agant, habeant animæ, neſcimus, quia Scriptura non dicit. Exiſtimatur ſane poſt reſurrectionem Chriſti nullum eſſe piorum Infernum. Licet pro eo finxerint Purgatorium homines audaces, Sed qui intelligunt, quid ſit Peccatum per Legem excitatum, & deſperationem adducens, ipſi intelligunt, quid ſit Mors & Infernus. Sed mirum eſt, cur Paulus pro, Peſtilentiæ tuæ, reddit, Stimulus tuus, Et pro, lues tua, victoria tua. An & voluit à 70. diſſentire, vel potius illis, qui peſtilentias & luem in paſſiva ſignificatione accipiunt, Vt faciunt illi qui legunt, Ero peſtilentiæ tuæ Mors. Ero lues tua Inferne, ſcilicet, quas Mors, & quam Infernus patiantur à Chriſto Filio Dei. Et forte amphiboliam declinavit. Nam etiamſi leges, Vbi peſtilentiæ tuæ Mors? ambiguum apud nos ſonat, de peſtilentia, qua occiditur mors, & de peſtilentia, quæ nos occidit.

Ipſe autem cum Hoſea indubitate loquitur, de activa mortis peſtilentia, qua nos occidit, Sicut econtra de reſurrectione noſtra loquitur paſſiva, qua nos reſuſcitamur, non de activa perſonali Chriſti reſurrectione, quæ eſt effectrix noſtræ reſurrectionis, ut clariſſima ſunt verba Pauli, Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt, Vbi eſt mors ſtimulus tuus, &c. Licet reſurrectio noſtra neceſſaria conſequentia reſurrectionem Chriſti. & contra inferat, ut fert natura relativorum, Et ſatis clare prædicatur verbo præcedenti, De manu inferni redimam eos, de morte liberabo eos. 1. Cor. 15.

Fortaſſis atrocius voluit de re tanta dicere & Hoſeæ verbum Peſtilentiæ tuæ, velut plebeium, caſtrenſi & militari, ſeu latronali potius verbo amplificare, ſcilicet ſtimulo, quo Mors non ceu lenta peſte, ſed tota vi ſemel totum genus humanum confoderit & confecerit in æternum. Oportet enim hic emphaſim obſervare in ſtimulo mortis. Nam ſi ſolitarium dicatur, ſtimulus ſeu aculeus, leviuſculæ ſignificationis eſt, cum & apiculæ & minutiores vermes habeant aculeum ſeu ſtimulum.

Sed ſi addas, Mortis, jam aculeus ſeu ſtimulus major eſt toto mundo, ac plane tantus, quanta ipſa mors eſt, Domina & tyranna ſcilicet totius generis humani à princi-

principio mundi usq; ad finem. Sicut si verbum dicas solitarium, exile quiddam cogitatur, scilicet loquela hominis, Sed si addas Dei, jam verbum majus est tota creatura, etiam ipsa morte & inferno.

Libenter etiam dicerem, Paulum respexisse ad stimulum Goliath, qui figura fuit Mortis. Idem fortassis fecere Ebræi ante 70. Vix enim credo 70. primos invenisse suam hoc loco interpretationem. Quidquid sit, quando Mortem & regnum ejus nominas, omnia maxima nominasti, etiamsi tantum febrem, papulam, subulam, aciculam Mortis nominares. Mors enim totum genus hominum absorpsit, Vnde & (keteb) inferni Paulus solus vertit victoriam, quasi absorptionem æternam, Vbi 70. stimulum posuere, ut supra dixi. Quia infernus per (keteb) id est, peccatum absorbet, regnat & triumphat super genus hominum, veluti nunquam liberandum.

Hic iterum vides Paulum delectari hac significatione (Nezach) pro victoria, quod alias in finem, in sempiternum transfertur, quod is vicerit & prævaluerit, qui pereunte adversario manet, ut Psal. 9. Inimici defecerunt frameæ in finem, id est, victoriam, Et Psal. 10. Avertit faciem suam, ne videat in finem, id est, victoriam. Sic mors per (keteb) devorat omnes homines in finem, id est, in victoriam, quia omnibus morientibus ipsa pergit & triumphat. Est sane pulchra prosopopœia, qua mors & infernus finguntur hostes humanæ naturæ, terribiles armis suis, aculeo (Deber, keteb) victores, triumphatores, insultatores in æternum sua victoria, id est, peccato & morbo naturæ, quos Filius DEI per seipsum pro nobis, ut David, Goliath, prostravit, & sustulit in sempiternum & in victoriam.

Psal. 9. 10.

Iam facile est, si libet, aliorum interpretationes conciliare, ut, Vbi sunt Mors sermones tui? Sermones, verba, res Mortis, quibus agit, sunt ipsum peccatum & chirographum decreti, ut Paulus ait, quo nos reos arguit, accusat, condemnat. Quid enim Mors aliud contra nos potest dicere, contendere, jactare, quam hanc vocem, Tu peccasti, peccato tuo mihi reus es, peccati jure te devoro in sempiternum? Cum nulla creatura loquitur vel agit Mors, nisi cum homine, quia solus ipse peccavit. Nullum animal peccat. Loquitur autem contra nos non nisi judicium, & agit causam seu δίκην suam, ut 70. vertunt.

Colos. 2.

Eadem feceris cum morsu, incursu, occursu, & si quæ alia alii transtulerunt. Nam quando in hoc omnes conveniunt, ut de morte & inferno, & regno eorum loquantur, Paulus autem aperte dicit, peccatum esse illud medium seu instrumentum, quo Mors & Infernus agunt, vorant, regnant, triumphant, & omnia contra humanum genus faciunt, sine periculo peccatum ipsum appellas stimulum, aculeum, morsum, pestem, luem, virus, plagam, incursum, victoriam Mortis & inferni, & omne illud, quo homo occidi & damnari potest. Nisi quod opera tamen danda est, ut Ebræus textus Hoseæ aliquam unam teneat verborum certamque Grammaticam, quam variis modis Paulo & aliis liceat figurare, salva sententia. Quia nec Paulo cura est, an stimulus vel pestis dicatur, &c. modo intelligas hunc stimulum, pestem, &c. nihil esse nisi peccatum. De hoc satis.

Hoseæ 13.

Retexamus nunc totam Concionem Hoseæ in fine cap. 13. Colligata est iniquitas Ephraim. Omnibus notum esse puto, Prophetas maxime vero Hoseam, abbreviatas posuisse sententias ac veluti themata, vel potius summaria Concionum suarum. Ita cum Hosea haud dubie in ista Concione bene prolixam habuerit orationem, de Lege, peccato, gratia Christi futuri, & regno ejus, tandem collegit & signavit omnia in summam & breviſſima capita, dicens, Colligata est iniquitas Ephraim, ac si diceret, Sæpe & satis multa diximus de Lege, sed quo plus docemus, hoc magis peccatur. Nihil proficimus Lege docenda, nisi quod Legem docere ita necessarium est, quo populus agnoscat sese esse perditum peccatorem, per Legem convictus, & egeat alia doctrina ultra Legem, nempe de remissione peccatorum & Spiritu sancto, per Messiam promissum & futurum donando, ad aliam scilicet æternam vitam, Ideo dicit,

Colligata est iniquitas Ephraim, Absconditum peccatum ejus.

Scio Hiob. 14. dici, Sigillatum eſt in faſciculo peccatum meum, quod voluit intelligi de peccato reſervato & puniendo. Verum quando hoc loco additur, Abſconditum eſt peccatum ejus, ſequar hanc ſententiam, quod Hoſea propheter de novo Teſtamento, id eſt, de remiſſione peccatorum, ſicut Daniel dicit, ut ſigilletur peccatum. Et Pſal. 32. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Abſcondi enim peccata eſt, ut Pſal. 51. dicit, Averti faciem à peccatis. Et Ieremiæ 33. & Eſaiæ 43. peccatorum non recordari amplius. Nam ſi iniquitates obſervaveris Domine (quod fit illuſtrante, docente, accuſante & damnante Lege) quis ſuſtinebit? Sic & Hiob 14. Nunc tu numeraſti greſſus meos, ſed parce peccatis meis, quod Ebraice dicitur, Ne obſerves peccatum meum.

Daniel 9. *Pſal. 32.* *Pſal. 51.* *Ierem. 33.* *Pſal. 29.* *Eſaiæ 43.* *Iob. 14.*

Igitur hoc vult Hoſea, Futurum eſt tempus acceptabile & dies ſalutis, in quo Lege finita ſeu impleta per Chriſtum, iniquitas Ephraim claudetur & colligetur, remittetur, & peccatum abſcondetur, & velut ſepelietur, Quod per Legem continue revelatur, aperitur, & dilatatur, Tunc autem contrahetur & velut in faſciculo conſtringetur, ne amplius pateat coram oculis Dei, & ne prolatum foras, ultra accuſet & vim ſuam oſtendat.

Dolores parturientis venient ei.

Hoc de ſalutari parturitione & dolore intelligitur, de qua Eſaia 26. Domine, in anguſtia requiſiverunt te, Et mox, Sicut prægnans vicina partui dolet, & clamat in doloribus ſuis, ſic fumus à facie tua Domine, Concipimus, parturimus, & parimus ſpiritum, Iere. 31. Poſtquam ſum converſus, pœnitentiam ago, Et poſtquam cognovi, percuſſi femur &c. Hoc eſt enim mulierum parturientium in Ieremia, Et Mich. 4. Dole & ingemiſce filia Zion, quaſi pariens, Quoniam nunc egredieris de civitate, & habitabis in agro. Remiſſio enim peccatorum & gratia operantur carnis mortificationem, odium ſui & deſtructionem peccati in carne, Deinde excitat perſecutionem, ut notum eſt exemplo totius Eccleſiæ. Hi ſunt dolores ſalutares parturientis. Durum eſt carni, præſertim Ephraim, mortificari gloriam Legis, & juſticiam operum occidere, in ſeipſo. Hoc vere eſt mortificari veterem hominem, & exuere cum actibus ſuis, non tantum illis craſſis & manifeſtis peccatis, ſed ſpecioſis & ſanctiſſimis cultibus, in quibus fidebant certi & ſecuri de gloria apud Deum.

Eſaiæ 26. *Ierem. 31.* *Mich. 4.*

Ipſe filius non ſapiens.

Hoc eſt, Nunc factus filius ex ſervo & novus homo ex veteri, videt & ſentit ſeſe eſſe & fuiſſe ſtultum, qui Lege voluerit juſtificari, & in ſeipſo gloriari, Nunc intelligit alio verbo, ſcilicet Evangelio opus eſſe, quo eruditur, ut glorietur in Domino, & quæ antea pro lucro habuit, nunc pro detrimento habeat, Et ut fiat ſapiens, ſtultum ſeſe oportere fieri cognoſcit. Hoc fuit huic populo duriſſimum, & major pars hanc ſtultitiam crucis repudiavit, manens in vita & gloria juſticiæ & ſapientiæ ſuæ. Sed iſta ſtulticia agnita, eſt beata & ſaluberrima.

Quia tempus erit, in quo non ſtabit in contritione filiorum.

Sub Lege erat tempus, ubi perpetuo parturiebant, & nunquam pariebant, Sectando Legem in juſticiam Legis non pervenerunt. Nihil enim ad perfectum duxit Lex, ſed oſtendit tantum juſtitiam, & non præſtabat, Ita in Lege eſt ſemper diſcere, & ad ſcientiam veritatis nunquam pervenire. Quia parturiens non habuit vires ad enitendum, ut verbo Ezechiæ utar. Ita nihil fuit ibi, niſi contritio & ſuffocatio filiorum, Quia ex operibus Legis non juſtificatur ulla caro. At tempore gratiæ non amplius ſtat Ephraim in contritione filiorum, Quia omnes ex Deo nati ſunt feliciſſimo partu. Ipſa enim mater vires habet, Sic Pſal. 110. Ex utero auroræ tibi ros pueritiæ tuæ, Et Eſa. 54. Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, Quia multi filii deſertæ magis, quam quæ habet virum. Sic Zion non ſtat in contritione filiorum, ſed in lætitia multorum filiorum. De qua re Eſaias in multis locis copioſe loquitur. Quia

Eſaiæ 37. *Pſal. 110.* *Eſa. 54.*

De manu Inferni redimam eos, de Morte liberabo eos.

Hæc

Hæc ſunt verba in perſona Filii Dei incarnati & Salvatoris, qui eſt finis Legis ad juſtitiam omni credenti. Nam Lex iram operatur & ad Infernum ducit, ſed non reducit, Mortificat, ſed non reſuſcitat. Hæc ſunt notiſſima ex Evangelio. Non enim argento & auro, ſed ſuo proprio corpore & ſanguine precioſo nos redemit.

Vbi eſt Mors ſtimulus tuus? Vbi eſt Inferne victoria tua?

De quo ſatis ſupra dictum eſt, Quanquam illa ſententia, Ero Mors tua, ô Mors, Ero peſtis tua Inferne, vehementer & merito delectet, & veriſſima ſimul ac jucundiſſima eſt. Denique ex natura relativorum ex priore ſequitur. Sed Paulum 1. Corinth. 15. hoc loco volui explicare juxta grammaticam, ideo differenda fuit in alium locum. Hæc mihi viſa ſunt adjicienda, Cætera in Commentario.

SVPPVTATIO ANNORUM MUNDI

D. M. LVTHERI.

Anno M. D. XLI.

Dictum eorum, qui dicebantur de Domo ELIÆ Prophetæ, Burgen. parte prima, diſtincti. 3. Cap. 4. Scrutinii.

Sex millibus annorum ſtabit Mundus.
Duobus millibus inane,
Duobus millibus Lex.
Duobus millibus Meſſiah.
Iſti ſunt Sex dies hebdomadæ coram Deo, Septimus dies Sabbatum æternum eſt.
Pſal. 90. Et 2. Pet. 2.
Mille anni ſicut dies unus.

MARTINVS LVTHERVS.

In anno 1541 referenda eſt hæc Annorum mundi Supputatio, ſi priorem editionem ſequarit, Sin poſteriorem, in hunc 1545. quo ſub prelum revocata emendatior exijt.

HAnc Supputationem annorum, ad meum unius uſum paraveram, non ut eſſet Chronicon vel Hiſtoricon, Sed ut ob oculos poſitam haberem veluti tabulam, ad inſpicienda tempora & annos Hiſtoriarum, in ſacris literis traditarum, Si quando recolere vellem, quot annis Patriarchæ, Iudices, Reges, Duces, vixiſſent vel regnaſſent, aut quanto intervallo temporis ſibi ſucceſſiſſent. Ideo non eſt, ut multis verbis vel commendem, vel extenuem. Non enim ſpectavi, quid vel quantum utilitatis aliis afferret, præſertim cum tot extent Chronica ſeu Hiſtoriæ, & quotidie multiplicentur. Ego contentus ſum eo fructu, quem inter ſupputandum percepi. Illi, qui vulgatam voluerunt, ubi ejus videndæ copia rogantibus à me facta eſt, Vel qui lecturi ſunt, viderint, an operæ pretium facturi ſint legendo. Mea ſane nihil refert, ſive pereat, ſive maneat, Sed nec multum curo, ſive aliis ſatisfaciat, ſive minus.

Sane Chronicon Charionis Philippicum, primum eſt & optimum exemplum ſupputationis, in quo pulcherrime totus annorum curſus, in ſex millenarios diſtributus eſt, id quod & ego ſecutus ſum. Vnum auſus ſum in Hiſtoria Ioram Regis Iuda ſub Elia & Eliſæo, in qua 20. annos plus numeravi, quam habeant omnes alii Chronici. Hæc mea eſto culpa vel ſtudium, ratio reddetur ſuo loco. Nam Euſebii Chronicon, ſumptum ex 70. interpretibus, qui Geneſi 5. (ut Hiero. in quæſt. Ebraicis refert) ſemper ducentos pro centum tranſtulerunt (fortaſſe nomine ſingulari Meath pro nomine plurali Meoth accepto) invexit in omnes Chronicas ante noſtram ætatem iſtum errorem, reliquos omitto, ut abundent in numeris annorum, mille ducentis quadraginta novem annis. Deniq; ſextum Millenarium, quem ſextam ætatẽ vocant, egreſſi,

Digitized by Google

egreſſi,de ſeptimo Millenario, quem ſeptimam vocant,jam dictos annos numerant. Verum de Euſebio minor eſt querela, qui fuit vere,ut Hieronymus ſcribit,vir admirabilis & diligentiſſimus, De aliis omnibus Hiſtoricis querimur, & ipſi inter ſeſe queruntur, deſtitui ſe exacta annorum ſupputatione. Quare illis poſthabitis hoc opere hanc ſupputationem ex Scripturis ſanctis potiſſimum colligere volui, quibus certe & fideliter niti poſſumus & debemus. Scripturæ autem ſic habent, ut ſequitur.

PARTES SUPPUTATIONIS

Annorum à condito Mundo.

1656 ad Diluvium. Gene. 5.
367 ad vocationem Abrahæ. Geneſ. 11. & 12.
430 ad Exitum de Ægypto. Exod. 12. Galat. 3.
480 ad Templum Salomonis. 3. Reg. 6.
158 ad Finem Stirpis Salomonis. 4. Reg. 11. & 2. Paral. 23.
291 ad Migrantem Iechanĭa. 4. Reg. 12. uſq; ad finem.
11 Zedechiæ. 4. Reg. 24.
70 Deſolationis.2. Paral. ultimo. Eſdr. 1.
46 ad initium hebdomadarum anno 2. Darii, Iohan. 2.
483 ſeu 69. hebdomadæ ad occiſum & reſurgentem Chriſtum. Dan. 9.
7 anni ultimæ hebdomadis, in qua Pactum firmatum & Lex abrogata in medio ejus. Daniel. 9.

Anni Chriſti ſequentes patent per ſe.

ALITER ET HOC MODO.

1656 ad Diluvium. Geneſ. 5.
292 ad natum Abraham. Geneſis 11.
425 ad natum Moſen.
80 ad exitum de Ægypto.
480 ad Templum Salomonis.
158 ad Regem Ioas & finem Stirpis Salomonis.
291 ad migrantem Iechanĭa.
11 anni Zedechiæ ad Deſolationem.
70 anni Deſolationis uſq; ad Cyrum.
46 ad ſecundum annum Darii, id eſt,initium hebdomadarum.
483 anni ſeu 69. hebdomadæ ad occiſum Chriſtum.
7 anni ultimæ hebdomadis.

De partibus omnibus Supputationis nulla eſt omnino mihi dubitatio. Quare & de ſumma non poteſt eſſe quæſtio,excepta una parte,quæ eſt à finita Deſolatione uſq; ad initium Hebdomadarum, ſeu à Cyro uſq; ad 2. annum Darii, de qua paucula dicam,quæ me movent.

Iohannis 2.dicunt Iudæi ad Chriſtum,46.annis eſt Templum hoc ædificatum, & tu in tribus diebus excitabis illud? Quo verbo ſatis certum fit,plures quam 46.annos fluxiſſe inter Darii & Cyri primum annum & Templum perfectum. Nam ex Eſræ 7. clarum fit, Templum eſſe completum non anno 2. Darii ſeu 46. à Cyro,quando exivit verbum DEI per Haggæum & Zachariam ad initium Hebdomadarum. Sed anno Darii 6. Ita ſuperant quatuor anni ultra iſtos 46. annos dictos,& ſunt pleni 50.anni à Cyro uſq; ad Templum completum. Quæ res ſola facit quæſtionem propter iſtos 4. annos, alioqui ſunt ſalva & certa omnia. Hanc quæſtionem parit incertitudo annorum Regum Perſarum. Nam Hiſtorici variant,non ſolum in annis Cyri, ſed & Darii & aliorum. *Eſr. 7.*

Dabo(ſtultus)meas de his 4. annis imaginationes in publicum,conſulat & judicet,qui volet vel poteſt,meliora. Daniel.5.& 6. Darium Medum & Cyrum Perſam *Dan. 5. 6.* ſeor-

seorsim regnare facit, dum dicit, Darium Medum succeſſiſſe Balthaſari in regnum Chaldæorum. & Cyrum non addit. Item, dum dicit, Daniel proſpere egit in Regno Darii & in Regno Cyri Perſæ, non quod ideo falſum ſit, quod Cyrus cum Dario ſimul regnarit, ut eſt moris Scripturæ, ubi Filii cum patribus regnare leguntur, Sed quod diſtinguendum ſit Regnum Cyri cum Dario, à Regno Cyri ſolius. Quod ideo dico, quia mihi neceſſarium hoc loco videtur primum annum Cyri (2. Paral. ultimo & Eſræ 1.) intelligere annum primum Cyri ſolius & poſt Darium regnantis. Sic abſorbentur duo anni de iſtis 4. annis ſuperantibus, & manent tantum duo anni in quæſtione, quos ita vellem abſorbere.

Vt ſunt magnorum Regnorum & potentatuum præſertim novorum tarda molimina & impediti ſſima antequam confirmentur, potuit fieri, ut Edictum Cyri vix in fine primi ſui anni ſit editum, ut ſic unus annus in eo conſumptus ſit. Poſt ne ceſſe videtur etiam annum unum ad minus tribuere paraſceve Iudæorum, quo ſeſe poſt Edictum datum pararent ad reditum; multo magis ad poſſeſſionem capiendam in Hieruſalem. Vt, ſi in fine ſecundi anni, vel in tertio anno Cyri cœperunt ædificare, ſatis multum feliciter feſtinatum eſſe poſſis dicere. Sic abſorbentur reliqui duo anni, & ſtabit textus Iohannis 2. 46. annis eſſe templum ædificatum. Sentio ſane, quid hic, etiam ego ipſe poſſim contradicere, Sed parum me movet.

Duos autem annos Darii Medi poſſunt (qui volunt) includere intra 70. annos Deſolationis, Sed ego malo eos numerare poſt 70. annos. Nam occiſo Balthaſſare, & Regno ejus ad Darium Medum translato, jam reipſa fuerunt Iudæi liberati, & Prædictiones Hieremiæ impletæ. Quare iſtis duobus annis laboratum & actum eſt de populo Iudæorum, jam ubiq; liberato, etiam remittendo in terram ſuam, in qua re Daniel cum ſuis ſtrenue laboraverunt.

Quibus autem iſta non placent, dent meliora, vel, ut rigidiſſime omnia exigant, dicemus parum eſſe, ſi tota Supputatio certa ſit, & tantum in 2. vel 4. annis quæſtio hæreat. Si enim ad finem mundi omnia recte quadrent præter 2. vel 4. annos, non multum periclitatur fides & Eccleſia, poterimus tuta conſcientia 4. annos in tanta re, id eſt, totius Mundi curſu ignorare.

Hoc ſolum volo admonere eum, qui admoneri ſe patitur, Me fixum & pertinacem ſtare in ea ſententia, eſſe ſcilicet initium Hebdomadarum nullo alio loco, quam ſecundo anno Darii Longimani ponendum, ut fruſtra ſe agere ſciat, qui mecum ſuper hac re diſputare vel contendere paratus eſt. Denique pro me ſolo (ut dixi) hanc Supputationem paravi æquiſſime ferre paratus, ſi alius aliam pro ſe ipſo vel pro aliis elaboraverit, Ego ſolis Scripturis Sanctis nitor. Vnde & Philonem quanquam valde invitus cogor rejicere, intra Hebdomadas Danielis alicubi ſuperantem 18. annis. Et mihi parva ratio habetur, ubi Alexander, Antiochus, Epiphanes, Maccabæus &c. ponantur, quanquam eos pono, ſed non valde anxius ſuo in loco, an ſecus, cum mihi interim anni Hebdomadarum ſalvi & certiſſimi currant.

Sic & Metaſtheni cogor diſſentire in 12. annis. Nam ſi Metaſthenis ſupputatio & numeri Regum Aſſyriorum ſtent, fiet neceſſario, ut Sanherib venerit ad Ieruſalem 2. anno Ezechiæ, quod eſt impoſſibile. Nam 6. anno Ezechiæ transfert Salman Aſſar totum Iſrael in Aſſyriam. 4. Reg. 17. Et demum anno 14. Ezechiæ venit Sanherib ad Ieruſalem, 4. Reg. 18. Hæc cauſa me movit, ut Hiſtoricos non quidem in totum contemptos haberem, ſed ſacram Scripturam illis præferrem. Vtor illis ita, ut non cogar Scripturis contradicere. Quia credo in Scripturis Deum veracem loqui, in Hiſtoriis homines optimos ſuam quam potuerunt diligentiam & fidem (ſed ut homines) præſtare, aut ſaltem tranſcriptores potuiſſe errare.

A CON-

A CONDITO MVNDO, ET EXILIO DE Paradiſo, A peccato & morte & Satanæ regno.

Mortuus enim tunc fuit Adam, dum ſenſit judicium Mortis. Nam Mors ſine ſenſu non eſt Mors, ſed ſomnus Iohan. 8. Non guſtabit mortem &c. Sic multi moriuntur ſubito terrore & major pars mœrore tabeſcit. Sic paſſim fatetur David ſeſe ex inferno inferiore liberatum, id eſt, ex Morte vere æterna, quam guſtavit.



Primo promittitur Gratia contra peccatum, Vita contra mortem, Spiritus ſanctus contra Satanam, per Semen mulieris.

Qua promiſſione Adam & Heva per fidem ex morte vivificati, generant Cain & Habel, Et incipit Eccleſia Dei propagari, Sed mox Cain Apoſtata conſtituit Eccleſiam Diaboli.



Circa hæc forte tempora offerunt Cain & Habel, Occiditur Habel, prævaletque in hoc ſeculo Eccleſia Cainiça, Sed ſignificatur, Eccleſiam Dei vivere, alia ſcilicet æterna vita in Habel mortuo, qui in Deo vivit. Primum exemplum Seminis promiſſi.

Filiæ non numerantur, cum tamen pateat Cain habuiſſe uxorem, & Textus dicat genuit filios & filias. Videtur ergo Adam poſt Cain & Habel multos genuiſſe alios antequam occideretur Habel, à quorum conſortio & Eccleſia Cain queritur ſeſe ejici, quod vocat à facie DOMINI ejici, quos & timuit, ne occideretur ab eis.

Deus bone', Quid egerunt illi duo homines soli tot annis, post occisum Habel & abjectum Cain? Luxerunt scilicet horribiles istos casus, & initia mundi tam tristia & infelicia.

Quid passi sint licet facile æstimare, scilicet Mórsus serpentis & desperationis, X & similium agonum impetus, Item, exempla pessima Ecclesiæ Cainicæ. Nam credi potest, Cain genera-sse, & Ecclesiam feciſſe antequam nasceretur Seth, Deniq, Civitatem condidit, Politiam speciosam constituens.

X

Nullus fuit homo miserior primo parente, neque erit. Ipse enim conscientia illa horribili oppressus, quod suo solius peccato efficax causa fuit, perditionis in corpore & anima, omnium posterorum suorum, id est, totius generis humani. Hic est homicida, primum sui ipsius, deinde omnium filiorum suorum, usq; in finem mundi, id est, infinitæ multitudinis animarum. Quomodo potuit uno momẽto vivere, talia cogitans? Nisi Deus ipse per Angelos familiariter locutus fuisset, dicens, Noli desperare Adam, Ego resarciam hoc infinitum malum, & mittam Filium, qui de tua Carne tibi quoque filius erit. Hic tollet totum hoc peccatum, & salvabit genus filiorum tuorum. Hinc forte apud gentes reliqua mansit fabula, ex obscura antiquitate, quod Saturnus senex devorat omnes filios suos.

X Seth nascitur anno Adæ & Hevæ, 130.

X

X



Cur tam diu diſtulerunt generare? ſcilicet per Adam admoniti de peccato & Diabolo tam diu ſub diſciplina fuerunt. Audiverunt & didicerunt omnia antequam ſubirent onera Eccleſiæ, politiæ, œconomiæ.

Nos hodie vix egreſſi de utero & plane heſterni (ut Iob ait) præſumimus omnia, & plusquam omnia poſſe, ideo tam feliciter regnamus.

Sic Iacob fuit in Tabernaculis vir ſimplex ſcilicet ſub Eber, & didicit Theologiam antequam conjugium ſuſciperet.

Non eſt enim dubium quin Patres iſti diligentiſſime inſtituerint & docuerint filios contra Diabolum, peccatum & periculo hujus vitæ, tum labores & patientiam in Eccleſiæ, politiæ, & œconomiæ adminiſtratione.



Enos naſcitur anno Seth. 105.

Tunc ceptum eſt invocari nomen DOMINI. Scilicet, quod Evangelion de Semine mulieris ſucceſſum habuit, forte converſis aliquot etiam de Cainica Eccleſia, Epiſcopante ipſo Adam cum Seth.

Digitized by Google


X
X
X
X
C X
300.


X
X
Kenan nascitur anno Enos 90.
X
X
X



Malaleel nascitur anno Kenan. 70.

400.

Digitized by Google


X
X
X
X


X Iared nascitur anno Malaleel. 65.
X
X
X
C X
500



Iſta vacua ſpacia annorum oportet intelligi tanquam plena hiſtoriis mirabilib. iſtorum Patriarcharum. Quæ ſi eſſent ſcripta, longe majus opus implerent, quam nunc ſunt tota Biblia, imo quam multa Biblia. Nam ubi Moſe dicit, Genuit filios & filias, ſignificat

ficat eos fuiſſe Patresfamilias. Gubernatores politiæ & Eccleſiæ miſerrimos & laborioſiſſimos, ut qui ſub Regno Diaboli, quod ſub Adam cœpit educare liberos, regere domos & reſpublicas & Eccleſias in cultu Dei & officio verbi, ſunt coacti. In quibus rebus à Diabolo in Cainica Eccleſia, quæ Mundus tunc dici potuit, innumerabiles paſſi ſunt agones, & forte plures, quam nos hodie patimur, Denique prævalente tandem Cainica Eccleſia ſeu Mundo fruſtra illis ſanctis Patribus renitentibus etiam filii Dei degenera-verunt, & corrupta Eccleſia Dei coëgit Deum iraſci & diluvio omnes perdere.

600.


X
X
Henoeh naſcitur Anno
Lamech 162
X
X
X


X
X
X
Methuſalah naſcitur
Anno Henoch. 65.
X
C X
700.


X
X
X
X
X



800.


X
X
X
X



Lamech naſcitur Anno
Methuſalah. 187.

900.

Nota

Adam vivit cum

Seth	800	annis
Enos	695	
Kenan	605	
Malaleel	535	
Iared	470	
Henoch	308	
Methuſalah	253	
Lamech	56	

Quorum Conciones non in libris, ſed in cœlo ſcriptæ ſunt, unde vocatur tempus Thohu vacuum. Quia non lex, nec libri, Sed vivi fuerunt Sermones per Patres in poſteros traditi.

X

Et hi viciſſim cum Adam totidem annis vixerunt, videntes, audientes, expertiquoque illius & ſuas tentationes. Solt das nicht gute Theologen / Prophetен vnd Patres machen? Non diſputaverunt de lana caprina, von Thalern/ Gülden/ Coronis/ Sed de ſerpente, peccato, morte, inferno, rurſus de Semine Mulieris, Iuſticia, Vita, Paradiſo, Angelis, &c.

Magnum tamen fuiſſe ſolatium credi par eſt, Adę & Hevæ, videre fidem Seminis promiſſi in poſteritate iſta.

X

Mortuo vero Adam, Henoch ſingulare fuit ſolatium reliquis, ſublatus in vitam Seminis vivificantis, poſt mortem Adæ peccantis.

X Adam moritur 930.

anno

Tot annis vixit Adam in fide Seminis promiſſi, etiamſi quotidie moreretur à ſerpente morſus, Neque Serpens quieviſſe putandus eſt.

Moritur Adam in Chriſto Semine mulieris defunctus, relinquens poſt ſe Mundum Cainico regno florente & Seminis regno infirmo, in Eccleſia Seth & Patrum ſequentium.

X

X

Duces Eccleſiæ Cainicæ & impiorum & Serpentis, uſq; ad diluvium.

Cain
Henoch
Irad
Maviel
Methuſael
Lamech

Iabal, Iubal, Tubal, Cain, Naema.

Singula nomina videntur ſingulas vel plures hiſtorias indicare, non ſolum æmulatione Eccleſiæ, Sed & imperii, Cum eadem fere nomina cum Sanctis habeant.

VITA RESTAT

Henoch incipit vitam æternam poſt Habel, etiam corporaliter translatus, victo ſerpente & morte per Semen, ut non dubitemus de vita, tam animæ, quam corporis. Ambulavit aũt cum Deo (ut dicit textus) qui eſt Semen promiſſum in quod

X

Duces Eccleſiæ Seminis Chriſti uſq; ad diluvium.

Seth
Enos
Kenan
Malaleel
Iared
Henoch
Methuſalah
Lamech
Noha

X

X Adam vixit cum omnibus præter Noha, qui 126. anno poſt mortem Adæ natus eſt.

HENOCH non apparet ſublatus à Deo, Anno ſuæ ætatis 365.

X

M C X

Mille. pri. 1000.

Digitized by Google

quod credidit & fecit mirabilia, quæ mundus nec hodie videre dignus eſt.

Primus Millenarius quem incepit Adam & finit eundem cum nepote 7. Henoch.

Præſtantiſſimum ſeculum ſub tantis patribus, Quas Conciones? Quas pugnas? Quos agones? Quæ dictæ? Quæ geſtæ? Quæ mirabilia iſtius Seculi? Videbimus hæc omnia in illo die.

X

X

X

X

Seth moritur anno ſuo, 912.

Digitized by Google

Noha naſcitur anno 182. Lamech, ſecundi millenarii gubernator uſque ad Abraham.

X

Quam iucundum fuit, dum Noha audivit ex Enos, O Fili mi, Pater meus Seth, ante te 14. annos mortuus, monuit, ut te docerem, Imo Avus meus Adam, primus homo, multa mihi de ſerpente narravit, & de Paradiſo, quæ tibi quoq; trado &c.

X

Nam Adam eſt, 126. annos mortuus ante Noha natum, Nonne breve tempus inter Adam & Noha?

X

Noha habuit patres ex primo Millenario ſecum viventes.

Avum	Enos	84
	Kenan	179.
	Malaleel	234.
	Iared	366.
	Methuſalah	600.
Patrem	Lamech	

X

Horum conſilio (haud dubie) geſſit omnia uſque ad annum 500. Quando vocatus verbo Dei, ad fabricandam arcam cœpit ipſe gubernare, ſcilicet mortuis tum Patribus omnibus, præter avum Methuſalah, & patrem Lamech.

Ex altera parte in Eccleſia Cainica, non eſt feriatus ſerpens contra eos, more ſuo, id eſt, idolatria (i. mendacio) & vi (i. homicidiis).

C X

1100.

Digitized by Google

Et hic in Eccleſia Seminis, per tantos patres, haben müſſen Leute werden/ præſertim exercente eos Serpente, infinitis tentationibus.

Enos moritur 905.



1200.


X
X
X
Kenan moritur. 910.
X
X



Dddd


X
X
X
X
X


X
X
X
X
C X


X
X
X
X
Iared moritur. 962.


X
X
X
X
C X



Digitized by Google

Noha cœpit generare anno 500. non Sem, qui eſt 100. annorum, biennio poſt Diluvium, quando Noha eſt 502. annorum, non Ham. qui eſt junior, Ergo Iapheth.

Noha genuit anno

500. IAPHETH.
502. SEM.
504. HAM.

Ordo filiorum Noha eſt,

Iaphet primus
Sem ſecundus
Ham tertius

Quod probatur ſic, Sem eſt 100. annorum, biennio poſt diluvium, dum genuit Arphachſad, Gene. 10. Ergo in diluvio fuit Sem, 98. annorum, & ita Noha fuit 502. annorum, nato Sem. Porro Iapheth fuit frater Sem major, Geneſ. 11. Sequitur ergo, quod ſolus Iapheth major frater, ſit natus anno 500. Noha. Præponitur Sem honoris gratia, quod per eum venturus erat Chriſtus, Semen promiſſum.

Vidit igitur Sem Patrem

Noha 450
Avum
Lamech 95.
Abavum
Methuſalah. 100.

annis

Eoſdem viderunt, & Iapheth & Ham, Sed Ham ſit Diabolus, etiam poſt tanta portenta, contemptis tantis Patribus & fratribus.

Eodem modo infra præponitur Abraham, junior fratribus ſuis, Aran & Nahor.



Vſque ad Diluvium omnes Patres (magis forte Sancta Cainica Eccleſia, fulſit hac ſpecie) vixerunt ſine carnibus, piſcibus, vino, haud dubie etiam ſine Serico, aureo, argenteo, veſtitu, ſed cibo, fructibus arborum, ſtirpibus & radicibus, ſed eo ſeculo ſaluberrimis, ut carnes nihil curarint. Et aqua fuit ſaluberrima noſtris ſpeciebus aromaticis præſtantior, antequam per diluvium terra perderetur. Ein Apffel iſt dazumal beſſer geweſt / denn vnſer Apoteecken drey / Ideo non tot morbis vexati, diutiſſime vixerunt.

Aureum hoc ſeculum fuit, de quo Poëtæ ſomniant, ex aliqua relatione obſcura Majorum.

Digitized by Google

LAMECH moritur. 777.

METHVSALAH moritur, 969.

DILVVIVM anno Noha 600.

ARPHACHSAD nascitur anno Sem 100.

Horribilium omnium horribiliſſimum, non modo in omnibus hiſtoriis, ſed etiam in ſacra Scriptura, excepta crucifixione Filii Dei, & Iudicio extremo, quod per Diluvium deleta eſt, non modo Cainica & Serpentis funditus, ſed etiam Eccleſia Seminis & filiorum Dei, ſervatis tantum 8. animabus reliquis. Quantum ibi periit, Fratrum, Patruorum, Amitarum, Conſanguineorum, Affinium & Amicorum Noha, qui tamen de Eccleſia ejus fuiſſe, fortaſſe primi videbantur. O Timete Dominum & nolite gloriari de nomine Eccleſiæ.

X

Diluvium durat anno uno & 10. dies, Sed ſupputantes (ut & Philo) incipiunt ab initio diluvii, ut Sem genuit Arphachſad, biennio poſt diluvium, ſcilicet inceptum. Qui à Diluvio finito volent ſupputare, annum unum adjiciant huic ſupputationi.

X

X

Quæſtio, Quomodo Arphachſad naſcatur biennio poſt diluvium, cum ſit tertius filius Sem, Gene. 10. Scilicet primus nativitate, tertius numero. Vel nominatur primus hoc loco, ut Sem, qui tamen fuit ſecundus, & Abraham, qui fuit tamen tertius.

X

Salah naſcitur ex Arphachſad anno 35. poſt diluvium.

C X

1700.

Feſtinaſſe videntur Patres iſti, ad generationem, poſt tantam calamitatem generis humani, Alioqui diutius abſtinuiſſent mœrore, ſicut Adam poſt Habel.

X

X

Eber naſcitur de Salah anno 30. poſt Diluvium 67. Et vixit uſq; ad 51. annum, ante deſcenſum in Aegyptum. Tam vicina ſunt, Diluvium & Servitus in Ægypto, unde Moſes Gene. 10. appellat Sem, Patrem omnium filiorum Eber. Quia omnium patrum poſt Diluvium longiſſime vixit, ſcilicet 74. poſt Abraham, ut infra.

Hinc Ebræi dicti.

X

X

Digitized by Google

Ædificatio Turris Babel, anno 100. fere poſt diluvium, anno fere 700. Noha, Quem viventem, Gubernantem, Docentem, de tanta ira Dei, contempſerunt cum tota ſua Eccleſia, & poſteritate ſanctiſſimorum Patrum, homines impii, obliti tam ſubito iræ Dei, tam horribilis. An hæc non maceraſſe putanda ſunt, Noha & ſuos, dum filii ſui talia moliuntur, & iterum pro inſano habetur illis.

Peleg naſcitur ex Eber, anno 34.

REGVde Peleg. anno 30.

1800.


X
SERVG de Regu.
anno 32.
ASSYRIORVM REGES.
Hic Ninus Semiramidis
X
X
X
NAHOR de Serug.
anno 30.



THARE de Nahor.
anno 29.

BELI'S
Inpter.
62.

1900.

viduam Thare poſt duxerit, ut ſit filia Thare legitima, ſicut ſonant verba Abrahæ, Vere ſoror mea eſt, filia patris mei, ſcilicet legitima, non matris, id eſt, non naturalis.

X

Circa hæc tempora natum credo Haran primogenitum Thare, patrem Lot, Saræ & Melcæ.

X

Poſtea Nahor frater medius.

X

Facile itaq; ſolvitur quæſtio, Quomodo Abraham duxit filiam fratris ſui Haran, Et forte perſecutio Nimrodi, coëgit tam propinquas ducere, Etſi adhuc dici poſſit, Saram fuiſſe legitimam filiam Haran ex vidua ducta, ut non ſit neceſſe hic Exempla turpitudinis fingere, poſito quod eadem ſit mulier Iſka & Sara, ut Ebræi volunt, ſcilicet filia Haran. Quare ſi Sara fuit alia, ſcilicet non Neptis, ſed filia Thare (ut videtur) potuit eſſe nata ex muliere, quam viduam

X

X

ABRAM naſcitur in VrChaldæorum ex Thare, anno 70. Gubernator Tertii Millenarii, cum ſuis poſteris uſq; ad David.

3. NINVS Monarcha primus. 52.

Digitized by Google



SARAI nascitur in Vr Chaldæorum, patre Haran 40. vel 50. annorum, Si tamen est naturalis ejus filia.

X

X

X

X

Abraham vixit

Cum { Noha 58
Sem vixit ultra Abraham 35.
Arphachsad 48.
Salach vixit ultra Abraham 3.
Eber vixit ultra Abraham 64.
Peleg 48.
Regu 78.
Serug 101.
Nahor 49.
Thare 135. } annis.

ARPHACHSAD moritur anno 338.

PELEG moritur anno 139.

NAHOR moritur 148.

MM. C X

Millenarius secundus. 2000.

4. SEMIRAMIS hoc anno regnat in præc. Babel, si Berosum & Metasthenes recte numerant. 42.

NOHA moritur 950.

X

X

Abraham vocatur ex Haran Gene. 12. à quo anno usq; ad descensum in Ægyptum, sunt anni 215. Deinde mansio in Ægypto, 215. qui juncti, faciunt 430. annos, Exod. 12. Gal. 3.

Regu moritur, 239.

Debora nutrix Rebeccæ nascitur, si 30. anno fit nutrix.

X

Ismael nascitur ex Hagar anno 28. post mortem Noha. Mater Hagar haud dubie vidit Noha & audivit.

X

5. SAMEIS. 38.

Quo anno Circumcisio instituitur, Abram vocatur Abraham, & Sarai Sara, Gene. 17.

ISAAC nascitur.

Circumcisio mandatur.

Perditio Sodomorum.

Gene. 19. SERVG moritur anno 230.

X

Digitized by Google

REBECCA nascitur, si est 10. annis natu minor Isaac. Et vidit Sem 100 annis.

X

X

X

THARE moritur, 205.

SARA moritur, 127.

ISAAC ducit Rebeccam uxorem Gene. 25. Quæ vidit à conjugii anno, ipsum Sem 70. annis.

X

C X

6. MARS 30.

Circa hæc tempora Isaac offertur, Et promittitur benedictio omnium gentium in semine Abrahæ, Christo, Gene. 22.

Fons totius Scripturæ sanctæ, ex hac promissione Abrahæ facta, manavit, Christo testante, Iohan. 5. Salus ex Iudæis, Licet ante, per vocem vivam ab Adam, per Seminis promissionem eadem, quasi per manus, tradita sit.

7. MR ALIVS 40.

IACOB & ESAV nascuntur.

X

X

ABRAHAM moritur 175.

Vides Abraham vidisse suos nepotes Esau & Iacob. 15. annis, Et ipsi avum tantum virum, ad minus 10. annis, audiverunt docentem & intellexerunt.

X

SALAH moritur anno 433.

X

8. XERXES BALEVS. 30.

ESAV duxit uxores 40. anno, quæ sunt forte 30. annorum vel 20. Et videruntSem 30. annis, Eber 56.

C X

Vides quod Sem vixit post Abraham 35. Cum Isaac 110. Cum Iacob & Esau 50. } annos.

SEM moritur. 600.

X

1 Abraham,
2 Isaac.
3 Esau.
4 Raguel.
5 Sara.
6 Iob seu Iobab.

} Sed Ebræi à Nahor fratre Abraham ducunt.

Augustin. Ambro.

X

ISMAEL moritur. anno 137.

Quantas Maroth, id est, (amaritudines) passus est Isaac & Rebecca istis 37 annis à nuribus suis, dominabus in aliena domo, suum genus jactantibus contra peregrinos, forte Idola quoq; colentibus?

9. AMALRI-TES. 38.

X

X

IACOB vadit in Haran. anno 77. Benedictione surrepta, sed sibi debita.

Eber moritur. 464.

Nu sind die Väter à Diluvio alle tod / bis auff Isaac/ Vnd ist Jacob allein Ecclesiarum Patriarcha.

X

Nuptiæ Iacob cum Lea & Rahel, anno suo 84.

Ruben,
Simeon
Levi
Iuda
o
Ex Lea Gad, Asser } Ex Zilpa.
Issachar
Zebulon
Dina.

o
o
o
o
Dan, Naphthali } Ex Bilha
Ioseph. } Ex Rahel.

X

Digitized by Google

In descensu Ægypti.

Ruben, Simeon, Levi, Iuda } est 45. 44. 43. 42. | annorum.

Sic deinceps usq; ad Ioseph, qui est 39. Benjamin 23. annorum.

Nota.

Duodecim Patriarchæ cum filijs & posteris, per 215. annos, in Ægypto vixerunt & mortui sunt. Quàtus numerus (putas) Sanctorum & Martyrum, dormiant in Ægypto? Solius enim Ioseph ossa relata sunt. Licet Stephanus aliter narrat Actor. 7. scilicet ex opinione vulgari.

IACOB moritur anno 147.

11. BALEVS junior. 1538.

X X X X C X

2300.

Digitized by Google



Sequitur filios Israel, à morte Levi usque ad exicum in Aegypto, fuisse 121. annis. Porro à Levi usque ad natum Mosen 41. annis. Quibus tamen gubernati sunt per Cahath filium Levi & Amram nepotem Levi, forte & aliis sanctis viris, ex Tribu præsertim Iuda, ut Ram & Aminadab, ut non possint dicere sese fuisse derelictos.

Cahath genuit Amram. Amram genuit Mosen Exod. 6.

Solus igitur Amram in Aegypto natus & mortuus. Cahath non natus sed mortuus. Mose natus non mortuus in Aegypto.

Circa hæc tempora exiit Edictum Pharaonis crudele, de necandis Ebræorum infantibus, per obstetrices non impletum.

Aaron videtur fuisse unus infantium, qui post edictum Pharaonis servatus fuit per Obstetrices, quæ noluerunt infantes occidere, timentes Deum magis, quam Tyrannum. Nam mox sequitur Edictum crudelius, de infantibus submergendis, in quod incurrit Mose natus.

Nota. Lyra ponit tantum 210. annos mansionis in Aegypto. Vnde periclitatur Exod. 12. in annis 430. supplendis, cum non inveniat nisi 425. annos. Hac ratione, Abraham vocatus ex Haran fuit 75. (Gene. 12.) Et genuit Isaac an. 100. A nato Isaac ad descensum in Aegyptum sunt 190. In Aegypto sunt 210. (opinione Ebræorum) Relinquuntur igitur 25. anni jungendi istis 400. annis, ita deficient 5. anni

*

Circa hæc tempora nascitur Mirlam, soror Mose, ut sit alma 6. vel 7. annorum natu major Mose. 14. MANCALEVS. 30.

Aaron nascitur.

Mose nascitur, quartus à Iacob, & septimus ab Abraham.

*

in numero annorum mundi. Sed nos cum Mose Exod. 12. & Paulo Galat. 3. simpliciter facimus 430. annos plenos à vocatione Abrahæ ad exitum de Aegypto. Ideo tribuimus, mansioni in Aegypto 215. Hoc modo liberi sumus à quæstionibus Ebræorum cum suis 210 annis. Mos enim scripturæ est, alte repetere supputationes, ut patet per totum librum Iudicum. 15. SPHERVS. 20.

2400.

	Ordo Patrum.		
1	Abraham		
2	Isaac		
3	Iacob	Descendunt in Aegyptum.	
4	Iuda		
5	Perez		
6	Hezron.		
7	Ram	Isti in Aegypto nascuntur.	
8	Aminadab		X
9	Naheſſon		
10	Salma		
11	Boas		
12	Obed		
13	Isai		
14	David		
15	Salomo		

NAHESSON Dux in exitu, unus de 12. Principibus ſuſpenſus in Campeſtribus Moab, propter Peor Num. 25. cum fuiſſet 40. annos Dux per deſertum, uſque ad introitum terræ & Pater Chriſti venturi, Matth. 1.

Ioſua naſcitur anno Moſi 42. ut infra.

6. MAMELVS. 30.

Falſi Prophetæ ex Ephraim volentes terram promiſſam ante tempus intrare, & à Philiſtæis occiſi. 1. Paralip. 7. Vide ibi Lyram.

Salma Dux introitus in terram cum Ioſua, duxit Rahab meretricem Ierichontinam, Et ipſe Pater Chriſti, Matthæi 1. Ex quo Boas.

Neceſſe eſt iſtos tres patres,

- Boas 1
- Obed 2
- Ieſſe 3

valde diu vixiſſe, ſcilicet toto tempore Iudicum, uſque ad Regnum David. Nam Iſai mittit filium David ad Saul regem. Vnde Lyra ex Ebræorum opinione facit tres Boas, ſcilicet, patrem, filium, nepotem, & hunc tertium faciunt patrem Obed, quod non credo.

Sed fingamus Boas naſcatur ex Salma de Rahab 17. anno poſt ingreſſum terræ Canaan.

Poteſt etiã dici quod Boas natus ſit, anno 10. huno 30 poſt ingreſſ-

Sunt autem à nativitate Boas ad nativitatem David 350. anni. Si nunc iſtos 50. annos ſuperfluos diſtribuis inter iſtos tres patres, Boas, Obed, Iſai, cuilibet addendo 16. vel 17. annos, ut Boas 117. generanti Obed. Obed 117. generanti Iſai. Iſai 116. generanti Davidem, Non erit opus tres Boas fingere, Nec eſt impoſſibile, cum Abraham genuerit ex Cethura 120. Vt ſupra Gene. 25. Et ſcriptura facit Boas & Iſai ſenes valde, dum generant ille Obed, iſte David.

17. SPARETHVS. 40.

Obed

Et Ehud ultra 100. fuit, moriens, qui rexit 80. annis.

Egressum. Quia Rahab putat esse puella seu mulier juvencula, cum haberet Salma.

Obed nascatur 100. anno Boas ex Ruth Moabitide.

Isai nascatur 100. anno Obed, filio Boas.

David nascatur 100. anno patris sui Isai.

David 30. anno fiat rex, unctus anno 20. ut infra.

* Nativitas quinq; librorum Mosi, Quadraginta annis gnis miraculis & Historiis, in quatuor libris Mosi, Exo comprehensis. Sed Historiæ ab exitu annis duobus pri à Cap. 14. Exodi usq; ad finem, deinde per totum Levi put Nume. Sed à cap. 20. Nume. per totum Deuteronom * sunt ultimo anno scilicet 40. exitus. Quia Aaron morit norum, id est, anno Mosi 120. ut patet in textu. Ergo in d nihil scriptum est vel actum nisi ea, quæ cap. 15. 16. 17. 18. 19. leguntur in lib. Numerorum, Nisi dicemus esse multa per Hysteron & Proteron scripta.

Iosua Dux primus Iudicum, 40. annis cum Athniel.

Liber Iudicum à Iosua incipit, mirabilis sane, si tempora cum Historiis conferes.

* Exitus de Ægypto an. 215. à descensu, Et 430. à vocatione Abrahæ ex Haran. Gene. 12. Exod. 12.

* A mo 2. egressionis mittuntur exploratores Num. 10. & 11. Tum est Iosua 40. Caleb 42. ann. (Iosua 14.)

* Que de 350. annis, à nativitate Boas ad inaugurationem Davidis, hoc loco desunt (quorum nihilum est, Sunt autem à nativitate Boas usq;) ea habes fol. precedente 584. b. columna 2. è regione istorum verborum, Necesse est istos tres Patres { Boas Obed Isse } etc.

Mose moritur anno 120.

Sex annis vincit Iosua reges vel 7. quod probat Lyra, Iosua 14.

Finge Boas hic nasci ex Rahab 7. anno ingressus.

18. ASCADIS 40.

Anni diviſionis terræ Canaan ſub Ioſua 32. annis. His completur liber Ioſua totus.

X

Finge hic Boas naſci ex Salma ſcilicet 17. anno poſt ingreſſum terræ. Quia cum & Paralip. & ambo Evangeliſtæ Lucas & Matthæus tantum unum Boas numerent, ſimiliter & Ruth ultimo, Non poſſumus tres Boas cum Iudæis ponere.

X

Ergo ſub Ioſua & Athniel, fecerunt mala illa, quæ Iudi. 1. & 2. ſcribuntur, Adhuc vivo Eleazaro filio Aaronis, Angelus Dei dictus ibidem, ut videtur.

19. AMINTES 45.

IOSVA moritur anno 110. Cui adduntur 8. anni Athnielis Iudi. 3. Et fiunt 40. anni à morte Moſi.

Hiſtoriam Miche ſub Athniel, vel in fine Ioſua, ponendam cenſeo &c.

X

Ehud 80. Iud. 3. contra Moabitas, ſub quo adhuc Eleaſar videtur vivere. Nam ſi fuit Ehud 40. annorum, cum cœpit judicare, tunc vixit cum Ioſua plus 40. annos. Si fuit 50. tunc fuit unus infantium ſub Moſe in deſerto natorum, & ſub Ioſua circumciſorum. Quicquid ſit, ipſe vidit prælia & res geſtas Ioſua & Athniel, etiamſi vix 20. annorum Iudex factus eſſet, Forte fuit unus ducum in Exercitu Ioſua, vel ſaltem egregius Miles.

X

X



Sub iſto Ehud Hiſtoriam Levitæ cum uxore ſua factam eſſe credo. Quia ſub Pinehas facta eſt. Qui fuit ad minus 20 annorum, cum occideret Midianitidem, anno ultimo in deſerto, Et anno 40 Ehud, Ipſe eſt 100. annorum. Deinde credo quoque hiſtoriam Ruth ſub hoc Ehud factam, ut ita ſit Miche prima, Levites ſecunda, Ruth tertia, ſicut & ordo ipſe in libro Iudi. oſtendit.

20. BRLOCHVS junior. 25.

TH. BELLEP. RES. 30. 2600.



Dibora & Barac 40. Iudi. 4. Contra Iabin regem Hazor, fuerunt anno 120. poſt Moſen. 88. poſt Ioſua.

Finge hic naſci OBED, Tunc hiſtoria Ruth eſt facta ſub Ehud (uti dicit textus) Tempore unius Iudicis &c. Et vidit geſta Gedeon & forte interfuit.

Docent Hiſtoriæ Iudicum, ſub & poſt Ioſua, finitimas gentes voluiſſe regnum Iſrael delere, & Cananæos ulciſci, nec pati novos homines in terra ſua. Ita populus poſt populum conſpiravit, & pugnavit contra populum Dei, ſine fine, ut & ipſis regibus poſt Iudices nulla fuerit pax, uſq; ad captivitatem Babylonis. Sic Hæretici poſt hæreticos, tyranni poſt tyrannos volunt delere Eccleſiam, Significante Scriptura, Deum ſolum eſſe defenſorem ſuorum in medio inimicorum. Pſal. 109.

11. LAMPRE DES. 1 32.

* Gedeon 40. Iud. 8. contra Midianitas.

Vides ante reges non fuisse certam successionem Ducum, ex certa una tribu, Sed Dominus fuit Dux & Rex eorum, Sicuti dicit Gedeon, Non dominabor vestri, Sed Dominus &c. Et ad Samuelem, Non te, sed me abjecerunt, ne regnem super eos, ideo elegit Duces promiscue ex tribubus. Sic in Ecclesia non facit successio Episcoporum Episcopos, sed Dominus solus est Episcopus noster, suscitans Episcopos, ubi, quos, quando vult, ut in Hieron. August. Ambro. Huss, & nobis videmus, neglecta successione, quam jactant Papistæ.

Nota.

Tempora Iudicũ à morte Mosc, usq; ad Samuelem sunt 357. incluso Iosua ut ipse vides, Nec falli sinit supputatio, cum 3. Reg. 6. censeantur anni ab exitu ad templũ Salomonis 480.

Vnde manifestus error est in Act. Apostolorum 13. vitio Scriptorum, Latina sane translatio bis falsa est. dum 450. ponit ante Iudices, sub distributione terræ, cogens Lyram recurrere ad annos usq; Isaac.

Græca vero falsata est positis 450. pro 350. facili scribentis errore pro P *τριακοσίους* facientis *τετρακοσίους*. Sic enim dicit Paulus, Tulit mores eorum in deserto C

serto per 40. annos (Hic vides Mosen includi) Deinde quasi 350. annis, dedit eis Iudices, usque ad Samuelem, Inde postulaverunt regem, Et dedit eis Saul filium Cis, 40. annis. 23. SOSARES. 20.

Hic vides Samuel & Saul cum suis annis seorsum excludi à 350. annis, ut illi ipsi 350. anni maneant in Iudicum tempore. X

Quod autem dicit (quasi) fit ideo, Quia 8. vel 7. anni superant plenum numerum, quem voluit solum numerare, ut infra Iephthah quoq; facit, cum suis 300. annis plenis, omittens sex superantes. X

24. LAMPARES. 30.

X

Abimelech seditiosus

Iud. 9.

Thola. 23. Iud. 10.

X

X

Digitized by Google

25.
PANNI-
AS.
45.

Iudices pacis
Thola & Iair.

A
C
I
S

X
X
X
X

IAIR 22. Iud. 10.

Finge hic nasci Isai patrem David, Et vidit Gesta Iephtha, Samson & Samuel, & forte interfuit.

Trecenti anni præscriptionis, quos Iephtha objicit de possessione terræ Israëlis, Regi Ammon. Iudi. 11. incipiunt ab exitu de Ægypto sub Mose, & desinunt anno 6. ante Iephtha. Tacet autem hos 6. ut superabundantes 300. annis more communi, quo dicitur, Circiter 400. annos, bey 300. jahren.

X Interregnum 18.' Iud. 10.

Isti 18. anni sunt jungendi ad annos Iephtha, qui Ammonitas oppressit (istis 18. annis furentes) sicut omnibus ducibus in hoc libro apputantur anni afflictionis, ut patet supputanti, Et est Canon supputandi, ut supra de 430. annis.

C X Exod. 12. diximus.



Digitized by Google



X ELI. 40. 1. Reg. 4.

Iſte Eli non fuit ex familia Eleaſari, Sed Ithamar (ut dicunt) Non enim numeratur in ſucceſſione ſummorum Sacerdotum 1. Paralip. 25. Adeo neque fuit ſummus Sacerdos, ſed Iudex, ſicut Samuel non fuit ſummus Sacerdos, ſed Iudex in Iſrael. Neque erat Sacerdotum proprium aut ſucceſſoricum, judicare ſeu regere populum, Sed offerre & ſervire tabernaculo, ut in lib. Moſe patet. Lyra ex Iudæis dicit eum geſſiſſe cum filiis, ſummum ſacerdotium, vitio poſterorum ex Eleaſar, quia filii ejus portaverunt & amiſerunt arcam, Sed hoc nihil probat.

Hiſtoria Michæ facta eſt ante Ehud, mox poſt mortem Ioſuæ. Quia dicitur ibi, Tribum Dan nondum obtinuiſſe, ſed quæſiviſſe poſſeſſionem. Nec mirum ſub bonis Iudicibus fuiſſe Idolatriam, cum fuerit ſub Moſe (ut Amos allegante Stephano Actor. 7. teſtatur) & ſub Ioſua, ut ipſe teſtatur 24. & Iudicum 1. 2. 3.

Hujus ignaviam ſatis arguit, quod licentiæ filiorum indulſit, nec curavit docere populũ. Vnde ſcriptura dicit, Sermo Domini fuit precioſus, ſcz ipſo negligente officium ſuum, docendi & regendi. Ideo faciebat unusquiſq; quod placuit, cum non eſſet rex in Iſrael, Ideo & eradicatus eſt.

Si Samuel eſt 30. annorum, cum incipit judicare, eſt natus anno 10. Eli.

Et hic incipit tempus Prophetarum, ut ait Petrus, A tempore Samuelis, omnes Prophetæ prædixerunt dies iſtos, Vnde in Ebræo libri Regum, Prophetæ majores vocantur, Et recte. Plus enim eſt in illis Prophetarum quam Regum gubernationis.

19. TEMPVS 40.

SAMVEL & Saul 40. Actor. 13.

Digitized by Google

S. Paulus Act. 13. Soli Sauli tribuit hos 40. annos, ut supra dixi, juxta Canonem, quo anni 430. mansionis in Ægypto tribuuntur vocationi Abrahæ & sequentibus, usq; ad exitum. Iudicavit Samuel 20. annis ante Saul, Nisi velis fingere Samuelem nullo anno judicasse, qui tamen usque ad senium suum judicasse & filios substituisse scribitur. 1. Reg. 8.

Porro, quod Saul scribitur fuisse filius unius anni, & duobus annis regnasse. 1. Reg. 13. Vide Lyram, qui videtur sana dicere, scilicet quod tantum duobus annis bene regnarit, usque ad peccatum in Amalech, quo meruit abjici & cœpit David eligi &c.

DAVID erat 30. annorum cum regnare cœpit. 2. Reg. 5.

X Hic DAVID nascitur.

X SAVL ungitur à Samuele. 30. TYNEVS. 30.

X DAVID ungitur à Samuele 20. anno ætatis suæ.

X DAVID rex, gubernator quarti Millenarii, cum suis posteris usq; ad Christum filium & Hæredem, Gubernatorem per omnia secula & in æternum.

Septem annis in Ebron, & 6. mensibus. 33. annis in Ierusalem. 1. Paral. 3.

C X

2900.

Mirabile & beatum ſeculum, tot editis Pſalmis, viGoriis, Hiſtoriis, Prophetiis, & cultu Dei inſtituto, longe præſtantius ſeculo Salomonis, Quod extemo carnis ſplendore, & ſtrepitu magis ſuperbit.

Fingamus Salomonem 20. annorum, cum cœpit regnare, tum ſequitur eum hoc anno fuiſſe natum, Nam in Ebron non eſt natus, Sed poſt multas res geſtas patris David in Ieruſalem, vel adde ei plures, Sed 10. addere non potes, Fatetur David ipſe 2. Paral. filium eſſe tenerum adhuc &c.

Rehoboam naſcitur.

Ergo David vidit hunc ſuum nepotem, ſicut multos alios ex aliis filiis, natu majoribus Salomone.

X Adulterium David circa hæc tempora.

X Et factum eſt poſt annum 40. (unctionis David) Movet Abſolon ſeditionem adverſus patrem. 2. Reg. 15.

X Salomo 40. annis.

Templum Salomonis anno 480. ab exitu Ægypti, anno 4. Salomonis. in initio anni quarti, alioquin ſuperflueret unus annus.

Nativitas Pſalterii. cum libris Regum ſecundo & fere dimidio primi.

11. DERCIUS 40.

TEMPLVM Salomonis. 3. Reg. 6.

31. EVPALES. 38.

Nativitas libro-
rum. {Proverbiorum.
{Eccleſiaſtis.
{Cant. Canticorum

X

X

X

X

REGES ISRAEL.

REGES IVDA.

Rehobeam audivit omnia præclare geſta David Avi, & vidit patris ſui glorias, tamen eſt ſtultus & Idolatra, una cum principibus & populo Iuda, Nonne monſtrum? Ita plus valuit exemX plum Salomonis in extrema ſenectute delirantis, quam omnia præcedentia miracula. Tribus enim annis manſerunt boni viri (2. Paral. 12.) in priore exemplo David & Salomonis. Mox facti Idolatræ (3. Reg. 15.) ita, ut ſtatuas, lucos, aras, deſerto templo, ſibi facX cerent, Quin ſcortationes permiſerunt publicas, qui ſunt fructus licentiæ in Idolatriis, ut videmus in omnibus hiſtoriis. Das heiſt/ Heroum filii Noxæ.

Si Abiam eſt 20. annorum generans, Aſſa eſt natus ultimo anno Salomonis, Si plurium, vidit Salomonem.

DIVISIO Regni Iſrael.

e IEROBEAM primus rex Iſrael. 22.

d Rebobeam. 17.

Si Aſſa eſt 20. annorum generans Ioſaphat, tunc eſt hoc anno natus.

X A Roboam incipit ſcriptura numerare ætatis annos, in Regibus Iuda, Sed tantum in Regibus Iuda. Nam in Regibus Iſrael, tantum annos Regni, non ætatis numerat. 38. LAOSTENES. 41.

ABIAM. 3.

X ASSA. 41.

NADAB. 2.

Anno 3. Aſſæ. BAESA. 24. includunt annos Nadab & Ella.

ELIAS in medio Seculorum ſeu mundi.

IOSAPHAT naſcitur, Et haud dubie circa hæc tempora natus eſt Elias & Eliſæus. Quia Elias incipit fere cum Ioſaphat regnante prophetare, tam propinC X qui ſunt Salomoni & Davidi. Millenarius Tertius 3000.

Digitized by Google

REGES ISRAEL.
REGES IVDA.
vides eum regnare 36. annis. Reliqui 24. tacentur. De qua re ſchedam conſule.
X
ELLA 2. anno Aſſe. 26.
SIMRI. 7. dies, anno Aſſe 27.
Interregnum 4. annorum.
X
AMRI 12. anno Aſſe 31.
Sed includunt annos Simri ſeu interregni.
34.
PIRITIDI.
AS.
30.
Ioram Iuda naſcitur.
AHAB 22. Anno Aſſe 38. Includunt unum aut alterum annum patris Amri, ut filius ſcilicet induſtrius, inciperet regnare cum patre.
25. annorum.
IOSAPHAT. 25.
FAMES Eliæ ſub Ahab, Ioſaphat &c.
X
Anno 4. Ahab, id eſt, in principio anni 4. Eſt enim obſervandum, quod anni Regum Iſrael cum annis Regum Iuda, frequenter in mediis, in principiis vel fine tantum concurrunt.
Mirabilia tempora, quod ſub tanto Propheta & tam ſancto Rege, tanta fuerit Satanæ potentia. Hic vere videas Angelos cum Dæmonibus, Mundum cum Eccleſia, Carnem cum Spiritu, conflixiſſe magno impetu. Cœpit ſimul & Eliſæus prophetare, Ergo Raptus Eliæ, qui ſcribitur 4. Reg. 2. factus eſt poſt ea, quæ ſcribuntur 4. Reg. 3. per hyſteron proteron.
X
AHASIAS naſcitur, Et vidit optimum Avum, Eliam & Eliſæum, ſicut & Mater Ieſebel impiiſſima, nec tamen profuit &c.
AHASIAS 2. includit annum unum patris.
32. annorum.
IORAM cum patre. 9.
IORAM ISRAEL (anno Ioſaphat 18.) 12. Sed vi-
X

REGES ISRAEL.

f His annis, illi tres reges Ioſaphat, Ioră, Rex Edom, coram Eliſæo comparent, f (Elia interim alibi agente) conſulentes eum 4. Reg. 3. Nam iſta fiunt vivo Ioſaphat, qui eſt unus illorum trium.

Regnant hic duo Ioră Impii, Et prævalet impietas, Vnde & Elias tandem tollitur, relictis literis ad Ioram Iuda, & prophetiis, de impiis in Iſrael aboleadis per Iehu, per Aſael, per Eliſæum. Etſi Ioram Iſrael videtur inſignis vir fuiſſe, laudatus &c. 4. Reg. 3. & miraculis Eliſæi ornatus varie, ut Hiſtoriæ teſtantur.

36. OFR AGA NEVS. 30.

RAPTVS ELIÆ.

FAMES ELISÆI.

Glorioſum ſeculum ſub Elia & Eliſæo, inſigne duplici fame, moribus Prophetarum per Ieſebel occiſorũ, ſuſcitatione mortuorum, & aliis miraculis Eliæ & Eliſæi, quibus implentur duo dimidii libri Reg. 3. & 4. unde recte dicuntur Prophetæ majores.

IEHV. 28.

REGES IVDA.

35. OPHRA TEVS. 10.

32. annorum.

IORAM per ſe. 8.

X

a Hic incipit Ioram Iuda impie regnare cum regnaſſet octo annis bene, donec a patris memoria viguit. Et regnat cum eo filius Ahaſia iſtis 20. annis, ipſe 22. annorum. 4. Reg. 8.

Iſti 20. anni utriuſq; Ioram X & Ahaſiæ tacentur ob malitiam eorũ. Adduntur autem ætati filii ejus Ahaſiæ, ne fiat error in hiſtoriis. Hieron. Lyra 2. Para. 22. Alioqui ſequeretur Ahaſiam eſſe 2. annis natu majorem patre ſuo Ioram. Et hoc eſt illud peſſimum ſeculum, de quo ſic querulatur Elias, X & optat mori. Sicut ſemper optimi Prophetæ ſunt peſſimis temporibus.

AHASIAS 24. annorũ, regnat per ſe anno uno.

ATTALIA. 7.

Iſte Ahaſias eſt finis Stirpis Salomonis, interfecto univerſo per Attaliam femine regio. X

IOAS. 40.

C X

Digitized by Google

REGES ISRAEL.

REGES IVDA.

X

IOAHAS filius Iehu. 17.

X

37.
ASCRA
SAPRS
41.

IOAS 16. sub quo moritur Eliseus.

X

AMAZIAS. 29.

Hujus fratrem faciunt Ebræi Amoz, patrem Iesaiæ Prophetæ, Non fuit de sacerdotibus, sed de tribu regia, Vnde Isa. 5. appellat Christum patruelem suum.

X

Ioas

Amazia	Amoz
Vsia	Isaia
Iotham	Iasub

Quod isti 3. anni pertineant ad Ierobeam, probat id, quod Vsia regnat 27. anno Ierobeam. 4 Reg. 15. Et ipse tamen incipit anno 15. Amaziæ.

X

IEROBEAM incipit anno Amaziæ 15. & regnat 41. Ergo cum patre Ioas regnavit 3. per se 41.

REGES ISRAEL.		REGES IVDA.
		VSIAS nascitur.
Hic desinit Amazias, fugiens, relicto filio Vsia 6. annorum & occisus est in Lachis pater ejus.	X	Interregnum Iudæ 10. annorum, Quod probatur ut supra ex annis Ierobeam, cujus 27. regnat Asarias.
Sub Ieroboam mittitur Iona ad Niniven. Et iste PhulBelochus (nisi Sardanapalum malis) est Rex qui Ionam audivit, & pœnitentiam egit. Qui cum Arbace Monarchiam Assyriorum post Sardanapalum divisit, sibi Assyriam & Babylonem retinens, ArbaciMediam & Persiã relinquens. Cujus posteri Babylonem excoluerunt, & relicta Nivive, palatium ibi constituerunt. Vnde Esaias contra Assur prophetans, postea contra Babylonem. Hanc partem Monarchiæ ♋ intelligit.		ISAIA nascitur forte.
	X	16. annorum. ASARIAS. VSIAS 52.
		Amos Propheta sub Vsia & Hierobeam, duobus annis ante terræ motum.
♋ Terræ motus.	X	Error perspicuus, quod Vsia sit leprosus factus sub an. terræ motus, de quo Amos dicit, propter usurpatum Sacerdotale officium, cum terræ motus sit sub Hierobeam factus. Et Iotham primum post 11. annum mortui Hierobeam nascitur, & non potuit palatium regere antequam nasceretur, Ergo leprosus est factus circa annũ regni sui 40. vel ultra, quando Iotham est 12. vel ultra annorũ ut palatiũ gubernet. Circa hæc tempora credo Isaiam incepisse, cum jam superasset 30. annos, Quæ est ætas Christi, in qua & Ezechiel cœpit, ut ibidem
HIEROBOAM moritur, & regnum Israel deinceps tumultibus agitatur, usq; ad finem sui.	X	
IESA HO		
IOTHAM nascitur.	C X	

38. SARDA NAPA LVS. 15.

39. PHVLBEL OCHVS.

40. Qui Manabem vexavit.

a Ab hoc tempore sunt 65. anni ad ingressionem Ijaiæ 7.

 3200.

REGES ISRAEL.

dem, Ita colligentur 100. anni, quibus prophetavit usq; ad 12. annum Manasse.

I SE

Sallum 6. mensibus.
Manahen 10. annis.

A A

sub Ezechia / sub Ahas / Iotham / Vsia

Et scripti eorũ libri.

O

REGES IVDA.

Roma nascitur anno 37. Vsiæ Sacharias filius Ierobeam, 6. mensibus, finis quartæ generationis Iehu. 4. Reg. 15.

X

ROMA

Ahas nascitur anno

Pekaia 2. 4. Reg. 15.

Avi sui 64.

X

40. TEGLAT. PHVLASSER. 25.

Pekah Romalia 20. 4. Reg. 15.

IOEL.
MICHA.
NAHVM.

25. annorum.
IOTHAM. 16.

Inter nativitatem Ahas & nativitatẽ Ezechiæ sunt tantum 11. anni. Quomodo ergo filius ejus fuit? Puto legalem fuisse ex fratre filium, Et Ahas suos filios per ignem obtulisse, vel mortuos esse omnes propter impietatem patris.

X

EZECHIAS nascitur, ergo non potest esse Emmanuel, filius Alma, Isai. 7. cum talis prophetia sub Ahas, anno ejus 4. (ut dicunt) facta sit.

20. annorum.
AHAS. 16.

X

4. Reg. 15.
Hoseas occidit Peka, anno Iotham 20. Hic est annus 4. Ahas Iotham enim 16. tantum regnavit. Propheta indignatur Ahas nominare, propter impietatem, Et potius mortuum patrem nominat, nisi sit hic alia quæstio, de qua in fine.

Interregnum in Israel. 9. annis.

X

41. SALMANASSAR. 17.

Digitized by Google

REGES ISRAEL.

HOSEA ultimus rex Israel. 9. annis regnat.

Ergo illud 4. Reg. 15. Hosea occidit Pekah anno 20. Iotham, & regnavit pro eo, est divisive intelligendum, scz. occidit Pekah anno 20. Iotham, & post annos 9. regnavit pro eo, Non eodem anno occidit & regnat. Similia etiam sunt alibi, ut supra.

e MIGRAT & finitur regnum Israel translatum in Assyriam per Salmanassar. 4. Reg. 15. anno 6. Ezechiæ, & 9. Hoseæ. Stetit autem regnum Israel 299. an. Has calamitates & prædixit Isaias, & vidit senex.

f MIGRATIO ISRAELIS.

Aureum seculum in spiritu, & tamen per maximas calamitates, miserum in carne, Dignum in quo Satan, per Assyrios, Item per Manassen, tot Sanctos occidens, probaret veram esse futuram sui damnationem, & electorum salutem.

Demus Isaiam cœpisse, a 27. Viæ (tunc est fere 32. annis) & occisum esse 10. anno Manasse, Tunc Prophetavit 96. annos, & cum eo Hosea, & Michea, ad minus 70. vel 60. vel 80. annis, ut patet ex numeris annorum Viæ, Iotham, Ahas, Ezechiæ.

a Alii 22.

REGES IVDA.

25. annorum.
EZECHIA. 29.

X His annis maxima fiunt miracula per Isaiam, cæso Sanherib, Ierusalem liberata vi Angelorum. Item mutato cursu cœli propter Ezechiam (quod incredibile est) Sol facit retrogradus tres dies pro uno. Et quod omnium maximum, prophetiæ de Christo pene clariores Evangelio, per ipsum Isaiam, Hoseam, Micheam.

42. SANHERIB. 7.

43. ASAR. ADDON. 10.

44. MERODACH. 40.

Nam 12. annos superfluos datos ei à Manass. cogit amputare Scripturæ historia.

12. annorum.
MANASSE. 55.

Egregius occisor Prophetarum, replens Ierusalem sanguine (ut Paralip.) usque ad os, seu de porta ad portam. Etiam victorem X Assyriorum, & liberatorem patriæ, Isaiam, **So soll man Gott dancken vnnd dienen** occidendo eos, qui gratiam & non Iusticiam operum docent, Definamus nos querulari de ingratitudine & malitia mundi, istis exemplis moniti. 3300.

C X

REGES IVDA.


X
Amon naſcitur.
X
45.
DENME
NODDACH
21.
MANASSE 10. annis captivus, pœnitentiam agit valde 2. Paral. 2. de ſuis malis.
Hos 10. annos regnaſſe Amon dicitur à Philone, dum pater abeſt, Sed tum Amon eſt puer 10. vel 9. annorum. Ideo per proceres & Sacerdotes, ſicut Ioas per Ioiada. Quin & Ioſias regnat 8. annos natus &c. Quæritur, an Ioſia ſit naturalis filius Amon, cum inter utriuſque nativitatem ſint tantum 16. anni, an Amon 15. genuiſſe dicendus ſit.
X
Ioſias naſcitur.
22.
AMON. 2.
X
8.
46.
NEBVC.
Primus
IOSIA. 31.
35.
Quomodo Ioſia eſt pater Ioiakim & Ioahas, cum Ioſia ſit 14. an. naſcente Ioiakim, & 16. an. naſcente Ioahaz? Porro Matthæus iſtis tacitis, Iechania facit filium Ioſiæ, imo falſatus eſt, dum deeſt 14. generatio (quam
Ioiakim naſcitur.
Ioahas naſcitur.
X
promittit) ſcilicet Ioiakim pater Iechania.

REGES IVDA.

IEREMIAS incipit 13. anno Iosiæ, Et prophetat ultra captivitatem, incertum quot annis, in Ægypto à Iudęis lapidatus, ut dicitur.

IEREMIA.
OBADIA.
HABACVC.
ZEPHANIA.

f Iste Iechanıa scribitur 8. annorum esse cum regnat 2. Paral. ult. & 18. annorum 4. Reg. ult. Vide Lyram ibi. Quomodo 10. annis cum *f* patre regnavit, & solus tantum tres menses, Iterũ hic divisive est intelligendum illud 2. Paral. scilicet Iechania est 8. annorũ, cum cœpit cum patre regnare 10. annis, Et est 18. annorũ, cũ solus cœpit regnare tribus menſibus, ut supra de Hosea rege diximus.

X

ZEDEKIA nascitur tertius filius Iosiæ.

IECHANIA nascitur.

X

25.
Ioiakim. 11.

4 23.
IOAHAS. 3. menſibus. Isti tres menses cum 3. mensibus Iechan. pro nihilo reputantur, inclusi in annum integrum.

47. NEBVC. secundus. 45.

e IECHANIA cum Patre. 19. annis, qui eum loco suo constituit anno 3. in Regem, tunc est 8. annorum. 2. Paralip. ultimo.

4. Reg. ult. 2. Para. ult.

b IECHANIA. 3. mens.

DANIEL migrat cum sociis in Babel. Anno 3. Ioiakim. Daniel. 1.

e DANIEL interpretatur Somnium Nebucadnesar de statua, anno ejus regni 2. (Dan. 2.) in solatium captivorum.

Captivitas L.

X

21. ZIDEKIA. 11.

Captivitas 8.

per se.
Et Migratio spontanea.

EZECHIEL incipit in Babel prophetare, anno 5. migrationis Iechania.

X

DESOLATIO IERVSALEM 70. annorum Danielis 9. 2. Paralip. ultimo. Ne te fallant, qui fingunt 52. annos desolationis. Item qui captivitatem Iechania faciunt initium

Captivitas 3.

DESOLATIO 70.

f. no 19. Nebucadnezar, qui regnavit 45.

Circa hęc tempora mittuntur tres illi socii Danielis in fornacem ignis, forte eadem causa & Iechania in carcerem, jam dudum Danielis

C X desolationis. Daniel Ie- 3400.

Digitized by Google

nielis interpretatione oblivioni tradita.

remiã allegans dicit, completos esse desolationis annos 70. & 2. Paral. ultimo, incipit desolationis annos à destructa Ierusalem.

X

IECHANIA in carcerem 6. annis, ut Philo dicit.

Patientia tantorum malorum testatur, Iechania maximæ sanctitatis virum fuisse.

41. EVILMERODACH. 30. favens Iechaniæ, Philo. Ego suspicor hunc regio nomine etiam Nabucadnezar dici.

EVILMERODACH. 30.

X IECHANIA ex carcere genuit Sealthiel, Qui genuit Zerubabel. Philo.

X SEALTHIEL.

X

Zerubabel nascitur.

Qui anno suo 17. dux fit solutæ captivitatis.

lo
t

49. BALTHASSAR 14. Metasthenes facit 5. Reges Babel.

BALTHASSAR. 14.

X

Nebucadnezar. 45
Evilmerodach. 30.
Reg Assar. 3.
Lab Assar Adach. 6.
Balthassar. 5.

Sed me movet, quod Daniel tantũ tres nominat, Deinde Ier. 27. dicit, Servient Regi Babel ipsi, & filio ejus, & filio filii ejus. Hunc sequor egò, Aliis relinquo suum judicium.

SOLVTIO CAPTIvitatis & initium regni Persarum. Anno 1. Darii, audit Daniel ex Angelo 70. hebdomadas. Vidit n. 70. an. desolationis impletos, unde accipit novam 70. hebdomadarum revelationem.

Primo anno Cyri,
Iesus Sacerdos. 36. hujus pater Iozadas fuit ductus in Babel, 1. Paralip. 7.
Zerubabel Dux 58. alias Berechia 2. Paralip.

CAPTIVITATIS SOLVTIO.

Ioiakim Sacer. 8. absente patre. Huic tribuit Philo librum Iudith.

DANIEL videt somnium 4. ventorum, & 4. Bestiarũ an. 1. Balthassar, Dan. 7.

DANIEL videt visionem Arietis & hirci, anno 3. Balthassar. Dan. 8.

X

DANIEL interpretatur visionem Balthassari.

PERSARVM REGNVM.

DARIVS Medus cum Cyro. Anno ultimo Darii vincit Daniel Leones.

1. DARIVS cum CYRO.

CYRVS SOLVS.

2. CYRVS solus.

Anno 3. Cyri audit Daniel, magna de Antichristo. Dan. 11. & 12.

X

Apparet Darium Danieli curam Medorum, post etiam Cyrum ei & Persarum curam demandasse.

His annis absente Cyro, in bello Scythico 6. annis, regnat filius Cambyses tyrannus 7. annis, qui vetuit & impedivit mandatum Cyri de ædificando templo.

X

ARTAXERXES

3. ARTAXERXES.

Priscus Assuerus 20. filius Hystaspis, etiam Darius dictus, maritus Esther, qui exaltavit Mardocheum, & Babylonem rebellem recuperavit.

X

Historia Esther.
Esther 4.

Mardocheus exaltatur 12. anno Assueri, vixit annos 197. Philo.

C X

3500.



Iesus reversus. 20.

INITIVM hebdomadar.

Haggai, Zacharias.

Exitus verbi, Dan. 9.

Anno 6. Darii, perfecta est domus Domini, Esræ 7. Ioann. 2. Iudæi dicunt Christo, Domus hæc ædificata est 46. an. & tu in triduo reædificas. Illa sunt n. tempora angustiæ, in quibus impediti sunt, post jactũ fundamentum. Nam sequentibus 4. annis successit opus felicitor, ut dicitur Esræ 9.

Lucæ 3.

, Dux Resa Metullam. 66.

Ioiakim filius Iesu. 48.

eodem anno quo Nehemia missus est.

Huic tribuit Philo librum Esther.

ad annũ ejus 20. effluxos, So ists vmb die 18 jahr zu thun, quibus tardius veniet Christus dux, in Chronico isto. Ego tamẽ moveor plus quod verbũ egressũ, sit verbum Dei, per Haggæum & Zachariã revelatum, Anno 2. Darii, quam verbum ipsius Darii an. 20. cum de verbo ejus nihil constet, nisi quod dedit licentiã Nehemiæ satis difficulter, & civitatis ædificatio recte intelligitur, cũ templum potior pars civitatis per Haggæi verbum inciperet ædificari, Sic ego sine præjudicio. Quicquid n. sit de intermediis, hebdomadas oportet certo initio & fine contineri, & Christum verum intelligi in ista prophetia.

DARIVS longa manu. 37.

4. DARIVS longa manu.

INITIVM HEBDOMADARVM DANIELIS, anno 2. Darii.

Esra venit Ierusalem anno 7. Darii Esræ 7.

Cum isto Dario regnat foris XERXES pater, occupatus bello Græco, qui Dani. 11. quartus dicitur à Cãbyse. Nam reliquos non curare videtur Angelus.

Videtur Regina Esther, ut vidua, mater hujus Darij multum valuisse istis annis. Nam liber Esræ, & Nehemiæ, mirum modum Esteri ſſat & Mardochiſſat. Anno 20. mittitur Nehemia à Dario, ad ædificationem Ierusalem, videtur vixisse ultra 120. annos, quia attingit Alexandrum Magnum infra.

Qui volet hebdomadas Danielis incipere ab an. 20. Darij, mittentis Nehemiam, eo quod Angelus de reædificatione Civitatis loquatur, quod opus fecit Nehemia, Is adjiciat istos annos 18. ab anno 2. Darii, ✱

DARIVS NOTHVS. 19.

5. DARIVS NOTHVS.

Digitized by Google

De concordia inter hiſtorias & regibus iſtis primis, vide M. Philippum Melanthonem in ſuo Carione, qui proxime attingit, ut melius non poſſit. Deficiente enim Scriptura, in his rebus cogimur Philoni, Ioſepho, & aliis credere.

X

ARTAXERXES MEMNON. 55. hic magnus vocatur.

Gre140. reſtim. 6. ARTAXERXES.

X

Eliaſib. Sac. à Nehemia reprehenſus. 21.

X

Hoc anno moritur Mardocheus, poſito quod fuerit 10. annorum quando cũ Iechania ſponte migravit. Tot enim ſunt anni (197.) à prædicta migratione uſq; huc, conjunctis 10. annis ipſius Mardochei.

198. Philo.

Lucæ 3.
Dux Iohanna ben Reſa.
53.

Quod dico.

X Quia Lyra multa patitur in iſto Mardocheo, dum credit eum vixiſſe, aliquot centenos annos, ſecundum hiſtorias latinas (falſas) Quæ Perſarum regnum faciunt multos centenos annorum. Ita ſecutus Rab. Sal. confunditur & confundit ſupputationem hebdomadarum, ut [illegible] tea recte tract[illegible] 3600.

Ioiada Sacerdos. 24.

C X

alio propter hunc Mardocheum, absurda sequitur in hebdomadibus, Daniel. 9. Esther 4.

X

6.
OCHVS. 26.

7.
OCHVS.

X

Iohannan Sacerdos, alias Ioathan 24.

Hic ponunt fere omnes Alexandrum Magnum Olympiade. III. anno ejus 2.

Dixi supra in Præfatione, mihi non esse multum curæ, quo loco ponatur ab Historicis Alexander, dum mihi numerus Hebdomadarum salvus sit. Ideo Philonem secutus (ut antea) hic nolui mutare editionem priorem.

X FINIS REGNI PERSARVM secundum eosdem.

MORS ALEXANDRI, & Regni Græcorum initium.

Lucæ 3.
Dux Iuda 2. 14. dictus

X

Hircanus primus.

Iaddua Sacerd. 10. Hic dicitur Alexandrum Magnum in Ierusalem suscepisse, & Nehemia 12. eum nominat. Ideo verisimile est, Nehemiam interfuisse, forte & Esr[illegible]gressui Alexandri in [illegible]lem.

7.
ARSAMES vel Arses. 4.

8.
ARSA. MES.

8.
DARIVS Vltimus. 6.

9.
DARIVS ultimus.

C X

Finis regni Persarum, & initium regni Græcorum.

FINIS REGNI PERSARVM, & initium regni Græcorũ. | Lucæ 3. Onias Sacerd. | Dux Ioseph Priscus. 27. | Primus. 7.

X

Lucæ 3.
Abner Semei. 11.

X

Lucæ 3.
Dux Eli Mathatias. 12.

X

Simon Priscus Sacerd. 13.

Lucæ 3.
Dux Aser Maat. 9.

X

Lucæ 3.
Dux Artaxat Nagid. 10.

Eleatar Sacerdos Antiochi Theos inimicus. 20. Hic Ptolomæo Philadelpho misit 70. Interpretes.

C X

ALEXANDER Magnus. 7.

1. *ALEXANDER Magnus.*

Vides post Alexandrum Sacerdotes apud Reges inclaruisse, contempta tribu regia, quia Rex nullus erat. Ideo & simul cœperunt Traditiones & superstitiones ad decipiendos Reges. 3700.

Lucæ 3.
Dux Haggai Eli. 8.

X

Lucæ 3.
Dux Maslot. Nahum. 7.

Manasse Seleuco Gallinico amicus. 27.

Lucæ 3.
Dux Amos. Syrach. 14.

X

Ab hoc dici credendus est Iesus Syrach velut Nepos. Quia vocat Avum suum, & sub Evergete se dicit in Ægypto fuisse, qui circa hæc tempora fuit.

X

Lucæ 3.
Dux Mathathias Siloa.

Silos.

10.

Simon Iustus

X

honoratus ab Antiocho magno, 28.

Huic tribuitur Thalmud Iudæorum & ipse postremus laudatur à Syr. ut facile probetur, ipsum (Syrach) fuisse paulo ante Maccabæos.

Dux Ioseph junior, honoratus à Ptolomæo Evergete. 60.

X

Digitized by

X

Onias filius Simonis, ſpoliatus templo à Seleuco Ceraunio fratre Epiphanis. 29.

Hunc celebrat libro 2. Maccab. & ipſe in Ægypto ædificavit templum in Heliapoli, falſo intelligens verbum Iſaiæ, ipſo facto prophetans finem ſacerdotii.

X

ANTIOCHVS. 12.

cujus anno 9. Maccabeus Iudas regnat 146. anno Græcorum, ſecundum opinionem primam.

X

B IVDAS MACCABEVS, ſecundum opinionem primam, quæ Alexandrum ponit III. Olympiade, Et regnum Græcorum poſt mortem ejus, & putatur verior.

X

C Opinione ſecunda Philonis, quam ſecutus ſum, accipiendo regni Græcorum initium ab Alexandro.

C X

A *Hic obſerva, num hæ tria membra (quæ literis A B C compendii cauſa notata vides) cenſungi debeant, cum nullum per ſe perfectè videatur, & verba quædam in duobus prioribus hîc poſita reperiat.*

Digitized by Google


Lucæ 3.
Ianneus ſecundus Hircanus. 16.
Ionathan. 19.
X
X
Haſmonai, id eſt Simonenſes Haſchameonim de quibus dicit Philo, quod rapuerunt ſimul & Ducatum à domo David & Pontificatum. Verum id factum eſt, & ducibus & pontificibus ſuum officium omittentibus, ideo Deus per alienos voluit populo ſuo dare (ut Daniel dicit) auxilium parvulum, Myſterio ſcilicet, ut tranſiret & Sacerdotium & Regnum ad alienos, uſq; ad Chriſtum, qui finitis 70. hebdomad. ſolus utrumq; ſuſcepit in æternum.
SIMON. 8. Philo Maccab. 16. tribuit ei 7. annos.
X
Ioannes Hircanus major. 26. hujus meminit finis 1. Maccab.
X
X

git virga Ieſſæ, Chriſtus. Quia ſicut 70. anni ſervarunt populum in Babylone per promiſſiones, ita 70. hebdomadas ſervant (ſine throno & rege) eundem populum uſq; ad Chriſtum per eandem promiſſionem.

Ariſtobulus. I.

X Alexander Crudelis. 27.

X

Lucæ 3.

Quæritur
Quomodo verùm ſit verbum Iacob Geneſis 49. Non auferetur Sceptrum de Iuda, &c. cum hic defecerit & Ducatus & Pontificatus ſub Maccabæis, ſaltem in linea naturali, & Ieremias copioſe clamat, non defuturum de filiis David ſedentem ſuper thronum ejus coram Domino cunctis diebus.

X

Alexandra uxor. 9.

mulier prudens

Sed
Iſaiàs prædixit 11. Chriſtum oriturum ex radice Ieſſæ, id eſt, mortuo trunco in terris & deſperato. Ita hic Davidis linea ſimpliciter moritur. Sic ſunt opera Dei, ut occidat & vivificet, ita ex mortuo trunco (tot annis) Davidis, ſurgit

C X

Hircanus junior. 34.

à Parthis captus.

3900.



Digitized by Google

Annus Herodis 30. & Auguſti 40. qui eſt annus primus ſalutis ab incarnatione Chriſti.

X CHRISTVS IESVS filius Dei, naſcitur ex virgine Maria. *Annus 1. Salutis.*

ARCHELAVS. 9.

X

AVGVSTVS moritur.

TIBERIVS. 23. *3. TIBERIVS.*

HERODES Antipa. Tetrarcha, occiſor Iohan. Baptiſtæ. 24.

X

IOANNES BAPTISTA anno 15. Tiberii anno 2.

X CHRISTVS BAPTISATVS incipiens (ait Lucas) 30. anno.

In principio 34. anni ætatis Chriſti, eſt ipſe crucifixus, ſurrexit, miſit Spiritum ſanctum, &c. ipſe eſt primus annus ultimæ hebdomadæ.

1 2 3 4

CHRISTVS mortuus, reſurrexit, Dux æternus, regnat an. 100000. & ſic ſine fine.

VLTIMA HEBDOMADA.

In dimidio hebdomadis cecidit ſacrificium & oblatio, Dan. 9. dum fere 3. anno poſt reſurrectionẽ, in Concilio Apoſtolorum, publico decreto, lex abrogatur & libertas promulgatur à lege. *QVARTVS millenarius.*

CALIGVLA. 3. annis menſibus. 3. *4. CALIGVLA.* C X

Finis 70. hebdomadarum. *FINIS HEBDOMADARVM.*

Certa ratio ab anno Darii 2. 490. anni. 4000.

Digitized by Google

HERODES Agrippa Priſcus 7. occiſor Iacobi. Act. 12.

AGRIPPA junior. 27.

Hic non vocatur Herodes, ſed Agrippa tantum, Act. 26.

X

CLAVDIVS. 13. menſibus. 9.

5. CLAVDIVS.

NERO. 14.

6. NERO.

X

Circa hoc tempus naſcitur Volumen volans Zachar. 5. Thalmud. Ieroſolymitanum.

S. Petrus & Paulus occiſi à Nerone.

Galba
Otho
Vitellius
} anno 1.

X

VESPASIANVS. 9.

7. VESPASIANVS.

VASTITAS IERVSALEM.

VASTITAS IERVSALEM anno 40. poſt paſſionem Chriſti, & 74. poſt nativitatem.

Agrippinus. 30. Philo.

X

TITVS 2.

8. TITVS.

DOMITIANVS. 15.

9. DOMITIANVS.

X

Digitized by Google


NERVA. 1. annum 4. men.
10. NERVA
TRAIANVS. 19. annum 6. menſ.
11. TRAIANVS.
X
X
100. Salutis.
Naſcitur volumen volans, id eſt, maledictio, Thalmud Babylonicum, quo maximè utuntur Iudæi. Vide Burg. Eſa. 34. Zach. 5.
Ben Cosbankochab.
X
X ADRIANVS. 20.
11. ADRIANVS.
X
Kochab occiditur.
4100.
C X ANTONINVS PIVS. 23. annis.
13. ANTONINVS.



MARCVS Antoninus Philoſophus. 18. annis. 14. MARCVS

COMMODVS. 12. 15. COMMODVS.

16. ELIVS. ELIVS pertinax 6. menſ.

17. DIDIVS. DIDIVS IVLIANVS 7. menſes.

ORIGENES.

200. Salutis.

X

SEVERVS an. 18. '' 18. SEVERVS.

X

Papinianus Iureconſultus.

ANTONINVS BASSA Caracalla. 6. Papa. 18. ANTONINVS.

MACRINVS. 2. menſes 1. annum. 20. MACRINVS.

X

VARIVS HELIOGabalus. 4. Cardinalis. 21. VARIVS. HELIOG.

Vlpianus Iureconſultus.

ALEXANDER SEverus, 13. annis. 22. ALEXANDER

X

Meſſias de domo Elix. 4000. annus Mundi, ſecundum Iudæos.

C X

MAXIMINVS Paſtor. 3. annis. 23. MAXIMINVS.

4200.

Digitized by Google


GORDIANVS. 6.
24. GORDIANVS.
PHILIPPVS. annis 5.
25. PHILIPPVS.
ROMA hoc anno eſt mille annorum.
X
Gotthorum initium cum 300000. hominum contra Romanos.
DECIVS 2. annis.
26. DECIVS.
VIBIVS GALLVS
27. VIBIVS.
cum filio Volusiano. 2.
28. VALERIANVS.
VALERIANVS. 6.
X
GALLIENVS ejus filius. 9.
29. GALLIENVS.
X
FLAVIVS CLAV
30. FLAVIVS CLAVDIVS
DIVS. 2.
AVRELIANVS. 5.
31. AVRELIANVS.
annis 6. menſibus.
MANICHEI.
X TACITVS. 6. menſ.
32. TACITVS.
PROBVS. 6. menſ. 4.
33. PROBVS.
CARVS. 2. annis.
34. CARVS.
DIOCLETIANVS. 20.
35. DIOCLETIANVS.
annis, offenſus forte ſectis Chriſtianorum, voluit omnia reſtituere. Sicut & nunc & ſemper moverunt ſe andala Eccleſiæ gentes.
X

300.
Salutis.

X

CONSTANTIVS. 36. CONSTANTIVS.
4. annis cum Valerio Maximo.

Seperatio { Francorum. / Alemanorũ. X

CONSTANTINVS 37. CONSTANTINVS.
Magnus. 30. annis.

Sylvester anno 3. Constantini.

X

ARIVS.

CONCILIVM NICENVM. anno 14. Constantini.

X

C X

CONSTANTIVS filius, 24. annis. — 38. CONSTANTIVS.

X

X

Augustinus nascitur. 19. Constantii.

IVLIANVS 2. annis. — 39. IVLIANVS.

IOVINIANVS. 7. mens. — 40. IOVINIANVS.

VALENTINIANVS. 12. annis cum fratre Valente Ariano. — 41. VALENTINIANVS.

X

S. Martinus baptisatur à Sancto Hilario, Episcopo Pictaviensi.
Damasus Papa.
S. Hilarius obiit.

S. Martinus fit Episcopus.
S. Ambrosius fit Episcopus.

VALENS post fratrem 3. annis solus.

X

X

GRATIANVS filius Valentiniani filius senior 6. annis. — 42. GRATIANVS.

CONCILIVM Constantinopolitanum, anno 5. Gratiani.

THEODOSIVS Magnus 11. annis. — 43. THEODOSIVS.

X

S. Augustinus baptisatur, anno 3. Theodosii.

Iohannes Eremita claret.

Augustinus presbyter.

Honorius frater. 29.

ARCADIVS filius Theodosii. 13. annis. 44. ARCADIVS.

400. Sabin.

X

GOTTHI.

X

ROMA à Gotthis capta anno Christi. 412. Alricho.

Arcadius moritur.

Valentinianus junior cum Theodosio in occidente. 25. annis.

THEODOSIVS junior filius Arcadii. 27. 45. THEODOSIVS.

X

Augustinus moritur. 75.

CONCILIVM Ephesinum. anno 10. Theodosii.

C X

* MARTIANVS in oriente. 6.

ROMA à Vandalis capta anno 456.

CONCILIVM Calcedonense. anno 4. Martiani.

47. MARTIANVS.

VALENTINIANVS Iunior post Honorii mortem in occidente. Post Valentinianum Italia lacerata turbatur usq; ad Carolum magnum.

X LEO I. 16. annis.

46. VALENTINIANVS.

48. LEO.

ZENO. 17. annis.

49. ZENO.

X

X

X

X

Digitized by Google


500. Iulii.
ANASTASIVS 26.
50. ANASTASIVS.
X
X
X
IVSTINVS subulcus.
9. annis.
51. IVSTINVS.
IVRA.
IVSTINIANVS, Iustini bubulci ex sorore nepos.
X 38. annis.
52. IVSTINIANVS.
C X


ROMA exusta & vastata à Gothis per Totilam, anno Christi 548.
X
X
Longobardi in Italia morantur.
IVSTINVS nepos ex filia. 10. annis.
13. IVSTINVS.
X
TIBERIVS. 7. annis.
14. TIBERIVS
X
MAVRITIVS. 20.
Martyr sanctus.
15. MAVRITIVS MARTYR.
X

Gregorius Magnus ultimus Episcopus Romanæ Ecclesiæ, sequentes sunt Papæ, id est, Pontifices Romanæ curiæ.

600. Salutis.

X

FOCAS. 8. annis.

16. FOCAS.

Cæsaricida, Papeficus & Papifex.

PRIMARIVS Papa.

PRIMATVS PAPÆ stabilitur, id impetravit Bonifacius tertius.

Nota.

Bonifatius est nomen Papale. q. bona facies, Quia bona specie pessima facit Deo & hominibus.

X

HERACLIVS. 29.

17. HERACLIVS.

X

MAHOMET.

MAHOMET incipit anno Christi 630. Et anno 18. Heraclii.

X.

X

4600.

Digitized by Google


Constãtinus filius. 4. mens.
HERACLEONAS. 2.
annis.
CONSTANS. 27.
annis.
X
X
X CONSTANTINVS
filius. 17. Pogonatus victor
Saracenorum.
X
IVSTINIANVS filius.
16. annis.
X



Digitized by Google


CONSTANTINVS
filius. 34. Copronymus.
69.
CONSTANTINVS
X
X
Carolus Magnus rex
Galliæ.
X
LEO quartus filius. 5.
70.
LEO quartus.
X
CONSTANTINVS
filius cum matre Irene. 10.
Filius ejecta Matre. 5.
Mater reversa. annis 3.
71.
CONSTANTINVS
IRENE.
X

REGNVM Germanicum.

800. Salutis.

X

CAROLVS Magnus. 14. annis. Prius 32. rex Galliæ.

1. CAROLVS Magnus.

X

LVDEVICVS pius 26. annis.

2. LVDEVICVS.

X

X

C X

LVTHERVS alias Lotharius. 15. annis.

3. LVTHERVS 4800.

Digitized by Google


A quo Lutheringa.
X
LVDEVICVS secun-
dus. 20. annis.
LVDEVICVS
X
X
CAROLVS Calvus. 2.
annis.
BALBVS filius. 2.
X
CAROLVS CRAS-
SVS. 10. annis.
CAROLVS CRASSVS
X

900. Anni.

EHRNHVLF alias Arnolfus. 12. annis. 6. EHRNHVLF.

X

LVDEVICVS tertius. 10. annis. 7. LVDEVICVS.

X

Thrasibulus.

KVNRAT. 7. 8. KVNRAT.

X HINRICVS 1. Auceps dux Saxoniæ. 17. 9. HINRICVS.

X

1. pater.

C X

HETTA 1. Ottoprimus. 36. annis. 10. HETTA.

Kkkk 4900.

Digitized by Google


X
X
X
OTTO.
HETTA secundus. 10.
11.
HETTA
X
HETTA tertius. 19.
11.
HETTA
X

INSTITVTIO septemviratus in Imperio, seu 7. Electorum sub Ottone. 3.

1000. *Salutis.* MILLESIMVS SALVTIS. X

Finito isto Millenario solvitur nunc Satan, Et fit Episcopus Romanus Antichristus, etiam vi gladii.

Apoc. 20.

HINRICVS 2. Claudus Sanctus, finis Ottonum. 22. annis. 13. *HINRICVS.*

X

X

KVNRAT 2. Francus 15. 14. *KVNRAT.*

X

QVINTVS Millenarius.

5000.

C X HINRICVS. 3. Niger. 17. annis. 15. *HINRICVS 3.*

Digitized by Google


X
HINRICVS. 4. 50.
16. HINRICVS 4.
Papa Stephanus. 9. Ducis Lotheringiæ frater.
Papa Nicolaus. 2.
Alexander. 2.
X
X
Gregorius 7. Hellebrand. Larva Diaboli.
Bernhardus nascitur.
X
Victor. 3.
Urbanus. 2.
X



Digitized by Google

Sub Conrado — Petrus Comestor Magister Historiæ scholasticæ. Petrus Lombardus Magister Sententiarum.

Bernhardus moritur.

X

FRIDERICVS BARbarossa. 37. annis. — 10. FRIDERICVS.

X

ABBAS Ioachim.

X

X

HINRICVS 6. filius Barbarossæ. 7. — 11. HINRICVS 6.

Digitized by Google

PHILIPPVS Barbarossæ filius. 10.

23. PHILIPPVS.

X

Franciscus / Dominicus — mendicantes Ordines sub Philippo.

1200. Salutis.

Innocentius 3. Hypocrita ingens.

S. Elisabeth nascitur.

HETTA dux Brunsv. 4. annis.

23. HETTA

X

Honorius 3. Deus Francisci & Dominici.

FRIDERICVS 2. 37. nepos Barbarossæ.

24. FRIDERICVS 2.

Messias Mosi Ægyptii.

Gregorius 9. Decretalium auctor.

S. Franciscus moritur.

X

Antonius de Padua.

Elisabeth Marpurgi Canonisatur.

Celestinus 4. dies 18.

C X

Innocentius 4.

XK VNRAT 4. Friderici
2. filius. 3.

25.
XVNRAT
4.

Alexander 4.

VVILHELM Comes
Flandriæ. 2.

26.
VVILHELM

X

Interregnum 17.

X

Clemens 4.

Rodolfus.

RATHVLF Comes
Habſpurg. 19.

27.
RATHVLF

Innocentius 5.
Adrianus 4.
Nicolaus 3.
Iohannes 21.
Petrus Hiſpanus.

X

Martinus 4.

X

Nicolaus 4.
Adolff.

Celestinus. 5.

Canis.

vit ut Leo, mortuus ut intravit ut vulpes, regna-

Bonifacius. 8. Montium.

1300. Iubil.

Papa Clemens. 5.

Clementinarum opifex.

Lyræ quæstio quodlibetica.

Papa Iohan. 22. 19. annis.

HETTA HVLF Comes à Nassau. Signum crucis in vestibus Iudæorum, Scruti. parte 2. cap. 11. 28. HETTA HVLF.

ALBERTVS primus Austriæ. 10. 29. ALBERTVS.

X

Sub hoc Alberto crevit Othomannus, Vnde ista familia Turcarum. OTTOMANNVS. 19.

Sedes Papæ in Gallia Avinionen. 74. annis.

HINRICVS 7. Lucelburgensis. 6. 30. HINRICVS 7.

X

LVDEVICVS Bavarus. 33. annis. 31. LVDEVICVS.

X

OKAM.

Hic finiunt. 1290. dies Danielis. 12. à dimidio hebd. ultimæ, in qua cecidit sacrificium, &c. die, pro anno supputato.

Nico. Lyra complet suam Postillam, ut dicit Danielis 9.

X

Papa Benedictus 11.

Octauus.

530.

C X



Digitized by Google

IOHANNES HVS
incipit.

Concilium Satanæ Constantiense. 4. annis.

Sanctus Martyr Christi Ioannes Hus ab Antichristo exustus Constantiæ cũ socio martyre Hieronymo de Praga.

Redit sedes Papæ ex Gallia ad urbem post 39. annos schismatis. i. post translationem sui in Galliam.

Burgensis additiones in Lyram.

Burgensis Scrutinium.

TAMERLANES
Schyta, ein Schotte.

Ratvverd.
X RVPERTVS Comes Palatinus. 10. annis. 34. RVPERTVS

Siegman.
X SIGISMVNDVS filius Caroli. 27. 35. SIGISMVNDVS.

X 30. Amurates 29.

X

Concilium { Basilense / Ferrarense / Florentinum

ALBERTVS. 2. 2. 36. ALBERTVS.

C X FRIDERICVS. 3 53. 37. FRIDERICVS.

1400. Schisma. Innocentius 6. 8. Moses. 13. Mahomet. Johannes 23. Bonifacius 9. Innocentius 7. Gregorius 12. Alexander 5. Martinus 5. Eugenius 4. Felix 5. in Schismate Basilien.

5400.

VLADISLAVS Polo.
Rex, cæsus apud Varnam ab Amuratæ.
Nicolaus. 5.
X
EXPVGNATVR
Constantinopolis à Mahomete Turca.
32.
Mahumet. 29
Pius. 2.
Calixtus. 3.
MATTHIAS Rex Vngariæ.
X
Paulus 2.
Sixtus 4.
X
X
Innocentius. 8.
Cum patre Maximiliano.
X

Alexander 6.

MAXIMILIANVS solus. 25. — 38. MAXIMILIANVS.

Morbus novus Gallicus, alias Hiſpanicus cœpit, Ex Inſulis novis repertis in Occidente (ut dicitur) invectus Europæ, Vnum de ſignis magnis ante diem extremum.

Et ſub iſto Maximiliano ſigna in cœlo mirabilia & multa facta ſunt, imo & in terra & in aquis, de quibus Chriſtus dixit, Et ſigna magna erunt, ita ut nullo ſeculo ſimul & plura & majora facta legantur, Quæ ſpem certam faciunt diem illum beatum inſtare brevi.

Leo decimus.

Iulius 2. Diabolus incarnatus.

Pius. 3.

1500. Sabell.

X

X

Finis regni Saracenorum ſuperborum. — 6. Zelimus.

INDVLGENTIÆ Papales. — INDVLGENTIÆ

Papales impugnatæ per Luth. poſt mortem Iohan. Hus anno 102, qui eſt annus fere 1000. confirmati Papatus per Focam.

CAROLVS quintus. — 39. CAROLVS quintus. Soymannus.

X

Clemens. 7. Alius Satan.

Adrianus. 6.

X CONFESSIO principum in Comitiis Auguſtæ coram Carolo 5. & imperio toto.

Paulus 3. Nequam.

Hodiernus annus 1540.
Annus Mahomet. 940.
Papæ. 960.

C X

L iii

5500.

Sperandus est finis Mundi.

Nam sextus Millenarius non complebitur. Sicuti tres dies mortui Christi, non sunt completi, ut sic dividam.

Paſſah ——— Freitag } Veſpere Cœnæ Dñi.
Sabbatum ——— Sonnabent } Veſpere ſepulturæ. Mane poſt.
Prima Sabbati ——— Sontag } Veſpere Sabbati. Mane ſequens.
Mane lucescens non (est completum, Sed mane surrexit, in medio scilicet diei tertiæ, Sicut in medio diei primæ captus est, ita nunc est medium sexti Millenarii.



Digitized by Google

1600, *Saints.*



LIII a

Anno 25. Vſiæ Regis Iuda Olympias prima incipit.
Darius Longimanus Olympi. 78. anno 4.
Alexander Magnus Olympiade 111. anno 2.
Auguſtus Olymp. 184. anno 3.
Chriſtus natus Olymp. 194. anno 4.
Chriſtus mortuus Olymp. 203. anno 3.

Quamvis Olympiadarum certitudine nihil torqueri velim, nec me, nec quenquam, dum ſacræ Scripturæ certitudine fruimur.

DE SEPTUAGINTA HEBDOMADIBVS DANIELIS.

VIdeamus nunc Danielem de Hebdomadibus. Ab exitu Verbi de reædificanda Ieruſalem, &c. Contemptis (hac vice) diverſis opinionibus, unam apprehendamus, ſcilicet exitum verbi eſſe intelligendum, cœpiſſe anno 2. Darii, Vbi non verbum hominis, ſed Dei, per Haggai & Zachariam egreſſum eſt. Nec eſt neceſſe initium iſtius exitus, vel verbi accipere eo anno, quo eſt Danieli revelatum. Eſt enim anno primo Darii & Cyri (ut ſupra in textu) ei revelatum, cum jam impleti & finiti eſſent 70. anni deſolationis. Sicut non eſt neceſſe initium eorundem 70. annorum ſumere eo tempore, quo Ieremiæ fuit revelatum, ſcilicet 4. anno Zedech. vel Iojakim, ut aliqui Iudæi & Lyra faciunt. Quia Daniel, & 2. Paralip. ult. & Eſræ primo, ſatis docent, annos deſolationis cœpiſſe à deſtructa Ieruſalem. Et pertinet illud verbum Ieremiæ de deſolatione, nihil ad hoc verbum, de quo Daniel novam accipit revelationem, poſt finitos 70. annos, jam egreſſo verbo ſolvendæ captivitatis. Nihil etiam Ieremias dicit de ædificanda Ieruſalem. Sed de revocando populo poſt 70. annos, quod ita factum & impletum eſt.

Igitur novum verbum poſt Ieremiæ verbum prædicit Angelus, nec ſignat ei initium exitus. Quia futura prophetat, non pro Daniele, ſed pro populo ſuo. Dividit Angelus 70. hebdomadas in 7. in 62. & in 1. ſcilicet, ſeptem hebdomadibus reparabitur platea, & foſſa in anguſtia temporum. Hæc impleta docet liber Nehemiæ. Qui 20. anno Darii venit, & vix perficit muros, cum interim à 2. anno Darii per 18. annos multa paſſi eſſent in anguſtia illa temporis impedientibus gentibus opus, verbo Dei mandatum. Nam antea à tempore Cyri per 24. annos ſimpliciter jacebat opus, prohibitum à rege Perſarum Cambyſe.

Dat igitur Angelus reparationi Ieruſalem 7. hebdomadas. i. 49. annos. Tot enim annis ab anno 2. Darii, vix eſt reſtituta Ieruſalem, ita ut plateam & foſſam haberet (ſic Angelus loquitur) i. ut haberet politiam conſtitutam in platea & pace, Et foſſam, id eſt, murum, munitionem contra bellum & hoſtes, Da gehöret zeit zu/ daß eine Stadt angericht werde/beyde zum Regiment vnd wider die Feinde / daß beydes im ſchwang gehe vnd ſtehe. 2. Par. 12.

Iſti anni ſunt impleti anno 5. Artaxerxis Mnemonis, Adhuc gubernante Nehemia & Iojakim ſacerdote, &c.

Et poſt hebdomadas 62. excidetur Chriſtus, Et nihil ei. 62. hebdomadæ ſunt. 434. anni, Qui ſimul juncti cum 49. ſeu 7. hebdomadis, faciunt 483. Tot ſunt anni ab anno 2. Darii, poſt quem annum ſcilicet 483. ſtatim in principio ſequentis anni, qui eſt primus ultimæ hebdomadis, & initium 34. anni ætatis Chriſti, in eo (inquã) ipſo, eſt exciſus, ut hic dicit Angelus, ſequitur ultima hebdomada, de qua mox.

Illud (Et nihil ei) ſcu quod noſter de ſuo addens dicit, Et non erit populus ejus, qui eum negaturus eſt, ſic potius intelligetur, Quod Chriſtus exciſus de terra viventium & à Iudæis crucifixus, nihil de lege Moſaica, neq; cultu ullo carnis, Sed neq; de Politia, aut Oeconomia aliquid habebit. Sed erit regnũ ejus ſpirituale & æternũ, in juſtitia & ſanctitate veritatis. Pſalm. 15. Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus, Omnia nova. Et alibi, Neq; in monte hoc, neq; in Ieruſalem adorabitis, Pſal. 15.

tis, Nec memor ero nominum eorum ſuper labia mea, Hoc vigilanti verbo, Excidendi, ſignificat Angelus, moriturum Chriſtum & reſurrecturum, & adducturum Iuſticiam, & vitam ſine Lege & operibus, Vnde ſequitur.

Confirmabit pactum multis hebdomada una, Lege Conciones Petri Act. 3. 4. &c. Et Pauli 13. & totum illum librum, in quo docent impleta eſſe omnia filiis eorum per Ieſum. Et ita patet, quid velit Angelus. Eſt autem hæc hebdomada æſtimanda ſimilis feſtivitati Paſchæ, in qua feriabantur tota hebdomada. Ita & hæc hebdomada veri & impleti Paſchatis, fuit celeberrima & ſanctiſſima virtutibus & miraculis Spiritus ſancti, & ſermone omnium linguarum potenti & mirabili.

Act. 3. 4.

Et in dimidia hebdomadis deficiet ſacrificium & oblatio. Hoc factum eſt Act. 15. Quando publica ſententia in Concilio Apoſtolorum decretum eſt, onus Legis eſſe tollendum à cervicibus diſcipulorum, Id quod factum eſt fere 3. aut 4. anno poſt reſurrectionem, id eſt, dimidio ultimæ hebdomadis.

Act. 15

Quam miſere ſunt excæcati Iudæi, Qui hebdomadarum ſaluberrimam promiſſionem tam ſtulte abjiciunt. Nam ſicut Ieremias promiſſione 70. annorum ſuſtentavit Populum in captivitate, ut ſcirent certam eſſe redemptionem ab illa calamitate. Ita cum futurum eſſet, ut poſt reditum à captivitate, non multo levioribus calamitatibus vexarentur (Nam in Babylone certe magnificentius ſunt honorati, tam per Reges, quam per Prophetas excellentiſſimos, Daniel, Ezechiel, &c. dat eis Deus ſolatium promittens, non amplius duratura iſta mala, quam 70. hebdomadas, Tunc affore ipſum Chriſtum, qui finem faciat æterna redemptione omnibus malis. Ipſi vero finem hebdomadarum faciunt initium expectandi Chriſti in certo tempore, ſeipſos à præfinito tempore excludentes, abjiciunt ſeſe in Chaos incerti & nunquam futuri temporis, fraudantes ſeſe tam ſalutari promiſſione.

SCRVPVLI IN ISTA SVPPVTA-
tione annorum Mundi.

Duo ſunt ſcrupuli in iſta ſupputatione annorum Mundi. Vnus ex narratione Stephani Actor. 7. quem facit Lucas, dicere, quod Abraham ſit poſt mortem patris ſui Thare translatus ex Haran in terram Canaan. Quod ſi verum eſt, Sequitur, Abraham fuiſſe natum anno Thare patris ſui, 130. Quia Abraham erat 75. annorum, egreſſus Haran, id eſt, poſt mortem patris ſui (ut Stephanus dicit) Thare autem vixit, 205. annis. Ita clarum eſt, Abraham eſſe natum 130. patris ſui Thare.

Act. 7.

Contra ſcribitur Geneſ. 11. Thare 70. annorum genuit Abraham, Nahor & Haran. Durum autem & audaciæ magnæ ſit dicere, quod Moſe ſcribit Abraham eſſe natum 60. annis antequam naſceretur. Quia ſi eſt natus 130. patris ſui (ut narratio Stephani ſentit) & tamen eſt (ut Moſes dicit) natus 70. ſequitur eſſe eum natum 60. annis ante ſuam nativitatem, Hoc eſt (ut dixi) nimis audere.

Gen. 11.

Vtram voles ſequi ſententiam, per me quidem liberum ſit tibi, Sed difficile erit Moſen corrigere. Ego ſentio cum Moſe, ſcilicet, Abraham vere eſſe natum 70. anno patris ſui, Deinde egreſſum ex Haran ante mortem patris ſui 60. annis. Sic non intercidunt 60. anni in numero annorum mundi. Deinde credo, quod Thare genuerit Haran primogenitum, anno ſuæ ætatis fere triceſimo. Sic enim vides omnes alios patres, Peleg, Eber, Salach, &c. genuiſſe circa 30. annum, ſcilicet feſtinantes mundum vacuum implere poſt diluvium. Quare & Thare credendus eſt eorum exemplo & more generaſſe circa 30. annum, ſcilicet Haran primogenitum anno fere 30. Nahor forte poſt, anno 40. ultimo Abraham 70. & forte ex alia (utpote) juniore. Sic enim ipſe appellat Sarai ſororem ſuam, filiam patris ſui non matris ſuæ, ſeu verius neptem ex Haran fratre. Nominatur autem Abraham prior, cum ſit junior, quia proprie ſit anno 70. natus, Simul hoc Moſes admonet, cum 3. filios Thare eodem anno natos ſcribat, ut cogitemus alios duos alio tempore eſſe natos, Quos hic repetit natos, cum Abraham dicit natum, Sicut ſupra filii Noha numerantur eodem anno nati, cum ſolus Iaphet major ſit illo anno Noha natus, ut ſupra.

Ad narrationem Stephani dici poteſt, Non fuiſſe aſſertionem propriam, ſed é vulgo ſumptam narrationem, quæ ſolet eſſe confuſa & obſcura. Deinde ſolent Evangeliſtæ potius indicare loca ſcripturæ, quam recitare, contenti breviter allegaſſe & remiſiſſe ad ipſos fontes. Nam vide Matthæum 1. quomodo genealogia non reſpondeat hiſtoriis. Simul negari non poteſt, eundem locum Actor. 7. non uno modo depravatum eſſe per aliquos Sciolos. Iſte enim error perſpicuus eſt, quod dicit Dominum apparuiſſe in Meſopotamia antequam habitaret in Haran, & poſtea egreſſum de Chaldea, Meſopotamia poſitum eſt, pro Chaldea, niſi Chaldeam in Meſopotamia ponas, Alioqui jamdudum exierat de Chaldea. Vide Aug. lib. 1. de quæſtionibus ſuper Geneſim, & 16. de civitate Dei, cap. 15.

ALTER SCRVPVLVS EST IN ANnis Ioram regis Iuda & filij ſui Ahaſia.

Hic omnes ſupputantes omittunt 20 annos, quod patet ſic, Ahaſias ſcribitur,
1. Par. 22. 2. Paral. 22. eſſe 42. annorum. Rurſus, 4. Regum 8. ſcribitur eſſe 22. annorum. Si igitur Paralippo. vera dicit, erit Ahaſias 2. annis major natu ipſo patre ſuo Ioram. Hoc ſi patet, Ioram eſt 32. annorum, cum incipit regnare, & 8. annis regnat, Qui ſimul faciunt 40. annos. Qua ſententia (ſi quis ſequi velit) cogetur dicere, Ahaſiam eſſe filium legalem ipſius Ioram, Sed contra hoc eſt, quod mater Attalia, uxor Ioram dicitur mater Ahaſiæ. Matres vero non ſolent in ſcripturis legalium filiorum, ſed naturalium matres dici.

Sequor igitur Hierony. & Lyram, ſcilicet Ioram regnaſſe 28. Viginti autem taceri in Hiſtoria, propter ejus malitiam, qua impie & tyrannice regnavit, ſed eoſdem annos ſignari in ætate filii Ahaſiæ, ne fieret error in Hiſtoria. Ita fit Ioram pater, ſuo filio Iuniore Ahaſiæ 18. major natu, vel 27. ut patet.

Hac ſententia ſtante, quam libens ſequor, fiet, ut ultimus annus, ultimæ hebdomadæ, ſit ipſe quater milleſimus annus mundi, ut vides in Chronico.

SCHEDA.

Solve Problema

1. Primum. Ioram Iſrael regnat anno { Ioſaphat patris 18. / Ioram filii 2. } 4. Reg. 3.

2. Secundum. Ioram Iuda regnat anno 5. Ioram Iſrael. 4. Regum 8. Quomodo poteſt idem annus eſſe ſimul 2. Ioram Iuda & 1. Ioram Iſrael, deniq; ſimul quintus Ioram Iſrael? 4. Reg. 1.

3. Tértium, Ahaſia Iudæ regnat 12. Ioram Iſrael, cum ab anno 2. Ioram Iudæ ad ultimum annum Ioram Iſrael ſint 15. anni. 4. Reg. 8.

Confuſiſſima eſt deſcriptio iſtius temporis Eliæ & Eliſæi, ſicut & regnum fuit tunc turbatiſſimum Idolatria & impietate Ieſebelis.

Pone ſic, ut verſa facie

Sit. A. annus Ioſaphat 16. Et poſt eum incipiat filius Ioram regnare cum patre anno 17.

A. Ioram

A.

Annorum. 23.
Ioram cum patre. 9.

Ioram Iſrael tumultuarie.
Sed poſt tres annos quiete.

Sic eſt ſolutũ primum Problema, quod annus 2. Ioraã Iuda & annus 1. Ioram Iſraël, & 18. annus Ioſaphat, ſunt idem annus, ſi finem & principium copules.

Iſti ſunt 12. anni Ioram. Et ſolutum eſt Problema ſecundum, ſcilicet, quod Ioram Iuda regnat anno 5. (ſcilicet incipiente) Ioram Iſraël.

Annorum 32.
X Ioram Iudæ per ſe 8. poſt mortem patris.

Fac ſaltum per 20. an.

22. annorum. 4 Reg. 8.
Ahaſias cũ patre 20. annis.

4. Reg. 8. an. 12.
4. Reg. 9. an. 11.
} Ioram regnavit Ahaſias. ſ. {principio / fine} anni.

X Sic ſolutum eſt Problema tertium, quod 12. annus Ioram Iſraël eſt primus Ahaſiæ in principio & fine concurrentes.

Ideo obſervandum & diſtinguendum eſt in verbis duplicem regnandi intelligentiam, ſcilicet filii cum patre, aut filii ſolius, deinde principium anni in uno Rege, eſſe finem anni in altero rege. Hæc æquivocatio eſt mater erroris.

Iſti viginti anni ſimpliciter tacentur in Hiſtoria, Et indicantur ſolum in ætate Ahaſiæ.

42 annorum. 2. Para. 22.
Ahaſias per ſe. 1.

Iehu. 28.

12 X Attalia. 7.

Vel tu da melius.

Diſtingue ergo locutiones in diverſa tempora, Vt Ahaſias eſt 22 annorum cum cepit regnare (ſcilicet cum patre Ioram regnante) 4. Reg. 8. Et eſt 42. annorum cum regnat per ſe poſt patrem, Et uno anno regnavit, ſcilicet tacitè per ſaltum 20. annis, quibus cum patre impie regnavit. Sic ſunt ſolutæ Problemata, Modo ſcias annum 5 in Problemate ſecundo intelligi finem quærti, Et ille ipſe annus 5. Ioram Iſrael, eſt primus annus Ioram Iudæ per ſe regnantis, tacendo tres annos Ioram Iſrael tumultuarie regnantis, Sic 12. annum Ioram Iſrael intelliges initium eius, quia eundem regnavit annum cum eo Ahaſia, in quo ambo fuit occiſi a Iehu. Quare duodecimus per ſaltum ultra 20 annos intermiſſos, ponendus eſt.

ANNVS CHRISTI M. D. XLVI.

ENARRATIO D. M. L. IN PSALMUM SECUNDUM, COLLECTA A M. VITO Theodoro Noribergenſi, Anno XXXII. edita vero M. D. XLVI.

PSALMVS II.

QVare tumultuantur Gentes, Et populi meditantur inania?
Conſurgunt Reges terræ, & Principes conſultant ſimul, Adverſus DOMINUM & adverſus CHRISTUM ejus.
Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes eorum.
At Habitator cœli ridet, Et DOMINUS ſubſannat eos.
Tunc loquetur ad eos in ira ſua, Et in furore ſuo conturbabit eos.
Ego autem conſtitui Regem meum, ſuper Zion montem ſanctum meum.
Prædicabo ſtatutum, quod DOMINUS ad ME dixit, Filius meus es tu, Ego hodie genui Te.
Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, Et poſſeſsionem tuam terminos terræ.
Reges eos ſceptro ferreo, Et ut vas figuli confringes eos.
Nunc ergo Reges erudimini, Sinite vos caſtigari ludices terræ.
Servite DOMINO in timore, Et exultate in tremore.
Oſculamini Filium, ne iraſcatur, & pereatis in via, quoniam brevi exardeſcet ira ejus, At beati omnes qui ſperant in eum.

PRÆFATIO D. M. L. IN SECUNDUM PSALMVM.

EST SANE NOSTRA CONDITIO, QVI SERVIMUS Eccleſiæ, & docendi munus ſuſtinemus, admodum exigua & tenuis, ſi eam cum aliis profeſſionibus compares & mundi judicium ſequaris. Fere enim pro labore reportamus odium, & non ſolum contemnimur ſuperbe, ſed etiam ſtrenue eſurimus, cum alij & in re bene lauta ſint, & in ſummo habeantur precio. Experimur autem hanc ob cauſam meliora ingenia noſtrum hoc ſtudium negligere, & ſequi potius eas

Digitized by Google

tas artes, quæ in quæstu & cum dignitate sunt. Sed si rem rectà putes via, Theologus quantumvis miser & contemptus, meliore loco est, quam omnes aliarum professionum Magistri. Quoties enim suum administrat munus, non solum proximo suo præclaram dat operam, præstantem omnibus omnium hominum officiis, quantumvis sumptuosis & utilibus, sed ipsi Deo in cœlis gratissimum offert sacrificium, & vere vocatur atq; est altissimi Sacerdos. Totum enim hoc, quod Theologus in Ecclesia agit, pertinet ad notitiam Dei propagandam, & ad salutem hominum.

Cum igitur divino beneficio sublata sint abominationes impij sacrificij Papistarum, Missas dico, quas solas impius Papa cum suis Doctoribus sacrificij nomine ornavit, cumq; restitutus nunc sit verus cultus, nempe prædicatio verbi Dei, quo & vere cognoscitur Deus, & ornatur, Ego quoq; tanquam unus ex numero sacerdotum Dei, Psalmum secundum volui in manus sumere & explicare, Non tantum, ut vos doceam & ipse discam, Sed etiam, ut sacrificem Deo gratum sacrificium. Cur enim non sic appellarem hanc operam, quam Ecclesia Christi causa suscipio, quæq; tota ad gloriam Dei & hominum salutem comparata est, ac nobis in secundo & tertio præcepto mandata? Quomodo enim Dei nomine sanctius possumus uti, quam cum nos & alios instituimus verbo Dei? Quomodo tempus rectius possumus ponere, & sanctificare Sabbatum, quam cum hisce miseris temporibus, consolationibus scripturarum certissima eademq; gravissima pericula mitigamus.

Conjungamus igitur studia & operas, ac vos audiendo, ego docendo, sicut nostra fert vocatio, præstemus Deo hunc cultum, quem ubiq; à nobis exigit, ut & in nobis ipsis tractatione hac verbi Dei confirmetur fides, & gloria Dei propagetur. Hoc est sacrificium Deo gratum & acceptum. Osea 14. *Hu labiorum vitulis, ut Propheta loquitur, capitur magis quam omnibus quantumvis sumptuosis & difficilibus operibus. Decet igitur nos ad tales operas tam sanctas, tam necessarias ac utiles, animo alacri accedere. Certi enim sumus, nos, dum hac agimus, non solum nihil peccare, sed occupari sanctissimis operibus, quæ certum fructum, eumq; æternum sunt allatura.*

ENARRATIO PSALMI SECUNDI, PER D. MARTINVM LVTHERVM PVBLICE INSTITUTA, ANNO M. D. XXXII. mense Martio.

Apostoli hoc Psalmo se consolantur, Act. 4.

PRorro hic secundus Psalmus, sicut ex Actis discimus, dedit primas preces & gratiarum actiones Deo in Ecclesia novi Testamenti. Collecti enim Discipuli, tum canebant & laudabant Deum, ac precabantur, ut in tantis periculis & tanto furore adversariorum confirmarentur animi, & cum fiducia verbum prædicaretur. Is locus satis probat hunc Psalmum eximii aliquid habere, Siquidem Apostoli recens Spiritu sancto impleti, ac in prima tentatione seu paroxysmo primo, eum apprehendunt, orantes, & hoc modo tum consolantur, tum muniunt se adversus omnem vim hostium. Est autem utrunq; nobis in his novissimis temporibus admodum necessarium. Siquidem & vi & dolo, deinde variis scandalis, & omni genere malorum propter verbum DEI à Satana & mundo impetimur.

Argumentum Psalmi & præcipui ejus loci.

Est autem Propheticus Psalmus, in quo nos quoq; laudabimus Deum, ac cum Apostolis orabimus contra furorem mundi, & certo accipiemus cum Apostolis consolationem, quam proponit abundantem, & bonis verbis ac sententiis oppositum. Hoc enim argumentum David tractat, ut consoletur & doceat Ecclesiam, de regno Christi, invitis potestatibus mundi & aëris, propagando. Quæ præcipue pertinet ad confirmandũ articulum de novo Testamento seu regno Christi quod sit futurum

Regnum Christi.

Digitized by Google

futurum ſpirituale Regnum, Quod Chriſtus ſit Rex æternus, nullum habiturus ſucceſſorem, Quod etiam ſit Sacerdos, qui doceat Eccleſiam, Imo quod ſit natura Deus, & afferat ad nos æternam juſticiam & ſapientiam. Hæc cum explicantur, plena conſolationum ſunt, Et tamen oſtendit Propheta hoc regnum in ſpeciem adeo fore infirmum, ut putetur omnibus momentis caſurum. Non enim habet fundamentum, aut robur aliquod viſibile, quale regnorum mundi eſt, quæ potentia, opibus, populorum numero & finium amplitudine nituntur. His omnibus præſidiis hoc regnum deſtitutũ, ſine fundamento, in nudo verbo hæret, tanquam gutta aquæ adhærens ſitulæ.

Regnum Chriſti infirmum.

Doctrina Pſalmi.

Hæc fere præſens Pſalmus complectitur, Igitur ad docendam Eccleſiam utilis eſt, ut diſcamus omnes hujus regni circumſtantias, Qualis Chriſtus Rex ſit, Quando, ubi, quomodo ſit adminiſtraturus regnum ſuum, Quæ cum hoc regno conveniant, quæ ſint contraria, Qui hujus regni fructus ſeu effectus ſint, Quæ ſpecies coram mundo, quæ coram Deo & in ſpiritu. Hæc qui norunt, certam & veram hujus regni ideam habent. Deinde valet quoq; ad conſolationem. Præmonemur enim adverſaturum huic regno Diabolum & mundum, ac quidquid eſt in mundo ſublime, opinione vel ſanctitatis vel ſapientiæ ſingularis, hoc totum vaticinatur Propheta, communi conſilio Regnum hoc invaſurum eſſe.

Conſolatio Pſalmi.

Sed inquies, Hæc magis terrent, quam conſolantur. Minime. Nam hoc additum eſt, quod & Satan & Mundus, cum omnibus viribus & omni potentia ſua nihil aliud efficient, quam ut Deo riſum moveant, & tandem ad indignationem tantam excitent, ut perire eis neceſſe ſit, quotquot huic regno adverſantur. Hoc ſcire utile, & conſolatione plenum eſt, ac ad hujus regni ideam proprie pertinet, ne turbati his ſcandalis, quibus regnum hoc impetitur, abjiciamus animum, & frangamur. Noſtro tempore ſucceſſus Evangelii primo magnus erat, Sperabant enim omnes idem, quod Apoſtoli, priuſquam per Spiritum ſanctum de hoc regno docerentur, futurum, ut libertatem politicam, & tranquillitatem diſciplinæ doctrina hæc afferret, Sed ubi cœptum eſt tumultuari à Munzero primum, qui ferebatur ſeditioſo Spiritu, deinde à Carlſtadio, Cinglio & aliis fanaticis doctoribus Eccleſiæ perturbarentur, ac jam idea propria hujus Regni cerneretur, nempe in ipſa Eccleſia turbæ, & in repub. ſeditiones, Deniq; in ſanctis ſumma infirmitas, & cum, ſecundum Poëtam, una hæc eſſet ſalus, nullam in tot ac tantis periculis undiq; ingruentibus ſperare ſalutem, Ibi demum plurimi animis fracti reſilierunt, & etiam odiſſe Evangelium cœperunt.

Munzerus.

Scandala Eccleſiæ noſtris temporibus.

Hujus mali quæ cauſa fuit alia, quam quod conditiones regni Chriſti non noſſent? Id enim ejuſmodi eſt, ut undique impetatur à Satana & mundo. Hoc qui non norunt, in periculis cedent, & Evangelium tanquam ſeditioſam doctrinam damnabunt. David igitur, ut præmuniat animos contra hæc ſcandala, pingit in hoc Pſalmo regnum Chriſti ſecundum omnes circumſtantias, Et imprimis hanc rhetorice illuſtrat, quod hoc regnum tam multos & potentes adverſarios ſit habiturum. Inde enim ſumit principium, & dicit,

I. *Quare tumultuantur Gentes, & Populi meditantur inania?*

Propheta admiratur ſtultitiam mundi.

Patheticum exordium hoc eſt, & mire apta apoſtrophe. Plenus enim admiratione Propheta, quid hoc, inquit, rei eſt, Gentes tumultuantur, Populi meditantur & conſultant, Non contra regem Perſarum, non contra Turcam, ſed contra DOMINUM. An non ridiculi, ſtulti, & inanes hi conatus erunt? Nemo igitur paveat, Nemo terreri ſe ſinat conſiliis iſtis, quæ eventus docebit fuiſſe vaniſſima. Non enim contra homines, ſicut apparet, ſed contra Dominum ſuſcipiuntur. Sic ſtatim initio nos traducit à metu ad ſpem, & conſolatur futurum, ut populi & gentes, niſi conſilia hæc abjiciant, corruant. Quia contra Deum, & non contra homines conſuitant.

Adverſarii Evangelio impingunt turbas, ſcandala, &c.

Papiſtarum ſcripta lege, audi conciones, & invenies hoc uno eos niti argumento, quod dicunt, Nihil ex noſtra doctrina enatum boni. Nam ſtatim poſtquam Evangelium noſtrum ſonuit, ſecutam ſeditionem horribilem Agricolarum, orta diſſidia in Eccleſia & ſectas, diſſolutam diſciplinam, ac quaſi effractis repagulis legum,

gum, ſumma licentia omnes cœpiſſe uti, ſicut profecto verum eſt, Major enim licentia omnium vitiorum nunc eſt, quam fuit ſuperioribus temporibus, cum metu vulgus coerceretur, quod nunc tanquam effrenis equus pro libitu agit omnia. Nam Eccleſiaſtica vincula contemnit, quibus prius ſub Papatu tenebatur, & abutitur quoq; civilis magiſtratus negligentia. Hæc incommoda omnia, quæ neutiquam levia ſunt, adverſarii noſtri, noſtræ doctrinæ, ſeu Evangelio imputant.

Sed tu pauliſper differ ſententiam, & prius de tota re cogita diligentius, ac in formam dialecticam argumentum redige & diſpice, num bona conſequentia hæc ſit, Theologus iſte eſt malus, ergo etiam Theologia eſt mala, Iurisconſultus iſte eſt nequam, Ergo cognitio Iuris quoq; eſt mala. Hic Magiſter eſt ſcortator, ergo artes, quas profitetur, ſunt ſcortatio. An non inſanum dicemus, qui has conſequentias defendat bonas & firmas eſſe? Et tamen nihilo prudentius colligunt adverſarii. Verum hic Pſalmum audi hoc prædicentem, futurum, ut, cum hic Rex incipiet Regnum ſuum, hoc eſt, cum incipiet docere, ſequantur fremitus gentium, tumultus populorum, pugnæ & bella Regum, ſtudia & conſilia principum. Contra quem? contra Dominum & Chriſtum ejus.

Argumentum adverſariorum vitioſum eſt.

Igitur præmunito conſcientiam tuam, & admonitus per Spiritum ſanctum hoc in loco ſtatue, Mundum tumultuaturum, Cauſam autem horum tumultuum, non in Regem hunc, nec Verbum ejus conjicito, ſed in Satanam & impium mundum, Ac contrarium potius ſtatuito, ac dicito, Etſi mala ſequuntur ad hujus Regis doctrinam, tamen non ideo doctrina mala eſt, Sed potius homines mali ſunt, qui bonæ doctrinæ adverſantur, & eam volunt oppreſſam. Hæc enim eſt vera & certa conſequentia, quod, quanto mundus ſtudioſius huic ſanctæ doctrinæ adverſatur, tanto pejor & ſceleſtior eſt, nec ob hominum vitium doctrina male audire debet. Iudæi crucifigunt Chriſtum, num igitur accuſabimus ideo Doctorem Chriſtum? Præmunitos igitur eſſe oportet, ut dicamus, Quid ad Deum, quid ad Verbum ejus, ſi homines mali ſunt? Hominum enim hoc, non Dei vitium eſt, qui ideo mittit Filium & verbum ſuum, ut homines ſalventur, Sed ſi nolunt, pereant ſua culpa. Chriſtus non ideo deſinet eſſe Dei Filius, Deus non ideo abjiciet eum, quem conſtituit Regem omnium.

Vera conſequentia oſtendit, homines malos eſſe non doctrinam.

Pertinet igitur principium hoc Pſalmi ad erudiendos nos, ut diſcamus Regnum ſeu verbum Dei, cum venit, venire cum tumultu & furore Regum & Principum. Cauſam oſtendit Chriſtus in Evangelio, cum dicit, Satanam tanquam fortem armatum, tenere atrium in pace, ſed cum ſupervenit Fortior, tum fremere, ac tentare omnia, ſicut etiam Hiſtoriæ oſtendunt. Quoties enim Chriſtus conatur ejicere Satanam, quantus furor, quantæ intemperiæ exagitant obſeſſos? Odit enim Satan Chriſtum, odit verbum ejus, nec vult ei cedere, aut locum dare verbo. Igitur cum inſtat Chriſtus, & cogit, indignatur ac furit, & experitur omnes vires ſuas, cōmovet Reges & principes, Pontifices & Epiſcopos, cives & ruſticos, ut ſe opponant verbo.

Cauſa tumultuum & ſcandalorum, Satan.

Hoc adverſarii noſtri non vident, atq; ita oſtendunt, quod prorſus neſciant, quale ſit regnum Chriſti, tantum intelligunt, quid regnum mundi ſit. Itaq; cùm in Chriſti regno pacem illam non vident, ſine qua regna mundi conſiſtere non poſſunt, damnant & abjiciunt tum verbum, tum regnum Chriſti, & anteferunt mundi regna. Pſalmus autem diverſum nos docet, ut regno Chriſti adhæreamus, etiamſi tumultuētur omnes homines. Quid enim hoc ad nos? Noſtra enim pax eſt extra illū tumultum, & conſiſtit certa, ac Rex noſter manet Rex, etiam invitis inferorum portis & mundo. Hoc mundus, & qui ſapientia mundi pollent, non vident, igitur magno ſtudio id agunt, ut nos ab hoc Rege avocent, & ad ſuas cogitationes nos abducant, ut nos quoq; ſollicite cogitemus de retinenda pace mundi. Hoc qui tentant, conferunt conſilia, & ſentiunt humana induſtria pacem retineri poſſe. Sed revera irriti & ſtulti hi conatus ſunt, quos ideo ſuſcipit mundus, quia hujus regni notitiam nullam habet. Quemadmodum enim fruſtra te tuis conſiliis fatigas, ut Diabolum coherceas, ne inſurgat contra Chriſtum, Sic quoq; fruſtra conaris cohibere ejus

Adverſarii Chriſti regnum neſciunt.

manus,

manus, oculos, linguas, pedes, hoc eſt, Principes mundi & impios doctores. Cum enim vix hiſcere ac mutire Chriſtus incipit, mox Satan in ſuis membris furit, ſcintillant oculi, ardent manus & voluntates, ac commovet quicquid in mundo potentiæ & opum eſt, ad verbum opprimendum.

Hanc tu diſce cauſam eſſe, quod & noſtro ſeculo ſeditiones, & tot in Eccleſia impiæ opiniones emerſerunt. Eſt enim impatiens Verbi Satan. Igitur cum Chriſtus per Evangelium ſuum nunc tonet, in toto mundo, & idolatriam ac abominationem pontificiam revelet, ſcilicet taceret aut diſſimularet tantum ſui regni detrimentum Satan, quem vidimus tam atrociter ſæviiſſe, cum à Sancto viro Iohanne Hus, tantum moralia quædam reprehenderentur. Non enim ille, ſicut nos, Miſſæ ſacrificium, non merita, non alios cultus damnabat, Vocabat in dubium Primatum Pontificis, indulgentias contendebat non vendendas, negabat Purgatorium, quod videbat in tanto quæſtu eſſe. Et tamen ita commotus eſt Satan, ut ſimul Germaniam & Bohemiam horribili & diuturno bello involveret.

Furor Satanæ contra Iohan. Huſſ.

Spiritus S. conſolatur contra hoc ſcandalum.

Docet igitur & conſolatur nos Spiritus ſanctus in hoc Pſalmo, ut fortiter huic Regi adhæreamus, & in ipſum potius, quam in tumultus & alia ſcandala intueamur. Nam hæc conditio Regni ejus eſt, ut ſine tumultibus eſſe non poſſit, Non ſuo vitio, ſed quia Satan, & impius mundus ferre hunc Regem non poſſunt. Hoc diſce, & cum gliſcunt tumultus, cum fremunt gentes, populi meditantur, Reges inſurgunt, & principes conſultant de hoc Rege opprimendo, tu magno animo eſto, nec moveare eo periculo. Ita enim prædixit Pſalmus ſecundus futurum, ut commoveatur totus mundus, cum hic Rex os ſuum aperiet. Quod igitur Reges & Principes hoc tempore contra nos inſaniunt, quod Zinglius, Carlſtadius, & alii movent in Eccleſia turbas, quod cives & ruſtici contemnunt Evangelium, nihil novi aut inſoliti eſt, neq; nos eam ob cauſam abjiciamus Evangelium, Sed contra gratias agamus Domino, qui nos ad hoc regnum vocavit, quod merito anteponimus paci & opibus mundi, imo propter quod & tumultus & pericula omnia libenter ſuſtinemus, de quibus etiam ſequens verſus vaticinatur.

II. *Conſurgunt Reges terræ, & Principes conſultant ſimul, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.*

Quatuor ordines hominum Spiritus ſanctus commemorat, qui communi conſilio huic Regi ſe opponunt. Primi ſunt Reges ſeu Monarchæ, qui dignitate & potentia excellunt. Secundi ſunt Gentes, hoc eſt, ſubditi Regum. Populi ſunt plebes ſeu Reſpublicæ. Principes autem ſunt inferiores Magiſtratus, & omnes qui valent conſilio & ſapientia. Quid igitur omiſit Spiritus ſanctus, quod non diceret huic Regno adverſaturum? Potentia, ſapientia, opes, juſticia, ſanctitas, ſunt inſignia Dei dona, & tamen his abutitur mundus contra Dei regnum. Hæc an non extrema malitia eſt? Memineris autem non damnari Regna, non principatus, non alia dona. Non enim ſequitur, Regna mundi pugnant contra Chriſti regnum, ergo ſunt mala per ſe. Sicut non ſequitur, ferrum, quo latus Domini in cruce apertum eſt, non fuiſſe bonam creaturam, Sed eſt conſtituenda differentia inter creaturam, ſeu rem & abuſum. Creatura bona eſt, etſi in abuſu ſit. Oritur enim abuſus non ex re, ſed ex pravo animo. Sic juſticia civilis, jura ipſa, artes, ſtudia, ſunt res ſua natura bonæ, ſed abuſus eſt malus, quod mundus his donis abutitur contra Deum.

Hoſtes regni Chriſti qui.

Regna mundi non ideo mala ſunt, quia mundus iis abutitur &c.

In tali abuſu pingitur hoc in loco Mundus, cum Regnis, gentibus, populis, & principibus ſuis, nullam aliam ab cauſam, quam ut præmoniti non terreamur, cum hæc nobis uſu veniunt, ut mundus clamitet, Nihil eſſe apud nos quam hæreſes, errores, ſeditiones, ſcandala, ac ideo damnet nos ſecure. Ipſe autem de ſapientia, gloria, potentia, addo etiam juſticia, triumphet, ac glorietur contra nos. Ad has voces aſſueſcendum eſt, nec ideo abjiciendus animus, Præmonuit enim nos Spiritus ſanctus, cum dicit, Reges ſe huic regno oppoſituros, & principes capturos conſilia de eo evertendo. Hic igitur tumultuũ & ſcandalorũ cauſa ſunt, non nos, qui modeſti, placidi, quieti

Conſolatio.

quieti ſumus, & genus doctrinæ quoq; non turbulentum, ſed placidiſſimum afferimus, Alioqui, ſi doctrinæ culpa acciderent tumultus iſti, fieret, vt omnes eſſemus inquieti & turbulenti, qui eam profitemur. Nunc autem hoc ſummo ſtudio facimus, ut oremus pro pace, ut ſcandalorum occaſiones præcidi optemus. Adverſarii autem noſtri, ſicut ipſorum ſtudia teſtantur, noctes & dies hoc agunt, ut ſerant turbas, ut de noſtris cervicibus dicant ſententias, & concitent contra nos Principes mundi, Et tamen doctrinam noſtram accuſant quaſi ſeditioſa ſit, & turbas excitet, ſe autem dicunt filios pacis eſſe.

CONSOLEMVR igitur nos per hunc Pſalmum, & ſtatuamus, cum Mundus ad hunc modum furit, etſi nos petit, non tantùm ſolos nos, ſed alium peti, Qui, etſi nos pauci, imbecilles, infirmi, & variè oppreſſi ſumus, eſt Dominus, nec vulgaris Dominus, quales in mundo ſunt, ſed Dominus totius creaturæ. An non igitur mundus cum ſibi maximè videtur ſapere, ſtultiſſimus eſt? Si puer nudus ſe mille Cataphractis opponeret, quis non ejus certo periculo commoveretur? Si quis accenſâ ſtipulâ, Solis lumen obruiturum polliceretur, quis non rideret? Sed in hac ipſa ſtultitia, in hoc certo periculo mundus perpetuo verſatur, Siquidem ſe verbo & Eccleſiæ opponit. Opponit enim ſe ipſi Domino & Creatori omnium rerum. Hanc fiduciam & conſolationem Pſalmus animis noſtris vult inſtillare. Opus autem eſt nobis amplo & vaſto oculo, ut uno aſpectu omnes Reges cum omni ſua ſapientia & potentia hauriamus, & ducamus eos pro ſtipula accenſa, quam uno ſpiritu extinguere poteſt, is, qui cœlum, terram, & omnia condidit.

Alia conſolatio quod mundus cum furit, contra Dominum Deum furit.

Gentes, reges, populi, principes, ſi humano modo æſtimes, ſunt immenſum quiddam, Ideo trepidamus quando noſtram imbecillitatem cum ipſorum potentia comparamus, Sed quid docet hoc in loco Spiritus? Opponit huic infinitæ quaſi potentiæ, unicum DOMINVM, & miratur quod mundus tam ſtultus ſit, ut putet ſe aliquid contra Dominum effecturum, cum revera ſit, ſicut ſcintilla ignis, comparata ad totum mare, Q.d. Nonne extrema ſtultitia eſt, quod ſcintillâ parvâ conaris totum mare exiccare? Sicut autem noſipſi cum in periculo ſumus, hæc vix credimus, Ita quoq; Reges & Principes nunquam ſibi hoc perſuadere patiuntur, quod ſint ſcintilla, putant ſe mera incendia eſſe. Sed eventus & experientia aliter docuit ſummos Monarchas jam inde ab initio mundi, qui ſe huic Domino oppoſuerunt.

Mundus contra Deum tanquàm ſcintilla contra mare.

Igitur omnis Emphaſis in eo eſt, quod in ſecundo verſu dicit, Fremere gentes, Diſputare populos, Reges concitari, Et conſultare principes, contra Dominum principaliter, deinde etiam contra Chriſtum ſeu Meſſiam ejus. Non enim fruſtrà primo loco DOMINI meminit, ſed vult oſtendere nobis, quod Deus pater principaliter petatur à furente mundo, Etiámſi mundus non Deo Patri, conditori omnium rerum, neq; Papiſtæ hodie, Filio ejus Domino noſtro Ieſu Chriſto, quem & ipſi ore confitentur Salvatorem mundi, Sed Euangelio ipſius, quod ſapientibus hujus ſeculi eſt ſtultitia, & ſuâ propriâ juſticiâ tumentibus eſt ſcandalum & hæreſis, ſeſe adverſari dicant. Vt neq; Iudæi videri volebant ſeſe adverſari Deo, cœli & terræ Creatori, ſed doctrinæ Ieſu illius Nazareni, quem non ut filium Dei, in Moſe & Prophetis promiſſum recipiebant, ſed ut hominem ſeditioſum & blaſphemum perſequebantur, & tandem interficiebant.

Quia vero eſt Chriſtus Patris, hoc eſt, à Patre conſtitutus, & miſſus, ut ſit ceu ſol contra mundum, qui tanquam ſcintilla eſt, Fit vt omnes, qui hunc filium aut abijciunt, aut ſe ei opponunt, in ipſum Deum creatorem omnium impingant. Vtrinq; igitur fallitur mundus, quantumvis de ſua ſapientia magnificè glorietur, Primùm non videt hunc magnum Dominum, contra quem inſurgit. Deinde non videt ſuam infirmitatem, quod ſit ceu obſcura & parva ſcintilla, collata ad jubar ſolis. Nos autem ſimus recti æſtimatores, ac ſumamus judicium, non ex opinionibus mundi, ſed ex verbo, id mundum cum omnibus ſuis

Qui contra Chriſtum ſunt, contra Dominum ſunt.

viribus comparat languenti ſcintillæ, hæc ſi conatur mare extinguere, in momento abſorbetur & obruitur. Qui hoc credit, veram Chriſti & ejus regni cognitionem habet. Sed conſolatio in hoc major & abundantior eſt, quod non nos tumus, qui petimur ab irato & furijs agitato mundo, ſed petitur ipſe Chriſtus Dei, qui eſt caput Eccleſiæ, & ipſe Deus, qui eſt caput Chriſti, ſicut Paulus loquitur. Quid igitur obtinebit mundus? aut quomodo periclitari nos poſſibile eſt? Certè quem Deus conſtituit Chriſtum, hunc mundus opprimere non poterit, nec poterit etiam debellare, aut cœlo deturbare Dominum. Cur igitur pauemus, cur trepidamus ad tam ſtultos & irritos conatus? Cur non potius ridemus extremam mundi ſtultitiam?

Non nos, ſed Chriſtum perſequitur mundus.

1. Cor. 2.

Cantndum hic Pſalm. etiam è noſtris, &c.

Igitur in nomine Ieſu, quem Pater conſtituit Chriſtum, cantemus nos quoque in noſtris Eccleſijs hunc Pſalmum, ſicut Apoſtoli eum cecinerunt, Et explodamus adverſariorum noſtrorum celebre argumentum, cum regere nos conantur, & obijciunt, quid boni ex noſtra doctrina enatum ſit, Siquidem, ſeditiones, bella, hæreſes, ſectæ, magno numero poſt ſparſum Evangelium exortæ ſunt, Explodamus, inquam, has voces, & inſultemus potius eis cum Spiritu ſancto dicentes, Quare fremunt gentes? populi cur fruſtra conſultant? cur Reges congregantur adverſus Dominum? & principes ineunt conſilia contra Chriſtum ejus? Si enim mundus vellet facere officium ſuum, oſcularetur filium, Patris mandatum de filio amplecteretur, Nunc neutrum facit, movet arma, parat bella, excitat ſectas, videlicet ut ſtatuamus Spiritum ſanctum non mentitum, qui tanto ante per Davidem ſervum ſuum prædixit, futurum, ut cum hic Rex cum ſuo tonitruo veniet, commoveatur non una aut altera arbor, ſed totus orbis terrarum, & quidquid in mundo magnum eſt, ſicut in alio Pſalmo dicit, turbari terram & moveri montes.

Pſal. 46.

Itaq; etiam pijs obrepunt hæ cogitationes, ut optent potius tacuiſſe ſe, quàm locutos eſſe, ſiquidem tanti motus excitati ſunt. Sed procul abijce eas cogitationes & ſtatuè, majores res hic geri, quàm tranquillitas mundi & pax eſt, cum omnibus opibus mundi. Hoc enim agitur, vt quem Deus Pater conſtituit Chriſtum, is agnoſcatur, exaltetur & adoretur. Hoc qui nolunt facere, illi ſanè fremant, indignentur, furant, miſceant cœlum terræ. Dominus tamen, qui Chriſtum ſuum conſtituit, eos abijciet in infernum, verbum autem & Eccleſiam, & Eccleſiæ ſuæ caput Chriſtum ſervabit in æternum, Amen.

III.

Dirumpamus vincula eorum, & projciamus à nobis funes ipſorum.

Cauſſa cur mundus fremit.

HIC exponit Spiritus ſanctus cauſam fremitus, & qualia capiant conſilia, quidue inter ſeſe diſputent Reges & Principes, Quod ſcilicet hoc omnibus viribus & conatibus agant, vt dirumpant vincula Chriſti & Patris. Hoc enim Satan agit, vt non ſolum humiliet, vt non ſolum occidat nos, qui docemus & credimus, Sed vt verbum, nomen Chriſti, Baptiſmum, & quicquid Religio noſtra habet, penitus obruat, & aboleat. Cum igitur ſumma fide docemus Chriſtum, incipit furere, occupat voluntates Principum, Regum, ſapientum, potentum, multitudinis deniq;, Hi communi conſilio omnes in id incumbunt, vt vincula hæc dirumpant, hoc eſt, Verbum vt extinguant, & Idololatriam tueantur. Vtrinq; igitur vrgemur à Satana, qui & vi & dolo inſtructus eſt, Vim intentat per Reges, Gentes, Principes, Populos, Dolo autem vtitur cum fingit in nobis opiniones, quomodo ſimul & retineri verbum, & pax ſalvari poſſit. Abhorremus enim natura omnes à turbis, quarum incommoda nota & ob oculos ſunt, & amamus pacem, pulcherrimam rerum, vt ille ait. Sed qui his cogitationibus indulget, paulatim eo pertrahitur, vt ſtudio pacis regnum Chriſti amittat.

Pax pulcherrima rerum.

Diſcamus igitur oculos figere in hunc Regem noſtrum & eum obſervare, nec moveamur ſtrepitu armorum & turbarum, quæ excitantur, Quin ſtatuamus

Reges,

Digitized by Google

Reges, Principes, Gentes & populos, ac totum mundum, cum ſe huic Domino opponunt, eſſe pulviſculum, Chriſtum autem eſſe ingentem montem. Hoc qui fixum habet in ſuo animo, non movebitur Satanæ & mundi conatibus, Naſcuntur ſectæ, & turbantur Eccleſiæ. Quid ad me inquiet? Pereat totus mundus, & maneat mihi ſalvus Chriſtus. Pulcherrima rerum pax eſt, ſed hæc ſi retineri non poteſt, quid perit, niſi ſcintilla quædam creaturarum. In Chriſto autem mihi manent juſticia, ſalus, & vita æterna. Hæc ſunt vera bona, ad quæ ſi conferas pacem mundi, & alia huius vitæ commoda, nihil ſunt, ſunt enim incerta & brevis temporis. Ad hunc modum conſolari nos debemus, alioqui fiet, vt moti his corporalibus incommodis, niſi ſpiritualia & æterna opponamus, trepidemus, angamur & quetulemur tanquam in magna calamitate, & ex hac ſcintilla tandem naſcetur incendium, quod hauriet & devorabit Chriſtum in nobis cum omnibus ſuis donis. *Quomodo conſolari nos debeamus contra ſcandala.*

Videt David in Spiritu furorem mundi, tota vi ſe opponentis Chriſto, ſed non ideo turbatur animo, Nobis in exemplum, vt nos quoq; Turcam, Pontificem, Reges & Principes non curemus, cum ſe huic Regi opponent. Sunt enim ſtulti & cæci, nec vident, dum Evangelium ſtudent opprimere, rem impoſſibilem ſe tentare. Sic reliqua quoq; ſcandala ſuperemus. Munzerus ſeditionem excitat in Turingis, Carlſtadius & Zinglius excitant horribiles in Eccleſia turbas, dum perſuadere alijs conantur, in cœna non corpus & ſanguinem Chriſti ore accipi, ſed tantum panem & vinum. His adjungunt ſe alij, & paulatim pernitioſum hoc dogma implet Gallias, Italiam, & alias nationes. Magnum profectò malum vtrinq;, quod & politia & Eccleſia ſic concutitur. Quid igitur faciemus nos, qui harum turbarum non autores ſed ſpectatores ſumus? Num ideò ad mortem vſq; nos excruciabimus? Sicut ego profectò non ſemel feci, & dum mederi his malis volo, ſic ſenſi me vulnerari, vt (teſtis eſt Deus) fides mea graviter periclitaretur & infirmaretur. *Magna ſcandala in Eccleſia.*

Sed tandem vidi, Dei beneficio, has ipſas cogitationes, curas, triſticias, dolores animi, naſci ex mera ignorantia regni Chriſti, & nocenti ſtulticia. Igitur reſumpſi animum & dixi, Fiunt hæc ſine mea culpa, igitur autores horum malorum ſe excrucient, non ego. Faciam & conabor quidem omnia, an poſſim mederi aliquid his malis, Sed ſi id non poſſum, non ideò abſumar dolore. Si Satanæ vnus Münzerus, Carlſtadius, Zinglius non ſatis eſt, excitet plures. Scio hanc hujus Regni eſſe naturam, vt Satan id ferre non poſſit. Is manibus & pedibus obnixe dat operam, vt turbet Eccleſias & verbum oppugnet. Quod autem poſtea clamor ingens excitatur, Naſci turbas, quæ antea non fuerunt, pacem tolli, accendi licentiam vulgi, Has querelas multi juſtas eſſe exiſtimant. Sed iſti cur non etiam queruntur de contemptu Euangelij tanto? de pertinacia ingenti adverſariorum verbi, & fremitu indigno, de contumelia qua Chriſtus afficitur? Scilicet pacis commoda pluris, quam Chriſtum, faciunt, His magis moventur, quam gloria Dei, & ſalute animarum. Sed ſi te hæ tantæ res non movent aut perturbant, an non putas Chriſtum tibi dicturum, Si incommoda mei Regni te non afficiunt, ſi de meo regno ſic variè & indignè lacerato non doles, cur ego dolorem de tuis incommodis, de turbata pace & alijs? Quin pereas tu potius penitus, quam Regnum meum pereat. *Conſolatio contra ſcandala.*

Ad hunc modum optabile eſſet, cognoſci rectè & Regem hunc, & Regnum ejus, Sic fieret, vt contemnentes eum, nos quoq; contemneremus, & tantum hujus Regis opibus fideremus, non opibus aut commodis mundi.

VIDE enim quanta adverſariorum ſit improbitas? Euangelium, quod gratiam Dei nobis annuntiat, quod juſticiam promittit & vitam æternam, hi vinculum & funes ſeu jugum appellant. Quid autem facias cum tàm perdito mendico, cui ſi mille aureos dono offeras, donum illiberaliter abijciat, & oneri ſibi fore dicat? An non dignum judices, qui famè & ſiti pereat? Sed hoc ipſo pec-

cato Reges, principes, gentes & populi Deum irritant. Donat eis verbum, & cum hoc vitam æternam, Sed ipsi ideò arma arripiunt, ne his donis frui cogantur, movent ideò bella & omnia turbis implent, quod promittit Deus, se propter Filium condonaturum peccata, & daturum omnium rerum abundantiam etiam in hac vita. An non igitur dignus mundus est, qui æternis flammis subijciatur.

Totus mundus regno Christi resistit.

Memineris igitur regnum Christi esse ejusmodi, cui resistit totus Mundus, & præcipuè quicquid in mundo, dignitate, potentia, sapientia, justicia, & opibus valet. Confirmandi igitur animi sunt, ne ideò trepident ac cogitandum, quod vitari aut caveri hæ turbæ nulla moderatione nec ratione alia possint. Mundus enim sui similis est, & præbet se facilem ad officia Satanæ, qui verbum extremè odit, Quin nostra caro, & carnis sapientia cum ipsa conscia nostra huic regno & Regi se opponit. Nemo igitur existimet joculariam rem se suscipere, cum profitetur Verbum & fidem in Christum. Sentiet enim adversarios Reges & Principes, quos Satan excitat. His etsi pares non sumus, tamen Deus vult nos cum eis congredi, vt amplificet gloriam suam, & ostendat sapientiam ac potentiam suam in nostra infirmitate, suppetens de cœlo virtutem, cui ne Inferorum quidem portæ possunt resistere, ad confundendam sapientiam & potentiam omnium adversariorum Verbi.

Deus ostendit potentiam suam in nostra infirmitate.

Habes igitur hoc in loco, cogitationes, studia, disputationes Regum & Principum, Gentium & Populorum descriptas, imò etiam carnis tuæ, & conscientiæ tuæ, quàm Diabolus etiam vexat, vt cogites de dirumpendo vinculo & proijciendo jugo. Reges & Principes vi & armis vtuntur, Cor autem tuum per infidelitatem contra hoc Regnum pugnat, cum de promissionibus dubitat, cum consolationem de remissione peccatorum, de gratuita justicia, & vita æterna non admittit. Oportet igitur nos esse præmunitos, vt cogitemus, sicut paulò post Psalmus dicet, Hunc Regem à Deo patre constitutum. Si igitur mundus furit, si conscientia tua trepidat, confortare & robustus esto, ne deficiat fides tua. Regem hunc nemo deturbabit de suo solio, in quod eum Deus pater collocavit, & tanto antè de his periculis à Spiritu sancto per sanctos Prophetas admonitus es, Prævisa igitur jacula minus nocebunt.

Sic Sirach admonet, Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, Deprime cor tuum, & sustine, & inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus. Qui igitur non vult in aciem prodire, sed signa deserere, is prorsus ab hoc regno abstineat. Diabolus enim nunquam cessabit per ora Principum & Regum, per impios Doctores, imò etiam per tuam conscientiam hunc versum canere, Dirumpamus vincula eorum, & jugum eorum proijciamus à nobis. Sed collige te, & dic mihi verum, An non horribilis hæc tentatio, & peccatum gravissimum sit, quod mundus Euangelium, hoc dulce nuntium de remissione peccatorum, & vita æterna, per Christum nobis parta ac gratis donata, appellat vincula & jugum? Omnia totius mundi regna intuere animo, & videbis dissimilima, & vt ita dicam, divisissima esse inter se, non solum quod ad potentiam carnalem attinet, sed multò magis quod attinet ad religionem, leges & mores.

Spada.

Vnica Roma quot habuit idola? Quot Græcia? Quot Aegyptus, & tamen nunquam religionis causa, quæ diversissima fuit, moverunt arma. Romani, etiam cum Domini Græcorum essent, non ideò, quia cultus diversi essent, Græcos oderunt, sed potius ipsorum cultus amplexi sunt, sicut historiæ ostendunt de Eleusynijs sacris, de Dracone Epidaurio, de simulachro Ideæ matris, &c. Hanc infinitam diversitatem Mundus tulit æquissimo animo semper. Apud nos quoque ante Euangelij lucem, quanta dissimilitudo erat cultuum, non solum differentium secundum Diœceses, sed etiam secundum singula templa? Hæc neminem vnquam offenderunt. Sed quando Christus cum suo Euangelio adve-

Mundus omnes errores tolerare potest, Euangelium non potest.

Digitized by Google

advenit, vt hanc differentiam tollat, & in vnum corpus omnes cogat, Ibi, qui religione diversissimi sunt, inter se omnes conspirant, & quasi vnum fiunt, ad opprimendum hoc Regnum. Quid enim Papæ regnum fuit aliud, quam monstrum diversorum capitum, præsertim si Monachos spectes, quorum hic Augustinum, ille Franciscum, tertius Dominicum, quartus Benedictum, voputavit, dignum esse, cui nomen daret. Hanc diversitatem Papa toleravit, & quanquam ipsi Monachi inter se odissent Vatiniano odio, tamen, cum jam Euangepatefactum est, consentiunt in eo oppugnando, & vnanimes conferunt consilia, operas & opes suas. Hoc quis non vidit Satanæ dolis fieri, qui omnes alias Religiones tolerare potest, hanc vnam autem, quæ vera est, odit & persequitur, ac facit, vt homines judicent eam intolerabile esse jugum?

Papatus monstrum diversorum capitum.

Cur autem hoc mundus facit? Tamen Euangelium nihil aliud agit, quàm vt liberet conscientias à pavore mortis, vt & remissionem peccatorum credamus, & per filium Dei pro nobis traditum retineamus spem vitæ æternæ. Sic autem docet hæc Euangelium, vt neque Magistratus, nec leges, neq; opes, nec alia, aut damnet aut tollat, aut mutet, Sed relinquit ista suo loco, & tantùm de conscientijs sanandis cogitat, ne oppressæ peccatis & metu mortis, sine consolatione & auxilio sint. Cur igitur mundus hæc non admittit? Cur jugum, cur vincula vocat, & tolerare recusat? Respondeo. Iusticiam suam non vult amittere, Sapientiam suam non vult confundi, Gloriam deniq; & potentiam suam non vult deserere, & vt vno verbo dicam, primum præceptum nec vult, nec potest servare, Sed pugnat contra id, omnibus viribus voluntatis, intellectus, & fortunarum. Deum debebat amare & anteferre omnibus, Sed amat se & sua, Iusticiam Dei debebat solam extollere & eaniti, Sed tanti facit suam justiciam, vt Dei justiciam prorsus non curet. Itaq; sicut Simia prolem suam, sic mundus tantum ea, quæ mundi sunt, amat, his gaudet, superbit, inflatur, reliqua quæ extra se & tantum in fide posita sunt, supinus negligit, & tanquam ignotum thesaurum calcat pedibus.

Cur mundus Euangelium vocet vincula & jugum.

At Euangelium hoc vnicè agit, vt Christum proponat animis atq; oculis omnium, in eum vnum intueri, ab eo vno pendere, eo solo niti ac fidere jubet, qui indutus carnem nostram, in carne nostra vicit Satanam, occidit mortem, & infernum populatus est ac destruxit. Hunc vnum prædicat sapientem, quia solus Dei Patris voluntatem scit & facit, Hunc solum vocat justum, quia non solum peccatum nullum fecit, sed suam justiciam communicare omnibus credentibus in eum potest & vult, Hunc solum dicit potentem, quia solus Fortem, custodientem atrium suum, vicit & spoliavit. Igitur ejus sapientia, justicia, & potentia vult nos confidere, ac tùm demum nos quoq; promittit sapientes justos, potentes, fore. Qui si hac sapientia destituamur, verè stulti, peccatores & imbecilles sumus. Sed mundus tanquam vincula, doctrinam hanc disrumpere, & tanquam jugum projcere à se conatur.

Euangelij summa.

Sic omnis contentio est cum hoc Rege de primo præcepto. Et Spiritus sanctus in hac Prophetia præcipuè confirmare animos nostros voluit contra hoc scandalum, quod potentissimi Reges & Principes, sanctissimi & sapientissimi homines, quorum sapientia, Regna & Respub. gubernantur, quorum justicia & æquitate florent, huic Regi se opponunt, Nullam aliam ob caussam, quàm, uodnon volunt coram Deo stulti esse, Non possunt ferre, cum audiunt, leges, disciplinam, honestatem & alia bona opera, ad vitam æternam, & remissionem peccatorum consequendam, esse inutilia. Igitur tumultuantur, furunt, consultant, insurgunt contra Euangelium tanquam seditiosam doctrinam & pernitiosam, quæ det occasionem licentiæ, quæ prohibeat bona opera, aut saltem abjiciat & damnet, siquidem ad justiciam nihil valere dicit.

Judicium mundi de doctrina Euangelij.

Quam autem vera hæc sit accusatio, æstiment boni. Non enim damnat bona opera Euangelium, hoc enim esset Legem damnare & tollere, Quin po-

tius ſtabilit legem, ſicut Paulus docet, cum oſtendit rationem, qua legi poſſit ſatisfieri, & aſſidue hortatur ad legis ſtudium & bona opera, Hoc vnum prohibet, ne in his fiduciam ponamus juſticiæ coram Deo. Hanc enim docet collocandam in ipſum crucifixum filium Dei. Hunc cum fide amplectimur, promittit nos juſtos eſſe coram Deo, etſi coram nobis & mundo ſimus peccatores, Promittit potentes eſſe, etſi ſimus infirmi. Sapientes, etſi ſimus coram mundo ſtulti. In hunc igitur crucifixum Dei filium jubet vt confidamus. Sed mundus id facere recuſat, quia hanc juſticiam, potentiam, ſapientiam non videt. Non igitur vult præſentia, quæ videt ante oculos, & manibus tenet, amittere, & alligari inviſibilibus & nuſquam apparentibus, de quibus Euangelium concionatur. Ideò vinculum, ideò jugum vocat, quo ligatur & premitur, ne ſapientiam, juſticiam, potentiam quam habet, aliquid eſſe putet.

Hinc naſcuntur illæ voces. Quid? Igitur homo nihil eſt? Igitur arbitrium non eſt liberum? Igitur Deus cauſſa eſt damnationis impiorum? Cur enim non creavit juſtos? Igitur Majores noſtri, qui hæc ignorarunt, omnes damnati ſunt? Vos autem ſoli ſapientes, juſti, ſalvi eſtis? Hæ voces paſsim audiuntur & leguntur. Nec ſanari cœci homines poſſunt, ſiquidem audire nolunt. Sedulo enim monemus, ſcribimus, concionamur, clamamus, ſapientia, potentia, & aliis Dei creaturis, vtendum in hac vita, ad præſentia negotia gubernanda & conſtituenda. Ibi locum eſſe, in quo ratio noſtra, tanquam in ſuo ſtadio, decurrat, faciat & curet, quantum poſsit, Sed coram Deo omnia hæc nihil eſſe, neq; valere quidquam, Requiri enim ibi meliorem juſticiam, & majorem potentiam quam noſtra eſt. Sed ſurdo narratur fabula, Reclamant enim, & vocant vincula & jugum intolerabile, quod vident ſapientiam & juſticiam ſuam coram Deo, tanquam inutilem & inefficacem ligari. Nolumus hunc regnare ſuper nos, Clamant ſicut Iudæi, ac damnant pariter doctrinam, & eos, qui doctrinæ huic aſſentiuntur, Appellant ſeditioſos, hæreticos & diabolicos. Ipſi autẽ, ſicut Phariſæi & Scribæ, gloriantur de cathedra Moſi, de nomine Eccleſiæ, ac ſoli juſticiæ & ſapientiæ poſſeſsionem ſibi, etiam armis & gladio vendicant.

Facies mundi.

Hæc mundi facies eſt, Odit Regem Chriſtum & regnum ejus, ac tentat omnia, quæ ad hujus regni oppreſsionem facere judicat. Quæ autem Eccleſiæ in tantis periculis ſpes eſt?

At habitator cœli ridet, & Dominus ſubſannat eos. IIII.

Hæc eſt Spiritus ſancti vox, per os Prophetæ emiſſa, propter noſtram puſillanimitatem & paucitatem, quam videt, Deinde propter multitudinem & potentiam Regum & adverſariorum. Quidquid enim in mundo ſublime eſt, hoc totum confluit & conjungit vires contra Eccleſiam, quæ ſicut numero parua eſt, ita fere deſtituitur omnibus illis donis, quibus mundus inſoleſcit. Cum igitur obruitur ſcandalis, quaſi aquis maris, cum tot Regum arma, potentiam, opes, quibus oppugnatur, æſtimat, pavet ac trepidat. Nam cor humanum, non eſt ferreum, aut ſaxeum, ſed carneum ac molle, Itaq; afficitur in tam certis periculis. Non enim hoc agitur, vt Chriſtianus contra ſe, vnum aliquem hoſtem habeat, Reges & Principes, Gentes & Populi, ſicut Spiritus ſanctus hoc in loco vaticinatur, contra eum inſurgunt, Imò omnes Diaboli vnum impetunt & oppugnant, vt interea de ſcrupulis, quibus conſcientia exercetur, nihil dicam.

Hoſtes pierum multi, potentes, &c.

In hoc tanto periculo Dominus miſericors venit per verbum ſuum, & opponit huic multitudini malorum & ſcandalorum alias res longe majores. Non ſolum enim dicit, ſicut in 10. Pſalmo, Oculi Domini reſpiciunt in pauperem. Sed de illis Eccleſiæ hoſtibus & omnibus eorum conatibus dicit, Habitator cœli ridet, & Dominus ſubſannat eos. Sic haurit vno verbo conſolatorio, quidquid eſt furioſorum hominum, principum, Regum, & Dœminum. Magni quidem ſunt, qui adverſantur Eccleſiæ & potentes, ſunt etiam multi, pollent ſapien-

Conſolatio Spiritus ſancti contra mundi furorem.

Pſalm. 10.

ſapientia, habent opinionem juſticiæ, Contra nos ſumus pauci & infirmi, Præterquam igitur quod obruimur multitudine & magnitudine majeſtatum mundi, etiam conſcientia noſtra, & nobis nota infirmitate ſolicitamur & angimur. Diſcenda igitur hæc conſolatio eſt, vt tàm horribili imagine non confundamur, ſed dicamus, Scio ego quoq; vnum, qui habitat arcem munitiſſimam & inacceſſibilem, ad quam non ſolum Principes & Reges, ſed ne quidem Satan accedere poteſt. Hi enim omnes aut in terra, aut aëre ſunt, Sed hujus Regis domus eſt ipſum cœlum, vbi nec hominum, nec Satanæ potentia aliquid valet.

Præ contemptu igitur adverſariorum Eccleſiæ, non nominat quis ille in arce cœli ſit, Simpliciter dicit, Ioſchebſchamaim, habitans cœlum. Hunc opponit cum fiducia & contemptu, ſpiritu & fide pleniſſimus, omnibus mundi & inferni furijs, Q. d. veniant Gentes & Reges, Populi & Principes, veniant Anabaptiſtæ, Sacramentarij, ſeditioſi, & alij ſectarij, Non ideò, quia in terra potentes ſunt, cœlum conſcendent, Sunt miſera reptilia terræ, ibi tumultuantur, furunt, conſilia capiunt. Quid autem facit cœlum habitans? Num metuit ſicut nos, Num trepidat aut commovetur? Plane non, ſed ridet ſtulticiam, & vanos hominum conatus. Hæc eſt nova & inaudita vox. Nam ratio pronunciat, aut non videre talia Deum, atq; ideò omnia temere ferri, Aut ſi videt & non reprimit malos, imbecillem eſſe. Videre enim & pati indigna, quæ prohibere poſſis, putat injuſtæ & iniquæ mentis eſſe. Tali honore ratio Deum ornat, vt judicet, aut ſtultum eſſe, qui multa nec videat, nec ſciat, aut malum, quod quæ videt non prohibet.

Hoſtes Eccleſiæ.

Mundi judicium de Deo.

Contra has Blaſphemias Spiritus ſanctus nos hic munit, ne ideò exiſtimemus Deum, non videre impiorum conatus, ſiquidem ad eos connivet. Turcæ quanta & quam indigna crudelitas & immanitas eſt? Pontifices & Epiſcopi quanto odio ardent contra verbum & vera Eccleſiæ membra? Tyrannorum quoq; odioſa conſilia ſunt. Hæc ne putemus ignorare Patrem noſtrum in cœlis, aut abſcondita eſſe ab ejus oculis, Videt, ſed non ita citò ad iram commovetur, ſicut nos, Diſſimulat iram, ridet ad tempus, Non ſolum quia videt fruſtra eſſe conatus tales, Sed quia concedit ſpacium pœnitentiæ.

Turca. Pontifices. Tyranni.

Hæc eſt ſpiritualis cogitatio, qua erudiri Eccleſia & ſingula ejus membra debent, vt rapiamur nos quoq; à viſibilibus ad inviſibilia. Viſibilia & tangibilia ſunt, furor mundi, tyrannis Turcica & Pontificia. Sed hic riſus Habitatoris cœli eſt nobis inviſibilis, credi itaq; debet, tùm fiet, vt nos quoq; rideamus, ſiquidem hoſtes Eccleſiæ meditantur inania. Nam quod Spiritus ſanctus Deum ridere dicit, & ſubſannare impios, id propter nos fit, vt nos quoque rideamus cum Deo, & non ringamur, aut trepidemus, quando Pontifices, Epiſcopi, Principes, Reges hoc agunt, vt vi opprimant Euangelium, quando deniq; Satan obruit Eccleſiam varijs ſcandalis, ſunt enim inania conſilia. Sed experimur hunc riſum nobis penè impoſſibilem eſſe, quia neq; viſibilia contemnere, nec inviſibilia apprehendere poſſumus, vim & potentiam Regum & Principum, ſapientiam mundi, malitiam Satanæ, deniq; peccati & conſcientiæ noſtræ onus ſentimus, ideò non ridemus, ſed ejulamus, deficimus, deſperamus, & omnem vitam hac ratione nobis acerbam facimus. Sed male. Quid enim proficimus, etſi ad mortem vſq; contriſtamur. Nunquam enim ſanabitur mundus, Satan nunquam fiet mitior.

Deus cur rideat.

Nos quoq; rideamus.

Viſibilia nobis prohibent riſum.

Diſcamus igitur erigere animos noſtros in talibus periculis, & cum Deo noſtro rideamus, quem certum eſt non riſurum perpetuò ſed aliquando etiam ſuccenſurum impijs & eos conturbaturum, ſicut ſtatim ſequetur. Eo autem facilior nobis erit riſus, ſi non obliti fuerimus ejus, quod ſupra dixit de Domino & Chriſto ejus. Hoc enim certo nobis eſt ſtatuendum, quod omnes iſtæ tentationes, omnes iſti fremitus & furores mundi concitantur in nos propter Chriſtum. Hic ſolus cauſſa eſt, cur male propicium habeamus mundum & Satanam,

Omnis tentatio oritur propter fidem.

tanam, imò etiam ipſum cor nõſtrum, Sicut ipſe dicit, Iohan. 15. Si eſſetis de mundo, mundus quod ſuum eſt diligeret, Nunc autem quia vos è mundo delegi, odit. odit vos mundus. Idem de Peccato quoq; accidit. Quis enim non miretur, quod mundus, qui in peccatis vivit, qui peccatorum remiſsionem non ſolum non credit, ſed oblatam in verbo etiam reſpuit, tamen vivit in ſumma ſecuritate. Contra vera Eccleſiæ membra, quæ remiſsionem peccatorum audiunt, amplectuntur, & credunt aliquo modo, hi ſoli exercentur pavoribus diu ac noctu, ac tantùm non abſorbentur dolore.

Chriſtiani tentantur de peccato.

Iohan. 15.

Hujus rei quæ cauſa eſt? Alia nulla, quam quod ſunt Chriſtiani, & verbum Chriſti amplectuntur. Ideò acuit eis Satan peccatum, exercet eos pavoribus mortis & damnationis æternæ, nec vnquam quieſcere pia corda ſinit. Quid igitur faciemus nos? Ejulabimus & querulabimur, abijciemus animum & immoriemur luctibus? Minimè. Nihil enim hoc modo proficiemus. Erigamus igitur potius capita, ſicut Chriſtus jubet, cum de ſuo adventu vaticinatur, & furente Satana ac mundo (imo etiam peccato & conſcientia noſtra in nobis) ridcamus. Quia enim pœna impiorum adhuc ceſſat, certum eſt Deum quoq; ridere, qui in cœlis eſt, nec ab impijs inde deturbari poteſt. Merito igitur ridet irritos conatus. Et nos quoq; cogitemus nos riſuros, ſi tàm alto in loco, & tàm munita arce ſederemus. Statueremus enim, etſi Regum, Principum, ipſius Satanæ quoq; potentia & furor maximus eſt, tamen eos hic infrà manſuros in terra, neq; ad nos vſq; penetraturos. Sed aperiunt hæ cogitationes noſtram infidelitatem. Sumus enim omnes nos, qui credimus in Chriſtum, revera in eodem cœlo, in quo Dominus habitat, Si non ſecundum carnem, tamen fide & verbo.

Pſal. 2.

A viſibilibus tranſeundum ad inviſibilia.

Ad hunc modum à viſibilibus tranſcendendum eſt ad inviſibilia, & tranſferendi oculi atq; animus à præſentibus ad cœleſtia, vbi turbæ illæ, non ſolum ſunt inanes, ſed antè annos mille & quingentos victæ. Sic enim dicit Chriſtus, Confidite, ego vici mundum, Et de judicio nos conſolatur, Principem mundi jam eſſe judicatum. Cum igitur victi hi hoſtes reſtaurant bellum, nihil aliud faciunt, quam vt Deo riſum moveant. Pueri ſuaves nobis reddunt ludos, cum ſtipula arrepta, tanquàm cultro, canes aut ſues jugulare conantur. Nec tenere quiſquam noſtrum riſum poſſet, ſi videret fatuum, virguld in manus ſumpta, magno molimine contra Turrim currere, & ſic conari, vt evertat turrim, Stultus enim & irritus is conatus eſſet. Ad hunc modum de mundi molitionibus, apparatu, potentia, ira, furore cogitaremus nos quoq;, ſi animis & cogitationibus conſcenderemus ad eum, qui eſt Habitator cœli, & eum rectè intueremur. Ad hunc enim ſi conferas Turcam, Pontificem, Epiſcopos, Reges, & Principes, & totum Satanæ regnum, an non ſimiles fatuo tali erunt, qui moliatur vaſtam turrim baculo evertere? Ludos igitur & jocos Deo exhibent, Machen jhm ein Faßnachtſpiel/ wenn ſie am Zornigſten ſind/ & revera aliud nihil ſunt, cum talibus cogitationibus & molitionibus occupantur, quàm jocularia officina, & ſicut germanice dicimus, vnſers HErrn Gottes Gauckelſack.

Iohan. 16.

Stultus & irritus conatus omnium hoſtium verbi.

Sapientia Chriſtianorum.

Hæc eſt ſapientia abſcondita, quæ tantùm ex verbo diſcitur, quod tranſfert nos à præſentibus & apparentibus, ad abſentia & inviſibilia. Præſentia ſunt, quod cum Chriſtum confitemur & in eum credimus, mundus inſanit & furit. Sed ne te hæc commoveant, ne ideò contriſtetur conſcientia tua, deſere hunc ſenſum, ac inſuave hoc ſpectaculum, & ingredere cum Moſe in nebulas ac tenebras, hoc eſt, amplectere res inviſibiles. Aſcende ad Dominum, & verbum promiſsionis ejus, & diſce, quod rideat Deus iſtam incredibilem ſtultitiam, quod mundus cum Satana conantur nocere regno Dei, & id evertere. Miſeri non vident, quod omnis potentia eorum, tantùm terrena eſt, Rex autem hic cœlum habitat, quo aſcendere non poſſunt.

QVICQVID autem de Regibus, ſeu adverſarijs Euangelij dico, hoc privatim de cujuslibet conſcientia dico, vt diſcamus nos erigere, & ſimus fortes,

non

non tàm contra Tyrannos, quàm contra noſipſos. Nam Satan magis nos vrget & perſequitur per ipſum cor noſtrum & conſcientiam noſtram, quàm per gladium & tyrannidem. Turca enim plus nocere non poteſt, quàm vt præcidat caput, & Sed jugulet cor noſtrum talem nobis movere diſputationem, talem triſticiã excitare poteſt, in qua perire neceſſe ſit in æternum, niſi Spiritu & verbo Domini liberemur. Igitur Diabolus nuſquam potentior, callidior, fortior, ſanctior, juſtior eſt, quàm in cordibus noſtris. Hic ſi eum vicerimus, ſi ex hàc ſede cum firma fide ejecerimus, ac nos ad inviſibilia tranſtulerimus, tùm iratos Principes, Reges, Tyrannos, non faciemus pili. Sin autem formidini ſunt, terror hic non ab ipſis, ſed à corde noſtro proficiſcitur, quod infirmum eſt & adhæreſcit præſentibus, Abſentia autem & inviſibilia apprehendere non poteſt.

Satan corda maximè oppugnat.

Diſcamus igitur fortes eſſe in omnibus periculis, maximè autem contra nos ipſos & cor noſtrum. Ibi enim Satan firmiſſimam ſedem habet & præclare adjuvatur per præterita. Scit enim nos eſſe peccatores. Igitur ſeriem noſtrorum peccatorum, & triſte chirographum ponit ante oculos, & vrget nos. Quin præſentia quoq; arripit, & nos ijs oppugnat, quod nondum credimus ita firmiter vt debebamus, nondum ita amamus ardenter, & tentamur impatientia quoq;. Hæc cum exaggerat, eſt enim callidus & vehemens Orator, frangitur animus, & non ſolum illo tumultu Principum & Regum, ſed etiam ſtrepitu cadentis folij terretur. Muniamus igitur corda noſtra, & reſpiciamus ad inviſibilia, & in tenebras verbi, nec timeamus vel paveamus ab ijs, quæ ſentimus intra vel extra nos, quæ ſenſibilia & viſibilia ſunt, ac carne percipiuntur. Exuamus ſenſus omnes, & eamus, quo ducit nos præſens verſiculus ad inviſibilia. Ac cum Satan obijcit, Ecce es peccator, non ſic credis, non ſic diligis, ſicut requirit verbum, Tu contra dic, Quid me vexas cum his viſibilibus, Bene ſentio iſta, nec opus eſt, tu me vt doceas, Illud opus eſt, vt verbum ſequar, & transferam me ad inviſibilia, hoc eſt ad eum, qui in cœlis habitat, & ad verbum ejus in cujus oculis omnia, quæ me terrent, ſunt merus ludus, & ſpectacula carnis priualia, vt vocant, quæ non ad terrorem, ſed ad riſum inſtituuntur &c.

Satan quomodo nos de peccato teneat.

Ad hunc modum ad practicam trahendus eſt, hic verſiculus, non tantùm in periculis illis externis, quæ intentantur nobis ab hoſtibus verbi, à Turca, Pontifice, Epiſcopis, Regibus, principibus, qui omnes potentia, ſapientia, iuſticia, inſtructi ſunt, Sed etiam in tentationibus ſpiritualibus, cum Diabolus terret conſcientiam, accuſans nos intra nos, propter peccata admiſſa. Ibi, qui hunc verſum rectè meditatum habet, ridebit Satanam, & ejus tùm accuſationes, tùm minas. Nihil, inquiet, hæc ad me, quæ etiam Deo meo habitanti in cœlis riſum movent, non prævalebis accuſando & contriſtando. Quin cum Deo meo ridebo ego quoq;. Scio enim quod conatus tui fruſtra ſunt. Etſi enim peccator ſum, etſi peccati pœna, mors æterna eſt, tamen non ideò ridere deſinam. Quia ad ad dextram Dei ſedet, qui pro peccatis ſatisfecit, & te in carne ſua vicit ac proſtravit, non enim tu me petis ſolum, ſed illum ipſum, qui te vicit, filium Dei &c.

Satana tentationi de peccato, quomodo ſit occurrendum.

Hoc enim firmiter ſtatuendum eſt, quod omnis perſecutio etiam illa ipſa ſpiritualis, quæ per Satanam in cordibus noſtris fit, propter Chriſtum ſit. Nam credere remiſsionem peccatorum per Chriſtum eſt ſummus articulus fidei noſtræ. Ac verum eſt, quod qui hunc articulum credit, habet remiſsionem peccatorum. Ideò tantopere conatur Satan, fidem hanc nobis vt excutiat. Qui autem ſequitur Satanæ cogitationes, quibus nos vexat, vt ſpem remiſsionis peccatorũ abijciat, is peccat. Ne igitur ſequamur cogitationes cordis noſtri, accuſantis nos de peccato, & ſpem remiſsionis peccatorum non exiſtimantis ad ſe pertinere. Hoc enim eſſet ipſum Satanam ſequi, vexantem nos non ſolum mediate per Principes & Tyrannos, ſed etiam immediate per peccatum & cor noſtrum.

Retinenda fides remiſsionis peccatorum.

Sed

Cogitationibus cordis accusantibus nos, resistendum.

Sed opponamus nos ei magno animo, ac dicamus. Neutiquam contristabis nec terrebis me. Resurrexit enim à mortuis, qui me justit quietum esse. Ridebo igitur, non, vt tu vis, ejulabo, quasi solus & sine auxiliatore sim.

Difficile nobis stare in periculis & tentationibus.

Sed quanti laboris, & quam longi temporis sit hanc artem discere, singulos experientia docebit. Verba quidem facillime didiceris, Justus erit absque omni pavore, Christianus non metuet peccatum, nec mortem, sed ridebit Diabolum & minas ejus, Sed experire rem, & vide, num possis læto animo esse, cum aut conscientia te accusat, aut nascuntur hæreses & scandala. Caro enim statim incipit trepidare, & vellet omnia visibiliter esse quieta. Quia autem diversum accidit, & omnia injusta, impia, stulta, profana, blasphema, turbulenta, & inquieta sunt, quæ apparent & ante oculos sunt, excutiuntur per hæc visibilia, illa invisibilia, de quibus Spiritus sanctus nos hoc in loco docet. Assuescamus igitur ad has tempestates, in quibus vivendum, & assiduo Christianis versandum est, & abdamus nos in tenebras, ac apprehendamus invisibilia, Tunc fiet, vt furorem Turcæ, Pontificum, Tyrannorum, sectarum, hæreticorum & omnium adversantium regno Christi rideamus, tanquam jocularium spectaculum. Hoc qui vbique & semper potest, is est verus Theologiæ Doctor. Sed nec Petrus, nec Paulus, nec reliqui Apostoli semper hoc potuerunt. Igitur nos quoq; discipulos, & non Doctores in hac arte nos esse profiteamur, quanquam ne discipulorum quidem nomen meremur, siquidem cum Deus ridet, nos aut ringimur, aut stomachamur.

Verus Theologiæ Doctor.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. V.

Præcedens versus descripsit patientiam Dei, nobis quidem intolerabilem, sed Deo satis vulgarem & consuetam. Solet enim impiorum furores, vulgi, Regum, Principum, & populorum, insanias tolerare ad tempus, nec statim, vt Poëta inquit, sua fulmina mittit, cum peccant homines. Interea Ecclesia in tribulationibus versatur & gemit, optans vindictam in impios. Sicut Christus in parabola de improbo Iudice, Luc. 18. ostendit. Videtur enim pijs hæc Dei patientia esse sine fine, & ideò penè intolerabilis est, vexans & humilians ferentes crucem, non vno aut altero anno, sed pluribus annis. Et tamen hæc patientia nostra nihil est ad patientiam sanctorum Patriarcharum collata, qui quingentis, sexcentis, & pluribus annis vixerunt, in eadem tentatione. Hi non, vt nos, his triginta annis tantum, sed per omnem vitam audiverunt impiorum carmen, Dirumpamus vincula eorum, Deus non videt, non intelligit hæc &c. Nam in hanc securitatem tandem prolabuntur impij, Siquidem Deus sic longanimis est, & pœnas tamdiu differt. Cum autem ad hunc modum impij securè gloriantur, pij autem affliguntur & gemunt, tùm in proximo est, vt Deus, qui, plorantibus & gementibus pijs, Impijs autem securè ferocientibus, risit, commoveatur ad iram. Hæc hujus fabulæ est Catastrophe finalis,

Patientia Dei.

Patientia SS. Patriarcharum.

Luc. 18.

Promissio de impijs reprimendis.

Continet igitur hic versiculus promissionem suavissimam, quales passim in Psalmis sunt, Psal. 9. Dominus est in refugium oppresso, Refugium opportuno tempore in tribulatione, & 10. Quoniam tu laborem & dolorem consideras, Tu judicas pro pupillo & paupere, & 68. Pes tuus tingetur sanguine inimicorum tuorum, & 110. Dominus conquassabit capita in terra multorum. Conveniunt autem cum his promissionibus etiam exempla non solum, quæ in sacris literis sunt, sed etiam gentium. Ita enim perpetuò solet in mundo. Veritas & iustitia laborant, ac præcipuè in Ecclesia veritas risum, subsannationem, & plagas quoq; accipit, ac si nullus esset Deus, vt saltem Deus humana non videret aut curaret. Sed si finem respicias, videbis oppugnari veritatem, sed opprimi non posse, Quia habitans in cœlis, etsi ridet ad tempus impiorum irritos conatus, tamē non perpetuo ridet, sed etiam loquitur, ac quidem in ira, & ad eum modum, vt conturbentur impij, qui tanquam in parta victoria lætos triumphos agebant,

Psal. 9. 10. 68. 110.

Veritas & iustitia laborant, &c.

Exempla cum promissione conveniunt.

Hæc

Hæc igitur promissio est spes nostra, ac præcipuè pertinet ad miseras conscientias erigendas, quas penè opprimunt ij, qui cantant, Dirumpamus vincula eorum. Nam in nostris viribus non est, vt eis imponamus silentium, ne cantent, Nec possumus perpetuò sic obturare aures nostras, vt hoc carmen impiorum non exaudiamus. Dissimulanda igitur & ferenda, ac per patientiam superanda hæc securitas est, vsq; ad illum articulum temporis, cum Dominus incipiat loqui. Is enim habet vastam & tubalem vocem, quæ compescit impios, vbi nos vix hiscere possumus præ ipsorum clamoribus. *Dirumpamus vincula eorum.*

Particula, Az, non significat certum tempus seu terminum, sed est indefinita particula, Fiet vt loquatur, quandocunq; tandem loquetur. Atque tùm risus, qui, dum secure impij canunt, absconditus est, revelabitur. Sicut Psal- *Psal. 91.* mus 91. dicit, Oculis tuis retributionem impiorum videbis. Nam judicia Dei non sunt abscondita, cernitur in clara luce tandem ira Dei, quem impij dormire putant, nec judicant attendere, quid ipsi moliantur. Exempla ante oculos sunt. Romanorum Monarchia fuit potentissima, & tamen cum meditaretur regni Christi vastationem, vastatum ipsum est & perijt, Ecclesia autem retinens fidem promissionum, mansit incolumis, etsi graviter afflicta esset. Qui igitur tùm vixerunt, oculis suis viderunt retributionem, quod mille caderent à dex- *Psalm. 91.* tris, & decem millia à sinistris, manente Ecclesia salva. *Monarchia Romanorum.*

Sic sub Ezechia rege miserabilis populi Dei facies erat. Assyrius, qui decem tribus captivas abduxerat, obsidebat Ierosolymam, & cæteras regni Iudæ partes graviter afflixerat. Ridebat tùm Dominus, tanquàm de irrito conatu sed Ecclesia afflicta ridere non poterat, Tota in lachrymis & luctu erat. Sed an non revelatus est risus Dei tandem? an non Ecclesia quoq; ridere demum incepit, cum vna nocte centum millia & octuaginta quinq; millia ab angelo Domini interfecti essent! Videt enim corporalibus suis oculis vindictam impiorum. Sic postea captivus in Babylone populus, oculis suis videt destructionem Babylonis. Ita Historiæ ostendunt promissionem hanc non esse vanam, sed etsi tempus non revelatum nobis est, quo liberaturus Dominus pios, impios autem sit perditurus, tamen aliquando certo futurum, modo ne frangamur animo, & fortes in fide, in assiduam orationem incumbamus. *Psal.* Sicut enim supra de improbo Iudice diximus, vult precibus nostris admoneri & excitari Deus, Idcò afflictionem sentiri & tolerari, liberationem autem credi vult. *Sanherib Assyrius.* *Destructio Babylonis.*

Sed nostram quoq; experientiam non tacebimus, non tantum vt innotescat, versum hunc verum esse, sed vt Deo gratissimus, intelligentes, & firma memoria retinentes ac prædicantes ingentia ejus beneficia, & mirabilem salvandi ac servandi modum. Pontifex & Episcopi, Reges & Principes, qui Pontifici adhærent, an non vsq; ad ravim decantarunt hunc versum annis fermè jam triginta. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis jugum eorum? Itaq; consilia inierunt multiplicia, & tantum non in manibus habuerunt victoriam, partiti inter se victoriæ præmia, Principum nostrorum civitates & arces. Sed quid effecerunt? Nonne, qui hujus fabulæ primas partes agebant, perierunt, atq; vtinam non etiam perijssent in æternum? Qui autem superstites adhuc sunt, an non calamitosi sunt, & Iro pauperiores? siquidem aut sua culpa amiserunt, quæ à majoribus eis relicta sunt, aut ægrè ea retinent ac tuentur? Nec dum finis malorum & pœnarum est, quotidiè deteriorem faciunt caussam suam & altius immerguntur malis. *Experientia nostri temporis.* *Dirumpamus vincula eorum.*

Perseveremus igitur in fide & verbi confessione, nec inveniamur in eorum numero, qui, vt Ecclesiasticus dicit, amiserunt tolerantiam. Premant, vrgeant, affligant, occidant etiam nos, & tamen si non frangemur animis, si tolerabimus in spe liberationis mala hæc, non deseret nos Dominus. Promittit enim hic se locuturum in ira, & illos conturbatos iri. Particula igitur indefiniti temporis diligenter est notanda, Tunc loquetur, seu aliquando loquetur, cum scilicet,

Tunc, non significat certum tempus.

scilicet, ipsi opportunum videbitur. Risus igitur est in cœlo & absconditus, sed hoc loqui sentietur in terra. Loquetur enim ad Cantores illos, qui omnia horribili clamore complent, vociferantes, Dirumpamus, dirumpamus. Ad hos cum loquetur, profectò audient eum. Fiet autem id tunc, non nunc, sicut nos optamus, quibus omnis mora sub cruce longa est, Igitur vellemus Deum nunc loqui, sed non vult id facere. Tunc vult loqui, cum scilicet nos desperantes penè judicamus eum perpetuò taciturum.

Deum loqui quid sit.

Sed quid, aut quomodo loquetur? Hic Ebraica phrasis observanda est. Nam cum scriptura dicit loqui Deum, intelligit verbum reale, seu actionem, non sonum tantùm, qualis noster est. Non enim os, non linguam habet Deus, est enim Spiritus. Igitur os & lingua Dei vocatur, Ipse dixit & facta sunt, & cum loquitur, tremunt montes, dissipantur Regna, totus deniq; commovetur orbis. Hic est alius sermo, quàm noster. Oriente sole, sole occidente, loquitur Deus, crescentibus frugibus, nascentibus hominibus, loquitur Deus. Igitur Dei verba non sunt vanus aër, sed res maximæ, & admirabiles, quas oculis videmus & palpamus manibus. Cum enim secundum Mosen Dominus diceret, Fiat sol, fiat luna, Terra producat arbores, &c. statim quod dixit, factum est. Vocem hanc audivit nemo, sed opera & res ipsas videmus ante oculos, & tangimus manibus. Simul igitur & consolatur hoc in loco Spiritus sanctus pios, qui sub cruce gemunt & anhelant, & terret impios, ne sint securi, sed certò statuant Deum locuturum. Id autem cum in ira fit, fit sine fine, sine spe auxilij. Cum enim irascitur Dominus, non ludus, non jocus est, Sed sentiunt impij hoc iræ verbum, & in hac vita per varias afflictiones, & in futura vita, nisi convertantur & agant pœnitentiam. Tale iræ verbum audit hodie Hungaria & Germania, cum per Turcam affligitur propter idololatriam, & contemptum Euangelij.

Os & lingua Dei.

Dei verba.

In ira sua.

Gratia verba.

Solet autem loqui quoq; in gratia, cum dat pacem, annonam vberem, bonos Magistratus, pios Doctores. Hæc sunt gratiæ verba. Sic Psalmus 147. dicit, Emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus. Exponit enim quomodo hoc intelligendum sit, scilicet quod dat nivē, pruinam, glaciem, &c. Est autem hæc phrasis tantùm sanctæ linguæ, (ad quam discendam sæpe, sed pene frustrà moneo Iuventutem, egregiè enim facit ejus cognitio ad illustrandam Scripturam) sumpta ex Mose, qui in 1. cap. Genes. cum commemorat Deum ex nihilo condidisse omnia, subinde sic solet loqui, Dixit Deus, Fiat lux, fiat firmamentum, &c. Et facta est lux, Et fecit Deus firmamentum. Ex hoc loco sumpta hæc phrasis est. Sicut enim Poëtæ græci Homerum, latini Virgilium habent, ad cujus imitationem scribunt, Ita sancti Prophetæ ex Mose didicerunt recte loqui, de Dei factis. Viderunt enim, quod dicere apud Deum, sit facere, & verbum sit factum.

Psal. 147.

Cognitio sanctæ linguæ.

Gen. 1.

Deus loquitur grandia verba.

Horribile autem hoc in loco est, quod Propheta dicit, Deum in irâ sua locuturum. Certum enim est, quod ad hoc verbum iræ ruituræ sint totæ Nationes, nec possint villa sua vi, aut potentiâ se tueri, quo minus cadant. Sic locutus est Deus in ira sua cùm Romanos mitteret contra civitatem sanctam Ierusalem, cùm postea contra Romam mitteret Vandalos & Gothos. Hæc fuerunt vasta & grandia verba, ac ferrea vox, quæ potentissimos Monarchas dejecit. Ad hunc modum loquitur in ira sua, cum immittit pestem, famem, & alias plagas. Hic tandem finis erit hujus furoris mundi, quod concitabit contra se Majestatem, ut loquatur non verba, qualia hominum sunt, quæ aures tantum feriunt, sed quæ terrent conscientiam, & aspectu horrenda sunt, nempe multa millia crudelium militum, & alias plagas, quæ tota regna evertunt funditus. Quanto autem satius erat Christi jugum ferre, & non excutere, quod etsi carni durum est (Nam ferenda est ijs, qui nomina Christo dant, habent enim adversarios potentes, & multos, sicut diximus) tamen spiritus consolationem & pacem habet, non brevem, qualis illa mundi est, propter quam jugum hoc

Deum loqui in ira.

Esa. 11.

Christi jugum.

labijcit

abijcit mundus, ſed æternam. Pater filium, quem amat, caſtigat. Ita Chriſtus quoq; in ira loquitur contra carnem, Sed idem in Gratia loquitur pro ſpiritu. Hoc jugum, hæc vincula, qui nolunt ferre, hi audient aliam vocem, nempe multa Turcarum millia graſſantia, & late omnia populantia ferro & igni,

Impij conturbantur loquente Domino.

Sed non ſatis eſt Domino, ſic in ira eſſe locutum ad impios, ſequitur ejus vocem iræ, turbatio, vt hoſtes ejus ſubito ita percellantur animis, vt quo ſe vertant neſciant, Atq; hoc ruinæ eſt initium. Talis igitur miles eſt Dominus in cœlis habitans, Initio diſſimulat iram, ac ridet vanos conatus. Sed cum ab ijs impij nolunt deſiſtere, non pedes, non manus, vulnerat, non eruit oculos, ſed tantum animos turbat, Hoc cum factum eſt, facile etiam inermes & pauci numero vincunt. Multa conati ſumus his annis viginti contra Turcam, ſed infeliciter. Cur hoc? Peccata noſtra concitarunt iram Dei erga nos. Cum igitur pœnam vellet de nobis ſumere, armavit hoſtes noſtros Turcas, ira & crudelitate contra nos, nobis autem immiſit pavorem, Vt recte objiciatur Germanis, Oblitos nos virtutis noſtræ, & degeneraſſe à Majoribus noſtris. Ad hunc modum turbavit gentem ſuam, Iudæos ſub Nebucad Nezar, Babylonios ſub Dario & Cyro, Perſas ſub Alexandro, Græcos ſub Romanorum imperio. Omnium enim ætatum hoſtes Chriſti hic Verſiculus dejecit & turbavit, ac dejiciet quoq; Turcam & Pontificem. In hoc enim à Spiritu ſancto eſt ſcriptus, vt totum orbem occidat & vaſtet. Siquidem non ceſſare vult ab hoc furore, vt contrà Dominum & Chriſtum ejus pugnet.

Hic Pſalmus perdit omnes Chriſti hoſtes.

Porro, quià dicit Dominum locuturum, ex hoc apparet, quod mali ſint incorrigibiles, nec ſanari ſe patiantur ab ijs, qui Domini verbum, quod Gratiæ verbum eſt, ad eos afferunt. Si enim attenderent verbo, & doceri ſe permitterent, abijcerent ſtudium hoc oppugnandi Dei. Sed cum non audiant, & ſecure pergant contempto verbo & doctrina ſana, coguntur audire aliam vocem, quæ eſt iræ vox, & manet omnes adverſarios verbi. Quando enim converti homines nolunt, & cœci vrgent ſuum inſtitutum, ſequitur Verſiculus hic, vt Dominus loquatur in ira ſua, & conturbet impœnitentes. Hoc Germaniæ peccatum eſt, quod certam minatur ruinam. Etſi enim magno ſtudio hortamur ad amplectendum Verbum, & abijciendos impios cultus, tamen Epiſcopi & Principes quidem non audiunt, ſed magis accenduntur contra nos. Expectabimus igitur nos quoq; hanc iræ vocem, quam inviti & pereuntes cogentur audire impij. Interea faciamus ſicut Loth in Sodomis, ſicut Abraham in medio Chaldæorum, ſicut captivi in Babylone. Hi enim etſi ſanare impium mundum conatentur, tamen non potuerunt, Sed paſſi quoq; ſunt indigna, afflictabatur eorum anima diu noctuq;.

Impij ſunt incorrigibiles.

Germaniæ peccatum.

Patientia pijs opus eſt.

Nec nos hodie ſine ingenti animorum dolore audimus blaſphemias, & videmus idololatriam Pontificiam. Sed quid faciamus? Sanari nolunt, & ſicut Apoſtoli Ieroſolymam non potuerunt revocare ad pœnitentiam, Ita noſtri Epiſcopi vrgent interitum ſuum. Hæc feramus dum Dominus incipiet eis concionari, non tali voce, qualis noſtra eſt, quam contemnunt, tanquam ſomnium, ſed voce iræ, quæ euertit vno ſpiritu Imperia & Regna. Docemur autem talibus exemplis, quod vbicunque eſt verbum, ibi certa calamitas & vaſtitas ſequetur propter illos, qui verbo ſe opponunt, Et tamen verbum in iſtis ruinis mundi non ruet, ſed ſtabit firmum. Stabit Eccleſia quoque quantumcunque afflicta, aut exigua ſit. Non enim ideò, quia impij conturbantur, Rex hic deſinet rex eſſe, Sed ideò loquitur in ira ſua, ideò turbat ſuos hoſtes, vt verbum & Eccleſia maneant ſalva. Nam hoc Eccleſia ſola per virtutem Dei poteſt, quod patitur, & tamen non corruit, ſed manet. Imò ſub cruce vires ſumit & creſcit. Itaque Pſalmus quoque, tanquam procul ablegatis impijs hoſtibus, de victoria verbi, & noſtri Regis majeſtate, nos docere pergit, ac dicit.

Vbi verbum eſt, ibi ſequitur vaſtitas, & tamen Eccleſia ſervatur.

Ego autem constitui Regem meum, super Zion montem sanctum meum. VI.

Hic vides definitam sententiam, quod minatur Majestas divina se eversurum & vastaturum omnes, qui adversantur Verbo suo, & promittit servaturum tamen se Regem suum, Christum, & regnum ejus, hoc est, verbum. Possunt autem hæc omnia sola fide apprehendi, non carne aut sensu. Caro enim non potest credere, quod in vno homine Iesu, nato ex Maria, omnia sint posita, quod propter vnum cum totum Mundum ruere & perire necesse sit, potius quam Regno ejus aliquid oriatur incommodi. Si enim hoc crederent Reges & Principes, caverent sibi, amplecterentur eum, non odissent, nec conarentur eum opprimere. Sed quia non credunt, quia tantum visibilia, hoc est, suam potentiam & opes intuentur, Invisibilia autem, hoc est, verbum, negligunt & contemnunt, Cæci ruunt vnus post alium, donec omnes pereant. Exempla ante oculos sunt vetera & recentia. Est enim Christus, sicut Daniel dicit, Lapis, qui implet totum orbem, huic qui se opponunt, conteruntur in pulverem. Et ipse Christus dicit, Lucæ 20. Omnis, qui ceciderit super illum Lapidem, conquassabitur, super quem autem ceciderit, comminuet illum.

Regnum Christi verum.

Ipse implens orbem terrarum.

Luc. 20.

Neq; hodie novum est hæc de Christo prædicare, Exempla quatuor Monarchiarum sunt ante oculos, quas videmus in pulvere jacere, quod huic Regno se opponerent pertinaciter. Contra, Ecclesia quæ omnibus seculis à mundo graviter fuit afflicta, stat, sumit incrementa, gaudet, Deum laudat, ejus beneficia prædicat, frementibus & indignantibus Satana ac mundo, Idque propter hunc versum, quod hic vidit, Hunc Regem suum constitutum & ordinatum super Zion. Hinc eum deturbet, qui volet, Nos gaudemus, & gratias Deo agimus, quod frustra sunt omnes mundi & Satanæ conatus. Itaq; eos fiducia hujus versus secure contemnimus, & ridemus.

Quatuor Monarchiæ destructæ.

OBSERVABIS autem hoc in loco, summo studio, primam personam loquentem, hoc est, æternum Deum Patrem, Deinde personam, de qua loquitur Pater, Tertio etiam locum ipsum, quem Spiritus sanctus nominat. Hæc tria diligenter observata, oppone omnibus, quæ ab his Personis & loco hoc diversa sunt, ac contemne tanquam si nihil essent. Nam hic versus rectè consideratus ita implet cœlum & terram, vt præterea nihil, quantumvis coram mundo magnum & splendidum, conspici possit. Quis enim est, qui dicit, Ego? An non Dominus cœli & terræ, qui omnia virtute verbi sui ex nihilo condidit? Ad hunc confer mundum & omnem mundi potentiã, quid erit, quid poterit contra hunc Dominum? Nonne ipso dicente Mundus est? ipso dicente Mundus non est, * sed subito collabitur? Hic igitur Dominus omnium, solus æternus, solus sapiens, solus justus, solus omnipotens Deus, dicit, Ego constitui Regem meum.

Persona hic considerandæ.

Persona loquens.

*

Hanc quoq; personam considera, quæ & qualis sit. Habet mundus quoque Reges suos, qui imperant divina autoritate, Sicut Paulus dicit, Omnes potestas à Deo est, Et tamen sunt, vt Petrus appellat, humana creatura, hoc est, humana ordinatione instituti, & tantum de externis & corporalibus rebus mandata eis cura est. Sed hic Rex Dominus noster Iesus Christus, immediatè ab ipso Patre æterno ordinatur, vt Rex sit, & vocatur Patris Rex, seu à Patre constitutus Rex, Ego, inquit, constitui meum Regem. Separat igitur eum ab omnibus regibus mundi. Etsi enim Deus cæteros etiam constituit, sicut Paulus dicit, Omnis potestas à Deo est, tamen non vocat suos Reges. Igitur hic egregius ille Rex est, & eximius, quem Dominus & æternus Pater sibi in Regem ordinat, atq; ideò alij Reges meritò eum reverentur, observant, amplectuntur, & vt infra dicit, exosculantur, tanquam vnicam gemmam, ad quam omnes alij Reges, & regna omnia collata, vix lateres & lutum sunt.

Persona ad quam loquitur Deus.

Rom. 13.

Humana creatura. 1. Petr. 2.

Rom. 13.

SED

SED quorsum attinet notatio loci, quod dicit, Constitutum Regem super Zion montem sanctum? Hoc vero est, quod præcipuè observandum est. Ideo enim loci corporalis meminit, vt statuamus hunc Regem divinitus constitutum, esse verum hominem, & Personam, vt sic dicam, personatam, quæ possit comprehendi, cerni oculis. attingi manibus. Non enim istorum stulta imaginatio sequenda est, qui se abdunt in angulos, qui certa exercitia corporalia suscipiunt, expectantes dum Deus cum eis loquatur, ac fingentes, quod quidquid vel cogitant, vel somniant. sint Prophetiæ & Spiritus sancti radij. Nam hæc etiam Monachorum stultitia fuit. Sed si Deus hoc modo nos docere, nobiscum loqui, nos illuminare voluisset, non designasset certam personam, præcipuè autem non designasset locum in terris, vnde iste Rex expectandus, vbi audiendus esset. Nunc autem persona certissime definita est, Primò, quod sit Filius Dei, Deinde, quod sit Rex in Zion, hoc est, filius Davidis, hæres Davidis, & Davidi promissus, vt sit Rex populi circumcisi, cui imperavit David. Ergo hominem hunc in Zion docentem, in Zion se revelantem, amplectamur, quod sit divinitus constitutus Rex. Etsi enim Synecdoche est in nomine, Zion, non enim lapides & ligna significat, sed eos, qui habitant in Zion, tamen corporalis is locus est, & docet nos, vt amplectamur eum Regem, qui vocatur Zionicus Rex.

Cur locum notet Propheta.

Lut. I.

Zionicus Rex.

Quod si materialiter accipias Zion, de nobis gentibus actum erit. Quia hunc montem hodie non possidemus, possidetur enim ab impijs Agarenis. Nunc autem salus nostra & omnis consolatio in eo nobis est posita, quod illum Regem habemus, confitemur, amplectimur, qui fuit in monte sancto Zion, hoc est, qui Davidi promissus est, vt, sicut Angelus ad Mariam dicit, regnet super domum Iacob in secula, & sedeat super thronum patris sui David. Hanc promissionem, quia ipse pater Davidi dedit, rectè dicitur à Deo constitutus Rex super montem Zion, in quo David Rex sedit. Hic igitur est titulus Regis nostri, scriptus in Diademate, quo eum ornavit æternus Pater, vt sit Zionicus Rex, in monte sancto Zion, & civitate Ierusalem, Dominus noster Iesus Christus, natus in tempore ex Matia virgine. De hoc omnes Prophetæ vaticinantur in monte Zion eum habiturum sedem, tanquam Filium & Hæredem David.

Zachar. 9. Sic Zacharias, Filia Zion jubila, ecce venit Rex tuus.

Esaia 2. Et Esaias, De Zion exibit lex, & verbum de Ierusalem.

Psal. 110. Et Psalm 110. De Zion emittet Dominus sceptrum Regni tui.

Esaia 59. Esai. 59. Veniet ex Zion, qui liberet.

Abd. 1. Abd. In monte Zion erit salvatio.

Hæc Prophetarum testimonia omnia nos ad corporalem Zion deducunt, hoc est, ad populum & sedem David, vt inde expectemus orituram justitiam & flumen mundæ aquæ. Hanc igitur consolationem nobis Spiritus sanctus tandem subijcit in istis mundi & Satanæ turbis ac odijs, Q. d. Parvule grex, ne timeas, Sustine ac fer injurias omnes, sine mundum superbire opibus & potentia sua, dum iræ dies veniat, & impœnitentes opprimat. Regnum autem Regis mei manebit firmum. Nam à me constitutus Rex est, Non ab ipsis, Sicut autem non constituerunt Regem hunc, ita etiam non destituent eum,

Zion cur sanctum mons dicatur.

QVARE autem appellat Zion montem sanctum, cum ipse mons nihil fuerit, nisi lapides & ligna, Populus autem inhabitans caro & sanguis, sicut aliarum gentium & civitatum homines? An non autem rectius conveniret hic augustus titulus monti, in quo Templum & cultus fuit? Respondeo, Sæpe dixi, nihil credi à nobis difficilius, quàm quod simus sancti. Offendunt enim nos, tum in nobis, tum in alijs, scandala & nota infirmitas. Sicut igitur de nobis hoc polliceri alij sibi non possunt, quod simus sancti. Ita nos ipsi quoque nobis hunc honorem tribuere non audemus. Debebat autem hæc sanctitatis opinio, neque alijs, nec nobis detrahi, sed sicut Germanicè vsitatum est vocari bonum virum, bonam matremfamilias, Ita in Ecclesia sanctitatis appellatio debebat nobis esse

familiaris, Sed, vt dixi, movet nos noſtra & nobis nota infirmitas. Quia enim ſumus caro & ſanguis, quia non ambulamus in nubibus, ſed occupamur vulgaribus operibus œconomiæ & Politiæ, hæc objecta ſanctitatem quaſi obſcurant. Igitur rectè inſtitui animos de hac in ſpeciem levi quæſtione, admodum eſt vtile.

Duplex ſanctitas generalis & ſpecialis.

Solet autem plærunq; ſi reſponderi, Montem Zion, ſeu populum habitantem in Zion, habuiſſe duplicem ſanctitatem, ſeu duplici nomine fuiſſe ſanctum populum. Primò, quia habuit verbum & cultum Dei. Hoc verbo, lapides & ligna, & etiam ipſi homines ſanctificati ſunt, adeò, vt ſi quis Iudæum occideret, diceretur ſanctum hominum occidiſſe, non propter perſonam ipſam, ſed propter locum & populum, per verbum Dei, imò per ipſum Deum inhabitantem, ſanctificatum.

Eccleſia ſancta per verbum & ſemen.

Secundò fuit alia & quidem major, Quia enim habitabat in hoc populo Deus per verbum ſuum, in hoc ſolo populo fuit vera Eccleſia, quæ ſancta eſt per fidem, & nuſquam alibi. Norant enim ſancti venturum Semen benedictum, ac Filium Dei incarnatum, oblaturum ſe hoſtiam pro peccatis totius mundi. Hac fide conſequebantur per promiſſum Semen, remiſſionem peccatorum, & Spiritum ſanctum, ac verè ſanctificabantur. Ac propter hos verè ſanctificatos, etſi pauci eſſent, poſtea totus populus ſanctus appellatus eſt, quia ſolus erat, in quo ſancti homines viverent. Hæc major & verior ſanctitas eſt, quàm illa, de qua antè diximus.

4. Præceptum.

Sic apud nos quartum Præceptum, Honora Patrem & Matrem ſanctificat hæc genera vitæ, Vt rectè dicam, Pater eſt ſanctus, Mater eſt ſancta, Magiſtratus eſt ſanctus, ſanctitate ſcilicet generali, quia divinum mandatum eſt, vt eis obediamus. Eſt autem hoc mandatum tale, quod non vnum populum, ſed omnes paſſim obligat. Igitur hæc ordinatio divina pervadit omnes gentes. Sed poſtea Pater & Mater, item magiſtratus Chriſtiani, habent aliam non ſic generalem, ſed ſpecialem ſanctitatem, quod ſunt Baptizati in nomine Ieſu, & ſanctificati fide in promiſſionem & Spiritu ſancto.

Mons Zion ſanctus.

Ad hunc modum mons Zion fuit ſanctus mons, primum ſanctitate legali, quia ibi erat verbum, erant cultus legales. Deinde etiam ſanctitate gratiali, quod habebat promiſſionem remiſſionis peccatorum, per futurum Semen, quæ poſtea exhibita, & per Apoſtolos inde in totum orbem vulgata, tum autem à ſanctis credita, &, vt ſic dicam, fide poſſeſſa eſt.

Sed vera Reſponſio & germana ſententia eſt, Montem Zion dici ſanctum, non ex ſe, neque ex populo, ſed ex ipſo Rege. Sicut apud nos quoq; vſitata figura eſt, vt dicamus, arcem prædatoriam, in qua prædones habitant, civitatem mercatoriam, in qua mercatores vivunt. Ita quoque Zion dicitur ſanctus mons, non à Davide habitatore, ſed à Chriſto, qui ita ſanctus eſt, vt in ſe credentes ſanctificet, hoc eſt, vt peccata condonet, & donet Spiritum ſanctum. Hæc hujus montis ſanctitas eſt, quam à Rege habet. Manente autem hoc Rege, manebimus nos quoque, etiamſi rumpatur Pontifex, Turca, & quidquid eſt, quod hunc Regem odit, aut impugnat. Non prius deſinemus ſperare in hunc Regem noſtrum, quàm viderimus eum ex hac ſede ſua, in quam Deus pater eum collocavit, deturbatum. Credimus autem hunc, EGO, qui Regem ſuum conſtituit, non paſſurum, vt quod ipſe ſtatuit, mundus infringat, Sicut probat experientia omnium ſeculorum. Hoſtes enim hujus Regis omnes conciderunt. Ipſe autem ſalvus regnat.

Chriſti Regnum manebit in æternum.

Igitur primum diſce, Quod hic Rex à Patre conſtitutus ſit, Deinde quod expectandus & inveniendus ſit in monte ſancto Zion. Huc igitur convertamus oculos noſtros, & non errabimus, Mundus autem errabit, qui Zion contemnit, & contra hunc Regem movet turbas.

HACTENVS docuit nos Propheta de conſtituto & declarato ſeditioſo Rege, vnà cum ſeditioſa ſua doctrina. Seditioſum autem voco non ſua culpa, ſed quod mundus, hoc eſt, Reges, Populi, Principes, Sapientes, Sancti, Religioſi, offen-

ſi, offenduntur in eo, ac ideò furere & ſeditiones movere incipiunt. Etſi autem hoc vaticinium non admodum lætum eſt, tamen neceſſarium eſt ad nos confirmandos, ne ideò frangamur animis, cum hæc ita geruntur, noſq; cum Rege noſtro & doctrina ejus accuſamur, quaſi ſimus ſeditioſi. Habemus enim in hoc periculo defenſorem & juſtificatorem, eum, qui hic loquitur & dicit, Ego conſtitui Regem meum.

Hæc vnica noſtra conſolatio eſt, in qua hæremus, imò in qua ſtamus & ſuperbimus etiam, ſimpliciter extra oculos poſitis & neglectis omnibus Regibus & Principibus, omnibus gentibus & populis, cum omni potentia, & viribus ſuis. Hic enim, EGO, fortior, potentior, ſapientior eſt his omnibus. Itaque ſervabit Regem ſuum contra mundi furias, Hoc ſervato, nos quoq; ejus ſubditi ſervabimur. Ita conſiſtendum eſt in inviſibilibus, quæ oſtendit hic Pſalmus, & viſibilia ſunt negligenda. Pergit autem Propheta jam, & poſtquam locum, ſeu ſedem hujus Regis deſcripſit, etiam officium ejus indicat, Vt non ſolum ſcias vbi ſit, ſed etiam quid ab eo expectandum ſit, quid acturus ſit. *Ego conſtitui Regem meum.*

VII. *Prædicabo ſtatutum, quod DOMINVS ad me dixit, Filius meus Tu, Te Ego hodie genui.*

Hæc verba vulgata & nota ſunt in omnibus Templis & Monaſterijs, ſed prorſus nullo modo intellecta, quod tam ponderoſa ſint, & tam magnas res complectantur. Nam vt paucis multa dicam, abrogata eſt hic vniverſa lex, & officium Chriſti puriſſimè deſcriptum, quod non gladium geſtaturus, non Politiam conditurus ſit novam, Sed futurus Doctor, qui doceat homines de quodam inaudito Dei ſed æterno decreto. *Quale Chriſti regnum ſit.* *Officium Chriſti.*

Etſi igitur alij quoq; Reges neceſſario condunt leges, & per leges gubernant, tamen eorum principale officium non eſt, docere aut leges condere, Sed punire malos gladio, bonos autem defendere. Sunt igitur quaſi lictores & carnifices Dei. Sic enim dicit Paulus geſtare eos gladium, malis in terrorem, & ad vindictam. Non igitur officium eorum proprium eſt docere. Quia non conſcientias, non corda regunt, ſed tantum manus cohibent. Et ſicut ſubulcus porcos gubernat & paſcit ſimpliciter ſecundum quinq; ſenſus, Sic Reges mundi ſunt paſtores, gubernantes non conſcientiam, ſed corpora tanquam jumenta. Noſter autem Rex, de quo Spiritus ſanctus hic vaticinatur, talis Rex eſt, qui ad hoc ordinatus & à Deo æterno Patre conſtitutus eſt, vt doceat. Ergo ſimul etiam eſt Sacerdos, Doctor, Theologus, qui erudiat & doceat ſuos de Deo, ac conſcientias tantum gubernet. *Rom. 13.* *Diſtrimen inter Regnum Chriſti & mundi.* *Officium Regum mundi.* *Chriſtus Rex & Sacerdos.*

HAEC eſt differentia, qua Rex noſter differt ab omnibus alijs Regibus, & eſt diligentiſſimè obſervanda. Nam hæc Satanæ perpetua cura & indefatigatum ſtudium eſt, vt confundat hoc Regnum cum Mundi regnis, & ex Chriſto, qui conſcientiarum Doctor eſt, mundanum Regem faciat. Ac Papa ſingulare Satanæ inſtrumentum, Chriſtum, in quantum Doctorem, abjecit penitus, & apprehendit gladium, Quin claves quoq; à Chriſto Eccleſiæ datas, convertit in Politicum finem. Sic Rottenſes ſpiritus, ſeu ſectarij ijſdem cogitationibus decipiuntur, & apprehendunt politica. Nam abrogant priores Politias, & inſtituunt novos mores, ritus novos. Hunc putant Evangelij præcipuum fructum eſſe. Ego ipſe audivi Zinglium, magno ſupercilio Marburgi concionantem, de ſublatis rubeis pileis, quibus Helvetij tanquam milites aliquandiu vſi erant, cum militiam ſectarentur. Nihilo ſanior fuit Carlſtadius, putans in eo multum poſitum, ſi deſereret Scholam & ſtudia, & ſibi non Doctoris ſed novi Laici nomen ſumeret. Sic enim ſcribebat in librorum titulis, ſe novum Laicum eſſe. Naſcuntur autem hæ ineptiæ ex alia quadam ignorantia regni Chriſti. Quia enim non diſtinguunt inter Chriſti Regnum, & mundi regna, Ideò Chriſtianiſmum collocant in mutatione quarundam externarum rerum. *Diſcrimen hoc haud parum.* *Papa.* *Sectarij.* *Zinglius.* *Carlſtadius.*

Vos non sic.

Sed relinquit illa Christus Regibus mundi, suis autem dicit, Vos non sic. Est enim ipsius Regnum positum in verbo, & officium ejus est docere, Regibus mundi relinquit curam porcorum. Hi enim instructi sunt baculo, quo pecus cogant, Ipsius autem officium est, sicut Psalmus hic loquitur, Prædicare, narrare de Dei decreto. Hæc satis clara Regni Christi definitio, & propria differentia est, Sed pauci profectò eam apprehendunt. Perpetuo adhæret animis illa pestilens mixtura vtriusq; Regni, adeò vt etiam spiritualibus difficile sit vbique hoc Regnum propriè discernere à mundi regno, Qui tamen statuunt, aliam vitam post hanc vitam, Hi Regum & magistratus beneficijs sibi in hac vita vident opus esse, Hoc autem Rege Christo vtuntur ad aliam, & æternam vitam. *Luc. 22.*

Officium Christi.

Personarum mutatio in Euangelij vsitata.

PERSONARVM mutatio Lectorem nihil moveat, est enim in Ebræo vsitatissima, Vt cum dicunt, Vivat Dominus meus Rex, nihil aliud dicunt, quam vivas tu Rex. Ita hoc in loco, si personæ mutationem excludas, facilior erit sententia, Ego constitui Regem meum super Zion montem sanctum meum, vt prædicet decretum meum, Quod sit filius meus, quem hodie genui. Sed scriptura sancta retinet suum morem, cui assuescendum est, etsi nonnunquam reddit sententiam obscuriorem, sicut in Psalm. 91. Dominus est spes ejus, Altissimum posuisti refugium tuum. Clarior sententia esset, si primo in loco etiam secunda persona esset vsus, Dominus est spes tua, Altissimum posuisti tibi in refugium, Et tamen diligenter consideranti, hæc personæ mutatio non videbitur prorsus ociosa. Quanto enim hoc in loco gravius est, quod ipsum Regem facit concionantem de Dei decreto? Nam, vt dixi, hoc præcipuè agit, vt ostendat hunc Regem Doctorem etiam esse. Deinde sine dubio Spiritus sanctus etiam eo respicit, vt doceat nos, Deum facere omnia per filium. Dum enim filius prædicat præceptum, ipse Pater, qui est in Filio, seu vnum cum Filio, prædicat. Et dum nos prædicamus de eodem decreto, prædicat ipse Christus, sicut dicit, Qui vos audit, me audit. *Psal. 91.* *Matth. 10.*

Mutatio personarum in Scriptura non otiosa.

Christus prædicat verbum vocale.

Sed hoc commodissimum, quod describitur hic Rex narraturus seu prædicaturus vocaliter. Nam hic locus omnino de vocali prædicatione & non de spirituali intelligendus est. Quod supra dixit, Ego constitui Regem meum, eum versum canit, ipse Deus sibi & Filio suo, Nobis autem Rex noster canit, Prædicabo. Est enim Doctor publicus ad hoc missus, vt prædicet sicut Matth. 11. dicit: Pauperibus prædicatur Euangelium, Hoc officium habet, ne existimes eum esse mundi principem. Affert enim non gladium, sed verbum. Hoc hujus Regis sceptrum est, Itaq; amplectere eum, tanquam Ducem conscientiæ, tanquam sacerdotem & Doctorem. Atq; hæc quoq; causa est, quod alij Reges se ei opponunt. Si enim taceret, si non prædicaret hic Rex, mundus quiesceret. Sed hæc prædicatio commovet totum mundum ad arma. *Matth. 11.*

Sceptrum Regis Christi.

Hok.

VOCABVLVM, statutum (hok) admodum late patet, ac significat, vt plurimum, Cæremoniam, eine Weise/Sitte. Fere autem convenit cum germanico vocabulo, Recht. Nam illud quoq; vsu latissimè patet, Vt cum dicimus, Landerecht/Stadtrecht/Vaterrecht/Tochterrecht/etc. Hoc igitur in loco significat novum quendam doctrinæ modum. Nam cùm Moses multas tradiderit cæremonias, Reges quoq; terræ cum habeant suas leges & statuta. Hic Rex venit cum aliquo novo statuto, differente ab omnibus Mosi & aliorum Regum statutis. Est autem hoc ita accipiendum; quod abrogavit leges omnes etiam ipsius Mosi, quod sint ad salutem æternam consequendam inutiles. Nam cum de vita æterna, de remissione peccatorum, de morte, & in summa, de omnibus, quæ ad conscientiam pertinent, agitur, taceat Moses, taceant leges & reges omnes, Hic autē solus Doctor & Rex audiatur, qui hic promittitur prædicaturus.

Abrogatio legis.

Sed hic diligenter considera circumstantiam temporis. Cum enim hæc Prophetia per Spiritum sanctum à Davide scriberetur, vigebat lex, & sacerdotium

tium Mosaicum in summo erat flore. Iam si hic Rex non aliam doctrinam allaturus fuit, quàm Moses, Frustra hæc est promissio. Nam extabat tantum lex Mosi, Rursus si hic Rex aliud quiddam quam Moses prædicaturus est, sicut hæc ipsa promissio clare secum affert, Quæritur, quid possit doceri excellentius, quam Moses docuit, qui Decalogum attulit, summam & vere divinam Sapientiam, quæ nos de summis & sanctissimis operibus docet? Quid enim majus est, quam quod primum præceptum tradit, de fiducia in Deum, & Dilectione Dei? Nec leviora sunt, quæ sequuntur de cultu nominis Dei, de vera invocatione, de gratiarum actione, de studio verbi. Nam secundæ tabulæ doctrinam, tanquam longæ inferiorem, hic omitto. Hæc sunt summa officia, & summi cultus, à Mose quidem ostensi, sed ab ipsa sapientia Dei mandati & scripti. Igitur Decalogus de facto est summa doctrina, cui nihil in toto orbe terrarum simile est.

Qualis hujus Regis sit doctrina.

Decalogus continet summam doctrinam, &c.

Quæritur igitur, Qualis doctrina hæc sit, quæ per Christum vulganda hic promittitur? Nam consequentia manifesta est, siquidem durante lege & sacerdotio promittitur Doctor, qui doceat Ecclesiam, Sequitur eum aliam allaturum doctrinam, quam Mosi est, quam Levitarum, quam Sacerdotum, quam Prophetarum, qui tum, cum hæc promissio scriberetur, aderant gubernantes & docentes Ecclesiam. Quod enim promittit hunc Doctorem, perinde est, ac si dicat, Hactenus non habuistis Doctorem Regem, qui doceret præceptum, quod hic meus Rex docebit. Doctores quidem habuistis, sed non veros, non sufficientes, Igitur hunc meum Doctorem expectabitis, qui non, sicut Moses, docebit. Quorsum enim attineret promittere, quod jam ante habetis in manibus? Sed aliam doctrinam afferet, majorem, meliorem, vtiliorem & sanctiorẽ.

QVALIS autem doctrina hæc est? quod est statutum hoc? Illud nimirum, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Hujus versus magnificus Interpres est divus Paulus in Exordio Epistolæ ad Romanos, cum dicit, Promisit Deus longe ante per Prophetas suos, in sanctis scripturis, Euangelium de Filio suo, nato secundum carnem ex semine David, declarato autem Filio Dei ex resurrectione mortuorum, per virtutem secundum Spiritum sanctificantem, &c. Hæc est nova illa doctrina, in mundum, sicut Psalmus hic dicit, per filium Dei spargenda. Antiqua doctrina est illa Mosis, Time Deum, fide Deo, dilige Deum, & proximum sicut teipsum, Sed hæc longe est excellentior. Non enim docet, quid nos faciamus, Hoc legis proprium munus est, ea exigit à nobis certa opera, quæ si non præstes, minatur iram Dei. Igitur nihil facit aliud, quam vt terreat, minetur & vexet nos, nec sinat quiescere. Nam quod exigit, nobis præstare impossibile est. Talis Doctor hic Rex non est, non exigit à nobis nostra opera, sed donat nobis sua, Non docet, qui nos sumus, Id enim lex facit, Sed quis ipse sit, vt nos eum amplectamur, & donis ejus fruamur, etiamsi non præstiterimus, quæ exigit Moses.

Dominus dixit ad ME.

Legis officium.

Officium Christi.

Doctrina igitur hujus Regis distincta est ab omnibus alijs doctrinis, etiam ab ipsa Lege, quæ tamen cum de operibus, seu de eo, quod nos facere conveniat, agitur, perfectissima est, Sed hujus Regis doctrina non docet de operibus, sed de persona ad quam Dominus dixit, Filius meus es tu. Brevis doctrina, pure & simpliciter proposita, sine amplificationibus, sine circumstantijs, Sed si hæc pauca verba rectè consideraveris, ipsæ amplificationes se vltro offerent, quas Euangelium ostendit, quod personam hanc pingit clarius ac docet, ex Spiritu sancto conceptum ex Maria matre virgine natum, sub Pontio Pilato passum, mortuum, Iterum ex morte excitatum sua virtute, sedere ad dexteram Patris, ac esse mandatum de cœlo, vt eum audiamus, vt in eum vnum, sicut in deserto Iudæi in æneum serpentem figamus oculos, nec vsquam ejus verbis deflectamus, Sed quidquid tum loquitur, tum facit, id omne ad nostram salutem pertinere, vt statuamus. Nam hoc Euangelium vbique agit, ideò tum

Doctrina in mundum spargenda per Christum.

Euangelium tantum Christum proponit.

Ipsum audite.

Æneum serpentem. Num. 21.

miracula, tum conciones Christi, tam diligenter ostendit, vt eum nobis commendet, vt nos invitet ad eum amplectendum, sequendum, observandum. Hoc enim cum facimus, nusquam aberramus, sed retinemus rectam salutis viam.

Legis Doctrina, Euangelium.

Hæc augustior & præstantior doctrina est, quam sit Lex, quæ tantùm hoc agit, vt doceat, quid nos faciamus. Non autem abijcit Euangelium legem. Est enim lex quoq; Dei vox, cui parere omnes æquum est, sed Euangelium manente lege, docet quiddam altius. Quia enim parere Legi nemo potest, concionatur de Dei filio, quem Pater hodie, hoc est, ab æterno genuit, & super Zion constituit Regem, hoc est, voluit eum hominem nasci & docere. Hic necessario excitantur animi sua sponte ad audiendum hunc tantum Regem, & ad observanda ejus opera.

Hodie.

Summus fidei nostræ articulus.

Ergo summus hic fidei nostræ articulus est, scire, quod filius Mariæ sit æternus Dei filius, missus à Patre, vt prædicet, non vt pugnet. Habet enim virtutem in ore, non gladium in manu. Ac doctrinæ ejus summa hæc est, quod dicit, Deus æternus Pater me genuit in æternitate. Hoc fidei nostræ caput, & Euangelij summus articulus est. Ideò tam graviter cum oppugnavit Satan per Arium, & ejus impiam posteritatem.

Arius.

Nec dum cessat etiam per corda nostra Satan hunc articulum labefactare. Vnde enim oriuntur pavores, lachrymæ, gemitus, querelæ piorum, quam quod hic articulus nondum satis firmus est in mentibus nostris? Si enim statueremus certo, hunc Iesum esse filium Dei, quid metueremus? Siquidem eum pro nobis stare, & in nostrum commodum missum esse à Patre certum est. Nunc tentamur peccatis miseri, metuimus mortem, metuimus damnationem, tantum ideò, quia conscientia dubitat, an Christus sit filius Dei. Hoc enim si certo crederemus, contemneremus peccatum, tanquam rem nihili, rideremus mortem & Satanam tanquam hostes prostratos & inermes. Quid enim sunt ad filium Dei, peccata, mors, Satan? Quod autem non credimus hoc, defectus est non in Doctore, aut verbo ejus, sed in nobis, vel prorsus incredulis, vel infirmiter credentibus. Hæc igitur est doctrina Regis nostri, quod concionatur Deum æternum ab æterno dixisse, Filius meus es tu, hodie Ego genui Te. Vides autem nihil hic proponi nostrarum rerum aut operum, Id enim lex facit, Sed tantum hunc Dei filium, cum verbo & factis suis.

Articulus quod Christus sit Filius Dei quomodo impugnetur.

Doctrina Christi.

Christus verus homo, & verus Deus.

SED conferamus jam hæc inter se. Vocat Psalmus in priori versu, Regem, & disertè dicit, constitutum Regem in Zion, Ergo sequitur bona & certa consequentia, esse eum hominem, alioqui quomodo posset corporalis loci Rex esse? Hoc facit quod dicit, à Deo constitutum Regem. Dei autem non est constitui, sed constituere, est enim creator, Hic autem Rex constitutus est, Ergo est homo, est creatura. Hoc arguit ipsa constitutio & innunctio, & locus corporalis, vt sit verus, visibilis, & palpabilis homo, qui humana etiam voce doceat. Nec de ea re dubium fuit hominibus vnquam, nec opus ad eam rem fuit fide. Nam oculis viderunt esse hominem, habentem carnem, ossa, sanguinem, & quæ non Dei, sed hominis atq; adeò creaturæ sunt. Sed hoc an de isto Rege satis est scire? Nullo modo satis est, sed etiam est filius Dei, ab æterno genitus. Hoc oculis cerni, non potuit, Igitur ipse Rex hoc docet, & fide opus est.

Hodie genui Te.

Ne autem eludi possit textus, verba pensanda sunt. Filius meus es Tu, Hodie genui te. Est Deus extra tempus, est natura spiritualis, Igitur nihil temporale, nihil corporale ex se potest gignere, sed gignit sibi simile, hoc est, æternum & spirituale. Quia autem hæc verba dicit ad illam personam constitutam in Zion, vt esset Rex in corporali & visibili loco, quid inde sequitur? Nonne hoc, quod hic homo in tempore natus ex Maria virgine, antequam in vtero Mariæ conciperetur per Spiritum sanctum, extitit, & quidem ab æterno. Nam hodie apud Deum, sicut postea dicemus, non habet initium, non habet finem. Sic in hac persona conjungit textus præsens, divinitatem & humanitatem, vt vnum sint, vt rectè dicas, hic homo est Deus,

Hodie apud Deum.

Hanc

HANC ſententiam in Pſalmo hoc oſtenſam retineamus firmiter contra Satanæ linguas, quæ hunc articulum conatæ ſunt labefactare, Imò etiam contra noſtræ rationis ſtulticiam. Cum enim ſtulti homines de Majeſtatis perfectione diſputare incipiunt, labuntur & ruunt, tanquam Lucifer de cœlo in blaſphemias. Quid enim de tantis rebus nos miſeri vel cogitare poſſumus, poſtquam à Verbo diſceſſerimus? Quin potius ſequimur hunc Pſalmum, qui jam annis ter mille contra omnes hæreſes firmus & inviolatus ſtetit, & clare & rotunde pronuncians hunc Regem eſſe & hominem, & æternum Deum. Huic definitioni aſſentiamur nos quoque, & quidquid præterea vel audimus, vel cogitamus, ab hac definitione diſſentiens, id tanquam fanaticum, blaſphemum, & à Satana excogitatum, execremur & damnemus.

Sententia Pſalmi, de divinitate Chriſti, firmiter retinenda.

Hæreſes contra hunc Pſalmum.

Tulit impius Arius nomen filij Dei, Sed interea retinuit & defendit blaſphemum dogma, eadem ratione nos quoque filios Dei eſſe. Quanto rectius Paulus nos adoptione filios eſſe dixit, hunc autem natura Filium eſſe, Itaque εἰκόνα, ſeu imaginem inviſibilis Dei appellat. Deinde Epiſtola ad Ebræos, quam appoſite, quam graviter hujus Pſalmi teſtimonio vtitur, cum inquit? Cui Angelorum vnquam dixit Deus, Filius meus es tu, Hodie ego genui te? Extollit enim hunc Regem etiam ſuper Angelicam naturam, quæ tamen inter creaturas primum locum obtinet, ac meritò, Nam per Dei filium Angeli & Archangeli ſunt conditi. Et Paulus Col. 1. ideò πρωτότοκον πάσης κτίσεως, primogenitum totius creaturæ, vocat Filium, vt eum extra & ſupra Angelos & omnes alias creaturas collocet.

Arius.

Chriſtus Filius Dei natura, nos adoptione, &c.

Locus ex cap. 1. ad Ebra.

§. 1.

In hac ſimplicitate vivamus, & non committamus nos huic alto & vaſtiſſimo pelago, diſputaturi de tantis rebus. Eſt enim hic articulus admodum lubricus, primum propter ſubtilitatem, Deinde etiam propter noſtram infirmitatem. Mera igitur ſtulticia eſt, & periculoſiſſimus conatus, velle hæc ſcrutari ſubtilius. Si enim hoc poſſemus, non opus eſſet nobis duce Scriptura. Imò hoc Doctore & Rege nihil nobis opus eſſet. Qui autem Scripturam negligunt, & fiducia ingenij tantas res aggrediuntur, hi ſunt magiſtri Dei, & non diſcipuli, Itaq; ſicut Phaeton gubernaturus Solem, præcipitantur & ruunt.

De articulo Divinitatis non diſputandum.

Phaeton.

§§. DE hac temeritate conqueritur Deus, cum apud Propheram inquit, Cui aſſimilaſtis me? Nam hoc omnium Hæreticorum, hypocritarum & ſectarum proprium eſt, vt ſibi imaginem aliquam Dei fingant. Monachus ore confitetur, quod credat Chriſtum eſſe Dei Filium, Sed huic Filio Dei affingit aliquid ex ſua voluntate, & ſtatuit eum probare cucullum, & hoc genus vitæ ſingulare, ac pro eo redditurum æternam vitam. Sed ô hypocrita quis juſſit te Dei Filio talem, vt ſic vocem, naſum affingere? quis certum te fecit, Deum tale aliquid abs te velle? Nihilo igitur Monachus, quando ſecundum Regulam ſuam ſanctiſſimè vivit, ſanior aut melior eſt Ario, dicenti, quod Deus tantum vnus ſit, Chriſtum autem dici Dei filium, quod ſit perfectiſſima & prima creatura, per quam omnes aliæ creaturæ factæ ſunt. Si enim Chriſtus Dei filius eſt, & in eo vno nobis acquieſcendum eſt, quod Deus eum miſerit Salvatorem, cur addit Monachus talem fiduciam ſuo operi à ſe delecto? Hæc incommoda inde naſcuntur, quod omiſſo aut neglecto verbo, animi de Deo ſpeculantur. Omnis enim ſpeculator eſt figulus, & fingit quod in veritate non eſt, Sequitur enim rationem ſuam. Cum in his rebus tantum ſit ſequendum verbum, Ratio enim neque capere tantas res per ſe, nec vincere ſpeculationes ſuas aut ſuperare poteſt,

Hæreticorum & hypocritarum proprium.

Monachus.

Arius.

Tales ſpeculatores fuerunt Zinglius & Carlſtadius. Poſtquam enim à verbo diſceſſerunt, quod dicit, Panem eſſe corpus Chriſti, & vinum ſanguinem Chriſti, neceſſe fuit eos aliquid aliud fingere. Hunc ſuum fœtum ſeu cogitationem exoſculati ſunt, tanquam mater infantem, & quidquid poſtea legerunt in Patribus, hoc totum judicaverunt facere ad ſuam cauſſam. Sed majo-

Zinglius. Carlſtadius.

ge reli-

g tized by Google

re religione ſacra tractanda erant. Hic Rex, qui Doctoris officium habet, erat audiendus, ejus verbum retinendum erat, nec quærenda opinio, ab ejus verbo aliena, aut diſſona ſicut hæc eſt. Nam cum Chriſtus de pane dicat, Hoc eſt corpus meum, ipſi dicunt, Hic panis nihil aliud eſt, quam panis, Et cum de calice dicat, quod ſit ſanguis novi Teſtamenti, ipſi defendunt, vinum tantum eſſe vinum, & ſignificare, non autem eſſe ſanguinem illum. Hæc pugnare quis tàm cœcus eſt, qui non videat? & tamen fanaticos hos homines quidam etiam in cœlum evehunt.

Hoc eſt corpus meum.

Quod igitur ad præſentem locum attinet, credamus & confiteamur cum Pſalmo hoc, Chriſtum, qui eſt Doctor in Zion & Rex, eſſe Dei filium, ab æterno ex Patre natum, ſupra, extra, & ante omnes creaturas. Non igitur eſt ſecundum hanc nativitatem creatura, ſicut Athanaſius rectè dicit, Genitum, non creatum. Hic ſi ratio te interpellat, & cogitationes oriuntur, quales Turcarum ſunt. Num igitur ſunt duo Dij? Dic tu, Non ſunt, Eſt tantum vnus Deus, & tamen eſt Pater, & eſt Filius. Quomodo hoc? Reſponde cum humilitate Neſcio. Non enim voluit Deus cerni hæc oculis, in verbo tantum propoſuit & credi voluit. Hoc cum facimus, non erramus. Sequimur enim lumen ab ipſo Deo accenſum, Noſtra autem ratio cœcutit, nec videre tantas res poteſt.

Athanaſius.

Vnus tantum Deus.

HIC iterum mutatæ ſunt Perſonæ, Potuit enim dicere, Ego ſum Filius Dei, ſed Patri tribuitur ſermo. Fit autem hoc ideò, vt omnia referat ad Patrem, tanquam autorem. Sicut Chriſtus ſolet in ſuis concionibus, vbiq; allegat autoritatem Patris, ex ſententia Patris, dicit ſe loqui, Patrem dicit facere, quæ ipſe facit, Non dicit ſe facere aliquid ex ſua voluntate, ſed ex mandato Patris, vt omnes per Chriſtum Patrem agnoſcant, in Patrem credant, & Patrem prædicent. Hic eſt peculiaris modus hujus Doctoris; quem Spiritus ſanctus hoc in loco oſtendere voluit, cum Patri tribuit vocem, & tamen hunc Regem oſtendit. Vult enim, ſicut Chriſtus quoq; facit, per Chriſtum adducere nos ad Patrem. Pertinet autem hoc quoq; ad conſolandos animos. Conſcientia enim etiam ad Dei nomen expalleſcit & pavet. Agnoſcit enim peccata, & metuit iram ejus. Ideò horret vocem Dei, & mallet vel Turcam vel Satanam audire. Sicut hic ipſe affectus pulchrè pictus eſt in hiſtoria datæ Legis, cum populus exclamat, Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, Loquere tu nobis. Sicut enim Majeſtas divina non poteſt oculis hominis cerni, Ita aures noſtræ ejus vocem ferre non poſſunt.

Cur Patri tribuatur ſermo.

Hiſtoria datæ Legis Exod. 19. 20.

Hoc videt Chriſtus, Igitur ſemper quidquid loquitur, quicquid facit, refert id in Deum Patrem, vt terrorem hunc excutiat animis noſtris, & triſte hoc ſpectaculum, quod ipſi nobis fingimus, removeat ex oculis. Quid enim eſt in Chriſto, quod non ſit plenum conſolationis, amabile & jucundum? Cum igitur eum vides in cruce pendere, cum ſanguine manare vides, & refers iſta, ſecundum ipſius verba, in Dei voluntatem, An non ibi dulceſcet horribile alioqui nomen Dei? & tu non ſolum nihil à Deo, mittenti in hunc finem Filium ſuum, metues mali, ſed etiam certa ſpe miſericordiæ & amoris erga te & totum genus humanum impleberis? Ad hanc rem vtilis eſt, & valet allegatio hæc. Tribuit Spiritus ſanctus Patri hanc vocem, Filius meus es tu. Ipſe Chriſtus allegat autoritatem & voluntatem Patris vbiq; non ſua cauſa, quaſi ipſi ita opus ſit loqui, Sed propter noſtram conſcientiam, vt ſtatuamus nos habere Mediatorem, qui ſe interponat apud Deum, qui pro nobis intercedat medius, qui amet nos, qui pro nobis moriatur, idq; ex voluntate æterni Patris ſui.

Chriſtus omnia, quæ loquitur & facit, refert in Patrem.

Filius meus es Tu.

Hæc ratio docendi nova, & mundo incognita, ac ab impijs prorſus abſcondita eſt, ſed pijs eſt nota. Hi cum ſumma voluntate Doctorem hunc Zionicum audiunt, qui etſi doceat ipſe, tamen docet nos verbum, quod Pater loquitur, Dominus, inquit, dixit ad me, Filius meus es tu. Q. d. Doctrina non eſt mea. Ego tantum narro & recito, quod ad me dictum eſt. Igitur qui me audit, Patrem

Nova docendi ratio Regis Zionici.

trem audit. Ego enim etsi prædico, tamen non prædico, Sed vnum est verbum, quod ego loquor, & Pater cogitat &c. Hoc vtile est discere, ne scilicet putemus Patrem aliter esse érga nos affectum, quàm ex Filio audimus, qui cum pro nobis moriatur, profecto odisse nos non potest. Idem de Patre statue & crede. Nam Christi vox, est vox Patris invisibilis. Loquitur enim Filius ex ore Patris, & vicissim Pater ex ore Filij, Pater enim & Filius vnum sunt. Ad hunc modum, etsi personæ sint differentes (hoc est, Pater non est Filius, nec Filius est Pater) tamen voluntas est eadem, & verbum idem.

Christi vox est Patris vox.

VALET autem hoc eo quoq; ne cogitionibus nostris à Christo discedamus, quæsituri, audituri, invocaturi Patrem, Sed sicut Christus ad Philippum dicit, certo statuamus, cum intuemur, audimus, invocamus, colimus Christum, nos Deum Patrem intueri, audire, invocare, colere. Igitur adhæreamus huic Doctori, nec nos ab ejus verbo patiamur abduci. Quod enim ex ipso audis, ex æterno & invisibili Patre audis, nec est præter hunc Christum alius Deus, aut alia Dei voluntas quærenda. Qui igitur indulgent suis cogitationibus, & de Deo & voluntate ejus, sine Christo speculantur, hi Deum prorsus amittunt. Igi-
vr. 1. tur quod Spiritus sanctus hic dicit, Dominus dixit ad me, Intelligendum est de vera Divinitate, sicut Epistola ad Ebræos hoc ipso testimonio vtitur.

Deus tantum in Christo inveniter.

DE particula, Hodie ego genui te, variè disputarunt Doctores. Alij enim de nativitate Christi exponunt, alij de Resurrectione & tempore novi Testamenti, Sed nos retineamus γράμμα seu literam. Verbum Ebræum enim significat propriè gignere. Id hoc loco non potest intelligi de nativitate naturali seu temporali (non enim de hominibus, sed de Deo dicitur) Significat igitur nativitatem æternam & invisibilem. Igitur ejusmodi verbum est, quod intelligi aut comprehendi ratione humana non potest. Filius narrat nobis, sed nisi crediderimus, nunquam intelligemus. Est enim verbum allatum ad nos ex illa inaccessibili luce, quam Deus habitat. Tum intelligitur cum inter homines de hominibus dicitur, Sed hic cum Pater æternus, qui Spiritus est, de Filio suo hoc verbum loquitur, intelligi non potest. Vides autem hoc ipso in loco duplicem prædicationem. Prima est interna, quando Dominus cum Filio loquitur. Eam nos, neq; audimus, nec intelligimus, sed tantum intelligitur ab eo, qui dicit, & ad quem dicitur. Altera prædicatio est externa, quando Filius nobiscum loquitur, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Hanc audimus quidem, sed etiam non intelligimus, Sola enim fide apprehendi vult & potest. Accipio igitur locum hunc de generatione æterna.

Hodie genuite.

Filius genitus ex patre.

Prædicatio interna & externa.

Augustini Disputatio non displicet, vbi comparat verbum præteriti temporis cum adverbio præsentis temporis, & dicit coram Deo, neque præteritum neque futurum esse, sed extra tempus & in æternitate omnia esse præsentia. Et tamen tempore præterito voluit Spiritus sanctus vti, ad notandam perfectionem nativitatis, Alioqui si, vt res est, loqui volumus, hodie, quotidie, & semper nascitur, & natus est Filius Dei. Nam æternitas neque præteritum neque futurum habet. Ad hunc modum accipienda particula, Hodie, est pro tempore, scilicet Dei, non nostro. Non enim nobiscum loquitur Deus, sed cum illo, qui est extra tempus apud Deum. Nos habemus ista temporum
vr. 3. discrimina, vt aliud sit hodie, aliud heri, aliud cras. Hanc differentiam nescit æternitas, vbi nullum est tempus, neque præteritum neque futurum, sed perpetuum hodie, sicut Petrus dicit, Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni, sicut vnus dies. Nam principium, finis, & medium temporis, apud Deum sunt vnum momentum.

Augustini ratio de hoc loco.

Hodie

Hæc verba sicut psitaci loquimur sine intellectu. Sumus enim temporales, seu, vt verius dicam, vna exigua particula temporis. Nam quod fuimus abijt, quod autem futurum est, eo caremus. Ita de tempore nihil habemus,

nisi

niti momentaneum quiddam quod præsens est. Pertinet igitur adverbium, Hodie, ad illam æternam nativitatem Filij, quæ manifeste convincit, eum non esse creaturam. Siquidem hodie, hoc est, in æternum est natus, sine principio & sine fine, in præsentissima, vt sic dicam, nativitate. Dixi autem supra, si conferas hæc, quod & ab æterno sit natus hic filius, & tamen sit Rex in Zion, sequi duplicem ejus esse nativitatem, extra tempus, & in tempore, & simul verum hominem & verum Deum esse hanc personam ex Maria virgine natam. Id quomodo aut factum sit, aut potuerit fieri, cave disputes subtilius, Verbum sequere simplici fide, quod de his rebus sic nos docet, & disputationes fuge: Non enim hominum hoc figmentum est, vt de hoc homine ex Maria virgine nato dicatur, esse Deum, esse à Patre ab æterno genitum, Scriptura sola nos hoc docet. Credamus igitur, tanquam articulum nobis divinitus sine nostro invento traditum & ostensum nec æstimemus tantas res ex nostra mendicitate, qui tantum breve momentum de tempore habemus, æternitatem autem ne intelligimus quidem.

De tempore habemus breve momentum.

Duplex Christi nativitas.

Non disputandum de hoc Articulo.

HABETIS igitur jam præcipuos Fidei nostræ articulos ostensos in hoc Psalmo, Quis & qualis Rex sit Christus, Nempe à Patre ab æterno genitus, & constitutus super montem Zion. Deinde quale ejus sit Regnum, quod scilicet Doctor sit vltra Legem & Mosen. Docet enim non de nostris operibus, sed de se, quod sit æternus Filius Dei, vt excitet nos ad amplectendum se, & ad fiduciam suorum meritorum & operum. Hæc qui admittit & credit, huic mox se amplificabit hic Rex per sua dicta & facta. Verbum ejus non contemnes, neq; negliges, Scis enim Dei Filium esse, In facta quoq; ejus intueberis, & summa cum voluptate audies, quod factus sit homo, quod passus sit mortem crucis, quòd ex morte excitaverit ipse sese. Statues enim hæc non sua causa facta, cui, quia Filius Dei est, nihil deerat, sed tua, vt tu à morte, à peccato, à Satanæ laqueis & tyrannide fieres liber. Confides igitur in hunc Regem, & per ipsum statues te potiturum æterna vita. Hæc omnia sequentur, cum firmiter hunc articulum retinebis, quod Christus sit Dei æternus Filius.

Præcipui articuli nostræ fidei in hoc Psalm. ostensi.

Qui credit Christum Dei esse Filium, omnia credit.

Qui autem hunc Articulum non firmiter retinent, hi aut, sicut Turcæ, si magnificient Christum, judicabunt eum Prophetam esse, Aut, sicut Papa, non magnificent, ejus opera & verba, Sed quærent sibi præsidia alia, quibus remissionem peccatorum & vitam æternam sperent. Norunt hi quoque ex Maria natum, & sub Pontio Pilato passum, Sed hæc omnia eis historica tantum sunt, non excitantur ad fidem, non concipiunt per hæc certam spem salutis, sed sicut legunt historias Regum, Iuda aut Israel, ita hæc quoque de Christo norunt. Non enim potest aliter fieri. Totum Euangelium tantum historia fit, amissa hac capitali sententia de æterna nativitate Christi. In hac enim posita sunt omnia. Itaque qui hanc tenent, apud hos dicta & facta Christi, non sunt mortuæ historiæ, sed res viventes, nobis ideò à Filio Dei objectæ, vt nos per eas viveremus.

Qui non credit, Christum esse Dei Filium, nihil credit.

Igitur notate hunc versum diligentissimè, Filius meus es tu, Ego hodie genui Te, Sunt pauca verba, sed immensum pondus habent, ac ratione comprehendi non possunt, Quæ cum se extra tempus & temporalia proripit, prorsus cœca & stupida est, nihil neque videns, nec sentiens. Fide igitur opus est, Ratio autem, sicut Paulus de mulieribus in Ecclesia præcipit, nihil loquatur, sed sileat. Sicut autem Spiritus sanctus nos de Rege hoc docuit hactenus, à priori, seu (si modo ita dicere licet) ab efficienti causa, quod à Patre ab æterno sit genitus. Ita jam perget eum describere à posteriori, & ostendet ex ipsis effectibus hunc Regem non solum hominem, sed Deum esse.

Filius meus es Tu.

1. Cor. 14. 1. Tim. 2.

Ratio cæca.

Postula à Me, & dabo Tibi Gentes hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ. VIII.

Hæc

HAEC simul ad Regni & personæ descriptionem referenda sunt. Arripuit Arius quoq; hunc locum contra Divinitatem, Si inquit, Christus natura Deus est, jam antea est Dominus Gentium & finium terræ, sed hic postulat tanquam inferior Deo, & accipit, quod antea non habuit, Igitur non est Deus, sed perfectissima creatura, Vnde etiam nomen habet, & vocatur filius Dei. Sic fiunt subtilia ingenia, officina Satanæ, postquam à Verbo se patiuntur abduci, & nituntur suo sensu. Quin potius invertimus totum argumentum, & sic concludimus? Filius hic constituitur Dominus finium terræ, hoc est totius creaturæ, Ergo sequitur eum esse natura Deum. Sic enim Dominus dicit, Gloriam meam non dabo alteri, Huic dat gloriam suam, Ergo non dat alieno, sed sibi simili, hoc est, Deo, Et tamen manet differentia personarum, Alius enim dat, Alius autem postulat dari, imo jubetur postulare. Cur autem hoc? Si Deus est, cur sibi non sumit, quod suum est? quid opus est eum postulare?

Arius.

Subtilia ingenia, Officina Satanæ.

Christus Deus.

Respondeo, Loquitur Psalmus de filio Dei, non sicut ab æterno fuit. Hac enim ratione est Dominus creaturæ, nihil accipit, sed omnia habet, Sed loquitur de Rege in Zion, hoc est, de filio Dei incarnato, de homine nato ex Maria virgine, & incipiente Regnum suum in corporali Zion per Euangelium. Huic homini, qui infra Angelos humiliatus est, tradit imperium in gentes Deus, vt omnes ei pareant, vt omnes per eum remissionem peccatorum & vitam æternam sperent. Et jubetur Filius postulare hoc imperium, vt scilicet vbique se ostendat reverentia erga Patrem & ineffabilis humilitas. Non intrudit se, non vltrò rapit, In humiliatione crucis manet, sicut dicit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & expectat dum Pater eum exaltet. Est igitur Iohannica hæc Phrasis, hoc est, Christi propria, Ad hunc enim modum solet loquor. 14. loqui, Pater major me est. Verba, quæ loquor, non mea sunt, Pater operatur, & ego operor. Vbique enim solet Patrem autorem allegare, & referre omnia sua ad Patrem, Non solum ad terrendos impios, sed etiam ad consolandos pios, sicut paulò antè diximus.

Cur Christus jubeatur postulare?

Pater major me est.

Discito igitur vrgere contra Arianos hunc versum, Accipit Christus dominium in gentes, accipit autem sic, vt ipse sit Dominus, vt per ipsum Gentes accipiant justiciam & judicium, beneficentiam & veritatem, Sicut Psalm. 89. 89. testatur. Sunt autem hæ tales res, quæ ne in Angelorum quidem manu sunt, sed solus Deus remittit peccata & justificat, Solus Deus liberat à morte & æterna damnatione, Solus Deus dat Spiritum sanctum, Solus quoque Deus verax est. Hæc cum jubeatur filius effundere in Gentes, quis non videt eum natura Deum esse? Hæc enim non creaturæ sunt opera, & tamen hæc persona, cui hæc ab ipso Deo Patre donantur, est semen Davidis, & tenet sedem Patris sui Davidis. Sicut igitur Arianis verbum, Dabo, plenum scandali est, Ita nobis consolationis plenum est. Quia enim filius Dei apparuit in carne nostra, tanquam Semen Davidis, pertinet hoc verbum ad declarationem, de qua S. Paulus 1. 1. Roman. 1. loquitur, Quod potenter declaratus sit filius Dei vnigenitus, qui omnia à Patre habet.

Arianis.

Christum declaratum filium Dei.

Ad hunc modum non offendit nos, sed ædificat verbum postulandi, Ac docet, ne more gentium, Turcarum, Iudæorum, petituri aliquid accurramus sine reverentia ad Deum tanquam ad ignotum Dominum, sed conferamus nos ad Filium, mediatorem inter nos & Deum, cui Pater omnia tradidit. Sicut Chri- 28. stus dicit, hunc ipsum Psalmi locum quasi enarrans, Omnis potestas mihi tradita est in cœlo & in terra. Ita consequemur, quod optamus, nec dubitabunt animi nostri sic, vt necessario Turcarum & Iudæorum animi dubitant, invotantes, quem non norunt. Nos autem Christum novimus declaratum filium Dei, cum daretur ei potestas in Gentes. Itaq; orantes in nomine ejus consequimur, quidquid oramus. Hæc initiò contra Arianam pestem ad confirmandum nostræ fidei summum articulum paucis sint dicta, Nunc explicabimus verba.

Arianæ pestis.

CONSTITVTVS est hic Rex in sede sui Patris David Zion, ibi in populo Davidis incipit Regnum suum, non gladio, sicut David, sed tantum verbo, Est enim prædicator. Sed Regnum in Zion & populo Davidis ceptum non ibi finitur, sed proferuntur Regni hujus fines in omnes Gentes, & ad terræ terminos, Hoc est, Regnum ceptum in Ierusalem, verbum in Zion primò prædicatum, evulgatur in totum orbem terrarum, sicut Psalm. 19. dicit: Non sunt loquelæ, neq; sermones, ubi non audiatur vox eorũ. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Est igitur cum hoc versu conjungendus is, qui præcessit, ne ideò, quia Christus prædicatur Dominus & Rex totius mundi, in eã insaniam prolabaris, vt omnia politica Imperia ideò existimes, aut non legitima imperia, aut latrocinia esse, Sicut quidam ineptè disputant. Præcedens enim versus hunc Regem dicit Doctorem esse, Igitur non dissipabit Politias, non mutabit leges civiles, non rapiet regna. Hæc manebunt eadem conditione, qua antea in mundo fuere, Hoc est, facientes officium Reges & Principes erunt felices, Contra, negligenter administrantes officium dabunt pœnas.

Finis Regni Christi.

Christus non mutat leges civiles.

Hunc mundi sive cursum, sive ordinem non mutabit hic Rex, nec abolebit. Regnum enim ejus non est de hoc mundo, Sed ad omnia Regna, ad Respub. omnes afferet novum Verbum & doctrinam novam de se, Quod omnes, qui credunt in ipsum & baptizantur, habituri sint remissionem peccatorum & vitam æternam. Hoc hujus Regis Regnum, hæc ejus dominatio, hoc imperium ejus est. Qui igitur non credent, qui non amplectentur eum, hi æterna morte punientur, nec poterunt se evoluere ex peccatis, aut effugere peccati pœnam.

Regnum Christi.

Sed hoc Regis nostri Regnum, hæc ejus doctrina, est occasio motuum, de quibus Psalmus initio dixit. Tumultuantur enim Gentes, Populi meditantur, Reges se commovent, & Principes conspirant, tantum ideò, vt hunc Regem & doctrinam ejus, qua regnat, aboleant. Idq; hanc ob causam non tantum sunt instructi ratione & sapientia Gentes & Populi, sed etiam libero arbitrio, quo se conformant ad honestam, & in speciem sanctam vitam. Nisi enim hoc aliquo modo in hominis viribus esset positum, quid disciplina, quid leges prodessent? Quod autem quidam Legum vinculis constringi cupiditates suas sinunt, quidam autem, tanquam rabiosi canes, vincula perrumpunt, & indulgent cupiditatibus, Quis non videt hoc rationis humanæ opus esse, quod etiam sine Spiritu sancto ipsa per se præstare potest?

Cur Gentes Christo se opponant.

His igitur donis, scilicet Lumine rationis & libertate arbitrij inflantur Gentes, & Regem hunc cupiunt oppressum, qui simul & rationis lumen & libertatem arbitrij damnat & abijcit, tanquam ad remissionem peccatorum & vitam æternam inutilia. Docet enim hic Rex remissionem peccatorum & vitam æternam tantum per suam mortem & merita sua contingere, & sibi hanc à Patre traditam potestatem dicit. Cæterum lumine rationis, & arbitrio seu voluntate vult homines vti, ad hujus mundi res gubernandas, & ad præstandam in externa vita honestatem. Nam ad hoc ambo hæc ratio & voluntas valent. Sed hoc Gentibus exiguum videtur, salvari per hæc naturæ dona volunt. Id cum reprehendit Christus, movent turbas, & damnant Doctorem seu Regem hunc cum sua doctrina.

Doctrina filij Dei de remissione peccatorum.

QVOMODO igitur inquies Christus Rex est Gentium, Siquidem Gentes eum nolunt & damnant, Siquidem contra eum movent turbas? Respondeo, Si Gentes abijcientes Christum id cum suo commodo facerent, Ibi sane nasceretur incommodum Regi Christo: Sed Gentes abijciunt Christum cum summo suo periculo, & certissima perditione. Igitur Christi Regnum hac ratione non læditur, Sed incredulus mundus sibi ipsi nocet & accersit damnationem. Manet igitur sententia hæc, Tradidit Dominus Christo Regi imperium in omnes Gentes, Itaq; ipse per Euangelium suum omnes vocat ad fidem. Qui audiunt & parent Euangelio, accipiunt remissionem peccatorum & vitam æternam.

Pereunt qui se Christo opponunt.

Qui

Qui autem non credunt, hi manent in peccatis, nec rationis beneficio, nec liberi arbitrij viribus ex peccatis se possunt evolvere. Non igitur Christi regno, cui se opponunt, sed sibi ipsis nocent.

Pertinet igitur hic Versus, non solum eo, vt ostendat Legem Mosi abrogandam, Siquidem novum Regnum à Christo institutum, etiam in Gentes transferendum est, Sed ad abolenda omnia, quæ per rationem & voluntatem hominis possunt perfici, quod ad salutem & vitam æternam nihil valeant. Non igitur disciplina, non cæteræ virtutes, quæ à voluntate fingi possunt, non suscepta quantumvis difficilia opera remissionem peccatorum merentur, aut nos cum Deo reconciliant, Sed sola fides in filium Dei. Sed, vt dixi, hæc doctrina turbarum & tumultuum causa est in mundo. Nam cur nos hodie damnamur, quam quod hunc Regem dicimus solum esse justiciam nostram? quod sola in ipsum fide affirmamus contingere remissionem peccatorum & vitam æternam? Sed nihil moveat nos furor mundi. Scimus enim ex hoc Psalmo, datum Regi nostro imperium in omnes Gentes, vt sint possessio ejus, hoc est, vt per ipsum salventur, & accipiant remissionem peccatorum & Spiritum sanctum. Qui autem eum agnoscere nolunt, de his aliud postea judicium erit.

Igitur vocabulum, Gentes, non ita nude pro materia est accipiendum, Sed complectitur omnia, quæ Gentes habent, justicias, sapientiam, potentiam, leges & cætera, quibus se credunt, & adversus civilia mala & æterna tutos. Vide Romanum Imperium non solum potentia, sed legibus quoq; præclare munitum, in eo invenies excellentes viros, quorum virtus ad cœlum vsq; literis tollitur. Hos admiratur mundus & prædicat, ac imprimis religionis studio capiuntur animi. Sed quid dicit hic Psalmus, Postula à me & dabo tibi Gentes, hoc est, non juvabit Romanum imperium sua potentia, non leges, non virtus, non religio: Tui sunt, & tibi traditi, hoc est, Si in te crediderint, placebunt mihi, & erunt in gratia, Si non, abijciam & perdam eos, non poterunt se tueri. Pertinet igitur hic Versus ad nos consolandos contra scandalum crucis. Nam, vt Psalmus initio dixit, Gentes tumultuantur, fremunt Populi, insurgunt Reges, Principes consultant. Neq; abeunt hæc sine Ecclesiæ periculis, & certis incommodis, Sed hic statuamus postulasse Christum imperium in Gentes, & à Deo Patre id ei traditum. Insaniat igitur mundus, tumultuetur Satan cum toto inferno, non tamen prævalebunt. Nam Christi Regnum est & erit, ac dominabitur in medio Inimicorum suorum.

Gentes Christo tradita.

Romanum Imperium.

Dabo tibi Gentes.

Ad hunc modum in privata quoque lucta erigamus nos, cum animi lege, peccato, morte terrentur, Ibi arripiamus versum hunc, Tibi dabo Gentes possessionem tuam, & fines terræ hæreditatem tuam. Hoc est, statuamus Christum autoritate Patris constitutum Dominum super omnia, vt salus ex ipso solo pendeat. In hujus igitur mortem cum simus baptizati, hujus nomen cum invocemus, hujus verbo cum nitamur, Statuamus victoriam nostram fore, ac nos per ipsum dominaturos morti & inferno. Non enim Deus Pater hic de allijs aut cæpis concionatur, Tradit Filio in manus omnia, vt per ipsum salvi fiant, qui credunt, qui autem non credunt, vt pereant & damnentur. Non igitur mundus, non Satan, non cor nostrum nos perturbet. Affligimur quidem & premimur varie, sed præcessit nos in hoc ipso curriculo filius Dei, Sensit is quoque fremitum gentium & Regum minas ac conatus, sed tandem declaratus est Rex omnium gentium Terræ, & dominator ad salutem credentium, & damnationem incredulorum.

Christum Dominum omnium.

INSIGNIS igitur hic proponitur consolatio pro credentibus, quod eum habeamus Dominũ, qui totius mundi sit Dominus, cui Reges & Gentes omnes, etiam Satan ipse servire & parere, aut interire aut perire debent. Si rem videas, nihil hujusmodi apparet, & tamen exitus ostendit Spiritum sanctum vera dicere. Vide, quale Regnum Christi fuerit temporibus Apostolorum, Pauci numero

Regnum Christi temporibus Apostolorum.

mero & ijdem contemptiſſimi, ac fæx vulgi erant, qui Regem hunc prædicabant, & mundo oſtendebant. Contra Synagoga florebat & dignitate potentia, ac totis ſe opponebat viribus his novis Doctoribus. Tandem accedebat Romanum imperium, id multorum millium Martyrum ſanguinem effundebat, ad opprimendum Regem hunc, nec apparebat tum Chriſtum habere regnum in Gentes. Gentes videbantur dominari non Apoſtolis ſolis, quos occidebant impune, ſed ipſi Chriſto, quem blaſphemabant. Et tamen quis non videt tum Synagogam, tum Romanum imperium huic Regi traditum? Quia enim eum noluerunt amplecti, ita perierunt, vt vix extent veſtigia, aut vmbra quædam tantæ potentiæ. Ita hic verſus peſſundedit quidquid ſe oppoſuit Chriſto, Nec dubitabimus, quin hoſtes Chriſti, qui hodie Euangelio ſe opponunt, ad eum modum peritури ſint. Non enim vana hæc vox eſt, Dabo tibi gentes, &c.

Synagoga & Romanum imperium &c.

Sicut autem Reges terræ inſurgunt, ſicut Gentes tumultuantur, ſed ad extremum ſentiunt irritos conatus, & certum exitium, Ad eum modum in cordibus noſtris ſæviunt, Mors, peccatum, lex, Sed, quia hic ſcriptum eſt, Tibi dabo Gentes poſſeſſionem tuam, inſurgere, & aliquid conari hi noſtri hoſtes poſſunt, vincere autem non poterunt. Hoc enim eſt Regi noſtro datum, qui ſuper Zion conſtitutus eſt, Hujus vnius eſt Regnum, potentia, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Idem, de hæreticis & Eccleſiæ turbatoribus ſtatuamus. Zinglius & Carlſtadius jam movent turbas, Perſuadere conantur ſimplicibus, in cœna Domini tantum edi panem, & bibi vinum. Chriſti autem verba, quibus affirmat, hunc panem eſſe corpus ſuum, & hoc poculum ſanguinem ſuum, malicioſe & impie depravant ſecundum cordium ſuorum vanitatem. Mihi igitur dubium non eſt, qui ipſi quoq; daturi ſint pœnas hujus impietatis, & cum ſuo ingenti damno experturi tandem, quod Chriſtus dominetur.

Zinglius. Carlſtadius.

Gentes.

Emphaſis igitur eſt in vocabulo, Gentes. Non enim nudè accipiendum eſt pro corporibus tantum, ſeu materia, Sed complectitur juſticiam, ſapientiam, potentiam, voluntatem, rationem, & omnia alia dona. Hæc omnia Chriſto ſubijcit Pater & obnoxia facit, ita, vt ſimpliciter abijciat & condemnet Gentes cum omnibus quæ habent, niſi in Chriſto & per Chriſtum ſint in gratia. Sunt quidem aliquid in mundo, Leges, ſtudium virtutis, diſciplina, juſticia &c. Sed ad Chriſtum collata, ſunt nihil, & merentur damnationem æternam. Gratia enim & veritas tantum per Chriſtum contingunt, quem Pater conſtituit Dominum ſuper omnia, etiam ſuper peccatum, & mortem, & Satanam.

Chriſtus Deus.

Dixi autem ſupra, pertinere hæc ad declarationem, quod ſit filius Dei, ſeu natura Deus, Non enim creaturæ eſt, dare vitam, abolere mortem, & ſanare peccatum. Hæc igitur, quia Chriſtus facit; & facit Patre ita volente, jubente & donante, ſequitur eſſe Deum, juxta illud, Gloriam meam non dabo alteri. Rectè igitur Epiſtola ad Ebræos dicit, Cui angelorum dixit, Filius meus es tu? Ac nos ad eundem modum hic quoq; rectè dicimus, Cui angelorum dedit Gentes in poſſeſſionem, & fines terræ in hæreditatem?

Hebr. 1.

Conteres eos ſceptro ferreo, & vt vas Figuli confringes eos. IX.

PRÆCIDENS Verſus docuit, quod divina autoritate hic Rex conſtitutus eſt, ad deſtruendum evellendum, damnandum, quicquid eſt religionis, ſapientiæ, potentiæ & juſticiæ in toto mundo, & apud omnes Gentes. Huic enim ſoli Regi hæc gloria reſervata eſt, vt in nomine ejus juſtificentur & vivant, quicunq; juſtificantur. Habeant igitur Iudæi infinitos Moſes, ſi vnus eis non ſatis eſt, habeant gentes Doctores juris & juſticiæ, habeant Monachi & juſticiarij certas religionis notas, ſi hunc Regem non habent, ſi ejus juſticia non ſunt ornati & donati, ſunt & manent in regno Satanæ, in peccatis & morte. Atque hæc cauſa eſt, quod mundus, ſicut initio Pſalmi hujus Spiritus ſanctus vaticinatus eſt, totis viribus huic Regi ſe opponit, nec vincula hæc vult ſuſtinere,

Non

Non vult, vt etiam hodie experimur, damnari ſapientiam ſuam, Non vult accuſari juſticiam ſuam, quaſi ſit peccatum, Non vult potentiam ſuam contemni tanquam infirmitatem, In ſumma, Non vult ferre ſententiam hanc, quod omnia ſua ſint nihil. Si enim illa miſera metalli ſubſtantia, aurum ſcilicet & argentum, facit inflatos homines & ſuperbos, Quanto magis Religio, juſticia, & notitia legis, divinitus datæ, inflabunt infirmos animos? *Incredulipe-ribus.*

Cum igitur hæc ſumma dona mundus audit per Euangelium reprobari, & tantum commendari hunc Regem, non offenditur ſolum, ſed etiam arma parat, & totis viribus vindicare ſua dona ab hac contumelia contendit. Hæc certaminum acerrimorum occaſio eſt, vt mundus & Rex hic infeſtis animis inter ſe concurrant, eo tamen eventu, de quo Pſalmus 118. vaticinatur, Lapis, quem reprobaverunt ædificatores, factus eſt in caput anguli. Comparat Regem hunc Lapidi, quem ædificantes reprobant, hoc eſt, abijciunt tanquam ad nihil vtilem. Contra, ſicut ſtatuunt lapidem reprobum eſſe, Ita ſe, juſticias ſuas, opera ſua ornant hoc titulo, quod Deo placeant, quod ſint Eccleſia & populus Dei. Hæc contradictio & reprobatio, neceſſe eſt, vt ſit, vbicunq; hic Lapis eſt, & ædificatores ſunt, hoc eſt, tales, qui gloriantur ſe eſſe Eccleſiam & poſſeſſionem veræ doctrinæ & ſanctorum cultuum ſibi vendicant. Quis autem horum certaminum tandem erit finis? Hic nimirum, de quo Pſalmus dicit, Reprobatus lapis fit lapis anguli, qui totum ædificium ſuſtinet, Et fit, vt, qui cadent ſuper hunc lapidem, confrigantur, ſuper quos autem hic lapis ceciderit, vt comminuantur. Sic enim Chriſtus Matth. 21. Pſalmum hunc exponit, Et eſt prorſus eadem hujus qnoq; loci ſententia. *Locus ex Pſalmo 118.* *Chriſtus Lapis anguli.* *vſ. 22.*

CONTERES, inquit, eos ſceptro, ſeu virga ferrea, Hoc eſt, concitabitur mundus contra te, non feret hoc de ſe judicium, parabit vim & arma, Sed quo eventu? Hoc nimirum, vt tandem conterantur & pereant. Habes enim virgam ſeu ſceptrum ferreum & adamantinum, quod ſuſtinere non poterunt, &c. Si cui magis placet latina translatio, Tehroem, Reges eos, ſeu, vt Hieronymus vertit, Paſces eos, Ne hæc quidem inſuavis aut inconcinna figura eſt. Sic enim nos quoq; germanicè ſolemus loqui, Du ſolt jhnen ein bißlein zu freſſen geben/ da ſie an ſollen zu dawen haben/ Dabis eis pabulum tale, quo peribunt. *Reges eos,*

Eſt igitur verſus comminatorius, & terret impios, qui huic Regi ſe opponunt, Contra nobis eſt conſolatorius, qui nos cum hoc Rege conjungimus, ac ſcimus eſſe eum, quo ad mundum, infirmum Regem, laborantem in multis infirmitatibus, ſive ſe ei opponant Tyranni & potentes in mundo, ſive falſi Fratres & autores Sectarum ac Hæreſium, ſive etiam conſcientia noſtra. Sed tanta infirmitas noſtri Regis non eſt, neq; etiam potentia adverſariorum tanta, quin tandem omnes, qui ſe ei opponunt, tuant & pereant. Retineamus igitur conſolationem hanc, cum mundus furit, ac vi & armis contra Regem hunc graſſatur. Etſi enim mundus habet magnam potentiam, contra Rex hic admodum eſt infirmus, Nihil enim habet quo pugnet, quàm verbum Euangelij, quod ſecure à mundo contemni videmus, Tamen hoc ipſum verbum, ſic contemptum & neglectum in mundo, tandem deſtruet omnes ſuos hoſtes. Eſt enim, vt Propheta hic loquitur, ferreum ſceptrum, Contra mundus eſt vas figulinum, levi igitur impulſu ferri vas Figuli diſijcitur. *Mundus vas eſt figulinum.*

CVR inquies, hoc nomine Euangelium appellat Spiritus ſanctus, cum re vera ſit verbum recreans animas & ſalvans, ſicut Chriſtus quoq; non venit ad perdendum mundum, ſed ut ſalvet mundum. Hic autem diverſum vaticinatur Spiritus ſanctus, quod mundum ſit vaſtaturus. Reſpondeo, verum eſt, quod hoc Chriſti officium eſt, ut ſalvet, ut à peccatis liberet, & donet æternam vitam. Sic Euangelium quoq; recte dicitur à Paulo, potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Qui enim Chriſtum amplectuntur, & verbo ejus credunt, vere conſequuntur ſalutem. Ideo Scriptura quoque eum vocat anguli Lapi- *Euangelium ſceptrum ferreum.* *Chriſti officium.* *1. 2.*

dem, qui ſuſtinet totum ædificij pondus, cui totum ædificium innititur, ne corruat. Qui autem Chriſtum non amplectuntur, & verbum eius oderunt, hi quia ſalutem ſuam abijciunt, quomodo poſſunt non perire? Qui huic Lapidi non volunt inniti, ſed aperta fronte contra eunt, qui aut cadunt in hunc Lapidem, aut ſuper quos hic Lapis cadit, quomodo non poſſunt lædi?

Chriſtus lapis angularis.

Igitur Chriſtus quoq; dicit, Iohan. 12. Non veni, ut judicem mundum, ſed ut ſalvem mundum. Qui me ſpernit, & verbum meum non accipit, is habet, qui eum judicet, Verbum quod locutus ſum, judicabit eum in noviſſimo die. Eſt quidem ſceptrum ſeu virga ſalutis verbum Euangelii omnibus credentibus, Sed qui hoc abijciunt, quia ſalutem abijciunt, non poſſunt non perire. Non culpa verbi, quod ſanctum eſt, & vitam offert, ſed ſua culpa, quod hanc ſalutem, quæ offertur, reijciunt, & nituntur potius, ſicut Iudæi, lege & ſacrificijs, ſicut Monachi votis & traditionibus ſuis, ſicut juſticiarij omnes cultibus, quos ipſi ſibi delegerunt. Cur enim non humiliant ſe, cur Deo non dant honorem, cur non fatentur ſe miſeros eſſe peccatores, & Chriſtum amplectuntur? Sic enim eſſet eis Euangelium ſalutis & vitæ virga.

Iohan. 12.

Verbum Euangelii eſt virga ſalutis credentibus.

DILIGENTER igitur notabis hanc deſcriptionem, quod Euangelium appellatur ſceptrum ferreum, Qui autem Euangelio ſe opponunt, teſta aut vas figuli. Profecto non magni negotij res eſt, ſi manibus teneas ferreum malleum, ollam fictilem confringere. Quid enim tuis viribus, quid brachiorum pondere opus eſt? Ferrum temere in ollam cadens, eam confringet. Pertinet igitur hæc deſcriptio ad ſignificandam illam invictam virtutem Verbi, quæ non cernitur oculis, ſed eſt abſcondita. Si enim mundi ſeu rationis judicium ſequaris, quid eſt verbo infirmius? quid contemptius? Non enim ferrum, ſed ſtipula, aut levis palea eſſe videtur, quæ infirmo anhelitu ſeu ſpiritu loco movetur, nec poteſt conſiſtere. Ita enim Reges, Pontifex, Epiſcopi & tota impiorum turba cogitant de nobis, eſſe nos numero paucos, & miſeros mendicos, qui ne apud noſtros quidem aliquo in loco ſumus. Secure igitur nos, & verbum, quod prædicamus contemnunt, non metuunt ruinam, non calamitatem aliquam à nobis. Sunt enim numero multi, ac valent potentia, dignitate, & opibus. Rident igitur tanquam ſuaves ineptias, cum minamur certas pœnas ſecuturas contemptum Verbi tam inſignem.

Virtus verbi invicta.

Sic Petrus, Paulus, & alij Apoſtoli quid erant collati ad Synagogam? cujus doctrinam, cultus, & totum Sacerdotium conabantur mutare? Suavis riſus movebatur Pontificibus ex his conatibus, Sed tu vide, quid ſecutum ſit. Nonne infirma illa vox Petri, Pauli, & aliorum, vere fuit ferrea vox, fuit malleus, quo Synagoga, tanquam teſta, contuſa & in pulverem redacta eſt, adeo vt ne quidem teſta ſuperſit, in qua (vt Eſaias hanc figuram imitatus ait) igniculus geſtari poſſit? Non enim ſolum per totum orbem terrarum miſer populus diſſipatus eſt, ſicut teſtæ, ſed ne particula quidem reſtat ad vllam rem vtilis, ſimpliciter ſunt reprobi, & neq; ad Remp. nec Eccleſiam vtiles. Idem accidet ijs, qui hodie ſe verbo opponunt, Papæ & ejus ſimplicibus, Turcæ, Sectarijs & Schuermeris noſtris, qui falſis dogmatibus de cœna Domini, de Baptiſmo &c. perturbant Eccleſias, Omnes hos Spiritus ſanctus hic pingit, quod ſint fracta teſta, in qua non poſſit geſtari igniculus. Sed non apparet jam hæc Verbi potentia, imò diverſum apparet, Doctrina noſtra videtur in tanta adverſariorum multitudine prorſus caſura, impij Doctores, idololatria, Tyrannis videntur prævalitura.

Vidal contriti.

Pertinet igitur verſus hic ad nos conſolandos, ne abijciamus animum & deſperemus, ſed ſtatuamus, ſicut coram Deo hoſtes verbi jam judicati & præcipitati ſunt in infernum, Ita judicium hoc ſuo tempore manifeſtatum iri. Verbum enim Dei tanquam torrens, nulla vi poterit cohiberi, faciet, quod natura ſolet, ut ſalvet credentes, impios autem ut damnet & conterat, Idque ideo, quia

quia autor hujus verbi est, Sapientia, potentia, justicia divina, ideo est super omnia, quæ nos habemus & sumus. Quid enim est Papa cum justicijs suis? quid Turca cum potentia suâ? Quid Sacramentarij? Quid Anabaptistæ cum suis pithanologijs & fucatis rationibus? Nihil profectò nisi futiles & inutiles Bullæ, quæ inflatæ sunt, & aliquid esse videntur, sed subito evanescunt. Amplificemus autem nobis præsertim his novissimis temporibus has consolationes de invicta verbi potentia. Fieri enim non potest, quin animi nostri perturbentur in tanta scandalorum multitudine & infirmitate Ecclesiæ. Non enim ludus aut jocus est, quod totus mundus se nobis opponit. Turcam & Papistas si conferas, dissimilimi inter se sunt, & esse volunt, Sed in hoc consentiunt, quod contra Christum pugnant, & doctrinam hanc volunt sublatam. Est quoque magnum nobis periculum à falsis Fratribus & autoribus impiorum dogmatum, Quin etiam corda nostra nos oppugnant, & hanc consolationem, quam per Christum habemus, conantur reddere dubiam.

Verbum Dei nulla vi tolli potest.

Periculum à falsis Fratribus.

Necesse igitur est, ut amplificemus nobis Verbum & ejus potentiam ac statuamus quidquid sapientiæ, justiciæ, tyrannidis sive extra, sive intra nos est, hoc omne, aut cedat verbo oportet, aut ruat & pereat. Quanta potentia Satanæ foris sit, in tyrannis sentimus, Sed profectò longè est potentior in cordibus nostris. Habet enim maximam nostri partem, nempe carnem nostram, eam incitat, ut vexet corda desperatione, tristicia, conscientia peccati & alijs similibus telis verè ignitis. Sed statuamus secundum hujus Psalmi vaticinium, sedere contra hæc omnia mala & difficultates omnes, Regem nostrum Christum, qui est filius Dei, ac ornatus hoc titulo, quod sit Rex regum Apocal. 19. ac tenere manu ferreum malleum, Esse autem Tyrannos, Hæreticos, & quidquid se verbo opponit, vas figuli. Cum igitur inter hos committitur certamen, impossibile est, ut figulinum vas prævaleat ferro, ferrum comminuet & conteret testas. Manebit autem apud nos, sicut credimus, vera justicia, sapientia, salus & vita, velit, nolit mundus & Satan. Nam Verbum Domini manet in æternum, Manet Pontifex & Rex noster Christus, manebimus nos quoque, qui in eum credimus, Hostes autem verbi omnes ruent & peribunt, Amen.

Potentia Satanæ in tyrannis.

Tyranni, Hæretici sunt, vas figuli.

Apocal. 19.

Non autem eo solum respicit Spiritus sanctus, cum utitur similitudine vasis figulini, quod facilimè & sine omni negocio frangatur, sed quod fracta vasa figulina nullius prorsus sint usus. Lignea cremari possunt, & valent ad ignem succendendum, ferrea vasa, argentea, aurea si frangas, reliquiæ tamen sunt alicujus usus, Sed partes figulini vasis prorsus ad nihil sunt utiles, Sic abijcientur in æternum hostes Verbi.

Vasa figulina fracta nullius usus sunt.

X. *Nunc ergo Reges erudimini, Sinite vos castigari Judices terræ.*

Hactenus Regem Christum & Regnum ejus Propheta, Spiritu sancto plenus, pinxit, Nunc addit Concionem exhortatoriam, cujus nihil simile invenies in omnibus literis. Hoc enim solent alij Scriptores, commendant imperia & magistratus, ac hortantur ad obedientiam subditos, ac benè quidem. Sed Propheta diversum facit, non loquitur cum rusticis, non cum servis, non cum pueris, ut sint obedientes, sed cum ipsis Regibus, & mandat, ut patiantur se erudiri & disciplinari. Quid vnquam audivisti simile? vocari ad disciplinam eos, qui alijs imperant? An non magna superbia est, sic contemptim cum Regibus loqui in genere, nullum excipere, sed omnes simul alloqui, tanquam fatuos, qui nihil intelligant, tanquam sine legibus, sine disciplina omni viventes? Si enim jam antea sapiunt, cur dicit intelligite? Si reguntur legibus, cur dicit, disciplinamini, seu accipite disciplinam.

Exhortatio ad Reges & Principes, ut Regem Christum & ejus verbum amplectantur.

Atque hæc causa est, quod hic Rex, sicut Propheta initio dixit, non regnat sine cruce, & varijs vexationibus infinitorum hostium. Quia enim sine

zed by Google

Vlla exceptione omnes alios Reges, ad disciplinam vocat, Quia damnat leges, justiciam, sapientiam, & ipsos Reges, ac Iudices terræ stultos vocat, quibus magistro opus sit, qui eos doceat justiciam & disciplinam, Ideo insurgunt contra eum, nolunt doceri, nolunt haberi pro stultis.

NVM igitur inquies, Imperia mala sunt, aut leges damnandæ? Minime. Sunt enim ab ipso Deo condita imperia & Leges. Sed tu hunc Regem considera qualis sit, Non est mundanus Rex, sed est Doctor, qui docet de remissione peccatorum, & vita æterna consequenda. Huc si Leges, si imperia transferas, tanquam ad salutem consequendam profutura falleris. Non igitur damnat sapientiam & justiciam Regum, si consistant suo in loco, hoc est, si rationi subjectas res moderentur, ac gubernent sapientia sua, & honestis moribus alios quoque invitent ad legum obedientiam, & communi tranquillitati serviant. Hic enim etiam præmia sua habet industria & virtus, Deus enim addit successum, Sed fiducia horum donorum, aspernari verbum, abijcere mediatorem Christum, sperare salutem, &c. hoc peccatum illud est, quod in potentissimis, sapientissimis & sanctissimis Rex hic damnat, & ideo jubet, ad se ut veniant, ex se vt discant, se ut audiant, &c.

Reprehensio Regum Christus.

Peccatum quod Christus in Regibus damnat.

Abrogatur igitur hic quoq; non solum Moses & lex, sed omnia imperia cum omnibus donis, quæ habent, cum sapientia, potentia, legibus, disciplina, virtutibus, religionibus omnibus, & studiis, quod ad salutem prorsus nihil prosint. In hoc autem uno ostenditur esse salus posita, si hunc Doctorem audias, si te illi regendum, assuefaciendum, fingendum & formandum præbeas. Hic enim Rex, ut vulgo ajunt, est Fac totum, Deo nihil placet, nihil Deo gratum est, præter hunc Regem. Igitur qui hunc Regem non amplectuntur, qui se ad ejus pedes non abijciunt, qui non ipso mediatore vtuntur, hos odit, abijcit, & in æternum damnat Deus, nihil curans opera, nihil virtutes, nihil studia eximia, nihil justiciam & sanctitatem, qua se coram Deo commendari credunt. Solus enim hic est Filius, in quo Patri complacitum est, solus omnia habet, & possidet ex voluntate Patris.

Abrogatio legis & omnium imperiorum, &c.

PERTINET igitur hic quoq; versus ad nos confirmandos contra ingens scandalum, quo Ecclesia vexatur. Si enim rem spectes, contrarium fit, Non patiuntur doceri se Reges & Principes, sed vinculum hoc disciplinæ, sicut supra Spiritus dixit, summa vi conantur disrumpere. Huc accedit Satan, qui cum toto inferno huic Doctori se opponit, & excitat falsos Prophetas. Nec corda nostra quiescunt. Nam exagitata per legem, peccatum & mortis metum, quærunt alia præsidia, quam Doctorem hunc. Hic excitemus nos, & hoc versu nos consolemur, quod hic solus sit Doctor, quo recte possimus erudiri, ac futurum, ut qui hunc non audiant, simpliciter pereant, cum omnibus donis & præsidijs suis. Sic apud Esaiam dicit Dominus capite 53. Super ipsum continebunt Reges os suum, hoc est, Omnes Reges terræ, ad eum collati, erunt sicut discipulus ad præceptorem, Præceptor loquitur & docet, discipulus tacet & auscultat.

Scandalum quo Ecclesia vexatur.

Consolatio.

Super ipsum continebunt Reges os suum.

Esaiæ 52.

Ad hunc quidem modum gerere se debebant Reges, si vellent consequi salutem, Ac sane omnes qui salvantur, continent os suum, & obediunt voci Euangelij. Sed major pars diversum facit. Est enim noster Rex, positus in signum, cui contradicitur. Qui autem contradicunt, quod inde ferunt lucrum? hoc scilicet, quod damnantur & abijciuntur à Deo. Definita enim sententia est, quod huic Regi debent cedere non solum Reges & Principes, sed etjam portæ inferorum & omnes Angeli. Solus enim debet replere cœlum & terram, & omnia, sicut Paulus dicit, nobis ad consolationem, ut firma fide in eo hæreamus, & per eum solum speremus salutem. Hæc est vera Theologia, quæ animos docet & erigit in summis periculis.

Luc. 2.

PARTICVLA temporis, Nunc, non est ociosa. Significat enim tempus invulgati Euangelij per Apostolos. Hic, si speciem consideres, non solum summa ap-

Digitized by Google

ma apparet infirmitas, sed etiam manifestum periculum in re est. Numero enim pauci & contempti ex infima plebe homines, novum genus doctrinæ spargunt in mundum, & docent salutem per Christum crucifixum, idque eo modo, vt omnia alia ad salutem instituta, damnent. Hoc scandalum videt Spiritus sanctus, ideo dicit, Nunc intelligite Reges, hoc est, præbete vos instituendos & docios, Et erudimini, qui judicatis terram, hoc est, sinite vos castigari, sinite reprehendi vestras justicias & religiones, & parete huic Doctori, Hic vos docebit veram viam salutis &c. Sicut igitur supra ipse Christus dixit, se prædicaturum, Ita Spiritus sanctus hoc in loco monet, vt Prædicatorem hunc nemo negligat. Facit enim ex Rege Christo Doctorem, ac totum mundum ostendit esse ejus Scholam, Discipuli autem ejus sunt Reges & Iudices. Hi autem si hunc Doctorem audire debent, quid dubitabimus de illis, qui inferiore loco sunt? In summa, hic Rex docet totum mundum, vt omnes agnoscant se errasse cum omnibus suis justicijs & meritis.

Sibola, & discipuli, Doctorem Christi qui?

Sicut autem in genere omnes ad hanc Scholam Spiritus sanctus vocat. Ita pauci admodum sunt, qui hunc Doctorem admittant. Igitur sequuntur turbæ, fremitus, indignatio, & quidquid iratus animus suadet, Et tamen Doctor hic triumphat tandem. Pereunt autem inobedientes discipuli, sicut paulò pòst dicet, & supra quoq; dixit. Vrgenda igitur vocabula sunt, Intelligite, Erudimini. Significat enim Spiritus sanctus, etsi Reges, Iudices &c. notitiam legis habent, & studium virtutis: tamen nisi hunc Doctorem audiant, & doceri se sinant, esse fatuos & stultos. Nam si cognitio Christi desit, omnis sapientia est stultitia, omnis justicia est iniquitas & peccatum, quin ipsa vita quoq; mors est. Hausit igitur Spiritus sanctus hoc versu totum mundum, & omnia subijcit Christo, Cum Regibus loquitur, ac si essent locustæ, cum sapientibus mundi, ac si essent pueri. Videt enim quid tandem sit futurum, quod nisi hunc Doctorem audierint, cum omni sua sapientia, justicia, potentia, sint addicendi æternis flammis. Hoc enim mandatum est divinum, vt omnes humilientur, vt contineant ora, sicut Esaias cap. 53. loquitur, vt agnoscant hunc Regem solum esse, per quem ventura sit salus & vita. Huic mandato qui parent, salvantur, qui non parent, pereunt.

Pauci audiunt Christum.

Sine Christi cognitione omnis sapientia est stultitia, &c.

Esaiæ 53.

Servite Domino in timore, & exultate in tremore.

Hactenus docuit Propheta, Regem Christum constitutum super montem Zion, & definivit quoque eum, qualis & quantus sit, nempe Filius Dei ab æterno genitus, verus Deus, & tamen temporaliter etiam natus homo, vt acciperet sedem Patris sui David, & dominaretur in Zion. Inde dixit, propagandum Regnum in fines orbis terræ. Datæ enim huic Regi sunt omnes Gentes, vt sit Rex regum & Dominus dominantium, in quem oculi, aures, & corda omnium hominum intenta sint, sive sint Iudæi, sive Gentes, sive justi, sive peccatores, sive spiritualis magistratus, sive politicus. In hoc enim vno Rege omnia sunt sita, Solus habet vitam, solus justificat, solus salvat. Huic doctrinæ, quæ præcipua hujus Psalmi pars est, subjecit Propheta exhortationem, in qua personas nominat easdem, quas initio nominavit, Reges scilicet & Iudices, qui tumultuantur, cum hic Rex exercet suum officium, ac movet, vt tumultuari desinant, & humilientur, ac se præbeant discipulos, vt patiantur judicari & damnari se tanquam peccatores & reprobos, ac Filium hunc audiant.

Christus verus Deus & homo.

Ad hanc exhortationem etiam hic versus pertinet. Non solum enim jubet vt audiant, sed postquam audiverunt hunc Regem, vult etiam, vt desinant ab insurgendo, & ei serviant. Ac addit causam, Quia, inquit, hic Rex est Dominus, seu verus Deus, Positum enim hic est nomen Tetragrammaton, quod vocant & soli Deo tribuitur in scriptura. Iudæi neutiquam concedunt, quod

Filius Dei supra Rex nominatus, hic Rex nominatur.

Digitized by Google

quod persona, quam Propheta supra Regem nominavit, hic nominetur Dominus, seu Iehova, sed frustra pugnant. Nam statim subiicit, Osculamini Filium. Quia autem verbum osculandi est vocabulum cultus, vult Pater, vt hunc Filium adorent, & ei serviant omnes. Et ostendit, quod dum huic Regi servitur, servitur vero Deo, & qui vero Deo servire volunt, vt id faciant in Filio. Ad hunc modum cultum Dei & huius Regis Hoseas capite tertio conjungit, cum inquit, Tum converterentur filij Israël, & quærent Dominum Deum suum, & Regem suum David. Quia enim Pater & Filius vnum sunt, coli Pater sine Filio non potest, Ac mandat Pater, vt qui vere servire sibi volunt, Filio serviant, & eum audiant. Qui autem Filium negant, sicut Iudæi ac Turcæ, hi etiam ipsum Deum negant, & sunt abominabiles Idololatræ.

Christus naturâ Deus, quia præcipitur colendus.

Reiciamus igitur Iudæorum somnia, & statuamus Filij personam, qui est Filius Davidis, & sedet in arce Davidica Rex, esse Deum, ac appellari hoc in loco, augusto illo nomine Dei. Hoc primum est, quod monendum hic fuit. Alterum est, vt etiam verborum propriam significationem observemus. Scitis enim quam vocabula hæc depravata sint in Papæ Ecclesia, quibus Dei cultus significatur. Factum autem id eam ob causam est, quia nemo dignatus est inspicere textum diligentius, seu potius Deus propter nostram ingratitudinem, tanta nos cæcitate flagellavit, vt quæ ante oculos essent, non videremus. Consule enim recentium Theologorum libros, & videbis, servire Deo, eis nihil esse aliud, quam fugere in eremum, deserere politica, aut œconomica officia, & sese abdere in Monasterium.

Servire Deo in Papatu.

Sed si hæc vera definitio est, quorsum attinent præcepta illa, quibus Apostolorum libri pleni sunt, de dilectione conjugum inter se, de obedientia servorum, de æquitate Dominorum & moderatione, de diligenti cura administrandæ Reipub. Nonne hæc ipsa præcepta ostendunt, quod Euangelium omnes hos vitæ ordines commendat? Quæ igitur amentia fuit, docere, quod servire Deo, sit fugere hæc vitæ genera, mutare non solum habitum, sed etiam ipsam naturam & sexum? Quid enim aliud facit monachus, quam quod contra Dei ordinationem vult aliud esse, quàm masculus? Hæc nonne extrema amentia est? Memini Erphordiæ esse duos præstantes Iurisconsultos, hi, cum jam moriendum eis esset, altum ingemiscentes, dixerunt, O si non Doctores Iuris, sed Monachi fuissemus, quanto nunc moriremur beatius. Sed quod præteritum erat revocari non poterat. Igitur quod vnum videbatur remedij restare, mandabant & præter sacra, quæ magno emebant, etiam cucullis involuerentur cadavera, & sic monastico habitu sepelirentur. Hi an non satis clare ostenderunt, nescire se, quod in suo officio servivissent Deo?

Duo Iurisconsulti Erphordienses.

Servire Deo.

Constituenda igitur vera definitio est, vt statuas, servire Deo, non hoc esse, si mutes habitum, si mutes sexum, si, relictis politicis & œconomicis ministerijs, te abdas in monasterium. Hæc omnia æterna sunt, & simulari possunt. Hoc autem etiam abominabile est, quod sine autoritate Verbi, ex propria devotione, vt vocant, suscipiuntur. Cave igitur, quæ hujusmodi sunt, ne hoc augusto titulo ornes, quod sint cultus, aut servitus Dei. Sed quid disputo de traditionibus humanis? ne quidem Iudæi sua sacrificia, & alios legales cultus, quos tamen divinitus mandatos fuisse constat, hoc titulo ornare, & servitutem Dei vocare audent. Nam si Psalmus diceret, Venite ad Ierusalem, sacrificate, mundate vestes, jejunate, adorate ad Cherubim &c. Ibi sanè cogeremur definire, eam esse proprie servitutem Dei, sed horum nihil Psalmus dicit, Loquitur autem de novo Regno, & de doctrina nova instituta post Mosen.

Legales cultus abrogati.

Ergo simpliciter removeas ex oculis quidquid est religionum & cultuum, etiam illos, quos Deus per Mosen instituit. Venit enim hic novus Rex, igitur nova etiam constituitur servitus. Potest Iudæus retinere circumcisionem, Monachus potest retinere cucullum, sed hoc statuat necesse est, non esse

Nova servitus, populi gratia.

hanc

hanc ſervitutem à Deo impoſitam, qua hic Rex coli vult. Quia autem vtriq; Monachus & Iudæus iſta retinent tanquam cultus, damnantur hoc in loco à Spiritu ſancto, & præſcribitur alia ſervitutis forma ſeu ratio.

Ea autem qualis ſit ex Decalogo oſtendi poteſt, qui ſic dicit, Adorabis Dominum Deum tuum, & ei ſoli ſervies. Hæc duo ſic mihi ſoleo diſtinguere, quod adorare ſit hominis converſi ad Deum, Servire autem hominis miſſi à Deo, Vel, vt Chriſtus in parabola ſolet loqui, Adorare eſt ingredientis ad Deum, Servire autem egredientis à Deo. Qui enim adorat, procumbit in genua, & oſtendit ſigna ſubjectionis. Ea eſt quaſi paſſiva ſervitus. Sic enim convertens ſe ad Dominum in certa fiducia miſericordiæ, propter Chriſtum accipit remiſſionem peccatorum & juſtificatur, Ac receptus ad hunc modum in Gratiam, egreditur à Deo, & convertit ſe ad homines, ac exequitur mandatum Dei, quod attinet ad officia erga homines. Paulus fide jam juſtificatus, juſta facit, hoc eſt, exercet officium ſuum docendo, Pius magiſtratus regendo, Paterfamilias laborando, ac ſic ſerviunt Deo. Faciunt enim, non vt Monachi, quod ipſis libet, ſed quod Deus præcipit.

Cultus Dei, adorare Deum & ſervire Deo.

Adorare.

Servire.

Ergo ſervire Deo aliud nihil eſt, quàm facere, quod Deus jubet, & agnoſcere, quod ea ſit debita obedientia. Hoc neſciverunt Monachi & alij Papæ doctores, alioqui non juſſiſſent ingredi monaſteria, & relinquere politica & œconomica munera. Satis eis fuiſſet, quæcunq; tandem vocatio eſſet, reſpicere ad Decalogum, & ibi præcepta opera exequi, non confingere nova, & à communi conſuetudine vitæ abhorrentia, qualia Monachorum & totius Papatus ſunt. Ad hunc modum in genere admonendum duxi, quod ſit ſervire Deo.

Servire Deo.

PORRO, etſi Iudæi negant Chriſtum hoc loco appellari Dominum, tamen quia totus Pſalmus loquitur de novo Rege, conſtituto ſuper Zion, & cui traditæ Gentes, & fines orbis terræ ſint, ac jubeantur Reges ei ſervire. Hic quaſi in ſpecie conſtituendum eſt, quid ſit Chriſto Regi ſervire, Sed non diſcedemus à generali definitione, Servire enim Chriſto Regi aliud nihil eſt, quam audire hunc Regem, & poſtea in nomine ejus omnia facere, quæ requirit vocatio, ſeu officium noſtrum, Vt ſit ſententia, Vos Reges & Iudices, & quidquid eximium eſt, vel in Eccleſia, vel Politia, relinquite quidquid in toto orbe terrarum eſt, etiam Moſen, leges, jura &c. & audite hunc Regem, præbete vos ei diſcipulos, auſcultate ei. Hæc prima ſervitutis pars eſt. Deinde quæ audiviſtis, ea facite, & facite in hujus Regis nomine. Sicut Paulus dicit Col. 3. Quidquid facitis, ſive verbo, ſive opere, omnia facite in nomine Domini Ieſu, & gratias agite Deo & Patri per ipſum.

Servire Chriſto.

Servire igitur Chriſto, non eſt induere cucullum, non eſt occupari Moſaicis ceremonijs, Sed eſt res prorſus ſpiritualis, Non eo modo, quo Monachi ſpirituale vocant, quod tantum in corde geritur, Sed eſt ſpiritualis ſervitus, quæ ex Spiritu proficiſcitur. Qui enim Spiritus verba loquitur, prædicat, docet, recte dicitur ſpiritualiter loqui. Sic ſpiritualiter etiam vivere is dicitur, qui ſanctis occupatur operibus, hoc eſt, qui facit, quæ in Decalogo ſunt præcepta. Sic œconomus gubernans domum ſuam in fide filij Dei, vivit ſpiritualiter. Spiritualis enim obædientia eſt in fide filij Dei facere, quæ mandato Dei juberis facere. Habes quid ſit ſervire huic Regi, non, vt Monachi ſolent, abire in monaſterium, non hæc vel illa opera deligere, ſed intueri hunc Regem, & audire, ac poſtea quæ audieris, facere.

Spiritualis ſervitus.

Spiritualiter loqui, vivere.

CVR autem addit, Servite ei in timore? Oblique reſpicit ad Reges. Hi enim, quia potentia & opibus inſtructi ſunt, vi ſe huic Regi opponunt. Nam perſequi Chriſtum, non eſt propriè vulgi, quod facile compeſci poteſt, ſed Regum mundi, præſumentium de potentia & opibus. Hos Spiritus ſanctus ſingulariter intuetur ac monet, vt vertant ſuperbiam iſtam in humilitatem, & timeant

Chriſto ſervien-dum in timore.

Perſequi Chriſtum, propriè eſt Regum mundi.

ized by Google

timeant hunc Regem, vt nemo amplius sciat eos esse Reges. Nam Regem esse & servire, sunt contraria, & tamen vult Spiritus, vt ipsi Reges serviant, hoc est, vt agnoscant se hujus Regis servos esse, & quidem magis quàm ipsorum subditi sunt servi. Exhortationi igitur comminationem interponit. Quia enim videt potentia inflatos esse & securos, Monet, vt humilientur, vt abijciant omnia præsidia, & se supplices ad hujus Regis pedes abijciant, & eum audiant.

Anabaptista. SED num patrocinatur Psalmus Anabaptistis? Si enim Reges servire docet, ergo vult vt abijciant coronas, sceptra, & alia insignia, quæ eis conciliant dignitatem, & extollunt supra communem conditionem hominum? Ergo redigit eos simpliciter in ordinem, vt nulla differentia sit inter Regem & molitorem? &c. Minimè. Nam Reges vt Reges, & Iudices vt Iudices, debent præstare novam servitutem, Non debent abijcere regna, sed retinere, Et tamen hunc Regem revereri, & eum audire, ac suas leges, secundum hujus Regis verbum, moderari, hoc est, nihil statuere, quod verbo Christi contrarium est. Itaq; non tollit nec mutat leges politicas Spiritus sanctus, sed subijcit eas huic Regi, ne ei adversentur. Non solum igitur Reges & Principes debent retinere munus suum, sed etiam qui Ecclesiasticos titulos gerunt. Papa scilicet & Episcopi, maneant suo loco, tantum hunc Regem agnoscant, & humiles ei submittant colla, ac amplectantur verbum ejus.

Quomodo Reges Christo servire debent.

DISERTE autem definit servitutem hanc Propheta, cum jubet in timore huic Regi vt serviant. Pertinet autem hoc, vt supra dixi, ad notandas personas, cum Spiritus sanctus loquitur. Reges inflantur potentia & opibus, Iudices seu Doctores sapientia, & in genere omnes sunt justiciarij, hoc est, retinent opinionem sanctitatis, & videntur sibi justi. Hi igitur sunt quibus dicit Spiritus, In timore servite. Nam alij qui affliguntur, qui destituti humanis præsidijs, confligunt non solum cum fame, sed cum peccatis & conscientia sua, ij jam antea constituti sunt in timore Dei; Itaque ad eos non hæc concio pertinet, sed illa de credenda remissione peccatorum per filium Dei, factum pro nobis victimam, de qua statim Psalm. subijcit & dicit, Exultate in tremore. Non enim vult Spiritus sanctus nos sic timere, vt in timore absorpti desperemus, Sed sicut præsumptionem vult sublatam, & ideo jubet vt timeamus, Ita quoque vult sublatam desperationem, ac jubet, vt regia incedamus via, & simul metuamus ac speremus.

Reges. Iudices. Servite Domino in timore. Exultate ei in tremore.

Q. D. Hic Rex, sicut non vult ferre superbiam Regum, & justiciam sanctorum, Ita quoq; non vult ferre abjectionem pauperum & stultorum, qui sibi non possunt consulere. Hoc autem vult, vt & timeas, atq; ita effugias superbiam seu præsumptionem; & exultes, vt effugias desperationem. Qui non volunt eum timere, his minatur plagas, habet enim virgam ferream, Qui autem sic timent, vt simul exultent, hoc est, vt statuant se justificari sola Dei misericordia & beneficio Christi, Hi sunt vere filij Dei, qui Deum timent, non vt tyrannum, sed sicut liberi parentem cum reverentia. Temperant enim Timorem Dei cum lætitia & spe, & tamen ne nimis crescat animus & evadat in præsumptionem, manent in humili reverentia. Hæc est vera Dei servitus, quam agnoscimus perdisci nunquam posse. At adversarij nostri Schuermeri, tanquam notam, ac, vt dici solet, calceis attritam rem, contemnunt, Itaq; occupantur aliis, in quibus ingenij aliqua laus consistere videtur.

Vera Dei servitus.

AD hunc modum conjungit hæc Psalm. 147. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & qui sperant in misericordia ejus. Cur addit super timentes? Nimirum propter superbos, qui fidunt in sua sapientia & justicia, In his non potest esse beneplacitum. Soli autem hi placent, qui timent, hoc est, qui se agnoscunt peccatores esse, & ideò non erigunt cristas, sed humiles demittunt capita. Et tamen hic quoq; requiritur illud, Ne quid nimis. Non enim cum ad hunc

Psal. 147.

Ne quid nimis.

hunc modum ſentis terrorem, indulgere cordi tuo debes, non debes ſtatuere, quod iraſcatur tibi Deus, quod abjecerit te, quod perdere velit, Sed attollendi
Num. 21. ſunt oculi & reſpiciendum in Chriſtum, qui ſe poſuit Mediatorem inter Deum
Ioan. 3. & nos, & peccata noſtra in ſuum tergum recepit, ac pro ijs in cruce luit pœnam mortis. Hic tanquam ænei ſerpentis aſpectus mitigabit timorem, ne ſit nimius & evadat in deſperationem.

Sed, vt dixi, ardua res eſt, & vix magnis ſudoribus Chriſtiani eo veniunt, vt hanc Pſalmi particulam intelligant. Verba quidem audimus, ac facilia eſſe videmus, Sed non ita admittit hæc animus, cum ſeria res agitur, ſicut alia, quæ ex humana ſapientia nata ſunt. Tota igitur vita noſtra ad hanc vnam artem diſcendam non ſufficit. Natura enim in vtranq; partem eſt proniſſima & vehementiſſima, ſicut Poëta quoq; dicit:

Neſcia mens hominum fati ſortisq; futuræ.
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis.

Et extat ſimilis apud Baſilium ſententia, ὁμοίως γὰρ ἡ χαλεπὴ ἐπὶ εὐπολίαις πραγμάτων ἀταπείνωτον τὴν ψυχὴν ἀμαύσασα καὶ ἐν ταῖς εὐφροσύναις μὴ ἐπιτρέπουσα πρὸς ὕβριν. Cum enim animus inflatur rebus ſecundis, nullus modus eſt ſuperbiæ, ſicut apparet in divitibus mundi, & eſt hodie inſigne exemplum in Turcica gente. Contra hos igitur dicit Spiritus ſanctus, Timete, nolite ſuperbire, ſed ſervite huic Regi in timore. Contra, cum res adverſæ ſunt, nulla beſtia magis confunditur pavore, quam homo. Nullus enim querulandi modus eſt, & proni abimus in deſperationem, Hæc eſt natura noſtra, vtrinque ad extremum depravata, ſive adverſa, ſeu propicia fortuna vtamur. *Vitium naturæ.*

Igitur omni conatu hoc agendum eſt, vt moderemur ac gubernemus impetus vitioſos, ac ad hunc Regem nos conferamus, qui ſolus eſt, non ſolum Medicus horum atrociſſimorum morborum, ſed etiam Regula, ſicut dicit, Ex me diſcite, quia mitis ſum & humilis corde. Nota eſt Pauli Apoſtoli querela ad
Matth. 11. Roman. 7. Delectat me lex Dei, inquit, ſecundum internum hominem, Sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, Hoc eſt, Tota natura repugnat legi Dei. Hæc ſane horribilis vox eſt, Sed addit aliud gravius, Lex in membris meis, inquit, captivat me peccato, hoc eſt, nolens, volens cogor peccato ſervire contra Legem Dei. Sicut in Adoleſcentibus videmus motum libidinis, qui nolentes volentes abripit in peccatum, nec vel in ratione vel in arbitrio tantum eſt virium, vt furioſum hunc motum reprimant, Sic ſenes abſorbet avaritia. *Locus ex cap. 7. ad Roman.*

Sicut autem hæc vitia certam ætatem exercent & vexant, Ita omnes Chriſtianos exercet & vexat, imò prorſus abſorbet vel triſticia in rebus adverſis, vel ſecuritas in lætis. Tales natura ſumus omnes, Peccata captivant nos, vt non poſſimus exultare in timore, aut timere in exultatione. Adeo difficilis mixtura, & prorſus impoſſibile hoc temperamentum ponderis eſt (licet enim Philoſophico vocabulo in Theologica materia vti) quod Spiritus ſanctus hic ponit. Nam timere & lætari ſunt affectus prorſus contrarij, & tamen ſi volumus Chriſtiani eſſe, vtrunq; neceſſe eſt, vt & paveamus & exultemus. *Triſticia. Lætitia.*

RECENTIORES Theologi diſputarunt multa de timore ſervili & filiali. Ac ſane facile eſt videre, quid interſit inter patrem caſtigantem filium, & lictorem. Cum enim pater filium caſtigat, non abijcit omnem ſpem filius, Videt enim finem virgæ, hoc eſt, ſentit iram cum virga ceſſare. Igitur etſi dolet, etſi patris iram metuit, tamen retinet ſpem miſericordiæ. Tali animo in pœna non eſt fur, cum à Lictore arripitur. Novit enim Lictoris animum talem, vt propicius non ſit, niſi prius laqueo ſtrangulaverit furem. Deſperat igitur, Quia pœnæ nullum videt finem. Hoc œconomicum exemplum admodum luculentum eſt, ſed nobis conſtitutis in pœna perſuaderi non poteſt, Deum eſſe nobis Patrem. Itaque timemus cum non filiali timore (non enim videmus *Differentia timoris ſervilis & filialis.*

consilium erudiendi) sed servili. Statuimus enim Deum irasci sine fine. Qui igitur hic posset sapere, cum sentit peccatorum pœnas, & dicere, Es filius Dei, Deus autem sicut Pater, filium, quem diligit, castigat. Momentum est ira ejus, Psalm. 30. Non in æternum irascetur Dominus, hic faceret, quod Spiritus sanctus hoc in loco jubet.

David hanc artem tenuit, sicut testantur conciones ejus. Deinde etiam experientia ostendit, cum in pœna non abijcere spem, retinet enim invocationem, Etsi autem exultatio esset valde infirma, tamen quia finem flagelli videbat, vincebat timorem, ne, quod impijs accidit, absorberetur penitus. Carnem, si spectes etiam in Davide pene obruta est timore, ut exultationem non sentiat, Et tamen, sicut Paulus dicit, mente servit legi Dei, etiam in ipsa pœna exilij, Deum invocat, sentit, non, vt apud lictorem, nullum esse veniæ locum, etiam dum plagas accipit, Hoc secum statuit, Pater est, non irascetur in perpetuum. Facile igitur dictu est, quod timor Dei verus sit filialis timor, hoc est, mixtus cum exultatione, seu spe. Sed, si sequaris sensum, timore senties exultationem quasi obrui & extingui. Sed ne ideo abijcias animum, nec desperes, Psalm. 27. sustine Dominum, & apprehende Verbum, quod concionatur, iram Dei esse momentaneam, Vitam autem esse in voluntate ejus, hoc est, velle Deum, ut vivamus, non velle, ut pereamus, atq; hanc ipsam ob causam immittere plagas. Sic fiet, ut saltem guttulam aliquam exultationis sentias, ea paulatim crescet, ut tandem superet timorem. Difficilis praxis, sed tamen ejusmodi, quam, sicut testantur exempla, sancti Dei didicerunt. Oportet autem nos eorum sequi vestigia, & hanc artem etiam discere, Adjuvabit autem nos, præsertim si oraverimus, sanctus Spiritus.

Exultatio est valde exigua.

Verus Dei timor.

Ira Dei momentanea.

Multi Iuvenes timent Dominum, nec ruunt, sicut Satanæ mancipia, in libidines. Horum corda si inspicias, videbis ea sic turbari æstibus libidinis, ut ipsi ne guttam quidem castitatis sentiant, quam tamen totis animis optant sibi dari. Quid multa? Ipsi judicant & sentiunt sua corda esse ceu lupanaria, in quibus nihil sit castitatis, & tamen latet in imo cordium castitas, sed oppressa sensu libidinis, donec tempus conjugii venit. Etsi enim sensu carnis carere non possunt, tamen gemunt corda castitatem, quam abesse sentiunt, optant adesse, & inviti tolerant istas flammas libidinis. Sicut igitur hic castitas ceu in angulo latens pene extinguitur sensu libidinis, Ita quoque exultatio non sentitur, sed occupat omnia timor, & tamen non vincit timor. Sic aliæ passiones prædominantur, quo ad sensum, sed virtus & spes tandem prædominantur, quo ad vim. Major enim est vis virtutis, quam timoris, libidinis, & aliarum passionum.

Iuvenes tenuati libidine, &c.

Hæc sic discenda & ferenda sunt. Non enim aliter fiet, virtus Dei in infirmitate perficitur. Paulus quoque libenter habuisset purum timorem, puram exultationem, puram castitatem, hoc est, purum sensum horum donorum, quæ habebat & quibus indigebat, Sed hæc in hac vita si contingant, non erit amplius calamitosa vita, sed amœna paradisus. Iuvenis, senex, si nullum peccati sensum haberet, si non exerceretur desperatione, simpliciter esset in Regno cœlorum. Sed talis hæc vita non debet, imo ne potest quidem esse, Non debet sentiri pura exultatio, debet admixtus esse timor. Donec enim hæc caro vivit, facit quod est carnis. Hæc nos nunquam emendabimus perfecte, Itaque ideo non desperemus. Spiritus enim est absconditus, eum Deus videt, & quia Christum apprehendimus fide, peccata carnis libenter condonat. Hæc est vna pars cultus, ut serviamus Christo Regi in timore, & exultemus ei in tremore. Magna autem causa est, cur exultationem conjungat cum tremore. Si enim pura exultatio sentiretur, sequeretur Securitas, securitatem præsumptio, præsumptionem autem damnatio. Non enim tollerare Deus præsumptionem potest. Sic autem miscebimus hæc, si in Deo exultemus, in nobis autem con-

2. Cor. 12.

Caro.

Cur cum timore conjuncta exultatio.

turbe-

Digitized by Google

turbemur. Sumus enim non ſolum ſtulti, ſed etiam miſeri peccatores. Cauſæ igitur ſatis eſt, ut tremamus & metuamus nobis.

Sed hic non conſiſtendum eſt. Si enim nihil videas, quam quod peccator ſis, ſequetur deſperatio. Igitur attollendi ſunt oculi, & reſpiciendum eſt in Chriſtum, tum ſequetur timorem exultatio. Sic enim dicemus, Sum ſane
1. Pet. 2. peccator, ſed non ideo deſperabo. Chriſtus enim juſtus eſt, Imo Chriſtus mea peccata tranſtulit in ſe, & ideo paſſus eſt ac reſurrexit, ut ego juſticiam ejus induerem. Si igitur in me non eſt conſilium, ipſe eſt mihi à Deo poſitus, ut ſit ſapientia mea, Si ego pauper & inops ſum, ipſe eſt potens & dives &c. Hic demum eſt purus cultus, quo Chriſtus vult à nobis coli, ſegregatus ab omnibus ſuperſtitionibus. Illas enim Spiritus ſanctus non curat, ſicut ne reliqua quidem humano conſilio inſtituta. Relinquit Regibus coronas ſuas & ſceptra. Monachus ſi velit jejunare, ſi velit diſſimili ab alijs veſtitu & victu uti, ne id quidem curat, vult iſta ſubeſſe rationi humanæ, ac, prout cuiq; commodum eſt, obſervari, Hac vna adhibita Regula, ne cuiquam ponamus ſcandalum. Hoc autem ab omnibus, ſive Reges, ſive Monachi, ſive ſancti, ſive potentes ſint, poſtulat, ut humilientur coram hoc Rege, ut eum audiant, de eo ſolo glorientur, in eo ſolo exultent, In ſe autem & ſuis omnibus ut humilientur. Hunc cultum, qui præſtant, hi poſtea quidquid pro vocatione ſua faciunt, ſi id in nomine Ieſu faciunt, Deo gratum eſt.

Cultus Dei verus.

Diſcamus igitur nos quoque hunc cultum Deo præſtare, & diſtinguamus eum ab omnibus externis rebus. Non enim curat Deus, Rex ne an ſervus ſis, maritus an cœlebs, vir ne an fœmina, præceptor an diſcipulus. Sunt hæ humanæ conſtitutiones, ſeu creaturæ, ut Petrus appellat, quarum voluit nos Deus eſſe Dominos & gubernatores. Non curat, jejunes ne an comedas, modo cum fructu tuo id facias. Nihil, inquit, iſta omnia ad me, & ad cultum meum. Meus enim cultus eſt, me revereri, à me accipere omnia, me agnoſcere, de me loqui, me prædicare, quod omnia mea ſint, quæ in toto orbe terrarum ſunt, Confiteri quod ſitis, cum ſine me eſtis, peccatores, ſtulti, infirmi, Item agnoſcere me, quod non ſim Tyrannus, quod non ideo vos humilio, quaſi velim perditos, ſed ut revocem vos a ſuperbia, & doceam vos humiles eſſe. Hoc cum à me per crucem factum eſt, volo ut erigamini iterum, ut attollatis capita & oculos ad Chriſtum meum. Quoniam ſi quid vobis aut ſapientiæ, aut juſticiæ, aut virium deeſt, ibi habetis fontem omnis ſapientiæ & juſticiæ. Sic ſervietis mihi in timore & exultabitis in tremore. Tremor quidem in ſenſu eſt admodum magnus, ſed exultatio ſenſu parva, tamen virtute magna tandem triumphabit.

Cultus Dei.

Ego Adoleſcens hunc verſum oderam, Non enim libenter audiebam, quod Deus eſſet metuendus. Accidebat autem id eam ob cauſam, quia neſciebam timorem miſcendum cum exultatione ſeu ſpe, hoc eſt, neſciebam differentiam, quæ eſt inter noſtra & Chriſti opera. Noſtra opera mala ſunt, ſicut tota natura mala eſt, Igitur non debemus eſſe ſecuri, ſed metuere judicium Dei. Contra Chriſti opera ſancta & perfecta ſunt, Igitur debemus retinere ſpem miſericordiæ. Non enim ſua cauſa natus, legi ſubditus & tandem cruci affixus eſt, noſtra hæc voluit eſſe dona. Igitur ſic timeamus ne exultatio excludatur prorſus. Debet autem exultatio vera eſſe. Non enim ita concluditur in cor, ut foris nullæ ejus appareant notæ. Tranquillus animus, & qui vere ſtatuit Deum, propter Chriſtum, nobis re conciliatum eſſe, parit hilarem vultum & lætos oculos, linguam ſolvit in laudes Dei. Ad hunc modum, inquit Spiritus ſanctus, ſervietis huic Regi, ut ſit lætitia intus & foris, conjuncta tamen cum reverentia, ne efficiamini ſues, & nimium ſecuri, deſcendentes in carnalem lætitiam. Securitatem enim ſi removeas, non offenditur Deus hilaritate, quin triſticia offenditur, & præcipit hilaritatem. Sic in lege prohibitum erat, ſacra fieri à lugentibus, & Malachias dicit, pollui ſacrificia luctu. Læ-

Noſtra opera mala, Chriſti ſancta & perfecta.

Tranquillus animus parit hilarem vultum.

Digitized by Google

temur igitur, sic tamen ne fiamus securi, sed admixtus sit lætitiæ timor, & timori spes. Matth. 2.

Hæc est exhortatio contra superbos & pro pusillanimibus, qui nimium sunt humiliati. Nam par blasphemia est, sive desperes, sive præsumas. Non enim voluit nos esse Deus in cœlo, aut in terra, sed in medio, Pedes tendunt ad infera, caput autem ad superos, Et quanquam in terra vivimus, tamen jubemur, ut conversatio nostra sit in cœlestibus. In summa, qui sunt Christiani, non sunt pure timidi, nec pure læti. Timori est adjuncta exultatio, merui spes, lachrymis risus, ut staruamus tum demum nosperfectè exultaturos, cum carnem hanc deposuerimus, quæ sicut metum abijcere non potest, ita vtile ei est, in metu esse, ne secura fiat. Ad hunc modum definivit cultum Dei præsens Psalmus. Illa enim demum est vera Religio, timere Deum & confidere Deo. Hæc duo vbi recte sunt temperata, ibi tota vita est justa & sancta. Cæremoniæ externæ, & quidquid est externorum operum, omnia postea gubernantur felicius, quando hæc duo recte sunt temperata. Nunc addit comminationem & consolationem, ut Prophetiam claudat. Phil. 3.

Christiani non sunt pure timidi, nec pure læti.

Vera Religio.

Osculamini Filium, ne irascatur, & pereatis in via, quoniam brevi exardescet ira ejus. At beati omnes, qui confidunt in eum. XII.

Comminatio addita exhortationi.

Exhortationi hic est addita comminatio satis dura. Pertinet autem ad contundendas superbias Regum, Sapientum, Sanctorum, & omnium illorum, qui fidunt creaturæ extra Deum. Ita autem natura nostra est vitiata, ita ad præsumtionem & securitatem, cum res secundæ sunt, sumus proni, ut, nisi Spiritus sanctus immutet corda, impossibile nobis sit consistere. Non leges, non pœnæ vllæ coërcere hoc vitium possunt, Sola vox de cœlo sonans superbias has dissipat, & temperat lætitiam metu. Quod ad Grammaticam attinet, norunt Ebraice docti legendum hic, non ut latinus textus habet, Apprehendite, sed osculamini. Itaq; consilium suum permittimus septuaginta interpretibus, nos tamen à veritate Ebraica ideo non discedemus.

Vitium naturæ.

Osculamini.

Quod 70. verterunt δεξασθαι παιδειαν, in Ebreo est, Bar, ac late patet ejus significatio. Est enim adjectivum nomen, & significat purum, electum, Ideo Hieronymus vertit, Adorate pure. Per antonomasiam autem quæ ex communi nomine facit proprium, postea transfertur ad alias res, & propter excellentiam individui vocatur sic triticum seu frumentum, tanquam electa res. Sic Apostolum intelligimus Paulum, Prophetam Davidem, Philosophum Aristotelem, Militem Georgium à Fronsberg, &c. Nam propter excellentiam sæpe ex communi nomine fit proprium. Sic Christus per excellentiam dicitur justus, sapiens, sacerdos, Filius hominis, Rex &c. Ad hunc modum Bar substantive significat etiam Filium, tanquam rem maximè electam, charam, jucundam parentibus. Si voluisset David Ebraice loqui, dixisset Ben, Sed utitur vocabulo, Bar, in eadem significatione, per Antonomasiam, ad obscurandam Prophetiam à facie Diaboli & impiorum, qui non sunt digni videre hæc. Hæc est vera hujus appellationis ratio, quantum ego video. In Psalm. 19. adjective ponitur, Præceptum Domini purum, latina translatio habet lucidum. Psal. 19.

Vocabulum Bar quid.

Bar.

SED quò, inquies, pertinet vocabulum, Osculamini? Significat cœremoniam. Sunt autem osculorum genera admodum varia. Osculetur me osculo oris sui, inquit, Sponsa in Canticis, Hoc est, Osculum charitatis & signum summi amoris. Ideo Paulus quoq; dicit, Osculamini vos in osculo charitatis. Aliud est osculum manuum, id nostro more est homagium præstare, Eo vtimur erga illos, quos agnoscimus Dominos nostros. Aliud est pedum osculum, quo significatur extrema humilitas. Ac vsus est Christus eo in cœna, ut ostenderet se minimum esse in Regno cœlorum, & omnium servum. Est enim factus servus noster, & habuit nos pro dominis suis, Siquidem pro nobis laboravit, Cant. 1.

Osculum varia.

Osculum charitatis.

Osculum manuum.

Osculum pedum.

ravit, & tulit peccata noſtra. Sic manuum & pedum oſculum ſignificatione conveniunt, quanquam hoc altioris humilitatis indicium eſt, Hieronymus igitur non verbum, ſed ſententiam expreſſit, cum vertit, Adorate, Sed in eo lapſus eſt, quod nomen (Bar) reddidit adverbialiter, Adorate pure. Si nominaliter vertiſſet, recte feciſſet, Adorate purum, electum, lucidum. Sic enim nos quoq; ſolemus dicere, Mea lux, meum corculum.

Oſculamini Filium.

Pulcherrimis igitur verbis & plane rhetoricis commendat Spiritus ſanctus nobis Filium Dei, Oſculamini, eſtote ſubditi, procidite, humiliamini, agnoſcite vos ſubditos. Cujus? aut coram quo? Coram electiſſimo, coram puriſſimo, in quo ſolo Patri complacitum eſt. Sicut Pater de cœlo teſtatur, Hic eſt Filius meus dilectus. Et ipſe Chriſtus apud Iohannem dicit, Pater diligit fi-
Mat. 3. 17. Iohan. 3. lium. Has ipſas voces complectitur Pſalmus, & de eis vaticinatur, cum Ebraico vocabulo Filium vocat, Bar, Q. d. Ipſe eſt meum dilectum, meum purum, meum electum, quo vnice delector, **mein Hertz/ mein Frewde.** Ergo adorate Deum, qui eſt deliciæ vnicæ Dei, & in ſumma, placentia, & adorabitis Deum, Deo rem gratam facietis &c. Flectite ei genua, oſculamini pedes ejus &c.

Teſtimo divinitatis ij.

PORRO hæ voces ſignificant, Chriſtum non eſſe ſimpliciter hominem. Siquidem Pater tribuit honorem ſuum Filio, & jubet adorari Filium.
Deut. 6. Adorabis Dominum Deum tuum, inquit Moſes, & ei ſoli ſervies, Et apud
Eſaia 42. Eſaiam dicit Dominus, Gloriam meam alteri non dabo. Cum igitur Deus non poſſit eſſe mendax, & tamen hic præcipiat adorandum hunc Regem, Sequitur hunc Regem in Zion poſitum, natura eſſe Deum. Igitur ſupra quoq; oſtendi, etſi Iudæi contendant, præcedentem verſum non ad hunc Regem, ſed ad ipſum Deum eſſe referendum, tamen, niſi prorſus amentes ſunt, fatebuntur, quod Deus hic ſuo mandato omnes nos remittat ad Filium, & Filium velit coli & adorari. Convenit igitur ſententia cum his Euangelij vocibus, Hic
Mat. 3. 17. Iohan. 8. 14. 7. 8. eſt Filius meus dilectus, Hunc audite, Qui crediderit in me, mortem non videbit in æternum, Creditis in Deum, & in me credite, Doctrina mea non eſt mea, Quæ ego loquor, loquitur Pater, Pater operatur adhuc, & ego operor, Pater mihi omnia dedit, Pater dedit judicium Filio, Filius neminem judicat, Sicut Pater vivificat, ſic & Filius &c.

In his ſententijs invicem referunt ſe Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, vt non dubium nobis eſſe poſſit, hunc Regem eſſe verum, legitimum & naturalem Deum, Et, niſi hunc Regem colas ac amplectaris, Deum non poſſe coli. Pater enim & Filius vnum ſunt. Fruſtra igitur Turca, fruſtra Papa, fruſtra Monachus ſpeculatur de Deo extra Chriſtum. Turca dicit ſe adorare Deum, qui *Turca.* fecit cœlum & terram, Idem Iudæus dicit. Sed quia vterque hunc Regem ne- *Iudæus.* gat eſſe Filium Dei, non ſolum aberrant à Deo, ſed & idolum cordis ſui adorant, Fingunt enim Deum talem, qualem ipſi volunt, non qualem ſe Deus revelavit. Sed Deus abominatur eos, & obturat aures ſuas ad eorum preces. Neminem enim vult audire & videre, niſi in Filio ſuo.

Iohan. 14. Sicut Chriſtus dicit ad Philippum, Iohan. 14. Philippe, qui videt me, videt Patrem meum. Cum enim Philippus orat, Oſtende nobis Patrem, Chriſtus admirabundus reſpondet, Tanto tempore vobiſcum ſum, & tu me nondum noviſti, Q. d. Quo abripiunt te cogitationes & ſpeculationes tuæ? Niſi in me figas oculos atque animum tuum, nec Deum nec Patrem vſquam invenies. Eſt enim Pater in me, & ego in Patre, Et verba, quæ loquor, non loquor ego, Sed Pater qui in me habitat, is facit opera &c. Ad hunc modum videtur Pater quaſi feſſus ferendi dominij, omnem adminiſtrationem totius creaturæ dediſſe Filio in manum & ſinum. Ac quidem factum eſt hoc ab æterno, Sed poſtea per revelationem, & declarationem tandem patuit. Semper enim habuit hanc gloriam Filius ab æterno, ſed tum pri-

mum patuit, cum per Euangelium nomen ejus in totum orbem terrarum est vulgatum.

Abrogatio Legis & cultuum legalium.

SECVNDO pertinet hic Versus etiam ad abrogationem legis & cultuum legalium. Non enim dicit Psalmus de adoratione in templo in Ierusalem, sed nominat alium cultum Si, inquit, vultis adorare Deum, si vultis acceptum sacrificium ei præstare, & Deo sic servire ut faciatis ei rem gratam, nihil aliud feceritis, quam ut hunc Filium osculemini. Hac una ratione servietis Deo, & placabitur vobis Deus. Sed persuaderi hoc mundo non potest. Igitur Arius surgit, spargit blasphemum dogma, contra Filium Dei. Turca hoc summum scelus ducit, quod & credimus Christum Dei Filium, & eum adoramus. Papa, etsi manifestas has blasphemias cavet, tamen re vera Christum non agnoscit Filium Dei. Quia sacrificio ejus non est contentus, & docet nos nostris operibus posse efficere, quod Filius Dei sanguine & morte sua effecit.

Osculari filium.

Arius.

Papa.

Meminerimus igitur hujus testimonii, quod hic Rex est Dei filius ab æterno genitus ex Patre, & nobis propositus, ut nos eum osculemur & ei serviamus, hoc est, ut statuamus nos per ipsum reconciliatos Deo, Vt quanquam merito Dei iram propter peccata expaveſcimus, tamen fiducia hujus Mediatoris speremus salutem. Hunc cultum postquam Filio præstiterimus, contentus est Pater, & amplius nihil flagitat à nobis, quod attinet ad reconciliationem, & spem vitæ æternæ. Obedientia autem, quæ postea accedit, quia omnia in fide filij Dei facimus, etiamsi imperfecta sit, tamen Deo placet, & habet cum corporalia, tum spiritualia præmia.

Hæc est summa totius Religionis facilima, quo ad externa opera. Non enim consistit in mutandis rebus externis. Servus, si vult esse Christianus, non necesse est, ut mutet conditionem, Sic Magistratus politicus. Non enim apud Deum est acceptio personarum. Animus autem ut muretur est necesse, ut ubi prius propter peccatum tantum non desperasti, nunc per Christum spem certam veniæ concipias, Vbi prius peccato delectaris es, nunc peccatum oderis & fugias, Vbi prius tardus eras & negligens in obedientia erga Deum, nunc summo studio & voluntate in id, ut incumbas, necubi Deum aut verbo, aut facto offendas &c. Ad hunc modum animus & cor mutari debet, ut de Deo judices non ex tuo corde, sed ex verbo, quod filius Dei proponit. Hoc cum præstiteris, postea sane Ratio utatur suo regno, ducas uxorem, gubernes familiam, instituas certas operas, parandi victus causa. Hæc omnia Deus permittit, tuo judicio instituenda & gubernanda.

Religio vera postulat mutationem animi.

Sic simplex religionis veræ forma & ratio est, Sed mundus non paret, Omnia potius mutat, quam animum & conscientiam, omnia facilius adorat quam hunc Regem. Monachus putat se Deo præstare summum cultum, cum mutat vestem, cum relinquit vocationem, & se abdit in monasterium, vbi novo modo comedit, bibit, dormit, &c. Sic putat se renasci & fieri novum hominem, Et tamen solus externus habitus mutatus est, mens autem & animus manet idem, manet eadem sacrilega opinio, quæ fuit in scelerato Cain, qui cum meditaretur cædem Fratris, sperabat tamen se apud Deum in gratia fore propter sacrificium. Sed vere scelerata opinio & sacrilega hæc est. Non enim curat Deus vel circumcisionem, vel præputium, sicut non curat, curras ne in via, an stes, alba ne an nigra vestiaris veste. Externa hæc sunt, quæ quisque, prout sibi commodum est, gubernet, habita tantum ratione proximi, ne eum offendat. Sic nihil curat hoc Deus, sis ne in politiæ parte, an solitudine, nisi quod manifestum peccatum est, si vocationem deseras, & tua sponte deligas tibi aliud vivendi genus.

Adoratio hujus Regis rarissima in mundo.

Vera Religio.

Hoc autem curat, imo hoc præcipit & mandat, cor ut mutes, ut conscientiam imbuas nova opinione & cogitatione de Deo, ut dicas, Agnosco & reverear filium Dei, Dominum Iesum Christum, Et quia Mediator meus est,

per

per eum spero me reconciliatum Deo, & peccata mihi condonata esse. Cum tali corde ibo, & fodiam agrum, faciam opus, ducam vxorem, serviam hero meo &c. Talem cultum exigit hoc in loco Psalmus, & talem religionis formam præscribit. Sed, ut dixi, mundus sanam doctrinam non accipit. Hanc judicat esse veram religionem, si aliquid foris, seu in externis mutet. Sic vecordes Anabaptistæ tum putant se veros sanctos, si non gestent arma, si induant glaucam vestem, si dimittant capita tristes. Sed an non hæc cuivis Rustico mutatu facilia sunt? In Christum autem confidere, & servire Deo in timore; hoc ne quidem digito attingunt stulti homines. *Anabaptistæ.*

Ac certum est, quod nullus hominum, qui studet legibus aut justiciis, hos veros cultus præstat. Ne quidem cogitatione eos assequi possunt. Est enim doctrina de cœlo revelata, quæ non nascitur in corde, aut capite humano, Spiritu sancto doctore & gubernatore opus est. Quia autem is tantum contingit per fidem in Christum, justiciarii autem fidem abijciunt, & Legem retinent, impossibile eis est hos cultus præstare. Est igitur religio Christiana, ut dixi, facilima, si spectes externa opera, At si spectes hos spirituales cultus, est difficilima. Nam hi præstari non possunt, nisi mutetur cor. Cor igitur & animum exigit vera religio, non opus aut alia externa, Quanquam hæc sequuntur, si cor habeas. Vbi enim cor est, ibi sunt omnia. Non negabit tibi pecuniam, non operas, non seipsum, qui te serio amat. Atq; hæc causa est, quod vera religio sit αὐτουργὸς. & non simulatur, sicut illa Pharisaica est, quæ tantum externa, non animum mutat. *Vera religio exigit cor.*

ERGO verus Dei cultus est, Filium osculari, hoc est, eum sic adorare, vt nihil in cœlo & in terra extra hunc videas, nec vlla alia re fidas. Sicut primum præceptum jubet, Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Hoc mandato captivavit Deus populum suum, in spiritualem conspectum, & abstraxit eum ab omnibus vagis cogitationibus, Et tamen in Idololattriam prolapsi sunt, sicut historia ostendit. Sic enim judicarunt, Deum laudari, si laudaretur creatura ab ipso condita. Hinc secuta est adoratio Solis, lunæ & exercitus cœlestis, cum tamen Deus diserte mandasset, ad solum Propiciatorium adorandum. Ad hunc modum hic quoq; caveamus ab imaginibus cœli & terræ, & hæreamus in solo Filio, Sic apprehendemus certo Patrem, & totam divinitatem. Nam & Paulus dicit, Tota divinitas habitat in Christo corporaliter. Igitur Deum non invenies in Sole, Luna, non in aliis creaturis, in solo Filio, qui ex Maria natus est, invenitur. In hoc solo est salus, gratia, vita, extra hunc quidquid de Deo cogitas, est vana cogitatio & mera Idololatria. *Verus Dei cultus.* *In solo Christo hærendum.*

Hoc Papistæ nesciunt, Hi cum de cultu Dei docent, aut tantum à se electos cultus intelligunt, aut cum minimum mali sunt, deducunt homines ad Mosen, & obedientiam legis, seu decalogi. Ac verum est, Deus decalogum ideo præscripsit, vt nos eum præstaremus, Sed cum hæc obedientia perfectissima est, hoc est, tam absoluta, quam in hominem cadere potest, non tamen in ea possumus acquiescere; non solum non apprehendimus in ista obedientia Deum, sed à Deo refugimus etiam. Sed qui Christum intuentur, hi inveniunt talem Deum, à quo non metuunt, sed quem cum reverentia & fiducia certa misericordiæ amplectuntur. Sicut igitur sancti Iudæi nesciebant alium Deum, quam qui ad propiciatorium se jusserat invocari, sicut nesciebant alium Dei cultum, quam qui in templo, divinitus à Deo destinato, cultibus præstabatur. Sic nos in vno Filio hæremus, In eo Patrem invenimus, in eo vitam & salutem accipimus. Hæc est sapientia nostra, qui sumus Christiani, quod cohibemus vagas cogitationes cordium nostrorum, & hæremus in solo Filio, nec extra Filium novimus Deum, Filius enim est, qui exaltatus trahit ad se omnia, Hunc, qui aut non norunt, aut amiserunt, Hi in medio mari damnationis jactan- *Sapientia Christianorum.*

tur, nec poſſunt attingere portum ſalutis. Contra qui Chriſtum habent, & in eum in Serpentem æneum, fixis oculis intuentur, hoc eſt, qui credunt eum ex voluntate Patris oblatum pro peccatis noſtris, Hi à Satana tuti ſunt, & verum Deum, vitam, juſticiam, & ſapientiam æternam poſſident.

Oſculari filium.

Magna igitur vis eſt in verbo, Oſculamini, ſignificat enim vt toto corde hunc filium amplectamur, neque aliud vel videamus, vel audiamus, quam Chriſtum, eumque crucifixum. Qui autem in religione aliquid aliud ſpectat, aut altius quærit, Hic falletur & aberrabit à via ſalutis. Ratione & ſapientia noſtro utamur ad alias res, ad gubernandam familiam, ad faciendas operas, ad emptionem & venditionem, Sed cum de cultu Dei quæritur, hic rationi præcludas omnes vias, & uni huic Filio adhæreas. Per ſe malum non eſt, mutare veſtem, ſicut Monachus mutat, jejunare, affligere corpus &c. Reprehendimus enim hæc tantum eo nomine, quia ſuſcipiuntur cum impia opinione, tanquam res ad impetrandam remiſſionem peccatorum utiles. Hanc opinionem ſi abijcias, etiamſi retineas cucullum, modo Filium ſincere oſculeris, hoc eſt, modo nitaris ejus meritis & gratia, vives in æternum. Hoc igitur caput eſt cultus Dei, reliqua omnia ſunt tanquam cauda, & tamen caput hoc negligit mundus, & fidit in hypocrytica mutatione externorum. Addit igitur Spiritus ſanctus.

Ne forte iraſcatur, & pereatis in via.

Videt hanc Doctrinam in mundo contemni Propheta. Iudæi, Turcæ, Gentes omnes abſurdiſſimum eſſe judicant, quod adoramus hominem, ſuſtinentem omnes communes paſſiones carnis, quas alij homines ſuſtinent, imo reputatum inter latrones & affixum cruci, Papiſtæ etſi in hac infirmitate Chriſti non ſcandalizentur, tamen aliam vitam vitæ docent, quam Chriſtum & ejus opera. Verbo quidem, ſacrificio Chriſti nihil derogant, ſed dum ſuis operibus & ſacrificiis tribuunt meritum remiſſionis peccatorum, nonne alium conſtituunt Chriſtum, quam qui à Patre nobis datus eſt, ut ſit juſtitia & ſapientia, ſanctificatio & redemptio noſtra? Itaque loco oſculi, quod Filio dari Spiritus ſanctus jubet, oſculantur ſuas miſſas, ſua jejunia, ſuos cucullos, Chriſtum autem oſculantur Iudæ oſculo. Oderunt enim doctrinam hanc, & omni genere credulitatis perſequuntur.

Pſal. 45.

Papiſtæ Filium non oſculantur, ſed ſua opera.

Oſculari filium.

Hoc videt Spiritus ſanctus, monet igitur & minatur, Aut hunc adorate, aut ſcitote vos manere ſub ira. Si enim de eo agitur, quomodo placari Deus debeat, quomodo remiſſio peccatorum poſſit impetrari, aut oſculamini Filium, aut peribitis, nullum hic eſt medium. Sic Iohannes pronunciat, Qui non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum, Item, Qui non credit, jam judicatus eſt, Sive ſit Rex, ſive paſtor, ſive Carthuſianus, ſive miles, ſive cœlebs vivat, ſive in conjugio, ſive Medicus, ſive Iuriſconſultus ſit, ſi non oſculatur Filium, hoc eſt, ſi non omnem ſpem ſalutis habet collocatam in Filio, etiamſi ad mortem vſque ſe maceret jejuniis, etiamſi flammis ſubijci corpus ſuum permittat, peribit in ira Dei.

Ioh. 3.

Ad hunc modum haurit Spiritus ſanctus totum orbem terrarum vno verbo, cum univerſa ſapientia, juſticia, meritis, cultibus, adorationibus, afflictionibus, & omnia transfert in Filij oſculum, Si oſculamini Filium, bene, Si non, peribitis in via. Futurum enim eſt, inquit, ut Filius iraſcatur tandem, Nunc offert vobis oſculum, ut à vobis viciſſim ferat oſculum. Inſigni enim amore complectitur genus humanum. Venit enim in hanc carnem non ut judicet, non ut damnet, ſed ut oſculetur nos, & oſtendat nobis amorem, quo nos amplectitur. Si igitur eum non viciſſim fueritis oſculati, nulla religio, nulla juſticia, nulla ſapientia vos ſublevabit, Sed ſimpliciter manebitis ſub ira, & peribitis in ira. Sed mundus minas has non curat, putat diverſum futurum, ſperat gratiam Dei per ſua opera, & juſticias ſuas, ſed fruſtra. Definita enim ſententia eſt, Qui non crediderit, condemnabitur.

Marc. 16.

Septua-

Septuaginta fecerunt, Ne pareatis de viá justa. Itaque interpretes distinxerunt, esse aliam viam bonam, aliam malam. Sed pugnant hæc cum Ebræo. Ibi enim simpliciter est, ne pereatis in via. Sententia igitur est, Quod simpliciter prohibet Spiritus sanctus, ne confidamus in vllis vijs nostris, etiamsi speciosissimæ & optimæ esse videantur. Papæ regnum habet magnam speciem, Iura civilia quoq; merito celebrantur, tanquam insigne donum Dei, & necessarium ad publicam tranquillitatem, Carthusianus etiam habet splendidam viam, in qua incedit, Sic aliorum ordinum sunt certæ viæ. Sed quidquid hujusmodi est in universo orbe terrarum, hoc totum, nisi Filium osculeris, est nihil, nisi ira & damnatio, & ira faciet, ut viæ hæ aboleantur & pereant. Si enim Religio veteris populi consistere non potuit, hoc Filio abjecto & repudiato, Si illi, quorum erat testamentum, legislatio, cultus, sacerdotium, templum, vnà cum sua via perierunt, quid dicemus de vijs electis sine verbo Dei, quales sunt Papistarum?

Via nostra.

Iura civilia.

Emphasis igitur est in vocabulo, via. Non enim dicit, peribitis in errore, sed in via, hoc est, instituti cultus, electa opera ad salutem, vobis exitio erunt. Miserabile autem est, quod Monachus, qui noctu diuq; aliud nihil agit, quàm ut affligat corpus suum, aliud hac diligentia non efficit, quàm ut subijciatur gehennæ flammis. Sic Iudæi, magno Zelo pugnantes pro Lege & sacrificiis, habent viam, qua putant recta tendere ad vitam, sed in hac via pereunt, ita ut sint in vago errore animæ & corporis. Sic Regnum Romanum habuit viam, qua putavit vinci posse omnia pericula. Sed omnes hi, quia Filium non sunt osculati, perierunt in via sua, & cum via sua. Hodie quoq; Dei beneficio videmus perire Papam in conspectu nostro, cum variis suis viis. Est enim hujus Filii ira, divina ira, & habet potestatem, non est vana, aut sine viribus ira, sed vult haberi pro Deo & coli, aut minatur interitum.

Peribitis in via, inquit, non in errore.

Exempla pereuntium.

Via Romani Regni.

Filij ira.

Auget autem comminationem, quod addit Spiritus sanctus, Brevi exarsuram iram hanc. Vtrunque enim complectitur, & omnipotentem esse hanc iram, & admodum propinquam, Dum cessat, longissime videtur abesse, non iis solum, qui iram hanc non experiuntur, sed etiam piis, qui interea affliguntur & torquentur. Sed definita sententia est, Brevi exardescet, hoc est, Certissime veniet, ac veniet tum, cum dixerint, Pax & securitas. Sic Iudæi ruinam suam non existimabant, tam esse propinquam. Nostro quoq; tempore Papatus cœpit ruere, cum esset securissimus. Nunc quoq; nescio, quid spei alant hostes Euangelii, Sed fiet secundum Scripturam, Non dimidiabunt impii vias suas.
l. 55. Nunc annis amplius sexcentis hoc agunt Pontifices ut potiantur Romano imperio, Sed falsi sunt spe, & omnes conciderunt in ipsis conatibus, iiq; omnium turpissime, qui sapientia & calliditate erant instructissimi.

Brevi exardescet ira ejus.

Est autem causa hujus judicii & ruinæ impiorum, hæc quoque. Quod etsi Filius in brevi irascetur, tamen pii eam quoq; orationibus suis vrgent. Itaque sicut Christus de iniquo Iudice & vidua dicit, Deus quoq; faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die & nocte, & cito quidem eam faciet. Sic in Apocalypsi, Veniet cito. Nobis quidem, qui patiamur interea, diutur-
l. 22. na & tarda videtur ira, Spes enim, quæ tarda est, affligit animum, Sed impiis admodum est brevis. Obruuntur enim tum, cum putant se esse tutissimos. Itaq; in momento videntur perire. Nunc cum audiunt has minas, secure eas contemnunt. Sicut de Latrone quodam narratur fabula, qui cum viatorem quendam spoliaret, & ille pœnam in vltimo die exolvendam clamaret, Eja, inquit latro, si tam diu differetur pœna, bene mecum agetur, Nunc igitur hac spe, præter tunicam etiam interulam mihi trade,

Spes tarda.

Securitas impiorum & tardum interitum.

Tales sunt omnes impii Sed cum apprehendit eos pœna, tum canunt
m. 19. stultam hanc cantionem, Non putaram. Sodomitæ Loth monentem fideliter, etiam convitiis incessebant. Ingressus es, inquiunt, ut advena, nunquid igitur judica-

Non putaram.

judicabis nos? Securi scilicet erant. Sed cum oriretur mane Sol, hauriebantur cœlesti flamma & hiatu terræ. Sic ostendit se ira hæc, quæ cito venit, & priusquam impii id possunt credere.

EST igitur hæc gravissima comminatio & plena terroris, quæ ipsa cogitatione saltem occideret nos, nisi addidisset Spiritus sanctus necessariam consolationem. Distinguit enim inter eos, qui Filium hunc osculantur, & qui non osculantur. Qui igitur non volunt osculari Filium hunc, sed propter justiciam suam inflati sunt, his irascitur & minatur exitium. Qui autem Filium osculantur, qui propter peccata sua in metu sunt, & tamen propter Filium Dei spem concipiunt, hi inquit, beati sunt. Sic Angeli ad sepulchrum Domini discrimen faciunt, cum mulierculis dicunt, Nolite timere. Non enim ad eas terrendas advenerant, quæ Christum amabant & quærebant, sed ad terrendos custodes, qui operam suam addixerant Pharisæis & Pontificibus, ad Christi gloriam opprimendam. Sicut igitur personæ differunt, Ita etiam differunt conciones, Concio misericordiæ pertinet ad perditos & afflictos, Hi enim erigendi sunt. Concio autem iræ & pœnarum pertinet ad duros & securos, Hi sunt contundendi malleo legis. Sic sunt quasi duo mundi, vnus Diaboli, in quo sunt homines securi, superbi, negligentes Dei & Euangelij. Hos monet Spiritus sanctus, ut securitatem exuant, aut futurum, ut pereant cum via sua. Alter mundus est Christi, In eo sunt homines afflicti & calamitosi, qui sensu suorum peccatorum conturbantur, & metuunt peccatorum pœnam, mortem æternam & iram Dei, Et tamen, quia vident Filium Dei victimam factum pro peccatis, concipiunt spem misericordiæ. Hos Spiritus sanctus consolatur egregio verbo, Beati, inquit, sunt omnes, qui in eo fidunt, seu sperant.

Beati qui confidunt in eum.

Matth.

Duo mundi. Alter Diaboli. Alter Christi.

Docet autem simul de vero Dei cultu, quod colere Deum nihil sit aliud, nisi totam fiduciam in hunc Regem ponere, & niti ejus auxilio atque ope contra mortem, peccatum & Satanam. Verbum igitur sperandi exponit osculum, de quo supra dixit, Q. D. Respicite in hunc Regem, sitis læti & jucundi, ac cor vestrum imbuite bonis de Deo cogitationibus, per hunc Filium, qui vobis à Deo Patre proponitur osculandus. Nam quidquid cæterarum rerum est in mundo, id omne contristabit, non afferet consolationem, aut opem contra mortem, & peccatum, ne quidem sanctissima vita, bona opera seu justicia vestra. In hoc autem Filio invenietis fontem salutis, & omnis consolationis. Igitur non tantum sperate in eo, sed etiam statuite vos beatos esse, cum in eo speratis.

Colere Deum verum.

Ad hunc modum describit hic Psalmus cœlestem religionem & veros cultus, cum vera Ecclesia & ejus capite Christo, Vt, quanquam Ecclesia in mundo lateat abscondita, & videantur dominari Satan & impii, imo etiam caro nostra, tamen Ecclesia, per fidem in hunc Regem, vincat tandem & triumphet contra Satanam & totum mundum, Secundum sententiam hanc, Beati omnes, qui confidunt in eo. Itaque in tantis difficultatibus, cum quibus hodie conflictatur misera, & quasi vndique oppressa Ecclesia, nos quoque consolationem hanc ambabus teneamus manibus, quod sperantes in Christum filium Dei, sumus beati,

AMEN.

PRAEFA-

PRÆFATIO D. M. L.
IN DECLAMATIONES ILLVSTRIVM PRINCIPVM IVNIORVM SAXONIAE, IOHANNIS FRIDERICI II. & IOHANNIS GVILHELMI, Fratrum.
Anno M. D. XLIII.

VIDIMVS & audivimus his diebus singulare, & apud Germanos inusitatum exemplum, quod duo fratres, alter tertiumdecimum, alter quartumdecimum annum ingressus, ac pene (vt dicitur) infantes, habuerunt duas Orationes latinas contiguas, coram tota hac Vniversitate. Et hi fratres, non infima, nec mediocris. Sed summa nobilitatis, puta summo clarissimoq; loco nati, nempe filij illustrissimi Principis nostri & Domini D Iohannis Friderici Ducis Saxoniæ, Electoris &c. omnium studiorum, artium, & virtutum patroni clementissimi. Qui & ipse cum aliquot alijs Principibus vnà præsens audiebat, magno (vt credere par fuit, & satis apparebat) gaudio, scilicet Pater filios suos, ea ætate tàm feliciter, idq; brevi tempore, in literis profecisse.

In annum 43. & hæc referenda erant, sed tardius exhibitum exemplar, ne id fieret obstitit.

Ego sanè inter cæteros admirabar vehementer, non solum istam animi magnitudinem in pueris, qua in tali ac tanto cœtu, nihil territi, latinè & dexterrimè perorabant, sed etiam tam purè, tàm graviter, tam distincte, ac ferè memoriter, quasi ex tempore dicerent, omnia pronunciabant.

Simul succurrebat recordatio temporis paulò superioris, in quo non invenisses ex omni (quod dicitur) multitudine Ecclesiastica, Pontificum etiam Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, addo Doctorum, & quicunq; voluissent denique audire doctissimi inter eos, qui tale aliquid præstare potuisset. Certe magnum decus, magnamq; gloriam litera, utut sint apud alios magnates & procercs contempta, in istis clarissimis & illustrissimis Principibus consecuta sunt, nec minore gloria ipsa vicissim Principes tantos ornaverunt.

Hi videas, quid sit, quantumq; valeat bona institutio, præsertim, si contingat (vt hic) natura formabilis & ingenium idoneum. Qua in re optimi parentis & illustrissimi Principis consilium & voluntas mirificè extollenda sunt; qui filios suos non vulgari more Principum & nobilitatis dilexerit, id est, otio & ignorantia negligi passus sit, Sed omni studio & cura eos rectè institui & erudiri curavit, Vt essent non tantum sanguinis genere clarissimi, Sed & literis ingenijq; cultu, cunctis nationibus admirabiles. Sed ipsæ orationes mihi omnem materiam laudis præripuerunt, ex quibus ipse Lector intelliget, plura quàm mea ficca ista, & jejuna, seu horrida & sordida oratio dicere potest.

Hoc reliquum est, vt optimis pueris, clarissimisq; Principibus, omnia benè precemur, & oremus Deum Patrem, largitorem istorum & omnium bonorum, Vt cœptis istis felicibus studijs & institutis, feliciorem successum, felicissimumq; fructum, benedictione abundantis gratiæ suæ donare dignetur. Quod eò magis orandum est, quòd hoc seculo ingrato & pessimo, dubitare nos Christiani non possumus, quin Diabolus omnium bonorum, ipsiusq; Dei hostis furentissimus, & sicut Leo rugiens, & confessioni Euangelij per istos Principes exacerbatissimus, tentabit omnibus studijs & insidijs, si non perdere omnino poterit, tamen impedire & frustrari hac divina dona.

Et videmus in sacris Historijs, imò & in omnium Gentium Historijs, quibus, qualibus, quantis machinis & astutijs in aulis Regum & Principum (quia ex illis maximos & saluberrimos fructus in Ecclesiam & Politiam proferri sentit) regnare semper tentarit, & omnia invertere studuerit, Vt nisi Principem ista coronet & compleatur Oratio, Psalmo 20. Protegat te nomen Dei Iacob, Mittat tibi auxilium de sancto, & de Zion tueatur te, Certè inter tot Dracones, serpentes, lupos, vulpes, & si qua

Ps. 20.

pejora

pejora sunt monstra Diaboli furentis ministeria, idest, inter fallaces Consiliarios, pessimos amicos, proditores ministros, rapaces proceres, ipse unus & solus nequeat onus suum sustinere & perdurare, Et tamen inter hos vivere & regere cogitur. Principes enim & quod optimum & summum in Mundo est, unicè & avidissimè petit, Delicatæ est gulæ (ut dicit Habacuc) esca ejus electa, & Tyranni ridiculum ejus sunt. Habac. 1.

Quapropter commendatos habeat sibi Ecclesia, & quisquis est, qui Christi esse voluerit, hos optimos Principes, & eorum studia ac gubernationes, fideli & seria apud Deum oratione juvet, contra Diabolum hostem illorum præcipuum. Quâ in re faciemus non solum gratissimum sacrificium Deo, Sed nobis ipsis quoq; necessarium & salutare beneficium. Quis enim cogitando, nedum dicendo, consequi potest, quàm beatæ res sit, sub bono & salutari Principe vivere, Qui & gloriam Dei, & salutem Reipublicæ quærat, augeat & conservet? Dona sunt hæc, & (ut Scriptura loquitur) benedictiones Dei opulentissimæ.

Ipse Dominus IESUS CHRISTUS *filius Dei, qui cœpit bonum opus suum in istis fratribus Principibus, det, ut non solum alijs Principibus, Sed sibi ipsis, has duas orationes cumulatissimo opere & fructu recitarint, recitent, retineantq; semper, ad gloriam Dei, & salutem hominum,* AMEN.

ANNVS CHRISTI
M. D. XLVII.
COMMENTARIVS D. M. L.
IN IOELEM PROPHETAM, M.D.XLVII.

ARGVMENTVM IN JOELEM
Prophetam. D. M. L.

QVo tempore Joel concionatus sit, ideo dubitatur, quia in titulo nullam Regum mentionem facit. Et tamen considerantibus diligentius Argumentum, non leves conjecturæ se offerunt, quas secuti, statuamus eum post Esaiam vixisse, ac Esaiam natu majorem fuisse. Primò enim non facit Regni Israelis mentionem sicut Oseas & Esaias, Itaq; id ab Assyrio jam vastatum, & decem tribus abductas arbitramur, cum Joel cœpit concionari. Deinde diserte ostendit se de vastitate per Babylonios futura, & de tribu Iuda loqui. Facit enim mentionem domus Domini, quæ tantum in Ierusalem fuit, ac dicit interijsse sacrificium & libationem. Et si igitur Reges nullos nominat, tamen in postremis Hiskiæ temporibus, aut sub Manasse vixisse eum judicamus.

Argumentum concionum Joelis.

Quod autem ad Argumentum concionum Joelis attinet, fere idem est, quod Oseæ, Amos, & Esaiæ. Minatur enim vastationem per Babylonium futuram, ac hortatur studiosè ad pœnitentiam & orationem. Hæc enim est verum Asylum, ad quod si confugimus, etiam in medijs periculis servamur. Hodie Ecclesia varie periclitatur. Impij Mahometistæ magno successu contra nos pugnant, nec minus nobis à Pontifice, & ejus complicibus periculum ostenditur. Hoc enim magno conatu post varias & multas insidias agunt, ut specie Concilij, ad componendam religionis causam instituti, armentur Reges & Principes contra miseras nostras Ecclesias, quæ idololatriam Pontificiam abjecerunt, & Euangelij sanam doctrinam amplexæ sunt. In his malis, quæ aut Ecclesijs utilior doctrina, aut consolatio uberior proponi potest, quàm Joelis conciones? Diligentissimè hortatur suum populum ad pœnitentiam. Præscribit formam, qua in tantis periculis ad Deum orantes utamur, Addit consolationes insignes de misericordia Dei, & ineffabili patientia seu longanimitate.

Prima pars concionum Joelis.

Quia

Digitized by Goog

Quia autem admonitiones hæ piæ & neceſſariæ à vulgo contemnebantur (Sicut hodiè quoq; ad ravim uſq;, ſed fruſtrà clamamus, ut minuant noſtri homines luxum, ut liberaliùs adjuvent Eccleſias, ut caveant ſcandala, & ſuo exemplo ad timorem DEI alios quoq; aſſuefaciant) Convertitur Propheta ad reliquias ſanctas, quas publica calamitas, tanquam impetus aquarum multarum ſimul abreptura erat, concionatur de Regno DEI, per Evangelium propagando in totum orbem terrarum, Docet de beneficiis Chriſti, quòd donaturus ſit Spiritum ſanctum; Vaticinatur de novis & aliis cultibus, quàm illi in Lege erant, ac alia dicit eorum præmia fore. Habentur, inquit, jam populus Dei, qui ſunt circumciſi in carne, qui immolant tauros, qui offerunt libationes, ſed tam fiet, ut omnis, qui invocat nomen Domini, ſalvus fiat. Tandem addit admonitionem ad omnes gentes, ut volentes colla ſubmittant Evangelio, Futurum enim, ut qui Evangelio credunt, damnentur in æternum.

Altera pars concionum Ioëlis, Evangelium.

Hæc ſumma concionum Joëlis, Nec levis ei auctoritas inde acceſſit, quòd in novi Teſtamenti primâ concione de Chriſto Filio Dei paſſo & reſuſcitato, hujus Prophetæ teſtimonio Petrus uſus eſt, contra impiorum impias calumnias, blaſphemantes Spiritus ſancti admirabile opus. Meritò igitur has quoq; conciones explicandas ſuſcipimus, tàm ad noſtra tempora aptas, ac ad afflictas Eccleſias conſolandas neceſſarias. Filius Dei, qui ad dextram Patris ſedet, nos quoq; Spiritu ſuo regat, ut dicamus utilia, & multorum animi lectione hujus Prophetæ ad timorem Dei excitentur, nosq; his miſeris temporibus experiamur Deum verè eſſe benignum & miſericordem, patientem, & multæ miſericordiæ, & quem pœnitet mali, quod propter peccata noſtra de nobis cogitavit, Amen.

Ioël citatus in novo Teſtamento.

CAPVT I.

Verbum Domini, quod factum eſt ad Joël, filium PethuEl.

Propheta ex Spiritu Dei vaticinantur.

HOc uſitatum Prophetis exordium eſt, ſed auguſtius longè, quàm prima fronte appareat, quod non ſuas cogitationes, non conſilia ſua, ſed DEI verbum afferunt, quod Dominus locutus eſt, nec ullâ ratione impediri aut mutari poteſt. Plato Homeri verſum elegantèr amplificat, in quo Minoa Cretenſium legislatorem, vocat, ὀαριστὴν Διός, auditorem Jovis, Sed hoc nomen nos Prophetis meritò verè tribuimus Non enim afferunt à ſe excogitatas ſententias, quæ ex ipſo DEO audierunt, quæ creator omnium vel per ſomnia, vel per viſiones eis oſtendit, ea patefaciunt & explicant. Sunt autem, non ſicut illa gentilium, de terrenis & perituris rebus, Excitant animos Prophetæ ad timorem DEI, Inſtillant animis fiduciam in miſericordiam DEI, Docent, ut caveamus ſcandala, ac hortantur ad obedientiam, Tandem patefaciunt viam ad æternam vitam, fidem in Filium DEI, verè ὀαριστὰς Θεοῦ. Nam regit mentem & linguam æternus & omnipotens DEI Spiritus. Ideò David hoc ipſum beneficium graviſſimè commendat, cùm poſt alia beneficia infinita etiam hoc commemorat. Annunciat verba ſua Jacob, Iſraëli ſtatuta & judicia ſua. Non fecit taliter ullis gentibus, nec judicia ſua manifeſtavit eis. Hoc enim ſolius Eccleſiæ donum eſt, quod habet Spiritus DEI eruditos Doctores, qui de voluntate DEI & vera ſalute doceant.

Doctrina extra Eccleſiam qualis.

Extra Eccleſiam ſunt quoque multa præclara ingenia, Sed hæc præter rationes lumen nihil vident, Itaque DEI verâ cognitione deſtituuntur, imò ne ſe quidem norunt, In peccatis ſunt ſecuri, Judicium DEI, dum abeſt, ſecurè contemnunt, viam autem, quâ ad æternam vitam itur, prorſus neſciunt. Aut enim immortalitatem, ceu vanum ſomnium rident, aut, præter Legis notitiam, nihil vident. Si præſtent honeſtatem in moribus & vita, ſperant ſe diligentiæ ſuæ præmium apud DEUM in futura vita inventuros. Hæc cæcitas humanarum mentium ſemper eſt extra Eccleſiam, ubi non ſunt ὀαριστὰὶ Θεοῦ, nec ſonat iſta vox Dei.

Capita doctrinæ Chriſtianæ in Prophetis.

Sed cùm DEUS ſibi ſeparaſſet populum, abjectis impiis gentibus, quæ Verbum abjecerant, & ſequebantur ſua ſtudia, hoc perpetuum ei conceſſit donum, ut ha-

I. *Timor Dei.* ut haberet pios, & à Spiritu ſancto eruditos Doctores, Hi & ad timorem Dei, & ad Fidem ſuos exhortabantur. Hæc enim duo ſunt capita, in quibus omnis de pietate doctrina conſumitur. Doctrina timoris non ſolùm complectitur exhortationem ad obedientiam erga Legem Dei, ſed etiam pœnas. Atque hîc Prophetarum ſingulare donum cernitur. Nam divinitùs eis oſtendebatur, vel per ſomnia vel per viſiones (Num 12.) per quos, quo tempore, & quo modo Deus peccata populi ſui eſſet puniturus. Hæc pœnarum diſerta denuntiatio, ſingulare Dei beneficium fuit, quod propter electos conceſſit Deus, Primùm, ut hi in communibus periculis, vitam regerent diligentiùs, & præteritorum peccatorum veniam à Deo expoſcerent, Deinde, ut turbatis imperiis, tamen retinerent ſpem de venturo Chriſto, & manſura hac Eccleſia, quam Deus circumciſione & lege ornaverat. Ac magnum hoc miſericordiæ, longanimitatis, & patientiæ Dei argumentum eſt, quod non ſubitò peccatores obruit, ſed per Verbum revocat in viam, &, ut Paulus ait, pœnitentiæ ſpacium concedit, tantò ante denunciata futura calamitate, & pœnis peccati per Prophetas ſuos.

II. *Fides.* Doctrina Fidei complectitur promiſſiones de Chriſto & Regno ejus. Hîc quoque Prophetarum ſingulare donum cernitur. Nam per Spiritum ſanctum perſonam, miniſterium, afflictiones & gloriam Chriſti, ſeu Meſſiæ, imò etiam tempus ipſum, quo revelandus eſſet, noverunt. Fuit autem ſummè neceſſarium, hæc de Chriſto doctrina, ut ſæpè & perplures repeteretur. Nam tot triſtibus caſibus jactatus populus Judæorum eſt, ut, niſi ſubinde vaticiniis de Chriſto pii erecti eſſent, facilè omnem ſpem de ejus futuro Regno abjicerent. Sed Prophetæ luculentis teſtimoniis de Chriſto, piorum ſpem confirmarunt, ut in omnibus periculis ad Semen promiſſum reſpicerent, & per id benedictionem æternam expectarent. Hoc igitur Prophetarum miniſterium fuit in Eccleſia, ſeu populo Dei admodum neceſſarium.

Nos hodiè alteram miniſterii ipſorum partem de Chriſto, & ſpe æternæ gloriæ habemus multò luculentiorem. Quæ enim ipſis futura erant, nos videmus jam per Filium Dei impleta, Scimus expiata peccata, per Chriſti mortem; Per ejus reſurrectionem autem mortem & Satanam victum ac proſtratum, Nec leve Spiritus ſancti teſtimonium eſt per verbum illabentis in corda fidelium. Altera pars miniſterii Prophetici, quod pertinebat ad futurarum calamitatum prædictiones, hodiè minùs neceſſaria eſt. Non enim ſicut illis temporibus, Monarchiarum tot mutationes Regno Chriſti minantur, quòd non ampliùs in uno certo loco conſiſtit, ſed eſt ſparſum in totum orbem terrarum. Itaque ſi in una parte orbis terrarum propter peccata populi Eccleſia turbatur, in alia parte viget & floret, & quotidiè ſuccreſcit nova ſoboles, ac longiùs propagatur, ſicut Hiſtoriæ oſtendunt. Expectamus autem omnes Filium DEI venturum in nube, & judicaturum vivos & mortuos, ac piis donaturum æternam vitam, Impiis autem æternas pœnas irrogaturum. Deinde ſcimus, quòd, qui Verbum non amplectuntur, etiam corporalibus pœnis exercebuntur. Hæc generalis Prophetia hodiè nobis ſatis eſt, etſi tempus & modum futurarum pœnarum ignoramus. Et tamen ne hoc quidem donum prorſus extinctum eſt, ac inde uſque ab Apoſtolorum tempore quædam futurorum præſcientia in Eccleſia fuit, quâ admoniti pii gubernarunt mores diligentiùs, & mitigationem calamitatum à Patre in cœlis cum certa ſpe liberationis expectarunt. Omnia enim hujuſmodi dona propter Eccleſiam & pios DEUS orbi concedit.

Audite hoc ſenes, & auſcultate omnes habitatores terræ. Num hoc factum eſt in diebus veſtris, aut in diebus Patrum veſtrorum? De eo narrate filiis veſtris, & filii veſtri filiis ſuis, ac filii eorum generationi alteri. Quod ab Eruca reli-

Digitized by Google

relictum est, comedit Locusta, Quod à Locustis relictum est, comedit Bruchus, Quod à Bruchо relictum est, comedit vermis.

Ferè omnes interpretes, tum veteres, tum recentiores hanc de noxiis vermibus concionem allegoricam esse putant, Ac quidem longiùs provecti, non unius temporis historiam à Propheta ſignificari contendunt. Nam pro varietate vermium varias externarum gentium irruptiones intelligunt, Erucas Assyrium, Bruchos Babylonium, Locustas Alexandri posteritatem, Rubiginem Romanos interpretantur. Hæ enim Monarchiæ populum DEI graviter afflixerunt, donec tandem propter contemptum Evangelii, & idololatriam sub Romanis penitùs concidit. Hanc sententiam, si quis amplecti volet, non impediam. Diligens tamen Interpres hoc ubique sequetur, quod cujusque loci maximè proprium est. Moveor igitur primùm autoritate Mosis, ut historica hæc, & non allegorica esse judicem. Sic enim minatur Deut. 28. Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis, quia locustæ devorabunt omnia, Vineam plantabis & fodies, & non bibes vinum, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vastabitur à vermibus. Ergo plaga, seu peccati pœna definita est noxiorum vermium copia, qua annona perit, Deinde convenit cum Mose experientia quoque. Etsi enim hæc noxiorum vermium multitudo per se pœna est peccati, tamen videmus eam etiam cum significatione esse alicujus gravioris pœnæ secuturæ. In multis Germaniæ partibus, Anno Domini 1544. locustæ ingruerunt, ac longè lateque depopulatæ sunt agros, ac superiore anno, hoc est, 46. finitima Italiæ loca, ad Tridentum, & Saxoniæ partem, quæ Silesiam attingit, magno numero infestarunt, ac usque ad Regium montem Francorum progressi sunt. Vastati igitur agri, ac radicitùs exesæ segetes per se, sunt pœnæ peccatorum. Sed cùm inusitatum quiddam, ac multis retrò seculis non auditum hoc malum esset, etiam pro signo id pii acceperunt, quo Deus ostenderet futuras clades per impiam & barbaram aliquam multitudinem. Sicut apud Judæos quoque hanc agrorum vastationem subsecuta est gravissima vastitas per Babylonium, qui longè gravius afflixit terram, quàm hæc vermium noxia multitudo. Statuo igitur non allegorica hæc esse, sed revera impœnitentem populum punitum non uno anno noxiis vermibus, qui agros & fruges omnes depasti, famem & pestem conciliarunt. Hæc prima, sed adhuc mitis & tolerabilis pœna fuit, quàm subsecuta postea est gravior, de qua paulò post dicit, nempe barbarus hostis, qui omnia evertit.

Opinio interpretum de noxiis bestijs.

Vera hujus loci sententia.

Deut. 28.

Locustæ volantes.

Quod ad Grammaticam attinet, sicut in omnibus linguis, ita in Ebræa quoque magna opinionum de propriis nominibus varietas est. Gazam, Erucam ferè vertunt, à verbo (Gazaz) quod significat tondere, abradere, ac convenit etymon cum hac bestiola, nam & herbas & folia demetit dentibus. (Arbeh) locusta est, ea nomen habet, quod cum magna multitudine se effundat. Sive enim volant, sic catervatim volant, ut nubem esse putes, sive occupant agros, ita quasi colligantur, ut nusquam pedem possis figere (Ielcq) bruchum vertunt. Habet autem nomen à (Iaqaq) quod lingere significat. Nam lingendo nocet (Chasil) in genere vermis nomine reddidi. Nec dubium est ex pluribus Scripturæ locis, asse noxiam bestiolam seu vermem. Habet autem nomen à (Chasal) quod significat perdere, vastare. Hieronymus vertit rubiginem, quæ sequitur noxium rorem, den Meltham. Hic enim cùm in folia depluit, sole superveniente, animatur & vivit, ac variè nocet arboribus & plantis.

Sed inquies, Cur Propheta commemorat jam præteritam eladem? Ostendit enim hæc jam accidisse, nec superioribus temporibus simile aliquid unquam esse visum. Prophetarum autem hoc proprium judicatur officium de futuris, ut doceant, non de præteritis: Sed arguit hæc ipsa res hominum incredibilem

Præteritam commemorat Prophetа.

ſtuporem. Etſi enim Deus talibus peſtibus peccata hominum ſolet punire, tamen quotusquiſque eſt, qui cum haec patitur, ſenſu peccati ſui tangatur? qui Deum judicet ſeriò iraſci? qui ſeriò de emendatione peccati cogitet: Verè, ut in fabula eſt, homines ſcientes & videntes in exitium ruunt. Tanta igitur cùm ſit noſtrorum animorum cæcitas, ut etiam mala, quæ ſentimus & patimur, non intelligamus, Ideò Propheta præteritas calamitates proponit, docet eas eſſe peccatorum pœnas, ac pro miniſterii ſui ratione vocat populum ad pœnitentiam, hortatur, ut hanc Dei iram cognoſcant, & de ea mitiganda per veros fructus pœnitentiæ cogitent.

...humanorum animorum, quòd nec in noſtris ſenſibus affligimur.

Nos hodiè experimur calamitates frugum accidere frequentiores, Non, ut olim, intervalla ſunt annorum, quibus peſtis venit, Etiam loca, in quibus aura ſalubrior eſt, ſingulis ferè annis ſentiunt peſtilitatem. De bellorum rumoribus, & aliis periculis, quibus involvimur in dies altiùs, nihil dico. Verè enim in ea incidimus tempora, quorum ſuperior ætas nihil vidit ſimile. Sed ecce omnes ferè tanquam attoniti, etiam quæ oculis videmus, quæ palpamus manibus, non videmus, nec curamus. Alioqui ſi ſeriò ſtatueremus immitti hæc ab irato Deo, ac noſtrorum peccatorum pœnas eſſe, profectò commoveretur animis, & de pœnitentia cogitaremus. Non igitur ſatis eſt, quòd Deus affligit nos, quòd mittit varias peſtes. Excitanda enim hæc ſunt per miniſterium Propheticum, & ſubjicienda attonitorum oculis, alioqui fiet, ut prorſus negligantur, Sicut beneficia quoque, niſi per verbum excitemur, egregiè negligimus, nec ſtatuimus ea à benigno Patre donari, atque idcò quoque in eorum uſu ſumus incautiores.

Atque hæc cauſa eſt, cur dicat Propheta, Audite hoc ſenes, Auſcultate omnes, qui habitatis terram, Dicite hæc filiis veſtris, &c. Primùm enim opus eſt, ut per miniſterium Verbi, tum ira Dei, tum miſericordia inculcetur animis. Sed hoc non ſatis eſt, niſi poſteà etiam œconomica diſciplina adjuvetur Doctor, ac parentes eadem diligenter, tum liberis, tum familiæ domi inculcent, quæ in publico ſeu templis, ex piis doctoribus audiunt. Hoc enim ſtudium ſi deſit, admodum exiguus publici miniſterii fructus erit. Sed translata pia doctrina in privatas domos, Iſta itæ exempla propoſita infirmæ ætati, ac inculcata diligenter, multiplicem fructum timoris Dei afferent. Itaque poſtulat ubique Deus hanc diligentiam à parentibus, vult propagari doctrinam pietatis, ut iræ exemplis deterrita infirmior ætas à peccatis caveat, & invitata inſignibus beneficiis Dei in omnibus periculis diſcat confidere miſericordiæ Dei, ac ſperare liberationem. Sicut autem certa benedictio hanc piorum parentum curam ſequitur, Nam in timore Dei educati liberi, verè ut Salomon dicit, Lætificant parentes, & ſunt corona parentum, Ita quoque ubi parentes hanc curam abjiciunt, & non ſolùm non inſtituunt ſuos ad pietatem, ſed etiam ſcandalis depravant ſuos, ibi neceſſariò ſequitur ira Dei, ac omnis generis maledictiones, quæ utroſque involvunt & parentes & liberos, Secundùm ſententiam, Dolor Patris filius ſtultus. Sic enim uſitata phraſi vocat Scriptura, qui religionis aut Verbi notitiam, aut curam nullam habent Sicut econtrà ſumma ſapientia eſt timere Deum, & verbum ejus obſervare. Debent autem pii Doctores in publicis concionibus ad hanc curam domeſticæ diſciplinæ ſæpè cohortari parentes, ac tum promiſſionibus, tum minis, tum exemplis, tum ſententiis ſacrarum literarum eos excitare, ne in hac parte officio ſuo deſint. Verè enim hoc ſeminarium pietatis, & nervus diſciplinæ eſt, ſi ad hunc modum domi à ſuis fideliter inſtituatur juventus. Neque hoc in loco tàm accurata Prophetæ exhortatio negligenda fuit.

Prov. 10.

Prov. 17.

Ejulate ebrij, & ululate omnes vini potatores propter muſtum. Periit enim ab ore veſtro. Gens enim fortis, & quæ numerari nequit, aſcendit ad terram meam, Dentes ejus dentes leonis,

leonis, & molares ei leonis, Vineam meam vastavit, & decorticavit ficum meam, penitùs eam decorticavit, ac projecit eam, albent rami ejus.

Suprà commemoravit præteritam pœnam, ac jussit eam diligenter considerari, ut hoc pacto se excitent ad pœnitentiam, hoc est, ut & agnoscant peccata, & emendent, Nunc vaticinatur de alio futuro & majore malo, nempe de hoste Babylonio. Qui non solùm longè latèque omnia sit vastaturus, sed etiam sublaturus cultum, quem Dominus in templo mandarat præstandum. Non autem temerè est, quòd cùm per peregrinum hostem minatur vastitatem agrorum, convertit orationem, non, ut Oseas & alii Prophetæ, ad Idololatras, ad adulteros, ad avaros, sed ad ebrios. Ostendit enim Deum odisse ebrietatem ac luxum, quæ peccata ferè, sicut etiam hoc tempore in Germania vidimus, vastitatem & publicas calamitates præcedere solent. Mundi judicium si sequaris, exiguum quiddam videtur adhibere plusculum, & inebriari. Ac tuo judicio, plùs peccant, qui avarè cumulant opes, qui defraudant alios. Ebrietas enim prorsus privatum peccatum judicatur, quòd etsi afferat sua incommoda, tamen quia privata sunt, exigua esse judicantur. Itaque non solùm nulla turpitudo in hoc peccato constituitur, Sed etiam ceu curarum & laborum quædam permissa mitigatio, ab omnibus studiosè appetitur. Ad hunc modum judicat mundus.

Vaticinatur de vastatione per Babylonios futura.

Ebrietatem arguit Propheta.

Sed si recta via rem æstimaverimus, statuemus, ebrietatem esse peccatum omnium maximum, quod secum infinita alia peccata trahit. Ac Gentes quoque non turpitudinem solam, sed etiam ingentia incommoda viderunt, quæ hoc malum affert. Itaque extant honestissimæ sententiæ, quibus commendatur sobrietas, Ebrietas autem ceu nocentissima pestis damnatur. Cùm enim bruta non plùs adbibant, quàm naturæ ratio postulat, an non magna turpitudo est, hominem nescire hac in re modum, & quasi violentas sibi afferre manus? Nudum prodire in conspectum honestorum hominum, volutari in cœno, saltare, non hominis, sed bruti est, Profectò autem non minùs contra naturam faciunt, qui immodico potu naturam obruunt. Amittunt enim, quod hominis proprium est, mentem, & in bruta degenerant. Omnes enim ebriorum motus ferales sunt. Si indignantur, ita non hominis, sed sævæ bestiæ est, quæ ratione nulla mitigari potest, Si solvuntur in gaudia (Nam, ut naturæ diversæ sunt, sic quoque vinum diversos motus in animis excitat) nihil videas dissolutiùs, sine omni pudore audent & faciunt quævis. Meritò igitur etiam gentes ebrietatem detestatæ sunt, tot modis naturæ hominis adversantem & nocentem.

Ebrietas magnum peccatum.

Judicia gentilium de ebrietate.

Luca 21. 1. Cor. 6. Ephes. 5. Osea 4.

Sed hoc nondum caput mali est, Sacræ literæ nos docent de his peccatis, quæ gentes non potuerunt videre. Sic enim concionatur Christus, Non graventur corda vestra crapula. Paulus dicit, Ebriosi Regnum Dei non possidebunt, Item, Cavete à vino, in quo est Asotia. Oseas quoque gravissimè dicit, Fornicatio & vinum auferunt cor. Has & similes sententias intuere animo diligentiùs, & patescent hujus peccati, non solùm summa fœditas, sed pericula & incommoda extrema. Si enim Medicus tantoperè dehortatur ab hoc vitio, quia gravat caput, quia incendit corpus, & mille morborum occasiones præbet, quantò hoc gravius est incommodum, quòd non solùm gravat corda ebrietas, sed etiam corda aufert, hoc est, tollit timorem Dei, reddit animos securos, accendit appetitus pugnantes cum lege Dei, adimit notitiam Dei, reddit ineptos ad invocationem, &, ut uno verbo dicam, Imaginem Dei lucentem in animis per verbum & fidem, hanc prorsus tanquam cœno involvit. Hinc sequuntur illi horribiles casus, quorum exempla infinita quotidiè conspiciuntur, quòd levissimis occasionibus plurimi intereunt, multi non animadvertentes involvuntur gravissimis peccatis. Verum enim est, quod Græcus Poëta dicit, *ἐμέθυσεν ἰκανὴ τερψις εἰς θ' ἁμαρτάνειν.* Ebrietas enim non minùs animum, quàm corpus ex-

Judicium Scripturæ de ebrietate.

armat. Itaque nocens hostis, & ubique insidias ponens, sine negotio ebriosos quibus vult, malis cumulat. Ac restat postea gravius malum, quod, ut Paulus inquit, Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Non solùm igitur fugienda ebrietas est, Sed, ut Christus monet, vigilare & orare debemus jugiter, ne intremus in tentationem. Matth. 26

Alia ex ebrietate mala.

Habes quomodo sacræ literæ de ebrietate concionentur, utile autem est, considerare reliqua quoque corporis & fortunarum incommoda, Subitos & exitiales morbos parit ebrietas, Corpus reddit ineptum etiam ad levissimas operas, ingenium penitus obruit, & fit, ut, sicut Seneca dicit, Vitia vino concepta, etiam sine vino durent. Rectè igitur Pythagoras ebrietatem τῆς μανίας μελετὴν dixit. Hoc enim ebriosis accidit, ut perpetuò videantur insanire. De Sophocle narrant, solitum eum reprehendere ob perpetuam ebrietatem Aeschylum. Etsi enim, inquit, bonos scribit versus, tamen laudem meretur nullam, quia nesciens hoc facit. Hæc enim recitantur ejus verba, εἰκῇ δέ τοι ποιεῖ ἀλλ' οὐκ εἰδὼς γε. Verè enim ebrii, sicut bruta sine mente sunt, non possunt intendere animum in seriam de gravibus rebus cogitationem. Si quid igitur rectè faciunt, fit hoc magis casu seu fortuna, quam industria, quæ in ebriosis prorsus nulla esse potest. Nascitur autem inde rei etiam familiaris detrimentum. Sicut enim Sirach dicit 19. Operarius ebriosus non locupletabitur, Non solùm idcò, quia sumptus ferè tolerare nequeunt, Sed etiam quòd tàm turpem optimi & saluberrimi doni abusum ferre nequit.

Magna igitur nostrorum hominum cæcitas, amentia, & impietas est, quòd tot modis noxium malum tàm amplectuntur avidè, & alios quoque ad id quibus possunt, invitant modis. Nulla habita ratione salutis æternæ, nulla corporum & fortunarum, quas extremè periclitari certum est. Pii autem has sententias sibi proponent ob oculos, & cùm audiant à Propheta, Ebriosos calamitatibus frugum puniendos, cum gratiarum actione, moderatè & sobriè utantur dono Dei, non ad luxum, sed ad corporis necessitatem. Ita fiet, ut non solùm effugiant pœnas tristissimas, Sed etiam certa pietatis suæ præmia ferant, ac gaudeant & exultent in benedictione Dei. Alii, qui tàm graves Christi & Apostolorum, & Prophetarum conciones contemnunt, & indulgent huic furori, hos nemo judicet Christianos esse.

Plange ut virgo sacco induta, propter Amasium adolescentiæ suæ. Periit oblatio & libatio de domo Domini, Lugent Sacerdotes, qui ministrant Domino, Ager vastatus est, Terra luget, quia frumentum periit, mustum erubescit, oleum sublatum est.

Sententia clara est, Pulchrè autem, quasi inspirat eam insignibus figuris. Scriptura inter præcipuos dolores commemorat luctum, quem parentes ex liberorum morte, & conjuges ex conjoralis interitu capiunt, Ac excellit in utroque muliebre genus, tanquam mollius, & ad ferendum tàm insignem dolorem infirmius. Ita hoc in loco comparat Propheta populum puellæ, non quidem nuptæ, sed quæ jam spem nuptiarum concepit, ac subitò tollitur spes. Quem enim adamarat, morte præventum videt. Hæc figura pulcherrimè cum re convenit, Vocabulum, Baal, non maritum, sed amasium significat. Sicut in Osea quoque diximus, nec dubium est, quin factum sit inde Germanicum vocabulum, Bul & Bulen. Fœdus igitur matrimoniale servatum fuit novo Testamento, in quo per mediatorem Christum, Deus tanquam sponsus se exhibuit Ecclesiæ suæ. Ille autem, qui sub lege inter Deum & populum legis, seu amor, seu conjunctio fuit, similis fuit amori, qui est ante nuptias. Deus amavit populum hunc, populus quoque adamavit Deum tàm varie benefacientem, ac nuptiæ, ut sic dicam, in spe fuêre, dum adolesceret populus, & ceu puella nondum nubilis, maturus fieret mari-

Similitudo puellæ sperantis nuptias.

marito. Sed quid accidit? Priusquam exhibetur Christus, populus propter peccata vastatur, & captivus abducitur à Babyloniis. Totis annis LXX. in captivitate sine cultu Dei, sine legibus patriis vivit. Igitur Propheta plorare eum jubet, ceu puellam, quæ amasium amisit, & nunc spe nuptiarum penitùs excidit. Difficile enim fuit sperare reditum, & pristinam Patriorum cultuum & morum restaurationem. Perstitata igitur simul est expectatio de Christo, de quo extabant testimonia, quòd in ipsa Judæa, stantibus adhuc patriis legibus, & cultu Dei esset nascendus, & tamen pu hanc spem retinuerunt. Volui autem admonere hæc de similitudine hac, quod illustrem significationem habet differentiæ, quæ inter Legem & Evangelium est, Offert se Deus in lege quoq; placidum & benignum, Sed nihil est is amor, ad amorem maritalē, qui in Evangelio per Christum ostenditur. *Nota legis & Evangelii.*

Quòd dicit periisse libationem & oblationem, id etiam refero ad magnam famem, & annonæ inopiam. Luctus Sacerdotum idem significat. Quia enim hi alebantur decimis, nec reliquarum tribuum exemplo ex agro vivebant, famis incommoda præ cæteris senserunt. Quòd autem addit, Mustum erubescit, coactus sum retinere hanc figuram, quæ etti in nostra lingua paulò sit durior, tamen admodum propria & elegans est. Cùm magna uvarum copia est, vites pulcherrimè exornatæ sunt, & quasi superbire judicantur suo dono, Sicut Poëta ridere prata dicit, cum commoditate tempestatum gramina & flores succrescunt. Sed hîc Propheta contrarium significat, cùm dicit (hobisch thirosch) confusum est mustum, deformatæ sunt vites, quia sunt sine fructu. Ideòque pudore suffunduntur, ægrè patiuntur se aspici, fugiunt quasi hominum conspectum, &c. Germani eadem figura utimur, Der Wein stehet schendlich vbel/&c. Sæpè hæc figura hoc in loco repetita est. *Quid sit prælibationem.*

Erubescite agricolæ, ululate vinitores, propter triticum & ordeum, quoniam periit messis agri. Vinea erubescit, & ficus vastata est. Malum punicum, item palma, & pomus, universa deniq; arbores agri exaruerunt. Nam gaudium filiorum hominum in confusionem versum est. Accingimini & plangite Sacerdotes, Ululate ministri altaris, ingredimini, pernoctate in saccis ministri Dei mei, quoniam prohibita est a domo Dei vestri, oblatio & libatio.

Longa hæc & admodum copiosa ad lachrymas & luctum exhortatio penè otiosa videtur. Sic enim judicamus natura fieri, ut calamitates luctum afferant. Itaque hoc potiùs faciendum, ut pressi malis animi erigantur & confirmentur. Sed nobis respiciendum est ad institutum Prophetæ. Hoc enim agit, Siquidem impendebat jam populo vastitas per Babylonium, ut populum ad pœnitentiam excitet. Est autem hic primus pœnitentiæ gradus, lugere, hoc est, non esse securum, agnoscere iram Dei, expavescere judicium Dei, dolere de peccato, emendare vitam, &c. Ad talem luctum invitat hoc in loco Joël, ac jubet deponi securitatem, jubet considerari iram Dei, & futuras pœnas, nisi sequatur emendatio vitæ. *Exhortatio ad luctum.*

Sed videas hìc mirabilem animorum perversitatem. Quantò enim malum est propius, tantò securiores ferè sumus. Itaque cùm lachrymis opus esset, solvimur in risum & gaudia. Vide Pharaonem, cùm proximus esset exitio, securè insultabat Israëli, & de eo mactando cogitabat. Quantò autem fecisset rectiùs, si & ingemuisset propter peccatum suum, quòd admonitus contempsisset Dei vocem, & populum Dei dimisisset liberum? NebucadNezar quoq; cùm immineret ei illa miserabilis calamitas, in quam omnes Reges intueri perpetuò debebant, quàm erat securus? quam placebat sibi de suis opibus & successu? Idem in Hamano vides, cùm proximus esset laqueo, securus de se, tantùm de Mardachæi *Homines quanto propiores mala, tanto sunt securiores.*

ſuſpendio cogitabat. Hæc & ſimilia exempla pingunt ſecuritatem humanorum animorum, quæ tum ſemper eſt maxima, cùm proximum eſt exitium. Sicut Salomo quoque dicit, Contritionem præcedit ſuperbia, & ruinam exaltatio ſpiritus. Prov. 16.

Idem accidit populo Judæorum, Imminebat vaſtitas & longa captivitas per Babylonium, jam anteà per portentoſam noxiorum vermium multitudinem magna annonæ calamitas facilè obliti, de futura, quam Prophera minabatur, nihil erant ſolliciti, vivebant in delitiis, indulgebant comeſſationibus, agebant triumphos, ac ſi nihil uſquam eſſet periculi, & certò omnibus malis eſſent defuncti, Itaque incautos oppreſſit hoſtis. Experimur eadem hodiè quoque. Loca vicina Turcæ, quæ quaſi in foribus hoſtem vident, quam nihil metuunt? quam ſequuntur & retinent cupidè notas ac uſitatas voluptates & delitias? Adeò ſemper ſui ſimilis eſt mundus, Cùm jubetur pœnitentiam agere, dolere de peccatis, expaveſcere iram & judicium Dei, agit ſecurus ludos, indulget voluptatibus. Meritò igitur cùm poſteà premitur malis, & urgetur periculis, ac erigendi jam animi erant fiducia miſericordiæ Dei, nullus lachrymarum finis aut modus eſt, & pronus in deſperationem fertur. Cur enim non audit Prophetarum pias admonitiones? Cur minas tàm ſecurè contemnit? Non igitur otioſa hæc copioſa ad lachrymas & luctum exhortatio eſt. Eſt ſummè neceſſaria, quanquam ferè fruſtrà eſt apud maximam hominum partem. Alunt enim ſecuritatem, quæ veræ pœnitentiæ maximè adverſatur. Pœnitentiæ enim initium eſt agnoſcere peccatum, perterrefieri judicio Dei ac metu meritæ pœnæ, & cogitare de emendatione, Sicut Prophera copioſiùs exponet. Quòd dicit, Gaudium filiorum hominum in confuſionem verſum eſt, in genere complectitur annonæ caritatem, natam non ſolùm ex tempeſtate, ſed magis ex numeroſi & crudelis hoſtis furore omnia latè populantis & vaſtantis. Nam colono gratius gaudium objici non poteſt, quàm ſi videat benedictione Domini ornatos agros ſuos. Sed hoc gaudium in totum periit. Cur? Quia ſecuri vixiſtis in peccatis, Prophetarum pias admonitiones neglexiſtis, Ad hæc acceſſit ingens abuſus donorum, & infinita ſcandala. His peccatis debetur pœna hæc. Illa autem major eſt, quòd peregrinus hoſtis etiam cultum tollit.

Sanctificate jejunium, Convocàte cœtum, Congregate ſenes, univerſos habitatores terræ in domum Domini DEI *veſtri, & clamate ad Dominum*.

Jejunia Papiſtica.

Jejunia Judaica.

Hæc eſt altera pars doctrinæ de pœnitentia. Apud Judæos alia jejuniorum ratio fuit, quàm apud nos. Sicut enim in Papatu omnes alii cultus, Ita jejunium quoque nihil eſt, niſi hypocriſis, Abſtinent à carnibus, ac cœna carent, Prandia autem habent lautiſſimè ex omni genere piſcium inſtructa, ac ventres ita farciunt, ut ſine moleſtia perendinum prandium expectare poſſint. An non inſignis hic Dei cultus eſt? Apud Judæos jejunium erat, abſtinere per totum diem ab omni cibo & potu. Id cùm per ſe grave ſit, rectè appellarunt eam afflictionem animæ. Vſitatum autem fuit, indicere jejunia publicè in magnis periculis. Sic Saul cùm periclitaretur exercitus, indicit jejunium. Heſter quoque indici jejunium poſtulat, cùm de liberando ſuo populo apud Regem eſſet actura. Ac videmus à Propheta hîc idem præcipi, cùm jam immineret Babylonica captivitas. Sed in ſecundo capite de jejunio, & aliis ceremoniis diſputabimus copioſiùs, Nunc, quod inſtitutum eſt, abſolvemus, ac integram pœnitentiæ doctrinam complectemur. Poſtquam præcepit de luctu, & per jejunium, quo quaſi præparandi ad ſanctas res animi erant, interdixit uſum voluptatum, & crapulam, hortatur univerſum populum, frequentes ad templum ut conveniant, & clament ad Dominum. Hæc eſt altera pars, quæ abſolvit pœnitentiam, Nempe, fiducia miſericordiæ Dei. Oratio enim includit fidem. Si enim nulla veniæ ſpes

ſpes relicta eſſet,cur orares? Seriò autem orans hoc animo fixum habet,futurum aliquem orationis fructum,hoc eſt,Deum miſerturum noſtri,ac liberaturum nos pro ſua miſericordia. Habes quid ſit pœnitèntia, Timere Deum,propter peccata admiſſa,dolere de peccato, odiſſe peccatum, ſeriò cogitare de emendanda vita. Hæc eſt una pars, Altera eſt, retinere ſpem veniæ propter miſericordiam Dei,quam oſtendit in filio ſuo promiſſo primùm,deinde exhibito, ut fieret victima pro peccatis totius mundi. Hic cultus Deo eſt gratiſſimus. Delectatur enim primò humilitate,Deinde iſta certa fiducia bonitatis per filium concepta. *Pœnitentia quid?*

Vtile autem eſt,ſicut hæc in genere à Propheta præcipiuntur toti populo, ut primùm lugeant, deinde in templo orent, Si ad eum modum ſinguli nos comparemus,conſtituti in periculis, & ſentientes iram Dei, ſeu flagellum. Vſitatum quidem eſt,dolere in malis,& vociferari,Sed Propheta de alio luctu loquitur, qui non ſolùm ex ſenſu pœnæ, ſed ex conſpectu peccatorum oritur, ſi ſcilicet ſeriò doleas, quòd ipſe tibi tuis peccatis extiteris tantarum calamitatum cauſa, Deinde ſi conjicias oculos in Chriſtum, & per victimam hanc à Deo propoſitam,diſcas niti fiducia miſericordiæ Dei, & exores ab eo veniam, Hoc eſt, ut non ſolùm ſperes liberationem corporalem, ſed etiam condonationem culpæ, ac donum Spiritus ſancti,qui porrò te regat, ne in ſimiles Sataнæ laqueos recidas. Hæc vera & unica ratio eſt emergendi ex periculis, ſed pauci eam ſequuntur. Aut enim circumventi malis, ſpem omnem abjiciunt, aut non ad Deum, ſed ad illicita remedia confugiunt, ſicut Saul. Ideò plerunque in mediis malis concidunt. Quæ ſequuntur, ſunt forma precationis. *Quomodo lugendum in publicis calamitatibus.*

Heu qualis dies? Propinquus enim eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas ab omnipotente venit. Nonne coram oculis noſtris annona ſucciſa eſt? Gaudium & exultatio de domo Dei noſtri? Computruit ſementis ſub glebis ſuis, Vaſtata ſunt horrea, Diruta ſunt granaria, quoniam frumentum erubeſcit. Quàm ingemiſcit pecus? Armenta boum confuſa ſunt,quoniam nulla inveniunt paſcua,Etiam ovium greges diſſipatæ ſunt,Ad te Domine clamo, quoniam ignis devoravit amœna loca deſerti, & flamma combuſſit univerſas arbores agri,Etiam pecora campi clamant ad te,Quoniam exaruerunt rivi aquarũ,& ignis devoravit amœna loca deſerti.

Doctrinæ ſeu exhortationi ad pœnitentiam ſubjicit Propheta hîc orationem,& prolixam ſatis,& mirè ardentem. Vtile autem eſt extare talia orationum exempla in Prophetis, contra prophanas imaginationes, quas imperiti ſacrarum rerum ſibi fingunt. Quidam enim in eo errore ſunt, ut ſatis eſſe putent,ſi de calamitatibus ſuis cogitent,Orationem autem ſeu recitationem certorum verborum putant otioſam & ſupervacaneam,ſiquidem cor inſpicit Deus, & intelligit cogitationes noſtras. Sed hæc ſententia ſi vera eſt, cur ipſe Chriſtus docuit orationem Dominicam? Cur ipſe in agone ſuo ter iiſdem verbis orationem repetit? Cur in ultima cœna tàm verboſam orationem pro ſe & Eccleſia inſtituit? Statuamus igitur invocationem illam mandatam,quæ ore fit,nec carete certo ſuo fructu,cùm mandata, & ab ipſo Dei filio uſurpata ſit. *De oratione vocali.*

Contrà alii, quia multiloquium prohibitum eſt, peccatum eſſe putant, ſi pluribus verbis in oratione utantur, Sed hi non intelligunt cauſam, cur battologiam damnet Chriſtus. Verè enim ſi rem æſtimes, non prolixitatem orationis,ſed infidelitatem damnat. Qui enim ideò utuntur longiore oratione, quaſi Deus aut cauſam non intelligat, tanquam imperitus Judex, aut non ſua ſponte exaudire velit, niſi longa oratione quaſi impellatur & excitetur, hi peccant. Statuere enim utrumque animi debent,Primùm,quod(ut Chriſtus dicit) *Multiloquium in oratione non prohibitum.*

Pater

Pater noſter in cœlis norit, quibus habeamus opus, Deinde, quòd ſponte & volens exaudire velit, Sicut dicit Chriſtus Lucæ 11. Si vos, qui mali eſtis, noviſtis bona dona dare filiis veſtris, quanto magis Pater, qui ex cœlo eſt, dabit ſanctum Spiritum ſe petentibus? Negligens & durus Judex opus habet longa inſtructione, ut cauſſam diſcat, & non ſtatim ad primum verbum flectitur, Talis, inquit Chriſtus, Pater cœleſtis non eſt, Igitur ſufficiet, ſi paucis exponas quid velis. Novit enim hoc priuſquam tu ores, & quia miſericors eſt, ultrò cupit dare. Hanc ſapientiæ & miſericordiæ laudem qui Deo non tribuunt, & ideò cùm orant, benè prolixi ſunt, non rectè orant. Sunt autem ferè tales orationes Monachorum, in quibus amplificantur non promiſſiones Dei, quod cum fructu fieret, ſed cruciatus Chriſti in cruce, & ſimilia. Luc. 11.

Prolixæ orationes piorum.

Propheta quidem hoc in loco ſatis prolixus eſt, Sed non ut doceat Deum, non ut cogitet Deum hoc modo flectendum, Suo affectu cogitur, ne ſit brevis, ac ipſa diligenti conſideratione præſentium malorum exuſcitat ſe, ut tantò oret ardentiùs. Idem facit Daniel in longa iſta oratione, pro liberatione populi. Idem facit Pſalmus 79. dum etiam tragica iſta addit, Effuderunt ſanguinem ipſorum, tanquam aquam in circuitu Hieruſalem, adeò ut deeſſent, qui eos ſepelirent, &c. Non dicuntur hæc quaſi aut neſciat ea Deus, aut hoc modo excitandus ſit ad ferendam opem, nec ſua ſponte oppreſſo populo adeſſe velit. Senſus mali tàm altè impreſſus eſt animis piorum, ut nulla quantumvis longa oratione exprimi poſſe videatur. Pſal. 79.

Bellum comparatur incendio.

Tragica hoc in loco figura eſt, cùm dicit igni devorari quicquid in agris amœnum eſt, & flammis exuri arbores, Sed quæ poteſt aptiori mago belli fingi, quàm ſi id compares cum incendio? Oppida, pagi, pacis tempore florent, exornantur, & omnium neceſſariarum rerum copia inſtruuntur. Sicut autem orto incendio omnia pereunt, ac miſerabilis facies ruinarum conſpicitur, dum omnia in cinerem redacta, confuſa jacent, Ita bellum omnia ornamenta tollit, ac relinquit informem vaſtitatem. Sic paulò poſt Propheta de Babylonio hoſte dicit, Terra ante eum eſt ſicut Paradiſus, ſed poſt eum deſerta ſolitudo. Sed hac pi-

Infra cap. 2.

ctura in oratione cur Propheta utitur? Cur non ſatis ei eſt dixiſſe, quòd hoſtis omnia ornamenta domi foriſque abſtulerit? An non videbat, notat, intelligebat hæc Deus qualia eſſent, etiamſi Propheta non ſic amplificaret? Norat quidem, nec Propheta ut Deum doceat, ideò ſic orat, Sed vehemens affectus, & ingens deſiderium ſperatæ opis, eum ſic facit copioſum, & vehementem oratorem.

Oratio debet ardere.

Non enim decet orationem eſſe languidam, Elucescere in ea debet fides. Quantò autem calamitas redditur atrocior, tantò faciliùs exauditio ſperari poteſt. Non igitur eris Battologus, ſi contra Turcicum Tyrannum orans, intuearis animo Pannonias, Macedoniam, Græciam, Aſiam, tot præclaras Eccleſias, tot millia hominum, qui aut gladio perierunt, aut degenerarunt in Turcicam impietatem. Excitatur enim hoc modo animus, ad diligentiorem orationem, & ad certiorem fiduciam exauditionis, ſiquidem Deus miſericors & bonus eſt, nec poteſt longiùs tolerare tantam crudelitatem.

Differentia inter orationem Ethnicam & veram.

Sed hîc obſervanda etiam eſt Emphaſis, quod dicit Propheta, Ad te clamo Deus. Diſcernit enim hoc modo ſuam, & ſui populi orationem ab Ethnicorum orationibus. Si verba ſpectes, etiam Turcæ, etiam Judæi hodiè in hunc modum orant, ut dicant, Ad te Deus clamo, Ac intelligunt ipſi quoque æternum illud nomen, à quo univerſa ſunt condita. Sed hoc nondum eſt Deum verè noſſe, ſi noris eum eſſe conditorem omnium rerum, Sicut enim hominem nondum noviſti, ſi veſtem aut os noris, Hæc enim jumenta quoque obſervant & norunt, Mentem ſi noris, tunc verè eum noviſti. Ad hunc modum, qui plus de Deo non norunt, quàm quòd conditor ſit cœli & terræ, verè Deum neſciunt, nec poſſunt verè invocare Deum. Quia enim animum Dei, qualis ſit, ignorant, coguntur dubitare cùm orant, nec poſſunt ſtatuere certi aliquid de exauditione.

De notitia imperfecta.

Pro-

Prophetæ autem alia invocatio eſt. Deum enim, quem invocat, verè novit, non ſolùm ex hoc ejus opere, quod oculis ſubjectum eſt, quod eſt conditor & conſervator totius creaturæ, ſed ex aliis propioribus, & animum ejus clariùs oſtendentibus. Novit enim hunc populum peculiariter vocatum, ut eſſet populus Dei, novit liberatum ex Aegypto, novit expulſis gentibus donatum poſſeſſione terræ Canaan, & ornatum Verbo, & cultu Dei. Hæc omnia certa ſunt ſigna, diligi hunc populum à Deo. Igitur orans ſtatuit, ſe non fruſtrà orare. Scit enim, quòd oret benignum & faventem Patrem. Hæc opera propiùs quaſi oſtendunt Deum, & certa benevolentiæ argumenta commonſtrant huic populo peculiariter exhibita. Sed ne hæc quidem perfecta Dei notitia eſt. Arguunt enim curam Dei, ſed eam temporalem, & hujus tantùm vitæ. Vera autem Dei notitia hæc eſt, quòd norant Prophetæ, Deum cœli promiſiſſe Semen mulieris, quod contereret caput ſerpentis, quòd maledictionem, in qua totum genus humanum propter peccatum eſt, averteret, & adduceret ſuper nos bene-
Gen. 22. dictionem. Sicut ad Abrahamum dicit Deus, In Semine tuo benedicentur omnes gentes. Hæc illa vera nota eſt, quam qui norunt, Deum verè norunt, hoc eſt, animum & voluntatem ejus norunt, quòd non oderit genus humanum propter peccatum, Sed id amet, ac certò liberaturus ſit per Filium ſuum, à morte æterna, à peccato & Satanæ tyrannide. Hanc notitiam poſtea ſequitur certa fides. Quomodo enim dubitare de Dei benevolentia animus ampliùs poteſt? An, qui Filium promittit & donat, fruſtrà à ſe peti ſinet, quæ longè inferiora, & hujus tantùm vitæ ſunt? Hæc vera Dei notitia omnibus temporibus in Eccleſia fuit, & ſola eſt fons veræ invocationis. Quia autem ex ſolo Verbo naſcitur, certum eſt, non Turcas, non Judæos, non ullas gentes, non denique infideles in ipſa Eccleſia orare. Quanquam enim verba recitant, tamen, quem invocent, non norunt, coguntur igitur dubitare de eventu ſeu exauditione.

Dei notitia vera.

Notitiam Dei veram ſequitur fides & invocatio.

Sed non tantùm hæc Dei notitia accendit fidem, Eccleſia habuit omnibus temporibus certam exauditionis promiſſionem. Nam in Lege erat certum verbum, quòd orantes in templo Deus exaudire vellet. Quia enim cum locum ſuo cultui delegerat Deus, ac ſe ibi habitaturum promiſerat, ac auditurum ſupplicantium preces, pii invitati hac promiſſione de Dei voluntate nihil poterant dubitare. In novo Teſtamento Eccleſia non eſt alligata ad certum locum, ſicut
Joan. 4. in veteri. Nam, ut Chriſtus inquit, neque in hoc, neque in illo monte adoratur Deus, Sed veri adoratores adorant eum in Spiritu, Hoc eſt, non ſunt alligati ad certum locum, Sed mens intuetur Chriſtum, Sicque invocans Deum exauditur,
Joan. 16. ſecundùm Chriſti dictum, Quicquid rogaveritis Patrem in nomine meo, hoc vobis dabit, Petite & accipietis. Talem promiſſionem non habent Turcæ, non Judæi, non Papiſtæ. Igitur oratio eorum prorſus ſine fide eſt, nec meretur orationis nomen, potiùs eſt illuſio aut blaſphemia in Deum. Si extaret promiſſio, Deum auditurum in Mahometis nomine invocantes, Deum auditurum eos, qui CHRISTUM negarent, qui invocarent nomen Mariæ, Petri, Pauli, & aliorum divorum, poſſent Turcæ, Judæi, Papiſtæ aliquid ſuæ invocationi tribuere, Sed cùm Turcæ & Judæi Chriſtum abjiciant, Papiſtæ autem in divorum invocatione ſpem ponant, coguntur dubitare quoties orant. Fides enim nititur promiſſione. Vbi igitur promiſſio non eſt, ibi nec fides eſſe poteſt.

Promiſſiones de exaudienda oratione Eccleſiæ.

Papiſtarum oratio fruſtrà.

Diſertè igitur Propheta dicit, Ad te Domine clamo, qui, ſcilicet, te nobis patefeciſti, non ſolùm illis magnificis beneficiis corporalibus, ſed promiſſione de Semine mulieris contriturò caput ſerpentis, Deinde, qui in hoc loco juſſiſti te invocari, ac addidiſti certam promiſſionem, futurum, ut hic te invocantes exaudias, Ad te, inquit, clamo. Invocant te gentes quoque, Sed neſciunt te, & invocant ſine promiſſione exauditionis, neceſſariò igitur dubitant, & potiùs blaſphemant quàm orant. Qui enim dubitat de exauditione, adimit

Quomodo orandum.

adimit DEO gloriam bonitatis & misericordiæ. Meminerimus igitur, admoniti hoc loco, in omni vera invocatione hoc primum esse, ut mens intueatur Deum, ac norit voluntatem ejus esse talem, quòd velit nobis adesse, nos exaudire, nos liberare, siquidem promisit liberationem ab æternis malis per Filium suum. Deinde, ut intueatur etiam promissionem de exauditione peculiariter loquentem. Ita enim confirmabitur animus, ut cum certa fiducia oret, & excludetur dubitatio. Etsi enim in corporalibus malis, nos submittere voluntati DEI æquum est, nec sic urgenda est exauditio, quia, si DEO ita videatur, volentes parituri simus ejus voluntati, ac humiliaturi nos sub ejus potentem manum, tamen cum hac obedientia fides rectè conjungitur. Certus est enim animus de æterna liberatione per Filium DEI facta, ac statuit in levioribus quoque misericordiam DEI nobis non defuturam, si sic & gloria ejus, & nostra salus postulet.

Quomodo oratium contra mala corporalia.

Quòmodo bestiæ Deum invocant.

Sed quid est, quod Prophetæ non satis est dixisse, Ad te clamo, Sed addit etiam de bestiis? Pecora campi, inquit, ad te clamant. Num sensus aliquis, aut cognitio aliqua DEI in bestiis est? Ad hunc modum Psalmus dicit, Corvorum pullos invocare Dominum, cùm tamen bruta, & sine sensu talium motuum sint. Respondeo. Hoc certum est, quòd etiam bruta intelligunt suas calamitates. Nam siti, fame, plagis afficiuntur, & testantur dolorem ac periculum ejulatu. Quia autem Scriptura palàm pronunciat, clamare etiam bestias ad DEUM, manifestum est, etsi sine mente & DEI notitiâ sint bruta, tamen eorum clamore DEUM affici. Peritnet igitur hæc phrasis ad nos excitandos ad fidem. Quia enim Scriptura testatur, DEUM etiam clamore bestiarum moveri, cur statueremus lachrymas & gemitus nostros aspernaturum, qui & videmus mentem ejus, & ad gratiarum actionem non erimus muti, qua inprimis delectatur, tanquam præstantissimo cultu.

CAPUT II.

Clangite tuba in Zion, & canite classicum in monte sancto meo. Paveant omnes habitatores terræ, quoniam venit dies Domini, quoniam prope est. Dies tenebrosa & caliginosa, Dies nubila & obscura, Sicut aurora expansa super montes populus multus & fortis, cui similis non fuit à seculo, nec post eum erit omnibus seculis. Ante eum ignis devorat, & post eum flamma exurit. Terra ante eum est, quasi hortus voluptatis, & post eum solitudo vastata, nec evadet eum quisquam. Aspectus ejus sicut aspectus equorum. Sicut equites current, Sicut strepitus quadrigarum in cacuminibus montium saltabunt, & sicut sonus flammæ ignis devorantis stipulam, & sicut populus fortis instructus ad bellum. Populi eo conspecto sicut mulier in partu dolebunt. Omnium facies colligent nigredinem. Sicut robusti current, & sicut viri bellicosi ascendent murum, & singuli in suis vijs ibunt, nec erunt tardi in semitis suis. Nullus molestus erit fratri suo. Sed unusquisq; incedet per semitam suam, cumq; gladio se objecerint, non vulnerabuntur. Per civitatem discurrent, current in muro, atq; in domos ascendent, & quasi fur ingredientur per fenestras. Ante illum contremiscit terra. & commovetur cœlum, Sol & Luna obtenebrantur, & stellæ cohibent lumen suum, Et Dominus dat vocem suam ante exercitum

Digitized by Google

citum ſuum. Quoniam valdè magna ſunt caſtra ejus, quoniam fortia ſunt, ut faciant Verbum ejus, Quoniam magnus eſt dies Domini, & valdè terribilis, & quis ſuſtinebit eum.

Prior hujus capitis pars habet concionem ſimilem ſuperiori. Prædicit enim vaſtitatem regno Judæ per Babylonium. Ideò autem tot tum verbis, tùm figuris Propheta utitur, quia de re futura concionatur, & apud ſecuros prorſus incredibili. Ac tria potiſſimùm in tàm longa deſcriptione notanda ſunt. Primum, quòd tempus belli appellat diem Domini. Secundum, quòd impium hoſtem populi Dei vocat exercitum Dei. Tertium, quòd dicit, præcedere ante hunc exercitum vocem Domini.

Prædicit vaſtitatem per Tyrannum Babylonium.

Tria in hac vaſtitate futura deſcriptione notanda.

Appellatio diei Domini includit pulchram antitheſin. Dum enim tempus pœnitentiæ concedit Deus, & per verbum monet ac revocat in viam, ſecurus & incredulus mundus tum habet ſuum diem, hoc eſt, non Deum, non verbum ejus curat, indulget peccatis, & cumulat ſibi iram, ſicut experimur hodiè. Imminentibus enim tot malis, ſæviente Turca, diſſidentibus Principibus, Pontifice conſpirante cum ſuis in exitium noſtrum, quæ vitia non admittuntur? In civitatibus inter potentes avaritia, libido, crapula, luxus dominantur. Qui autem egent, & in re non lauta ſunt, apud hos ſumma eſt perfidia, fraudes, furta. In genere autem apud omnes, tum ſummos, tum infimos, contemptus verbi Dei, blaſphemiæ, & omnis generis ſcandala vigent. Aularum peccata referre animus horret. Eſt enim ibi neglectio Eccleſiarum & juris extrema, & quæruntur ſtudiosè occaſiones omnium vitiorum. Eſt igitur hic mundi dies, de Domino nulla cogitatio, nulla cura. Connivet autem Dominus ad hæc aliquandiu, non punit ſtatim, relinquit ſpacium pœnitentiæ, creſcente autem malitia, fit commutatio. Præterit enim dies mundi, & venit dies Domini, Dies, ut Propheta dicit, magnus & horribilis valdè, quo Dominus iram ſuam graſſari ſinit, & oſtendit, quòd ſit Deus non volens iniquitatem. Ad pios igitur hæc cura pertinet, ne cum mundo ſint ſecuri, ſed in timore Dei vivant, certi, futurum, ut dies Domini veniat, quo impiorum peccata viſitabuntur. Qui hoc faciunt, hos aut eximet per mortem Dominus futuris calamitatibus, Sicut de Joſia Scriptura dicit, aut in ipſa calamitate conſolabitur, ac teget, Sicut Danielem apud Babylonios.

Dies Domini, vocatur tempus viſitationis.

Mundi ſecuritas & malitia.

Sic Lutherum ſanctum Dei organum evocavit ante hos meos Dominus.

Atque hæc cauſa eſt tàm inſignis mutationis, ut impius Babyloniorum populus, qui ſine notitia Dei, ſine cultu Dei, in idololatria, & omnis generis peccatis ſecurè vivebat, appelletur exercitus Dei, Judæi autem qui populus Dei fuerant, ſint hoſtes Dei, contra quos Deus ipſe pugnet, & quibus eripiat omnia dona, quibus eos præ omnibus terræ populis ornaverat. Cur enim non paruerunt Prophetarum admonitionibus? Cur verbum neglexerunt impiè? & potiùs ſuorum deſideria, quàm Dei vocem ſecuti ſunt? Hodiè iniquum videtur, tot victoriis ornari Chriſti & Eccleſiæ hoſtem Turcam, crudelem tyrannum, & ſceleratum idololatram, Nos autem qui nomen Chriſto dedimus, & ad conſortium cœleſtis regni per baptiſmum vocati ſumus, miſerè premi & affligi. Sed meruerunt has pœnas peccata noſtra. Ac cùm omninò neceſſe ſit, ut humiliemur, facit hoc Deus per impias gentes, ut tantò major ſit confuſio noſtra, nosque eò faciliùs ad confeſſionem peccati & emendationem redigamur. Convincit enim nos eventus, non ut de religione noſtra dubitemus, vera ne ſit an non, Sed ut ſtatuamus Deum ſic peccatis noſtris offenſum, ut differre pœnas ampliùs non potuerit. Sed nunc Grammaticam quoque videbimus.

Cur impij felices ſint contra Eccleſiam.

Clangite tuba in Zion.

Hoc perinde eſt, ac cùm apud nos aut canuntur claſſica, aut pulſu campanarum ſignificatur ſubitum periculum, & congregantur cives, Sicut ſolet in incendiis, & ſubita hoſtium incurſione. Carebant enim Judæi campanis. Porrò

Zion arx regia fuit. Quòd autem addit, Canite classicum in monte sancto, etsi id ad montem, in quo templum erat, quidam referunt, tamen propter secundum Psalmum libenter accipio sanctum montem, pro monte Zion, in quo erat arx regia, qui propter sanctum Regem Christum mons sanctus appellatus est.

Quia venit dies Domini, quia prope est.

Dixi suprà de appellatione hac, diem Domini vocari hîc tempus, quo Dominus visitat peccatores. Quia autem addit, Prope esse hunc diem, ex eo colligo hunc Prophetam post Esaiam, Oseam, & alios fuisse, qui de captivitate Babylonica vaticinati sunt, ac Ebræorum Chronica eum sub Manasse Ezechiæ filio docuisse ostendunt. Tenebrosum diem vocat infaustum & infelicem, usitata Scripturæ phrasi, quæ lucem appellat pacem, & felicem rerum successum, E contrà tenebras & caliginem, calamitates & pericula, ut apud Esaiam, Qui non dixerit secundùm verbum hoc, non erit ei matutina lux. Et Psalmo 23. Si ambulavero in valle umbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es. Significat enim certum periculum mortis.

Sicut aurora expansa super montes, populus multus & fortis.

Inusitata sed significatissima hæc figura est. Aurora enim subitò incrementa sumens, paulatim illustrat montes, ita dicit hunc populum subitò occupaturum & impleturum omnia. Quòd autem addit, nec fuisse, nec futurum talem populum in omnem posteritatem, Id neque ad multitudinem, nec ad potentiam refero, Sed simpliciter ad id, quòd prima Monarchia fuit felicissima, Sicut ideò à Daniele comparatur aureo capiti.

Aspectus ejus, sicut aspectus equorum.

Hæc quoque figura paulò apparet durior, Sed in equo quia lucet generositas, ac celeritate valet, non inepta comparatio est ad strenuum & expeditum militem. Huc faciunt sequentes similitudines, de strepitu quadrigarum, & sonitu grassantis ignis, quibus ceu hypotyposi pingit terrorem & periculum inevitabile.

Populi eo conspecto dolebunt.

Verbum (Jachilu) notum est, etsi autem id variè vertunt Interpretes (alius enim dolebunt, alius timebunt, Hieronymus cruciabuntur, exponit) tamen certum est, sumptam similitudinem à doloribus parturientium. Significat igitur Propheta magnitudinem periculi, Quasi dicat, Statim ad aspectum tàm formidabilis hostis, concident animis, ac tanquam parturiens mulier dolebunt. Quòd autem addit, Omnium facies colligent nigredinem, In Ebræo est, Omnium facies (kibzupharur) colligent ollam, Ac certum est, sumptam hanc formam ex cap. 2. Nahum. Etsi autem remotior figura hæc est, tamen de significatione nullum est dubium. Nam in subitis periculis expallescimus. Significat autem Propheta pallorem nigricantem. Sicut enim olla admota igni fumo fuscatur, ita in periculis mutantur vultus. In lætitia diffuso sanguine, rubent homines, Contrà cùm in mœrore & periculis subitis, contrahitur sanguis ad cor, nigricans quidam pallor relinquitur, & nitor omnis oris perit.

Sicut fortes current.

Hæc pertinent ad industriam, gravitatem, diligentiam, & celeritatem pingendam, quòd unusquisque gnaviter urgebit suum munus. Quod Hieronymus fecit, sed & per fenestras eadem, & non demolientur, sine omni sensu est, & prorsus discedit ab Ebræo, quod ad verbum sic habet, Super gladios cùm se projicient, non tamen vulnerabuntur, hoc est, pugnabunt cum magno successu, etiamsi imprudentes se exponent periculis, Sicut in direptionibus oppidorum prædæ cupida turba solet, & tamen evadent, felix erit audacia.

Ante

Digitized by Google

Ante illum contremiſcit terra.

Sunt hæ tragicæ figuræ, quibus calamitatem amplificat. Non poſiti in luctu & periculis, omnia quæ oculis cernunt, etiam cœlum, & ſolis lumen, judicant triſtia & adverſa. Sicut econtrà animi excitati & hilares, etiam quæ patrum jucunda ſunt, jucunda & gaudii ſui conſcia eſſe ducunt.

Dominus dat vocem ſuam ante exercitum ſuum.

Quid dicemus hanc Domini vocem eſſe, qua utrunque fit, ut hoſtes magno animo pericula omnia contemnant, & gnaviter rem gerant, Judæi autem pavore & perturbatione impediti deſperent? Aliud nihil, quàm quod corda impiorum frangit Deus, Sicut econtrà animum addit hoſtibus. Non enim ſecuritas impiorum perpetua eſt, Cùm primùm ingruit ira Domini, peccatum, quod tempore ſecuritatis altum ſomnum dormierat, excitatur, & tanquam ſævus hoſtor excrutiat animum, Inde pavor & deſperatio oriuntur, ut etiam ad folii ſonitum fugiant. Hic tandem finis eſt impietatis. Hactenus vaticinatus eſt Propheta de futura per Babylonium vaſtatione, nunc tanquam Medicus præmonet de cavenda hac pœna, & effugienda per veram pœnitentiam & orationem. *Vox Domini quid.*

Et etiam jam nunc dicit DOMINVS, *Convertimini uſq; ad me in toto corde veſtro, in jejunio & in fletu, & in luctu, Et ſcindite cor veſtrum, & non veſtimenta veſtra, Et convertimini ad Deum veſtrum. Quoniam clemens & miſericors ipſe, longanimis, & multùm beneficus, & pœnitebit ſuper malo.*

Hæc eſt inſignis exhortatio ad veram pœnitentiam, ac digna, quæ hodiè diligenter in Eccleſiis narretur. Vita hominis peccatoris aliud nihil eſt, quàm perpetua averſio à Deo, qui ſe ad nos convertit per verbum ſuum, Sed nos more rebellium & inobſequentium liberorum vocanti ad ſe Patri terga obvertimus, & imus quo nobis libet, non quo per verbum ipſe vocat. Sic autem paulatim contumacia & furor creſcit, ut ſumma voluptas ſit habere quàm plurimas peccatorum occaſiones. Has enim captant impii, ac ſecurè contemnunt judicium Dei. Talem vitam pingit Chriſtus egregiè in ſimilitudine errantis oviculæ. Hæc enim quò longius abit, tantò deerat longius, & altius involvitur periculis, *Exhortatio ad pœnitentiam. Averſum eſſe à Deo.*

Ad hunc modum populus Iſraël, Deo loquenti, & per Prophetas in viam revocanti, obvertebat tergum, veros cultus abjiciebat, & ſequebatur cordis ſui inventiones, Sicut tempora Manaſſis, in quibus Joëlem vixiſſe veriſimile eſt, clarè oſtendunt. Non igitur ceſſabat diutiùs pœna, Rex abducebatur captivus, Terra & hoſtilibus incurſionibus & noxiis beſtiis variè affligebatur. Sicut autem qui in deviis conſtituti ſunt, quò longius abeunt, tantò aberrant magis, Ita averſus per impietatem a Deo populus, cùm remedia publicarum calamitatum quæreret, augebat eas impiis cultibus, & magis irritabat Deum. Sicut Papiſtæ, in periculis cumulantes miſſas, invocantes divos, inſtituentes ſupplicationes, mandantes jejunia, non quidem iram Dei mitigant, ſed accendunt graviùs. Non enim hæc ratio placandi Dei eſt.

Ideò Dominus hoc in loco dicit, Ad me convertimini, hoc eſt, Nolite mihi obvertere tergum, cùm loquor ad vos, auſcultate mihi, idque ex toto corde veſtro, ne aut ſit ſimulata converſio, aut non integra. Vult enim Deus totum cor, Non vult timeri, non vult credi alium Deum, Sicut Chriſtus quoque dicit, Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Vſitatum autem hoc inter nos, cùm audimus in verbo quid nobis ſit faciendum, ut tamen hactenus ſervatos *Matth. 6.* *Converti ad Deum quid.*

cultus,ac usitatos mores non prorsus abjiciamus,aut damnemus. Dicit igitur, in toto corde ad me convertimini,ut summo studio intendentes verbo nusquam ab eo deflectamus. Hoc primum est, ut verbo attendamus.

Quid autem tradit verbum? quàm ostendit placandi Dei viam? In jejunio, in fletu & in luctu convertimini ad me,& scindite non vestes, sed corda vestra. Hæc prima pars est pœnitentiæ, quam Prophetæ tradunt. Notus autem Judæorum mos est,vestes scindentium ac lacerantium,in rebus adversis, Sic Annas indicaturus dolorem, quem ex Christi blasphemia,ut judicabat,voce acceperat,vestem rumpit. Ac multa alia in veteri Testamento similia exempla sunt. Diserte autem dicit Joël,Non vestes,sed corda scindite,significans,velle se,ut serius sit dolor, non simulatus. Nam homines etsi in calamitatibus dolent, tamen non dolent seriò. Serius enim & verus dolor,ad quem Propheta hortatur, non est querulari de incommodis, quæ patimur, sed causam incommodorum inspicere,peccata scilicet, de iis dolere, ea emendare, ac porrò non admittere, Is demum verus dolor,& verum pœnitentiæ initium est. Impudica mulier, maritus adulter,præter ignominiam etiam sentiunt maledictionem & inopiam, De his dolere nihil novi est. Est enim hæc veteris hominis natura,se ut amet,de suis malis ut doleat & queratur,etiamsi causam mali nondum oderit,aut execretur. Dolor autem, de quo Spiritus sanctus hîc concionatur, est non affici solùm sensu pœnæ, sed sensu peccati, quod per adulterium Deum offenderis, quòd conjeceris te in iram & damnationem. Hic sensus cùm verè occupavit animum, ibi demum sequitur, quod vulgo vocant,bonum propositum,Non quærentur amplius occasiones prohibitarum libidinum, animus etiam ad cogitationem præteriti peccati cohorrescet, & abhorrebit à tanta fœditate. Hic dolor Spiritus sancti opus est,qui per verbum Legis ad hunc modum animos terret, Non est, ut Papistæ docent, opus hominis,quod quoties liber, præstari à nobis potest, oportet ut verbo ad hunc modum per Spiritum sanctum excitentur animi,Absque eo si sit, vetus homo semper antiquum obtinet,& delectatur peccatis,sectatur occasiones peccatorum,& potiùs iis,tanquam re benè & feliciter gesta gaudet.

Pœnitentia.

Quid faciendum, cùm grassentur publica pœna.

Sic usitatum est,cùm pestilitas, aut annonæ caritas incidit, dolere & conqueri, Sed quotusquisque est,qui de horum malorum fontibus seriò cogitet, ac admonitus his calamitatibus peccare desinat, emendet vitam, minuat avaritiam,luxum,negligentiam in vocatione? &c. Sic Judæi quoque dolebant de incommodò, quæ hostis ac noxiæ bestiæ invexerant,Sed non dolebant de Idololatria,de verbi & Propheterum contemptu, & aliis peccatis, quæ tantas calamitates concitarant. Jubet igitur per Prophetam Deus corda scindi,non vestes,hoc est, jubet, ut seriò de peccatis admissis doleant. Id enim cùm fit, sequitur seria vitæ emendatio, Audiunt animi & amplectuntur verbum, non sequuntur amplius vel cupiditates, vel studia sua, Igitur jacent idololatria, falsi cultus, fiducia in propria opera & totum illud peccatorum agmen, quod impietas secum trahit.

Jejunium cur requiratur?

Talem luctum requirit Deus,ac meminit quoque jejunii,non solùm quòd aptos facit ad orandum, Sed quòd indicium etiam est animi seriò perturbati. Sicut etiam lachrymæ animi testes sunt. Peccatrix Luc. 7. provoluta ad pedes Christi,muta prorsus est,sed intelligit lacrymas ejus Christus,& jubet,ut sit otioso animo,dimissa enim jam ei esse peccata, Talem fletum hîc quoque Propheta exigit. In pœnitentia enim hoc primum est, agnoscere peccatum, serio perturbari & dolere de peccatis admissis. Hanc contritionem sequuntur deinde certi fructus, emendatio scilicet vitæ, & vehemens peccati odium. Sed etsi necessaria hæc sunt,nondum tamen ad justiciam satis sunt,nec ut Sophistæ disputârunt, merentur remissionem peccatorum. Fide enim in Christum opus est, ea sola, quia misericordia Dei nititur, remissionem peccatorum impetrat, & absolvit pœnitentiam.

Luc. 7.

Itaque

Itaque addit Propheta,

Convertimini ad Dominum DEUM vestrum, quoniam clemens est.

Hic maximè insignis locus est, quo veris suis coloribus Propheta Deum pingit, ut territos animos magnitudine peccatorum suorum erigat, & in certam Spem veniæ vocet. Ita enim absolvitur pœnitentia, seu conversio ad Deum, si certa Misericordia spes & fiducia accedat. Rectè autem hoc loco fuerimus usi, si primùm his gravissimis appellationibus Dei nos erexerimus contra desperationem, Deinde etiam transtulerimus ad exemplar, quod imitemur, ad corrigendum id, quod in nobis vitiosum est, & cum divina natura pugnat. *Dei nomina vera.*

Channum. Prima appellatio, quam Propheta Deo tribuit, est (Channum) quod plerunque vertitur, misericors, Sed propriè significat clementem, facilem, benignum. Quale autem id sit, ex Antithesi facilè intelliges. Nos natura sumus inclementes & immites, offensi non facilè flectimur ad lenitatem, non ignoscimus facilè, sed sicut Poëta Achillem pingit implacabilem, & durum, ita ferè omnes sumus. Contrà Deus natura talis est, qui se facilè sinit flecti, non est implacabilis aut inexorabilis, ad primum, ut ita dicam, verbum supplicantis flectitur, & ignoscit. Hoc primum oppone tuis cogitationibus, quæ pingunt Deum immitem, & tanquam carnificem implacabili ira. Ideò conscii nobis peccati, præsertim si pœna ante oculos sit, refugimus ab eo, & sicut Adam in Paradiso, quærimus latibula, Sed memineris te injuriam facere clementi Deo. Etsi enim pœnam infligit, tamen non ideò discedit à natura sua, Retinet cor molle & flexibile, etiam tum, cùm nobis videtur iratissimus. Nam etiam pœnam eo animo immittit, ne altiùs demergamur in peccata, Sed ut convertamur & vivamus. Ab hoc clementi & benigno patre cur refugis? Non persequitur te, ut occidat, sed ut in viam revocet. Consiste igitur, convertere ad eum ex toto animo, & ipse propiciabitur peccatis tuis, Exposce veniam supplex, & ultrò complectetur te. I. *Deus est clemens.*

Sed tentatis ira & peccatis suis nihil incredibilius potest dici. Convertendi igitur oculi sunt ad illud eximium, certissimum; & apertissimum signum Gratiæ, quòd non pepercit Deus filio suo, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hoc Dei opus pone tibi ob oculos, & de eo cogita diligenter. Nam pro peccatoribus hoc fecit Deus. Si igitur peccatores tàm complexus est familiariter, & morte filii sui ostendit, non ita se eos odisse, quin salvos & liberos ab æterna morte esse velit. Cur nunc de voluntate Dei erga te dubitas, postquam per filium Dei Deo reconciliatus es? Sed inquies, peccator sum, offendi Deum, nec parui voluntati ejus ita, ut par erat. Sit hoc quoque, Non enim negabimus peccatum. Tu igitur mutatus es, ex bono factus es malus, ex filio factus es inobediens, Sed num ideò statues Deum quoquè mutatum, aut alium factum? Quin discede à malo. Peccasti, peccare desine, pete veniam, spera per Christum, Deum sic tibi reconciliatum, ut reconciliatio sit æterna, non unius aut alterius diei vel anni, sed perpetua, & comperies Prophetam non mentitum, qui eum vocat (chanun) placabilem, mitem, benignum, clementem. Ad hunc modum primò hac consolatione utaris contra peccatum & iram Dei, quem mens tua falsò tibi proponit implacabilem. Deinde imitare exemplum, & esto tu quoque misericors, sicut pater tuus cœlestis. Ne sis durior erga fratres, sinas te reconciliari iis, qui te offenderunt. Ita utrinque rectè usus fueris hac Prophetæ concione. *Argumentum clementiæ Dei.* *Rom. 5.* *Nos quoq; debemus clementes esse.*

Secundum nomen, quo Propheta Deum appellat (rachum) id propriè est misericors, qui afficitur malis aliorum. Hæc quoque Dei virtus collatione facilius intelligitur. Nos gaudemus incommodis inimicorum, Ideò quærimus etiam occasiones nocendi. Sed talis Deus non est, etsi offendimus eum II. *Deus misericors Rachum.*

peccatis noſtris,& pertinacia noſtra cogimus ad infligendas pœnas, tamen nec delectatur eo ſpectaculo Deus,cum dolore ac luctu aſpicit calamitates noſtras, vellet præciſas omnes pœnarum occaſiones, & quanquam cogitur, ut puniat,tamen id quaſi invito animo & reluctante facit. Mallet non ſolùm parcere, Sed etiam omni genere bonorum cumulare homines,modò parerent voluntati ſuæ, ſed cum hoc pertinaciter recuſent facere,punit quidem,& ſubjicit calamitatibus, Sed invitus & dolens. Hoc ſi perſuaderi nobis pateremur in tentatione, & urgentibus pœnis, quàm præclarè ageretur nobiſcum? Sed quia diverſum ſtatuimus,& odiſſe Deum nos, & gaudere noſtris malis, ideò aut deſperamus,aut impatientia victi,Deum odiſſe incipimus.

Diſce igitur de voluntate Dei judicare non ex tuo animo, ſed ex Verbo Dei,& ora Deum,ut per Spiritum ſuum hanc brevem concionem tuo cordi inſcribat,Ita & impatientiæ parabitur medicina,& tu excitabis te ad ſeriam orationem certus de exauditione. Si enim verum eſt, quòd Deus eſt miſericors, qui afficiatur malis noſtris,dic, an non rogatus feret opem,& liberabit nos? an non ipſe quoque hac tanta moleſtiâ liberari optabit,modò tu eum non impedias, vel deſperatione,vel impatientia tua? Cùm Saulus miſeros Chriſtianos,qui Damaſci erant,oppreſſurus & in impiorum manus traditurus eſſet, filius Dei de cœlo clamat, Saul,Saul,quid me perſequeris? Et Epiſtola ad Hebræos ideò hunc Pontificem per omnia tentatum dicit,ut diſceret compati noſtris malis. Ne igitur deſperes,etiam cùm ſentis peccatorum pœnas, convertere potiùs ad Deum miſericordem, ſeu miſeratorem, Nec ſtatue cum tanquam infeſtum inimicum delectari tuis malis. Dolet enim quòd tua improbitate coactus ſit infligere pœnas,ac cupit te converti,ut pœnas abrumpat, & ſe tibi miſericordem eſſe oſtendat. Dabis autem operam, ut tu quoque idem facias erga proximum tuum, ne læteris in malis ejus, ſed potiùs condolens,vel conſoleris eum, vel re adjuves, ſi ita ſinunt facultates tuæ. Hanc gratitudinem merito ſuo à te exigit Deus, ideò ſtudiosè præſtanda eſt, niſi ultrò nobis eam fortunam volumus accerſere, quam expertus eſt ſervus nequam, cui cùm decem millia talentorum condonata eſſent, noluit conſervo ſuo centum denarios condonare.

Nos quoq; debemus miſericordes eſſe.

Matth. 18

Ipſe ira tardus.

III. *Ipſe ira tardus ad iram.*

Hoc tertium Dei nomen ferè redditur uno vocabulo longanimis, Sed non ſatis exprimit Ebraicam phraſin. Significat enim, quòd Deus non ſolùm non facilè commovetur ad iram, ſed quòd etiam, cùm putatur iraſci, & infligit pœnas,nondum tamen verè iraſcitur. Eſt enim flagellum Patris, quod proficiſcitur non ex ira,ſed ex vero & paterno amore. Ira enim ſimpliciter pœnam ſpectat,Sed cùm à Domino judicamur,corripimur,ne cum hoc mundo damnemur. 1. Cor. 11. Non acquieſcit Dominus ſimpliciter in pœna, ſed quærit per pœnam emendationem, & ſalutem noſtram. Hoc quoque ægerrimè nobis perſuadetur. Nam ad primum ſtatim ictum ſtatuunt animi iraſci Deum, Cùm tamen verum ſit, quòd ad iram tardus ſit,nec facilè ſe commoveri ſinat,Sicut etiam impiorum exempla probant. Quoties admonetur Pharao, ut dimittat populum? & quanquam ferat dignas pertinaciæ pœnas,easque varias, tamen Dominus eas tollit ad primas Sanctorum preces, Cùm autem ſanari ratione nulla furor ejus erga populum Dei poteſt, Sed jam in eo eſt,ut ſimul totum perdat, tum demum iraſcitur Dominus,& demergit eum in mare. Igitur niſi prorſus nulla emendationis ſpes relinquatur,non ſolet iraſci Dominus. Tu ergò, conſtitutus in certis vel malis,vel periculis,explora cor tuum, ſic ne oderis prorſus Deum, ut redire ad ad eum nolis. Quod ſi hoc animo tuo fixum eſt,cupere te redire, modò ipſe te velit amplecti,ſi ſeriò de peccatis admiſſis doles, & ex animo cupis deſiſtere, & reconciliari cum Deo,ne dubites Deus non iraſcitur, Imò iraſci nondum cœpit, ſiquidem tu nondum cœpiſti eſſe deſperabilis.

Trans.

Digitized by Google

Transferendum autem hoc quoque nomen Dei ad noſtrum exemplum eſt, Nos facilè irritamur, non ſolùm ad injurias quaſvis, ſed etiam ad ſingula prope verba. Hoc vitium memineris emendandum eſſe, ne ſis irritabilis, Sed ut tu quoque ad iram tardus ſis; & libenter condones proximo tuo, ſi quid in te peccavit. *Ira non incitandum.*

Quartum nomen Dei eſt pleniſſimum conſolationis (rob cheſed) quaſi dicas, multùm beneficus. Oſtendit enim Deum affligere non ut perdat, ſed ut nos reducat in viam, & invitet ad pietatem, ut poſſit in nos eſſe beneficus. Non eſt noſtri ſimilis, qui duri ſumus erga eos, qui nos offenderunt, Statim enim retrahimus manum, & claudimus loculos, Deus autem etiam in ingratos eſt beneficus, & de malè meritis cupit benè mereri. Nam etiam flagello eo animo utitur, ut converſis & agentibus pœnitentiam benefaciat, non ſolùm, mitigando aut tollendo pœnas, ac donanda benedictione corporali, ſed multò magis, ut in æternum nos ſalvet, nosque, ut Paulus loquitur, cum ſecuro mundo non damnemur. Sed ô miſeros nos, & per peccatum ad extremum depravatos, qui ad tàm ſuaves conſolationes non erigimur, ſed tanquam ægri ſomnia, eas negligimus. Ita enim tanquam in cœnum mentis noſtræ oculi altiſſimè defoſſi ſunt, ut hoc divinum lumen non poſſimus cernere. Rogandus igitur Dominus eſt, ut aperiat oculos noſtros, ut lucem hanc cœleſtem ſaltem è longinquo poſſimus aſpicere. Non enim Deus iſti ſoli populo, cui concionatur Joël, talis eſſe vult. Quia enim victimam à ſe contra peccatum deſtinatam, nempe filium ſuum æternum, vult omnibus hominibus communem eſſe, quomodo de animo ejus poſſumus dubitare, quòd non talis erga nos quoque eſſe velit, qualis hic à Prophera deſcribitur? Conſolemur igitur nos hac concione contra tentationem iræ Dei, & poſtea meminerimus ſubinde ad hoc cœleſte exemplar reſpicere, ut nos quoque vincamus iram, & benefici ſimus etiam in eos, qui nobis nocuerunt. Ita enim comprobabimus nos Dei eſſe filios. Jam ſequitur quintum Dei nomen. IV. *Deus medium beneficus.* Cap. II.

Et pœnitens ſuper malum.

Qualis hæc virtus ſit, ex collatione intelligi poteſt. Homines enim irâ accenſi ſunt, ſic ardent, ut ſatiari calamitatibus adverſariorum non poſſint. In Deo diverſa natura eſt, non facilè, ut ſuprà diximus, commovetur ad iram, & quanquam iratus immittit pœnas (animi enim noſtri iratum eſſe ſtatuunt) tamen pœnitet eum conſilii, videtur ſibi nimium quaſi durus fuiſſe, & repræhendit ſe. Ad hunc modum apud Hieremiam dicit, cap. 18. Si pœnitentiam egerit gens à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei, & ſubitò loquar de gente, & de regno, ut ædificem & plantem eam. Hunc affectum expetiuntur parentes quoque. Nobis enim uſu venit cum liberis noſtris, poſtquam in eos animadvertimus, ut abjiciamus virgam, & reprehendamus iram noſtram, ac judicemus, nos nimium fuiſſe duros. Sed hoc quis de Deo credit? De nobis exemplum capimus, & ſtatuimus, eum noſtri ſimilem, ardentem ira, & cui nulla crudelitas ſatis ſit. Sed hæc ſumma blaſphemia eſt, cujus ſine dubio auctor eſt Satan, qui ideò Deum crudelem & ſævum pingit, ne ad eum confugiamus, & inveniamus calamitatum noſtrarum mitigationem. Proponit autem Scriptura inſignes has conſolationes ideò, ut in calamitatibus nos erigamus, & conſolemur, ne victi deſperatione blaſphemiemus, ſed invenientes levationem, gratias agamus Deo, & prædicemus miſericordiam ejus. V. *Deus pœnitens ſuper malo.* Cap. 18.

Memineris autem, ſi Deus natura talis eſt, qualem Propheta hic pingit, ſcilicet clemens, miſericors, tardus ad iram, multùm beneficus, & quem facilè pœnitet geræ pœnarum mali, quod infligi fecit, Quantum hi ſibi mali conciliabunt, qui hac tanta DEI

Digitized by Google

bonitate abutuntur, & fecuri in peccatis pergunt? Eſt enim talis erga nos, non ut obvertamus ei tergum, non ut contemnamus, aut violemus ejus mandata, Sed ut invitati hac tanta bonitate adjungamus nos ipſi, complectamur eum, ſtudeamus voluntati ejus ſatisfacere, & curioſa ac ſolicita obedientia conſervemus illam erga nos immenſam benevolentiam. Sed proh dolor, pauci hoc faciunt. Major pars abit ſecura de Deo, & cùm poſſet habere Deum propitium, cogit eum ad pœnas, & reddit inimicum pertinaci malitia. Horum ne ſimus ſimiles, Sed excitemus hac Prophetæ concione nos ad veram pœnitentiam, & muniamus nos contra deſperationem, ad quam natura proclives ſumus, quòd animi alias de Deo imaginationes in periculis ſibi fingunt, quàm hîc à Propheta pingitur.

Quis ſcit, Convertetur & pœnitebit, & relinquet poſt ſe benedictionem, oblationem, & libationem DOMINO DEO *veſtro.*

Particula, Quis ſcit, non dubitativa.

In noſtra lingua phraſis hæc negativè, ſeu potiùs dubitativè ſonat, Quis ſcit, Sed eſt aptiſſima pœnitentis vox. Vtrunque enim complectitur & ſenſum peccati, qui facit, ut ſtatuamus Deum juſtè iraſci, ac nos plectere, & ſpem liberationis, ſiquidem Deus natura benignus, & placabilis eſt. Sic cùm cæcus in Evangelio dicit, Si vis, potes me mundare, primùm hac voce ſe abjicit ad pedes Chriſti, liberè confitens ſe meritò hanc pœnam ſuſtinere, Deinde oſtendit eluceſcentem in hoc ſenſu peccati ſui ſpem liberationis per Chriſtum, Debet autem perpetua hæc noſtra orandi forma eſſe, ut primùm propter peccatum nos humiliemus, Deinde erigamus nos in ſpem exauditionis propter promiſſiones in Chriſto factas. Abſolvit autem, ut ſuprà diximus, hæc ſpes pœnitentiam, & glorificat Deum. Ideò gratiſſimus cultus, & acceptiſſimum ſacrificium eſt, quod hypocritæ præſtare non poſſunt. *Matth. 8.*

Quod de benedictione addit, rectè hoc intelligitur de benedictione corporali, quòd ſi agat populus pœnitentiam, Dominus omni genere benedictionis eum cumulaturus, & liberaturus à Babylonio hoſte, Includit tamen etiam proximi illi nem de Chriſto, quæ in noviſſimis diebus exhibita eſt. Tum enim verè benedixit Dominus populo ſuo, & reſtituit oblationem & libamen, hoc eſt, veros cultus, non ſimulatos, fidem, confeſſionem, invocationem in periculis, prædicationem miſericordiæ Dei, &c. Admonemur autem hoc in loco ejus quoque, quòd benedictione ſua ideò Deus nos ornat, ut eam conteramus ad cultum Dei, non ut abutamur ea ad luxum. Sicut tamen plerunque fit.

Collatio doctrinæ Pontificiæ de pœnitentia, cum Prophetica.

Hæc eſt admodum pulchra & ſancta ad pœnitentiam exhortatio, quàm ſi cum Papæ dogmatibus conteras, videbis in fœdiſſimum monſtrum transformatam ſanam doctrinam. Jubet Propheta ad Dominum converti ex toto corde, hoc eſt, attendere verbo, & ſequi verbum, ac ſeriò dolere de peccatis, deinde niti bonitate Dei & miſericordia. His duabus partibus doctrinam de pœnitentia abſolvit. Sed tu audi Pontificem, Contritionem mandat, eam ſtatuit noſtri arbitrii opus eſſe, ac mereri remiſſionem peccatorum. Vtrunque autem falſum eſt.) Deinde contritis imponit onus confeſſionis, hoc eſt, ut catalogum peccatorum texas, & recites miniſtro Eccleſiæ. Statuit autem confeſſionem quoque meritoriam eſſe. Tertiò addit infinitum mare operum, ſatisfactionem ſcilicet, cùm certa opera injunguntur. Hæc, quia ſemper cum vitio ſunt, nec unquam in eis acquieſcere conſcientia poteſt, rectè mare appellatur, quod ſemel ingreſſus, portum nunquam attinges. Nihil monſtrum hoc docet de pavore, quem excitat in animis Lex, cùm oſtendit iram Dei, & nos in judicio Dei accuſat. Nihil docet de fide, de promiſſione nihil, quæ tamen ſola remiſſionem peccatorum ad nos affert, & animos turbatos metu iræ Dei, ſola erigit. Si autem de operibus ſatisfactionum diligentiùs inquiras, ibi demum apparebit Satanæ dolus, Alius certis diebus jejunat, alius recitat certum numerũ precationum non intellectarum. Invenias qui peregrinationibus, adoratione ſtatuarũ, & aliis nugis ſe veniã peccatorum

tum consecuturos sperent. Hæc igitur perturbatio sanæ doctrinæ, imò eversio, tu non satis magna & digna causa fuit, ut nos à Pontifice separaremus? Sed nec Propheta quidem operum & ceremoniarum nullam mentionem facit, Ideò videamus quales ea sint.

Clangite buccina Zion, Sanctificate jejunium, convocate cœtum, colligite populum, Sanctificate Ecclesiam, Congregate senes, colligite parvulos, & sugentes ubera, egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.

Doctrinam de vera pœnitentia Propheta hactenus tradidit, Quid enim aliud à miseris peccatoribus potest fieri, quàm ut de admisso peccato doleant, & rogent veniam? Hic autem etiam de ceremoniis addit, & externis moribus, quibus vulgus opus habet, ut invitetur ad pœnitentiam. Vtile autem est videre, quales populus Dei habuerit ceremonias, ac facilè inde potest judicari, quæ ceremoniæ tolerandæ, aut instituendæ; quæ autem abolendæ sint. De vera pœnitentia di- *Pœnitentia* ximus, inchoari eam ab agnitione peccati, quòd sua natura cùm verè nos arripit, aliud nihil potest, quàm terrere, anxios reddere, ac in desperationem adigere, Absolvi autem fide in Christum, in quo Deus se nobis benignum, ac placatum ostendit, Siquidem per eum expiari omnium peccata voluit. Hæc singulis præstare satis est, nec Deus quicquam aliud à nobis requirit. Nam pavores illi odium peccati instillant, & afferunt studium emendationis, quanquam facultatem non præstant. Ea enim per Spiritum sanctum confertur, & fide in Christum justificamur, hoc est, peccata nobis non imputantur. Deus igitur hoc modo sibi satisfieri sinit, & tamen Propheta post hanc doctrinam etiam de ceremoniis præcipit. Cur hoc?

Respondeo. Ecclesia electorum admodum est exigua, habet autem ma- *Cerimoniarum* ximam malorum turbam admixtam. Paucissimi igitur cùm sint, qui verè pœ- *quis debeat esse* niteant, major autem pars perpetuò sui maneat similis, necesse est, ut sicut alii, *finis in Ecclesia.* qui veræ Ecclesiæ membra non sunt, scandalis nocent, Ita qui sunt veræ Ecclesiæ membra, exemplo suo alios ad pœnitentiam invitent. Hoc igitur fine instituta ceremoniæ, piæ & salutares sunt. Eaciunt enim ad salutem proximi & gloriam Dei. Sed res exemplo fiet clarior. Soliti sunt Judæi in periculis, sicut ex hoc loco liquet, Jejunium sanctificare, hoc est, publicè mandare jejunium, ac id sanctificare, id est, tempore ejus jejunii petere vel synagogas, vel templum, & ibi audire verbum Dei, quo admonebantur de emendatione vitæ, & de diligenti oratione. Hoc cùm studiosè fieret à piis, rudiores exemplo eorum moniti, intelligebant magnam rem agi, & invitabantur ipsi quoque ad cœtum sanctum, & ad orationem. Nam inusitata illa spectacula incurrunt non solùm in oculos, sed etiam animos commovent. Ideò jubet Propheta non simpliciter præcipi jeju- *Jejunium sanctificare.* nium, Sed vult clangi tuba de Zion, ut scilicet insolito convocationis signo plurimi concurrerent ad templum, audirent verbum Dei, ac preces suas in communi periculo cum aliis conjungerent, ubi si absque hac ceremoniali & celebri convocatione esset, plurimi templum negligerent, neque ad audiendum verbum & faciendas preces convenirent. Sunt autem utraque, hoc est, & conciones & orationes publicæ, organa, per quæ Spiritus sanctus hominum animos movere solet.

Cur igitur, inquies, Papæ ceremonias abjeciistis? Nam insignes Pompæ, *Ceremonia* musica organa, & festivi cantus, ac quicquid ejusmodi fuit, hoc totum institu- *Pontificia cur* tum fuit, ad vulgus invitandum in templa, Cur igitur reprehenditis tales cere- *abolita.* monias? Imò cur aboletis? Respondeo. Fines diversi sunt ceremoniarum in Papatu, & quas Propheta hîc commemorat. In Papatu enim ministerium docendi prorsus concidit. Ita enim idololatriæ invaluit, ut ministerium verbi inter cultus divinos non ampliùs numeraretur. Id quod inde liquet, quòd inter mille templa vix erant centum, in quibus doceretur populus, & extructa essent

sugge-

ſuggeſta. Celebrare,& audire miſſas, procumbere ad ſtatuas Sanctorum, eas ornare,& adorandas proponere, habebatur ſummus cultus Dei. Ad hunc populus invitabatur ceremonijs, Igitur ceremoniæ iſtæ prorſus eodem loco fuerunt habendæ,quo ipſi cultus. Non ſolùm enim inutiles, ſed etiam impiæ erant, & ſerviebant impietati,nec ædificabant rudiores, Sed altiùs demergebant in ſuperſtitiones. Quæ autem hoc in loco Propheta jubet, ea omnia faciunt ad gloriam Dei, hoc eſt, ad notitiam Dei,ut homines per verbum diſcant voluntatem Dei,& ad ſalutem & ædificationem proximi. Igitur hæc tuba, quâ convocabatur populus Judæorum ad templum & verbum Dei,fuit Dei tuba, hoc eſt, ſancta & benedicta tuba,Contrà campana,quà Pontifex ad ſuas ceremonias, quæ ſine verbo,ſine doctrina ſunt,convocat,eſt Satanæ organum, & perditionis ſignum. Quia non ſervit verbo, non facit ad notitiam Dei, non emendat homines, ſicut verbum ſolet, Sed demergit altiùs in impietatem & ſuperſtitionem, ac ſervit idololatriæ. Regula enim hæc de ceremonijs ubique ſequenda eſt, ut imperiti, rudes, negligentes, per eas excitentur ad diſcendam voluntatem Dei in verbo, & faciendas preces, ſeu ad invocationem nominis Dei. Hoc quibuſcunque rationibus fit,rectà fit. Contrà ſi hoc negligas, fruſtrà ſunt omnia, etiam ea, quæ in ſpeciem pulcherrima & ſanctiſſima videntur. Eſt autem hoc quoque notandum,in Papatu multas ceremonias impias, & contra verbum inſtitutas fuiſſe,ſicut illa,cùm circumferunt in pompa panem,cùm longinqua templa petunt, &c. Judæi autem jejunij rationem divinitùs præſcriptam habebant.

Quales ceremonias probanda.

Jejunium ſanctificare.

Oſtendit autem Propheta hanc regulam in eo, quòd non ſimpliciter de jejunio dicit, ſed de ſanctificando jejunio, hoc eſt, quòd præcipit tale jejunium, quod ſerviat ſanctis rebus. Sobrij enim ad orationem, & ad audiendum verbum Dei aptiores ſumus. Habet plurima jejunia Papatus quoque, ſed longè alio fine inſtituta,quàm ut ad audiendum verbum paratiores ſimus, Imò finem nullum prorſus habent, ſed ipſa abſtinentia à cibo per ſe pro cultu habetur. Tale jejunium ignoravit populus Dei,qui ſemper adjunxit preces,& precum cauſa voluit Eccleſiam convenire jejunam, Sicut paulò poſt Propheta ſubjungit, Et oſtendunt idem alia exempla Scripturæ. Heſter in tanto periculo ſui populi, cùm quærit conſilia, quibus tyrannis inaudita impediatur,jubet judici jejunium, Ninivitæ quoque jejunant deprecaturi everſionem ſuæ civitatis, non quòd Dei cultum exiſtimarent abſtinere à cibo, Sed quòd hoc verè perturbatarum mentium eſſet argumentum,& Deus vult ſeriam,ſobriam & jejunam orationem.

An liceat inſtituere ceremonias novas.

Tales ceremonias ſervientes Verbo,hoc eſt,agnitioni Dei, & ſalutr hominum, permiſſum adhuc hodiè eſt,ſinguli paſtores in ſuis Eccleſijs ut inſtituant, Hæc enim cura eis mandata eſt, ut quàm plurimi invitentur ad verbum, & aſſuefiant ad pietatem. Ad eam rem cùm viam ſternant ceremoniæ, non peccant, qui diligenter ſui populi mores conſiderant,& ea inſtituunt,quæ pro cujuſq; loci commoditate ad invitandum vulgus, ut ſanctæ congregationi, in qua & verbum docetur, & inſtituuntur orationes, interſint, idonea ſunt. Deploranda autem meritò hîc eſt veræ diſciplinæ ruina. Quia enim neceſſitate coacti ſumus impias Papæ ceremonias abjicere, multi in ea opinione ſunt, ceremoniis nullum in Eccleſia relinquendum locum. Itaque ſi quis pio animo, cùm aut in magnis ardoribus pluvia, aut in continuis imbribus ſerenitate,ac ſolis calore opus eſt (utar enim hoc exemplo noto) conventum extraordinarium inſtitueret, aut præciperet jejunium certorum dierum,aut hortaretur ad emendationem vitæ, & ſeriam orationem, quid hîc contumeliarum non audiret, ut nunc mores ſunt? Clamarent ſtatim omnes, revocari Papatum, & periclitari libertatem Chriſtianam. Sed tu hunc mihi populum conſidera, Audi Prophetam, cui non ſatis eſt propoſuiſſe purè doctrinam veræ pœnitentiæ, vult inſtitui celebrem conventum, vult certa tempora inſigniri jejunio. Cur? ut hi ſint cultus? Minimè. Sed ut his ceu inſignibus notæ rudes,ſacrarum rerum negligentes, addo etiam,impij, invi-

Ruina diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

invitentur ad audiendum verbum, & exercendam invocationem. Hæc enim sunt organa, per quæ Spiritus sanctus movere animos solet. Non igitur negligenda sunt. Pertinebat autem ad pii magistratus curam, adjuvare hac in parte ministros Ecclesiarum, sicut extant exempla, quòd hæc olim Regum cura fuit, Saul impius Rex minatur mortem gustanti aliquid eo die, cùm à Philistinis esset periculum, ac ne filio quidem parciturus fuerat, nisi à populo esset impeditus. Hæc severitas, & disciplinæ custodia, in magistratu necessaria est, propterea quòd sine his vinculis indocile & prophanum vulgus retineri in officio, ac coërceri nullo modo potest. *Magistratus officium.*

Sicut autem hæc publicè Propheta jubet fieri, ita meminerimus singuli domi nostræ hanc Christianæ disciplinæ rationem diligenter retinendam & conservandam esse. Multa incommoda piis patribusfamilias quotidiè objiciuntur, Ad horum sensum minimè omnium decet non moveri. Principiò igitur statuas, has esse peccatorum pœnas, & cogites de diligenti & seria emendatione, non pergas securus facere, quæ hactenus solitus es. Deinde petas per orationem veniam delictorum, & firma fide in promissionem Dei te erigas. Quia autem hæc non sunt nostri operis, aut virium nostrarum, rogandus Deus est, ut per Spiritum suum corda excitet, ne fuco aut hypocrisi nos ipsos decipiamus. Accedat postea disciplina, de qua Propheta hîc concionatur, Hortetur paterfamilias liberos & familiam ad sanctam vitam, Ipse certas orationes instituat, quas subsequatur familia & liberi, cùm aut accedunt ad mensam, aut lectum adeunt, in quibus confiteantur peccata, & querantur de suo, ac publico periculo, ac liberationem petant. Hæc utiliter & piè instituuntur privatim, nec alia melior via ostendi potest, qua evadamus pericula, in quæ nos nostra conjecit, vel negligentia vel improbitas. *Oeconomica disciplina.* *Officium patrumfamiliàs.*

Hactenus explicatum est, quod de buccina & jejunio sanctificando Propheta dixit, addemus nunc reliqua membra. Vult convocari cœtum, & colligi populum, ut ab hac frequentia tanta, nemo sine singulari turpitudine se abesse posse statuat, & ita quàm plurimi ad audiendum verbum & ad orationem publicè confluant. Id enim est, quod addit, Sanctificate Ecclesiam. Non enim vult, ut conveniant tanquam ad spectaculum aliquod prophanum, vult, ut conveniant ad res sanctas. Forma orationis ex Mose sumpta est, Is jubetur sanctificare populum ad biduum, priusquam accederet ad montem, & audiret promulgationem legis. Variè autem sanctificandi verbum exponitur, Ebræi ferè accipiunt, pro præparando, ac præparationem hanc dicunt fuisse, quòd & abstinebant à consuetudine conjugum viri, & de mundo vestitu curabant. Sed leviora hæc sunt, quàm ut conveniant tantæ rei, & tàm augusto nomini satisfaciant, ac sanctificationem absolvant. Nos rectè sententiam ex tertio præcepto colligemus, quòd jubet diem Sabbatum sanctificandum, hoc est, ponendum in sanctas res, & verum Dei cultum, non in prophana negotia, quibus licebat aliis diebus vacare. Inde translatum quoque vocabulum est etiam ad res alias. Tabernaculum, & res tabernaculi sanctificabantur, hoc est, deputabantur cultui Dei, ut in solo tabernaculo exercerentur cultus, & vasa illa ad alios prophanos usus non adhiberentur, Et 1. Paral. 20. thesauri sanctificati vocantur, qui non nisi ad templi, quod sanctum erat, usus conferebantur. Ad hunc modum intelligo sanctificari populum, hoc est, publico edicto admoneri, ut omnia prophana negotia & operas intermittat, ac vacet verbo & orationi. Ad hanc sanctificationem benè conveniunt, continentia & sobrietas, seu jejunium, &c. *Sanctificare Ecclesiam quid.* *Sanctificare populum.* *Sanctificare tabernaculum.* *Par. 20.* *Sanctificare thesauros.* *Sanctificare populum.*

Senum peculiariter meminit, ut congregentur. Hi enim exemplo suo alios invitare debent, ne publica sacra negligant. Sed cur ad hunc cœtum etiam infantes, qui lac sugunt, vult afferri, cùm tamen sensum publicarum calamitatum nullum habeant, nec intelligant quid in hoc cœtu agatur? Respondeo. Fit hoc quoque propter rude vulgus, ut tantò honestior sit cœtus, & plus gravitatis habeat. Admonentur enim rudiores pertinere etiam ad innocentem ætatem *Infantes debent interesse sacris concionibus.*

peri-

pericula, quæ imminent, ut tanto majore ſtudio ea deprecentur omnes. Movemur enim naturaliter infantium malis, & cupimus eos ſervari. Quantum igitur peccant primùm parentes, Deinde, qui parentum loco ſunt, præceptores, qui jam confirmatos annis juvenes non aſſuefaciunt ad ſacra? Imò quantum peccant Doctores Eccleſiarum, qui aut negligentiùs publicè ſacra tractant, aut rariùs eis interſunt, ſectantes convivia, aleam, &c.

In publico luctu etiam conceſſa gaudia intermittenda.

In ſine ſponſi & ſponſæ meminit, ac vult, ut egrediantur de cubili, & in publico luctu, à licitis voluptatibus abſtineant. Cur hoc? Num damnat conſuetudinem conjugum? An non gaudium Sponſi etiam ſacris literis celebratum eſt? De Chriſto dicit Scriptura: Procedit ſicut ſponſus de thalamo ſuo, hoc eſt, plenus gaudio & alacritate inſtituit regnum Evangelii. Hic autem jubetur ſponſus & ſponſa egredi de thalamo triſtis & mœrens. Quam ob cauſam? Quia ſcilicet imminebat dies Domini horribilis. Ergo in publico periculo omnes hortatur ad agnitionem peccati, & ſeriam pœnitentiam, ut in tempore occurratur iræ Dei, Sed confer tu Prophetæ utilem exhortationem ad noſtros mores, Vult etiam conceſſa & honeſta gaudia in publicis calamitatibus intermitti. At noſtri homines in tanta concuſſione totius Germaniæ, ac tantis Eccleſiarum periculis, nihil remittunt de compotationibus, Non emendant blaſphemias, Non minuunt uſuras, Sine dubio igitur atrociora pericula impœnitentes circumvenient. *Pſal. 19.*

Sacerdotes miniſtri Dei, plorent inter veſtibulum & altare, ac dicant, Miſerere Domine ſuper populum tuum, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis gentes, Quare dicent in populis, Ubi eſt Deus eorum.

Hîc cauſam vides tàm celebris conventus. Non vult enim mutos eſſe, ſed jubet, ut Sacerdotes publicè orationem inſtituant, quam populus poſtea voce ſubſequatur. Primùm autem in hac precatione obſervanda eſt appellatio Dei, quam vocant tetragrammaton. Non enim Judæi Dominum appellabant, ut gentes, quæ carebant verbo, & veram Dei notitiam non habebant. Norant quidem Deum eſſe conditorem omnium rerum, Sed de voluntate ejus nihil norant. Itaque invocare Deum non poterant, hoc eſt, cogebantur perpetuò de voluntate Dei dubitare. Sed Eccleſia veteris Teſtamenti, quia habebat verbum, verè noverat Deum, & invocans Dominum, ſtatuebat ſe certò exaudiri, non propter ſua aliqua merita, ſed quia multis innumeris beneficiis Deus ſe declaraverat favere huic populo, & dederat promiſſionem de filio mittendo in carnem, per quem benedicerentur omnes familiæ terræ. His notis ſe huic populo Deus per verbum ſuum patefecerat, & hunc Deum invocabant ſancti. Itaque orantes de bona ejus voluntate non poterant dubitare. Accedebat autem hoc quoque, quòd Dominus ſua voce locum orationi deſtinarat certum, in quo orantes certò exaudiret. Etſi autem hoc ingens beneficium fuit, quòd intuentes, de exauditione non poterant dubitare, tamen illud de promiſſo ſemine longè erat auguſtius & præſtantius beneficium.

Domini appellatio in precum orationibus quid ſignificet.

Debemus autem nos quoque inſtituentes orationem, primùm cogitationibus noſtris definire quis ſit, quem invocaturi ſumus. Neque hîc ſufficiat nobis illa communis notitia, quam Turcæ, Judæi, & gentes quoque habent. Intuentes enim hanc mundi machinam, ſtatuunt æternam mentem ejus architectatricem, ac gubernatricem eſſe. Eſt hæc aliqua Dei notitia, ſicut in Symbolo quoque Patris perſona pingitur, quòd omnipotens ſit, & creator cœli & terræ. Sed eſt adhuc imperfecta notitia. Oportet enim accedere illam de Filio promiſſionem, quòd Deus dederit filium, ut expiaret ſua morte peccata noſtra, & reſurgens à morte, donaret ſanctum Spiritum, quo illuminata corda, & promittunt ſibi gratiam omnium peccatorum, & præſtant debitam obedientiam, quantum in hac carnis imbecillitate fieri poteſt. Hæc demum eſt vera Dei notitia, quam

In invocatione cogitandum quem invoces.

Vera Dei notitia.

qui

qui habent, cum certa ſpe Deum invocant. Quia enim Filium ab eo donatum vident, de benignitate ejus cur dubitent, cauſam penitus nullam habent, ne quidem peccata ſua. Norunt enim per Filium Dei ea eſſe expiata. Sicut autem Iudæi habebant promiſſionem exauditos ſe iri, ſi ad templum orent, in quo Deus ſe habitaturum promiſerat. Ita nos promiſſionem habemus, non de
Iohan. 16. temporali aliquo loco, Sed in nomine Chriſti, ſicut dicit: Amen, Amen dico vobis, quicquid in nomine meo petieritis, Pater meus dabit vobis. Hæc igitur duo oraturus tibi ob oculos ponè, ut cogites primum, quem adores, deinde etiam promiſſionem intuearis. Ita excitabitur animus, ut in fide certa ores, hoc eſt, ut certò credas obventura, quæ petis. Complectitur autem hæc duo Propheta in vocabulo, DOMINI, cum appellat verum & æternum Deum, quo nomine non uno in loco Filius Dei appellatur.

Verbum (Chuſah) aptiſſimè ſubijcitur, ſignificat autem parcere & miſe- *Chuſah.*
reri. Itaque includit primum confeſſionem peccati, Ac ſi dicat, Quæ patimur, jure patimur, Deinde etiam veniæ ſpem complectitur. Tribuit enim Deo tale cor, quod noſtris malis non delectetur, Sed malit parcere, quàm punire. Oſtenditur autem hic quoq; conditio, quæ in oratione admodum neceſſaria eſt. *Quomodo orandum.*
Priuſquam enim aliquid petas, neceſſe eſt, ut te coram Deo humilies, ut ſerio agnoſcas, te eſſe peccatorem, & indignum, qui accipias, vel poſtules beneficium à Deo, in quem tam variè per omnem vitam peccaveris. Hanc humiliationem Deus poſtulat, & vocatur alio nomine timor Dei. Cum hoc ſi poſtea fidem conjunxeris, ſic invocas Deum, ut etiam honorifices eum, hoc eſt, ut tribuas ei laudem, quæ ſoli Deo debetur, quod ſit clemens & miſericors, qui ignoſcere, & omnibus nos bonis cumulare velit, non propter noſtra aliqua merita, Sed propter ſuam miſericordiam, quia bonus eſt. Ad hunc modum ſi te ad orationem præparaveris, ut & noris, quem invoces, & intuearis promiſſionem, & confiteareris indignitatem tuam, tum opportune oſtendes periculum, & poſtulabis opem. Sicut Propheta quoq; hic facit, & petit parci populo.

Eſt autem inſignis emphaſis in pronomine Tuo. Diſtinguit enim Eccle- *Eccleſia populum Dei.*
ſiæ populum ab omnibus alijs populis, qui etiam ſunt populi Dei, hoc eſt, à Deo conditi, & qui gubernantur à Deo, Sed neq; cognoſcunt Deum, nec ſe Deus eis revelavit per verbum ſuum. Eccleſia igitur hoc habet eximium, quod vocatur populus Dei, qui agnoſcit Deum, & cui Deus ſe revelavit. Sed longè ma- *Eccleſia hæreditas Dei.*
jus eſt, quod etiam hæreditatem vocat, ſeu peculium & poſſeſſionem Dei. Includit enim in hanc appellationem omnia illa ſingularia beneficia, quibus Deus hunc populum ornavit, quod primum Abrahamum ſelegit, & ornavit nota circumciſionis, ut agnoſceret ſe Deo charum & curæ eſſe. Deinde quòd benedixit ejus poſteritati, quod liberavit eum ex Aegypto, quod dedit verbum & cultum, quod introduxit in Canaan, quod Prophetas, & reges, & victorias claras dedit. Hæc omnia complectitur Propheta, cum appellat hunc populum hæreditatem, ſeu peculium Dei. Ac conſiderata hæc diligenter accendunt animum, & quaſi robur orationi addunt, ut animus certò ſtatuat, futurum, ut non fruſtra fatigemus Deum precibus noſtris, jam antea tam varie teſtatum ſuam eximiam erga nos benevolentiam.

Sed longè illuſtriora hæc ſunt in novo teſtamento. Eccleſia enim verè eſt *Eccleſia novi teſtamenti.*
hæreditas Dei, quam Deus ſibi acquiſivit, ſanguine & morte vnigeniti ſui filij, Hæc hæreditas cum periclitatur, ſicut Turcica tyrannis, & Pontificius furor profecto certum periculum oſtendunt, nos quoque excitari ad orationem, ac certam exauditionis ſpem hac ratione concipere debemus, quam Propheta ſuis præſcribit.

Sed vtile eſt videre reliqua quoque. Prophetæ alicubi meminerunt in orationibus calamitatum, quas leniri optant, ſicut ſupra cap. 1. meminit Pro-
Pſalm. 79. pheta hoſtilis ignis & vaſtitatis, & Pſalmus, Deus venerunt gentes, commemorat

Digitized by Google

Opprobrium nominis Dei cur vigeatur in vastatione.

morat crudelitatem hostilem, eamque tragicis figuris amplificat, Effuderunt sanguinem tanquam aquam per circuitum Hierusalem, &c. Hæc omnia hoc in loco omittit Propheta, & tantum queritur de opprobrio, ne sinat Dominus populum suum à gentibus diripi, futurum enim ut populi captivitas vergat in ignominiam Dei, Exprobraturas enim gentes Iudæis, ubi sit Deus, quem soli se verum coluisse & agnovisse jactarunt, damnantes omnium gentium Deos & cultus. Pertinet autem hoc quoq; ad nos docendos de fine invocationis. Non enim hic proprius finis esse debet, nobis ut bene sit, Sed ut Dei gloria promoveatur. Nobis enim sæpe prodest exerceri cruce. Ideò dicit Paulus, ignorare nos quid petamus. Tum autem recte oraverimus, & certi de exauditione esse possumus, quando cum nostro periculo conjuncta est gloria Dei. Iussit enim nos Dominus orare pro sanctificatione nominis Dei. Etsi autem pro pane quotidiano quoque orandum est, tamen semper potior nominis Dei cura esse debet, secundum sententiam: Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini, Et recte secundum diversitatem promissionum, etiam periculorum differentia constituitur. Promissiones quædam sunt corporales. Habet enim Ecclesia opus gubernatione & defensione in tanta periculorum multitudine, quæ & Satan & mundus intentat. In his speranda est liberatio, & confugiendum præcipue ad invocationem. Et tamen, quia sæpe utile nobis est, exerceri cruce (Excutit enim securitatem, excitat fidem, & accendit orationem) sic instituenda in talibus periculis oratio est, ut tamen voluntatem Dei æquo animo feramus, si diutius crucem nos velit ferre, Promissiones autem spirituales, quæ ad salutem nostram, & Dei gloriam pertinent, hæ sine dubitatione amplectendæ sunt. Patefecit enim de iis voluntatem suam Dominus, quòd & per Christum nos salvare, & nomen suum sanctificari velit. Igitur hic precipue finis in omni oratione spectandus est. Ita animi certi de exauditione esse poterunt.

Finis invocationis verus.

Differentia periculorum, circa quæ orandum est.

Rom. 8.

Deut. 8.

Et zelabit DOMINVS pro terra sua, & parcet populo suo & respondebit DOMINVS, & dicet populo suo, Ecce ego mitto vobis frumentum, & mustum, & oleum, & saturabimini eo, & non amplius vos dabo in opprobrium inter gentes, Et elongabo à vobis septentrionalem, & expellam eum in terram desertam, & devastatam. Facies ejus ad mare Orientis, Terminus ejus mare ultimum.

Promittit pœnitentibus & invocantibus liberationem & benedictionem.

Exhortationi ad pœnitentiam subjecit Propheta precationem, quam à Sacerdotibus in Ecclesia recitari vult, Nunc subijcit promissionem, quæ hæc duo complectitur, futurum, si pœnitentiam agant, & ut Dominus benedicat agris, & hostem procul arceat. Sed verba Prophetæ intuere diligentius. Zelabit, inquit, pro terra sua. Zelus est vehemens & justa ira, qualis esse solet, cum aut maritus indigna experitur in vxore, aut parentes indigne tractari liberos vident. Commovetur enim supra modum in talibus occasionibus animus, & jure commovetur. Quod igitur Dominus promittit se zelaturum pro terra, nihil aliud est, quàm quod nullo modo passurus sit durius tractari populum agentem pœnitentiam. Sicut enim de impœnitente Iuda dicit, apud Esaiam, Ego consolabor super hostibus meis, hoc est, gentes, quæ sunt hostes mei, cum vos diripient & mactabunt, consolabuntur me, & gratissimum exhibebunt mihi spectaculum, Ita hic dicit, Si pœnitueritis, zelabo pro terra mea, non potero ferre, ut vos affligant hostes, Sed sicut patris animus ira ardet, & qua ratione potest opem fert liberis, quos ab alienis indignius tractari videt, Ita ego quoque excitabor ad ferendam vobis opem, & affligendos hostes vestros, & parcam meo populo, hoc est, avertam & mitigabo pœnas. Et respondebit Dominus,

Esaiæ 1.

Digitized by Google

minus, hoc est, Non tacebit ad populi sui preces, Invocatus aderit & audiet, & dicet populo suo, Ecce mitto vobis frumentum, &c.

Insignis profectò locus, & dignus, quem diligenter nobis inculcemus. Quæ enim ad pœnitentiam efficacior esse potest exhortatio, quàm quòd Dominus pœnitentibus & otantibus se tam benignum offert? Sed ô miseros nos, qui surdi prorsus sumus ad suavissimas has conciones. Populo Judaico frustrà hæc occinebantur, igitur barbarus hostis vastavit longè lateque totum regnum, & captivos Judæos abduxit in Babylona. Nos autem bis sumus miseri, si tam horribili calamitate, & tam suavi concione non movemur. Vtrunque enim ob oculos est. Rogemus igitur æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut his miseris & periculosis temporibus, per suum Spirituin corda nostra ad veram pœnitentiam excitet, ut attendentes verba, caveamus scandala, & seriò cogitemus de emendanda vita, & vera fide invocemus filium Dei, ut & Turcarum furorem reprimat, & Pontificis impia consilia impediat, ne turbatis per bella & cædes Ecclesiis, lux verbi, qua sola ad æternam vitam via ostenditur, penitùs apud nos extinguatur; Amen, Amen.

Prædicit qui sit quitur veram pœnitentiam.

Interpretes plerunque hoc in loco historiam quærunt, quòd de aquilone fiari propellendo in desertum, & ad ultimum mare minatur. Alius exponit de Senaherib; quem tamen in regno suo, cùm Ninivis in templo adoraret idolum suum filiorum gladiis jugulatum constat. Alius de Babylonio tyranno, de quo itidem constat in arce Babylonia noctu oppressum. Hæ hallucinationes inde oriuntur, quòd parum attentè observant ordinem, quo Propheta utitur. Est enim totus hic locus promissio de futura liberatione, si populus ad eum modum pœnitentiam agat, quem Propheta præscribit. Cùm autem pœnitentiam non agerent, irrita fuit promissio, non Dei, sed inobedientis populi culpa. Frustrà igitur quæritur Historia, ubi res non habuit eventum.

Et ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo ejus, quoniam magnificatus est in operibus suis. Ne timeas terra, Exulta & lætare, quoniam magnificatus Dominus in operibus suis.

Respiciendum lectori subinde est ad ordinem, quem Propheta in hac concione diligenter observat. Initiò prædixit vastationem futuram per Babylonium. Deinde hortatus est populum ad pœnitentiam & orationem, formam quoque precandi præscripsit. Addidit quoque promissionem, si populus agat pœnitentiam, futurum, ut potens hostis divinitùs reprimatur, & infeliciter pereat. Cum hac sententia cohærent quæ addit, Fœtebit & putrescet, quia effertur rebus gestis. Sed ô terra ne timeas, Dominus quoque efferetur, seu magnificum se getet, ob res feliciter contra hunc tuum hostem gestas. Quia autem plena consolationis hæc sententia est, paulò diligentius tractanda est.

Attexit priori promissioni quædam, & consolatur.

De Babylonio rege Prophetam loqui prorsus nullum dubium est, Nam Oseæ temporibus Babyloniorum potestas, oppressis Assyriis, multum est aucta, ac inter initia quoque afflixerunt Judam. Nam Manasses captus in Babylona abductus est. Est igitur hæc generalis sententia, quæ habet pulchram imaginem Ecclesiæ & ejus hostium omnibus temporibus. Sicut enim Judæi, si ad Babylonii Monarchæ potentiam compares, exiguus, imbecillis, & pauper populus fuêre, Ita Ecclesia comparata cum suis hostibus, verè pauper & exigua turba est. Mundus enim habet opes, & dignitatem, ac quia potentia suffultus est, ornatur præclaris victoriis. Contrà Ecclesia est pauper, est contempta, & subjecta cruci, miserè exercetur, tantùm non oppressa ab hostibus. Hanc dissimilem fortunam sequuntur etiam dissimiles affectus utrinque. Mundus enim securus est, & triumphat, sicut Propheta hîc dicit, nihil moderatum cogitat aut facit, ebrius similis. Ecclesia autem oppressa gemit, pugnat cum desperatione, lachrymatur. Quid enim aliud faciat afflicta & tot modis misera? Ideò Prophera hoc

Collatio Ecclesiæ & hostium ejus.

ãn loco dicit, Ne timeas terra. Sentit enim sic immersam malis, ut etiam, quæ tuta sunt, timeat. Si igitur rationem sequaris, Ecclesia pessimo loco est, Adversarii autem ejus sunt optimo loco. Ideò triumphant, efferuntur, gaudent, videntur enim tuti. Contrà Ecclesia periculis exposita, & ruinæ proxima est, Sed hîc Prophetam audi. Quia magnificatus est faciendo, ideò inquit, fœtebit & putrescet.

Successu evertit impios.

Ratio existimat istos magnificos in rebus gerendis successus, esse firmamentum tyrannidis, At Propheta diversum judicat, ac statuit, quantò evehantur altius, tantò & gravius & citius collapsuros. Confirmatur autem hæc penè incredibilis sententia quotidiana experientia. Vide Pharaonem in Aegypto, Sancheriba ad Hierusalem temporibus Hiskiæ, Belsazer apud Babylonios, nonnè tùm, cùm potentia maxima, & victoria certissima est, concidunt? Diversum autem de Ecclesia fit, Ibi cùm nihil sit, nisi pericula, gemitus, suspiria, lachrymæ, ac desperationi ideò vicina sit, tamen certa ei parta est victoria. Quomodo, aut cur? Nulla alia ratione quàm cùm hostes Ecclesiæ magnificant se, Dominus quoque vult seipsum magnificare, ac facit id cum ruina istorum, qui successu inflati, & fortuna elati sunt. Ecclesia igitur de se desperans, benè speret de Domino, qui postquam hostes Ecclesiæ magnificati sunt, ipse quoque magnificabitur.

Ecclesia afflicta triumphat.

Consolationes privatorum.

Transferenda autem hæc consolatio est etiam ad privatorum pericula. Notum est, quid Dominus Paulo responderit, Sufficit tibi gratia mea. Virtus mea in infirmitate perficitur. Cùm igitur sentis tuam infirmitatem, ne ideò desperes, excites te potiùs in spem, futurum, ut Dominus virtutem suam exerceat, siquidem tua virtus cessat, & fracta jacet. Est enim adjutor in opportunitate, hoc est, tum demum juvat, cùm necessitas auxilium postulat, Non igitur desperes in rebus adversis, Nec æstimes eventum ex tuis viribus, Dominum respicias, In eo sit tibi posita spes omnis, in te autem nullla. Certum enim est, quòd ipse quoque magnificabit se.

2. Cor. 12.

Ecclesia consolatio.

Sunt autem hæc magis conspicua in universo corpore. Ecclesia sine dubio hodiè apud nos est, ubi doctrina Evangelii, sana, & administratio Sacramentorum legitima & pura est. Habet autem hæc Ecclesia suos hostes, quos impellit Satan. Hi ad tempus felices sunt & florent, Nos autem involvimur periculis, trepidamus & penè desperamus. Hæc nos non dejiciant. Verùm enim certum & indubitatum est, Deum Ecclesiæ suæ hostes pessundaturum. Gradus autem hi sunt, quos Propheta hoc in loco ostendit, Vt priùs magnificentur hostes (eò enim pervenire eos Dominus sinit) Postea magnificatur Dominus quoque. Hanc igitur spem retinentes oremus contra hostes Ecclesiæ, & quia videmus, quòd magnificantur, speremus futurum, ut magnificetur quoque Deus noster, & terra non amplùs lugeat, sed lætetur, Amen.

Hostes Ecclesiæ.

Hæc est prior pars concionum Ioëlis, in qua hortatur suum populum ad pœnitentiam, ac promittit pacem, victoriam, & abundantiam omnium rerum, si pareant. Vtilis igitur & necessaria nostris temporibus doctrina hæc est. Nam quæ mala Germaniæ in tanto Satanæ furore non impendeant solùm, sed eam misere jam oppresserint penè, notum est, Vnica autem effugiendi judicii Dei via est, ut Paulus inquit, Si nos judicemus, hoc est, si non pergamus securi in peccatis, Sed discedentes à vitijs, attendamus verbo, sanctè vivamus, & incumbamus in orationem. Hoc quia populus Iudaicus noluit facere, venit tandem à Prophetis prædicta pœna, & tota terra vastata à Babylonio, populus autem captivus abductus est. Finiemus autem hîc secundum caput. Nam quæ sequuntur, ad Evangelii tempora pertinent.

1. Cor. 11.

ALTE-

ALTERA PARS CONCIONUM IOELIS.

CAPVT III.

HIC rectè ordiemur caput tertium. Transit enim jam Propheta à populo sui temporis ad lætum, & à primis mundi temporibus expectatum diem, & Regnum Filii Dei in hoc mundo. Quia enim frustrà fuerunt admonitiones & exhortationes ad pœnitentiam, atque ideò promissiones quoque de corporali liberatione, quam acturis pœnitentiam liberaliter promisit, non sunt exhibitæ, sed horribilis totius regni Juda vastatio secuta est, Propheta propter electos in populo, vaticinatur de Regno Christi, ut hoc ceu fulcro inniterentur, corporalibus incommodis penè oppressi. Involvit enim horribilis hæc pœna captivitatis etiam pios, quorum multi crudeliter occisi, multi, ut Daniel cum suis, captivi in Chaldæam abducti sunt. Quanquam autem Dominus piorum captivitatem tollerabiliorem reddidit, & pauci quidam in terram sanctam, & ad veteres sedes redierunt, tamen, quia in ipso exilio multi sancti extincti sunt, necessaria fuit hæc de Christi Regno Prophetia, qua lenirent corporalia incommoda sancti. Nos quoque hodie, quia Ecclesiæ variis periculis aguntur, non tantùm urgemus, quæ ad hanc vitam pertinent, sed consolationibus futuræ & æternæ liberationis per filium Dei nos & alios erigimus, ne victi malis corporalibus succumbamus aut desperemus. *Promissio de regno Christi.*

Sicut igitur hactenus Legis Doctorem audivisti, concionantem de peccatis sui populi, & de pœnis, partim jam inflictis, partim infligendis, ac exhortantem ad pœnitentiam & promissionibus invitantem, Ita potrò audies Evangelistam, ex Spiritu sancto docentem de regno Christi in terris futuro, qualis sit futurus Doctor, quem successum, quos hostes, quas victorias sit habiturus. Hæc cùm leges, memineris excellentis doni, quo Deus hunc populum ornavit, Imò quo Ecclesiam omnibus seculis servavit, aluit & auxit. Hac enim Prophetarum voce excitati piorum animi (ut Christus loquitur) optaverunt videre diem Christi, & viderunt. Joan. 8. Expectantes enim, & fide credentes liberationem per promissum Semen futurum, salvati sunt, Sicut nos, qui credimus in cruce liberationem à peccatis factam, futuram autem liberationem à morte corporis hujus, cùm apparebit filius Dei in nubibus. Nam omnium temporum eadem Ecclesiæ veræ fides & doctrina fuit, etsi quod ad ceremonias & externam conversationem attinet, varietas aliqua fuerit. Primus mundus ad diluvium usque gubernatus est per ministerium verbi, quod quasi per manus majores posteris tradiderunt, docentes de semine promisso, & victoria ejus contra serpentem, & monentes de cavendis peccatis, & insidiis Satanæ. Habuerunt enim sua conventicula pii, & externus cultus fuit gratiarum actio in isto cœtu & oblatio de iis, quæ benedictione Domini singulis obvenerant. Post diluvium, cùm Abrahamum Dominus singulari vocatione segregasset, & circumcisionis signo discrevisset ab omnibus aliis gentibus, mansit idem ministerium usque ad Legem in monte datam. Ibi non tantùm circumcisione, sed cultu & politia, imò quoque loco divino cultui destinato, & certis personis cultui præficiendis, Ecclesia insignita est. Cultus autem fuerunt tales, qui adumbrarent Christum, & docerent de Filio Dei mactando pro peccatis mundi, ut hoc spectaculo quotidiè oculis obversante, animi admonerentur de futura liberatione, donec secundùm promissionem exhiberetur. Postquam autem Christus sua morte pro peccatis satisfecit, & regnum sibi constituit per Evangelium, Mosaica illa omnia, tanquam umbra, abrogata sunt. *Ioël Evangelista.* *Ecclesia omnibus temporibus eadem.*

Ad hunc modum vides in Ecclesia Dei, quod ad externam formam attinet, diversitatem aliquam, Sed fides & doctrina semper fuit eadem, Animi intue-

bantur promiſſionem de Semine,& expectabant Serpentis oppreſſionem, Quoties Adam,Seth,Noha,Abraham lapſi ſunt,agnoverunt hos eſſe morſus Serpentis lethales,nullo humano remedio ſanabiles. Igitur humiliter confitentes cordis impuritatem,& Satanæ ac carnis potentiam injuſtam, totos ſe rejecerunt in Semen promiſſum, per id ſperarunt remiſſionem peccatorum, & gubernationem. Hæc fides non fuit fruſtrà. Per Chriſtum enim obtinuerunt remiſſionem peccatorum,& à Spiritu ſancto, qui propter Chriſtum eis donatus eſt, gubernari ſunt per hanc vitam, donec ex hoc mundo evocarentur. Prophetarum autem hoc miniſterium fuit,vaticiniis hanc fidem ſubinde alere, & ad eam invitare plures. Nam quòd reprehendunt peccata ſui populi, quòd minantur pœnas, quòd exhortantur ad pœnitentiam,inde potiùs Doctores, quàm Prophetæ appellandi ſunt. Pertinet autem ad gloriam & bonitatem Dei hoc præcipuè, quòd hanc de Chriſto lucem ſubinde accendit per ſanctos Prophetas,atque Eccleſiam hoc modo confirmavit & auxit. Hæc enim lux oſtendit vitam & ſalutem æternam. Sed audiamus Evangeliſtam noſtrum.

Et filij Zion exultate & lætamini in Domino Deo veſtro, quoniam dat vobis Doctorem juſticiæ, & deſcendere vobis facit pluviam, pluviam, & pluviam ſerotinam ſicut ab initio, & implebuntur horrea frumento, & torcularia oleo & muſto.

Cur concionem de Regno Chriſti hoc loco auſpicetur.

Non exiſtimo candidum & pium Lectorem moturum nobis litem, quòd ab hoc loco concionem de Regno Chriſti incipimus,& non ab eo, quem Petrus in Actis citat. Sunt enim duo certa ejus rei argumenta. Primùm, quòd de Doctore juſticiæ promittit, eum quem ſtatuemus eſſe, niſi ſolum Chriſtum, filium Dei? Alterum, quod bis promittitur, non futurum poſthac in æternum, ut populus confundatur. Hoc quomodo poteſt dici de populo legis, qui etſi reſtitutus eſt ab exilio ſuis ſedibus,tamen ſubinde à Syriis,Aegyptiis,tandem Romanis quoque variè vexatus, & tantùm non oppreſſus eſt. Eccleſia igitur novi Teſtamenti ea eſt, quæ in æternum non confunditur. Etſi enim cruce oppreſſa jacet,tamen habet per filium Dei ſpem æternæ liberationis & gloriæ. Tertiò uſitatum eſt Zionis appellatione venire Eccleſiam novi Teſtamenti. Idque hac ratione, In Zione monte Hieroſolymorum fuit Regia arx, extructa à Davide, ſicut docet hiſtoria 2.Samuel.5. Quia autem Chriſtus Davidi promiſſus eſt, vocatur Chriſtus quoque Rex Zionis,tanquam filius & hæres Davidis. Hinc mons Zion vocatur ſanctus mons,Pſal. 2. quòd ſanctum ſemen ibi regnaturum ſit, Sicut Pſalmus 110. dicit,ex Zione emiſſurum hunc Regem ſceptrum ſuum. Hac igitur ratione filii Zion vocantur Eccleſia,à ſuo Rege, qui in Zione habitaturus, & novum inde regnum auſpicaturus erat, per Evangelii prædicationem. A monte Moria denominationem Eccleſia non habet. Etſi enim is mons erat dicatus cultui Dei, & ideò quoque ſanctus appellatur à Prophetis, tamen, quia exhibito Chriſto abrogandi cultus hi erant, tanquam umbra & figuræ, à Zione potiùs Eccleſia nomen habet.

2.Sam.5. Pſal.2. Pſal.110.

Zion ipſa Eccleſia est.

Jubet autem Propheta filios Zion, ut lætentur, tanquam in nova & diu expectata re,ac diſertè dicit,ut lætentur in Domino Deo ſuo, ut oſtendat hujus gaudii inſtructorem, ſeu auctorem fore non homines, non Angelos, ſed ipſum Deum. Nam in aliis beneficiis, vel hominum vel Angelorum miniſterio Deus uti ſolet. Per Moſen eduxit populum ſuum,per Joſua,Gideona,Simſona,& alios Heroas defendit populum ſuum, Per Angelos dedit Legem, per Angelum occidit primogenita Aegypti, & obſidionem Hieroſolymorum ſolvit, Sed in hoc beneficio, quod populo ſuo Deum exhibiturum dicit Propheta, atque ideò lætari jubet, nullius vel Angeli, vel hominis miniſterio uterur Deus. Ipſe per ſe aderit populo ſuo, & benefaciet ei. Ideò dicit, In Domino Deo veſtro lætamini.

mini. Cur, aut quam ob cauſſam? Quid fiet magni? Quia, inquit, dat tibi Do-
Moreh. ctorem. Vocabulum (Moreh) notum eſt, Vtrunque ſignificat Doctorem & pluviam, fortè, quod, ut in Eſaia eſt, par utrinque ratio eſt, Pluvia cœlitùs demittitur, Boni Doctoreſ quoque Dei donum ſunt. Pluvia ſine fructu in terram aridam nunquam deſcendit, Ita certus ſemper verbi in Eccleſiâ fructus eſt. Sed hîc exclamabit Judæus, quid hoc magni aut novi eſt? An non habemus jam anteà divinum doctorem Moſen & Prophetas? Verum ſanè eſt, Rectè hi quoque dicuntur Doctores, & quaſi cœlitus demiſſa in aridam pluvia. Sicut ipſe Moſes hac figura utitur, & precatur, ut doctrina ſua ſtillet ceu pluvia, & fluat, ut ros, ora-
Deut. 32. tio, ut imber ſuper herbam, & guttæ ſuper gramen, Deuteron. 32. Sed ſive Judæus, ſive alius quiſpiam es, qui hæc ſic tecum cogitas, cur non revereris divinam Majeſtatem? Cur tantùm tuæ ſapientiæ tribuis? An non hoc tibi ſatis eſt? Siquidem poſt Moſen & Prophetas Dominus hoc in loco promittit Doctorem, ut ſtatuas hunc Doctorem longè Moſi & omnibus Prophetis anteferendum, ac neceſſariò aliaturum aliud quoddam doctrinæ genus quàm Moſen, idque longè excellentius.

Pluvia ſignificat Doctorem.

Promittitur alia doctrina, quàm Lex.

Sed hîc in mentem tibi venit, quod iſti Scribæ apud Lucam, audienti magnificam commendationem Evangelii, quòd oculi & aures illorum beati ſint,
Luc. 10. qui videant & audiant, quæ Apoſtoli vident & audiunt. Sic enim, hæc ex Chriſto audiens, cogitabat, nihil poſſe præſtantius doceri, quàm quod Moſes docuiſſet. Quid enim melius, perfectius, ſanctius poteſt præcipi, quàm diligendum Deum ex toto corde, & proximum ſicut teipſum? Habet autem Moſes manifeſtum teſtimonium, quòd acceperit doctrinam ſuam ab ipſo Deo. Cur igitur hîc promittitur alius Doctor? Num hæc ſancta & cœlitùs oſtenſa doctrina Moſis abroganda eſt? aut Doctor ille aliquid excellentius docere poterit? His rationibus Scriba apud Lucam ſe vincere, & Chriſtum ad palinodiam redigi poſſe ſperat. Sed ſic-
ut Chriſtus eum reprimit hoc uno verbo, quod dicit, Fac hoc, & vives; Ita Joël Propheta uno verbo has cogitationes jugulat, quòd dicit, non ſolùm daturum Deum doctorem ſeu magiſtrum, Sed addit ad juſticiam, hoc eſt, qui verbo & doctrina ſua, quam afferet, homines à peccatis liberabit, & juſtos faciet. Talem Doctorem Moſen fuiſſe nemo dicet.

Lex ſancta & perfecta doctrina ſed non juſtificat.

Evangelium melior doctrina, quæ juſtificat.

Docet Moſes præclarè de voluntate Dei, quid à nobis exigat Deus, quid faciendum nobis ſit, ſi velimus Dei voluntatem facere. In hoc argumento Moſes non habet ſimilem. Sed quid reſpondet Joannes Baptiſta? Hoc ſcilicet, Lex per Moſen data eſt, hoc eſt, Moſes tantùm eſt Legislator, hoc tantum agit, ut oſtendat, quid nobis faciendum ſit. Sed interim corda per peccatum depravata, abhorrent hanc Dei voluntatem, & malunt ſequi ſuas cupiditates. Ac ſi qui gubernant hos vitioſos motus aliquo modo, fit hoc tantùm metu pœnæ, non verò obediendi ſtudio, aut amore Dei, Cor interim dependet totum in aliam partem. Quia autem Lex Dei requirit cor purum, Nos autem ne quidem manus, linguam, & alia membra tegere poſſumus, quin ſæpè contra Legem Dei delinquamus, hinc fit, ut, ſicut Paulus loquitur, Moſes ſit miniſter mortis, & lex augeat peccatum, & occidat. Si enim Lex non eſſet, non eſſet peccatum. Nunc cùm Lex poſita ſit, nos autem convincat cor noſtrum de violata Lege, quid aliud reſtat, quàm ut animi turbentur, ut peccatum fiat excellenter peccatum, & Lex nos morti objiciat? Sicut enim Syngrapha te convincit debiti, ut id negare non poſſis, Ita Lex verè eſt chirographum contra nos; quo animi convincuntur peccati, & conſequenter ſubjiciuntur pœnis Lege conſtituris. De tali doctore gloriantur Judæi, cùm de Lege & Moſe gloriantur, qui ceu lictor & carnifex arripit furem, & ſtrangulat laqueo.

Moſes qualis Doctor.

Lex per Moſen data.
Iohan. 1.

Moſes miniſter mortis.

Et tamen verum hoc eſt, Legis doctrinam neceſſariam, ſanctam, & perfectam eſſe, Omne autem vitium in nobis eſt. Per peccatum enim corrupta

voluntate & intellectu, neq; videre possumus recta, neque, si ostendantur, perficere. Alia igitur doctrina, alio Doctore opus est, qui primum hoc cordium vitium sanet, Deinde etiam vires suppeditet præstandi ea, quæ lege jubemur facere. Talis Doctor cum Christus sit, tribuit ei Ioel excellens & sublime hoc nomen, que sit Doctor justiciæ, & non, sicut Moses, Doctor peccati. Quia enim ostendit quid faciamus, nos autem id facere non possumus, nihil aliud quam peccatores ex nobis facit, & grauat conscientias nostras, perturbat animos, & implet eos metu, imo etiam odio judicij Dei. Maltet enim natura Deum non esse, quàm sempiternis supplicijs subjici. Huic impietati non solum lex non medetur, sed etiam accendit eam, & auget, non, ut dixi, suo vitio, est enim cœlestis pluvia, Sed nostro, qui ceu petra rigata largis imbribus, tamen perpetuò manemus steriles.

Differentia inter Christum & Mosen.

Christus qualis Doctor.

Christus igitur Rex Zionis sancti montis, est justiciæ Doctor. Mutat enim corda per Spiritum sanctum, & quod vitiosum in nobis est, hoc condonat, Sicut Baptista egregiè dicit, Lex per Mosen data est, Gratia autem & veritas per Jesum Christum facta. Gratia est remissio peccatorum, quæ credentibus in Christum donatur, Veritas autem est donum Spiritus sancti, qui mutat corda, & incitat ad veram obedientiam contra peccatum, ac excludit omnem hypocrisin. Talem Doctorem promittit hic Propheta Ecclesiæ, & jubet eam ideò gaudere in Domino. Sic Esaias, Servus meus justus notitia sui justificabit multos, hoc est, Filius Dei patefaciet se per Evangelium, & sic multi justificabuntur, Et Christus dicit, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te æternum Patrem, & quem misisti Filium Jesum Christum, Et Paulus, Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Gratia & veritas per Christum facta.

Esaiæ 53.

Iohan. 17.

Habes finem seu effectum doctrinæ, quam filius Dei in hunc mundum hoc in loco promittitur allaturus, Sed quæ forma doctrinæ sit, etsi suprà ostensi loci Scripturæ satis docent, tamen ea bellissimè in secundo Psalmo expressa est, ubi Rex in Zion divinitùs constitutus dicit, Prædicabo præceptum, Filius meus es tu, hodiè ego genui te. Paucula hæc verba summam Evangelii complectuntur. Quid enim Evangelium aliud docet, quàm quòd Jesus ex Maria virgine natus, sit Filius æterni Patris, venerit autem in hanc carnem, ut nos primùm de Patris misericordi voluntate doceret, Deinde, ut pro peccatis nostris in cruce satisfaceret, & donaret Spiritum sanctum, ac in æternum salvos faceret. Hac doctrina accenduntur animi per Spiritum sanctum, ut primò Deum verè ament, Siquidem tam eximio in nos amore flagrare eum videmus, ut nostræ salutis causa ne quidem filio suo pepercerit, Deinde, ut Filium complectantur, tanquam sufficientem hostiam pro peccatis, qua sola Pater voluerit placari. Hac fiducia consequimur remissionem omnium peccatorum, & libenter Redemptori nostro paremus vocanti nos ad Baptismum, ad verbum, ad cœnam suam, Deinde hortanti ad dilectionem. Adjuvamur autem per Spiritum sanctum, ut corda mutata incipiant odisse peccatum, nec ampliùs vel indulgeant peccato, vel delectentur, sicut antea, & summo studio omnem suam vitam ad veram obedientiam Dei conferant, Ita justificamur coram Deo fide in Christum, & accipimus Spiritum sanctum, qui inchoat in nobis obedientiam erga Deum. Etsi autem propter reliquias peccati in carne, hæc nunquam perfecta est, tamen quod in ea vitii est, hoc per fidem in Christum absorbetur.

Summa Evangelij ex 2. Psalmo.

Tum, inquit Propheta, descender vobis pluvia, pluvia prima, & pluvia serotina, sicut ab initio, & implebuntur horrea frumento, & torcularia oleo & musto. Hæc allegorica esse prorsus nullum dubium est. Promittit Dominus in Mose, si servent Legem, aperturum se thesaurum suum bonum, nempe cœlos, ut dent pluviam in tempore suo, hoc est, cùm opportunissimum & commodissimum est, scilicet post sationem, ut succrescat sementis, & sub messem, ut vegetentur quasi segetes solibus exhaustæ. Vocat autem Scriptura hanc (Malkosch) seram pluviam, qua post longos æstus segeti opus est, priusquam demetatur, à

verbo

verbo (liqeſch) quod tardare ſignificat. Alia, quæ prior cadit poſt ſationem, idem nomen habet, quod ſuprà doctorem vertimus. Significat igitur Propheta felicem Evangelii ſucceſſum, & pulchros fructus, qui hanc doctrinam juſticiæ ſubſequentur, non tantùm in illo brevi angulo, in quo Iudæi habitabant, ſed per omnem terrarum orbem. Hæc ſunt horrea plena, & torcularia redundantia muſto & oleo. Quanquam hæc ipſa ſimilitudo Eccleſiæ etiam promittit benedictionem corporalem, & victum ſufficientem, Sicut apud Eſaiam in ſimili promiſſione conjunguntur. Dabit tibi Dominus panem tribulationis, & aquam afflictionis, nec avolabit amplius abs te Doctor tuus, Sed oculi tui videbunt Doctorem tuum.

Evangelij ſucceſſus.

Eſaiæ 30. Eccleſia promittit panis quotidianum.

Et compenſabo vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, vermis & eruca, Exercitus meus magnus, quem miſi in vos. Et cupidè comedetis, ac exaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, quoniam mirabilia vobiſcum fecit, & non confundetur populus meus in æternum.

Oſtendi ſuprà cauſam, cur hæc Prophetiæ pars de tempore novi Teſtamenti intelligenda ſit. Nam Doctorem juſticiæ, novi Teſtamenti, & non Legis Doctorem eſſe, planum eſt, & ſolam juſticiam ſequitur hæc gloria, ne in æternum aliqua accidat confuſio. Mirabitur autem lector, cur, ſi de novi Teſtamenti tempore loquitur, hîc mentionem faciat calamitatis à locuſtis illatæ, & aliis noxiis animantibus, quorum in primo capite paulum mutato ordine meminit. Sed exempla in Prophetis plurima ſunt, quæ docent ſtudiosè ab eis involvi hæc myſteria. Loquitur igitur Propheta hîc non ſimpliciter de locuſtis, nec ſolos illos annos intelligit, in quos calamitates ſuprà commemoratæ inciderunt, Sed complectitur totum legis tempus, quo defuit hic juſticiæ Doctor. Illud totum verè ſterile & infrugiferum fuit, Sicut Epiſtola ad Hebræos pulchrè dicit, quòd man-

datum ſit abrogatum, quia erat infirmum & inutile. Lex enim nihil ad perfectionem adduxit, ideò introducta eſt melior ſpes, per quam ad Deum appropinquamus. Vocat legis doctrinam infirmam, quia nos ſumus infirmi, quibus data eſt, nec poſſumus præſtare, quod exigit à nobis. Perinde enim ac ſi infantem in cunis jubeas menſæ aſſiſtere & miniſtrare, vana & irrita ea fuerit præceptio. Non ea enim eſt ætas, non robur illud, facere imperata ut poſſit infans, Ita quoque lex præcipit, quæ propter cordium immundiciem præſtare non poſſumus. Igitur non ſolùm infirma, ſed etiam inutilis lex eſt, nec quenquam adducit ad perfectum, hoc eſt, neque tollit peccata, nec juſtos facit, Sed relinquit nos in peccatis & ſub ira Dei, imò utrumque auget, peccatum & iram Dei, ac ad deſperationem adducit. Hæc igitur cauſa fuit, cur Sacardotium vetus una cum Lege abrogaretur, & ut epiſtola ad Hebræos dicit, ut induceretur ſpes melior, quæ faceret nos appropinquare ad Deum, quæ non, ut lex, impleret animos metu iræ Dei, & à Deo averteret, Sed accenderet in animis fiduciam miſericordiæ Dei. Hæc eſt Evangelii doctrina, ſeu, ut Propheta hîc vocat, doctrina juſticiæ, qua remittuntur peccata per Chriſtum, & donatur Spiritus ſanctus.

Heb. 7. v. 18. & 19.

Lex infirma & ſterilis.

Ideò dicit Deus, Reddam ſeu compenſabo vobis annos, quos voraverunt locuſtæ, & comedentes comedetis, hoc eſt, cupidè & cum ſingulari voluptate comedetis, ſicut famelici ſolent. Reſpicit autem hîc quoque ad Legem, ea rectè comparatur cibo, qui movet nauſeam. Non quòd lex mala ſit, Eſt enim ros divinitùs demiſſus, ut Moſes appellat, hoc eſt, Eſt cœleſtis doctrina, Nos autem tum palatum, tum ſtomachum vitioſum habemus, qualis eſſe ſolet ægrotantium, ideò ſalubrem cibum faſtidimus. Sicut enim Paulus dicit Rom. 8. Senſus carnis eſt inimicitia erga Deum, Legi enim Dei non ſubditur,

Lex ſimilis cibo, qui movet nauſeam.

Rom. 8. v. 7.

non

Digitized by Google

non enim poteſt. Qui autem ſecundum carnem vivunt, Deo placere non poſſunt. Hic eſt morbus noſter, qui palatum & ſtomachum vitiat, ut cœleſtis cibus à nobis faſtidiatur. Quæ enim Deo placent, nobis diſplicent. Contra, quæ nobis placent, Deo diſplicent. Quia autem lex pœnas minatur transgreſſoribus, ideò abhorremus ab ea, & odimus eam. Sed Euangelium eſt ille cœleſtis cibus, de quo hic Propheta concionatur, quod cupide & cum voluptate ſumma tum ſimus comeſturi. Non enim, ut Lex, docet quid à nobis exigat Deus, non intentat pœnas, Sed proponit Deum, ut ſuprà Propheta dixit, clementem, miſericordem, tardum ad iram, beneficum, & pœnitentem ſuper malo, Oſtendit Filium Dei ideo in hanc noſtram carnem veniſſe, ut opera Diaboli deſtrueret, hoc eſt, ut aboleret peccatum, vinceret mortem, patefaceret vitam, & tyrannidem Satanæ everteret. Hic eſt gratus menti cibus, & ſuavis, quem territi animi conſpectu peccatorum ſuorum, & metu iræ ac judicii Dei, ceu famelicus ſtomachus, avide arripiunt. Hoc primum eſt beneficium hujus Doctoris, quod affert ad nos cibum, quem comedentes comedimus, hoc eſt, cupide & cum ſingulari voluptate.

Euangelium delicatus cibus.

Alterum eſt, quod non ſolum dicit, comederis cupide, Sed addit etiam, & exaturabimini. Reſpicit autem hic quoque oblique ad Legem. Etſi enim habet cultus ſuos, etſi oſtendit quid faciendum ſit, tamen ſicut cibus qui famem non ſedat, ſed accendit magis & irritat ſtomachum, Ita Lex relinquit animos anxios, & dubios de ſalute, non poſſunt mentes in his acquieſcere. Arq; hoc vitium in genere eſt omnium ſtudiorum & operum, quæ ſuſcipiuntur ad placandam iram Dei. Relinquunt enim magis dubios & anxios animos, quam acceperunt. Multis ſuæ tentationes in Papatu cauſa fuerunt, ut relicto uſitato vitæ genere, ſe abderent in Monaſteria. Sperabant enim & converſatione ſanctorum hominum (ita enim tum judicabantur) & aſſiduo cultus Dei exercitio ſe liberatos iri. Sed ferè accidit, ut ad priores tentationes poſtea aliæ graviores aggregarentur, Non jejunia, non aſſiduæ orationes, non alia exercitia, ſanabant morbum. Sunt igitur omnia hæc ſtudia hominum, quæ ſine verbo ſuſcipiuntur ad placandum Deum, & conſcientiam exonerandam, ſimilia cibo, qui comeſtus famem non ſedat, ſed accendit.

Lex ceu cibus, quo accenditur fames.

Animi non acquieſcunt in noſtris operibus.

Contra, Euangelium, quod hic juſticiæ Doctor ex ſinu Patris ad nos affert, eſt ſolidus cibus, qui implet & exatiat ſtomachum, ac famem tollit. Animi enim intuentes Filium Dei factum victimam pro nobis, in hoc Sacrificio acquieſcunt, implentur gaudio, & certam etiam in ipſa morte conſolationem habent. Num enim peccatum metuet, qui novit Chriſtum Dei filium pro iis in cruce ſatisfeciſſe? Num mortem, qui novit per Chriſtum apertam viam Vitæ? Num Satanæ tyrannidem, qui videt Chriſtum ad dextram Patris? Hæc eadem præſidia mundi furoribus opponenda ſunt. Vere enim dicit Paulus, Si Deus pro nobis, quis contra vos? Quis accuſabit electos Dei? Deus enim eos juſtificat. Quis condemnabit? Chriſtus enim mortuus eſt, imo & reſuſcitatus eſt ad dextram Dei, & intercedit pro nobis. Hæc verba, & triumphantis hæ voces arguunt Paulum, non famelicum aut eſurientem, ſed ſaturum, & quaſi ebrium gaudio, qui cum paulò antè de lege, de vita, & ſtudiis ſuis diſſereret, exclamabat, O miſerum me, quis liberabit me de morte corporis hujus?

Rom. 8.

Evangelium ſolidus cibus.

Sequitur igitur in Propheta, Et laudabitis nomen DOMINI Dei veſtri. Hic fructus ſaturitatem hanc cœleſtis cibi ſemper ſequitur. Vides autem hic quoque clarum diſcrimen Legis & Euangelij. Lex operatur iram, Commoventur enim animi contra Deum, judicant injuſtum & crudelem eſſe, quod hanc infirmam naturam oneravit ingenti hac mole legis, quam ſuſtinere impoſſibile eſt. Contra Euangelium, quia concionatur de miſericordia & æternis beneficiis Dei patris, qui filium ſuum dedit victimam, Et filij, qui ſanguinem ſuum fudit pro peccatis noſtris, Et Spiritus ſancti, qui accendit in animis fiduciam

Evangelium facit, ut laudemus Deum.

etiam erga Deum per Christum, Ideò animi intuentes in has divitias misericordiæ & bonitatis Dei, erumpunt in laudem Dei, prædicant bonitatem ejus, laudant & ornant eum, ac etiam vitam potius abijciunt quàm confessionem.

Iudæi intelligunt has promissiones de temporali benedictione, quod annos famis recompensaturum Dominus se dicat, Sed quid copiam annonæ & pacem solcat sequi notum est, nempe quod Moses dicit, Servus meus impinguatus, dilatatus, incrassatus est, & recalcitravit. Natura enim peccato depravata, non potest aliter quàm abuti donis Dei, non solum ad luxum & superbiam, sed contra Ecclesiam & Deum. Itaque non laudes, non gratiarum actio sequuntur saturitatem, Sed contemptus religionis & extrema securitas. Ideo Deus Ecclesiam suam post alia incommoda, etiam fame & inopia exerceri finit. Quia autem abunde habet pabulum Verbi, & sentit in ipsis periculis certam consolationem, Ideo solvuntur linguæ in laudem & gloriam Dei. Sic dicit Psalm. 51. Libera me à sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & lingua mea laudabit justiciam tuam, Et Oseas dicit, Dimitte peccata, & benefac nobis, & reddemus tibi vitulos labiorum nostrorum. Hoc igitur illud beneficium est, quod hic fructus sequi solet, ut laudetur Deus, & prædicetur ejus misericordia, sicut Propheta hic quoque dicit, Laudabitis, inquit, nomen Domini Dei vestri, quia fecit mirabilia vobiscum. Hæc enim mirabilia non sunt benedictio corporalis, & annonæ vbertas, Sed quod nobis miseris peccatoribus, qui sumus natura filij iræ, datur justiciæ Doctor filius Dei, qui famelicos nos, positos sub Lege & ira Dei, pascit verbo suo, & hoc modo ex peccatoribus justos, ex iræ filiis, Deo gratos, ex damnatis salvos, ex mortalibus immortales facit. Hæc vere sunt mirabilia, quæ nemo vnquam fecit, nisi Doctor hic justiciæ, Filius Dei.

Saturitas panis facit securos.

Verbum excitat ad laudem Dei.

Quod de non confundendo in sempiternum addit, dixi argumentum esse certum, quod hæc non de reductione in terram Canaan ex Babel, Sed de tempore Euangelij intelligenda sint, præsertim cum Scriptura hac ipsa phrasi in aliis quoque locis soleat vti, vbi non de corporalibus beneficiis, sed de remissione peccatorum agit. Psalm. 25. dicit, Omnes qui te expectant non confundentur, & Psalm. 31. In te spero Domine, non confundar in æternum Habet autem hæc quoque particula insignem antithesin Euangelii & Legis. Iustificati fide, inquit Paulus, pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem etiam aditum habemus fide ad gratiam hanc, in qua stamus, Et Ephes. 3. Per Christum habemus libertatem & aditum cum fiducia, quæ est per fidem. Et Ebræo. 4. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam, & gratiam inveniamus, ut opportunum nobis contingat auxilium. Quia enim Euangelium ostendit Christum Dei filium ex voluntate Patris factum victimam, & satisfeciisse pro peccatis, Ideo animi non dubitant de Dei benevolentia, non pavent, non refugiunt à Deo, spem omnem in Dei misericordia habent positam. Sed quid Lex facit? Ostendit quidem Dei voluntas quæ sit, quod attinet ad nostra opera, & quid Deus à nobis exigat, Sed quia facultatem faciendi non præstat, nihil aliud sequitur legem, quam confusio. Sicut enim peccator apud Lucam procul stat, & ne oculos quidem attollere audet, Ita nos quoque cum Lex nobis ostendit peccata, & accusat nos, trepidamus, pavemus, non audemus ad Deum attollere oculos, refugimus à Deo, & sicut Adam & Eva in paradiso, nihil optamus magis, quam ut abscondere nos ab ejus facie possimus. Hanc confusionem tollit hic Doctor. Simpliciter enim verum est, qui credit in Christum, non confundetur in æternum.

Euangelium non confundit.

Lex confundit conscientias.

Ad hunc modum confusionem hic intelligo, Alii simpliciter referunt ad deformationem naturæ, quæ per peccatum facta est, quod & in animo sunt vitiosi motus, pugnantes cum Lege Dei, & corpus non morti solum, sed variis

aliis

alijs incommodis obnoxium est. Sicut enim concupiscentia perpetuo nos solicitat ad peccatum, ita sæpissime transversos agit & incendit animos contra Legem Dei, Sequuntur autem peccatum pœnæ suæ. Ita tota hæc vita nihil aliud est, quam perpetua confusio, error, & calamitas. Nam tanquam de mancipijs, triumphos de nobis agunt quotidianos, peccatum & Satan. Sanat autem hanc miseræ naturæ confusionem Deus per hunc justiciæ Doctorem, qui remittit peccata, donat Spiritum sanctum, & hæredes æternæ vitæ nos constituit. Neq; hæc incommoda explicatio est, Sed priorem magis probo, quod illustrem habet Euangelij & Legis antithesin. Hæc enim confundit. Non enim adducit ad perfectum. Illud autem implet animos gaudio & lætitia, quia remissionem peccatorum certam affert.

Et scietis quoniam in medio Israel Ego, & Ego DOMINVS *Deus vester, & non alius. Et non confundetur populus meus in æternum.*

Hactenus docuit Propheta de officio Christi, quod sit futurus Doctor justiciæ, qui, ut Esaias dicit, præcipitet mortem, & abstergat lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferat, Nunc quæ sequuntur rectissime referuntur ad hujus personæ descriptionem, ut non solum scias quid faciat Christus, sed etiam quis sit, Verus scilicet homo, & verus Deus. Etsi autem hæc mysteria Spiritus sanctus involuit, tamen conferenti scripturas facile apparet, nullam hujus loci aliam esse sententiam. Levitici 26. hæc promissio est, Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester. Hæc ad tabernaculum pertinere certum est, in quo Deus se habitaturum dicit. Similis sententia est de templo, quod ædificavit Salomo 1. Reg. 6. Domus hæc, quam tu ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, &c. firmabo ego sermonem meum tibi, quem locutus sum David patri tuo, & habitabo in medio filiorum Israël. Ad has promissiones sine dubio respicit hoc in loco Spiritus sanctus. A Mosis tempore vsque ad Salomonem, habitabat Deus in medio Israël, quia in Israël habebat tabernaculum sua voluntate extructum, & ornatum certis promissionibus. A Salomonis autem tempore habitabat in medio Israël, quia Hierosolymis habebat templum, seu, ut Scriptura appellat, domum, suo mandato extructam, & ornatam certis promissionibus. Hæc nota & certa sunt.

Testimonium de Christo, quod natura sit Deus.

Levit. 26.

1. Reg. 6.

Iam igitur mihi considera hoc, quod per Ioëlem Prophetam hoc in loco Deus, stante adhuc templo & tabernaculo promittit. Et scietis, quoniam in medio Israël ego. An non norant tempore Ioëlis, Deum habitare in Israël? Atqui dicebatur templum ideo domus Domini, quia Dominus ibi se promiserat habitaturum, & Esaias cap. 32. dicit, Dominum ceu patremfamilias habere focum in Ierusalem. Cur igitur dicit, Scietis? Nonne id antea norant? Significat igitur Propheta Deum tempore novi Testamenti alio & longe propiore modo habitaturum in medio Israël, quàm hactenus habitarat in domo sua, nempe, quod conceptus è Spiritu sancto, & de virgine natus, nostra se carne vestiturus sit, Sicut Euangelista dicit, hanc ipsam figuram imitatus, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, Et Baptista, In medio vestrum est, qui cum ante me esset, post me venit. Sicut igitur supra audivisti de Doctore justiciæ, Ita hic audis quis sit, Nempe homo, qui habitet in medio Israël, non sicut in templo habitarat, sed visibilis, qui nobis de ore ad os loquatur, & doceat justiciam verus homo, sed de quo possis dicere, quod sit, ut Esaias appellat, ImmanuEl, Nobiscum Deus, Sicut jam addit Propheta.

Esaiæ 32.

Ioan. 1.

Non enim satis est scire, quod in medio Israël sit, hoc est, quod sit verus homo iste Doctor, Sed addendum hoc quoque est, Scietis, quod ego Dominus Deus vester, & non alius. Hæc particula descriptionem personæ integræ absolvit.

absolvit. Quia enim hic Doctor in medio Israël est, sequitur, esse verum hominem, & tamen de hoc homine credi & dici debet, quòd sit Dominus Deus noster, & non alius. Hîc juxta Athanasii regulam neque personas confundas, nec substantiam separes. Suprà dixit, Gaudete in Domino Deo vestro; qui dat vobis Doctorem justiciæ. Hæc duarum personarum diserta notatio est, Pater dat Doctorem, & Doctor, qui datur, non est ipse Pater, sed filius ex Patre natus. De hoc Filio hîc dicitur, Scietis, quia ego Dominus Deus vester, & non alius. Non enim substantia separanda est. Conveniunt autem cum hac ipsa sententia multi loci novi Testamenti, Nemo venit ad Patrem, dicit Filius, nisi per me, Nemo
Jo. 14. novit Patrem, nisi Filius, & cui filius revelaverit. Philippe, qui videt me, videt Patrem meum, Quomodo igitur dicis, ostende nobis Patrem? Non credis, quia Pater in me est, & ego sum in Patre? Et paulò antè, Creditis in Deum, in me cre-
Joan. 8. dite, Et Johan. 8. Si novissetis Patrem, & me novissetis. Omnia mihi tradita sunt
Phil. 2. à Patre. Et Paulus, Datum est ei nomen super omne nomen, &c. Non enim de appellatione nuda Paulus loquitur, ut quidam somniant, sed de gloria divinitatis, quam possidet homo Christus.

Hæ & similes sententiæ sunt ceu explicatio hujus loci. Deus enim se re- *Quomodo Deus agnosci possit.*
Joan. 1. velat in Filio. Patrem nemo vidit unquam, inquit Joannes, Filius, qui in sinu Patris est, enarravit nobis. Cùm enim, quæ Dei natura sit, a nobis intelligi non posset, misit Deus Filium, imaginem seu characterem suum, Hunc cùm novimus, Deum novimus. Non autem in Filio aspiciendi sunt oculi, os, & reliquus corporis habitus, hæc enim à nobis sumpsit, & induit; Sed audienda Doctrina, & videnda opera sunt; Docet diligi nos à Deo patre, nec velle Patrem, ut moriantur peccatores. Ipse suspendi se sinit in ligno, & fit Maledictum, nos ut benedicaremur per ipsum. Ecce hoc modo agnoscis Deum, quis sit, & qua sit voluntate erga nos. Qui igitur Filium amplectitur fide, qui Filium colit, is verè in Deum credit, & Deum colit. Nam Deus alius extra hunc Christum ex Maria virgine
Joan. 10. natum non est, sicut dicit Christus, Ego & Pater unum sumus, Item, Non credis,
Joan. 14. quia Pater in me est, & ego in Patre; Item 1. Johan. 2. Omnis, qui negat filium,
1 Joan. 2. Patrem non habet.

Quia igitur Filius Dei induit carnem nostram, & habitavit in medio *Ecclesia servabitur.*
Israël, rectè sequitur, Populus meus non confundetur in æternum. Ideò enim venit, ut dissolveret opera Diaboli, ut liberati à lege, peccato, morte & Satana, essemus in gloria æterna per ipsius meritum & gratiam. Habes igitur duas personas divinitatis, Patrem, qui promittitur missurus Doctorem justiciæ & Filium, qui justiciam docet, habitans in medio Israël, hoc est, factus homo; Nunc sequitur etiam de Spiritu sancto luculentissimum testimonium, & de officio ejus, quod in novo Testamento à Christo missus administrabit.

Et erit post hæc; Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Etiam super servos & super ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.

Audivimus vaticinium de Christo Doctore justiciæ, qui fœcundaturus sit terram tanquam pluvia, ut germinet in copia justiciam. Pertinet autem Doctoris appellatio ad officium. Est enim Sacerdos, qui non tantùm docet justiciam Verbo, sed seipsum offert victimam pro peccatis mundi. Etsi autem doctrinam justiciæ etiam Apostoli afferunt, tamen à Christo eam accipiunt. Christus enim solus est, qui pro peccatis mundi sacrificat, idque suo corpore. Nunc subjicitur *Quando impleta hæc Prophetia fit.*
Prophetia de Spiritu sancto. Habemus autem fide dignum testem, Petrum Apostolum, qui dicit, hanc Prophetiam impletam in die Pentecostes, cùm Spiritus sanctus cœlitùs descendit, & implevit suo numine animos Apostolorum, &

qui cum eis erant, ut & loquerentur linguis anteà non intellectis, & magna virtute testimonium darent resurrectioni Christi, qui ante hoc donum cœleste metu perturbati, non solùm non docere, sed vix in publicum prodire audebant. Cùm igitur de Prophetiæ hujus sententia, & quo tempore, ac quomodo impleta sit; certò constet, restat, ut verba diligentiùs expendamus. Post hæc, inquit, hoc est, postquam Filius Dei justiciæ Doctor ministerium suum absolverit, quod, ut paulo antè ostendimus, habuit duplex (Nam & justiciam docuit, & sua morte expiavit peccata mundi) tum demum hoc quoque fiet, ut mittatur Spiritus sanctus, sicut Christus dicit, Nisi ego abiero, non veniet ad vos Paracletus. Petrus in Actis complectitur totum tempus, cùm dicit, Erit in novissimis diebus. Respicit enim ad abolitionem legis Mosaicæ, seu cultuum legalium, qui hactenus in hoc populo duraverant annis plus mille & quingentis.

Effunditur Spiritus Dei.

Effundendi verbum rectè exponitur de larga copiâ, quòd cùm hactenus Verbum constiterit in brevi Judaicæ terræ angulo, per quod Spiritus sanctus omnibus temporibus sanctorum corda illuminavit & gubernavit, Nunc per Apostolos in omnibus linguis Evangelium annunciandum sit, & Spiritus sanctus etiam gentibus donándus, Item, quòd Spiritus sanctus præter novum lumen, quod infundit cordibus, etiam miraculorum splendore se revelaturus sit. Et tamen rectè confertur verbum effundendi cum eo, quòd suprà appellavit Christum (Morehlizedakah) quòd nomen & pluviam & Doctorem significat, ut intelligas Spiritum sanctum quoque ceu pluviam demitti cœlitùs, ut riget arida corda, & ceu sterilem agrum fœcundet. Ideò Petrus quoque hac ipsa figura voluit uti, cùm dixit, Christus exaltatus ad dextram Dei, promissionem sancti Spiritus cùm accepisset à Patre (ἐξέχεε) effudit hoc, quod videtis & auditis. Non enim David ascendit ad cœlos, &c. Hîc manifestum est, uti eum effundendi verbo, ut significet donum hoc cœlitùs ceu pluviam demissum esse.

Meum Spiritum.

Sed omnis vis in eo est, quòd dicit, Effundam meum Spiritum, Petrus immutavit paululum verba, De meo Spiritu, Sed res prorsus est eadem. Nam omnis vis in pronomine est posita. Id cùm Petrus quoque retinuerit, sententia manet eadem. Hîc omnium primò observa differentiam personarum. Audis enim, qui promittat se effusurum Spiritum suum, Et tamen hoc, quod effunditur, non est is, qui effundit, Sed quiddam differens. Sic enim loqui necesse est, ut constituamus Personarum differentiam, quæ neutiquam confundenda est. Sic suprà quoque dixit, Gaudete in Deo vestro, qui vobis dat Doctorem justiciæ.

Vnus Deus & tres personæ.

Hîc necesse est constituere duas personas, Nempe, dantis & docentis. Filius qui docet, non est Pater, qui donat Doctorem; & Pater, qui donat, non est Filius qui docet. Et tamen dicit Christus, Ego & Pater unum sumus. Non credis Philippe, quia Pater in me est, & ego sum in Patre? Ad hunc modum hîc quoque personæ sunt separandæ. Alia persona est, quæ effundit Spiritum, & Spiritus, qui effunditur, alia est persona, quàm quæ effundit. Hæc certa & vera sunt, ac firmiter tenenda.

Spiritus sanctus Deus.

Athanasii symbolum.

Addendum tamen postea est, quod non simpliciter dicit, Effundam Spiritum, sed addit meum Spiritum. Est igitur hic Patris Spiritus. In Patre autem nihil est, quod non sit divinum, æternum, omnipotens, Igitur hîc Dei Spiritus, qui non est ipse Pater, est æternus, & omnipotens Deus. Vides igitur hîc firmamentum symboli Athanasii, quo Ecclesia novi Testamenti haud scio an post Apostolorum tempora gravius scriptum habet. Alia, inquit, est Patris persona, alia Filii, alia Spiritus sancti, Sed Patris & Filii, & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increatus Pater, immensus, æternus, omnipotens, Sic Filius, sic Spiritus sanctus, & tamen non tres increati, immensi, æterni, omnipotentes, Sed unus increatus, immensus, æternus, omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus, &c. Hæc necessaria est do-

eſt doctrina, non ideò ſolùm, quia ſine ea Dei notitia eſſe nulla poteſt, ſed etiam propter invocationem. Mens enim quoties Deum invocat, debet animo intueri Deum Patrem, conditorem omnium, Et Filium, quem ab æterno gignit Pater, imaginem ſuam ac deſtinat, ut ſit victima pro peccatis mundi, & Spiritum ſanctum, qui procedit à Patre & Filio, &, ut Joël hîc loquitur, effunditur à Patre per Filium, ut, ſicut paulò poſt dicemus, ſanctificet corda.

In invocatione quis ſpiritus ſanctus.

Ioan. 16. Hunc Dei Spiritum Scriptura ſanctum vocat, ut ſicut filii officium in eo oſtenditur, quòd vocatur Doctor juſticiæ, Ita Dei Spiritus ab officio ſanctus vocatur. Quia ſanctificat nos, qui per peccatum prorſus prophani & impii naſcimur & ſumus. Peccati enim venenum diffuſum eſt non per corpus tantùm, quod ex immortali vitioſum, morbidum, & mortale fecit, ſed etiam ſpiritum noſtrum corrupit. Nam intellectus amiſit notitiam Dei, ut quaſi cæci in ſole meridiano ambulemus. Voluntas autem ſic depravata eſt, ut perpetuò pugnet cum Lege Dei, nec poſſit ei ſubdi. Agimur igitur malo ſpiritu, qui & delectatur peccato, & judicium Dei odit. Spiritus autem Dei officium eſt, hæc naturæ mala ſanare, & prophanos animos ſanctificare. Id fit præcipuè tribus rebus. Primùm eximit ex animis ſecuritatem, & inſtillat timorem Dei. Nam naturaliter omnes delectamur peccato, & ſecurè ei indulgemus. Davidem vide, is benè ſecum putat actum, quòd occiſo Uria, ejus Uxorem ſine querelâ obtinere poſſit. Paulus poſtquam literas impetravit, ut etiam Damaſci ſævire in Chriſtianos liceat, triumphat, ac ſe beatum ducit. Avarus cùm occaſio inſignis etiam injuſti lucri oſtenſa eſt, cupidè eam amplexatur, & urget. Quid multa? vitiata natura occaſiones peccatorum ſolicitè quærit, & captat, ſecura de Deo & judicio Dei. Sanctus autem Spiritus hoc primum ſolet, ſecuros animos arguit de peccato, ut peccati fœditatem intueantur, & ut pœnas ſecuris peccatoribus inflictas conſiderent. Hac ratione fit, ut odiſſe peccatum incipiamus & emendemus, quæ hactenus impiè facta ſunt, imò, ut cupidè poſtulemus à Deo, & gratiam præteritorum peccatorum, & facultatem verè obediendi voluntati Dei. Etſi igitur peccatum ſolicitare nos non ceſſat, tamen adjuti Spiritu Dei, reſiſtimus peccato, & id mortificamus.

Dei Spiritus cur dicatur ſanctus.

Quomodo Spiritus ſanctus ſanctificet.

I. *Timorem Dei docet Spiritus ſanctus.*

Hæc cùm in animis per Spiritum ſanctum ſunt facta, Non enim humanæ aut induſtriæ, aut ſapientiæ ſunt, Poſtea accendit in animis novum fidei lumen, ut ſtatuamus per Chriſtum condonata nobis peccata, & placatum nobis Patrem in cœlis. Hoc quoque non naturæ, ſed Spiritus ſancti opus eſt. Nam animi, cùm peccata ſua intuentur, naturaliter refugiunt à Deo, & metuunt iram ejus. Hanc animorum diffidentiam corrigit Spiritus ſanctus, oſtendens Chriſti ſacrificium, & excitans per id nos, ut etiamſi peccatorum graviſſimorum nobis ſumus conſcii, non tamen fugiamus à Deo, aut diffidamus ejus bonitati, Sed cum fiducia ad eum accedamus propter Mediatorem Chriſtum. Hac fide, ut ait Petrus, purificantur corda, & verè ſanctificamur. Quia enim remiſſionem peccatorum fide accipimus, reputamur per Chriſtum ſancti & juſti.

Act. 15.

Pſal. 115. Fidem autem ſequitur confeſſio, ſicut dicit in Pſalmo: Credo ideò & loquor. Confeſſio autem certa ſecum affert pericula & tentationes. Odit enim eam Satan, & concitat mundum contra pios, qui cum potentia, dignitate, & opibus valeat, graviter affligit Eccleſiam. Hic igitur Spiritus ſancti officium & beneficium eximiè ſentitur, confirmantis & conſolantis animos in mediis periculis, ne deſperent, aut confeſſionem abjiciant. Apoſtoli confirmati Spiritu ſancto, minas Sacerdotum contemnunt, potior eis cura eſt docendi alios de Chriſto, quàm ſervandæ vitæ ſuæ. Sancti Martyres, ſicut Prudentius de Laurentio, Agnete, & aliis commemorat, in ipſis tormentis inſultant Tyrannis. Stephanus jam lapidandus vitam ſuam negligit, ſollicitus de ſalute tàm ſecurè peccantium. Hæc non humana ſunt, ſed certa Spiritus dona, qui ex alto per Chriſtum ad nos venit, ac imbecillem naturam confirmat. Deſtituti autem Spiritu ſancto quid in-

II. *Spiritus ſanctus conſolatur in periculis.*

periculis ſoleant, præſertim cùm mors accedit, notum eſt, Trepidant, querulantur, pavent, nuſquam vident, in quo acquieſcant. Hæc naturalia ſunt, Sed ſanctus Dei Spiritus naturam etiam hac in parte corrigit & ſanat, non eo modo, ut cruciatus mitiget, aut corpora ſine ſenſu mali, eſſe faciat (quanquam id quoque alicubi ſolet) Sed ut in ſenſu ipſo mali, non concidat animus, & in meliorem ſpem intuentes ipſi nos conſolemur & erigamus per invocationem, Sicut ideò à Zacharia appellatur Spiritus gratiæ & precum. Gratiæ, qui confirmet animos de remiſſione peccatorum per Chriſtum, Precum, qui in periculis ad orationem excitet, ac ſpe liberationis præſentia incommoda mitiget.

Dona Spiritus ſancti.

Atque hic longum agmen virtutum Chriſtianarum connectitur, Libertas in confitendo, Patientia in ferenda cruce, Invocatio cum certa ſpe liberationis, Fides certa de Dei favore, etſi fortuna diverſum loquatur, Exercitium verbi, dum promiſſionibus infirma fides ſe erigit, & quis enumeret omnes Spiritus ſancti dotes, in hac noſtra imbecillitate? Excitare autem nos hæc debent ad agnoſcendam Dei ingentem miſericordiam, qui miſeros nos peccatores tot modis amplectitur, juvat, fovet, regit, tuetur. Non enim ſatis ei eſt, dediſſe nobis corpus, mentem, voluntatem, ſermonem, etiam Filium donat, qui docet juſticiam, & fit victima pro nobis, etiam Spiritum ſanctum cœlo demittit, qui morbos naturæ inſanabiles, mortiferos, & æternos ſanet ac curet. Hunc vult habitare in animis noſtris, ut nos regat, gubernet, & ſervet, qui tot modis impetimur & ſolicitamur contra Deum. Ingens & ineffabilis planè hæc eſt bonitas, quàm ſi non agnoſcimus, ſi non de ea cogitamus ſæpiùs & gratias agimus, prorſus ingrati ſumus.

Quomodo invocandus Spiritus ſanctus ex Pſalmo 51.

Docent autem hæc quoque de vera invocatione Spiritus ſancti, cujus inſigne exemplum proponit Pſalmus 51. in quo Propheta quæritur de naturæ miſerabili depravatione per peccatum, quod ſubinde non ſolicitat tantùm nos, ſed vi quoque impellit contra legem Dei, unde poſtea tot & tàm varii etiam in Eccleſia exiſtunt horribiles lapſus, & ſcandala penè infinita. Quare magna nobis incumbit neceſſitas in tot periculis conſtitutis, ſedulò ut pro gubernatione Spiritus ſancti, Davidis exemplo oremus. Is primùm petit abſcondi peccata, & deleri iniquitates. Tales enim ſumus, ut quàm diu in hac vita ſumus, ſine peccatis eſſe non poſſimus. Nulla igitur alia medicinæ via relinquitur, quàm ut peccata, quæ in nobis ſunt, Dominus abſcondat & deleat, ac quaſi claudat oculos, ne cogatur ea videre. In hac indulgentia Dei conſiſtit ſalus noſtra, nobis acquiſita per Filium Dei, qui ſe dedit victimam pro peccatis totius mundi. Quia autem hunc theſaurum, ut Paulus vocat, portamus in vaſis fictilibus, quæ levi momento franguntur, opus eſt alio cœleſti dono, Spiritu ſancto, qui nos in hac gratia ſervet, ne ab ea excidamus. Ideo pergit David orare, Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum firmum reſtaura in corde meo.

Pſal. 51.

2 Cor. 4.

Pſal. 51.

Cor mundum.

Poſtulat David creari in ſe cor mundum. Hæc manifeſta confeſſio eſt, quòd cor habeat immundum, hoc eſt, diſſidens à lege Dei, & quòd delectatur peccato. Id cupit mutari, ac creari novum, ut non ampliùs immundum ſit, hoc eſt, ut immundities hæc condonetur, ac ad eam rem opus eſſe dicit (ruah nacon) Spiritu firmo, qui ſubinde accendat fidem, ne propter peccata dubitet de benevolentia Dei, ſed ut certam ac perpetuam ſpem remiſſionis peccatorum retineat. Vitur autem verbo (chiddeſch) quod reſtaurare ſignificat. Quia enim in tanta infirmitate conſiſtere non poſſumus, quin ſæpè labamur, Spiritus ſanctus autem per lapſus contra conſcientiam excutitur, Neceſſaria hæc precatio eſt, ut reſtauretur ſubinde in nobis donum ſancti Spiritus, ne dubitemus, quin peccata noſtra per Chriſtum nobis remiſſa ſint. Complectitur autem hæc particula fidem, quam ſuprà ſecundo loco poſuimus.

I. *Spiritum firmum rogat.*

II. *Spiritum ſanctum rogat.*

Poſtea David orat pro alio dono, inquiens, Ne projicias me a facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Hîc primùm obſerva gradus. Eſt in nobis cor immundum, Fide autem purificantur corda, ut, etſi peccatum adſit, tamen

tamen non imputetur. Quia autem peccatum ſubinde nos ſolicitat, & in nobis pugnat contra Legem Dei, non ſolùm fide opus eſt, quâ ſtatuamus per Chriſtum nobis condonata eſſe peccata, ſed etiam alio dono Spiritus ſancti indigemus, nos ut ſanctificet, hoc eſt, ut confirmet nos, & excitet, ne pareamus peccato ſolicitanti, Sed ei reſiſtamus, & id mortificemus. Niſi enim id fiat, ſi indulſerimus peccato, abjicit nos Dominus à facie ſua, hoc eſt, ſecurè peccantes relinquit ſuis deſideriis, ſicut exempla ante oculos ſunt. Hoc tantum malum deprecatur David, & petit contra id Spiritum ſanctificantem.

III. *Spiritum promptum rogat.*

Tertiò addit, Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ, & Spiritu prompto confirma me. Hoc nimirum eſt tertium illud, de quo ſuprà diximus. Quia enim omnes, qui volunt piè in Chriſto vivere, perſecutionem patientur, hîc quoque Spiritu ſancto nobis opus eſt, qui impleat animos lætitia ſalutis Dei, ut, quanquam variè exerceamur in hoc mundo, tamen nos certa ſalute per Chriſtum parta conſolemur. Hoc enim eſt, quod Paulus ait, Spes non confundit. Cum hac ſpe conjungit David (Ruah nediba) promptum, voluntarium, liberalem ſpiritum, qui non defatigetur ferenda cruce. Ea enim eſt fortuna piorum, ut tentatio tentationem excipiat, Sicut illuſtri figura Pſal. 41. oſtendit. Comparat enim Eccleſiam navigio in procelloſo mari, quod fluctus ſubinde ex omni parte concutiunt, nec finis eſt periculi, una procella alteram urgente, ſicut dicit, abyſſus abyſſum vocat. Oportet igitur ſpiritum eſſe (na dib) non humilem & abjectum, qui ad primum impetum cedat, Sed generoſum, altum, infractum, qui non defatigetur periculis, ſed promptus & alacris ſit.

Rom. 5.

Pſal. 41.

Exhortatio ad invocationem Spiritus ſancti.

Ad hunc modum nos quoque quotidiè orare decet, ut & augeat Dominus in nobis fidem, & Spiritu ſuo adjuvet, ne cedamus peccato, Sed contra peccatum pugnantes triumphemus, Tertiò, ut in cruce ſimus alacres & conſtantes, nec defugiamus ulla pericula propter confeſſionem. Niſi enim adjuverit nos Dei Spiritus, impoſſibile eſt, nos conſiſtere. Meritò autem reprehendimus ſinguli noſtram ignaviam. Quotus enim quiſque de his periculis ant cogitat, aut ſollicitus eſt? Quàm multos invenias paſſim, qui nunquam Spiritum ſanctum invocarunt? Excitemus igitur nos, & hoc filii Dei munus, quod pro nobis accepit à Deo patre, vero corde petamus, & dabit nobis Dominus Spiritum ſuum, qui hoc pacto gubernet, tueatur & confirmet nos, ſicut dicit Chriſtus, Pater meus dabit Spiritum ſanctum petentibus ſe, Luc. 11.

Luc. 11.

Rectè tum à patre, tum à filio rogatur Spiritus ſanctus.

Vt autem hoc quoque addam de invocatione, nulla differentia eſt, ſive à Patre, ſive à Filio Spiritum ſanctum poſtules. Nam eſt Spiritus, qui procedit à Patre & Filio. Ideò Chriſtus utrumque dicit, Johan. 14. Spiritus quem mittet Pater in nomine meo, Item, rogatus à me, dabit alium Paracletum, Et Actor. 2. dicit Petrus, Chriſtus accepit promiſſionem Spiritus à Patre, & Pſal. 68. Acceſiſti dona pro hominibus. Rectè igitur petitur Spiritus ſanctus à Patre, ita tamen, ut in nomine Chriſti petas, hoc eſt, ut propter Chriſtum hoc donum donari tibi petas, Et Johan. 16. dicit Chriſtus, Niſi ego abiero, non veniet ad vos Paracletus, Si autem abiero, mittam eum ad vos, Et cap. 15. Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Rectè igitur à Chriſto hoc beneficium petes, Nec eſt differentia, ſive dicas, Aeterne Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, dona mihi Spiritum ſanctum tuum, qui accendat in me fidem, gubernet & confirmet me &c. Sive dicas, O fili æterni Patris Jeſu Chriſte, dona mihi ſanctum Spiritum tuum. Eccleſiæ autem Exemplo invitamur ad ipſius Spiritus ſancti invocationem. Sic enim erat, Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, Et citat Baſilius Euſebii Paleſtini verba, Sanctum Deum, lucis conditorem per Salvatorem noſtrum Jeſum, cum Spiritu ſancto invocantes. Hæc Eccleſiæ teſtimonia, etſi non extarent, tamen ſatis firma & certa ratio eſt, quòd qui confitentur Patrem, Filium, & ſanctum Spiritum, eſſe verum Deum, hi etiam cùm unam perſonam tantùm nominant, tamen Deum ſe invocare norunt.

Ioh. 14.

Act. 14.

Pſal. 68.

Ioh. 16. 15.

horunt. Sicut Ecclesia baptizavit in Christi nomine. Hæc attingere paucis libuit, ne simplices dum orant, sibi laqueum nectant.

De mediis, per quæ Spiritus sanctus venit.

Diximus hactenus, quid sit Spiritus sanctus, & cur mittatur Spiritus sanctus, Deinde exemplo Davidis ostendimus, quæ beneficia Spiritus sint rogãda, Restat jam quarta particula, ut etiam de mediis, & quasi instrumentis doceamus, per quæ Spiritus sanctus est efficax. Est autem hæc quoq; doctrinæ pars admodum necessaria Nota enim sunt non Monachorum tantum somnia, qui jejunijs & orationibus se præparabant, Sed etiam aliorum (qui purioris doctrinæ possessionem sibi sumebant) phanaticæ opiniones. Hi enim neglecto ministerio, quod Deus in sua Ecclesia esse voluit, abdebant se in angulos, & vacabant contemplationibus, nescio quibus, coq; modo expectabant promissionem Spiritus per certos gradus, quos portentosis nominibus appellabant. His rationibus tantum profecerunt, vt non sancto, sed alio malo Spiritu implerentur, qui attonitos & tantum non fatuos efficiebat. Sicut nota sunt exempla in ijs locis, vbi Muntzerus, Carlstadius, Storchius, & alij phanatici homines docuerunt, ac major pars postea ad Anabaptistas, nihilo illis saniores, transierunt. Hisce erroribus occurrendum, & de tantis rebus ex Scriptura certa testimonia petenda sunt.

Memineris igitur, quæ supra de Spiritus sancti certis indubitatis operibus diximus, Quod primùm accendat in animis fidem, ne propter peccata desperent. Secundò adjuvat nostrum Spiritum, ut resistamus peccato, & mortificemus peccatum. Tertiò, consolatur in rebus adversis. Nam si, quid natura soleamus, interroges, notum est peccati sensum parere desperationem, notum est & delectari nos peccato, & in periculis concidere animos ac trepidare. Hanc naturæ depravationem corrigit Spiritus sanctus, & sanat, non in iis qui monasticas præparationes & solitarias contemplationes secuti sunt, sed qui studiosè audierunt verbum Dei. Vide enim Matthæum Publicanum, cur relinquit quæstuosum & peccatis plenum vitæ genus, & se adjungit ad Christum? Nonne, quia Christum solicitè audivit? Sic peccatrix mulier, cùm antea occasiones peccatorum studiosè sectata esset, & ultrò captasset, anxia plorat, dolet de admissis peccatis, & quærit remissionem peccatorum, etiam in aliena domo, in corona gravium virorum, quo accedere saltem pudor, si quis inesset, prohiberet, At secura de judicio aliorum, cupit audire vocem de remissione peccatorum. Quis ita muravit animum ejus? Nonne verbum, quod ex Christo audivit? Zachæus quoque delectatus hactenus injustis lucris, dimidiam bonorum partem promittit pauperibus, Defraudatis autem restaurationem. Paulus quoque cùm arderet ira contra Christianos, ad Christi vocem statim fit alius, & promittit se facturum imperata, & omissurum institutas rationes. Sic tria millia Judæorum ad Petri concionem respondent, Quid faciemus viri?

Spiritus sanctus datur per verbum.

Verbum Dei instrumentum, quo gubernantur à Deo mentes hominum.

Ergo verbum Dei instrumentum perpetuum est, per quod movere, accendere, illuminare homines vult Deus, imò prorsus mutare, ut qui hactenus fuerunt securi, primò incipiant metuere iram Dei, & judicium, ac emendent vitam. Deinde, qui fuerunt pavidi ob metum judicii Dei, ut se consolentur sacrificio filii Dei contra peccatum. Tertiò, ut etiam in periculis, & in ipsa morte, spem salutis retineant. Sic Paulus dicit, Rom. 10. Fides est ex auditu, Auditus autem ex verbo. Constituenda tamen hîc definitio Verbi est. Lex etiam est verbum Dei, Sed per eam, dicit Paulus in Galatis, Spiritum sanctum non dari, Sed per verbum Evangelii. Ideò dicit Esaias, Quàm speciosi pedes Evangelizantium pacem. Verè enim ministerio Ecclesiæ nihil suavius, nihil preciosius, quod affert Spiritum sanctum, qui fidem & notitiam Dei accendit, mortificat peccatum, & consolatur in periculis. Est enim sicut pluvia, quæ nunquam cadit in aridum locum, quin sequatur certus fructus. Si igitur donum Spiritus sancti consequi optas, si optas familiæ & liberorum certam emendationem, hanc viam insiste.

Rom. 10.

Gala. 3.

Esai. 52.

Audi

Audi verbum studiosè, adhibe tuæ fidei creditor ad verbum. Solus enim Spiritus sanctus est, qui corda peccato vitiata sanat, Sanat autem per verbum Evangelii, in quo arguimur peccati, justiciæ & judicii. Peccatum cùm audimus in nobis esse, consternimur animis, & pavemus, Justicia autem filii Dei nos contra peccatum erigimus, & certam retinemus salutis spem in omnibus periculis. Scimus enim Principem mundi judicatum & victum, qui nocere amplius non potest his, qui sunt in Christo Jesu, etsi tentare & molestare eos possit, & crebò soleat.

Porrò cùm de verbo Evangelii loquimur, etiam Sacramenta includimus. *Spiritus sanctus per Sacramenta dator.* Habent enim annexam promissionem Spiritus sancti, & remissionis peccatorum. Ideò Petrus cùm interrogaretur, quid faciendum esset, respondet, Agite *mensa.*
Act. 2. pœnitentiam, & baptizetur unusquisque in nomine Jesu. Et Christus dicit, Nisi quis renatus fuerit per aquam & Spiritum, non veniet in regnum Dei. Hæc manifesta sententia est, Spiritum sanctum per Baptismum velle efficacem esse in animis, Sicut Petrus quoque dicit, Et accipietis donum Spiritus sancti. Atque hæc *Infantes baptizandi.* quoque causa est, cur ad Baptismum, exemplo Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ adhibemus etiam infantes. Quia enim certum est, Spiritum sanctum per aquam Baptismi efficacem velle esse, statuimus tam non impediri Spiritus sancti actionem per infantium ἀναισθησιαν, quam nos adulti nostris viribus & sensibus, Spiritus sancti opus non reddimus perfectius. Extant autem exempla, etiam nondum natos in utero materno sanctificatos esse, imò etiam Christi notitiam habuisse. Quia autem certum est, spiritum in infantibus immundum esse propter peccatum, cur invideremus eis sanctificationem, quam Christus cum aqua Baptismi promittit, & sine qua salvos eos fieri impossibile est?

Maneat ergò hæc sententia rata & firma, quòd Spiritus sanctus per ministerium Ecclesiæ, hoc est, per prædicationem Evangelii & Baptismum contingit. Inde petant eum, quotquot potiri eo cupiunt. Non negligant publicos cœtus, ubi Evangelii vox sonat, Adjungant vota sua ad Ecclesiæ, in nomine Christi congregatæ, preces, ac cùm audiunt sacras conciones, petant diserte, Spiritus
Cap. 3. sanctus ut eas infigat animis, & digito suo in corda nostra scribat. Sicut Hieremias promittit futurum, cùm docebitur Evangelium, ut inscribatur lex Dei in carnem & corda nostra, non ut lex Mosi in dura saxa. Sed hîc & de nostra imbecillitate & insigni Dei bonitate, imò, ut Paulus dicit, de immensis misericordiæ divitiis cogitemus. Induit nos Baptismus pura & immaculata veste, Per Chri- *Baptismus.* stum enim condonatur quicquid in nobis vitiosum est. Sicut autem per lubrica & immunda luto loca qui ambulant, facilè aut labuntur, aut polluuntur ab aliis, Ita sæpè excidimus à gratia, & amittimus per peccata contra conscientiam admissa Spiritum sanctum. Sic accidit Davidi, Ideò agnoscens periculum, orat ne tollat Dominus Spiritum sanctum suum. Hîc quoque cavit nobis misericordia divina. Nam per Christum datæ sunt Ecclesiæ claves, ut dubitantes de remis- *Claves.* sione peccatorum suorum, audiant sententiam Christi, quam pronuntiari vult super omnes, qui & dolent de peccatis suis, & iis levari cupiunt. Clavium igitur usus etiam eò pertinet, ut restauretur in nobis donum Spiritus sancti, & accendatur extincta per peccatum fides.

Ad hunc modum cœna quoque à Salvatore nostro instituta est, in qua *Cœna Dominica.* duæ res nobis exhibentur. Primum corpus & sanguis Christi cum pane & vino. Deinde insignis promissio, quæ singulis cœna utentibus, dicit corpus Christi pro nobis traditum, & sanguinem ejus ad remissionem peccatorum nostrorum effusum. De hac promissione ne dubitent animi, singulis cœna utentibus, ipsum precium pro peccatis traditum exhibetur, ut tantò statuant & credant certius pro se datum corpus Christi, & sanguinem pro peccatis nostris effusum. Hæc quoque via est, qua ad remissionem peccatorum patefit aditus, & ad donum Spiritus sancti recuperandum, qui amittitur per peccata contra conscientiam

admiſſa. Sicut autem ſuprà diximus, Spiritum ſanctum non venire ſolùm, ſed adducere ſecum agmen pulcherrimarum virtutum, Ita hîc quoque dico, qui cupiunt ſeriò invocare Deum, qui cupiunt mortificare carnem, & præſtare patientiam in cruce, nec frangi animis, Hi ſedulò hoc agant, ut verbum ſtudiosè audiant, & crebrò utantur tum clavibus, tum cœna Domini. Non enim nuda aut ociosa ſpectacula ſunt, ſed inſtrumenta, per quæ Spiritus ſanctus in nobis eſt efficax, & ſanctificat nos. Qui igitur hiſce mediis utuntur rariùs, aut etiam, quod multi faciunt, leviter de toto miniſterio ſentiunt, Hos certum eſt, non bono, ſed malo Spiritu agi, utcunque pallient factum ſuum.

Spiritus ſancti donum commune omni ætati & ordini.

Sed pergamus tandem ad ea, quæ Joël ſubjicit de Prophetia, ſomniis, & viſionibus revelandis filiis & filiabus, ſenibus & juvenibus, ſervis & ancillis. Primùm hæc ætatis, conditionum, & ſexus diſcrimina pertinent ad explicandum id, quod in genere ſuprà dixit, effundendum Spiritum ſanctum ſuper omnem carnem. Non igitur hîc erunt diſcrimina, qualia fuerunt in lege, ubi docendi, orandi, ſacrificandi munus certis hominibus demandatum fuit. Etſi enim ordinis cauſa, certæ perſonæ admittuntur ad gubernationem Eccleſiarum, etiam in novo Teſtamento, tamen Spiritus ſancti donum, ſine diſcrimine contingit omnibus invocantibus nomen Domini, ſive ſint fœminæ, ſive viri, ſive ſenes, ſive juvenes, ſive ſervi, ſive liberi. Rectè igitur effundendi verbo utitur Propheta, ad ſignificandam benignitatem Dei, cupientis per filium ſalvos facere omnes homines, nec tantùm liberalis in ſuum populum, ſed in omnes gentes orbis terrarum.

Prophetia quid.

Quod autem attinet ad diſcrimina donorum, ex Lege ferè definitiones ſolent peti. Ibi Prophetia ſignificat revelationem de futuris eventibus, tum in politia, tum Eccleſia. Hinc Prophetæ appellati ſunt, quibus futuri eventus per Spiritum ſanctum revelati erant. Summus autem eorum gradus fuit, qui Chriſti cognitionem, & Regni ejus fortunam docebant. Qui verò vel de privatorum hominum, vel politiæ fortuna vaticinabantur, hi poſteriore loco habentur, David & Eſaias de Chriſto habent plurima vaticinia, Eſaias autem Monarchiarum quoque fata oſtendit. In Regum hiſtoriis multorum exempla proponuntur, qui certis hominibus futuros eventus revelant. Sic Jeroboam de regno decem tribuum, Nebucadnezar de furore & regni amiſſione admonetur. Quæritur autem de modo, quo hæc hominibus per Spiritum ſanctum ſunt patefacta.

Quomodo revelationes Prophetis fiant facta.

I.

Per verbum.

Hîc primò omnium meminerimus, quia Spiritus ſancti beneficio miniſterium verbi in Eccleſia ſemper conſervatum eſt, plurimorum animos per ipſum verbum excitatos eſſe, ut futurum Chriſti Regnum in verbo vocali, tanquam in tabula adumbratum cernerent & poſtea clariùs, ceu coloribus illuſtratum, & in bono lumine poſitum, mundo proponerent. Sic conciones illæ Dei & ſanctorum Patrum, quas Moſes paſſim recitat, Davidem, Eſaiam, Jeremiam, præclarè erudiverunt.

Daniel quomodo venerit ad futurorum cognitionem.

Daniel lectione Prophetiæ, per Hieremiam revelatæ, ut ipſe refert, excitatus, cogitat de fine captivitatis, & orans pro reliquiis populi, per Angelum edocetur etiam de tempore adventus Chriſti. Etſi igitur Angeli miniſterio hoc didicit Daniel, tamen initia, & quaſi occaſio ex diligenti verbi lectione orta ſunt. Et Chriſtus oſtendit ſcrutantibus ſcripturas, revelatum iri myſterium regni cœlorum. Hoc igitur primum medium eſt, quo Deus patefecit myſterium fidei, & Chriſti cognitionem ſanctis Prophetis. Eſaias legens concionem de Semine mulieris contrituro caput ſerpentis, & de ſerpente arrepturo calcaneum Seminis, ipſa diligenti cogitatione de his rebus, per Spiritum ſanctum accepit illud lumen, ut de morte & paſſione Chriſti ſic diſertè vaticinaretur, & oſtenderet tîmul eum natura Deum eſſe. Nam Satanam vincere, non eſt hominis, Sentire autem morſum ſerpentis, eſt hominis, non Dei.

Vide Eſaiæ habuerit cognitionem de Chriſto.

Davidis vaticinia.

David eandem Prophetiam legens, per Spiritum ſanctum admonitus, etiam vidit hoc Semen eſſe Dei Filium, ideò Dominum appellat Pſal. 110. In 2. *Pſalmo* autem

Isai. 49. autem diserte ex Deo natum, & æternum ostendit. Esaias quoque legens vaticinium Jacob, quod deficiente sceptro & Prophetia Christus venturus esset, vidit ex radice Jesse, tanquam ex emortuo stipite enasciturum virgultum seu frondem Filium Dei. Etsi autem, quod ad Christi regnum attinet, omnia impleta sint, tamen ad diligentem Scripturæ lectionem nos exhortari hæc debebant. Videmus enim diligenti cogitatione, & pia meditatione hæc illustriora fieri, non quòd ea nostra sit sagacitas, sed quòd Spiritus sanctus verbo ceu organo utitur, per quod accendit & movet corda.

II. *Per Angelorum ministerium.*

Alius revelationis modus est per Angelos, Sicut constat Danielem de tempore Messiæ, quo Filius Dei nascendus erat, edoctum esse. Sicut autem quædam novi Testamenti historiæ clarius exponunt, Angeli non semper humana forma præbuerunt se videndos, sicut viderunt Angelos Gedeon, Manoha, & alii, nec semper locuti sunt Angeli humana voce, sicut ad Mariam, Sed per somnia & visiones ostenderunt futura. Nam ista somnia fatidica, non humanum quiddam aut fortuitum sunt, Sed immittuntur per Angelos bonos sic moventes sensus, sicut certum est, malos Angelos esse instructores turpium & terribilium somniorum. Vocantur autem somnia quoque visiones aliquando, cùm scilicet imagines futurorum eventuum proponuntur. Sicut Nebucadnezar videt arborem, Pincerna Aegyptius videt se tenere uvas, & porrigere Regi. Propriè tamen visiones dicuntur, cum non dormientibus, sed vigilantibus objiciuntur quædam imagines de futuris, Sicut Daniel vigilans videt arietem ad aquam, &c. Ad hunc modum etsi prophetia, somnium, visio, distinctæ res sunt, tamen idem omnium est finis, ut per hæc de futuris eventibus Deus doceat.

III. *Somnia & visiones per Angelos.*

Visiones.

Quæ igitur, inquies, somniorum, visionum & prophetiæ erit utilitas, cùm Spiritus sanctus missus est? Aut quid tantoperè opus est somniis & visionibus? Nam restat aliquid, quod ad regnum Christi attinet, quod revelandum sit? Hoc Papistis sanè gratum esset commentum, qui impudenter asserunt, non omnia prodita literis sacris, quæ ad salutem sint necessaria. Anabaptistæ quoque somniant novas revelationes, Ac olim in quibusdam monastetus ea superstitio fuit, ut judicarent omnia somnia consignanda literis, & pro revelationibus habenda. Sed Propheta ipse satis se explicat, cum de servis & ancillis commemorat Spiritum Domini in eos effundendum. Non enim novas revelationes per somnia & visiones, sed simpliciter ipsum donum Spiritus sancti purificantis fide corda, & gubernantis animos significat. Hoc donum verè hujus temporis in novo Testamento est. Etsi enim etiam posterioribus temporibus non desunt Prophetiæ, seu vaticiniorum donum, tamen id longè infra hoc donum collocandum est, de quo Propheta hic commemorat. Vera enim cognitio Filii Dei affert cognitionem Patris, affert remissionem peccatorum, affert gubernationem, ne cedamus tentationi, nevè dominetur nobis peccatum, Affert in summa ipsam vitam æternam. Cum Prophetiæ donum de futuris eventibus etiam possit esse apud malos, Sicut Bileam, & ille Judæ Propheta, qui Regi Jeroboam prædicit de Josia, & postea lacerarut à leonibus, Quin ipse Satan ex instructione causarum, quas videt, sæpè prædicit futura. Hoc autem donum, quod hic promittitur, ejusmodi est, ut certò afferat æternam vitam. Ideò tam magnificè commendatur. Quid enim alia dona omnia ad hoc sunt, quod ipse Dei Spiritus, æternus Deus descendit in nostros animos, imò in corpora nostra, inque nobis habitat, nos regit & gubernat? Sicut Paulus clarè dicit, 1. Cor. 6. Nescitis, quòd corpora vestra sunt templa Spiritus Dei, qui est in vobis? Quod igitur ad præsentem Prophetæ locum attinet, unum sunt prophetia, visio, somnia, nempe cognitio Dei per Christum, quam Spiritus sanctus per verbum Evangelii lucere facit.

Cur Ioël promittat somnia & visiones in novo Testamento.

Revelatio novi Testamenti propria.

Donum Prophetiæ habent etiam mali. Satana prædictiones qualis.

1. Cor. 6.

Et dabo prodigia in cœlis, & in terra, sanguinem & ignem, & columnas nubis. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniet dies Domini magnus & terribilis,

De

De quibus signis Joël vaticinatus est.

De his signis variè disputatur, quando acciderint, præcesserintnè glorificationem Christi, an verò sint ea signa, quæ præcesserunt vastationem gentis Judaicæ, Quidam etiam ad signa ultimi diei referunt, Siquidem dies, quem præcessura sunt, magnus & terribilis appellatur, Sed nos tutissimè sequimur Apostoli auctoritatem, qui non tantùm allegat, quæ de missione Spiritus sancti Joël prædicit, sed etiam hæc ipsa signa citat, ac ostendit jam ante missionem Spiritus sancti hæc signa accidisse. Act. 4.

Sed duplex hîc nascitur quæstio. Prima, qualia hæc sint signa. Altera, cur dies missionis Spiritus sancti vocetur terribilis, cùm potiùs plena gaudii & salutis sit. De prima respondeo, omninò judicare me, hæc signa, quæ allegat Joël, esse eadem, quæ ab Evangelistis commemorantur facta sub passionem Salvatoris. Portentosa fuit eclipsis solis in ipso pleníluníi die, quæ ita involvit caligine omnia, ac si latè diffusus fumus impediret oculos, ne in vicino posita possent conspici. Ac ipse Propheta ad hunc modum se explicat, cùm addit de Sole obtenebrato, & luna referente sanguinis speciem. At, inquies, Evangelistæ Lunæ non meminerunt, & fuit ea interdiu sub terra, ne posset conspici. Respondeo. Noctu conspecta est integra, & quid mirum, si in ea quoque apparuerunt tristes notæ, sicut in sole. Nam Prophetæ hoc asserenti credendum est, etsi Evangelistæ nihil de Luna meminerunt, Meminerunt autem terræmotus, & apertionis sepulchrorum, quæ Joël ostendit, cùm de portentis in terra loquitur. Ignem quidam exponunt de igneo Solis colore, quem nonnunquam induit, qualem vidimus hoc ipso anno 47. toto triduo antequam illustrissimus Saxoniæ Elector à Carolo Cæsare in prælio captus est. Ac multi in ea sunt sententia, futurum Ecclesiæ luctum hoc modo significatum, quæ sub finem mundi gravissimè concutienda est variis persecutionum modis, Christo teste. Alii, ut Hieronymus, exponunt de linguis igneis, seu flammis coruscantibus in Pentecostes die, per quas se Spiritus sanctus revelavit, Sicut Iohannes quoque prædicit, Christum baptizaturum igni. Hanc sententiam qui repudiant, quòd inter privatos parietes, & non in publico hæc sint gesta, illi quærant commodiorem expositionem, dummodo Prophetæ sua constet auctoritas, inter signa illa etiam fuisse ignem, non usitatum, sed portentosum.

Eclipsis in passione Domini.

Luna signa.

Ignis.

Illud explicatione dignius est, si hæc signa diem Domini præcesserunt, quo per missionem Spiritus sancti, & prædicationem Evangelii in die Pentecostes Christus in mundo cœpit innotescere, cur tam læta dies vocatur terribilis. Non enim ira Dei, sicut per Legem, sed gratia & misericordia per Evangelium patefacta est, & allati ad nos inæstimabiles illi thesauri, remissio peccatorum, justicia, liberatio à tyrannide Satanæ cum certa spe vitæ æternæ. Hæcne formidabilia sunt? an non potius summis expetenda votis? Respondeo. Formidabilis & terribilis vocatur hæc dies, non propter credentes, quibus verè est, ut Esaias appellat cap. 49. tempus acceptabile & salutis dies, & ut Ioël dicit, magnus, in quo Deus patefecit magnitudinem potentiæ & misericordiæ suæ, erga totum genus humanum, Sed propter eos, qui non credunt, & propter Satanam. His enim est dies æterni judicii, & nunquam finiendæ damnationis, sicut Christus dicit, Qui non crediderit, condemnabitur. Item, Verbum meum judicabit eos, qui non credunt. Sicut enim qui in Christum credunt, remissionem peccatorum accipiunt, ita iis, qui non credunt, retinentur peccata.

Dies Domini cur terribilis dicitur.

Esai. 49.

Matt. 16.

Et erit, Omnis, qui invocaverit nomen DOMINI, salvabitur. Quoniam in monte Zion, & in Hierusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, & reliquis, quas vocat Dominus.

Promittit liberationem ab æterna ira.

Dixit Propheta de horribili die, in qua ira Dei revelabitur de cœlo super omnem impietatem. Hîc autem promittit liberationem seu evasionem,

hem, non corporalem, sed ab illa æterna ira. Vocabulum (Malet) admodum
Rom. 10. significans est, Paulus exponit per salvandi verbum, Rom. 10. Includit autem periculum præsens & magnum. Sicut enim cum acie dimicatur, & victor latè
Psal. 124. grassatur ferro, in tanto discrimine qui evadit, dicitur (Hanimlat) Psalmus 124. utitur similitudine aviculæ, quæ præter opinionem rupto laqueo, aufugit & salvatur, ea avis etiam appellatur (Hanimlat) quasi dicas, evadens, erepta, liberata, bis enim hoc verbo Psalmus utitur, Ita hoc in loco Propheta, cùm dicit, Salvabitur, proponit commune omnium periculum. Arguit enim Spiritus sanctus
Rom. 1. mundum de peccato, Et, ut Paulus inquit, Revelatur ira Dei de cœlo contra omnem impietatem, & iniusticiam hominum, veritatem in iusticia detinentium, Et tamen promittit Propheta futurum, vt quidam hoc periculum æternæ damnationis effugiant, & saluentur per inuocationem.

Verbum salvandi.

Magna sane promissio, quæ excitare animos nostros ad diligens studium debebat. Quid enim sunt aliæ, vel artes, vel scientiæ ad hanc, quæ docet evasionem ex æterna morte & judicio Dei? Vel ad existimationem, vel ad opes comparandas, & hanc corporalem vitam commodiùs degendam faciunt aliæ, Sed hæc æterna bona affert, & sola hanc vitam alioqui acerbam, & periculorum plenissimam jucundam facit. Quid enim objici in hac vita tàm triste potest, quod non mitiget certa spes remissionis peccatorum, & vitæ æternæ? Habet autem infinitos hæc ars professores. Quam enim invenies gentem, imò, quem invenies hominem, qui non sibi somniet certam hujus summi boni cognitionem? Turcæ, si cùm Alcorani institutis conjungant disciplinam externam, se salutem consecuturos sperant. Judæi, si circumcisi servent, quæ à Mose sunt mandata, pollicentur sibi salutem. Pontificius sacrificulus ex Missa, Monachus ex voto & statutis suis spem gratiæ & vitæ æternæ concipit, vulgus denique institutum à Pontificis, mille formas cultuum habet, in quos spem salutis ponit.

Sed omnes hi miserè errant, & dum salutis viam se insistere putant, rectà præcipitantur in exitium. Nam confer opiniones istas cum sententia Joëlis. Promittit salvationem non ex corporis periculis, sed ex morte & peccatis, & tamen non meminit ullius cultus aut operis legalis. Sancta & divinitùs præcepta sunt illa de honore parentum, de non occidendo, de non violenda conjugii fide, de furto cavendo, &c. & tamen nullius horum meminit Joël. Etsi igitur sancta & bona hæc sunt opera, Sunt enim divinitùs mandata, non tamen eò valent, ut per ea salvemur à morte & peccatis. Vna & vera ac certa evadendi ratio est, sicut Joël clarè dicit, Invocate Domini nomen, hoc qui faciunt salvantur. Alii omnes, quoscunque illi cultus, quæcunque sequantur opera, si invocatio hæc non adsit, salvari non possunt, sed in morte & peccatis manent & pereunt. Judæum non salvat diligens observatio Legis, Papistam non salvant exquisiti cultus, sola invocatio servat.

Vera via ad salutem.

Non autem existimabis, invocationem esse nudam appellationem nominis Dei, Hanc si spectes, totus mundus plenus erit invocantibus Domini nomen. Non Judæus, non Turca, non Monachus invenitur, qui non multùm & seriò invocet præsertim constitutus in periculis. Sed re verâ, utut hæc sint, nullum inter omnia opera invocatione vera rariùs est. Id, ut intelligi possit, definitio vera quærenda est. Hanc autem non petes ex Sophistarum Scholis, Paulum fide dignum testem adhibeto, qui hanc ipsam Prophetæ sententiam & citat, &
Rom. 10. egregiè explicat, Rom. 10. Non, inquit, est differentia Judæi & Græci. Idem enim Dominus omnium, dives in omnes invocantes ipsum. Omnis enim, qui
Joël 2. invocaverit nomen Domini, salvabitur. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent, quem non audiverunt? Quomodo autem audient, si non sit prædicator? Quomodo autem prædicabunt, nisi fuerint missi, sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona, &c. Hæc est pulcherrima & eruditissima hujus sententiæ

Invocatio vera rarissimum opus.

Invocationis definitio apud Paulum, Rom. 10.

expli-

explicatio,qua oſtendit Paulus, quid ſit vera invocatio,cui Joël ſalutem ex morte & peccatis tribuit.

Imperitus aliquis ſacrarum rerum cogitabit, invocationem eſſe opus ſecundi præcepti, ac mirabitur,cùm huic operi ſecundi præcepti tribuatur ſalus, & non potiùs,vel primo præcepto, quod fidem & timorem exigit, vel integro Decalogo,Sed Paulus eruditiſſimè reſpondet,invocationem pendere ex fide, fidem autem ex verbo, ac conſtituit hanc definitionem invocationis. Invocare nomen Domini eſt, cùm audis primum Evangelium de Filio Dei, ac vera fide amplecteris promiſſionem, & poſtea fiducia promiſſionis in Evangelio propoſita, invocas Deum, ut propter Chriſtum te contra peccatum, mortem, & Satanam defendat ac liberet. Ad hunc modum, qui invocat, is verè invocat, & certò ſalvatur.

Invocatio quid ſit.

Non igitur invocatio eſt nuda appellatio nominis Domini, quam etiam Turcæ, Judæi, Papiſtæ uſurpant, Complectitur res longè maximas, ut humili corde audias Evangelium,& primò baptiſmum,Deinde etiam ſacroſanctam cœnam non negligas. Hæc enim quia habent Evangelii promiſſionem adjunctam, non poſſunt ſine periculo ſalutis negligi aut contemni, & ut clariùs quod ſentio dicam,fides exiſtere omninò ſine his non poteſt. Fides enim nititur verbo, Verbum autem remiſſionis peccatorum incluſit quaſi Deus in hæc myſteria, Baptiſmum & cœnam. Baptiſmus habet promiſſionem, Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit. Cœna hanc habet promiſſionem, quòd corpus Chriſti pro nobis traditum, & ſanguis ejus in remiſſionem peccatorum noſtrorum effuſus ſit. Cum hac promiſſione ipſæ res, de quibus promiſſio loquitur, nempe, corpus & ſanguis Chriſti,cum pane & vino nobis exhibentur,ut tantò firmiùs niti promiſſione corda poſſint. Sceleratè igitur agunt,qui docent tantùm panem & vinum in cœna exhiberi. Hoc primum eſt, quod invocatio requirit, ut verbum audias,& Sacramentis utaris. Quomodo igitur invocare Deum poſſunt Turcæ & Judæi, qui verbum non habent, & Sacramenta rident? Quomodo invocare Deum poſſunt Papiſtæ,qui etiam perſequuntur verbum, & verum Sacramentorum uſum damnant?

Invocatio requirit verbum & Sacramenta.

Sacramenta neceſſaria ad remiſſionem peccatorum.

Sed non ſatis eſt audire verbum, & uti Sacramentis, Fide audiri verbum oportet, & in fide Sacramenta debent accipi. Eſt autem fides certa fiducia, qua ſtatuimus Deum per Chriſtum placatum,& condonare gratis peccata,& adoptare nos in filios & hæredes æternæ vitæ. Hanc fidem cùm Papiſtæ prorſus neſciant(Credere enim eis aliud nihil ſignificat, quàm profeſſionem ſeu notitiam hiſtoriæ)quomodo invocare nomen Domini poſſunt?

Invocatio requirit fidem. Fides quid.

Tertium eſt, ut animus confiſus miſericordia Dei, ſe aperiat, & viva voce ac ardentibus votis expetat liberationem. Hæ invocationis veræ, ut ſic dicam, conditiones rectè conſideratæ, oſtendunt nullum cultum vera invocatione eſſe rationem,eumque non niſi in vera Eccleſia inveniri. Dei nomen quidem appellatur ab omnibus,Sed alii, ut Turcæ verbo & Sacramentis carent, Alii, ut Papiſtæ,verbum oderunt, & perſequuntur, Sacramentis autem ſine fide utuntur,ac ſi ex opere operato proſint utentibus. Certum igitur eſt, neutros nomen Domini invocare,ſed potiùs in vanum aſſumere, & afficere contumelia. Sicut in Pſalmo de perſecutoribus Judæis dicitur, Oratio eorum vertatur in peccatum, Pſal. 109. Sicut enim, qui verè invocant nomen Domini, ſalvantur, & ſentiunt orationis fructum æternum, Ita qui ſine fide invocant, cumulant peccata, & exitium ſuum properant.

Turcæ, Judæi, Papiſtæ non poſſunt orare.

Sed cur Prophetæ non ſatis eſt dicere, Qui invocaverit Dominum, quare addit,Qui invocaverit nomen Domini,ſeu,ut Ebræus loquitur, In nomine Domini? Sanè ſtatuamus,neutiquam temerè hoc factum, ſed certo conſilio. Nomen ferè accipitur pro notitia, quâ agnoſcimus alios. Nota enim nominis diſcernuntur inter ſe tum homines, tum res omnes,Cùm audis Pauli nomen,intelligis

In nomine Domini invocare quid.

ligis alium doctorem esse, quàm fuerit Augustinus, aut Hieronymus, Sic nomen Dei aliud nihil est, quàm ipsum verbum. Nam per verbum patefecit se Deus, nosque Deum quasi nosse per verbum incipimus, quem, si absque verbo esset, nunquam possemus noscere, sicut Ioannes dicit, Deum nemo vidit unquam, filius, qui in sinu patris est, enarravit nobis. Invocare igitur in nomine Domini, seu invocare nomen Domini, est invocare Deum fiducia promissionis, quam filius Dei de cœlo ad nos attulit. Qui ideó quoque λόγος seu Verbum appellatur, Item, imago Dei, quòd in Christo se patefecit Deus, quo erga nos sit animo, quòd non (ut in Lege pingitur) oderit nos, sed diligat, & liberatos à peccatis per filium velit salvare, Ideò enim mittit filium suum. Particula universalis hic neutiquam negligenda est, quæ Paulum præcipuè, ut hunc locum allegaret, movit. Quia enim statuit nullam esse differentiam inter gentilem & Iudæum, Siquidem Deus dives est in omnes, qui ipsum invocant, Prophetæ testimonio admodum in loco est usus. Notum autem est, quoties de gentium vocatione dicitur, prædicari misericordiam Dei, qui Legis accusationem & onus tollit, & ex gratia, non ex merito, per Christum nobiscum agit.

Nomen Dei quid.

Rom. 1.

Christus λόγος verbum patris vocatur.

Omnes debent invocare.

Montis Zion meminit, ut ostendat locum, in quo læta hæc Gratiæ seu Evangelii vox primò sonabit. Diximus autem alibi, cur, cùm de Regno Christi loquuntur Prophetæ, potiùs Zionis, quàm templi mentionem faciant. Templum enim cum suis cultibus erat abolendum, post sacrificium filii Dei, Zion autem Davidis arx fuit, cujus, cùm filius sit Christus, hanc Patris sedem tenere debuit, & regnare in hoc populo, sic tamen, ut Regnum ejus non sit de hoc mundo, & ipse mons Zion impleat totum orbem terrarum, Esai. 2. Hoc cum Iudæi nesciant, nullam promissionem verè possunt intelligere, & sicut Propheta hîc clarè docet, ad justiciam & salutem venire non possunt. Certum enim ex hoc loco est, extra Ecclesiam non esse salutem, Id quod diligenter notabis contra fiduciam operum, & virium humanarum præsumptionem.

Mons Zion.

Esaiæ 2.

Extra Ecclesiam non est salus.

Et in reliquis, quas Dominus vocat.

Conjungenda hæc particula erat cum sequentibus. Hîc enim incipit vaticinium de vocatione gentium, Itaque paulò pòst explicabitur à nobis.

Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, quando convertam captivitatem Juda & Jerusalem, Congregabo omnes gentes, & descendere eos faciam in vallem judicij DEI, & judicabo ibi de eis, propter populum meum, & hæreditatem meam Israël, quam dispersérunt inter gentes, & terram meam diviserunt, & super populum meum projecerunt sortem, & dederunt pueros pro cibo, & puellas vendiderunt pro vino, & biberunt.

Hic locus ab interpretibus omnibus, quorum quidem scripta extant, involutus magis, quàm explicatus est. De Iudæis nihil dico, qui, quod vallis Iosaphat Prophetâ meminit, ad historiam 2. Paralip. 20. hunc locum accommodant, Nostri autem ad vastationem Synagogæ, aut ad ultimum diem omnia referunt, Sed legenti facilè apparet, neque cohærentia, nec apta ab eis dici. Ac sanè quid eos impediverit, quò minùs, quod verum est, cernerent, ipsi ostendunt. Omnes enim in eundem impingunt scopulum, & intelligunt gentes ad judicium pœnæ colligendas. Ac sanè judicii vocabulum apud nos atrocius sonat, quàm apud Hebræos, Quia autem accedunt illæ figuræ tristiores, de vendendis gentibus, de expromendis falcibus, quòd malitia invalucrit, omnes in eam sententiam delabuntur, ut Prophetam de judicio iræ intelligant, quanquam quod ad tempus attinet, variant, siquidem alii exponunt judicium, vastationem per Romanos factam, alii ultimum diem, Sed diligentiùs intuenti Pro-

Occasio, cur in hoc loco hallucinati sint interpretes.

phetam ipſa orationis ſeries ſententiam oſtendit. Poſtquam enim Propheta dixit, ſalutem in monte Zion & Hieruſalem non ſint. Et in reliquiis, inquit, ſalvatio erit, quos Dominus vocat. Hîc primò clarum eſt hos, quos vocat (Scharidim) reliquias, diſcerni à Zionitis, ſeu Judæis etiam ipſa vocatione. Nam Judæis promiſſio de ſemine facta eſt, Sicut autem in parabola Evangelii, poſtquam Judæi venire ad nuptias, & ad cœnam recuſant, ſervus mittitur novo mandato ad illos, qui extra civitatem in compitis habitabant; Ita hîc dicit Propheta futurum, ut Dominus alios quoque vocet extra Eccleſiam, ut colligantur ad Eccleſiam, & ipſi quoque ſalventur. Ita ſine dubio hæc particula ad gentes pertinet.

Diſcrimen Iudeorum & gentium.

Quæ autem ſubjungit Propheta, Quia ecce in diebus illis, &c. ea ſunt quaſi explicatio hujus brevis dicti de vocatione gentium. Oſtendit enim, quomodo & quo tempore hæc gentium vocatio ſit expectanda. Ita cohærere ſententiam pulchrè vides, ſi hanc totam Prophetiam ad judicium gratiæ referas, non ad judicium iræ. Diſertè enim dicit vocandas gentes in vallem ad Domini judicium. Hoc enim ſignificat vox Joſaphat, quæ hoc loco non propriè, ſed appellativè ſignificat. Hominum enim hoc judicium eſt, ut peccata ſequantur ſuæ pœnæ, Hoc enim non ſolùm lex Moſi, ſed ipſa quoque ratio dictat, Sed Domini judicium aliud eſt, judicantis per Evangelium ſuum, & condonantis propter Chriſtum peccata credentibus, & donantis Spiritum ſanctum, & vitam æternam. Hoc eſt Domini judicium, de quo hoc in loco Propheta ſuaviſſimè concionatur. Primùm, peccatâ gentium commemorat, addit poſtea de pœna, quòd viciſſim ſint vendendæ per Judæos Sabæis. Tertiò hortatur Doctores Eccleſiarum, ut tanquam in ubere meſſe ſtrenuè laborent in vinea Domini. Vltimò addit ampliſſimas promiſſiones, quibus Eccleſiam in hac vita ſubjectam cruci (nam ſanguinis meminit) conſolatur. Ad hunc modum tota orationis ſeries pulchrè inter ſe conſentit, quàm interpretes, tum veteres, tum recentiores ſic involverunt, ut ipſos ſequenti impoſſibibe ſit veram ſententiam deprehendere. Sed nunc ordine explicabimus textum.

Iudicium, de quo hîc loquitur, quale.

Summa ſequentis concionis.

Converſio captivitatis Judæ & Hieruſalem aliud nihil eſt, quàm Evangelii doctrina, quæ affert ad nos remiſſionem peccatorum, juſticiam & vitam æternam. Nam ante Evangelii cognitionem tenemur propter peccata ſub tyrannide Satanæ & mortis, nec ulla in nobis eſt vis, qua tanta hæc mala aut ſuſtineamus, aut penitùs tollamus, ſed animi perpetuo exercentur metu iræ & judicii Dei. Evangelium autem vera medicina eſt, qua malum hoc tollitur. Proponit enim Filium Dei luentem pœnas noſtrorum peccatorum, & oſtendit Deum amare nos propter hanc victimam, Confert denique Spiritum ſanctum, qui accendit in cordibus fidem, atque hoc modo purificat & ſanctificat nos. Nam fide peccata condonantur, & Spiritus noſtros animos excitat, ne ſe præbeant ſervos peccato, Sed ei dominentur, ac mortificent carnem. Ad hunc modum convertitur captivitas. Satan enim etſi ſolicitare nos nunquam deſinit, tamen non ut gubernator, ſeu Dominus cogere nos poteſt, Spiritus Dei in nobis reſiſtit ejus conatibus, etſi nonnunquam per infirmitatem labimur, tamen iterum erigimur per pœnitentiam & fidem in Chriſtum, ne in peccatis pereamus.

Converſio captivitatis Iudæ.

Captivitas generis humani.

Cùm hoc apud Judæos per Evangelii doctrinam cœperit, ut liberi ſint à tyrannide Satanæ, peccati, & mortis per Filium Dei factum pro nobis victimam, Tum, inquit, colligam omnes gentes, & deducam eos in vallem ad judicium Domini. Vallis Joſaphat admodum celebris eſt, etiam apud veteres interpretes, qui eam ultimi judicii locum eſſe affirmant, Sed, ut ſuprà dixi, ipſa rerum ſeries, quæ à Propheta pertexitur, aliud oſtendit. Vallis igitur appellatione Propheta ideò voluit uti, quòd hæc dimicantibus acie incommoda ſit. Nam in patentibus campis rectiùs pugnatur, ubi explicari acies poteſt. Cùm econtrà in anguſtum coactæ copiæ non ſolùm ſunt inutiles, ſed ipſæ ſe impediunt. Vallis itaque ſignificat locum magnæ multitudini incommodum & iniquum, Ac pertinet

Cur vallis Prophetæ meminit.

tinet ad conſcientiæ dolorem, & anguſtias pingendas, conſpicientis indignitatem & peccata ſua. In hanc vallem cum gentes coactæ ſunt, hoc eſt, cum Spiritus ſanctus per Evangelium mundum arguit de peccato, de juſticia & judicio, Cum ſentiunt animi peccati onus, cum deſperant de juſticia & contra judicium Dei ſe tueri non poſſunt, tum Dominus, inquit Propheta, judicabit, non iræ judicium, quo damnantur peccata, ſed gratiæ, quo remittuntur peccata. Evangelium enim ſic territas mentes conſolatur, quod Filius Dei ſit factus victima pro peccatis, & ſuâ morte nobis reconciliaverit Patrem, &c. *Judicium Domini.*

Sed hujus beneficii tam ampli quæ ſunt cauſæ, ſeu merita? Nulla prorſus, ſed potius demerita ingentia, quæ æterna mors debebat ſequi. Benignus autem & miſericors Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Commemorat autem demerita ſeu peccata illa gentium Propheta, quod diſſipaverint populum Dei, quod diviſerint ſibi terram Dei, quod vendiderint pueros pro cibo, & puellas pro vino. Hic primum obſerva pronomen, Meum populum, Meam terram. Fuit enim hic populus Dei peculium, qui ſolus habuit oracula Dei, promiſſiones, & cultum. Et tamen hunc ſuum populum abripi Dominus paſſus eſt, & occupari terram ejus. Cur hoc? Quia peccaverant contemnendo verbum & Prophetas. Hæc cauſa præcipua eſt turbationis & everſionis imperiorum. Itaque non miremur hodie quoq; moveri inuſitatis turbis Germaniam. Nos qui retinemus Evangelium non ſic viximus, ut pœnas nullas metuere poſſimus. Quanta enim, ut reliqua peccata taceam, erga miniſtros verbi omnium ingratitudo eſt? quantus contemptus? Iſtam autem Epiſcoporum, idololatriam urgentium, horribilem pertinaciam, quomodo poteſt Deus tolerare diutius? Diſcamus igitur admoniti exemplo populi Dei, ferre communes illas calamitates patienter, & diligenti emendatione vitæ præcidamus tantorum peccatorum pœnas. Si enim, ut in Propheta eſt, pœnituerit nos peccatorum noſtrorum, etiam Dominum pœnitebit pœnæ, quàm decrevit irrogare. *Deus malè meritis benefacit.* *Cauſa mutationis imperiorum.* *Germania præſentia.*

De venditis pueris pro cibo, & puellis pro vino, inſignis figura eſt, qua furorem adverſariorum Eccleſiæ pingit, Ac ſi dicas hodiè, ſic Pontificios odio eſſe incenſos contra nos, ut non dubitent pro potu vini jugulare Evangelii profeſſorem. Sic gentibus nihil gratius, nec facilius fuit, quàm ſtringere gladium in Judæos. Tam acerbum odium non naſcitur in animis hominum, ſed inſtillatur à Satana.

Et quid vobis mecum Zor & Zidon, & omnes termini Philiſtinorum? Num vos retributionem mihi reddetis? Etſi retribuitis vos mihi, facilè eſt, velociter ut convertam retributionem veſtram in caput veſtrum, qui argentum meum & aurum meum accepiſtis, & deſiderabilia mea, & bona adduxiſtis in templa veſtra, Et filios Juda, & filios Hieruſalem vendidiſtis filiis Javan, ut procul eos amoveretis de terminis ipſorum.

Dixit de gentibus Propheta, à quibus Iſraël vaſtatus eſt, hîc de vicinis loquitur, & exprobrat eis injurias illatas ſuo populo. Hi enim per occaſionem carpebant Judæos, & affligebant eos variè. Commemorat autem duplex incommodum, quod ſpoliarint Judæos argento, auro, & aliis preciosis rebus, quibus idola ſua poſtea ornarunt. Deinde, quòd vendiderint Judæos Græcis, ut procul deportatis ſpem reditus omnem præciderent. Hæc, inquit Dominus, mihi feciſtis, ſine omni juſta cauſſa, non provocati aut laceſſiti à meis. Retribuam igitur vobis, non quidem eo modo, quo homines irati ſolent, qui malum malo penſant, ſed meo modo. Congregati enim eſtis ad Domini judicium. Itaque non retaliabo malum, Sed pro malo bonum reddam, & vendam ego vos quoque *Exprobrat gentibus vicinis injurias ſuo populo illatas, & pollicetur compenſationem.*

per meos, non in aspera & inhospita loca, Sed faciam Sabæorum cives, &c. Est igitur hoc caput aliud nihil, quàm commendatio gratiæ insignis, quanquam obscurius proposita, Reservari enim filio Dei hanc gloriam oportuit clarè & perspicuè, ut Ecclesiam doceret de misericordia æterni Patris. Adhibendæ igitur huc sunt insignes parabolæ, quæ in Evangelii historia à Filio Dei recitantur, De patrefamiliâs, Item de Rege vocante ad cœnam & nuptias, sine discrimine omnes, De pastore quærente ovem perditam, De homine divite condonante servo suo debitum decem millium pondo, De usurario condonante omnibus sua debita, De patrefamiliâs parem mercedem impariter laborantibus distribuente, & si qua similia sunt, quibus commendatur gratia Dei, ignoscentis propter Filium peccata, & adoptantis nos.

Commendatio gratiæ hoc capite.

Luc. 14. Mat. 22. Luc. 15. Mat. 18.

Atq; hîc patet causa obscuritatis, quæ, ut anteà dixi, imposuit ferè omnibus interpretibus. Iudicii nomen atrox est, & quia manifesta commemoratio peccatorum hoc loco est, quæ à gentibus admissa sunt, Ratio aliud colligere non potest, quàm secuturas certas pœnas, Et ostendunt exempla, Deum exegisse semper severas pœnas ab Ecclesiæ hostibus, Sicut de his ipsis rebus publicis, quarum hîc Prophera meminit, in Esaia, Ieremia, & Ezechiele dura vaticinia extant. Ac sanè Legis sententia neutiquam vana est, quæ minatur etiam tertiæ & quartæ generationi. Parabola quoque nota est, in qua servo debenti decem talentorum millia, paterfamiliâs minatur futurum, ut & ipse, & uxor, & liberi, ac quicquid possidebat, vendantur. Ad hanc legis sententiam præsentem quoq; locum accommodarunt interpretes, Sed fefellit eos discrimen legis & Evangelii, Lex ostendit, quid exigat Deus, & minatur pœnas transgressoribus, Evangelium autem gratiæ doctrina est, quæ docet de operibus à Filio Dei susceptis & perfectis, ac promittit credentibus in eum remissionem peccatorum.

Mat. 18.

Duplex Dei iudicium.

I. *Legis.*

Igitur judicium Dei duplex est, Alterum legis, quod jam inde à condito usque mundo exercuit Deus, & exercebit quoque in finem usque contra impœnitentes, ut puniat certa peccata certis pœnis. Ac in ipsa quoque Ecclesia hoc judicium cernitur, sicut Petrus inquit, Iudicium à domo Dei incipit. Nam & sancti in tanta carnis imbecillitate severitate quadam opus habent, & ut cohibeatur licentia, & ne securi persistant in peccatis. Sic adulterium Davidis punitum est. De hoc judicio Propheta hoc in loco nihil agit. Instituit enim concionem de Evangelio, ac loquitur de alio judicio quam legis est. Per Evangelium enim accusatur quidem peccatum, sed in Christum credentibus remittitur, idque ideo, quia regnum Dei sine remissione peccatorum non potest consistere. Aut enim Ecclesiam nullam habebit Deus, aut peccata ut condonet necesse est. Est enim tota hæc natura peccato sic corrupta, ut nisi eam remissione peccatorum sanet Deus, regnum Dei videre non possit. Sonante igitur Evangelii voce, sic judicatur mundus, ut credentibus peccata condonentur per filium Dei. Interim legis quoque judicium suum locum habet, ut frangantur animi securi, & humilientur, ac avidius quoque amplectantur gratiam. Sic illa atrox patrisfamiliâs sententia de vendendo servo, & omnibus quæ habet, cogit eum, ut roget de mitigatione pœnæ, Patientiam, inquit, mecum habe, & reddam tibi omnia, Sic illarum ipsarum pœnarum, quas infligit Deus, finis est, ut agnoscentes peccata emendentur, & confugiant ad misericordiam Dei. Ac in Esaia graviter conqueritur Dominus de pertinacia Synagogæ, quod ne quidem plagis sanari possit, Beneficiis autem reddatur obstinacior. Quod igitur ad Ioëlem attinet, commemorat gentium peccata, & dicit, Iudicaturum Dominum, Sed judicium non Legis, sed Evangelii, hoc est, quòd non damnet propter peccata, sed à peccatis & pœnis æternis credentes absolvat, ut sibi inter gentes quoque Ecclesiam constituat. Sed hæc in sequentibus explicabimus clariùs.

Mat. 18.

II. *Evangelij.*

Ecclesiæ imago proposita.

Dixi autem suprà Ecclesiæ imaginem hîc proponi, quæ diripitur à gentibus & vicinis. Ac sanè magnus & insignis contemptus notatur, cùm dicit, Pro

esca

esca pueros,& puellas pro vino venditas, Ac si hodiè dicas tanto in odio nos esse apud Pontificios,ut tam cupidè nos jugulent,quàm vini poculum bibunt. De vicinis autem dicit, Direptum aurum & argentum, ac præda hac ornata gentium templa. Hoc quoque Pontificiorum peccatum est. Aurum enim & quicquid precioſum fuit, extorserunt à suis, & idola sua ornarunt. Nam opes istæ conferendæ erant ad alendos pauperes, ad conservanda studia, & scholas constituendas, Sed luxus & libidinum alimenta fuerunt, & adhuc hodiè sunt, nec id solum, sed ad idololatriam ornandam,ac delendam pietatem conferuntur, Meminerimus autem Deum retributurum eis, non quidem, ut hic de Zor & Zidone dicitur,quæ fuit retributio Gratiæ. Hanc quoque per multos jam annos adversariis nostris obtulit Dominus per verbum suum,sed sine fructu aliquo. Persistunt enim in odio verbi & veræ pietatis. Igitur restat retributio Legis,qualem Zor & Zidon ante tempus invulgati Evangelii tulerunt. Commendatur Tyrus maximè apud Ezechielem propter potentiam, sed non potuit arcere meritas pœnas, Periit,& quidem miserè, ita ut totos septuaginta annos jaceret deserta. Sed durius fatum manet Pontificios. *Pontificij Eccle-sias spoliant.*

Ecce ego excito eos de loco, in quem vendidistis eos, & convertam retributionem vestram in caput vestrum, & vendam filios vestros & filias vestras per manum filiorum Juda, & vendent eos Sabæis genti longinquæ, Quoniam Dominus dixit.

Hîc judicium exponit, de quo supra dixit. Admonui autem non intelligendum Propheram de retributione legali, seu qua nos homines inter nos solemus uti,cùm pensamus peccata suis pœnis,Sed de retributione Evangelii seu Gratiæ,qua condonantur peccata, & donatur Spiritus sanctus. Atque hæc sententia,ut probetur esse vera, nemo sanus negabit filios Iuda, de quibus Ioël hîc loquitur, esse veram Ecclesiam, quæ cœpit in populo Dei, per Evangelium Christi, & donum Spiritus sancti accepit. Palàm autem est Ecclesiam nulla corporali vi grassaturam contra suos hostes, Sed potiùs ipsam in hac vita injustam vim passuram. Quod igitur Ioël dicit de gentibus per manum filiorum Iuda vendendis,omninò allegoricum est. Sicut enim venditus non ampliùs est sui juris,Sed totus pendet ab emptoris judicio & voluntate,Ita significat gentes desertа idololatria servituros Deo vero. Ea verò servitutis non pœna,sed summum donum est, Affert enim vitam æternam. *Quomodo gentes vendantur à reliquis Israël.*

Atque huc mea sententia facit,quod dicit,gentes vendendas Sabæis. Saba enim seu Arabia felix omnibus totius orbis terrarum regionibus antefertur. Ideò tum Græcis,tum Latinis felix appellatur. Ebræum quoque nomen Saba, ubertatem & copiam significat. Quod igitur Græcos dicit vendendos Sabæis, hoc est,transferendos in ditissimam terram,hoc quis pro pœna potiùs,quàm pro beneficio summo accipiat? Huc quoque facit Esaiæ locus, cap. 60. in quo vaticinatur omnes de Saba venturos ad Ecclesiam, & allaturos munus, aurum & thus, & annunciaturos laudem Domini. Non enim rarò in suis concionibus ad naturæ imagines respiciunt Prophetæ. Paulò post cùm de Ecclesiæ donis Joël concionabitur, promittet montes manantes vino, & colles lacte, hoc est, lætissima pascua, & vitiferos montes. Cùm igitur Sabæi præ omnibus totius terræ populis divinitùs sint donati optimo auro & thure, placuerunt Prophetis hæc symbola, & Sabam Ecclesiæ typum fecere, in qua sola aurum, hoc est, verbum & fides (Conjuncta enim hæc sunt, nec possunt ulla ratione separari) ac thus, hoc est, invocatio invenitur. Quomodo enim invocabunt, in quem non credent? & quomodo credent sine prædicatione? Hæc igitur Sabæorum, hoc est, Ecclesiæ præcipua & peculiaria dona sunt. Etsi enim nulla gens sit, quæ non religionem aliquam,& Dei cultum jactet,tamen vera fides & invocatio nusquam *Isaiæ 60.* *Sabæi*

niſi in Eccleſia eſt. Aliæ gentes omnes ſunt ſine fide, ac vivunt in idololatria, Invocationem autem prorſus ignorant, ſicut ſupra quoque diximus.

Hæc de Prophetæ ſententia certa ſunt. Non autem prætereunda hîc obiter conſolatio eſt, his præſertim temporibus maximè neceſſaria. Dixit Iudæos venditos Græcis in longinquam terram, ut omnis ſpes reditus præcideretur. Si igitur illorum animos, qui venditi Græcis ſunt, intuearis, deprehendes non ſolùm perturbatos metu & dolore, ſed etiam penitùs de ſe, & poſteritate ſua deſperantes. Quid enim inter gentes tam longinquas ſperarent? ubi cultus nullus, notitia Dei nulla, verbum Dei nullum eſt. Tu de te cogita, ſi hodiè cum tuis abripereris in Turciam, quam eſſes habiturus ſpem de te & poſteris tuis? Sed non ſunt hæc pericula metienda ex noſtro judicio, Dei potentia reſpicienda eſt, & promiſſiones Dei, quæ etſi Eccleſia in hac vita variè affligitur, tamen ſpem faciunt, eam triumphaturam, hoſtes autem ejus penitùs perituros. Sic audis hoc in loco filios Iuda venditos gentibus, Sed ex gentibus iterum colliguntur, & victoribus imperant, hoc eſt, fiunt Doctores gentium, traducunt gentes ab impietate ad agnitionem Dei, & verè faciunt Sabæos, abundantes omni genere ſpiritualium donorum.

Statuamus autem hanc conſolationem eſſe generalem. Verum enim eſt, quod Paulus dicit, electis omnia cooperari in bonum, & nec famem, nec gladium nos ſeparaturum à dilectione Dei, hoc eſt, Deum nos diligere propter Filium, etiam cùm gladius & fames nos urgent. Hanc autem dilectionem neceſſariò ſequitur victoria, ſicut Paulus addit, In his omnibus ὑπερνικῶμεν longè vincimus. Ergo tu hoc tantum da operam, ut in eccleſia & populo Dei maneas, hoc eſt, Retine verbum & fidem, ac fiet, ut, quanquam affligeris, tamen afflictio cedat in bonum. Qui autem fidem abjicunt, hos quid mirum eſt deſeri in calamitatibus? Sicut Eſaias Achæ minatur, Si non credideritis, profectò non permanebitis. Daniel non ſolùm ſummo loco fuit in captivitate Babylonica, Sed etiam maximas res geſſit, & plurimis fuit occaſio ſalutis. Perpetuò igitur conjuncta hæc eſſe ſtatuas, Afflictionem & conſolationem, humiliationem & exaltationem, mortem & vitam. Si igitur affligeris, cave deſperes. Vicinus enim es gloriæ, & feliciter triumphabis, modò in fide permanſeris.

Deus diligit nos, niſi affligi ſimus.

Eſaiæ 7.

Proclamate hoc inter gentes, ſanctificate bellum, Excitate robuſtos. Accedant & aſcendant omnes viri bellatores, Conflate vomeres veſtros in gladios, & falces veſtras in lanceas, Debilis dicat, Fortis ego. Conglobamini, & venite omnes gentes ex omnibus partibus, Congregamini, Hic ſternet Dominus fortes tuos, Excitabitur & aſcendent gentes ad vallem, in qua judicabit Dominus, quoniam ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes, quæ ubiq; ſunt.

Subinde nobis reſpiciendum ad caput eſt, quid præcipuè inſtituerit Propheta. Quia enim oratio tota allegorica eſt, facilè à ſententia vera diſcedet, qui non ſæpiùs ad inſtitutum argumentum, ceu ad ſcopum reſpexerit. Propoſuit autem Propheta promiſſionem de Spiritu ſancto effundendo in reliquias ſanctas. Deinde addidit aliud vaticinium de vocatione gentium, hanc ceu ænigmate involvit. Dicit enim gentes vocandas in vallem, in qua Dominus judicabit, & retribuet eis, quæ ipſi fecerunt populo Dei. Nam gentes quoque vendendas Sabæis longinquæ genti. Nunc addit exhortationem ad gentes, ut ſe ad hoc bellum parent. Complectitur autem duo. Primò oſtendit, quanto furore ſe mundus opponat Evangelio. Deinde de eventu docet, quòd conſilia mundi fruſtra ſint. Quia enim per Evangelium Satanæ regnum petitur, quicquid poteſt virium contrahit, ad ſua defendenda. Nec opus eſt accerſere vetuſta-

Adhortatur gentes, ut ſe parent ad hoc bellum.

Odium mundi contra Evangelium.

tuſtatis exempla,quibus periculis populum Dei ſemper involverit, Quæ conſilia ad novi Teſtamenti Eccleſiam labefactandam in ultima monarchia tentarit,præſentia tempora videamus. Quid enim nunc totos annos octo & viginti non tentarunt Pontifices contra Evangelii doctrinam? Quid Epiſcopi? quid Monachi,quid Scholæ,quid denique Reges & Principes? Pii Doctores, & ſancti Verbi confeſſores paſſim exuti bonis,proſcripti,occiſi ſunt,libri concremati,conciones interdictæ,Teſtamentum Chriſti violatum,& Cœnæ ſacræ uſus perverſus,Imperatæ aliæ impiæ ceremoniæ,quæ ad quæſtum faciunt. Editæ denique horribiles ſententiæ contra doctrinam noſtram. His modis cùm tantùm apud ſuos impedirent Evangelii curſum, tandem etiam de noſtris Eccleſiis armis opprimendis conſilia inita ſunt.

Hoc nimirum eſt,quod hoc in loco Propheta dicit, Excitate robuſtos, Vomeres in gladios, falces conflate in haſtas,hoc eſt,potior ſit cura belli, quàm demetendæ ſegetis, & arandæ terræ. Nemo ſit debilis,ſed qui debilis eſt, dicat ſe fortem eſſe, hoc eſt, etiam qui ad bellum inepti ſunt, tamen belligerentur, ſicut hodiè molle & effœminatum Epiſcoporum, Canonicorum, Monachorum vulgus non ſolùm bellum exoptat, ſed caſtra etiam ſequitur. Hoc primum eſt,quod Propheta hoc in loco oſtendit,ac utile eſt extare ſimiles tam ingentis furoris & odii deſcriptiones. Confirmant enim piorum animos, ne tanquam in re inuſitata abjiciant ſpem, Siquidem omnibus temporibus ad hunc modum Satan ſæviit, ſed qua fortuna & quo eventu? Hoc alterum eſt, quod Propheta hîc oſtendit. Hæc enim exhortatio habet incluſam acerbam ironiam,Significat enim omnes conatus & molimina omnia Satanæ & mundi fruſtra fore,ſicut tandem addit Propheta,Ibi Dominus ſternet fortes tuos. Sic in 2. Pſalmo atrocia ſunt,quæ de Regibus,Principibus, populis, gentibus, Spiritus ſanctus dicit,conſpirantibus & conferentibus, tum vires, tum conſilia ad rumpenda vincula, quibus Dominus quaſi conſtringere carnis ſtudia conatur. Evangelium enim arguit mundum,ut peccare deſinat,ut juſticiam ſectetur,& Satanæ jugum excutiat, ſiquidem judicatus eſt. Sed mundus gaudet peccatis, & pertinaciter fovet idololatriam,ac omnes ſuas vires confert ad ſanam doctrinam opprimendam. Hi conatus ſine cæde & ſanguine piorum non abeunt,& tamen non perficiunt impii,quæ volunt. Nam qui in cœlo eſt, non quidem ſtatim punit hunc furorem impiorum,ſed ſinit eos aliquouſque procedere, & felices eſſe, & tamen ridet ſtulta & irrita molimina. Quid enim eſt, quod homo Dei conſilium conatur impedire aut evertere? qui in cœlis eſt, & uno nutu totum mundum concutit? Sed non ridet perpetuò, loquitur etiam in furore ſuo,hoc eſt,retundit impios,& non ſolùm conſilia ipſorum turbat,ſed penitùs etiam perdit eos.

Eccleſia ſtet efflagitat, tamen ſervatur, & perent tandem hoſtes ejus.

Hunc finem Propheta hîc quoque oſtendit. Sed quia nos tantùm in præſentia intenti ſumus, futuros autem eventus non ex verbo, ſed ex noſtro ſenſu æſtimamus, ideo trepidat caro, & aut dubitat de ſucceſſu, aut metu futuri mali prorſus dejicitur. Reſpiciendum igitur in verbum eſt, & ob oculos perpetuo habenda præteritorum ſæculorum exempla, quæ omnia una quaſi voce teſtantur, & furere mundum contra verbum, & tamen concidere tandem in mediis conatibus, Verbum autem Domini manere in æternum.

Ideo dicit Dominus hic, Venite omnes gentes, ex omnibus terræ partibus congregamini. Hic enim ſternet Dominus fortes tuos. Obſervabis autem præcipue vocabulum (Gibborim) Nam hoſtes Evangelij non ſunt contempti, imbecilles, pauperes, Fortes ſunt. Ideo Eccleſia deſtituta carnalibus præſidijs in periculo eſt, & pavet. Nos hodie non parum movemur adverſariorum opibus, potentia,ingenijs,uſu armorum,& agnoſcimus nos neutiquam eis eſſe pares. Sed cur movemur? nonne carnalia hæc ſunt? Nos autem, qui Patrem habemus in cœlis, cujus nomen & gloria periclitatur, num carnalibus præſidijs nitemur? Hoc illi faciunt qui neſciunt Deum, & perſequuntur verbum. Quis enim illos

Hoſtes Eccleſiæ potentes.

miretur venire in curribus & equis? Nulla enim habent & norunt alia præsidia. Nos autem, qui habemus Deum, faciamus opus vocationis nostræ pro nostra mediocritate, & speremus in nomine Domini. Hoc enim Domini opus, hæc ejus virtus est, non cupit imbelles adversarios, Fortes vult dejicere, hi quantò de victoria sunt certiores, tantò facilius periculum incurrunt. Non tamen, sicut dixi suprà, abeunt conatus Satanæ sine incommodo omni. Nam nos peccatis nostris Deum variè offendimus, Et solet Deus judicium incipere à domo sua. Sunt enim adversarii nostri ad tempus felices, Sic enim merentur peccata nostra, Sed nisi ipsi quoque egerint pœnitentiam, nisi Filium, ut in 2. Psalmo dicitur, osculati fuerint, & apprehenderint disciplinam, hoc est, humiliter amplexi fuerint verbum, necesse est eos non solùm corporalibus malis involvi, sed præcipitari in gehennam, & æternis flammis subjici, secundùm sententiam, Qui non crediderit, condemnabitur.

Fletus Ecclesiæ cur dicatur fletus.

Sit igitur præsens locus nobis in consolationem. Docet enim de futuro eventu felici, quòd sternendi sint fortes, qui se opponunt verbo. Sternuntur autem duplici ratione. Quidam sternuntur ad salutem. Hi enim submittunt se verbo, abjiciunt peccata, fugiunt usitatam idololatriam, ac spe veniæ per Christum se erigunt. Sic sternebatur Paulus ad Damascum. Sed ô felicem cladem. Prohibebatur enim, ne peccaret ampliùs, & consequebatur fide remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum. Ac Dominus hoc consilio gladium suum stringit, & belligeratur contra mundum, ut agentes pœnitentiam salventur. Sed qui Verbum aut contemnunt superbè, aut oderunt ac persequuntur pertinaciter, hi sternuntur à Domino non salutari, sed exitiali clade, ut in æternum pereant, sicut Pharao Saul, &c. Judicium igitur Domini in valle judicii, hoc est, quòd per Verbum arguit peccata, & docet justiciam & judicium, Ac felices sunt, qui judicium hoc ferunt & tolerant. Etsi enim jugulatur vetus homo & exercetur animus veris & intolerabilibus pavoribus, tamen medicus animarum Filius Dei sanat hanc cordium plagam, & reducit animos ad tranquillitatem, promissione expiati peccati, & reconciliationis per ipsum factæ. Qui autem verbum contemnunt, hi etsi ad tempus securi vivunt, tamen æternis circumvenientur malis.

Mittite falces, quoniam maturuit messis, Venite, venite, & descendite. Quia impletum est torcular, Redundaverunt torcularia, Quia multa est malitia eorum.

Exhortatio ad ministros Evangelii, ut fortiter dimicent in hoc bello.

Hæc alia exhortatio est, pertinens propriè ad ministros Evangelii, quorum opera bellum hoc Dominus gerit, ut magno & infracto animo tentent hujus belli aleam, certi de felici eventu. Hæc cohortatio admodum est necessaria. Quæ enim pericula confessionem & ministerium hoc sequantur, notum est. Vide Joannis, Christi, Apostolorum historias, nonnè totum Satanæ regnum irritant contra se, qui fidem in Christum Dei filium docent? Satan autem mundi Deus & princeps est. Sicut igitur Principes subditorum armis se & sua tuentur, Ita Satan totius mundi viribus utitur ad opprimendum ministerium. Firmo igitur & infracto animo iis opus est, qui ministerium docendi habent, Nec terreri debent malitia mundi, imò quò mundus pejor & desperatior est, eò fortius incumbendum est in prædicationem Evangelii, ut saltem aliqui ex Satanæ faucibus eripiantur. Particula, Quoniam magna est malitia ejus, propriè pertinet ad tempus Christi. Mundus enim tum extremè fuit corruptus, & Satanæ furor immodicus, Sicut gentium historiæ & exempla docent. Quantum enim fuit idololatriarum in omnibus gentibus? Itaque Poëtæ quoque superstitionem & idololatriam exagitarunt, Sicut ille, qui Aegyptiis dicit, sua numina in hortis crescere, Et quis non cohorrescat, cùm legit fœdissimas turpitudines pro cultibus habitas? In ipso autem populo Dei quanta fuit cæcitas, quibusdam palam negantibus resurrectionem mortuorum, & damnantibus Prophetarum scripta? Verè igitur

tum

tum malitia, ſicut plenum torcular, exundavit, ac niſi Evangelii ſalutare lumen affulſiſſet, periiſſet totus mundus. Cohortatur igitur, ut occurrant furori Satanæ, & ruentem mundum ſalutari hac medicina ſanent.

Populi multi in valle judicii, Quia prope eſt dies DOMINI in valle judicii, Sol & Luna obſcurantur, & ſtellæ contrahunt lumen ſuum.

Hactenus Propheta exultante Spiritu, ſed admodum obſcuris verbis, gratiam Dei, & lætum Evangelii ſucceſſum prædicavit, quod vulgatum in omnes totius orbis terrarum angulos, nuſquam fructu ſuo deſtituitur. Iudicat enim ſine diſcrimine omnes, neque eſt judicium hoc irritum aut vanum. Qui enim fide amplectuntur, hi liberati à Satanæ tyrannide in fide expectant hæreditatem vitæ æternæ. Alii, qui non credunt, hi audiunt ſententiam mortis. Quæ enim ſalutis ſpes eſſet reliqua, abjecto Chriſto & Evangelio? Quæ jam ſequuntur, ſententia quidem non differunt, ſed clariora ſunt, & explicant obſcurè ſuprà propoſita.

Dixit ſupra omnes gentes congregandas in vallem Ioſaphat, Id obſcurum eſt. Neſcias enim propriè ne an appellativè accipiendum ſit, quanquam circumſtantiæ oſtendunt, non angulum terræ Iudæ, ſed totum mundum ſic appellari. Hanc ambiguitatem Propheta nunc tollit, cùm non ampliùs vallem Ioſaphat, ſed vallem (charuz) hoc eſt, judicii appellat, in qua Dominus per Evangelium certam & definitam ſententiam de toto humano genere ſit pronunciaturus, & ſic debellaturus gentes. Nam verbum (charutz) propriè ſignificat certam & definitam ſententiam ferre. Sic 1. Reg. 20. Iudicium tuum tu definiſti, & Iob. 14. Certò definiti ſunt dies hominis, Item, Eſai. 10, 28. Dan. 6. eadem verba pònuntur. Conſumationem & decretum faciet Dominus, hoc eſt, perdet incredulum populum. Eſt enim figura ex foro ſumpta, ubi ſemel decreta non reſcinduntur. Paulus Rom 9. ſeptuaginta ſecutus eſt, hi verterunt Eſaiæ locum his verbis, Verbum abbreviatum faciet Dominus. Sed ratio nulla eſt, cur (calah) verterent verbum. Significat enim conſumationem & finem. Abbreviatum autem intelligendum eſt, certum, deſtinatum, immutabile, Sicut Germanicè ſimili ferè figura dicimus, cùm ſignificamus nos nihil de ſententia mutaturos, kurtzumb. Ita ſeptuaginta conſumationem abbreviatam vocant certam & definitam populi vaſtationem. Ad hunc modum hoc in loco vallis (charutz) ſignificat judicii vallem, in qua de omnibus populis ſententiam Dominus feret certam & immutabilem.

Valle judicii.

Reg. 20. Iob. 14. Eſa. 10. 22. Dan. 6. Rom. 9.

Sed quæ eſt iſta definita ſententia? Hæc nimirum, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite, Qui crediderit, non condemnabitur, qui non crediderit, jam judicatus eſt. Hæc ſententia eſt immutabilis, certa & definita, quod Deus per Filium ſuum velit condonare peccata, & dare vitam æternam. Qui igitur hanc fide amplectuntur, ſalvi ſunt, qui non, pereunt in æternum. Proponitur autem hæc ſententia non uni populo, ſicut hactenus ſoli Iudæi de nomine Eccleſiæ gloriati fuerant, Sed, ut Propheta hîc dicit (hamonim hamonim) undique populi, undiq; turbæ & cœtus ſunt, quocunque vertas oculos, congregati ad hanc ſententiam audiendam. Quia autem mundus hoc præcipuè agit, quomodo hanc ſententiam aut mitiget, aut inflectat, aut corrigat. Iudæi enim iniquo animo ferunt abjici cultus legis, Papiſtæ Chriſti merito aſſuunt ſtipulas & paleas ſuas, votorum, jejunii, delectorum ciborum, & ſimiles nugas. Ideo Propheta hanc eſſe definitam & certam ſententiam vocat, cui neque adimi, neque addi quidquam vel poſſit vel debeat.

Sententia judicij.

Quod addit de Sole & Luna obſcuritatis, & ſtellis caligantibus, haud ſcio, an non hoc quoque figuratè ſignificet ingentem hominum multitudinem. Sicut enim ex fremitu multitudo populi poteſt aliquo modo colligi, Ita magna turba ingentem excitat pulverem, qui etiam Solis conſpectum & cœli adimit.

adimit. Hanc judico ſimpliciſſimam ſententiam. Nam referre iſta ad animorum perturbationem hoc in loco minus quadrat, ubi Propheta hoc præcipuè agit, ut oſtendat Regnum Chriſti in omnes gentes vulgandum eſſe.

Et Dominus de Zion rugiet, atq; de Jeruſalem dabit vocem ſuam, & commovebuntur cæli & terræ.

Hîc exponit, quale ſit judicium, ad quod colliguntur gentes, & cui ſe omnibus viribus opponunt. Item, quòd illud ſit bellum, quo proſternuntur fortes, & venduntur in longinquas regiones. Non, inquit, utetur armis, non, ut ad mare rubrum, pugnabit fulminibus, Sed vocem edet ex Zion, non obſcuram aut infirmam, ſed fortem & terribilem, qualis Leonum eſt, & de Hieruſalem loquetur. Etſi autem repetitio hæc otioſa videri poteſt, tamen aptiſſimè quadrat ad miniſterium Evangelii. Sicût enim Chriſtus jubet in nomine ſuo docere pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, pœnitentiæ autem doctrina arguit peccata, & terret animos metu iræ & judicii Dei, Ita primo loco rugitus hic ponitur, qui doctrinæ de pœnitentia ſymbolum eſt. Eſt enim vox leonis inter omnia animantia maximè formidabilis, nec edit eam niſi commotus ira, Ideò Scriptura famelico leoni, & prædam adepto rugitum attribuit. Ad hunc modum Evangelium arguit mundum de peccato, non ſolùm, ut mundus diſcat ſe habere peccatum, qui niſi verbo admoneretur, ſecurus de peccatis eſſet, ſed etiam docet, in nobis nullum eſſe præſidium contra peccatum, Quin augeri peccata, ſi quis ulla ratione pro iis conetur ſatisfacere. Hæc doctrina impreſſa animis dejicit hominem. Non ſolùm enim præſidia omnia adimit, ſed etiam inevitabile æternæ mortis judicium proponit. Sicut igitur ſervus, qui in Evangelio ad rationes ſubducendas vocatur, triſtem ſententiam de ſe & omnibus ſuis vendendis audiens, ſe ad heri pedes abjicit, & ſupplex petit mitigari pœnam, Ita ſine ingenti animorum pavore ipſa cogitatio divini judicii ſuſtineri non poteſt, Naturaliter mentes ad hunc rugitum exhorreſcunt, & mallent prorſus non eſſe, quàm pavores hos perpetuò ſentire.

Luc. 4.

Rugitus leonis.

Evangelium arguit peccatum.

Mat. 6.

Cur Evangelium pœnitentiam docat.

Cur autem facit hoc Deus? Cur ad hunc modum miſeram naturam terret? Primùm fit hoc, ut conſpecta noſtra miſerabili conditione, doctrinam filii Dei, de gratuita peccatorum remiſſione avidiùs amplectamur, Deinde etiam ad gloriam ſuæ miſericordiæ patefaciendam. Quomodo enim beneficium ab eo agnoſci poteſt, qui nullum ſenſit incommodum? Dei igitur immenſa bonitas in eo elucéſcit, quòd miſeris peccatoribus & æternæ morti addictis, gratiam peccatorum facit, & hæredes æternæ vitæ conſtituit. Salutaris igitur rugitus ille eſt, etſi formidabilis & plenus terroris ſit. Poſt rugitum autem ex Zion, etiam vocem dat ex Hieruſalem, hoc eſt, loquitur blandiùs, nec ampliùs terret, ſed conſolatur animos, Proponit Patris ſui clementiſſimum animum, jubet reſpici in crucem ſuam, hortatur, ut fiducia ſuæ mortis ſperemus remiſſionem peccatorum, & fiducia reſurrectionis ſperemus æternam juſticiam & vitam. Jubet, ut baptizemur in ſuam mortem, jubet, ut manducemus corpus ſuum pro nobis traditum, & bibamus ſanguinem ſuum pro noſtris peccatis effuſum. Hoc oleo lenitur aſperitas vini, & traducuntur animi à metu & pavore, ad tranquillitatem & lætitiam. Quomodo enim Deum metuerent, quem ne quidem Filio vident parcere? Quomodo de ſalute ſua dubitarent ampliùs, cùm videant Filium ad dextram Patris, qui ſanguine ſuo genus humanum, tanquam peculium ſibi acquiſivit?

Doctrina de remiſſione peccatorum.

Commoti cæli & terra.

Ad hanc igitur vocem de Zion ſonantem, commovetur cœlum & terra. Cœlum aperitur, nec manet ampliùs clauſum. Pater ipſe de cœlo nobis commendat filium, & deſcendunt non ſolùm Angeli miſcentes colloquia cum hominibus, ſed ipſe DEI Spiritus, ut habitet in corporibus noſtris. Hæc inuſitata fuerunt ante hanc vocem de Hieruſalem ſonantem, Terra quoque novam prorſus induit faciem. Qui ſecuri erant, incipiunt timere Deum, deponunt

non

non ſolum ſtudia carnis, ſed etiam cultus uſitatos hactenus abjiciunt, Vident enim Deum non velle coli ad noſtrum arbitrium, ſed ad verbi ſui præſcriptum, Hoc cum reverentia amplectuntur, & per fidem in verbum accipiunt remiſſionem peccatorum, & Spiritum ſanctum, per eum invocant Deum, in omnibus periculis, & confitentur nomen ejus, nihil veriti mundi minas & furorem. Hæc an non inſignis commotio eſt, quòd ſubitò ad hanc vocem (ut Propheta ait) nova fiunt omnia.

Neutiquam autem negligendum eſt hoc in loco illuſtre teſtimonium de Chriſto, ad convincendum pertinacem Iudæorum errorem. Audiunt Prophetæ vaticinium, Dominum (Jehova) ex Zion locuturum, Reſpondeant autem quando id ſit factum. Quia enim negare non poſſunt, quin Zion & Ieruſalem jam olim ſit vaſtata, nonnè cogentur etiam hoc fateri, Prophetiam hanc ſtante adhuc Ieroſolyma eſſe impletam? Sed per quem aut quo modo impleta eſt? Num Dei vox ſic infirma fuit, ad quam tamen cœlum & terram contremiſcere Propheta dicit, ut eam ipſi non exaudirent? Si autem audierunt, num ſic fuerunt perverſi, ut audire nollent & contemnerent? Nonnè quoque, ſiquidem de Meſſia, ſeu Chriſti Regno Propheram loqui certum eſt, Meſſiam exhibitum jam olim ſtante adhuc Zione & Ieroſolyma res ipſa loquitur? Sed cæci Judæi, tanquam in denſa caligine errantes, quò ſe vertant, neſciunt. Nos autem, qui credimus Chriſtum eſſe exhibitum, & agnoſcimus eum non ſolum hominem, ſed æterni Dei æternum Filium, nos, inquam, ſcimus per Chriſtum Jeſum ex Maria virgine natum, hanc Prophetiam impletam eſſe, & ipſum eſſe verum (Iehova) ſicut teſtantur plures loci novi Teſtamenti, Iohan. 14. inquit, Creditis in Deum, in me credite, Item verba, quæ ego loquor, non loquor de meo, Pater qui in me eſt, facit opera. Credite mihi, quòd ego in Patre ſum, & Pater in me eſt, Item, Philippe, qui videt me, videt Patrem meum. Sicut autem hæ ſententiæ non debent eludi, quaſi tantùm de miniſterio à Patre demandato loquatur Chriſtus, Ita præſens quoq; locus ſimpliciter intelligendus eſt, quòd ipſe (Iehova) Deus loquitur, cùm Chriſtus loquitur, & quòd ipſum verum æternum Deum audiunt, quicunque hanc vocem in Zion ſonantem audiunt. Non enim eſt Deus extra Chriſtum quærendus, & quanquam perſonarum diſcrimina ſunt, tamen non eſt niſi unus æternus Deus, ſicut Paulus dicit in Chriſto habitare plenitudinem divinitatis. Hæc definitio perſonæ hoc loco neutiquam negligenda fuit.

Teſtimonium, quòd Chriſtus ſit verus Deus, & jam olim exhibitus.

Chriſtus Deus & homo.

Iohan. 14.

Coloſſ. 2.

Habes igitur duo hæc de novo Teſtamento, quòd ſcilicet ex Zion egredietur nova doctrina, & quòd Doctor, qui eam primus ſparget, ſit Deus. Includitur autem hîc tertium quoque. Quia enim & corporalis loci mentionem Ioël facit, & vaticinium de voce, quæ auribus hauritur, certum eſt, doctorem hunc hominem quoque eſſe. Hinc ſequuntur omnia hiſtorica illa novi Teſtamenti, quòd cùm homo ſit, mori eum neceſſe fuit. Quia autem non tantùm homo, ſed Dei æternus filius eſt, non potuit in morte manere, ſed reſurgere eum oportuit, & expiato per mortem peccato, victa autem & abolita per reſurrectionem morte, poſſidere æternum regnum. Hæc omnia certiſſima conſequentia ſequuntur. Quis autem erit finis hujus vocis ex Zion? aut quis ſequetur eventus? hoc ſequentia oſtendunt.

Et Dominus ſpes populo ſuo, & munitio filiis Iſraël. Et ſcietis, quoniam ego Dominus Deus veſter, habitans in Zion, monte ſancto meo.

Hoc eſt, omnes, qui vocem illam humili corde amplectuntur, & ſubjiciunt ſe Domino judicanti, his ipſe Dominus ſpes ſeu fiducia erit, & arx, ad quam confugientes, ſint tuti ab omnium hoſtium vi & inſultu. His paucis verbis utrumque Propheta facit, ut oſtendat, quid Evangelium in ſumma doceat, & quis verus DEI cultus ſit. Lex, ut ſæpè diximus, præcipuè hæc duo

Lex.

duo agit, Oſtendit, quid à nobis exigat Deus, & minatur pœnas non facienti voluntatem Dei. Etſi enim promiſſiones quoque additas habet, tamen, quia natura noſtra peccato ſic eſt corrupta, voluntatem Dei facere ut non poſſit, fruſtrà promiſſiones hoc in loco commemoramus, Sed cum Paulo verè ſtatuimus le- 2. Cor. 3.
gem eſſe miniſterium mortis, Siquidem exigit quod præſtare non poſſumus, &
Evangelium. addit ſententiam mortis. Sed Evangelium eſt doctrina, quæ non, ut Lex, exigit, quid faciamus, nec intentat pœnam mortis, ſed certam ſpem facit vitæ etiam peccatoribus, ſi modò in Chriſtum credant. Proponit enim Filium Dei propter nos factum hominem, & propter peccata noſtra oblatum victimam in cruce. Hanc hoſtiam pro ſuis peccatis cum ſerio intuentur animi, ſperant, peccatorum veniam, & ad Deum confugiunt quem, antequam Evangelii vox ſonaret, ut hoſtem metuebant.

Pericula in quibus vivimus. Notabis quod utrunque nomen, ſpei & refugii ſeu arcis, manifeſtam ſignificationem habet periculorum, in quibus natura omnes verſamur. Cur enim promitteretur ſpes, niſi magnitudo periculorum deſperationem afferret? & refugii ſeu tuti loci promiſſio, quem haberet locum, ſi extra diſcrimen & in tuto eſſemus? O igitur cæcos Pontificis Doctores, diſputantes de naturæ viribus integris, & liberi arbitrii facultate, qua præparare nos poſſimus ad gratiam. Cur non reſpiciunt ad illam à Chriſto propoſitam parabolam de homine à latronibus ſpoliato & vulnerato? Satan enim per peccatum nos exuit præſtantiſſimis donis, agnitione Dei, juſticia & recta voluntate, & conjecit in æternam mortem, cùm, ſi abſque peccato eſſet, æternum eramus victuri. Quod igitur ad nos attinet, verè ſumus deſperati. Quid enim in nobis contra hæc mala, vel ſpei, vel præſidii eſt? Num homo ſemel mortuus, ſibi vitam denuò vindicabit? In hoc periculo cùm ſimus omnes omni tempore, verè vivimus in infeſto loco, in quo nihil tutum eſt. Ac quidem pericula hæc homines non prorſus prophani & ſecuri vident ac ſentiunt. Judæus igitur ad Moſen ſuum recurrit, ac putat cultus & opera à Moſe præceptos ceu portum eſſe, in quo tutus conquieſcat. Pontificii habent Miſſas ſuas, interceſſiones divorum, jejunia, vota & ſimilia exercitia, quibus confidunt ſe contra Satanam, & in Dei judicio tutos fore. Sed omnia hæc ſunt ficulnea præſidia, Evangelium autem ſolum docet, ubi certa
Quò in periculis confugiendum. ſpes, & tutus refugii locus contra mortem, peccatum & Satanam ſit, nempe apud ſolum Deum. Hic unicus portus eſt, ad quem tutò applicamus, cùm urget nos vel conſcientia, vel mors, vel Satan.

Deus peccatores cur non odiat. Quomodo autem hoc? Nonne enim Deus peccatum odit? nonne minatur peccato pœnas certas? nonne ſolus eſt, quem propter peccata formidamus? Quomodo igitur ad eum confugiemus, à quo pœna expectatur certa? Reſpondeo. Hoc verò eſt myſterium illud regni cœlorum, toti mundo incognitum, piis autem ſolis notum. Vera quidem hæc omnia ſunt, quæ jam de Deo commemoravimus, quòd odit peccatum, & peccatum damnet morte æterna, Sed Dei filius factus eſt mediator, is pœnam in ſe tranſtulit, mortem, ad expianda noſtra peccata, ſuſtinuit, ac Deo Patri hoc modo nos reconciliavit, qui ſublato peccato, non ſolùm cauſam non habet, cur nos oderit, ſed propter filium
Cultus Dei, ſperari. etiam magis nos amat. Atque hic eſt cultus præcipuus novi Teſtamenti, ſpem ponere in Deum per Chriſtum, & ad Deum in omnibus periculis confugere. Sed impeditur hic cultus variè. Cùm bellorum pericula imminent, ut nunc, confugimus ad arma, terremur potentia adverſariorum, cauſæ autem noſtræ diffidimus, quia minus videmur inſtructi. Sic cùm fame premimur, præſidium certum ſtatuimus in copia. Magis autem hoc fit in periculis conſcientiæ, Ibi certa peccata nos tantùm non ad deſperationem adigunt, quæ ſi non haberemus, videremur nobis facilius ſperare gratiam poſſe, Sed reſiſtendum his cogitationibus carnalibus eſt, & in ſolum Dominum, non in merita noſtra ponenda ſpes. Ad Deum ſolum etiam, cùm peccata nos urgent, eſt confugiendum.

Hoc

Hoc cultu delectatur, eumque in Decalogo exigit, cùm vocat se nostrum Deum. Nos autem adjuti Spiritu sancto, si carni restiterimus, præstare eum possumus, invocando nomen ejus.

Sed quid fiet de aliis, inquies, qui Evangelium non amplectuntur? Id infrà Propheta ostendet. Hi enim ostenduntur Evangelio, & movent pugnas. Hîc igitur Ecclesia novis involvitur periculis. Resistendum enim hostibus Verbi est, ad sanguinem usque, ne quod unum agunt, sana doctrina, & verus cultus opprimatur. Sed in hoc quoque discrimine Dominus retinet nomen suum, Sperantibus enim in ipsum, & confugientibus ad ejus auxilium, est liberator. Sicut in fine copiosiùs exponet, & hìc manifesta consolatio est, Scietis, quia ego Dominus Deus vester, habito in sancto monte meo Zion, Hoc est, Ecclesiam agnoscentem me, & in qua vox mea sonat, non deseram, Ero cum ipsa etiam in tribulatio-
Psal. 91. ne, & eripiam eam, sicut Psal. 91. dicit. Hæc si tempore tentationis animis possent firmiter includi, ô quàm essemus beati? quàm non perturbaremur ullo mali sensu? Meditanda autem sæpiùs sunt, & rogandus quoque Deus, ut per Spiritum suum has promissiones animis nostris, ceu sigillum, imprimat, nosque per eas in omnibus periculis erigat.

Et erit Hierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius.

Non sine causa Christus jubet scrutari scripturas de se. Videmus enim, quòd brevissimis concionibus gravissimæ res comprehenduntur. Hactenus Ioël personam Christi depinxit, quòd homo & Deus sit. Item Evangelii illustrem definitionem proposuit, quòd sit talis doctrina, quæ doceat spem in Deum. Locus autem præsens complectitur articulum symboli, Credo Ecclesiam san- *Credo Ecclesiam sanctam.*
ctam catholicam, Sanctorum communionem. Dicit Ierusalem sanctam fore, & alienos non transituros per eam ampliùs. Hunc articulum, sicut & illum de Evangelio, seu remissione peccatorum, totum obruerunt Pontificii Doctores. Quomodo enim docerent sanctam Ecclesiam, qui dubitare hominem jubent, sit ne in gratia, vel non? Blasphemiam igitur interpretantur, si quis se sanctum dicat. Sed nobis Prophetæ auctoritas potior esse debet, qui de Hierusalem, hoc est, de Ecclesia, quæ in terris est, dicit, quòd sit sancta. Et profectò articulus fidei nostræ non est vocandus in dubium, qui sanctam Ecclesiam illam vocat, quæ credit resurrectionem carnis, & adhuc in carne est.

Sed ut hic Articulus planiùs intelligi possit, admonendus est Lector, Scripturam dupliciter de Ecclesia loqui. Nam primò vocat Ecclesiam in genere omnes, qui idem doctrinæ genus profitentur, & iisdem utuntur Sacramentis, *De Ecclesia dupliciter loquitur Scriptura.*
Matth. 22. etsi multi hypocritæ & impii admixti sint, sicut Christus dicit, Multi sunt vocati,
Marc. 16. pauci electi, Item, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur. Posterius enim membrum ostendit aliquos esse baptizatos, qui tamen non credunt, & ideò condemnantur, sicut parabola de nuptiis quoque docet. Qui enim in nuptiis sunt, omnes quidem sunt vocati, sed non omnes nuptialiter vestiti sunt, & hi ejiciuntur. Sic parabola de reti pi-
Matth. 22. scatorio, Item de semine & zizaniis, Ecclesiam talem pingit, in qua mali & *In Ecclesia boni & mali.*
Matth. 13. boni sint, ac mali quidem numero vincunt, sicut testatur dictum, Multi vocati, pauci electi.

In isto cœtu promiscuo tamen semper sunt aliqui electi, hoc est, qui Verbum vera fide amplectuntur, & accipiunt Spiritum sanctum. Nam ministerium non potest esse irritum. Hanc sinceram partem Scriptura Ecclesiam quoque *Ecclesia cur vocat sancta.*
vocat, & huic propriè convenit nomen Sancta, non ideò quasi electi sint sine peccatis. Nam caro retinet naturam suam, neque unquam sine vitiosis motibus est. Etsi autem pii hos motus, adjuti Spiritu sancto premunt, & eis non indulgent, tamen hi motus per se sunt peccatum damnans, pios autem non da-

mnant, quia hanc ſuorum cordium impuritatem agnoſcunt, & in Chriſtum credunt. Hæc fides eſt, quæ Eccleſiam ſanctam facit. Apprehendit enim eum qui ſanctus eſt, & gratia ſua iniquitates noſtras non aliter, quàm ſtipulam ignis haurit & abſumit. Si igitur electam Eccleſiam oculis videre poſſes (ſicut certo eam vides, ſed credere non potes, quod Eccleſia ſit) videres homines aliorum ſimiles, hoc eſt, infirmos & peccatores. Soli enim electi ſunt, qui & agnoſcunt infirmitatem ſuam, & quotidie peccatorum veniam expoſcunt. Ideo Scriptura paſſim eos pauperes & afflictos vocat, non tam ob communes calamitates, quas ſuſtinent, quàm quod anxiis animis ſuam infirmitatem deplorant, & perpetuo exercentur timore judicii Dei, cùm omnis reliqua multitudo ſecura ſuis indulgeat cupiditatibus. Exemplo eſſe poteſt ſanctus Apoſtolorum chorus, qui tanto tempore ipſum Dei Filium audivit, & tamen ne quidem poſt Spiritum ſanctum acceptum ex omni parte perfecti fuere. Non ſolum enim infirmitatis exempla extant, ſed etiam erroris ejuſq; ſane maximi quod quidam Legem contendebant neceſſariam credentibus. Ac Pauli querelas num putabimus eſſe vanas, Rom. 7? Video aliam Legem in membris meis rebellantem Legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quod eſt in meis membris, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

Sancti infirmi.

Rom. 7

Eccleſia & peccatum habet, & ſancta eſt.

Hanc perpetuam infirmitatem vident in alijs, & ſentiunt quoq; in ſe adverſarij noſtri. Duriter igitur nos accipiunt, quaſi vna ſpe impleamus animos, cum ſanctos nos in hac vita dicimus, Quaſi vero ſanctus ſit, qui peccatum nullum habet. Vera enim Ioannis ſententia eſt, Si dixerimus, quod peccatum non habemus, faciamus Deum mendacem, & verbum ejus in nobis non eſt, Item Pauli, Concluſit Deus omnia ſub peccatum. Caro enim, ut diximus, & ſi à ſanctis coercetur, tamen caro eſſe non deſinit, ſed retinet naturam ſuam, & eſt plena vitioſis motibus. Sancti igitur verè hi ſunt, qui peccatum quidem habent, ſed propter fidem in filium Dei eis remittitur, ſed non imputatur. Haber enim Chriſtus regnum ſuum inter nos in hac vita. Eſt autem regnum eius, judicare in juſticia, & arguere in æquitate, Eſai. 11. hoc eſt, pœnitentiam & remiſſionem peccatorum prædicare in nomine ipſius. Huic prædicationi qui credunt, accipiunt Spiritum ſanctum, & remiſſionem peccatorum. Ad hunc modum Pſalm. 32. beatos appellat, qui levati ſunt peccato, hoc eſt, qui peccatum habent, Sed transfertur ab eis per Filium Dei, & non imputatur. Hanc imputationem ſi reſpicias, ſanctumne te eſſe negabis? Igitur Chriſtus peccata tua in te non recepit? Igitur pro te non eſt paſſus? Igitur Baptiſmus tuus nihil eſt? tuque ejiciendus penitus es ex Eccleſia? Quòd ſi duriora hæc putas, & fidis aliquid propter paſſionem Chriſti & Baptiſmum, non ea tenuis & exigua, ſed plena ſit fiducia, ut certò ſtatuas, te eſſe Dei filium & ſanctum, non quidem propter te, quaſi ſine omni peccato ſis, Sed propter Filium Dei, qui peccatum tuum à te abſtulit, & te juſticia ſua ornavit, ſicut Eſaias in prædicto loco eum hoc habitu ornat, quòd cingulum femoris ejus ſit juſticia, & cingulum renum ejus veritas, Hoc eſt, ſuum corpus Eccleſiam induit & veſtit juſticia, eaque certa & æterna, non hypocritica.

Luc. 1

1. Ioan. 1

Gal. 5

Eſai. 11.

Pſal. 32

Quomodo ſimus ſancti.

Hic error Pontificiorum perniciosus, & ideo dignus eſt, ut ſæpè taxetur. Si autem altè inſedit animis omnium hominum, ut ad ſanctitatis nomen obſtupeſcamus, nec quiſquam ſe hoc nomine dignum judicet. Iſtorum enim proprium hoc eſſe ducimus, qui exuti carne, aut in ſocietate cœleſti vivunt, aut in ſepulchris reſurrectionem expectant. Sed diſcamus gloriam hanc non habere nos ex nobis ipſis, nec ex noſtris operibus, viribus, aut meritis, Nos enim cùm reſpicimus, verè ſumus, ut Paulus ſe appellat, homines miſeri & captivi peccati, Sed cùm reſpicimus Filium Dei, cùm ſanctum Baptiſma, & ipſum Dei Spiritum intuemur inhabitantem hoc miſerum & infirmum templum carnis noſtræ, quæſo, an non Filio Dei & Spiritui ſancto, ſanctitatis nomen tribuemus? Statuamus igitur

Omnes fideles ſunt ſancti.

igitur Jeruſalem, ut Propheta appellat, verè eſſe ſanctam, propter inhabitantem Dominum in Zion. Si enim in Filium Dei credimus, ſi ejus ſanguine nos redemptos confidimus, ſi ſacro Baptiſmate ſumus abluti, Profectò ſumus ſancti, ſicut ipſa ſancta virgo Dei mater, ſicut Petrus, Paulus, & alii. Etſi enim hi propria ſua, ut ſic dicam, ſanctitate, hoc eſt, certis donis nobis anteeunt, tamen certum eſt, ipſos propter dona illa non eſſe ſanctos, Sed propter ſolam fidem in Filium Dei. Hanc autem nos quoque retinemus. Agnoſcimus enim eundem Chriſtum pro nobis factum victimam, & nos eodem Baptiſmo baptizatos, eundem accepiſſe Spiritum ſanctum. Etſi igitur inter nos diſſimilitudo aliqua eſt, tamen Chriſtus ubiq; ſui eſt ſimilis, & quocunq; venit, affert ſecum eadem dona, remiſſionem peccatorum, & Spiritum ſanctum. Hoc Pontificii non norunt, hiaq; cum Chriſti ignominiâ ſanctitatis nomẽ tantùm illis relinquunt, qui exuerunt carnem. *Sanctitas vera.*

Sed cur addit, Et alieni per eam non tranſibunt? Tamen alieni admixti ſunt Eccleſiæ, & quidem magno numero, juxtà ſententiam, Multi vocati, pauci electi. Hic eſt locus de excommunicatione, Ea quoque ſicut Eccleſia, duplex eſt. Vna enim eſt politica, ſeu externa & viſibilis, quâ ipſa Eccleſia utitur contra notoriè facinoroſos, ſecundùm Chriſti præceptum, Matth. 18. Ea regula omninò ſervanda eſt in Eccleſia. Neque enim levis res excommunicatio eſt, quæ ſimpliciter excludit à regno Chriſti, & retinet peccata, ſine ſpe remiſſionis, ſi non accedat pœnitentia. Ideò Chriſto non ſatis fuit admoneri ſemel & iterum à privatis, etiam ab illis, qui publico miniſterio funguntur, admoneri peccatorem voluit, priuſquam dura hæc excommunicationis ſententia pronunciaretur. Hodiè multi accuſant miniſtros Eccleſiarum, quaſi ipſorum negligentia excommunicatio intercideret. Multi magiſtratum accuſant, quaſi ſe opponat & excommunicatione uti vetet, Sed Chriſti ſententia clarè teſtatur, privatim admonendum peccatorem, priuſquam ii, qui in publico miniſterio ſunt, ſententiam hanc ferant, & tamen ne tum quidem ferendam ſententiam, niſi præceſſerit gravis & pia exhortatio publici miniſtri. Hanc ſi contempſerit peccator, & perrexerit peccare, tum demum excommunicandus eſt. *Excommunicatio vera.* *Excommunicatio viſibilis.*

Quid igitur impedit excommunicationem hodiè? Nihil, niſi quòd nemo in hac parte officium Chriſtiani facit. Tu habes vicinum, nota tibi ejus vita & mores ſunt, Paſtori tuo aut prorſus ignota, aut minus nota ſunt, quomodo enim ſingulos noſſe poteſt? Si igitur vides vicinum injuſtis ditari lucris, vides fornicari aut mœchari, aut negligentiùs regere familiam, tu primus admone eum, & admone piè, ut rationem habeat ſalutis ſuæ, & vitet ſcandalum. Atque ô quàm ſanctum feceris opus, ſi ita eum lucrifeceris. Sed quæſo quis hoc facit? Primùm odioſa res eſt veritas. Tu mavis retinere familiaritatem & amicitiam vicini, præſertim ſi ſit potentior, quàm tibi eum reddere infenſum, Idem dum ſecundus, tertius, quartus vicinus faciunt, cum prima admonitione, etiam ſecunda & tertia intercidit, qua in viam revocari poterat proximus, ſi tu faceres admonendo officium. Deinde accidit, quòd ferè omnes ſimilibus flagitiis ſumus obnoxii. Metuimus igitur, ne dum feſtucam conamur eximere oculis proximi, nobis de trabe objiciatur eminente. Hæc vera & præcipua eſt cauſa, quòd excommunicatio penè ubique intercidit, quia exiguus ubique piorum eſt numerus. Si enim pietas, ut æquum erat, omnibus cordi eſſet, pluris faceremus Chriſti præceptum, quàm omnia hujus vitæ commoda. Tam enim hoc de admonendo fratre neceſſarium mandatum eſt, quàm illud, non occides, non furtum facies. Periclitantur enim non corpus, non fortunæ proximi, ſi admonitionem hanc vel metu, vel alia ex cauſa omittas, ſed ipſa animæ ſalus. Quod ſi paſtori conſtat de notorio aliquo peccato, omninò hoc tenetur facere, ne tales ad Euchariſtiam admittat, niſi & pœnitentiam agant, hoc eſt, peccare deſinant, & vera confeſſione oſtendant ſe damnare & odiſſe peccata, Præcedere tamen debet pia & gravis admonitio. Magiſtratus autem hac in parte ſi non facit ſuum officium, & publica *Cur excommunicatio nulla ſit hodiè.*

ſcandala gravi animadverſione non punit, graviſſimè peccat. Quod ſi etiam illud addit, ut Eccleſiaſticam cenſuram impediat, & ſcandalis patrocinetur, prorſus ex Dei ſervo in Satanæ mancipium degenerat.

Excommunicatio non contemnenda.

Porrò hanc excommunicationem legitimo modo ab Eccleſia factam cave contemnas. Affert enim certam ſententiam iræ Dei, & æternæ damnationis, ſicut Chriſtus dicit, Amen dico vobis, quicquid in terra ligaveritis, etiam in cœlis erit ligatum. Tanto autem execranda magis eſt Papæ tyrannis, qui excommunicatione uſus eſt, etiam propter pecuniæ debita ad certum diem non numerata, imò etiam, propter ſuas traditiones neglectas, ſi quis non jejunaſſet, non confeſſus eſſet, &c. Hodiè autem utitur excommunicatione contra nos, qui ſanam doctrinam profitemur. Sed primùm conſolatur nos Chriſtus, Beati, inquit, eſtis, cùm maledixerint vobis homines, Item, ejicient ex Synagogis vos. Deinde, certum eſt hanc excommunicationem Pontificiam non eſſe Chriſti. Siquidem ad Chriſti præſcriptum non fuit. Non igitur valet in cœlis, Auctori autem abutenti hoc Eccleſiæ mandato, certum afferet exitium. Eſt enim peccatum conjunctum cum blaſphemia nominis Dei. *Matth. 5.*

Excommunicatio invisibilis Dei.

Sicut autem hæc Eccleſiæ externa & viſibilis excommunicatio pertinet ad notoriè facinoroſos, & convictos de ſcandalo. Ita eſt alia occulta & inviſibilis excommunicatio, non hominum, ſed ipſius Dei. Deus enim non, ut nos homines, ex operibus tantùm judicium facit, ſed animum inſpicit, & hypocritas judicat, quos Eccleſia judicare non poteſt, ſecundùm vulgatum dictum, De occultis non judicat Eccleſia. Non autem omnes publicis ſcandalis ſe pollyunt. Etſi enim multi avari, fornicatores, adulteri ſunt, tamen regunt peccata, & quaſi cautiùs peccant, nec convinci à quoquam poſſunt. Verſantur igitur in Eccleſia, audiunt conciones, utuntur Sacramentis, & tamen ſunt de facto excommunicati à Deo, Siquidem vivunt in peccatis contra conſcientiam, nec ea emendant, juxta illud Pauli, Scortatores, adulteri regnum Dei non poſſidebunt. Sed non perpetuò ab eis aberit judicium Dei, Homines fallunt, Deum fallere non poſſunt. Is in noviſſimo die colliget per Angelos omnia ſcandala, & conjiciet in æternum ignem. *1. Cor. 6.*

Ab hac Dei excommunicatione occulta, qui volet liberari, caveat peccata, & pœnitentiam agat, hoc eſt, emendet vitam, deinde precetur & credat veniam per Chriſtum. Hæc unica via eſt illam occultam Dei excommunicationem effugiendi. Quòd ſi in peccatis perges, & hoc quaſi privilegio gaudebis, quod, cùm cautius aliis preces, Eccleſiæ judicium effugeris, nihil ages aliud, quàm ut ipſe te fallas, ac duriorem ſententiam in te provoces. Etſi enim, quod ad finem attinet, excommunicatio externa illi occultæ par ſit (Ratam enim eam habet Dominus in cœlis) tamen iſta externa eò nobis optatior eſſe debebat, quod eſt quaſi medicina, qua revocamur ad pœnitentiam, Illa autem occulta, quia ad tempus non ſentitur, auget ſecuritatem. Conſtituitur igitur per Evangelium Eccleſia, quæ verè ſancta eſt, nec admiſcentur ad eam impii, aut hypocritæ, ſicut Eſaias quoque dicit, Erit ibi via & ſemita, quæ vocabitur ſancta, non enim per eam pollutus ibit. Quæ, inquies, hæc eſt via? Illa ſcilicet, de qua Filius Dei concionatur, Ego ſum via, veritas & vita, Item, Qui crediderit in me, mortem non videbit. Impii etiam Sacramentis utuntur, atque ita hypocriſi tegunt impietatem. Non enim omnes baptizati in fide manent, & tamen verè ſunt baptizati, Sicut inter Iudæos major pars erat circumciſa carne, & tamen non credebat, Sed fides in Chriſtum ſimulari non poteſt. Chriſtus igitur via eſt, per quam impii non ingrediuntur, & quæ ſola conſtituit ſanctam Eccleſiam. *Eſaiæ 35.* *Iohan. 14.* *Iohan. 7.* *Rom. 9.*

Et erit

Et erit in die illa, ſtillabunt montes muſtum, & colles fluent lacte, atq; omnes rivi Juda manabunt aquis. & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit vallem Sittim.

Hæc allegorica ſunt, Montes enim fœcundi & vitiferi dicuntur ſtillare muſtum, & colles, in quibus ſunt læta paſcua, dicuntur lacte fluere, quia pecus pulchrè ſaginatur, & multum lactis gignit. Convenit autem utrumque Evangelio, quòd rectè & muſto & lacte comparatur. Vinum confirmat cor hominis, inquit Scriptura, & muſtum ſuavitate delectat, Sic Verbum & alit fidem, & in cruce ſuggerit efficaces conſolationes. Diverſum lex facit, quia enim accuſat & intentat mortem, terret & frangit animos. Non ſolùm autem pugnat cum fide timor, quem lex excitat, ſed fidem prorſus excutit, Evangelium autem terrorem hunc aufert, cùm oſtendit mediatorem & interceſſorem Filium Dei, & animos implet certa fiducia miſericordiæ Dei. Hæc poſtea conſolatur animos in cruce, facit intrepidos & magnanimos in periculis, ſicut exempla Apoſtolorum oſtendunt. Quod autem de rivis aqua manantibus dicit, pertinet præcipuè ad ſucceſſum Evangelii. Sicut enim arida loca infœcunda ſunt, Ita, ubi aquarum copia eſt, omnia virent & florent. Docet igitur, quòd ubicunque Evangelium ſonabit, ibi uberrimos fructus ſecuturos. Habet enim additum Spiritum ſanctum, is non uno genere donorum ſuos ornat. Primum eſt, agnitio Dei vera, quòd Deus amet nos, & per Filium ſuum velit nos ſalvos. Hinc naſcitur fides, qua confidimus Deum noſtri miſertum, nos Filiorum loco habere, & in æternum contra omnium hoſtium conatus & molimina ſervaturum eſſe. Ex fide naſcitur invocatio, ut in periculis confugiamus ad Deum, & certam ab eo expectemus ſpem.

Pſal. 103.

Evangelium comparatur vino & muſto.

Rivi.

Deus quibus Eccleſiam ornat Deus.

Invocationem comitatur dilectio, dilectionem obedientia & timor. Non quidem talis timor, qualis ſolet eſſe in iis, qui metuunt pœnas ab irato judice, ſed reverentia, & ſummum ſtudium declarandæ gratitudinis, & cavendarum offenſionum, Atque hîc tanquam mare aperiunt ſe hujus vitæ varia erga proximum officia, Serium vocationis ſtudium, in vocatione humilitas, ne de nobis ſentiamus magnificè propter dona certa, in humiltate benevolentia, & ſtudium erga omnes. Sed quid fruſtra conor oratione complecti omnia Spiritus ſancti dona, quæ infinita ſunt? Illa autem ſingularia ſunt, Confeſſio fidei, periculorum contemptus, patientia, ſpes. Sicut igitur ad perennem rivulum perpetuum ver eſt, non arbores, non flores, non ſata ſentiunt Solis æſtum, Ita ubi Evangelii vox læta ſonat, ibi multo numero varii fructus proveniunt.

Sed inquies, non apparere fructus hos, Diverſum potius fieri. Nunquam enim plus fuit ſcandalorum in mundo, quàm nunc, nunquam etiam plus periculorum, & graviſſimarum calamitatum, quæ vivum teſtimonium dicunt de peccatis noſtris. Reſpondeo verè hæc dici, Sed non ideo vanâ ſunt, quæ de Regno Chriſti Propheta hoc in loco vaticinatur. Fides enim paucorum eſt, & Eccleſia ſimilis eſt agro, in quo quarta tantùm pars fructum parit, reliquas partes omnes inimicus homo implet zizaniis. Sicut autem zizania in altum & ſubitò quidem emergunt, Lecta autem ſemina tardius incrementum ſumunt, Ita hic quoque ſcandala incurrunt ſtatim in oculos, ac latè omnia ſic occupant, ut non niſi diligenter circumſpicienti appareant hi fructus, quos Prophetæ ſic prædicant. Intuere Magiſtratus omnes, qui in mundo ſunt, maxima pars corrupta eſt, ſectatur ſtudia uſitata, indulget voluptatibus, cumulat exactiones, negligit verbum, negligit miniſtros verbi & diſciplinam. Et tamen conſideranti omnia attentius, alicubi occurret bonus Princeps, ſtudioſus religionis, amans ſuorum, honeſtatis & diſciplinæ cuſtos, & moderatus. Sic vaganti cogitatione per ſingulas in vicinia ſua domos, paſſim diſſoluta diſciplina, corrupti mores, ſuperbia, avaritia, luxus, iracundia apparent, & tamen inter has

Scandala obſtruunt dona.

una & altera invenietur, in quibus parentes religionis amantes sunt, suos ad pietatem adsuefaciunt, moderantur sumptus, liberaliter juvant pauperes, non avarè exigunt lucrum in contractibus, &c. Ita etsi pauci, tamen aliqui sunt boni, ubi econtrà si verbum non esset, nihil unquam frugi esset.

Fons domus Domini est Baptismus.

Ad hanc sententiam plerunque applicatur etiam hoc, quod de fonte ex templo scaturiente, & usque ad vallem Sittim profluente, additur, Sed alia Prophetarum similia testimonia ostendunt, peculiare aliquid hîc significari. Apud Zachariam Propheram cap. 13. extat vaticinium de fonte, qui aperietur domui David, & habitatoribus Jerusalem ad peccatum & immunditiem abluendam, hoc est, de tali fonte, in quo lavantes abluent peccatum, & immundiciem omnem. Sic Esaias cap. 12. inquit, Haurietis aquas cum gaudio de fontibus salutis. Non nominat unum aliquem fontem, sicut Joël hoc in loco, qui etsi de uno fonte loquitur, tamen dicit extra templum in Sittim usque emanaturum, Ita ut unius fontis aquæ in longinquam regionem deriventur. Sicut igitur Zachariam & Esaiam de sancto Baptismo loqui dubium non est, Ita Joëlem quoq; quid prohibet, ad Baptismum accommodare, cùm disertè de fonte in Domini domo loquatur? Fons non dicitur, ubi nulla est aqua. In hoc autem fonte non simplex aqua est, sed aqua Domini, Nam ex Domini domo scaturit. Sicut autem aquæ simplicis seu naturalis multiplex est usus, bibitur, rigat & fœcundat arida loca, sordibus quoque abluendis aptissimus est, Ita sacer Baptismus animam accensam siti gratiæ potat. Est enim fons salutis, quem qui bibunt, hoc est, qui promissioni additæ credunt, nunquam sitiunt. Sicut Christus dicit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Ac corda hoc cœlesti potu domus Domini refecta, non amplius sunt arida & sterilia, sed ut Psalmus dicit, sunt similia arboris plantatæ ad rivos aquarum, quæ fert fructum suum suo tempore. Non enim impeditur, nec læditur ardoribus solis. Præcipuus autem fructus est, de quo Zacharias dicit, quòd peccata & immundities hac aqua abluuntur. Hunc fructum sequitur vita æterna.

Zach.

Esai.

Esai.

Psal.

Baptismus confert remissionem peccatorum.

At, inquies, quomodo hoc aqua potest? Respondeo. Aqua seu elementum per se hoc non potest. Etsi enim sordes vestium & corporum abluit, tamen animam attingere non potest. Joël autem disertè, non in genere de aqua loquitur, sed de aqua profluente ex domo Domini. Ea divina aqua est, non ideò solùm, quia Baptismus à Christo institutus, & carne ipsius sancta mundatus est, sed quia huic aquæ Verbum & Spiritus sanctus est additus. Is purificat corda fide, & quicquid sordium est, sic abluit, ne nos damnent. Sunt igitur hæc præcipua Ecclesiæ dona, Verbum & Sacramenta, quæ ambo eò faciunt, ut statuamus Dominum esse spem nostram, & refugium nostrum. Hanc Ecclesiam appellat Propheta hoc in loco Judam. Significat autem Juda hominem, qui agnoscit, confitetur, & laudat Deum, propter misericordiam suam humano generi exhibitam. Reliqui enim omnes, qui hoc beneficium non admirantur & prædicant, Deum blasphemant. In hoc blasphemantium numero cum Synagoga quoque sit, quæ Christum & Apostolos occidit, & Evangelium ut nocentissimam pestem damnavit, non meretur nomen hoc, ut Juda vocetur. Itaque Propheta appellat Ægyptum, seu Mizraym & Edom (mizraym) significat tribulationes. Nec dubito nomen hoc terræ inditum propter historiam, quòd posteritas Jacob sic indignè à Regibus isthic habita est. Edom autem homen habet à sanguine. Hæc nomina aptissimè conveniunt adversariis Ecclesiæ.

Juda.

Mizraym.

Edom.

Ægyptus desolabitur, Edom erit vastum desertum, quia Filios Juda dissipaverunt, & effuderunt sanguinem innocentem in terra ipsorum. Juda autem habitabit in aternum, & Hierusalem in generationem & generationem. Sanguinem autem

Digitized by Google

autem ipsorum graviter ulciscar. Et DOMINVS *habitabit in Zion.*

De Miztraym & Edom, ut dixi, dubium nullum est, quin Synagogam significet, quæ & odit Ecclesiam, & crudeliter in eam sævit. Ad hunc enim modum Esaias quoque cap. 34. Synagogam vocat Edom, cùm dicit, Gladius meus ebrius est in cœlo, & ecce descendet super Edom, & populum, qui est sub anathemate meo, ut eum judicem. Item, victima erit Domino in Bozra, & mactatio magna in Edom, Hoc est, Dominus Synagogam anathemati subjecit propter crudelitatem, quam exercuit in Evangelii Doctores, Igitur perire eam necessaria est. Vtile autem est de hac Ecclesiæ fortuna sæpè doceri & admoneri nos, non solùm ut confirmentur animi contra scandalum crucis, sed ut excitemur etiam ad pœnitentiam. Nam caro cùm sentit crucem, non potest non solicita esse de ira Dei, præsertim cùm sibi malè est conscia. Si autem, ut hoc in loco Propheta de piis docet, præter meritum se affligi videt, negligi se à Deo judicat, Inde vel indignatio vel desperatio oritur, nocentissimæ fidei pestes. Nisi igitur & confirmemur exemplis, ac Scripturæ sententiis de eventu admoneamur, nullam consolationem firmam animi videbunt. Ratio enim totis quasi velis fertur aut in desperationem, aut impatientiam. Primùm igitur præsens locus nos admonet, Ecclesiam variis periculis excipi, & habere hostes Satanam & mundum. Cum his autem sic depugnat, ut videatur vinci. Succumbit enim, si rationis sequaris judicium. Stephanus lapidibus obruitur, Baptista jugulatur, alii alio genere supplicii extinguuntur. Dura videntur hæc esse, & res speciem habet accidere talia non immeritis. Impinguntur enim eis gravissima crimina seditionis, vitiatæ religionis, blasphemiæ, quæ ipsa morte acerbiora sunt.

Esai. 34.

Matth. 14.

Ecclesia variis afflictur.

Sed consolatur Dominus hoc in loco Ecclesiam, & dicit, sanguinem innocentem fundi. Non enim istorum criminum rea est Ecclesia, Sed divina voce jubetur hæc iniqua mundi judicia contemnere, & statuere, quòd præter meritum à mundo affligatur. Hæc sanè non est exigua consolatio. Itaque Satan conatur eam removere ex oculis atque animo. Hoc enim in talibus calamitatibus primum est, ut animi suam immunditiem intuentes angantur, & ex merito venire pœnam judicent, Sed Dominus pronunciat innocentes affligi. Etsi enim peccatores sunt, tamen & condonata eis sunt peccata per Christum, & hostes ipsorum neutiquam hoc agunt, ut propter peccata eos puniant, Doctrinam, confessionem, fidem oderunt. Hæc sola Satanico odio persequuntur, & extinguere student. Duplici igitur nomine sunt innocentes, & propter fidem in Christum, quæ tollit peccata, & propter hostium iniqua judicia, qui summa dona Spiritus sancti blasphemiam esse pronunciant.

Ecclesia patitur præter meritum, etsi peccata habet.

Non tamen negandum est, Ecclesiam sæpè, ut nocentem, affligi. David etsi audit remissionem peccatorum, tamen cædis & adulterii pœnas dat, dum extinguitur infans ex adulterio natus, & ipse regno per Filium ejicitur. Et Petrus ait, judicium incipere à domo Domini. Sed propter hujusmodi peccata mundus Ecclesiam non odit, nec in eam animadvertit. Præter meritum igitur & verè innocentes affliguntur pii. Confessionem enim & fidem mundus odit, quæ certè non peccata, sed summa Dei dona sunt. Justa igitur pœna est, quò ad Deum, coram eo enim nemo est innocens. Odit autem peccatum, & vult paulatim id in nobis aboleri, & revocat hoc modo ad pœnitentiam. Sed mundus dum affligit pios, hunc finem non spectat. Quod igitur ad mundi judicium persequentis & affligentis pios attinet, Ecclesia planè est innocens, ac jubet Propheta, ut in cruce hac consolatione se sustentent.

Ecclesia nocens & innocens.

1. Pet. 4.

Huic consolationi subjicitur alia de eventu. Etsi enim rationi indignum videtur, præter meritum à mundo & Satana affligi pios, tamen si in eventum, qui certus est, intucatur, & videat æterna præmia hanc calamitatem

Ecclesia victa vincit, & oppressa premit impios.

secutura, spe hac sua damna levabit, & expectatione æternorum bonorum temporales calamitates superabit & vincet. Sicut autem mirum & incredibile penè judicatur, amari à Deo afflictos & calamitosos, Ita quoque incredibilius nihil est eventu illo, de quo Propheta hoc loco concionatur. Edom, inquit, effudit innocentem sanguinem, in terra sua, Sed Edom redigetur in solitudinem, Juda autem habitabitur in æternum, & Jerusalem à seculo in seculum. Hoc quid aliud est, quàm quod Esaias dicit, cap. 27. Mortui tui vivent? Quia autem occidunt Ecclesiam, hi in æternam conjicientur mortem. Et Christus, Qui confessus me fuerit, & vitam suam propter me amiserit, inveniet eam. Inversa igitur hîc sunt omnia. Quos mundus calamitosos esse judicat, & divinitùs premi gravissimis pœnis videt, hos amat Deus, & tum maximè se ut patrem filiis offert, cùm maximè putatur irasci. Verum enim est, quod Salomo dicit, Pater filium quem castigat diligit. Contrà mundus, quia floret & felix est, dum putatur vicisse, jacet victus, & succumbit, non eo modo, quo pii. Hi enim brevi pœna defuncti, liberantur ex omnibus vitæ calamitatibus. At impii æternæ iræ, & flammis gehennæ, propter innocentem sanguinem effusum, subjicientur, & ne quidem in hac vita pœnas effugient, Sicut Judæorum tristissimum exemplum testatur, Variè enim exercentur in hac vita, & excipient eos æternæ pœnæ.

Mard 1

Psal 1.

Esaiæ 27.

Matth 1

Prou 4.

Exempla quomodo Ecclesia sit servata.

Hæc non solùm Scripturæ testimoniis, sed etiam illustribus exemplis omnium ætatum comprobantur. Florentissimum Regnum Aegyptiorum funditùs interiit, Filii Israël ter quaterque infelices, imò planè perditi, divinitùs liberantur & servantur. Impia Synagoga, dum Christum conatur opprimere, & sine discrimine sævit in pios, evertitur tota, Ecclesia autem durat. Monarchæ Romani, dum hoc studiosè agunt, ut opprimant Ecclesiam, opprimuntur ipsi. Rectè igitur comparantur Ecclesiæ hostes horto sine aqua, & arbori, cujus folia defluunt, Esaiæ 1. ad tempus florent, sed tandem concidunt. Ecclesia autem, quæ similis emortuo stipiti judicatur, verè ut palma, dum variè calamitatibus premitur, insurgit per verbum Spiritus sancti contra pondus, & quò urgetur magis, eò magis se contra molem attollit. Hujus insperati & incredibilis eventus quæ est caussa? Hæc nimirum, quod Dominus hoc in loco addit, Mundans ego sanguinem non mundabo. Ebraismum agnoscunt linguæ Ebraicæ periti. Sicut enim in his locis, abjiciendo abjiciam, exaudiens exaudiam, repetio significat eximium studium & diligentiam, Ita negatio addita repetitioni significat certam & immutabilem sententiam. Si diceret textus, mundans mundabo, promitteretur perfectissima mundatio ab omnibus sordibus & peccatis. Nunc autem cùm negativam addit, prorsus negat mundationem, & significat inexpiabile peccatum esse, fundere innocentem sanguinem. Sicut igitur Ecclesia credens in Christum, spem remissionis peccatorum certam habet, Ita hostes Ecclesiæ inexpiabili peccato tenentur, neque aliud quàm certam & æternam expectabunt damnationem, nisi accedat vera pœnitentia, sicut Esaias quoque pronunciat cap. 2. Tu eis non remittes.

Esaiæ 1.

Persecutores Ecclesiæ perire necesse est.

Esaiæ 2.

Hæc Ecclesiæ consolatio est, quæ sicut per verbum judicat mundum, ita propter verbum non solùm malè audit & blasphematur, sed etiam plagas, imò mortes, non unius generis sustinet. Huc igitur respiciamus, & non de præsentibus incommodis, sed de certo & tamen occulto eventu cogitemus, quem sequi utrinque necesse est, quòd Zion habitabitur, Edom autem erit tandem in desertum. Variè hoc tempore quassata est Ecclesia, nec dum cessant insidiarum varia pericula, Præbemus autem multa de nobis metus & desperationis exempla. Sed cur non colligimus nos? & subjicimus nobis non solùm notissima Scripturæ indubitata testimonia, sed etiam notissima exempla omnium ætatum. Quis omnium Regum mundi non dedit pœnas attentatæ persecutionis? Quis unquam feliciter pro idololatria depugnavit? Nonnè qui felicissimè administrarunt imperia principiò, statim cùm Ecclesias affligere cœperunt, horribilibus periculis

riculis,& calamitatibus incredibilibus excepti ſunt? Adverſarii verbi variè declarant odium ſuum contra Eccleſias noſtras, & ejuſmodi nunc inſtruuntur initia, quæ religioni veræ ruinam ſecum videntur tractura. Hæc pios cogitantes de poſteritate graviſſimè exercent. Sed non hoſtium potentia, non noſtra imbecillitate & paucitate terreamur, Cauſam ipſam intueamur. Retinemus confeſſionem filii Dei, nec contaminavimus manus noſtras innocenti ſanguine, At hoſtes noſtri jam olim ſanguine pollutas manus & animos habent. Quis igitur finis tandem erit? Nimirum is, de quo Propheta hîc concionatur, Aegyptus, quæ affligit filios Iſraël, & Edom, qui effundit innocentem ſanguinem, erunt in vaſtam ſolitudinem. Sed IUDA, hoc eſt, qui retinent confeſſionem Evangelii, habitabitur in æternum, & Hieruſalem in generationem & generationem. Quoniam Dominus habitat in Zion, hoc eſt, in Eccleſia, quam etſi affligi ſinit, non tamen ſinet everti aut vaſtari penitus.

Hæc eximia & ſuaviſſima promiſſione claudit Ioël ſuas conciones. Conjungamus igitur vota, & preces his miſeris temporibus. O æterne Pater Domini & Liberatoris noſtri IESV Chriſti, ſentimus, quæ tuæ Eccleſiæ in hac vita ſit fortuna, & quàm exerceatur variè à Satana & mundo, Rogamus igitur te per hunc unigenitum Filium tuum, ut primùm Spiritu tuo ſancto noſtros confirmes animos, ne tot periculis ſuccumbamus, Deinde, ut hoſtium conatus non ſolùm impedias, ſed fido & mirando auxilio tuto toti mundo declares, Eccleſiam tuam tibi eſſe curæ, eamque regas, tuearis & ſalves, qui vivis & regnas æternus DEUS, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, in ſecula ſeculorum, Amen.

INSIGNIORES SENTENTIÆ EX CONCIONIBUS IOELIS.

I. *De pœnitentia, Joël cap. 2.*

ETiam jam nunc dicit Dominus, Convertimini uſque ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in luctu, Et ſcindite cor veſtrum, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Deum veſtrum, Quoniam clemens & miſericors ipſe, longanimis & multum benefi-cus, & pœnitebit ſuper malo. Hinc pœnitentiæ definitionem ſumere deberent Sophiſtæ Lovanienſes, & Conciliabulum Tridentinum, annumerantes ad pœnitentiam auricularem confeſſionem, & ſatisfactionem. Debet pœnitentiam ſequi emendatio vitæ, Sed quomodo probabunt eam eſſe ſatisfactionem pro peccatis, & mereri remiſſionem peccatorum? Affirmant quoque fidem non eſſe fiduciam, Sed cur proponitur Deus clemens, miſericors? &c. nonnè ut fidamus in ipſius clementia? miſericordia? &c. Sed ſic debent cæcitate & amentia percuti, qui volunt eſſe religionis & ſacrarum literarum Doctores, & tamen ex certo propoſito aliud nihil agunt, quàm ut veram doctrinam opprimant.

II.

Pœna ebrietatis, fames, & annonæ caritas, Item, peregrinus hoſtis, capite 1.

Ejulate ebrii, & ululate omnes vini potatores, propter muſtum, Periit enim ab ore veſtro. Gens n. fortis, & quæ numerari nequit, aſcendit ad terram meam.

III.

Ad pœnitentiam pertinet invocatio, Ac rudes ceremoniis publicis ſunt invitandi, cap. 1.

Sancti-

Digitized by Google

Sanctificare jejunium, Convocate cœtum, Congregate ſenes, univerſos habitatores terræ in domum DOMINI DEI veſtri, & clamate ad Dominum, &c. Cæremonias habent Papiſtæ quoque, ſed non ad invocationem, quam penitùs neſciunt, ſiquidem fidem neſciunt, & verbum perſequuntur.

IV.

Forma orandi, cap. 2.

Miſerere Domine ſuper populum tuum, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis gentes, Quare dicent in populis, ubi eſt Deus eorum? Cum hac forma ſcilicet, conveniunt Lovanienſium & Tridentinorum preces, orantium in mortuorum nomine, quorum interceſſionem, Chriſto excluſo, quærunt, atque hoc dicunt piè fieri, fingunt dulias, latrias, hyperdulias, & alia portent. Ita manifeſtum faciunt, quàm ſedulò & piè legant Propherarum ſcripta, quæ novo decreto conciliabulum Tridentinum mandat, non niſi in uſitata translatione legenda. Sic enim conſulunt ſuo ocio, & illorum diſcipuli dant operam, næ inteſligendo ut nihil intelligant. Siquidem linguas donum Spiritus ſancti excellentiſſimum damnant. Sed quod ad invocationem attinet, memineris ſententiæ Chriſti, Iohan. 16. Quicquid Patrem rogaveritis in meo nomine, dabit vobis. Iohan.

V.

Promiſſio de fructibus pœnitentiæ, cap. 2.

Si converſi fueritis ad Deum veſtrum, tum zelabit Dominus pro terra ſua, & parcet populo ſuo, & reſpondebit Dominus, & dicet populo ſuo, Ecce ego mitto vobis frumentum, & muſtum & oleum, & ſaturabimini eo, & non amplius vos dabo in opprobrium inter genres, &c. Sed quid Germania ſibi promittet, Epiſcopis urgentibus idololatriam? Aliis autem ex noſtra parte nihil minuentibus uſuris, luxu, comeſſationibus, libidinibus, impoſturis, &c?

VI.

De Regno Chriſti, & officio Chriſti, cap. 3.

Vocatur Chriſtus Doctor juſticiæ, ſicut in quarta ſententia Paulus Moſen appellat miniſtrum peccati, & clarè dicitur mitti eum à Domino Deo. Igitur Patris & Filii perſona hic conſtituitur, una mittentis, altera miſſi.

VII.

De officio & perſona Spiritus ſancti.

Quia antea promiſit juſticiæ Doctorem Chriſtum, jam promittit Spiritum ſuum. Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem. Igitur myſterium trinitatis hîc clariſſimè oſtenditur.

VIII.

De invocatione, quòd afferat vitam æternam.

Et erit, omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvabitur. Complectitur autem invocatio Verbum, Sacramenta, & Fidem. Rom. 10. Certò autem habeto, hanc ſententiam à nullo Papiſta intelligi.

IX.

De vocatione gentium.

In monte Zion & Hieruſalem erit ſalvatio, etiam reliquorum, quos Dominus vocabit.

X.

Summa doctrinæ Evangelij.

Dominus erit refugium ſuo populo, & arx filiis Iſraël, & ſcietis, quia ego Dominus Deus veſter, habito in Zione ſancto monte meo.

Arti-

Digitized by Google

XI.

Articulus Symboli, quòd Eccleſia ſit ſancta.

Et tunc Hieruſalem ſancta erit, & alieni per eam non tranſibunt. Cùm hac ſententia confer illam Tridentini conciliabuli, Neminem ſibi perſuadere debere, quòd ſit in gratia. Hoc ſcilicet eſt ſine fide placere Deo, ſicut Epiſtola ad Hebræos docet.

XII.

Teſtimonium de Baptiſmo, Capite 3.

Tum egredietur fons de domo Domini, Qualis autem fons ſit, oſtendit Zacharias cap. 13.

XIII.

Eccleſia in mundo afflicta liberabitur tandem, Perſecutores autem ejus peribunt.

Aegyptus (ſic vocat incredulam Synagogam) erit vaſta, & Edom ſolitudo deſerta, qui fuderunt innocentem ſanguinem in terra ſua, ſed Juda habitabitur in aternum, & Hieruſalem perpetuò. Mundans non mundabo ſanguinem eorum, Dominus autem habitabit in Zion. Hac ſpe ſublevemus nos, eſt enim certa & firma. Alia peccata condonabuntur, Sed effuſio ſanguinis Chriſtiani, niſi exemplo Manaſſe Principes emendentur, non mundabitur. Sicut Chriſtus de Judæis dicit, Moriemini in peccatis veſtris. Sed jam hanc
an. 8. tremendam ſententiam ſecurè
contemnunt.

Hoc loco caput 53. Eſaiæ, ut ex commentarijs D. M. L. à bono & pio quodam viro concinnatum eſt anno 1550. ſequi debebat, Sed cùm jam totum Eſaiæ ex ijſdem Lutheri commentarijs expectetur, conſultò hic omiſſum eſt.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google